# PATROLOGIÆ

## CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

## OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

### QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD USQUE INNOCENTII III TEMPORA FLORUERUNT,

RECUSIO CHRONOLOGICA OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA;

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS, DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

## SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE, Cursuum Completorum IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

## PATROLOGIÆ TOMUS III. — TERTULLIANI TERTIUS.

MINUCII FELICIS, CELERINI, LUCIANI, CALDONII, MOYSIS, MAXIMI, NICOSTRATI, RUFINI, URBANI, SIDONII, MACARII, S. CORNELII PAPÆ ET MART., S. CYPRIANI, NOVATIANI, DIONYSII ALEX., SS. LUCII ET STEPHANI PP. ET MART., FIRMILIANI, S. PONTII, NECNON ANONYMORUM AUCTORUM, TOMUS UNICUS.

PARISIIS, EXCUDEBAT SIROU,
*IN VIA DICTA* D'AMBOISE, PRES LA BARRIERE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1844.

DIVINITY SCHOOL LIBRARY HARVARD UNIVERSITY
Digitized by Google

BR
60
.M4
t. 3
cop. 1

Digitized by Google

# MINORUM PATRUM

## QUI SECULO TERTIO FLORUERUNT IN ECCLESIA LATINA

### A TERTULLIANO AD CYPRIANUM

## OPERA

NEMPE CELERINI, LUCIANI, CALDONII, MOYSIS, MAXIMI, NICOSTRATI, RUFINI, URBANI, SIDONII, MACARII, S. CORNELII PAPÆ ET MARTYRIS, S. LUCII ET S. STEPHANI PP. ET MART., NOVATIANI, DIONYSII ALEXANDRINI, FIRMILIANI, S. PONTII, NECNON ANONYMORUM AUCTORUM;

ET IN PRIMIS

# MINUCII FELICIS

## OCTAVIUS

AD INTEGERRIMAM UNIUS CODICIS EXSTANTIS FIDEM EXPURGATUS,

CUM VARIORUM NOTIS ET DISSERTATIONIBUS.

TOMUS UNICUS.

PARISIIS

EXCUDEBAT SIROU,

*IN VIA DICTA* D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,

OU PETIT-MONTROUGE.

1844.

Digitized by Google

# CONSPECTUS TOMI TERTII.


PRÆFATIO IN DUOS SEQUENTES TOMOS.

Syllabus auctorum.
De auctoritate S. Cypriani.
De usu S. Cypriani.

ANNALES LITTERARII.

Annales minorum Patrum.

Cyprianici { Codices / Septem editionum classes.

ANNO CHRISTI CCIII.

ACTA SS. PERPETUÆ ET FELICITATIS MARTYRUM.

Prolegomena D. Theod. Ruinart.
Passio SS. MM. Perpetuæ et Felicitatis.
Dissertatio apologetica pro SS. Martyrum orthodoxia.

INEUNTE SÆCULO III.

FRAGMENTUM ACEPHALUM incerti scriptoris de canone SS. Scripturarum.

INEUNTE EODEM SÆCULO.

MARCUS MINUCIUS FELIX.

PROOEMIA.

Prolegomena D. Gothofr. Lumper.
Dissertatio Franc. Balduini de Octavio.
Præfatio Joh. Augusti Ernesti.
Analysis logica Joh. Gottl. Liudneri.
MARCI MINUCII FELICIS OCTAVIUS, cum notis variorum.

EXCURSUS.

Epistola Lucæ Holsteuii de Verubus Dianæ.
D. Nicol. Le Nourry Dissertatio in Octavium.

ANNO CHRISTI CCXXVI.

ANONYMUS AUCTOR CHRONICI sub Alexandro Severo.

ANNO CHRISTI CCL, CCLI.

CONFESSORUM Romanorum et Carthaginensium Epistolæ.

ANNO CHRISTI CCLI, CCLII.

S. CORNELIUS, PAPA ET MARTYR.

PROOEMIA.

Notitia historica D. Hieronymi.
Prolegomena D. Lumper.
Notitia Epistolarum non exstantium, auctore D. P. Coustantio.

EPISTOLÆ.

I, II, III, IV. — S. Cypriani ad Cornelium.
V, VI. — Cornelii ad Cyprianum.
VII, VIII. — Cypriani ad Cornelium.
IX. — Cornelii ad Fabium Antiochenum.
X. — Cypriani ad Antonianum de Cornelio.
XI. — *Ad Concilia Carthaginensia infra remittitur.*
XII, XIII. — Cypriani ad Cornelium.

APPENDICES.

I. — Epistolæ Cornelio adscriptæ duæ.
II. — Epistolæ decretales Cornelio adscriptæ.

CONCILIA CARTHAGINENSIA TEMPORE S. CORNELII CELEBRATA.

I. Concilium Carthaginense sub Cypriano primum.
II. Concilium Carthaginense sub Cypriano secundum.

ANNO DOMINI CCL—CCLX.

NOVATIANUS PRESBYTER ROMANUS.

DISSERTATIO PROOEMIALIS, auctore D. Lumper.

NOVATIANI OPERA.

Liber de Trinitate.
De Cibis Judaicis epistola.
Epistola cleri Romani nomine scripta.

ANNO DOMINI CCLII, CCLIII.

SANCTUS LUCIUS PAPA ET MARTYR.

Notitia historica, auct. D. P. Coustantio.
Epistola unica S. Cypriani ad Lucium papam.
Decreta Lucii papæ, ex Gratiano desumpta.

SANCTUS STEPHANUS PAPA ET MARTYR.

ANNO DOMINI CCLIII—CCLXII.

Notitia historica ex libro Pontificali.
Notitia epistolarum non exstantium.
Epistola S. Cypriani ad S. Stephanum.
APPENDIX. — Epistolæ decretales S. Stephano adscriptæ.

ACTA ET MONUMENTA CELEBERRIMÆ DE BAPTISMATE HÆRETICORUM DISPUTATIONIS.

PARS PRIMA.

VETERUM MONUMENTA.

S. Stephani decretoriæ sententiæ.

CONCILIA.

Concilium Romanum sub S. Stephano celebratum.
Concilium Carthaginense sub S. Cypriano III.
Concilium IV.
Concilium V.
Concilium VI.
Concilium VII.
Concilium VIII.

EPISTOLÆ.

Dionysii Alexandrini ad Stephanum.
Cypriani ad Quintum.
Ejusdem ad Pompeium.
Ejusdem ad Jubaianum.
Ejusdem ad Magnum.
Firmiliani ad Cyprianum.

AUCTORES ANONYMI.

Liber de Rebaptismate.
Tractatus ad Novatianum.

PARS II.

RECENTIUM DISSERTATIONES.

L. Thomassini dissertatio ad synodos sub S. Stephano papa in causa Baptismi hæreticorum.
S. Stephani papæ sententia circa receptionem hæreticorum, auctore D. P. Coustantio.
De Auctoritate Pontificia Cypriani facto impugnata, anonymi dissertatio historico-dogmatica.
Binæ dissertationes de Firmiliano, auctore Fr. Marcellino Molkenbuhr.
Annales Ecclesiæ Africanæ, temporibus Cyprianicis, auctore Morcelli ex Africa Sacra.

ANNO DOMINI CCLVIII.

SANCTUS PONTIUS DIACONUS CARTHAGINENSIS.

Prolegomena D. Lumper.
DE VITA ET PASSIONE S. CYPRIANI.

ACTA PROCONSULARIA S. CYPRIANI.

INDEX GENERALIS in opera Tertulliani.
Syllabus rerum quæ in hoc tomo continentur.


*Errata* : col. 1609, lin. 53, *inanienti*, lisez *inquærenti*.


Succursale, au Petit-Montrouge, de l'imprimerie de Sirou, rue des Noyers, 37, à Paris.



Digitized by Google

# PRÆFATIO

# IN DUOS SEQUENTES TOMOS.

I. Quid in hac NOVA VETERUM PATRUM BIBLIOTHECA tertium illud et quartum volumen afferant, quosve Patres, quibusque recentiorum interpretum aut editorum studiis adornatos in medium adduxerimus, paucis exponere par est, priusquam, ut antea in Tertullianum, sic saltem et in Cyprianum agamus, virilique pro portione tum de ejus auctoritate et usu, tum de Cyprianicis annalibus litterariis alienas potius quam nostras symbolas exhibeamus.

## ARTICULUS PRIMUS.

### SYLLABUS AUCTORUM.

II. Rem duplicis argumenti esse hanc Bibliothecam, quam et *Cursum Patrologiæ* qualemcumque inscripsisse libuit, vel ab ipsis nominibus velim deprehendas. Hinc enim veterum testimonia, illinc recentium commentaria : prisca ergo ætas tulit, quæ hodierna manus recondit ; verba dedit vetustas, quibus explanationes novorum doctorum varietas addidit. Illa ergo ad Bibliothecam, hæc vero ad Cursum, si quid sit in ea voce virtutis, attinent.

III. Prodeunt partim in hoc tomo minores sæculi III Patres : principesque præeunt sanctæ martyres Felicitas et Perpetua, nobile par feminarum, ambæ dignæ Patrum coævorum duces. Succedit duplex auctorum triumviratus, tres scilicet Romani Pontifices, Cornelius, Lucius, Stephanus ; tresque Carthaginensis fori causidici, ejusdem causæ christianæ patroni, Minucius, Octavius, Cæcilius fauste devictus, qui et Cyprianum devicisse creditur. Pone subeunt plures ignoti nominis auctores, quorum, pro more Christianorum, humiliter latitantium opera in lucem prodire merentur : tum primus schismaticorum antesignanus, antipapa Novatianus, cui et propemodum vellem accenseri Cæsariensem episcopum Firmilianum, ni falso, ut videtur, ipsi adscriberetur epistola, in qua Stephanus, Pontifex sanctus et martyr, male antichristus audit.

Demum in tomo altero, solus operum mole cæteris omnibus haud impar, unus et integerrimus sanctus Carthaginensis episcopus Cyprianus exhibetur.

IV. Quæ cum propositæ fuerint veterum Patrum sententiæ, denso agmine subeunt recentium interpretum collegia ; quorum alii codicum falsa huc illuc tempestatibus acta colligunt ; fascicula discutiunt, membrana radunt, palimpsesta, ut ita dicam, eviscerant ; alii acceptas lectiones introspiciunt, prisca recentioribus, dubia certis, similia similibus rependunt ac elucidant.

V. Vin, tibi prælibentur saltem præcipuorum nomina interpretum, qui inter cæteros præstantiores ac veluti variorum magistri sedent, ideoque præ omnibus ad hanc universæ rei patristicæ palæstram adducuntur ? Cum primo legenda occurrunt acta sanctarum Martyrum Africanarum, ad ea duplex assurgit, uti plerumque, commentatorum ac commentationum genus : aliud litterale, nempe D. Theodorici Ruinartii, Lucæ Holstenii et P. Possini, qui ipsummet Actorum textum de verbo ad verbum elucidant, emendant confirmantque ; aliud discursivum, ut fit Basnagium inter et eminentissimum S. R. E. cardinalem Orsi, de sanctarum Martyrum orthodoxia disputantes, nec dubio prorsus certamine : tantummodo dolendum quod eminentissimus sanctarum Martyrum defensor, cum invicte earum fidem vindicaverit, tamen Montanistam esse horum actorum consarcinatorem concesserit. Huic autem sententiæ merito certatim refragantur in proœmio jam laudatus Ruinartius et doctissimus Gallandius. Hinc emendes velim quæ in tomo primo hujusce bibliothecæ paulo duriora dixit J. Aug. Nosselt in dissertatione, egregia aliunde et sane gravissima, quam in Tertulliani prolegomenis protulimus.

VI. Inter vetustissima tertii vel forsan secundi sæculi rudera, diu admodum delituit quoddam non nullius pretii fragmentum acephalum de Canone sacrarum Scripturarum ; quod tandem medio ultimo sæculo primus eruit cl. vir Muratorius : idque iterum cum innumeris ævi longe sequioris ac omnino disparibus monumentis, in hac mole magna Italicarum medii ævi Antiquitatum visus est abscondisse, iterumque sepelisse. Hoc vero opusculum, licet capite minutum, ignoto patre natum, incerta ætate editum, horrida nævorum sorde squalidum, utraque manu gratanter excepimus : nitidiorem ac recentiorem Joh. Kirchhofer recensionem exhibuimus ; de eoque libenter adduximus quotquot occurrerunt disserentes, nempe Dr. Freindaller, Herard. Stosch, ac præ omnibus Mart. Jos. Routh, clarissimum collegii Magdalenæ, Oxoniensis præsidem cui felices plurimæ restitutiones ac perpetuus ejusdem argumenti commentarius debentur.



Digitized by Google

VII. At, in excurrendo Minucii Felicis Octavio major campus est; immo vera acerrime pugnantium acies. Unus tamen textus in uno codice servatus, una certaminis causa. Vix vero credibile quam miris modis hunc unicum textum ausi sint distorquere, quot varias ex uno fonte lectiones hauserint, quot iisdem verbis sensus absonos intruserint, quot inanibus commentis, ac stolidis conjectionibus cuncta susdeque intricaverint! Nobis autem id in primis incumbere duximus, textum nempe hunc unicum, ex nova et diligentissima unius codicis recensione, ita purum putum exhibere; ut nihil adjiciatur, nihil auferatur, nec ipsamet manifesta amanuensium sphalmata omitterentur; ac vix pauculæ tantummodo voculæ, ad sensum qualemcumque excitandum, in uncinis insererentur. Summæ igitur religioni habuimus veram dare ac genuinam unici codicis effigiem a primæva facie ad vivum expressam. Porro, posita hujus palmaris textus sinceritate, ne dicam data rursus editionis principis veritate, duplici explanationis genere, ut cæteri, Octavius instruitur, duobusque commentatorum cuneis hinc et inde constipatur. Alii, grammaticorum instar, de littera certant, inter quos laudare juvat Heraldum, Wowerium, Gronovium, Grunerum, Elmenhorstium, Rigaltium, Heumannum, Cellarium, Menckenium, Davisium, Ouzelium, Wopkenium, Lindnerum, Gallandium, Meursium, Perizonium, etc. In immensum crevisset libelli hujus commentarius, nisi fuissent sedulo prurientium interpretum loquaciores rejecti, nisi omissæ vel optimorum innumeræ notæ, notarumque superefluentium luxuria dissecta. Sat tamen superque effluunt selectæ illæ reliquiæ, ut inde per te, sis, experiare, lector, quibus salebris terendum sit iter, ut perpetuo decursu variorum commentarius ad finem usque deveniat; sat, inquam, superque, ut speciatim agnoscas eo usque Trans-Rhenanorum eruditorum garrula libido sese effræna jactet et debacchetur.

VIII. Ne igitur nimium tinniant aures ex hoc litteralium commentatorum vesano tumultu, curavimus, sive in procœmiis, sive in finibus extremis hujus libelli, alios audiendos melioris frugis viros ad generalem Octavii criticen adstruendam gnave sese accingentes. Hinc a primo limine habes D. Gothofr. Lumper de M. Minucii apologetæ vita, eloquentia et scriptis, cuncta antea et quam optime dicta digerentem; prima iterum fronte appendere decuit principalem Francisci Balduini dissertationem, qua primus suo vero auctori Octavium restituit.

Cui annexuimus præclaram, ac in viro de grege pseudoreformatorum commendabilem, Joh. Aug. Ernesti epistolam, primæ Lindneri editioni affixam; in qua, ab Octavii elegantissima concinnitate ansam arripiens, multum et eximie tum de veterum Patrum, tum de recentiorum, ac in primis de divi Bernardi eloquentia disputat.

Claudit demum hæc longiuscula prolegomena ejusdem Gottlieb. Lindneri prævia compendii analytici indagatio, quæ totum Dialogi Minuciani argumentum sub uno synoptico et dialectico conspectu comprehensum exhibet.

Hæc est ad Octavium strata via: totoque opere, non obstantibus morosi commentarii fastidiis, continuo cursu peragrato, recreandi animi causa, venustam Lucæ Holstenii epistolam ad Fr. cardinalem Barberinum, de Verubus Dianæ Ephesiæ in Octavio memoratis, eo libentius collegimus, quod in recenti collectione doctiss. viri Epistolarum a D. Boissonade Parisiis data, immerito prorsus desit hæc dissertatiuncula.

Agmen autem tot unius libelli commentatorum, ut incipit D. Lumper, ita ejusdem ordinis monachus D. Nicol. Le Nourry perficit. Quanto antea laudum applausu ejusdem de Tertulliani apologeticis libris dissertationem excepimus, tanto etiam nunc extollendum est hoc egregii viri egregium opus, hæc uberrima rerum veterum ac novarum in Octavio refusa seges; hoc ex optimis omnium ætatum ac provinciarum philosophis, poetis, grammaticis, oratoribus spicilegium; nihil intactum, nihil irrepertum, nihil post ejus vestigia requirendum.

IX. Succedit anonymi auctoris Chronicon sub Alexandro Severo conscriptum; omnium proinde hujuscemodi monumentorum, in decursu christianitatis tam frequentium, primum, et in Ecclesia Latina saltem antiquissimum; cujus opellæ vetustæ ea fuit laus insignis, ut Patri inter plures maximo, sancto nempe Hippolyto, Ostiensi episcopo, tribueretur, utque eam, in dissertatione quam post D. Lumperum edidimus, illustrissimus Franciscus Blanchinius delinearet, accuratoque calculo rependeret.

X. Carptim subinde memorantur ex ordine temporum, argumentoque brevi indigitantur, plurimæ confessorum, sive Romanorum, sive Carthaginensium, epistolæ, infra inter opera D. Cypriani remittendæ. Hoc enim animo præoccupavimus, quoties, ob rerum connexionem ac temporum seriem, nonnulla opuscula ex ampla collectione decerpenda forent, toties eorum dandam esse suo anno et loco mentionem argumento rerum elucidatam; ne integra ea collectio, e qua desumuntur, nomine, pondere ac, ut ita dicam, habitu et vultu notissima, immutetur aut dissipetur.

XI. Nunc vero debita cum reverentia, cultu et cura, in lucem prodeant pontificia sæculi III monumenta; his procœmia historica ex optimis fontibus adducta præambulent; hæc unde et quanam rerum tempestate oriantur, diserta prolegomena prænuntient; horum si nonnulla, ævi edacitate absumpta, desiderentur, specialis notitia præmoneat; horum omnium quæcumque superesse contigit, textus integrior ad melioris editionis normam recenseatur; variæ lectiones indefessa opera colligantur, conferantur, dispiciantur; sensus judicum omnium calculis perpendatur, omnium eruditorum religiositate restituatur aut servetur; omnium interpretum indagatione elucidetur. His demum accedant quævis sub

Digitized by Google

tantorum nomine inter Catholicos circumferuntur, ne nimium neotericorum crisi abrepti, temere in interitum sacra vetustatis munera pessumdemus, neve forsan lutulento pulvere parumper suffusæ margaritæ conculcentur.

Hinc igitur ad annos sanctorum Cornelii, Lucii et Stephani, pontificum et martyrum, primo de eorum gestis et scriptis summarium intexuimus chronicon ex veteribus recentioribusque desumptum : scilicet, hinc ex D. Hieronymo, ex Anastasio, e libello Synodico, ex Syncello ; illinc ex Baronio, Binio, Fabricio, Pagio, Labbæo, Tillemontio, Constantio, Cellerio, Lumpero, Gallandio et Bollandianis ; deinde textum epistolarum damus ad optimas recensiones ac præ omnibus eximiam D. Coustantii editionem integerrimam accipimus. Tum, ad textus plenam illustrationem, curam omnium interpretum nostram fecimus, Pamelii videlicet, Labbæi, Harduini, Coustantii, Valesii, Baluzii : nec identidem negleximus selectas ex optimis notas quorumdam heterodoxorum, Felli puta, Reading, Routhii, Goldhorni, Schœnemanni, quibuscum fœde cohitur Rigaltius, adeo nominis catholici indignus, ut eum respuerint ac sæpe nota transverterint ipsimet editores Anglicani aliique sectarii. Varias autem lectiones, quotquot editores Anglicani, in iis colligendis studiosissimi, habent, exhibemus multis aliis hinc et inde demessis auctas, nostræque versioni accommodatas. Demum accedunt in appendicibus epistolæ iisdem pontificibus haud ita certo adscribendæ, decreta subdubia, ipsæmet Decretales litteræ tam diu in orbe doctorum decantatæ, ut vel eo solo nomine iis in hac nostra collectione plenissima non locum dare nefas sit. Denique, cum pleræque concilia sub Pontificibus summis celebrata sint, tamquam illorum opera, affante Petro, scripta, clavibusque suis servata consignataque, vel a quibusdam doctoribus eximiis adornata, qualia fuere octo concilia Carthaginensia et duo Romana sub SS. Cornelio et Stephano habita ; ideireo religioni duximus ea obiter relegere, nec nisi a collectione recentissima Mansi, vel ab eximia ac speciali recensione Routhii, inter ejusdem *Reliquias sacras* accepimus et tradidimus.

XII. Inter maximas rei christianæ causas quæ in hoc sæculo tertio fuerunt exagitatæ, nulla insignior, nulla majores tumultus in tota Ecclesia excivit, quam celeberrima de hæreticorum Baptismate disputatio. Quæ ut plena luce prodeat, ut hinc et inde momenta omnia pendi queant ac revocari, nulla negleximus monumenta non nullius pretii, sive inter veterum sive inter recentiorum excursus, quos edidit lis illa magna in qua studiis diversis Orions et Occidens, Italiæ ecclesiæ et Africanæ, pontifices et martyres haud sine magno rerum tumultu exarsere. In duas igitur classes visum est distribuenda esse hujusce disputationis monumenta : prima nimirum complectitur præcipua veterum acta et scripta quæ in hac causa versantur ; iisque præsunt jure pontificiæ præcellentiæ S. Stephani decretales sententiæ, quas in epistolis S. Cypriani et Firmiliani disjectas invenimus, et quæ demum, sive in Oriente, sive in Occidente, reverenter acceptæ, causam finiere. His pone subit concilium Romanum tunc temporis ab eodem S. Stephano magna cum auctoritate celebratum. Atqui Petri vocem audiri par erat, priusquam agerentur dissidia Afrorum et Orientalium, quæ tum in conciliis, tum in Cypriani et Firmiliani epistolis, tum in quibusdam libris veterum anonymis, pleno amne decurrunt. Cum autem exstat in collectione satis rara, recenter Oxonii edita a Jos. Martin. Routh, collegii sanctæ Magdalenæ gymnasiarcha, nova septem synodorum Carthaginensium recensio, selectis adornata notis Baluzii, Felli, Coustantii, Valesii et editoris, eam in nostros usus totam integro pede adire fecimus. Porro ex tribus longe diversis fontibus hausimus litteras ea de re datas, primo nempe fragmentum unius dumtaxat epistolæ τοῦ μακαρίου Dionysii Alexandrini ad Stephanum papam, ex Eusebio decerptæ ; deinde quatuor Cypriani ad Magnum, ad Quintum, ad Jubaianum, ad Pompeianum, unam demum, nec celebritate ultimam, Firmiliani, Cæsariensis episcopi, ad Cyprianum adversus S. Stephanum. Porro nullus inficias ibo in iis colligendis, non tantum in animo fuisse res ejusdem argumenti in unum compingere, sed et seorsim, sub unoque critices oculo seponere monumenta eodem νοθείας crimine inusta : jurene, an immerito, non causabor. Ea tamen criminis argui sat gravis reor, quæ a genuinis D. Cypriani epistolis amoveantur ac in hoc loco seligantur, tamquam magnæ litis theologos inter et philologos pendentis instrumenta. Ut ut sit, iis subjunguntur, ad veram ab initio propositam sententiam, vel sub fine corroborandam, duo libelli absque auctoris nomine, sed egregia doctrina ab omnibus admittenda præstantes. His clauditur series veterum monumentorum quæ ad lucem in hac disputatione diffundendam coegimus.

XIII. Multi multa in eadem querela recentes scripsere ; et, iisdem veterum testimoniis licet utentes, alii in alias abiere sententias, summa tantum capita recensentes, quæ nobis præ omnibus maximi pretii visa sunt, ea veteribus adjunximus ; veterum enim more haberi CC. VV. Ludovic. Thomassinum, D. Coustantium, nemo succensebit. Nec minoribus fere laudibus dignas periti, ni fallor, habebunt duas ultimas dissertationes quæ toti huic testium veterum et recentium agmini egregium finem imponunt. Hæc autem procemia, licet fusiori quam rebar, stylo protelata, revera nequeunt absolvi, quin multo plura de D. Cypriani operibus in hoc et in altero tomo contentis addantur. Ea tamen satius in sequentibus articulis sigillatim deducenda, aut paulo infra in litterariis Annalibus remittenda duximus.

## ARTICULUS II.

### DE AUCTORITATE S. CYPRIANI.

I. Quæcumque antea in primo tomo de auctoritate vera et recto usu Tertulliani allegaverim, hæc eadem;

Digitized by Google

mutatis quidem mutandis, D. Cypriano adscribere ausim. Verumtamen, multum per omnem modum absit ut cum hæretico contumaci et pervicaci catholicum et sanctum doctorem, cum superbo et dyscolo presbytero episcopum legitimum et pientissimum, cum Montanista perverso et vesano egregium unitatis Ecclesiæ assertorem, cum hæresiarcha martyrem, cum lupo pastorem conferre videar. Etsi unus ab altero totius cœli tractu distet, sunt tamen inter utrumque non solum originis, patriæ et natalium, sed et ingenii, doctrinarum et expositionis apologeticæ, dogmaticæ, vel parœneticæ nonnullæ relationes, quas speciatim explicandas alio alius curet. Mirum tamen nobis visum est quod, cum neoterici in suas partes Tertullianum libenter adducere, Cyprianumque amovere deberent, immo eo priorem acrius aversati sint, quo posteriori studiosius adhæserint. Infelix infaustumque fuit semper hæreticis hæretici Tertulliani nomen, magnum vero et a summis inter Catholicos commendatum. Unde hæc habet de Tertulliano Georgius Rosenmuller: « Hic vir, ut primarius latinitatis ecclesiasticæ auctor fuit, ita etiam in ejus libris prima sunt semina theologiæ Africanæ et Latinæ quæ tot mala Ecclesiæ et religioni attulit. Quamquam enim ad Montanistas defecit, hoc tamen auctoritati ejus apud Catholicos parum detraxit. Etenim maximam operum suorum partem in Catholicorum communione scripsit; et montanismus ille, quem secutus est, disciplinam ecclesiasticam tantum sollicitavit, fidem non violavit. Accedit quod Cyprianus magna eruditionis et orthodoxiæ laude in antiqua Ecclesia florens, perpetuus Tertulliani imitator fuit, eumque adeo admiratus est ut eum, κατ' ἐξοχήν, magistrum vocitaret(1). » Sphalmata hinc inde respersa in his verbis si neglexeris, id facile animo attendes, tantum his minui Tertullianum, quantum iisdem extolli Cyprianum.

II. Undenam tanto viro indigna laus? Unde triste præconium? Ex ipsius cum Stephano Pontifice conflictu. Hinc in eum conflata neotericorum studia, tantique impensi labores; hinc splendida illa operum ejus editio Oxonii data; hinc indefessa Felli, Pearsonii, Dodwelli, Rigaltii, Routhii, Marschall, Poole, Matthiesi opera, cuncta rei Cyprianicæ momenta, haud sine iniquo partium favore, pensa, probata reprobatave, et decretorio judicio constituta.

Hoc igitur oneris catholico cuilibet S. Cypriani editori incumbit, ut, sublatis unde apud neotericos nomen ejus elevetur fundamentis, tantum apud Ecclesiæ filios crescat vera ejus auctoritas, quantum apud extraneos deprimi videatur. Totam igitur nostram de auctoritate Cypriani disquisitionem in explicanda ipsius sententia circa pontificiam præcellentiam colligendam esse arbitrati sumus.

III. Ab omnibus receptum est scriptorem quemlibet judicandum esse, non ex uno alterove sermonum ejus verbo; sed ex continuo doctrinæ tenore; non ex improvisis effatis in commercio litterarum, movente subito rerum tumultu, excitatis, sed ex rata serioque tractata sententia, non ex opinione carptim defensa et deinceps mutata, sed ex firmo, peremptorio ac definito judicio. Quisquis autem, attentis his principiis, Cyprianica opera evolverit, nedum sanctum Pontificem Sedis Romanæ refragatorem habeat, eum potius in primis Romanorum privilegiorum assertoribus, ac pene dicam Romanorum theologorum antesignanum deprehendet.

IV. Hæc enim sunt, ne allusisse videar, ipsamet dogmata quæ passim in sancti Doctoris scriptis, ut luminaria emicant, nimirum:

1° Ecclesiam, extra quam nemo vivere possit, esse unam;

2° Unam hanc Ecclesiam esse catholicam, seu per totum orbem diffusam;

3° Unam hanc et catholicam Ecclesiam insuper esse Romanam, in Petro fundatam, nec a sancta Sede Romana distinctam, nec a summo Pontifice diversam;

4° Unam hanc catholicam et Romanam Ecclesiam esse, ad mentem Cypriani, fidei regulam certissimam nec erroris ullius labe intaminatam, nec intaminandam.

V. Velim sine mora audias ipsummet Cyprianum disserentem:

1°. *De unitate Ecclesiæ*. In libro sic inscripto, Cyprianus ipse testatur se omnem suam, quantum potuit, mentem de Ecclesia infudisse. Sed et « catholicæ Ecclesiæ unitatem, » inquit, « quantum potuit, expressit nostra mediocritas. » « In illo, » inquit diaconus Pontius, vitæ et mentis magistri sui integerrimus testis, « docuit veritatem hæreticos, schismaticos unitatem, filios Dei pacem (1). » Ex hoc autem libello: 1° « Ecclesiam unam in Cantico canticorum Spiritus sanctus ex persona Domini designat et dicit (*Cant.* VI, 9): *Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitricis suæ* (2). » 2° « Beatus apostolus Paulus hoc idem docet, et sacramentum unitatis ostendit, dicens (*Ephes.* IV, 4-6): *Unum corpus et unus spiritus, una spes vocationis vestræ; unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus* (3). » 3° « Quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus, maxime episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum

(1) *Histor. Interpret. libror. SS. in Ecclesia christ.*, Hildburgh. 1798, part. II, p. 2.

(1) Ep. LI, tom. IV, col. 345: *Hic liber scriptus est occasione schismatis Novatiani et factionis Felicissimi.* Dupin, *Bibl. auct.*, t. I, p. 260, edit. lat.: *Liber hic ad solvendum Novatiani schisma conscriptus.* Fellus, p. 104, ed. Brem. *Parum abest*, inquit Rollenus, *Bibl. SS. PP.* t. III, p. 192, *quin credam hunc libellum de Unitate Ecclesiæ orationem esse quam Cyprianus ad episcopos, clerumque in causa schismatis Novatiani tollendi congregatos habuit; hanc conjecturam sequentia ejusdem tractatus verba non parum roborant: « quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus maxime episcopi qui in Ecclesia præsidemus ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. »* Cf. t. IV, col. 501.

(2) Lib. *de Unitate Eccl.*, t. IV, col. 500.

(3) Ibid. col. 501.

Digitized by Google

atque indivisum probemus (1). » 4° « Quomodo solis multi radii, sed lumen unum; et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum; et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt..., unitas tamen servatur in origine... Sic et Ecclesia Domini... (2). » 5° « Adulterari non potest sponsa Christi... Unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit... (3).» 6° « Una est extra quam haud secus ac extra arcam Noe, nemo salvus evadit; habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem (4). » Et alibi : « Nec putent sibi vitæ aut salutis constare rationem, si episcopis et sacerdotibus obtemperare noluerint... Neque enim vivere foris possunt, cum domus Dei una sit, et nemini salus esse nisi in Ecclesia possit (5).» 7° « Dicit Dominus (*Joan.* x, 30) : *Ego et Pater unum sumus.* Et iterum de Patre et Filio et Spiritu sancto scriptum est (*Joan.* I, v, 7) : *Et hi tres unum sunt.* Et quisquam credit hanc unitatem... scindi in Ecclesia posse...? Hanc unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet; non tenet Patris et Filii fidem, vitam non tenet et salutem (6).» 8° « Hoc unitatis sacramentum... ostenditur quando in Evangelio tunica Domini Jesu Christi non dividitur omnino nec scinditur (7).... Individua, copulata, connexa ostendit populi nostri, qui Christum induimus, concordiam cohærentem... » 9° « Monet ipse in Evangelio suo et docet, dicens (*Joan.* x, 16) : *Et erit unus grex et unus pastor* (8). » 10° Sint clausulæ instar hæc pie precantis verba : « Opto equidem, dilectissimi fratres, et consulo pariter et suadeo, ut, si fieri potest, nemo de fratribus pereat, et consentientis populi corpus unum gremio suo gaudens mater includat... Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia ejus, et fides una, et plebs una in solidam corporis concordiæ glutino copulata (9). »

VI. 2° *De Ecclesia una et catholica.* Hæc modo carptim allata, in eodem libro et alibi habet Cyprianus : « Ecclesia una est quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur..... Quomodo solis multi radii, sed lumen unum ; et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum : et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine....: sic et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit; unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur ; ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit (10)... Ecclesiæ universæ per totum mundum nobiscum unitatis vinculo copulatæ... Unde scire debes... frustra sibi blandiri eos qui, pacem cum sacerdotibus Dei non habentes, obrepunt et latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia, quæ catholica et una est, scissa non sit, neque divisa, sed sit utique connexa et cohærentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata (1). »

VII. His et aliis bene multis quæ meridiano sole clariora sunt, nebulam offundere videntur ea quæ sequuntur, haud semel præcedentibus annexa : « Scire debes episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in episcopo (2). Inde enim plures intulerunt Cypriano ignotam fuisse genuinam unitatis catholicæ notionem, immo cum sensisse, quod etiam nunc multi bonæ fidei Protestantes admitterent, unitatem externam Ecclesiæ ita sensim sine sensu accrevisse, ut singulæ ecclesiæ, primo sola interna fidei et charitatis unitate vigentes et coadunatæ, omnem in suo quæque episcopo communionis catholicæ vim et vinculum posuerint, eoque internæ virtutis influxu excitatæ fuerint ad sibi alias ecclesias eodem vinculo coadunandas; hinc ergo separatas primum Ecclesias in unum sese paulatim convertisse, sibi, labentibus sæculis, alias aliis assimilasse, a pluralitate ad unitatem confluxisse, nec tamen penitus amisisse primævæ libertatis et singularium communitatum jura indefectibilia.

Gravissimæ hujus controversiæ Cyprianicæ cardo totus vertitur in eo quod Cyprianus de episcopatu senserit; idque ab ea quam sibi effinxerit apostolatus idea derivasse patet. Utrumque ergo paucis investigandum. Porro Cyprianus illud penitus in mente præconceptum habuit, Apostolos in quibus Ecclesia subsedit ac ædificata fuit, neutiquam fuisse alios ab aliis sejunctos, ab uno Christo seorsim sua jura, suam potestatem habentes; immo vero omnes et unumquemque in unum idemque corpus conflatos, ab eadem voluntate, in eadem virtute ad unum finem convenisse; unumque Petrum esse totius apostolici corporis caput, unitatis centrum et fastigium; non tantum ergo unum esse apostolici collegii caput, sed et unam apostolicam personam. Hinc in ipso rebaptizantium tumultu hæc Cyprianus ad Jubaianum : « Petro primum Dominus super quem ædificavit Ecclesia. Et unde unitatis originem instituit et ostendit, potestatem istam dedit, ut id solveretur in cœlis, quod ille solvisset in terris. Et post resurrectionem quoque ad Apostolos loquitur, dicens : *Sicut misit me*, etc. (3).. Clamat Dominus, ut *qui sitit, veniat*... ad Ecclesiam, quæ una est et super unum, qui et claves ejus accepit, Domini voce fundata est (4). Spiritus sanctus unus, et una Ecclesia a Christo Domino super Petrum origine unitatis et ratione fundata (5). Unde, jam laudata resumere juvat, « ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, unitatis ejusdem

(1) Lib. *de Unitate Eccl.* t. IV, col. 501.
(2) Ibid., col. 502.
(3) Ibid., col. 502, 503.
(4) Ibid., col. 503.
(5) Epist. LXII, col. 370, 371.
(6) Lib. *de Unit. Eccl.*, t. IV, col. 504.
(7) Ibid., col. 504.
(8) Ibid., col. 505.
(9) Ibid., col. 517.
(10) Ibid. col. 501, 502.

(1) Ep. LXIX, t. IV, col. 406.
(2) Ibid. loc. cit.
(3) Epist. LXXIII n. 7, tom. III, col. 1114.
(4) Epist. LXXIII, n. 11, tom. III, col. 1116.
(5) Epist. LXX, n. 3.

Digitized by Google

originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et Apostoli quod fuit Petrus; pari consortio prædíti honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur. Et pastores sunt omnes, et grex unus ostenditur qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur, ut Ecclesia Christi una monstretur (1). » Et paucis interjectis : « Quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus, maxime episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus.... Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur (2). »

Hæc est igitur vera et genuina Cypriani tum de Apostolis, tum de episcopis doctrina : Ut in Petro unus erat apostolatus, ita et unus episcopatus; ut inter plures Apostolos una erat cathedra, ita inter plures pastores unus grex, una ecclesia; ut in apostolico collegio os unum et unum Petri caput, ita episcopatus una persona est, quæ a singulis in solidum obtinet. Hinc episcopus in Ecclesia est et Ecclesia in episcopo. Hinc exordium ab unitate proficiscitur, nedum a pluralitate in unum coalescat. Ex ipsamet Petra excisi sumus, non autem eam ipsi in medium attulimus : non est ille lapis ultimus ab ædificantibus adductus, sed in eo tota ædificatio substruitur et accrescit; non est tantum lapis summus et ultimi fastigii, sed et angularis et fundamentalis, non a multis ecclesiis una Ecclesia, sed ab una multæ ortæ sunt. Sus ergo deque vertitur ordo rerum et ratio vera in hac quam e Cypriano supra effictam diximus, rei christianæ successivam et adventitiam in unum corpus coadunationem.

VIII. 3° Ecclesia hæc una et catholica, *Romana est insuper, in Petro fundata, nec ab apostolica Sede distincta, nec a summo Pontifice diversa.*

Moveris forsan ex eo quod antea confidenter diximus Cyprianum esse theologorum Romanorum antesignanum. Quid quod et recens auctor anonymus inter Germaniæ pseudoreformatos, longe alia mente censuerit S. Cyprianum revera fuisse primum qui dogma illud, « Unica est Ecclesia, et extra illam non est salus, » invexerit (3). Enimvero ante eum nemo, ne Irenæo quidem excepto, præclarius commendavit ipsammet « Petri cathedram, Ecclesiam principalem, unde sacerdotalis unitas exorta est (4), Ecclesiæ catholicæ radicem et matricem (5). » Ante eum nemo, ne Tertulliano quidem excepto, majori extulit præconio « summum sacerdotem, episcopum episcoporum, » sive Cornelium, « de Dei et Christi ejus judicio factum episcopum, cum Fabiani locus, id est, cum locus Petri et gradus cathedræ sacerdotalis vacaret (6), » sive ipsummet Stephanum, « quem oportet facere plenissimas litteras ad coepiscopos in Galliis constitutos, quem non decet pati episcopis illudere et de majestate ac dignitate Ecclesiæ judicare (1). » Nec ante nec post eum quisquam acrius ac vehementius insectavit a Romana Ecclesia discedentes, Novatiani instar, « qui, discordiæ furore vesanus, Ecclesiam scindit, fidem destruit, pacem turbat, charitatem dissipat, sacramentum profanat. Arma ille contra Ecclesiam portat, contra dispositionem Dei repugnat. Hostis altaris, adversus sacrificium Christi rebellis, pro fide perfidus, pro religione sacrilegus, inobsequens servus, filius impius, frater inimicus, contemptis episcopis et Dei sacerdotibus relictis, constituere audet aliud altare precem alteram illicitis vocibus facere, Dominicæ hostiæ veritatem per falsa sacrificia profanare (2). Quale delictum est quod nec baptismo sanguinis potest ablui ! quale crimen est, quod martyrio non potest expiari (3) ! Inexpiabilis culpa ! macula ista nec sanguine abluitur (4). Ardeant licet flammis, et ignibus traditi, vel objecti bestiis, animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ. Nec exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest (5). »

IX. Quid plura ? multo plane, ea nempe quæ nondum attigimus, ea quæ audacter ex Cypriano statuenda proposuimus, nullum quippe in ipsius mente intercessisse discrimen inter Ecclesiam unam et catholicam, et Ecclesiam Romanam, inter fontem episcopatus et Sedem apostolicam, inter Petrum et Christum in terris sedentem et docentem, inter Petrum et sedem suam, et successores suos, uno verbo Petrum inter et Petrum. Attende potius et audi quomodo qui cum Cornelio communicat, ipse et cum Ecclesia catholica communicet : « Scripsistis etiam, inquit, ut exemplum earumdem litterarum ad Cornelium collegam nostrum transmitterem, ut, deposita omni sollicitudine, jam sciret te secum, hoc est cum catholica Ecclesia communicare (6). » Audi et attende quomodo « Ecclesiæ renitatur et resistat, » sunt ipsius verba, « qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit; quisquis is est, nec jam in Ecclesia se esse confidat (7). » Audi in Petro et in ejus successoribus totam esse Ecclesiæ rationem et institutionem, qualis a Christo condita fuerit, positam. Nec id obiter et properatim, sed frequenter sive in epistolis, sive in speciali *de Unitate Ecclesiæ* libro : « Loquitur Dominus ad Petrum : *Ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferi non vincent eam.....* » Et iterum, « eidem, post resurrectionem suam, dicit : *Pasce oves meas.* Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, et illi pascen-

(1) Lib. *de Unit. Eccl.* col. 501.
(2) Ibid., loc. cit.
(3) *Weder die christliche religion, noch die römisch ..... Katholische kirche ist die alleinselig machende.* Leipz. und. Francf., 1791.
(4) Epist. LV, alias ad Cornel. XII, t. III, col. 818-821.
(5) Epist. XLV, alias ad Cornel., IV, t. II, col. 710.
(6) Epist. LII, alias ad Cornel. X, t. III, col. 771,772.

(1) Ep. LXVII, ad Steph., t. III, col. 993.
(2) Passim in lib. *de Unit.*, n. 8 et seqq.
(3) *De Orat. Dominica*, t. IV.
(4) Lib. *de Unit. Eccl.*
(5) Ibid., col. 511.
(6) Ep. LII, alias ad Corn., X, t. III, col. 768.
(7) Lib. *de Unit. Eccl.*, t. IV, col. 500.

Digitized by Google

das mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat et dicat : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos...;* tamen, ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant et cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi et honoris et potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur (1). »

Hæc in ipso rebaptismatis tumultu, ut modo diximus, ad Jubaianum scribit, dicens : « Petro primum Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam, et unde unitatis originem instituit et ostendit, potestatem istam dedit, ut id solveretur in cœlis quod ille solvisset in terris (2). Clamat Dominus ut *qui sitit, veniat et bibat* de fluminibus aquæ vivæ quæ de ejus ventre fluxerunt. Quo venturus est qui sitit? utrumne ad hæreticos..., an ad Ecclesiam, quæ una est et super unum, qui et claves ejus accepit, Domini voce fundata est? Hæc est una quæ tenet et possidet omnem sponsi sui et domini potestatem (3). » Hæc eadem intra Carthaginensium synodorum conciones et decreta, vel semetipsum damnaturus sanxit, cum dixit : « Spiritus sanctus unus, et una Ecclesia a Christo Domino super Petrum origine unitatis et rationis fundata (4). »

X. Nullum non moverunt lapidem qui a fide Romana defecerunt, ut hanc testimoniorum molem dissipent. Alii, dente invido verba quasi corrodentes, nonnulla excidisse in nonnullis codicibus summopere jactant. Quidni vero refert exciderit ex his una alterave vocula, dummodo stent cætera? Stant vero et plura; stant invicta et ineluctabilia. Alii sensum distorquent, et, Petrum velut umbraticum signum pro derisu habentes, nil nisi vacuum episcopi cujuslibet typum in eo deprehendunt, aut quamdam fere evanidam totius episcopatus imaginem, cujus ad successores nec levis umbra pertransiit. Alii, ac præcipue inter nostrates gallicanos, subtiliori quodam intuitu Sedem a sedente discernentes, quidquid sanctum, magnum ac primarium est Sedi effuse tribuunt, sedentibus autem Pontificibus infirmitatem, imbecillitatem, errorem condonant, easque prurientium scholasticorum tricas venerandam antiquitatem ac in primis Cyprianum pleno amplexu excepisse, fovisse, docuisse contestantur. Testis tamen esto ipse pontifex et martyr, qui hæc aperte asseverat : 1° Christum fundasse unitatem fidei et communionis catholicæ in Petro; 2° in Petri locum successisse legitimo et plenissimo jure Cornelium, Lucium, Stephanum; 3° qui cum illis nominatim, nec tantum cum illorum Sede inaniter in abstracto apprehensa, communicat, communicare cum Ecclesia catholica; 4° qui vero ab iis Pontificibus, non tantum ab illorum sedis umbra, discesserit, eum Ecclesiam scidisse, fidem destruxisse, contra Ecclesiam et Dei dispositionem repugnasse, pro fide perfidum, nec ab ipsamet fidei cum martyrio confessione expiandum. Hæc satis sunto ad statuendam, ut voluimus, propositionem nostram : in mente nempe Cypriani Ecclesiam unam et catholicam non fuisse a Romana sede sejunctam.

XI. 4° Ecclesia hæc una, catholica, Romana, ad mentem Cypriani, *vera est et unica fidei regula certissima, nec erroris ullius labe intaminata nec intaminandam.*

Hæc, etsi pluribus sint prodigii similia, ex antea dictis fluere ac necessario tramite deduci patet. Nonne ibi erit fidei regula vera et unica, ubi est « una et perfecta Dei columba; » ubi « unus Dominus, una fides, unus Deus; » ubi « unus est ac indivisus episcopatus; » ubi « immaculata sponsa Christi, una illius domus, unius cubiculi sanctitas; » ubi « una vitæ et salutis ratio; » adeo ut « extra eam nemo vivere possit, nec Deum habeat Patrem qui eam non habet matrem; nec Dei legem, nec Patris et Filii fidem teneat qui eam non tenet unicam fidei regulam? » Nonne una est et vera et erroris ex pers fidei regula, illa Ecclesia quæ, « Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit, quæ per totum orbem unitatis vinculo copulatur; » illa, inquam, Ecclesia una, catholica, Romana, « unde sacerdotalis unitas exorta est, ecclesiarum omnium radix et matrix, a qua nemo discedit, quin fidem destruat, Ecclesiam scindat, pacem turbet, arma in Deum ferat, Christi rebellis evadat et pro fide perfidus; » illa, inquam, Romanorum Pontificum unam et infallibilem fidei regulam, quibuscum communicare perinde ac sit communicare catholicæ Ecclesiæ; quibuscum constituitur, ut in uno Petro, omnis ædificatio Ecclesiæ quam non vincent portæ inferi; una nempe cathedra, unitatis ejudem origo, primatus Petro datus, ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur. Quid quod non tantum via deductionis, sed ipsis Cypriani verbis hæc eadem Ecclesiæ Romanæ auctoritas infallibilis aperte prædicatur? En enim os omne refragantium obtrudunt clarissima hæc ad Cornelium papam de Novatianis et peremptoria verba : « Post ista adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab hæreticis constituo navigare audent et ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos quorum fides Apostolo prædicante laudata est; ad quos perfidia habere nondum potuit, immo nullo umquam tempore habere possit accessum (1). » Nemo sane est theologorum Romanæ Sedi addictissimorum qui de Romana infallibilitate uberius et præclarius dixerit.

XII. Jam plura supersedemus testimonia afferre. Paucis tamen quam cito occurrendum est tritæ pe-

(1) L. *de Unit. Eccles.*, t. IV, col. 500.
(2) Ep. LXXIII, t. III, col. 1114.
(3) Ep. LXXIII, t. III, col. 1116.
(4) Concil. Carthag. sub Cypr. V, de Baptis. II, III, col. 1043.

(1) Ep. LV, alias ad Corn. XII, t. III, col. 818.

Digitized by Google

omnium ora objectioni ex dissidio Cypriani cum Stephano obortæ.

Non nobis animus est, nec ulla sane necessitas incumbit, S. Stephanum quasi erroris aut criminis reum defendendi : fuere sat multi qui hanc provinciam strenue accepere, uti videre est in hoc ipso opere; sat multi ab iniquis Vossii, Blondelli, Basnagii, Antonii de Dominis, Launoii, Dupinii, etc., conviciis sanctum Martyrem vindicantes, firmiter statuere eum non solum in hæresim non cecidisse, sed tum antiquitatis, tum veritatis assertorem, nec a vera doctrinæ via, nec a recto tramite apostolico declinasse.

XIII. Multo magis tuendus Cyprianus cæterique rebaptismatis fautores : alii aliam viam sibi ad hunc finem stravere; plerique nihil nisi disciplinarem in re nondum definita nævum deprehendere, nil nisi in unum Pontificem, salva summæ Sedis majestate, offensam, catholicæ communioni, zeloque episcopali aliquo modo accommodandam. Porro, in Cypriani causa defendenda, nullum peritiorem, nullum benevolentiorem patronum quam Augustinum agnoscentes, duplici tantum quo usus est, utendum esse argumento arbitramur. Aut enim cum illo candide confitendum peccasse Cyprianum, suamque minus rectam sententiam postea correxisse, ab eoque præterea, quod erat emendandum purgasse Patrem falce passionis; aut aperte asseverandum nec sensisse nec scripsisse Cyprianum quæ ei epistolarum suarum audaces interpollatores adscripserunt. Immo audiamus S. Doctorem in Epistola *ad Vincentium:* «Cyprianus sensisse aliter de Baptismo, quam forma et consuetudo habebat Ecclesiæ, non in canonicis, sed in suis et in concilii litteris invenitur; correxisse autem istam sententiam non invenitur : non incongruenter tamen de tali viro existimandum est quod correxerit, et fortasse suppressum sit ab eis qui hoc errore nimium delectati sunt, et tanto velut patrocinio carere noluerunt. Quamquam non desint qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendant, sed sub ejus nomine a præsumptoribus atque mendacibus fuisse confictum; neque enim sic potuit integritas atque notitia litterarum unius quamlibet illustris episcopi custodiri, quemadmodum scriptura canonica, tot linguarum litteris, et ordine, et successione celebrationis ecclesiasticæ custoditur, contra quam tamen non defuerunt qui sub nominibus Apostolorum multa confingerent : frustra quidem, quia illa sic commendata, sic celebrata, sic nota est : verum quid possit adversus litteras, non canonica auctoritate fundatas, etiam hinc demonstravit impiæ conatus audaciæ, quod et adversus eas quæ tanta notitiæ mole firmatæ sunt, sese erigere non prætermisit. Porro autem Cyprianus, aut non sensit omnino quod eum sensisse recitatis; aut hoc postea correxit in regula veritatis; aut hunc quasi nævum sui candidissimi pectoris cooperuit ubere charitatis, dum unitatem Ecclesiæ toto orbe crescentis, et copiosissime defendit, et perseverantissime tenuit vinculum pacis : scriptum est enim : *Charitas cooperit multitudinem peccatorum.* accessit huc etiam, quod tamquam sarmentum fructuosissimum, si quid in eo fuerat emendandum, purgavit Pater falce passionis : *Sarmentum enim,* ait Dominus, *quod in me dat fructum, purgat illud Pater meus, ut majorem fructum afferat.* Unde? nisi quia hærens in diffusione vitis, radicem non deseruit unitatis. Nam, etsi traderet corpus suum ut arderet, charitatem autem non haberet, nihil ei prodesset (1). »

(1) Pluribus recenter visum est haud exigui momenti esse illud Augustini dubium de γνησιότητι epistolarum Cyprianicarum in causa rebaptizantium. Inter eos primas partes tenent PP. Missorius, et Mich. Molkenbuhr, uterque ordinis S. Francisci, et P. Tournemine e societate Jesu; quorum prior et posterior in eamdem sententiam, eodem tempore, inscii convenere et scripsere. Edidimus ad calcem hujus voluminis præcipuam M. Molkenbuhr dissertationem, haud abs re forsan erit præcipua PP. Tournemine et Missorii argumenta eo loci cursim relegere; hæc longe breviora ac fere generalia habet prior : 1° Divi Augustini dubia refricat, quæ modo exposuimus. 2° Longe a vero alienum autumat Cyprianum eo conviciorum aceto in summum Pontificem exarsisse, quippe qui tam vehementer, ut vidimus, schismaticos increpaverit. 3° Multum diversa in his Cyprianicis principia doctrinæ ac in cæteris libris genuinis deprehendit. 4° Immo duriora Donatistarum dogmata aperte docuisset S. Martyr : unde vehementer harum litterarum auctorem verum esse quemdam Donatistam criticus noster suspicatur, nec istius modi fraudis eos hæreticos esse immunes ostendit. 5° Eamdem adamussim similitudinem tum in his epistolis Cypriano adscriptis, tum in ea quæ Firmiliani nomine circumfertur, tum in sententiis et litteris conciliorum Africanorum nequaquam intercessisse firmiter credit, quin horum similium monumentorum idem sit et unus auctor. 6° Planum de ea controversia silentium Pontii diaconis in Vita Cypriani nonnullius esse pretii ad suam sententiam firmandam sub finem suæ dissertatiunculæ animadvertit. (*Mémoire de Trévoux, ann.* 1834, *tom.* IV, *déc., p.* 2245-2262.) — Missorii nunc præcipua argumenta obiter perstringemus : positis multis axiomatibus prævis, ex septuplice theoremate totam thesim suam instruit. 1° Ex Donatistarum systemate infert mera horum hæreticorum commenta esse Cyprianicas epistolas; eos enim deprehendit tum esse calumniæ peritissimos, affectatæ sanctitatis, certæque impietatis, falsæ doctrinæ et modicæ scientiæ, tum excogitasse errorem fallaciis, adeo obsitum, ut sit perpaucis obvius; unde et locorum ratio, et temporum ordo, et rerum series, et personarum dispositio, et doctrinæ ortus, progressus, exitusque explicatur; ac multum exinde patescit Donatistarum pertinacia stolida, astutia, falsiloquentia, incredibilisque in antiquis monumentis depravandis audacia. 2° Ex Augustini systemate, seu Cypriani defensione supra allata, ostendit, sive absolute, sive hypothetice intelligatur hæc defensio, similiter rejiciendas esse Cyprianicas epistolas. 3° Ex libris S. Optati, seu potius ex alto Optati silentio, assertæ confictionis suspicio confirmatur. 4° Ex nonnullis aliis idem evincitur, nempe ex diac. Pontii silentio, ex anonymi de hæreticorum rebaptismate sententia, ex Eusebii cum Afris, et Ruffini cum Eusebio repugnantia. 5° Speciatim ad concilii Carthaginensis VII, alias III, confictionem asserendam expenduntur dubia Augustini, temporum perturbata ratio, octo præfationis loca, conclusio epistolæ ad Jubaianum. 6° Tota resumitur impugnatio in epistolas Cyprianicas de Baptismo, absurdaque, sive communia, sive propria, recensentur, respuitur fictum Stephani decretum, ac

Digitized by Google

## ARTICULUS. III.

### DE USU SANCTI CYPRIANI IN RE DISCIPLINARI.

I. Nemo non sentit quam uberrimam rerum utilium copiam suppeditent divi Cypriani opera, sive de exegeticis quæstionibus consulantur, sive ad stabilienda Ecclesiæ dogmata adducantur, sive in eis vera morum ætatis suæ effigies ad vivum exprimatur, sive temporum ratio, annorumque vices, virorumque clarissimorum persona de tumulo excitetur in medium rediviva. Attamen, omissis quæ ad Cypriani usum exegeticum, dogmaticum, moralem, historicumve attinent, ne longius prooemii-fines excedam, nonnihil profuturum pauca de ejusdem usu in re disciplinari, eaque cuncta propemodum e D. Lumperi *Historia theologico-critica Patrum* (1) accepta obiter attingere visum est.

Sanctus episcopus Carthaginensis et martyr Cyprianus omnium sanctorum Patrum primus de disciplina Ecclesiæ uberrime disseruit; in ejus operibus, præcipue vero in Epistolis, innumeræ exstant magni momenti instructiones atque sententiæ, ex quibus illorum temporum disciplina ecclesiastica, exteriorque Ecclesiæ status luce meridiana clarius cognoscitur. Agit enim non solum de disciplina in genere, sed et in particulari circa sacramenta administranda, peccatores corripiendos et reconciliandos, de disciplina antiquæ Ecclesiæ quoad pœnitentiam, de indulgentiarum usu utque abusu, aliisque disciplinæ ecclesiasticæ punctis.

pseudo-Cypriani secum et cum Cypriano antilogia proponitur. 7° Demum Missorius explodere nititur adversariorum momenta. — Hæc non judicis nec assertoris animo, sed testis solummodo aut collatoris indubia fide collegi. *Fr. Raym. Missorii Disputationes criticæ in duas celeberr. epp. Firmiliani et Cypriani adv. Decret. S. Stephani ... Ejusd. Disput. in Epist. ad Pompeium... qua illam una cum aliis quinque et concilio Carthaginensi tertio hactenus pro Cyprianicis habitis nunc primum adjudicat ac Donatistis tribuit; Venet. in-4°*, 1733. Vid. infr. de eadem disquisitione aliorum opera inter *Annal. litter.*

Ut ut sit de hac Missorii argumentatione, cui suffragantur doctiss. Morcelli in *Africa sacra;* Fr. Molkenbuhr, in *Dissert.* laudatis; eximius Hebermann in *Institutionibus Theologicis, de Baptismate:* quisquis hæc attente perpenderit, haud sane ineptas esse reputabit cavillationes, nec indignabundus cum Martino Routh exclamabit: *Insigne exemplum fallaciæ quæ dicitur petitionis principii! fac autem esse, qui hujusmodi argumentis scientes prudentesque in rebus tanti momenti usi sint, unde fiat totius fidei historiæ interitus, quidni Deum deprecer meæ animæ, ne sit in futuro sæculo cum tam iniquis et improbis sophistis!—Annot. in Firmil. ad S. Cyprianum epist.* in tom. I *Scriptor. Eccles. opuscc. præcip.* p. 260. Cf. iter. Molkenbuhr, in Ephemeridibus theologicis, sub hoc titulo: *Die mastiaux'sche literatur zeitung.* heft. 7, 1822, h. 4, 1823. — D. Wolfgang Frochlich. O. S. B. in *Inquisitione critica in h. e. Euseb.* Poson. 1808. Videsis annales litterarios infra col. 24.

(1) Tom. XII, p. 1–112, passim.

### § I. — De Disciplina in genere.

II. « In Scripturis sanctis frequenter et ubique disciplina præcipitur, » inquit S. Cyprianus in suo tractatu *de Habitu Virginum* (1), « et fundamentum omne religionis ac fidei de observatione ac timore profiscitur. » — Facili negotio dignoscitur, nihil tam necessarium esse præcipue in bello persecutionis, quam debitam severitatem divini vigoris tenere, quam qui remiserit, inquit Romanus Clerus (2) ad S. Cyprianum scribens, instabili rerum cursu erret semper necesse est, et huc atque illuc variis incertis negotiorum tempestatibus dissipetur, et quasi extorto de manibus consiliorum gubernaculo, navim ecclesiasticæ salutis illidat in scopulos, ut appareat, non aliter saluti ecclesiasticæ consuli posse, nisi si qui et contra ipsam faciunt, quasi quidam adversi fluctus repellantur, et disciplinæ ipsius semper custodita ratio quasi salutare aliquod gubernaculum in tempestate servetur. Oporteret insuper Ecclesiæ disciplinam uniformem esse, quantum fieri potest, in præcipuis rebus, sicuti in pœnitentia: quod sane monitum suo clero præbet S. Cyprianus epistola sua trigesima quarta (3). Mandat insuper, hanc consilio omnium Episcoporum esse præscribendam, ut ex quibusdam aliis suis Epistolis colligitur (4). Hæc habet sanctus Cyprianus de disciplina in genere. Videamus modo, quæ de disciplina in particulari in ejus scriptis deprehenduntur.

### § II. — De Disciplina quoad baptismum.

III. *Benedictio aquæ quæ ad Baptismum inservire debet.* — Primum, quod observatione dignum occurrit in vetusto hoc Patre quoad Baptismum est, quod suo ævo jam aquam Baptismi benedictione donabat episcopus. « Oportet ergo, » inquit divus Cyprianus Epistola LXX, quæ est ad Januarium et cæteros episcopos Numidas, « mundari et sanctificari aquam prius a sacerdote, ut possit Baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere (5). » Quam disciplinam confirmat ille hoc Ezechielis oraculo: *Effundam super vos aquam mundam, et emundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab omnibus idolis vestris mundabo vos* (6). »

IV. *Exorcismi in Baptismo.* — Baptismi cæremoniam præcedebant exorcismi, prout tradunt patres celeberrimi concilii Carthaginensis, cujus veluti anima divus Cyprianus erat et habebatur. Lege quæ tra-

(1) S. Cyprian., *de Disciplina et Habitu Virginum*, parum post initium, t. IV, col. 441 B.
(2) Idem, Ep. XXXI, t. IV, c. 503 A.
(3) Epist. XXVIII, tom. IV, c. 301 A.
(4) Vide *Epp.* XI, tom. IV, c. 273, ad plebem, t. IV, c. 256; XIII, *ad Clerum suum*, t. IV, c. 260; XIX, *ad Chaldonium*, XXVIII, *ad Presbyt. et Diacon.*, tom. IV, c. 300; XXXI, *Cleri Romani ad Cyprian.*, c. 307.
(5) Cyprian., Ep. LXX, t. III, c. 1030 A.
(2) Ezechiel, XXXVI, 25.

Digitized by Google

dunt Cæcilius de Bilta, tom. III, col. 1054; Crescentius de Cirta col. 1058, editionis Oxoniensis; et Lucius de Thebeste, qui omnes de hac praxi testantur. Mos erat pariter exorcismos instituere super eos qui obsessi erant a dæmoniis, qui adjurati in nomine veri Dei cedere cogebantur, et de illis corporibus exiere. « Hi tamen adjurati per Deum verum a nobis, » inquit S. Cyprianus in suo tractatu de Vanitate Idolorum (1), « statim cedunt, et de obsessis corporibus exire coguntur. Videas illos, » subjungit S. Doctor, « nostra voce, et operatione majestatis occulta, flagris cædi, igne torreri; incremento pœnæ propagantis extendi, ejulare, gemere, deprecari; unde veniant, et quando discedunt, ipsis etiam, qui se colunt audientibus, confiteri; et vel exsiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat, aut gratia curantis aspirat. » Habebantur igitur duplicis generis exorcismi; hi quidem super eos qui præparabantur Baptismo, illi vero super energumenos. Primi in ecclesia peragebantur, coram fidelibus; reliqui ibidem communiter non peragebantur, quia, ut vidimus, ethnici quandoque ipsi aderant. Exorcistæ itaque, quoniam sic opus erat, ad illos migrabant qui eorum indigebant ministerio.

V. *Signum crucis in fronte eorum qui abluebantur.* — Signum crucis in fronte eorum qui tingebantur, erat alia cæremonia adhibita in collatione Baptismi. De hac praxi testimonium perhibet luculentissimum sanctus Cyprianus 1° in suo tractatu de Lapsis : ibi siquidem de illis verba faciens qui in persecutione confessores exstiterant, ait frontes crucis signo consecratas. « Frons cum signo Dei pura, diaboli coronam ferre non potuit, coronæ Domini se reservavit (2). » 2° In tractatu de Unitate Ecclesiæ disserens de Ozia, qui lepræ varietate in fronte maculatus est, tradit hanc esse eam corporis partem, ubi signantur qui Baptismi aqua abluuntur : « Ubi signantur, qui Dominum promerentur (3). » 3° In tractatu adversus Demetrianum apertissime cum Ezechiele (4) asserit, quod ii soli salvi erunt qui renati et signo Christi signati fuerint (5). »

VI. *Editoris Oxoniensis nota hac super re refellitur.* — Observavimus jam in superioribus tomis ex nonnullis Patribus, præcipue vero ex Tertulliano, signum crucis apud veteres fidèles frequentissimo in usu fuisse. Oxoniensis divi Cypriani editor idipsum fatetur, et tradit in quadam nota in unum ex supra recitatis S. Doctoris testimonium : « Non tantum (6), inter Baptismi solemnia, frontibus crucis signum imprimebant Christiani, sed ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum et calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad limina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque illos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terebant. » Verum subdit episcopus iste, qui inter Protestantes haud ultimum locum habet, quod nondum cultus religiosus præstabatur Cruci : « Interim cultus religiosus aberat : » hancque falsitatem ut comprobet, quemdam profert textum Minucii Felicis, in quo Octavius observat et asserit Christianos nequaquam adorare Crucem : « Cruces nec colimus. » Quem sane textum suo loco protuli et explicavi, illicque lectorem remitto (1). Unum solummodo hic addam, usum videlicet alicujus rei in quocumque religionis actu signum esse, quo majus non datur aliud religiosi cultus erga rem eamdem. Ast Oxoniensis episcopus, Tertulliani auctoritate coactus, fatetur, Christianos primis Ecclesiæ sæculis id peregisse : Catholici ergo in cultu, quem præstant Cruci, beatorum illorum temporum praxim hodie sequuntur.

VII. *Sal in ore eorum qui baptizabantur.* — Cæremoniarum Baptismi una pariter est, quod sal ponitur in ore, aut super lingua illius qui baptizatur; dumque id peragit minister hæc profert verba : « Accipe salem sapientiæ, etc. » Ego autem reor, inquit cl. Bernardus Marechall noster (2), hanc praxim designari in celeberrimo concilio Carthaginensi, de quo superius verba feci; in eo siquidem Lucius de Castrogalba, ut probet schismaticos legitime non baptizare, eos ait non posse dare salem sapientiæ spiritalis : « Schismaticos non posse condire sapientia spirituali, cum ipsi ab Ecclesia recedentes infatuati... facti sint (3) » Quibus sane verbis respexisse videtur tum cæremoniam de qua sermo est, tum hæc verba : « Accipe salem sapientiæ. »

VIII. *Interrogationes in Baptismo.* — A neophytis priusquam in aqua immergerentur, inquirebatur inter cætera, num crederent vitam æternam, et remissionem peccatorum per sanctam Ecclesiam. Ipse divus Cyprianus luculentissimum de hac re testimonium perhibet Epistola LXIX, energicam præfatæ interrogationis vim adhibens, ut ostendat interrogationem hanc non posse ab illis fieri qui ab Ecclesiæ communione sunt separati : « Nam cum dicunt » (S. Cypriani ipsissima sunt verba, qui de hæreticis et schismaticis loquitur) : « Credis remissionem peccatorum et vitam æternam per sanctam Ecclesiam? mentiuntur in interrogatione, quando non habeant Ecclesiam (4). » Hujus ejusdem consuetudinis alibi meminit hisce verbis : « Ipsa interrogatio quæ fit in Baptismo, testis est hujus veritatis (quod sola Ecclesia remittit peccata) : nam, cum dicimus : Credis in vitam æternam,

(1) Cyprian., lib. *de Idolor. Vanitat.*, tom. IV, c. 577 A.
(2) Cyprian., lib. *de Lapsis*, c. 466 B.
(3) Idem, lib. *de Unit. Eccles.*, t. IV, c. 514 A.
(4) Ezechiel, IX, 6.
(5) Cyprian., tractat. *adv. Demetrian.*, t. IV, c. 526 B; et *Testimonior.*, lib., II, cap. 22, t. IV, c. 716 A.
(6) Edit. Bremensis Joan. Felli Oxon. episcop., pag. 116.

(1) D. Lumper, *Historiam Theolog. Critic.* part. VII, sect. 2, cap. 2, art. 7, pag. 185-189.
(2) Marechall. *Concord. SS. PP.* t. II, pag. 115, edit. Lat. Venet. 1767.
(3) *Concil Carthagin.* VII, seu III *de Bapt.*, t. III, c. 1058 B.
(4) Cyprian. Ep. LXIX.

Digitized by Google

et remissionem peccatorum nonnisi in Ecclesia dari, apud hæreticos autem, ubi Ecclesia non sit, non posse peccata dimitti (1) ? »

IX. *Abrenuntiatio sæculo, ejusque deliciis ac pompis.* — Illud pariter exigebatur a neophytis, ut abrenuntiarent diabolo, mundo ejusque deliciis ac pompis. Probatur id luculentissime auctoritate divi Cypriani, qui in tractatu de Habitu Virginum, divitias mundi tam contemnendas esse inquit, quam mundus ipse contemnitur « cujus pompis et deliciis jam tunc renuntiavimus (2). » « Sæculo » inquit alio loco (3) « renuntiaveramus, cum baptizati sumus. » Et in tractatu de Lapsis, quosdam Christianos tam perversos adinventos fuisse admiratur, qui ausi sint renuntiare Jesu Christo, qui jam diabolo et sæculo renuntia verant. « Stare, » inquit sanctus Doctor (4), « illic potuit Dei servus... et renuntiare Christo, qui jam diabolo renuntiaverat et sæculo. »

X. *Baptismus collatus per immersionem.* — In more positum erat primis Ecclesiæ sæculis, ut in aqua ii immergerentur qui baptizabantur, quemadmodum eruitur ex Epistola LXIX divi Cypriani, quæ est ad Magnum (5). Nullibi autem in vetustissimo hoc Patre mentio occurrit trium immersionum, etsi certo certius sit has in usu fuisse, et ante et post illius tempora. Habemus hac super re indubiæ fidei testimonia, Clementem Alexandrinum (6) et Tertullianum (7). Quinquagesimus Canon Apostolicus mandat deinceps depositionem episcopi, aut presbyteri, qui una adhibita immersione utebantur (8). Nunc temporis vero Baptisma confertur infusione.

XI. *Baptismus collatus per infusionem aut aspersionem.* — Hoc modo alias baptizabantur ægroti, quos quidem ideo appellabant *clinicos ;* absque eo quod vel levissimum oriretur dubium de validitate Baptismi tali pacto collati. Divus Cyprianus de hoc articulo a Magno consultus, respondet eos qui sic baptizantur, Dei gratiam recipere, non secus ac qui in aqua immersi sunt (9). Deinde, prolatis nonnullis Scripturarum oraculis, in quibus sermo est de infusione et aspersione aquæ, concludit aspersionem aquæ instar salutaris lavacri obtinere : « Unde apparet, aspersionem quoque aquæ instar salutaris obtinere. » Cujus rei paucis interjectis hanc profert rationem, quod scilicet iterum non baptizabantur, qui ita fuerant baptizati; iterandum siquidem fuisset Baptisma, si dubium aliquod ortum fuisset de illius Baptismi validitate. Improbat etiam quod clinicorum nomine appellentur, ac mandat illos uti veros Christianos considerandos esse, sicut et cæteros, et in nulla re a cæteris fidelibus censendos esse diversos. Fatemur nihilominus, Romæ a clericatu eos rejectos fuisse, qui baptizati fuerant per infusionem vel per aspersionem; hoc siquidem unum est ex vitiis ordinationis Novatiani, quod Cornelius Papa adducit in sua Epistola ad Fabium Episcopum Antiochenum (1). Concilium pariter Neocæsariense (2) a presbyteratu excludit *clinicos*, eo quia juxta mentem hujus Concilii eorum fides non esset voluntaria, sed a mortis metu perficeretur. Cæterum observandum est Baptisma per infusionem in solo casu necessitatis fuisse collatum.

XII. *Unctiones Baptismi.*— Post immersionem baptizatus ungebatur. « Ungi quoque necesse est eum, » inquit episcopus (3), « qui baptizatus sit, ut, accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit. » Consecratio hujus chrismatis peragebatur super altare per gratiarum actiones : « Porro autem Eucharistia est, unde baptizati unguntur, oleum in altari sanctificatum (4). » Prima hujusce postremi textus verba nonnihil implicata videntur. Sentiunt quidem vocabulum hoc *Eucharistiæ* sumendum esse in proprio suo sensu, videlicet pro Sacramento altaris ; unde conjiciunt in antiqua Ecclesia cum Baptismo collatam fuisse et Eucharistiam illic (5); alii vero tuentur gratiarum actionem tantummodo illa voce significari.

XIII. *Osculum recens baptizatis datum.* — Habemus ex epistola divi Cypriani ad Fidum, Baptismi ministrum consuevisse dare osculum recens baptizato. Contendebat Fidus quod, cum vestigium infantis in primis partus sui diebus constituti mundum non esset, horrere debebat unusquisque eum exosculari, adeoque quod gratia baptismalis eidem conferri non poterat. Verum, respondet sanctus Episcopus, nec aliquis nostrum id debet horrere, quod Deus dignatus est facere : « Quando in osculo infantis unusquisque nostrum pro sua religione ipsas adhuc recentes Dei manus debet cogitare, etc. (6). »

XIV. *Confirmatio immediate post Baptismum collata.*— Plerumque Baptisma sequebatur proxime Confirmatio. Ex divo Cypriano id manifesto constat; ait enim, quod in Ecclesia baptizati præpositis offerebantur, qui recipiebant Spiritum sanctum, et per eorum orationem ac manus impositionem perficiebant-

(1) Cyprian. Ep. LXX, tom. III, c. 1040 A.
(2) Id., tractatu *de Habitu Virgin.*, t. IV, c. 446 B.
(3) Id., Ep. VII, tom. IV, c. 241 A.
(4) Id. *libr. de Lapsis*, t. IV, c. 534 A et c. 467 A. *Sed qui sæculo renuntiasse se meminit, nullum sæculi diem novit.*
(5) Id., Ep. LXIX.
(6) Clem. Alexandr., lib. V *Stromat.*, pag. 690. Vide *Histor. theolog. critic.*, part. V, pag. 155.
(7) Tertullian., *adv. Praxeam.*, cap. 26. Vid. *Hist. crit. theolog.* part. VI, pag. 635.
(8) *Canon Apostol.* cap. 26.
(9) Cyprian., Ep. ad Magnum.

(1) Euseb. *H. E.*, lib. VI, cap. 43. Vid. *Hist. theolog. critic.*, part. XI, pag. 17. Videsis et doctissimi nostri Coustantii notas 3, 4, 5 et 6, in hanc Cornelii *ad Fabium Epistolam* apud Mansi, tom. I, Collect. Concilior., column. 823 et 824.
(2) Apud Mansi, *Collect. Concil.*, tom. II, col. 541, canone 12, et notam illustrissimi Albaspinæi in hunc canonem in cit. *Collect. Concilior.* Mansi., pag. 552.
(3) Cyprian., Ep, LXX, t. III, c. 1040, A.
(4) Id., ibid.
(5) Vid. Baluzii notam in hunc locum qui legendum esse censet *oleo in altari sanctificato.*
(6) Cyprian. Ep. *ad Fidum*, tom. III, c. 1017 A.

Digitized by Google

tur. « Quod nunc quoque apud nos geritur ; ut qui in Ecclesia offerantur, et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo Dominico consumentur (1). »

XV. *Baptizati infantes in nativitatis exordio.* — Morem infantes in nativitatis exordio baptizandi duplici in loco commemorat divus Cyprianus, in tractatu scilicet de Lapsis, ubi scribit : « Ac ne quid deesset ad criminis cumulum, infantes quoque parentum manibus vel impositi, vel attracti, amiserunt parvuli quod in primo statim nativitatis exordio fuerant consecuti. » Et in epistola ad Fidum (2), ubi scribit hunc in modum : « Universi judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei et gratiam esse denegandam.... Esse apud omnes sive infantes, sive majores natu, unam divini muneris æqualitatem..... Nam Deus, ut personam non accipit, sic nec ætatem ; cum se omnibus ad cœlestis gratiæ consecutionem, æqualitate librata, præbeat patrem.

§ III. — Disciplina quoad Eucharistiam.

XVI. *Fideles cum Episcopo in unum conveniebant, ut Eucharistiam celebrarent.* — Fideles consuevisse in unum cum episcopo convenire, ut divina mysteria celebrarent, ex tractatu divi Cypriani de Oratione Dominica eruitur (3) : « Et quando, » inquit ille, « in unum cum fratribus convenimus, et sacrificia divina cum Dei sacerdote celebramus. » Hujusce conventus locus appellabatur « Dominicum, » uti ex eodem divo Cypriano erui posse videtur, qui in tractatu de Opere et Eleemosyna mulieres divites sic alloquitur (4) : « Locuples et dives es ; et Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non respicis ; quæ in Dominicum sine sacrificio venis ; quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis. »

XVII. *Tempus celebrandi sanctum sacrificium.* — Divi Cypriani ætate Eucharistia celebratur tum matutino, tum vespertino tempore. Probatur id Epistola sexagesima tertia hujusce sancti Doctoris ; in ea siquidem contra eos disserens qui nolebant vinum in calice infundere in sacrificiis matutinis, ne fideles post communionem vinum redolentes ab ethnicis dignoscerentur ; hæc habet (5) : « An illa aliquis sibi contemplatione blanditur, quod, etsi mane aqua sola offerri videtur, tamen cum ad cœnandum venimus, mixtum calicem offerimus?... » Nihilominus ea est Cypriani mens, quod matutino potius, quam vespertino tempore sacrificium celebretur. Ad illud vero quod aliqui objiciebant, Dominum scilicet non mane, sed post cœnam mixtum calicem obtulisse ; hæc reponit sanctus Episcopus : Christum offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa sacrificii ostenderet occasum, et vesperam mundi : « Nos autem Resurrectionem Domini mane celebramus. »

XVII. *Quotidie offerebatur, et fideles Eucharistiam sumebant.* — Quotidie sanctum offerebatur sacrificium. « Qui sacrificia quotidie celebramus, » inquit S. Cyprianus Epistola ad Cornelium papam (1). Fideles quotidie Eucharistiam sumebant, nisi gravis aliqua culpa intercessisset (2) : « Hunc autem panem nobis quotidie postulamus, ne qui... Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto..., a Christi corpore separemur. » Quotidie calicem sanguinis Christi bibebant, « considerantes, » verba sunt ejusdem sancti Doctoris (3), « idcirco se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint et ipsi propter Christum sanguinem fundere. »

XVIII. *Sæpe sub sola specie panis Eucharistia dabatur.* — Etsi ex dictis et innumeris aliis vetustissimis monumentis, inferri jure possit fideles sub bina specie communionem sumere consuevisse, certum nihilominus est ex divo Cypriano, fideles quandoque sub sola specie panis Eucharistia refectos fuisse.

Tribus vicibus meminit sanctus Cyprianus Eucharistiæ duplici sub specie fidelibus administratæ ; nimirum in Epistola LIV, ad Cornelium papam, ubi scribit (4) : « At vero nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus, communicatio a nobis danda est ; ut quos excitamus et hortamur ad prælium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione sanguinis et corporis Christi muniamus ; et cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela. Dein in tractatu de Lapsis duobus in locis, et quidem statim ab initio ait (5) : « Sanctificata ora cœlestibus cibis post corpus et sanguinem Domini profana contagia et idolorum reliquias respuerunt. » Postea circa medium laudati tractatus scribit (6) : « Tumens animus et superbus, nec quia victus est, fractus est. Jacens stantibus et integris vulneratus minatur ; et quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini sanguinem bibat, sacerdotibus sacrilegus irascitur. » In eodem tractatu de Lapsis plura exempla adducit, ex quibus luce meridiana clarius patescit communionem seu Eucharistiam una sub specie, modo sub vini, modo sub panis specie administratam fuisse : Et quidem sub una vini specie palam fit ex historia, quam sanctus Cyprianus libro de Lapsis., t. IV, c. 484, c, sq. refert : Exemplum Eucharistiæ sub sola panis specie sæpius administratæ narrat sanctus Cyprianus in eod. libro, tom. IV, c. 486 B « Cum mulier quædam arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus tentasset aperire,

(1) Cypr., Ep. XXIII *ad Jubaian.*, tom. III, c. 1115 A.
(2) Id. Ep. LIX, tom. III, c. 1016.
(3) Idem, tractat. *de Oratione Dominica*, tom. IV, c. 524 A.
(4) Idem, tractat. *de Opere et Eleemosyna*, tom. IV, c. 612 B.
(5) Cyprian. Ep. LXIII, tom. IV, p. 586 B.

(1) Cypr. Ep. LIV, tom. III, c. 857 A.
(2) Id., *de Orat. Dominica*, c. 533 A. Conf. Tertullian. lib. II *ad Uxorem*, tom. I.
(3) Cyprian., Ep. *ad Thibaritanos*, LVI, tom. IV, c. 350 A.
(4) Cyprian., Ep. LIV, tom. III, c. 856 B.
(5) Idem, tractatu *de Lapsis*, c. 466 A.
(6) Id., lib. tom. IV, cc. 478. 479 A, B, 481 A.

Digitized by Google

igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. » Agitur sane hic de muliere quæ Eucharistiam sumere volebat, juxta praxim fidelium illius ævi, qui corpus Domini in proprias ædes deferebant, ut propriis manibus sacro illo pane vescerentur : atqui solam panis speciem secum deferre poterant : ergo solam panis speciem in privatis communionibus sumebant. Hinc nonnisi per summam injuriam nonnulli decursu temporis exprobrarunt Ecclesiæ tamquam nulla pœnitentia luendum crimen, quod in fidelium communione calicem sustulerit. Iisdem momentis quibus calicem sustulit primis sæculis in privatis communionibus, idipsum præstitit procedentibus sæculis in omnibus in genere communionibus. Si vini species essentialis fuisset Eucharistiæ sumptioni, quemadmodum opinabantur Hussitæ, et alii inter sectarios sane Ecclesia num quam permisisset abstinentiam a calice, nec in ipsis privatis communionibus.

XIX. *Fideles accipiebant corpus Christi in manibus, domumque deferebant.* — Olim Eucharistiam accipiebant fideles in manibus, ut eruitur ex epistola divi Cypriani ad Thibaritanos, ut dextera, quæ Domini corpus accepit, respuat funesta sacrificia. « Armemus, inquit (1), et dexteram gladio spiritali, ut sacrificia fortiter respuat... quæ Domini corpus accepit. » « Sacrilegus irascitur, » inquit sanctus Doctor (2) alio in loco, « quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat. » Narrat ibidem quod, cum quidam maculatus, sacrificio a sacerdote celebrato partem cum cæteris ausus esset accipere, « sanctum Domini edere et contrectare non potuit (3). » Tandem in tractatu de Bono Patientiæ ait (4) : « Nec post gustatam Eucharistiam, manus gladio et cruore maculetur. » Docet insuper sanctus Cyprianus Eucharistiam « cum timore et honore » manibus accipiendam esse (5). Ex eodem sancto Doctore discimus sua ætate in more fuisse ut Eucharistiæ participes, accepta consecrati panis portione, non solum inter sacrorum solemnia comederent ; sed aliquid reservarent, domumque deferrent, ibique vel ante cibum, vel in periculis, aut rerum agendarum auspiciis, sumerent ; quemadmodum cum eulogiis deinceps factum. Duplici ex loco id eruimus ; nam in libro de Spectaculis scribit (1) : « Qui festinans ad spectaculum, et adhuc gerens secum, ut assolet, Eucharistiam. » Et libro de Lapsis : « Cum quædam mulier arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. » Id jam Tertullianus ostenderat libro II ad Uxorem, cap. 5 : « Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes ? Et si sciverit panem, non illum credit esse qui dicitur. » Et de Oratione, cap. 14 : « Accepto corpore Domini et reservato, utrumque salvum est, et participatio sacrificii et executio officii. » Mos hic videtur perdurasse usque ad concilium Cæsar-Augustanum sub Damaso.

XX. *Eucharistia illis denegabatur qui solum modo morte appropinquante, pœnitentiam agebant.* — Videmus jam in superiori tomo (2) voluisse divum Cyprianum, ut in vitæ discrimine ii reconciliarentur qui, persecutionis tempore cum lapsi essent, impositam pœnitentiam nondum absolverunt. Verum, etsi tanta indulgentia uteretur sanctus Episcopus erga fideles qui adhuc incolumes suorum delictorum pœnitentiam inceperant ; magno tamen rigore utebatur erga eos qui mortis tempore solummodo aliqua conversionis signa dabant, postquam per propriam superbiam et obdurationem thesaurizaverant sibi pœnas ac supplicia in die judicii. « Et idcirco, inquit S. Cyprianus (3), pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde et manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communicationis et pacis, si in infirmitate atque in periculo cœperint deprecari ; quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit ; nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum. »

XXI. *Eucharistia infantibus et martyribus administrata*, etc. — Pueris olim Eucharistiam non secus ac adultis administratam fuisse ex supra jam allatis divi Cypriani locis constat. Martyres protectione corporis et sanguinis Domini muniendos censuit S. Cyprianus (4). Inde conjicere licet quod eo tempore sumptio sacræ Eucharistiæ, quæ viaticum etiam dicebatur, in mortis articulo velut necessaria fidelibus existimabatur.

XXII. *Præfatio et preces Missæ.* — Divi Cypriani ætate solebant episcopi in celebratione sancti sacrificii præmissa præfatione parare mentes fidelium, ut sursum corda haberent ad Dominum. « Ideo sacerdos ante orationem, » inquit S. Cyprianus in tractatu de Oratione Dominica (5), « præfatione, præmissa, parat

(1) Cyprian., Ep. LVI, tom. IV, c. 357 A.
(2) Id., lib. *de Lapsis* tom. IV c. 484 A. Et paulo superius : tom. IV c. 478 B, 479 B : *A Diaboli aris revertentes ad Sanctum Domini sordidis et infectis nidore manibus acceduni.*
(3) Id., ibid., c. 486 B.
(4) Id., tract. *de Bono Patient.* t. IV. c. 631. C.
(5) Id., *Testimonior.* lib. III, cap. 94, t. IV, c. 774 c. Cæterum de antiquo more Eucharistiam manu excipiendi, domumque deferendi videsis Cardinalem Bonam, lib. II Rerum Liturgicarum cap. 17, num. 3 et seqq. pag. 360, seqq. edit. Antwerp. 1739 ; et Henrici Valesii annotationes ab Eusebium, lib. VI, cap. 43, et lib. VII, cap. 9, ubi pagina, mihi 274, scribit : *Proprium erat presbyteri officium, Eucharistiam et Calicem fidelibus in manus tradere ; idque ἐπιδοῦναι proprie dicebatur.* Et pag. mihi 289, ait : *Fideles communicaturi ad altare accedebant, ibique corpus Christi de manu presbyteri stantes, non ut hodie genibus flexis, accipiebant. Fideles qui corpus Domini manu accepturi erant lotis prius studiose manibus ad altare accedebant, ut docet S. Chrysostomus Homilia III in Epistolam Pauli ad Ephesios. Idem scribit in Homilia LII in Matthæum. Accepturi autem Eucharistiam, dexteram manum modice cavatam porrigebant, sinistram ei substernentes, ne quid ex sacra cibo decideret, ut docet S. Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesi ultima.*

(1) Cyprian., libr. *de Spectac.*, c. 784 B. tom. IV.
(2) Id., lib. *de Laps.*, t. IV. c. 486 B.
(3) Id., ep. LII, tom. III, 789 C.
(4) Id., Ep. LIV, tom. III, c. 856 A.
(5) Id., *de Orat. Dominic.*, t. IV, al. 541 B.

Digitized by Google

fratrum mentes dicendo, *Sursum corda;* ut dum respondet plebs, *Habemus ad Dominum*, etc., » falsum igitur apprime est, in primitiva Ecclesia liturgiam Scripturarum verba solummodo comprehendisse, cum constet ex recitatis S. Cypriani verbis, preces etiam fusas esse « ante Orationem, » et præmissa præfatione ad has preces fidelium mentes parari consuevisse : quæ quidem præfatio eadem intentione præmittebatur, qua hodie apud nos præmittitur, ut scilicet « admoneantur fideles, nihil aliud se, quam Dominum cogitare debere. »

XXIII. *In Missæ sacrificio offerebantur nomina fidelium.* — In Missæ sacrificio nominatim allegabantur certi fideles Deo per sacerdotes, quemadmodum hodie adhuc moris est in Canone, ubi « in Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum » mentio certarum personarum nominatim fit. Duabus ex Epistolis S. Cypriani id manifesto constat. In quarum prima, quæ est ad clerum suum (1), dolet, quod eorum nomina offerantur qui in persecutione lapsi erant, offerantur, inquam, offerantur pœnitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab episcopo et clero imposita : « offertur, » inquit sanctus Doctor, « nomen eorum. » In altera ad Numidas Episcopos data scribit (2) : « Subdidi nomina singulorum, ut fratres scilicet nostros ac sorores, qui ad hoc opus (redemptionis) tam necessarium operati sunt, in mente habeatis in orationibus, in sacrificiis, et precibus, subdidi nomina singulorum. » In quæ verba doctissimus Rigaltius hæc annotat : « Non frustra, non supervacue : nam in sacrificiis orationum offerebantur nomina eorum qui ad hoc opus tam necessarium prompte ac libenter operati erant. » A privilegio hoc excludi, pœnæ gravissimæ loco habitum, quemadmodum constat ex Epistola ad Furnitanos (3).

XXIV. *Sacrosanctum sacrificium in carceribus offerebatur; parumque aquæ infundebatur in calice.* — Sacrosanctum sacrificium in carceribus peractum fuisse tunc temporis discimus ex Epistola quadam S. Cypriani, in qua ad suum clerum, furente persecutione, scribens ait (4) : « Consulite ergo et providete ut presbyteri quoque qui illic (in carceribus) apud confessores offerunt, singuli cum singulis diaconis per vices alternent; » ne scilicet facile dignoscantur. Perdoctus Bernardus Marechall (5) existimat hoc in S. Cypriani loco adversus recentiores sectarios, qui privatas Missas damnant, privatæ Missæ exemplum reperire ; sed videtur mihi doctissimus vir haud satis exactam de Missa privata ideam sibi efformasse. Missa enim privata illa dumtaxat dicitur, ubi solus sacerdos Eucharistiam sumit, nullus ex adstantibus vero communicat. Parum aquæ vino admixtum fuisse in sacrificio alibi jam annotavimus (1).

§ IV. — Disciplina quoad pœnitentiam.

XXV. Sequenti tomo, duce doctissimo Marano, ostendemus ex S. Cypriani testimoniis Pœnitentiam inter sacramenta relatam fuisse, et quam necessarium idem sanctus Doctor hoc sacramentum fidelibus judicaverit, quamque sancte administrari voluerit. Ibidem etiam discussimus primo, num in Africa ante sanctum hunc Episcopum gravissimis criminibus negata fuerit communio post pœnitentiam; dein, utrum nova sub eodem S. Doctore inducta sit disciplina, ac pristina severitas in solos apostatas et desertores retenta; tertio, num S. Cyprianus lapsis in decursu pœnitentiæ morientibus pacem negaverit, his tantum exceptis qui libellos a martyribus acceperant. Tandem investigavimus, utrum concilium Carthaginense pœnitentiam sacrificatis per totum vitæ tempus imposuerit.

XXVI. *Quæ peccata pœnitentiæ canonicæ subjecta. Num etiam secretiora peccata.* — Verum supersunt adhuc aliæ circa pœnitentiæ disciplinam enodandæ quæstiones. Atque in primis inquirendum quænam peccata pœnitentiæ canonicæ subjecta fuerint tempore S. Cypriani? Testatur S. Cyprianus suis in Epistolis (2), præter idololatriam et apostasiam a fide, alia esse crimina non adeo gravissima, quæ canonicæ pœnitentiæ subdebantur. Sic imponebatur canonica pœnitentia hæreticis et schismaticis, quando ad Ecclesiam revertebantur. Eamdem pœnitentiam subire debebant peccatores divi Cypriani ætate ob secretiora quoque crimina, eorumque confessio publica erat, modo grave aliquod infortunium pro pœnitentium vita non fuisset ex ea secuturum; hac de re uberrime disserit S. Cyprianus in tractatu de Lapsis, in quo narrat prodigiose mulctata fuisse quædam crimina occulta, quæ confessi non fuerant peccatores, nec canonicam pœnitentiam pro iis egerant (3). Confitebantur pariter fideles peccata solius cogitationis, et pœnitentiam pro illis agebant.

XXVII. *Ordo pœnitentiæ canonicæ.* — Ordo autem qui in canonica pœnitentia in genere servabatur, hic erat. Quoddam temporis spatium pro hac pœnitentia constitutum erat, quam comitabantur exomologeses, seu confessiones, et examina, et per impositionem manuum episcopi et cleri finem habebat (4). Primo loco pœnitens confitebatur propria crimina, ut ab eo pœnitentiam reciperet qui illam confessionem audiebat : cujus quidem confessionis indubia vestigia deprehenduntur in tractatu de Lapsis, in eo scilicet loco (5) in quo tradit sanctus Doctor consuevisse fi-

(1) S. Cyprian., Epist. IX, t. IV, c. 252 A.
(2) Id., Epist. LX, t. IV, c. 362 3.
(3) Id., Ep. LXVI, t. IV, c. 398. Vide t. II, *Hist. theol. crit.*, p. 259.
(4) Id., Epist. IV, c. 231 A, t. IV.
(5) Marechall, *Concordantiæ SS. PP.*, t. II, p. 117, edit. Venet.

(1) Vide, tom. XI *Histor. Theolog. Crit. SS. PP.*, p. 481 sqq.; et p. 589, note z.
(2) Cyprian. Epist. IX, t. IV, c. 251 B. Epist. XI, c. 257. B.
(3) Id., tractat. *de Lapsis*, cc. 484 sqq.
(4) Id., Ep. IX, t. IV. c. 251 B, et XI, c. 257 B.
(5) Id., tractat. *de Lapsis*, t. IV, c. 488.

Digitized by Google

deles confiteri vel simplicem cogitationem immolandi idolis, et pro hac pœnitentiam egisse : quibus verbis perspicuum fit ibidem sermonem esse de confessione, quæ præcedebat Pœnitentiam. Hac confessione peracta, satagebat pœnitens Deo satisfacere per laboriosa opera ; et hoc peragebatur per totum illud tempus, quod ab episcopo præscriptum fuerat ; modo nulla supervenisset gravissima causa, ob quam aliqua pœnitentiæ pars remitteretur. Pœnitentia seu satisfactione completa, episcopo se iterum sistebat, cui proprium crimen etiam confitebatur ante clerum. Illius dispositiones ad examen deinde revocabantur : quæ si ejus naturæ videbantur, quæ reconciliationis gratiam mererentur, tunc episcopus manus super eum una cum toto clero imponebat, eique absolutionem impertiebatur ; qua elargita, sacrorum mysteriorum particeps erat. Animadvertendum insuper est quoad impositionem manuum episcopi, hanc locum habuisse tum initio pœnitentiæ, tum pœnitentia jam absoluta ; initio quidem, ut peccatores pœnitentibus accenserentur ; post peractam vero pœnitentiam, ut donarentur reconciliatione. Dum canonicæ pœnitentiæ stadium percurrerent fideles, manus pariter iis imponebantur : sed hæc impositio erat quædam species exorcismorum. Divus Cyprianus hasce tres manuum impositiones memorat ; saltem primam ac secundam ; quoniam aliquando hæc profert verba, « manus imponere, » ut initium pœnitentiæ designet, quandoque vero ut indigitet absolutionem.

XXVII. *Pœnitentia imposita, servata cum delictis proportione.* — Pœnitentia seu satisfactio imponebatur habita proportione cum patratis et confessis criminibus. Major erat pro iis peccatis quæ directe in Deum commissa fuerant ; minor vero pro illis quæ, in proximum commissa, Deum indirecte solummodo respiciebant. Hinc idololatræ severiorem pœnitentiam peragere debebant quam adulteri : immo aliqua erat distinctio inter peccata ejusdem naturæ. Ille, exempli causa, qui sese ultro obtulerat immolaturus idolis, majori ac rigidiori plectebatur pœnitentia præ illo, qui nonnisi post diuturnam pugnam immolaverat. Major erat animadversio in eum qui idololatriæ crimine se maculaverat cum suis omnibus ; minor autem in eum qui periculo semetipsum exposuerat, ut cæteros liberaret (1). Alii reconciliationis gratiam obtinebant post brevissimum pœnitentiæ tempus, puta post quatuor vel quinque annos ; alii vero non donabantur absolutione, nisi in mortis articulo, si excipias casum gravissimi morbi vel persecutionis recens exortæ, quemadmodum alibi (2) diximus. Ad eos quos attinet, qui reipsa non sacrificaverant, quique libellatici appellabantur, quia ethnicis magistratibus dederant libellos, quibus fatebantur se idolis immolasse, etsi de facto non immolassent, ut publici sacrificii infamiam vitarent, horum pœnitentia minor erat (1). Et S. Cyprianus uno elapso anno reconciliationem illis concedebat qui immediate post lapsum pœnitentiam amplexi fuerant (2).

XXIX. *Episcopi aliique ministri canonicæ pœnitentiæ subjecti.* Episcopis cæterisque Ecclesiæ ministris, sive idolis immolassent, sive libellatici essent, canonica æque ac aliis imponebatur pœnitentia : verum a sacerdotio, omnibusque ecclesiasticis muneribus excludebantur, nec reconciliari poterant, nisi post plenam absolutamque pœnitentiam. Patet hoc ex Epistola 8. Cypriani ad Fidum, in qua conqueritur de præpropera festinatione in concedenda reconciliatione Victori, quondam presbytero, et quidem antequam plenam egisset pœnitentiam, et nulla urgente necessitate : « Legimus litteras tuas, frater charissime, » inquit sanctus Doctor (3), « quibus significasti de Victore quodam presbytero, et antequam pœnitentiam plenam egisset..... temere Therapius collega noster... Et præpropera festinatione pacem dederit... nulla infirmitate urgente ac necessitate cogente. » Videbimus in sequentibus sæculis, Ecclesiæ ministris publicam pœnitentiam non amplius impositam fuisse, sed tantummodo depositos, et ad laicorum communionem redactos fuisse. Verum divi Cypriani ætate, nemo hanc pœnitentiam poterat evadere, nec ipsi episcopi, uti videre est in Epistola alia ejusdem sancti Doctoris ad clerum et plebes in Hispania consistentes : ibi siquidem narrat quod quidam Basilides episcopus, cum confessus fuisset se blasphemasse in Deum, episcopatum sponte deposuit, et ad agendam pœnitentiam conversus est, satis gratulans si sibi vel laico communicare contingeret (4).

XXX. *Libelli martyrum circa reconciliationem pœnitentium.* — Qui idolis immolaverant, doli plenam excogitaverunt artem, qua infirmari notabiliter poterat ecclesiastica disciplina de pœnitentia. Extorquebant a martyribus et confessoribus libellos, ut ipsi reconciliatione donarentur, et tempus pœnitentiæ contraheretur (5). Verum, ut abusui quem creare poterant hujusmodi libelli, iretur obviam, mos erat ut qui libellos obtinuerant, episcopo se sisterent, ut examinaret tum petitiones, tum desideria eorum qui libellos dederant (6). Instituebatur hoc examen coram populo, uti eruitur ex epistola Cypriani ad plebem Carthaginensem data (7) ; et præfati libelli iis solum modo proficiebant, qui maximam pœnitentiæ partem jam

(1) Cyprian., Ep. *ad Antonian.* LII, t. III, c. 779, B-C.

(2) *Histor. theolog. critic.*, tom. XI, pag. 450.

(1) Cyprian., Ep. LII, tom. III, c. 781 A.

(2) Id., Ep. XIX, tom. IV, c. 273 B, c. Epistola LIII, *ad Fortunatum*, tom. IV, col. 347 B, scribit Cyprianus : Lapsis inter cruciatus pœnitentia per triennium inchoatum sufficere potest. Et in tractatu *de Lapsis*, I, c. 480, A, ait ejusmodi cito venia concedi potest.

(3) Id., Ep. *ad Fidum*, LXIII, tom. III, c. 1014, A.

(4) Id., Ep. LVIII, t. III, 1029 seq.

(5) Id., Ep. IX, tom. IV, c. 252, A, B.

(6) Id., Ep. XXII, c. IV, c. 284 A.

(7) Id., Ep. *ad plebem Carthag.*, XI, tom. IV, c. 257 A.

Digitized by Google

impleverant : « Quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, » inquit S. Doctor in Epistola quadam ad Martyres et Confessores (1), in qua eos monet ne indiscriminatim omnibus petentibus libellos concedant, sed attente considerent peractam jam pœnitentiam, et singulas ponderent circumstantias.

Moderatus adeo erat et prudens divus Cyprianus quoad has indulgentias, ut nihil quoad eas ex seipso statuere vellet, sed tantum de consilio cæterorum episcoporum. « Hoc verecundiæ nostræ convenit, » inquit ille in Epistola ad clerum suum de his qui ad pacem festinant (2), « ut præpositi cum clero convenientes, præsente etiam stantium plebe... disponere omnia consilii communis religione possimus. » Et in alia ad eumdem clerum Epistola inquit (3) : « Legi universorum confessorum litteras, quas voluerunt per me collegis omnibus innotescere ; » et paucis interjectis sic prosequitur : « Quæ res, cum omnium nostrum consilium et sententiam exspectet, præjudicare ego, et soli mihi rem communem vindicare non audeo. » Ex quibus constat, quam ideam tunc temporis haberent fideles de disciplina quoad pœnitentiam, et quantum solliciti essent, ne vel minima ejusdem pars infirmaretur. « Quid enim magis aut in pace tam aptum, » inquiebat clerus Romanus ad divum Cyprianum scribens (4), « aut in bello persecutionis tam necessarium, quam debitam severitatem divini rigoris tenere; quam qui remiserit, instabili rerum cursu erret semper necesse est, et huc atque illuc variis et incertis negotiorum tempestatibus dissipetur, et quasi extorto de manibus consiliorum gubernaculo, navim ecclesiasticæ salutis illidat in scopulos ; ut appareat, non aliter saluti ecclesiasticæ consuli posse, nisi disciplinæ ipsius semper custodita ratio quasi salutare aliquod gubernaculum in tempestate servetur. »

» XXXI. *De Indulgentiis.*—Cum libelli martyrum quædam species indulgentiarum sint (erant enim litteræ ad martyribus datæ, quibus rogabant episcopos a pœnitentibus quibusdam, quos nominabant, condonari, aut abbreviari tempus pœnitentiæ (5) : ex his facile eruitur quid S. Cyprianus de indulgentiis senserit. In primis sic de libellis martyrum loquitur sanctus Doctor tum in Epistola ad clerum Romæ consistentem, de multis confessoribus, et de Luciani inverecundia et Celerini confessoris modestia, ordine XXII (t. IV, c. 282); tum et in pluribus aliis in eamdem sententiam scriptis, ut minime neget eorum meritis lapsos adjuvari posse. Nam in Epistola duodecima (t. IV, c. 259 A) edicit, « Ut qui libellos a martyribus acceperunt, et prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectata ipsius præsentia apud presbyterum quemcumque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesin delicti sui facere possint, etc. » Credebat ergo Cyprianus martyrum prærogativa, vel, ut ait in Epistola decima tertia, c. 260 C, « auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis posse. » Sic etiam in libro de Lapsis (tom. IV, coll. 481 A, 483) fatetur martyrum mandatis aliquid concedi posse, « si justa, si licita, si non contra ipsum Dominum a Dei sacerdote facienda, si obtemperantis facilis et prona consensio, si petentis fuerit religiosa moderatio. » Quare non ipsam consuetudinem, quæ dudum in Ecclesia vigebat, sed abusum vituperat, et nimiam nonnullorum confessorum, in primis Luciani licentiam, qui libellos in hanc sententiam scriptos dabant (t. IV, c. 253 C) : « communicet ille cum suis ; » nec observabant quod Cyprianus præceperat in Epistola decima (t. IV, c. 255 A, B), « ut diligenter inspicerent ei actum et opera et merita singulorum, ipsorum quoque delictorum genera et qualitates; et quos ipsi noverant, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspiciebant, eos nominatim libellis designarent. » Duo autem adhuc observanda sunt : 1° Confessores non dedisse pacem, sed petiisse, ut daretur; 2° ne illud quidem ausos fuisse postulare, ut ante reditum Cypriani pax lapsis daretur, sed hac in re morem episcopo suo gessisse. Quare non eorum auctoritate quinque presbyteri, sed sua improbitate adducti sunt, ut ante reditum Episcopi, ac eo prorsus inconsulto lapsos ad communionem admitterent.

XXXII. Indulgentias in praxi primorum Ecclesiæ sæculorum fundari, testantur non paucæ S. Cypriani Epistolæ. Sic Epistola XVII, videns S. Cyprianus facultatem redeundi Carthaginem nondum se habere, et jam æstatem cœpisse, quod tempus infirmitatibus assiduis et gravibus infestatur, mandat presbyteris, et in casu necessitatis diaconis ecclesiæ suæ, ut aliqua « indulgentia » utantur erga lapsos, si quando in vitæ discrimine sint constituti. « Ut qui libellos a martyribus acceperunt » inquit sanctus Doctor (1) « et prærogativa eorum, apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo, et infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectata præsentia nostra apud presbyterum quemcumque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint ; ut, manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt. » Idipsum repetit Epistola XIII : « Quoniam tamen, » inquit ille alloquens Clerum suum (2), « significastis quosdam immoderatos

(1) Cyprian., Ep. X, tom. IV, c. 257 A.
(2) Id., Ep. *ad Clerum Carthag.*, XIII, tom. IV, c. 261 A.
(3) Id., Ep. *ad eumdem Clerum* XVII, tom. IV, c. 270 A.
(4) Ep. cleri Romani, inter Epp. Cyprianic. XXXI, tom. IV, c. 308 B.
(5) Cyprianus in Epistolis passim.

(1) S. Cyprian., Ep. XII, t. IV, c. 250 A.]
(2) Id., Ep. XIII, t. IV, c. 260 B.

Digitized by Google

esse, et communicationem accipiendam festinanter urgere, et desiderastis in hac re formam a me vobis dari, satis plene scripsisse me ad hanc rem proximis litteris ad vos factis credo, ut qui libellum a martyribus acceperunt. . . si premi infirmitate aliqua, et periculo cœperint, exomologesi facta, et manu eis a vobis imposita in pœnitentiam, cum pace a martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur. »

§ V. Disciplina quoad Ordinem.

XXXIII. Etsi a Summo Pontifice, qui caput est ecclesiastici ordinis totiusque Ecclesiæ, initium habere necesse foret, cum permulta præcedentibus articulis de eodem argumento habuimus, multoque plura in dissertationibus ad hujus tomi calcem appositis addenda sint, nemo nobis succensebit, dum ad hæc lectorem remittimus, absque mora de cæteris ordinibus Cyprianica adducturi.

*Electio episcoporum.* — Quod attinet ad episcopos cæteros, eorum electio peragebatur ab episcopis ejusdem provinciæ coram clero et populo, suum et ipsis suffragium ferentibus. Qui hoc regulari modo electus fuerat episcopus deponi non poterat, ut eligeretur alter, nisi patrato ab ipso aliquo gravissimo crimine. Hanc disciplinæ partem mirifice probat superius memorata Epistola, in qua, de ordinatione Sabini in locum Basilidis sermonem habens divus Cyprianus, hanc factam dicit « de universæ fraternitatis suffragio, et de episcoporum, qui in præsentia convenerant. . . judicio (1). » Contendit sanctus Doctor electionem episcoporum laudato modo factam procedere « a divina Traditione, » in latiori scilicet sensu sumpta, « et Apostolica observatione; » et ideo coram populo hanc electionem fieri dicit sanctus Episcopus, quia plebs singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. Eligendos autem non esse alios, quam qui immaculati et integri sancte et digne sacrificia Deo offerentes, audiri in precibus possint, quas faciunt pro plebis Dominicæ incolumitate. Electionis episcopalis formam nobis exhibet Cyprianus in Epistola ad Antonianum (2).

XXXIV. *Unus tantum episcopus in una ecclesia esse debebat.* — Duo episcopi uni eidemque ecclesiæ eodem tempore præesse non poterant. Habemus id expresse in Epistola S. Cornelii papæ ad S. Cyprianum de confessoribus ad unitatem reversis, qui declarant (3) : « unum episcopum in catholica Ecclesia esse debere » hoc est, in unaquaque ecclesia. Evincitur idipsum pariter ex Epistola S. Cypriani ad Antonianum, in qua definiens S. Doctor electionem Cornelii esse legitimam, subdit (4) : « Quisquis jam Episcopus (Romæ) fieri voluerit, foris fiat necesse est : » et ille, qui creatus est post electionem primi, « non jam secundus ille sed nullus est. » Hanc episcopi unitatem urget insuper S. Cyprianus in sua Epistola ad Florentium Puppianum (5).

XXXV. *Episcopi proprias regebant ecclesias, cum consensu ac consilio suorum metropolitanorum, cleri et populi.*— Episcopi communicabant negotia suarum ecclesiarum non solum cum suo metropolitano, uti eruitur ex pluribus Epistolis S. Cypriani, et præcipue ex quinquagesima tertia, sed etiam cum clero ac populo; hinc cum consensu metropolitanorum, cleri ac populi suas regebant ecclesias; ab illisque consilium petebant etiam pro Ordinatione ministrorum inferiorum. Sanctus Cyprianus, nihil obstante singulari suo merito, ac suprema dignitate qua fulgebat in ecclesia Carthaginensi, protestatur et dicit in quadam ad suum clerum Epistola, statuisse se a primordio episcopatus sui, nihil sua sententia privatim gerere, et sine consilio ac consensu cleri et plebis. Monet idem sanctus Doctor clerum ac plebem suam de Ordinatione subdiaconorum, cæterorumque inferiorum ministrorum, et consilium cleri ac plebis hac super re petit. Non ille igitur erat S. Cyprianus, qui dure nimis regeret ecclesiam suam, et ex summa ejus humilitate edocemur, litteraliter et rigorose nimis non esse accipienda quæ scribit idem sanctus Doctor alio loco, episcopum scilicet a nemine pendere, ipsi concessam esse libertatem, et rationem actus sui soli Domino esse redditurum.

XXXVI. *Episcoporum concilium quotannis celebratum ad negotia Ecclesiæ disponenda.*— In Africana ecclesia episcopi simul conveniebant ad graviora Ecclesiæ negotia disponenda, ut docet S. Cyprianus in quadam epistola ad suum clerum, quæ est trigesima secunda editionis Oxoniensis et Pamelii (6). Hi vero conventus seu hæc concilia quotannis circa festa Paschalia celebrari consueverant : « Persecutionis istius novissima hæc est, et extrema tentatio, » inquit Cyprianus, « quæ et ipsa cito Domino protegente transibit, ut repræsenter vobis post Paschæ diem cum collegis meis, quibus præsentibus secundum arbitrium quoque vestrum, et omnium nostrum commune consilium, sicut semel placuit, ea quæ agenda sunt, disponere pariter et limare poterimus (7). Quoniam scripsistis, » inquit idem S. Doctor (8), « ut cum pluribus collegis de hoc ipso plenissime tractem, et res tanta exigit majus et impensius de multorum collatione consilium, et nunc omnes fere inter Paschæ prima solemnia apud se cum fratribus demorantur; quando solemnitati celebrandæ apud suos satisfecerint et ad me venire cœperint, tractabo cum singulis plenius, ut de eo quod consuluistis, figatur

(1) Cypr., Ep. LXVIII, t. III, c. 1027 B.
(2) Idem, Ep. LXII, t. III, c. 768 sq. Vide tom. XI, *Hist. theolog. crit.* sect L, de *S. Cornelio* R. P., artic. 1, pag. 2, ubi integrum locum recitavimus.
(3) Idem, ep. XVI, t. III, col, 722 A.
(4) Idem, Ep. LII, t. III, c. 769, sq.
(5) Idem, Ep. LXIX, t. IV, col. 400, sqq.
(6) Idem, Ep. XXXII, tom. IV, col. 306 B.
(7) Idem Ep. XL, t. IV, c. 338 B, C.
(8) Id., Ep. LIII, t. IV, c. 347 C, seq.



Digitized by Google

apud nos, et rescribatur vobis firma sententia, multorum sacerdotum consilio ponderata. »

XXXVII. *Episcopi in rebus majoris momenti ab aliis episcopis suas decisiones mittebant, præcipue ad Romanum Episcopum.* — In rebus majoris momenti Episcopi etiam in concilio congregati ad alios episcopos suas decisiones mittebant, præstolaturi ab iis tum consilium, tum consensum eorumdem, ad sacerdotalem auctoritatem, et ad Ecclesiæ catholicæ unitatem pariter ac dignitatem partim manifestandam, partim consecrandam. A Romano episcopo autem Africani præcipue petebant consilium et consensum; constat hoc ex Epistola LXXII S. Cypriani ad S. Stephanum, in qua hæc occurrunt (1) : « Ad quædam disponenda, et consilii communis examinationem limanda, necesse habuimus, frater charissime, convenientibus in unum pluribus sacerdotibus, cogere et celebrare concilium, in quo multa quidem prolata atque transacta sunt : sed de eo vel maxime tibi scribendum, et cum tua gravitate ac sapientia conferendum fuit, quod magis pertineat, et ad sacerdotalem auctoritatem, et ad Ecclesiæ catholicæ unitatem pariter et dignitatem, de divinæ dispositionis ordinatione venientem, eos qui sint foris extra Ecclesiam tincti, et apud hæreticos et schismaticos profanæ aquæ labe maculati, quando ad nos, atque ad Ecclesiam, quæ una est, venerint, baptizari oportere; eo quod parum sit eis manum imponere ad excipiendum Spiritum sanctum, nisi accipiant et Ecclesiæ Baptismum... Hæc ad conscientiam tuam, frater charissime, et pro honore communi, et pro simplici dilectione pertulimus, credentes etiam tibi pro religionis tuæ et fidei veritate placere, quæ et religiosa pariter et vera sunt. » Colligunt inde quidam, jam ævo Cypriani in usu fuisse, ut episcopi in synodis congregati confirmationem suorum decretorum, quæ in conciliis fuerant firmata, a Romano Pontifice petierint.

XXXVIII. *Nullus episcopus, nisi gravissimis de causis rescindere poterat quæ ab alio episcopo acta erant.* — Nec ipsi metropolitano permissum erat, absque gravissimis causis, rescindere quæ ab aliquo alio episcopo acta erant. Hac de causa S. Cyprianus objurgat Therapium, ut constat ex ejus Epistola LIX (t. III, c. 1014, A). Alibi (2) observat S. Cyprianus « esse non posse » inter episcopos « sensum diversum, in quibus unus est Spiritus, et ideo manifestum est eum Spiritus sancti veritatem cum cæteris non tenere, quem videmus diversa sentire. » Et tamen postea diversus inter Cyprianum et Stephanum sensus fuit in causa Baptismi hæreticorum : sed hæc facile reconciliantur, si dicamus laudatam S. Cypriani sententiam interpretandam esse de rebus fidei, uti contextus docet, non vero de rebus disciplinæ.

XXXIX. *Episcopi litteras ad se invicem mittebant.* — Consueverant episcopi sibi invicem scribere in signum mutuæ communionis; et ideo, cum novus crearetur episcopus, cæteri de ejus fide ac pietate instrui curabant. Prima hujusce disciplinæ pars eruitur ex epistola LXVII Cypriani ad Stephanum, in qua (tom. III, col. 998 A), hæc habentur : « Significa nobis plane quis in locum Marciani Arelate fuerit substitutus, ut sciamus ad quem fratres nostros dirigere et cui scribere debeamus. » Secunda vero ex altera ejusdem sancti Doctoris epistola ad S. Cornelium papam, quæ in hac editione est numero quinquagesima quinta (t. III, col. 809 A).

Has vero epistolas mittebant per clericos, ut constat ex Epistola XXIV, ubi (t. IV, c. 287 B) hæc occurrunt : « Et quoniam oportuit me per clericos scribere, scio autem nostros plurimos absentes esse, paucos qui illic sunt vix ad ministerium quotidiani operis sufficere, necesse fuit novos aliquos constituere qui mitterentur. » Et ex altera ad Successum, quæ est numero LXXXII, in qua (t. IV, col. 429 B) hæc scribit Successo : « Ut non vobis in continenti scriberem, frater charissime, illa res fecit, quod universi clerici sub ictu agonis constituti recedere isthinc omnino non poterant. »

XL. *Clerus regebat ecclesiam absente episcopo.* — Absente episcopo, non aliquis alienigena episcopus, sed clerus regebat ecclesiam. Patet hoc ex epistola XXXIV Cypriani ad presbyteros et diaconos Carthaginenses. In ea siquidem legimus quod Gaium Diddensem communione sua removerit clerus Carthaginensis (1). Dein scimus quod, defuncto Fabiano, clerus Romanus illam ecclesiam, vacante sede, direxerit (2).

Nihil poterant episcopi in diœcesibus cæterorum episcoporum absque diœcesani permissione; luculentissime id evincitur tum ex Epistola ad Chaldonium et Herculanum, quos utpote episcopos tamquam suos vicarios Carthaginem miserat S. Cyprianus, quibus etiam adjunxerat Rogatianum et Numidicum presbyteros, qui indigentibus pecuniam præberent, eosque examinarent qui ad munera ecclesiastica essent promovendi (3); tum ex Epistola LV (tom. III, c. 821 A), in qua disertis verbis profitetur « quod singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque et gubernet, rationem sui actus Domino redditurus. » Hinc etiam alibi docet cæteros episcopos non nisi in casu necessitatis, quando proprius episcopus hæresim aut schisma facit, sese regimini alterius diœcesis immiscere debere (4). Hac etiam in re summa moderatione ac prudentia utebatur S. Cyprianus, uti ex quibusdam ipsius Epistolis colligitur (5).

(1) Cyprian., Ep. LXXII, t. III, c. 1046.
(2) Id., Ep. LXVII, tom. III, c. 997 A.

(1) Cyprian., Ep. XXVIII, tom. IV, col. 300 B.
(2) *Et cum incumbat nobis, qui videmur præpositi* (nimirum quia post mortem Episcopi Romani, cura illius ecclesiæ incumbebat clero urbico) *esse, et vice pastoris custodire gregem*, etc. Cyprian. Ep. II, t. IV, c. 224 A. Vide et Ep. XXXI, t. IV, coll. 307 et seqq.
(3) Cyprian., Ep. XXXVIII, tom. IV, coll. 329 et seqq.
(4) Idem, Ep. ad Stephan. pap., LXVII, tom. III, c. 995 A.
(5) Videsis Ep. LXIV, ad Epitectum et plebem Assu-

Digitized by Google

XLI. *Honor episcopis extraneis delatus.* — Permittit nihilominus sanctus Doctor et Episcopus suo clero communicare episcopis alienigenis, si forte aliqui ibidem existant, epistolas quas ad illum miserit. « Sed et si qui » inquit sanctus Cyprianus (1), « de peregrinis episcopis collegæ mei... præsentes fuerint vel supervenerint, hæc omnia de vobis audiant. Et si exempla epistolarum transcribere, et ad suos transferre voluerint, facultatem transcriptionis accipiant. »

XLII. *Casus episcopo reservati.* — Tandem quidam casus episcopo erant reservati ut nullo negotio conjicimus ex Epistola XVIII sancti Cypriani, nec non ex aliis locis ejusdem operum, in quibus facultatem tribuit suis presbyteris absolvendi quædam peccata se absente, posito tamen casu necessitatis. Ita quidem arbitratur Cl. Bernardus Marechal (2). Sed ego hucusque in operibus divi Cypriani nullum omnino vestigium reservationis quorumdam casuum sive peccatorum deprehendere potui; neque intelligo quomodo idipsum ex Epistola XLII, t. IV, c. 255, colligi queat.

XLIII. *Quales esse oporteat episcopos juxta Cyprianum.* — Tradit S. Cyprianus episcopum oportere esse docilem et mitem; docibilis autem ille est qui est ad discendi patientiam lenis et mitis. Oportet enim episcopum, prosequitur S. Doctor, non tantum docere, sed et discere, quia et ille melius docet, qui quotidie crescit et proficit discendo meliora (3). Nihil episcopum tenere debet (4). Quinimmo debet tamquam victima, quæ fraternitati præbet exemplum et virtutis, præsentibus fratribus immolari (5).

XLIV. *Puncta disciplinæ circa presbyteros.* — Nonnulli post Blondellum (6) ex Cypriano concludere se putaverunt episcopos presbyteris non antecellere; sed eos vehementes hallucinatos demonstrarunt tum recentiores bene multi, inter quos doctissimus Mammachius (7), tum ipse met Cyprianus in Epist. XI, XXXV, LV, etc. (8). Illud solummodo hoc loco dicendum, scilicet permissum fuisse episcopo sociare clero suo presbyteros alterius ecclesiæ. Probatur id exemplo Numidici presbyteri, quem divus Cyprianus in clerum suum Carthaginensem cooptavit, fortasse ut eidem in episcopatu succederet; hæc siquidem disciplina tunc temporis vigebat, ut ad episcopatum non eligerentur peregrini et extranei, et quidem ob meium malæ electionis, de indigni eligerentur, cum satis non constaret de eorum vita (1). Cæterum ex laudato exemplo probe conjicimus pariter discrimen, quod ponebat S. Cyprianus inter simplicem presbyterum, et presbyterum cleri Carthaginensis; quoniam censet sanctus Doctor haud posse se melius recognoscere merita Numidici jam presbyteri, quam illum accensendo presbyteris suæ Ecclesiæ. Agnoscamus igitur, scribit Cl. Bernardus Marechall (2), hoc loco superiorem dignitatem presbyterorum cathedralium ecclesiarum, qui canonici appellantur, episcopo præsentes aderant in omnibus suis officiis ac functionibus, ejus consilium erant, cum ipso celebrabant sancta mysteria, ecclesiam eo absente gubernabant. Tales quidem sunt hodie canonici, ac tales erant presbyteri quos inter numeratus est Numidicus.

XLV. *Origo diaconatus.* — Diaconorum institutio, judice Cypriano (3) est traditionis apostolicæ, atque ab Apostolis diaconatus ordo est institutus. Hinc juxta S. Cyprianum ordo diaconatus non est institutionis divinæ, adeoque stricte loquendo neutiquam sacramentum.

XLVI. *Diaconi ministri episcoporum ac presbyterorum.* — Non solum autem diaconi erant episcoporum ministri, sed et presbyterorum, uti in Epistola ad suum clerum infirmat sanctus Cyprianus his verbis (4) : « Integre et cum disciplina fecistis, fratres charissimi, quod... Gaio Diddensi presbytero, et diacono ejus censuistis non communicandum. » Iste Gaius verosimiliter idem erat ac qui hodie appellatur parochus, qui ad sibi ministrandum diaconum secum habebat.

XLVII. *Diaconorum officia.* — Diaconorum officia erant, altari deservire, Eucharistiam fidelibus ministrare (5); comites aderant presbyteris in celebratione sacrificii missæ, uti eruitur ex Epistola IV (t. IV, c. 231 A), quæ est ad clerum Carthaginensem : *Consulite et providete*, habet ille ad presbyteros et diaconos suos..., *ut presbyteri... qui illic* (loquitur de captivis hoc in loco) *apud confessores offerunt*, singuli cum singulis diaconis per vices alternent (6) : Ecclesiæ redditus administrabant, ecclesiasticis judiciis intererant (7), in conciliis tum Romæ, tum in Africa locum ac partem habebant (8); et quandoque ecclesias regebant (9). Hujusce rei

ritanorum de Fortunatiano, t. IV, coll. 389 seqq; et LXVIII, ad Clerum et plebes in Hispania consistentes, t. III, coll. 1021 seqq.

(1) Cyprian. Ep. XXXII, t. IV, c. 316 A, B.
(2) *Concordantia SS. PP.*, tom. II, pag. 120, num. X.
(3) Cyprian., Ep. LXXIV, tom. III, c. 11.
(4) Idem, Ep. LV, ad Cornelium, t. III, coll. 796 et seqq.
(5) Idem, Ep. LVIII, ad Lucium Papam, t. III, c. 976 A.
(6) *Lib. de Episcop. et presb.* edit. 1646, cap. XVI, p. 41 et seqq.
(7) *Origin. et Antiq. christ.*, t. IV, lib. IV, p. 445 et seqq.
(8) Infr., t. IV, col. 247, col. 325, etc.

(1) « Ut Numidicus presbyter adscribatur presbyterorum Carthaginensium numero. » Cyprian. Ep. XXXV, t. IV, c. 325 A.
(2) *Concordantia SS. PP.*, tom. II, pag. 120, edit. Venetæ.
(3) « Meminisse autem diaconi debent quoniam Apostolos, id est episcopos et præpositos Dominus elegit, diaconos autem post ascensum Domini in cœlos Apostoli sibi constituerunt episcopatus sui et Ecclesiæ ministros. » Cypr., Ep. LXV, t. IV, c. 396 B.
(4) Cyprian., Ep. XXVIII, t. IV, coll. 300 B.
(5) Idem, lib. *de Lapsis.*, t. IV, c. 485, A.
(6) Idem, Ep. XLIX, tom. III, c. 726, B.
(7) Idem, Ep. LV, t. III, coll. 822 A, seq.
(8) Ep. *ad Antonian.*, LII, t. III, coll. 761, sqq.
(9) Cyprian. Ep. LXVIII, t. III, coll. 1021, sqq.

Digitized by Google

exemplum exstat in Epistola LXVIII, quam divus Cyprianus inscribit Felici presbytero et plebibus consistentibus ad Legionem et Asturicæ; item Lælio diacono et plebi Emeritæ; siquidem si in postrema hac ecclesia vel unus extitisset presbyter, eidem, non autem diacono suam inscripsisset epistolam. Quidquid dici possit, certum est ex canone 77 concilii Eliberitani, diaconos olim ecclesiarum regimen habuisse; at solummodo, ut verisimile est, deficientibus presbyteris (1).

XLVIII. *Subdiaconi, cæterique ministri inferiores.*— Ad subdiaconos quod attinet, horum sæpe meminit S. Cyprianus suis in epistolis. Vide, exempli causa, Epistolam III (t. IV, c. 229), quæ est ad clerum Romanum; in ea enim loquitur de quodam subdiacono qui apellabatur Crementius (2); Epistolam XXIX, in qua loquitur S. Cyprianus de alio subdiacono cui nomen erat Optatus (3); et ejusdem sancti Doctoris Epistolam ad suum clerum de Caio presbytero Diddensi, in qua duorum subdiaconorum, Philumeni et Fortunati mentio occurrit (4) : in quadam Epistola cleri Romani ad divum Cyprianum, de quodam subdiacono fit mentio (5). Acolythorum (6) sicut et lectorum (7), exorcistarum (8), non semel meminit sanctus Cyprianus, et notat se« examinare » consuevisse « an congruerent illis omnia quæ esse debent in iis qui ad clerum parabantur (9). » Lectores Scripturam sacram legebant, et « audientium » seu catechumenorum « doctores » erant (10), et etiam Evangelium legebant ex pulpito (11).

§ VI. Disciplina quoad matrimonium, de votis, et cultu reliquiarum.

XLIX.—Pauca admodum de matrimonio habet divus Cyprianus, cum de illo non ex professo, sed obiter verba faciat. Hinc in tractatu de Lapsis, inter mala quæ ante persecutionem patrabant fideles, recensetur consuetudo ineundi matrimonia cum infidelibus : « Jungere, inquit ille (12), cum infidelibus vinculum matrimonii, prostituere gentilibus membra Christi. » Et in libro tertio Testimoniorum ostendere nititur quibusdam sacrarum Litterarum oraculis, hæc matrimonia esse illicita. Hinc legitur, inquit ille (13), apud Tobiam (1) : *Uxorem accipe ex semine parentum tuorum, et noli sumere alienam mulierem, quæ non est ex tribu parentum tuorum.* Item in Genesi (2) : *Mittit puerum suum Abraham, ut de semine suo accipiat Rebeccam filio ejus Isaac.* Item in Esdra (3) : *Satis non fuit Deo, cum vastarentur Judæi, nisi alienigenas uxores cum filiis quoque, quos ex illis procreaverant, reliquissent.* Probat insuper suam propositionem sanctus Doctor aliis Scripturæ oraculis, uti sunt, exempli gratia, hæc Pauli verba (4) : *Cui vult nubat, tantum in Domino.* Verum S. Augustinus (5) ait, hæc Apostoli verba in duplici sensu intelligi posse, et nihil aliud significare, quam viduam hanc debere vel in christiana religione permanere, aut christiano viro copulari. Deinde subjungit, matrimonia Christianorum cum infidelibus expresse non prohiberi in Novo Testamento. « Non enim, » verba sunt divi Augustini, « tempore revelati Testamenti Novi, in Evangelio vel aliis Apostolicis litteris, sine ambiguitate declaratum esse recolo, utrum Dominus prohibuerit fideles infidelibus jungi; quamvis B. Cyprianus inde non dubitet, nec in levibus peccatis constituat, jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, atque id esse dicat prostituere gentibus membra Christi. »

L. *Continentiæ votum in usu erat ætate Cypriani.* — Quoad vota quæ injustas novatorum censuras non effugiunt, docet S. Cyprianus hæc ipsius ævo in usu fuisse. In suo tractatu de Habitu Virginum loquitur sanctus Doctor de quibusdam, « quæ se Christo dicaverant, et a carnali concupiscentia recedentes, tam carne quam mente se Deo voverant (6). » Verum, hæc vota non fuisse absoluta, et hujusmodi voventes potuisse in casu necessitatis inire matrimonium, quamprimum videbimus. Ast novatores saltem inficiari non poterunt, tertio sæculo in Ecclesia extitisse vota a votis Baptismi diversa.

Pomponius episcopus ad S. Cyprianum litteras miserat, postulans et desiderans ut sibi rescriberet quid illi de iis virginibus videretur quæ, cum semel statum suum continenter et firmiter tenere decrevissent, detectæ fuerant postea in eodem lecto pariter mansisse cum masculis (7). Sanctus Cyprianus respondet, inter cætera, virgines non solum non debere cum masculis dormire, sed nec simul vivere. Quod si ex fide se Christo dicaverunt, subdit sanctus Doctor, « pudice et caste sine ulla fabulatione perseverent. Si autem perseverare nolunt, vel non possunt, melius est ut nubant, quam in ignem delictis suis cadant. » Quod quidem egregie confirmat no

(1) « Si quis diaconus regens plebem sine episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit. » T. I Concil. Labbæi. p. 978; et apud Mansi, tom. II, col. 18.
(2) Cyprian., Epist. II, t. IV, c. 224 A.
(3) Id., Ep. XXIV, t. IV, c. 287 B.
(4) Idem, Ep. XXVIII, c. 301 B.
(5) Id., Ep. XXX, t. IV, c. 303 B.
(6) Favorini acolythi meminit Epistola XXVIII, t. IV, c. 301 B.
(7) Cyprian., Ep. XXIV, t. IV, c. 287 B; Ep. XXXIII, c. 319; Ep. XXXIV, c. 324 A, B.
(8) Idem, Ep. LXXVI, t. III, col. 2. Vide quoque Epist. Firmiliani inter Cyprian. LXXV.
(9) Idem, Ep. XXIV, t. IV, c. 287 B, C.
(10) Idem, ibid.
(11) Idem, Ep. XXXIII, t. IV, c. 319 B.
(12) Idem, lib. *de lapsis.*
(13) Idem, lib. III *Testimonior.*, cap. 62, t. IV, c. 767 B.

(1) Tobiæ IV.
(2) Genes. XIV, 3, 4.
(3) I Esdræ X.
(4) I Corinth. VII, 39; et I Corinth. VI; et II Corinth. VI.
(5) Augustin. lib. I *de Adulterin. conjug.*, cap. 25.
(6) Cyprian., lib. *de Habitu Virginum.*, t. IV, c. 443 B.
(7) Idem. Ep. LXII, t. IV, col. 364 B, sqq. Vide part. XI Hist. Theolog. Critic., pag. 264 et sqq.

Digitized by Google

stram paulo supra propositam animadversionem, vota scilicet tunc temporis non fuisse adeo absoluta, ut obligarent etiam in casu necessitatis. Cæterum tradit S. Cyprianus fieri non posse quin Christus Dominus « irascatur et indignetur, dum cernit virginem suam sibi dicatam, et sanctitati suæ destinatam jacere cum altero : » et tandem asserit excommunicatione eas plectendas esse, quæ in hæc crimina prolabuntur, et ab Ecclesiæ communione tamdiu arcendas quamdiu pœnitentiam non fecerint, et proprium crimen publica confessione omnibus aperuerint.

LI. *De reliquiis sanctorum.* — Novatores non minus acerbe insurgunt contra cultum sacrarum reliquiarum : at in hac parte æque adversantur toti antiquitati. Id jam demonstravimus in præcedentibus tomis (1) auctoritate quorumdam Ecclesiæ Patrum : nunc vero ex divo Cypriano idipsum confirmamus. Validissima, quibus sacrarum reliquiarum veneratio asseratur, momenta nobis suppeditat Epistola S. Cypriani octogesima prima (2). Sanctus Episcopus initio hujus Epistolæ suæ testatur confessoribus quibus Epistola illa inscripta est, testatur, inquam, lætitiam qua perfunderetur, si quando complecti posset illa membra quæ eorum confessionis instrumenta fuerunt ; si osculari posset ora illa quæ nomen Jesu Christi gloriose confessa sunt ; si posset conspici ab oculis illis qui, despecto sæculo, conspiciendo Deo digni extiterunt : « Quid mihi optatius, » inquit ille (3), « et lætius.... quam ut complecterer manus illas quæ...., Dominicam fidem servantes, sacrilega obsequia respuerunt ? Quid jucundius et sublimius, quam osculari ora illa quæ gloriosa voce Dominum confessa sunt? » Ridendi igitur non erimus, si ex hoc S. Cypriani testimonio concludamus sanctorum reliquias esse honorandas : nam, si eorum membra, dum adhuc in vivis erant, veneratione erant digna, majori quidem digna censeri debent postquam ad plures migraverunt, nisi dicere velimus, per gloriosam eorum mortem pretiosas eorum reliquias vilescere : at contra per mortem novum gloriæ gradum acquirunt.

§ VII. Alia disciplinæ puncta ex divi Cypriani operibus.

LII. *De Reditibus Ecclesiæ et eorum usu.*—Suos Ecclesia habebat census et reditus, quos in singulos menses clericis distribuebat ad eorum sustentationem. Distributiones istæ appellabantur *mensurræ*, ac si dicas omnium mensium distributiones, quibus carebant ii clerici qui in aliquod crimen prolapsi erant, vel proprio muneri defuerant, uti eruitur ex Epistola vigesima octava, in qua ita loquitur S. Cyprianus (4) : « Desiderastis quoque ut de Philumeno et Fortunato hypodiaconis, et Favorino acolytho, qui medio tempore recesserunt, et nunc venerunt, quid mihi videatur, rescribam... Interim se a divisione mensurna tantum contineant, non quasi a ministerio ecclesiastico privati esse videantur, sed ut integris omnibus ad nostram præsentiam differantur. » Altera horum redituum pars impendebatur in pauperum eleemosynas ; siquidem ea ætate tum pauperes enutriebat Ecclesia, præsertim eos « qui in fide stantes et fortiter militantes, castra Christi non reliquerunt (2) » ; tum miseros artifices juvabat, aliqua subministrando, ut propriam artem possent exercere. Hanc Ecclesiæ charitatem erga pauperes satis aperte insinuat Epistola S. Cypriani ad Euchratium, in qua sermonem habens de quodam histrione, quem ab infami illa arte revocare volebat, inquit (3) : « Quod si talis penuriam et necessitatem paupertatis obtendit, potest inter cæteros qui alimentis Ecclesiæ sustinentur, hujus quoque necessitas adjuvari. » Verum eleemosynæ illæ moderatæ erant et frugalioribus cibis contenti esse debebant pauperes, ut idem sanctus Doctor ibidem tradit : « Si tamen contentus sit, » inquit ille eodem de histrione loquens, « frugalioribus, sed innocentibus cibis. » Quod autem pauperes artifices juvarit Ecclesia, probatur auctoritate ejusdem sancti Episcopi, qui epistola XLI, sic eos alloquitur ad quos Epistola illa conscripta est (4) : « Ego vos pro me vicarios misi, ut expungeretis necessitates fratrum nostrorum sumptibus, si qui etiam vellent suas artes exercere, additamento, quantum satis esset, desideria eorum juvaretis. » Idcirco corba, id est capsula eleemosynis excipiendis in templis ponebatur (5). Fideles, etsi pauperes, « materiam pro sacrificio » suppeditabant (6) : « Decimas » etiam solvebant (7).

LIII. *De Cura infirmorum.*—Inter ministros Ecclesiæ erant quibus cura demandata erat deferendi Eucharistiam pauperibus et infirmis, et tingendi catechumenos ad mortem ægrotantes. « Alia quæ incumbunt vobis » scribit clerus Romanus (8), « etiam ipsa subdidimus ; ut si qui in hanc tentationem inciderunt, cœperint apprehendi infirmitate, et agant pœnitentiam facti sui, et desiderent communionem, utique subveniri eis debet : sive viduæ, sive thlibomeni, qui se exhibere non possunt, sive hi qui in carceribus sunt, sive exclusi a sedibus suis, utique haberi debent, qui eis ministrent. Sed et catechumeni apprehensi in infirmitate decepti esse non debebunt, ut eis subveniatur. »

LIV. *Sportulæ.* — Præter superius recensitas cu-

(1) Vide *Histor. theologic. critic.*, part. II, p. 433, 434 ; part. VII, pag. 349.

(2) Cyprian., Epist. LXXXI, tom. IV, c. 424 C, sq. Vide part. XI *Hist. theol. critic.*, pag. 268, seqq.

(3) Idem, loc. cit.

(1) Cyprian., Ep. XXVIII, tom. IV, c. 301 B. Conf., Ep. XXXIV, coll. 320, seq.

(2) Idem, Ep. XXXVII, tom. IV, col. 329 A.

(3) Idem, Ep. LXI, tom. IV, c. 363, A, B.

(4) Idem, Ep. XXXVIII, tom. IV, c. 330 A.

(5) Idem, lib. *de Op. et Eleem.*, tom. IV, c. 612 B.

(6) Idem, ibid.

(7) Idem, lib. *de Unit. Eccl.*, tom. IV, c. 518 B.

(8) Cler. Rom. apud Cyprian., Ep. II, t. IV, c. 227 A, B.

Digitized by Google

jusque mensis distributiones, aliæ insuper erant quæ vocabantur *sportulæ*, et qui eorum participes erant clerici, *sportulantes* appellabantur. Vide quæ de hisce habet divus Cyprianus in sua Epistola ad Clerum Furnensem. Verum fateri debemus S. Cyprianum haud perspicue mentem suam aperuisse circa hasce sportulas; necnon auctores qui de illis loquuntur, non satis aperte seipsos explicare, ut possimus inde aliquid certi hac in re definire. Censet Rigaltius « haberi in honore sportulantium, » uti scribit S. Cyprianus, idem esse ac participem fieri cujusdam peculiaris distributionis, quæ diversa esset ab illa quæ appellatur ab eodem sancto Doctore « divisio mensurna, » quæ erat distributio generalis: nos vero libentissime adjungimus, pauperiores solummodo clericos hujus peculiaris distributionis fuisse participes, quam efformabant illæ fidelium eleemosynæ quæ in arcis reponebantur. Arcæ istæ cum instar cujusdam calathi essent, vocabantur « sportulæ »: unde « sportulantes » dicti qui ab hisce eleemosynis habebant unde in parte victitarent. Opinor autem, propter peculiarem hanc distributionem pauperes clericos nequaquam rejectos fuisse a generali cujusque mensis distributione, quæ constabat tum Ecclesiæ reditibus, tum iis quæ ad cleri sustentationem quilibet fidelis contribuere tenebatur.

LV. *Horæ canonicæ.* — Præter tres diei horas ad publicam precem designatas, tertiam scilicet, sextam et nonam, S. Cyprianus memorat pariter matutinum, inquiens (1) mane orandum, ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur. Loquitur pariter de alia oratione ad diei finem facta; quod quidem in eam precem recidit quam vesperas appellamus. Insuper ignoro an de vigiliis interpretari posset quod habet ibidem sanctus Doctor et scribit de precibus nocturnis (2). Quibus sane positis, habemus omnes horas canonicas, si primam et completorium excipias. Præter has publicas preces, aliæ erant quæ in privatorum ædibus fiebant, uti erat oratio ante cibum, cujus meminit S. Cyprianus in suo tractatu ad Donatum (3), et quam perhibet idem sanctus Doctor veluti consuetudinem suo ævo jam vetustissimam.

LVI. *De visionibus fidelium.*— Ex pluribus operum S. Cypriani locis apparet manifeste, ævo suo « visiones multas et manifestas factas esse (4), et etiam puerorum innocens ætas in extasi videt oculis, et audit, et loquitur ea quibus nos Dominus minore et intuere dignatur (1). » Illos vero reprehendit quibus ea « somnia ridicula et visiones ineptæ videbantur (2). »

Observare pariter possumus ex divo Cypriano, olim nigras vestes tempore luctus in usu fuisse. Scribit enim in tractatu de Mortalitate (3): « Defunctos desiderari, non plangi debere, nec accipiendas esse hic atras vestes, quando illi in cœlo indumenta alba jam sumpserunt. »

(1) Cypr., l. *de Orat. Dom.*, t. IV, c. 543, B, C, seq.
(2) *Nulla sint horis nocturnis precum damna; nulla orationum pigra et ignava dispendia.* Cyprian. loc cit., c. 545, A. Christianos noctu conventus habuisse res satis nota. *Nocturnas convocationes* appellat Tertullianus lib. II ad Uxorem. *Antelucanos* vocat Plinius in Ep. ad Trajan. Sed insuper ex privata devotione, fideles lecto se eripiebant, *et per noctem exsurgebant oratum*, ut ait Tertullian. loco prælaudato. Sic in Apologetico: *Ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse.*
(3) Cyprian., Epist. I, *ad Donatum*, al. lib. *ad Donatum* tom. IV, c. 222, B, seq.
(4) Idem, Ep. LIV, tom. III, c. 855, A.

(1) Id., Ep. IX, tom. IV, c. 253, A.
(2) Id., Ep. LXIX, tom. IX, c. 407, A.
(3) Id., tractatu *de Mortalitate*. tom. IV, c. 596, A.

## ARTICULUS IV.

### ANNALES LITTERARII.

### § I. Litterarii minorum Patrum Annales.

#### SÆCULO IX.

*Circa annum 850.*

CODEX UNICUS ARNOBII — MINUCIANUS. « Codex tantummodo unicus hactenus repertus est, ex quo primum fluxit et iterum, iterumque Arnobius emendatus est, qui jam in bibliotheca regia Parisiensi exstat. Optandum vero esset, ut doctus aliquis, cui aditus ad codicem hunc regium patet, eum accurate describeret, quo sæculo scriptus esse videatur rationibus justis probaret, in primis vero num fœdis adeo characteribus aut scripturæ compendiis exaratus sit, ut toties a viris insigniter eruditis, quos suo loco nominamus, nec umquam sine nova variarum lectionum messi exerceri potuerit: » hæc habet cl. vir Schoenemann, hæc etsi a duobus supra sæculis uno ore requirant quotquot Minucium, Arnobiumve legerunt; neminem tamen hactenus, ni fallor, reperire fuit qui hac in restrenuam operam navaret, nec ultimus Arnobii editor J. C. Orelli, nec recens Minucii interpres Lugdunensis, quibus præ omnibus par erat hanc accipere provinciam. Cæteris ergo deficientibus, paucis pro virili de hujusce codicis unici descriptione agemus. Codex ille, olim in Vaticana, nunc ex dono Leonis Papæ X, in Regia Parisiensi bibliotheca, sub num. 1661, antea 1344, vel 3975 asservatus; membranis nitidis, elegantibus et integris solide compactus; in forma 4°; duobus ferme pollicibus altior paulo quam latior; auratus in parte antica et levigatus, postica vero tribus liliolis auratis distinctus; lignea duplici tabella, avulsis utriusque fibulis, stipatus; hinc et inde tegumento vestitus vitulino, nigro, variis insperso ornamentis inter quæ emicant nota Henrici II et Dianæ Pictaviensis stemmata; nullo inscriptus titulo, nisi hoc solo nomine ARNOBIVS, tum operculo tum primo folio præfixo; tribus et viginti constans octo foliorum fasciculis, in quibus duo sexaginta folia Arnobium, octo vero et viginti Octavium continent. Hæc autem sunt notabiliora palæographica et grammatica signa; codex unciali seu Carolino minusculo caractere exaratur, nitido sane, puro, et apprime genuino, nulla Merovingica nec Lombardica varietate mixto; ma-

Digitized by Google

jusculis rusticis rubris ad singula capitum initia, primo tantum excepto, absque ullis litteris pseudomorphis vel ornatis, distinguitur; solent separari duo διφθόγγου æ membra, quæ tamen aliquoties, quod e Lombardica derivari videtur, una littera *e* cum uncinula inferiori exprimuntur; in summo turgere videntur superiores litterarum proeminentium hastæ; in litteris *m*, *n*, *u*, anteriores tractus aliquando dextrorsum, plerumque sinistroversus inflectuntur; littera *a* suo inferiori circulo strictiori, ut in unciali, perficitur, nec usquam, ut in cursiva, a vertice includitur; *c* vero toties quoties rotunde circuit. Quoad cæteras notas orthographicas, potius quam palæographicas, pauca addemus : puncto dumtaxat exprimitur casus dativus et ablativus in numero plurali v.g. *nostris pedib.*; *esse*, *esset*, sic se habent *ēe*, *ēet*; *est* vero aliquando fit *ē*; *m* plerumque omittitur; singula omissio per ductum horizontalem indigitari solet; paucæ occurrunt conjunctiones, nec fere nisi in his vocibus *re*, *ra*, in copulativa *et*, in ultimis vocis unius litteris cum alterius primis; cæterum scatet scriptura sphalmatibus; temere interpungitur; sectionibus absonis textus distinguitur. Maximi nihilominus pretii, immo supra omne pretium est unicus ille duorum optimorum scriptorum codex; cujus ætatem definire haud ambiguum est; ex præfatis enim characteribus, in primis ex forma litterarum *m*, *n*, *u*, suffragantibus multis haud ultimi subsellii viris, ad primam noni sæculi partem tuto refertur, propiorque ad medium quam ad initium accedere videtur.

SÆCULO XVI.

*Anno* 1542.

EDITIO PRINCEPS ROMANA. Minucii Felicis, una cum Arnobio, ad fidem unius exstantis in Bibliotheca Vaticana codicis, curante Fausto Sabæo Brixiano, typ. Ferrarii et Priscoanensis, regi Francorum Francisco I, jussu, ut videtur, pontificis maximi Leonis X, nuncupata, Romæ prodiit, in fol°. (1)

1546.

BASILEENSIS I, apud Froben., ex Sigismundi Gelenii recensione, cum Arnobio, in 8°.

1560.

BASILEENSIS II, apud Froben., in-8°, in secunda editione Arnobii Gelenii.

*Eodem anno.*

HEIDELBERGENSIS, prima sub proprio auctoris nomine data. Primus Franciscus Balduinus Minucio restituit *Octavium* hactenus Arnobii librum octavum reputatum; at, ante Balduinum fraudem detexisse Hadrianum Junium, medicum Batavum et philologum suæ ætatis celeberrimum. Immo vero non Junii iste honor, sed Antonii Morrilloni, em. cardinalis Grandvelle secretario et bibliothecario, ad quem nonnullæ exstant Junii Epistolæ, et cui ipse Junius hanc laudem vindicat in *Animadvers.* lib. III, c. 1, edit. nov. Roterd. 1709. Cæterum hæc Balduini editio textum merum exhibet; cui præfatio addita est, in qua cum vindiciæ pro Minucio Felice vero auctore ex Hieronymi et Lactantii testimoniis, styli et formæ scribendi ab Arnobiano discrepantia traduntur, tum argumentum et analysis totius libri proponitur. Nuncupavit Balduinus Minucium suum Friderico, electori Palatino, academiam Heidelbergensem, recens tunc ab isto principe institutam, his primitiis musarum quasi consecraturus. Ex off. Lud. Lucii typ. Heidelberg., in-8°.

1580.

PARISIENSIS I, una cum Tertulliano et Arnobio, cura Laurentii de La Barre, in-fol.

1583.

ROMANA II, typ. Dom. Basæ, ex Fulvii Ursini castigatione, Petri Ciacconii schedis adjuti, præeunte Arnobio, sed nomine Minucii inscripto, in-4°. Ursinus, sive nescierit, sive nescire simulaverit verum auctorem a Balduino fuisse detectum, id sensisse primum cardinalem Sirletum affirmat.

1589.

PARISIENSIS II, in-fol., in Bibl. Bodl.

1598.

Joh. Meursii *Hypocriticus Minucianus*, cum ejus critico Arnobiano. Lugd. Bat., in-8°.

SÆCULO XVII.

*Anno* 1603.

BASILEENSIS II, ex bibliopolio Frobeniano, in-8°. Marci Minucii Felicis *Octavius* et Cypriani *de Idolorum Vanitate*. Joh. a Wower recensuit. Præfatus non est. Lectiones sæpe laudat, quæ plerumque cum ms. regio minime concordant; nec ullam fidem habent, siquidem bonus ille vir imponi sibi passus est ab aliquo qui ita esse in optimo libro mentiebatur. Notas suas, quamvis doctas, nec præter locum appositas, spatio decem dierum adornavit : in locis tamen difficillioribus adjutorem habuit eruditissimum virum Scaligerum.

1603.

HANNOVERANA I. Geverh. Elmenhorstii typis Wechel., in-8°, cum Arnobio, nil nisi merum textum hoc anno dedisse videtur : serius prægrandem turbam auctorum et locorum eamdem rem illustrantium, prætereaque nihil attulit. Inde tamen inter duos viros dissidia, rixæ, contumeliæ, de quo legendæ Scaligeri epp. CCLX-CCLXIII.

1605.

PARISIENSIS II, apud Marc. Orry, in-8°, cum Arnobio Desiderii Heraldi hæc Schœnemann. Quærit tamen D. Lumper unde editionem hanc de anno 1605 habeat Fabricius (*Supplem. Bibl. lat.* ad lib. IV, c. 3.) et Ceillerius (*Hist. génér. des Aut. eccl.*, t. II, p. 233). « Hoc vero, inquit, satis scio et hanc et alteram de anno 1615, cum Arnobio emissam nihili esse, si quidem Desid. Heraldus Arnobium suum jam ante Minucium ediderat, ut testatur in Præfatione ad Johan. Bochardum. »

1610.

HEIDELBERGENSIS Balduini, repetita Francof. in-8°, Fabric. Del. Argg., p. 216.

(1) Multa in his et sequentibus desumuntur ex Schœnemanni, Lumperi, Cellerii operibus. EDD.

Digitized by Google

*Eodem anno.*

PARISIENSIS III, in-fol. (*Cat. Bibl. Barber.* t. II, f. p. 76, et *Cat. Bibl. Bodl.*)

1612.

HAMBURGENSIS I, in fol., Marci Minucii Felicis *Octavius* ex recensione et cum commentariis *Geverharti Elmenhorstii*; accedunt Franc. Balduini Prolegomena in M. Min. Fel. *Octavium*. Elmenhorstii notationes commentariis Wowerii interspersas esse eumque sæpe librum ms. citare, ubi tantummodo lectiones codicis regii appellandæ fuissent Rigaltius notavit. Scilicet ex eodem Wowerio librum illum ms. laudabat, ut ex iis quæ supra ad Wowerianam editionem scripsimus, disci potest. Cæterum, pro more suo, integras auctorum veterum similis argumenti paginas apponit, egregie hac testium nube Minutium illustrari censens.

1613.

PARISIENSIS IV, Lutetiæ Paris., in-4°, typis P. Mettayer. M. M. Fel. Oct. Des. Heraldus ms. reg. ope emendavit et notas addidit. — Confer quæ a nobis dicta sunt ad Tertulliani Apologeticum, ab eodem hoc anno editum. Textum hic expressum jam an. 1603 cum Arnobio excudendum curaverat, hic tandem notis pro more doctis et exquisitis ornavit. In summa Romanam ed. Fulvii Ursini se secutum esse profitetur ea lege, ut ab illa quam omnium fidelissimam esse censet, nisi ms. regio præeunte, non recederet, et ea ipsa adeo, quæ vel primo adspectu vitium suum proderent, retineret tamen, nec Sig. Gelenii, qui hæc omnia (vitiosa intellige) mutare non dubitaverat, exemplum sequeretur. Nihilominus, quod in laudem viri dictum volo, Gelenii lectiones nonnullas utcumque bonas non deseruit, sed Romanæ prætulit. Codicem regium Thuani beneficio nactus erat. Inscripsit autem hunc libellum Joanni Bochardo Sacri Consistorii consiliario, etc. — Aliam *Octavii* cum Heraldi animadversionibus editionem cum Arnobio, an. 1615, in-4° factam Fabricius commemorat, cujus tamen nec ipse ad Arnobium, nec præter eum quisquam meminit. (*Bibl. lat.* I, IV, c. 3, ed. Ven. t. II, p. 282; et in *Del. Argg.* p. 216.)

1617.

VERSIO, omnium prima, Gallica I, auctore Thoma Reverendo ex typis Jacobi Lebas, in-12, XV-183-5 pp. (Bibl. Lugdun.) Nuncupata nobili viro Francisco Reverendo (*François Le Révérend, sieur de Calix*), auctoris avunculo, regi a consiliis, etc. Præmittitur monitum ad lectorem, in quo interpres sexdecim tantum annis natus, dicitur, nomenque proprium *de Baali Le Révérend* eo loci præ se fert; nec junior licet et omnium primus, despiciendus interpres.

1624.

ED. PARISIENSIS V. Paris., in-fol., in Bibl. PP. vol. IX, col. 1.

1627.

OXONIENSIS I. Oxon., in-12. Minucii *Octavius*. (*Bibl. Mus. Britt.*, voce FELIX.)

1636-1637.

VERSIO GALLICA II. Minucii Felicis *Octavius* gallice redditus a Nicolao Perrot d'Ablancourt; Paris. apud Joh. Camusat, in-12, XII-96 pp. privilegio regio in die 3 sept. ann. 1636 subsignata; typis absoluta 24 dec. ejusd. anni, Philandro, sub cujus nomine latitat Conrart, dedicata : prodiit anno 1637. Iterum ann. 1660, in-18; 1662, in-12; 1677, in-12; vicies deinde repetita, modo textu latino, modo notis aucta, nec umquam verior, nec fidelior quam cæteræ ejusdem auctoris versiones.

1636.

VERSIO ANGLICA I. M. Minucius Felix his dialogue, called *Octavius*, translated into English, by Richard James of c. c. c. in Oxford, in-8°.

1637.

VERSIO GALLICA III. Minucii Felicis *Octavius* gallice redditus opera Guillelmi Du Mas, canonici et decani eccles. cathedr. Alethensis. Paris. apud vid. De Toussainct du Bray., in-4°, 16-146-135 pp.

1643.

PARISIENSIS VI, RIGALTIANA I. Lutetiæ, vid. Mathur. Dupuis, in-4° M. M. F. *Octavius*, et Cæc. Cypriani liber *de Idolorum Vanitate;* editio nova ad fidem veterum exemplarium, ex recensione et cum observationibus *Nic. Rigaltii*. Notæ sunt paucæ, sed eruditæ et aptæ, ut solent Rigaltii; præmissa est de variis editionibus *Octavii* Minuciani præfatiuncula egregio judicio et modestia conscripta. Codicem regium, quoque iterum studiosius, nec sine fructu Rigaltius adhibuit.

1645.

RIGALTIANA II. Lugd. Bat. ex off. Justi Livii, in-8° f. 12. M. M. F. *Oct.* Cæc. Cypr. *de Idolorum Vanitate*, cum observationibus Nic. Rigaltii; et Julius Firmicus *de profana ac vera Religione*, cum notis a Jo. Wower., una cum novo Indice. — Jul. Firmicus ex recensione Wowerii peculiarem titulum habet ac seorsim sisti potest. Uterque liber pro ratione Bibliopolæ curatus est. Ad Minutium pertinent, præter Rigaltii in Minutium et Cyprianum annotationes, indiculus verborum, et Balduini prolegomena, typis iterum exscripta.

1645.

PARISIENSIS VII, RIGALTIANA II. Lutetiæ, ap. Math. Dupuis, in-4°; iterata Rigaltiana Fabric. (*Del Argg.* p. 216.)

1648.

CLASSICA I. Rothomagi, ap. Jo. le Boullenger, in-12. M. M. Fel. *Octavius*. Textus in usum collegii societatis Jesu, Rothomagi exscriptus.

1652.

OUZELIANA I. Lugd. Bat. ex off. Jo. Maire, in-4°. Cum integris omnium notis ac commentariis novaque recensione Jac. Ouzelii; cujus et accedunt animadversiones; acc. præterea liber Julii Firmici Ma-

Digitized by Google

terni V. C. *de Errore profanarum Religionum.* — Futilissimi hujus commentatoris notarum colluvies immensitate sua reliquorum omnium longe superat. Ad singula Minucii verba undicumque omnia apta inepta incredibili stupore et imprudentia corrosa sunt. Nec vero ex proprio quidem lectionis penu, sed aliorum qui longe alio consilio congesti erant cumulis. Quod ad textum attinet, in distinctione et interpunctione verborum multa se egregia præstitisse gloriatur, de quibus penes alios esto judicium. Inscripsit Ouzelius opus suum Christinæ Suecorum: Firmicus ex Wowerii recensione et unius Wowerii animadversionibus editus est.

1666.

Edit. Parisiensis VIII. Parisiis, ap. Jo. Dupuis. in-fol., cum Cypriani operibus, ex ed. Priorii.

1671-1672.

S. S. Cornelii, Lucii, Stephani et aliorum epistolæ in *Collect. concilior.* cura P. P. Labbæi et Cossart. edita Paris., 1 vol. in-fol.

1672.

Ouzeliana II. Lugd. Bat. ex off. Hackiana : repetita Ouzeliana, nec tamen ad unguem repræsentata; sed quod ingeniose a typographis excogitatum est, notarum omnium congeries, quæ in priori Ouzeliana post textum agmen ducebat, hic ipsum textum premit, ut sæpius lineis iisdem sexies et amplius ad singulorum auctorum, qui numeris distinguuntur animadversiones repetitis vix textum præ textu dignoscere possis. De novo adjecerunt, membris itidem distractis, Meursii criticum Minutianum. Quod lepidissimum denique accidit, medias inter reliquorum commentatorum animadvertiones titulus variarum lectionum seorsim conspicitur, quæ unde allatæ sint, vix divinabis, nisi penitus tibi perspecta sit bibliopolæ hujus in exornanda hac editione sedulitas. Videlicet variæ lectiones sunt seorsim ad calcem editionis suæ ab Elmenhorstio exhibitæ, quas sicut ille ex singulis priorum editorum annotationibus collegerat, ita et suis locis singulas, et collectas iterum typis mandarunt.

1678.

Oxoniensis II. Rigaltiana III. Oxoniæ, cum notis Nic Rigaltii. (*Giornale di Roma*, 1679, p. 137. *Fabric.* l. l.)

1682.

Versio Anglica II. A Dialogue, by Marcus Minucius Felix, translated into english, by P. Lorrain; London, in 8°. Eodem repetita anno 1695, ibid. in-12.

1683.

Ed. Hollandica. Amstelod. in-12, cum nova et optima omnium ac rarissima recusione versionis gallicæ Ablancurtii e regione textus positæ.

1685.

Petri Antonii Burchardi, Slevicensis *Dissertatio de Minucio*, quam thesibus ex ejus libellis excerptis et Chrestomathiæ Minucianæ præmisit, sub hoc titulo : *M. Minucii Felicis Octavius, non octavus liber Arnobii, seu elegantissimus Minucii pro veritate religionis christianæ dialogus, in theses digestus, quas habuit præside B. D. Kortholto.* (Kiloniæ, in-4°. Vide Molleri *Cimbria litter.* I, 81.)

1689.

SS. Felicitatis, Perpetuæ et SS. Martyrum passio, inter *Acta sincera Martyrum*, cura D. Theod. Ruinartii edita Paris.; in-4°, repetita Amstelod. ann. 1713, Veron. 1731.

1689.

Lipsiensis I. Lipsiæ, in-12, cum versione gallica Ablancurtii e regione textus posita. (*Fabric* l. l. 217.)

1696.

Versio Hollandica II, ex typis Elzevirianis, in-12.

1698.

L. E. Dupin, de Minucio, in nova Biblioth. Auct. Ecclesiastic., tom. I, in-4°.

1699.

Halensis I, Classica II. Halas., sumptt. Jo. Frid. Zeilleri et Henr. Musselii, in-8°. Minucii *Octavius* et Cypriani; uterque recensitus et illustratus a Christophoro Cellario.— Usui scholarum, quæ erat viri hujus optime meriti de juventute sedulitas, consulturus, textum Minucii ex superiorum editorum nec non Jo. Frid. Gronovii, cui primas merito defert, animadversis emendatiorem excudendum curavit annotationibusque non multis et prolixis, sed egregiis et nullo non tempore legentibus profuturis explicavit, quæ vel ad lectionem ipsam, vel historiam atque fabulas, vel denique latinitatem spectarent, Cypriani libellum ad Wowerii exemplum adjecit, itemque Balduini dissertationem; denique in fine accesserunt, quod serius et textu jam exscripto demum allata essent, observata quædam *Jac. Perizonii.* Postremo, quæ haud minima libri dos est, in capitula et paragraphos apte textum Minucianum primus descripsit.

SÆCULO XVIII.

1703.

Vers. Anglica III. A Dialogue, by Marcus Minucius Felix translated into englisch, by M. Combe. London, in-8°.

1707.

Ed. Davisiana, Classica III. Cantabrigiæ typis academicis, impensa Jo. Oweni, in-8°.—Minucii *Octavius* cum integris observationibus Nic. Rigaltii et selectis aliorum recensuit suasque notas adjecit Jo. Davisius. —Præmittitur Franc. Balduini dissertatio, rerumque et latinitatis indices subnectuntur. Quoniam autem Rigaltium reliquorum Minucii interpretum agmen ducere Davisius censebat, quamquam non ab omni hallucinandi periculo eum tutum esse concedit, ejus præ reliquis curam habuit. Sed nec alios neglexit, nec adeo ea interdum effugere passus est, quæ viri docti passim aliud agentes de Minucio observassent, si qua harum animadversionum utilitas esse posset. Textus distributionem a Cellario adoptavit. Cæterum admodum modeste de opera sua sentit vir doctissi-

Digitized by Google

mus, quæ ad juvenum ingenia erudienda et exacuenda præ multis allorum est utilissima.

1708.

VERS. ANGLICA IV. M. Minucius Felix's *Octavius* and Tertullian's *Apology* for the primitive Christians. London, in-8°.

1709.

ED. GRONOVIANA. Lugd. Bat. ap. Corn. Boutestein et Sam. Luchtmaur. in-8°. — Minucii *Octavius* cum integris Woweri, Elmenhorstii, Heraldi et Rigaltii notis aliorumque hinc inde collectis ex recensione Jac. Gronovii, qui emendationes et explicationes suas adjecit. Accedit Cæc. Cyprianus et Jul. Firmicus Maternus. — Dandum nimirum erat bibliopolis hoc, puto, ut notas virorum in titulo laudatorum integras repeti pateretur Gronovius, qui de ipsis sane, si quis alius, veram sententiam tulit. Secundo vero consilio curas eruditorum foris in Minucium exercitas, id est, annotationes ad diversos auctores occasione data in Minucii loca, seu ut illustrarent seu emendarent, scriptas diligentius conquisitas excussit, quo nomine Pricæum ad Apuleium in primis magni facit. Quid ipse studii ad Minucium contulerit, ex his ejus verbis optime puto constabit : « Insita Dialogo doctrina suppeditaverat hilarem ubertatem, inquit. Insuper quoque materiam libelli gerebam memoriæ insitam, et aderat veneratio sermonis latini tam caste ab scriptore usurpati, ut sic in legendo varia secutus, ad collationem ingentem forem promptus. Etsi præter Sabæum et Ursinum, præter Heraldum et Rigaltium Josephus Scaliger quoque et Salmasius operam navaverant collationi codicis ms., qui est Lutetiæ, nullum tamen istuc proficisci a multo tempore intellexi, quem non ad inspiciendum rursus hortarer et instigarem. Hæc ipsa fuit etiam occasio accensæ acrimoniæ ad varia subolfacienda et veterem manum reponendam aut proferendam sententiam scriptoris, unde aberrabant alii, quum se judicarent maxime felices et sagaces. » Ad locum cap. XXI de Diana Ephesia verubus exstructa integram Lucæ Holstenii dissertat. apposuit, doctam utique et ingeniosam sane, sed cujus forte commodius summa tantum adscribenda fuisset (1). Ne vero te offendat, quod totus sit in exagitando et cavillando, qui ab eo vix nominari dignus erat Ouzelio, Jacobum Gronovium nosse debes. Nummos et figuras ære incisas ætas illa in auctorum veterum editionibus in deliciis habebat; ad usum nihil conferunt.

1709.

Ed. Prima seorsim data quorumdam Novatiani operum, sub hoc titulo : *Incerti auctoris de Regula Veritatis sive Fidei, vulgo Novatiani de Trinitate liber, ad Pamelii fidem descriptus; nec ullis animadversionibus illustratus, cura William Whiston's in Sermons and essays upon several subjects.*

1709-1716.

VERS. ANGLICA V. *Octavius*... translated with. no-

(1). Vide supra, curramdem edendam esse duximus EDD.

tes... by William Reeves... printed with the Apologies of the primitive fathers. London, 2 vol. in-8.

1711.

ED. DAVISIANA II. Cantabrigiæ, in-8°. Ex secunda Jo. Davisii recensione cum Variorum notis, addito Commodiano. (Cf. *Acta Erud.*, t. IV, suppl., p. 423; *Bibl. Choisie*, t. XVIII, p. 341; *Mem. of. Literature*, t. I, p. 353; *Mém. de Trévoux*, t. II, p. 888; *Bibl. Choisie*, t. XXIV, p. 120.)

1712.

VERSIO HOLLANDICA III, curante D. Gargonum, Flessing, in 8°.

1715.

D. Nicol. Le Nourry, *Dissertatio in Minucii Octavium*, tom. II Apparat.

*Eodem anno.*

SS. Cornelii, Lucii, Stephani et aliorum epistolæ in Joh. Harduini *Conciliorum collectione* maxima. Paris., in-fol., tom. I.

1721.

Eorumdem epistolæ a D. Petro Coustantio editæ in eximio nec satis laudando opere cui titulus : *Epistolæ Romanorum Pontificum* et quæ ad eos scriptæ sunt, a S. Clemente I usque ad Innocentium III, etc.

1724.

ED. ANGLICA II Novatiani. Oxonii, e Theatro Sheldon, in-8°. Novatiani opera quæ exstant, omnia correctius longe quam umquam antehac edita, notisque illustrata per Eduardum Welchmann.

Exhibentur libelli inter Tertullianea servati et altera ad Cypr. Ep. Welchman, qui adversatur Whistono, repetiit textum Gelenianum. « Mendis universis quibus tum in vocibus, tum in clausularum distinctionibus passim laborabat, medicam manum summa cura se apposuisse dicit. » Propter quæ acrem Jacksoni nec plane immeritam censuram passus est, menda a Pamelio remota, Gelenium sequendo iterum infersisse, pluraque omnino reliquisse quam sustulisse objicientis cum tamen magnam earum partem facile emaculare potuerit, si Anglicanum ms. exemplar a Pamelio descriptum non neglexisset et Fulvii Ursini ex mss. observationes a Jo. Wowero exscriptas, quas nancisci potuerit, non penitus ignoravisset. Alterum quod addit, Welchmannum quidem luxata capita ad propria loca reduxisse; sed in hoc antecessorem habuisse Responsi auctorem contra D. Waterlandi defensionem quæstionum quarumdam, quas edidit de Trinitatis controversia, nec tamen ejus meminisse et de notulis item, unam et alteram et locorum S. Scripturæ indicem valde imperfectum adjecisse : id multis fortasse paulo iniquius ab eo dictum videbitur.

1728.

ED. ANGLICA III NOVATIANI. Londini : typis Jo. Darby et T. Brown, et impensis Joannis Noon in vico dicto Cheapside, juxta saccilum Metaxariorum. — Novatiani Presb. Romani opera, quæ supersunt omnia, post Jacobi Pamelii Brugensis recensionem, ad antiquiores editiones castigata, et a multis mendis expurgata : illustrata etiam copiosissimis obser-

Digitized by Google

vationibus et notis, in quibus totum argumentum auctoris de regula fidei ex veterum Patrum monumentis late discutitur. Præmittitur dissertatio de Filio Dei homousio, sive co-essentialite uni Deo Patri. Studio Joannis Jackson, Ecclesiæ Anglicanæ Presbyteri, et de Wherwell comitatu Hantoniæ præbendarii.

Præter ea, quæ superior editio, complectitur hæc etiam alteram cleri Romani ad Cyprianum epistolam, de quo supra verba fecimus. Quod rationem attinet, quam in recensendo textu secutus est, a Pameliano exemplo numquam se discessisse profitetur, nisi quando sensus et ratio auctoris emendationem plane postularet, aut vindices alios, vel exemplarium suffragium secum haberet. Qua in re Lat. Latinio et Fr. Junio nonnulla se debere plurimum vero ms. Anglicano et F. Urs. mss. notis adjutum se affirmat. Plurimum sibi laboris indulsisse narrat, ut versionibus Scripturarum diversis et veterum Patrum citationibus cum archetypo textu collatis omnes lectiones varias cujuscumque textus a Novatiano citati, inde deducendas, quæ notatu dignæ essent, una conquireret et lectori sisteret. « Hanc vero operam tuli, inquit, non quod me aliquid fecisse quosvis putare vellem; sed quod alios exemplo meo, si liceret, moverem ut in edendis veterum libris hac via incederent, et omnes varias lectiones locorum omnium Scripturæ, qui in unoquoque scriptore citantur, congererent: atque hoc ad promovendam sacrarum Litterarum emendationem et cognitionem multum collaturum confido. »

Notæ denique et observationes multæ et accuratæ prolegomena docta indicesque locupletissimi, nec non in rebus levioribus cura manifesta, egregie editoris vice functum Jacksonum ostendunt.

1730-1740.

Variorum notæ et commentarii in *Octavium* Minucii Felicis, inter quos J. Jortinii, ut putat Saxius in *Onomastico*, notæ criticæ in *Miscell. Observat.*, vol. I, t. I, p. 23; vol. II, t. III, p. 408-409; vol. III, t. I, p. 19-22; t. II, p. 177-181; t. III, p. 322-324. — Jerem. Marcklandi, in vol. II, t. I, p. 54-60. — Thom. Wop-Kensii, in vol. IX, t. I, p. 51-73; vol. X, t. I, p. 11-54. — Heumanni *Ferculum* II, in vol. VII, part. II, p. 247-272; *Fercul.* III, ibid. part. III, p. 421-478; *Fercul.* IV, vol. VIII, p. 1, pp. 115-154; *Fercul.* V et ult. part. III, p. 454-479. — Fr. Ott. Menckenii Ἐπίκρισις modesta eorum quæ ad Minucium Felicem a celebr. Heumanno observata sunt. Ibid., v. in-4°, p. 729.

1730.

D. Remig. Ceillerii. O. S. B. *Hist. générale des auteurs ecclésiast.* art. *Minuc.*, t. III, p. 223.

1733.

De S. Stephano papa et martyre, inter acta SS. Bollandiana, ad diem 2 aug., tom. I, p. 112-146, auctore Petro Boscho.

1736.

Chph. A. Heumanni observatio qua numero jureconsultorum eximitur Minucius Felix, in parergis seu accessionibus ad omnis generis eruditionem. Goetting., in-8°.

1738.

Marci Minucii Felicis pro se et statu suo epistola apologetica ad Fr. Ottonem Menckenium, qua Heumanni observatio refutatur in *Nova Acta Eruditor.*, anno 1738, p. 210.

1743.

Ed. Gronoviana I. Rotterodami, ap. Jo. Dan. Beman. — Ex recens. Gronovii, ed. a. 1709, repetita.

1750.

Ed. Davisiana II. Glasguæ. in æd. Acad. exc. Rob. et Andr. Foulis Acad. typography., in-4°. M. *Octavius* ex recens. Jo. Davisii. Textus cum indice solito nitore expressus.

1751.

Joh. Wern. Meiner Minucii Felicis loci aliquot perperam sollicitati, a corruptionis suspicione vindicati. Longosalissæ, in-4°.

1752.

Vers. Germanica I. Minucii Felicis *Octavius*, interprete J. F. Hollander, prodiit Francof., in-8°.

1754-1755.

Gruneri observationes criticæ inter *Acta societatis latinæ Ienensis*, vol. III, p. 33; vol. IV, p. 208, v. p. 220.

1756.

Versio Italica I. In Venezia, presso Simone Occhi. in-8°, l'*Ottavio* di M. Minucio Felice, recato in lingua Italiana col testo latino a rincontro, e con opportune annotazioni illustrato da D. Marco Poleti. Cl. R. Somasco. — Haud inepte institutum editori cessit (Paitoni, *Bibl. degli autori antichi Greci et Latini volgarizzati*, II, 250. Gamba, *Serie dei testi di lingua*, n° 2354).

1760.

Ed. Lindnerana I. Longosalissæ, sumpt. Jo. Chr. Martini, in-8°. — *Octavius* et Cyprianus *de Vanitate idolorum*; — uterque recensitus et illustratus notis variorum selectis atque etiam suis a Joan. Gottlieb. Lindnero (Longosal. Schol. tum correctore) cum præfatione Jo. Aug. Ernesti. Diligentia et cura editoris prima hujus editionis virtus est; deinde altera, quod eas quas ex Gronovii inde tempore variis locis viri docti ad Minucium perpoliendum, illustrandum et obscurandum etiam contulissent symbolas, cum judicio dilectas propinat; tertia, quod crisin modestam et accuratam editor sequitur, quæ ex Ernesti Summi præceptis defendenda magis et explicanda lectione vulgata, quam conjecturis exercendis occupatur; postrema tandem, quod breviter et summatim, nec tamen cum perspicuitatis jactura aliorum bene dicta repetit omninoque sermonis maximam curam habet. Ernesti præfatio de sacrorum scriptorum lectione cum antiquioribus Græcis et Romanis scriptoribus conjungenda præcipit. Accedit denique præter Balduini dissertationem Holstenii epistola et index triplex.

Digitized by Google

1762

J. D. Van Hoven, ep. hist. critica de vera ætate, dignitate et patria Marci Minucii Felicis, Campis, in-4°, qui magna contentione id egit, ut Minucium ante Tertullianum et M. Antonini temporibus floruisse probaret. Recusa est hæc epistola in auctoris spicilegiis critico antiquariis et in Lindneri additione secunda Minucii Felicis.

1763.

Vers. Germanica II. *Octavii*, interprete magn. Gottfr. Lichtwer, in-8°.

1766.

Ed. Gallandiana. In collect. nova Vett. PP., t. II. Venetiis, in-fol., ad duplicem Davisii recensionem, selectis variorum notis quæ contextum emaculandum respicerent.

1767.

S. Cornelii et Novatiani opera in eadem Gallandii Collectione, t. III, p. 278-287, et 333-362, Venet., in-folio.

1778.

Ed. Lindnerana II. Secundis curis Cl. Lindnerus Minucium, Longosalissæ evulgavit, in-8°. In nova hac editione lectiones variantes, conjecturas virorum doctorum, et ea quæ ad χρίστον solum spectant ne iis, quibus hæc parum placent, tædio esset, exemplo virorum doctissimorum, Gesneri, Heynii, sejungenda a reliquis esse duxit. Tum annotationes, quas olim in indices conjecerat, et quas pauci vel nemo ibi quærebat, sub textum revocavit. Singula ac curatius excussit, nec, sicubi ab eo erratum est, id fateri ingenue dubitavit. Etiam pro dissertatione Balduina, in terris nostris satis nota ubique obvia, dedit epistolam Clar. ab Hoven ; *Devera Minucii ætate*, eique subjunxit breves aliquot excursiones, quæ tamen notarum modum excessuræ fuissent.

1781.

Versio Anglica VI. A Dialogue by Marcus Minucius Felix, Edimburg, in-8°. Dignus est auctor anonymus, cujus nomen detegatur, nempe David Dalrymple, de Minucio optime meritus.

1782.

Ed. Stahliana. Wirceburgi in off. Stahel. in-8°, cum t. II Operum Cypriani curante Oberthür.

1786.

Versio Gallica compendiosa *Octavii*, auctore D. Abb. de Gourcy, in tomo I operis cui titulus : *Des anciens Apologistes de la Religion.*

1786.

Fr. Ph. Gourdin, rei litterariæ et antiquariæ gnarus, ad D. Grappin, O. S. B., scribebat hoc anno se jamjam editurum fore novæ Gallicæ versionis Minucianæ ; quæ ad hunc diem incomperta remansit.

1791.

G. F. Steph. Stierer *Observationes nonnullæ criticæ* in quædam P. Virgilii et Minucii Felicis loca. Ausp. in-4°.

1792.

Versio Hispanica I. Octavii in opere cui titulus : *Colecion de los apologistas de la Religion cristiana*, reunida por el senor Abbate del Gourcy, traduceda al castellano et dedicata al sabio Clero de Espana por D. Manuel Imeno y Urriera. Madrid. t. II. in-4°.

SÆCULO XIX.

1823.

Vers. Gallica I. *Octavii*, auctore Ant. Pericaud, recensente C. Breghot du Lut, præeuntibus Tertulliani libro *Apologetico* et tractatu *de Præscriptionibus.*

1824.

Vers. Gallica V. Ejusdem *Octavii*, op. D. M. N. S. Guillon in III volumine Bibliothecæ ejus selectæ Patrum Ecclesiæ latinæ et orientalis.

1824.

H. Meieri *Commentatio de Minucio Felice*, Turici, in-8°.

1836.

Vers. Gallica VI, auctore J. D. Buchon, qui eam inseruit in collectione dicta *Pantheon*, sub hoc titulo : *Choix de monuments primitifs de l'Eglise chrétienne*, in-4°.

1836.

Ed. Muraltiana *Octavii*, curante Ed. de Muralt, Turici, in 8°. Accedit commentatio de Minucii ætate,

1836.

Ed. Lubkertiana ejusdem auctoris, cum nott. ; et *vers. Germanica* IV, curante D. H. B. Lubkert. Lipsiæ, in-8°.

1839.

Vers. Gallica VII. Octavii inter opera selecta Patrum in gallicum versa sub nomine D. Genoude, in tomo IV collectionis ; Paris., in-8°.

1843.

Vers. Gallica IV iterum ab eodem D. Perricaud in lucem data, cum textu latino ad fidem editionis secundæ Lindneri ; et notis plurimis aucta ac in primis dissertationibus doctissimi viri Greppo egregie ornata.

1844.

Ed. nova Parisiensis Minucii Felicis, hæc nempe quam damus, ad fidem unius codicis exstantis diligenter collati, cum notis selectis Lindneri, Rigaltii, Heraldi, Wowerii, Gronovii, Gruneri, Elmenhorstii, Heumanni, Cellarii, Menckenii, Davisii, Ouzelii, Wopkenii, Gallandii, Meursii, etc., haud neglectis recentiorum editorum et interpretum subsidiis, præmissis D. Lumper procœmiis, Ernesti epistola, Balduini dissertatione, Lindneri synoptica et logica analysi, seduloque adjunctis Lucæ Holstenii epistola et Nicolai Le Nourry dissertatione *de Minucio*, curante hujus Bibliothecæ editore J. P. Migne, Parisiis, in-4°.

Digitized by Google

§ II. Litterarii annales Cyprianici.

[SÆCULO III.]

*Anno* 246.

CYPRIANUS, ab anno 243 Christianum se professus annis duobus in sacris litteris strenue impensis, initium scribendi pro fide sua in epist. ad Donatum facit. (*Morcelli*, vid. infr. col. 142.)

247-248.

Primum scripsit libellum *de Vanitate idolorum.* (*Pearson*, *Morcelli.*)—Adhuc presbyterum scripsisse tres libros *Testimoniorum adversus Judæos*, item librum *de Habitu Virginum*, opinio multorum est. (*Morcelli*, *Maran.*)

249.

Oriente Deciana persecutione sub initio sui episcopatus, Cyprianus scripsisse creditur Ep. LXVI (*Maran.*); Ep. LXII (*Morcelli*); Ep. LXI, LXV (*Pearson.*).

250.

Sæviente persecutione, videntur scriptæ fuisse Epistolæ Cyprianicæ III, IV, tredecim in epist. XV commemoratæ, ex quibus septem supersunt, nempe V, IX, X, XII, XIII, XIV, Romam missæ cum XV; tum Cypriani et confessorum Carthaginensium et Romanorum epist., in hoc fere ordine chronologico : XIX, XX; XVII, XVIII, XXII; XXI; XXIII, XXV; XXIV, XXVII; XXVIII, XXIX; XXXI, XXVI; XXXII, XXX; XXXVII; VIII; XVI, XXXV, XXXIII, XXXIV, VII, VI, XXXVI, XXXVIII, XXXIX; quibus forsan addere est Epist. XVI, XXXV. (*Maran.*, *Morcelli.*)

251.

Ad hunc annum referuntur Epist. XI, Cypriano adhuc exsulante; liber *de Lapsis*, post reditum; legatorum Epist. LXI, XLII, XLIII, XLIV; tum liber *de Unitate Ecclesiæ;* deinde Epist. XLV, LXVIII, XLVI, L; XLIX, XLVII LI. (*Maran. Morcelli.*)

252.

Ineunte anno, Epist. LII (*Maran.*, *Pearson.*); paulo post LV (*Morcelli*); inter hæc, opusculum *de Oratione Dominica;* circa Pascha, Epist. LIII; tum Epist. LIX, LXIV, deinde LV, LVI, LIV, LVII (*Maran.*, *Morcelli*); anno exeunte, LVIII, LXXXI. (*Maran.*, *Pearson.*, *Morcelli*).

253.

Liber *ad Demetrianum* (*Morcelli*) *de Opere et Eleemosynis.* (*Maran.*, *Morcelli*); Epist. LX (*Maran.*).

254.

Epist. LXIX, LXVII, LXVIII. (*Maran.*, *Morcelli*, *Pearson.*)

255.

Circa autumnum, Epist. LXX, tum LXXI. (*Maran.*) Concilium Carthaginense VII, alias III, et Epistola Firmiliana ex sententia Morcelli.

256.

Paulo post Pascha, Epist. LXXII, LXXIII, LXXIV LXXVI; Concilium prælaudatum, simul ac epist. Firmiliana ex sententia D. Marani; instante hieme, Ep. LXXV, LXIII. (*Id.*) Liber *de Patientia et de Zelo et Livore.* (*Maran.*, *Pearson.*, *Morcelli.*)

257.

Epist. LXXVII, LXXVIII, LXXIX, LXXX, liber *de Exhortatione martyrii.* (*Maran.*, *Morcelli.*)

258.

Epist. LXXXII, LXXIII, paulo ante martyrium.

SÆCULO IV.

*Anno* 300-328.

LACTANTIUS, *Institut. Divin.* lib. v, cap. 1.

« Unus igitur præcipuus, et clarus exstitit Cyprianus, quoniam et magnam sibi gloriam ex artis oratoriæ professione quæsierat, et admodum multa conscripsit, in suo genere miranda. Erat enim ingenio facili, copioso, suavi et, quæ sermonis maxima est virtus, aperto, ut discernere nequeas utrumne ornatior in eloquendo, an felicior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit. Hic tamen placere ultra verba sacramentum ignorantibus non potest, quoniam mystica sunt quæ locutus est, et ad id præparata, ut a solis fidelibus audiantur. Denique a doctis hujus sæculi, quibus forte scripta ejus innotuerunt, derideri solet. Audivi ego quemdam hominem sane disertum, qui eum, immutata una littera, Coprianum (a Græca voce κοπρος vel κοπρια, latine *stercus*, quasi *stercoreum*) vocaret; quasi qui elegans ingenium, et melioribus rebus aptum ad aniles fabulas contulisset. »

EUSEBIUS in *Chron.* :

Κυπριανὸς, Καρθαγένης ἐπίσκοπος, τῷ ἰδίῳ Χριστοῦ μαρτυρίῳ τελειοῦται.

« *Cyprianus primum rhetor deinde presbyter, ad extremum Carthaginensis episcopus martyrio coronatur.* »

353-368.

HILARIUS, Commentaria in Matth. :

« Cyprianus vir sanctæ memoriæ. »

373-390.

PACIAN., Epist. 2 :

« Cyprianus in concordia omnium, in pace communi, in confessorum grege passus est; et sæpe confessus iteratis persecutionibus et multa laceratione vexatus, et novissime salutari calice propinatus est. »

328-391.

S. GREGORIUS NAZIANZ., orat. XVIII, alias XXIV : « Hæc sunt quæ dicenda habuimus de Cypriano, atque haud scio an plura dicere necesse sit; neque enim, etiamsi orationem in longum produxerimus, quidquam tamen afferre queamus, quod illius virtutibus et existimationi, quam de eo unusquisque concepit, ulla ex parte respondeat. » Ed. Paris., p. 440 et seqq. »

400.

PRUDENTIUS Hymn. XIII :

Desine flere bonum tantum, tenet ille regna cœli,
Nec minus involitat terris, nec ab hoc recedit orbe :
Disserit, eloquitur, tractat, docet, instruit, prophetat.
Nec Lybiæ tantum populos regit, exitusque in ortum
Solis; et usque obitum, Gallos fovet, imbuit Britannos,
Præsidet Hesperiæ, Christum serit ultimis Iberis :
Denique Doctor humi est, idem quoque martyr in supernis,
Instruit hic homines, illic pia dona dat patronus.

Digitized by Google

SÆCULO V.

*Ann.* 382 — 420.

D. HIERONYMUS, *Catalogo Virorum illustrium :*

« Cyprianus Afer primum gloriose rhetoricam docuit : exinde, suadente presbytero Cæcilio, a quo et cognomentum sortitus est, Christianus factus, omnem substantiam suam pauperibus erogavit : ac post non multum temporis, electus in presbyterum, etiam episcopus Carthaginiensis constitutus est. Hujus ingenii superfluum est indicem texere, cum sole clariora sint ejus opera. Passus est sub Valeriano et Gallieno principibus, persecutione octava, eodem die quo Romæ Cornelius, sed non eodem anno. »

*Epist. ad Paulam.* Beatus Cyprianus, instar fontis purissimi, dulcis incedit et placidus : et cum totus sit in exercitatione virtutum, occupatus persecutionum angustiis, de Scripturis divinis nequaquam disseruit. »

*Comment. in Jon.*, cap. 3 : « Proponamus nobis B. Cyprianum, qui prius idololatriæ assertor fuit, et in tantam gloriam venit eloquentiæ, ut oratoriam quoque doceret Carthagini : audisse tandem sermonem Jonæ, et ad pœnitentiam conversum, in tantam venisse virtutem, ut Christum publice prædicaret, et pro illo cervicem gladio flecteret. »

430.

S. AUGUSTINUS. — Ignorat nemo quanta veneratione sanctus Augustinus prosecutus fuerit magnum hunc Carthaginensem episcopum, quanti fecerit ejus opera, quot præclara documenta et instructiones repererit in iis etiam omnibus quæ conscripsit sanctus Martyr de iterando Baptismate. Id unum sufficiat dicere, S. Augustinum dilexisse eloquentiam divi Cypriani, sed et simul asseruisse difficillimum esse eamdem assequi (*lib.* IV, *de Doctrina Christiana, c.* 14). Alio autem loco : « Non me terret, » inquit (*l.* II *de Baptismo*), « auctoritas Cypriani, quia reficit humilitas Cypriani ; magnum quidem meritum novimus Cypriani episcopi et martyris. »

« Cujus reverendi episcopi et venerandi martyris Cypriani laudibus, nulla lingua sufficeret, nec si seipse laudaret » (*Serm.* 313 *de S. Cypriano*), « ego Cyprianum catholicum episcopum, catholicum martyrem, et quanto magis magnus erat, tanto se omnibus humiliantem, ut coram Deo inveniret gratiam, nullo prorsus modo crediderim, in sancto præsertim concilio collegarum aliud protulisse, quam corde gestabat » (*lib.* III *de Baptismo*, *c.* 3). « Ecclesiæ catholicæ auctoritatem cujus, ipse egregium et clarissimum membrum est, pro nostra infirmitate sectantes, adversus hæreticos et schismaticos enodemus » (*lib.* VII *de Baptism.*, *c.* 1). « Beatissimum, corona etiam martyrii gloriosissimum Cyprianum, nec Africanis atque Occidentalibus tantum, verum et Orientalibus ecclesiis fama prædicante et scripta ejus longe lateque diffundente, notissimum, etiam ipse hæresiarches istorum Pelagius, cum debito certe honore commemorat » (*August.*, *lib.* IV, *ad Bonifacium*, *cap.* 8).

387-465.

S. MAXIMUS Taurinensis duplicem habet in natale S. Cypriani homiliam, unam, LXXIX, col. 255-258, alteram, LXXX, col. 259-260, edit. Rom., 1784.

492-496.

S. GELASIUS, pontifex Romanus, in ejus decreto de Script. Eccl. *Opuscula Cypriani martyris et carthaginensis Episcopi*, tom. IV Collect. concilior., col. 12, 62, apud Labbæum, Harduinum, tom. II Collect. concilior., col. 942, et Mansi, tom. VIII, col. 161 et seqq. Recensentur quidem in Gelasii Decreto opera hujus Patris inter ea quæ ab Ecclesia Romana, utpote apocrypha rejiciuntur : *Opuscula Tascii Cypriani apocrypha*, inquit auctor hujus Decreti. Verum, præter alia momenta, quæ clare evincunt recitata verba Decreto Gelasii adjuncta fuisse ab aliquo extraneo ; ex Gratiano id validissime demonstratur ; a Gratiano siquidem non inter libros apocryphos, sed inter libros ab Ecclesia probatos recensentur opera divi Cypriani. Vide Tillemont. not. 52, *sur S. Cyprien*, tom. IV, p. 33.

SÆCULO VI.

*Circa annum* 550.

PROCOP., lib. I *Belli Vandal.* : Κυπριανὸν ἄγιον ἄνδρα μάλιστα πάντων οἱ Καρχηδόνιοι σέβονται, καὶ αὐτῷ νέων τινὰ λέγου πολλοῦ ἄξιον, πρὸ τῆς πόλεως ἱδρυσάμενοι παρὰ τὴν τῆς θαλλάσσης ἠϊόνα, τάτε ἄλλα ἐξοσιοῦνται, καὶ ἄγουσιν ἐνιαύσιον ἑορτὴν, ἣν δὴ Κυπριανὰ καλοῦσι. *Cyprianum virum sanctum, præ cæteris Carthaginenses venerantur, ipsique templum quoddam sermone haud minimo dignum, in littore maris erectum, cultu honorantur præcipuo ; annuumque agent festum, quod vocant Cypriana.*

562.

CASSIODORUS. *Divin. Lection.*, cap. XIX :

« Beatissimus Cyprianus, velut oleum decurrens in omnem suavitatem lingua composita ; declamator insignis doctorque admirabilis. Quantos enim ille dubitantes non pertulit labi, lapsos vero firmissima prædicatione solidavit, confessores ad martyrium ipse perduxit ? Et ne minor esset prædicationibus suis, ipse quoque martyrii corona, Domino præstante, decoratus est.

ENNOD., episc. Ticinens. :

Vatis Cypriani et martyris
Cor, lingua, sensus, dignitas
Mortem ferendo proferunt.
Vitalis ictum nex dedit,
Mucrone parta lux micat.
Dictis fuit præfulgidus,
Et ore dives unico,
Torrentis unda gurgitis
Impacta cornu spicula
Sermone vincens promulo, etc.

CODICES.

SÆCULO IV-VII.

*Codex Parisiensis* I. In Bibl. Regia, sub num. 712 supplem. lat. olim in San-German. sub. num. 185-186, antea in Bibl. Coislin. asservatus ; ab Italia forte acceptus, conjicientibus mon. Benedd., in forma 4° fere quadrata, membranis et quidem elegantibus,

Digitized by Google

avo tamen crispatis compactus; in duas columnas duplici linea verticali inclusas discretus; charactere unciali Romano, nitido, pleno, haud ita magno, semi-anguloso exaratus; cum litteris indistinctis, et rotundis; tenuissimis lineamentis, hastis inferioribus oblique sectis, superioribus vero in directum; uncialibus ad tres primas cujusque libri lineas, rubris et aliquando plumbatis; ad titulos vero et ad calcem in voce *explicit*, rubris et nigris alternatim; nullis punctis, nullis fere abbreviatis, conjunctis, aut vitiatis vocibus distinctus; nullis paginarum notis, nisi in ultimo fasciculorum folio et cum uncialibus subsignatus. Litteræ mediocris sunt magnitudinis, calamo subtiliori exaratæ; hastæ inferiores vix descendunt, in T transversa linea, ut in C et in L inferiores ductus evanuisse videntur; in fine lineæ, tantum *b.* pro *bus*; alias *a e* pro *æ*; *Dms*, *Dmi* pro *Dominus*, *Domini*; *q.* pro *que*; XPI cum litteris græcis pro *Christi*. His characteribus idoneis et constantibus etsi omnes attenderint, alii ad IV aut V, alii ad VI aut VII sæcul. codicem adscripsere. Hæc sunt in primo folio ipsamet D. J. Mabillonii manu scripta: « Codex septimi circiter sæculi; » deinde annotat tum quæ in eo continentur, tum quæ desunt; ea autem sunt in primis epistolæ omnes; initium libri seu epist. *ad Donatum*; totus liber *de Zelo et Livore*, initium libri *ad Fortunatum*, recenti manu suppletum in concilio; in *concilio Carthaginensi*, sententiæ episc. a 53 ad 69; initium libri *de Laude martyrii*, l. III *Testimoniorum adversus Judæos*. —Hæc addit Mabillonius: « Deinde sequitur Psalterium græce et latine; ita ut versio latina oppositam paginam occupet, unciali charactere, sine accentibus et spiritibus; incipit a ps. XVIII, cujus pars prior desideratur, et desinit in LXXII, cujus pars posterior deest. » Sed mala recentium tempestatum injuria ac fortasse incendio Bibliothecæ Sangermanensis hoc Psalterium omnino periit. Cf. Nov. Diplom. t. III, p. 55, not. 1; *Paléographie universelle*, auctoribus D. Champollion Figeac et Aimé Champollion. Paris., apud Firm. Didot, 1840.

*Codex Aurelianensis*, litteris uncialibus, in Bibl. public. olim San-Benedict. Floriac, libr. *de Mortalitate* et *de Sacramento calicis*. (Hœnel.)

SÆCULO VIII.

*Codex Veronensis*, majusculis litteris exaratus, ante annos mille scriptus refertur in *Diario Ital.* Mabill. p. 23.

SÆCULO IX.

*Codex Parisiensis* III. Biblioth. Reg., 1647, olim Colbert. Opuscula XIV in-fol.

*Codex San-Gallensis* I. Cypriani et Gregorii Nazianzeni opuscula; codex bonus, membrana hinc inde sordida, compactura primæva, memb. in-8°, maj. (S. 272, n° 90).

*Codex Vindobonensis*, ex catalogo Denis., vol. I, col. 582.

SÆCULO X.

*Codex Parisiensis* III. Bibl. reg., 2718, olim Colbert., in-4°, forma oblonga, opuscula VII.

*Codex Montispessulanus* I, ex libris oratorii Trec, olim Fr. Pithæi, membranac. in-4°.

† *Oratio de Pœnitentia*. Cf. Baluz., in *Capitular. regg. Fr.*, præfatio cap. LXXV et t. I, p. 631.

SÆCULO XI.

*Codex Strateburgensis*, in Bibl. publica, membran. *Cypriani opera*.

SÆCULO XII.

*Codex Parisiensis* IV, Bibl. reg., 1648, olim Baluzianus, in-fol., opuscula XII, spuria multa.

*Codex Parisiensis* V, Bibl. reg., 1653, olim Bigotianus, initio et fine mutilus.

*Codex Parisiensis* VI, Biblioth. reg., 1654, olim Baluzianus, a Girardo cantore S. Mauri Fossatensis exaratus, in-fol.

*Codex Parisiensis* VII, Bibl. reg., 1655, in-fol.

*Codex Parisiensis*, VIII, Bibl. reg., sub finem sæculi.

*Codex Parisiensis*, IX, Bibl. reg., 5248. S. Cypriani duæ *Epistolæ*.

*Codex Parisiensis* X, martyrologium et necrologium Carcassonense. — S. Cypriani duæ epistolæ *ad Successum*, *ad Clerum et plebem Carthaginensem*.

*Codex Trecensis* I, flores librorum SS. Ambrosii, Hieron., Cypriani, etc., membranac. in-4° (qq. III, 2).

*Codex Meermanni*, deinde *Routhii*, qui eum duodecimo sæculo assignat, annotat. in libr. Cypr. *de idolorum Vanitate*, p. 331.

SÆCULO XIII.

*Codex Parisiensis* XI, Bibl. reg., 1649, olim Ludovici de Targny, in-f°.

*Codex Parisiensis* XII, Bibl. reg., 1650, olim Baluzianus, in-fol.

*Codex Parisiensis* XIII, Bibl. reg. 1651, olim Cellerianus, quondam in ecclesia S. Martini Tornacensis asservatus, in-f°.

*Codex Parisiensis* XIV, Bibl. reg., 1657, olim Mazarinæus, in-f°.

*Codex Parisiensis* XV, Bibl. reg., 1921, olim Mazarinæus, in-f°.

*Codex Parisiensis* XVI, Bibl. reg., 1689, olim Colbertinus, in-f°.

*Codex Parisiensis* XVII, Bibl. reg., 2653, olim Colbertinus, in-f°.

*Codex Parisiensis* XVIII, Bibl. reg., 3318, epist. de S. Celerino, in-f°.

*Codex Parisiensis* XIX, Bibl. reg., 3780, olim Colbertinus, tantum epistola de Celerino lectore, in-f°.

*Codex Parisiensis* XX, Bibl. reg., 5323, olim Bigotianus, in-fol.

*Codex Montispessulanus* de duobus abusis (vide quæ supra annotantur in altero codice Montispessulani). Hœnel, in-fol.

*Codex San-Audomarensis*, membran. *Cypriani Carmina*.

SÆCULO XIV.

*Cod. Parisiensis* XXI, Bibl. reg., 1638, olim Colbertinus.

*Cod. Parisiensis* XXII, Bibl. reg., 1723, olim Colbertinus, tantum liber *de Unitate Ecclesiæ*, in folio.

Digitized by Google

*Cod. Parisiensis* XXIII, Bibl. reg., 5352, epist. de *Celerino lectore*, in-folio.

*Cod. Divionensis*, Bibl. publ. Divionis, membranæ, in-folio, *S. Cypriani epistolæ*, in-folio.

SÆCULO XV.

*Cod. Parisiensis* XXIV, Bibl. reg. 1651, olim Colbertinus, in-folio, XII, abusiva edita a B. Cypriano, Abgari, etc.

*Cod. Parisiensis* XXV, Bibl. reg. 1659, olim cardinalis Borbonii.

*Cod. Parisiensis* XXVI, Bibl. reg. 426, manu choræ corii, anno 1488, exaratus. Oratio S. Cypriano tributa cujus ope infausta quæque non arceri possunt.

*Cod. Parisiensis* XXVII, Bibl. reg. 7371, olim Colbertinus, chartaceus, liber de *Unitate Ecclesiæ*, in-folio.

*Cod. Atrebatensis*, Bibl. urbis publ., membran. in-4° (Hœnel, p. 41).

*Cod. Sangallensis* III, in Bibl. S. Galli collect. Joh. Biner, opusculorum S. Bernardi.

*Cod. Sangallens.* III, S. Augustini, Cypriani et alior... chartæ in 4°.

*Cod. Midlehillensis*. De XII Abusionibus opuscula quædam : frons et litteræ initiales eleganter auro et coloribus sunt depictæ, insignia Edwardi Browne præfiguntur.

CODICES IGNOTI ÆVI.

*Cod. Parisiensis* XXVII, Bibl. Sangenovef. cc. 1-20. Tertulliani (*verius* Novatiani) et allorum opuscula.

*Cod. Avenionensis* I, Cypr. opera cum pictura, membranae in folio.

*Cod. Avenionensis* II, membran. in-folio epistolæ.

*Cod. Avenionensis* III, sermones cum pictura, membran. epist. Cypriani, Hieronymi et S. Bernardi.

*Cod. Carolopolitanus* S. Cypriani in oratione Dominica expositio inter miscellanea PP.

*Cod. Carnutensis* S. Cypriani et epistolæ cum duobus opusculis *de Habitu virginum*, *de Singularitate clericorum*.

*Cod. diœcesis* Heimbr. in-folio S. Cypriani epistolæ.

*Cod. Metensis*. S. Cypriani epistolæ.

*Cod. Remensis*, chartæ in-4°.

*Cod. Strateburg.* II, Cypriani epistolæ, membran. in 4°.

*Cod. Basileensis*. Auctoritates PP. Ecclesiæ orthodoxæ, inter quos Cypr. in-8°.

*Cod. Brugensis* S. Cypriani et aliorum opera.

1. *Andreas Aleriensis* ex codice Parisiensi descripserat, quæ in principe Romana edidit Cypriani opuscula.

2. *Latino Latinio*, in Romana P. Manutii suppetebat Codex vetustissimus *Veronensis*, de quo suo loco nobis constitit. Quibus postea in curis secundis usus sit, non diserte indicavit.

3. Pamelius usus est codicibus mss. *abbatiæ Affligintensis*, haud procul Bruxella. *Anglico* Jo. Clementis, qui ad ipsum quasdam inde castigationes *miserat*. *Abbatiæ Blandiniensis*, apud Gandenses, quæ D. Petri nuncupatur, qui paulo post a sectariis crematus est. Fragmento quodam codicis ms. *Ludovici Carrionis*, in quo nonnulla Cypriani opuscula continebantur.

Excuso codice *Jo. Canchii* Ultrajectini cum castigationibus ad marginem ex mss. variis codd. Codice D. Pantaleonis apud Coloniam, quem *Coloniensem* vocat. Castigationibus *Jo. Costerii*, ad marginem adscriptæ codicis *Canchii*. Codice ms. *abbatiæ Dunensis* in Flandria, ex incendio sectariorum superstite. Codice ms. *Jo. Harrisii* Angli, ex quo castigationes haud pœnitendas acceperat. Codice ms. *abbatiæ Marchinensis* haud procul a Duacensi academia. Codice ms. D. Nicolai extra muros *Tornacenses*.

4. Rigaltius laudat varietates codicis *Regii*, *Beneventani*, *Corbeiensis*, *Neapolitani*, *Rhemensis*, *Veronensis*, *et Thuani*, *librum Nic. Fabri*, *et exemplar Pomposianum*.

5. Oxonienses denique usurparunt mss. codices : quatuor *Bodleianos*, quatuor *Is. Vossii*. Duo *novi Collegii Oxoniæ*. Unum *Collegii Lincolniensis* ibidem. Unum *Collegii Pembrochiani Cantabrigiæ*. Unum *bibliothecæ Lamberthanæ*. Unum *bibl. Arundelianæ*. Unum *bibl. Eboracensis*. Unum *bibl. Westmonasteriensis*. Unum *bibl. Salisburiensis*. Unum *ibl. Cottonianæ*. Item collationes *codicis collegii Corporis Christi Cantabrigiæ*, et alterius *Londinensis* per *Th. Gale* factam, item alterius cujusdam *Salisburiensis* per episcopum *Asaphensem*. Collationes codd. *Thuani cœnobiorum S. Michaelis* in periculo maris, *S. Victoris Parisiensis*, *S. Mauritii Tossatensis*, et S. Petri Corbeiensis per PP. Benedictinos Lutetiæ curatas. Collationes aliquot codd. in *Vaticana Veronæ* et *Beneventi* existentium, nec non regis Galliæ; studio D. Rob. *Rigby*. Præterea ratio habita codd. a Jac. Pamelio, Goularlio, Nic. Fabro, Lat. Latinio, etc., adhibitorum.

6. Baluzius non solum omnia priorum editionum ex codicibus mss. subsidia denuo excussit, sed complures de novo etiam consuluit, quos strictim enumerat Maranus prolegom. p. CXLVII. Multorum vero varias lectiones libris suis adscripserat, sed, quoniam citius illi distraherentur, plenam eorum notitiam colligere non licebat.

EDITIONES CYPRIANICÆ.

Editionum Cypriani septem classes commode discerni possunt, quarum prima ab anno 1471, a teneris initiis Romanæ principis ad editionem Remboltianam producenda est; secunda a Remboltiana ad Erasmicam; tertia Erasmicam toties repetitam habet; quartam Pamelius; quintam Rigaltius; sextam Fellus; septimam Baluzius instruxit. Inde ad nostram usque Baluzianam simul et Oxoniensem, duplex deducitur editionum ordo, quarum ad Baluzium aliæ, aliæ ad Fellum referendæ sunt.

PRIMA EDITIONUM SANCTI CYPRIANI SERIES.

*Editiones primigenæ.*

SÆCULO XV.

*Anno* 1471.

EDITIO PRINCEPS ROMANA I. Romæ in domo Petri et

Digitized by Google

Francisci de Maximis per Conr. Sweynheym et Arn. Pannartz, in-folio S. Cypriani Carthaginensis episcopi epistolæ ex recognitione Joh. Andreæ, et cum ejusdem epistola ad Paulum II in fine :

Aspicis, illustris lector quicumque, libellos.
Si cupis artificum nomina nosse, lege.
Aspera ridebis cognomina (*sic*) Teutona; forsan
Mitiget ars musis inscia verba virum.
Conradus Sweynheym, Arnoldus Panartzque magistri
Romæ impresserunt talia multa simul
Petrus cum fratre Francisco, maximus ambo
Huic operi optatam contribuere domum.
M. CCCC. LXXI.

Ex Epistola Aleriensis liquet hanc S. Cypriani editionem præcessisse editionem sacr. Bibliorum, quorum impressionem, propter chartæ majoris defectum, interrumpere coacti fuerant opifices. Has autem epistolas se descripsisse refert ex vetusto codice Parisiensi, quum studiorum causa in eadem urbe versaretur. Hæc ejus epistola, cui inseruit explanationem multorum vocabulorum a S. Cypriano adhibitorum, quæ « propere perlegendo, » ut ipse ait, « alicujus interpretamenti, propter tyrunculos quosdam litterariæ facultatis, indigere crederet, » cum indice, qui immediate subjicitur, occupat paulo minus quam tria folia. Exempla quatuor in bibliothecis Romanis se tractasse *Audiffredi* acerbe docet *Lairium*, qui præter Grevennæ exemplar aliud haud vidisse, nec facile occurrere dixerat. Enumeratur in Cat. Bibl. Chig.

1471.

Ed. Veneta I, vulgo Spirensis. Venetiis, apud Vendelinum de Spira (1), in-fol. S. Cypriani Epistolæ. In fine :

Loquitur lector ad Vindelinum Spirensem artificem qui Epistolas Beati Cypriani reddit in lucem.
M. CCCC. LXXI.

Quamquam non ex verbis, *reddit in lucem* cum docto editore Catalogi biblioth. Crevennæ 1776, in-4°, tom. I, p. 59, hanc editionem Romana recentiorem esse probem; certiori tamen argumento illud esse hac occasione possit, quod cum Romana editio cod. ms. unde expressa sit, indicet, Veneta contra de simili præsidio sileat, et hoc ipso silentio editionem antiquam ante excusam repræsentare se testetur.

(1) Errorem, qui sæculo præterito plurimos hujus argumenti libros occupaverat sæpiusque exinde et iterum explosus est *Spiras hanc editionem prodiisse*, viri nomine fraudem faciente, verbo notasse juvet. Nec vero error iste iis magis objici debet, qui superiori ævo notitiam litterariam horum scriptorum conderent, quam ipsis eorum editoribus exprobrandus, iis scilicet quibus manu versari illas veteres edd. contigit, quod vix illis. In istorum numero est Reinhartus Altorfinus Epp. Cypr. a. 1689, editor, qui utramque Romanam scilicet et Venetam ed. ex Bibl. Norimbergensi ipsi commodatam inspexit, nec tamen aliter de illis loquitur, ac si per somnum de iis accepisset, *Spirensem vocans*, cujus artifex Vindelinus quidam laudetur. Pariter editores Angli et ex iis Baluzius semper *Spirensem* hanc appellant. Baluzii error autem eo infensiorem facile lectorem habebit, ubi recens a lectione eorum quæ accurate in limine istius editionis super his Maranus præcepit, in eum inciderit. Scire etiam velim quænam sit illa *vetus Veneta* quam cum *Spirensi* una sæpius laudat Baluzius. Cf. notas ad lib. Testimonior. adversus Jud., p. 596. Schœnemann.

Gravius momentum textus inter utramque convenientia, quæ, testante eodem viro docto, tanta est, ut, præter menda quædam typographica, quæ Vindelinus e Romana sustulisse videri debeat, prorsus illam hæc referat (1).—Nitore et elegantia artis Romanam vincere putatur. Caret, ut omnes fere hujus ætatis editiones, paginarum foliorumve numeris, custodibus ac signaturis. Textui, quem præcedunt folia duo, indicem præferentia (2) titulus superscriptus :

Incipiunt Epistolæ Cæcilii Cypriani ad Cornelium Papam, et prima de Confessione, feliciter.

In hac editione Veneta habentur etiam Testimoniorum adv. Judæos ad Quirinum libri, sed duo tantum, et multis lacunis laborantes; haud dubie eosdem jam Romana sub epistolis complectitur.

1483.

Veneta II. Venetiis apud Lucam Venetum, in-fol. Epistolæ et opuscula : in fine : Divi Cæcilii Cypriani viri sanctissimi et eloquentissimi epistolas exactissime recognitas Lucas Venetus, Dominici filius, solita diligentia impressit Venetiis anno salutis MCCCCLXXXIII, pridie nonas decembres (*Goetze Merkwürd. der Dresd. Bibl.*). Exstabat etiam in Bibl. Pinelliana. Cf. *Cat. Morelli*, tom. I, p. 95, n. 578. Tractatus et sermones nonnullos accessisse propriis adhibitis verbis Audiffredi in Cat. Bibl. Casanat., tom. II, p. 524, prodit. At major certe pars eorum quæ Remboltiana ed. præbet, jam hic vulgata est, ut ex præfatione C. de P. ad Jac. Grasolarium civem Venetum, qui hanc editionem maxime flagitasse dicitur, in Rembolt. ed. repetita, intelleximus. Præcipuum habet hoc commodi, quod epistolis singulis et tractatibus summaria præfixa sint brevia, quæque in tabulam compendio redacta post præfationem conspiciuntur.

His proxime adjungendas puto editiones quasdam hoc sæculo absque anni, vel loci etiam nota factas.

*Incerto anno.*

Sine anno, Brixiæ, in-4°. Cæcilii Cypriani sermo de Oratione Dominica, scilicet, *Pater noster*, in quo docet qua potissimum oratione uti, et qualiter ad eam accedere et quo gestu corporis et modo vocis conveniat, qui se christianum esse asserit. — (*Cat. de la B. d. R.*, p. 366, n. 502, ubi additur : *vetus editio, circa annum* 1490). Alibi legere illam non memini.

*Incerto anno.*

Editio innominata I. Sine loco et anno et typographo. Prima hujus generis. Sancti Cypriani epistolæ, in-folio. Ab initio occurrit : « Tabula materiarum epistolarum beati Cypriani martyris secundum ordinem alphabeti » (i. e. index rerum mirabilium satis

(1) Mira sunt quæ Deburius in *Bibliographie instructive* (instruenda verius) de hac editione narrat : « Elle a mérité d'avoir été celle que M. Baluze a choisie pour travailler à l'édition qu'il nous a donnée de ce Père de l'Église, et il en faisait un cas tout particulier. Elle a l'avantage de renfermer beaucoup de passages originaux, que cet auteur a été obligé de soustraire ou de changer dans la sienne. » Schœnem.

(2) *Une table particulière.* Deburius, junior, inquit. Utramque, si diis placet, editionem manibus ille triverat ! Schœnemann.



Digitized by Google

locuples) « incipit feliciter. » Subnectitur indiculus contentorum cum brevibus argumentis. Sunt vero Epp. LXXIII.—Ad Quirinum libri tres.—Sermo B. Augustini de B. Cypriano. — Oratio Cyp. martyris. — Item oratio ejusdem quam sub die passionis suæ dixit. — Passio B. Cypriani. — Sex libri ad Quirinum agmen claudunt. Occupant hæc folia XVIII cum signaturis A et B VI. Folium XIX album fere totum conspicitur præter pauca, quæ in paginæ secundæ extremis ex Hieronymo impressa leguntur hoc titulo : *Ex libro beati Hieronymi de viris illustribus, de beato Cypriano.* Incipiunt epistolæ a fol. XX et proferuntur a signaturis a I usque ad R inclusive quinis ferme plagulis consertis subscriptum : « Explicit epistolæ gloriosi martyris Cypriani Cart. episc., quanta eloquentia quantaque doctrina inter cathol. doctores refulserit, epistolæ ejus splendidissime verborum ornatu sententiarumque ubertate optime testificantur. » Hinc novo signaturarum ordine A-D quaterniones sequuntur hac inscriptione :

Incipit prologus in libros beati Cypriani martyris contra Judæos editos. Qui quidem prologus est epistola quædam ad Quirinum scripta.

In fine libri :

Explicit liber tertius Cæcilii Cypriani gloriosi martyris, archiepiscopi Carthaginiensis, oratoris excellentissimi, ad Quirinum. In quo libro, sicut et in duobus prioribus, fides catholica contra Judæorum perfidiam et gentilium errores sacrarum Scripturarum testimoniis fortissime munitur et corroboratur. Deo gratias.

Characteres typorum similes esse iis quæ in editione Officiorum Ciceronis Moguntina, 1465, conspiciantur præter litteras paucas majusculas Deburius sen. qui accuratissime hanc editionem descripsit in *Cat. de la Bibl. du duc de la Val.*, tom. I, p. 151 sq. affirmat. Mediæ sunt inter gothicum et romanum characterem. Propter librum tertium Testimoniorum adversus Judæos ad hanc editionem adverti velim, cum vulgo primus ex cod. ms. monast. Gemblacensis emisisse existimetur Erasmus. Editio hæc adeo nec Erasmo innotuit nec editorum sequiorum ulli, præter Pamelium, qui quod ex comparatione annotatt. ejus ad tertium hunc librum discas, ut multi potius, qui manu versavisse ejus exemplar professi sunt, constanter duorum tantum adversus Judæos librorum mentionem faciant, aliosque etiam circumspectæ mentis viros in partes traxerint. Nimirum autem aliud hic latet; duplex exstat editio innominata, quarum alteram, quam jam descripsimus adhibitam seu cognitam dicemus editorum hactenus nulli; altera, de qua statim exponamus, omnium ore jactata, sed quia ne verbo quidem describeret aliquis, magnum errorem peperit. Pamelius, qui nihil amplius quidem retulit de ea, quam statim post inventam artem typographicam excusam videri, censet tamen multo Erasmi castigatiorem.

EDITIO INNOMINATA II. — Sine loco et anno, in-fol. Incipit ab indice contentorum inscripto :

Cæcilii Cypriani episcopi Carthaginensis et martyris dignissimi libri et epistolæ.— Incipiunt feliciter. Ad Donatum de Vanitatibus et Spectaculis (1). — Ad Demetrianum. — De pietatis Opere et Eleemosyna XIII. — Ad Fortunatum de Exhortatione martyrii. — De Zelo et livore. — De Bono patientiæ. — De Mortalitate. — De Habitu virginum. — Ad Cæcilium de Sacramento Dominici calicis (2).—Adversus Novatianum schismaticum de Ecclesiæ Unitate.—De Lapsis.—De Oratione Dominica. — Quod idola dii non sint. — De Singularitate clericorum (3).— De montibus Sina et Sion adversus Judæos (4). — Ad Anthonianum, de Cornelio et Novatiano (5). — Ad Thibaritanos Exhortatoria (6).— Ad Magnum, de his qui in lecto gratiam consequuntur (7).— Ad Quirinum, contra Judæos libri duo. Incipiunt Epistolæ Cæc. Cypr., etc.

In fine :

Expliciunt Epistolæ Cæc. Cypr., etc., nil amplius.

Character litterarum est gothicus, textus impressus est columnis sectis, signaturas habet plagularum quaternarum ab A. IIII. — R. III.

SÆCULO XVI.

1500.

ED. PARISIENSIS I. Parrhisiis, apud Jodocum Badium. Cypriani epistolæ et opuscula tractatus de Cardinalibus Christi operibus. De hac editione non nisi per conjecturas statuere licet. Commemorat Fabricius in Del. SS. pro Ver. R. Chr. p. 222, librum Cypriano adscriptum de Cardinalibus Christi operibus, etc., Paris. 1500 editum, nulla præterea, nec bibliopolæ nec typographi nec de editione ipsa mentione addita. Erasmus vero in annotatione ad eumdem librum editioni suæ insertum meminit « editionis Badianæ, in qua separatum habebatur hoc opus a reliquo volumine. » Jam Badius primum anno 1500, Parisiis librariam exercere librosque emittere cœpit (Maitt. t. II, 73). Colligo ergo Parisiensem illam, quam Fabricius notavit, editionem esse Badianam; nec vero istud solum opusculum, sed plura, forsan etiam epistolas Cypriani esse complexam; tamdiu autem a recensuedition um Cypriani eam sejungi velim, donec certius aliquid erit compertum.

1501.

ED. VENETA I. Venet., ap. Aldum., in-4°. Cypriani Carmen de Ligno Crucis : inter poetas Christianos (*Cat. Bibl. Casanat.*, tom. II, pag. 525).

CLASSIS II.

*Ab editione Remboltiana ad Erasmicas.*

1512.

ED. REMBOLTIANA. ED. PARISIENSIS, II. Parisiis, in-4°. Beatissimi Cæcilii Cypriani Carthaginensium præsulis, oratoris, verbique divini præconis eloquentissimi : ac trini uniusque Dei proclamatoris vehementissimi opera hinc inde recepta, et in unum vigiliis et sumptibus magistri

Bertholdi REMBOLT et Joannis WATZELOER, calcographorum

(1) Postea inter epistolas relatus a Pamelio n. 2, et in Bened., n. 1. Oxoniensis editor tamen inscripsit librum *de Gratia Dei*, p. 1, ubi videsis docta ejus annotata. SCHORNEMANN.

(2) Postea inter epp. relatus in ed. Pamel. et OXON. LXIII. SCHOEN.

(3) Postea Cypr. abjudicatus. SCHOEN.

(4) Cypriano abjudicatus postea. SCHOEN.

(5) Inter epp. relatus in ed. Pamel. LV, Oxon., LII. SCHOEN.

(6) Relatus inter epp. Pamel., LVIII, Oxon. LVI. SCHOEN.

(7) Epp. Pam. LXIX, Ox. LXXVI. SCHOEN.

Digitized by Google

peritissimorum ac veracissimorum, collecta et impressa : quorum distinctio fronte sequenti notatur.

Hæc in summa pagina, cujus maximam partem insigne Rembolti impressum, subjecto ad lectores tetrasticho occupat. In fine (fol. CLXXX) :

Beati Cypriani opuscula noviter Parrhisiis in Sole aureo vici sancti Jacobi impressa. Expensis magistri Bertholdi Rembolt et Joannis Waterloes. In intersignio sancti Georgii commorant. Anno Domini M. D. XII. Die vero XIII novembris.

Contenta hujus editionis ex tabula a tergo tituli impressa hæc sunt : Cardinalia Christi opera usque ad ejus ascensionem et de Spiritu S. (post Arnoldo Abbatis Bonæ Vallis vindicata).—Epistolarum libri IV. Primus liber habet epp. XII. Secundus XII. Tertius XXV. Quartus X.—Tractatus ejusdem sex. Primus in Demetrianum. Secundus, de Habitu virginum. Tertius, de Prælatorum Simplicitate, i. e. Unitate Ecclesiæ. Quartus, de idolorum Vanitate. Quintus de Montibus Sina et Sion adversus Judæos. Sextus, de Revelatione capitis Joannis Baptistæ. — Liber sermonum ejusdem beati Cypriani sermones sex continens. Primus, de Eleemosyna. Secundus, de Zelo et livore. Tertius, de Bono patientiæ. Quartus, de Mortalitate. Quintus, de Lapsis et jam coronatis martyribus. Sextus, de Oratione Dominica. — Ejusdem symboli Apostolorum expositio.—Libellus ejusdem ad Fortunatum, de Martyrii exhortatione. — Ejusdem lib. de Singularitate clericorum.—Ejud. lib. duo adversus Judæos ad Quirinum; primus, in XXIII cap. distinctus; secundus, in XXIX.—Passio ejus per Pontianum ejus diaconum edita.

Quæ † signo notantur, de novo accessisse putanda sunt, reliqua ex edit. Veneta anno 1483, desumpta videntur. Ita quidem, inquit Rob. Fortunatus Macloviensis in epistola in recommandationem operis præmissa ad Lodoicum Ruvicium (Rusicium v. Ruscium) Blesensem (data Parrhisii ex æd. Plesseiis ad kal. novembres) :

Adjiciendam etenim tuis illis quæ dediati Cardinalia Christi opera usque ad ascensum ejus ad Patrem, una cum ejusdem auctoris in Symbolum apostolorum expositione et per Pontianum ejus diaconum passione curavimus, aliquibus, uti de aleatoribus et cæteris paucis (quia parum sibi constabant) præsens in tempus omissis (1).

Nec tamen tractatus ille de Cardinalibus Christi operibus una cum illo de Spiritu S. qui folia XXXII occupare deberent (2), ut numeri adscripti significant, in nostro exemplari, certe non mutilo comparent, sed textus Cyprianici initium ab Epp. libro I, numeratur, fol. 1 sqq.—Quod reliquum est Guilielmus Potetus Biscutinus per vices Fortunati curam sustinens relegisse, emaculasse annotatiunculis, locorumque Bibliorum aliorumque ad marginem donasse dicitur, et excipit proxime quidem Fortunati epistolam hujus Poteti ad lectores carmen, quod deincepe sequitur aliud Hier. Alexandri, profess. Paris. in commendationem impressoris Rembolti..... ubi obiter impressores monentur officii..... tum Venetæ ed. præfatio Hieronymi et Lactantii de Cypr. testimonia. Summaria in epistolas et tractatus reliquos, denique indiculus rerum sub nomine *Emporiorum* Epistolarum, tractatuum, etc, et materiarum. Typorum character similis est fere eorum librorum characteri, qui apud Jo. Parvum prodierunt, sed paulo nitidior.

1519.

Ed. Basileensis I, Basilicæ in-fol. Hujus anni et loci editionem commemorat Sandius, unde et qualem, non expedio.

## CLASSIS III.

### *Editiones Erasmicæ.*

1520.

Ed. Basileensis II, Erasmica I, Basileæ ex officina Froben, in-fol. Opera sanctissimi martyris Cæc. Cypriani ep. Carth..... studio curaque D. Erasmi Roterodami.

Prodit Cyprianus (sunt verba Erasmi in præclara præf. ad Laurent. Puccium Card. D. Lovanii 1519, pridie kal. augusti, versus finem) et emendatior multo sublatis operæ nostræ mendis : et aliquanto purior, semotis iis quæ illi falso tribuebantur : et auctior, adjectis aliquot ex vetustissimis exemplaribus, quæ hactenus desiderata sunt. Postremo prodit opera Frobenii nitidior simul et augustior : prodibit autem et feliciter si T. R. D. nostræ industriæ favebit. Addita sunt ex vetustis codicibus.

Epp. ad Jubaianum, de hæreticis baptizandis (in ed. Pam. et Ox. ep. LXXIII). Ad Pompeium contra ep. Stephani (l. l. LXXIV). Ad Quintinum, de hæreticis et schismaticis baptizandis sententiæ episcoporum concilii Carthaginensis (l. l. LXXI).

Abjudicavit Cypriano, retinuit tamen ex edd. prioribus :

De montibus Sina et Sion, adv. Judæos.—De Revelatione cap. S. Joan. Bapt.— Expositio in symb. quod vocant Apostolorum.— De Singularitate clericorum.— Ad Corn. pap., de Cardinalibus Christi virtutibus.

His insuper adjunxit ex descriptis calamo libris, notha eadem :

Ad Moysen Maximum et cæteros, de Laude martyrii.—De Disciplina et bono pudicitiæ. — Ad Novatianum hæret., quod lapsis spes veniæ non est deneganda. — Duæ orationes S. Cypriani. — Sermonem B. Augustini de S. Cypriano mart.

Annotationes Erasmi admodum paucæ una cum duplici indice operum Cypriani, altero ordinis quo invicem se excipiunt, altero juxta litterarum ordinem digesto, nec non de Passione Cypriani per Pontium, cujus tamen ipsissimum opus non esse sed a recentiore quopiam ex ejus opere decerptum Erasmus monet, textui præmittuntur, cui alius insuper sententiarum index subjunctus est.

1520.

Ed. Erasmica II, Coloniensis I. ap. Henr. Alopecium.

1521.

Ed. Erasmica III. Ibid., ap. eumd. (mense novembri) in-fol.— Opera ab innumeris mendis repurgata, adjectis nonnullis libellis ex vetustissimis exemplaribus, quæ hactenus non habebantur, ac semotis iis quæ falso videbantur inscripta una cum annotatiunculis. Atque hæc omnia nobis præstitit ingenti laboro suo Erasmus Roterodamus, vir juvandis optimis studiis

(1) Bibliotheca nostra imperf. monasterii ad S. Georgium, p. t. in Villingen hanc Rembolti editionem possidet, in qua nihil omnino deest in fine, siquidem habetur integer tractatus de Cardin. Christi operationibus una cum illo de Spiritu sancto. Lumper.

(2) Exemplar nostrum non XXXII folia dumtaxat habet, sed XXXIII. Lumper.

Digitized by Google

natus. Hanc notavit Sandius, p. 42; pleno titulo laudavit Hamberger, p. 599, t. II, præter hos autem ab omnibus ignorata aut neglecta fuit.

1522.

Ed. Erasmica IV. Apud inclytam Coloniam. Jo. Soter excudebat mense martio, 2 vol. in-8°. Opera D. Cæc. C. E. C. Volumen primum ex recognitione Erasmi Rot. vol. II, varios complectens et tractatus et sermones, quorum tibi catalogum sequens exhibebit pagella, etc., etc.

1525.

Ed. Erasmica V. Ibid., per eumd. (mense februario) in-fol. Opera sanctissimi Mart. Cæc. Cypr. Episc. Carth., jam tertium habes, lector, a mendis repurgatiora, ex variarum editionum ac vetustissimorum codicum collatione, adjectis pluribus, quæ vulgata non fuerant, annotatis, quæ vel notha ferebantur, vel ambigua, studio curaque D. Erasmi Roterodami.

1527.

Haganoæ, S. Cyprianus de Eucharistia. (*Bibl. Barb.*)

1528.

Ed. Lugdunensis I. Lugduni, apud Seb. Gryph. 2 vol. in-8°. Fabric. 220.

1528.

Sine loco in-12. Cyprianus de Oratione dominicali. (*Mus. Brit.*)

1530.

Ed. Erasmica VI. Bas. ex off. Froben. in-fol. — Opera jam quartum accuratiori vigilantia a mendis repurgata per Des. Erasmum Rot. Accessit liber ejusd. apprime pius ad Fortunatum de duplici Martyrio antehac numquam excusus. (Cat. Bibl. du R. p. 365.)

Dicit Erasmus se hunc tractatum in vetustissima bibliotheca invenisse. Sed artificem hujus libelli ipsissimum esse Erasmum, ac ingenii sui opus subdidisse pronuntiat Henricus Gravius, cui assentire videntur Pamelius et Ceillierius. Certe hactenus nec bibliotheca, ex qua hunc libellum eruit Erasmus cognita cuiquam fuit; nec codex, quo se usum esse indicat, cujusquam in manus pervenit. Et res, et verba stylum Erasmi redolent, et quod suspicionem magis auget, nonnulla Scripturæ testimonia, ut observat Pamelius, ita prorsus in hoc libro, ut in aliis Erasmi elucubrationibus redduntur. Lumper, Hist. theolog. crit. PP., t. XII, p. 387.

1535.

Ed. lugdunensis. II. Lugd., apud Gryphum, in-8°, testibus Dupinio, Ceillierio et Lumper.

1537.

Ed. lugdun. III. Ibid., apud eumdem, in-8°, testibus DD. Nourrio, Marano, Ceillierio et Lumper.

*Eodem anno.*

Ed. erasmica. VII. Basileæ, ex off. Froben., 2 vol. Fabric. 220.

1538.

*Versio Germanica* I. Tractatus de Singularitate clericorum, qui vulgo inter Cypriani opera habetur, a celeberrimo Cochlœo Theodisce evulgata fuit, teste Ceillierio, qui autem nec locum nec formam editionis adnotavit.

1540.

Ed. Erasmica VIII. Bas., in off. Herwagiana, in-f° (Fabr. ib.). Hujus quatuor exemplaria c. mss. coll. in bibl. Baluziana erant.

1541.

Ed. Parisiensis III. Paris. ap. Arnulph. Langelerium. in-fol.—Editio fœde interpolata et contaminata licet repurgationem jactet in titulo eoque impudentiæ progressi sint curatores, ut Erasmi præfationi datæ Lovanii, 1519, subscripserint Paris. 1541. Pamelius hac de re queritur in annott. ad librum de Oratione Dominica, ad verba: Excusatio tibi nulla, etc., quæ leguntur etiam apud Caveum p. 129. Hujus exemplaria coll. c. mss. codd. exstabant in Baluziana.

1541.

Ed. Parisiensis IV. Paris., ap. Oudin. (Audoenum) Parvum, haud dubie in-f° (Bibl. Barb. Cat. ed. secunda).

1541.

Ed. Parisiensis V, Erasmica IX. Ibid., ap. Franc. Reynault. in-f°. — Ex ed. et cum ann. Erasmi. (*Cat. Bibl. Reg. p.* 365.)

1541.

Ed. parisiens. VI. Apud Nicolaum Guigant. in-f° (*Ceillier.*, III, p. 218).

1541.

Ed. Erasmica X. Antverp. in-8°. Cyprianus. (*Cat. Bibl. Mus. Britann.* Lond. 1787 in-f°.)

1541.

Ed. erasmica. XI. Basileæ, ex offic. Herwagii, laudante Nourrio.

1542.

Ed. Erasmica XII. Antverpiæ, exc. Jo. Crinitus. D. C. Cypr. Ep. Carth. et Martyris Opera, in duo tomos divisa. Est Coloniensis an. 1522, indicibus tamen exilioribus.

1544.

Ed. Erasmica XIII, vulgo Graviana. Coloniæ, ex officina typ. Petri Quentel, mense augusto. D. Cæc. Cypr. — Universa, quæ quidem exstare sciuntur, opera: jam novissime ex castigatione Des. Erasmi Roterod. diligentius multo quam hactenus umquam, exemplarium manuscriptorum subsidio a mendis vindicata. Cum accessione libelli Cypriano inscripti, eruditi admodum ac pii, de Martyrio duplici, ad Fortunatum. Accesserunt et annotationes Erasmi, non quidem unum in locum, præcipitatæ, sicuti hucusque factum est: sed suis quæque locis diversa characterum specie nunc primum insertæ: partim ut lector quærendi tædio levaretur, partim, ut commodius et acutius, quid sibi velint Cyprianus et Erasmus, quasi ex opposito inspiceretur. Et annotatiunculæ seu castigationes aliquot doctissimi utriusque linguæ viri Henrici Gravii, breves illæ quidem et paucæ, sed opportunæ tamen et eruditæ. Et index novus, copiosior longe vetusto illo et magis digestus, jam recens opera Bartholomæi Laurentis adjectus. Quid huic editioni tribuendum sit, facile sentient ii qui vel anteriores Cypriani edd. probe norint, vel hanc cum quavis conferre non fuerint gravati.

Digitized by Google

Erasmianarum annotat. aliquot tamen quia privatim suis locis aptari non volebant, ab initio seorsum cum castigationibus Gravii relictæ. Ad librum de dupl. Martyrio Gravius suspicatur: phrasim Erasmum ipsum aut quempiam Erasmo similem referre potius auctorem, quam Cyprianum. In eamdem sententiam ivit postea Pamelius alios etiam assentatores nactus. Errat vero Pamelius, dum utramque Frobenianam hunc librum proferre inquit, siquidem, ut suo loco professus est, versaverit editiones an. 1520 et 1525 (1)..... Baluzio auctore, non ipse Gravius hanc ed. curavit, sed alius, qui exemplari edito, conjecturis et variis lectionibus ex codd. mss. a Gravii manu notato uteretur. Quod ex totius editionis adornatione concludere mihi vir sagacissimus visus est quæ sane huic suspicioni favet.

1544.

Ed. erasmica XIV, Graviana II. Basileæ, in Quenteliana officina Henrici edita fuerunt eadem Cypriani opera, referente D. Nourryo nostro et post eum Lumper.

1544.

Ed. Lugdunensis IV. Lugduni, apud Gryph. in-8°, 2 voll. Vide superiores.

1546.

Ed. Veneta II. Venet., in-4°. Cypriani Exorcismi. (*Barb.*)

1547.

Ed. Veneta III. Venet., ad signum Spei, in-8° (Fabr. teste.). Opera adjectis ejusdem Carminibus de Cruce Redemptoris. (*Cat. Bibl. Chig.*)

1549.

Ed. Erasmica XV, Graviana III. Coloniæ, (in-fol. puto), ex ejusd. Gravii recensione. Fabricio teste.

1549.

Ed. Erasm. XVI. Basileæ, apud Froben., testibus Dupinio, Nourryo, Ceillierio et Lumper.

1549.

Ed. Lugdunensis V. In-8°, referentibus iisdem testibus.

1550.

Ed. Erasmica XVII. Basileæ, apud Herwagium, teste Nourryo.

1550.

Ed. Lugdunensis VI, in-8°, apud Gryphum, teste Dupinio et Ceillierio.

1553.

*Versio Germanica* II, a Melch. Ambachio in lucem prolata, sub hoc titulo : S. Cæcilii Cypriani, des alten Christl. Lehrers u. Bischofs Predigten u. Schriften mit Summarien u. Erklarungen etlicher dunkler Sprüche u. Worter, deren S. Cyprianus gebraucht, aus S. Cypriani selbst u. Anderer Christl. Lehrer Scriften erlaeutert. Zeugniss, urtheil u. Lob der fürnemsten Lehrer vom Leben, Lehre u. leiden S. Cæcili Cypriani, Norimb. — Non omnia scripta germanice exhibentur.

1554.

Ed. lugdunensis VII. Lugduni, apud Gryphum, in-8°, teste Marano.

1556.

Ed. lugdunensis VIII. Ibidem, in-8°, testibus Nourryo et Ceillierio.

1557.

S. Cypriani, liber de Unitate Ecclesiæ, cum annotationibus, itidem cum Augustini libro ejusdem argumenti, præmissa G. Calixti introductione, Helmst., in-8°.

1558.

Ed. Erasmica XVIII. Basileæ, apud Herwagium, in-fol., ex ed. et annotationibus D. Erasmi. Hanc laudant Dupinius, Ceillierius et Maranus.

1560.

Paris., forma non significata. Carmina de Genesi et Sodoma (*Barb.*).

1563.

Ed. Manutiana, Romana II. Romæ, apud Paul. Manutium Aldi F. in-f°. D. C. C. Ep. C. et gloriosissimi martyris Opera, ad veritatem vetustissimorum exemplarium summa fide emendata, addito etiam quinto epistolarum libro, antea numquam edito. Alia eidem Cypriano adscripta. Cum indice rerum ac verborum memorabilium maxima diligentia collecto.

Recensuit Latinus Latinius, adhibito vetustissimo codice ex Veronensi bibliotheca advecto, ac litteris capitalibus, ante annos mille exarato, aliisque mss. exemplaribus, de quibus singulis tamen affirmare non ausim, ad manum fuerint, in prima hac recensione, nec ne. Dominic. Macrus in Vita ejus : « Multis, inquit, vigiliis ac laboribus quam plurima collegerat ad illustranda loca aliqua obscuriora. Paraverat etiam quasdam annotatiunculas, in quibus, post varias codicum lectiones indicatas, quam ipse maxime esset secutus, significabat ; additus etiam ab eo fuit sincerus epistolarum liber, multa denique summa fide restituta fuerant. Sed, quia contra scriptorum codicum fidem, nonnulla retenta, aliqua addita, quam plurima immutata (operarum etiam incuria) considerabat, non est passus nomen suum a Manutio ullo modo in ed. adscribi, ne fidem suam vel levissime infirmaret. »—Recensuit deinde secunda vice ad edit. Pamelianam, quæ ejus curæ in Bibl. Sacra et Prof. pp. 174 sqq. exhibentur, in quibus satis de Manutio queritur, simulque ægre fert Manutio hujus editionis laudes a Pamelio tributas. Habet hæc ed. omnia quæ vulgata erant in Erasmianis et Gravii edd. præter Firmiliani ad Cyprianum epistolam contra epistolam Stephani papæ in Pamel. et Ox. n. 75, de quo Latinus Latinius in Bibl. p. 177, contra annotata Pameliana : « Ego Latinus omisi, inquit, non Manutius, cum majorum exempla secutus, tum hominis petulantiam detestatus. » Accessit autem de novo præter librum v epistolarum, qui xv constat, inter illa quæ adscribi Cypriano solent, dubiæ tamen fidei visa sunt, liber de Spectaculis, (1) tum Vita Cypriani per

(1) Nec in editione Frobenianæ 1521, nec in ea 525 quam utramque utpote in bibliotheca nostra exs antem, diligenter evolvi, laudatus tractatus de duplici Martyrio habetur. Lumper.

(1) Hujus rarissima esse exempla mss. Baluzius

Digitized by Google

Pontium conscripta, una cum Actu passionis, cujus ipse Pontius meminit et Passione Cypr., quæ in superioribus edd. exstabat et hic Paulo diacono tribuitur. Quod ad habitum hujus ed. externum spectat, nescio an splendidam potius quam nitidam dicere debeas; is certe typorum in epistola dedicatoria ad cardin. Borromeum — adhibitorum est honos et ἀκρίβεια ut vel summis, quibus hodie Italia gloriatur, contendere possis hujus artis monumentis; nec reliqui textus, minor licet, multo inferior est character. In bibl. Acad. exemplar cum collatione codd. Ver. Vat. Benevent., etc. exstat cujus olim possessor fuit Joseph Smith, consul Britannus apud Venetos. In bibl. Baluz. hujus exempla duo cum mss. collata exstabant.

1564.

Ed. Morelliana, Parisiensis V. Parisiis, apud Guil. Desbois, in-f°.—Opera omnia, veterum exemplarium collatione repurgata, editio aucta et observationibus illustrata, diligentia et labore Guiliel. Morellii. Præfatus est Hadr. Turnebus, restituta ep. Firmiliani, add. ep. IV int. Pamel. Præterea accessere adscripta Cypriano: liber de Aleatoribus, quem Cypriani esse vix dubitat Pamelius; Carmina: Genesis, Sodoma, ad Senatorem, de Pascha Domini. — Ad Vigilium Celsi in altercationem Jasonis et Papisci præfatio. — Adversus Judæos, qui insecuti sunt Christum. — De duodecim Abusionibus sæculi. — Dispositio cœnæ. — Hujus ed. septem exemplaria c. mss. codd. coll. in bibl. Baluziana habebantur.

1564.

Soli tractatus Cyprianici, post Leonis Magni opera, Parisiis, apud Claudium editi fuerunt, referente Nicolao Nourryo.

1565.

*Versio Gallica* I. Sermones S. Cypriani gallice reddidit Franciscus de Belleforest, teste eodem Ceillierio. Paris, in-8°.

1566.

Anonymi *Vita Cypriani*, Paris., in-8°, mentionem ejus faciunt Fabricius, Bibl. lat., vol. III, p. 584; Walchis, Bibl. Patrist., c. 1, § 6, p. 44; Ienæ, 1834.

1567.

*Vers. Italica* I. Tractatum de duplici Martyrio, inter S. Cypriani opera apocrypha, italice vertit D. Raphael, monachus Florentinus, additis Vita et Passione ejusdem sancti episcopi et martyris. Ex Argelato et Paitono, Florentiæ.

CLASSIS IV.

*Editiones Pameliænæ.*

1568.

Ed. Pameliana I. Antverpiæ, ap. viduam et hæred. Joan. Stelfii. in-f°. Opera..... jam denuo quam accuratissime recognita collatione facta editionum Pauli Manutii et Guil. Morellii ad exemplaria aliquot manusc. vetustissima, certoque ordine, habita temporum ratione in tres tomos nunc primum distincta.

monet, nec parum gloriatur duo sibi exemplaria contigisse, quod nemini editorum priorum. Schoenem. Annotationes Jac Pamelii..... toti operi sparsim interjectæ; quibus tum castigationum ratio et lectionum varietas obiter indicatur, tum quidquid ad antiquitatem ecclesiasticam pertinet, paucis explicatur. Ab eodem recens adjecta D. Cypr. Vita e scriptis ipsius collecta, et Scripturarum citatarum index locupletissimus desideratus hactenus. — Refrictum quo ex longo satis annorum spatio Pamelius Cypriano operam dederat, studium, dum primum in theologicis studiis esset occupatior, mox Gallica profectione impeditus, incendit ecce iterum duplex hujus scriptoris, quæ eodem pene tempore prodiisset P. Manutii et G. Morellii editio. Ac superavit quidem utriusque virtutes (egregia etiam ipsius laude mactatas, ita tamen ut Manutianæ primas daret), cum iterata et novis præsidiis adjuta textus cura; tum cæteris copiis, quas titulus pollicetur, primus Cyprianum instruxit ac decoravit, in primis argumentis præclaris et lucidis singulis libris ac epistolis præfixis, et industria qua singulorum libellorum ac epistolarum seriem chronologicam indagare studuit. Codd. usus est mss. plurimis ex omni fere Belgio conquisitis. Ex edd. antiquioribus præcipue innominatam I, de qua supra diximus, et Remboltianam evolvit. Latinus Latinius, cujus supra laudavimus curas secundas, nimium sæpe Manutii confisum esse correctionibus Pamelium censet. Ipse præter 700 et eo amplius locos restitutos in sola Scripturarum citatione marginali, ab innumeris insuper mendis perpurgatum Cyprianum sua opera prodire affirmat, ita, addit, ut sperem (si citra invidiam dicere liceat) nulla posthac ejus recognitione opus fore. Prævertit vero hac opera Jo. Harrisium Anglum, Th. Moro a secretis quondam, a quo invicem anteverti cupit in Tertulliano evulgando. Vitæ Cypriani a Pamelio conscriptæ præmissa sunt, quæ Pontii et Pauli diaconi nomine de vita ejus et passione feruntur, item Augustini oratio et Agobardi quædam de translatione corporis D. Cypr. in Galliam. — Ac cum tota editio divisa sit in tres tomos, primus epp. continet, numero LXXXIII, hac serie: 1° Epp. statim a Baptismo D. Cypr.; 2° in secessu ejusd. toto biennio; 3° sub pontificatu Cornelii et Lucii; 4° miscellaneas in pace Ecclesiæ variis temporibus; 5° sub pontificatu Stephani de baptizandis hæreticis; 6° in exsilio et sub finem vitæ conscriptas. Secundus, libros et tractatus varios numero XV. Tertius, Opera Cypriano adscripta. — Ac in contextu nonnulla quidem proprio arbitrio aut a se omissa aut posita esse Pamelius fatetur, nonnumquam etiam contra mss. codd. auctoritatem, et hac ingenua professione liberoque de Manutii ac Morelii mutationibus judicio malæ fraudis suspicionem a se amovit.

1569.

*Versio Italica* II. — Annibal Caro italo sermone donavit tractatum S. Cypriani de eleemosyna, impressum apud Aldum cum duabus orationibus S. Gregorii Nazianzeni pariter italice versis, teste Eudoxio Philenio. Venet, in-4°.

Digitized by Google

1572.

*Versio Italica* III. — S. Cypriani plures sermones a monacho Florentino italice versis cum aliorum SS. PP. orationibus et tractatibus, apud Junta, Florentiæ, in-4°, teste Ceillierio.

1574.

Ed. Pameliana II. Paris, ap. Nivellium, in-fol. Pameliana recusa; in Bibl. Balus. coll. c. mss. codd. manu Nic. Fabri.

1574.

*Versio Gallica* II. — Opera D. Cypriani in idioma gallicum a Jacobo Tigeon Andegavo, canonico Metensi, reddita et edita fuere, teste Ceillierio.

1574.

*Versio Gallica* III. — Tractatus D. Cypriani de Lapsis gallice transtulit Simon Goulartius, teste Ceillierio.

1575.

Ed. pameliana III, recusa Coloniæ Agrippinæ, in-f°, teste Baluzio.

1577.

*Versio Italica* IV. — Liber seu sermo de Mortalitate, sine anno, loco et typographi nomine, italice versus. Exstat, teste Eudoxio Philenio in bibliotheca Zeniana D. PP. habetur et in Rhetorica Jasonis de Norres et typis impressus Patavii.

1579.

Pragæ. in-4°. Cypriani dispositio cœnæ cum explicationibus. (*Cat. Bibl. Barb.*)

1589.

Ed. Pameliana IV. Antuerp., in-fol. recusa Pameliana, apud Bellerum.

1593.

Ed. Goulartii I. Paris., excudebat Jo. Le Preux, in-f°. eadem recusa, eadem cum inscriptione ac supra. Editio ultima prioribus emendatior, cui nunc primum accesserunt nova breviaria singulis Epp. et tractatibus præfixa; perpetuæ notæ ad marginem, quæ auctoris methodum indicant; responsiones passim interjectæ ad ea quæ Pamelius pro dogmatum pontificiorum confirmatione ex Cypriano et veteribus theologis protulit. Chronologiæ item et theologiæ Cypriani novus index, cum epistola dedicatoria Simonis Goulartii ad ecclesias in Hollandia et Zelandia collectas. (Cat. Bibl., Casanat. t. II, p. 523.) Cf. Possevin. App. S. T. I, p. 396, et Sand. Exstat etiam in Bibl. Leidensi, et in Mus. Britt.

De hac Goulartii editione Ceillierius et Baluzius sequens tulere judicium: ordinem Pamelii et contextum secutus est, sed de suo addidit longas et operosas ad legendum observationes, quibus Pamelium refellere et S. Cyprianum calvinistam facere conatus est.

1593.

Ed. Goulartii II. Genevæ, in-fol., cum notis Jac. Pamelii et Simonis Goulartii ad eas observationibus. Hæc exstat in bibl. Barberiniana (*Cat.*, t. I). Rom., 1687, 2 vol. in-fol.

SÆCULO XVII.

1600.

Thom. Jamesii *Cyprianus redivivus*, hoc est Elenchus eorum quæ in opusculo Cypriani de Unitate Ecclesiæ sunt addita, detracta lapsu typographico, alio quovis modo supposita; London, in-4°. — Ubi legendus est Andreas Rivetus, lib. II Critic. sacræ., cap. 14, t. II opp. Theolog., p. 1095.

1603.

Ed. Pameliana IV. Parisiis, in-f°, apud Sebastianum Nivellium (*Bibl. Barb.*, *t.* I. *Bibl. Bodl. Catal. edit. secunda*).

1603.

Ed. Pameliana Goulartii III. Parisiis, in-f°. Edit. Pamelii recusa cum observationibus Goulartii.

1603.

Cypriani de idolorum Vanitate, in-8°, sine loco (*Bibl. Barber.*)

1603.

Theod. Petrœii *Confessio Tertullianea et Cyprianea*, quatuor lib., Paris, in-8°, partium studio admodum laborans, inquit Walchius, Bibl. Patrist., cap. 9, § 94.

1607.

Ed. Pameliana V. Paris., in-f°, Apud. Seb. Nivell. Cf. ed. 1603.

1616.

Ed. Pameliana Goulartii IV. Paris. Apud Sebastianum Chapelet, cum annotationibus Goulartii, et Pauli Manutii, Guillielmi Morellii editionum ope emendata, teste Nourryo.

1617.

Ed. Pameliana, Goulartii V. Genevæ, in-f°, cum notis Goulartii et Pamelii, teste Ceillierio.

1617.

Ed. Pameliana VI. Colon., in-f°. Hanc editionem referunt Maranus et Fabricius. (*Bibl. Bodl.*)

1620-1664.

Hermanni Rothmanni *Theosophia* priscorum patrum Tertulliani et Cypriani, etc., quater sub variis titulis evulgata, Vitemb., in-4°. Cf. Annal. Tertullianeos in tom. I hujusce Biblioth., ad ann. 1620, 1636, 1655, 1664.

1625.

Ed. Pameliana VI. Paris, in-f°. (Tom. III *Bibl. Chig.*)

1629.

*Versio Germanica* III. — Tractatus D. Cypriani de Mortalitate, germanice versus per Ludovicum Lavaterum, sub hoc titulo: Traktætlein den heil. Cypriani von der Pestilenz. Tiguri., in-8°. (*Catal. Tigur.*)

1632.

Ed. Pameliana VII. Colon., in-f°. (Bibl. Barb.)

1632.

Ed. Pameliana VIII. Paris, in-f°. (*Dupin, Ceillier, Maran.*)

1632.

Cyprianus, de Unitate Ecclesiæ, cum mss. coll. et annott. illustratus studio Jeremiæ Stephani. (*Catalog. Bibl. Leidens. et Tigur.* t. III.)

1633.

Ed. Pameliana IX. Paris, in-f°. (*Bibl. Casanat.*)

1633.

De Bono Patientiæ, cum notis Jeremiæ Stephani, Oxon. in-8°.

Digitized by Google

1643.

Cyprianus, de Idolorum vanitate, cum observatt. Rigaltii. (*Bibl. Bodl. et Barb.*)

1644.

Ed. Pameliana Goulartii IV. Eam laudant Dupinius, Nourryus et Ceillierius.

1645.

*Versio Gallica* IV. Tractatus de Lapsis gallice redditus ab Arnoldo, seu gallice : *Traité des Chrétiens qui étaient tombés durant la persécution, traduit par M. Arnault.* (Catal. Bibl. Bunav., p. 50.)

CLASSIS V.

*Editiones Rigaltianæ.*

1648.

Ed. Rigaltiana I, Parisiensis XII. Lutet., Paris., ap. vid. Mathurini Dupuis, via Jacobæa, sub signo Coronæ. in-fol. — 1° S. C. C. opera Nicolai Rigaltii observationibus ad veterum exemplarium fidem recognita et illustrata. 2° Nic. Rigaltii Observationes ad C. C. Ep. et Tractt. Diss. anonymi scriptoris antiqui de Baptismo hæreticorum nunc primum edita ex Bibl. Remigiana. [1]

[1] Ad Epistolas et Tractatus, Rigaltius inquit, ostendi præcipua veteris scripturæ lineamenta, ab ipsius auctoris stylo servata fideliter in optimis exemplaribus Veronensi et Beneventano collatis olim a Marcello (II papa) et Antonio Augustino episcopo tunc Allifano : quæ in Cypriani volumine manu Car. Monchalli Tolosatum archiepiscopi summa diligentia ac fide descripta, perpetuo nobis usu fuere. Atque hic illa quidem in ipso Cypriani operum contextu repræsentari omnia debuisse non inficior; nec me hujusce consilii ambiguum fuisse umquam existimari velim; tristissime tuli, quod festinantibus operis typographicis adesse mihi non licuerit.

Observationes ergo, inquit Schœnemann, partim in lectionis varietate codd. laudatorum dijudicanda versantur, partim scholiorum vicem sustinent, quæ ut brevia sunt pleraque, ita frugi plenissima et a recto et eleganti judicio et egregia παῤῥησίᾳ conspicua. Accedit præterea in Tertullianum antea superioribus annis editum obss. spicilegium, et famosus ille *de Corporis Christi pulchritudine* tractatus. Ordo idem ac in Pameliana, quamquam non in tres tomos distincti sunt libri. Epistolam etiam primam seu fragm. epistolæ potius, quod primus vulgaverat Pamelius, omisit Rigaltius. Hujus ed. quatuor exempla c. mss. codd. coll. in Bibl. Baluziana exstabant.

De Rigaltii editione ita censet Dupinius : « Ad ejus exemplum D. Rigaltius, Tertulliano in lucem emisso, Cyprianum edidit, nihilque in ordine a Pamelio observato mutans, hujus auctoris opera tantum correxit ex duobus Italiæ manuscriptis, quæ de Monchal, archiepiscopus Tolosanus, ad marginem Cypriani sui adscripserat, notasque conscripsit ad loca difficilia explicanda, et observationes ad disciplinam horum temporum illustrandam ; harum observationum nonnullæ audaces quidem videntur, at eas in præfatione excusare conatur. Addit Remigius Ceillier, quod liberalis Rigaltii audacia, qua suis Commentariis loca quædam D. Cypriani prærogativas Romanorum Episcoporum stabilientia enervare studuerit, non paucos eidem adversarios conflarit, inter quos præcipue Albaspinæus, qui, teste Hugone Grotio (Epist. ad Salmas., p. 323), eumdem tamquam hæreticum denuntiasset, nisi mors ejusdem conatibus intervenisset. Male quoque audit apud theologos, quod Baptismum infantium traditionis esse apostolicæ inficiatus fuerit.

1649.

Ed. Rigaltiana II. — Ibid., apud eumdem, in-f°, repetita. C. ms. collata in Cat. Bibl. Bodl.

1650.

*Londini*, in-8°, Cypriani opuscula varia : Epistolæ, de Habitu et disciplina Virginum, de Lapsis, de Unitate Ecclesiæ, de Oratione Dominica, etc., inter Franc. Rous Mella Patrum, p. 843-944. (*Cat. Bibl. Bunav.*)

1664.

*Versio Gallica* V. D. Cypriani tractatus de Oratione Dominica et de Mortalitate, gallice redditi per Dominum Laval, i. e, per ducem de Luynes, teste Ceillierio.

1664.

*Versio Gallica* VI. Referente eodem Ceillierio, tractatus D. Cypriani de Eleemosyna habetur ad finem voluminis secundi abbatis San. Cyrani de Eleemosyna christiana, inter præfati abbatis opuscula.

1666.

Ed. Prioriana, Parisiensis XV. — Paris. ap. Jo. Dupuis, in-f°. Ex editione Rigaltii, cum ejusdem annotationibus integris Jac. Pamelii et aliorum commentariis seorsum antea editis. Accedunt M. Minucii Felicis Octavius ; Arnobii Afri lib. VII adv Gentes; Julii Firmici Mat. lib. de Errore profanarum Religionum; Commodiani instructiones adv. Gentium deos cum ejusd. Nic. Rigaltii notis, et variorum Commentariis ed. aucta et notis illustrata studio Philippi Priorii.

1667.

Ludov. Thomassini presb. congreg. Orat. *Dissertatio in synodos sub Stephano papa in causa Baptismi hæreticorum, Romanam, Carthaginensem*, etc., ann. Christi 256, 257, etc.; inter Dissert. in concilia tum generalia, tum particularia. Lutet. Paris., in-4°.

1669.

Sebast. Niemanni *Dissertatio de Libellaticis*, Ienæ.

1681.

Altorfii, typis et imp. Hen. Meyeri, in-4°, Cypriani et aliorum quorumdam ad ipsum vel in simili causa scriptæ Epistolæ XXCIII, ordine Pameliano locatæ, ex edit. Goulartiana in sectiones divisæ, et cum S. Augustini ad Cypriani argumenta de Baptismo hæreticorum responsionibus suo loco subjunctis, variis etiam Pamelii, Rigaltii, aliorumque lectionibus et conjecturis, ut et Gratiani in Decreto, Lombardi in libris Sententiarum, ac Thomæ Aquinatis in Summa theologiæ allegationibus in margine notatis, et aliquot denique utilibus judicibus seorsim editæ studio Lucæ Frid. Reinhardi, theologi in Universitate Altorf. P. P., etc. Textus uti ordo epistolarum est Pamelianus, additis in margine varietatibus omnium fere codd. apud Pamelium, Rigaltium et Goulartium obviis. Plurium mss. e Germania

Digitized by Google

obtinendorum desiderio se flagrasse, ait editor; omnes autem fautores, quos eo nomine interpellaret, eorumdem questos esse inopiam; accepisse tamen e bibl. Norimbergensi utendas editiones Romanam et Venetam 1471, et innominatam; quas saltem excutere debuisset curiosis, earumque varias lectiones disertius indicare. Hæc editio, judice Dupinio, nihil habet, qnod in aliis non inveniatur, nisi quod ex bene multis manuscriptis recensita sit.

CLASSIS VI.

*Editiones Oxonienses.*

1682.

*Oxonii, e theatro Scheldoniano*, in-f°, S. Cypriani Opera recognita et illustrata per Joannem Fellum Oxoniensem episcopum. Accedunt Annales Cyprianici, sive tredecim annorum quibus S. Cyprianus inter Christianos versatus est, brevis historia chronologice delineata per Joannem Cestriensem. Prima hujus editionis dos est, quod tractatus Cypriano suppositi et a prioribus etiam editoribus quasi gradu submoti et seorsim repositi, ita tamen, ut aut quæstionem de statu eorum intactam præterirent, aut pro aliquibus ipsi fidejuberent, ut Pamelius, prorsus sunt ex reliquo scriptorum numero eliminati; ne vero a quibusdam lectoribus desiderarentur universi, cum ineditis adhuc quibusdam aliis seorsim excudi curavit editor, tali etiam forma, ut cum geminis commode jungi possent. Quod ad genuina ista spectat, Epistolas novo ac longe a Pamelii dissidente ordine digessit; annotationibus, quæ commode a superioribus editoribus, in primis a Rigaltio, consignatæ erant, ipsis eorum verbis, charactere tamen peculiari descriptis suas addidit, de quibus fere nimis modeste sentit, admonens etiam lectores, ut, si cui forte Cypriani placitis videatur æquo addictior, reputent se notas ad Cyprianum non in eum scripsisse. Tutelæ quoddam genus suscipere editorem, nec propriam liberare fidem, nisi auctoris sui tueatur. Ad dispositionis laudes pertinet, quod insigni lectorum commodo textui variæ lectiones primum, deinde annotata subjiciantur; præterea textus ipse in breves paragraphos distinctus singulisque eorum sunt adjuncti indiculi marginales. Præter ea quæ titulus pollicetur, præmissi sunt Vitæ Cypriani indices Pameliani cum indicibus contentorum, quibus editiones Erasmi, Manutii, Pamelii et Oxoniensis inter se comparantur. De nitore et ornatu typographico hujus editionis monere supersedeo.

1684.

*Vers. italica* V. Tractatus adversus feminarum luxum excerptus ex libro de Disciplina et habitu Virginum italice redditus, teste Eudoxio Philenio, Romæ, ex typographia R. C. A.

1684.

*Dissertationes Cyprianicæ* ab Henrico Dodwell. A. M. Dubliniensi, Oxoniæ, e theatro Sheldoniano, in-12.

1688.

*Versio Gallica* VI. Selectæ D. Cypriani Epistolæ ad confessores ac martyres in idioma gallicum translatæ cum observationibus historicis atque moralibus a celeberrimo Lenfant, auctore Historiæ conciliorum Pisani, Contantiensis ac Basileensis. (*Catalog. bibl. Bunav.* Ceiller.)

1689

Joh. Clerici *Summarium vitæ S. Cypriani*, quod cum in illius bibliothecam universam XII, 212, translatum esset, separatim prodiit, non tantum gallice, Amstelod, in-12., sed etiam germanice in Clerici deutsch übersetzten lebensbeschr. einiger kircheuvæter, pag. 138.

1690.

Ed. Oxoniensis II. Bremæ, sumptt. Herm. Brauer, gymn. typograph. Oxoniensis ad unguem recusa. Subjunctis Dodwelli Diss. Cyprianicis.

1694.

Com. Danielis Frichii *de Libellaticis in Ecclesia vetere*; Lipsiæ.

1697.

Romæ, in-fol. S. Cypriani opusculum de Unitate Ecclesiæ catholicæ in Jo. Thomæ de Roccaberti Bibl. Max. Pontif. Rom., t. VI, p. 903-911.

1699.

Ed. Oxoniensis III. Amstelodami, ap. Jo. Lud. de Lorme, in-fol. Ed. tertia, cui additæ sunt Dissertat. Cyprianicæ H. Dodwelli. Repetitio Bremensi per omnia similis.

SÆCULO XVIII.

1700.

Ed. Oxoniensis IV, Amstelod., in-f°, eadem ac supra. (*Catalog. bibl. Casanat. t.* II.)

1709.

Cæcil. Cyprianus de idolorum Vanitate, cum notis Nic. Rigaltii et Jac. Gronovii, Lugduni Batavorum, cum Minutii Felicis Octavio, p. 392-401. Cat. Bibl. Bunav. et Tigurin.

1710.

Romæ, in-8°. S. Cæcilii Cypriani Testimoniorum ad Quirinum liber tertius in Institut. Theologic. antiquor. Patrum., t. II, p. 4-90, ex typographia S. Congregat. de Propag. fide, edente B. Josepho Maria Thomasio S. R. E. cardinali.

1716.

*Versio gallica* VII. Præ omnibus præclara cum hoc titulo : *Les Œuvres de S. Cyprien, évêque de Carthage et martyr, traduites en français par Pierre Lombard, avec des remarques; une nouvelle Vie de S. Cyprien, tirée de ses écrits, et une table des matières.* Rothom., in-4°.

1717.

*La Vie de S. Cyprien, docteur de l'Église, évêque de Carthage et martyr, dans laquelle on trouvera l'abrégé des ouvrages de ce Père, des notes critiques et historiques et des dissertations théologiques sur les différentes contestations de son temps.* Paris., in-4°. Opus hoc sine auctoris nomine ad publicum usum translatum est : illum autem D. Jacobi Gervasii esse omnes jampridem animadverterunt.

1717.

*Versio Anglica* I. Cyprianus, editus textu latino et versione anglica et notis a Nat. Marshallo, Lond., in-f°,

Digitized by Google

1719.

*Versio Gallica* VIII. Tractatus de Singularitate Clericorum, inter opera dubia S. Cypriani, gallice prodiit Paris., ap. Lottin., teste Ceillierio.

1721.

Parisiis., in-fol. Cypriani Epistolæ ad Cornelium et Stephanum, summos pontifices, et alia quædam in Epp. Rom. Pontif. per Petrum Coustant e congregatione S. Mauri. a p. 126.

1724.

*De Dissidio inter sanctum Stephanum et sanctum Cyprianum super Baptismate hæreticorum exorta dissertatio dogmatica*, ab auct. anonym. Paris., apud vid. Raymondi. Mazieres et Joh. Bapt. Garnier, via Jacob., sub signo Providentiæ, partim quidem a D. Lumper, t. XII Hist. theolog. critic. PP., ex integro vero tum in opere Soardi de suprema Romani Pontificis auctoritate hodierna ecclesiæ gallicanæ doctrina; Avenione, 1747; tum in hoc volumine novæ Bibliothecæ Patrum.

CLASSIS VII.

*Editiones Baluzianæ.*

1726.

ED. BALUZIANA I. Parisiis, ex typographia Regia fol. max. S. C. Cypriani Episcopi Carthaginensis et Martyris Opera omnia ad mss. codices recognita et illustrata studio et labore Stephani Baluzii, Tutelensis. Absolvit post Baluzium ac præfationem et Vitam Cypriani adornavit unus ex monachis congregationis S. Mauri (D. Prudentius Maranus).

Genuinis Cypriani scriptis spuria omnia sic adjungere instituerat Baluzius, ut habentur in editione Oxoniensi, omisso solum computo Paschali, ut tamen inter genuina referret de Spectaculis, de laude Martyrii et quod inscribitur Anonymi de Rebaptismate. Itaque textum variarum lectionum a superioribus editionibus congestarum et triginta fere novorum codd. mss. ope insigniter et multis in locis emendaverat, notisque instruxerat partim emendationum causas reddentibus, partim explicando sermoni, vel illustrandis rebus inservientibus. Absoluta jam erat plurima operis pars, duobus aut tribus foliis tractatus de Cardinalibus Christi operibus exceptis, cum subito mors in medio labore occupat. Cum igitur Marano in reliquis tantum esset elaborandum, et vicariam tantummodo operam se gerere sensisset (quippe qui, si nova Cypriani editio sibi fuisset adornanda, fatetur non pauca ex tam gravi sarcina se fuisse deoneraturum) retinuit, quia sic Baluzio visum, quidquid habuit editio Pamelii, sed ex iis quibus Angli Cyprianum onerarunt, Arnoldi B. V. elucubrationes (de opp. VI dierum, de laudat dat. B. Virginis et Meditationes) expunxit. Confessionis Cypriani, quam Angli latina interpretatione, pluribus locis hiulcam, innumeris aliis corruptam dederant, græcum textum ex bibl. comitis de Seignelay suppeditatum nova interpretatione substituta exhibuit. Spuria porro Cypriani opera, quæ Baluzius ita dare constituerat, ut habentur in Oxoniensi editione, quod plures nævos per ipsas crebras Cypriani editiones traxisse ea viderat, ad vetustas editiones et codd. mss. emendavit, variantibus ad marginem appositis. Baluzii contra emendationes, eo quod explicationibus et illustrationibus sæpe distinguuntur, separatim post textum subjiciuntur. Præfationis quoque loco Maranus de operibus, editionibus, doctrina et rebus gestis Cypriani prolixe disseruit, ita tamen ut sæpe ab Oxoniensibus discederet et receptis ab Ecclesia catholica placitis Cyprianum conformaret.

1727.

*Dissertation théologique sur la célèbre dispute entre le pape S. Estienne et S. Cyprien*, sine auctoris nomine data, D. Corgne adscripta.

1728.

ED. BALUZIANA II. Venetiis, recusa fuit Baluzii editio in-fol., teste Eudoxio Philenio in Tricaletii Bibl. Ecclesiæ PP. Latio donata.

1733.

Paris., in-fol. Carmen D. Cypriani ad Felicem, de Resurrectione Mortuorum in Bibl. Tigur., t. III, in t. IX Edm. Marten. et Ursini Durandi, VV. SS. et Monument. collect. ampl.

1733.

Fr. Raymondi Missorii *Disputationes criticæ* in duas celeberrimas epp. Firmiliani et Cypriani adv. decretum S. Stephani. — Ejusdem disputatio in epistol. ad Pompeium, inter Cyprianicas LXXIV, qua illam una cum aliis quinque et concilio Carthaginensi III hactenus pro Cyprianicis habitis nunc primum abjudicat ac Donatistis tribuit. Venet., in-4°.

1734.

P. Tourneminii *Conjectura* in iisdem epistolis. (*Mém. de Trévoux*, ann. 1734, pag. 2246.) Hanc doctissimi Patris conjecturam critico examini subjecit Malleville in opere cui titulus : *La Religion naturelle et la révélée établie*, etc. Diss. VIII, art. 8, p. 528.

1738.

Georg. Gottl. Preu *Dissert. critico-theolog., quæ Cypriani et Firmiliani epistolarum adv. Stephani I papæ decretum de hæreticor. Baptismo vindicias, oppositas Raymondo Missorio exhibet;* Ienæ, in-4°.

1741.

Fr. J. Henric. Sboralea ex libello contra Missorium ejusdem ordinis, germanam S. Cypriani et Afrorum, nec non Firmiliani et Orientalium opinionem de hæreticorum baptismate exposuit. Bonon., 1741.

1750.

J. F. Cotta *Exercitatio historico-critica qua conjectura Renat. Jos. Tourneminii*, etc., *examini subjicitur;* Tubing., in-4°.

1751.

Bononiæ, D. Cypriani Exhortatio ad pœnitentiam cum notis J. C. Trombellii, inter ejusd. Opuscula veter. Patrum Latin., p. 3-32, in-4°.

1751-1754.

F. J. Reuchlin Dissertationes tres, *de Doctrina Cypriani;* Argentor., in-4°.

1753.

De SS. Cornelio papa et martyre et S. Cypriano ep. et mart., inter acta SS. Bollandiana, ad diem XIV sept., t. IV, p. 143-350, auctore Constantino Suyskeno.

1758.

ED. BALUZIANA III. Venetiis, ex typographia Ilie-

Digitized by Google

ronymi Dorigoni in-fol., Opera omnia D. C. Cypriani. Est Repetitio editionis Baluzio-Maranianæ, sed mendis typographicis fœde maculata.

1759.

Florentiæ, expensis Antonii Zatta Veneti, in-fol., D. Cypriani Epistolæ ad Cornelium, Lucium et Stephanum summos pontifices, et alia quædam in Mansi collectione nova et amplissima Conciliorum, t. I, a p. 793 865, et p. 881-885, 928.

1760.

Longosalissæ, in-8°, sumpt. Jo. Martini. D. Cæcilii Cypriani de Idolorum vanitate liber recensitus et illustratus notis variorum selectis atque etiam suis a Jo. Gottlieb Lindnero, cum Minucii Felicis Octavio editus. Vide Acta Eruditor. Lips. an 1760, p. 275 et seqq.

1763.

F. E. Boysen *Acta inter S. Cypr. et Stephanum in disceptatione de hæreticis baptizandis;* Lips. et Quedlinb., in-4°.

1771.

Chr. Gfr. Muller *Programma observatt. in quinque loca Cypriani;* Geræ, in-4°.

1771.

Ant. Sandini Dispp. hist. in Vitas Pontificum Rom., disp. VII, VIII, in-8°, Ferrar.

1773.

Longosalissæ, in-8°. D. Cæc. Cypriani de Vanitate Idolorum liber, editio secunda Lindneri priori longe emendatior.

1782.

Ed. Baluziana V, in-8°, Wirceburgi, ex offic. Stahel., t. II, S. Cypriana opera. Curante Oberthür. Tomo secundo, præter tractatus Cypriano olim adscriptos ex Oxoniensi et Benedictinorum editionibus auctos etiam nonnullis, accesserunt Minucii F. Octavius et Novatiani opuscula. Consilium, quod secutus fuit cl. Oberthür hisce verbis ipsemet exponit: « Refert ea editionem Marani non quidem Parisinam illam anni 1727 (*corrige* 1726), nec Venetam anni 1728, sed alteram Venetam anni 1758, apud Hieronymum Doringonium, factam; cum priores, hac postrema certo meliores, ad manum non fuerint: hujus autem errores, quibus scatere eam fecit editor negligentior, magna prius impensa opera, et frequenti ad Parisiensem aliam Cypriani editionem per Rigaltium factam, quæ mihi præsto est, recursu, correxi, antequam nostro prelo eam recudendam darem: Marianam operum D. Cypriani recensionem, quam hic repeterem, Rigaltianæ prætuli, quia est ista novior, et locupletior, licet ad prodigalitatem usque, atque ita, ut confusum chaos variorum operum exhibeat, aliorum quæ Cypriano non ita certo attribui possint, aliorum quæ Cypriano potius abnegari sanior crisis jubet, aliorum quorum auctor ignoratur, aliorum quæ certis quidem a nostri tamen Cypriani ævo remotissimis auctoribus debentur: negotiique mihi non parum facesserit, quo selectum instituerem, quid ex hac farragine libellorum ad hanc novam editionem recudendum assumerem, quidve præterirem, secernens, ac quemdam inter selecta ordinem justum componerem. »

1784.

Ulmæ, typis Christ. Udalrici Wagneri, 12. D. Cæcilii Cypriani episcopi Carthag. et martyris opuscula de Lapsis, de Oratione Dominica et Bono Patientiæ, dominis confœderatis congregationis B. V. Mariæ in imper. monasterio S. Georgii Hercyniæ sylvæ in xenium oblata.

1790.

*Versio Germanica* IV. Vindobonæ, in-8°, cura CC. v. Hohenbalken, prodiit sub hac inscriptione: *Die Achten Werke der heilig. Cæcilius Cyprianus, Bisch. zu Carthago u. martyrer.*

1790.

F. Marcellini Molkenbuhr O. S. F. strictioris observantiæ binæ dissert: prima, *de S. Firmiliani Cæsariensis ep., epistola ad S. Stephanum, aliisque ejus operibus*, etc., monasterii Westphalorum, in-4°; secunda, *de S. Firmiliani anno emortuali.*

1791.

Dissertatio anonyma Francofurti et Lipsiæ data, sub hoc titulo: *Weder die christliche Religion, noch die romisch. katolische Kirche ist die alleinseligmachende.*

1791.

Dissertatio anonyma cui titulus: *Doctrine de S. Cyprien sur l'unité de l'Eglise et sur le schisme, appliquée au temps présent.* Paris., apud Dufraine, in Palatio, in-12, 111 pag.

1793.

Fr. Marcellini Molkenbuhr Dissert. XVIII: *Quod epistolæ S. Cypriani et quinque synodi Africanæ confictæ sunt.* Monast. Westphall., in-4°.

1794.

Ejusdem dissertatio critica XIV *de Eusebio Cæsariensi et S. Hieronymo interpolatis quoad S. Cyprianum et Dionysium Alexandrinum rebaptizantibus male annumeratos, ac de epistolis SS. Cypriani et Corneli ad hæresin Novatianorum et disciplinam recipiendi lapsos episcopos spectantibus*, in-4°. Monast. Westphal.

1796.

Epistolæ Cyprianicæ inter epist. RR. Pontificum D. Constantii ex editione C. Tr. Gottl. Schœnnemann, Gotting, in-8°.

1815.

Concilia Carthaginensia, in Reliq. sacr. auctorum secundi tertiique sæculi ad codd. mss. recensuit, notisque illustravit Martinus Jos. Routh, S. T. P. collegii S. Magdalenæ præses; Oxon., in-8°.

1818-1820.

*Versio Germanica* V, cura M. Feyerabend, Monach. IV, in-8°.

1822-1823.

Authentia epistolarum Cyprianicarum de Baptismo hæreticorum impugnata in *Litteras. Zeitung. F. Katholik Religionslehrer*, ann. 1822, fasc. VII, p. 79, 102; et ann. 1823, fasc. IV, p. 33.

1831.

Fr. Guill. Rettberg *Thascius Cæcil. Cyprianus Dargestellt nach seinem Seben und Wirken*, Gotting, in-8°.

1832.

S. Cæcilii Cypriani libri de Idolorum Vanitate, ac

Digitized by Google

Mortalitate sive de peste, de Opere et eleemosynis, de Zelo et livore, nec non et Firmiliani epistola..... recens, notasque suas et aliorum addidit Mart. Jos. Routh, S. T. P. coll. S. Magd. præses. Oxon., in-8°, ed. altera et auct. ibid. ann. 1840.

1834.

Fred. Schem *Excursus ad tractatum de Lapsis* una cum versione germ. ejusdem libri et aliorum trium. Monast., in-8°.

1835.

S. Cypriani opera in collectione selecta SS. Patrum, accurant. DD. Caillau et Guyon, Paris, incœpta et Mediol. translata, 2 vol. in-12.

1836.

S. Cypriani opera ad normam editionis Baluzianæ, semotis notis, ed. duplex, altera in-8°, altera in-12, separatim Paris et Vesont., apud Gauthier fratres et soc.

1838.

Ed. Lipsiensis. Th. C. Cypriani opera genuina ad optimorum librorum fidem expressa, brevique annotatione instructa, curante D. J. H. Goldhorn, t. 2; in-12 Lipsiæ, sumptibus et typis. Bernh. Tauchnitz jun.

1840.

Conr. Steph. Matthies *Expositio biblica, historica, dogmatica Baptismatis*, in-8°, Berolin.

1841.

*Versio anglicâ*, H. S. Cyprian's Treatises, 2 ed., Oxon., in-8°.

1841.

De Anabaptisticis Cypriani epistolis et synodis, sæcul. tertio in gratiam rebaptizantium habitis.

1842.

*Vita S. Cypriani* anglico sermone conscripta, auctore Poole, et in gallicum versa, cur. Fr. Z. Columbet Lugdun.

1844.

Nova edit. Baluziana et Oxoniensis.— Paris., curante J.-P. Migne, hujus bibliothecæ editore. Ex uno hujusce editionis conspectu in prima t. IV pag. præfixo quisque deprehendet quid editioni Baluzianæ addiderimus, quid amoverimus, vel mutaverimus. Addita porro fuere: 1° In toto textus Cyprianici decursu tum selectarum lectionum variarum spicilegia præcipue ex ed. Oxoniensi excerpta; 2° hinc et inde annotationes nonnullæ ex Pamelio, Fello, Routh, Godhorn mutuatæ; 3° In libro *de Idolorum Vanitate* uberior notarum seges ex editione Lindneri ad nostros usus adducta; 4° In opusculis dubiis notæ Pamelianæ ab Oxoniensi editore servatæ; 5° Opuscula tria, quorum a Baluzio unum omissum, nempe *de Pascha Computus*, in appendice apud Oxoniens. editus; alterum a J.-C. Trombellio primum in lucem scilicet S. Cypriani *Exhortatio ad Pœnitentiam* erutum; ultimum deinde, *Carmen, ad Felicem*, de Resurrectione mortuorum in *Veterum Script. et monum. amplissima Collectione*, t. IV, ab Edmundo Martene evulgatum; 6° Dissertatio D. Nicol. Le Nourry, magna rerum ubertate præstans, in Cypriani libros *ad Demerianum et de Idolorum Vanitate*; 7° Demum in ultima editionis coronide apposuimus satis multam copiam selectarum Oxoniensium et Routhii notarum, quibus exinde non tantum Baluziana, sed et in optima parte Anglicana editio in hac nostra rediviva exhiberetur.

Hæc autem vel alias ponenda, vel penitus omittenda duximus: 1° S. Cypriani Vita a Pontio diacono scriptam, Actaque proconsularia seorsim et infra, suo nempe anno dantur; 2° Epistolas Pontificis, sive Cornelii ad Cyprianum sive Cypriani et aliorum ad Romanos Pontifices, in hoc tertio tomo, ubi de SS. Cornelio, Lucio, Stephano, inserere debuimus, nec tamen monere toties lectorem, immo et omissa breviatim perstringere negleximus, quoties quicquam alias referre oportuit; 3° Epistolas Synodicas in eodem tomo, ac præsertim inter acta de Baptismate hæreticorum et concilia Carthaginensia seposuimus; 4° Duos anonymorum auctorum in eadem disceptatione scriptos libros ex opere Cyprianico amovimus, et alia dedimus; 5° Celsi cujusdam in altercationem Jasonis et Papisci de Judaica incredulitate ad Vigilium episcopum præfationem, quæ inter opera Cypriani ideo forsan præcipiti nimium judicio adoptata fuit, quod in codice Colbertino 1403 signato, hoc ejus initium sit: « Cyprianus Vigilio fratri salutem; » in tomis sequentibus, ubi integra hujusce disputionis acta dandæ sunt, emandavimus; 6° Expositio in Symbolum, quæ merito Ruffino Aquileiensi adscribitur, et tractatus de Operibus Christi cardinalibus, ab Arnaldo Bonnevallensi abbati aperte compositus, propriis suis auctoribus restituti in sua loca recedunt; 7° Carmina Genesis et Sodoma supra habes in Tertullianeis appendicibus.

Immo, ad hujusce editionis cumulum, ut videtur, accessit sive in hoc tertio, sive in quinto volumine longa rerum, monumentorum ac dissertationum series, tum nempe, quæ modo sequuntur, in coætaneos Cypriani Pontifices Romanos, in celeberrimam rebaptizationis causam instrumenta omnis generis, sive vetera, sive recentia, tum ea quæ operibus Cyprianicis proxime succedent, selectæ scilicet tres Henrici Dodwelli dissertationes; quibus, ni fallor, hæc nostra editio cæteris quæ usquedum prodiere, integrior et locupletior facillime evadit.

Sat ergo Cypriano, aliis quæ ejusdem ætatis Patribus datum. His proinde quasi valedicturi, lectoresque nostros extremum jam alloquentes, nil potius, nil sanctius habemus, quam, ut antea, cum de Tertulliano finem fecerimus, Deo Deique Parenti grates agamus, Ecclesiæque in terris matri amantissimæ, hanc qualemcumque opellam iterum dare, dedicareque audeamus; eo præcipue auxilio ac fausto numine fidentes, quod grata SS. Apostolorum Petri ac Pauli festivitate modo inchoanda, hæc absolvimus; quos idcirco nobis, nostrisque rebus ut boni adsint, nosque ac lectores nostros eodem patrocinio tutos et in columes servent, placidique ac felices in perpetuum juvent, enixe obsecramus.

Scribebatur Parisiis, IV kalendas julii, anno Domini M. D. CCC. XLIV. Editores.

Digitized by Google

SÆCULO III, CIRCA ANNUM CHRISTI CCIII.

# ACTA

# SS. PERPETUÆ ET FELICITATIS

## MARTYRUM.

# PROLEGOMENA

EX ACTIS MARTYRUM SINCERIS V. C. THEODORICI RUINART, PAG. 77, SQQ.

### SYNOPSIS.

I. *De horum Actorum editis et mss.*

II. *Perpetua et Felicitas an Tuburbitanæ?*

III. *Non Tuburbii, sed Carthagine martyrium passæ noscuntur.*

IV. *Tempus passionis inquiritur.*

V. *De horum Actorum auctore, seu potius collectore. An Tertullianus?*

A VI. *Non fuit Montanista: contra Valesium.*

VII. *Exploditur iterum commentum de auctoris montanismo.*

VIII. *De harum Martyrum cultu et memoria.*

IX. *Ejusmodi Acta adversus Samuelem Basnagium a viro doctissimo dudum vindicata. Quanti facienda sint. Acta proconsularia deinceps omittenda.*

I. Multum desiderata, et frustra in variis bibliothecis diu conquisita, Acta germana sanctarum Perpetuæ et Felicitatis, invenit tandem studiosissimus sacræ antiquitatis indagator, Lucas Holstenius, in codice ms. B sacri monasterii Casinensis: unde eruta et Romæ vulgata, eadem postea cum ejusdem Holstenii notis, Parisiis edidit Henricus Valesius. Nos vero ea proferimus ex duobus codicibus mss. cum eadem editione collatis: quorum unus est Ecclesiæ Salisburgensis; cujus codicis varias lectiones sapientissimi viri Antonii Faure, theologi Parisiensis et Remensis ecclesiæ præpositi, beneficio accepimus: alter vero qui ad annos 800 accedit, est bibliothecæ nostri monasterii sancti Cornelii Compendiensis. Invenimus etiam in schedis Mabillonii nostri excerpta ex iisdem Actis non contemnenda; sed e quo codice ea descripta sint, non indicatur. Porro in iis locis in quibus codices mss. inter sese vel ab editis dissident, et tamen utraque lectio ferri potest, varietatem in notulis apposuimus, ne C temere in tam pretioso Ecclesiæ monumento aliquid immutasse videremur. Eadem etiam cautela usi sumus, si quando in mss. codicibus ubi eadem Acta vitiata habentur, aliquid notatu dignum occurrit.

II. Tria inquirit eruditus Valesius in præfatione ad hæc Acta: primo, ubinam hæ mulieres sanctæ passæ sint; secundo, quo tempore martyrium consummarint; ac tandem quisnam horum Actorum auctor, seu potius collector fuerit: de quibus omnibus etiam heic paucis agendum est. Quod ad primum attinet, priusquam sincera harum martyrum Acta reperta fuissent, nemo fere in dubium revocabat quin eædem ipsæ fuerint quas sub *Sanctarum Tuburbitanarum* nomine varii auctores celebrabant. Id persuadebat, præter quorumdam, etiam veterum, martyrologiorum auctoritatem, Acta quæ sub Perpetuæ et Felicitatis nomine circumferebantur, in quibus eas Tuburbii passas fuisse disertis verbis expressum erat: et quamvis in his Actis nonnulla viris eruditis vitiosa ac depravata viderentur, nullus tamen de loco martyrii hactenus quæstionem moverat. Verum, quum Holstenianæ editionis occasione res exactius discuteretur, aliter viris doctioribus visum est, ac præ cæteris Henrico Valesio; qui, libratis quæ ex utraque parte afferri poterant momentis, has martyres, non Tuburbii, sed Carthagine martyrium consummasse asseveranter pronuntiavit. Hanc sententiam probat V. C. tum ex ipsis Actis, tum etiam ex antiquorum scriptorum auctoritate. Ex Actis evincitur has martyres proconsulari potestate damnatas fuisse; ac proinde, ut ait, non Tuburbii in Mauritania, quum in ea provincia nullum jus proconsules haberent. Verum, ut in nova editione Augustiniana observatum est, quum duplex fuerit Tuburbium in proconsulari provincia situm, atque in alterutra earum civitatum fortassis amphitheatrum esset, quumque ex iis una, *Tuburbium majus* dicerctur, parum valet ea Valesii ratio: nisi dicatur martyrologia fere omnia *Tuburbium in Mauritania* expressisse.



Digitized by Google

III. Certius est argumentum quod ex auctoritate veterum qui de sanctis Perpetua et Felicitate scripserunt, deducitur. Nam, præterquam quod Victor Vitensis eas « Carthagine in basilica majori sepultæ fuisse » affirmat (1), Prosper in *Chronico* Labbæano, Beda in libro *de sex Ætatibus Mundi*, immo et in *Martyrologio sincero* (quamvis illud quod sub ejus nomine circumfertur, aliter habeat), Regino, Rabanus in *Martyrologio*, aliaque bene multa martyrologia, cum edita tum mss., ut videre est apud Bollandianos ad diem VII martii, expressis verbis has sanctas martyres apud Carthaginem passas fuisse asserunt. Nec reponere juvat ab Augustino in Sermone XXXII, a Sirmondo edito, qui est novæ editionis CCCXLV, has martyres *Tuburbitanas* appellari : nam in codice ms. ex quo desumptus est iste sermo, non *Tuburbitanarum*, ut correxit Sirmundus, sed *Suburbitarum* legitur. Diceret forte aliquis eas *Suburbitanas* fuisse dictas, quod in suburbio Carthaginis passæ fuissent. Sed, etsi detur hunc locum recte a Sirmundo emendatum fuisse, nihil inde contra Valesii sententiam deduci potest. Fatetur quidem de Tuburbitanis martyribus hoc Augustinum agere; at negat plane eas esse Perpetuam et Felicitatem : de quibus alias sæpe agens Augustinus, numquam eas Tuburbitanas, sed proprio semper nomine *Perpetuam et Felicitatem* appellavit. Contendit vero vir eruditus *Tuburbitanarum* nomine hoc a sancto Augustino Maximam, Donatillam ac Secundam designatas fuisse, quæ quidem Tuburbii sub Valeriano et Gallieno imperatoribus passæ dicuntur. Et quidem id Valesii responsum confirmari posset ex vetusto kalendario Carthaginensi apud Mabillonium, ubi sanctarum Tuburbitanarum festum recolitur III kalendas augusti : quo die nusquam Perpetua et Felicitas; Maxima vero et sociæ in omnibus martyrologiis mortem obiisse referuntur.

IV. Diu non immorabimur in assignando tempore quo istæ beatæ martyres passionem consummarunt. Acta et martyrologia quæ eas sub Valeriano et Gallieno passas fuisse referunt, vel ex eo convincuntur falsi, quod Tertullianus qui in libro *de Anima*, Perpetuæ meminit, diu ante horum imperatorum tempus e vita excesserit. Melius itaque in Martyrologio genuino Bedæ aliisque antiquis, id martyrium ad Severi imperatoris tempus revocatur : quibus Acta sincera consentiunt; siquidem ibi (2) sanctæ martyres *die natali Getæ Cæsaris* bestiis objectæ sunt : quod anno Christi CCII aut sequenti, idibus martii, contigisse existimamus. D. Theod. Ruinart.

V. Inquirendum tandem quisnam fuerit horum Actorum auctor, seu potius collector, quum eorum maximam partem a Perpetua et Saturo scriptam fuisse nemo inficiari possit. Id opus Tertulliano attribuit auctor epistolæ Biturigibus scriptæ ad Henricum Valesium : quod ut probaret, collatis multis Actorum locis cum aliis Tertulliani operibus, ostendit eumdem omnino stylum, easdem loquendi formulas, ac etiam sæpius eadem verba in utrisque reperiri. An vero rem omnino evincat, alii judicabunt.

VI. At Valesio assentiri non possum, hæc Acta a Montani sectatore, quisquis ille fuerit, collecta fuisse existimanti. Id tamen certissimis indiciis colligere sibi videtur vir eruditissimus. Quæ quidem indicia hæc sunt, quod auctor illa novas prophetias recipere se profiteatur, et eas Veteris Testamenti prophetiis longe anteponat. Id probat ex collectoris ipsius verbis, qui sic in præfatione loquitur : « Itaque et nos qui sicut prophetias ita et visiones novas, pariter repromissas, et agnoscimus et honoramus. » Et paulo ante dixerat : « Sed viderint qui unam virtutem Spiritus unius sancti pro ætatibus judicent temporum, quum majora reputanda sint novitiora quæque ut novissimiora. » Verum, etsi hæc verba primo aspectu Montani errores sapere videantur, si tamen paulo accuratius dispiciantur, nihil in ipsis contineri nisi orthodoxum et fidei catholicæ plane consonum reperies. Non enim iste auctor visiones novissimas cum Scripturis canonicis, ut putavit Valesius, sed solummodo cum veterum martyrum visionibus et revelationibus comparat; asseritque non minori veneratione habendas esse quæ suo tempore, quam quæ priscis temporibus, id est primo aut secundo Ecclesiæ sæculo, contigerant : immo et aliquatenus has novas revelationes majori studio suscipiendas esse dicit, quum exempla eo efficaciora sint, quo magis præsentia : tum deinde quod hæ novissimæ visiones, quæ aliquando veteres futuræ erunt, aliqua auctoritate fulciendæ essent, ut a posteris crederentur. Id patet ex eadem ipsius auctoris tota præfatione, ubi ne unum quidem verbum de Scripturæ sacræ cum visionibus martyrum comparatione habetur : « Si vetera, inquit, fidei exempla... propterea in litteris sunt digesta ut lectione eorum, quasi repensitatione rerum, et Deus honoretur et homo confortetur, cur non et nova documenta æque utrique causæ convenientia et digerantur? etc. » Porro, etsi iste auctor harum martyrum visiones, ex iis quas Deus per Joelem repromiserat, existimaverit, non tamen inde consequitur quod eas Scripturis sacris æquipararit : sicut nec Ecclesia fidelium dicta vel scripta inter has Scripturas canonicas computavit, quamvis non dubitaret ab eo processisse a quo alii dantur genera linguarum, alii prophetiæ, alii sermo sapientiæ, aliis alia dona, quæ laudato Joelis testimonio prænuntiata et promissa fuisse certum est.

VII. Sed, ne fortassis aliquos moveant auctoris præfationis verba, qui eas visiones quasi divinitus inspiratas laudat, ea de re audiendus est Augustinus, qui, licet expressis, ut aiunt, verbis has Perpetuæ visiones a canone Scripturarum excludat (3), eas tamen « divinas revelationes » appellat, atque a fidelibus religione honorandas asserit (4). « Exhortationes earum, » inquit (Perpetuæ et Felicitatis), « in *divinis revelatio-*

(1) Vict. Vit., *de Persecut. Vandal.*, lib. I, cap. III, pag. 5, edit. Paris. 1694.

(2) *Acta Passion.*, etc. cap. 16.

(3) Aug. lib. I *de Anim. et ejus origin. ad Renat.*, cap. 10, num. 12, et lib. III, *ad Vincent.*, c. 9, n. 12.

(4) Id., *Serm.* I, nov. edit. 280, tom. V, pag. 1154.

Digitized by Google

*nibus*, triumphosque passionum cum legerentur, audivimus; eaque omnia verborum digesta et illustrata luminibus aure percepimus, mente spectavimus, religione honoravimus, charitate laudavimus. » De iisdem visionibus pluribus aliis in locis agit Augustinus, quas in ecclesia publice lectas fuisse testatur (1). Sed tandem, ut uno verbo rem conficiam, qua ratione hæreticus et Montani sectator, ad communionem cum his feminis servandam suos adhortaretur, quas in catholicorum quos Psychicos vocabant, communione obiisse sciebant? Nec id poterant ignorare ii ad quos hæc auctor scribebat, siquidem eos qui martyrio præsentes fuerant, alloquitur: « Annuntiamus, inquit, vobis, fratres et filioli, ut et vos qui interfuistis, rememoremini gloriæ Domini, etc. » Sed de his satis. Jam paucis de illis quæ in harum martyrum laudes a variis auctoribus dicta sunt, agendum est (2).

VIII. Celebris semper fuit in Ecclesia, præsertim Africana, sanctarum Perpetuæ et Felicitatis memoria; in quarum die natali tres tractatus sanctum Augustinum habuisse testatur Possidius in *Indiculo*, qui in nova editione sunt Sermones CCLXXX, CCLXXXI et CCLXXXII. Aliquamdiu hæsi an hos sermones integros huc proferrem: at, quum in omnium fere manibus habeantur Augustini opera, visum est satis si, iis omissis, ea quæ ad Acta peculiarius referuntur, in notulis ad textum adnotarem. Pluribus aliis in locis de iisdem martyribus earumque sociis agit idem sanctus Doctor. «Fortissimæ Perpetuæ et commartyrum» meminit Tertullianus lib. *de Anima*, cap. 55, ut jam diximus. Omnia martyrologia earum festum ad diem VII martii referunt, qua die hactenus apud nos celebratur. Memorantur præterea earum nomina in canone Missæ Romanæ, in vetustissimo Sacramentario Gallicano, quod edidit noster Mabillonius. Item in canone Missæ Sacramentarii Gregoriani, quamvis harum sanctarum festivitas inter alias ibi notatas non habeatur, quod fortassis ea tempore Quadragesimæ contingat. Abest etiam a vetustissimo kalendario Mabilloniano ecclesiæ Africanæ: sed, quum ex Augustino certum sit earum festivitatem ejus tempore celebratam fuisse, dicendum quod, si in eo *Tuburbitanarum* nomine non designentur, kalendarium istud integrum non sit, in quo revera februarii dies duodecim ac martius et aprilis menses integri desiderantur. Quod autem earum festivitas etiam primis temporibus Romæ celebrata fuerit, patet ex missali Gelasii et ex antiquo martyrologio Bucheriano, ubi hæc habentur: « Nonis martii Perpetuæ et Felicitatis Africæ. » Idem habent cætera martyrologia, cum vetera, tum recentiora. Celebrantur cum sociis in Menologio Græcorum Basilii imperatoris die II februarii. Harum reliquiæ tempore Vandalicæ persecutionis ex Africa Romam delatæ dicuntur, quas postmodum exinde Rodulfus Biturigensium archiepiscopus accepit sæculo IX, easque in monasteriis Doverensi et Bellilocensi, ab ipso conditis, deposuit. Certe hodieque monachi Benedictini, qui, destructa Dovera, Virsionem migrarunt, se beatæ Perpetuæ reliquias habere gloriantur.

Sed jam ipsa Acta proferenda sunt: quæ quantum ex nostris codicibus emendatiora prodeant, quisque, si ea cum editis conferre voluerit, facile animadvertet. Id certe spernendum non est, quod *Saturnini* nomen et martyrium eorum ope restituerimus. Huc usque Cl. RUINARTIUS.

(1) Id. *Serm.* 282.
(2) Mabil. tom. I *Mus. Ital.*

# PASSIO [a]

## SANCTARUM MARTYRUM

# PERPETUÆ ET FELICITATIS.

(Acta sinc. Martyr. D. Ruinart, p. 77 sqq. Acta SS. Boll. Mart. III, 633. Galland. Bibl. Vett. PP. t. II, p. XXIII-174).

## PRÆFATIO.

Si vetera fidei exempla, et Dei gratiam testificantia et ædificationem hominis operantia, propterea in lit-

### LECTIONES VARIANTES*.

[a] Passionis *nomen retinemus, quod in his actis competere probat Holstenius. In cod. Salisburg. additur* in civitate Turbitana. *Sed in eo cod. deest præfatio, sicut et in Compendiensi.*

### VARIORUM NOTÆ.

*Passio SS.* In ms. Casinensi nullus apparet titulus: ideoque hactenus curiosos scrutantium oculos elegantissimum hoc sacræ antiquitatis monumentum subterfugisse existimo. Ego Augustini auctoritate *Passionem* inscripsi; ita enim ipse vocat locis supra relatis in Psal. XLVII. et Serm. 3. prout sine dubio tunc in fronte multorum exemplarium hujus Opusculi quæ passim exstabant, legebatur et solebant illic similia scripta sic inscribi, ut intelligimus ex martyrio S. Cypriani a Pontio Diacono descripto, et aliis id genus. Si quis tamen Græco nomine *Martyrium* appellare malit, habet in hac ipsa narratione unde conjecturam suam fulcire possit. HOLSTENIUS.

* *Lectiones variantes* desumuntur ex edit. D. Rui-

Digitized by Google

teris sunt digesta, ut lectione eorum, quasi repensitatione rerum, et Deus honoretur et homo confortetur; cur non et nova documenta æque utrique causæ convenientia et digerantur? vel quia et hæc vetera futura quandoque sunt et necessaria posteris, si in præsenti suo tempore minori deputantur auctoritati propter præsumptam venerationem antiquitatis. Sed viderint qui unam virtutem Spiritus unius sancti, pro ætatibus judicent temporum, quum majora reputanda sint novitiora quæque ut novissimiora, secundum exuberationem gratiæ in ultima sæculi spatia decreta. *In novissimis* enim *diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem; et prophetabunt filii filiæque eorum. Et super servos et ancillas meas de meo Spiritu effundam: et juvenes visiones videbunt, et senes somnia somniabunt* (*Joel*, II, 18, 19; *Act.*, II, 17, 18) Itaque et nos qui sicut prophetias, ita et visiones novas pariter repromissas et agnoscimus et honoramus, ceterasque virtutes Spiritus sancti ad instrumentum Ecclesiæ deputamus, cui et missus est idem omnia donativa administrans in omnibus, prout unicuique distribuit Dominus, necessario et digerimus, et ad gloriam Dei lectione celebramus; ut ne qua aut imbecillitas aut desperatio fidei apud veteres tantum æstimet gratiam divinitatis conversatam, sive martyrum, sive in revelationum dignatione: cum semper Deus operetur quæ repromisit, non credentibus in testimonium, credentibus in beneficium. Et nos itaque, quod audivimus et contrectavimus annuntiamus et vobis, fratres et filioli, ut et vos qui interfuistis, rememoremini gloriæ Domini, et, qui nunc cognoscitis per auditum, communionem habeatis cum sanctis martyribus, et per illos cum Domino Jesu Christo, cui est claritas et honor in sæcula sæculorum. Amen.

INCIPIT PASSIO.

## CAPUT PRIMUM.

ARGUMENTUM. — *Apprehensis sanctis, S. Perpetua patrem vincit, cum aliis baptizatur, detruditur in tetrum carcerem; sollicita de infante, ex visione sibi facta, scalæ in cœlum erectæ, et ascensus S. Saturi et sui, et buccellæ oblatæ, intelligit martyrium propediem futurum.*

I. Apprehensi sunt adolescentes catechumini, Re-

## VARIORUM NOTÆ.

narii inter *Acta sincera Martyrum*, pag. 77 et seqq. *Annotationes* vero tum ex eodem Ruinartio, tum ex posthumis Lucæ Holstenii notis ex ejus *Adversariis* excerptis, tum demum ex brevioribus P. Possini e soc. Jesu ad easdem notas Paralipomenis. EDD.

*In litteris sunt digesta.* Legerem libentius *in litteras*. Sic enim Pontius principio Libri de Passione S. Cypriani: *Operibus ejus ac meritis etiam hæc prærogativa debetur, ut exemplum suum in litteras digeratur;* ubi minus recte editum est, *dirigatur*. HOLST.

*Minori deputantur auctoritati.* Sic Tertulliani lib. *de Pœnit.*, cap. 3: *Id peccato deputandum, a quo Deus arcet.* Et mox ibidem: *Quæ delicto deputanda sunt.* Idem lib. *de velandis Virginibus: Sed nolo hunc morem veritati deputare.* Et adversus Hermogenem cap. 11: *Quæ malo deputantur secundum mali statum computantur.* Tum ibid., cap. 13: *Jam nec bona ipsa Deo deputabuntur.* Et cap. 25: *Materia apud Hermogenem in originem et causam malorum deputatur.* De Idololatria, c. 10: *Necessitas ad excusationem deputatur.* Denique libro I, *ad Uxorem*, cap. 4: *Jam in terris de familia Angelica deputantur.* HOLST.

*Novitiora quæque ut novissimiora.* Tantum in his sibi licere Africani voluerunt. Sic apud Tertullianum *extremiora* et *extremissimi* non semel leges. Sic apud Apuleium, *postremissimus*, et *novissimo extremius*. Apud Arnobium, *minimissimus*. HOLST.

*Prophetias ita et visiones novas.* Testatur Irenæus apud Eusebium lib. V, cap. 7, visiones et prophetias in Ecclesia suo tempore multis fuisse concessas: quod idem de suo docet Dionysius Alexandrinus apud eumdem Eusebium, cujus ex illustri loco, lib. V, cap. 3, ubi de Montano, constat viguisse primis Ecclesiæ temporibus inter Christianos, præter alia charismata, etiam prophetiam: ex quo usu videtur Montanus hæresiarcha fiduciam sumpsisse vocandi doctrinam suam, novam prophetiam. HOLST.

*Virtutes Spiritus sancti ad instrumentum Ecclesiæ deputamus.* Hic usus vocis *Instrumentum* Africanæ ac Tertullianeæ consuetudinis est. Ita enim Tertullianus lib. *de Fuga in persecutione*, c. *Diaboli iniquitatem ad instrumentum persecutionis* esse ait. Idem lib. *de Pœnit.* cap. *Instrumentum Pœnitentiæ, metus.* Lib. *de Patientia*, cap.: *Instrumentum sustinendi, Patientia.* Lib. II. *de Cultu feminarum*, cap.: *Instrumentum Pudicitiæ, gravitas.* Lib. I. *ad Uxorem*, cap.: *Nobis continentia ad instrumentum æternitatis demonstrata est a Domino.* Lib. *de Baptismo* agens de aquæ elemento: *Quanta vis ejus aut gratia? quot ingenia, quot officia, quantum instrumentum mundo ferat?* Denique *Apologetici* cap. 17. *Deus totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum de nihilo expressit.* HOLST.

*Omnia donativa administrans in omnibus*, etc. Locus expressus ex Paulo I *Cor.* XII, 4, ubi de Charismatis disserit, quæ noster heic *Donativa* vertit, hac quoque in re Tertullianum referens. Is enim lib. V, *adversus Marcionem* cap.: *Data dedit filiis hominum, id est donativa, quæ Charismata dicimus.* Et lib. I *ad Uxorem*, cap.: *Extendamur in priora, et meliorum donativorum sectatores simus.* Ita enim præstantissima illa editio Nicolai Rigaltii legit. Sic lib. *de Resurrect. carnis* vertit illud ad Rom. VI. 3. *Stipendia delinquentiæ, mors; donativum autem Dei vita æterna:* quod ab Imperatorum liberalitate et re militari deductum nemo est qui ignoret. HOLST.

*Sive Martyrum, sive in revelationum dignatione.* Frequentissima apud Tertullianum et Cyprianum, aliosque ejus ævi Africanos Scriptores, *Dignationis* vox pro gratia, quam Deus conferre aut præstare dignatur. Pontius in Vita S. Cypriani: *Finge enim tunc illum Martyrii dignatione translatum.* Ibidem post visionem S. Cypriano in exsilio ostensam, subjungit: *Quid hac revelatione manifestius? quid hac dignatione felicius? Et infra: Sed crastinus dies ille quem ante annum dignatio divina prædixerat.* Ita Cyprianus ipse non semel lib. IV. Epistola VII, XXV et XXXIV. Item libro *de Mortalitate*, ubi sic legitur: *Non est in tua potestate, sed in Dei dignatione martyrium.* Et serm. V de Lapsis: *Corona de Dei dignatione descendit.* Idem alibi Tertullianus *de Patientia* cap. 11: *Gratulari et gaudere nos decet dignatione, divinæ castigationis.* Et de *Cultu feminarum* cap. 2. *Nam et vobis.... eamdem judicandi dignationem pollicetur. De Baptismo* cap. 18. *Si Philippus tam facile tinxit Eunuchum, recogitemus manifestam et exsertam dignationem Domini intercessisse.* Et mox: *Dei dignatio suas præmittit prærogativas.* Ita eodem lib. cap. 3. *Præscriptionum adv. Hær.* cap. 31. *De Patientia* cap. 4. Lib. *adv. Judæos* cap. 1. etc. HOLST.

*Non credentibus in testimonium, credentibus in beneficium*, etc. Sic Tertullianus *de Anima* cap. 51: *Ubique Deus potestatis suæ signa proponit; suis in solatium, extraneis in testimonium.* HOLST.

CAP. I. — 1. *Adolescentes catechumini.* Sic in vetusti

Digitized by Google

vocatus et Felicitas conserva ejus, Saturninus [a] et Secundulus. Inter quos et Vivia [b] Perpetua, honeste nata, liberaliter instituta, matronaliter nupta, habens patrem et matrem et fratres duos, alterum æque catechuminum, et filium infantem ad ubera. Erat autem ipsa annorum circiter viginti duorum. Hæc ordinem totum martyrii sui jam hinc ipsa narrabit, sicut conscriptum manu sua et suo sensu reliquit.

II. « Cum adhuc, inquit, cum persecutoribus esse- « mus [c], et me pater avertere [d] et dejicere pro sua affec- « tione perseveraret : « Pater, inquio, vides, verbi « gratia, vas hoc jacens, urceolum, sive aliud ? » Et « dixit : « Video. » Et ego dixi ei : « Numquid alio nomine « vocari potest quam quod est? » Et ait : « Non. » « Sic « et ego aliud me dicere non possum, nisi quod sum « Christiana. » Tunc pater motus in hoc verbo, misit

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *In edit. deest* Saturninus.

[b] *Hunc locum ex nostris codd. restituimus. Editio habebat :* Inter hos et Ubia Perpetua, honesta, liberaliter educata, matrona licet nupta.

[c] *Holst.* essem.

[d] Evertere cupiret *Holsten.*

## VARIORUM NOTÆ.

membranis Casinensibus scriptum reperi : atque ita in Mombritii Sanctuario passim editum legitur. Neque aliter fortassis eo sæculo proferebant hujus modi voces. Sic apud Optatum Milevitanum *Fluminus* legitur. Cæterum apposite ad rem nostram Pontius Carthaginiensis diaconus in Vita S. Cypriani : *Majores nostri plebeïis et catechumenis martyrium consecutis, tantum honoris pro martyrii ipsius veneratione dederant, ut de passionibus eorum multa, aut prope dixerim pene cuncta conscripserint, ut ad nostram quoque notitiam, qui nondum nati fuimus, pervenirent.* Quo loco plebeii accipiendi sunt laici, nullum in clero ordinem adepti. Sic enim paulo inferius idem Pontius : *Multa sunt quæ adhuc plebeius, multa quæ jam presbyter fecit.* Videtur autem Pontius hæc ipsa, aliaque his similia Acta innuere. Id saltem liquet, ecclesiam Africanam sedulo in hoc operam dedisse, ut gloriosa sanctorum martyrum facta ad posteritatis memoriam transirent. Porro non ad extenuandam, sed augendam martyrum nostrorum gloriam facit, quod fidei christianæ rudimenta vix dum edocti, et religionis nostræ tirones, tam strenue conciasse memorantur. Ita Lugdunensis ecclesia apud Eusebium, lib. v, cap. 1, summopere laudat Maturum νεοφώτιστον μέν, ἀλλὰ γενναῖον ἀγωνιστήν. Et lib. VI, cap. 4, ab eodem Eusebio commemorantur Martyres ex Origenis ludo Heraclides et Hieron, ὁ μὲν πρότερος ἔτι κατηχούμενος, ὁ δὲ νεοφώτιστος, *alter adhuc catechumenus, alter recens baptizatus.* Quibus et Rhais catechumena ibidem accensetur, quam Origenes dicebat Baptismum ignis consecutam esse. Sed egregie de Catechumenorum martyrio loquuntur Constitutiones Apostolorum, lib. v, cap. 5, Ὁ δὲ ἀξιωθεὶς μαρτυρίου χαιρέτω τὴν ἐν Κυρίῳ χαρὰν, κἂν κατηχούμενος ᾖ, ἅγιος ἀπίτω· τὰ γὰρ πάθη. τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ, ἵστατι αὐτῷ γνησιώτερον βάπτισμα, ὅτι αὐτὸς μὲν πεῖρᾳ ἀπολύσκει τῷ Κυρίῳ, οἱ δὲ λοιποὶ τύπῳ. Hoc est : *Qui autem dignatus martyrio est, gaudeat in Domino, et quamvis catechumenus sit, securus abeat ; passio enim pro Christo tolerata, erit ei verius Baptisma : quoniam ipse quidem re ipsa moritur Domino, cæteri autem in figura.* HOLST.

*Matronaliter nupta.* Circumstantia matrimonii, præsertim in muliere, augere videtur meritum et pretium martyrii, propter impedimenta quæ hic status peculiaria objicit in tali discrimine. Quare Tertullianus, lib. I ad Uxorem, ait tempore persecutionum *onera* matrimonii esse *plurimum importuna et fidei periculosa ; cur enim Dominus de prægnantibus et nutricantibus cecinit, nisi quia filiorum impedimenta*, etc., significans sive in utero, sive in ulnis mulieres prolem habeant, multum ejus charitate retardari a necessaria tali tempore alacritate offerendi se ad mortem. Quare quod hæ duæ sanctæ mulieres, Perpetua et Felicitas, altera in alvo, altera in uberibus, filios haberent, magis heroicam utriusque fortitudinem arguit : quæ forte causa fuerit, ut cum eadem occasione Revocatus, Secundulus, etc., martyrium consummarint ; Ecclesia tamen solarum Perpetuæ ac Felicitatis memoriam peculiari honore prosecuta sit. Sed ut ad Tertullianum revertamur, pergit is ibidem obstaculorum respectu, quæ mulieribus matrimonium in occasione martyrii objicit, uxorem dehortari a secundis nuptiis post suum excessum ; eo quod, ut ait : *Viduæ ad quamcumque pressuram persecutionemque perferendam magis expeditæ sint ; nulla in utero, nulla in uberibus æstuante sarcina nuptiarum.* Quare quæ tot retinaculis abruptis, liberæ et expeditæ per calcatam patris, viri, prolis charitatem, ad Crucis tropæum cucurrerunt, haud paulo laudabilius heroicæ fortitudinis exemplum præbuisse visæ sunt. Quæri heic potest, cur viri Perpetuæ mentio in his Actis nulla sit ? an quod is christianus erat, ut ex paulo inferius scriptis ab ipsa Perpetua recte videtur colligi ? an quod muliere gravioris criminis comperta, dissolutum tunc matrimonium censebatur ? ut innui videtur lege 5 ff. de bonis damnatorum. HOLST.

*Infantem ad ubera.* Infans ad ubera eadem ratione dicitur, ut servus ad limina, puer ad manum, ad pedes, etc. Ii Latinis *Sububeres* vocantur. Glossæ Isidori : Sububeres, infantes qui adhuc sunt sub ubere, Græcis ὑποτίσθια : ut LXX Ose, c. XIV, 1 ; quæ Joeli, cap. XI, 16, νήπια θηλάζοντα μαστοὺς, *parvuli sugentes ubera.* Aliis ὑπομάζια, vel ὑπομάστια, et ἐπιμάζια vocantur. Ita equas ὑποπώλους vocabant Græci, αἷς πῶλοι ὑπῆσαν, *quibus pulli suberant*, ut ait Homerus IX. I. HOLST.

II. — *Cum adhuc cum persecutoribus essemus*, etc. Quomodo non erat cum persecutoribus hæc scribens S. Perpetua, quæ tum maxime ab iis custodiebatur in carcere ? An dicemus significare voluisse mutationem, quæ in ipsa contigit, quam paulo post exprimit his verbis : *Recipimur in carcerem, et expavi, quia numquam experta eram tales tenebras. O diem asperum ! æstus validus turbarum beneficio, concussuræ militum*, etc. ? Sed talem angorem aliquamdiu pro naturæ debilitate passa, deinde affluxu gratiæ uberioris, *statim* (inquit ipsa) *convalui, et relevata sum a labore, et factus est mihi carcer subito prætorium, ut ibi esse mallem quam alicubi*, etc. Quo videri potest pertinere Tertulliani locus ex libro *ad Martyres* : ubi conversationem sæculi et carceris comparans, inter cætera multa hujus commoda, etiam hæc ponit : *Vacas a scandalis et tentationibus, a recordationibus malis, jam et a persecutione. Hoc præstat carcer Christiano, quod eremus Prophetis. Auferamus carceris nomen ; secessum vocemus.* HOLST.

*Et dejicere pro sua affectione perseveraret*, etc. Dejiciendi vox a pugilibus et palæstra translata, frequentissima est apud Scriptores christianos in sensu tentandi et pervertendi. Ut Tertullianum omittam, unum apponam exemplum e Cassiano *de spiritu vanæ gloriæ*, cap. 7. *Quem non poterit per honorem dejicere, humilitate supplantat.* HOLST.

*Sic et ego aliud me dicere non possum, nisi quod sum Christiana.* Proborum est enim ac veracium, ut est in græco Senario, τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκαφὴν σκαφὴν

Digitized by Google

« se in me ut oculos mihi erueret : sed vexavit tantum, A « et profectus [a] est victus cum argumentis diaboli, « Tunc paucis diebus quod caruissem patre, Do- « mino gratias egi, et refrigeravit [b] absentia illius. « In ipso spatio paucorum dierum baptizati sumus ; « mihi autem Spiritus dictavit nihil aliud petendum « in aqua [c], nisi sufferentiam carnis. Post pau- « cos dies recipimur in carcerem, et expavi, quia

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Profecto. *Holst.*

[b] *Sic Holsten. Codd. mss.* refrigerata sum. *Sic in sequentibus differt Holsten. a mss.; quem prætulimus, cum id verbum sic in aliis Actis Africanis expressum observaverimus.*

[c] Ab aqua *Holsten. quod sic quis posset interpretari* ab eo tempore quo baptismum suscepi.

## VARIORUM NOTÆ.

λέγειν. Merito queritur Tertullianus in *Apologetico* de gentilibus, quod Christianos, id quod erant confitentes, torquerent, cum negantes id quod sunt, torqueri legibus soleant. Quo alludere videtur Eusebius, lib. v, cap. 1, his verbis : ἀλλ' οἱ μὲν ὁμολογοῦντες ὅπερ ἦσαν, συνελείοντο, ὡς Χριστιανοί. *Atque hi quidem confitentes* B *quod erant, in carcerem conjiciebantur, tamquam Christiani.* Holst.

*Sed vexavit tantum.* Vexandi verbum hoc locousurpatur in sensu leniori, pro impulsu violento citra læsionem gravem, cum tamen alias plerumque, ut observat Asconius Pædianus ad II. Verrinam, *ingentis calamitatis usum significet;* quod etiam Virgilii auctoritate confirmat, qui Scyllam scripsit, *Dulichias vexasse rates :* tamen, quod ad hunc nostrum locum proprie facit, *vexandi* verbum, ut ait Gellius, lib. I, cap. 6, leve est ac parvi incommodi, nec tantæ atrocitati congruit, quanta homines repente a bellua immanissima raptantur et laniantur. Quare Poetam illic proprie ac signate locutum contendit, de jactatione navium citra naufragium. *Nam qui fertur et raptatur,* ait, *atque huc atque illuc distrahitur, is vexari proprie dicitur.* Atque ita hoc loco S. Perpetuam ab irato patre pugnis calcibusque contusam raptatamque intelligo. Tertullianus vulnera quoque ad vexationem C refert, dum lib. *de Patientia*, cap. 3, *Malchum*, ait, *a Petro vexatum;* quem utique gladio vulneraverat. Et *ad Scapulam*, cap. ult., *Christianum nomen vexari* dixit, cum gravissima persecutione premeretur. Holst.

*Est victus cum argumentis diaboli.* Sic Antonius in *vita S. Simeonis Stylitæ*, cap. 6, *Cum signum crucis fecisset* (antequam in currum a dæmone sibi oblatum pedem inferret), *continuo diabolus nusquam comparuit, cum argumento suo evanuit*, etc. Et Anastasius Bibliothecarius in Benedicto III : *Carnem vicit ac mundi principem, et omnia ejus argumenta nequissima.* Holst.

*Quod caruissem patre, Domino gratias egi*, etc. Pontius in vita S. Cypriani : *Nobis patria, minus cara et commune nomen est, qui parentes ipsos, si contra Dominum suaserint, abhorremus.* Holst.

*Et refrigeravit absentia illius.* Explicat quod Græce diceretur ἀνέπαυσεν, vel διανέπαυσεν, hoc est, requiem dedit, juvit, consolationem attulit. Quod legitur apud Eusebium. *Histor. Eccles.*, lib. VIII, cap. 10. D Holst.

*Et mihi spiritus dictavit non aliud petendum ab aqua, nisi sufferentiam carnis.* Sanctus nimirum Spiritus baptizatos incitat ad petendam martyrii gratiam. Dictus ideo a Tertulliano, lib. *de Fuga in Persecut.* in fine : *Paracletus exhortator tolerantiarum.* Porro in hujus loci sententiam egregie Cyprianus, *Epist. ad Martyres* designatos : *Necquidquam nunc versatur in cordibus et mentibus vestris, nisi divina præcepta et mandata cœlestia, quibus vos ad tolerantiam passionis Spiritus sanctus semper animavit.* Quod dicit *ab aqua*, intelligit post perceptum Baptisma, sive post aquæ salutaris lavacrum. Ita non semel Tertullianus, lib. de Pœnit. : *Si ab aquis peccare desistimus.* Et l. de Bapt.: *Ergo et nos, dicet aliquis, a lavacro potius jejunare oportet.* Mox : *Deinde Dominus post aquam segregatus in desertum.* Sic lib. I ad Uxorem : *Quot enim sunt qui statim a lavacro carnem suam obsignant?* Et de Exhort. Castit. *Secunda Virginitas a secunda nativitate, id est a lavacro.* Idem quoque Tertullianus Baptisma simplici aquæ nomine sæpius appellat, ut principio libri de Baptismo : *Felix sacramentum, aquæ nostræ.* Sed in ipsis quoque Scripturis SS. quotiescumque aqua sola nominatur, Baptisma prædicari, prolixe docet S. Cyprianus, Epist. LXIII. Cæterum hoc plane insigni S. Perpetuæ exemplo, mirum in modum confirmatur virtus Baptismi contra novos sectarios. Per ultima illa verba, *nisi sufferentiam carnis*, significat S. Perpetua edoctam se a Spiritu quem in Baptismo accepit, intellexisse quam necessaria foret, non solum animi, sed etiam corporis patientia. Qua de re præclare Tertullianus, lib. *de Patientia*, cap. 13, ubi cum eatenus egisset de Patientia, *tantum in animo constituta*, addit : *eamdem etiam in corpore demerendo Domino multipliciter allaborare, utpote quæ ab ipso Domino in corporis quoque virtute edita sit. Siquidem*, addit, *rector animus facile communicat spiritus invecta cum habitaculo suo.* Et paulo post : *quod de virtute animi venit, in carne perficitur. Carnis patientia in persecutionibus denique præliatur. Si fuga urgeat, incommoda fuga caro militat : si et carcer premat, caro in vinculis, caro in ligno, caro in solo, et in illa paupertate lucis, et in illa penuria mundi; cum vero producitur ad experimentum felicitatis, ad occasionem secundæ intinctionis, ad ipsum divinæ sedis ascensum, nulla plus illic quam patientia corporis. Si spiritus promptus, et caro sine patientia infirma; ubi salus spiritus, et carnis ipsius? At cum hoc Dominus de carne dicit, infirmam pronuntians, quid ei firmandæ opus sit ostendit : patientia scilicet, adversus omnem subvertendæ fidei vel puniendæ paraturam; ut verbera, ut ignem, ut crucem, bestias, gladium constantissime toleret.* Sola enim patientia, ut inferius, cap. 15, subjungit, *martyria consummat.* Magistrum sequitur Cyprianus, qui eodem sensu verbis diversis : *Non alia magis quam patientiæ solatia iis subvenire*, ait, *quibus in persecutionem certamine patrimonia relinquenda sunt, subeundus carcer, portandæ catenæ, animæ impendendæ; gladius, bestiæ, ignes, cruces, omnia denique tormentorum ac pœnarum genera, fide et virtute patientiæ perferenda.* Holst.

*Recipimur in carcerem.* Gesta purgationis Cæciliani et Felicis, pag. 279, *recipiatur in carcerem.* Ita Passio SS. Dativi, Saturnini, etc., pag. 290 : *Martyres Christi exoptatus carcer recepit.* Ulpianus leg. 1 ff., de Custodia reorum : *De custodia reorum Proconsul æstimare solet, utrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, vel fidejussoribus committenda, vel etiam sibi. Hoc autem vel pro criminis quod objicitur qualitate, vel propter honorem aut amplissimas facultates, vel pro innocentia personæ, vel pro dignitate ejus qui accusatur, facere solet.* Hæc ibi; ad quam legem eruditissime de Custodiarum diversitate scripsit Rævardus Var. Lect. I. III, cap. 12. Holst.

*Et expavi*, etc. Vides ut ad carceris horrorem expaverit constantissima Martyr, quæ sententiam Proconsulis, et mortem ipsam, non solum forti et intrepido, sed hilari quoque animo paulo post excepit. Unde apparet carceris molestias, præexercitamenta futuri martyrii fuisse, et, ut Eusebii voce utar, προκατασκεύασματα, quæ corpus et animum malorum usu ac consuetudine ad suppliciorum mortisque patientiam solidarent. Holst.

Digitized by Google

« nunquam experta eram tales tenebras. O diem A « tudine infantis. Ibi tunc Tertius et Pomponius,
« asperum! æstus validos [a] turbarum beneficio con- « benedicti diacones, qui nobis ministrabant, con-
« cussuræ militum : novissime macerabar sollici- « stituerunt præmio ut, paucis horis emissi, in me-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Validus *Holsten.*

## VARIORUM NOTÆ.

*Tales tenebras.* Tertullianus, lib. *ad Martyres*, cap. 2 : *Habet tenebras carcer, sed lumen estis ipsi. Habet vincula, sed vos soluti Deo estis. Triste illic exspirat, sed vos odor estis suavitatis.* Quod imitatus B. Cyprianus, Epist. LXXXI. *O beatum*, inquit, *carcerem, quem illustravit vestra præsentia! O tenebras lucidiores sole ipso, et luce hac mundi clariores!* Tertullianus, lib. *de Resurrect. carn.*, cap. 8 : *Age jam quid de ea* (nempe carne) *sentis, cum in carceribus maceratur, terrimo lucis exsilio, penuria mundi, squalore, pædore, contumelia victus ; ne somno quidem libera, quippe ipsis etiam cubilibus vincta, ipsisque stramentis laniata.* Libanii plane insignis locus est in Orat. *de Custodia reorum*, nuper in lucem prolata, quo commentariensium improbitatem et avaritiam describit, qui magno pretio vix unum lychnum concedebant. Ejus verba paullo post commodius proferentur. HOLST.

*Æstus.* Oritur æstus ille ex loci angustia et hominum turba, quo multos in carcere suffocari queritur Libanius Orat. quam modo dixi : idque magistratuum negligentia. Adscribam locum ejus ex pag. 68, levitema me correctum et ex auctoris mente conversum : ὅταν οὖν οὗτοι πέμπωσιν ἐπὶ τὰ δεσμωτήρια φάλαγγας, ἐρρῶσθαι δὲ φράσαντες τοῖς περὶ ἐκεῖνα νόμοις, ἐπ' ἄλλοις διατρίβωσιν, ὡς μὴ φιλάνθρωποι δόξαντες εἶναι, τίς οὐκ ἂν ἀποτυγεῖν; Hoc est : *Cum ergo Magistratus isti turmas hominum in vincula mittant, atque interim legibus quæ ea de re latæ sunt, valere jussis, circa alia versentur negotia, quo populares videantur ; quis non suffocetur?* Lucianus quoque confessor apud Cyprianum, Ep. XXII, easdem carceris molestias his verbis obiter iisdem restitutis, describit : *Jussi sumus secundum præceptum Imperatoris, fame et siti enecari : et reclusi sumus in duobus cellis, ita ut nos afficerent fame et siti. Sed et ignis, ab opere pressuræ nostræ tam intolerabilis erat, quam nemo portare posset.* Hæc ibi ; ubi videtur ignis dici quem S. Perpetua æstum vocat. Ex his intelligitur non minimam aut postremam diaboli machinam adversus martyres fuisse carcerum ærumnas ; id quod Gallicanæ ecclesiæ agnoscunt apud Eusebium, *Hist. Eccl*, lib. v, cap. 1, his verbis : τὰς κατὰ τὴν εἱρκτὴν ἐν τῷ σκότει καὶ τῷ χαλεπωτάτῳ χορδῇ συγκλείσεις, ὥστε ἀποπνιγῆναι τοὺς πλείστους τῇ εἱρκτῇ. Hoc est : *Constipationes in tenebroso et æruminosissimo loco tales, ut plerique suffocarentur.* HOLST.

*Turbarum beneficio.* Hoc est, *propter turbas*, vel *multitudinem hominum.* Græcismus merus, τοῦχά βχιου χάριν. Ita mox : *Mei beneficio* hoc est, *mei causa* vel *propter me.* HOLST.

*Concussuræ militum.* Videtur significare impulsus feros contrudentium reos militum, quos ὠθισμὸν Præceptus vocat *Hist. arcanæ* pag. ult. Nota autem militum barbara feritas in vinctos, etiam S. Ignatii testimonio ; qui propterea Leopardos eos vocat, et beneficio efferari scribit ad Romanos. Porro iis non solum custodiæ merces solvebatur, sed ultro offerebantur dona, ut militus leniusque agerent cum vinctis, quæ mercedis extortæ loco essent. Ita *Constit. Apostolorum* lib. v, cap. 1, eleemosynas designatis martyribus submittere jubent, et ad victum ipsorum, et ad solvendum mercedem militibus, ut allevent sua opera, curentque vinctos, hoc est, sævitiam in eos solitam remittant, ἵνα, ὅσον ἐφ' ὑμῖν, μὴ θλίβηται ὁ μακάριος ἀδελφὸς ὑμῶν : *ut quantum in vobis est, non concutiatur beatus frater vester* : hoc est ad vexationem et concussuram redimendam, θλῖψις enim hoc loco, est *concussura.* HOLST.

*Novissime macerabar sollicitudine infantis.* Elegans admodum et nativa materni affectus expressio ; cujus exemplo Deus ipse in sua erga nos pietate contestanda utitur. HOLST.

*Benedicti diacones.* εὐφημισμὸς affectum aut venerationem erga personam, cujus fit mentio, exprimens. Notior hodie linguæ italicæ vulgari quam communi latinæ : derivatum in Africanam latinitatem forte et Syriaco aut Hebræo sermone, quo prisci Tyrii ac Pœni Carthaginis coloni, aut non multum diverso utebantur. Syrorum enim ac Hebræorum est *Benedicti* adjunctum ad Dei præsertim mentionem apponere, ut habes Marci XIII. 61, et sæpius in aliis scripturis. Sed et ad compellationem bonorum hominum : *Benedicti vos a Domino*, Psalm. CXXIII. 15. Et alibi non raro. Tertullianus ipso principio libri *ad Martyres* designatos : *Benedicti Martyres.* Mox : *Imprimis ergo benedicti nolite contristare Spiritum sanctum.* Et cap. 2 : *Quo vos benedicti de carcere in custodiam si forte translatos existimatis.* Ibid. *Sic nunc benedicti, carcer etiam Christianis molestus* ; et mox capite 3 et de *Cultu feminarum* libro II, feminas christianas *Benedictas* appellat. Et libro Præscript. *Sub episcopatu Eleutherii benedicti.* Et libro de Exhort. Cast. *Benedicti Patriarchæ.* Ita Lucianus Confessor apud Cyprianum Epist. XXII, *Cum benedictus Martyr Paulus adhuc in corpore esset.* Et Clerus Romanus apud eumdem Epist. II : *Didicimus benedictum papam Cyprianum secessisse.* HOLST.

*Qui nobis ministrabant.* Magnam curam semper gessit ecclesia eorum, qui vincti tenebantur ; præsertim ob Christi confessionem, quorum ministerio et obsequiis olim dicati fuere diaconi. Hi alimenta ipsis ministrabant, et unde militum sævitiam lenirent, ut paulo superius ex *Constit. Apost.* retulimus. Hi consilio aderant, exhortabantur, consolabantur. Cypr. *Ep.* XI. *Semper sub antecessoribus nostris factum est, ut Diaconi ad carcerem commeantes, martyrum desideria consiliis suis et scripturarum præceptis gubernarent.* Denique ut boni Angeli commendatis sibi hominibus, sic illi confessoribus, opera, officio, sedulitate præsto erant. Unde illud Ignatii Epist. ad Trallianos : *Quid diaconi? quam imitatores angelicarum Virtutum?* Vide Concil. Carthaginiense IV, cap. 45. Concilium quoque Aurelianense, V Canone 20, Archidiacono vel præposito Ecclesiæ carceris visitandi officium injungit : episcopo autem, ut vinctorum necessitatem misericorditer sublevet, competentem eis victum de domo ecclesiæ attribuendo. HOLST.

*Constituerunt præmio.* Hunc enim in usum, et Ecclesiæ publice, et singuli Fideles de opibus suis erogabant, ut confessoribus et martyribus in carcere alimenta cæteraque vitæ subsidia ac necessaria refrigeria suppeditarentur : aut ubi opus esset, a custodum iniquitate largitionibus exprimerentur, ne miseriis victi ante ipsum certamen deficerent : prout ex Tertulliano lib. *ad Martyres*, et ex S. Cypriani Epist. IV et V aliisque videre est. Romanæ autem Ecclesiæ peculiarem hac in re sollicitudinem ac πατροπαράδοτον *pietatem* a Dionysio Corinthio vetustissimo scriptore jam olim laudatam, ad sua usque tempora constanter perdurasse testatur Eusebius, ut omnium per orbem terrarum martyrum et pro Christi nomine afflictorum curam gereret, iisque vitæ subsidia subministraret. Neque frustra sanctissima Martyr præmio hoc constitutum, hoc est pretio emptum scribit, ut paucis horis ex arcto ergastulo emitterentur, quod carceribus præfecti, utpote quibus *supplicium vectigal erat* juxta Manilium libro V, non nisi pretio cor-

Digitized by Google

« liorem locum carceris refrigeraremus. Tunc exeun- A « tes de carcere universi sibi vacabant. Ego in- « fantem lactabam jam inedia defectum. Sollicita « pro eo adloquebar matrem, et confortabam fra- « trem, commendabam filium [a]. Tabescebam ideo « quod illos tabescere videram mei beneficio. Tales « sollicitudines multis diebus passa sum, et usurpavi « ut mecum infans in carcere maneret; et statim « convalui, et relevata sum a labore et sollicitudine « infantis: et factus est mihi carcer subito quasi præ- « torium, ut ibi mallem esse quam alibi [b].

« III. Tunc dixit mihi frater meus: Domina soror, jam « in magna dignitate [c] es; et tanta ut postules vi- « sionem, et ostendatur tibi an passio sit, an com- « meatus. Et ego, quæ me sciebam fabulari cum

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Et confortabam, fratri commendabam filium *cod. Salisb.*

[b] Alicubi *Holsten.*

[c] *Sic codd. Compend. et Salisb. ut Holstenius habet* in magna dignatione es, tanta ut postulem, etc.

## VARIORUM NOTÆ.

rupti, custodias laxius habere soleant. Quos coercet Lex VIII. ff. *de Custodia reorum*. Ludit eleganter in describenda horum custodum immanitate Manilius modo laudatus, ab illo versu: B

Quisquis in Andromedæ surgentis tempore ponto,
Nascitur, etc.

Quem locum ex Ciceronis Verrina v videtur expressisse, ubi sic legitur: *Patres hi, quos videtis, jacebant in limine, matresque miseræ pernoctabant ad ostium carceris, ab extremo complexu liberorum exclusæ, quæ nihil aliud orabant, nisi ut filiorum extremum spiritum excipere sibi liceret. Aderat janitor carceris, carnifex Prætoris, mors terrorque sociorum et civium lictor Sestius, cui ex omni gemitu doloreque certa merces comparabatur: ut adeas, tantum dubis: ut cibum tibi intro ferre liceat, tantum; nemo recusabat*, etc. Porro mulieres præsertim christianæ huic operi misericordiæ sese impendebant; quales non dubito quin Libanius innuerit Orat. jam citata, ubi janitorum et custodum carceris avarissimam crudelitatem detestans, refert; vix exiguum lumen ut habere miseris liceret, magno pretio ab ipsis emi solitum: tum si quis reorum sumptum sibi deesse excusaret, huic male mulctato regerebant: διὰ τί οὐ καλεῖς διὰ τῶνδὲ τῶν ἀξιόντων γυναῖκα δεῦρο τῶν ἐπὶ φιλανθρωπίᾳ φιλοτεμουμένων· εἶτ' αὐτῇς πρὸς τὰ γόνατα προσπεσὼν, πειθεὶς προσαιτοῦσάν ἄγειν τί σοι. *Cur per eos qui hinc egrediuntur non vocas huc mulierem aliquam ex iis, quæ humanitatis officiis dant operam; ad cujus genua provolutus, impetres ut stipem aliquam corrogatam tibi afferat?* C Holst.

*Ut paucis horis emissi in meliorem locum carceris refrigeraremus.* Fuerant ergo conjecti in carcerem interiorem, ut vocatur *Actor.* cap. XVI. Porro quod heic beneficii loco a præfecto custodiæ, præmio delinito, impetratum est, id postea a Constantio Aug. constitutum Leg. I Cod. *de Custodia reorum*, ubi sic legitur: *Nec vero sedis intimæ tenebras pati debebit inclusus, sed usurpata luce vegetari ac sublevari; et ubi nox geminaverit custodiam, in vestibulis carcerum et salubribus locis recipi: ac revertente iterum die, ad primum solis ortum illico ad publicum lumen reduci, ne pœnis carceris perimatur: quod innocentibus miserum, noxiis non satis severum esse dignoscitur.* Qua constitutione mitigatum videtur Antonini Pii rescriptum, qui gravioris sceleris reos, ipsam carceris pœnam, ante supplicium sustinere voluit. Libro III, ff. *de Custod. reorum*. Quod addit *refrigeraremus*, præter id quod superius dictum est, videtur exprimere Græcum verbum ἀναψυχεῖν, etsi Lexicon vetus *refrigerare* reddat ἀγαλλιᾶσθαι. Holst.

*Jam inedia defectum.* Id est ferme ad mortem redactum. Tertullianus libro II, ad nationes: *Cur non magis dea quæ magis pia, illa filia patris in carcere fame defecti uberibus suis educatrix?* Ita etiam Seneca et Phædrus loquuntur, cujus locum viro docto suspectum esse miror, cum innumeris aliis passim occursuris auctorum classicorum testimoniis comprobari possit. Unde apparet quam eleganter vulgatus interpres *Ecclesiastici* capite XLI, 4. Græcam vocem ἐσχατογήρω latine interpretatus sit *defecto ætate*. Addo ad cumulum, locum ex gestis Purgationis Cæciliani: *Cum audirem, mente defectus sum.* Et Suetonii Tranq. libro *de Illustribus Grammaticis* de Offio Care: *Cum jam non gressu modo deficeretur, sed et visu.* Holst.

*Factus est mihi carcer prætorium.* Hoc est, non modo carceris incommoda non me amplius conturbabant, sed et iis gaudebam, tamquam in splendidis et commodis ædibus degerem. Prætorium proprie erat Palatium publicum, in quo Proconsul jus dicebat, ut ex Pontio quoque Diacono intelligitur: neque aliter accipitur in historia Dominicæ Passionis. Ideo quoniam fere cæteras privatorum ædes structuræ elegantia et ornatus splendore superabat, quævis palatia ædesque magnifice instructæ, utcunque privatorum et ruri ædificatæ, prætoria dicebantur. Martialis:

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum.

Cæterum ad sententiam hujus loci facere videtur, quod scribit Tertullianus his verbis: *Christianus extra carcerem sæculo renuntiavit, in carcere autem etiam carceri.* Dum scilicet animus divina gratia roboratus, incommoda ejus et molestias aut non sentit, aut negligit, et constantia vincit. Holst.

III. — *Jam in magna dignitate es.* Holsten. legit *dignatione* et addit: Quippe quam *illustrarat jam gloriosis initiis divina dignatio*, ut ait sanctus Cyprianus Epistola IV de confessoribus in carcere constitutis. De dignationis voce superius dictum. Heic unum Tertulliani locum insignem ac plane opportunum addo. Is lib. I *ad Uxor.* cap. 4, adhibens exemplum sororum, quæ nuptiis sanctitatem anteponunt addit: *Malunt enim Deo nubere; Deo speciosæ, Deo sunt puellæ: cum illo vivunt, cum illo sermocinantur: illum diebus et noctibus tractant: orationes suas, velut dotes, Domino assignant: ab eodem dignationem, velut munera dotalia, quotiescumque desiderant, consequuntur.* In ejusmodi statum progressam, carceris patientia, sororem frater existimans, ab ea contendit, ut a Deo sibi revelari postulet, quid futurum sit: certus eam D exauditum iri. Hæc sententia illorum verborum est, *ut postulem visionem*, etc. Holst.

*An passio sit, an commeatus.* Ut multæ aliæ voces ex castrensi disciplina ad sacram Christi militiam traductæ, ita et *commeatus* vocabulum. Est autem auctore Festo: *Tempus quo iri, redirique possit*, ab Imperatore militibus dari consuetum. Unde Apuleius l. XI: *Amatoriæ militiæ brevem commeatum indulsit.* Et in Codice: Milites *datis commeatibus*, vel *per commeatus* dimitti dicuntur, et hoc modo dimissi *Commeatales* vocantur. Ita Hesychius Κομέατον esse ait ἐξαίτησιν λαμβάνειν τοῦ ἀφεθῆναι. Hoc est: *petitam libere abeundi licentiam accipere.* Et in glossis: *Commeatus*, ἐξουσία quasi discedendi atque eundi, quo velis, facultas. Ita L. 3, ff de pœnis: *Nemo potest commeatum remeatumve dare exsuli, nisi Imperator ex aliqua causa.* Hæsit hæc vox in lingua Italica vulgari usque ad hodiernum usum, nisi quod, ultra rem militarem, extenditur ad omnem cujusvis a quovis abeundi fa-

Digitized by Google

« Domino, cujus beneficia [a] tanta experta eram, « fidenter repromisi ei dicens [b] : « Crastina die tibi « renuntiabo. » Et postulavi, et ostensum est mihi « hoc : Video scalam auream [c] miræ magnitu- « dinis pertingentem usque ad cœlum et angustam, « per quam non nisi singuli ascendere possent : et « in lateribus scalæ omne genus ferramentorum « infixum. Erant ibi gladii, lanceæ, hami, ma- « chæræ; ut si quis negligenter, aut non sursum ad- « tendens ascenderet, laniaretur et carnes ejus in- « hærerent ferramentis. Et erat sub ipsa scala draco « cubans miræ magnitudinis, qui ascendentibus « insidias parabat [d], et exterrebat ne ascende- « rent. Ascendit autem Saturus [e] prior, qui pos- « tea se propter nos ultro tradiderat, et tunc cum « adducti sumus, præsens non fuerat : et per- « venit in caput scalæ, et convertit se ad me [f], « et dixit mihi : « Perpetua, sustineo te. Sed vide « ne te mordeat draco ille. » Et dixi ego : « Non me

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Beneficio *Salisb.*

[b] *Cod. Salisb.* Repromissionibus ejus dixi. *Porro ejusmodi visionibus martyres de proximo martyrio sæpius commonitos fuisse affirmat Cyprianus passim; idque testantur omnia fere Acta genuina ex Africa.*

[c] *Sic cod. Compend. Salisb. vero cum Victorino et Corbiensi* Æræam. *In Cassinensi quo usus est Holstenius, ejus scalæ materies non exprimitur.*

[d] Præstabat *Holsten.*

[e] *Hunc codices aliqui* Satyrum *appelant, alii* Saturnum. *Sed perinde est.*

[f] Ad me *In Holst. deest.*

## VARIORUM NOTÆ.

cultatem. Porro a Christianis illorum temporum hæc vox eo translata reperitur, ut liberationem a vitæ periculo designet; sive id periculum ex morbo immineat, sive ex judicis sententia. De morbo quidem habemus insignem locum apud Palladium in *Lausiacis*, cap. 86, ubi Melania Evagrio lethaliter ægrotanti impetrat a Deo καιρὸν κομιατοῦ, καὶ προθεσμίαν ζωῆς, hoc est *vitæ prorogationem*. Quo eodem sensu apud Cyprianum legitur in Serm. de Mortalitate: *Commeatum sibi precari*, hoc est liberationem a periculo pestis. Ita Paulinus in *Vita S. Ambrosii* Stiliconem nobiles viros ad Ambrosium ægrotantem misisse scribit, qui *persuaderent illi, ut sibi vivendi peteret a Domino commeatum*. Sed hoc nostro loco, *Commeatus* verbo significatur, evasio periculi a persecutore imminentis; ut patet ex eo quod opponitur passioni, hoc est morti pro Christo, quo modo Cyprianus Epist. VIII, martyrio, sive victoriæ comsummationi commeatum opposuit. Et Epist. LII, quando pax a persecutoribus datur, commeatum a Deo dari ait. HOLST.

*Quæ me sciebam fabulari cum Domino.* Hoc est, locum gratiæ peculiarem apud Deum habere, qualem qui principibus familiares sunt, et singulariter cari apud eos obtinent, ut eos alloqui, cum volunt, possint: quare qui, ut aliquando fit, falso gloriantur, fabulas Principis vendere dicuntur a Misitheo in Epist. *ad Gordianum* apud Capitolinum : *Qui quasi conscii arcanorum consiliorum et familiarium sermonum Principis arbitri, fucum aliis faciunt, fumumque vendunt.* HOLST.

[†] *Et ostensum est mihi hoc.* Ita paulo ante : *Et ostendatur tibi.* Sic etiam Tertullianus et Cyprianus de visis divinitus oblatis loquuntur. Quod etiam non semel legitur in *Apocalypsi*. Utiliter porro vulgari oblatas singulis visiones, docet Tertullianus lib. *de Idololatria*, cap. 15, his verbis : *Nec tutum est subtrahere, quodcumque uni fuerit ostensum.* HOLST.

*Omne genus ferramentorum.* Glossæ : Ferramenta ἐργαλεῖα σιδηρᾶ exponunt. Sed proprie Ferramenta sunt arma ad nocendum apta, vel quæcumque aciem aut acumen habent. Ita Cethegus apud Ciceronem *in Catilinariis*, de gladiis et sicis apud se deprehensis, respondit : *Se semper bonorum ferramentorum studiosum esse.* Et Leg. 18, de instruct. Legat. *Ferramenta laniandæ carnis causa præparata* in lanionis instrumento numerantur. HOLST.

*Hami.* In Glossario veteri inter æramenta recensetur hamus, ἀγκιστρον; sed cum hic inter ferramenta et martyrii instrumenta ponatur, pro unco accipere malim, quo Sanctorum corpora excarnificata, vel suspensa, in fluvium aut cloacas pertracta legimus. Unci enim isti hamis piscariis figura sunt similes, licet dispares magnitudine: unde et nomen commune utrisque manserit, nisi potius *amæ* hcic legendum, quarum post Plinium Juniorem lib. X Epistolarum, et Juvenal. Satira XIV, meminit Lex 3. ff. *de officio Præfecti vigilum*, his verbis : *Sciendum est Præfectum vigilum per totam noctem vigilare debere, et coerrare calceatum cum amis et dolabris.* Erant autem *amæ* illæ, ut vox ipsa indicat, falces, sed grandiores, seu ferramenta recurva, longissimis contis suffixa : qualia incendii compescendi aut extinguendi causa, etiam nunc Germaniæ Galliæque civitates passim in publicis locis parata habent, easque cum dolabris IC. hoc loco jungit. Quibus milites ad vallum aut murum subruendum olim usos ex Livio constat. Lex autem 12, ff. de instruct. Leg., *amas et harpagones* conjungit : quemadmodum Vegetius lib. V: *Falces et harpagones.* Unde Nonius cap. 18 : *Falces et harpagæ, armorum genera, murorum expugnationi apta.* Et Cicero pro Milone : *Cum falcibus ad Castoris, cum gladiis toto foro volitant.* HOLST.

*Insidias parabat:* Holst. *præstabat*, hoc est, tendebat, struebat, aut molichatur. Sic Cyprianus *de Habitu virginum* dixit : *præstare vitiis illecebram.* Et hujus generis locutiones Tertulliano sunt frequentissimæ; ut lib. IV. *contra Marcionem*, cap. 35 : *Veniam præstare fratri et non petenti.* Lib. *ad Scapulam*, cap. 2 : *Salutem præstare Imperatori. Apolog.*, cap. 46 : *Veritatem ex fide præstare. De Pœnit.*, cap. 5 : *Justitiam Deo præstare.* Et cap. 11 : *Castigationem victus atque cultus offenso Domino præstare.* Lib. *de Virgin. vel.* cap. 13. *Continentiam soli Deo præstare.* Et ut alia hujus generis præteream, lib. *contra Judæos* cap. 9. insignis est locus in explicatione oraculi prophetici Isaiæ, cap. VII : *Non pusillum vobis certamen cum hominibus, quoniam Deus præstat certamen.* Ubi LXX. habent, παρεχεῖν ἀγῶνα, quod Cyprianus ad verbum vertit, *præstare agonem*, Epist. VIII. et lib. II *contra Judæos.* Minutius quoque Felix in Octav. : *Nos pudorem non facie, sed mente præstamus.* Et Greg. PP. lib. II. *Epistolar.*, Epist. 4. *Nihil tardidatis præstantes.* His addo Rufinum lib. V. *Hist. Eccles.* cap. 2. *Post aliquot dies, cum nullam sepeliendi gratiam præstitissent, incensa ossa martyrum.* Et lib. VI cap. 29. *Interitum præstare.* Et sic vulgatus noster *Actor.* 24. et 25. vertit, *gratiam præstare*, quod in Græco legitur, χάριτας καταθέσθαι. HOLST.

*Cum adducti sumus.* Tertullianus *lib. de Patient.* cap. 3. *Cum traditur, cum adducitur ut pecus ad victimam*, etc. HOLST.

*Perpetua, sustineo te.* Quod Græce diceretur ἐπίχω, ὑπομένω σε, *expecto te.* Ita vulgatus Scripturæ interpres Tobiæ V, 9, illa verba ὑπομεῖνόν με, καὶ ἐρῶ τῷ πατρὶ, vertit : *Sustine me, obsecro, donec et ipsa nuntiem patri meo.* Et Matth. XXVI, 38, μείνατε ὧδε, *Sustinete heic.* Actor. XX, 5, ἔμενον ἡμᾶς ἐν Τρωάδι. *Sustinuerunt nos Troade.* Et similiter alibi : nec aliter Tertullianus *Apolog.* cap. 35: *Cui opus est perscrutari super Cæsaris salute, nisi a quo aliquid post illam speratur et sustinetur?* Lib. *de Pœnit.*, cap. 6, *Veniam delictorum sustinere.* Et *adv. Judæos*, cap. 6. *Novæ*

Digitized by Google

« nocebit in nomine Domini Jesu Christi. » Et de
« sub ipsa scala quasi timens me, lente [a] ele-
« vavit caput : et cum primum gradum calcassem,
« calcavi illius caput. Et ascendi et vidi spatium horti
« immensum, et in medio horti sedentem hominem ca-
« num, in habitu pastoris, grandem, oves mulgen-
« tem ; et circumstantes candidati millia multa. Et
« levavit caput et adspexit me, et dixit mihi : « Bene ve-
« nisti, tecnon. » Et clamavit me, et de caseo quod
« mulgebat dedit mihi quasi buccellam, et ego ac-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Lente ejecit caput et quasi primum, etc. *Holst.*

## VARIORUM NOTÆ.

*legis lator, si jam venit, serviendum est illi : si necdum venit, sustinendus est.* Et *ad Martyres*, cap. 2, *Mundus judicia non Proconsulis, sed Dei sustinet.* Ita quoque in *Cleri Romani ad Cyprianum.* Epist. XXXI : *Quamquam nobis placeat Ecclesiæ pacem sustinendam.* Et sub finem ejusdem Epist. : *Interea dum Episcopus dari a Deo nobis sustinetur.* Acta etiam Passionis S. Cypriani : *Cum se dalmatica exspoliasset, in linea stetit, et cœpit spiculatorem sustinere*, etc. Eodemque modo noster infra : *Nam et Perpetua sustinebat.* Quibus verbis ad hunc locum alludit. *Sustinere pœnam* pro *differre*, dixit Ulpianus L. 6. ff. *de Pœnis.* HOLST.

*Non me nocebit.* Ita Tertullianus de Exhort. cast : *Puto nobis non magis licere nascentem nocere, quam natum.* Et Plautus in Milite : *Jura te non nociturum esse hominem.* HOLST.

*De sub ipsa scala.* Sic in Actis S. Clementis PP. *De sub cujus pede*, etc. Et in fragmentis Gromaticis Latini Togati : *Terminus sive petra naturalis, si ungulam pecoris bifurcam habuerit, de sub saxo egredientem aquam significat*, etc. Utitur simili locutione et Innocentius de notis litterarum, ut Rigaltius in Glossis agrimensoriis jampridem observavit. Sed et apud alios probos auctores hæc geminatio præpositionum usitata reperitur : ut *de insuper*, et *de versus*, apud Salustium et Festum, ut omittam *De post fœtantes* in Psalmo LXXVII, 71, *de secus*, et *de inter* in Gestis purgationis Cæciliani in collatione Carthaginiensi. Præterea *ab ante*, *in ante*, *de intus*, *de trans*, *de super*, et similia leguntur. HOLST.

*In habitu pastoris oves mulgentem.* Repræsentatus est Perpetuæ Christus ea forma, qua pictus cernebatur in oratoriis et vasis sacris illorum temporum. Nam cum Evangelia titulum et personam pastoris, præcipue Christo attribuant, gaudebant primorum temporum Christiani, hanc ejus amabilissimam speciem, fidelium, nomine ovium passim designatorum, frequentissime oculis objicere. Habes in *Roma subterranea* Bosii, pag. 59, et deinceps, multas imagines e cœmeteriorum monumentis expressas, in quibus ferme omnibus, Christus pastoris specie cum ovibus pingitur ; in prima etiam hac ipsa forma heic expressa, pastoris oves mulgentis. Non raro etiam pingebatur ferens in humeris repertam ovem, quæ perierat, juxta parabolam Evangelicam ; idque præcipue in calicibus : quod indicat Tertullianus in lib. *de Pudicitia* contra catholicos scripto, cap. 7, his verbis : *A parabolis, licebit, incipias, ubi est ovis perdita a Domino requisita, et humeris ejus revecta. Procedant ipsæ picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius*, etc. HOLST.

*Et circumstantes candidati millia multa.* Quod *millia multa* jungatur sine copula cum voce *candidati*, non solum exemplum habet ex vulgato interprete *Apocalypsis*. cap. VII : *Quadraginta millia signati ;* sed et a Trebellio Pollione in Vita Claudii Imp. ubi sic legitur : *Huic salarium de nostro privato ærario dubis annuofrumenti modios tria millia, hordei sex millia, lardi libras duo millia, vini veteris sextarios tria millia quingentos*, etc. Similia et apud alios occurrunt. HOLST.

*Bene venisti tecnon.* Salutatio quasi parentis ad filiam. Nam τέκνον Græcum ad utrumque sexum accommodatur, ut cuivis notum. HOLST.

*Et clamavit me.* Jam tum corrumpi incipiente latina lingua in vulgari usu, hæc verbi *clamare* constructio in vulgi usum emanaverat : quæ deinde in Italicam vulgarem est recepta, *mi chiamo.* HOLST.

*Et de caseo quod mulgebat, dedit mihi quasi buccellam.* Augustinus sup. relatus vocat buccellam lactis. Multa dici possent de usu lactis et mellis symbolice catechumenis dari solito, ex Hesychio in Exodum p. 257, et Tertulliano *de Corona* p. 121. ed. Rig. ubi dixit : *Lactis et mellis concordiam prægustamus.* Vide Albaspinæum Lib II, Observ. ultima. HOLST. — *Et de caseo quod mulgebat, dedit mihi quasi buccellam : et ego accepi junctis manibus, et manducavi, et universi circumstantes dixerunt, Amen.* Ad hæc verba, quod notatum in Holstenii schedis reperi de lacte Catechumenis dari solito, non sufficit ad sententiam loci declarandam et alia his adjuncturum fuisse auctorem, si ultimam huic operi manum potuisset imponere, declarat spatium puræ chartæ ab eo *in Adversariis*, post hæc quæ descripsimus S. Perpetuæ verba, relictum, ultimis videlicet curis explendum. Explicandum scilicet restabat, quomodo ex hac porrectione buccellæ per visum ministratæ experrecta intellexerit S. Perpetua, itemque frater ejus, postquam ei rem narravit, significatum divinitus, eos qui carcere attinebantur, nequaquam inde dimittendos, sed consummandos martyrio. Hæc enim post superius descripta verba, ibi subduntur. *Et retuli statim fratri* ( qui nempe illam rogaverat, ut ostendi sibi divinitus curaret, morituri ne essent, an salvi emittendi ), *et intelleximus passionem esse futuram : et cœpimus nullam jam spem in sæculo habere.* Unde autem id intellexerint, merito quæritur. Ego existimo, inde quod in visione adumbratus erga Perpetuam ritus fuerat Eucharistiæ ministrandæ : quæ cum notissimo tunc usu dari soleret iis, quos certum erat brevi morituros, recte in Perpetua et ipsius fratre ita interpretati sunt, ut significatam eo viso Confessorum mox secuturam necem arbitrarentur. Ritus perceptionis Eucharistiæ eo adumbratus cernitur ; quod *quasi buccella* Perpetuæ porrigitur, quod *eam ipsa accipit junctis manibus*, quod deinde *comedit, circumstantibus, Amen, acclamantibus.* Quæ omnia in Eucharistiæ olim ministratione solita servari, notius est e plurium antiquorum testimoniis et sancti præsertim Ambrosii, quam ut demonstrari pluribus opus sit. Certe de usu Africanarum ecclesiarum peculiariter constat solitas eas Eucharistiam ministrare confessoribus in martyrii procinctu constitutis : idque ita necessarium arbitratas esse, ut inde argumentum sumpserint scribendi ad Cornelium Rom. Pontificem, manu quidem et calamo Cypriani, nomine autem aliorum quoque septem et triginta Episcoporum Africanorum, ut æqui consuleret gratiam fieri legis prius sancitæ de non admittendis unquam ad Ecclesiæ et Eucharistiæ communionem iis, qui semel in persecutione lapsi fuissent : quoniam tunc ex iis multi in pœnitentium numero scripti a novis persecutoribus periclitarentur, et, ut res se habebant, brevi pro Christi confessione interficiendi viderentur ; quibus in procinctu agonis positis, denegari consuetum viaticum Corporis Christi, nimis erat inhumanum. Ex hac Epistola, quæ secunda lib. I apud Cyprianum est (in nostra ed. LVII, vid. infr.) quædam adscribam, ad fidem rei quam tractamus faciendam, opportuna. *Sed cum*, inquiunt, *videamus diem rursus alterius infestationis appropinquare cœpisse, et crebris atque assiduis ostensionibus admoneamur, ut ad certamen quod nobis hostis indicit, armati et parati simus ; plebem etiam no-*

Digitized by Google

« cepi junctis manibus, et manducavi : et universi cir- A
« cumstantes dixerunt, Amen. Et ad sonum vocis
« experrecta sum, commanducans adhuc dulcis nescio
« quid. Et retuli statim fratri meo, et intelleximus
« passionem esse futuram : et cœpimus nullam jam
« spem in sæculo habere.

## CAPUT II.

ARGUMENTUM. — *Perpetua, a patre oppugnata, confortat eum; cum aliis ad tribunal ducta, confitetur se christianam, damnatur cum reliquis ad bestias; orat pro fratre Dinocrate mortuo, quem in visione intelligit a purgatorii pœnis affligi et liberari.*

« I. Post paucos dies rumor cucurrit ut audiremur.
« Supervenit autem et de civitate pater meus, con-
« sumptus tædio, ascendit ad me ut me dejiceret, di- B
« cens : « Miserere, filia, canis meis; miserere patri,
« si dignus sum a te pater vocari. Si his te manibus
« ad hunc florem ætatis provexi; si te præposui
« omnibus fratribus tuis, ne me dederis in dedecus
« hominum. Aspice ad fratres tuos, aspice ad matrem
« tuam et materteram, aspice ad filium tuum qui
« post te vivere non poterit. Depone animos, ne
« universos nos [a] extermines. Nemo enim nostrum
« libere loquetur, si tu aliquid fueris passa. » Hæc
« dicebat pater pro sua pietate basians mihi manus;
« et se ad pedes meos jactans, et lacrymis non fi-
« liam sed dominam me vocabat. Et ego dolebam
« canos [b] patris mei, quod solus de passione mea
« gavisurus non esset de toto genere meo; et con-
« fortavi eum, dicens : « Hoc fiet in illa catasta
« quod Deus voluerit. Scito enim nos non in nostra
« potestate esse constitutos, sed in Dei. » Et recessit a
« me contristatus.

### LECTIONES VARIANTES.

[a] *Cod. Compend. et Salisb.* Et noli nos universos exterminare.

[b] Causam. *Holsten.*

### VARIORUM NOTÆ.

*bis de divina dignatione commissam exhortationibus nostris paremus, et omnes omnino milites Christi, qui arma desiderant, et prælium flagitant, intra castra dominica colligamus; necessitate cogente censuimus, eis qui de Ecclesia Domini non recesserunt, sed pœnitentiam agere et lamentari, ac Dominum deprecari a primo lapsus sui die non destiterunt, pacem dandam esse, et eos ad prælium quod imminet, armari et instrui oportere.* Et paulo post : *At vero nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus et exhortamur* C *ad prælium, non inermes et nudos relinquamus; sed protectione sanguinis et corporis Christi muniamus : et cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra Adversarium volumus, munimento dominicæ saturitatis armemus. Nam quomodo docemus aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos ad bibendum in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus?* Siquidem, ut aliquanto post additur : *Idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium : et mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit et ascendit.* POSSINUS.

Ex his verbis : *Et de caseo, quod mulgebat, dedit mihi buccellam*, perperam colligit Noesseltus Perpetuam a Montanistarum familia fuisse; quippe quos, aliquos certe, Epiphanius, aliique dicunt in sacra cœna adhibuisse caseum, unde nomen Artotyritarum traxerunt. Vid. ipsamet ejus verba supra, t. 1. novissim. Biblioth. PP. col. 174. Verum D
res est prorsus incerta an Artotyritæ fuerint e secta Montanistarum. Cf. ea quæ de iis præfati sumus in hoc volumine. EDD.

*Et cœpimus nullam spem in sæculo habere.* Sic Pontius de Cypriano jam certo de futura passione : *Ille vero jam mundum suspensa ad cœlum mente neglexerat.* Et ipse Cyprianus Epist. VI : *Sæculo renuntiaveramus cum baptizati sumus; sed nunc vere renuntiavimus sæculo, quando tentati et probati a Deo, nostra omnia relinquentes*, etc. Idem de Habitu virginum : *Apud Martyres non est carnis et sæculi cogitatio;* nimirum, ut idem ait Epist. I, ad Donatum : *Nihil appetere jam, nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo major est.* Unde Epist. XV, his verbis adhortatur Moysem cæterosque Confessores morti addictos : *Sperantes jam sola cœlestia, et tantum divina meditantes, ad fastigia celsiora, mora ipsa passionis ascenditis.* Nam ut Celerinus Confessor apud eumdem Epist. XXI, ait : *Hoc solet contingere servis Dei; maxime eis qui in confessione Christi sunt constituti, scio enim quoniam unusquisque jam quæ sunt sæculi non attendit, quoniam coronam cœlestem sperat.* Lucifer Calaritanus lib. Quod moriendum pro Filio Dei, *Novimus hanc esse nobis traditam divinitus disciplinam, ut sine ullo terrore malitiæ, vim tueamur tanti nominis : quippe quos jam pridem æternæ memoriæ cupiditas abstraxerit a desiderio istius lucis, quosque ad calcanda omnia terrena, Christi societas segregavit.* Porro contemptus iste sæculi, proprius Martyrum τεθνηξομένων *statim moriturorum*, imitatione affectabatur ab iis, qui serio conversi vitam perfectam capessebant. Possidius de S. Augustino Ecclesiæ Sacramentis ab Ambrosio initiato : *Mox ex intimis cordis medullis ad Deum conversus, spem omnem quam habebat in sæculo dereliquit.* Quia vero qui vitam monasticam suscipiebant, mori sæculo dicebantur, eorum quoque proprius hic sensus atque affectus erat; quod ipse de se Augustinus prolitetur Serm. 49, de Diversis : *Quærebam ubi constituerem monasterium; spem quippe omnem sæculi reliqueram.* HOLST.

CAP. II. — 1. *Depone animos. Animi* videntur heic poni pro *spiritus*, sive cogitationes aut affectus vehementiores. Sic Tertullianus lib. de Spectaculis : *Itur in furias, et animos, et discordias.* Et lib. *de Patient.*, cap. 7. *Prohibita ira, restricti animi, compressa petulantia manus;* nisi forte animos vocari hoc loco Perpetuæ pater, sublimitatem animi, et conscientiæ victricis vigorem, hoc est, generosam martyris constantiam; quomodo loquitur Cyprianus Epist. LXXVII. HOLST.

*Non filiam, sed dominam vocabat.* Sic vulgatus interpres Joan. XIII, 13 : *Vos vocatis me Magister et Domine.* In Græco etiam nominativus est pro accusandi casu, ὁ διδάσκαλος καὶ ὁ κύριος. HOLST.

*Quod solus de passione mea gavisurus non esset de toto genere meo.* Ex his verbis videtur constare, et virum et matrem, et fratres omnes, ac cognatos Perpetuæ fuisse christianos; quod inferius proderit ad intelligendum, Dinocratem Perpetuæ fratrem, cum septennis moreretur, in familia ferme tota christiana, fuisse baptizatum. HOLST.

*Hoc fiet in illa catasta*, etc. Catasta proprie locus erat editior; in quo servi venales exponebantur ἀπὸ τοῦ καταστῆναι, περὶ στεφάνων, id est ab exponendo dictus. Sic annotat Pamelius ad Epist. XXXIII Cypriani, addens Martyres in loco similiter edito ostendi populo, cum judicarentur aut torquerentur, solitos. Unde est illud Cypriani jam citata Epistola de Lectore, qui confessus Christum in catasta, deinde ad Ecclesiæ pulpitum promotus fuerat : *ad pulpitum post*

Digitized by Google

« II. Alio die cum pranderemus, subito rapti sumus ut audiremur : et pervenimus ad forum. Rumor statim per vicinas fori partes cucurrit, et factus est populus immensus. Ascendimus in catasta [a]. Interrogati cæteri confessi sunt. Venit et ad me, et apparuit pater illico cum filio meo, et extraxit me de gradu, et dixit supplicans : « Miserere infanti [b]. » Et Hilarianus [c] procurator, qui tunc, loco proconsulis Minucii Timiniani defuncti, jus gladii acceperat : « Parce, inquit, canis patris tui : parce infantiæ pueri. Fac sacrum pro salute imperatorum. » Et ego respondi : « Non facio. » Hilarianus, « Christiana es? » inquit. Et ego respondi : « Christiana sum. » Et cum staret pater ad me dejiciendam, jussus est ab Hilariano dejici, et virga percussus est. Et doluit mihi casus patris mei, quasi ego fuissem percussa : sic dolui pro senecta ejus misera. Tunc nos universos pronuntiat, et damnat ad bestias : et hilares descendimus ad carcerem. Tunc, quia

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *Cod. Salisb.* Ascendimus catastam, *Compend.* in catastam.

[b] *Uterque cod. ms. pro* infanti *habet,* canos meos.

[c] *Cod. Salisb. semper habet* Elarianus. *Compend.* Helarianus.

## VARIORUM NOTÆ.

*catastam venire;* ut enim pulpitum in Ecclesia locus erat eminentior, ita et catasta in foro. Romanus Martyr apud Prudentium,

Audite cuncti, clamo longe ac prædico,
Emitto vocem de catasta celsior.

Quasi diceret catasta pro pulpito utor. Est et alia vocis hujus acceptio pro equuleo. Glossarium vetus : *Catasta, Equuleum, genus pœnæ.* Et Prudentius hymno I, περὶ στεφάνων,

Verberum
Post vim crepantum, post catastas igneas.

Sed hæc posterior notio huc non facit. Holst.

II. — *Factus est populus immensus.* Hoc est, immensa populi turba congregata est. Nam vox *populus* hoc loco densam et confertam hominum multitudinem significat : quo sensu etiam usurpatur ab Apuleio lib. III *Metamorphoseon,* ubi dicitur : *Statim civitas omnis in populum effusa, mira densitate nos insequitur.* Quo loco non ferendum criticorum acumen, qui voci *populum, publicum,* vel *propatulum* substituunt. Holst.

*Interrogati cæteri confessi sunt.* Non homicidia vel incestas nuptias, aut læsam Numinis Cæsarisque majestatem, et quidquid veri ignara Gentilitas, Christum professis objicere solebat ; sed hoc tantum : Christianos se esse. Justinus Martyr Apologia Prima : ἐξεταζόμενοι οὐκ ἀρνούμεθα, διὰ τὸ συνεπίστασθαι ἑαυτοῖς μηδὲν φαῦλον, etc. *Interrogati non negamus; quippe nullius mali nobis conscii.* Hæc confessio sufficiebat elogio, quale illud fuit Polycarpi ter a præcone proclamatum. apud Eusebium lib. XIV, cap. 15. Πολύκαρπος ὡμολόγησεν ἑαυτὸν χριστιανὸν εἶναι. *Polycarpus confessus est se christianum esse.* Et illud Attali tabellæ inscriptum apud eumdem lib. V. cap. 1. οὗτός ἐστιν Ἄτταλος ὁ χριστιανός. *Hic est Attalus christianus.* Holst.

*Et extraxit me de gradu.* Catastam intelligit editiorem, in quam rei capitis causam dicturi et judicis sententiam excepturi, ascendebant : ni potius in ipsa catasta gradum paullo sublimiorem fuisse dicamus, quem singuli rei ordine conscenderent, ut judici populoque eo magis essent conspicui : quod nos in Britannia observari vidimus. Eusebius *Hist. Eccles.* lib. VIII, cap. 9, τὸ πρὸ τοῦ δικαστοῦ βῆμα, gradum aut catastam coram judice erectam vocat : quod interpretes minime isthic observarunt, qui judicis tribunal vertunt. Eusebii verba sunt : ἅμα γοῦν τῇ κατὰ τῶν προτέρων ἀπιξάστι, ἐπιπηδῶν ἄλλοθεν ἄλλοι τῷ πρὸ τοῦ δικαστοῦ βήματι, χριστιανοὺς σφᾶς ὁμολογοῦντες. *Simul ac priores damnati fuerant, assiliebant aliunde alii in editiorem locum ante Judicem erectum, Christianos sese confitentes.* Atque ita lib. V. cap. 1, Præses Viennensis, ἀνῆγεν ἐπὶ τὸ βῆμα θεατρίζων τοὺς μακαρίους μάρτυρας, ἐμπομπεύων τοῖς ὄχλοις. *Beatos Martyres in editum gradum extulit, ut multitudini, velut in theatro et solemni pompa, spectandos proponeret.* Dionysius Alexandrinus apud eumdem Eusebium τὸ βαθρον appellat, ubi de Ammone, Zenone, cæterisque militibus, qui stantes pro tribunali, Christianos vacillantes confirmabant, cumque vulgi clamoribus exposcerentur ad supplicium, ῥῴδιαντες ἐπὶ τὸ βάθρον ἀνέδραμον. *ipsi ultro in gradum prosilierunt,* sese Christianos proclamantes. Si quis tamen de tribunali ejusque gradibus accipere malit, non obnixe repugno. Holst.

*Parce canis patris tui.* Sic Origenem adolescentem, martyrii desiderio flagrantem, rogabat mater, τῆς περὶ αὐτὸν μητρικῆς διαθέσεως φειδῶ λαβεῖν, hoc est, interprete Rufino : *Uti sibi consuleret et parceret matri.* Holst.

*Fac sacrum pro salute Imperatorum.* Hanc præcipuam Christianos explorandi rationem a gentilibus usurpatam, omnium fere martyrum Acta docent, ut repudiata sacrificandi superstitione, in deos simul et Principem commisisse convincerentur ; idcoque quanto illi urgebant obnixius, eo constantius hi reatum idololatriæ devitabant, ut hoc loco Perpetua constanter respondens : *Non facio. Hæc,* inquit Tertullianus, *est lex nostra propria Christianorum, per quam ab ethnicis agnoscimur et examinamur* (*De idololatria* cap. ult.). Unde *Apologet. c.* 9. foculum et acerram examinatorem Christianorum appellat. Idem *Apol.* c. 10. *Deos, inquitis, non colitis, et pro Imperatoribus sacrificia non impenditis. Itaque sacrilegii et majestatis rei convenimur : summa hæc causa, immo tota est.* Inde utrumque hujus accusationis caput, longa et erudita dissertatione diluit, cujus summam paucis his verbis complexus est in libro ad Scapulam : *Sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro et ipsius : sed quomodo præcipit Deus, pura prece, ita nos magis oramus pro salute Imperatoris, ab eo eam postulantes, qui præstare potest.* Holst.

*Non facio.* Sic Polycarpus suadentibus ut Cæsarem appellaret Dominum, et sacrificaret, respondit : οὐ μέλλω πράττειν ὁ συμβουλεύετέ μοι. *Numquam faciam quod suadetis.* Euseb. *Hist. Eccles.*, lib. IV, cap. 15. Holst.

*Christiana sum.* Propria hæc confessionis formula. Ita ille gloriosus Dei miles lauream detrectans apud Tertullianum : *Causas expostulatis, Christianus sum, respondit.* Ita S. Blandina inter sævissima tormenta ingeminabat : *Christiana sum.* Ea vox doloris levamentum, et animi refocillatio erat. Et Sanctus Diaconus Blandinæ socius, nihil aliud ad rogata omnia tortorum respondebat, nisi, Christianus sum. τοῦτο καὶ ἀντὶ ὀνόματος, καὶ ἀντὶ πόλεως, καὶ ἀντὶ γένους, καὶ ἀντὶ παντὸς ἐταλλγλως ὡμολόγει. *Hoc illi nomen, hæc patria, hoc genus et instar omnium.* Nam Christiani πάντιμον καὶ ἔνδοξον καὶ ζωποιὸν προσηγορίαν : *Honoratum, gloriosum, et salutare* nomen hoc ducebant, ut est apud Eusebium. Holst.

*Damnat ad bestias.* Etsi Romæ, et alibi frequenter ad bestias damnabantur ; tamen in Africa præcipue hoc supplicii genere sævitum in eos fuisse, hac maxima persecutione, ex multis Tertulliani locis constat. Holst.

*Hilares descendimus.* Nempe, ut ait Tertullianus, Christiani damnati gratias agere solebant : et magis damnati, quam absoluti gaudebant. Holst.

Digitized by Google

« consueverat a me infans mammas accipere et me- A « dignam esse, et pro eo petere [b] debere. Et
« cum in carcere manere, statim mitto ad patrem « cœpi pro ipso orationem facere multum, et inge-
« Pomponium [a] diaconum, postulans infantem : sed « miscere ad Dominum. Continuo ipsa nocte osten-
« pater dare noluit : et quomodo Deus voluit, ne- « sum est mihi hoc in oromate [c] : video Dino-
« que ille amplius mammas desideravit ; neque mi- « cratem exeuntem de loco tenebroso, ubi et com-
« hi fervorem fecerunt, ne sollicitudine infantis et « plures erant [d], æstuantem et sitientem valde,
« dolore mammarum macerarer. « sordido vultu et colore pallido, et vulnus in facie

« III. Post dies paucos, dum universi oramus, su- « ejus quod cum moreretur habuit. Hic Dinocrates
« bito media oratione profecta est mihi vox, et no- « fuerat frater meus carnalis, annorum septem,
« minavi Dinocratem : et obstupui quod numquam « qui per infirmitatem, facie cancerata [e], male
« mihi in mentem venisset nisi tunc, et dolui « obiit, ita ut mors ejus odio fuerit omnibus ho-
« commemorata casus ejus. Et cognovi me statim

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *In cod. Compend.* Pompinianum.
[b] Pati *Cod. Salis.*
[c] *Hæc desunt in edit. Holst. Rescribendum videtur* in oramate, *id est* in visione, *ut mox sub initium cap.* 10.
[d] Complura erant loca tenebrosa *Holst.*
[e] Macerata *cod. Salisb.*

## VARIORUM NOTÆ.

*Sed pater dare noluit.* Credibile est motum fuisse idololatrum patrem ad negandum filiæ infantem, B pronum est credere postea in aliquam impatientiam incidisse ; vel, quod suspicatur S. Augustinus, ab impio patre tentatum, in fide leviter titubasse. HOLST.

*Frater meus carnalis.* Sic Afri vulgo loquebantur. S. August. Epist. CCXXV. *Neque hoc inviderunt Ecclesiæ Tagastensi, quæ carnalis patria mea est.* Hæsit hæc vox in lingua italica vulgari ; quæ fere corruptiones antiqui latini sermonis amplectitur. HOLST.

*Facie cancerata male obiit, ita ut mors ejus odio fuerit*, etc. Significat eum tali morte defunctum, quæ horrorem incuteret spectantibus, propter deformitatem fœdi et fœtidi ulceris in facie extantis. Quid porro cancer sit, ut sciremus, præter cæteram diligentiam, medicos quoque consulendos putavimus, ex quorum responsis, additis quibusdam, hæc congessimus. Cancer priscis Latinis idem sonat quod Gangræna ; ita Nonius Marcellus : *Gangræna est cancer ;* quem Glossarium vetus etiam sequitur, eoque trahi C potest Cornelius Celsus lib. VIII, cap 10, ubi dum *promptiores cancros ait, cum ossis fracturæ carnis quoque vulnus accessit*, videtur significare, id quod usu cernitur, in tali casu majus periculum esse gangrænæ. Non facile tamen accesserim ad sententiam eruditi medici, qui postquam hæc observavit, negat sequioris nostrique ævi medicis in hujus vocis notione cum antiquis convenire : propterea quod id cancri nomine intelligunt, quod Græcis Καρκίνωμα dicitur : quasi vero non antiqui quoque Carcinomatis Græco nomine, Latinum cancri aut canceris vocabulum expresserint. Sane Celsus lib. v. cap. 28. de cancro in facie extante his verbis loquitur : *Non idem periculum καρκίνωμα affert, nisi imprudentia curantis agitatum est. Id vitium fit maxime in superioribus partibus, circa faciem, nares, aures, labra, mammas feminarum.* Hactenus Celsus qui etiam lib. VI, cap. 15, cum de oris cancro agit, de hoc ulcere, quod alio illo loco carcinoma vocat, videtur loqui. Quare crediderim καρκίνωμα nomen esse commune difficiliorum ulcerum ; unde apud D Hippocratem καρκινωθῆναι τὰ ἕλκεα dicuntur, quando exasperantur et incurabilia evadunt. Et in Lexico Hippocratico καρκινοῦσθαι explicatur per σκληρύνεσθαι, quod est *exacerbari*. Gangræna igitur proprie dicta, si a cancro differt, videtur cum eo participare commune nomen carcinomatis, differens ab eo fortasse, quod celerrime mortem afferat ; quum cancer ita serpat, ut multis annis hominem adhuc viventem depascatur. Nihil autem vetat quin cancer, quo Dinocrates obiit, gangræna fuerit ; nam id ex repræsentata tam tenera ætate morte, suspicari licet. Est autem utriusque, tam canceris, inquam, quam gangrænæ proprium, serpere, unde est illud ad *Timoth.* XI cap. II, ỳ 17. de Doctrina hæreticorum : *Et sermo eorum ut cancer serpit.* Et videtur translatum ex cancro ani-

*Video Dinocratem exeuntem de loco tenebroso, ubi et complura erant loca tenebrosa*, etc. Valde notandus videtur hic locus, quia fidem facit antiquæ traditionis, ex qua theologi Scholastici magno consensu, *ut* observat Bellarminus lib. II. *de Purgat.* cap. 6. § *Octava est*, docent esse sub terra quatuor locos distinctos, in quibus animæ mortuorum detinentur ; nempe omnium infimum, ubi dæmones et animæ damnatæ ; supra hunc, Purgatorium, ubi animæ purgantur ad tempus ; deinde Limbum puerorum, quo detinentur animæ mortuorum in solo peccato originali ; postremo Limbum patrum nunc vacuum a tempore mortis et resurrectionis Christi, quo animæ Patriarcharum et sanctorum mortuorum ante Christum, omni licet labe purgatæ detinebantur, qui vocatur in Evangelio, *Sinus Abrahæ*, quo portatum ab Angelis Lazarum, dives epulo vidit ex inferno. Hæc fuisse videntur illa complura loca tenebrosa, quæ se vidisse sancta Perpetua testatur his verbis. E quorum uno, nempe Purgatorio, exeuntem se Dinocratem spectasse affirmat : non quod tunc liberaretur pœnis, nam hoc paulo post contigit ; sed quod permissu Dei, inde cum suis pœnis exiret, ut imploraret subsidium precum sororis ; cujus generis tam multæ, tamque testatæ apud S. Gregorium et alios referuntur apparitiones animarum, pœnas purgatorias tolerantium. HOLST.

*Æstuantem valde, et sitientem.* Apprime hæc congruunt cum doctrina Ecclesiæ de Purgatorio, ubi æstu et igne animæ torquentur. Nam hunc Dinocratem fuisse baptizatum Augustinus observat, quem

Digitized by Google

« minibus. Pro hoc ego orationem feceram : et « inter me et illum grande erat diadema [a], ita « ut uterque ad invicem accedere non possemus. « Erat deinde in ipso loco ubi Dinocrates erat, pis- « cina plena aqua, altiorem marginem habens quam « erat statura pueri, et extendebat se Dinocrates « quasi bibiturus. Ego dolebam quod et piscina illa « aquam habebat, et tamen propter altitudinem mar- « ginis bibiturus non esset. Et experrecta sum, et « cognovi fratrem meum laborare. Sed confide- « bam [b] profuturam orationem meam labori ejus, « et orabam pro eo omnibus diebus quousque transi- « vimus in carcerem castrensem ; munere enim cas- « trensi eramus pugnaturi. Natalé tunc Getæ Cæsaris :

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *Locus mendosus ; Cod. Salisb. habet* dianten. *Suspicatur Holstenius scribendum* diastema, *quæ vox græca* intervallum *significat.*

[b] *Cod. Salisb.* Considerabam. *Apud Holsten.*, Fidebam me profuturam labori, *etc.*

## VARIORUM NOTÆ.

mali polypode, antrorsum et retrorsum reptare soli- to. Huc facit Lucifer Calaritani locus in libro *De non conveniendo cum hæreticis* ad Constantium Imp. Arianum : *Sic est de corpore Ecclesiæ excisus Sabel- licus, ut est et condetestabilituus excisus Arius iste, cu- jus sermo ut cancer in te fortissime adeo serpserit, ut totus jam cancer esse cernaris, nec poteris dicere te non Arii cancerasse sermonem, cum fœtor cancerationis tuæ ad omnem pervenerit regni tui locum ; et cuncti te vitare statuerimus, ne et ipsi peste tua Ariana cancera- remur.* Hæc ille. Ex cujus verbis obiter colligimus canceratam faciem, quæ vox hoc loco legitur, non esse barbariem sequiori sæculo natam, ut nonnemo ex medicis a me consultis contendebat, negans a quoquam antiquorum dictam canceratam faciem ; *cancrosam* enim dici debuisse, quæ *cancerosa et can- cerata* nonnisi a recentioribus barbare loquentibus dicatur. HOLST.

*Pro hoc ego orationem feceram.* Africana et hæc locutio est. Nam et apud Tertullianum legitur *facere precationem.* Sed quod ad rem attinet, heic notandus est antiquus Ecclesiæ usus et sensus orandi pro mortuis, pœnas peccatorum post hanc vitam luenti- bus ; cujus cum multa sint alia fide dignissima testi- monia ; tum hoc magni faciendum videtur ; quippe scriptum a sancta Martyre divinis revelationibus di- guata, et suæ consummationi proxima. Nec restat hæreticis exceptio de veritate ac fide horum Actorum post tot ac tam luculenta testimonia omnis generis Scriptorum ipsa laudantium, quæ huic volumini ad- junximus. Sunt autem ejusmodi, quibus ne contu- macia quidem ipsa atque impudentia objicere quid- quam posse videatur. HOLST.

*Et inter me et illum grande erat diadema.* Non dissimulo, si suspicioni esset indulgendum, videri non sine fundamento reponi posse *diastema* pro *dia- dema.* Nam diastematis vocem Latinis eo sæculo fre- quentatam intelligere licet ex 1. Frontino libro *de Agror. Qualit.* ubi sic scribit : *Si tres circuli pares fue- rint, inter se æquali diastemate connexi.* Et Hygenus de limit. constit. *Quid quod nec illa ipsa regione, So- lis conspectus recte potest deprehendi, nisi æqualibus ab ortu et occasu diastematibus, ferramentum ponatur.* Item : *Terram punctum esse cœli, et infra solem amplo diastemate Spiritus sustinere.* HOLST. — *Et inter me et illum grande erat diadema, ita ut uterque ad invicem accedere non possemus.* Quæ notat heic Holstenius de conjectura, qua rescribendum suspicatur *diastema* pro *diadema*, videntur hanc ex- ceptionem pati quod loca illa quæ citat Frontini et Hygeni agrimensorum, parum certe persuadeant S. Perpetuam usam hoc loco ista voce, quæ erat pro- pria artis agrimensoriæ, ac consequenter aliena ab usu vulgari, præsertim mulierum in Africa. Itaque cum, ut ipse Holstenius agnoscit in ipsis illis schedis unde istam ejus notam expressimus, constans et di- serta ms. codicis lectio *diadema* præferat, non est caussa cur facile mutetur, præsertim cum valde com- modum sensum ea vox habeat ; siquidem ista loca tenebrosa quæ complura se vidisse superius ait, erant instar Zonarum quarumdam, quales a Cosmographis utiliter finguntur, cœlos et terram amplectentes, nempe spatia oblonga, globos ambientia idonea lati- tudine, quæ, quod ad inferos attinet, antiquus lo- quendi usus a Scholasticis præsertim scriptoribus, ex veteri ecclesiarum consuetudine retentus, Limbos appellat. Est autem Limbus ejusdem notionis voca- bulum cum diademate ; diadema siquidem, ut notum est, significat fasciam longiorem quam latiorem, ca- put ambientem, aut capiti circumligatam, ut præfert etymologia græca ejus nominis, a verbo διαδέω, cir- cumligo. Idem igitur est quod dicit Perpetua : fuisse inter Dinocratem et se *grande diadema* : ac si diceret, fuisse grandem Limbum, videlicet spatium oblongum alicujus latitudinis. Id vocatur in Evangelio, Chaos, Lucæ XVI, 26. *Et nunc inter nos et vos magnum Chaos firmatum est.* In Græco est, Χάσμα, quod sonat hia- tum, et convenit quod addit : *Ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmea- re ;* cum his quæ dicit heic S. Perpetua; *Ita ut uterque ad invicem accedere non possemus :* Erant enim hæc spatia, velut fossæ circumductæ munitionibus, ipsa sui vacuitate commeatum excludentia : quod in corpori- bus facilius intellectu est ; ad animas vero arcendas interveniebat ordinatio divina, expressa verbo fir- mandi : *Chaos magnum firmatum est.* Nec obstat mo- do dictis, quod juxta hæc *diadema* non ipse locus fuerit, in quo erat Dinocrates, sed spatium inter eum et S. Perpetuam medium, unde non videtur confici diadematis sive Limbi nomen Purgatorio competere. Cum enim ejusdem formæ ac figuræ essent tam loca subterranea, quam hiatus aut χάσματα quibus sepa- rabantur, potest utrisque ex æquo convenire diade- matis sive Limbi nomen. De hactenus dictis, etsi nihil notatum *in Holstenii Adversariis* reperi, audivi tamen a viro fide digno eum ab hac sententia minime abhorruisse. Retulit nempe mihi P. Joannes Besso- nus e nostra societate, sese, cum ei aliquando Lucas Holstenius hæc ipsa S. Perpetuæ Acta quæ ad editio- nem parabat, communicasset, et de ista diadematis mentione, quid sentiret, rogasset, illo respondente Limbi vocabulum ista paris notionis voce videri suppletum, Holstenium multum id sibi probari si- gnificasse. POSSIN.

*Transivimus in carcerem castrensem.* Hoc est, car- cerem in ipso castrorum loco positum. HOLST.

*Munere enim castrensi eramus pugnaturi.* Cum cas- tra Romana extra urbes, longa et quasi perpetua statio militum essent, in ea transferebantur præcipua civitatum commoda, ne iis milites fraudarentur. In his etiam spectacula, quibus mire dediti Romani erant. Ergo ludorum castrensium, hoc est, in castris ad delectandos milites celebratorum, Suetonius me- minit in *Tiberio*, cap. 72. Sed quod vox muneris heic ponitur, ea significabatur pugna, vel gladiatorum in- ter se, vel bestiarum cum hominibus morti addictis, quæ proprie θηριομαχία dicitur. Ita quod apud Euse- bium, lib. v, cap. 1, legitur, θηριομαχιῶν ἡμέρας, cle- ganter a Rufino vertitur *munerum dies.* Nota heic in voce *pugnandi* catachresim esse quamdam, dum de

Digitized by Google

« et feci pro illo orationem die et nocte gemens et la- A « aqua ludere more infantium gaudens : et experrecta
« crymans ut mihi donaretur. « sum. Tunc intellexi translatum eum esse de pœna.

« IV. Die autem quo in nervo mansimus, osten- CAPUT III.
« sum est mihi hoc : Video locum illum quem retro
« videram tenebrosum, esse lucidum; et Dinocratem Argumentum. — *Perpetua a patre iterum tentatur; visio*
« mundo corpore, bene vestitum, refrigerantem. Et *ejus tertia, in qua abducitur ad luctam contra Ægyp-*
« ubi erat vulnus, video cicatricem; et piscinam illam *tium, proposito præmio; pugnat, vincit et præmium ac-*
« quam retro videram, summisso margine usque ad *cipit.*
« umbilicum pueri; et aquam de ea trahebat sine « 1. Deinde post dies paucos Pudens [b], mi-
« cessatione, et super margine phiala erat [a], plena « les optio, præpositus carceris, qui nos magni fa-
« aqua; et accessit Dinocrates, et de ea bibere cœ- « ceret [c] cœpit intelligens magnam virtutem Dei
« pit, quæ phiala non deficiebat. Et satiatus abscessit de « esse in nobis, multos fratres ad nos admittebat,
« ut et nos et illi invicem refrigeraremus. Ut autem

LECTIONES VARIANTES.

[a] Aurea *add. Holsten.*
[b] Prudens *Cod. Salisb.*
[c] Qui nos magnificiebat, cœpit intelligere magnam virtutem esse in nobis, qui multos ad nos, etc. *Holsten.*

VARIORUM NOTÆ.

iis dicitur, qui bestiis expositi mere passive se habe- B ac pœnæ loco, ante ipsum supplicium fuit. Scio de
bant, quales martyres erant. Unde Juvenalis cum ri- nervo viros doctos hoc tempore non consentire : sed
xam vocasset nocturnam grassationem ebriorum in apud veteres cum res pariter ac nomen in usu esset,
obvios inermes nec reluctantes, sic adjungit : lis nulla est. Non omittamus hoc observare occasione

Si rixa est ubi tu pulsas, ego vapulo tantum. mentionis compedum, raro eas videri saltem per Africam adhibitas in custodia Christianorum religionis caussa vinctorum. S. Aug. Conc. II. *in Psal.* ci. circa principium tom. 10, pag. 439 : *Unde Martyres compediti? nonne catenati potius quam compediti? ducti enim SS. Martyres post Judices per Provincias circumeuntes in catenas novimus missos, in compedes autem non novimus.* Holst.

Prævaluit tamen, ut qui obnoxii et vincti trade- *Tunc intellexit translatum eum esse de pœna.* En animam a purgatoriis flammis liberatam di-
bantur bestiis, græce θηριομαχεῖν, latine *pugnare ad* vina revelatione S. Perpetua intelligit. — *Translatum eum esse de pœna.* Egregius locus ad
*bestias* dicantur; cum tamen hæ locutiones proprie probandum, mortuos posse a pœnis, quas patiuntur, per vivorum preces liberari. Aliqui ex hoc loco
convenirent iis, qui revera pugnare jubebantur cum C deducebant, posse etiam eos, qui ante baptismum
bestiis, venationibus in amphitheatro datis, ut cum decesserant, orationibus adjuvari, quos egregie re-
summo vitæ periculo, ita non sine aliqua victoriæ spe: fellit Augustinus lib. I. *de Origine Animæ*, c. 10, et
nam et leones, et si qua est alia ferocior bestia, ab lib. III, c. 9, ubi ait, Dinocratem propter peccata
istis interdum occisos legimus. Quare duo hæc genera quædam post baptismum commissa tales pœnas per-
pœnarum erant: quorum prius summum erat supplitulisse. Nam septennis puer mentiri potuerat, vel
cium, et capitis pœna vocatur lib. 8. ff. de Pœn., posaliud quidpiam ad patris gentilis suasionem contra
terius in mediocrum pœnarum numerum refertur a Deum facere. Hæc Augustini sententia confirmatur
Paulo Sent. lib. v, tit. 17, et Ulpiano lib. 8. ff. ad leg. ex eo, quod Perpetua superius dixit, totam suam
com. de fals. Nam qui ad ludum venatorium damna- D ipsius familiam, excepto patre, Christi religionem
bantur, liberari poterant: qui bestiis deputati, sine coluisse. Ruinart.
remissione consumendi. Unde vel ad stipitem reli- Cap. III. — 1. *Pudens, miles optio, præpositus*
gati, vel retibus inclusi, feris objiciebantur, ut resis- *carceris.* Vox *optio*, ministerii aut præfecturæ nomen
tendi facultas non esset; tum vero, ut ex fine horum est. In inscriptionibus Gruteri legitur, *optio karceris :*
Actorum discimus, quidquid vitæ ac spiritus bestiarum ut quod hoc additur, *Præpositus carceris*, explicandi
crudelitas reliqui fecerat, gladio tandem eripiebatur. gratia positum videatur. Græci vocant δεσμοφύλακα,
Holst. — Munera seu ludi pugnæ cum bestiis appel- quam vocem Actor. XVI, 27. S. Ambrosius in *Epistolabantur*, quod in populorum vel militum delectatio- *lam ad Ephesios* cap. IV, optionem carceris interpre-
nem darentur. Dicebantur autem ludi castrenses, si tatur sic scribens : *Neque Paulus et Silas tempus di-*
in castris fierent. Sermonem *in die munerum* habuit *stulerunt quo optionem carceris baptizarent.* Hoc jam
Augustinus in basilica Restituta, qui est in nova quæri potest, cur militi hoc officium commissum? ea
*edit. 19.* T. V. Vide notas ibi appositas. Ruinart. forte de caussa, quod in castris ubi carcer tunc erat,

*Natale tunc Getæ.* Antoninus Geta Severi filius, ut superius est dictum, non licebat uti urbanis mini-
qui post patris obitum a suo fratre Caracalla, cum stris ad ejusmodi munia; sed ea curari per milites
quo aliquandiu imperarat, occisus est. At hic per debebant, prout a pari licet intelligere ex Leg. 4. ff.
*Natale* interpretari debemus diem quo Cæsar factus de Off. Procons. ubi sic legitur : *Nemo proconsulum*
fuerat; qui dies vulgo natalis imperatoris dicebatur, *stratores suos habere potest : sed vice eorum milites mi-*
sicut natalis episcopi, dies quo consecratus erat: *nisterio in provinciis fungantur.* Huc facit vetus inscrinam alias Geta, teste Spartiano, die 6 calendas junii piptio, in qua militis optionis mentio est.
natus est. Ruinart.

IV. — *Die quo in nervo mansimus.* Noxiis in car- AVRELIO CANDIDO FILIO
cere vinciendis duo vinculorum genera olim usitata DVLCISSIMO Q. V. ANN. IIII.
commemorant leges duodecim Tabularum, nervum AVRELIVS CALANDINVS MIL.
et compedes apud A. Gellium lib. XX, cap. 1. Utrum- COH. VIII. PR. OPT. G. SECVNDI
que genus alii etiam sæpius conjungunt. Cato apud B. M. F. Holst.
eumdem Gellium lib. XI, cap. 18. *Fures privatorum furtorum in nervo atque in compedibus ætatem agunt.* Et Livius lib. VIII : *Ne quis nisi qui noxam meruisset, donec pœnam luisset, in compedibus aut in nervo teneretur.* Compedes sunt pedicæ ferreæ, quæ pedes vinctorum breviori aut longiori catena, arctius brevisve ita cohibent, ut non solum pedibus insistere, sed et gradum promovere atque insistere utcumque possent. Nervus autem proprie lignum foraminibus pluribus distinctum, quod pedes vinctorum inclusos aut vicinis aut distantioribus intervallis ita concludit, ut humi desidentes loco se movere nullo modo valeant: divaricatio per quæ foramina, ob molestiam, tormenti

— *Optio* præfecturæ seu ministerii alicujus nomen est. Inspectorem putant Bollandiani a græco verbo ὄπτομαι, *video.* Ruinart.

*Qui multos ad nos admittebat.* Hæc erat *custodia delicata*, ut vocat Pontius Diaconus in vita S. Cypria-

Google

« proximavit dies muneris, intravit ad me pater meus « consumptus tædio, et cœpit barbam suam evellere, « et se in terram mittere et prosternere se in faciem, et improperare annis suis, et dicere tanta « verba quæ moverent universam creaturam. Ego « dolebam pro infelici senecta ejus.

« II. Pridie quam pugnaremus, video in oramate « huc venisse Pomponium diaconum ad ostium carceris, et pulsare vehementer. Exivi ad eum, et aperui ei : qui erat vestitus distinctam candidam, habens multiplices calliculas [a]. Et dixit mihi : Perpetua, te exspectamus, veni. » Et tenuit mihi manum, et cœpimus ire, per aspera loca et flexuosa. « Vix tandem pervenimus anhelantes ad amphitheatrum, et induxit me in media arena, et dixit mihi : « Noli pavere, heic sum tecum, et collaboro tecum, » et abiit. Et adspicio populum ingentem attonitum. Et, quia sciebam me ad bestias datam esse, « mirabar quod non mitterentur mihi bestiæ. Et « exivit quidam contra me Ægyptius, fœdus specie, cum adjutoribus suis pugnaturus mecum. « Veniunt et ad me adolescentes decori adjutores et favitores mei, et exspoliata sum, et facta « sum masculus. Et cœperunt me favitores mei oleo « defrigere [b], quomodo solent in agonem, et illum « contra Ægyptium video in afa [c] volutantem. Et « exivit vir quidam miræ magnitudinis, ut etiam « excederet fastigium amphitheatri, discinctam habens tunicam [d] et purpuram inter duos clavos « per medium pectus, habens et calliculas [e] multiformes ex auro et argento factas, et ferens [f] virgam quasi lanista, et ramum viridem in quo

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Galliculas *cod. Salisb.*
[b] Defricare *Salisb.*
[c] Aqua *cod. Compend. et Salisb. sed melius* afa *seu* apha *aut* hapha, *id est pulvis, quo pugiles post unctionem inspergebantur.*
[d] Discinctatus purpuram *Holsten.*
[e] Galliculas *Salisb.*
[f] Efferens *Holsten.*

## VARIORUM NOTÆ.

ni, cui e contrario opponitur *custodia diligens*, de qua vide Cujacium *Observ.* lib. XIV, cap. 34, et Heraldum *ad Tertulliani Apolog.* pag. 97. Non tamen sine causa Pudentis humanitati S. Perpetua eam visitandi licentiam tribuit, quod caute et timide plerumque accederent ad carceres, et ferme singuli, ne semetipsos proderent, aut invidiam concitarent apud persecutores, si catervatim eo influerent. Temporum istorum conditionem luculenter nobis ob oculos ponit S. Cyprianus Epist. IV. *Peto quoque*, inquit, *ad procurandam quietem solertia et sollicitudo vestra non desit. Et si fratres pro dilectione sua cupidi sunt ad conveniendum et visitandum confessores bonos, quos illustravit jam gloriosis initiis divina dignatio; tamen caute hoc, et non glomeratim, nec per multitudinem simul junctam puto esse faciendum : ne ex hoc ipso invidia concitetur, et introeundi aditus denegetur, et dum insatiabiles multum volumus, totum perdamus.* HOLST.

II. — *Video in horoamate.* Res exigit ut rescribatur *horamate*, nisi hæc vox ita deformata in usu populari Afrorum erat. Est autem ὅραμα vox Græca, sonans visum, sive visionem. Usurpatur *Actor.* cap. XII, 9. Latini Scriptores ea rarius usi sunt: tamen Aldhelmus lib. *de Virginit.* cap. 3. ubi de S. Joanne Evangelista loquitur, ait eum in *Pathmo raptum in oromate*, ubi Meursius recte *oramate* substituit in *Mantissa Critica*, (sicque in Bibliotheca SS. Patrum editum reperio), frustra reprehendente Swartio *Analectorum* lib. III. cap. 9. qui *chroma* ibi rescribendum persuadere nequidquam conatur. Reperio etiam apud Alcuinum lib. I *de Vita sancti Willebrordi*, cap. 2. hæc verba : *Mater intempesta noctis quiete, cœleste in somnis vidit horama.* HOLST.

*Habens multiplices calliculas.* Glossarium vetus : Galliculæ, Τροχάδες. Et in Glossis Græcolatinis, Τροχάς, Gallicula. Non videtur dubium, quin gallicula idem sit quod Callicula hoc loco; et cum explicetur voce Τροχάς, apparet fuisse quid rotundum et volubile. Videntur fuisse calliculæ, appendices rotundæ, ornatus caussa additæ capitibus militarium thoracum, in acumen desinentibus. Hæ poterant ex bysso, purpura aut simili materia esse; interdum e metallo, ut habetur paullo inferius, v. 31. *Habens calliculas multiformes ex auro et argento factas.* Hujus generis erant tintinnabula malogranata in extrema ora vestis summi Sacerdotis posita, ut habetur in Exodo et Levitico. POSSIN. — An *galliculæ* sint parvæ caligæ, vid. *Liturg. Gallican.* Mabillon, p. 473. RUINART.

*Ægyptius fœdus specie.* Plautus Pœnulo : *Itaque replebo atritate, atrior multo ut fiat quam Ægyptii.* Auson.

Tinctus colore noctis,
Manus puer loquaci
Ægyptius choraules, etc.

*Ægyptium video in afa volutantem.* Afa pulvis est Græca significatione; est enim Græcum nomen, ἀφή, Latine scriptum. Solebant autem pugiles certaturi inspergere uncta corpora, pulvere, vel in eo humi jacente se volutare. Ovid. *Metamorph.* IX. de duobus Palæstritis invicem sibi pulverem ad istum usum ministrantibus :

Ille cavis hausto spargit me pulvere palmis,
Inque vicem fulvæ jactu flavescit arenæ.

Quam arenam, unde flavescebant hoc modo pugilum corpora, Martialis lib. VI, Epigr. 66. vocat Haphen hoc versu :

Et flavescit Haphe.

Agit de muliere Philæni, viros imitante in pugilatu, quod, cum acerrime arguat, immo detestetur Martialis in femina, apparet quam ex decoro S. Perpetua, etiam per visum commissa cum pugile Ægyptio diabolum designante, in masculum mutata sit, ut ipsa dicit hoc ipso loco, his verbis : *Et facta sum masculus.* POSSIN.

*Vir quidam miræ magnitudinis.* Ita in prima visione hominem canum in habitu Pastoris grandem viderat, unum scilicet eumdemque Christum, qui isthic, ut Pastor, oves suas refovet; heic, ut Imperator et Agonothetes, militibus et agonistis præmia decernit. Nam in Christianorum agone, ut ait Clemens Alexandrinus, ἀγωνοθέτης ὁ Θεός, βραβευτὴς ὁ υἱὸς Θεοῦ, θεαταὶ δὲ οἱ ἄγγελοι. *Agonotheta Deus, præmiator Dei Filius, spectatores Angeli.* HOLST.

*Purpuram inter duos clavos.* Hoc est, purpuream vestem gerens, clavis duobus sive fasciis discinctam sine zona. Gymnasiarcharum erat purpurea vestis; unde apud Lucianum dialogo de Gymnasiis, Anacharsis ex purpura Gymnasiarcham agnoscit. HOLST.

*Virgam quasi lanista.* Virgam lanistæ quoque tribuit Xiphilinus in Commodo : ἀντηγωνίζετο δὲ αὐτῷ γυμναστής τις ἢ καὶ μονόμαχος, ῥάβδην ἔχων. *Certabat cum eo lanista aliquis, aut gladiator virgam habens,* sive *ferulam.* Recte additum heic, *quasi.* Non enim qui apparebat, personam lanistæ præferebat, sed Gymnasiarchæ, hoc est Palæstritarum Moderatoris; quem etiam virgam gestare solitum docet Sidonius Apollin. lib. XI. Ep. 2. quam etiam *magistralem* appellat : et ejus usum plane honestum et censorium his verbis

Digitized by Google

« erant mala aurea. Et petiit silentium, et dixit : A
« Hic Ægyptius si hanc vicerit, occidet illam gladio ;
« et si hunc vicerit, accipiet ramum istum. Et re-
« cessit. Et accessimus ad invicem, et cœpimus mit-
« tere pugnos. Ille mihi pedes apprehendere quære-
« bat [a] : ego autem ille calcibus faciem cædebam,
« et sublata sum in aere, et cœpi eum sic cædere
« quasi terram conculcans. At ubi vidi moram fieri,
« junxi manus, ita ut digitos in digitos mitterem.
« Et apprehendi illi caput, et cecidit in faciem ; et
« calcavi illi caput. Et cœpit populus clamare, et fa-
« vitores mei psallere. Et accessi ad lanistam, et
« accepi ramum. Et osculatus est me, et dixit mihi :
« Filia, pax tecum. Et cœpi ire cum gloria ad
« portam Sanavivariam. Et experrecta sum : et
« intellexi me non ad bestias, sed contra diabolum B
« esse pugnaturam ; sed sciebam mihi victoriam
« imminere [b]. Hoc usque in pridie muneris egi : ipsius
« autem muneris actum, si quis voluerit, scribat. »

## CAPUT IV.

ARGUMENTUM. — *S. Saturus, in visione sibi facta, et S. Perpetua ab Angelis in lucem magnam portati, vident martyres ; ducti ad thronum Dei, osculo excipiuntur, Optatum episcopum et Aspasium presbyterum conciliant.*

I. Sed et Saturus benedictus hanc visionem suam edidit, quam ipse conscripsit. « Passi, inquit, era-
« mus, et eximus de carne, et cœpimus ferri a
« quatuor Angelis in orientem, quorum manus
« nos non tangebant. Ibamus autem non supini sur-
« sum versi, sed quasi mollem clivum [c] ascenden-
« tes. Et liberati primam jam vidimus [d] lucem
« immensam ; et dixi : Perpetua (erat enim hæc in
« latere meo), hoc est quod nobis Dominus promit-
« tebat : percepimus promissionem. Et dum gesta-
« mur ab ipsis quatuor Angelis, factum est nobis
« spatium grande, quod tale fuit quasi viridarium
« arbores habens rosæ [e], et omne genus floris.

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Volebat *Holsten.*
[b] Esse *Holsten.*
[c] Glebam *C. Comp.*
[d] *Sic cod. Salisb. Holsten.* Et liberati primo mundo vidimus. *Compend.* et liberati primum jam mundo vidimus. *Olim* Liberato primo mundo.
[e] Rosam *Salisb.*

## COMMENTARIUS.

exprimit : *Juvenum luctas, si involvantur obscenius, casta confestim Gymnasiarcharum virga dissolvit.* HOLST.

*Et petiit silentium.* Id per præconem aut tubicinem fieri solebat. Ejus rei formulam in Græcia solemnem fuisse ἄκουε πᾶς, *audi, quisquis es*, ex Luciano et aliis discimus. Usu hoc in primis veniebat, quando distribuenda palam præmia erant. Quare tali occa- C sione proconsuli præconem Apuleius adjungit in Floridis. De tubicine testimonium est Senecæ Epist. 74. *Nos quoque evincamus omnia, quorum præmia, non corona, nec pallium est ; nec tubicen prædicationi nominis nostri silentium faciens ; sed virtus et firmitas animi.* HOLST.

*Si hunc vicerit, accipiet ramum istum.* Nempe hic non solum gymnasiarchæ, ut dictum est ; sed et βραβευτοῦ *prætoris* personam gerebat. βραβευταὶ, inquit Etymologicus, κυρίως λέγονται, οἱ τὴν ῥάβδον ἀπὸ φοινικος ἢ τινος ἄλλου δένδρου σύμβολα τῆς νίκης, ῥαβδευταὶ τινες ὄντες. *Brabeutæ, sive prætores, dicuntur, quasi rhabdeustæ, hoc est, virgarum aut surculorum largitores : hi enim palmæ vel similis arboris ramos dabant, insignia victoriæ.* Porro ejusdem erat indicere certamen, quod hic noster paulo prius fecit, et præmium victori porrigere, quod nunc promittit. Tertull. de Fuga in persecutione : *A quo certamen edicitur, nisi a quo corona et præmium proponuntur?* Et paulo post : D *Ita agnosces ad eumdem Agonothetam pertinere certaminis arbitrium, qui invitat ad præmium.* HOLST.

*Junxi manus, ut digitos in digitos mitterem.* Significat Perpetua se in altum sublatam, ut certantem secum pugilem in terram dejiceret, compectinatis utriusque manus digitis, ejus verticem ambabus palmis in unum junctis magno impetu depressisse : unde contigit Ægyptium in faciem cadere. POSSIN.

*Et accessi ad lanistam.* Quem gymnasiarcham potius et brabeutem superius diximus, lanistam vocat, non sine catachresi forte quadam. HOLST.

*Ad portam Sanavivariam.* Res exigit, ut rescribatur : *Ad portam Sanavivariam*, ut infra § XX, v. 24. *Revocatæ sunt in portam Sanavivariam.* Ubi forte ex priori loco reponendum sit *Sanavivaria.* Ex his constat fuisse portam in amphitheatro, quæ, saltem in Africa, vulgari verbo vocaretur *Sanavivaria.* Quænam autem hæc fuerit, inquirendum est. Docet Lipsius lib. *de Amphitheatro*, cap. 21, præter portulas varias, sive postica, quæ infimum amphitheatri locum circumdabant ad varios usus, præsertim emittendarum ferarum, fuisse duas majores e regione invicem oppositas, quarum alteram *Libitinensem* fuisse dictam suspicatur, et ipse paulo post, *Mortualem* vocat, per quam scilicet mortua corpora gladiatorum, aut bestiariorum reliquiæ extrahebantur ex arena. Alterius portæ, quæ, ut ait, ducebat ad forum, nomen nullum prodit. Non dubito quin, si hunc locum vidisset, *Sanavivariam* eam dictam affirmasset. Nec etymon obscurum est ; cum enim per eam qui sani et vivi arenæ periculis superfuerant, foro et urbi redderentur, jure *Sanavivaria* nuncupata sit. Et favet huic conjecturæ duplex hic locus ; quorum in priori, Perpetua victrix pugilatu, superato in arena Ægyptio adversario, cœpit ire, ut ipsa ait, cum gloria ad portam Sanavivariam, more videlicet vincentium in hisce certaminibus, qui post victoriam per portam quæ ducebat ad forum, cum plausu exibant. Alter § XX. habet, populum misericordia motum erga sanctas Perpetuam et Felicitatem jam a feris male vexatas, revocasse illas ad portam Sanavivariam, quo videlicet gladiatores aut bestiarii, quibus parcebat populus, ejus faventi acclamatione admoniti recedebant, ut periculo se subducerent. POSSIN.

*Usque in pridie muneris.* Ita Tertullianus *ad Scapulam* cap. 7 : *Qui per Genios eorum in pridie usque juraverant.* Cicero *usque ad pridie Kal.* dixit. HOLST.

*Ipsius muneris actum.* Infra, *ordinem muneris*, et *commissionem spectaculi*, vocat. Cæterum ad hæc verba S. Perpetuæ respexit quisquis sit horum actorum auctor, cum se fidei commissum ejus exsequi dixit. HOLST.

CAP. IV. — I. *Cœpimus ferri a quatuor Angelis, quorum manus nos non tangebant.* Videtur exprimere, quod dicitur Daniel. XIV, 35. *In impetu spiritus sui.* Et de Ezechiele, ejus prophetiæ cap. VIII, v. 3. *Apprehendit me in cincinno capitis mei.* POSSIN.

*Et liberati.* Legere mallem *liberati*, ut sensus sit, eos postquam e caligine et crassiori aere sphæræ sublunaris emersissent, vidisse lucem immensam, etc. POSSIN.

*Tale fuit quasi viridarium.* De hoc viridario su-

Digitized by Google

« Altitudo autem arborum erat in modum cypressi, A « quarum folia cadebant [a] sine cessatione. Ibi « autem in viridario, alii quatuor Angeli fuerunt « clariores cæteris, qui ubi [b] viderunt nos, hono- « rem nobis dederunt, et dixerunt cæteris Angelis : « Ecce [c] sunt, ecce sunt; cum admiratione. « Et expavescentes quatuor illi Angeli qui gestabant « nos, deposuerunt nos : et pedibus nostris transi- « vimus stadium via lata [d]. Ibi invenimus Jocundum « et Saturninum [e] et Artaxium qui, eamdem « persecutionem passi, vivi arserunt; et Quintum, « qui et ipse martyr in carcere exierat; et quæ- « rebamus ab illis [f] ubi essent cæteri. Dixerunt « autem nobis Angeli : Venite prius, introite, et sa- « lutate Dominum.

« II. Et venimus prope locum, cujus loci parietes B « tales erant quasi de luce ædificati; et ante ostium « loci illius quatuor Angeli stabant, qui introeuntes « vestierunt stolas candidas. Et nos vestiti introivi- « mus, et vidimus lucem immensam, et audivi- « mus [g] vocem unitam dicentium : Agios, agios, « agios; sine cessatione. Et vidimus in medio loci « illius sedentem quasi hominem canum, ni- « veos habentem capillos et vultu juvenili, cujus « pedes non vidimus. Et in dextra et in sinistra « seniores viginti quatuor, et post illos cæteri com- « plures [h] stabant. Introivimus cum magna admi- « ratione, et stetimus ante thronum; et quatuor « Angeli sublevaverunt nos, et osculati sumus illum, « et de manu sua trajecit nobis in facie [i]. Et « cæteri seniores dixerunt nobis : Stemus. Et ste- « timus, et pacem fecimus. Et dixerunt nobis se- « niores : Ite, et ludite. Et dixi : Perpetua, habes « quod vis. Et dixit mihi : Deo gratias, ut, quomodo « in carne hilaris fui, hilarior sum et hoc modo.

« III. Et exivimus, et vidimus ante fores Optatum « episcopum ad dexteram, et Aspasium presby- « terum doctorem ad sinistram, separatos et « tristes, et miserunt se ad pedes nobis, et dixerunt « nobis : Componite inter nos quia existis, et sic « nos reliquistis [j]. Et diximus illis : Non tu es « papa noster [k], et tu presbyter, ut vos ad « pedes nostros mittatis? et misimus nos [l], et « complexi illos sumus. Et cœpit Perpetua [m] cum « illis loqui, et segregavimus eos in [n] viridario sub « arbore rosæ. Et dum loquimur cum eis, dixerunt

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Ardebant *Salisb.*

[b] Qui ibi viderunt nos et honorem. *Cod. Salisb.*

[c] Ecce sunt. Expavescentes cum admiratione quatuor illi Angeli qui stabant, deposuerunt nos. *Cod. Salisb. et* C *Compend.*

[d] Violata *Holsten.*

[e] *In codd. Compend. et Salisb. deest* Saturninus; *ut non modo in Casinensi cod., sed etiam in Excerptis Mabillon. habetur.*

[f] *Sic cod. Salisb. Holstenius autem et cod. Compend.* Et quærebamus de illis ubi essent cæteri. Angeli dixerunt nobis.

[g] Et introivimus et audivimus vocem *Holsten.*

[h] Seniores quatuor et post illos cæteri seniores complures stabant, et introeuntes cum admiratione stetimus *Holsten.*

[i] Faciem *Holsten.*

[j] Reliquistis — ut vos ad pedes. *Ita rescripsimus, Holstenium et Ballandianos secuti Ruinart.* Reliquistis — ut quid vos, *etc. Galland.*

[k] Nonne tu pater noster es *Cod. Salisb.*

[l] Ut vos ad pedes nobis mittatis. Et moti sumus *Holsten.*

[m] Et cœpit Perpetua græce cum illis loqui *codd. Salisb. et Compend.*

[n] Viridarium *Holsten.*

## COMMENTARIUS.

sius agit auctor sermonis, quem Holstenius sub nomine sancti Augustini in bibliotheca Vaticana reperit, qui nunc ultimus est dubiorum novæ editionis. GALLAND.

*Ecce sunt, ecce sunt.* Voces honorifice demonstrantium, quales illæ, *Hic est*, et similes; de iis, qui fama noti, digito occurrentium monstrabantur. POSSIN.

*Transivimus stadium via lata.* Omnino legendum *via lata*. Nam id in visione ad usum tunc vulgo notum aptabatur. Solebant in hortis et porticibus ambulacra stadiis dimetiri. Glossæ Galeni : Σταδιώνες, D ὁ σταδίοις ἀναμετρῶν τὸν περίπατον. Inde *Portieus stadiatæ* dictæ Vitruvio, lib. v, cap. 9, ubi in palæstris peristylia quadrata sive oblonga ita facienda monet, *uti duorum stadiorum habeant ambulationis circuitionem.* HOLST.

*Invenimus Jucundum et Saturninum et Artaxium*, Paulo post, *et Quintum.* Horum Martyrum nomen memoria nunc demum restituta huic actis debetur. Nam absque illis esset, perpetuo mortales latuissent, uni Deo βραβευτῇ καὶ ἀγωνοθέτῃ, et apud eum regnantibus superis cogniti. Cæterum ex hoc loco apparet magnam et universalem tunc fuisse christiani nominis persecutionem. HOLST. — In nostro martyrologio Remigiano Saturni, Jocundi et Saturnini festum celebratur die VI Martii. RUINART.

*Vivi arserunt.* Lex 28. ff. *de Pœnis*, vivi cremationem summum supplicium appellat. Ibidem additur § 9. *Igni crematur plerumque servi; nonnumquam etiam liberi plebeii, et humiles personæ.* Tales passim Christiani habebantur. Unde populus Smyrnæus, cum S. Polycarpo leonem postulasset, petiit deinde ζῶντα κατακαῦσαι, *ut vivus arderet.* Sic eleganter Rufinus Eusebii verba transtulit. In persecutione quoque Alexandrina sub Decio frequens hoc vivicomburium fuit, ut ex Dionysii epistolis apud Eusebium lib. VI, cap. 34, videre est. HOLST.

*Qui et ipse Martyr in carcere exierat.* Hoc est mortuus erat ærumnis carceris. Sic martyrii palmam citra ignem aut gladium adeptus. Sic infra § III. Optatus episcopus et Aspasius presbyter superstites, in visione Saturum et Perpetuam quasi jam defunctos repræsentante, dicunt : *Quia existis, et sic nos reliquistis.* Item infra § 13, *Secundulum vero Dens maturiore exitu de seculo adhuc in carcere evocavit.* Sic et apud Eusebium, lib. v, cap. 1, διηγοῦντο τὰ μαρτύρια τῶν ἐξόδων αὐτῶν. Hoc est, *Diverso martyriorum genere exierunt.* Sed et generatim exire pro mori apud Cyprianum, lib. *de Mort.*, illis verbis : *Pati timetis, exire non vultis; quid facium vobis?* HOLST.

*Et quærebamus ab illis, ubi essent.* Non tunc utique, cum illos invenerunt, quærebant; sed antea quæsierant : et in ea cura tunc erant, cum commodum apparuerunt : quæ res jucundiorem occursum facit. POSSIN.

II. — *Quasi hominem canum niveos habentem capillos.* Ex *Apoc.* 1, ubi de Domino : *Caput autem ejus et capilli erant alhi velut lana, aut nix.* Unde Cyprianus, lib. de Hab. Virg. *Tu execraris canitiem, detestaris albarem, qui sit ad Domini caput similis.* HOLST.

III. — *Aspasium presbyterum, doctorem.* Hoc est, cui ex officio incumbebat docere plebem. Dio-

« illis Angeli : Sinite illos, refrigerent [a]; et si « quas habetis inter vos dissensiones, dimittite vo- « bis invicem ; et conturbaverunt eos. Et dixerunt « Optato : Corrige plebem tuam ; quia sic ad te con- « veniunt quasi de circo redeuntes, et de factioni- « bus [b] certantes. Et sic nobis visum est, quasi « vellent claudere portas. Et cœpimus illic multos « fratres cognoscere [c], sed et martyres. Universi « odore inenarrabili alebamur, qui nos satiabat. « Tunc gaudens experrectus sum. »

## CAPUT V.

ARGUMENTUM. — *S. Secundulus in carcere moritur. S. Felicitas gravida, fusis precibus, octavo mense,*

A *parit sine dolore. Invictus animus S. Perpetuæ et S. Saturi.*

I. Hæ visiones insigniores ipsorum martyrum beatissimorum Saturi et Perpetuæ, quas ipsi conscripserunt. Secundulum vero Deus maturiore exitu de sæculo, adhuc in carcere evocavit, non sine gratia, ut bestias lucraretur. Gaudium [d] tamen etsi non anima, certe caro ejus agnovit.

II. Circa Felicitatem vero (nam et illi gratia Domini ejusmodi contigit), cum octo jam mensium suum ventrem haberet (nam prægnans fuerat apprehensa), instante spectaculi die, in magno erat luctu [e], ne propter ventrem differretur, quia non licet prægnantes pœnæ repræsentari : et ne inter aliquos [f] postea sceleratos, sanctum et innocentem san-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Quiescite et refrigerate *codd. Salisb. et Comp.*
[b] Defatigationibus *Holsten.*
[c] *Cod. Compend.* Cognoscere martyres, ubi odore.
B [d] Gladium *Holsten.*
[e] Lucta *Salisb.*
[f] Alios *Holsten.*

## COMMENTARIUS.

nysius Alexandrinus apud Eusebium, *Hist. eccles.* lib. VII, cap. 24, συγκαλέσας τοὺς πρεσβυτέρους καὶ διδασκάλους τῶν ἐν ταῖς κώμαις ἀδελφῶν, *Convocatis presbyteris et doctoribus fratrum, qui in pagis erant.* De presbyteris quoque doctoribus egregius Cypriani locus est Epist. XXIV, quem Pamelius sua παρεφθόρισε corrupit pag. 46. Inter quos et doctorem Audientium sive catechumenorum peculiariter commemorat. Nam catechumeni *Audientes* et *Discentes* dicti, quibus suus seorsum locus erat tributus, ubi christianæ Religionis elementa perciperent, qui κατηχούμενείον, *Catechumeneum* vocabatur. Possidius in vita S. Augustini notat usum ecclesiarum Africanarum, C ubi presbytero non erat potestas coram episcopo in Ecclesia evangelium prædicandi et tractandi : quod in orientalibus ecclesiis ex more fiebat. Alexandriæ quidem jam olim fuerat διδασκαλεῖον τῆς κατηχήσεως, schola doctrinæ sacræ a S. Marco institutæ, cui præfuerunt ecclesiastici doctores percelebres Pantænus, Clemens et Origenes. S. Hier. *Cat. Script. Eccl.* cap. 36, 38 et 54. HOLST.

*Et conturbaverunt eos.* Videtur dictum quasi *proturbaverunt*, hoc est, longe submoverunt, velut ultra fas progressos. Additur enim : *Et nobis visum est quasi vellent claudere portas.* POSSIN.

*Corrige plebem tuam*, etc. Non est aliena a visione in usum Ecclesiæ cuipiam oblata, reprehensio episcopi negligentis, aut errantis. Sic enim in Apocalypsi episcopi quidam arguuntur. POSSIN.

*Quasi de circo redeuntes et defatigationibus certantes.* Sic ms. Sed haud dubie legendum *de factionibus certantes.* Significat hic locus ecclesiam D Tuburbitanam factionibus et dissidiis Optati episcopi et Aspasii presbyteri distractam fuisse in patres. Unde illis Angeli paulo superius dixerant § XIII. v. 17. *Si quas habetis inter vos dissensiones, dimittite vobis invicem.* HOLST.

CAP. V. — I. *Secundulum vero Deus maturiore exitu de sæculo adhuc in carcere evocavit.* Cyprian. Epist. VII, de similiter præmortuo : *Divina dignatione subtractus inter ipsa cruciamenta, adeptus gloriam non tenuino supplicii, sed velocitate moriendi.* Nam ut ait Seneca *Consol. ad Marciam*, cap. 20. *Mors captivorum catenas levat, et e carcere educit quos exire imperium impotens vetuerat.* HOLST.

*Gladium tamen etsi non anima, certe caro ejus agnovit.* Videtur potius legendum : *Gladium tamen etsi non caro, certe anima*, etc. Gladii videlicet nomine tormenta, et ærumnas carceris appellat, juxta illud *Psal.* CIV, de Joseph : *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus; ferrum pertransiit animam ejus.* Et de B. Deipara Luc. II. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Significat non minus martyrem Secundulum, quam cæteros. Nam, ut ait Cyprianus, lib. de Mortalitate : *In Dei servis apud quos confessio cogitatur, et martyrium mente concipitur, animus ad bonum deditus, Deo judice coronatur. Aliud est enim martyrio animum deesse; aliud animo defuisse martyrium. Qualem te invenit Dominus cum vocat, talem pariter et judicat. Non enim Deus sanguinem nostrum, sed fidem quærit.* HOLST.

II. — *Ne propter ventrem differretur.* Ita Pontius diaconus de S. Cypriano : *Vir tam necessarius a martyrii consummatione dilatus est.* HOLST.

*Non licet prægnantes pœnæ repræsentari.* Antiquissima hæc Ægyptiorum lex fuit, τὴν ἔγκυον, ἂν ἀλῷ θανάτου, μέχρι τέκῃ, φυλάττειν. *Prægnantem, si mortis fuerit damnata, asservari donec pariat.* Refert Plutarchus, lib. *de sera Numinis vindicta*, ubi et ab Ægyptiis legem eamdem adscivisse Græcos memorat : confirmante Æliano, dum lib. *Var. Hist.* V, cap. 18, eam a Senatu Areopagitico observatam narrat. Unde in atticarum legum censu, huic quoque locum datum oportuit. Porro a Græcis cum aliis bonis legibus hæc quoque ad Romanos migravit. Ulpianus L. 3, ff. de Pœnis. *Prægnantis mulieris consumendæ damnatæ pœna differtur quoad pariat. Ego quidem* (addit) *et ne quæstio de ea habeatur, scio observari quamdiu prægnans est.* Et L. 18, ff. de Statu Hom. *Imperator Hadrianus rescripsit : Liberam quæ prægnans ultimo supplicio damnata est, liberum parere, et solitum esse servari eam, dum partum ederet.* Moysem quoque æquissimam hanc legem a sua republica adeo non exclusisse testatur Philo lib. περὶ φιλανθρωπίας, ut eam ad bruta etiam animalia extenderit. ἀλλ' ὅγε νόμος (inquiens) ἕως περιῤῥαγτηρίων ἐλαύνει καὶ ὅσα τῶν ζώων κυηφορεῖ· μὴ ἐπιτρέπων, ἄχρις ἂν ἀποτέκῃ, ῥραγιάζεσθαι, τὰ κατὰ γαστρὸς ἐνίσχυ τοῖς ἀποκυηθεῖσι λυγιζόμενος. *Lex feta animantia templo arcet, neque mactari permittit priusquam pepererint; fetum utero conclusum eodem loco habens, quo editum.* Addit deinde, συνιεῖν δέ μοι δοκοῦσιν ὁρμηθέντες ἔνιοι τῶν νομοθετῶν καὶ τὸν ἐπὶ καταχρίτοις γυναιξὶν εἰσηγήσθαι λόγον, ὃς κελεύει τὰς ἐγκυούσας, ἂν ἄξια θανάτου ῥῶσι, μὴ θανεῖν, μέχρις ἂν ἀποτέκωσιν· ἵνα μὴ ἀναιρουμένων συναπόληται τὸ κατὰ γαστρός. *Unde etiam quidam legumlatores de mulieribus capite damnatis legem constituisse videntur, quæ vetat prægnantes, si capitale crimen admiserint, morte affici priusquam partum ediderint, ne cum iis fetus qui in utero est, moriatur.* HOLST. Vid. et Baronium in not. ad martyrologium die VII Martii. *Ruinart.*

Digitized by Google

guinem funderet. Sed et commartyres ejus graviter contristabantur, ne tam bonam sociam, quasi comitem, solam in via ejusdem spei relinquerent. Conjuncto itaque unito gemitu, ad Dominum orationem fuderunt ante tertium diem muneris. Statim post orationem dolores eam invaserunt. Et cum, pro naturali difficultate octavi mensis, in partu laborans doleret, ait illi quidam ex ministris Cataractariorum: Quæ sic modo doles, quid facies objecta bestiis, quas contempsisti cum sacrificare noluisti? Et illa respondit: « Modo ego patior quod patior, illic autem alius erit in me qui patietur pro me, quia et ego pro illo passura sum. » Ita enixa est puellam, quam sibi quædam soror in filiam educavit.

III. Quoniam ergo permisit, et permittendo voluit Spiritus sanctus ordinem ipsius muneris conscribi, A etsi indigni ad supplementum tantæ gloriæ describendum; tamen, quasi mandatum sanctissimæ Perpetuæ, immo fidei commissum ejus exsequimur [a], unum adjicientes documentum de ipsius constantia et animi sublimitate. Cum [b] a tribuno castigatius eo tractarentur, quia ex admonitionibus hominum vanissimorum verebatur ne subtraherentur de carcere incantationibus aliquibus magicis; in faciem respondit Perpetua, et dixit: « Quid utique non permittis refrigerare noxiis nobilissimi Cæsaris [c] scilicet, et natali ejusdem pugnaturis? Aut non tua gloria est, si pinguiores illo producamur? » Horruit et erubuit tribunus; et ita jussit illos humanius haberi [d], ut fratribus ejus et cæteris facultas fieret introeundi et refrigerandi cum eis; jam et [e] ipso B optione carceris credente.

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *Nempe supra num.* x, *S. Perpetua dixit :* Ipsius autem muneris actum si quis voluerit scribat.

[b] *Codd. Salisb. et Compend.* Quia tribuno castigante eos et male tractante, quoniam ex admonitionibus.

[c] *Idem codd.* Quia natali ejus sumus pugnaturi.

[d] *In eorumdem codd. operestituimus; nam Holstenius habebat* manibus hiberi.

[e] Tamen *Holsten.*

## COMMENTARIUS.

*Ex ministris Cataractariorum.* Cataractæ portæ sunt robustæ, funibus aut catenis ita suspensæ, ut demitti et subduci possint, prout res postulat; quales in urbium aut arcium aditu hostium irruptioni propulsandæ passim in usu remanserunt, et *Sarracenicæ* vulgo appellantur. Hæ vel olim vinctis custodiendis adhibebantur; unde et καταράκτης pro carcere positum legitur apud LXX. *Jeremiæ* XX. v. 2. In quem locum vide Origenem, Hom. 18. pag. 257. Vel C certe clathra, aut fores clathratæ: quia ad cataractæ formam ex lignis cancellatim compactis constabant, cataractæ vocabantur; et janitores carcerum, *cataractarii;* quorum ministri custodes erant excubantes ad portam. Hos Libanius, Orat. *de Custod. Reorum*, τὰς θύρας κυρίους vocat *portæ Dominos*, et ingressus ad vinctos arbitros. *Act.* XII, 6. φύλακες πρὸ τῆς θύρας; *custodes ostio appositi* dicuntur. HOLST.

*Alius erit in me, qui patietur pro me.* Nempe Christus in martyribus patiens. Sic Saulo Christianos persequenti Christus dicit: *Quid me persequeris?* Act. IX, 4. Sic Petro mox Romæ crucifigendo idem apparens dicit: *Vado iterum crucifigi.* Sic denique Eusebius, lib. V, cap I, de Sancto diacono, cujus corpus ὅλον τραῦμα καὶ μώλωψ, *continuum vulnus et livor*, humanam figuram amiserat, ait: ἐν ᾧ πάσχων Χριστὸς μεγάλας ἐπιτέλει δόξας, *in quo Christus patiens magna et gloriosa gesserat.* Similia apud Cyprianum et alios occurrentia omitto. HOLST.

De præmaturo Felicitatis partu præclara habet D Augustinus sermone 281 novæ editionis jam laudato. RUINART.

III. — *Fidei commissum ejus exsequimur.* Alludit, ut superius indicatum est, ad ultima illa verba S. Perpetuæ: *Ipsius autem muneris actum, si quis voluerit, scribat:* Quibus reliquæ passionis pertexendæ provinciam alteri delegat. HOLST.

*Cum a tribuno castigatius eo tractarentur*, etc. Hoc est, tribuno ægre permittente cibos inferri, diariis solito tenuioribus pascerentur: utique præter morem. Nam ut ait Seneca Epist. XVIII. *Liberiora sunt alimenta carceris.* Et: *Sepositos ad capitale supplicium non tam anguste, qui occisurus est, pascit.* Sic Tertulliano, *Castigatio victus*, jejunium, aut cibus parcior dicitur. HOLST.

*Ex admonitionibus vanissimorum hominum, verebatur ne subtraherentur de carcere incantationibus*, etc. Hæc est illa, quam Christo temere ac blaspheme impactam S. Ignatius, Epist. *ad Philipp.* queritur, συκοφαντία μαγείας, *calumniosa accusatio magiæ.* Quam et in Christianos, quoties mirum aliquid supra vim humanam patrarent, frequentatam a persecutoribus, cuncta fere martyrum acta testantur. HOLST.

*Quid utique non permittis refrigerare.* Hoc est, paulo lautius et copiosius pasci. HOLST.

*Noxiis Nobilissimi Cæsaris.* Getæ filii Severi Imp. cujus natali, ut superius dictum, pugnaturi erant. Nobilissimi appellatio, filiorum Imperatoris natu minorum propria. Vide Phot. *Bib.* p. 187. Leunclav. *Pand. Tur.* pag. 99, Panvinius *in Fastis*, p. 244 et 245, duas inscriptiones refert, quæ hoc adstruunt. Idem visitur in nummo hujus ipsius Getæ apud Hulsium cum adversa figura Nobilitatis. Item apud Biæum. *Noxiis* porro dicit gentilium sensum verboque, qui innocentissimum hominum genus, noxiorum more extremis suppliciis afficiebant. Quamquam in universum quacumque ex causa, etiam citra crimen morti addictos venationibus, aut gladiatoriis ludis noxios vocatos reperimus; adeo ut Tertullianus in *Apologet.*, cap. 16, mercenarios, noxios vocet, qui se ultro gladio ad lanistam auctorabant, aut sponte libera ad bestias ibant, et, ut S. Cyprianus loquitur, *Non crimine, sed furore* ad bestias pugnabant. Notat tamen Tertullianus aliquando in ipsis persecutorum actis Christianos a noxiis distinctos, veritate scilicet mendacibus interdum excidente. Sed ut ad usum communiorem revertamur, Latina vox *noxii*, non semper græcæ voci κακοῦργοι, sed aliquando voci, ἐπιθανάτιοι respondebat, morti destinatos indicans, sive gladiatoriis telis, sive belluarum dentibus conficiendos, quos *bestiarios, ludo deputatos, servos pœnæ* vocabant. Unde Tertullianus, lib. *de Pudicitia*, locum sancti Pauli I *Cor.* cap. IV, 9, ἐπιθανατίους, ἀπέδειξεν ὡς erudite vertit: *Elegit nos velut bestiarios.* Hos Quintilianus declamat. 9, vocat: *Debita noxæ mancipia*, quæ ad ludum certamque mortem alebantur. HOLST.

*Si pinguiores illo producamur.* Hæc Perpetua sancta securitate dixit, quæ profani interdum homines perdita securitate, ut Apuleius loquitur, faciebant: ejus verba sunt lib. IV. *Alibi noxii perdita securitate suis epulis bestiarum saginas instruentes*, etc. Mos autem erat, eos qui vel pœnæ causa ad gladiatorium, aut venatorium ludum dati essent, aut sponte se iisdem addicerent, saginari prius a magistris ludi, ut habiliores ac valentiores producerentur. S. Cypria-

IV. Pridie quoque, cum illa cœna ultima quam liberam vocant, quantum in ipsis erat, non cœnam liberam, sed agapen cœnarent [a]; eadem constantia ad populum verba ista jactabant, comminantes judicium Domini, contestantes passioni suæ [b] felicitatem, irridentes [c] concurrentium curiositatem, dicente Saturo : « Crastinus dies satis vobis non est, quod libenter videtis, quod odistis. Hodie amici, cras inimici. Notate tamen nobis [d] facies nostras diligenter, ut recognoscatis nos in die illo judicii. » Ita omnes [e] inde attoniti discedebant : ex quibus multi crediderunt.

## CAPUT VI.

ARGUMENTUM. — *E carcere in amphitheatrum hilares educuntur, maxime Perpetua et Felicitas; omnes renuunt vestes profanas induere; flagellantur; anhelant ad bestias, objiciuntur; Saturus bis illæsus; dejiciuntur SS. Perpetua et Felicitas; revocantur in portam Sanevivariam. S. Saturus, a leopardo læsus, militem adhortatur; se invicem osculantur; gladio occiduntur.*

I. Illuxit dies victoriæ illorum, et processerunt de carcere in amphitheatrum, quasi in cœlum, hilares, vultu decori; si forte, gaudio paventes, non timore. Sequebatur Perpetua placido [f] vultu et pedum incessu, ut matrona Christi Dei dilecta [g] : vigorem oculorum suorum dejiciens ab omnium conspectu. Item Felicitas salvam se peperisse gaudens, ut ad bestias pugnaret, a sanguine, ab obstetrice ad retiarium, lotura post partum baptismo secundo. Et cum delati [h] essent in portam, et cogerentur habitum induere [i] viri quidem sacerdotum Saturni, feminæ vero sacra-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Agapen cœnare, *familiaris est Tertulliano loquendi modus. Uterque tamen cod. ms. habet* adipem *pro* agapen.
[b] Passiones suas et felicitatem *cod. Salisb.*
[c] Irritantes *Holsten.*
[d] Vobis *Cod. Salisb.*
[e] Multi *Cod. Salisb.*
[f] Placido vultu... ut matrona *Holstenius cum Rolland.* Lucido incessu, ut matrona. *Et mox :* Dejiciens omnium conspectum *Galland.*
[g] Lucido vultu ut matrona Christi, ut Dei delicata, vigore oculorum dejiciens omnium conspectum *Holsten.*
[h] Ducti *Holsten.*

## COMMENTARIUS.

nus Epist. 2. *Impletur in succum cibis fortioribus corpus, et arvinæ toris membrorum moles robusta pinguescit, ut saginatus in pœnam carius pereat.* Et Quintilianus Declamat. 9 : *Alebat devotum corpus gravior omni fame sagina.* HOLST. — Præter opportune notata ab Holstenio, videri potest alludere hic locus ad vota quorumdam, in plena sui habitudine mori optantium, quale expressit in Europa Horatius, Od. 27, lib. 3.

> Antequam turpis macies decentes
> Occupet malas, teneræque succus
> Defluat prædæ, speciosa quæro
> Pascere tigres. POSSIN.

IV. — *A cœna ultima quam liberam vocant.* Qui erant ad bestias damnati, pridie pugnæ cœnabant lautissimi idque palam.

*Sed Agapen cœnarent.* Non describimus quæ passim de agapis veterum Christianorum viri docti observant : inter alios Albaspinæus, lib. I. *Observatione* 18. De iisdem agunt Chrysost. I *Cor.* XI *Homil.* 27; Tertullianus *Apologet.* cap. 39; Cyprianus *Epist.* lib. III; concilium Gangr. *Can.* 11. Erant triplices, natalitiæ, nuptiales, funerales. Gregor. Nazianz. *de Vit. Distin.* Porro modus hic loquendi etiam Tertulliano usitatus *Apolog.* cap. 39. *Inde disceditur non in catervas cœsionum, sed ad eumdem curam modestiæ et pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverit, quam disciplinam.* HOLST.

*Hodie amici, cras inimici.* Hoc dicit Saturus gentilibus curiose spectantibus martyres, dum pridie muneris cœnæ liberæ operam darent; significans eos qui tunc tranquille et quasi amice spectarent, postridie insanis clamoribus eorum necem petituros. Nam *ubi bestiarii in arenam producti sunt, populus de spectatore in adversarium vertitur*, ut ait Seneca, lib. I de Ira, cap. 2, quem etiam vide *de Tranquillitate*, cap. 10. HOLST.

CAP. VI. — 1. *Illuxit dies victoriæ*, etc. Sic Pontius Diac. qui hæc acta non semel exprimit : *Illuxit denique dies alius, ille signatus, ille promissus, ille divinus.* HOLST.

*Processerunt de carcere.* Ita Pontius de S. Cypriano : *Processit ergo jam certus expungi, quod diu fuerat retardatum : processit animo sublimi et erecto, hilaritatem præferens vultu, et corde virtutem.* HOLST.

*In amphitheatrum quasi in cœlum hilares.* Scilicet, ut Cyprianus ait pag. 166 : *Securi de præmio cœlesti, de corona martyrii, et de regno Dei.* HOLST.

*Vultu decori.* Euseb., lib. V, cap. I, de Martyribus Viennensibus et Lugdunensibus : οἱ μὲν ἱλαροὶ προσήεσαν, δόξης καὶ χάριτος πολλῆς ταῖς ὄψεσιν αὐτῶν συγκεχυμένης. *Hilares processerunt, in quorum vultu decor quidam gratia et venustate multa aspersus emituit.* Vel ut Rufinus vertit : *Producebantur de supliciis læti, et divinum nescio quid in ipsis vultibus præferentes.* E contra, qui Christum negarant, κατηφεῖς καὶ ταπεινοὶ καὶ δυσειδεῖς, καὶ πάσης ἀσχημοσύνης ἀνάπλεοι : *Tristes, demissi, ipsis quoque conspectibus horridi, et omni turpitudinis deformitate fœdiores.* HOLST.

*Lucido incessu.* Ita Xenophon in *Apologia de Socrate*, cum jam morti addictus e judicum conspectu discederet, ἀπῄει καὶ βήμασι καὶ σχήματι καὶ βαδίσματι ῥαιδρός. HOLST.

*A sanguine, ab obstetrice.* Inde sanguinolentos infantes appellat L. 2. C. *de patr. qui fil. suos distr.* Eosdem Juvenal. Sat. 7, *adhuc a matre rubentes* vocat. Et L. I. *Cod. Theod.* de Exp. : *Sanguine materni uteri adhuc perfusos, et recens natos.* HOLST.

*Lotura baptismo secundo.* Sanguinis scilicet et martyrii. Celerinus conf. apud Cyprianum, epist. XXI. *Si non ante cruore illo sancto laveris, pro nomine Domini nostri Jesu Christi.* HOLST.

*Cogerentur habitum induere; viri quidem sacerdotum Saturni.* Nam ut Lactantius ait lib. VI, cap. 20, *venationes quæ appellantur munera, Saturno sunt attributæ.* Afrorum autem Saturnum, hominum victima placari solitum apud sæculum, testatur Tertull. *Scorp.*, cap 7, quod clarius explicat *Apolog.*, cap. 9, sic scribens : *Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam usque ad proconsulatum Tiberii.* Infantibus substituti videntur noxii, ne humani cruoris victima Saturnus fraudaretur. Unde et sacerdotes dei sanguinarii coccineo pallio usos idem Tertullianus docet lib. *de Testim. Animæ*, cap. 2, ubi varios gentilium sacerdotum habitus designans : *Et vitta Cereris*, inquit, *redimita, et pallio Saturni coccinata, et Isidis linteata*, etc. Tum lib. *de Pallio*, cap. 4. *Latioris purpuræ ambitio, et galeatici ruboris superstitio, Saturnum commendat.* HOLST.

*Feminæ vero sacratarum Cereri.* Ut viros ad bestias damnatos pallio coccineo, quæ vestis erat propria sacerdotum Saturni, ut dictum est, induebant;

Digitized by Google

tarum Cereri : generosa illa in finem usque constantia repugnavit. Dicebat enim : « Ideo ad hoc sponte pervenimus ; ne libertas nostra obduceretur. Ideo animas nostras addiximus [a], ne tale aliquid faceremus : hoc vobiscum pacti sumus. » Agnovit injustitia justitiam : concessit tribunus, ut quomodo erant, simpliciter inducerentur. Perpetua psallebat, caput jam Ægyptii calcans. Revocatus, et Saturninus, et Saturus populo spectanti commi- nabantur de hoc. Ut sub conspectu Hilariani pervenerunt, gestu et nutu cœperunt Hilariano dicere : « Tu nos, inquiunt, te autem Deus judicabit. » Ad A hoc populus exasperatus, flagellis eos vexari pro ordine [b] venatorum postulavit. Et utique illi gratulati sunt, quod aliquid et de [c] Dominicis passionibus essent consecuti.

II. Sed qui dixerat : *Petite et accipietis* (*Joan.* xvi, 24), petentibus dedit eum exitum quem quisque desideraverat. Nam, si quando inter se de martyrii sui voto sermocinabantur, Saturninus quidem omnibus bestiis velle se objici profitebatur, ut scilicet gloriosiorem gestaret coronam. Itaque in commissione spectaculi, ipse et [d] Revocatus leopardum experti, etiam super pulpitum ab urso vexati sunt. Satu-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic ex cod. Salisb. restituimus, quod ex conjectura suspicabatur Holstenius. Olim* Adduximus.

[b] *Stabant venatores cum flagris per ordinem dispositi : ante quos damnati transire coacti, a singulis transeuntes cædebantur.*

[c] *Dominus quippe flagellis quoque cæsus fuit.*

[d] *Hunc locum egregie ex cod. Compend. restituimus, qui alias mendosissimus erat, ut conferenti patebit. Nil quippe de Saturnini passione habebatur, omissione harum vocum,* B ipse et, *et cæteris in singulari numero dictis.*

## COMMENTARIUS.

ita feminas eidem pœnæ destinatas vitta redimibant. Nam vitta redimitas fuisse Cereris flaminicas, modo ex Tertulliano audivimus, idemque confirmat *de Pallio*, cap. 4 : *Cur istos non spectas habitus, qui novitati suæ stare religionem mentiuntur? cum ob cultum omnia candidatum, et ob notam vittæ, et privilegium galeri Cereri initiantur.* Quæ autem sic initiatæ erant, sacratæ Cereri vocabantur. Talem Fabiam Aconiam Paullinam sacratam Cereri et Coræ, antiqua inscriptio apud Gruterum, pag. CCCIX, 2 et 5, exhibet. Holst.

*Generosa illa in finem usque constantia repugnavit.* Tertullianus, lib. *de Idololatria*, cap. 18, inter cætera idololatriæ genera, habitus quoque inquinatos, fideli recusandos docet : quippe qui idololatriæ ab initio dicati, habent profanationis suæ maculam. *Nemo*, ait, *in immundis mundus videri potest; tunicam si induas inquinatam per se, poterit forsitan illa non inquinari per te, sed tu per illam mundus esse non poteris.* Addit mox : *Tu si diaboli pompam ejerasti, quidquid ex ea attigeris, id scias esse idololatriam.* Item : *Nullus habitus licitus est apud nos, illicito actui adscriptus.* Cyprianus magistrum expressit Serm. *de Lapsis*, similem constantiam gratulans confessoribus, qui vestes similes recusaverant. Ejus verba sunt : *Ab impio sceleratoque velamine, quo illic velabantur sacrificantium capita captiva, caput vestrum liberum permansit; frons cum Dei signo pura, diaboli coronam ferre non poterit.* Hæc Cyprianus. Cæterum his vestibus bestiarii ornabantur, ut specie ludos ornarent, in pompam producti, antequam Lestiis objicerentur. Quintilianus, Declamat. 9 : *Jam ostentata per arenam periturorum corpora mortis suæ pompam duxerant.* Holst.

*Ad hoc sponte pervenimus.* Ita Tertull. *Apol.* cap 49. gentiles frustra Christianis insultantes redarguit : *Quasi non totum*, inquit, *quod in nos potestis, nostrum sit arbitrium. Certe si velim, Christianus sum. Tunc ergo me damnabis, si damnari velim. Cum vero quod in me potes, nisi velim, non potes ; jam meæ voluntatis est, quod potes, non tuæ potestatis.* Mox explicat qua ratione Christiani tormentis sponte se offerant. *Ergo, inquitis, cur quærimini, quod vos insequamur, si pati vultis? plane volumus pati; verum eo more quo et bellum nemo quidem libens patitur; cum et trepidare, et periclitari sit necesse*, etc. Holst.

*Libertas nostra obduceretur.* Obducere, usitata Africanis locutione est offuscare, obscurare, imminuere, violare, lædere. Ita sæpe Tertullianus, ut *Apolog.*, cap. 50. *Sed obducimur : certe cum obtinuimus : ergo vivimus, cum occidimur; denique evadimus, cum obducimur*, etc. Vide Rigaltium in Glossario Tertulliani. Holst.

*Animas nostras adduximus.* Forte legendum *addiximus*, hoc est, capitali judicio subjecimus. Valer. Max., lib. VII, cap. 6 : *Addictorum etiam et capitali crimine damnatorum*, etc. Similia passim occurrunt. Dixi «forte» quia defendi satis verisimiliter potest lectio vulgata, sumendo adducendi verbum in sensu offerendi, quod Græci προσάγειν dicunt. Holst.

*Populus exasperatus.* Seneca, lib. I *de Ira*, cap. 2 : *Quid gladiatoribus? quare populus irascitur, et tam inique ut injuriam putet, quod non libenter pereunt? contemni se judicat, et vultu, gestu, ardore, de spectatore in adversarium vertitur.* Holst.

*Flagellis eos vexari.* A præside scilicet, qui de plano fustium aut flagellorum castigationem irrogare poterat. Lib. IX, § 3, ff. *de Off. Procons.* Holst.

*Pro ordine venatorum.* Hoc est a venatoribus, qui præsto erant flagellis instructi. Inde Tertull., lib. C ad Mart. *Alii inter venatorum taureas scapulis patientissimis inambulaverunt.* Idem, lib. I ad Nat. : *Si flagris mulier insultavit, hoc quoque proxime inter venatorios ordine transcurso remensus est.* Hunc locum Actorum nostrorum, et quos duos e Tertulliano adduximus, pariterque totam hanc arenæ διαμαστίγωσιν, *flagellationem*, hactenus non satis explicatam, egregie illustrat insignis plane locus Eusebii, lib. V, cap. 1 : ὑπέρειον πάλιν τὰς διεξόδους τῶν μαστίγων τὰς ἐκείσε εἰθισμένας. *Flagrorum ordinem ex more arenæ iterum transierunt.* Sive *flagella pro ordine venatorum ex more iterum subierunt.* Ubi vides, pro ordine, significare ante ordinem, sive præterendo ordinem, etc. Stabant videlicet cum flagris longa serie dispositi, ante quos incedere nudos bestiarios cogebant, unoquoque illorum taureas quas gerebat manu, in nuda miserorum membra infligentibus. Hoc pœnæ genus puto respexit Damasus carmine 5, in S. *Agatham*, dum ait : *Lætior inde magisque flagrans cuncta flagella cucurrit ovans.* D Porro quod diximus hanc flagellationem populum furentem a Præside postulasse, facile id potuit, cum is spectaculo præsideret : nam, ut docet Lipsius in *Amphitheatro*, pag. 15, præses muneris ad podium spectabat, hoc est in primo, sive imo subselliorum ordine, ubi ejus tribunal sive suggestus erat, ut idem observat, pag. 27, haud longo ab arena intervallo. Holst.

*Gratulati sunt, quod aliquid et de dominicis passionibus*, etc. Nempe quod flagellatum Christum meminissent, flagella gaudentes excipiebant. Sic Dionysius Alexandrinus apud Euseb., lib. VI, cap. 34, Nemesium Martyrem cum latronibus exustum, similitudine passionis Christi honoratum ait. Similia multa apud Tertullianum et alios occurrunt. Holst.

II. — *Ut scilicet gloriosam gestaret coronam.* Nam ut Tertull. ait : *Majora certamina, majora sequuntur præmia.* Unde mox gentiles alloquens : *Crudelitas vestra*, inquit, *gloria est nostra.* Holst.

*Ab urso vexati sunt.* Ecce tibi ursos in Africa,

Digitized by Google

rus autem nihil magis quam ursum abominabatur : sed uno morsu leopardi confici se jam præsumebat. Itaque, cum aper subministraretur, venator potius qui illum aprum subministraverat [a], subfossus ab eadem bestia, post dies munera obiit. Saturus solummodo tractus est. Et cum ad ursum substrictus esset in ponte, ursus de cavea prodire noluit [b]. Itaque secundo Saturus illæsus revocatur.

III. Puellis autem ferocissimam vaccam, ideoque præter consuetudinem comparatam [c], diabolus præparavit : sexui earum etiam de bestia æmulatus. Itaque despoliatæ et reticulis indutæ [d] producebantur. Horruit populus, alteram respiciens puellam delicatam, alteram a partu recenti stillantibus mammis. Ita revocatæ [e] discinguntur. Inducitur prior Perpetua ; jactata est, et concidit in lumbos : et ut conspexit [f] tunicam a latere discissam, ad velamentum femorum adduxit, pudoris potius memor, quam doloris. Dehinc requisita, et dispersos capillos infibulavit : non enim decebat martyrem dispersis capillis pati, ne in sua gloria plangere videretur. Ita surrexit ; et elisam Felicitatem cum vidisset, accessit, et manum ei tradidit, et sublevavit illam. Et ambæ pariter steterunt, et, populi duritia devicta, revocatæ sunt in portam Sanavivariam. Illic Perpetua a quodam tunc catechumino, Rustico nomine,

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Apro subligaverat *Holst.*
[b] *In utroque cod.* Pudens miles de industria efferatorum adfirmasset portas patris carnibus, magis ne mitteretur efficit, ita secundo, etc.
[c] Paratam *Holsten.*
[d] *In utroque cod. ms.* Dispoliatæ promovebantur.
[e] Revocatæ, et discinctis indutæ *Holsten.*
[f] Ubi sedit *Holsten.*

## COMMENTARIUS.

quod Plinius jam olim, et nuper adeo Lipsius negavit : sed cum ipse Plinius ex *Annalibus Coss.* ursos Numidicos commemoret, et Virgilius *Lybistidis ursæ* meminerit, Martialis quoque et Juvenalis *Lybios ursos* appellaverint, jure merito Salmasius *Plinianarum Exercitat.* pag. 311, utriusque opinionem explodit, quam fateor ex hoc nostro loco, si solus sit, revinci non posse. Potuerant enim ursi aliunde adducti fuisse in Africam, ut leones et pantheræ et elephanti Romam ad usum theatri. Videri potest huc facere Senecæ locus, lib. III *de Ira*, cap. 43 : *Ridere solemus inter matutina arenæ spectacula, tauri et ursi pugnam inter se colligatorum, quos cum alter alterum vexarit, suus confector exspectat* Item ille Arnobii lib. VII : *Feris, ne cavearum discutiant claustra, objectari moris est escas, in quas rabide sæviant, et cupidinem vexationis inclinent.* In utroque vides vexandi verbum, arenæ commissionibus accommodatum. HOLST.

*Cum ad ursum substrictus esset.* Et paulo superius : *Illum apro subligaverat*, etc. Hæc significant bestiarios alligari ne fugerent, solitos, ante conspectum ferarum in ipsos immittendarum : sed et ipsæ feræ interdum inter se alligabantur, ut, præter Senecæ testimonium jam recitatum, docet Claudianus in *Panegyrico Manlii :*

> Audaces legat ipsa vires qui colla ferarum
> Arte ligent, certoque premant venabula nisu.

Gladiatores quoque Commodi Imper. jussu inter se colligatos Xiphilinus memorat ; indignante Imperatore, quod non satis prompte et animose in mutuam cædem ruerent : et propterea colligari jubente, ut se mutuo conficerent. Non dissimili loquendi modo, S. Ignatius Martyr, cum vinctus Romam duceretur a decem militibus ferina rabie sævis, sese ligatum cum decem leopardis scribit. Gregorius quoque Turon., lib. I *Mirac.*, c. 48, refert, S. Saturninum Martyrem, *Bovis petulci religatum vestigiis, per gradus Capitolii præcipitatum*, etc. HOLST.

*Ursus de cavea*, etc. Cavea nimirum variæ feris asservandis circa arenam erant, et inde immittebantur. Vide Lipsium *de Amphitheatro*, pag. 20. Quod paulo ante pontis est mentio, videtur instituto Commodi factum, ut in Amphitheatro pontes essent. Refert enim Xiphilinus, in Commodo, pag. 382, hunc Imperatorem per Amphitheatri arenam pontes struxisse, ut inde feras conficeret. HOLST.

III. — *Ferocissimam vaccam.* L. 1, § bestias, ff. de post. *Bestias accipere debemus ex feritate magis, quam ex animalis genere.* HOLST.

*Diabolus sexui de bestia æmulatus.* Non absimili genere loquendi Tertullianus : *de Patientia*, cap. 16. *Ut in isto quoque, Domino diabolus æmularetur.* HOSLT.

*Reticulis indutæ.* Ita sancta Blandina post varia tormentorum genera, εἰς γύρασιν βληθεῖσα ταύρου παρεβλήθη. *In rete involuta tauro objicitur :* Idem Ruinus in sua editione ut novum et insitatum supplicium notavit : *Inde*, inquit, *etiam aliud excogitatur crudelitatis genus, ut reti constricta objiceretur tauro ferociter instigato ; a quo cum fuisset innumeris ictibus lacessita, et toto arenæ ambitu jactata, nihil lædituv.* HOLST.

*Pudoris potius memor, quam doloris.* Tertull., lib. *de Pudic.*, cap. 1, Pudicitiam *principalem Christiani nominis disciplinam* vocat, *quam ipsum quoque sæculum usque adeo*, inquit, *testatur ; ut si quando, eam in feminis nostris inquinamentis potius carnis quam tormentis punire contendat ; id volens eripere, quod vitæ anteponant.* Vide ejusdem *Apologet.*, cap. 50. Victorem Uticensem *de Dionysia*, S. Hilarium, pag. 289. Generatim loquendo sensus naturæ est, quem exprimit Clemens Alexandr. Pædag., lib. 2, cap. 10. his verbis : οὐδὲν μέρος ὀτιοῦν ἀπογυμνοῦσθαι γυναικὸς, εὐπρεπίστι. *Summam esse indecentiam, quamcumque muliebris corporis partem nudari.* Quod in gentilibus quoque feminis naturalis pudor semper abhorruit. Hinc illud Euripidis de Polyxena jam moriente in *Hecuba*, p. 51.

> ἣ δὴ καὶ θνήσκουσ' ὅμως
> Πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν,
> Κρύπτουσ' ὅ τ' ἀρίστευν ὄμμασ' ἀστέων χρεών.
> Illa vero etiam moriens
> Multam curam habuit honeste cadendi,
> Et tegendi ea, quæ tegi oculis virorum decet.

Quod Ovidius, *Fast.* II, ad Lucretiam transtulit :

> Tum quoque jam moriens, ne non procumbat honeste
> Respicit : hæc etiam cura cadentis erat.

Ita Cornelia Maximilla Vestalis incesti damnata, teste Plinio, lib. IV, *Epist.* 11, *Cum in subterraneum cubiculum demitteretur, hæsisseique descendenti stola, vertit se ac recollegit : cumque ei carnifex manum daret, aversata est et resiluit, fœdumque contagium, quasi plane a casto puroque corpore novissima sanctitate rejecit, omnibusque numeris pudoris :* πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν. Quod ad loquendi modum hujus loci attinet, geminus exstat apud Tertullianum, lib. *de Pœnit.*, cap 10, de iis qui pœnitentiam de die in diem differunt : *Pudoris magis memores, quam salutis.* HOLST.

*Dehinc requisita.* Hoc est, post exceptum vaccæ furentis impetum, et quasi post pugnam jam depugnatam, a venatoribus atque arenariis revocata, et ut Eusebius loquitur, ἐκ θηρίων αὖθις ἀναληφθεῖσα. HOLST.

Digitized by Google

qui ei adhærebat, suscepta, et quasi a somno expergita, adeo in spiritu et in ecstasi fuerat, circumspicere cœpit, et stupentibus omnibus ait : « Quando, inquit, producimur ad vaccam illam nescio [a]. » Et cum audisset quod jam evenerat, non prius credidit, nisi quasdam notas vexationis in corpore et habitu suo recognovisset, et illum catechuminum [b]. Exinde accersitum fratrem suum, et illum catechuminum allocuta est eos, dicens : « In fide state, et invicem omnes diligites ; et passionibus nostris ne scandalizemini. »

IV. Idem Saturus in alia porta militem [c] Pudentem exhortabatur dicens : « Adsum [d] certe, sicut promisi et prædixi ; nullam usque adhuc bestiam sensi. Et nunc de toto corde credas. Ecce prodeo illo, et ab uno morsu leopardi consumar. » Et statim in fine spectaculi, leopardo objectus, de uno morsu ejus tanto perfusus est sanguine, ut populus revertenti illi secundi baptismatis testimonium reclamaverit : « Salvum lotum, salvum lotum. » Plane utique salvus erat, qui hoc spectaculo claruerat [e]. Tunc Pudenti militi : « Vale, inquit, et memor esto fidei meæ ; et hæc te non conturbent, sed confirment. » Simulque ansulam [f] de digito ejus petiit, et vulneri suo mersam reddidit ei, hæreditatem pignoris relinquens [g] illi, et memoriam sanguinis. Exinde jam exanimis prosternitur cum cæteris ad jugulationem solito loco. Et cum populus illos in medium postularet, ut, gladio penetrante in eorum corpore, oculos suos comites homicidii adjungeret, ultro surrexerunt et se quo volebat populus transtulerunt : ante jam osculati invicem, ut martyrium per solemnia pacis consummarent. Cæteri quidem immobiles et cum silentio ferrum receperunt : multo magis Saturus, qui et prior scalam ascenderat, prior reddidit spiritum ; nam et Perpetuam sustinebat. Perpetua autem, ut aliquid doloris gustaret, inter costas [h] puncta exululavit ; et errantem dexteram tirunculi gladiatoris ipsa in

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *Cod. mss.* Nescio quam? Ubi erat, *inquit Aug. Serm.* 280 *laudato*, quando ad asperrimam vaccam se pugnare non sensit? etc.

[b] *In codd. mss. desunt hæc verba :* Et illum catechuminum.

[c] *Apud Holsten. non exprimitur* Pudentis *nomen.*

[d] Ad summum *Holsten.*

[e] Modo laverat *Holsten.*

[f] Annulum *cod. Salisb.*

[g] *Cod. Salisb. habet :* Reddidit ei beatam hæreditatem, relinquens ei pignus et memoriam tanti sanguinis.

[h] Ossa compuncta *Holsten.*

## COMMENTARIUS.

*Quasi a somno expergita.* Sic de Bibliade martyre Eusebius : ἡ δ' ὥσπερ ἐξανανήψασα. HOLST.

*Adeo in spiritu et in ecstasi fuerat.* Quasi diceret : adeo extra sensuum usum elevata ac rapta, nam hoc vocatur esse in spiritu. S. Joannes, *Apocal.*, cap. IV. *Et statim fui in spiritu.* HOLST.

IV. — *Militem Pudentem.* Apud Holstenium non exprimitur *Pudentis* nomen. Hunc autem esse arbitror, qui supra cum martyribus humane egit. Pudens martyr colitur 3 kal. maii in vetusto Calendario Carthaginensi ; an iste? vel Pudens senator, de quo Paulus, Ep. II ad Timotheum, c. IV, meminit, aut tandem martyr Alexandrinus, de quo Bollandiani hac die agunt? RUINART.

*Salvum lotum.* Acclamatio populi petulanter illudentis christianis sacris. Cum enim vulgo notum esset, Christianos existimare salvos fieri homines per baptismum : populus e theatro spectans Christianum sanguine perfusum, salvum eum proclamabat qui sic lotus esset. POSSIN.

*Hæreditatem pignoris relinquens illi, et memoriam sanguinis.* Quid igitur conqueruntur adversarii, quod Sanctorum reliquias religiose asservamus? Numquid annulus ille sanguine martyris tinctus projiciendus erat? RUINART.

*Ad jugulationem solito loco.* Spoliarium intelligit, ubi conficiebantur quos arena semivivos dimiserat. Docet hoc Seneca, Epist. 94. *Numquid aliquem tim stulte cupidum esse vitæ putas, ut jugulari in spolario, quam in arena malit?* Ita mortuo Commodo, acclamatum scribit Lampridius : *Hostis patriæ, parricida, gladiator in spoliario lanietur.* HOLST. — Ibi tyrones athletæ reos conficiebant, ut sic ad pugnam adsuescerent : hinc juvenculus hic sanctam Perpetuam pupugisse dicitur. RUINART.

*Cum populus illos in medio postularet.* Sic Rufinus, lib. VIII *Hist. Eccl.*, de Attalo et Alexandro : *Sed cum ferarum nulla Sanctorum corpora contigisset, omnibus eos verberum cæterarumque pœnarum suppliciis cruciatos, ad ultimum in conspectu populi, in medio arenæ jugulari jubet.* Postulandi porro vox amphitheatri propria : Hinc *depostulatores Christianorum*, Tertull., *Apol.*, cap. 25. HOLST.

*Oculos comites homicidii.* S. Cyprianus, Epist. II : *Paratur gladiatorius ludus, ut libidinem crudelium inminum sanguis oblectet.* Et mox : *In tam impiis spectaculis, tamque diris et funestis, esse se non putant oculis parricidas.* Hanc crudelitatem non uno loco exagitat Seneca, Epist. VII, *Mane leonibus et ursis homines, meridie spectatoribus suis objiciuntur*, etc. Idem, Ep. 87. Et omnium elegantissime Lactantius, *Div. Institut.* lib. VI, cap. 2. HOLST.

*Per solemnia pacis*, etc. In Glossario veteri, solemnia pacis ἐνσέβεια, Osculum. Id *Osculum sanctæ pacis*, vocat Paulinus. Hoc symbolo pacis recte ad martyrium præparabantur. Eusebius loco sæpius citato : εἰρήνην ἀγαπήσαντες αὐτοί, καὶ εἰρήνην ἡμῖν παρεγενήσαντες, μετ' εἰρήνης ἐχωρησαν πρὸς θεόν. Quæ ita vertit Rufinus : *Super omnia pacem et ipsi diligebant, et nobis servare mandabant : nec aliam sibi, nisi per pacem, viam ad martyrium construebant.* Hinc forte Tertullianus, *de Patient.*, cap. 13. dilectionem vocat *summum fidei sacramentum, et Christiani nominis thesaurum.* HOLST.

*Consummarent.* Vox propria perfecti martyrii. Sic Tertullianus *de Patient.*, cap. 15 : *Patientia martyria consummat.* Et Cyprianus, Epist. III, martyrium *consummationem* appellat. Et Epist. V, jubet confessores humiles et modestos et quietos esse, *Ut in omnibus Dominum promerentes, ad cœlestem coronam laudis sua consummatione perveniant.* Respondet *consummare* Græco τελειοῦσθαι, quo ejus linguæ auctores in referendis martyriis passim utuntur. HOLST.

*Tirunculi gladiatoris.* Qui arenæ victima destinabatur, ut cædibus assueseceret, tyrocinii rudimenta in spoliario ponebat, ibique bestiarios quibus ferarum immanitas vitam non eripuerat, jugulabat, ut semimortuis et inermibus conficiendis exercitatus, ad justa certamina produceretur. Quintilianus, Declamat. 9, *Cruentum confectorem* vocat : hocque adeo proprium istius ministerii nomen erat, ut Smyrnenses apud Eusebium, lib. 4, cap. 14, in S. Polycarpi martyrio id retinuerint. HOLST.

Digitized by Google

jugulum suum posuit [a]. Fortasse tanta femina aliter non potuisset occidi, quia ab immundo spiritu timebatur, nisi ipsa voluisset.

O fortissimi ac beatissimi martyres ! o vere vocati et electi in gloriam Domini nostri Jesu Christi ! quam qui magnificat et honorificat et adorat, utique et hæc non minus veteribus exempla in ædificationem Ecclesiæ legere debet, ut novæ quoque virtutes, unum et eumdem semper Spiritum sanctum usque adhuc operari testificentur, et omnipotentem Deum Patrem, et Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, cui est claritas et immensa potestas in sæcula sæculorum. Amen.

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Transtulit *Holsten.*

## COMMENTARIUS.

*Ipsa in jugulum.* Id furore ac rabie faciebant gladiatores, quod sancta Perpetua pie ac generose instinctu divino fecit. Seneca Epist. XXX : *Sic gladiator tota pugna timidissimus, jugulum adversario præstat, et errantem gladium sibi attemperat.* Vide eumdem, lib. *de Tranquillitate*, cap. 10. Porro de sanctis mulieribus, quæ aut se ipsas interfecerunt, aut ad necem propriam cooperatæ sunt ex inspiratione divina, quarum memoriam celebrat Ecclesia, vide D. Thomam, 2-2, q. 59, a. 3, ad 2 et q. 64, a. 5, et q. 124, a. 1, 2, etc. HOLST.

*Amen.* Heic ad extremum adjungere nos aliquid de tempore hujus celeberrimi martyrii, res ipsa et justa eruditi lectoris flagitat exspectatio. Ea de re multum apud se disquisivisse doctissimum Holstenium, e variis ejus schediasmatis intelligo ; definivisse quid sequendum omnino judicaret, nusquam reperio. Mihi, cunctis attente circumspectis, videtur : affirmari verisimiliter posse epocham certaminis Tuburbitanarum harum martyrum in anno Christi tertio supra ducentesimum figendam. Nempe nos hæc ipsa quæ nunc primum apparent, earum Acta docent : ipsas natali Getæ Cæsaris in arena depugnasse. Disertissime id expressum legitur nostræ hujus editionis, cap. II, 3, 4, cap. V, 3. Geta secundogenitus filius *fuit* Severi Imperatoris, quem simul cum fratre majore Antonino Caracalla, consortes imperii a patre adhuc vivente renuntiatos, Herodianus tradit, lib. III, consentientibus Spartiano, et ex Dione, Xiphilino. Id accuratissimus Petavius in annum confert septimum imperii Severi : opportune admonens, haud æque istum honorem utrique habitum : sed prærogativam ætatis majori servatam, ipsi patri per omnia coæquato, titulo et dignatione Augusti ; cum frater minor Geta, tum adhuc decennis (siquidem Silanis Consulibus natus traditur) parte tantum, et gradu dumtaxat secundo supremæ dignitatis sit aspersus, appellatione Cæsaris, prout distinctius Spartianus docet. Mansit autem hoc inter germanos discrimen usque ad annum imperii Severi duodecimum, qui fuit Christi quartus et ducentesimus, quo Petavius observat ex Zozimo et Censorino ludos sæculares Romæ celebratos. Illo anno Augusti nomen Getæ quoque communicatum (Severo patre inter alia multa, quæ ab illo tentata memorat Herodianus, ad conciliandam inter fratres assidue discordes gratiam, hanc quoque exæquationem supremæ potestatis experiundam putante) certo confirmatur a Scaligero *Animadvers. Euseb.*, pag. 29, cum aliis illustribus testimoniis, tum hac inscriptione nummi antiqui.

IMP. CÆS. P. SEPT. GETA. PIUS. AUG. SÆCULARIA SACRA. S. C.

Cum ergo natali Getæ, adhuc Nobilissimi, adhuc Cæsaris, nondum Augusti, celebrando, sese arenæ destinatam sancta Martyr, ea fide scripserit, cap. V, 3, quæ sacrosancta esse cuivis debet : habemus terminos, extra quos evagari conjectura nequit in inquisitione anni mortis ejus, illos ipsos quos certa nobis historia præfinit, spatii quo Geta in ordine secundo supremæ auctoritatis stetit. Est id spatium annorum omnino quatuor, nempe a Christi 199 ad 203, nam 204 sequenti sæculari, jam, ut vidimus, Augustus Geta erat. Ne autem libere possimus unumquemlibet e tribus prioribus istius summæ annis Sanctarum martyrio deligere, arctat nos ab accuratissimis chronologis anno Severi decimo, Christi ducentesimo secundo, alligata epocha persecutionis ab eo imperatore in Christianos motæ, qua posteriorem SS. Perpetuæ et Felicitatis fuisse passionem, Martyrol. Rom. et eadem hæc ipsarum Acta demonstrant, dum cap. IV, 1, diserte meminerunt, indictæ jam et exercitæ *Persecutionis ;* utique generalis et ab Augustis imperatæ, qua Jocundus, Saturninus et Artaxius palmam jam antea vivicomburio meruerant. Video his opponi posse auctoritatem doctissimorum hominum, Pamelii *notis ad lib. Tertulliani ad Scapulam*, Petavii in lib. *de Doctrina Temporum*, et in *Chronico* ad ann. Christi 201, denique Philippi Labbe opere *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, in Tertulliano ; qui censent librum Tertulliani ad Scapulam ante indictam a Severo persecutionem scriptum. Unde sequitur, Hilariani præfecturam sub quo SS. Perpetua et Felicitas sunt passæ, in multo ulteriora retrahendam tempora, videlicet in annum Christi 195 aut etiam superius. Sed tunc illæ SS. Martyres depugnare in arena Natali Getæ Cæsaris non potuissent, quod fecisse ipsas hæc Acta testantur ; utique cum Geta, ut dictum est, ex ipso etiam Petavio, Cæsar declaratus sit anno Severi patris septimo, qui fuit Christi 199. Quare mihi credibile est, eruditissimos illos viros, si hæc quæ nunc primum proferuntur, Acta videre potuissent, numquam fuisse relaturos scriptionem libri Tertulliani *ad Scapulam* ad annum Christi 199 aut 201, ante datum a Severo in Christianos edictum ; cum idem Tertullianus illo libro significet, Hilarianum sub quo se passam S. Perpetua scribit cap. II, 2, flagrante jam antea persecutione, Scapulæ præfecturam aliquot saltem annorum intervallo præcessisse. Verba sunt hæc sanctæ Martyris : *Hilarianus procurator, qui tunc loco proconsulis Minucii Timiniani defuncti jus gladii acceperat*, etc. Quem heic alium Hilarianum comminisci possumus ab eo, cujus Tertullianus Scapulam alloquens meminit his verbis : *Sicut et sub Hilariano præside, cum de areis sepulturarum nostrarum acclamassent :* Areæ non sint : *areæ ipsorum non fuerunt : messes enim suas non egerunt?* Quod mox addit de *imbre anni præteriti*, plane ostendit plusquam unius aut alterius anni spatio antiquiorem Hilariani præfecturam temporibus Scapulæ fuisse. Imo verisimile est, quos paulo inferius eodem libro Tertullianus commemorat Africæ præfectos, Cincium Severum, Vespronium Candidum, Asperum et Pudentem, aut universos aut plerosque, successores Hilariani, decessores Scapulæ fuisse. Quæ qui attente perpenderit, næ is fateri cogetur ; librum ad Scapulam nequaquam ante initium persecutionis a Severo indictæ scriptum : quin argumenta non desunt, quæ suadeant librum illum scriptum post Severi mortem. Id enim innuit modus loquendi de Severo, quoties ibi ejus incidit mentio, prorsus qualis esse non præsentium, sed e superiori memoria repetitorum solet.

Digitized by Google

Quo non contentus Josephus Scaliger, pag. 110, *Animad. Euseb.* etiam ultra mortem Antonini, filii Severi, Scapulæ præfecturam, aut saltem Tertullianei opusculi de quo agimus, scriptionem submovet, conjectura quantum arbitror, minime spernenda : ex verbis ducta libri ejusdem, ubi postquam nominavit quemdam Christianum Severo Imperatori charum, et in Palatio usque ad ejus mortem habitum, addit : *Quem et Antoninus optime noverat, lacte Christiano educatus.* Quæ verba neminem sanæ mentis putat Scaliger de Antonino Caracalla vivente scribere Tertullianum potuisse. Sed quid exilibus e verbo captandis argutiis conflictamur, cum meridianum a sole, atque irrefragabile cœlestis characteris testimonium suppetat. Eodem ecce illo libro Tertulliani ad Scapulam, verba hæc leguntur : *Nam et sol ille in conventu Uticensi extincto pene lumine adeo portentum fuit, ut non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati positus in suo hypsomate et domicilio. Habetis Astrologos.* Indicant hæc deliquium solare magnum, et cum horrore publico Uticæ visum, aliquanto antequam ea Tertullianus scriberet. Hujus Eclipseos primus et unus quod sciam calculos posuit vir doctissimus Antonius Lalovera Societatis nostræ, in quadam ad Joannem Bessonum item nostrum Epistola non edita, unde illos heic exscribam.

Anno Christi CCX, die undecimo Aprilis Novilunium Eclipticum Uticæ in Africa hora 11 post mediam noctem, m. 57, s. 14. Hoc fuit medium Eclipsis :

Initium, hora 10, m. 44, s. 44.
Tempus incidentiæ, hora 1, m. 12, s. 30.
Finis hora 1 post meridiem, m. 12, s. 1.
Tempus emersionis, hora 1, m. 14, s. 47.
Duratio totius Eclips., hora 2, m. 27, s. 13.
Quantitas, digiti 8, m. 57, s. 50.

Domicilium solis cujus Tertullianus meminit, non heic intelligendum de Leonis signo : sed accipiendum secundum rationem horoscopi, de portione aut cuspide signi Arietis, quem tum insidebat sol, Eclipticam contingente : nam ut observat Jovianus Pontanus libro *de Rebus Cœlestibus* II, c. 4, p. 75, et c. 5, p. 79, talis in quolibet Dodecatomorio locus, Solis proprium domicilium est, et antiquis sæpe dicitur, *Locus solis*, sive *Dei*. Fuit etiam tunc Sol in suo *hypsomate*, sive *exaltatione* : sic enim quidam astrologi signum Arietis appellant. Quamquam (et eo magis inclinat Lalovera) facile intelligi potest Tertullianum per Solis hypsoma nihil aliud indicare voluisse, nisi altitudinem verticalem Solis ipso meridie culminantis, quando id deliquium passus est. Quod si Tertullianus fieri potuisse naturaliter negasse videatur, in eo populariter erraverit; impune, ut in arte aliena a studiis et professione sua. Nam hoc et ipse videtur innuere, continuo ad Astrologos allegans curiosos rerum talium. Re vera nihil in eo supra naturalem usum fuit. Hactenus Epilogismus hujus Eclipsis ; ex qua manifeste demonstratur, quod dudum ostendere satagebamus ; longe post annum Christi 202, Severi 10, fuisse scriptum librum Tertulliani *ad Scapulam*, cum in eo referatur Solis deliquium commissum anno Christi 210, qui fuit 18 et ultimus Severi ; et ita referatur, ut aliquot ante annis patratum appareat. Locus hic est proferendæ, quam alicubi reperi notatam, conjecturæ illustrissimi Holstenii de tempore scripti libri *ad Scapulam*. Cum enim retulisset Scaligerum sub Elagabalo scriptum autumare ; ipse ait se putare, sub Macrino scriptum : nam a Macrino vexatos clericos testari Sulpicium Severum. Ut ut se res hæc habuit, de negotio quod in manibus habemus, jure nostro colligere videmur ex hactenus dictis ; satis nos verisimiliter existimare, Martyrium cujus Acta primigenia nunc damus, anno Christi 203, Coss. Lucio Septimio Geta Cæsare, et Lucio Septimio Plautiano, contigisse. Quod Geta Cæsar eo anno consul esset, causa videtur fuisse cur ejus Natalis gladiatoriis ludis et arenæ spectaculis honestaretur : unde ex hac ipsa Consulatus Getæ nota confirmatur nostra chronologia : cui subscribit etiam Baronius, eisdem Consulibus, et eodem Severi anno passas SS. Martyres Perpetuam et Felicitatem fuse tradens, num. XXI, et seq. anni 205. Ita ille numerat solita sibi additione duorum annorum, quam deinde cum communi calculo exæquat detracto biennio ex Probi Augusti principatu, prout jampridem docti omnes Chronologi observarunt, Scaliger, Dekerius, Petavius, Bucherius, Bollandus, Henschenius, Philippus Labbe et alii. Quare omni genere argumentorum, nempe auctoritatibus gravium scriptorum, rationibus ex re ipsa ductis, denique characteribus cœlestibus, ad omnem certitudinem firmata remanet quam proposuimus sententia de tempore triumphi sanctarum Tuburbitanarum martyrum Perpetuæ et Felicitatis, anno Christi 203, nonis martii, gloriæ immortalis palmam adeptarum.

Petrus Possinus, e societate Jesu.

## INDEX CAPITUM PASSIONIS

## SANCTARUM MARTYRUM PERPETUÆ ET FELICITATIS.


Præfatio. Nova scribenda, posteris antiqua futura. col. 13 14

Cap. I. Sancti Martyres capti ; quos inter Perpetua, quæ res gestas litteris consignavit. S. Perpetua patrem vincit : cum aliis baptizatur. In carcerem detruditur : sollicita de infante, ex visione sibi facta scalæ in cœlum erectæ, et ascensus S. Saturi et sui, et buccellæ oblatæ, intelligit martyrium propediem futurum. col. 16

Cap. II. Rursus a patre tentatur, ipsumque confortat ; cum aliis ad tribunal ducta, se Christianam profitetur. Damnatur cum reliquis ad bestias. Orat pro fratre Dinocrate mortuo, quem in visione intelligit purgatorii pœnis affligiet liberari. col. 29

Cap. III. Iterum tentatur Perpetua a patre. Visio ejus tertia : in qua ad luctam abducitur contra Ægyptium : proposito præmio, pugnat, vincit, et præmium refert. col. 38

Cap. IV. S. Saturus in visione sibi facta, et S. Perpetua, ab Angelis in lucem portati, vident Martyres. Ducti ad thronum Dei, osculo excipiuntur. Optatum Episcopum et Aspasium presbyterum dis sentientes conciliant. col. 42

Cap. V. S. Secundulus in carcere moritur. S. Felicitas gravida, fusis precibus, octavo mense parit sine dolore. Invictus animus S. Perpetuæ et S. Saturi. col. 45

Cap. VI. E carcere in amphitheatrum hilares educuntur, maxime Perpetua et Felicitas. Omnes renuunt sacrilegas vestes induere ; flagellantur ; Anhelant ad bestias ; objiciuntur. S. Saturus bis illæsus. Dejiciuntur SS. Perpetua et Felicitas. Revocantur in portam Sanevivariam S. Saturus a leopardo læsus : militem adhortatur. Sancti Martyres se invicem osculantur. Gladio occiduntur. col. 49


Digitized by Google

# DISSERTATIO

## APOLOGETICA

## PRO SS. PERPETUÆ, FELICITATIS ET SOCIORUM ORTHODOXIA,

AUCTORE JOSEPHO AUGUSTINO ORSI O. P. S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI.

### CAPUT PRIMUM.

*Externis argumentis ex Ecclesiæ et veterum Patrum auctoritate petitis, SS. Perpetuæ, Felicitatis et sociorum martyrum orthodoxia vindicatur.*

I. *Tertulliani coævi scriptoris pro Perpetua sociisque martyribus testimonium.*

II. *Pontius diaconus eorumdem martyrum acta non obscure laudavit.*

III. *Perpetuæ et Felicitatis antiquissimum fuisse in Ecclesia Romana cultum, ex Bucherii pervetusto calendario demonstratur.*

IV. *Sanctus Augustinus earumdem martyrum variis in locis cum laude meminit, ac tribus eas tractatibus celebravit; quorum priorem in editis levi admodum conjectura sancto Doctori Basnagius abjudicat et irrito conatu elevare et labefactare contendit.*

V. *Ecclesiarum Carthaginensium celeberrima et cæterarum matrix, Perpetuæ et Felicitatis reliquiis illustrata est, et ex earum nominibus nuncupata.*

VI. *In Missæ canone quotidiano earumdem nomina inter celebriores martyres recensentur.*

VII. *Argumentum, quod ex his testimoniis conficitur, frustra Basnagius.*

Nullum omnino est religiosi cultus et observantiæ signum, quod non jam inde ab antiquis temporibus confestim in sanctas hasce ac celeberrimas martyres contulerit Ecclesiæ catholicæ pietas, et unanimis ubique terrarum in eas christianæ religionis affectus populorumque devotio. Earum scilicet nomina vetustissima ecclesiarum tabularia exhibent et in omnibus pene martyrologiis descripta sunt: earum solemnitas et natalis dies magno christianæ plebis concursu celebrata: earum Acta in ecclesiis publice lecta: in earum honorem et super earum reliquias templa et altaria Deo consecrata: panegyricæ orationes in earum anniversaria festivitate a Patribus habitæ: earum denique specialis, inter quotidiana sacrificia, commemoratio ad nostra usque tempora perennavit. Hæc omnia clarissimis testimoniis ostendam, quæ ita disponam, ut plane et aperte constet jam inde ab earum A nece fuisse perpetua et non interrupta Ecclesiæ traditione pro veris martyribus habitas, adeoque in Ecclesiæ catholicæ pace et communione obiisse.

I. Tertullianus, qui Perpetuæ coævus fuit et Carthaginis incola, ubi Perpetua sociique martyres neci traditi sunt, ejus in libro *de Anima*, cap. 55, his verbis meminit: « Perpetua, fortissima martyr, sub die passionis, in revelatione paradisi solos illic commartyres suos vidit. » Ne verbo quidem indicat fuisse illam sectæ montanisticæ addictam: quod certe vanissimus homo nequaquam prætermisisset, solitus inflatis buccis sceleratæ factionis decora resonare. Meminit in eodem libro, cap. 9, fanaticæ cujusdam mulieris Angelorum, ut putabat, et ipsius Domini visionibus assuetæ; neque monere omittit suæ illam fuisse communionis: « Est, inquit, hodie soror apud nos revelationum charismata sortita, » etc. Alterius meminit libro de *Virginibus velandis* prope finem, quam pariter sororem B nominat: et montanistam fuisse, perspicuis verbis declarat: « Nobis, » id est Paracleti discipulis, qui novas non spernimus prophetias, charismata honoramus, et visiones revelationesque suscipimus, « Dominus, etiam revelationibus, velaminis spatia metatus est. Nam cuidam sorori nostræ angelus in somnis, » etc. Nihil ejusmodi tradit ubi de Perpetua loquitur, nihil ejusmodi jactat. Martyrem tantummodo nominat, et fortissimam: non illam sororem suam, non martyrem suam prædicat, et ne verbo quidem significat fuisse illam Montanistarum superstitionibus ac deliramentis imbutam. Est-ne vero credibile adeo singulare sectæ suæ ornamentum sibi suisque perspicuis verbis asserere neglexisse, qui tam sollicite monitos nos esse voluit insanas etiam mulierculas, nulla virtute insignes, sed insomniis unice deditas, e Montani schola et institutione prodiisse? Quæ contra affert Basnagius, et argumentum quod ex his Tertulliani verbis in suæ opinionis confirmationem exsculpit, inferius evertam.

II. Pontius diaconus, qui post Perpetuæ et Felicitatis obitum quinquagintia circiter annis floruit, in Vita S. Cypriani hæc habet, quæ ad eardm acta, mea quidem sententia, manifeste respiciunt, uti etiam viro

Digitized by Google

clarissimo Lucæ Holstenio jampridem est observatum(1) : « Majores nostri plebeis et catechumenis martyrium consecutis tantum honoris, pro martyrii ipsius veneratione, dederunt, ut de passionibus eorum multa, aut prope dixerim, pene cuncta conscripserint, ut ad nostram quoque notitiam, qui nondum nati fuimus, pervenirent. » Hæc Pontii verba Perpetuæ et Felicitatis acta digito veluti ostendunt, et in ea optime quadrant.

Plebeii hoc loco, ut idem observavit Holstenius, accipiendi sunt laici, nullum in clero ordinem adepti ; sic enim paulo inferius idem Pontius : *Multa sunt quæ adhuc plebeius, multa quæ jam presbyter fecit.*

Catechumenas fuisse tum ipsas, tum earum in passione socios, Actorum collectori, ipso statim initio, diligentes est adnotatum : « Apprehensi sunt adolescentes catechumini, Revocatus et Felicitas conserva ejus, Saturninus et Secundulus, inter quos et Vivia Perpetua, honeste nata, liberaliter instituta, matronaliter nupta, habens patrem et matrem et fratres duos, alterum æque catechuminum, » etc. Hic esse videtur Saturus, quem fratrem suum Perpetua in hisce Actis appellat : « Tunc dixit mihi frater meus : Domina soror, » etc. Et infra : « Et retuli statim fratri meo, et intelleximus passionem esse futuram. » Loquitur autem de Saturo, ejusdem agonis commilitone. Sunt denique ejusmodi Acta ea diligentia conscripta, quam Pontius verbis superioribus laudat. Multa enim, aut, prope dixerim, pene cuncta quæ ad eorum passiones pertinent, complectuntur, ad ipsas usque minutiores circumstantias, ut plane nesciam an aliqua antiquorum martyrum Acta majori accuratione ac diligentia descripta sint. Pontii itaque verba in ea, quæ præ manibus habemus, Acta ita belle conveniunt, ut nullis eorum quæ modo exstant, melius. An autem Pontii ætate aliqua exstiterint, ad quæ aptius ejus verba referri possent, valde equidem dubito : cum non adeo in vetustioris ævi moribus positum fuisse videatur, ut gesta martyrum adeo exquisita diligentia litteris traderentur. Fallitur enim Dodwellus cum ex laudatis verbis concludit (2), « adeo sedulos fuisse in martyrum gestis memoriæ tradendis veteres, ut nihil illos fere fugerit ; » ut ex actorum paucitate quæ supersunt, paucitatem quoque martyrum colligat. Non enim asserit Pontius in singulorum martyrum gestis memoriæ tradendis pari diligentia veteres fuisse versatos : ejus namque proposito satis erat luculentissimum horumce Actorum exemplum queis tam sedulo ad posteros transmissa fuerat plebeiorum et catechumenorum martyrum memoria. Inde enim facile omnes intelligebant, quam non segniorem operam adhibere ipse deberet in episcopi et martyris præclarissimis gestis litterarum monumentis consignandis. Nullus itaque dubito, quin Perpetuæ, Felicitatis et sociorum Acta præ oculis Pontius habuerit. Nam et ad plebeios pertinent et catechumenos, et ætas facile convenit, antequam scilicet Pontius ipse nasceretur, et eo quod ipse describit studio fuerunt ac diligentia concinnata : adeoque medio sæculo tertio fuisse Perpetuam ejusque socios Carthagine, ubi sanguinem fuderant, pro veris martyribus habitos, laudata Pontii verba non obscure suadent.

III. Id vero nemo mirabitur qui secum animo reputaverit sequenti, id est quarto Ecclesiæ sæculo, celebrem quoque Romæ fuisse Perpetuæ et Felicitatis festivitatem. Id constat ex vetustissimo Ecclesiæ Romanæ calendario, quod Buchèrius publica luce donavit, et ad Liberii tempora pertinere unanimis esse videtur eruditorum sententia. In hoc itaque venerandæ antiquitatis monumento, *Nonis Martii, Perpetuæ et Felicitatis Africæ*, nomina inscripta sunt. Quod certe indubium est vetustissimi in Ecclesia cultus argumentum. Cum enim viri eruditi Bucheranium calendarium in Liberii tempora conferunt, non ea ipsorum mens est, Romæ tum primum institutas fuisse, quæ in eo recensentur, martyrum solemnitates : absurda enim esset ejusmodi cogitatio. Nam Bucherianus iste, seu Liberianus indiculus ex antiquioribus dypticis et tabulariis descriptus est, quam non tum primum Ecclesiæ, præsertim Apostolicæ, et maxime atque imprimis Romana, sed jam inde ab initio, ut ex Tertulliano (1) aliisque auctoribus discimus, sacros fastos habuerint, pro illorum temporum conditione, accuratissime digestos. Fieri itaque optime potuit, ut aliquot ante Liberium annis Perpetuæ et Felicitatis natale cœptum fuerit in urbe celebrari : Carthagine autem prinsquam Romæ receptum fuisse et vulgatum earum cultum, annon vero perquam simillimum est? Cum igitur medio sæculo quarto Liberius, sub quo laudatum calendarium conditum est, sedere cœperit, morosi nimium critici esset, inficias ire Carthagine, saltem ineunte sæculo quarto, Nostrarum celebrem fuisse memoriam.

Est aliud, quod circa Liberianum istum martyrum laterculum diligenter velim animadverti, ex quo nostrarum martyrum cultus non vetustas modo, sed et celebritas intelligi facile potest : Martyres scilicet in eo calendario descriptos, præter Nostras et Cyprianum, omnes esse Romanos : neque, his tribus exceptis, ullum in eo exteris martyribus locum esse. Quod profecto clare et aperte demonstrat, quam ab antiquis temporibus in ore famæ prædicti martyres versarentur. Sanctos quidem martyres, non uni alicui Ecclesiæ, sed omnibus, a primis christianæ fidei sæculis, fuisse deputatos, haud inscite Oxoniensis Cypriani Operum Editor observavit; est tamen aliquid in ejus verbis, pro illorum, de quibus loquitur, temporum conditione, non satis accurate dictum : *Videmus enim, inquit* (2), *Acta martyrum ab una Ecclesia ad alias transmissa ; et singularum ecclesiarum martyrologia non suorum modo, sed et longe dissitorum hominum nomina continere.*

(1) In *Not. ad Passion. SS. Perpetuæ, Felicit.*, etc. § II, vers 1.
(2) Dissert. xi Cyprian., *de Martyr. Paucit.* § 3, et 5.

(1) Lib. *de Præscript.*, cap. 32, et lib. *de Corona Milit.*, cap. 13.
(2) In *Notis ad Epist. Celerini*, inter *Cyprianic.* 21.

Digitized by Google

Si de recentioribus martyrologiis sermo sit, puta, Hieronymiano et cæteris quæ inde profluxerunt, non est cur ullam erudito viro controversiam excitemus ; sed in antiquissimis calendariis suos duntaxat, paucis exceptis, aut finitimarum provinciarum unaquæque ecclesia martyres exhibet. Sic in Romano Buccherii, præter Nostras et Cyprianum, ut dictum est, omnes Romani ; et in Carthaginiensi Mabilloniano plerique omnes Carthaginienses, aut Africani, aut, pauci tamen ex quibusdam aliis provinciis, quibuscum magnum olim christianis Carthaginiensibus commercium intercessit ; progressu vero temporis ampliora semper condita fuisse martyrologia, quæ non singularum ecclesiarum tantum, sed et longe dissitorum hominum nomina continerent, clarum et perspicuum est : sicut etiam festivitatum numerum sequioribus sæculis valde fuisse auctum, et eas quoque solennitates adscitas, quibus remotissimæ longeque inter se dissitæ ecclesiæ suos unaquæque martyres celebrabat. Sed ut ad Perpetuam et Felicitatem redeamus, quisquamne ibit inficias dandum id esse earum famæ atque celebritati, quod solæ cum Cypriano, ex Africanis, imo et aliarum provinciarum martyribus, in Romano calendario locum habuerint, priscis illis temporibus, quibus unaquæque ecclesia suis contenta martyribus, exterorum martyrum solennitates non nisi rarissimas adscribebat. Et de Cypriano quidem facile intelligitur, unde illi adeo insigne decus, ut ejus nomen cum romanis martyribus in Liberiano indiculo adscriberetur : id scilicet præclarissimis ejus meritis datum est, non in Ecclesiam modo Carthaginensem et universam Africam ; sed in omnem qua patet Ecclesiam et imprimis Romanam longe lateque diffusis. Nostris autem unde cum Cypriano eadem gloriæ celebritas, ut ex tot martyribus qui Africæ arenas glorioso cruore irrigarunt, adeo mature, id est non longe post initium sæculi quarti, solæ cum sanctissimo illo ac celeberrimo episcopo specialem Romæ solemnitatem consequerentur ? Profecto, aut ex earum actis, aut ex miraculorum ad earum monumenta frequentia. Ex miraculis non dicet utique Basnagius : igitur ex actis quæ omnium proinde tum manibus terebantur. Annon vero absurdum est cogitatu, intra unius sæculi spatium ex hominum memoria excidere potuisse celeberrimas hasce notissimasque mulieres, quarum Actorum lectione Christiani mirifice capiebantur, Montanistarum fuisse erroribus maculatas ? Id eo difficilius creditu est, quo earum insignior exstitit fama : quæ enim ad obscuræ sortis homines pertinent, facile e posterorum memoria delet oblivio. Rem vero adeo singularem, mulieres scilicet ob invictæ fortitudinis laudem et cœlestes revelationes omnium admirationi habitas, Montanistarum addictas fuisse superstitionibus ; neque Catholici, neque Hæretici, tam brevi temporis intervallo in oblivionem abire atque intercidere permissi sunt. Non quidem Catholici, qui ut ab hæreticorum etiam gloria confessionis insignium consuetudine refugiebant, ita sollicite cavebant, ne falsi pro veris, id est hæretici pro catholicis martyribus in sacra diptyca reciperentur. Et licet aliquando hæreticorum nomina in martyrologia inrepserint ; id tamen, ut inferius demonstrabitur, sequioribus sæculis et a rerum gestarum memoria remotissimis factum est ; id vero de quo nunc agimus, vix elapso ab earum passione sæculo contigisset : quod certe in martyribus ejusdem celebritatis et nominis caret exemplo. Sed neque Montanistæ, haud infrequens in Africa hæreticorum factio, suos sibi a Catholicis subripi martyres passi fuissent. Sed de hoc alibi plenior erit et opportunior dicendi locus.

IV. Initio sæculi quinti florebat Augustinus, cujus Possidius in indiculo recenset, *de Natali Perpetuæ et Felicitatis tractatus tres*, qui in novissima operum ejus editione, PP. Benedictinorum congregationis sancti Mauri studio adornata, sunt inter sermones num. CCLXXX, CCLXXXI et CCLXXXII. Primum, id est ducentesimum octuagesimum, alias de diversis centesimum tertium, in dubium Basnagius revocat, imo non esse Augustini existimat, levissima ductus conjectura : *Non existimamus*, inquit (1), *Augustini sermonem esse de Natali SS. Perpetuæ et Felicitatis martyrum, ubi hæc leguntur* : « *Exhortationes earum in divinis revelationibus, triumphosque passionum, cum legerentur, audivimus.* » *Quæ sane non quadrant ad Augustini mentem, qui verbis expressis Perpetuæ visiones Scripturis sanctis eximit* (2) : *De fratre autem S. Perpetuæ Dinocrate, nec scriptura ipsa canonica est. Quid vero magis canonicum quam divinæ revelationes, quales sermonis auctori existimantur ?* Verum non Augustinus modo, sed neque ullus unquam catholicus scriptor *divinas* heic pro *canonicis* accepisset. Quis enim, exceptis Montanistis, privatas hujusmodi revelationes, et privata auctoritate litteris traditas, pro canonicis habuit ? An igitur sermonis auctorem aliquem fuisse dicet e Montanistarum secta declamatorem ? Non puto id dicturum virum eruditum. Quisquis igitur fuerit sermonis auctor, sane doctus et catholicus et totus Augustinianus, *divinas* dixit, a Deo immissas, ut pie existimabat, revelationes, non autem quod eas crederet divina fuisse conscriptas auctoritate : aliud est enim divinam esse revelationem, aliud divinam esse et canonicam scripturam in qua talis nobis revelatio proponitur. Ut divinam dicamus aliquam revelationem, sufficit ut Deum auctorem habuisse, probabiliter existimemus ; sed ut canonicam dicamus scripturam in qua talis revelatio continetur, necesse est ut canonicum scriptorem, et divino afflatum spiritu habuerit. Augustinus igitur, ut deinceps videbimus, Perpetuæ revelationes ex Deo fuisse probabiliter credidit : adeoque *divinas* hoc sensu et notione dicere potuisset. Auctori vero sermonis neque in mentem venit, Perpetuæ Acta in quibus ejusmodi revelationes leguntur, canonicam esse scripturam, eorumque auctorem divino afflatum fuisse spiritu, divinaque præditum auctoritate. Quare inter sermonis

(1) An. 203. *n.* VI.
(2) Lib. I *de Anima et ejus orig.*, cap. 10.

Digitized by Google

auctorem, quicumque ille fuerit, et Augustinum optime convenit : neque tam levi inanique conjectura laudatus sermo Augustino fuerat abjudicandus.

Concedatur tamen neque hunc, neque duos sequentes sermones *in Natali martyrum Perpetuæ et Felicitatis*, qui modo inter ejus et opera exstant, Augustini esse : an contra apertum Possidii esse testimonium negabit, *vel* S. Doctorem *de Natali Perpetuæ et Felicitatis tractatus habuisse?* Adeoque eas pro veris catholicisque martyribus a sancto Doctore fuisse habitas, et quinto incunte sæculo celebrem fuisse earum in Africa solemnitatem? An negabit Augustini esse enarrationem in Psalmum XLVII, ubi S. Perpetuæ meminit, et ejus acta publice in Ecclesiis lecta fuisse significat? *Sicut novimus*, inquit, *et legimus in passione beatæ Perpetuæ*. Sed et in libris *de Anima et ejus origine* (1) Perpetuam ubique sanctam appellat : et quamvis ejus passionis Acta Scripturarum canone eximat, neque ex eis testimonia proferri velit adversus fidei mysteria ; eodem tamen numero ac pretio habet quo cæterorum martyrum acta, eamdem illis ac cæteris fidem adhibet, neque ullibi Perpetuæ visiones pro muliercularum insomniis habet, veluti Montanistarum figmenta, aut humani spiritus ludificationes explodit : adeoque a Deo immissas fuisse et hoc sensu *divinas*, ea fide credit, quam hujusmodi monumentis adhibere viri prudentia et judicio præditi consueverunt.

V. Sed omnibus, quæ hactenus produximus, argumentis luculentius est illud, quod ex Basilicæ dignitate, ac vetustate conficitur, quam Carthagine Perpetua ac Felicitas habuerunt. Celeberrima siquidem et antiquissima omnium ecclesiarum Carthaginensium, et, ut modo dicitur, Matrix illa fuisse videtur quæ in antiquis monumentis modo *basilica restituta* (2), modo *basilica majorum* (3), modo *basilica major* (4), modo *ad majores* (5), nuncupatur. In ea utpote majori plebis Carthaginensis concursu frequentata, plerique Augustini sermones habiti sunt eorum, quos sanctus doctor Carthagine recitavit. In ea Concilium secundum Carthaginense sub Genetlio anno CCCXC, et cæteræ deinceps Carthaginenses synodi celebratæ sunt. De hac eadem basilica intelligendum puto sanctum Optatum Milevitanum, ubi de schismatica Majorini ordinatione loquens, hæc habet (6) : *Interea ad basilicam, ubi cum Cæciliano tota civitas in frequentia fuerat, nullus de supra dictis accessit.* Et paulo post : illo tempore aut reus (Cæcilianus) *debebat expelli, aut communicari debuit innocenti. Conferta erat Ecclesia populis : plena erat cathedra episcopalis : erat altare loco suo in quo pacifici episcopi retro temporis obtulerunt, Cyprianus, Lucianus et cæteri. Sic exitum est foras, et altare contra altare erectum est*, etc. De hac, inquam, basilica seu *majorum*, seu *restituta*, loqui hoc loco sanctum Optatum existimo, propterea quod a Victore Vitensi memoriæ proditum fuit (1), Carthaginensium episcoporum sedem illic semper fuisse, ac domicilium. Porro in hac ecclesia quam omnium Carthaginensium statuere jure optimo possumus celeberrimam juxta atque antiquissimam, Perpetuæ et Felicitatis condita fuisse, corpora, laudatus Victor Vitensis testis locupletissimus est (2) : *Basilicam majorem, ubi corpora sanctarum martyrum Perpetuæ atque Felicitatis sepulta sunt.... Suæ religioni* (Vandali) *licentia tyrannica mancipaverunt.* Imo ex Perpetuæ eamdem basilicam appellatam fuisse nomine, haud obscure colligitur ex actis secundi Concilii Carthaginensis quod habitum fuisse dicitur *in basilica Perpetua* (forte an *Perpetuæ*) restituta. Hoc autem esse puto antiquissimi et celeberrimi cultus, et earum orthodoxiæ evidentissimum argumentum.

Vetustissimum fuisse in Ecclesia morem, et ipsi pene christianæ religioni coævum, ut catholica plebs ad memorias martyrum conveniret, et ea loca frequentaret, ac religiosa devotione coleret, ubi sacræ ipsorum exuviæ conditæ fuerant, nemo qui historiam ecclesiasticam vel a limine salutarit, ignorat. De romanis monumentis, in quibus sacra Apostolorum corpora deposita fuerant, id manifeste testatur Zephyrion æqualis adeoque Tertulliano, Perpetuæ et Felicitati synchronus Caius : *Ego vero*, inquit (3), *Apostolorum tropæa possum ostendere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropæa eorum, qui ecclesiam illam fundaverunt.* In iisdem locis amplificata postmodum religione, et Ecclesia a persecutionibus respirante, exstructas fuisse basilicas, sacrasque domos religiosis usibus mancipatas, etiam constat. Illud denique ex antiquis monumentis compertum est, et ratio ipsa suadet, celebriores atque insigniores basilicas insignioribus atque illustrioribus fuisse martyribus ædificatas ; aut saltem celebriorum atque insigniorum martyrum λείψανα in celebriores et insigniores basilicas fuisse translata. Præsertim vero majores Ecclesiæ ut præcipuorum martyrum reliquiis decorarentur, cura episcoporum fuit : idque tum propter majorem ipsorum martyrum gloriam, tum propter Ecclesiarum splendorem, tum denique quia frequentior erat christianæ plebis ad matrices ecclesias concursus, atque ut eo etiam frequentius præcipuorum martyrum devotione allecta confluerent. Cum igitur Perpetuæ et Felicitatis corpora in majorem ecclesiam Carthaginensem illata fuisse, ex Victore

(1) Vid. lib. I, cap. 10 ; et lib. III, cap. 11, et lib. IV, cap. 18.

(2) In Actis Conc. Carthagin. II, et apud August., Serm. 19, et apud Victor. Vitens., lib. I. *de Persecut. Vandal.*

(3) Apud August., lib. *de Gestis Pelag.*, cap. 11, et serm. 294.

(4) Apud eumd., Serm. 258, et apud Victor. Vitens., ubi sup.

(5) Apud August., serm. 51.

(6) Lib. I *contra Parmenian.*

(1) Lib. I *de Persecut. Africana.*

(2) *Ibid.*

(3) Ἐγὼ δὲ τὰ τρόπαια τῶν ἀποστόλων ἔχω δεῖξαι· ἐὰν γὰρ θέλῃς ἀπελθεῖν ἐπὶ τὸν βατικανόν, ἢ ἐπὶ τὴν ὁδὸν, τὴν Ὠστίαν, εὑρήσεις τὰ τρόπαια τῶν ταύτην ἱδρυσαμένων τὴν ἐκκλησίαν. *Disput. adversus Proclum*, apud Euseb., *Histor. Ecclesiast.* lib. II, cap. 25.

Vitensi habeamus; quin inter illustriores martyres, antequam eo inferrentur, fuerint numeratæ ambigere non debemus.

Sed translationis tempus, ut de cultus antiquitate etiam constet, eruendum est. Anno CCCXC, quo secundum concilium Carthaginense habitum est, major ecclesia Carthaginensis ex Perpetuæ nomine, ut vidimus, nuncupabatur. Eo igitur anno antiquiorem statuere debemus sacrorum pignorum translationem. Sub Liberio Bucherianum calendarium, ut diximus, conciunatum est. In eo, ut et in omnibus martyrologiis, Perpetuæ et Felicitatis festum nonis martiis consignatur. Hunc autem non earum martyrii, sed translationis esse diem, Cl. Pagius hoc argumento probat (1). Passæ sunt SS. Martyres quo die natale Getæ Cæsaris colebatur: *Munere castrensi eramus pugnaturi. Natale tunc Getæ Cæsaris.* Et infra: *Quid utique non permittis refrigerare noxiis Nobilissimis, Cæsaris scilicet, et natali ejusdem pugnaturis?* At in diem septimam martii, neque imperii Cæsarei, neque Getæ natale genuinum incidebat. Natus enim Geta, teste Spartiano (2), *sexto calendas junias*: Cæsarea vero dignitate anno CXCVIII, non ante diem XIII aprilis ornatus est: *Et ratio est*, inquit Pagius, *quia, ut mox visuri sumus, Caracalla post eum diem tribunitiam potestatem et augusteam dignitatem a patre obtinuit*; et verisimile non est Getam *minorem filium prius a patre Augustum nuncupatum. Utraque itaque nuncupatio vel eodem tempore post mensem martium facta, vel Caracalla prius dictus Augustus quam Geta Cæsar. Quare sanctæ Perpetua et Felicitas alio die, quam quo passæ sunt, in martyrologiis coluntur. Quod non raro accidisse, passim in hoc opere observabimus, diesque septima martii dies est quo Carthaginem earum reliquiæ postea translatæ, non vero dies obitualis.* Cum itaque medio sæculo quarto Liberius sedere cœperit, hoc tempore sacrarum reliquiarum fuerat peracta translatio: adeoque statuere jure optimo possumus, eam translationem non multo post initium sæculi quarti, reddita jam per Constantinum Ecclesiæ pace, fuisse celebratam; et ab earum martyrio sæculo dumtaxat elapso, Perpetuam et Felicitatem præcipuarum martyrum loco habitas, et ad earum memorias Carthaginensem populum frequentissimum concurrisse.

Vidimus quomodo ex nostrarum martyrum in majorem ecclesiam Carthaginensem translatione cultus earum celebritas et antiquitas demonstretur: videndum superest quam luculenter ex eodem principio earum orthodoxia confirmetur. Ecclesia, domus, cathedra et altare in primis episcopi, centrum erant, ut notat illustrissimus (3) Albaspineus, ecclesiasticæ communionis. Eo catholica plebs frequentissima confluebat, inde populum episcopus alloquebatur, ibi preces eorum et oblationes et vota suscipiebat. Hic erat locus orationis, hic locus sacramentorum, hic denique solemnis sacrificii locus. Cætera altaria, ut idem observat Albaspineus, in subsidium communionis exstructa sunt, cujus, ut dictum est, centrum ecclesia et altare episcopi habebantur. In hoc altari quum frequentes Catholici communicabant, tam ad illud schismaticis et hæreticis nullus permittebatur accessus: immo inde, vi etiam adhibita, extrudebantur qui Ecclesiæ catholicæ communione excidissent, ne forte, ob loci sanctitatem et amplitudinem in quo veteres catholicæ communionis arcem constituerant, pro catholicis haberentur. Hujus rei argumento id esse potest, quod de Paulo Samosateno narrat Eusebius; nefarium scilicet hæresiarchæ sententia synodi exauctoratum, et Antiocheno episcopatu dejectum, domo, sede et ecclesia episcopali exturbari neutiquam potuisse quamdiu Zenobia, cujus ille favore et gratia utebatur, rerum in Oriente potita est. Tamdiu enim se pro legitimo episcopo habendum existimavit, et catholicam plebem sibi retinere posse credidit, quamdiu domum, cathedram, basilicam et altare occuparet, in quo majores sui sedere, plebem colligere, oblationes et vota populi suscipere, et sacrificia Deo offerre consueverant. Catholici vero episcopi omni ope et conatu egerunt ut, nequissimo homine expulso, Domnus, qui ei fuerat subrogatus, episcopalem basilicam obtineret, et in decessorum suorum sede cathedraque collocaretur. Quod quidem, profligata Zenobia, Aureliani ope perfectum est, *qui*, ut ait Eusebius (1), *ab episcopis interpellatus, rectissime hoc negotium dijudicavit, iis domum dari præcipiens quibus Italici christianæ religionis antistites et Romanus Episcopus scriberent.* Quæ cum ita sint, omnes, puto, hoc argumento facile intelligunt quam fixa fuerit apud veteres constans certaque sententia, martyres nostras in Ecclesiæ pace et communione obiisse, dum eo ipsarum corpora inferri voluerunt quo veluti ad catholicæ communionis centrum et arcem Carthaginensis populus confluebat. Præcipuorum ossa martyrum ideo sub primario illo episcopi altari recondebantur, ut catholici eo convenientes, se non aliorum fidelium modo, sed et sanctorum martyrum communionis participes esse intelligerent. Contra schismatici et hæretici, quibus ad illud pietatis asylum nullus patebat accessus, nullam sibi esse scirent neque cum Ecclesia catholica neque cum sanctis martyribus communionem. Unde sanctus Optatus Milevitanus Donatistas veluti schismaticos hoc argumento traducit, quod sanctorum Apostolorum memoriis in Urbe neutiquam communicarent (2): *Denique si Macrobio* (Donatistarum in urbe pseudepiscopo) *dicatur, ubi illic sedeat, numquid potest dicere, In cathedra Petri? quam nescio si vel oculis novit, et ad cujus memoriam non accedit, quasi schismaticus contra Apostolum faciens, qui sit* (3):

(1) Anno 198, num. V.
(2) In *Geta*, cap. 3.
(3) In *Not. ad Optat.*, lib. I *advers. Parmenian.*

(1) Βασιλεὺς ἐντυχθεὶς Αὐρηλιανὸς αἰσιώτατα περὶ τοῦ πράκτέου διείληφε· τούτοις γεμαι προστάττων τὸν οἶκον, εἰς ἂν οἱ κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἐπίσκοποι τοῦ δόγματος ἐπιστέλλοιεν. Lib. VII *Hist. Eccl.*, cap. 30.
(2) Lib. II *adversus Parmenian.*
(3) *Ad Rom.* XII, 13.

Digitized by Google

*Memoriis sanctorum communicantes. Ecce præsentes sunt ibi duorum Apostolorum memoriæ ; dicite si ad has ingredi potuit, ita ut obtulerit illic ubi sanctorum memorias esse constat?* Apud veteres igitur adeo compertum fuit Perpetuæ et Felicitati nihil, dum viverent, cum hæreticis fuisse commune, et in Ecclesiæ pace et communione martyrium consummasse, ut earum sacras reliquias, ab earum martyrio sæculo vix elapso, eo intulerint quo hæretici maxime vetabantur accedere, et ubi nemo nisi catholicus communicabat.

VI. Denique, pro nostrarum martyrum cultus antiquitate et celebritate atque earumdem orthodoxia, ex assidue repetita earum inter quotidiana sacrificia commemoratione, haud absimilia præcedentibus confici possunt argumenta. Perpetuæ enim et Felicitatis tum in Missali Gelasii, tum in Gregorii Sacramentario, tum denique in vetustissimo Sacramentario Gallicano (1) quotidie repetitur, cum paucis aliis martyribus, in missæ canone commemoratio. Obvia sunt omnibus antiquissimorum Patrum testimonia, Tertulliani in primis (2) et Cypriani (3), quibus ii aperte testantur martyrum natalitios dies speciali eorum inter sacrificia commemoratione fuisse celebratos. An vero præter anniversariam martyrum in die natalis eorum celebritatem, priscorum temporum usus haberet, ut vel omnium vel insigniorum nomina inter quotidiana sacrificia e sacris dyptichis recitarentur, haud ita e veterum testimoniis compertum est. Indicare id tamen sanctus Cyprianus videtur epist. XXXIX ad Pam. num. 30, ubi, postquam de Celerini avia Celerina, et patruo ejus, et avunculo Laurentino et Ignatio locutus est, qui martyrio jam pridem fuerant coronati, subjungit : *Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus.* His scilicet verbis haud obscure significat Cyprianus ; *quoties* alicujus martyris recurrebat anniversaria solemnitas, et prædictorum *semper* fuisse renovatam, inter sacrificiorum solemnia, mentionem. Et fieri quidem optime potuit ut, cum non magnus erat martyrum numerus, sicuti nulli eorum deerat anniversaria solemnitas, neque insignioribus tantum, et qui atrociora tormenta experti fuerant, sed etiam obscurioribus, et qui nullis cruciatibus toleratis pro confessione nominis in carcere obierant, ut ab eodem Cypriano statutum est (4) ; postea vero aucta in immensum eorum copia, præcipui tantum, ut vetera nos calendaria docent, et quorum illustrior erat fama, retenti sunt, pro quibus annua sacrificia et oblationes celebrarentur : ita primum quidem omnium fieret in quotidianis sacrificiis commemoratio ; postea vero, ut ex liturgiis, antiquissimis illis quidem, at tertio tamen sæculo recentioribus, compertum est, illustriorum dumtaxat in Missis quotidianis nomina retinerentur. Sed, ut sit de vetustiorum temporum usu, nulli dubium est quin ii quorum in Missæ canone quotidie memoria renovatur, et modo et olim fuerint inter illustriores martyres computati. Quod proinde argumento est Perpetuam atque Felicitatem, quæ in antiquissimis liturgiis id honoris, cum aliis paucis, sortitæ sunt a majoribus nostris, non inter martyres modo, sed etiam inter insigniores fuisse martyres numeratas.

Illud etiam hoc loco non sine animadversione prætermittendum, quod supra etiam est annotatum, laudatas liturgias aut sacramentaria, in quibus Perpetuæ et Felicitatis quotidie mentio iteratur, non ad Carthaginensem aut alias Africæ ecclesias, sed ad Romanam et Gallicanam pertinuisse. Quod magis adhuc magisque demonstrat quam ab antiquis temporibus nostræ in ore famæ martyres versarentur. In Missæ Romanæ canone nulli olim, nisi Romani martyres memorabantur, si præter Apostolos et Ignatium, virum apostolicum, qui et Romæ passus est, martyres nostras et Cyprianum excipias : Agatham enim et Luciam martyres Siculas a Gregorio Magno canoni adjunctas scribit Adhelmus (1). Cypriano cur id honoris tribueretur, præclara ipsius, ut dicimus, in Ecclesiam Romanam merita obtinuerunt. Nostris vero unde hæc specialis prærogativa, ut, quamvis exteræ et alienæ ac transmarinæ provinciæ, Romæ tamen earum quotidie memoria inter sacra mysteria peragereturⁱ ? Unde, inquam, illis hoc decus, nisi ex ea famæ celebritate qua semper per ora hominum volitarunt, et insigniorum martyrum loco habitæ sunt? Cum qua profecto famæ celebritate non consonat ut tam brevi temporis intervallo, cui dum viverent addictæ fuissent religioni, ex hominum memoria elaberetur.

Illud denique hic pariter observandum, hanc intra sacram synaxim sanctorum martyrum commemorationem eo præcipue spectare ut intelligamus nos cum illis in Christo, cujus corporis sacrificium offertur, communicare, quod et ipsa canonis verba aperte testantur : *Communicantes, et memoriam venerantes*, etc. Eo autem pertinere credenda est exterorum illa martyrum commemoratio, ut unam ubique esse sciamus catholicam Ecclesiam, et unam omnium ecclesiarum, quamvis loco dissitarum, communionem, ut quæ alienos martyres, haud secus quam domesticos, venerantur. Quod, ut supra est observatum, clare et perspicue demonstrat tam certo de nostrarum martyrum orthodoxia apud veteres constitisse, ut earum nomina catholicæ communionis symbolum esse voluerint.

VII. Horum omnium de quibus hactenus disseruimus, testimoniorum auctoritatem elevare se putat levissima hac responsione Basnagius, quod nempe « *horum constantia martyrum, necnon actorum antiquitas posteris fucum fecit, ut in pretio haberentur.* » Productaque deinde, quam supra confutavi, de Augustini Sermone conjectura, subjungit ; *Concedatur tamen verba hæc Augustini esse. Quæstio facti est, Per-*

(1) Apud Mabillon, tom. I *Musæi Italici.*
(2) Lib. *de Corona Milit.*, cap. 3.
(3) Epist. XII, al. XXXVII, et epist. XXXIX, al. XXXIV.
(4) Epist. XII, al. XXXVII.

(1) Lib. *de Virginitate*, cap. 25.

Digitized by Google

*petua fueritne Ecclesiæ mulier, an sectæ montanisticæ. Jam vero in quæstionibus hujusmodi viri boni sæpe numero tota errant via, et hæreticos martyres irrepsisse in martyrologia suo loco ostendimus.* De Actis, et eorum auctoritate inferius dicendum erit. Nunc breviter videndum, annon summæ temeritatis sit, ob levissimas, ut deinceps ostendam, conjecturas, eorum orthodoxiam et sanctitatem in dubium revocare, quos constat statim ab eorum passione, ac deinceps per quindecim et amplius sæcula nullo non religionis et observantiæ signo, non ut genuinos tantum, sed inter celebriores Christi martyres, universalem Ecclesiam esse veneratam? quorum scilicet memoriam jam inde ab antiquis temporibus frequentavit; quibus altaria, et basilicas, quæ centrum essent catholicæ communionis, excitavit; quorum anniversariam solemnitatem non modo ecclesia Carthaginensis, sed etiam Romana altero ab eorum passione sæculo celebravit; quorum nomina in antiquissimis ecclesiarum tabulis inter illustriorum martyrum nomina recensentur; quorum memoria cum paucis aliis insignioribusque item martyribus quotidie in missæ canone renovatur; quos denique non unum aut alterum privatum martyrologium, sed omnia et in diversarum ecclesiarum usum concinnata pariter celebrant. Hæc enim omnia in nostras martyres simul fuisse collata, satis jam præsenti hoc capite demonstravi. *Sed constantia martyrum, et Actorum antiquitas posteris fucum fecit.* Sed numquid pene coævis, aut supparibus scriptoribus imponere potuissent? *Sed in his facti quæstionibus viri boni sæpe falluntur.* Sed numquid et Ecclesiæ universalis auctoritas? Cui tantum in hisce etiam quæstionibus detulit Augustinus, ut de his nihil temere judicare voluerit, quæ tempore persecutionis, ut insectatores suæ pudicitiæ devitarent, in rapturum atque necaturum se fluvium projecerunt, eoque modo defunctæ sunt, earumque martyria in catholica Ecclesiæ veneratione celeberrima frequentantur: *De his*, inquit (1), *nihil temere audeo judicare. Utrum enim Ecclesiæ aliquibus fide dignis testificationibus, ut earum memoriam sic honoret, divina persuaserit auctoritas, nescio: et fieri potest, ut ita sit. Quid si enim hoc fecerunt, non humanitus deceptæ nec errantes, sed obedientes? sicut de Samsone aliud nobis fas non est credere.* At hæretici martyres in martyrologia irrepserunt. Sed numquid etiam in antiquissima kalendaria? numquid etiam ad eorum monumenta sacrificia, et catholicorum conventus celebrati? numquid in eorum memoriam altaria Deo, et basilicæ consecratæ? numquid eorum laudes veteres Patres orationibus et publicis tractatibus exornarunt? numquid denique inter illustriores martyres per tot annos etiam nunc in missæ canone memorantur? Marculum, pseudo-martyrem Donatistarum, primus, sæculo nono, imprudenter in suum martyrologium Rabanus retulit (2); inde in nothum Bedæ martyrologium et ex eo in aliquot Usuardini martyrologii codices, et editiones irrepsit (1); sed error facile detectus est, et Romani martyrologii conditores Numidiæ Nicomediam, Marculo Marcellum, Constanti Constantium, Macarianis Arianos subrogarunt. Legentes enim sub eosdem circiter dies in antiquioribus martyrologiis Marcelli Nicomediensis martyris nomen, et ejus acta ignorantes, ex Marculi actis interpolatis hoc ei elogium concinnarunt: *Nicomediæ* (pro *in Numidia*) *sancti Marcelli* (leg. *Marculi*) *presbyteri, qui Constantii* (verius *Constantis*) *tempore ab Arianis* (pro *a Macarianis*) *e rupe præcipitatus martyr occubuit.* Qua Patrum Benedictinorum conjectura est in Not. ad Augustini lib. III contra Cresconium, cap. 49. Qua de re videndus etiam Cl. Mabillonus in Annot. ad Marculi acta, tom. III Vett. Analector.

Jam vero quid huic, aut si quod est aliud huic simile, exemplo cum martyribus nostris aliqua ex parte commune? Quæ non sequioribus sæculis per unius aut alterius scriptoris oscitantiam in privatum aliquod martyrologium irrepserunt, sed in publicis, et antiquissimis Ecclesiæ tabulis, in publicis item precibus, ut earum nomina recitarentur, et nullum non religiosi cultus testimonium, jam inde ab initio consecutæ sunt. Sed videamus, quibus Basnagius argumentis hac sanctioris famæ et publici cultus perpetua veluti possessione sanctas martyres deturbare conatus est: gravissima enim ea esse oportet, quæ hanc ei de nostris hisce martyribus, post tot ab earum passione sæcula, intulerunt opinionem. Antiquorum enim consentientibus testimoniis et perpetuæ de illarum orthodoxia et sanctitate Ecclesiæ traditioni fides in re tam gravi abrogari non debuit, nisi aliam opinionem invicta perspicuaque argumenta pene repugnanti indiderunt. An ejusmodi sint, quæ Basnagius attulit, sequentibus capitibus disseremus.

## CAPUT II.

### BASNAGII EXTERNIS ADVERSUS SANCTAS MARTYRES ARGUMENTIS OCCURRITUR.

I. *Actorum Perpetuæ et Felicitatis compilatorem fuisse Montanistarum hæresi infectum.*

II. *Ruinartii pro Actorum compilatore rationes refelluntur variisque argumentis ejus montanismus asseritur.*

III. *Dodwelli pro ejusdem scriptoris orthodoxia disputatio.*

IV. *Ejus disputationis primum dejicitur fundamentum.*

V. *Alterum ejusdem disputationis fundamentum evertitur.*

VI. *A Montanistis Catholicos non fuisse pro hæreticis existimatos.*

VII. *Ab Ecclesiarum Catholicarum communione Montanistas non se omnino alienos existimasse.*

VIII. *Ad catholicorum quoque martyrum communionem adspirasse.*

IX. *Non Perpetuæ tantum, sed aliorum quoque ca-*

(1) Lib. I *de Civit. Dei*, cap. 26.
(2) Apud Mabillon, tom. IV *Vet. Analect.*

(1) Apud Bollandi socios, tom. VII, mensis Junii.


Digitized by Google

*tholicorum martyrum, Tertullianum cum laude memi-nisse.*

X. *Alii, præter Montanistas, hæretici catholicorum Acta martyrum luci dederunt.*

XI. *Ex ipsomet Actorum auctore Montanista, martyres nostros ab hac secta fuisse alienos ostenditur.*

I. De auctore, seu potius, ut videri vult, Actorum Perpetuæ et Felicitatis compilatore, non una eademque eruditorum sententia est. De Montanistarum familia unum fuisse, vir candidus juxta, atque eruditus, ut Basnagii verbis utar, olim sensit Valesius (1). Contra Dodwellus non omnem modo ab ipso montanismi suspicionem amolitur; sed hominem quoque fuisse contendit adversus Montanistas catholicæ fidei zelo et ardore flagrantem (2). Valesio nullo modo assentiri potest Cl. Ruinartius (3). Contra, Basnagius Valesii opinioni se adhærere libenter profitetur, indeque primum, ut postea videbimus, adversus martyres nostros conficit argumentum. Ea res omnino postulat, ut de tota hac controversia perquam accuratissime disseramus, ne si Valesii opinionem amplectamur, temere id fecisse existimemur; sin autem, ne ex quodam præconceptæ opinionis præjudicio factum id esse videatur. Ut igitur agnoscat lector me secum candide agere, et nihil huc præjudicatum afferre, in Valesii opinionem, meis licet rationibus primo aspectu satis incommodam, valde animum inclinare profiteor. Argumento mihi est auctoris præfatio, qui sane his utitur verbis, quæ quamvis, si alio tempore scripta forent, in catholicam sententiam utcumque interpretari possemus, at habita ratione temporis, quo scripta sunt, vehementem nobis montanismi suspicionem afferunt. Sic enim habet: *Sed viderint, qui unam virtutem Spiritus unius sancti pro ætatibus judicent temporum: cum majora reputanda sint novitiora quæque ut novissimiora, secundum exuberationem gratiæ in ultima sæculi spatia decreta* (4): In novissimis enim diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii filiæque eorum, et super servos et ancillas meas de meo Spiritu effundam, et juvenes visiones videbunt, et senes somnia somniabunt. *Itaque et nos, qui sicut prophetias, ita et visiones novas pariter repromissas, et agnoscimus et honoramus*, etc. Quis credat, hæc scriptori catholico excidere potuisse, quo tempore montanistica hæresis in Ecclesia vehementissime grassabatur; cum novissimorum temporum conditionem, ob charismatum copiam et spiritus exuberantiam Paracleto suo reservatam, tantopere jactabant et extollebant hæretici; cum novas visiones, et prophetias repudiare se profiteretur Ecclesia; contra qui illas agnoscerent, et honorarent, pro hæreticis haberentur. *Cum majora*, inquit, *reputanda sint novitiora quæque, ut novissimiora secundum exuberationem gratiæ in ultima sæculi spatia decreta.* Abruptiusne aut impudentius locutus unquam professus montanista fuisset? Estne ovum, ut aiunt, ovo similius, quam hæc auctoris verba cum his Tertulliani sub finem libri de Resurrectione carnis? *At enim Deus omnipotens adversus hæc incredulitatis et perversitatis ingenia, providentissima gratia sua* effundens in novissimis diebus de suo Spiritu in omnem carnem, in servos suos et ancillas, *et fidem laborantem resurrectionis carnalis animavit, et pristina instrumenta manifestis verborum et sensuum luminibus ab omni ambiguitatis obscuritate purgavit. Nam quia hæreses esse oportuerat, ut probabiles quique manifesterentur: hæ autem sine aliquibus occasionibus Scripturarum audere non poterant, idcirco pristina instrumenta quasdam materias illis videntur subministrasse, et illas quidem iisdem litteris revincibiles. Sed quoniam necdum dissimulare Spiritum Sanctum oportebat, quominus et ejusmodi eloquiis superinundaret, quæ nullis hæreticorum versutiis semina subspargerent, imo et veteres eorum cespites vellerent; idcirco jam omnes retro ambiguitates, et quas volunt parabolas, aperta atque perspicua totius Sacramenti prædicatione discussit, per novam prophetiam de Paracleto inundantem, cujus si hauseris fontes, nullam poteris sitire doctrinam, nullus te ardor exuret quæstionum, resurrectionem quoque carnis, usquequaque pptando, refrigerabis.* Novissima veteribus anteponit, hoc est, novas Montani revelationes pristinis instrumentis, utriusque scilicet Testamenti libris, non, ut Rhenanus et Pamelius interpretantur, Novi Fœderis libros mosaicis et propheticis. Non enim ex lege tantum et Prophetis, sed vel maxime ex Novi Testamenti obscuris quibusdam locis, ambiguitatibus et parabolis suorum dogmatum materiam hæretici decerpebant. Cui rei providentissima gratia sua Deum prospexisse docet in novissimis diebus de Spiritu suo effundendo in omnem carnem, qui ejusmodi eloquiis superinundaret, quæ nullis hæreticorum versutiis materiam et semina subministrarent, et omnes retro ambiguitates et parabolas, aperta atque perspicua totius Sacramenti prædicatione discuteret: quod factum esse subjungit, *per novam prophetiam de Paracleto inundantem.* Adeoque quantum Novi Testamenti libri magis aperta perspicuaque rerum cœlestium revelatione, qua veteres figuræ expositæ sunt, legalibus et propheticis præstant; tantum Montani prophetiæ, quæ vel ipsas Evangelii ambiguitates, et parabolas aperta totius Sacramenti prædicatione discusserunt, ipsis quoque Novi Fœderis libris erant antecponendæ. Quam profecto sententiam Actorum collector paucioribus quidem, sed non minus expressis verbis, insinuavit, cum ait *majora reputanda esse novitiora quæque, ut novissimiora, secundum exuberationem gratiæ*, etc., id est, ut loquitur Tertullianus, secundum *novam prophetiam de Paracleto inundantem.*

II. Respondet Ruinartius, quod quamvis hæc verba primo aspectu Montani errores sapere videantur; si tamen paulo accuratius discutiantur, nihil in ipsis contineri, nisi orthodoxum et fidei catholicæ plane

(1) *Præfat. ad Paris. Actorum edition.*
(2) *Dissert. Cyprianica de visionibus*, etc., § 8 et seqq. Vid. ad calcem hujus tomi.
(3) In admonit. Actis præmissa, num. 6.
(4) *Johel* II, 28, et *Actor.* II, 17.

Digitized by Google

consonum. *Non enim*, inquit, *iste auctor visiones novissimas cum Scripturis canonicis, ut putavit Valesius, sed solummodo cum veterum martyrum visionibus, et revelationibus comparat, asseritque non minori venerationi habendas esse, quæ suo tempore, quam quæ priscis temporibus, id est, primo aut secundo Ecclesiæ sæculo, contigerant. Imo et aliquatenus has novas revelationes majori studio suscipiendas esse dicit, cum exempla eo efficaciora sint, quo magis præsentia : tum deinde, quod hæ novissimæ visiones, quæ aliquando veteres futuræ erant, aliqua auctoritate fulciendæ essent, ut a posteris crederentur, id patere ait ex eadem ipsius auctoris tota præfatione; ubi ne unum quidem verbum de Scripturæ sacræ cum visionibus martyrum comparatione habetur.* « *Si vetera,* » *inquit* « *fidei... exempla propterea in litteris sunt digesta, ut lectione eorum quasi repensatione rerum, et Deus honoretur, et homo confortetur; cur non et nova documenta æque utrique causæ convenientia et digerantur?* »

Verum, non has tantum, quas Ruinartius refert rationes produxit auctor, cur novas revelationes, et prophetias præ antiquis in pretio haberi vellet; sed illam potissimum, quam nemo nisi merus putusque montanista attulisset, et quæ satis ostendit, ipsum novissimas revelationes, non modo veterum martyrum revelationibus, sed ipsis quoque Scripturis canonicis, prætulisse : ob *exuberationem*, scilicet *gratiæ in ultima sæculi spatia decreta*, secundum Joelis prophetiam. Ecquis enim cui sanum esset caput, Spiritus sancti gratiam novissimis hisce diebus, id est tertio ineunte, magis quam primo aut secundo sæculo exuberasse, somniavit? Quis nisi Montani spiritu abreptus, ut id ostenderet, Joelis verbis quibus futura hæc novissimis diebus spiritus exuberatio prænuntiabatur, usus aliquando fuisset? Unde non ea tantum ratione, ut Ruinartius credidit, iste auctor culpandus est quod *harum martyrum visiones ex iis esse, quæ Deus per Joelem repromiserat, existimaverit.* Laudata enim Joelis verba ad omnia, quæ in nostro Testamento a Deo charismata dispensantur referri posse non abnuo. Sed eo montanistam se prodit, quod prophetæ verba adhibuerit, ad majorem ostendendam novissimis diebus quam præcedentibus Ecclesiæ sæculis, cœlestium charismatum *exuberationem*. Porro quamvis, ut idem Ruinartius subjungit, Ecclesia Fidelium dicta vel scripta inter Scripturas canonicas neutiqnam computarit, etsi non dubitet ab eo processisse, a quo alii dantur genera linguarum, alii prophetiæ, alii sermo sapientiæ, aliis alia dona, quæ laudato Joelis testimonio prænuntiata et promissa fuisse certum est, attamen non inde sequitur idem pariter de Actorum scriptore sentiendum esse. Quamvis enim neque Ecclesia, neque scriptores catholici, novi Testamenti charismata et a Deo procedere, et laudato Joelis testimonio prænuntiata, et promissa fuisse, unquam dubitarint : numquam tamen aut Ecclesia, aut aliquis Catholicorum Joelis verbis usus est ad majorem novissimorum temporum, quam præteritorum Ecclesiæ sæculorum visionibus et revelationibus venerationem, auctoritatemque conciliandam.

Est quidem hoc adversus Actorum, ut aiunt, compilatorem gravissimum præjudicium; nescio tamen an non gravius sit, quod ex sequentibus verbis conficitur argumentum. Sic enim pergit : « Itaque et nos, qui sicut prophetias, ita et visiones novas pariter repromissas et agnoscimus, et honoramus. » Hæc plane peremptoria sunt : neque enim clarioribus verbis potuisset auctor, quam ipse sectam profiteretur, exponere : hæc montanismi tessera sunt, et montanisticæ doctrinæ clara et aperta professio. Id enim catholicos inter et montanistas, id temporis disceptabatur, an novæ, id est, extraordinariæ et inusitatæ visiones et prophetiæ agnoscendæ essent atque honorandæ; an contra repudiandæ atque abjiciendæ. Catholici novas visiones et prophetias ut maligni spiritus seductionem aversabantur, non quod nullas eo tempore in Ecclesia agnoscerent visiones et prophetias, aut quod charismatum fontem exaruisse contenderent; sed novarum visionum et novæ prophetiæ nomine, insolitas, ut dixi, et ut loquitur apud Eusebium (1) Asterius, « Præter morem, atque institutum Ecclesiæ a majoribus traditum, et continua deinceps successione propagatum » intelligebant. Contra Montanistæ novas hasce revelationes, et prophetias plurimi faciebant, amplectebantur et honorabant, et hunc primum suæ ab Ecclesia secessioni colorem prætexuerunt, unde etiam scelerata factio, ut ex Serapione constat (2), nomen accepit, et « nova prophetia nominata est. » Quod suæ ipsos sectæ nomen indidisse, his verbis Asterius Urbanus clare et aperte testatur (3) : « Et Ecclesiam illius loci deprehendissem nova illa, non ut ipsi dicunt, prophetia, etc. » Novas prophetias, postquam ad Montanistas defecit, passim jactat et prædicat Tertullianus, libro de Jejuniis (4): « Propter hoc novæ prophetiæ recusantur. » Et libr. III cont. Marcion. (5): « Qui apud fidem nostram est, novæ prophetiæ sermo testatur. » Et lib. IV (6) : « Quam defendimus in caussa novæ prophetiæ. » Et lib. *de Resurrect. carnis* (7) : « Per novam prophetiam de Paracleto inundantem. » Firmiliano (8) Cataphryges sunt, qui « novas prophetias usurpare conantur. » Ex quo etiam intelligimus, *novas* eos a Catholicis quoque *prophetas* fuisse appellatos. Quæ cum ita sint, montanistam utique palam se prodit et apertissime profitetur, qui, ferventibus per ea tempora de nobis visionibus et

(1) Παρὰ τὸ κατὰ παράδοσιν καὶ κατὰ διαδοχὴν ἄνωθεν τῆς Ἐκκλησίας ἔθος δεδόθαι. Lib. V *Histor.* cap. 16.

(2) Τῆς ἐπικαλουμένης νέας προφητείας, etc. *Epist. ad Caricum et Ponticum*, apud Euseb. lib. V, capite 19.

(3) Καὶ καταλαβὼν τὴν κατὰ πόντον (leg. τόπον) Ἐκκλησίαν ὑπὸ τῆς νέας ταύτης, οὐκ ὡς αὐτοί φασι, προφητείας, etc. Lib. I, *Adv. Cataphryg.* Apud Euseb., ibid., cap. 16.

(4) Cap. 1.

(5) Cap. 24.

(6) Cap. 22.

(7) Capite ultimo.

(8) Epist. inter Cyprianic. 75.

Digitized by Google

prophetiis Catholicos inter et Montanistas dissidiis, novas se visiones et prophetias agnoscere et honorare palam aperteque testatur. Neminem certe Catholicorum ita esse locutum ostendi potest : Montanistarum illa professio est, cui similem, postquam hujus sectæ dogmata amplexus est, Tertullianus his verbis edidit (1) : « Nam quia spiritalia charismata agnoscimus, etc. » Ita et Actorum editor : « Visiones novas et prophetias agnoscimus, et honoramus. » Atqui, secundum Firmilianum, Κατάφρυγες illi appellantur, qui novas prophetias usurpare conantur. Actorum igitur concinnator Cataphrygum seu Montanistarum catalogo eximi nulla ratione potest.

Tertium, et illud etiam gravissimum argumentum desumo ex quadam observatione, quam Auctor facit, ubi narrat quomodo Perpetua ad ferocissimam vaccam se pugnasse non senserit (2) : « Illic Perpetua... quasi a somno expergita (adeo, » inquit Auctor, « in spiritu et in exstasi fuerat) circumspicere cœpit, et stupentibus omnibus ait : « Quando, inquit, producimur ad vaccam illam nescio. » Quo enim illa observatio pertinet, « adeo in spiritu et in exstasi fuerat, » nisi ad stabiliendam Montanistarum de exstasi doctrinam? Verum equidem est, exstasis nomen in bonam partem aliquando fuisse a Patribus usurpatum; iis tamen temporibus quibus Montanistarum hæresis potissimum grassabatur, in deteriorem, ferme partem acceptum est, et ut mentis alienationem, furorem, amentiamque significat. Unde cum ea tempestate Catholicos inter et Montanistas, Tertulliano teste, disputaretur, an veræ prophetiæ exstasis conveniret, affirmantem opinionem Mantanistæ, negantem Catholici propugnabant. « Defendimus, » inquit Tertullianus (3), « in caussa novæ prophetiæ, gratiæ ecstasin, id est amentiam convenire..... de quo inter nos et Psychicos quæstio est. » Hinc scripti eidem Tertulliano pro Montanistis adversus Ecclesiam, ut est apud Hieronymum (4), περὶ ἐκστάσεως libri. Contra vero Miltiadi, ut est apud Eusebium (5), adversus eosdem Montanistas hoc titulo, Περὶ τοῦ μὴ δεῖν προφήτην ἐν ἐκστάσει λαλεῖν, Quod non deceat prophetam in ecstasi loqui. » In quem Eusebii locum scite Valesius observat : Catholicos hoc præcipue objecisse Montanistis, qui se prophetico spiritu plenos esse jactabant, quod in exstasi prophetarent : cum tamen, nec in Novo nec in Veteri Testamento, prophetas in ecstasi umquam prophetasse legamus. Ecquis igitur tam obesis naribus erit, cui non Montanismus in præmissis Auctoris nostri verbis suboleat? Equidem non ea mihi mens est, in omnem scriptorem, exstases inter Dei charismata recensentem, invidiam Montanismi conferre ; non me latet, hoc nomen in bonam, etiam ab antiquissimis Patribus, A quandoque partem acceptum. Præter nocturnas visiones, immissas a Spiritu Sancto per dies innocentibus pueris exstases habemus ex Cypriano, in quem nulla hac de re transferri potest pravæ opinionis suspicio (1) : « Præter nocturnas visiones, per dies quoque impletur apud nos Spiritu Sancto puerorum innocens ætas, quæ in ecstasi videt oculis, et audit, etc. » Non eadem tamen de Actorum compilatore ratio est, qui non ut Cyprianus et alii deinceps antiqui Patres, sedatis Montanistarum tumultibus, sed gliscentibus in dies factionibus ac discordiis, laudata monumenta litteris consignavit, quo certe tempore, aut nomine exstasis abstinendum erat, aut ita utendum, ut omnis ab eo pravæ significationis invidia, aut suspicio removeretur.

B III. Nunc mihi adoriendus est Dodwellus, cujus, uti jam dixi, ea sententia est, Actorum compilatorem, non modo catholicæ communionis, et alieno a Montanistis fuisse animo, sed etiam ut eorum novas prophetias falsi convinceret, laudata monumenta studuisse publica luce donare. Hanc autem habet hujusce suæ miræ profecto opinionis rationem : « Maximilla de se prædixerat, post se prophetissam aliam non futuram, sed consummationem. Verba ejus apud Epiphanium illa sunt (2) : Μετ' ἐμὲ προφῆτις οὐκέτι ἔσται, ἀλλὰ συντέλεια. Sub imperii Marci finem excessisse Maximillam verisimillimum est. Cum enim ab ejus excessu ad suum, quo scribebat, annum, annos XIII sive XIV inchoatum numeret Asterius Urbanus (3), non alio illa, quam ad Commodi imperium aptius referri posse, existimant eruditi. Contra Catholici, vel C hinc illos prophetiæ prætextus falsi convincendos putant, quod suæ prophetiæ, vel ex confesso, finis foret aliquando statuendus. Verum prophetiam perpetuam fore, et ad mundi usque consummationem revera permansuram. Qua ratiocinatione ita abfuerunt a negandis suorum « temporum prophetiis, ut in quacumque ecclesia non fuissent prophetæ, ea ne esset quidem pro Ecclesia habenda. »

Ita argumentatus est Asterius Urbanus (4) : « Nam si quidem, ut prædicant, post Quadratum et Ammiam philadelphensem, mulieres illæ Montani in prophetiæ gratiam successerunt, ostendant nobis quinam inter ipsos Montano ac mulierculis successerint. Etenim prophetiæ donum in omni Ecclesia ad ultimum usque D Domini adventum permanere debere auctor est Apostolus. »

Ad eamdem formam argumentatur vetus ille auctor, quicumque fuit, martyrum contemporaneus, Actorum Perpetuæ et Felicitatis. Is ubi, allato Joelis loco,

(1) Lib. *de Anima* cap. 19.
(2) In actis n° 20.
(3) Lib. IV, *cont. Marcion.* cap. 22.
(4) *Catal.* in Apollonio, et in Tertulliano.
(5) Lib. V, cap. 17 ex Asterii Urb. lib. 3, *adv. Cataph.*

(1) Epist. 16, al. 10.
(2) Hæresi XLVIII § 2.
(3) Apud Euseb. *Hist. Eccles.* cap. 16, 17.
(4) Εἰ γὰρ μετὰ Κοδράτον καὶ τὴν ἐν φιλαδελφείᾳ Ἀμμίαν, ὡς φασιν, αἱ περὶ Μοντανὸν διεδέξαντο γυναῖκες τὸ προφητικὸν χάρισμα, τοὺς ἀπὸ Μοντανοῦ, καὶ τῶν γυναικῶν τίνες πρ' αὐτοῖς διεδέξαντο, δειξάτωσαν : δεῖν γὰρ εἶναι τὸ προφητικὸν χάρισμα ἐν πάσῃ τῇ Ἐκκλησίᾳ μέχρι τῆς τελείας παρουσίας, ὁ Ἀποστόλος ἀξιοῖ.

Digitized by Google

probasset, ita non deficere a veteris Testamenti illas novi Testamenti prophetias, ut sunt potius ex adverso sub novo Testamento potiores expectandæ, hæc deinde subjungit in illam, quam dixi, sententiam : « Itaque et nos, qui sicut prophetias ita et visiones novas, etc. » Eo omnino spectat tota ea disputatio, ne fraudi esset secuturis visionibus, quod ultimis Ecclesiæ temporibus illas Deus revelare dignatus sit, id ne esset, hoc sibi probandum sumpsit, ultimis esse illas præcipue temporibus, semperque ad consummationem usque expectandas. Poterant ea fortassis adversus Ethnicos dicta videri; poterant etiam adversus Montanistas. Contra Montanistas potius dicta crediderim, quia quæ dixerat, ea Scripturarum testimonio confirmavit. Id sane manifestum est, quæ hic protulerat, esse apud suos in confesso, quod a Montanista scribi omnino non poterat. »

« Notetur enim imprimis, scripta esse ab auctore anno Dom. CCII, id est anno ab obitu Maximillæ circiter XXIII : decessisse enim illam diximus anno Marci ultimo, id est Dom. CLXXIX ; atqui ea si vera fuisset prophetissa, non jam alius erat propheta expectandus. Qui igitur alios adhuc expectavit, semper expectandos existimavit, fieri non potest, ut illam pro vera prophetissa habuerit, nec proinde Montanista esse potuit. Quanquam enim ea hæresis postea in varias deinde sectas distributa fuerit, in eo tamen omnes conveniebant, primas illas mulierculas pro prophetissis fuisse agnoscendas. Notetur secundo, ut sensu benignissimo Maximillæ verba interpretemur, et de mulieribus prophetissis, non de viris prophetis intelligamus : ne ita quidem hanc præfationem a Montanista scribi potuisse. Perpetuæ enim prophetissæ visiones erat complexurus. Quanquam certum sit, hanc interpretationem ad mentem Maximillæ accommodari non posse. Quæ enim, post se συντέλειαν fore dixerat, eam omnem prorsus prophetiæ usum exclusuram necesse erat. Tertio, cum hac ipsa argumentatione, ante annos ad minimum decem, in secta illa refellenda usus fuerat Asterius Urbanus, quis credat, eadem argumentatione usurum sectæ patronum? Quarto, id etiam ex eodem Urbano constat, de facto illos omnem suam prophetarum successionem in Maximilla terminasse, nec alium quemvis post illam admisisse successorem. Eadem argumentatione usus Epiphanius, post illius obitum neminem alium a Montanistis ad sua usque tempora agnitum esse confirmat. Fieri igitur non potest, ut montanista Saturum Perpetuamque in prophetarum album retulerit. Id saltem ex illa aliorum argumentatione concedat lector necesse est, qui ita argumentatur, non esse eo nomine pro montanista æstimandum. Nec tamen aliud proferunt, qui aliter sentiunt viri sane eruditi. » Hæc Dodwellus, quæ tamen quamvis erudite, ac subtiliter disputata, extorquere a me neutiquam potuerunt, ut illis assensum accommodarem. His enim in rebus, quibuscumque nostris subtilibus atque eruditis observationibus prævalere debent rerum gestarum indubiæ fidei monumenta, ex quibus, ut modo ostendam, manifeste constat, nihil in tota hac Dodwelli disputatione inesse virium atque soliditatis ad montanismi suspicionem ab auctore nostro amoliendam.

IV. His igitur duobus fundamentis tota hæc eruditi viri disputatio nititur. Primo, sub imperii Marci finem excessisse Maximillam, tribus circiter ac viginti annis, antequam martyrium Perpetua et Felicitas, earumque socii subirent. Secundo, persuasum fuisse Montanistis, nullum post Maximillæ obitum prophetam futurum, multo autem minus aliam post eam prophetidem expectandam. Fieri proinde non posse, ut Actorum scriptor, qui Saturum et Perpetuam prophetiæ ac cœlestium revelationum donis insignes eademque charismata, ad consummationem usque in Ecclesia permansura credidit, Montanistarum fuerit erroribus imbutus. Mihi vero neutrum horum quæ vir doctus assumit, admitti posse videtur. Et ad primum illud quod attinet de obitu Maximillæ, equidem scio multos in ea versari opinione, illum esse in annum Marci ultimum conferendum. Sed, ut alibi ostendi (1) et jampridem Valesius observavit (2), inde eorum error profluxit, quod Asterium, qui se quatuordecim annis post Montani et Maximillæ obitum, libros suos scripsisse testatur Apollonio vetustiorem esse crediderint, a quo memoriæ proditum est quadraginta annis antequam scriberet, Montanum prophetiam suam invexisse (3). At non res ita se habuit. « Etenim, » ut Valesius observat, « Apollonius, Montano adhuc superstite, cum insanis suis vatibus Priscilla et Maximilla, librum suum composuit ut ex his fragmentis quæ profert Eusebius elicitur, idque non uno loco; ut cum dixit, ἡ προφῆτις ἡμῖν εἰπάτω τὰ κατὰ Ἀλέξανδρον τὸν λήγοντα ἑαυτὸν μάρτυρα, ᾧ συνεστιᾶται, ᾧ προσκυνοῦσι, καὶ αὐτῷ πολλοί. Et paulo post de eodem Alexandro loquens ait, ὃν ὁ προφήτης συνόντα πολλοῖς ἔτεσιν ἀνοεῖ. Ex quibus apparet verbis, et Alexandrum et Montanum ipsum ac Maximillam adhuc vixisse, cum hæc scriberet Apollonius. Neque vero ait Apollonius quadraginta annos effluxisse ab obitu Montani ad tempus quo ista scribebat; sed id tantum dicit, quadraginta annis antequam ipse ad scribendum accederet, Montanum pseudoprophetiam suam invexisse. » Quare cum, Severo imperante et superstite adhuc Maximilla, libros suos Apollonius elucubrarit, memoratos Asterio quatuordecim a Maximillæ obitu quietis imperii et Ecclesiæ pacis annos, a Caracallæ post mortem patris initiis ad Alexandri priores annos esse ducendos, et Maximillam anno Domini plus minus CCXII obiisse, loco superius laudato demonstravi. His ita animadversis facile corruunt quæ Dodwellus falsæ de Maximillæ interitu epochæ superstruxit. Perpetuam enim atque Felicitatem anno circiter CCIII, sub ipsa pene Severianæ persecutionis initia, martyres occubuisse, verosimillima eruditorum, quos inter et Dodwellus, opinio est. Unde Per-

(1) Disser. *de capit. crimin. absol.* sect. 2.
(2) Annot. *ad Euseb.* lib. v, cap. 18.
(3) Apud Euseb. loc. cit.

Digitized by Google

petuæ martyrium Maximillæ interitum annis ad minus decem præcessit : adeoque scriptor montanista ejus prophetias agnoscere potuit, ac venerari, eamque ut prophetissam colere, quamvis non ignoraret, imo et inconcusse ac firmiter crederet nullam post Maximillam fore prophetissam.

V. Deinde, si arbitremur vera esse quæ de Maximillæ obitu Dodwellus statuit, eam scilicet anno Marci ultimo excessisse, necesse profecto est, ut falsa omnino sint quæ secundo loco tradit de Montanistarum in hanc sententiam consensione, quod nulla post Maximillam futura esset in Ecclesia prophetissa. Etenim tam clare et aperte demonstrari potest, Montanistas, alias post Maximillam ( si ejus mors in annum Marci ultimum conjiciatur) prophetissas agnovisse, ut mirum sit, hoc virum doctum jecisse opinionis suæ fundamentum. Annon ad Montanistas defecerat Tertullianus, cum librum scripsit de Anima? Annon ab obitu Maximillæ, triginta ferme annis, si illa Aurelii ultimo excessit, hunc librum elucubravit ? Et tamen alias se ibi, post insanam illam mulierem, pseudoprophetissas agnoscere profitetur (1). « Est hodie soror apud nos revelationum charismata sortita , quas in Ecclesia inter dominica solemnia per ecstasin in spiritu patitur, conversatur cum angelis , aliquando etiam cum Domino, et videt, et audit sacramenta, et quorumdam corda dinoscit, et medicinas desiderantibus submittit. Jam vero prout Scripturæ leguntur , aut psalmi canuntur, aut allocutiones proferuntur , aut petitiones delegantur; ita inde materiæ visionibus subministrantur : forte nescio quid de anima disserueramus, cum ea soror in spiritu esset. Post transacta solemnia, dimissa plebe , quo usu solet nobis renuntiare quæ viderit ( nam et diligentissime digeruntur ut etiam probentur), inter cætera, inquit , ostensa est mihi anima corporaliter etc. » En egregiam post Maximillam Montanistarum prophetissam ! Quid quod in eodem libro (2) Perpetuæ revelationes, non minus quam passionis auctor, agnoscit atque commendat , adeoque Perpetuam non minus , quam Actorum collector, in prophetarum album referendam existimavit ? « Perpetua fortissima martyr in revelatione gloriæ paradisi , solos illic commartyres suos vidit. » Et tamen Perpetua vix nata erat , cum Maximilla obiit, si sub imperii Marci finem vivere desiit, anno scilicet CLXXIX : anno enim CCIII quo martyr occubuit , *annorum* erat, ut in Actis habetur, *circiter viginti duorum*. Quid etiam quod in eodem pariter libro tam longe abest, ut credat, post Montanum , et Maximillam prophetiæ spiritum in Ecclesia defecisse ; quin potius eos sibi viam ad nova charismata suscipienda aperuisse significet, qui eadem in pseudoprophetis illis neutiquam fuerant aspernati : et hanc perpetuam atque indeficientem divinorum charismatum redundantiam, cum Apostoli in eodem loco, tum alibi (3) Joelis testimoniis , haud secus quam Actorum scriptor adstruat, atque confirmet? « Nam quia spiritalia charismata agnoscimus, post Joannem quoque prophetiam meruimus et consequi. Et hodie soror, etc., » relataque insanæ vatis visione , subjungit : « Hæc visio est ; Deus testis, et Apostolus charismatum in Ecclesia futurorum idoneus sponsor. » Quid denique quod in libro de Jejuniis adversus Psychicos hoc eos nomine vellicat, quod divinæ gratiæ charismatis terminos contituerent, seu *palos*, ut loquitur , *terminales*? Quod utique in ipsos Montanistas retorqueri nullo negotio potuisset, si eisdem gratiæ donis fines in Maximilla posuissent : « sed rursus, inquit (1), palos terminales figitis Deo, sicut de gratia, ita de disciplina; sicut de charismatibus, ita et de solemnibus, ut proinde officia cessaverint, quemadmodum et beneficia ejus. »

Hæc mecum cogitanti in mentem venit an Montanistis in Africa perspecta omnia forte non essent , quæ Maximilla in Asia oracula fuderat. Sed ab hac me cogitatione revocavit Firmiliani ad Cyprianum epistola (2), ex qua constat, etiam in Asia, alias post Maximillam inter Montanistas surrexisse prophetissas : « Ante viginti, inquit, et duos fere annos temporibus post Alexandrum imperatorem, multæ istic conflictationes et pressuræ acciderunt, vel in commune omnibus hominibus, vel privatim Christianis. ..... In hac autem perturbatione constitutis fidelibus....., emersit istic subito quædam mulier, quæ in exstasi constituta, propheten se præferret, et quasi Sancto Spiritu plena sic ageret. Ita autem principalium dæmoniorum impetu ferebatur, ut per longum tempus sollicitaret et deciperet fraternitatem , ac mirabilia quædam et portentosa perficiens, et facere se terram moveri polliceretur..... Quibus mendaciis, et jactationibus subegerat mentem singulorum, ut sibi obedirent et quocumque præciperet, ac duceret, sequerentur : faceret quoque mulierem illam, cruda hyeme, nudis pedibus per asperas nives ire, nec vexari in aliquo aut lædi illa discursione; diceret etiam, se in Judæam et Hierosolymam festinare, fingens tanquam inde venisset, etc. » Hæc ideo lato calamo exscripsi, ut quisquis intelligat, quam egregias Montanistæ, etiam in Asia, post Maximillam habuerint prophetissas. Sane si tempora convenirent, hanc omnino ipsam esse crederes Maximillam, adeo in illam omnia concinant, quæ de Maximilla ex Asterio Urbano et aliis scriptoribus Eusebius refert. Nam præter jam dicta, et utriusque spiritum coarguere et confutare Catholici aggressi sunt; et sicut Maximilla , ut ait Tertullianus (3) « non alium Deum prædicabat nec aliquam » ejusdem Tertulliani judicio, « fidei aut spei regulam evertebat » : Ita ista, « multos, » ut est apud Firmilianum , baptizavit, « usitata et legitima verba interrogationis usurpans, ut nil discrepare ab ecclesiastica regula videretur. » Et paulo ante de ca-

(1) Cap. 9.
(2) Cap. 59.
(3) Lib. *de Resurrect. Carnis.* sub. fin.

(1) Cap. undecimo.
(2) Inter Cyprianic. LXXV.
(3) Lib. *de Jejuniis* cap. 1.

Digitized by Google

dem femina dixerat, « etiam hoc frequenter ausam esse, ut et invocatione non contemptibili sanctificare se panem, et Eucharistiam facere simularet et sacrificium Domino non sine sacramento solitæ prædicationis offerret. » Quæ omnia montanistici spiritus characteres sunt, et suis prophetissis a Montano fuisse permissa, ab antiquis scriptoribus memoriæ proditum est. Constat igitur propterea non esse aliquem e Montanistarum catalogo expungendum, quod aliam post Maximillam agnoverit prophetissam; quamvis enim insana hæc vates id de se prædicaverit : Μετ' ἐμὲ προφῆτις οὐκέτι ἔσται, etc., attamen fieri potuit (et id frequentissime sectariis accidit) ut ad hæc tam manifesta mendacia animum noluerint advertere, aut aliam propheten intellexerint, quæ novam et perfectiorem doctrinam ac disciplinam inveheret; quo sensu novos ipsi se Montanistarum patriarchæ prophetas nuncuparunt, quam novam judicio suo inchoarunt post Apostolos prophetiam. Ut ut sit, patet jam, puto, Dodwellum infirmo nimium niti tibicine, cum Actorum collectorem Montanistarum ideo catalogo eximit, quod Perpetuam, post Maximillam, propheten existimaverit, cum eam Tertullianus quoque professus montanista eodem loco ac numero habuerit.

VI. Hinc autem, ut superius dixi, Basnagius primum suum adversus sanctos martyres ducit argumentum. « Ex Actorum, inquit, collectore vero simillima nobis conjectura hascitur, Perpetuam eosque martyres qui se mortis socios ipsi addidere de grege Montanistarum fuisse. Nemo sane familiæ hujus catholicorum Acta martyrum luci dedisset, quos utpote Psychicos contemptui habebant. Constat etiam, Perpetuam, Felicitatem, Saturum, eamdem cum Actorum auctore fidem profiteri, ut ex verbis ipsius exploratum est : « Et nos itaque quod audivimus et contrectavimus, annuntiamus et vobis, fratres et filioli, ut et vos qui interfuistis, rememoremini gloriæ *Domini* : et qui nunc cognoscitis per auditum, communionem habeatis cum sanctis martyribus. » Atqui collector Actorum suo se indicio montanistam prodit. Deinde Tertullianus Catholicis infensissimus, Montanique defensor acerrimus, magnis Perpetuam laudibus afficit, ejusque visionibus utitur ad probandum, solos ante diem judicii solemnis martyres in cœlum recipi : « Quomodo, inquit, Perpetua fortissima martyr, etc. » Eo gravius id argumenti, quod Tertullianus et Perpetuæ coætaneus et incola Carthaginis, ubi Perpetua vitam cum morte commutavit, ignorare non potuerit cujusnam sectæ esset, sive mulier illa, sive passionis ejus collector. Est autem certo certius, Tertullianum neque Psychicorum alicui tot tantaque præconia voluisse tribui, multo autem minus verba ipsius, auctoritatemque adhiberi ad probandam, quam adstruebat, sententiam. »

Ut hoc argumentum, quod aliquam, præcipue mihi, primo adspectu, molestiam creare posse videtur, penitus dissipetur atque evertatur, aliqua sunt mihi circa Montanistas observanda, ex quibus non animadversis omnem illud verisimilitudinem ducit. Primum illud sit Catholicos non fuisse a Montanistis, qui non omnino desiperent, ut e. g. a Tertulliano, pro hæreticis existimatos. Id primo constat ex hujus libro de Monogamia, ubi statim initio Psychicos ab hæreticis distinguit : « Hæretici nuptias auferunt, Psychici ingerunt. » Si quæras quomodo id esse potuerit, ratio in promptu est, quam paulo inferius idem subjungit, quod tota Montanistarum a Catholicis differentia, ipsius judicio, non fidei, sed disciplinæ res esset; hac enim ratione Paracletum suum ab hæreseos suspicione liberare conatur. « Adversarius enim spiritus ex diversitate prædicationis appareret, primo regulam adulterans fidei et ita ordinem adulterans disciplinæ : quia cujus gradus prior est, ejus corruptela antecedit, id est fidei quæ prior est disciplina. Ante quis de Deo hæreticus sit, necesse est et tunc de instituto. Paracletus autem multa habens edocere, quæ in illum distulit Dominus, secundum præfinitionem, ipsum primo Christum contestabitur, qualem credimus toto cum ordine Dei creatoris, et ipsum glorificabit, et de ipso commemorabit : et sic de principali regula agnitus, illa multa, quæ sunt disciplinarum, revelabit, fidem dicente pro eis integritate prædicationis, licet novis, quia nunc revelantur. » Eadem ratione et in lib. de Jejuniis (1) objectam a Catholicis Montano hæreseos notam depellere conatus est, eamdemque dijudicandi hæreses regulam tradidit. Cum enim invectæ per Montanum disciplinæ et institutioni a Catholicis opponeretur, quod « aut pseudo-prophetia esset, si spiritalis vox solemnia illa constituit, aut hæresis, si humana præsumptio adinvenit, » ita respondit : « Indubitate et hæresis et pseudo-prophetia divinitatis diversitate judicabuntur apud nos, unici Dei creatoris et Christi ejus antistites. » Similia habet libro de Virginibus velandis, pariter sub initium, ubi luculentius exponit præmissis locis memoratam regulam fidei, quam qui adulterat, hæreticus est : qui servat, quamvis ordinem adulteret aut innovet disciplinæ, hæreticus ipsius judicio censeri non debet : esse autem hujusmodi, quæ Montanus Apostolorum prædicationi atque institutis adjecit; ordinata ea scilicet esse ad perficiendam, manente tamen eadem fidei regula, disciplinam : non esse propterea Montano de vetustate præscribendum; aut Montanistas ob nova hæc instituta inter hæreticos numerandos; aut ut deinceps videbimus, ab apostolicarum ecclesiarum communione alienos esse censendos : « Regula quidem fidei una omnino est, sola immobilis, et conformabilis, credendi scilicet in unum Deum omnipotentem, mundi conditorem, et Filium ejus Jesum Christum, natum ex virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, tertia die resuscitatum a mortuis, receptum in cœlis, sedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos et mortuos, per carnis etiam resurrectionem. Hæc lege fidei manente, cætera jam disciplinæ et conversationis, admittunt novitatem correctionis...

(1) Capite undecimo.

Digitized by Google

Quæ est ergo Paracleti administratio, nisi hæc, quod disciplina dirigitur, etc. » Postea sequitur de communicatione quam se Montanistæ cum Ecclesiis apostolicis habere jactabant ob consensionem in eamdem fidem, eademque fidei sacramenta, de qua deinceps videbimus. Interim idem conficio argumentum ex his quæ docet in principio libri contra Praxeam, ubi quamvis aperte fateatur se, ob Paracleti agnitionem atque defensionem a Psychicis esse disjunctum, attamen eamdem dijudicandi hæreses regulam tradit, ex qua plane consequens est, hanc Montanistas inter et Psychicos dissensionem, non iis in rebus positam fuisse, quæ fidem ipsius judicio læderent, aut ex quibus possent hæreses pullulare : « Nos vero, et semper et nunc magis, ut instructiores per Paracletum deductorem scilicet omnis veritatis, unicum quidem Deum credimus, sub hac tamen dispensatione, quam οἰκονομίαν dicimus, ut unici Dei sit, et Filius sermo ipsius, qui ex ipso processerit, per quem omnia facta sunt et sine quo factum est nihil. Hunc missum a Patre in Virginem, et ex ea natum hominem et Deum filium hominis et filium Dei, et cognominatum Jesum Christum. Hunc pássum, hunc mortuum, et sepultum secundum Scripturas, et resuscitatum a Patre, et in cœlos resumptum, sedere ad dexteram Patris, venturum judicare vivos et mortuos. Qui exinde miserit secundum promissionem suam a Patre Spiritum Sanctum Paracletum, sanctificatorem fidei eorum, qui credunt in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Hanc regulam ab initio Evangelii decucurrisse etiam ante priores quosque hæreticos, nedum ante Praxeam hesternum, probabit tam ista posteritas omnium hæreticorum, quam ipsa novellitas Praxeæ hesterni. Quo peræque adversus universas hæreses jam hinc præjudicatum sit, id esse verum quodcumque primum : id esse adulterum quodcumque posterius. » Profecto non ignorabat Tertullianus, imo id aperte fatebatur, novam esse Montani prophetiam, novam ipsius prædicationem, ejus instituta ab initio Evangelii minime decucurrisse, sed in posteriora hæc tempora, uti Montanistæ effutiebant, fuisse a Christo dilata. Unde non alia ratione potuit a Montano suo hæreseos sive adulterii hæretici culpam infamiamque amovere, quam dicendo, inductas ab eo hesterna die traditiones, non fidei regulam adulterare, sed perficere disciplinam ; adeoque ad disciplinam, non ad fidem pertinuisse controversias Montanistas inter et Catholicos excitatas ; et neque hos, neque illos in hæreticorum censum fuisse referendos, quod, salva fidei regula, in iis quæ conversationis et disciplinæ sunt, invicem dissiderent. Idem etiam constat, ut alia plurima omittam, ex toto libro de Præscriptionibus adversus hæreticos, quo certe titulo nequaquam Psychicos, sive Catholicos comprehendit, cum nihil magis adversus hæreticos urgeat, quam veteres et apostolicas traditiones, et apostolicarum Ecclesiarum auctoritatem ; nihil magis hæreticis exprobret quam novitatem ; imo hoc ei propositum fuerit, ut ex ipso discimus, omnes hæreticorum sectas hoc solo titulo arguere : « Sed alius, inquit (1), libellus hunc gradum sustinebit adversus hæreticos, etiam sine retractatu doctrinarum revincendos, quod hoc sint de præscriptione novitatis. » Est autem, ut ipse etiam Basnagius docet (2), laudatus liber a Tertulliano conscriptus, postquam ad Montanistas defecerat. Et est scriptus adversus omnes hæreses, ut idem ipse Tertullianus alibi diserte testatur (3) : « Sed plenius ejusmodi præscriptionibus adversus omnes hæreses alibi jam usi sumus. » Cum igitur nihil occurrat in eo libro, quod Catholicos possit offendere, imo quod non ex eorum sententia prolatum sit, adeo ut multorum opinio fuerit (4), eum fuisse a Tertulliano, antequam Montani dogmata amplecteretur, elucubratum ; consequens est Psychicos seu Catholicos non fuisse a Tertulliano inter hæreticos computatos.

VII. Secundo notandum est quod et ex præcedentibus sponte fluit, et quæ jam dicta sunt luculentius adhuc confirmat : Montanistas, quamvis conversatione et disciplina ab apostolicarum Ecclesiarum institutionibus moribusque differrent, se tamen non esse arbitratos in iis in quibus fidei et christianæ religionis summa vertitur, ab earum communione alienos. Id ex eodem Tertulliano, et iisdem fermelocis compertum est. Libro enim de Virginibus velandis, postquam docuit Catholicos et Montanistas in unam fidei regulam conspirare, et Paracletum non fidem adulterasse, sed disciplinæ supremam admovisse manum, statim subjungit : « Per Græciam et quasdam barbarias ejus plures Ecclesiæ virgines suas abscondunt. Est et sub hoc cœlo institutum istud alicubi, ne qui gentilitati græcanicæ aut barbaricæ consuetudinem illam adscribat. Sed eas ego ecclesias proposui, quas et ipsi Apostoli, vel apostolici viri condiderunt, et puto ante quosdam. Habent igitur et illæ eamdem consuetudinis auctoritatem, tempora et antecessores opponunt, magis quam posteræ istæ. Quid observabimus, quid diligemus? Non possumus respuere consuetudinem, quam damnare non possumus, utpote non extraneam, quia non extraneorum, cum quibus scilicet communicamus jus pacis, et nomen fraternitatis. Una nobis, et illis fides, unus Deus, idem Christus, eadem lavacri sacramenta. Semel dixerim, una Ecclesia sumus. Ita nostrum est, quodcumque nostrorum est. » Sed nihil luculentius ad id probandum afferri potest iis, quæ in eamdem sententiam subtilissime disputat in libro de Præscriptionibus adversus hæreses, quem, uti dixi, jam montanista composuit. Aliqua ex eo libro loca, quamvis prolixiora, adhuc afferre operæ pretium existimavi, quia rem plane conficiunt, et optimo in lumine collocant. Ait igitur ad convincendos hæreticos hoc solum esse disputandum (5) : « Quibus competat fides ipsa, cu-

(1) Lib. I *Advers. Marcion.*, cap. 1.
(2) Anno D. 200 num. IX. Vid. et Pagium. An. 195. num. IV.
(3) Lib. *de Carne Christi*, cap. 2.
(4) Vid. Pamel. in *Vita Tertull.* ad An. 203 ; t. I. col. 65, conf. Aug. Noesselt. *Dissert.*, t. I, col. 171-177.
(5) Cap. 19.

Digitized by Google

jus sint Scripturæ, a quo et per quos et quando et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani. Ubi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ, et fidei christianæ, illic erit veritas Scripturarum, et expositionum, et omnium traditionum christianarum. » Deinde subjungit quod Apostoli, a Christo edocti (1), « et consecuti promissam vim Spiritus sancti ad virtutes, et eloquium, primo per Judæam contestata fide in Jesum Christum, et ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti, eamdem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt, et proinde ecclesiam apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinæ cæteræ exinde ecclesiæ mutuatæ sunt et quotidie mutuantur, ut ecclesiæ fiant. Ac per hoc, et ipsæ apostolicæ deputantur, ut soboles apostolicarum ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes: sic omnes primæ et omnes apostolicæ, dum una omnes probant unitatem, dum est illis communicatio pacis, et appellatio fraternitatis, et contesseratio hospitalitatis; quæ jura non alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti una traditio. Hanc igitur dirigimus præscriptionem (2): si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores quam quos Christus instituit..... Quid autem prædicaverint, id est quid illis Christus revelaverit, et hic prescribam non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva (quod aiunt) voce, quam per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio, tenentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo suscepit: reliquam vero omnem doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem ecclesiarum, et Apostolorum, et Christi, et Dei. Superest ergo uti demonstremus, an hæc nostra doctrina, cujus regulam supra edidimus, de Apostolorum traditione censeatur, et ex hoc ipso an cæteræ de mendacio veniant. Communicamus cum ecclesiis apostolicis, quoù nulla doctrina diversa: hoc est testimonium veritatis. » Et infra, adversus hæreses quæ se de vetustate jactabant, seseque imperitis, quod sub Apostolis fuissent, pro apostolicis venditabant: id, ait, illis incumbere, ut ostendant aliquem se, vel ex Apostolis, vel ex apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, suæ habere institutionis auctorem, aut saltem apostolicarum ecclesiarum communione potiri (3): « Cæterum si quæ audent inserere se ætati apostolicæ, ut ideo videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: edant ergo origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt: sicut Smyrnæorum ecclesia habens Polycarpum ab Johanne collocatum refert; sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit; proinde utique et cæteræ exhibent quos ab Apostolis in episcopatum constitutos, apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici. Quid enim illis post blasphemiam illicitum est? Sed etsi confinxerint, nihil promovebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum apostolica comparata ex diversitate et contrarietate sua pronuntiabit, neque Apostoli alicujus auctoris esse, neque apostolici. Quia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent, ita et apostolici non contraria Apostolis edidissent, nisi illi qui ab Apostolis desciverunt, et aliter prædicaverunt. Ad hanc itaque formam provocabuntur ab illis ecclesiis, quæ licet nullum ex Apostolis, vel apostolicis auctorem suum proferant, ut multo posteriores, quæ denique quotidie instituuntur, tamen in eadem fide conspirantes, non minus apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ. Ita omnes hæreses ad utramque formam a nostris ecclesiis provocatæ probent se quaqua putant apostolicas. Sed adeo nec sunt, nec possunt probare quod non sunt; nec recipiuntur in pacem, et in communicationem ab ecclesiis quoquo modo apostolicis; scilicet ob diversitatem sacramenti nullo modo apostolicæ. » Sed nihil luculentius iis, quæ non multo inferius de præcipuis Ecclesiis apostolicis et præsertim Romana, disserit in hæc verba (1): « Age jam, qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem, et repræsentantes faciem uniuscujusque. Proxime est tibi Achaia, habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum; si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est: statu felix Ecclesia, cui totam Apostoli doctrinam cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni dominicæ adæquatur; ubi Paulus Johannis exitu coronatur; ubi apostolus Johannes, posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid dixerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque ecclesiis contesserarit: unum Deum novit creatorem universitatis, et Christum Jesum ex Virgine Maria Filium Dei creatoris, et carnis resurrectionem: legem et prophetas cum evangelicis et apostolicis litteris miscet, et inde potat fidem eam, aqua signat, Sancto Spiritu vestit, Eucharistia pascit, martyrio exhortatur; et ita adversus hanc in-

(1) Cap. 20.
(2) Cap. 21.
(3) Cap. 32.

(1) Cap. 36.

Digitized by Google

stitutionem neminem recipit. Hæc institutio, non dico jam quæ futuras hæreses prænuntiabat, sed de qua hæreses prodierunt. Sed non fuerunt ex illa, ex quo factæ sunt adversus illam. Etiam de olivæ nucleo mitis, et opimæ et necessariæ, asper oleaster exoritur : etiam de papavere fici gratissimæ et suavissimæ, ventosa et vana caprificus exsurgit. Ita et hæreses de nostro fructificaverunt, non nostræ, degeneres veritatis grano, et mendacio sylvestres. » Potuissetne a Baronio, Bellarmino, et aliis qui romanæ Ecclesiæ addictissimi habentur, quidquam de illa aut magnificentius aut illustrius prædicari? Quis crederet hæc hæretico homini, et ab Ecclesia romana extorri excidere potuisse, quibus omnes penitus adversus ejusdem Ecclesiæ doctrinam hæreses profligantur? Nemo prorsus, qui non adverterit ad ea quæ hactenus ex hoc auctore deduximus, non id scilicet in mentem venisse Montanistis, se ob novam prophetiam ac disciplinam ab ecclesiarum apostolicarum communione in iis quæ fidei sunt, et in quibus summa vertitur religionis, excidisse. Attamen quia non omnes consentiunt, librum de Præscriptionibus a Tertulliano, dum inter Catholicos versaretur, non fuisse compositum ; addam ex lib. IV cont. Marcion., quem constat, postquam simultates cum Psychicis, ut ait (1), habere cœperat, fuisse ab eo concinnatum, simile de ecclesiis apostolicis, et præsertim Romana, testimonium, adulterum scilicet et hæreticum esse habendum quidquid in rebus fidei ab earum traditione recedit, et extraneum esse existimandum quidquid cum illis non in una eademque fide communicat (2) : « In summa si constat, id verius quod prius, id prius quod et ab initio, ab initio quod ab Apostolis, pariter utique constabit, esse ab Apostolis traditum quod apud ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum. Videamus quod lac a Paulo Corinthii hauserint ; ad quam regulam Galatæ sint recorrecti ; quid legant Philippenses, Thessalonicenses, Ephesii ; quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Evangelium et Petrus et Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt. Habemus et Johannis alumnas ecclesias. Nam et si Apocalypsim ejus Marcion respuit, ordo tamen episcoporum ad originem recensus, in Johannem stabit auctorem. Sic et cæterarum generositas recognoscitur. Dico itaque apud illas, nec solas jam apostolicas, sed apud universas quæ illis de societate sacramenti confœderantur, id Evangelium Lucæ ab initio editionis stare quod cum maxime tuemur. » Hæc profecto, et his similia quæ apud eum passim occurrunt etiam in iis libris quos constat, postquam ad Montani dogma delapsus est, ab eo fuisse promulgatos, scribere numquam ausus fuisset, qui se non existimasset in iisdem cum ecclesiis apostolicis fidei dogmatibus communicare. Non ignorabat profecto Tertullianus, novam ab Ecclesia romana damnari prophetiam, et disciplinam reprobari, quam Montanus invexerat ; et tamen Romanæ Ecclesiæ, et cæterarum apostolicarum auctoritatem ubique prædicat, mirumque in modum extollit, eosque a christianismo, ab Apostolis et a Christo alienos esse decernit, qui non in unam eamdemque fidem cum Ecclesiis apostolicis conspiraverint. Quod profecto certissimo est argumento, non fuisse Montanistis persuasum, se ab Ecclesiæ catholicæ communione in iis quæ fidei sunt, excidisse.

Denique, ut innumera prætermittam quæ hue in eamdem sententiam afferri possent, veram Christi Ecclesiam non fuisse Tertulliani judicio ad solam Montanistarum sectam coarctatam, sed Catholicos quoque ad unum idemque Ecclesiæ corpus pertinuisse, cujus membra, quamvis non easdem omnino sectarentur morum institutiones, eadem nihilominus fide, iisdemque sacramentis inter se colligarentur ; ea luculenter ostendunt, quæ de christiani nominis Ecclesiæque amplitudine adversus ethnicos disputat (1) : « Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum, sola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus ; etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere? Potuimus et inermes, nec rebelles, sed tantummodo discordes solius divortii invidia adversus vos dimicasse. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum abripissemus a vobis, suffudisset utique dominationem vestram tot qualiumcumque amissio civium ; immo etiam et ipsa destitutione punisset : procul dubio expavissetis ad solitudinem vestram, ad silentium rerum, et stuporem quemdam quasi mortuæ urbis quæsissetis quibus in ea imperassetis. Plures hostes quam cives vobis remansissent, nunc enim pauciores hostes habetis præ multitudine Christianorum pene omnium civium, pene omnes cives christianos habendo. Sed hostes maluistis vocari generis humani potius quam erroris humani. » Hæc de solis Montanistis intelligi sane non possunt. Numquam enim hæc secta adeo pomœria sua dilatavit. Sed neque de Christianis, prout etiam hæretici hoc nomine continentur. Hæreticos enim Christianorum numero, eodem libro (2), aperte submovit : « Sed dicet aliquis, etiam de nostris excedere quosdam a regula disciplinæ : desinunt tum Christiani haberi penes nos. » Hæc igitur Ecclesia, cujus per totum librum inculpatos sanctissimosque mores describit, atque tuetur, et e cujus sinu multos, ait, id temporis innumerosque martyres prodiisse, quorum sanguis semen erat Christianorum, neque hæreticos complectebatur, neque solos Montanistas, sed vel maxime Catholicos, qui ut est apud eumdem Tertullianum (3), de multitudine gloriabantur, et e quibus

(1) Vid. cap. 23
(2) Cap. 5.

(1) *Apolog.*, cap. 37.
(2) Ibid., cap. 46.
(3) Lib. *de Jejuniis*, cap. 10.

Digitized by Google

constat, innumeros præ aliis sectis fuisse martyres coronatos. Attamen cum, Tertulliani judicio, quo tempore Apologeticum promulgavit, nempe in medio æstu persecutionis, ipsi quoque Montanistæ Catholicorum numero censerentur; manifestum est, ex iis et veris Catholicis unam eamdemque, ex ejus sententia Christi Ecclesiam constitisse, quæ licet ubique non easdem omnino morum institutiones usurparet: unum tamen idemque religionis corpus censenda esset, quod in eadem fidei dogmata conspiraret, iisdemque fidei sacramentis uteretur.

VIII. Tertio notandum est, id quod etiam ex præmissis sponte sua proficiscitur, Catholicorum martyres fuisse a Montanistis pro veris martyribus æstimatos, et ad eorum quoquomodo communionem viam affectasse. Catholicos quidem martyres a Montanistarum communione abhorruisse, memoriæ prodidit Asterius Urbanus, non item Montanistas Catholicorum martyrum communionem esse aversatos (1): « Quamobrem, inquit, quotiescumque Ecclesiæ viri ad martyrium pro vera fide subeundum vocati, una cum quibusdam de Phrygum hæresi, qui martyres dicuntur, casu quodam coierint, semper ab illis dissentiunt: et communionem eorum sollicite vitantes, gloriosum martyrii exitum consequantur; quippe qui Montani et mulierculorum spiritui assensum commodare nefas ducant. Atque id verum esse constat ex iis quæ nostra ætate in urbe Apamea, quæ ad Meandrum sita est, gesta sunt a Caio et Alexandro martyribus, oriundis Eumenia. » Hujus quoque rei manifesta nobis ex eodem Tertulliano suppetunt argumenta: imprimis ex libro ad Martyras, qui cum furente persecutione editus fuerit, nullum dubium est quin ad eorum classem pertineat, quos dum in Montani castris militaret, elucubravit. Certum autem imprimis est hunc librum veris, ex Tertulliani quoque sententia, Christi martyribus fuisse nuncupatum, ut quos innumeris laudibus cumulat, et benedictos passim appellat (2): « Inter carnis alimenta benedicti martyres designati. Imprimis ergo benedicti, etc. (3). Quo vos benedicti de carcere, etc. (4). Sic nunc benedicti, etc. Proinde vos benedictæ, etc. (5). Hæc benedicti non sine caussa, etc. » Secundo, tertium est, hos, quos tantis benedictionibus cumulat, et ad cœlum usque laudibus effert, non montanistas fuisse martyres, sed catholicos, aut ex his saltem plurimam eorum partem constitisse. Id constat ex capite primo, ubi eos ad mutuam pacem his verbis adhortatur:

(1) Ὅθεν τοι καὶ ἐπειδὰν οἱ ἐπὶ τὸ τὶς κατὰ ἀλήθειαν πίστεως μαρτύριον πληθέντες ἀπὸ τῆς Ἐκκλησίας τύχωσι μετά τινων τῶν ἀπὸ τῆς τῶν Φρυγῶν αἱρέσεως λεγομένων μαρτύρων διαῤῥηγνυνταί τε πρὸς αὐτοὺς, καὶ μὴ κοινωνήσαντες αὐτοῖς τελειοῦνται, διὰ τὸ μὴ βούλεσθαι συγκαταθίσθαι τῷ διὰ Μοντανοῦ καὶ τῶν γυναικῶν πνεύματι, καὶ ὅτι τοῦτο ἀληθὲς καὶ ἐπὶ τῶν ἡμετέρων χρόνων ἐν Ἀπαμείᾳ τῇ πρὸς Μαιάνδρῳ τυγχάνει γεγενημένον, ἐν τοῖς περὶ Γάϊον καὶ Ἀλέξανδρον ἀπὸ Εὐμενείας, μαρτυρησασι, πρόδηλον. Apud Euseb., lib. v, cap. 16.

(2) Cap. 1.

(3) Cap. 2.

(4) Cap. 3.

(5) Cap. 4.

« Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes a martyribus in carcere exorare consueverunt. Et ideo eam etiam propterea in vobis habere, et custodire debetis, ut si forte, et aliis præstare possitis. » Hic enim Catholicorum mos fuit, ut communione ob crimina capitalia dejecti, martyrum opem implorarent. Porro Catholici ad Montanistas, quibus sciebant ejusmodi Ecclesiæ catholicæ morem et consuetudinem improbari, minime confugissent. Tertio, certum est martyres, ad quos ejusmodi librum Tertullianus destinavit, a sua communione alienos neutiquam credidisse. Eos enim rogat, quod inter alimenta carnis, quæ illis Ecclesia subministrabat, et hoc ab eo munusculum acciperent, quod ad saginandum spiritum faceret; quod certe mutuæ communionis indubium est argumentum. Certum denique est Ecclesiam quæ laudatos martyres alimentis carnis tanquam pia mater fovebat, veram Christi Ecclesiam, Tertulliani quoque judicio fuisse: « Inter carnis alimenta benedicti martyres designati, quæ vobis et domina mater Ecclesia de uberibus suis, et singula fratres de opibus suis propriis in carcere subministrant, capite aliquid et a nobis, quod faciat ad spiritum quoque educandum. » Atqui catholica Ecclesia nisi de catholicis martyribus sollicita non fuisset. Præterea inter præcipuas Ecclesiæ Romanæ dotes, ex quibus illam, ut supra videmus, summopere commendat, hanc etiam recenset, quod suos ad martyrium adhortaretur: *Martyrio*, inquit, *adhortatur*. Quæ vero laus, aut gloria fuisset non genuinos, sed adulteros Christo martyres parere? aut quis dubitet an veros Christi martyres in honore Tertullianus habuerit, et eorum communionem exoptarit? Postremo, eorum martyrum, quorum fidem, constantiam, et multitudinem cum in Apologetico, tum in libro ad Scapulam, et alibi frequentissime prædicat, maximam partem fuisse Catholicorum, nec Basnagius, puto, inficias iturus est: nisi forte velit eximiam hanc Catholicæ, adeoque veræ Christi Ecclesiæ laudem detrahere, quod fecundissima fuerit sanctorum martyrum parens.

IX. His animadversis, nullam, puto, in Basnagii propositis argumentis superesse difficultatem. Quis enim miretur (si ad ea, de quibus hactenus disserimus, animum adverterit); quis, inquam, miretur, auctorem montanistam catholicorum acta martyrum in lucem edere voluisse, et ad habendam cum illis communionem suos fuisse adhortatum? An id magis mirandum, quam ad quod eos, auctor similiter montanista, librum eorum laudibus refertum, communionis utique symbolum, destinarit? aut quod apostolicarum Ecclesiarum communionem, quarum inter præcipua membra martyres computantur, tantopere commendarit? Quis etiam miretur Tertullianum magnis Perpetuam laudibus affecisse, fortissimæque martyris præconio exornasse? Annon magis mirandum, quod catholicos martyres, in libro ipsis nuncupato, tot benedictionibus cumulari, quod eorum certaminis « agonothetem » esse dixerit (1) « Deum vivum, xystar-

(1) Capite tertio.

Digitized by Google

chum Spiritum Sanctum, coronam æternitatis bravium, angelicæ substantiæ politiam in cœlis, gloriam in sæcula sæculorum? » Quis denique miretur, Perpetuæ visionibus uti eum voluisse ad probandum, solos ante diem judicii solemnis martyres in cœlum recipi? Non est profecto id magis mirandum, quam quod Rutilii martyris in libro adversus Ecclesiam promulgato cum multa laude meminerit, ejusque exemplo usus fuerit ad probandum, fugiendam non esse persecutionem, quia nihil fuga prosit, si Deus nolit. « Rutilius sanctissimus martyr, cum totiens, inquit (1), fugisset persecutionem de loco in locum, etiam periculum (ut putabat) nummis redemisset, post totam securitatem, quam sibi prospexerat, ex inopinato apprehensus, et præsidi oblatus, tormentis dissipatus, credo, pro fugæ castigatione, dehinc ignibus datus, passionem, quam vitarat, misericordiæ Dei retulit. Quid aliud voluit Dominus nobis demonstrare hoc documento, quam fugiendum non esse, quia nihil fuga prosit, si Deus nolit? » Non hunc, puto, Basnagius dicturus est martyrem montanistam, cum sibi licitum esse crediderit saluti suæ fuga consulere et periculum pretio redimere; quæ illicita ex Montani disciplina habebantur; et tamen tot tantaque in eum congerit præconia, ejusque exemplum, ut sanctissimi martyris, adhibet ad probandam quam adstruebat sententiam. Mavili etiam martyris Adrumetini cum laude meminit in libro ad Scapulam, ejusque exemplo utitur ad probandam quam adstruebat sententiam : quod nulla videlicet civitas, nullus persecutor impune laturi essent christiani sanguinis effusionem (2) : « Tibi quoque optamus admonitionem solam fuisse, quod cum Adrumeticum Mavilum ad bestias damnasses, et statim hæc vexatio subsecuta est, et nunc ex eadem causa interpellatio sanguinis. » Et hunc igitur Basnagius audebit tam levi conjectura, quod a Tertulliano laudatus fuerit, e Montanistarum secta martyrem pronuntiare? Psychicos non adeo, ut ostendi, contemptui habebant Montanistæ, ut eos ab hæreticis non distinguerent, ut in iis quæ sunt fidei, alienæ eos communionis esse censerent, ut eorum denique martyres ludibrio pariter haberent : neque Tertullianus, quamquam Catholicis infensissimus et Montani defensor acerrimus, eo unquam vesaniæ processit, ut iis qui in Catholicæ Ecclesiæ sinu martyres occubuissent, aut martyrii coronam detraheret, aut meritas laudes præconiaque invideret.

X. Quo id minus miremur in Montanistis, similiter hæreticorum exempla non desunt. Quantis enim laudibus Socrates et Sozomenus, licet Novatiani catholicos non solum martyres, sed etiam doctores non exornant? Neque eos dico martyres aut doctores qui, antequam Novatianus schisma conflaret, in Ecclesia catholica floruerunt : sed eos, qui deinceps exorti sunt, et a quibus laudati scriptores optime noverant, Novatianos inter hæreticos computari. Quibus enim præconiis Hosium, Athanasium, Alexandrum C. P., magnum Basilium, Gregorium Theologum, aliosque id generis doctores catholicos non afficiunt? Quam iidem non tribuunt Nicænis Patribus auctoritatem? Quam magnæ huic synodo reverentiam, honoremque non deferunt? quamvis Catharos seu Novatianos inter hæreticos numerarit. Quid porro dicam de iis qui sub Juliano Apostata, sub Valente imperatore ariano, et in Perside sub Sapore, martyribus, passi sunt? quantis a Socrate et Sozomeno, laudibus celebrantur? annon eos veros inter, ac genuinos Christi martyres numerant? annon eorum Acta, quantum ipsorum in scribendis historiis institutum patiebatur, in lucem proferunt? annon eamdem illis, quam antiquis martyribus tribuunt auctoritatem, quamvis non ignorarent non eos novatianæ fuisse, sed catholicæ communionis? Et porro mirabimur, si auctor montanista catholicorum quorumdam Acta martyrum collegerit, ac litteris consignarit? Si Tertullianus fortissimos eos martyres nuncuparit, et eorum revelationibus auctoritatem aliquam honoremque detulerit? Idque adversus eorum orthodoxiam gravissimum esse præjudicium, et eos proinde catholicorum numero martyrum eximendos, et Montanistis relinquendos, arbitrabimur? Id si ita est, expungantur etiam oportet e Catholicorum diptychis tot sanctissimi doctores, imo et ipsi Nicæni Patres, tot fortissimi martyres, tot etiam religiosissimi monachi, quorum laudes nec Socrates, nec Sozomenus tacuerunt; expungantur, inquam, e catholicarum ecclesiarum diptychis, et Novatianis accenseantur, propterea quod in eos Novatiani scriptores tot tantaque præconia contulerint.

XI. At ego non solum ex auctore montanista nullum creari posse existimo sanctis martyribus præjudicium, quin et gravissimum inde pro illis conficere mihi videor argumentum. Non enim scriptor montanista dissimulasset, aut verbis solum ambiguis et obscuris indicasset, fortissimos athletas sectæ suæ martyres exstitisse, hos novam prophetiam fructus germinasse, ad ejusmodi certamina duriore quam invexerat, disciplina Montanum imbelles quoque feminas instituisse. Quinimo hæc aliaque hujusmodi palam apertisque verbis prædicasset, et opportune importune nulla non ferme pagina lectoribus inculcasset. An nescimus quæ sit his de rebus hæreticorum jactantia? quam inde soleant inaniter superbire, similive arrepta occasione in Catholicos impudentissime debacchari? Exemplo esse potest auctor Donatista, qui sanctorum Saturnini, Dativi et sociorum martyrum Acta litterarum monumentis consignavit. Quamvis enim laudati martyres e Donatistarum secta non fuerint, cum nisi sedata persecutione prætextu traditionis conflatum schisma non sit; attamen quia passi sunt ne divinas Scripturas persecutoribus traderent, et traditores videbantur exemplo suo prædamnasse, suaque communione ejecisse : mirum quam inde se jactet, quave impudentia in Catholicos insurgat petulantissimus scriptor! « Devicto, » inquit (1), « atque prostrato diabolo,

(1) Lib. *de Fuga in Persecut.* cap. 5.
(2) Cap. 3.

(1) In præfat.

Digitized by Google

victricem palmam in passione gestantes, sententiam in traditores, atque in eorum consortes, qua illos ab Ecclesiæ communione rejecerant, cuncti martyres proprio sanguine consignabant. Fas enim non fuerat, ut in Ecclesia Dei simul essent martyres et traditores. » Aliquidne in auctore Montanista simile occurrit? Mirum quam modeste, quam verecunde se gerat! Ait quidem se novas visiones et prophetias agnoscere, atque honorare : sed Perpetuæ Saturique visiones ac cœlestes revelationes litteris mandaturus, non ideo Catholicis insultat, qui novos prophetas recipere recusabant. Suos quidem ad habendam cum martyribus communionem adhortatur : sed non ideo illos a Catholicorum communione, novos prophetas reprobantium (quod auctor Donatista facit) deterret. Unde autem hæretico homini tanta modestia? nisi quia optime noverat, se non montanistarum, sed catholicorum gesta martyrum litteris commendare.

## CAPUT III.

### INTERNIS BASNAGII ADVERSUS NOSTROS MARTYRES ARGUMENTIS GENERALE RESPONSUM ADHIBETUR.

I. *Interna Basnagii adversus sanctos martyres argumenta.*

II. *Actorum potius compilatori fides derogauda esset, quam sanctorum martyrum orthodoxia in dubium revocanda.*

III. *Rationes adducuntur, quibus Actorum γνησιότης in controversiam vocari posset. Prima ratio ex quibusdam verbis exoticis quæ in Perpetuam, a qua maxima eorum pars scripta perhibetur, minime quadrant.*

IV. *Secunda ratio ex styli similitudine, quæ unum et eumdem scriptorem refert, cum tamen a tribus diversis scripta fuisse dicantur.*

V. *Neque Tertulliani, neque synchroni scriptoris auctoritas impediret, quo minus de Actorum fide dubitaremus, si aliquid reapse continerent quod catholicos martyres dedeceret.*

I. Externa, ut vocant, argumenta duobus præcedentibus capitulis prosecuti sumus, interna sequentibus capitibus examinabimus. De his in hunc modum disserit eruditus Basnagius : « His argumentis, » externis scilicet, » insita præstant. Quippe eo se modo Perpetua gerit, quasi Spiritum Sanctum, veluti monile quoddam in arca inclusum sua haberet ad nutum, ejus illustrationibus quando vellet usura ad arbitrium. Audiantur verba ejus cap. I, 3 : « Dixit mihi frater meus : Domina soror, jam in magna dignitate es; et tanta, ut postules visionem, et ostendatur tibi an passio sit, an commeatus. Et ego quæ me sciebam fabulari cum Domino cujus beneficia tanta experta eram, fidenter repromisi ei dicens : Crastina die tibi renuntiabo. » Miram sane fiduciam et sola Montani familia dignam! Neque satis cum gravitate decentiaque oblata Perpetuæ visa conjunguntur. Homo in habitu pastoris, « de caseo quod mulgebat, dedit Perpetuæ quasi buccellam. » Hinc colligit sibi mortem imminere. Notabilius illud, quod cap. III, 2, Perpetua narrat : « Exivit quidam contra me Ægyptius fœdus specie, cum adjutoribus suis pugnaturus mecum. Veniunt et ad me adolescentes decori adjutores et favitores mei : et expoliata sum, et facta sum masculus. » Procedit igitur cum Ægyptio ad pugnam Perpetua sexu mutato, victoriæ pretium acceptura « ramum viridem, in quo erant mala aurea. Et petiit silentium, et dixit: Ille Ægyptius si hanc vicerit, occidet illam gladio; et si hunc vicerit, accipiet ramum istum. Et recessit. Et accessimus ad invicem, et cœpimus mittere pugnos. Ille mihi pedes apprehendere quærebat : ego autem illi calcibus faciem cædebam. » Hæccine sunt Spiritu Sancto digna? similiane prophetis obtulit unquam? Scilicet ea visa sunt, quibus sacrum Joelis accommodetur oraculum. Montani prorsus redolent officinam somnia ejusmodi, ecstasis ejus simillima, qua Tertullianus probat animam esse « aerii coloris, et formæ per omnia humanæ (1) ».

II. His omnibus difficultatibus hoc primum adhibeo generale responsum, quod si quidem objecta Perpetuæ visa aliquid reapse aut Spiritu Sancto, aut martyre indignum continerent, Actorum potius sinceritas, quam martyrum orthodoxia in dubium esset revocanda. Hac primum responsione usus est et sanctus Augustinus. Cum enim sibi Perpetuæ visio inferius examinanda, qua fratrem suum Dinocratem in pœnis, deinde in refrigerio vidit, objiceretur, hoc primum respondit (2) quod « nec Scriptura ipsa canonica est, nec illa sic scripsit vel quicumque illud scripsit, » etc. » Quibus verbis dubitare videtur, an reapse Perpetua revelationes suas in litteras miserit : adeoque non omnem actis et eorum editori fidem adhibere. Hic enim perspicue docet Perpetuam et Saturum, quæ ad visiones et revelationes pertinent, suis ipsos manibus conscripsisse : « Hæc, inquit, sub initium, ordinem totum martyrii sui jam hinc ipsa narrabit, sicut conscriptum manu sua, et suo sensu reliquit. Cum adhuc, inquit, cum persecutoribus essemus, et me pater avertere, etc. » Et infra : « Tum dixit mihi frater meus, etc. » Atque ita semper cum ipsa tum Saturus in propria persona loquuntur. Et cap. III, 2 : « Hoc usque in pridie muneris egi : ipsius autem muneris actum, si quis voluerit, scribat. » Et mox cap. IV, 1 : « Sed et Saturus benedictus hanc visionem suam edidit, quam ipse conscripsit. » Et infra, cap. V, 1 : « Hæ visiones insigniores ipsorum martyrum beatissimorum, quas ipsi conscripserunt. » Et tandem cap. V, 3, se ait Perpetuæ mandatum exsequi, et quæ postea, ipso præsertim die muneris facta sunt, sicut ipsa desideraverat, posterorum memoriæ commendare. « Quoniam ergo permisit, et permittendo voluit Spiritus Sanctus ordinem ipsius muneris conscribi, etsi indigni ad supplementum tantæ gloriæ describendum; tamen quasi mandatum sanctissimæ Perpetuæ, imo fides commissum ejus exsequimur, etc. » Qui ergo rem toties ab auctore contestatam, atque inculcatam in dubium revocat,

(1) Lib. *de Anima*, cap. 9.
(2) Lib. I *de Anima, et ejus orig.*, cap. 10.

Digitized by Google

omnem profecto ejus dictis fidem non habet. Nullibi autem sanctus Augustinus in controversiam vocat : fueritne Perpetua Ecclesiæ mulier, an sectæ montanisticæ; sed ubicumque illius meminit, meminit autem frequentissime, ut sanctissimam martyrem, et invictissimam celebrat. Unde ex Augustini sententia, Actorum potius fides, quam martyrum orthodoxia in dubium revocanda esset, si quidem in Actis aliquid occurreret quod aut Spiritum sanctum, aut veros Christi martyres dedeceret.

Et sane quot, licet antiqua, sanctorum martyrum aut apostolorum aut quorumlibet insignium virorum acta vel historiæ, hoc potissimum argumento, aut in dubium revocantur, aut penitus exploduntur, et ad fabulas amandantur! Quot etiam antiqua monumenta, hoc eodem argumento, auctoribus quorum nomina præferunt, abjudicantur! Ita qui Barnabæ aut Clementis, aut Ignatii Epistolas inter supposititios fœtus recensent, hac præsertim ratione nituntur, quod in eis apostolici viri doctrina, spiritus item apostolici vis et majestas desideretur. Hac etiam ferme una ratione ducuntur, qui Hermæ visiones, quamvis antiquis adeo celebratas, ut pene in Scripturarum canonem relatæ ab eis fuerint, exsibilant atque explodunt; quod nempe multa ipsorum judicio contineant Apostolorum discipulo non satis digna, et ab Apostolorum doctrina perquam aliena; neque, ut verbis utar Basnagii, satis cum gravitate decentiaque oblata Hermæ visa conjungantur. Nemo tamen criticorum eo hactenus audaciæ processit, ut ob nævos aliquos, aut errata, aut etiam noxia doctrinæ capita, quæ sibi in hisce, aut ejusmodi monumentis deprehendere videbatur, de illorum sana fide atque orthodoxia dubitaret, quibus ejusmodi opera Patres etiam antiquissimi tribuerunt. Maluerunt scilicet laudatis Patribus eripere quæ illorum indigna spiritu judicarunt, quam de illorum pietate ac religione indignum aliquid statuere, et secundum eorum contestatam virtutem de libris aut tributis ipsis visionibus arbitrium facere, quam ob libros aut visiones eorum famam et honorem in discrimen adducere : neque ideo pravam de sanctis quibusdam viris opinionem animo imbiberunt, quod prava judicarent, quæ illis scripta tribuebantur; sed quæ prava judicabant iis tribui noluerunt, de quibus fas non erat pravam animo imbibere opinionem. Cum igitur nefas esset et summæ temeritatis de Perpetuæ et sociorum martyrum religione ac recta fide per tot ab eorum martyrio sæcula, universalis Ecclesiæ judicio et veterum Patrum unanimi consensione comprobata, controversiam movere. Si quid in eorum actis offendit Basnagius, quod in catholicos martyres ipsius judicio non quadret, id potius, omne debuit ut adulterinum rejicere, quam de sanctis martyribus indignum aliquid constituere.

III. Neque profecto, si huic quam Augustinus aperuit, insistere orbitæ voluisset, pro ea qua pollebat ingenii vi et critico acumine, Basnagio defuisseat argumenta quibus hanc opinionem utcumque fulcire et plausibile efficerem potuisset. Primo enim non sibi quisquam facile persuaderet, mulierem africanam adeo fuisse græcis litteris addictam, ut ab iis in tam brevi scriptura sæpius usurpandis, sibi nequiverit temperare. Haud me latet græca esse quamplurima verba, quæ in vulgarem etiam, et popularem latini sermonis usum transierunt : at non ejusmodi sunt quæ a Perpetua in suis describendis visionibus usurpantur, imo fere inusitata, et quæ in latinis scriptoribus vix, aut numquam occurrunt. Ita cap. I, 3, « Bene venisti, Tegnon. » Ubi Ruinartius admonet, quod τέκνον, etsi rarius, aliquando tamen filiam designat. Sed vellem latinum scriptorem protulisset, qui τέκνον pro *filia* scripserit. Cap. II, 3, « Ostensum est mihi hoc in oromate. » Et cap. III, 2, « video in oromate. » In quæ loca hæc annotat vir Cl. Lucas Holstenius : « Res exigit ut rescribatur *horamate*, nisi hæc vox ita deformata in usu populari Afrorum erat. Est autem ὄρραμα vox græca somnus visum, sive visionem Usurpatur Actor. cap. XII, 9; latini scriptores ea rarius usi sunt, tamen Aldhelmus, lib. de Virginitate, cap. 3, ubi de sancto Joanne evangelista loquitur, ait, eum « in Pathmo raptum in *horomate*, » ubi Meursius recte *oramate* substituit in Mantissa critica (sicque in Bibliotheca sanctorum Patrum editum reperio), frustra reprehendente Suvartio Analectorum lib. III, cap. 9, qui *chroma* ibi rescribendum, persuadere nequidquam conatur. Reperio etiam apud Alcuinum, lib. I de Vita sancti Willebrordi, capite 2, hæc verba : « Mater, intempestæ noctis quiete, cœleste in somnis vidit *horama*. » Quod ait vir doctissimus, latinos scriptores hac voce rarius esse usos, perspicuum est; sed quod indicare videtur eam in usu populari Afrorum fuisse, haud facile concesserim; cum neque in Tertulliano ejusdem ævi scriptore, quamquam exoticis ejusmodi ac præcipue græcis vocibus admodum delectetur et frequentissime de visionibus, ac revelationibus agat, occurrat; neque in supparibus scriptoribus, Cypriano et Pontio diacono, quamquam et ipsi varias subinde visiones referant; neque item in Optato Milevitano, Augustino, Fulgentio, ac Victore Vitensi, quamvis non adeo castigata locutione, et a populari usu remotissima, utantur. Eodem capite III, 2, vox alia græcæ significationis occurrit : « Ægyptium video in *afa* volutantem. » « *Afa*, » inquit in hunc locum laudatus Holstenius, « pulvis est, græca significatione : est enim græcum nomen, ἄφη, latine scriptum. Solebant autem pugiles certaturi inspergere uncta corpora pulvere, vel in eo humi jacente se volutare. Ovid., Metamorphos. 9, de duobus palestritis invicem sibi pulverem ad istum usum ministrantibus :

Ille cavis hausto spargit me pulvere palmis
Inque vicem fulvæ jactu flavescit arenæ.

« Quam arenam, unde flavescebant hic modo pugilum corpora, Martialis lib. VII, Epigram. 66, vocat Haphen hoc versu :

Et flavescit Haphe. . . . »

Nescio tamen, an præter Martialem apud alium la-

Digitized by Google

tinum scriptorem reperiatur; et poeta forsitan metri causa hanc vocem usurpavit. Capite item II, 3, græcum aliud paulo post nomen legitur : « Et inter me et illum grande erat *diadema*. » De hac etiam voce hæc habet Holstenius in notis : « Non dissimulo, si suscipioni esset indulgendum, videri non sine fundamento reponi posse *diastema* pro *diadema*. Nam *diastematis* vocem latinis eo sæculo frequentatam intelligere licet ex L. Frontino lib. *de Agror. Qualit.*, ubi sic scribit : Si tres circuli pares fuerint, inter se æquali *diastemate* connexi. Et Hygenus *de Limit. constit.*, « Quid quod nec illa ipsa regione solis conspectus recte potest deprehendi, nisi æqualibus ab ortu et occasu *diastematibus*, ferramentum ponatur. » Item : « terram punctum esse cœli et infra solem amplo *diastemate* spiritus sustineri. » De hac tamen viri doctissimi observatione, hæc subjungit Petrus Possinus : « Quæ notat hic Holstenius de conjectura qua rescribendum suspicatur *diastema* pro *diadema* videntur hanc exceptionem pati, quod loca illa quæ citat Frontini et Hygeni agrimensorum parum certo persuadeant, sanctam Perpetuam usam hoc loco ista voce quæ erat propria artis agrimensoriæ, ac consequenter aliena ab usu vulgari, præsertim mulierum in Africa. » Itaque ex constanti ac diserta ms. codicis lectione vocem *diadema* retineri vult, et idem ferme quod *Limbi* nomen hoc loco significare. Sed quæ in hanc mentem erudite atque subtiliter disserit, non ostendunt hanc fuisse eo tempore hujus vocis usitatam ac popularem notionem, sicut modo *Limbi* nominis apud scholasticos, adeoque melius ac *diastema* in africanam fœminam convenire. Licet enim Tertullianus, Perpetuæ coævus, et Carthaginis incola, et postea sanctus Augustinus, sæpius abdita hæc animarum receptacula nominarint, numquam ea tamen *diademata* nuncuparunt : quanquam illæ, ut dictum est, exoticis et peregrinis, hic vero popularibus vocibus admodum delectarentur. Jam vero quis sibi facile persuadeat, mulierem ad martyrium festinantem, græcam affectasse eruditionem, aut inter carceris umbras et angustias, in brevi hoc commentario litteris consignando, de inusitatis vocibus excogitasse, et non magis eas quæ in usu familiari habebantur, prout sponte sese ac statim ad mentem offerebant, usurpasse? Saturnus quoque græcas litteras amat, adeo ut in brevi scriptiuncula, qua visionem suam exponit, græcis nequierit vocibus abstinere : « Et audivimus vocem unitam dicentium, *Agios*, *agios*, *agios*, sine cessatione. »

IV. Secundo si Actorum editori fidem adhibemus, Acta non uno auctore constant, sed e trium scriptorum monumentis concinnata sunt, Perpetuæ nimirum, Saturi, et eorumdem Actorum collectoris, qui et præfationem adjunxit, et quæ ipso die muneris gesta sunt, in litteras misit. Verum si oculos propius admoveamus, eaque non oscitanter a nobis aut somniculose legantur, sed præsenti animo et ea qua par est attentione, unum statim eumdemque auctorem repræsentare videntur. Similia in omnibus verba, similes phrases, similes locutiones occurrunt ; unus idemque stylus in omnibus deprehenditur. Auctor Epistolæ Biturigibus scriptæ ad Ilduricum Valesium id opus Tertulliano attribuit. Quod ut probaret, collatis multis Actorum locis cum aliis Tertulliani operibus ostendit eumdem omnino stylum, easdem loquendi formulas, ac etiam sæpius eadem verba in utrisque reperiri. Sed hæ loquendi formulæ, hæ phrases, hæc verba, hic demum quicumque sit Tertullianicus stylus, non in iis tantum quæ de suo auctor se adjecisse fatetur, sed in iis etiam quæ ut Perpetuæ et Saturi verba exhibet animadvertitur. Rasnagius tamen laudatum opus Tertulliano his argumentis abjudicat : quod Tertulliano nullus veterum ea tribuit. Quia etiam stylus illo Tertulliani humilior est nec paribus ignibus micat. Denique Acta Perpetuæ laudat ipse Tertullianus suppresso suo nomine, quod edit, dum operum suorum meminit. In prima istarum ratione, et ultima non multum momenti inest. Ad primam enim responderi facile posset ; primo argumentum esse negativum, quod propterea non admodum urget. Secundo, ideo non fuisse id operis inter Tertulliani Opera recensitum, quod Actorum potius collector quam auctor haberetur. Postremam quoque rationem facile esset eludere, dicendo imprimis quod Tertullianus Acta non citat, sed Perpetuæ visionem memorat, quam aliunde accepisse poterat, quam ex Actis. Deinde cum librum scripsit *de Anima*, Acta forsitan nondum ediderat, sed ea apud se retinebat suo tempore publicanda. Plus itaque momenti in secunda ratione est. Non enim negari potest, Actorum humilius esse dicendi genus neque Tertulliani cothurno incedere. At non Perpetua solum et Saturus, sed ipse quoque Actorum editor humilius repit. Unde quemadmodum phrases aliquas et verba Tertulliani verbis ac phrasibus similia, non minus Saturus et Perpetua quam passionis eorum editor, habent : ita non minus iste humilius dicendi genus, quam Perpetua et Saturus consectatur. Et siquidem auctor epistolæ propter aliquam similitudinem suspicatus est, an Actorum editor ipse fuerit Tertullianus : multo magis propter unum ferme eumdemque orationis characterem, suspicio esse poterit, annon Acta ex unius ejusdemque auctoris manu profecta sint.

Hæc non eo dicta velim, quod ejusmodi conjecturis admodum deferam, aut quod Actorum γνησιότητα in suspicionem adducere in animo reapse habeam : sed ut ostenderem, quibus argumentis confirmari posset opinio ejus, qui sibi in Perpetuæ visionibus ac revelationibus aliquid videretur offendere, quod aut Spiritum sanctum aut catholicæ communionis martyrem dedeceret ; ac propterea ea omnia vellet, ut Montanistarum commenta, et conflictas ab otiosis ac superstitiosis hominibus fabulas repudiare. Quod certe minoris audaciæ foret, quam sanctos ipsos martyres Catholicorum diptychis expungere et in Montanistarum censum referre.

V. Neque vero aut Tertulliani auctoritate, aut ipsa

Digitized by Google

Actorum vetustate ab incœpto, si opus esset, prosequendaque hac via deterrerer. Non equidem Tertulliani auctoritate: quamvis enim ea ad manus habuisse credatur, et pro genuinis atque indubiæ fidei monumentis laudasse, de hoc tamen, ut dixi, non constat, cum ipsi commemoratam Perpetuæ visionem aliunde potuerit accipere. Deinde, non multum in hacce controversia scriptoris hujus auctoritate deferendum est, cum nullius hisce in rebus criterii et judicii fuerit, ut qui sibi ab insanis, fanaticisque mulierculis turpissime imponi passus fuerit, et animam *aerei coloris* esse crediderit, *et formæ per omnia humanæ*, quod eam sibi quædam e Montanistarum secta pseudo-prophetes, ejusmodi coloribus, et lineamentis præditam renuntiaverit.

Fuerint etiam ab auctore coævo, ut fertur, et ipse in præfatione testatur, sanctorum martyrum Acta in litteras missa, et seræ posteritati commendata : non inde tamen consequens esset, ea quæ ad visiones pertinent, omnia esse avidis auribus, nulloque adhibito criterio excipienda. Quam facile est enim ut hisce in rebus et boni viri fallantur, et male feriati homines cum otio suo, tum aliorum credulitate abutantur! Auctor, ut vidimus, montanista, quæ de Perpetuæ et Saturi visionibus habet, omnia ad arbitrium confingere potuisset. Res in imis carceris latebris, et recessibus gestæ narrantur. Quid Deo cum martyribus actum fuerit, ipse duntaxat Deus novit et martyres, qui jam excesserant. Quis ergo præstaret, ea quæ Basnagio Montanistarum redolent officinam, esse, martyribus reapse tribuenda, et non magis explodenda ut otiosi hominis, vanissimæque sectæ addicti deliramenta? Quo id proclivius de homine montanista in animum induceremus, faceret exemplum auctoris donatistæ qui Marculi perditæ hujus et schismaticæ factionis pseudomartyris Acta litterarum monumentis commendavit. Quamvis enim scriptor et ipse coævus fuerit, quanta sunt tamen quæ mira licentia commentus est, et multo majore impudentia lectoribus in illis Actis obtrudit! Quas enim refert hujus hypocritæ revelationes, catholico martyre haud prorsus indignas, quis non ut audacissimi capitis commenta repudiet? Qua ergo libertate auctori donatistæ in his quæ de Marculi visionibus narrat, fidem abrogamus, quod hæretico homini non conveniant; eadem erga scriptorem montanistam, uti possemus, si quas refert Perpetuæ et Saturi visiones in catholicos martyres non quadrarent.

Nollem equidem negare, Saturum et Perpetuam cœlestibus inclaruisse revelationibus : sed an illæ ipsæ sint, quas scriptor montanista publici juris fecit, merito quispiam, si opus esset, in controversiam vocaret. Quidam eorum qui adversus Ignatianas epistolas calamum exeruerunt, aliquas a sancto martyre conscriptas fuisse litteras non inficiantur. Quin et ultro admittunt, eas a Polycarpo fuisse collectas, earumque συναγωγὴν suæ sanctum episcopum ad Philippenses epistolæ subjunxisse : sed quas modo habemus vel ab Ignatio scriptas, vel a Polycarpo editas fuisse, non admittunt, quod multa ipsorum judicio contineant, quæ fieri non potest ut epistolæ vere ab Ignatio scriptæ habuerint. Hac responsione Dallæus (1) Polycarpiani testimonii vim elevare conatur, qui etiam ab impostore confictas, genuinis Ignatii et a Polycarpo laudatis epistolis similes aliqua re fuisse largitur. Basnagius, qui sancto Ignatio, quæ modo sub ejus nomine circumferuntur, non secus ac Dallæus, abjudicat, quod multa contineant quæ fieri non potest, ut epistolæ vere ab Ignatio scriptæ habuerint : cur non eidem, ubi de Perpetuæ revelationibus agebatur, orbitæ institit? An non minoris temeritatis fuisset, admittere quidem fuisse Perpetuam cœlestibus in carcere visionibus recreatam, sed easdem esse pernegare, quas editor montanista vulgavit, quod multa contineant quæ fieri non potest ut immissæ catholicis martyribus revelationes habuerint? Id, inquam, annon minoris temeritatis fuisset, quam montanismi catholicos martyres reos agere? Largiri etiam facile potuisset, quas ab impostore confictas existimaret Perpetuæ et Saturi visiones, iisque in ore famæ tunc versabantur, similes aliqua re fuisse, sed non easdem omnino quod ejus emunctissimis naribus quæ modo exstant, Montanistarum redoleant officinam.

Denique juxta hypothesim, quam in hoc capite persequor, quod montanismum reapse Perpetuæ et Felicitatis Acta redoleant, illud etiam largiri quis facile posset, Perpetuam et Saturum suas in carcere scripsisse revelationes; sed cum casu quodam, antequam vulgarentur, in manus hominis Montani superstitionibus implicati venissent, eas illum ad arbitrium interpolasse, et quibusdam in locis, ut magis libuit, figmentis hæreticis inquinasse. In interpolatorem proinde, non autem in sanctos martyres, esse refundenda quæ montanismum criticis peritioribus saperent.

## CAPUT IV.

*De visionum aliorumque cœlestium donorum per priora Ecclesiæ sæcula, copia et ubertate disseritur. Veteres Christianos, et omnium opinione, genuinos Christi martyres non minori, quam Perpetuam, fiducia divinis hisce Spiritus Sancti charismatibus, usos fuisse demonstratur.*

I. *Nihil in nostrorum martyrum Actis reapse occurrere quod Montani redoleat officinam.*

II. *Sanctus Justinus M. sui temporis prophetas cum veteribus comparat. Unde conficitur non minori quam illos fiducia propheticum spiritum usurpasse.*

III. *De Montanistarum initiis. Nullus vetustissimorum scriptorum montanistas ideo pro falsis prophetis habuit, quod veluti ad arbitrium Spiritus Sancti revelationibus uterentur.*

IV. *De charismatum per hæc tempora varietate et copia insigne sancti Irenæi testimonium.*

V. *Quam præsto fuerit veteribus Christianis, ad*

(1) Apud Pearson. *Vindiciar.* p. 1, cap. 5.

Digitized by Google

*coercendos abigendosque dæmones, virtus Spiritus sancti.*

VI. *Potamiænæ, non minus quam Perpetuæ, memorabile exemplum.*

VII. *Quantum Cypriani vita visionibus ac revelationibus abunduverit, ex ejus epistolis, et Pontio diacono ostenditur.*

VIII. *Aliorum martyrum Acta iisdem Spiritus sancti donis referta.*

IX. *Perpetuæ et sociorum martyrum ævo charismatum fontem, magis quam Cypriani temporibus exundasse.*

I. Quum, ut sæpius dixi, quæ capite præcedenti in medium produxi, non in eam mentem accipi velim, quasi Actorum γνησιότητα in controversiam vocare, aut eorumdem editorem, etsi montanistam, in fraudis suspicionem adducere, in animo habeam : alia nunc vobis via, Augustino etiam duce, capessenda dandaque opera est ut omnem a Perpetuæ visionibus, etiam prout in Actis referuntur, montanismi suspicionem amoliamur. Ut enim Acta nullis Montanistarum commentis inquinata esse negemus, et Perpetuæ revelationes aliquid habere, quod Montani scholam officinamque redoleat, Ecclesiæ auctoritas facit, quæ non heri, aut nudiustertius, sed ab antiquis temporibus, ut ex Augustino constat (1), publicam eorum lectionem approbavit. Facit etiam auctoritas Patrum, qui nihil a fide alienum, nihil indecorum, nihil denique, quod Montanistarum redoleat officinam, in iis ipsis Perpetuæ revelationibus subodorati sunt quibus modo suspicio imprudentissime aspergitur. Non erant Patres in rebus fidei subodorandi adeo obesis naribus, ut non statim bonum Christi odorem, et cœlestium charismatum fragrantiam ab hæreticarum fabularum, inépliarumque fœtore discernerent. Non modo nullus ostendi potest hæreticus martyr, quem pro catholico Patres coluerint, sed neque etiam ulla catholicorum martyrum, acta hæreticis fabulis inquinata, quorum ad fidelium ædificationem publicam in Ecclesia lectionem esse voluerint. Ut boni pastores solliciti admodum erant, ut a noxiis atque inutilibus herbis oves averterent suas : neque credimus fraudem nulli per tot sæcula animadversam, nunc tandem Basnagio suboluisse. Enitendum est igitur, ut injectas antiquis hisce et probatis veterum Patrum calculo monumentis hæreticæ pravitatis maculas detergamus, et inde etiam conflatam sanctis martyribus sceleris hujus invidiam depellamus. Quod me facile consecuturum esse confido, singula quæque ad examen revocando, et ad severiores critices regulas expendendo, quæ Basnagium in pravam hanc de sanctis martyribus opinionem adduxerunt. Primum, ut vidimus, inter insita et ex ipsis Actis et Perpetuæ verbis collecta, adversus Martyres argumentum repetit ex eo quod initio capitis quarti Perpetua narrat in hæc verba : « Tunc dixit mihi frater meus: Domina soror, jam in magna dignitate es, et tanta ut postules visionem, et ostendatur tibi an passio sit, an commeatus. Et ego quæ me sciebam fabulari cum Domino, cujus beneficia tanta experta eram, fidenter repromisi ei dicens : Crastina die tibi renuntiabo. » Eo, inquit Basnagius, se modo Perpetua gerit; quasi Spiritum sanctum veluti monile quoddam in arca inclusum sua haberet ad nutum, ejus illustrationibus, quando vellet, usura ad arbitrium; recitatisque superioribus verbis, miram, subjungit, fiduciam et sola Montanistarum familia dignam!

Hoc argumento facile me expedirem; si innumera huc afferrem similis, si non etiam majoris fiduciæ exempla, non modo ex recentiorum sanctorum historiis; sed e Theodoriti quoque historia religiosa, e Gregorii Dialogis, ex Joannis Moschi Prato spirituali, et aliis hujusmodi quinti, sexti ac sequentium sæculorum voluminibus coacervata. At quoniam mihi cum ejusmodi hominibus quæstio est, qui id generis monumentis omnem temere fidem abrogant, hæc in præsentiarum missa faciam, et ad alia me exempla testimoniaque convertam, quibus ii tantum refragari audeant, qui aut christianam religionem ludibrio habent, aut nullam penitus religionem colunt. Non est tamen cur a me aliquis exspectet ut omnia huc conferam cœlestium visionum, propheticarum revelationum, aliorumque divinorum charismatum exempla quibus Ecclesia plurimum fuit tribus prioribus sæculis illustrata. Quamquam enim id multum juvaret ut intelligeremus, unde Perpetuæ animum tanta fiducia incesserit (ex summa videlicet per ea tempora cœlestium donorum ubertate, et pene quotidiano et communi, ac quibusvis justis exposito divinorum charismatum usu), attamen quia bene longam eruditamque *de Visionibus* ad Epistolam VIII Cypriani dissertationem texuit Henricus Dodwellus inter Protestantes non infimi subsellii theologus, in qua veterum Patrum, initio sumpto ab apostolicis ad Cyprianum usque loca omnia in quibus de visionibus agunt, adversus eos asseruit ac vindicavit « qui, ut ait, quæ legunt in illius sæculi auctoribus de visionibus, ea ad Montanum trahunt atque Montanistas; » ideo hoc ego labore in præsentia supersedebo, sed ea dumtaxat cum ex antiquorum Patrum scriptis seligam testimonia, tum ex martyrum sinceris Actis probatisque historiis exempla quæ ad meum institutum propius accedere videbuntur, et ex quibus facile possit intelligi, Montanistarum familiæ propriam non fuisse miram illam Perpetuæ fiduciam, qua futuri eventus revelationem fratri spopondit.

II. Notanda sunt autem imprimis quædam Justini martyris loca ex Dialogo cum Tryphone, in quo, ut Eusebius advertit (1) : « Prophetiæ dona adhuc sua ætate in Ecclesia viguisse, scribit. » Sed quomodo viguerint, productis sancti martyris testimoniis compertum magis habebimus atque exploratum. Ita

(1) *Enarr. in Ps.* XLVII.

(1) Γράφει δὲ καὶ ὡς ὅτι μέχρι καὶ αὐτοῦ χαρίσματα προφητικὰ διέλαμπεν ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας. Lib. IV, *Hist.*, cap. 18.



Digitized by Google

enim ait (1) : « Apud nos enim huc usque etiam prophetica exstant dona, unde et vos intelligere debetis quæ olim in genere vestro fuere, ea esse in nos translata. » Et infra, quam perspicuum esse docet, et in omnium oculis positum, nullum tum amplius exstare in Judæorum gente prophetam : tam palam esse omnibus, ac manifestum, esse revera inter Christianos non viros tantum, sed etiam feminas, prophetiæ spiritu, secundum Joelis vaticinium afflatos (2) : « Ita ut in genere vestro non amplius more veteri prophetæ futuri essent : quod et oculis ipsi vestris cernere potestis. Post illum namque nullus omnino apud vos natus est propheta. » Et paulo post (3) : « Est apud nos videre et feminas et masculos dona a Spiritu Dei habentes. » Hoc Justini martyris testimonio falsi imprimis convincitur Basnagius, dum ait (4), in Novo Testamento de solis Philippi evangelistæ filiabus referri quod a numine actæ oracula funderent. Nam sanctus Justinus promiscuum, et commune fuisse tradit masculis et feminis prophetiæ domum. Quamquam et illud non admodum verosimile videatur, Philippi filias, quamvis, ut scribit ad Victorem Polycrates (5), in Asia consenuerint, ad id usque temporis pervenisse. Asterius quoque Urbanus inter novi Testamenti catholicos prophetas, ut quos dicat nihil ad Montanistas pertinuisse, μηδὲν αὐτοῖς προσήκοντας, præter Philippi filias, Ammiam quamdam philadelphensem recenset, spiritu, ut Montanistæ jactarent, quod (6) « post Quadratum et Ammiam philadelphensem mulieres illæ Montani in prophetiæ gratiam successerant. » In hos itaque novi Testamenti non prophetas modo, sed etiam prophetissas translata fuisse docet Justinus, prophetica dona quibus olim synagoga inclaruerat; idque tanta perspicuitate atque evidentia, ut Judæos ipsos hujusce rei testes appellet. Quod utique argumento est, non minori copia, atque ubertate sese novis hisce prophetis, quam antiquis, prophetiæ spiritum infudisse. Jam vero an non eo se modo veteris Testamenti prophetæ gerebant, quasi Spiritum Sanctum veluti monile quoddam in pectore suo, ut in arca inclusum, sua haberent ad nutum, ejus illustrationibus usuri ad arbitrium? Annon de futuris eventibus a populo requisiti, eadem plane fiducia, qua Perpetua, se illi, crastina die, aut post breve tempus renuntiaturos spondebant? Quid ergo mirum, si novi Testamenti prophetis, ut Agabo, Silæ, Quadrato, Polycarpo et prophetissis, ut filiabus Philippi, Ammiæ philadelphensi et deinde Perpetuæ adeo familiarem fuisse dicamus, ut a Christianis interrogati, hæc fiducia responderint : « Cras vobis renuntiabimus » : prophetæ scilicet, aut prophetidis appellationem, non illi olim, aut illæ tulisse videntur, qui semel tantum aut iterum prophetica fudissent oracula, sed qui prophetico spiritu familiariter, et pene dixerim ad arbitrium uterentur. Alioquin cum prophetica dona tanta olim in Ecclesia copia exundarent, cur aliqui tantum nec magno sane numero prophetæ κατ' ἐξοχήν dicti fuissent, ut quos Asterius apud Eusebium loco sæpius laudato recenset, et Polycarpus dictus Ecclesiæ Smyrnensi διδάσκαλος ἀποστολικὸς, καὶ προφητικός (1), Doctor apostolicus et propheticus?

III. Non longe post Justini martyrium montanisticæ factionis initia videntur esse collocanda, si, ut Ruinartius (2) et alii volunt, anno CLXVII aut etiam serius sanctus martyr occubuit. Anno enim CLXXVII, quo Lugdunenses martyres passi sunt, nefariæ sectæ fundamenta, ut Eusebius refert, jacta jam fuerant. Principio, ut ex eodem Eusebio constat, varia fuit eorum fortuna : alii eos ut veros prophetas celebrabant, alii quid de illis statuerent ancipites hærebant, adeo ut aliarum quoque ecclesiarum, et præsertim Gallicanæ, de hac nova prophetia sententiam per litteras Asiani rogarint. Causam vero cur non statim ab omnibus repudiarentur, hanc fuisse tradit Eusebius, quod cum adhuc in Ecclesia divinæ gratiæ charismata affluerent, haud insolens videbatur, eos quoque, qui austerum vivendi genus extrinsecus consectabantur, cœlestibus charismatis abundare : « Cum Montanus, inquit Eusebius (3), et Alcibiades ac Theodotus tunc primum in Phrygia, opinione hominum, tamquam prophetæ celebrari cœpissent ; (multa quippe divinæ gratiæ miracula in pluribus ecclesiis etiam tum fieri solita fidem plurimis faciebant, eos quoque prophetare), cumque illorum hominum causa dissensio orta esset, qui in Gallia erant fratres, privatum de his judicium suum, religiosum imprimis et cum recta fide consentiens, rursus eidem epistolæ subjunxerunt, prolatis interfectorum apud se martyrum variis epistolis quas illi dum in vinculis adhuc essent, partim ad fratres in Asia et Phrygia degentes, partim ad Eleutherum Romanæ urbis episcopum scripserant, pro pace Ecclesiarum

(1) Παρὰ γὰρ ἡμῖν καὶ μέχρι νῦν προφητικὰ χαρίσματα ἔστιν· ἐξ οὗ καὶ αὐτοὶ συνιέναι ὀφείλετε, ὅτι τὰ πάλαι ἐν τῷ γένει ὑμῶν ὄντα εἰς ἡμᾶς μετετέθη.

(2) Μηκέτι ἐν τῷ γένει ὑμῶν κατὰ τὸ παλαιὸν ἦθος προφῆται γενήσεσθαι, ὅπερ καὶ ὄφει ὑμῖν ἰδεῖν ἔστι· μετ' ἐκεῖνον γὰρ οὐδεὶς ὅλως προφήτης παρ' ὑμῖν γεγένηται.

(3) Καὶ παρ' ἡμῖν ἔστιν ἰδεῖν καὶ θηλείας καὶ ἄρσενας χαρίσματα ἀπὸ τοῦ Πνεύματος τοῦ Θεοῦ ἔχοντας.

(4) Anno D. 203, N. V.

(5) Apud Euseb. lib. v *Hist. Eccles.*, cap. 14.

(6) Μετὰ Κάδρατον καὶ τὴν ἐν Φιλαδελφείᾳ Ἀμμίαν, αἱ περὶ Μοντανὸν διεδέξαντο γυναῖκες τὸ προφητικὸν χάρισμα. Apud Euseb. *Hist. Eccles.*, cap. 17.

(1) Epist. de illius martyrio, apud Euseb., lib. IV, Hist. Eccles., cap. 15.

(2) Admonit. in acta sancti Justini M., n. 12.

(3) Τῶν δ' ἀμφὶ τὸν Μοντανὸν καὶ Ἀλκιβιάδην καὶ Θεόδοτον, περὶ τὴν Φρυγίαν ἄρτι τότε πρῶτον τὴν περὶ τοῦ προφητεύειν ὑπόληψιν παρὰ πολλοῖς ἐκφερομένων· πλεῖσαι γὰρ οὖν καὶ ἄλλαι παραδεξιοτίαι τοῦ θείου χαρίσματος εἰσέτι τότε κατὰ διαφόρους ἐκκλησίας ἐκτελούμεναι, πίστιν παρὰ πολλοῖς τοῦ κἀκείνους προφητεύειν παρεῖχον· καὶ δὴ διαφωνίας ὑπαρχούσης περὶ τῶν δεδραμένων, αὖθις οἱ κατὰ τὴν Γαλλίαν ἀδελφοὶ, τὴν ἰδίαν κρίσιν καὶ περὶ τούτων εὐλαβῆ καὶ ὀρθοδοξοτάτην ὑποτάττουσιν· ἐνθέμενοί τε καὶ τῶν παρ' αὐτοῖς τελειωθέντων μαρτύρων διαφόρους ἐπιστολάς· ἃς ἐν δεσμοῖς ἔτι ὑπάρχοντες, τοῖς ἐν Ἀσίᾳ καὶ Φρυγίᾳ ἀδελφοῖς διεχάραξαν, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ Ἐλευθέρῳ τῷ τότε Ῥωμαίων ἐπισκόπῳ, τῆς τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνης ἕνεκα πρεσβεύοντες. Lib. 5, cap. 3.

Digitized by Google

quasi legatione fungentes. » Hæc de Montanistarum initiis Eusebius; ex quibus nemo non facile intelligit, eam per hæc tempora in Ecclesia fuisse divinorum charismatum ubertatem, ut ex eo firma conjectura capi non posset, aliquos e prophetarum albo expungendos esse, quod cum magna fiducia propheticum spiritum usurparent. Ejusdem libri capite decimo sexto et seqq. aliquot illius ævi scriptores memorat, qui Montanistas gravissimis scriptis exagitarunt, ut Apollinarem Hieropolitanum, Asterium Urbanum, Miltiadem, Apolonium, Serapionem, Ælium, Publium Julium Develti Coloniæ Thraciæ episcopum, et ex quibusdam longas bene *ῥήσεις* affert, in quibus cernere est, quo signorum genere veteres illi Patres adulterinum Montani spiritum deprehenderent. Præter pravos eorum mores, et vaticiniorum falsitatem *illud* imprimis, ut supra vidimus, novis hisce prophetis objecerunt, quod velut arrepticii, subito quodam furore ac mentis excessu concussi, insana quædam et importuna atque aliena proloquerentur, *præter* morem atque institutum Ecclesiæ a majoribus traditum, et continua deinceps successione propagatum. Nullibi autem id illis opposuisse legimus, quod Perpetuæ Basnagius opponit, eamque propterea uti montanistam traducit, quod cœlestes revelationes cum magna fiducia præstolarentur. Nullum certe vir eruditus afferre poterit veterum Patrum testimonium, quo demonstret magnam illam, quam in Perpetua miratur, fiduciam montanisticæ familiæ fuisse propriam: qua ergo fuisse potius fiducia, ne dicam temeritate et audacia, hoc esse voluit in sanctissima femina montanistici spiritus argumentum?

IV. His eisdem temporibus pietatis et eruditionis laude florebat imprimis Irenæus. Ex secundo ipsius adversus Hæreses libro insignem locum affert Eusebius, in quo « Divinæ, inquit (1), admirandæque virtutis specimina adhuc sua ætate in quibusdam ecclesiis superfuisse, testatur his verbis: Tantum abest, inquit (C. 57), ut mortuum excitent per orationem, quemadmodum Dominus et Apostoli fecerunt, sed et sæpenumero inter fratres tota simul unius loci ecclesia ob aliquam necessitatem id flagitante cum jejuniis multis et orationibus, reversa est in corpus anima defuncti, et sanctorum precibus hominis vita donata est. » Et aliquanto post: « Quod si, inquit, simulatione quadam ac præstigiis hæc Dominum fecisse dicturi sunt, ad Prophetarum oracula eos deducentes, ex illis demonstrabimus cuncta de ipso ita prædicta et gesta esse certissime, eumque esse Filium Dei. Unde etiam in ejus nomine quotquot veri sunt ejus discipuli, accepta ab eo gratia, ad salutem atque utilitatem reliquorum omnium ea faciunt, prout unusquisque ipsorum ab eo munus acceperit. Alii enim dæmonas expellunt certissime ac verissime, adeo ut qui hujusmodi malis spiritibus liberati sunt, sæpe fidem amplectantur, et in Ecclesia permaneant. Alii præscientiam futurorum, et visiones sortiti sunt, et prophetias prædictiones. Alii infirmos per impositionem manuum curant, ac pristinæ sanitati restituunt. Sed et mortui aliquoties, ut supra diximus, excitati sunt, et pluribus deinceps annis nobiscum remanserunt. Quid plura? non potest numerus iniri donorum, quæ per universum orbem Ecclesia a Deo accipiens in nomine ejus qui sub Pontio Pilato crucifixus est Jesu Christi, quotidie ad epitulationem gentium operatur, nec fallens quemquam, nec pecuniam corradens. Ut enim gratis accepit a Deo, sic etiam gratis ministrat. » Idem, inquit Eusebius, in alio loco ita scribit: « Sicuti multos ex fratribus audimus in Ecclesia, qui prophetiæ dona consecuti sunt, et omni linguarum genere per Spiritum loquuntur, et ad hominum utilitatem occulta in lucem proferunt, atque arcana Dei mysteria exponunt. Ex his igitur apparet multiplicem donorum spiritualium varietatem ad illa usque tempora penes eos, qui digni essent, permansisse. » Cum res Ecclesiæ id temporis ita se haberent, et tanta esset divinorum charismatum varietas et copia, ut neque eorum iniri numerus posset, et quotquot essent ἀληθῶς αὐτοῦ *μαθηταί*, « veri ejus, id est Christi discipuli» prophetiis donis abundarent, et vel mortuos excitarent, vel dæmones ejicerent, aut futura prævideren, aut occulta cordium penetrarent, aut infirmos per impositionem manuum sanitati restituerent, aut omni genere linguarum per Spiritum loquerentur; an non imprudenter illi faciunt, qui res Christianorum illius temporis ex præsenti rerum statu

(1) Ἐν δευτέρῳ τῆς αὐτῆς ὑποθέσεως, ὅτι δὲ καὶ εἰς αὐτὸν ὑποδείγματα τῆς θείας καὶ παραδόξου δυνάμεως ἐν ἐκκλησίαις τισὶν ὑπολέλειπτο, διὰ τούτων ἐπισημαίνεται λόγων· « Τοσοῦτον δὲ ἀπεδέουσι τοῦ νεκρὸν ἐγεῖραι, καθὼς ὁ Κύριος ἤγειρε καὶ οἱ ἀπόστολοι διὰ προσευχῆς· καὶ ἐν τῇ ἀδελφότητι πολλάκις, διὰ τὸ ἀναγκαῖον τῆς κατὰ τόπον ἐκκλησίας πάσης αἰτησαμένης μετὰ νηστείας καὶ λιτανείας πολλῆς, ἐπέτρεψε τὸ πνεῦμα τοῦ τετελευτηκότος. καὶ ἐχαρίσθη ὁ ἄνθρωπος ταῖς ὑχαῖς τῶν ἁγίων. » Καὶ αὖθις φησι μετ' ἕτερα· « Εἰ δὲ καὶ τὸν Κύριον φαντασιώδως τὰ τοιαῦτα πεποιηκέναι φήσουσιν, ἐπὶ τὰ προφητικὰ ἀνάγοντες αὐτοὺς, ἐξ αὐτῶν ἐπιδείξομεν πάντα οὕτως περὶ αὐτοῦ καὶ προειρῆσθαι καὶ γεγονέναι βεβαίως, καὶ αὐτὸν μόνον εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ· διὸ καὶ ἐν τῷ ὀνόματι οἱ ἀληθῶς αὐτοῦ μαθηταί, παρ' αὐτοῦ λαβόντες τὴν χάριν, ἐπιτελοῦσιν ἐπ' ἐνεργείᾳ τῇ τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων, καθὼς εἷς ἕκαστος αὐτῶν τὴν δωρεὰν εἴληφε παρ' αὐτοῦ· οἱ μὲν γὰρ δαίμονας ἐλαύνουσι βεβαίως καὶ ἀληθῶς, ὥστε πολλάκις καὶ πιστεύειν αὐτοὺς διείνους καθαρισθέντας ἀπὸ τῶν πονηρῶν πνευμάτων, καὶ εἶναι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ· οἱ δὲ καὶ πρόγνωσιν ἔχουσι τῶν μελλόντων, καὶ ὀπτασίας καὶ ῥήσεις προφητικάς· ἄλλοι δὲ τοὺς κάμνοντας διὰ τῆς τῶν χειρῶν ἐπιθέσεως ἰῶνται, καὶ ὑγιεῖς ἀποκαθιστᾶσιν· ἤδη δέ, καθὼς ἔφαμεν, καὶ νεκροὶ ἠγέρθησαν, καὶ παρέμειναν σὺν ἡμῖν ἱκανοῖς ἔτεσι· καὶ τί γάρ; οὐκ ἔστιν ἀριθμὸν εἰπεῖν τῶν χαρισμάτων ἃ κατὰ παντὸς τοῦ κόσμου ἡ ἐκκλησία παρὰ θεοῦ λαβοῦσα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σταυρωθέντος ἐπὶ Ποντίου πιλάτου, ἑκάστης ἡμέρας ἐπιτελεῖ, μήτε ἐξαπατῶσά τινας, μήτε ἐξαργυριζομένη· ὡς γὰρ δωρεὰν εἴληφε παρὰ θεοῦ, δωρεὰν καὶ διακονεῖ· Καὶ ἐν ἑτέρῳ δὲ τόπῳ ὁ αὐτὸς γράφει· « Καθὼς καὶ πολλῶν ἀκούομεν ἀδελφῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ προφητικὰ χαρίσματα ἐχόντων καὶ παντοδαπαῖς λαλούντων διὰ τοῦ Πνεύματος γλώσσαις, καὶ τὰ κρύφια τῶν ἀνθρώπων εἰς φανερὸν ἀγόντων ἐπὶ τῷ συμφέροντι, καὶ τὰ μυστήρια τοῦ θεοῦ ἐξηγουμένων· ταῦτα καὶ περὶ τοῦ διαφορὰς χαρισμάτων μέχρι καὶ τῶν δηλουμένων χρόνων πυρὰ τοῖς ἀξίοις διαμεῖναι. » Lib. quinto *Hist. eccles.*, cap. 7.

Digitized by Google

metientes, tantopere mirantur, quod sancta femina ἀληθῶς αὐτοῦ μαθήτρια, adeoque divinis hisce charismatis assueta, ut quæ se « sciebat fabulari cum Domino, » cunctis jam terrenis affectibus exsoluta, et in ipsa martyrii expeditione, eam sibi sumpserit de divina dignatione fiduciam, « cujus beneficia tanta experta erat, » ut fidenter se fratri renuntiaturam spoponderit, an passio futura esset an commeatus? Id Basnagii judicio longe est ab istorum temporum moribus: sed annon longius est etiam ab hodierna consuetudine, quod tunc πολλάκις, « sæpenumero inter fratres » factum esse testatur Irenæus, quod « tota simul unius loci Ecclesia ob aliquam necessitatem id flagitante cum jejuniis multis et orationibus, reversa sit in corpus anima defuncti, et sanctorum precibus hominis vita donata sit? »

V. Sed ut intelligat Basnagius, qua fiducia veteres Christiani divina hæc charismata et virtutes administrarent, audiat quæ Tertullianus jactet de illorum in dæmones imperio (1): « Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet: jussus a quolibet christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi deum de falso. Æque producatur aliquis ex iis qui de Deo pati existimantur, qui aris inhalantes numen de nidore concipiunt, qui ructando conantur, qui anhelando profantur. Ista ipsa virgo cœlestis pluviarum pollicitatrix, iste ipse Æsculapius medicinarum demonstrator, alias demorituris Socordio, et Denatio et Asclepiodoto subministrator, nisi se dæmones confessi fuerint, christiano mentiri non audentes, ibidem illius christiani procacissimi sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius? Quid hac probatione fidelius? Simplicitas veritatis in medio est. Virtus illi sua assistit: nihil suspicari licebit, magia aut aliqua ejusmodi fallacia fieri dicetis, si oculi vestri et aures permiserint vobis. Quid autem injici potest adversus id quod ostenditur nuda sinceritate? » Annon hæc magna fiducia; de cujusvis christiani sanguine cum tyrannis transigere, si non ad arbitrium et quam maluerit in dæmonas exerceat potestatem? An istam quoque fiduciam sola Montani familia dignam, Basnagius dicere audebit, quod huic sectæ Tertullianus fuerit addictus? At nullus hic ejusmodi cavillationibus locus; non hic de occultis privatisque visionibus aut revelationibus agitur, sed de re cujus publicum, et sub ipsis ethnicorum magistratuum tribunalibus, exhibetur experimentum; et christianæ religionis decus et christiani hominis sanguis in discrimen vocatur, nisi signum oblatum ex sententia processerit. Annon vero ita se gerit, ita loquitur Tertullianus, quasi Spiritum sanctum ad coercendos et subjiciendos sibi dæmones, veluti monile quoddam in arca inclusum sua Christiani haberent ad nutum, ejus virtute ac potestate, quando vellent, usuri ad arbitrium? Unde autem Christianis tanta fiducia, nisi ex quotidiano id genus virtutum experimento? « Christum timentes, » subjungit laudatus auctor, « et Deum in Christo, subjiciuntur servis Dei et Christi. Ita de contactu, deque afflatu nostro..... etiam de corporibus nostro imperio excedunt inviti et dolentes, et vobis præsentibus erubescentes. » Libro autem de Corona milit. hoc spiritu, hac virtute non clericos modo aut insigniores Christianos, sed quosvis promiscue, etiam laicos, præditos fuisse, clare et aperte significat, dum Christianos, illos utique quibus ex Ecclesiæ catholicæ disciplina militare licebat, a suscipienda vel exercenda militia hoc inter cætera argumento deterret, quod militibus noctu pro dæmonum templis excubandum esset, in quos Christianus interdiu imperium exercebat, quosque exorcismis fugabat (1): « Et quos interdiu exorcismis fugavit, noctibus defensabit, incumbens et requiescens super luncho quo perfossum est latus Christi. » Cui, ut vidimus, concinit Irenæus qui veros Christi discipulos, nulla distinctione adhibita, hac, ait, inter cætera dona præditos fuisse potestate, ut dæmones expellerent βεβαίως καὶ ἀληθῶς. Et utroque antiquior Justinus ipsos ethnicos harum virtutum testes appellat, ut quæ sub ipsorum oculis et palam ederentur (2): « Hoc ipsum ex his, quæ sub aspectu vestro sunt, intelligere potestis. Complures siquidem dæmonum intemperiis correptos homines per orbem omnem et hanc vestram urbem, quos alii adjuratores et incantatores et venefici vestri curare non potuerunt, permulti hominum nostrorum, Christianorum, inquam, per nomen Jesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi adjurantes sanarunt, atque etiam nunc sanant exarmantes atque exigentes ab hominibus, qui illos obsederunt dæmones. » Et in dialogo cum Thryphone (3): « Opitulatorem namque ipsum et redemptorem nominamus, cujus etiam nominis potentiam dæmones tremunt et reformidant, et hodie quoque illi per nomen Jesu Christi crucifixi sub Pontio Pilato qui Judeæ procuratorem egit, adjurati nobis parent. » Et rursum: « Et nunc nos, qui in crucifixum sub Pontio Pilato Jesum Dominum nostrum credimus, dæmonia cuncta, spiritusque malignos adjurantes, sub potestate eos nostra subditos habemus. » Non minori quam Tertullianus fiducia magnus hac de re loquitur Athanasius, quamvis quarto sæculo, non eadem qua

(1) *Apolog.*, cap. 23.

(1) Cap. 11.

(2) Καὶ νῦν ἐκ τῶν ὑπ' ὄψιν γινομένων μαθεῖν δύνασθε· δαιμονιολήπτους γὰρ πολλοὺς κατὰ τὸν κόσμον ἐν τῇ ὑμετέρᾳ πόλει πολλοὶ τῶν ἡμετέρων ἀνθρώπων, καὶ Χριστιανῶν, ἐξορκίζοντες κατὰ τοῦ ὀνόματος Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σταυρωθέντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, ὑπὸ τῶν ἄλλων πάντων ἐπορκιστῶν καὶ ἐπῳδῶν, καὶ φαρμακευτῶν μὴ ἰαθέντας, ἰάσαντο, καὶ ἔτι νῦν ἰῶνται, καταργοῦντες καὶ ἐκδιώκοντες τοὺς κατέχοντας τοὺς ἀνθρώπους δαίμονας. *Apolog. 2 ad Senat.*

(3) βοηθὸν γὰρ ἐκεῖνον καὶ λυτρωτὴν καλοῦμεν, οὗ καὶ τὴν τοῦ ὀνόματος ἰσχὺν καὶ τὰ δαιμόνια τρίμει, καὶ σύμαρον, ἐξορκιζόμενα κατὰ τοῦ ὀνόματος Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σταυρωθέντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου τοῦ γενομένου ἐπιτρόπου τῆς Ἰουδαίας, ὑποτάσσεται. Καὶ νῦν ἡμεῖς οἱ πιστεύοντες εἰς τὸν σταυρωθέντα ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου Ἰησοῦν Κύριον ἡμῶν, τὰ δαιμόνια πάντα καὶ πνεύματα πονηρὰ ἐξορκίζοντες ὑποτασσόμενα ἡμῖν ἔχομεν.

Digitized by Google

tertio ineunte, ubertate hæc spiritus Sancti charismata redundarent (1) : « Hæc autem quæ dicimus, non in solis verbis consistunt, sed ipsa etiam experientia præclarum veritati dat testimonium. Accedat itaque quisquis voluerit, ac virtutis insignia in Christi virginibus, nec non in adolescentibus, qui castimoniam profitentur immortalitatisque fidem in tanto Christi martyrum choro contempletur. Veniat, et quisquis ea quæ diximus experiri cupit, atque in mediis ipsis dæmonum præstigiis, et oraculorum fallaciis ac magiæ prodigiis, signo crucis quæ apud ipsos ludibrio est, utatur solumque Christum nominet : mox videbit quam cito per ipsum fugentur dæmones, cessent oracula, ars omnis magica veneficiaque evanescant. » Si non est incredibile veteres Christianos tantam exercuisse adversus dæmones potestatem, et ad malignos spiritus coercendos, Spiritus Sancti virtutem, veluti gladium a femore pendentem habuisse ad nutum, eum quando vellent, exerturos ad arbitrium : cur incredibile videtur feminam divino spiritu plenam ita se gessisse, quasi ipsum veluti monile quoddam in pectore suo ut in arca inclusum habuisset ad nutum, ejus illustrationibus quando vellet usura ad arbitrium? Non video quid huic argumento reponi possit. Non nititur incertis aut obscuris exemplis, non dubiis aut forte conflictis revelationibus, non vagis vulgi rumoribus, aut traditionibus, sed palam et in omnium oculis rerum gestarum fide, clarissimis monumentis contestata consignataque. Spiritus Sancti virtute ad comprimendos dæmones veteres Christiani ad arbitrium utebantur. « Quid hoc opere manifestius? » Cur igitur candidata martyrii Spiritus Sancti illustrationes ad arbitrium impetrare non potuit ? « quid hac probatione fidelius? simplicitas veritatis in medio est: virtus illi sua assistit ; nihil suspicari licebit , » non montanismum aut fanatismum, aut aliquid hujusmodi.

VI. Eadem qua Perpetua, Severi persecutione, sancta Potamiæna inter Alexandrinos hujus temporis martyres celeberrima, sublata est, cujus non solum exstat apud Eusebium illustris apparitio, sed insignis in Deum fiduciæ exemplum, non minus quam illud Perpetuæ admiratione dignum. Eusebii verba pro more subjiciam (2) : « Protinus igitur judicis sententia damnatam, Basilides unus ex apparitoribus ad supplicium adducit. Cumque vulgus eam vexare, et obscœnis verbis illudere ei conaretur, Basilides quidem eos qui contumeliam virgini faciebant absterrens propellebat, multaque misericordiæ et humanitatis erga illam præbebat indicia. Illa vero benignitatem hominis erga se libenter amplectens, bono animo eum esse jussit : se namque post obitum salutem ipsius a Domino impetraturam, et collata in se beneficia brevi remuneraturam esse..... Et hujusmodi quidem certamen nobilissima virgo decertavit. Brevi autem postea Basilides..... Christianum se esse, idque palam profiteri..... Cumque quidam in Domino fratres eum adiissent, et causam subitæ illius atque insperatæ conversionis interrogarent, dixisse fertur, Potamiænam tertio post martyrium die, noctu sibi assistentem coronam capiti suo imposuisse, dixisseque se ipsius causa Dominum orasse, atque id quod petierat impetrasse : nec diu postea ipsum ad superos migraturum. Posthæc signaculo Domini a fratribus accepto, postridie Christum gloriose confessus, capite truncatus est. » An minori fiducia Basilidi salutem, et beneficiorum certam remunerationem Potamiæna spopondit, quam Perpetua Saturo futuri eventus prædictionem ? Annon ita quoque Potamiæna se gerit, quasi divinæ prædestinationis ordinationes in numerato haberet, aut post mortem divinorum consiliorum arbitra futura esset, gratiæ per se victricis auxiliis usura ad arbitrium, per quæ Basilidi Christus donaret, « non solum ut crederet in eo, sed etiam ut pateretur pro eo? » Si brevi Potamiæna fore speravit ut suæ pro Basilide preces exaudirentur, cur non in eamdem spem Perpetua quoque potuit adduci? Si laudi Potamiænæ datur, quod certam fecerit Basilidi futuræ salutis spem : cur vitio Perpetuæ vertitur, quod certam Saturo spem injecerit futuræ revelationis? Si Potamiænæ prophetiam nemo umquam in montanismi suspicionem adduxit, cur similem Perpetuæ prophetiam in invidiam montanismi trahemus. Quid enim differunt ? « Bono animo esto, post obitum impetrabo tibi salutem ; » et : « Crastina die tibi renuntiabo? »

Extincta Severi persecutione, pax diuturna successit, ad Decium usque, nisi Maximi persecutione, quæ tamen brevis et localis fuit, non interrupta. Hoc

(1) Ταῦτα δὲ τὰ λεγόμενα παρ' ἡμῶν οὐκ ἄχρι λόγων ἐστὶν, ἀλλὰ καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς πείρας ἔχει τὴν τῆς ἀληθείας μαρτυρίαν· παρίτω γὰρ ὁ βουλόμενος καὶ θεωρείτω τῆς μὲν ἀρετῆς τὸ γνώρισμα ἐν ταῖς Χριστοῦ παρθένοις καὶ ἐν τοῖς σωφρονοῦσιν ἀγενείοις νεωτέροις, τῆς δὲ ἀθανασίας τὴν πίστιν ἐν τῷ τοσούτῳ τῶν μαρτύρων αὐτοῦ χορῷ· ἡκέτω δὲ ὁ πεῖραν προλαβεῖν βουλόμενος λαβεῖν, καὶ ἐπ' αὐτῆς τὰς φαντασίας τῶν δαιμόνων, καὶ τῆς τῶν μαντείων ἀπάτης, καὶ τῶν τῆς μαγείας θαυμάτων, χρησάσθω τῷ σημείῳ τοῦ γελωμένου παρ' αὐτοῖς σταυροῦ, τὸν Χριστὸν ὀνομάσας μόνον, καὶ θρέται πῶς δι' αὐτοῦ δαίμονες μὲν φεύγουσι, μαντεῖα δὲ παύεται, μαγεία δὲ πᾶσα καὶ φαρμακεία κατήργηται. Lib. de Incarnat. verbi Dei n. 48, novæ edit.

(2) Ἅμα δὲ λόγου τὸν τῆς ἀποφάσεως ὅρον καταδεξαμένην, ὁ Βασιλείδης εἷς τις ὢν τῶν ἐν στρατείαις ἀναστρεφομένων, ἀπάγει παραλαβὼν τὴν ἐπὶ θανάτου· ὡς δὲ τὸ πλῆθος ἐνοχλεῖν αὐτῇ καὶ ἀπολέκτοις ἐνυβρίζειν ῥήμασιν ἐπειρᾶτο, ὁ μὲν ἀντεῖργεν ἀποσοβῶν ἐνυβριζόντας, πλεῖστον ἔλεον καὶ φιλανθρωπίαν εἰς αὐτὴν ἐνδεικνύμενος· ἡ δὲ τῆς περὶ αὐτὴν συμπαθείας ἀποδεξαμένη τὸν ἄνδρα θαρρεῖν παρακελεύεται· εὔκλειαν γὰρ αὐτὸν ἀπελθοῦσαν, παρὰ τοῦ ἑαυτῆς Κυρίου, καὶ οὐκ εἰς μακρὸν τῶν εἰς αὐτὴν πεπραγμένων τὴν ἀμοιβὴν ἀποτίσειν αὐτῷ..... καὶ ὁ μὲν τῆς ἀοιδίμου κόρης, τοιοῦτος κατηγώνιστο ἆθλος· οὐ μακρὸν δὲ χρόνον διαλιπὼν ὁ Βασιλείδης..... Χριστιανὸν ὑπάρχειν, καὶ τοῦτο ἐμφανῶς ὁμολογεῖν..... Τῶν δὲ κατὰ Θεὸν ἀδελφῶν ὡς αὐτὸν ἀριθμοῦντων καὶ τὴν αἰτίαν τῆς ἀθρόας καὶ παραδόξου ταύτης ὁρμῆς πυνθανομένων, λέγεται εἰπεῖν, ὡς ἄρα Ποτα μιαινα τρισὶν ὑστεροῦσα ἡμέραις τοῦ μαρτυρίου νίκτωρ ἐπιστᾶσα, στέφανον αὐτοῦ τῇ κεφαλῇ περιθεῖσα εἴη, φαίη τε παρακεκλῆκέναι γάριν αὐτοῦ τὸν Κύριον, καὶ τῆς ἀξιώσεως τετυχηκέναι, οὐκ εἰς μακρὸν τε αὐτὸν παραλήψεσθαι· ἐπὶ τούτοις τῶν ἀδελφῶν τῆς ἐν Κυρίῳ σφραγῖδος μεταδόντων αὐτῷ, τῇ μετέπειτα ἡμέρᾳ τῷ τοῦ Κυρίου διαπρύσιος μαρτυρίῳ, τὴν κεφαλὴν ἀποτέμνεται. Lib. VI Hist. eccles., cap. 5.

Digitized by Google

temporis intervallo visiones et revelationes in Ecclesia non defuerunt, ut aliquibus exemplis constat, quæ uti insigniora, et ad publicum Ecclesiæ statum, et ad publicas item personas atque imprimis celebres pertinentia, historiæ suæ Eusebius inseruit. Cujusmodi fuerunt illæ quibus Alexander in Hierosolymorum antistitem electus est (1), et qua sanctus Fabianus Ecclesiæ Romanæ pontifex renuntiatus (2); sed eas prætereo, quod nihil ferme cum nostro argumento commune habeant, ut illas etiam Dionysii Alexandrini, quas idem Eusebius refert (3), in quibus præsenti causæ non multum videtur esse præsidii.

VII. Ad Cyprianum itaque veniam, quo nemo magis ita se gessit, quasi Spiritum anctum, veluti monile quoddam in arca inclusum sua, habuisset ad nutum, ejus illustrationibus, quando vellet, usurus ad arbitrium. Duo autem in ejus revelationibus ac visionibus spectanda sunt : earum scilicet varietas atque frequentia, et quam inde concepit sanctissimus juxta, ac prudentissimus vir de divina dignatione et familiaritate fiduciam. Ut autem hæc diligentius lector atque commodius animadvertat, eas hic sancti Martyris visiones exponere visum est, iisdem verbis quibus ab ipso suis in epistolis referuntur. Epistola undecima, alias juxta Pamelii editionem octava, nihil ferme habet præter visiones atque revelationes. Scripta est e secessu presbyteris et diaconibus, hortaturque illos ad preces assidue fundendas; unde Augustinus ejus in lib. IV de Baptismo mentionem faciens, hunc illi titulum dedit : « Ad Clericos, de precando Deo. » Deciana persecutio sævissime id temporis grassabatur : impulsum autem se fuisse dicit divinis præsertim revelationibus ad scribendum : « Nam quod, inquit, magis suasit et compulit, ut has ad vos litteras scriberem, scire debetis (sicut Dominus ostendere et revelare dignatur) dictum esse in visione : Petite et impetratis. Tunc deinde præceptum plebi assistenti, ut pro quibusdam personis designatis sibi peterent. In petendo autem fuisse dissonas voces, et dispares voluntates : et hoc vehementer displicuisse illi qui dixerat : Petite et impetratis, quod plebis inæqualitas discreparet, nec esset fratrum consensio una, et simplex et juncta concordia. » Unanimitatis hujus pacisque inter fratres, et concordiæ defectus causam fuisse subjungit grassantis persecutionis, quam sibi longe antequam decerneretur sequenti visione ostensam fuisse, testatur : « Imo vero nec venissent fratribus hæc mala, si in unum fraternitas fuisset animata. Nam, et illud ostensum est, quod sederet paterfamilias sedente sibi ad dexteram juvene, qui juvenis anxius, et cum quadam indignatione subtristis, maxillam manu sustinens, mœsto vultu sedebat. Alius vero in sinistra parte consistens, rete portabat, quod se mittere, ut circumstantem populum caperet, minabatur; et cum miraretur quid hoc esset, ille, qui vidit, dixit ei : Juvenem qui ad dexteram sic sederet, contristari et dolere quod præcepta sua non observarentur : illum vero in sinistra exultare, quod sibi daretur occasio, ut a patrefamilias potestatem sumeret sæviendi. Hoc prius longe ostensum est, quam tempestas vastitatis hujus oriretur. Et vidimus impletum quod fuerat ostensum. » Sicuti pacis tempore futuram persecutionem, ita sæviente persecutione, brevi futuram pacem in visione pariter intellexit, de qua in eadem epistola ita scribit. « Denique ad minimum famulum suum, et in delictis licet plurimis constitutum et dignatione ejus indignum, tamen illic pro sua circa nos bonitate, mandare dignatus est : Dic illi, inquit, securus sit, quia pax ventura est. Sed quod interim morula est, supersunt adhuc aliqui qui probentur. » Neque tamen de fundendis assidue precibus, sed de aliis quoque pietatis operibus, et religionis officiis, supernis revelationibus admonitum se fuisse testatur : « Sed et de victu parco, et sobrio potu divinis dignationibus admonemur, etc. » Adeo vero de vaticiniorum suorum futuris eventibus sanctissimus præsul securus erat, ut quamvis nullus adhuc optatæ tranquillitatis radius appeteret, jussit tamen has litteras promulgari, et per clerum ad quem scriptæ fuerant, plebi quoque communicari : « Dissimulare hæc singula, et apud conscientiam meam solus occultare non debui..... Nec ipsi utique apud vos hanc epistolam teneatis occultam, sed legendam fratribus suggeratis. » Sed ab omni pacis spe tam longe aberat afflictæ plebis animus, ut nullam plerique gravissimi pastoris litteris, ac revelationibus fidem accommodarint : quam eorum incredulitatem in principio libri de Lapsis reprehendit, ab eo conscripti post redditam Ecclesiæ ob insperatum ac repentinum Deciorum interitum tranquillitatem : « Pax ecce, dilectissimi fratres, Ecclesiæ reddita est, et, quod difficile nuper incredulis ac perfidis impossibile videbatur, ope atque ultione divina securitas nostra reparata est. »

Non minus visionibus abundat epistola novissimæ editionis decima sexta, ad Pamelii numeros decima, quin plures et varias, paucioribus tamen verbis, complectitur : « Castigare nos itaque divina censura, nec noctibus desinit, nec diebus : præter nocturnas enim visiones, per dies quoque impletur apud nos Spiritu Sancto puerorum innocens ætas, quæ in extasi videt oculis, audit et loquitur ea quibus nos Dominus monere et instruere dignatur. Et audietis omnia, quando ad vos reducem me Dominus fecerit, qui ut secederem jussit. Interim temerarii et incauti et tumidi quidam inter vos, qui hominem non cogitent, vel Deum timeant; scientes quoniam si ultra in iisdem perseverarint, utar ea admonitione qua me uti Dominus jubet, ut interim prohibeantur offerre. » Quis hæc legens Cypriano nostro præclarum illud non adscribat elogium, quod a Polycrate Me-

(1) Vid. Euseb. lib VI, cap. 11.
(2) Vid. Euseb. ibid.. cap. 29.
(3) Vid. ipsius epist. ad German., apud Euseb. ibid. cap. 40, et epist. ad Philemon., apud eumd., lib. VII, cap. 7.

Digitized by Google

litoni Sardensi longe antea tributum fuerat (1) : Τὸν ἐν ἁγίῳ Πνεύματι πάντα πολιτευσάμενον, « qui Spiritu Sancto afflatus cuncta gessit. « Unde » eum a plerisque nostrorum prophetam fuisse » habitum, ex Tertulliano « in septem libris quos scripsit adversus Ecclesiam pro Montano, » refert Hieronymus (2). At hæc omnia in Cyprianum nostrum non minus quadrant : quid enim persecutionis tempore ab eo gestum, quod non Spiritu Sancto afflatus perfecerit? Ut plebem suam ad futurum bellum expediret longe antequam exardesceret, divina illud revelatione præsensit. Indicto bello, ut latebras quæreret, et persecutionem declinaret, Deum auctorem habuit; neque ut ipsemet et Pontius diaconus in ejus Vita testantur, sine divina revelatione secessit. Orta tempestate, quibus aut virtutum exercitationibus superanda esset, aut pietatis officiis tranquillitas impetranda, divina item revelatione cognovit. Futuram pacem non minus quam proximum bellum, divina pariter revelatione prænovit. Qua erga lapsos disciplina uti deberet, et nocturnis ipse visionibus et diurnis, innocentum puerorum raptibus et excessibus intellexit. Qua item in incautos quosdam ac temerarios presbyteros censura deberet animadvertere, a Deo similiter per apertam et manifestam admonitionem accepit. Assiduis hisce Spiritus sancti donis ac muneribus fretus, ad reditum quoque suum supernam revelationem præstolabatur : « Et audietis omnia, quando ad vos reducem me Dominus fecerit, qui ut secederem jussit : » quam illi non defuisse postea dicemus.

Interim, antequam e secessu Carthaginem remearet, Aurelium et Celerinum gloria confessionis insignes in clerum cooptavit. Id vero non sine consuetis visionibus ac divinis revelationibus factum est. Nam cum illorum temporum usus haberet, ut ordinationes clericæ non sine plebis testimonio, et totius cleri suffragio celebrarentur; cur illos absens in clerum provexerit, hanc, de Aurelio loquens, affert rationem, quod humano testimonio non indigeret, qui divino probatus fuerat suffragio (3) : « In ordinationibus clericis, fratres charissimi, solemus vos ante consulere et mores ac merita singulorum communi consilio ponderare; sed exspectanda non sunt testimonia humana, cum præcedunt divina suffragia. Aurelius frater noster, illustris adoleseens, a Domino jam probatus, etc. » Et epistola sequenti de Celerini ordinatione loquens, eam quoque per spiritum prophetiæ, nec sine visionibus ac revelationibus peractam fuisse testatur. « Cum enim, inquit, consentire dubitaret, Ecclesiæ ipsius admonitu et hortatu in visione per noctem compulsus est, ne negaret nobis suadentibus, cui plus licuit, quæ et coegit. »

Fellcissimus schismatis Carthagine auctor, et quinque presbyteri perditæ factionis fomites, quas in sanctissimum virum turbas concitarint, sæpius ipse in suis epistolis narrat. Hac de re et de persecutione, quæ inde imminebat, divinitus aliquid accepisse, nec cœlestem defuisse revelationem, ex his sancti martyris verbis colligunt eruditi : « Persecutio est hæc alia, et alia tentatio, et quinque illi presbyteri nihil aliud sunt, quam quinque primores illi qui edicto nuper magistratibus fuerant copulati, ut fidem nostram subverterent, ut gracilia fratrum corda ad lethales laqueos prævaricatione veritatis averterent. Eadem nunc ratio, eadem rursus eversio, per quinque presbyteros Felicissimo copulatos, ad ruinam salutis inducitur. » Videtur, inquit Pamelius, alludere ad visionem quampiam, in qua apparuisse videntur cum magistratibus quinque primores, qui edictum contra episcopos una publicarent. Neque huic interpretationi refragatur Rigaltius, eamdemque manifeste amplectitur Dodwellus (1). Eadem Epistola, modo XLVIII, al. XL, quæ ultima est earum quas in secessu conscripsit, quam, ut supra diximus, præstolabatur de reditu revelationem, se jam accepisse, perspicue, ut mihi videtur, luculenterque significat. Primo enim queritur : « quod quorumdam presbyterorum malignitas et perfidia perfecisset ne sibi ad suos ante diem Paschæ venire licuisset. Cavebat scilicet ne per minas et per insidias perfidorum major ex suo adventu Carthagine tumultus oriretur, et, cum paci et tranquillitati episcopus providere in omnibus debeat, ipse materiam seditioni dedisse, et persecutionem denuo exacerbasse videretur. » Postea subjungit, hanc esse persecutionem novissimam et extremam tentationem, quæ et ipsa, inquit, « cito Domino protegente transibit, ut repræsenter vobis post Paschæ diem cum collegis meis. » Annon manifesta habemus et clara propheticæ revelationis indicia? Ante Pascha suo se secessu continuit, metuens ne adventu suo materiam seditioni daret, et ne persecutionem denuo exacerbasse videretur : post Pascha tamen certo se rediturum promittit. Sed annon poterat post Pascha idem periculum imminere? Nequaquam : noverat enim cito transituram persecutionis hujus novissimam tentationem. Sed unde id noverat, ut adeo certum promitteret? Non aliunde profecto, nisi ex divina revelatione.

Sublatis Deciis, secundam Cypriani temporibus Ecclesiæ persecutionem Gallus et Volusianus intulerunt. Hanc quoque sanctus Cyprianus, antequam sæviret, imo et antequam decerneretur, non una aut altera » sed multis et crebris et manifestis ostensionibus ac visionibus futuram intellexit, et per synodicas secundi concilii Carthaginensis ad Cornelium litteras, non suæ tantum, sed etiam Romanæ Ecclesiæ significavit (2) : « Sed enim cum videamus diem rursus alterius infestationis appropinquare cœpisse, et crebris atque assiduis ostensionibus admoneamur, ut ad certamen quod nobis hostis indicit, armati et parati

(1) Epist. ad Victorem P., apud Euseb., lib. v, cap. 24.
(2) Catalog. in Melitone.
(3) Epist. XXXVIII ad Pam., num. 33.

(1) Dissert. IV Cyprianica *de Visionibus*, etc. § 18.
(2) Epist. LVII, al. LIV.

Digitized by Google

simus, plebem etiam nobis de divina dignatione commissam exhortationibus nostris paremus, etc. Postea : « Obtemperandum est namque ostensionibus atque admonitionibus justis, ut a pastoribus oves in periculo non deserantur, etc. » Rursus : « Placuit nobis, Spiritu Sancto suggerente, et Domino per visiones multas et manifestas admonente, quia hostis nobis imminere prænuntiatur et ostenditur, colligere intra castra milites Christi, etc. » Iis Cypriani verbis hæc subjungit Cl. Dodwellus (1) : Non credent hæc fortasse athei. Sed quid habent quominus fide digna esse censeant? Visiones hic habemus non multas modo, sed et manifestas, eventuque comprobatas; nec id obscura privati cujuspiam fide, sed synodi totius consentiente suffragio, mansurisque, si falsæ fuissent, in rei memoriam æternis monumentis, scriptisque consignatas, « sole, ut Hieronymus ait, clarioribus; » non video quid præterea velle possent ad rem facti comprobandam, si modo ex æquo judicare vellent, nec fidem prorsus omnem hominibus derogare. Rursus de eadem persecutione ita scribit ad plebem Thibaritanam (2) : « Nam cum Domini instruentis dignatione instigemur sæpius, amplius et admoneamur; ad vestram quoque conscientiam admonitionis nostræ sollicitudinem perferre debemus. Scire enim debetis, et pro certo credere ac tenere, pressuræ diem super caput esse cœpisse..... Nec putamus talia esse quæ veniunt, qualia fuerunt illa quæ transierunt : gravior nunc et ferocior pugna imminet. » Non immerito dubitatur, quomodo Deciana gravior et ferocior futura esset Galli persecutio, cum reapse brevior fuerit, et longe mitior? Hunc nodum ita solvi in Dissert. de Pœnit. seu de Capit. absolut. (3). Non futuram modo persecutionem, sed et omnia pariter mala quæ non minus Ecclesiæ, quam reipublicæ impendebant, fuisse Cypriano his visionibus demonstrata, irruptiones scilicet barbarorum, indeque secutas Christianorum æque ac Gentilium captivitates : et funestissimam luem quæ late per imperium Romanum grassata est; cujus mali acerbitatem et innumerabiles strages, cum sanctus ipse Cyprianus, tum Pontius diaconus in ejus vita, tum alii auctores deplorant. Hæc igitur aliæque calamitates cum persecutione conjunctæ Galli et Volusiani imperium Deciano longe gravius Christianis effecerunt. Cumque non omnes malorum causæ clare et distincte fuissent sancti martyri revelatæ, tot quas præviderat calamitates, et Christianorum funera, ex sola oritura esse persecutione sibi facile persuasit.

Vidimus hactenus quam frequenter et familiares Cypriano fuerint cœlestes revelationes : videamus modo in quam sanctus Martyr fiduciam ex earum frequentia fuerit adductus : et annon ipse etiam, haud secus ac Perpetua eo se modo gesserit, quasi Spiritum sanctum, veluti monile quoddam in arca inclusum sua, habuisset ad nutum, ejus illustrationibus, quando vellet usurus ad arbitrium. Talis fiduciæ signum est securitas illa, quam præferebat, non defuturam sibi cœlestem revelationem, quæ tempus ad reditum opportunum demonstraret, quod jam antea est nobis animadversum. Nunc aliud non minus perspicuum proferam in eamdem rem argumentum. Gravissima illa epistola qua Florentium Pupianum, virum seditiosum ac turbulentum, vehementissime objurgat, ei tandem veniam, si resipiscat, hac conditione promittit : si Deus id permittat, et aliquo sensibili signo suam hac de re sententiam voluntatemque significet (1) : « Si temeritatis et superbiæ atque insolentiæ tuæ agere vel sero pœnitentiam cœperis..... communicationis tuæ poterimus habere rationem ; manente tamen apud nos divinæ censuræ respectu et metu ; ut prius Dominum meum consulam, an tibi pacem dari, et te ad communicationem Ecclesiæ suæ admitti, sua ostensione et admonitione permittat. Memini enim, quid jam mihi sit ostensum, imo quid servo obsequenti et timenti, de dominica et divina auctoritate præceptum, qui inter cætera quæ ostendere et revelare dignatus est, et hoc addidit : « Itaque qui Christo non credit sacerdotem facienti, postea credere incipiet sacerdotem vindicanti. » Quibus sancti Martyris verbis hæc subjicit Dodwellus (2) :

« Ita erant frequentes ea ætate divinæ revelationes, ut ne de resipiscente quidem Pupiano polliceri auderet quid esset statuturus, ne aliud fortasse a Deo juberetur; ut Deus proinde primum innueret esse consulendum ; ut tandem Dei in rebellem pœnam exspectaret, talem plane qualem apostolicarum censurarum comitem fuisse, apud doctos in confesso est. Iterum de presbyteris qui se inconsulto lapsis communicaverant « Utar, inquit, (3) ea admonitione qua me Dominus jubet, ut interim prohibeantur offerri, etc. » Non ignorabat Cyprianus ejusmodi visiones viris impiis ac temerariis quales modo non paucos experimur, ludibrio et contemptui haberi; sed adeo tamen pro certo habebat, suas ex Deo esse revelationes, ut nihil de futuris eventis dubitaret : et non solum quibus jam fuerat donatus publicare, sed novas etiam palam sibi promittere, minime vereretur; unde in eadem epistola statim subjungit : « Quamquam sciam somnia ridicula et visiones ineptas quibusdam videri, sed utique illis qui malunt contra sacerdotem credere quam sacerdoti. Sed nihil mirum, quando de Joseph fratres sui dixerunt : Ecce somniator ille venit, nunc ergo venite, occidamus illum; et somniator postea quod somniaverat consecutus sit, et occisores ac venditores confusi sint, ut qui verbis prius non credidissent, factis postmodum crederent. »

Superest alia Cypriani visio prophetica ad martyrium ejus pertinens; sed eam capite sequenti reservabo. Interim, rogo, annon videatur Spiritum Sanctum in pectore suo quasi in arca inclusum habuisse, qui in disciplinæ etiam ecclesiasticæ exercitio visiones exspectabat, et nihil statuere au-

(1) Dissert *de Visionib.*, etc. § 19.
(2) Epist. LVIII, al. LVI.
(3) Sect. 3.

(1) Epist. LVI, al. LXIX.
(2) Dissert. IV Cyprianica, § 20.
(3) Epist. XVI, al. X.

Digitized by Google

debat, nisi Dominum antea consuluisset, et nisi manifesto aliquo indicio voluntatis ejus certior factus fuisset; et an Perpetua montanismi propterea fuerit insimulanda, quod ipsa etiam divinis revelationibus assueta, eadem fiducia se gesserit?

VIII. Quam frequentes id temporis exhibitæ martyribus fuerint cœlestes visiones ac propheticæ revelationes, fidem amplissimam faciunt sincera ac genuina cum Jacobi et Mariani, etc., tum Montani et Lucii ac sociorum martyrum Acta, his referta cœlestibus visionibus ac propheticis vaticiniis. Non est mihi animus eas hic singillatim referre : oporteret enim integra ferme Acta transcribere, quæ apud doctissimum Ruinartium videri commode possunt. Unum dumtaxat ex actis Montani exemplum afferam, quod ad præsens argumentum propius accedit. His autem verbis in actis describitur : « Cum autem jam carnifex immineret, et gladius super cervices ejus libratus penderet, expansis ille (id est Montanus) ad cœlum manibus, voce clara, ita ut non tantum ad aures plebis, sed et gentiles quoque ipsos sonus vocis ferirent, oravit rogans et deprecans ut Flavianus qui per suffragium populi de comitatu eorum remanserat, sequeretur die tertia. Et quo precis suæ fidem faceret, manualem quo oculos fuerat ligatus in partes duas discidit, et jussit alteram reservari, qua Flaviano oculi post crastinum ligarentur. Sed et in medio eorum in area solum servari jussit, ut nec sepulturæ consortio privarentur. Et perfectum est sub oculis nostris quod Dominus in Evangelio repromisit, ut qui tota fide peteret, quidquid peteret impetraret. Nam post biduum Flavianus quoque productus, gloriam suam passione perficit. » Non magis mirandum est, Perpetuam futuram ante diem crastinum martyrii sui revelationem prænuntiasse, quam Montanum futurum post triduum, Flaviani martyrium esse vaticinatum. Quo enim prophetico spiritu actus Montanus petiit, « ut Flavianus sequeretur die tertia, » eodem Perpetua rogavit, ut sibi ante proximum diem ostenderetur, passione futura esset, an commeatus. Nam utrumque, ut multis Scripturarum exemplis compertum est, ad spiritum pertinet prophetiæ, et futuros eventus prævidere, et certas exspectare futurorum eventuum revelationes.

IX. Est autem illud circa præcedentes cum Cypriani, tum coævorum martyrum visiones et prophetica vaticinia sedulo animadvertendum : constare inter omnes, charismatum copiam ampliorem longe fuisse initio Ecclesiæ, quam posterioribus sæculis : adeo ut Origenes qui aliquot annis ante Decii persecutionem libros scripsit adversus Celsum, auctor sit, signorum Spiritus sancti vestigia dumtaxat apud paucos morum candore præcellentes, et qui mores suos ad Evangelii normam exigerent ad hæc tempora superfuisse : postquam enim dixit, miraculis probari veritatem Evangelii, ait ea posse demonstrari, (1) « cum ex multis aliis, tum ex eo quod vestigia quædam eorum supersunt apud eos, qui secundum Verbi voluntatem vivunt. » Et in alio ejusdem operis libro (1) : « Signa autem Spiritus sancti initio quidem doctrinæ Jesu, et post ejus assumptionem plurima ostensa sunt, deinde vero pauciora. Sed et nunc ipsius ad me apud paucos exstant vestigia, qui animas et verbo et congruentibus actionibus expurgarunt. » Vestigia vero quæ essent, his luculentius verbis declarat (2) : « Etiamnum vestigia sancti illius Spiritus apud Christianos supersunt. Excantant dæmones, multas curationes perficiunt, et vident quædam secundum voluntatem Verbi, de futuris. » Ex quibus verbis constat uberrimum illum et in omnes, ut de suis temporibus testatur Irenæus, qui veri essent Christi discipuli diffusum cœlestium charismatum fontem, etsi non penitus exaruisse, non ea tamen amplitudine et copia post modum exuberasse. Quam proxime autem ad Irenæi tempora Perpetua et Saturus accedebant; tam longe ab iis temporibus quibus suos Origenes adversus Celsum libros elucubravit (sub Gordiani nimirum aut Philipporum imperio, post longam et diuturnam Ecclesiæ pacem extrema saltem Cypriani tempora et Montanus sociique martyres distabant. Unde si adeo Spiritu sancto repleti sunt sancti Martyres, cum aliqua dumtaxat signorum ejus vestigia superessent, ut ejus illustrationibus uti ad arbitrium viderentur, quid miramur, si eamdem Perpetuæ sui copiam fecerit Spiritus sanctus, quo tempore « numerus non poterat iniri charismatum, quæ per totum mundum Ecclesia a Deo recipiebat? »

## CAPUT V.

### NIHIL IN PERPETUÆ REVELATIONIBUS CONTINERI, QUOD IN CATHOLICAM MARTYREM NON APPRIME CONVENIAT.

I. *Non dedecet Christum Dominum pastoris ovis mulgentis figura.*

II. *Qua ratione ex prima sua revelatione Perpetua mortem sibi imminere intellexerit.*

III. *Nihil absurdi in illa revelatione contineri qua sibi Perpetua visa est cum Diabolo in masculum conversa luctari.*

IV. *Inepta Perpetuæ revelationum cum Montanistarum revelationibus comparatio.*

V. *Visio Perpetuæ de Dinocrate in pœnis constituto.*

VI. *Basnagii adversus prædictam visionem difficultates.*

VII. *Locum illum, in quo Dinocratem Perpetua vidit fuisse purgatorium. Basnagii cavillationes retunduntur.*

(1) Ἐκ πολλῶν μὲν ἄλλων, καὶ ἐκ τοῦ ἴχνη δὲ (f. τινὰ) αὐτῶν ἔτι σώζεσθαι παρὰ τοῖς κατὰ τὸ βούλημα τοῦ Λόγου βιοῦσι. Lib. I, page 5, Edit. Cantab.

(1) Σημεῖα δὲ τοῦ ἁγίου Πνεύματος κατ' ἀρχὰς μὲν τῆς Ἰησοῦ διδασκαλίας, μετὰ δὲ τὴν ἀνάληψιν αὐτοῦ πλείονα ἐδείκνυτο, ὕστερον δὲ ἐλάττονα, πλὴν καὶ νῦν ἔτι ἴχνη ἐστὶν αὐτοῦ παρ' ὀλίγοις, τὰς ψυχὰς τῷ Λόγῳ καὶ ταῖς κατ' αὐτὸν πράξεσι κεκαθαρμένοις. Lib. VII, p. 337.

(2) Καὶ ἔτι ἴχνη τοῦ ἁγίου ἐκείνου Πνεύματος..... παρὰ χριστιανοῖς σώζεται· ἐξεπάδουσι δαίμονας, καὶ πολλὰς ἰάσεις ἐπιτελοῦσι, καὶ ὁρῶσί τινα κατὰ τὸ βούλημα τοῦ Λόγου περὶ μελλόντων. Lib. I, pag. 31.

Digitized by Google

VIII. *Montanistarum de receptaculis animarum sententia non recte a Basnagio exposita. Non unam fuisse hac de re eorumdem hæreticorum opinionem.*

I. Alterum adversus Martyres argumentum Basnagius instituit ex modo ipso et qualitate oblatarum Perpetuæ visionum quæ ipsi non videntur satis cum gravitate decentiaque conjungi : « Homo in habitu pastoris de caseo quod mulgebat, dedit Perpetuæ quasi buccellam. Hinc colligit sibi mortem imminere. » Duo scilicet in hac Perpetuæ visione censoria auctoritate notare Basnagius videtur : Primo humilem Christi figuram in habitu pastoris oves mulgentis; Secundo, quod oblatam Perpetuæ buccellam Perpetua et Saturus in signum acceperint futuræ mortis.

Sed nulla ratio erat cur horum aliquo offenderetur. Et de primo quidem audiendus Cl. Holstenius in Notis : « Repræsentatus est Perpetuæ Christus ea forma, qua pictus cernebatur in oratoriis et vasis sacris illorum temporum. Nam cum Evangelia titulum et personam pastoris præcipue Christo attribuant, gaudebant primorum temporum Christiani hanc ejus amabilissimam speciem fidelium, nomine ovium passim designatorum, frequentissime oculis objicere. Habes in Roma subterranea Bosii, pag. 59, et deinceps multas imagines e cœmeteriorum monumentis expressas, in quibus ferme omnibus Christus pastoris specie cum ovibus pingitur. In prima etiam hac ipsa forma hic expressa, pastoris oves mulgentis. Non raro etiam pingebatur ferens in humeris repertam ovem, quæ perierat, juxta parabolam evangelicam, idque præcipue in calicibus, quod indicat Tertullianus in libro de Pudicitia contra Catholicos scripto, cap. 7, his verbis : A parabolis licebit incipias, ubi est ovis perdita, a Deo requisita et humeris ejus revecta; procedant ipsæ picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pectudis illius, etc. »

Quibus addo, in opere italico illustriss. et Cl. senatoris Philippi Buonarotti, cujus titulus : Osservazioni sopra alcuni Frammenti di Vasi antichi di vetro ornati di figure, trovati ne' cimiterj di Roma; plura cernere esse veterum calicum ectypa hac Christi figura, sub boni pastoris habitu, insignita, uti tab. 5, fig. 1 et 2, et tab. 6, fig. 2. Vid. etiam Tab. 1, Fig. 1, et Tabul. 4, nummum æreum majoris modi, vulgo *Medaglione*, ex utraque parte specie boni pastoris insculptum, quæ omnia doctissimis observationibus Cl. auctor illustrat. Sed in rem nostram maxime faciunt quæ de figura 2, tab. 6, disserit in hæc verba : « In questo Frammento si vede il pastor buono fra due pecore, o Arieti co' soliti calcei di fasce attraversate a spina di pesce. Si dee osservare a canto al medesimo quella secchiolina, o vaso di latte, la quale si vede ancora nelle pitture de' cimiterj (1), e speçialmente nella tavola 3 del sesto cubieulo, del cimiterio di Calisto, presso l'Arringhio, ella si vede attaccata ad un pedo, o pastorale tenuto da un' agnello a giacere, per simbolo del buon pastore; a' piedi poi del medesimo pastore nella tavola 1 del secondo cubiculo del cimiterio di santa Agnese, si vede il Pedo con un vaso, ma di figura diversa, e con un manico da parte. Questi vasi de' pastori si dicevano « mulctræ, o mulctralia (1) : » la qual sorta di vaso in Greco si chiamava πίλλα, ed era simile allo scifo, ma di fondo alquanto più largo, e però non dissomigliante troppo dal nostro, et serviva specialmente per mugnere il latte (2). Un' altro vaso di latte era nominato Sino (3), il quale secondo la forza del nome sara statò più grande del nostro piccolo vaso, etc, etc. Et infra : Per tornare al nostro piccolo vaso di latte accanto al buon pastore, io lo credo fatto non solo per continuazione dell' allegoria alle cose pastorali, ma in oltre lo giudico quasi per una figura, del divinissimo sacramento dell' altare, è cio pare, che si ricavi dagli atti antichissimi delle sante Perpetua e Felicita, dove si dice che santa Perpetua riceve in visione dal divino pastore del latte : « Et de caseo quod mulgebat, dedit mihi quasi buccellam, et ego accepi junctis manibus et manducavi, et universi circumstantes dixerunt, Amen. « Funzioni, ed atti divoti soliti praticarsi da Cristiani antichi nel ricevere la santa communione (4) e quelle parole della cantica (5) : « Bibi vinum meum cum lacte meo », sono applicate da sant' Ambrogio (6) al sacramento dell' Eucaristia. Vedendosi appresso l'Arringhio nelle pitture della volta del nono cubicolo del cimiterio de' santi Marcellino, e Pietro un' agnello colla palma, che ha sulle spalle un simil vasetto, circondato col nimbo, o sia diadema, ed essendo quivi lostesso agnello negli angoli della medesima volta ben quattro volte dipinto, ho dubitato, se per fortuna ne tempi più antichi conservassero in un vaso simile posto sopra un, agnello la santa Eucaristia, siccome si servirono poi pel medesimo ministerio di vasi, che avean la forma della colomba. In queste cose però è bene l'osservare, ma bisogna tenere sospeso il giudizio, sino che si abbiano altri riscontri. » Hæc illustrissimus senator, qui etiam observat ejusdem pastoris tunicam in inferiori parte duobus esse orbibus, seu bullis ornatam, eaque ornamenta in hisce Perpetuæ et Felicitatis actis a græca voce κάλλος calliculas appellari : fuisseque ut plurimum aurea vel argentea, ut ex eisdem Actis compertum est, et aliis antiquis figuris apud Lambecium (7), et Petrum Sanctem Bartolum (8), et apud Vaticanum Virgilii exemplar tempore Constantini magni exaratum (9).

(1) Arringh. tab. 6, cub. 3, Cœm. Callisti.

(1) Servio sopra l'Egloga 3.
(2) Ateneo LXI, el. 14.
(3) Servio sopra l'Egloga 7, Nonio, c. 15.
(4) Tertull. *de Spectac.* cap. 25. Cornelio app. Euseb. *Histor.*, *lib.* VI, cap 43. Dionys. app. Euseb., lib. VII, cap. 9. S. Agost. *Serm. ad infant. de Sacram.* S. Ambros. l. IV *de Sacram.*, cap. 5. S. Cyrill. *Catech.* 5. il Concil. in Trullo. can. 102.
(5) C. L. V. 1.
(6) *De Sacr.*, l. V, cap. 3.
(7) Bibl. Cæs., tab. 4, *Append.*, p. 301.
(8) Pitture antiche delle Grotte di Roma, tav. 4.
(9) Ante 2. Æneid. librum.

Digitized by Google

Sed ut πρὸς τὸ κρίθινον redeamus, iis quæ a viris doctissimis annotata sunt illud etiam adjungo, id genus imaginum Montanistis non admodum placuisse, aut in usu fuisse. Quod ex eisdem Tertulliani verbis manifestissime colligo : « Procedant, inquit, ipsæ picturæ calicum vestrorum » : non ait *nostrorum*, sed *vestrorum*, id est, quæ vobis, non autem nobis, in usu sunt. Et ejusdem libri capite decimo : « Cui ille si forte patrocinabitur pastor quem in calice depingis, prostitutorem et ipsum christiani sacramenti, merito et ebrietatis idolum, et mœchiæ asylum post calicem subsecuturæ, de quo nihil libentius bibas, quam ovem pœnitentiæ secundæ. At ego ejus pastoris scripturam haurio, qui non potest frangi. » Rursum non ait « quem in calice depingimus, » sed « quem in calice depingis. » Præterea, pium hanc picturam vocat « ebrietatis idolum et mœchiæ asylum. » Adeo contumeliosis verbis eam minime proscidisset, si Montanistis quoque in usu fuisset, eaque sacra vasa ornassent Christi excipiendo sanguini destinata. Unde conjectura existit, catholicis ritibus assuetam fuisse Perpetuam, quæ Christum Eucharistiam sibi, aut Eucharistiæ symbolum ministrantem, sub pastoris habitu aspexit.

Præterea si Christus pastoris speciem dedignatus non est, sed eam sibi tam frequenter accommodavit, cur pastoris officia dedignaretur, inter quæ non ultimum locum tenet oves mulgere? An Christum magis *dedecet* hæc figura, quam illa gallinæ pullos suos sub alas congregantis, eosdemque foventis, quam benignissimus Dominus, captui se nostro accommodans, minime respuit? Et sane imminenti martyrio præfigurando nulla magis apta figura, quam pastoris oves mulgentis. Qua enim alacritate pastor e mammis ovium lac exprimit, eadem e venis martyrum sanguinem Christus bonus pastor excepit.

II. Circa secundam difficultatem pauca hæc habet *idem Cl. Holsteuius* : « Multa dici possent de usu lactis et mellis symbolice catechumenis dari solito, ex Hesychio, in Exodum pag. 257, et Tertulliano de Corona, pag. 121, Edit. Rigalt., ubi dicit : Lactis et mellis concordiam prægustamus. Vide Albaspinæum, lib II, Observat. ultima.

Sed his multo plura addit in Paralipomenis ad Holstenii notas Petrus Possinus, quæque etiam magis conferunt ad solvendam objectam nobis a Basnagio difficultatem: « Et de caseo, etc. « Ad hæc verba, quod notatum in Holstenii schedis reperi de lacte catechumenis dari solito, non sufficit ad sententiam loci declarandam, et alia his adjuncturum fuisse auctorem, si ultimam huic operi manum potuisset imponere, declarat spatium puræ chartæ ab eo in adversariis, post hæc quæ descripsimus sanctæ Perpetuæ verba, relictum, ultimis videlicet curis explendum. Explicandum scilicet restabat, quomodo ex hac porrectione buccellæ per visum ministratæ, experrecta intellexerit sancta Perpetua, itemque frater ejus, postquam ei rem narravit, significatum divinitus, eos qui carcere attinebantur nequaquam inde dimittendos, sed consummandos martyrio. Hæc enim post superius descripta verba, ibi subduntur : « Et retuli statim fratri (qui nempe illam rogaverat, ut ostendi sibi divinitus curaret, moriturine essent, an salvi emittendi), et intelleximus passionem esse futuram, et cœpimus nullam jam spem in sæculo habere. Unde autem id intellexerint, merito quæritur. Ego existimo, inde quod in visione adumbratus erga Perpetuam ritus fuerat Eucharistiæ ministrandæ : quæ cum notissimo tunc usu dari soleret iis quos certum erat brevi morituros, recte id Perpetua et ipsius frater interpretati sunt, ut significatam eo visu confessorum mox secuturam necem arbitrarentur. Ritus perceptionis Eucharistiæ eo adumbratus cernitur, quod quasi buccella Perpetuæ porrigitur, quod eam ipsa accipit junctis manibus, quod deinde comedit, circumstantibus Amen acclamantibus. Quæ omnia in Eucharistiæ olim ministratione solita servari notus est e plurium antiquorum testimoniis, et sancti præsertim Ambrosii, quam ut demonstrari pluribus opus sit. Certe de usu Africanarum ecclesiarum peculiariter constat, solitas eas Eucharistiam ministrare confessoribus in martyrii procinctu constitutis : idque ita necessarium arbitratas esse, ut inde argumentum sumpserint scribendi ad Cornelium rom. pontificem, manu quidem et calamo sancti Cypriani, nomine autem aliorum quoque septem et triginta episcoporum Africanorum, ut æqui consuleret, gratiam fieri legis prius sanctæ de non admittendis umquam ad Ecclesiæ et Eucharistiæ communionem iis qui semel in persecutione lapsi fuissent, quoniam tunc ex iis multi in pœnitentium numero scripti, a novis persecutoribus periclitarentur, et, ut res se habebant, brevi pro Christi confessione interficiendi viderentur ; quibus in procinctu agonis positis, denegari consuetum viaticum corporis Christi nimis erat inhumanum. Ex hac epistola, quæ secunda lib. I apud Cyprianum est, quædam adscribam, ad fidem rei quam tractamus faciendam opportuna : « Sed cum, inquiunt, videamus diem rursus alterius infestationis appropinquare cœpisse, et crebris atque assiduis ostensionibus admoneamur, ut ad certamen, quod nobis hostis indicit, armati et parati simus : plebem etiam nobis divina dignatione commissam exhortationibus nostris præparemus, et omnes omnino milites Christi qui arma desiderant, et prælium flagitant, intra castra Domini colligamus ; necessitate cogente censuimus eis qui de Ecclesia Domini non recesserunt, sed pœnitentiam agere, et lamentari, ac Dominum deprecari a primo lapsus sui die non destiterunt, pacem dandam esse, et eos ad prælium quod imminet armari et instrui oportere. » Et paulo post : « At vero nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus et exhortamur ad prælium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione corporis et sanguinis Christi muniamus : et cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos

Digitized by Google

tutos esse contra adversarium volumus, munimento dominicæ saturitatis armemus. Nam quomodo docemus aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos ad bibendum prius in Ecclesia poculum Domini, jure communicationis admittimus? Siquidem (ut aliquanto post additur) idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium : et mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit et accendit. »

Hæc esse non abnuo præclare atque optime excogitata, et quæ possint Basnagii scrupulo plenissime satisfacere, aliqua tamen adjiciam Cl. viro non observata quæ omnem ab hoc loco offensionem removebunt. Primo itaque observo, simile quid occurrere in Actis sancti Philippi episcopi Heraclensis, et martyris, in quibus Hermes ejus diaconus qui una cum ipso martyrium per ignem consummavit, necem sibi certo paratam esse hac, uti narrat, revelatione cognovit (1) : « Hoc me passurum, Deo ac Domino jam ante annuntiante, cognoveram revelatione certissima. Nam cum dulci sopore devinctus jacerem, columba mihi visa est niveo candore perlucida, cubiculum illud ingressa, subito in medio capite consedisse : quæ et inde descendens in pectus, escas mihi gratissimi cibi offerens, statim cognovi quod me Dominus vocare dignatus est, et dignum habuit passione. »

Secundo observo, non dicere Perpetuam se fratremque suum ex sola buccellæ porrectione (ut Possino et postea Basnagio visum est) mox secuturam necem intellexisse. Omnia quæ viderat, fratri Perpetua retulit : multo autem clariora signa viderat futuræ passionis; ex quibus quidni clarius intellexerint, « passionem esse futuram ? » Viderat scalam auream miræ magnitudinis pertingentem usque ad cœlum, et in lateribus scalæ omne genus ferramentorum infixum. Erant ibi gladii, lanceæ, hami, machæræ. Viderat sub ipsa scala draconem cubantem miræ magnitudinis, qui ascendentibus insidias parabat et exterrebat, ne ascenderent. Viderat Saturum ascendentem, in caput scalæ pervenientem, et inde se etiam ad ascensum invitantem. Viderat se cum primum scalæ gradum calcasset, caput etiam illius draconis calcantem. Viderat denique Christum in habitu pastoris oves mulgentem, etc. Annon hæc omnia signa erant secuturæ necis manifestissima ? Cur ergo volumus, ex sola porrectione buccellæ sanctos martyres intellexisse sibi mortem imminere ? Subjungit quidem, ut Possinus observat, post illa verba, « et de caseo, quod mulgebat, etc., » subjungit, inquam, Perpetua : « Et retuli statim fratri meo, et intelleximus passionem esse futuram. » At quemadmodum non id tantum retulit fratri quod ultimo loco viderat, porrigi nempe sibi buccellam lactis, ita non ex hoc signo tantum intellexerunt « passionem esse futuram. »

(1) Apud Ruinart. in *Acta sincer.* § 13.

III. Alteram Perpetuæ visionem in invidiam Basnagius vocat his verbis : « Notabilius illud, quod cap. III, § 2, Perpetua narrat. » Exivit quidam contra Ægyptius, fœdus specie, cum adjutoribus suis pugnaturus mecum. Veniunt et ad me adolescentes decori, adjutores et favitores mei : et exspoliata sum, et facta sum masculus. » Procedit igitur cum Ægyptio ad pugnam Perpetua sexu mutato, victoriæ pretium acceptura « ramum viridem, in quo erant mala aurea. Et petiit silentium et dixit : Hic Ægyptius si hanc vicerit, occidet illam gladio ; et si hunc vicerit, accipiet ramum istum. Et recessit. Et accessimus ad invicem, et cœpimus mittere pugnos. Ille mihi pedes apprehendere quærebat, ego autem illi calcibus faciem cædebam. » Hæccine sunt Spiritu Sancto digna ? Similiane prophetis obtulit umquam ? Scilicet ea visa sunt quibus sacrum Joelis accommodetur oraculum. Montani potius redolent officinam somnia ejusmodi, ecstasis ejus simillima, qua Tertullianus probat animam esse aerei coloris et formæ per omnia humanæ. »

Tria sunt igitur, quæ præcipue in hac Perpetuæ visione Basnagium videntur offendere. 1° Illa sexus in Perpetua mutatio; 2° Victoriæ pretium ramus viridis cum malis aureis; 3° Lucta Perpetuæ cum Ægyptio. Ad hæc singula antequam respondeam, illud generatim dicam, plurimas non modo quæ in sinceris martyrum Actis et sanctorum historiis, aliisque indubiæ fidei monumentis, sed in sacris quoque utriusque Testamenti libris recensentur, visiones ac revelationes contemptui posse ac ludibrio facile exponi, si ipsa per sese symbola spectentur, et non eorum ad res divinas et incorporeas σχέσις et habitudo. Imo non in visionibus tantum et internis revelationibus, sed in actionibus quoque propheticis et legis cæremoniis multa sunt, quæ vani et superbi homines cum risu olim exceperunt, et etiamnum derident, quod eas per sese spectarunt nec ad earum mysticas rationes attenderunt. Unde factum est, ut quæ aliis Spiritu sancto indigna, inepta et ridicula visa sunt, alii honori et admirationi habuerint, et summa veneratione prosecuti sint, quod illi scilicet non ultra id quod sensibus objectum est, animum intenderint, hi vero latentia quoque in hisce figuris mysteria sedulo investigaverint. Id quod etiam videmus in hac interpretanda Perpetuæ revelatione contigisse. Quod enim modo Basnagium offendit, olim Augustini mentem mirifice delectabat (1) : « Delectat, inquit, piam mentem tale spectaculum contueri, quale sibi beata Perpetua de se ipsa revelatum esse narravit, virum se factam certasse cum diabolo. Illo quippe certamine in virum perfectum etiam ipsa currebat, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. » Et in alio sermone ad eamdem Perpetuæ visionem alludens, similia repetit (2). « Quid enim gloriosius his feminis, quas viri mirantur facilius quam imitantur ? Sed hoc illius potissimum laus est, in quem credentes, et in cujus

(1) Serm. 281, al. de diversis, 104.
(2) Serm. 280, al. de diversis, 103.

Digitized by Google

nomine fideli studio concurrentes, secundum interiorem hominem nec masculus nec femina inveniuntur, ut etiam in his quæ sunt feminæ corpore, virtus mentis sexum carnis abscondat, et in membris pigeat cogitare, quod in factis non potuit apparere. »

Cur vero Basnagio displicuerit victoriæ præmium ramo viridi malis aureis ornato designari, satis equidem percipere non possum. Annon enim Joannes evangelista in martyrum manibus palmas vidit? « Et palmæ, inquit, in manibus eorum. » Si victorias martyrum in palmis adumbravit Spiritus sanctus, cur ramus viridis ejusdem victoriæ typus esse non potuit?

Non erat etiam cur Perpetuæ lucta cum diabolo adeo Basnagius offenderetur, ut qui Jacobi luctam cum angelo sæpius legerit. Annon enim, si non ad mysticas hujus facti rationes attendamus, magis absurdum videri poterit, hominem non in somniis, sed vigilantem, totam noctem luctari cum bono angelo, quam sanctam feminam luctari in somniis cum diabolo? Quod si non indignum fuit Spiritu sancto, lucta Jacobi cum angelo mysticum quid adumbrare, cur quærit Basnagius an digna fuerit Spiritu sancto oblata Perpetuæ visio, qua sibi videbatur adversus diabolum decertare? Cur etiam quærit an similia umquam prophetis Spiritus idem sanctus obtulerit? Obtulit enim, ut vidimus. Quid enim interest, dormiendo an vigilando Jacobus et Perpetua luctati fuerint, ille cum angelo, illa cum diabolo? Ramus viridis tanquam victoriæ pretium Perpetuæ oblatus, simile quid etiam habet, ut vidimus in canonicis et genuinis Spiritus sancti revelationibus, palmas scilicet, quas in manibus martyrum Joannes vidit. Sexus denique mutatio nihil aliud denotat, ut Augustinus observat, quam quod Apostolus scripsit: « In Christo Jesu, neque masculum esse neque feminam; » et non solum masculos, sed etiam feminas evadere per virtutis exercitationem, « secundum interiorem hominem in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. An ergo indignum fuit Spiritu sancto mystica visione significare quod mysticis verbis Paulus expresserat? Sed annon idem Spiritus sanctus quod per Isaiam de gentium conversione sub diversis variorum animalium figuris, metaphoricisque verbis prædixerat, postmodum Apostolorum principi, linteo ipsi in visione exhibito omnis generis immundis animalibus referto significavit? Annon sæpius idem spiritus sanctus, quod per prophetas verbis aliquando prædixit, idem et propheticis actionibus adumbravit, quæ primo aspectu non satis videri possunt cum decentia fuisse gravitateque conjuncta? Ut cum Isaias nudus jubetur ambulare, Ezechiel panem comedere, aut opertum « stercore quod egreditur de homine, » aut in boum fimo confectum; et Osee sumere sibi uxorem fornicariam, et filios sibi facere fornicationum. Quid responderet Basnagius, si atheus aliquis ipsum interrogaret: Hæccine sunt Spiritu sancto digna? hæccine tibi videntur satis cum gravitate decentiaque conjuncta? Quamcumque igitur rationem excogitaret ut prophetica hæc gesta mandante Spiritu sancto suscepta, ab impiorum irrisionibus tueretur, similem et nos semper et facile excogitabimus ad Perpetuæ visionem ab ipsius Basnagii cavillationibus vindicandam: nisi forte majorem in dormientis quamvis propheticis somniis, quam in vigilantium propheticis item actionibus decentiam gravitatemque requirat.

Quamquam et illud minime prætermittendum, imprudenter petere Basnagium, ut huic Perpetuæ visioni aliam omnino similem in sacris libris exhibeamus. Hoc enim argumento omnes ferme in suspicionem adducere poterit sanctorum visiones quæ in historiis ecclesiasticis referuntur. Non multas enim reperiet recensitis in sacris libris omnino similes. Oblatam sancto Cypriano futuri martyrii revelationem in ejus Vita Pontius diaconus refert, cui nullam omnino similem prophetis obtulit umquam Spiritus sanctus. Hanc igitur in exemplum adducam: « Eo die quo primum in exilii loco mansimus (nam et me inter domesticos comites dignatio charitatis ejus delegerat exulem voluntarium, quod utinam et in passione licuisset!), apparuit mihi, inquit, nondum somni quiete sopito, juvenis ultra modum enormis: qui cum me quasi ad prætorium duceret, videbar mihi tribunali sedentis tum proconsulis admoveri. Is ut in me respexit, annotare statim cœpit in tabula sententiam quam non sciebam. Nihil enim de me solita interrogatione quæsierat. Sed enim juvenis, qui a tergo ejus stabat, admodum curiosus legit quidquid fuerat annotatum. Et quia inde verbis proferre non poterat, nutu declarante monstravit, quid in litteris tabulæ illius haberetur. Manu enim expansa et complanata ad spatæ modum, ictum solitæ animadversionis imitatus, quod volebat intelligi, ad instar liquidi sermonis expressit. Intellexi sententiam passionis futuram. Rogare cœpi et petere continuo, ut dilatio mihi vel unius diei prorogaretur, donec res meas legitima ordinatione disponerem. Et cum preces frequenter iterassem, rursus in tabula cœperat nescio quid annotare. Sensi tamen de vultus serenitate judicis mentem quasi justa petitione commotam. Sed et ille juvenis, qui jamdudum de passionis indicio, gestu potius, quam sermone prodiderat; clandestino identidem nutu concessam dilationem quæ in crastinum petebatur, contortis post invicem digitis significare properavit. » Huic omnino similem frustra requiret Basnagius inter prophetias cum veteris, tum Novi Testamenti revelationes. Scripturæ loca quibus cum hæc Cypriani visio aliquam videtur habere similitudinem notavit Pontius; sed non adeo affinia sunt ut quæ superius annotavimus cum ea de qua nunc agimus, Perpetuæ revelatione; sic enim habet: « Quid hac revelatione manifestius? quid hac dignatione felicius? Ante illi prædicta sunt omnia, quæcumque postmodum subsecuta sunt. Nihil de Dei verbis imminutum, nihil de tam sancta promissione mutilatum. Singula denique secundum quod ostensa sunt, recognoscite. Dilationem petit crastini, cum de passionis sententia cogitaretur, postulans ut res suas

Digitized by Google

die illo quem impetraverat ordinaret. Hic dies unus A significabat annum quo ille post visionem acturus in sæculo fuerat. Nam ut manifestius dicam, eo die post exactum annum coronatus est, quo hoc illi ante annum fuerat ostensum. Diem autem Domini, etsi non annum in divinis litteris legimus, promissioni tamen futurorum debitum illud tempus accipimus. Unde nihil interest si nunc sub diei significatione solus annus ostensus est, quia illud plenius debet esse quod majus est. Quod vero mutu potius, et non sermone explanatum est, repræsentationi temporis servabatur sermonis expressio. Solet enim tunc verbis quodcumque proferri, quotiens quidquid profertur, impletur. Nam et vere nemo cognovit quare hoc ei ostensum fuisset, nisi quia post eodem die, quo id viderat, coronatus est. Medio nihilominus tempore imminens B passio pro certo ab omnibus sciebatur : passionis tamen dies certus ab iisdem omnibus quasi ignorantibus tacebatur. Sane et in Scripturis tale aliquid invenio. Nam Zacharias sacerdos, promisso sibi per angelum filio, quia non crediderat, obmutuit ; ita ut filii nomen scripturus potius quam relaturus, metu tabulas postularet. Merito et hic, ubi Dei nuntius passionem antistitis imminentem mutu potius expressit, et fidem admonuit, et sacerdotem munivit. » Hæc habuit omnino Pontius, ut Cyprianicæ revelationis fidem tueretur et dignitatem ; quibus non mihi videor pro Perpetuæ revelatione minus consentanea produxisse. Aut ergo utramque pariter repudiabit, ut Spiritu sancto minime dignam ; aut certe utramque recipiet, et eumdem Spiritum auctorem habuisse C fatebitur. Præcipue quia quod de Cypriani revelatione sollicite ostendit Pontius, idem et nos capite sequenti de Perpetuæ revelationibus demonstrabimus ; eas nimirum fuisse rebus ipsis et secutis eventibus comprobatas.

IV. Quod etiam addit Basnagius : Montani redolere officinam Perpetuæ somnia, et exstasis ejus esse simillima, qua Tertullianus probat animam esse « aerei coloris, et formæ per omnia humanæ, » æque poterit omnibus visionibus accommodari in quibus aut anima, aut angelus, vel ipse Deus sub rerum corporalium figuris repræsentantur. An reapse Perpetua credidit in humano spiritu sexus diversitatem ? An suam animam in virilem sexum credidit fuisse mutatam ? An quam vidit Ægyptii formam, propriam D dæmonis putavit esse figuram ? An Christum verum esse lanistam, et Angelos esse decoros adolescentes existimavit ? an se judicavit ipse revera cum gloria ad portam Sanavivariam : quemadmodum insana illa Tertulliani mulierecula, animam vere esse credidit et affirmavit « aerei coloris et formæ per omnia humanæ ? » Quid ergo commune habet Perpetuæ visio cum deliræ hujusce feminæ insomniis, ut horum illa simillima esse dicatur ? Cum tam sine causa existimetur, credidisse Perpetuam esse revera in anima nostra sexus diversitatem, quam sine causa judicaretur existimasse illam cætera, quæ tum vidit, res esse ipsas, non autem rerum et futurorum eventuum similitudines. Audiendus igitur longe præ Basnagio commodior hujusce visionis ac benignior interpres Augustinus (1) : « Sancta Perpetua visa sibi est in somnis cum quodam Ægyptio in virum conversa luctari. Quis autem dubitet, in illa similitudine corporis animam ejus fuisse, non corpus ? Quod utique in suo femineo sexu manens, sopitis sensibus manebat in stratis, quando anima ejus in illa virilis corporis similitudine luctabatur. »

V. Temperare hic mihi non possum, quin ea quoque breviter refellam, quæ ad celebrem illam Perpetuæ de fratre suo Dinocrate revelationem Basnagius annotat. Quamquam enim ad impugnandam sanctorum martyrum orthodoxiam argumentum inde non capiat ; ex ejus tamen observationibus illibata sæculoque Martyrum fides admodum periclitatur. Est autem ejusmodi visio : « Video Dinocratem exeuntem de loco tenebroso, ubi et complures erant, æstuantem et sitientem valde, sordido vultu et colore pallido, et vulnus in facie ejus, quod cum moreretur habuit.....Pro hoc ergo orationem feceram : et inter me et illum grande erat diadema (vel diastema) ita ut uterque ad invicem accedere non possemus. Erat deinde in ipso loco ubi Dinocrates erat, piscina plena aqua, altiorem marginem habens quam erat statura pueri, et extendebat se Dinocrates quasi bibiturus. Ego dolebam, quod et piscina illa aquam habebat, et tamen propter altitudinem marginis bibiturus non esset. Et experrecta sum, et cognovi fratrem meum laborare. Sed confidebam profuturam orationem meam labori ejus, et orabam pro eo omnibus diebus quousque transivimus in carcerem castrensem. Munere enim castrensi eramus pugnaturi, Natale tunc Getæ Cæsaris ; et feci pro illo orationem die et nocte gemens et lacrymans, ut mihi donaretur. Die autem, quo in nervo mansimus, ostensum est mihi hoc. Video locum illum, quem videram tenebrosum, esse lucidum ; et Dinocratem mundo corpore, bene vestitum, refrigerantem, etc. Tunc intellexi translatum eum esse de pœna.

VI. Male habet hic locus protestantes, ut quo Ecclesiæ romanæ fides de purgatorio, et de vivorum precibus pro defunctis invictissime astruitur, adeoque non mirum, si ejus auctoritatem Basnagius nugis pluribus et cavillationibus conatus est elevare : « De qua visione, inquit (2) audiendus est Augustinus (3) : « De fratre autem sanctæ Perpetuæ Dino« crate, nec scriptura ipsa canonica est, nec illa sic « scripsit, vel quicumque illud scripsit, ut illum pue« rum qui septennis mortuus fuerat, sine baptismo di« ceret fuisse defunctum : pro quo illa imminente « martyrio, creditur exaudita, ut a pœnis transferretur « ad requiem. Nam illius ætatis pueri, et mentiri, et « verum loqui, et confiteri, et negare jam possunt. Et « ideo cum baptizantur, jam et symbolum reddunt, et « ipsi pro se ad interrogata respondent. Quis igitur scit

(1) Lib. IV *de Orig. Animæ*, cap. 18.
(2) Anno 205, num. VII.
(3) Lib. *de Anima et ejus origine*, cap. 10.

Digitized by Google

« utrum puer ille post baptismum persecutionis tempore a patre impio per idololatriam fuerit alienatus a Christo, propter quod in damnationem mortis ierit, nec inde nisi pro Christo morituræ sororis precibus donatus exierit? » Baptismum non adeptum fuisse Dinocratem, qui septennis fato functus erat, eo liquet quod et soror ejus jam nupta, jam annos duos et viginti nata, tamen erat inter catechumenos, et pater a religione christiana foret alienus. Quo casu precibus Perpetuæ Dinocrates liberari non potuit. Deinde ex hac visione purgatorius ignis extinguitur. Non in flammis, sed in loco tenebroso versantem Dinocratem vidit Perpetua, soli pœnæ, quæ damni est, non sensus subditum. Itaque Ruinartum nil juvat visio hæc probando mortuos posse a pœnis quas patiuntur per vivorum preces liberari. Etenim ex Latinorum sententia pœna sensus qui Baptismum consecuti sunt soli per vivorum suffragia liberantur. Quod si post Baptismum Dinocrates idololatria pollutus fuit, ut innuit Augustinus, nullius sane precibus meritis pœnis eximi potuit. Denique tenebrosus ille locus, ubi Dinocrates includebatur, a Purgatorio prorsus diversus communem illum carcerem sonat, in quem omnes præter martyrum animas conjici, Patribus bene multis Montanistisque creditum. Hinc scriptum Tertulliano: Tota paradisi clavis tuus sanguis est. Et ipsos patriarchas inferius detinori putavit, donec a Christo liberarentur. In eo carcere, quem Limbum recentiores dicunt, Dinocrates collocari censebatur. »

VII. Tot nugas numquam, puto, vir doctus effutiisset, nisi catholicorum dogmata impugnandi libidine actus fuisset in præceps. Liquere imprimis putat adversus Augustini opinionem, Dinocratem qui septennis obiit, Baptismum non fuisse adeptum, quod et sororis exemplo probat, et ex eo quod pater a religione christiana foret alienus. Ego autem liquere puto, salutaribus undis Dinocratem fuisse perfusum; quod cum tota Perpetuæ familia, ut ipsa perspicue testatur, Christi religionem coleret, verosimile non sit, sollicitos eos non fuisse, ut puero periclitanti, per baptismi sacramentum, antequam decederet, subveniretur. Unde nullum est omnino argumentum quod ex sororis exemplo conficit. Fateor enim, dilatum multis olim fuisse Baptismum, nisi vitæ periculum imminueret: at ubi in proximo discrimine versabatur hominis salus, quis tantam credat in familia christiana desidiam, ut nulla eos pueri in extremis agentis cura tetigerit, nullam omnino sollicitudinem gesserint, ut regenerationis lavacro in extremo saltem spiritu, vel invito patre, perfunderetur?

Deinde ait purgatorium hac Perpetuæ visione ignem extingui. Non ita visum est Cl. Holstenio qui ad hæc Perpetuæ verba: « Æstuantem valde, et sitientem, » hanc satis apposite notam adjunxit: « Apprime hæc congruunt cum doctrina Ecclesiæ de Purgatorio, ubi æstu et igne animæ torquentur. » Deinde, quia non ad extinguendum modo purgatorium ignem, sed ipsum quoque Purgatorium everterendum, hæc Basnagius observat, operæ pretium erit, illius animum in memoriam revocare doctrinæ, quam sæpius legisse existimo apud nobiliores theologos, et catholicarum partium acerrimos defensores: dogma fidei non esse ignem corporeo, an aliis pœnis, tenebris puta, mœrore, tristitia crucientur, quibus cum ex hac vita decedunt, aliquid superest in futura vita purgandum. Sane in concilio Florentino nulla ferme Latinos inter et Græcos de Purgatorio controversia fuit, quamvis Græci, « Purgatorium, non ignem, sed obscurum quemdam locum ac laborum plenum esse censerent: » et dum Purgatorium admitterent, (1) « sive ignis, illud, sive obscuritas, sive turbo, sive id genus aliud sit, » non referre putarent. Quod etiam non admodum referre sacra ipsa synodus censuit, cum in definitione fidei, cui ecclesiæ utriusque antistites subscripserunt, hoc tantum fuerit de Purgatorio decretum..... (2) « Animas pœnis purgatoriis post mortem purgari, et ut a pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, etc. » Nil ergo faceret ad hujus loci vim elevandam Basnagii observatio, licet nullis Dinocrates corporeis flammis arsisset: cum locus ille tenebrosus, in quo eum « æstuantem valde et sitientem » Perpetua vidit, optime congruat cum Purgatorio, quod Græci in Florentina synodo, Latinis nequaquam contradicentibus, admiserunt. Et quamvis Latinorum de corporeis Purgatorii flammis opinio, ut Bellarminus ait (3), probabilissima sit, in eo tamen, ut idem Bellarminus docet (4), fidei summa non vertitur: et cum Latinorum opinione Perpetuæ verba, ut observavit Holstenius, apprime congruunt.

Illud magis mirandum, quod Basnagius immediate subjungit: Perpetuam soli pœnæ, quæ damni est, non sensus, subditum vidisse Dinocratem. Quid ergo? tenebræ, sitis, æstus, sordidus vultus, color pallidus, vulnus in facie, etc., ad pœnam, quæ damni est, non sensus, pertinere sibi videntur? Pœna damni a theologis definitur: privatio divinæ visionis; an istam solum Dinocrates sustinebat? Si ita est; ergo cum postea Perpetua intellexit translatum eum fuisse de pœna, divina visione recreatus est. Quod certe Basnagius non admittet; cum, ut notat, Montanistarum, quorum nefariæ sectæ Perpetuam addicit, doctrina fuerit, solos ante diem judicii solemnis in cœlum martyres recipi.

Illud etiam longe mirabilius, quod Ruinartum nil hanc visionem juvare dicat probando « mortuos posse a pœnis, quas patiuntur, per vivorum preces liberari. » Cum se Perpetua verbis adeo disertis affirmet suis precibus impetrasse, ut de pœnis quibus torquebatur, Dinocrates transferretur, mirum profecto est quomodo Ruinartum nil juvet visio hæc probando: « mortuos posse a pœnis, etc. » Hic jam

(1) Εἴτε πῦρ ἐστιν, εἴτε ζόφος καὶ θύελλα, εἴτε τι ἕτερον, εὐ διαφερόμεθα. Sess. XXV.

(2) Τὰς ψυχὰς καθαρτικαῖς τιμωρίαις καθαίρεσθαι μετὰ θάνατον. ὥστε δὲ ἀποκουφίζεσθαι αὐτὰς τῶν τοιούτων τιμωριῶν λυσιτελεῖν αὐταῖς τὰς τῶν ζώντων πιστῶν ἐπικουρίας· δηλονότι τὰς ἱερὰς θυσίας, καὶ εὐχάς, καὶ ἐλεημοσύνας, etc.

(3) Lib. II *de Purgat.* capp. 10 et 11.

(4) *Ibid.*

Digitized by Google

profecto, vel Actorum γνησιότης, aut martyris fides in controversiam vocatur. Ruinartium neque de Actorum sinceritate, neque de martyris fide suspicio ulla tangebat. Basnagius autem, qui nullam de Actis quæstionem movet, videamus quibus argumentis Perpetuæ fidem abrogare conetur: « Ex Latinorum sententia, inquit, pœna sensus qui Baptismum consecuti sunt, soli per vivorum suffragia liberantur. » At nos, baptizatum fuisse Dinocratem, cum Augustino pro certo habemus, et pœnæ sensus fuisse subditum, clarissime demonstravimus. « Quod si, subjungit, post Baptismum Dinocrates idololatria pollutus fuit, ut innuit Augustinus, nullius sane precibus meritis pœnis eximi potuit. » At si, inquam, post Baptismum Dinocrates idololatria pollutus fuit, ut innuit Augustinus, soli pœnæ, quæ « damni est, non sensus, » subditus esse non potuit. Deinde non jam hic agitur de Perpetua, sed de Augustini opinione. Fuisse ab impio patre per idololatriam alienatum a Christo, et ad gentilium sacrilegia revocatum, ut Augustinus innuit, illa non scripsit. Multa sunt alia peccata, ut idem Augustinus observat, ob quæ esse potuit Dinocrates purgatoriis pœnis addictus: mentiri potuit, irasci, ludere præter decorum, etc. Quæcumque autem fuerint ex Augustini opinione, de qua modo disserere non libet, Dinocratis peccata, aut quibuscumque pœnis torqueretur, non dubitat sanctus doctor, quin « inde pro Christo morituræ sororis precibus donatus exierit. » Adeoque non video, quare Ruinartum non juvet visio hæc probando, mortuos posse a pœnis, quas patiuntur, per vivorum preces liberari.

VIII. Ait denique Basnagius, tenebrosum illum locum, ubi Dinocrates includebatur, a purgatorio prorsus diversum, communem illum carcerem sonare, in quem omnes præter martyrum animas conjici, Patribus bene multis, Montanistisque creditum. Circa animarum, ut vocant, receptacula, non una semper eademque fuit Tertulliani sententia. In libro enim de Anima (1) ex Paracleti, hoc est Montani doctrina, « omnes animas penes inferos » collocat, « et illic supplicia interim, et refrigeria: Cur enim, inquit, non putes animam et puniri, et foveri in inferis interim sub exspectatione utriusque judicii in quadam usurpatione et candida ejus? Sed alibi hanc uti Marcionis opinionem scripturæ auctoritate confutat (2) « Sed Marcion aliorsum cogit, scilicet utramque mercedem creatoris, sive tormenti, sive refrigerii apud inferos, determinat eis positam, qui Legi et Prophetis obedirent: Christo vero et Dei sui cœlestem definit sinum et portum. Respondebimus, et hac ipsa Scriptura revincente oculos ejus, quæ ab inferis discernit Abrahæ sinum pauperi. Aliud enim inferi, ut puto, aliud quoque Abrahæ sinus. Nam et magnum, ait, intercedere regiones istas profundum, et transitum utrinque prohibere. Sed nec allevasset dives oculos, et quidem de longinquo, nisi in superiora et de altitudinis longinquo per immensam illam dijstantiam sublimitatis et profunditatis. Unde apparet sapienti cuique, qui aliquando Elysios audierit, esse aliquam localem determinationem quæ sinus dicta sit Abrahæ, ad recipiendas animas filiorum ejus etiam ex nationibus..... Eam itaque regionem sinum dico Abrahæ, etsi non cœlestem, sublimiorem tamen inferis, interim refrigerium præbituram animabus justorum, donec consummatio rerum resurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat, tunc apparitura cœlesti promissione, etc. Salva ea promissione, cur non capiat sinum Abrahæ dici, temporale aliquod animarum fidelium receptaculum, in quo jam delinietur futuri imago ac candida quædam utriusque judicii prospiciatur? » Juxta hanc secundam opinionem dici non potest tenebrosum illum locum, in quo Dinocrates includebatur, communem aliquem fuisse carcerem in quem omnes præter martyrum animas conjici, Patribus bene multis Montanistisque creditum: cum sinum Abrahæ ad recipiendas animas filiorum ejus destinatum, regionem fuisse doceat Tertullianus, etsi non cœlestem, sublimiorem tamen inferis, interim refrigerium præbituram animabus justorum. Sed juxta primam sententiam, sicuti penes inferos et supplicia erant et refrigeria; ita penes inferos erat et Purgatorium: adeoque statui non potest locum illum tenebrosum in quo Dinocrates includebatur, a Purgatorio prorsus fuisse diversum. Etenim Purgatorii nomine alterius vitæ pœnas intelligimus justis post aliquod tempus in refrigerium commutandas: neque ad fidei dogma de Purgatorio quæstio illa pertinet, an loco ab inferis separetur (1). Cum igitur Dinocrati locus ille tenebrosus in quo ipsum æstuantem valde et sitientem Perpetua vidit, paulo post in lucidum fuerit commutatus, in quo eum sanctissima soror « mundo corpore, bene vestitum et refrigerantem » aspexit, adhuc ex veterum quorumdam Patrum et Montanistarum sententia affirmari nullo modo potest, locum illum tenebrosum, in quo primum Dinocrates includebatur, a Purgatorio prorsus fuisse diversum.

Si rata esset et certa Cl. Holstenii lectio; communis theologorum de receptaculis animarum sententia, egregie, ut Possinus observat (2), hac Perpetuæ visione confirmaretur. Ita enim habet: « Video Dinocratem exeuntem de loco tenebroso, ubi et complura erant loca tenebrosa, etc. » Docent scilicet theologi, quatuor esse sub terra locos distinctos in quibus animæ mortuorum detinentur: nempe omnium infimum ubi dæmones et animæ damnatæ; supra hunc, Purgatorium, ubi animæ purgantur ad tempus; deinde Limbum puerorum quo detinentur animæ mortuorum in solo peccato originali; postremo Limbum Patrum, nunc vacuum a tempore mortis et resurrectionis Christi, etc. Hæc, subjungit Possinus, fuisse videntur illa complura loca tenebrosa, quæ se vidisse laudatis verbis sancta Perpetua testatur. At

(1) Cap. 57. vid. et cap. 55 et 56.
(2) Lib. IV *cont. Marcion.*, cap. 34.

(1) Vid. Bellarmin. lib. II, *de Purgat.*, cap. 6.
(2) *Parulipomen. ad Holsten. notas.*

Digitized by Google

Ruinartus habet : « Ubi et complures erant. » Quod equidem ad inclusorum multitudinem, quam ad locorum diversitatem aptius refertur. Quamvis varia esse sub terra animarum receptacula, neque his verbis Perpetua neget ; sed de hac sanctæ martyris visione iterum capite septimo sermo redibit.

## CAPUT VI.

MARTYRUM NOSTRORUM VIRTUTES, ET VISIONUM FRUCTUS OSTENDUNT, DIVINO ILLOS FUISSE SPIRITU AFFLATOS, ET EORUM REVELATIONES DEO ESSE TRIBUENDAS.

I. *In veris prophetis a falsis discernendis, eorum imprimis morum habendam esse rationem.*

II. *Aliqua Actorum loca, in quibus martyrum nostrorum virtutes graphice describuntur.*

III. *Nihil esse in eorum moribus animadvertere, quod Montani redoleat institutionem.*

IV. *Perpetuam sociosque martyres naturæ leges minime violasse, Ignatii M. exemplo demonstratur.*

V. *Aliorum martyrum pro martyrii corona preces et vota.*

VI. *Alios, præter Perpetuam, martyres aut bestias in se ipsos concitasse, aut instrumenta crudelitatis ad accelerandum martyrium ultro adhibuisse.*

VII. *Veterum Christianorum exempla qui vel seipsos sponte obtulerunt, vel præsidum sævitiam in se ultro provocarunt, Perpetuæ factum excusant.*

VIII. *Sanctorum Andronici et Tarachi memorabile facinus.*

IX. *Perpetuæ et sociorum martyrum spiritus quam fuerit a Montanistarum spiritu longe diversus ex diversis utriusque effectibus demonstratur.*

X. *Perpetuæ et Saturi revelationem honesti et optimi fructus.*

I. Superioribus capitibus argumenta labefactavi quæ Basnagius ex ipsis eorum Actis adversus martyres conficit. Præsenti et sequenti capite argumenta in medium producam, quæ pro sanctis martyribus ex iisdem Actis collegi, et quibus invictissime, ut puto, eorum orthodoxia vindicatur, ut quemadmodum adversarius et externis, ut vocant, argumentis et internis adversus martyres militat : ita nos pro illis, postquam hujusce dissertationis capite primo externa produximus argumenta ex Ecclesiæ et veterum Patrum auctoritate petita, internis postremis bis duobus capitibus decertemus, quæ nobis ex ipsis eorum Actis luculentissima suppetunt.

Primum esto, quod ex Perpetuæ sociorumque martyrum heroicis virtutibus, patientia, pietate moderatione, charitate, fortitudine et rerum omnium humanarum contemptu sponte promicat atque efflorescit. In moribus prophetarum ad veros a falsis discernendos, multum inesse momenti, veteres existimarunt. Unde *Apollonius ecclesiasticus* ille apud Eusebium (1) : « scriptor, Cataphrygarum hæresim adhuc sua ætate vigentem refutare aggressus, peculiare adversus eos volumen condidit, tum falsas prophetias, quæ ab illis circumferuntur, verbatim expendens, tum vitam moresque eorum qui hæresis illius auctores fuerunt, discutiens. » Aliqua deinde ex hoc opere fragmenta profert, in quibus pravos Montani et mulierculorum ejus, Themisonis etiam et Alexandri mores describit, ac postea subjungit (1) : « Actus prophetæ tanquam fructus examinandi sunt. Ex fructibus quippe arbor cognoscitur. » Et post pauca (2) : « Si negant prophetas suos munera accepisse, hoc igitur fateantur, non esse illos prophetas, si munera accepisse convicti sunt. Ac tum demum sexcenta ejus rei documenta ac testimonia proferemus. Necesse porro est ut omnes prophetæ fructus atque actus probentur. Dic mihi, tingitne capillos propheta? an stibio oculos linit? an studet ornari? prophetane tabula ludit, et tesseris? an pecuniam locat fœnori? Ingenue fateantur, ac respondeant, utrum hæc agere liceat, an secus? Ego vero hæc apud ipsos acta esse convincam. »

II. In his autem Perpetuæ, Felicitatis et sociorum martyrum actis mira ubique resplendent christianarum omnium virtutum exempla ; ita ut affirmari merito possit, quot in Montano, Maximilla, Themisone et Alexandro Apollonius vitia reprehendit, tot in sanctis hisce martyribus ac Perpetua præsertim, et multo etiam plura, virtutum omnium decora refulgere. Aliqua Actorum loca quæ magis ad rem faciunt, in specimen indicabo cap. 1, § 2. « Cum adhuc, inquit, cum persecutoribus essemus, et me pater avertere et dejicere pro sua affectione perseveraret, etc., dixi ei.... Ego aliud me dicere non possum, nisi quod sum christiana. Tunc pater motus in hoc verbo, misit se in me ut oculos mihi erueret ; sed vexavit tantum, et profectus est victus cum argumentis diaboli. Tunc paucis diebus, quod caruissem patre, Domino gratias egi, et refrigeravit absentia illius. In ipso spatio paucorum dierum baptizati sumus ; mihi autem Spiritus dictavit, nihil aliud petendum in aqua, nisi sufferentiam carnis. Post paucos dies recipimur in carcerem, et expavi, quia numquam experta eram tales tenebras... Ego infantem lactabam jam inedia defectum. Sollicita pro eo alloquebar matrem, et confortabam fratrem, commendabam filium. Tabescebam, ideo quod illos tabescere videram mei beneficio. Tales sollicitudines multis diebus passa sum, et usurpavi ut mecum infans in carcere maneret ; et statim convalui, et relevata sum a labore et sollicitudine infantis ; et factus est mihi carcer subito quasi præ-

(1) Τῆς δὲ ΚΑΤΑ ΦΡΥΓΑΣ καλουμένης αἱρέσεως καὶ Ἀπολλώνιος ἐκκλησιαστικὸς συγγραφεὺς ἀκμαζούσης εἰσέτι τότε κατὰ τὴν Φρυγίαν ἔλεγχον ἐνστησάμενος, ἴδιον κατ' αὐτῶν πεποίηται σύγγραμμα, τὰς μὲν φερομένας αὐτῶν προφητείας ψευδεῖς οὔσας κατὰ λέξιν εὐθύνων, τὸν δὲ βίον τῶν τῆς αἱρέσεως ἀρχηγῶν ὁποῖός τις γέγονε διελέγχων. Lib. v *Hist. Eccles.* cap. 18.

(1) Δεῖ γὰρ τοὺς καρποὺς δοκιμάζεσθαι τοῦ προφήτου· ἀπὸ γὰρ τοῦ καρποῦ τὸ δένδρον γινώσκεται.

(2) Ἐὰν ἀρνῶνται δῶρα τοὺς προφήτας αὐτῶν εἰληφέναι, τοῦτο ὁμολογησάτωσαν, ὅτι ἐὰν ἐλεγχθῶσιν εἰληφότες, οὐκ εἰσὶ προφῆται, καὶ μυρίας ἀποδείξεις τούτων παραστήσομεν· ἀναγκαῖον δέ ἐστι πάντας καρποὺς δοκιμάζεσθαι προφήτου· προφήτης, εἰπέ μοι, βάπτεται ; προφήτης φιλοκοσμεῖ ; προφήτης, τάβλαις καὶ κύβοις παίζει ; προφήτης δανείζει ; ταῦτα ὁμολογησάτωσαν, πότερον ἔξεστιν ἢ μή ; ἐγὼ δὲ ὅτι γέγονε παρ' αὐτοῖς δείξω.



Digitized by Google

torium, ut ibi mallem esse quam alibi.» Quot hic virtutes emicant! Constantia adversus patris minas, et blanditias; constantia item adversus humanas omnes affectiones, pietas erga parentes, materna pro filio sollicitudo, in carceris incommodis tolerandis invicta patientia: hypocritarum more, stoica gravitate humanos affectus non dissimulat, sed christiana virtute superat ac moderatur: Domino gratias agit, divinam opem implorat, alienas magis angustias quam suas dolet, miro religionis in Deum et caritatis in proximum documento. Eædem virtutes in aliis quoque locis resplendent, cap. II, § 1. « Post paucos dies rumor cucurrit, ut audiremur. Supervenit autem et de civitate pater meus consumptus tædio, ascendit ad me ut me dejiceret, dicens: Miserere, filia, canis meis, etc. Hæc dicebat pater pro sua pietate basians mihi manus, et se ad pedes meos jactans, et lacrymis non filiam, sed dominam me vocabat. Et ego dolebam canos patris mei, quod solus de passione mea gavisurus non esset de toto genere meo: et confortavi eum, dicens: Hoc fiet in illa catasta, quod Deus voluerit. Scito enim nos non in nostra potestate esse constitutos, sed in Dei.» Similia et filialis erga patrem observantiæ, et christianæ fortitudinis exempla habentur § 2, qui totus quamvis describendus esset, hæc ex eo tamen pauca subjiciam: « Et Hilarianus procurator... parce, inquit, canis patris tui; parce infantiæ pueri. Fac sacrum pro salute Imperatorum. Et ego respondi: *Non facio.* Hilarianus: *Christiana es?* Et ego respondi: *Christiana sum.* Et cum staret pater ad me dejiciendum, jussus est ab Hilariano dejici, et virga percussus est. Et doluit mihi casus patris mei, quasi ego fuissem percussa: sic dolui pro senecta ejus misera. Tunc nos universos pronuntiat et damnat ad bestias, et hilares descendimus ad carcerem.» Hanc Perpetuæ filialem erga patrem observantiam his sanctus Augustinus verbis commendat (1): « Doluit illa senis parentis injuriam; et cui non præbuit assensum, servavit affectum. Oderat quippe in illo stultitiam, non naturam, et ejus infidelitatem, non originem suam. Majore igitur gloria tam dilectum patrem male suadentem fortiter repulit, quem vapulantem videre sine mœrore non potuit. Proinde et dolor ille nihil retraxit robori fortitudinis, et aliquid addidit laudibus passionis;» *Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum.* Earumdem virtutum aliud, cap. III, § 1, occurrit exemplum: « Ut autem proximavit dies muneris, intravit ad me pater meus consumptus tædio, et cœpit barbam suam evellere, et se in terram mittere; et prosternere se in faciem, et improperare annis suis, et dicere talia verba quæ moverent universam creaturam. Ego dolebam pro infelici senecta ejus.» Hic iterum audiendus sanctus Augustinus (2): « Per caritatem multi mortui sunt sæculo, ut viverent Deo. Hac caritate accensi martyres, non simulati, non vana gloria ventilati, non tales, de quibus dictum est: *Si tradidero corpus meum ut ardeam*, etc.; sed tales quos vere Christi et veritatis caritas perduceret ad passionem: quid eis fecerunt persecutiones sævientium? Majorem violentiam habuerunt oculi flentium suorum, quam persecutiones insectantium. Quam multos enim tenebant filii, ne paterentur? Quam multorum genibus provolvebantur uxores, ne viduæ relinquerentur? Quam multos parentes filii prohibebant mori, sicut novimus et legitur in passione BEATÆ PERPETUÆ? Facta sunt ista. Sed lacrymæ quantælibet, et quantolibet impetu fluerent, quando ardorem charitatis extinguerent?» cap. V, § 2, plura nobis confertim exhibentur mutuæ charitatis spei et magnanimitatis exempla: « Circa Felicitatem vero (nam et illi gratia Domini ejusmodi contigit), cum octo jam mensium suum ventrem haberet (nam prægnans fuerat apprehensa), instante spectaculi die, in magno erat luctu, ne propter ventrem differretur; quia non licet prægnantes pœnæ repræsentari, et ne inter aliquos postea sceleratos, sanctum et innocentem sanguinem funderet. Sed et commartyres ejus graviter contristabantur, ne tam bonam sociam, quasi comitem solam in via ejusdem spei relinquerent. Conjuncto itaque unito gemitu, ad Dominum orationem fuderunt ante tertium diem muneris. Statim post orationem dolores eam invaserunt. Et cum pro naturali difficultate octavi mensis, in partu laborans, doleret, ait illi quidam ex ministris cataracteriorum: Quæ sic modo doles, quid facies objecta bestiis quas contempsisti, cum sacrificare noluisti? Et illa respondit: Modo ego patior quod patior; illic autem alius erit in me qui patietur pro me, quia et ego pro illo passura sum. Ita enixa est puellam, quam sibi quædam soror in filiam educavit.» Nihilo inferiora sunt, neque minori admiratione digna quæ describuntur § 3 et 4 Perpetuæ et Saturi infracti excelsique animi documenta. Sed non est omittendus cap. VI, § 1, ut ex universarum virtutum connexione et varietate contextus: « Illuxit dies victoriæ illorum, et processerunt de carcere in amphitheatrum, quasi in cœlum, hilares, vultu decori, si forte gaudio paventes, non timore; sequebatur Perpetua placido vultu, et pedum incessu, ut matrona Christi Dei dilecta, vigorem oculorum suorum dejiciens ab omnium conspectu. Item Felicitas salvam se peperisse gaudens, ut ad bestias pugnaret, a sanguine, ab obstetrice ad retiarium, lotura post partum baptismo secundo. Et cum delati essent in portam, et cogerentur habitum induere, viri quidem sacerdotum Saturni, fœminæ vero sacratarum Cereri: generosa illa in finem usque constantia repugnavit. Dicebant enim: *Ideo ad hoc sponte pervenimus, ne libertas nostra abduceretur. Deo animas nostras addiximus, ne tale aliquid faceremus: hoc vobiscum pacti sumus.* Agnovit injustitia justitiam: concessit tribunus, ut quomodo erant, simpliciter inducerentur. Perpetua psallebat, caput jam Ægyptii calcans. Revocatus, et Saturninus et Saturus, populo spectanti comminabantur de hoc. Ut sub conspectu Hilariani pervenerunt,

(1) Serm. 284, al. de divers. 104.
(2) Enarrat in Psalm. XLVII, num. 13.

Digitized by Google

gestu et nutu cœperunt Hilariano dicere: *Tu nos*, inquiunt, *te autem Deus judicabit*. Ad hoc populus exasperatus, flagellis eos vexari pro ordine venatorum postulavit. Et utique illi gratulati sunt, quod aliquid et de dominicis passionibus essent consecuti. » Videndus et cap. VI, § 3, uti præter invictam animi fortitudinem, qua se ferocissimæ vaccæ sanctæ mulieres obtulerunt, suscipienda venit et Perpetuæ modestia: «Jactata» enim a ferocissima bestia «concidit in lumbos, et ut conspexit tunicam a latere discissam, ad velamentum femorum adduxit, pudoris potius memor quam doloris.»

III. Nihil in his martyrum gestis animadvertere est ex Montani schola et institutione profectum; nihil scilicet superstitiosum, nihil incompositum, nihil tumultuosum, nihil turbidum, nihil denique inordinatum quæ sunt, ut ex Asterio Urbano, Apollonio, Miltiade, Serapione, Ælio Publio, et aliis Patribus constat (1), montanistici spiritus characteres: sed in omnibus contra mira modestia, compositio, prudentia, pietas, religio, charitas, fortitudo, fides sapientiaque refulgent; ut non sit aliud sanctarum mulierum martyrium, quod illustriora virtutum omnium decora comitentur. Fieri autem minime potuisse videtur, ut mulier insania et furore percita, et dæmoniaco spiritu acta, cujusmodi erant Montanistarum pseudo-prophetissæ, ita sibi in omnibus caverit, ita se gesserit, ut nihil in ejus verbis procax, nihil arrogans, nihil in motibus inverecundum, nihil in actibus irreligiosum vel severissimus censor possit animadvertere. Quamdam equidem Montanistæ morum externam gravitatem præ se ferebant, sese disciplinæ severitate jactabant, abstinentia, pudicitia et persecutionum tolerantia se plurimum efferebant: sed qui se graviora instituta evangelicis institutionibus adjecisse, verbis insolentissimis prædicabant, moribus postea legis evangelicæ sanctitatem minime referebant, sed ab ea quam longissime aberant. Perpetua vero sociique martyres evangelium moribus referunt, atque exactissime exprimunt. Est et aliud in horum martyrum, et præsertim Perpetuæ, virtutibus observatione dignum, quo a fucatis hypocritarum pseudo-prophetarumque virtutibus discerni facile possunt, quod se nativa quadam simplicitate tuentur, et quam in eis divinæ cujusdam sapientiæ et excelsi animi ac bene rebus humanis exempti indicia clara cernuntur; tam nativo quodam candore placent, et nihil in eis fucatum, nihil per simulationem gestum, aut per hypocrisim deprehenditur quæ quidem simplicitas et candidi pectoris decus in ipsis quoque Perpetuæ verbis et scribendi charactere resplendent, quo suos, ut supra est observatum, humanos affectus non dissimulat, se supra alios non effert, res suas minime exaggerat, ad Deum omnia refert, in fide, in spe divinæ misericordiæ, in sinu Providentiæ et placidissime conquiescit, et casus omnes contemnit, et nihil timet, et omnia sperat, et nihil non audet. Hi profecto virtutum flores inter hæresum dumeta non germinant; hos fructus arbor mala non facit. Potest quidem fieri, ut et nequam spiritus exteriorem quamdam sanctitatis umbram affectet, ut hos gestiat virtutis actus imitari; sed esse non potest ut absolutam undequaque et omni ex parte sinceram christianæ perfectionis imaginem repræsentet; non adeo sibi cavere potest hypocrisis, ut non aliquid excidat quo se prodat: falsis enim virtutibus aliquid vitii facile intermiscetur, et spiritus ille superbiæ tum maxime agnoscitur, cum animi demissionem simulat, et se in exteriorem quamdam modestiæ speciem componit. Sed quid habet Basnagius, in his quæ ad mores pertinent, quod in Perpetua ejusque sociis reprehendat? Nihil omnino; et affirmari utique potest quod, sicuti nulla est evangelicæ disciplinæ hac similior imago, ita nulla ab hæretica institutione magis abludit. Perpetua et Maximilla invicem conferantur; tam discrepabunt earum mores, quam a virtute vitium, a luce tenebræ amplo discrimine separantur. Fieri ergo non potest, ut eodem furoris et insaniæ spiritu agerentur. Sane si tam illustre martyrium tot virtutum parergis decoratum, inter hæreticos perfectum est aut perfici potest vel perit omnino, aut admodum infirmatur christianæ religionis argumentum, quod et sane efficacissimum ex constantia et virtute martyrum proficiscitur. Non enim Christianorum martyrium adeo commendat mors pro fide suscepta, cum alii multi ex omnibus sectis pro suis superstitionibus ultro se neci tradiderint, quam cæterarum virtutum apparatus quo suum agonem catholici martyris decorarunt: fides scilicet, spes, charitas, religio, pietas, modestia, excelsi animi robur invictum, quæ mirum in modum, ut ostendimus, in Perpetua sociisque martyribus refulserunt.

IV. Sed ut nihil eorum negligam, aut sine refutatione dimittam, ex quibus morosus aliquis cavillator, vel impudens sycophanta sanctis martyribus conflare posset invidiam; duo in examen adducam Actorum loca in quibus naturæ leges violari videntur, quibus suam unusquisque vitam conservare jubetur, et mortem cum nobis, tum aliis optare aut alios in interitum nostrum urgere prohibemur. In has autem naturæ leges martyres nostri peccasse videntur, tum cap. V, § 2, ubi communibus votis orarunt, ut immaturum partum, «instante jam spectaculi die,» Felicitas ederet, «ne propter ventrem differretur, quia non licet prægnantes pœnæ repræsentari.» Tum gravius cap. VI, § ult., ubi Perpetua necis instrumenta ad acceleranndum martyrium ipsa suis manibus aptavit: «Perpetua autem, ut aliquid doloris gustaret, inter costas puncta exululavit, et errantem dexteram tirunculi gladiatoris ipsa in jugulum suum posuit.» Hæc in Perpetua sociisque martyribus reprehendi posse, nemo mirabitur, qui animum adverterit ad ea, quæ ob similem omnino caussam in martyrem Ignatium Dallæus effudit. Quod enim sanctissimus martyr Romanos per litteras monuerit, ne optatum martyrium suis ad Deum precibus, aut officiis retardarent, et bestias etiam repugnantes se in suum interitum adacturum esse significaverit, violatæ a Dallæo pietatis et modestiæ reus agitur. Sed ut melius intelligatur quam bene sibi invicem in ejusmodi votis Ignatius et Perpe-

(1) Apud Euseb., lib. V *Hist. Eccles.*, cap. 16 et seqq.

Digitized by Google

tua sociique martyres concinant, ipsa hic Ignatii verba subjiciam (1): « Obsecro vos, ne intempestivam mihi benevolentiam exhibeatis. Sinite me ferarum cibum esse, per quas Deum consequi licet. Frumentum sum Dei, et per ferarum dentes molor, ut purus panis Christi inveniar. Feris potius blandimini, ut mihi sepulcrum fiant, nihilque mei corporis relinquant, ne postquam obdormiero, gravis alicui fiam..... Christo pro me supplicate, ut per hæc instrumenta hostia inveniar. » Quod pro se fieri a Romanis optabat Ignatius, id officii erga Felicitatem nostri martyres præstiterunt. Volebat ille a Romanis conjunctas ad Deum preces effundi, quo bestiarum dentibus moleretur, et per hæc instrumenta Christi efficeretur hostia; id vero Felicitatis sociis in votis erat, et ut fœtum immaturo tempore emitteret, fusis ad Deum precibus postulabant, ne martyrium ejus differretur, sed una cum aliis bestiis objiceretur. Pergit Ignatius et non solum ardens martyrii desiderium ostendit, sed bestias, invitas etiam et repugnantes, se ait ad suam ipsius necem provocaturum (2): « Utinam fruar bestiis mihi præparatis, quas et opto mihi promptas inveniri, quibus et blandiar, ut cito me devorent, non ut quosdam veritæ non tetigerunt. Si autem illæ repugnantes noluerint, ego vi impellam. » Nihil refert ad gladiatoris dexteram in suum quisquam jugulum ponat, quod Perpetua fecit, an feras ad se devorandum impellat, quod se facturum scribebat Ignatius. Unde utrumque, aut iisdem reprehensionibus patet, aut iisdem est laudibus prosequendum. Interim autem quemadmodum Pearsonius Ignatii vota ut sancto martyre non indigna, nostrorum martyrum exemplo demonstrat: ita nos eorumdem martyrum pro Felicitate preces Ignatii exemplo tuebimur: cur enim *plebeios martyres*, ut Pontii Diaconi verbis utar, et a Baptismo recentes inde arguemus, unde sapientissimum episcopum, et Apostolorum discipulum honori et admirationi habemus?

V. Verum quoniam ex Protestantium grege non pauci, et in his etiam Basnagius, Ignatii epistolas ut pseudepigraphum et adulterinum opus rejiciunt, et inter cætera quæ in eis ut ab Ignatii virtutibus aliena notant, ardens illud martyrii votum sugillant, aliis exemplis et epistolicum Ignatium, et nostros martyres cum Pearsonio tuebor. Celerinus confessor ad Lucianum confessorem epistola inter Cyprianicas 21. « Hæc cum tibi scriberem, domine frater, gaudens et tristis eram: gaudens, ex eo quod audierim te pro Domini nostri Jesu Christi salvatoris nostri tentum, et illius nomen penes magistratus hujus mundi confessum, etc. » Et infra: « Sic coronet te, cujus nomen confessus es..... Pete, ut sim dignus coronari cum numero vestro. » Et rursum: « O te felicem! suscipere vota tua, quæ semper desiderasti, vel in terra dormiens optasti pro nomine illius in carcerem mitti, quod nunc tibi contingit, sicut scriptum est: *Det tibi Dominus secundum cor tuum.* » Hæc Celerinus, a moderatione præsertim, humilitate, timore, cautione et verecundia sancto Cypriano (1) commendatus. Ita etiam Lugdunenses martyres christianæ religionis præcipuum decus, fide et sapientia non minus quam invicta animi fortitudine insignes, profusis lacrymis, ut est apud Eusebium (2), « obsecrabant fratres, ut continuæ ad Deum preces fierent, quo tandem ipsi perficerentur. » De sancto Cypriano Pontius ejus diaconus: « Conveniebant interim plures egregii et clarissimi ordinis, sed et sæculi nobilitate generosi, qui propter amicitiam secessum subinde suaderent; et ne parum esset nuda suadela, etiam loca, in quæ secederet, offerebant. Ille vero jam mundum suspensa ad cœlum mente neglexerat, nec suadelis blandientibus annuebat. Fecisset fortasse tunc etiam, quod a pluribus et fidelibus petebatur, si et divino imperio juberetur. » Nam ut ipse Pontius docet, in priore secessu, « Domino latebram tunc jubente paruit. » Populus autem fidelis, sancto Cypriano ad supplicium ducto, tantum aberant ab orando Deum, ut illi parceretur, aut quovis modo martyrium impediendo, ut simul cum illo potius mori cuperent: « Quamvis enim non potuerit evenire, quod optabant vota communia, ut consortio paris gloriæ simul plebs tota pateretur; quicumque sub Christi spectantis oculis, et sub auribus sacerdotis ex animo pati voluit, per idoneum voti sui testem legationis quodammodo litteras ad Deum misit. » Sanctus Hieronymus, de Vita Pauli Eremitæ: « Sub Decio et Valeriano persecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ, et Cyprianus Carthagine felici cruore damnati sunt, multas apud Ægyptum et Thebaida ecclesias tempestas sæva populata est. Voti tunc Christianis erat pro Christi nomine gladio percuti. Verum hostis callidus, tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat jugulare, non corpora; et, ut ipse qui ab eo passus est Cyprianus ait: Volentibus mori, non permittebatur occidi. » Notum est et illud sancti Polycarpi martyris ad proconsulem, nunc bestias, nunc flammas illi minitantem: ἀλλὰ τί βραδύνεις; φέρε ὃ βούλει. « Quid autem moras trahis? Affer quod vis. « Ταῦτα καὶ ἄλλα πλείονα λέγων θάρσους καὶ χαρᾶς ἐνεπίμπλατο; « Hæc et plura alia cum diceret, fiducia et lætitia impletus est, » ut vetustissima ejus Acta testantur. Plura autem illa, quæ fortitudine et exultatione plenus pronuntiavit, qualia, amabo, fuere, si non Ignatianis, si non Perpetuæ, Felicitatis et sociorum martyrum?

(1) Παραιτοῦμαι ὑμᾶς, μὴ εὔνοια ἄκαιρος γένησθέ μοι· ἄφετέ με θηρίων εἶναι βορὰν, δι' ὧν ἔνεστιν θεοῦ ἐπιτυχεῖν. σῖτός εἰμι θεοῦ, καὶ δι' ὀδόντων θηρίων ἀλήθωμαι, ἵνα καθαρὸς ἄρτος εὑρεθῶ τοῦ Χριστοῦ· μᾶλλον κολακεύσατε τὰ θηρία, ἵνα μοι τάφος γένωνται, καὶ μηδὲν καταλίπωσι τοῦ σώματός μου, ἵνα μὴ, κοιμηθεὶς, βαρύς τινι γένωμαι..... λιτανεύσατε τὸν Χριστὸν ὑπὲρ ἐμοῦ, ἵνα διὰ τῶν ὀργάνων τούτων θυσία εὑρεθῶ. Ea epist. ad Rom. ap. Ruin. in actis sinc, etc.

(2) Ὀναίμην τῶν θηρίων τῶν ἐμοὶ ἡτοιμασμένων, καὶ εὔχομαι ἕτοιμά μοι εὑρεθῆναι, ἃ καὶ κολακεύσω συντόμως με καταφαγεῖν, οὐχ' ὥσπερ τινῶν δειλαινόμενα οὐχ' ἥψαντο, κἂν αὐτὰ δὲ ἄκοντα μὴ θελήσῃ, ἐγὼ προσβιάσομαι. Euseb. lib. v *Hist. Eccl.*, cap. 16 et seqq.

(1) Epist. 27, al. 23.

(2) Μετὰ δακρύων παρεκάλουν τοὺς ἀδελφοὺς, δεόμενοι ἵνα ἐκτενεῖς εὐχαὶ γένωνται πρὸς τὸ τελειωθῆναι αὐτούς. Lib. V, *Hist. Eccles.*, cap. 2.

Digitized by Google

rum votis similia? Si non illi voci consona, quam e cœlo audivit, Ἰσχυε, καὶ ἀνδρίζου, Πολύκαρπε. « fortis esto, et viriliter age, Polycarpe. » Notissima est etiam illa Romani Cæsareensis Diaconi vox Antiochiæ audita, ποῦ μοι τὸ πῦρ; *Ubinam mihi ignis*? His quæ in Ignatii defensionem Pearsonius affert exemplis, aliud adjiciam præcedentibus non minus insigne ex Actis sinceris sanctorum Montani, Lucii, etc. Damnatis cæteris, Flavianus in carcerem revocatus est, et martyrium ejus dilatum : id ipse non minus quam ejus socii ægre tulerunt; unde Montanus, cum, ut est in Actis, « jam carnifex immineret et gladius super cervicem ejus libratus penderet, expansis ad cœlum manibus, voce clara, ita ut non tantum ad aures plebis, sed et gentiles quoque ipsos sonus voce feriret, oravit rogans et deprecans, ut Flavianus qui per suffragium populi de comitatu eorum remanserat, sequeretur die tertia. » Non alia erant matris ipsius Flaviani affectus et vota, de qua in Actis subjungitur : « Hærebat lateri ejus incomparabilis mater, quæ præter fidem, qua ad patriarchas pertinebat, in hoc etiam se Abrahæ filiam comprobavit, quod filium suum et optabat occidi, et quod interim remansisset, contristabatur intimo dolore. » Ipse autem Flavianus his afflictam matrem verbis consolabatur : « Scis mater merito charissima, ut semper tentaverim si confiteri contigisset, martyrio meo frui, et frequenter catenatus videri, et sæpe differri? Si ergo contigit quod optavi, gloriandum est potius quam dolendum. » Hæc erant martyrum vota quæ si in crimen vocentur, innumeri erunt martyres quibus martyrii corona detrahenda erit.

VI. Major ex altero capite Perpetuæ conflari posset invidia; sed illa etiam, ut dixi, Ignatii exemplo depellitur. Non enim aliud Perpetua fecit, quam quod se facturum scribit Ignatius. Sed quoniam de illius actis et epistolis controversia movetur, alia exempla non desunt quæ plena manu in suas epistolarum *Ignatii* vindicias Pearsonius congessit. In Smyrnensis Ecclesiæ vetustissima epistola repræsentatur Germanicus, quasi nobilis et insignis bestiarius, ἐπισήμως θεριομαχῶν. Quid autem judicio antiquissimæ Ecclesiæ ἐπίσημον, *insigne* aut *nobile*, in ejus martyrio breviter descripto invenitur? Hoc unum unde Perpetua violatæ naturæ legis argui forsitan posset (1) : « Nam cum proconsul flectere eum vellet, diceretque ut suam ipse ætatem miseraretur; ille bestiam ultro ad se attraxit, eique vim intulit. » Hoc enim fecisse narratur, ut martyrium acceleraret : « Cupiens velocius ex injusta et iniqua eorum hominum vita effugere. Inde autem factum est, ut universa multitudo fortitudinem pii ac religiosi generis Christianorum admirata, etc. » Ille igitur Germanicus, quem A ut insignem et nobilem imprimis martyrem proposuit antiqua et celebris Ecclesia Smyrnensis, cujus ob insigne facinus Ethnici ipsi nobilitatem et generositatem christianæ gentis admirati sunt, id erga bestias fecit, quod cum gladiatore Perpetua : ille videlicet, martyrio flagrans, « bestiam ultro ad se attraxit; » hæc autem eodem ardens desiderio, « tirunculi gladiatoris dexteram in suum ipsa jugulum posuerit. » Dionysius Alexandriæ episcopus Apolloniam virginem magnopere laudat, quod cum ipsi verberatis maxillis cuncti dentes excussi, flammæque admotæ essent (1), « celeriter in ignem insiliit, et conflagravit. » Sanctus Hilarius, Enarratione in Psalmum LXV : « Alii enim in vinculis carcerum gloriantur, alii cæsi in verberibus gratulantur, alii potestati B irreligiosorum desecanda felicium capitum colla submittunt; plures in exstructos rogos currunt, et trepidantibus pœnæ ministris ignem saltu devotæ festinationis insiliunt. » Hunc in martyribus patiendi ardorem optime describit sanctus Chrysostomus oratione in Romanum, diabolum ita loquentem introducens (2) : « Prunas substravi, hi autem tamquam ad rosas currebant; ignem accendi, illi autem tanquam in fontes aquarum frigidarum seipsos projiciebant... Et tamquam in sacra pompa choreas agentes, et in viridi prato ludentes, ita tormenta quisque arripuit, non tanquam pœnas, sed velut vernos flores accipientes, et coronati et propriæ alacritatis excessu tormenta mea præripiebant. »

VII. Neque mirum est, aliquos bestias jam paratas C ad suam ipsorum necem provocasse, aut crudelitatis instrumenta in procinctu posita ad accelerandum martyrium ultro adhibuisse; cum certissime constet id quod multo majus est, quam plurimos mortem pro Christi nomine appetivisse, cum in hostium potestate non essent, seipsos indicasse hostesque ipsos ad supplicium infligendum provocasse. De Christianis sui temporis Lucianus in Peregrino (3) : « Miseri homines, a seipsis persuasi fore se integre immortales semperque victuros, mortem contemnunt, multique ultro se ipsos dedunt. » Justinus Martyr fatetur, christianum se factum esse quod ei nemo malus videretur (4) « mortem optare; nedum ut quisquam se ipsum necandum ultro proderet ac deferret, » quod Christiani tunc temporis fecerunt. Tertullianus *ad* D *Scapulam*, cap. 1 : « Cum omni sævitia vestra concertamus, etiam ultro erumpentes, magisque damnati,

(1) Βουλομένου γὰρ τοῦ ἀνθυπάτου, πεῖσαι αὐτὸν, καὶ λέγειν (vel λέγοντος) τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ κατοικτεῖραι, ἑαυτῷ ἐπεστάσατο τὸ θηρίον προσβιασάμενος, τάχιον τοῦ ἀδίκου καὶ ἀνόμου βίου αὐτῶν ἀπαλλαγῆναι βουλόμενος. Ἐκ τούτου οὖν πᾶν τὸ πλῆθος θαυμάσας τὴν γενναιότητα τοῦ θεοφιλοῦς καὶ θεοσεβοῦς γένους τῶν Χριστιανῶν, etc.

(1) Συντόνως ἐπεπήδησεν εἰς τὸ πῦρ, καὶ καταπέφλεκται. Epist. ad Fab. Antioch. apud Euseb. lib. VI, cap. 41.

(2) Ἄνθρακας ὑπεστόρεσα, οἱ δὲ ὡς ἐπὶ ῥόδα ἔτρεχον. Πῦρ ἀνῆφα, οἱ δὲ ὡς εἰς πηγὰς ὑδάτων ψυχρῶν ἑαυτοὺς ἔῤῥιψαν..... καὶ ὥσπερ ἐν ἱερᾷ πομπῇ χορεύοντες, καὶ ἐν λειμῶνι παίζοντες χλοερῷ, αὐτῷ τὰς τιμωρίας ἕκαστος ἥρπαζον, ἀλλ' ὡς ἄνθη λαμβάνοντες ἁβρινὰ, καὶ στεφανούμενοι, καὶ τῇ τῆς οἰκείας προθυμίας ὑπερβολῇ τὰς ἐμ ε προτεθαν τιμωρίας.

(3) Πεπείκασι γὰρ αὐτοὺς οἱ κακοδαίμονες τὸ μὲν ὅλον ἔσεσθαι καὶ βιώσεσθαι τὸν ἀεὶ χρόνον· παρ' ὃ καὶ καταῤῥονοῦσι τοῦ θανάτου, καὶ ἑκόντες αὐτοὺς ἐπιδιδόασιν οἱ πολλοί.

(4) Θάνατον ἀσπάζεσθαι, οὐχ' ὅτι ἑαυτὸν κατήγγελλε φονευθησόμενον.

Digitized by Google

quam absoluti gaudemus. » Et cap. 4 : « Vide tantum, ne hoc ipso, quod talia sustinemus, ad hoc solum videamus erumpere, ut hoc ipsum probemus, nos hæc non timere, sed ultro vocare. Arius Antoninus in Asia cum persequeretur instanter, omnes illius civitatis Christiani ante tribunalia se, manu facta, obtulerunt, cum ille, paucis duci jussis, reliquis ait : Ὦ δειλοί, εἰ θέλετε ἀποθνῃσκειν, κρημνοὺς ἢ βρόχους ἔχετε. Hoc si placuerit et hic fieri, quid facies de tantis millibus hominum, tot viris et fœminis omnis sexus, omnis ætatis, omnis dignitatis, offerentibus se tibi ? » De nona persecutione Sulpicius : « Certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoque avidius tum martyria gloriosis mortibus quærebantur, quam nunc episcopatus pronis ambitionibus appetuntur. » Idem, epist. XI de B. Martino : « Quid si ei Neronianis, Decianisque temporibus in illa quæ tunc exstitit, dimicare congressione licuisset, testor Deum cœli atque terræ, sponte equuleum ascendisset, ultro se ignibus intulisset. . . . Si vero gentium doctoris exemplo gladio deputatus inter alias, ut sæpe provenit, victimas dueeretur, primus omnium carnifice compulso, palmam sanguinis occupasset. » Sanctus Joannes Chrysostomus observat sub imperio Juliani (1) omnem ætatem et utrumque sexum ad mortem pro vera religione subeundam exilientem. » Hanc rationem reddit, cur Julianus Apostata apertam contra Christianos persecutionem moliri noluerit (2). « Novit enim, aperte novit, quod si hoc auderet ille, omnes pro Christo animas suas prodidissent : Omnes enim, inquit, ut ad favum apes, ad martyrium convolabant. »

Neque vero tantum fortia locuti sunt antiquæ Ecclesiæ Christiani, sed et fecere et passi sunt. Celebre imprimis fuit nomen Phocæ martyris, qui cum lictores forte hospitio accepisset, qui narrabant missos se ad interficiendum Phocam, promisit die crastino se illis Phocam ostensurum, et loco ad sepulturam prius præparato, adstans, eis dixit : « Ego ille Phocas. » Illi cum jam hæsitarent, animos eis, ut ipsum interficerent, exhortatione addebat (3) : « Dixit, persuasit, passus est, ac capite truncatus, grata Deo hostia oblatus est; » ut loquitur Asterius Amasenus Epiphanio synchorus. Sub Valeriani persecutione Priscus, Malchus et Alexander, seipsos invicem insimulabant tamquam ignavos et desides, quod occasione oblata adhuc cessassent, μὴ οὐχ' ποσαρπάζοντες τὸν τοῦ μαρτυρίου στέφανον, « nec martyrii coronam præripuissent. » Quare judicem adorti, ad bestias condemnati, θείῳ κατεκοσμήθησαν μαρτυρίῳ, « divino martyrio coronati sunt, » ut narrat Eusebius lib. VII, cap. 12. Romanus Cæsareensis diaconus videns multos sacrificantes, ζήλῳ θεοσεβείας πρόσεισι, « zelo divini cultus ipsum incitante, propius accessit, » et contenta voce inclamans eos objurgavit, judici vim fecit, et ob audaciam comprehensus (1) « generoso, si quis alius, martyrio decoratus est. » Quin etiam Appianus, fervente persecutione, clam omnibus in eadem domo degentibus, et militum etiam cohorte, Urbani præsidis dextra apprehensa, sacrificium omittere coegit et gravissimis tormentis sese dedens, passus est. Id autem Eusebius, illi familiaris, eum fecisse judicavit (2), « divina virtute ad hoc ipsum impellente, ac tantum non per hoc facinus inclamante, etc. » qui et Ædesium idem quod a fratre factum est, facere conatum, eodem modo passum narrat. Longum esset omnes recensere, quos Eusebius aliique, se ultro et de industria martyrio obtulisse commemorant. Hæc Pearsonius pro Ignatio, quæ in nostros martyres quam bene conveniant nemo non videt.

VIII. Sed tot ab ipso commemoratis adjungendum omnino existimo insigne illud et audax Andronici, et Tarachi facinus, quorum alter ursum, alter leænam divina virtute mansuefactos, ad se devorandum, ut in eorum actis legitur, incitarunt (3). « Dimiserunt ursum pessimum, quem dicebant ipsa die tres homines occidisse. Et appropinquavit ad corpora sanctorum, et nullum corpus contaminavit. Et cum transisset, venit ad sanctum Andronicum, et sedens lingebat vulnera ejus ; sanctus vero Andronicus posuit caput suum super ursum, et instigabat eum ut irasceretur, et celerius redderet spiritum. Ursus autem quasi mansuetus subito factus est. » Et paulo post : « Et cum exisset (leæna) vidit corpora sanctorum projecta, et venit ad beatum Tarachum, deposuit se ante pedes ejus, quasi eum adorans. Sanctus autem Tarachus trahebat manu eam ad se ut irasceretur bestia, et celerius consummaretur. Leæna autem sicut ovis, etc. » Præter naturalem legem qua nobis mortem, aut accersere, aut accelerare vetamur, accedere etiam videbatur manifestum divinæ voluntatis indicium, quæ immanissimas bestias, ne sanctos læderent, mansuefaciebat. At sancti martyres nihil horum cogitantes, et sola mar-

(1) Πᾶσαν ἡλικίαν ἀτλῶς καὶ φύσιν ἑκατέρων πηδῶσαν ἐπὶ τὰς ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας σφαγάς.

(2) Ἤδει γὰρ, ἤδη, σαφῶς, ὅτι τοῦτο τολμήσαντες αὐτοῦ, πάντες ἂν ὑπὲρ τοῦ Χριστοῦ τὰς ἑαυτῶν προῦδωκαν ψυχάς. Πάντες γὰρ, φησὶν, ὡς ἐπὶ κηρίον μέλιτται ἤξουσιν, ὡς ἐπὶ μαρτύριον πετόμενοι.

(3) Εἶπεν, ἔπεισεν, ἔπαθεν, καὶ τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθεὶς ἱερεῖον τῷ θεῷ κεχαρισμένον προσήχθη

(1) Γενναιότατος, εἴ καί τις ἄλλος, ἀποδέδεικται μάρτυς τῆς ἀληθείας. Euseb. *de martyrib. Palæstin.*, cap. 2.

(2) Τῆς ἐπὶ τοῦτ' αὐτὸν προαγούσης ἐνθέου δυνάμεως ἀσυνειχὶ βούσης διὰ τοῦ γενομένου, etc. Ibid., cap. 4.

(3) Ἀνδροφόνον ἀπολύει ἄρκτον, ὡς τινες ἔλεγον ὑπ' αὐτῆς τρεῖς ἄνδρας ἐν ἑνὶ τῇ ἡμέρᾳ ἀναιρεῖσθαι· καὶ αὐτὴ δὲ ἀπολυθεῖσα ἐγγύς τε αὐτῶν γενομένη, τῶν μὲν λοιπῶν σωμάτων διεβᾶσα. ἐπέδραμε τῷ ἁγίῳ μάρτυρι Ἀνδρονίκῳ κἀκεῖθεν παρακαθισθεῖσα τὸν ἰχῶρα τῶν τραυμάτων ἀπέλειχεν..... Ὁ δὲ ἅγιος Ἀνδρόνικος προσθεὶς τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, ἐξεβιάζετο θυμῶσαι τὸ θηρίον ὅπως ἁρπάσωσιν αὐτοῦ, τοῦ ζῆν ἀπολλάξῃ· ἡ δὲ ἄρκτος παραμείνασα συναπέπτη τῷ ἁγίῳ... ... Ἡ δὲ (λέαινα), ὡς εἶδε τὰ ἅγια σώματα ἐῤῥιμμένα. ἔρχεται πρὸς τὸν μακάριον Τάραχον, καὶ κύψασα τοῖς ποσὶν αὐτοῦ προσεύνησεν· ὁ δὲ ὅσιος Τάραχος τὴν χεῖρα ἐκτείνας καὶ τῶν τριχῶν καὶ τῶν ὤτων αὐτῆς ἁψάμενος, ἐφείλκετο πρὸς αὐτόν· ἡ δὲ ὥσπερ πρόβατον ἑλκόμενον, etc. Ap. Ruin. in *Actis sinceris prim. martyr.*

Digitized by Google

tyrii cupiditate flagrantes, in mortem (si ita loqui fas est) præcipites ferebantur; ad quam eos divino Spiritu intus inspirante, anhelasse, vel ex miraculo constat. Cum enim nemini liceat in suam perniciem nisi Deo jubente, grassari; temerarium et audax facinus numquam Deus miraculis comprobasset, nisi fuisset ejus auctoritate susceptum. Eodem Spiritu et illos actos fuisse, qui se ipsos ultro tyrannis obtulerunt, vel, majori quam debuissent libertate utentes, ad sæviendum magis magisque inflammarunt, et eorum postea memoriam inter sanctos martyres semper coluit Ecclesia, pro certo tenendum est, nisi innumeros martyres e sacris fastis expungere, nostro arbitratu velimus. In horum numero martyrum jam inde ab initio, et non interrupta postmodum tot sæculorum serie Perpetua locum habuit. Unde quod jugulum gladiatori præstiterit, et errantem gladium sibi attemperarit, vitio illi dandum non est, sed ad divinum, quo intus agebatur, Spiritum præclarum facinus referendum. Aliquo enim spiritu actam fuisse Perpetuam, sine controversia est. Quæritur tantum, bonone an malo spiritu duceretur. Sed cum in ejus actibus nihil animadversione dignum occurrat, sed omnia potius cum sapientia, et cum virtute gesta; quin inhabitantem in suo pectore Spiritum sanctum habuerit visionum suarum ac revelationum auctorem, eoque propterea intus impellente, ad martyrium properasse, dubitandum non esse videtur.

IX. Sed ut omnis hac de re ambigendi de medio ratio tollatur, non solum generatim, quod hactenus fecimus, Perpetuæ sociorumque martyrum virtutes inspici volo, sed ad eas præsertim animum advertere, quæ inhabitantis in ea spiritus et visionum ac revelationum ejus fructus exstiterunt. Si enim ex fructibus qualis sit arbor agnoscitur, ex fructibus utique qualis in Perpetua fuerit spiritus, deprehendemus. Hujus spiritus magisterio cum baptizaretur, edocta *didicit*, nihil aliud christiano expetendum quam patientiam tolerantiamque passionum: « In ipso spatio paucorum dierum baptizati sumus; mihi autem Spiritus dictavit, nihil aliud petendum in aqua, nisi sufferentiam carnis. » Quodnam isto certius boni ac divini Spiritus argumentum? Non id certe suus, fortassis etiam cum baptizaretur, Montanum spiritus docuit, ut quem a baptismo recentem impotenti ambitione, et immoderata primi loci cupiditate æstuasse, narrat Asterius (1): « Vicus quidam esse dicitur in Mysia contermina Phrygiæ, nomine Ardaba: In quo aiunt Montanum quemdam ex iis qui fidelium numero recens adscripti fuerant, immodica primi loci cupiditate captum primum sub Grato Asiæ pro-

(1) Κώμη τις εἶναι λέγεται ἐν τῇ κατὰ τὴν Φρυγίαν Μυσίᾳ καλουμένῃ Ἀρδαβάν τοὔνομα· ἔνθα φασί τινα τῶν νεοπίστων πρώτως, Μοντανὸν τοὔνομά, κατὰ Γράτον Ἀσίας ἀνθύπατον, ἐν ἐπιθυμίᾳ ψυχῆς ἀμέτρῳ φιλοπρωτείας δόντα πάροδον εἰς ἑαυτὸν τῷ ἀντικειμένῳ πνεύματι, προφητεύειν τε καὶ σφᾶς ἰδίως ἐν κατοχῇ τινι καὶ παρεκστάσει γενόμενον, ἐνθουσιᾶν· ἄρξασθαί τε λαλεῖν καὶ ξενοφωνεῖν. Apud Eusebium, libro quinto *Hist. Eccles.*, cap. 16.

A consule, aditum in se adversario spiritui præbuisse et dæmone repletum subiti quodam furore ac mentis excessu concuti cœpisse, et nova quædam atque inaudita proloqui, etc. » Ait quidem de suo Paracleto Tertullianus (1): *exhortatorem* ipsum fuisse « *omnium tolerantiarum;* » sed nos hic non verborum folia quærimus, sed operum fructus. Quæ in montanistis quantum inter se invicem discreparent, vel ex hoc Tertulliani loco cum alio Apollonii collato manifestissime liquet. Sic enim Tertullianus: « Et ideo Paracletus necessarius deductor omnium veritatum, exhortator omnium tolerantiarum: quem qui receperunt, neque fugere persecutionem neque redimere noverunt, habentes ipsum, qui pro nobis erit, sicut locuturus in interrogatione ita juvaturus in passione. »

B Quid vero de primariis Montani discipulis et illius sectæ, ut se jactabant, martyribus, Themisone et Alexandro Apollonius? Annon his omnino contraria apud Eusebium memoriæ prodidit? Et paulo post, inquit Eusebius (2), de quodam ex eorum numero qui confessores apud ipsos habentur, hæc dicit: « Præterea Themison speciosa avaritia obvelatus, qui confessionis signum non pertulit, sed magna pecuniæ vi erogata vincula abjecit: cum ob eam causam modestius deinceps ac submissius agere deberet, tamquam martyr sese efferens, etc..... Quod vero ad Alexandrum pertinet, ut veritas omnibus nosse cupientibus innotescat, judicatus est ab Æmilio Frontino Asiæ proconsule, non ob nomen Christi, sed ob ea quæ perpetraverat latrocinia, cum jam

C desertor fidei esset. Deinde vero mentitus nomen Christi, dimissus est, cum urbis illius fideles fefellisset. Ecclesia vero ejus loci, unde erat oriundus, ipsum non recepit, eo quod latrocinia exerceret. Si qui vero totum illius negotium scire desiderant, præsto est publicum Asiæ tabularium. » Hi sunt montanisticæ sectæ martyres et confessores; hi sunt quibus Paracletus suum afflaverat spiritum, quos Tertullianus buccis inflatis prædicat, neque persecutionem fugere novisse, neque redimere. Ab hac etiam passionum tolerantia prophetissis suis suggerenda Priscæ (seu Priscillæ) et Maximillæ spiritus quam longissime aberat, de quibus idem audiendus Apollonius qui, ut est apud Eusebium (3), de Mon-

D (1) Lib. *de Fuga in persecut in fine.*

(2) Αὗτις δὲ ὑποκαταβὰς περί τινος τῶν κατ' αὐτοὺς ὁμολογητῶν ταῦτά φησιν· Ἔτι δὲ καὶ Θεμίσων ὁ τὴν ἀξιόπιστον πλεονεξίαν ἠμφιεσμένος, ὁ μὴ βαστάσας τὴν ὁμολογίας τὸ σημεῖον, ἀλλὰ πλήθει χρημάτων ἀποθέμενος τὰ δεσμὰ· δίδου ἐπὶ τοῦτο ταπεινοφρονεῖν, ὡς μάρτυς καυχώμενος, etc..... Ἵνα δὲ τοῖς βουλομένοις τὰ κατὰ Ἀλέξανδρον ἢ γνώρισμα, κέκριται ὑπὸ Αἰμιλίου Φροντίνου ἀνθυπάτου ἐν Ἐφέσῳ οὐ διὰ τὸ ὄνομα, ἀλλὰ δι' ἃς ἐτόλμησε λῃστείας, ὧν ἦδη παρσβάτης· εἶτα ἐπιψευσάμενος τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου, ἀπολέλυται πλανήσας τοὺς ἐκεῖ πιστούς· καὶ ἡ ἰδία παροικία αὐτοῦ ὅθεν ἦν οὐκ ἐδέξατο, διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν λῃστήν· καὶ οἱ θέλοντες μαθεῖν τὰ κατ' αὐτὸν, ἔχουσι τὸ τῆς Ἀσίας δημόσιον ἀρχεῖον. Lib. v, *Hist. Eccles.*, cap. 18.

(3) Περὶ τῶν προφητίδων δὲ αὐτοῦ (Μοντανοῦ) ὑποκαταβὰς οὕτω γράφει· Δείκνυμεν οὖν αὐτὰς πρώτας τὰς προφητίδας ταύτας, ἀφ' οὗ τοῦ πνεύματος ἐπληρώθησαν, τοὺς ἄνδρας καταλιποῦσας· πῶς οὖν ψεύδονται, Πρίσκαν παρθέ-

Digitized by Google

tani prophetissis loquitur in hunc modum : « Ostendimus igitur, inquit, has principes prophetissas, simul ac Spiritu impletæ sunt, viros suos dimisisse. Quantopere ergo mentiebantur, qui Priscam virginem vocabant! » Deinde subjungit hæc verba : « Non tibi videtur Scriptura universa prohibere, ne propheta munera, et pecunias accipiat? Cum igitur videam prophetissam aurum et argentum, vestesque pretiosas accepisse, quomodo eam non repudiabo? » Hi reapse erant montanistici Spiritus fructus, non quos Tertullianus ambitiosis inflatisque verbis mentitur.

X. Sed est ad Perpetuam sociosque martyres redeundum. Ejus visionis qua sibi mortem imminere Perpetua et Saturus intellexerunt, et de qua Basnagius tantopere cavillatur, fructus exstitit martyrii candidatis, quo expeditiores ad Deum pergant, adeo necessarium, rerum omnium humanarum fastidium : « Intelleximus, inquit, passionem esse futuram, et cœpimus nullam jam spem in sæculo habere. » Ex altera visione qua Dinocratem in pœnis vidit, id boni profluxit, quod mira in Deum fiducia prædita, tamdiu Perpetua cœlum votis et lacrymis fatigavit, quamdiu fratrem pœnis eximere, et in requiem transferre promeruit : « Confidebam profuturam orationem meam labori ejus, et orabam pro eo omnibus diebus, quousque transivimus in carcerem castrensem..... et feci pro illo orationem die et nocte, gemens et lacrymans ut mihi donaretur. » Suam Saturus quoque visionem vidit, et propria manu litteris consignavit, quæ pariter sine fructu non exstitit, et divini Spiritus testimoniis. Per eam Optatum inter et Aspasium gratia componitur. Monetur Optatus ut plebem corrigat, ejusque mores componat. Saturus expergiscitur, et de futura passione gaudet. Quo tempore a ferocissima vacca Perpetua in amphitheatro vexata est, in exstasi fuit : expergefacta pudoris potius meminit quam doloris, et pro socia magis quam pro se ipsa sollicita, « elisam Felicitatem cum vidisset, accessit et manum ei tradidit, et sublevavit illam. » His denique verbis quibus nulla magis fortissimam martyrem sanctissimamque decebant, fratrem allocuta est : « In fide state, et invicem omnes diligite; et passionibus nostris ne scandalizemini. » Si, uti sæpius dictum est, ut ex fructibus naturam arboris, ita ex visionum et revelationum fructu quo propheta fuerit Spiritu afflatus, agnoscere ac dijudicare debemus : quis amplius dubitabit, Spiritu Sancto plenam fuisse Perpetuam; eumque divinum Spiritum caussam illi uberemque fontem exstitisse cælestium revelationum? Malignus enim spiritus non has illi visiones immisisset, ex quibus ad martyrii tolerantiam, ad sæculi contemptum, et ad omnium christianarum virtutum actus inflammata plurimum est; ex quibus fidei, spei, charitatis, religionis, modestiæ, patientiæ seges amplissima germinavit, ex quibus nihil non sanctum profluxit, nihil denique quod cum Ecclesiæ utilitate conjunctum omnino non esset. « Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona bonos fructus facit; mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere : neque arbor mala bonos fructus facere » ( *Matth., cap.* VII, *v.* 16, *et seqq.*)

## CAPUT VII.

PERPETUAM SOCIOSQUE MARTYRES PROPHETICO FUISSE SPIRITU AFFLATOS, EX VATICINIORUM EVENTIS, ET MIRACULIS DEMONSTRATUR. EORUM DOCTRINAM, ET CONVERSATIONEM FUISSE A MONTANISTARUM DOGMATIS ET INSTITUTIS PERQUAM ALIENAS.

I. *Perpetuæ revelationibus eventus in omnibus et ad amussim responderunt.*

II. *De miraculis quæ in nostrorum martyrum Actis referuntur.*

III. *Non modo martyrum, sed aliorum quoque fidelium animas Perpetuam et Saturum in Paradiso vidisse.*

IV. *Cum catholicis martyribus communicasse.*

V. *Dinocratis animam in æternam gloriam Perpetuæ precibus fuisse translatam.*

VI. *Optatum episcopum in Actis memoratum catholicis præfuisse. Nullum id temporis fuisse Carthagine Montanistarum episcopum.*

VII. *Nostrorum martyrum in carcere victus communis et usitatus et a Montanistarum de jejunio legibus maxime abhorrens.*

VIII. *De catholicæ Ecclesiæ in suis alendis fovendisque confessoribus sollicitudine.*

IX. *Catholicos martyres paratum sibi fidelium pietate cibum, imo et delicias, neutiquam respuisse.*

X. *Disputationis ἀνακεφαλαίωσις.*

I. Post mores prophetarum eorumque visionum fructus, ex quibus maximum semper in hisce controversiis præjudicium exstitit; ex oraculorum eventu prima prophetici Spiritus nascitur conjectura. Nam si affectu oracula careant, illico animum dubitatio subit, num prophetæ mentem Spiritus Sanctus afflaverit, an potius aut maligni Spiritus seductio, aut humani sensus deceptio fuerit. Sæpius memoratus Asterius Maximillæ spiritum hoc potissimum argumento falsitatis convincit, quod non responderit vaticiniis effectus. Etenim cum illa post suum obitum bella et tumultus imminere prædixisset, diuturnam pacem cum imperium obtinuit tum christiana respublica. In eodem quoque libro, inquit Eusebius de Asterii adversus Montanistas lucubrationibus loquens (1) « postquam

ἀποκαλοῦντες; εἶτ' ἐπιφέρει λέγων· Δοκεῖ σοι πᾶσα γραφὴ κωλύειν προφήτην λαμβανεῖν δῶρα καὶ χρήματα; ὅταν οὖν ἴδω τὴν προφῆτιν εἰληφυῖαν καὶ χρυσὸν καὶ ἄργυρον καὶ πολυτελεῖς ἐσθῆτας, πῶς αὐτὴν οὐ ταραττόμαι; Ubi supra.

(1) Ἐν ταὐτῷ δὲ πάλιν, ἕτερα μεταξὺ πρὸς ἔλεγχον τῶν τῆς Μαξιμίλλης ψευδοπροφητειῶν εἰπών, ὁμοῦ τόν τε χρόνον, καθ' ὃν ταῦτ' ἔγραφε σημαίνει, καὶ τῶν προρρήσεων αὐτῆς μέμνηται, δι' ὧν καὶ τὴν ψευδολογίαν ἐνθύνει ὧδε λέγων· « Καὶ πῶς οὐ καταφανὲς ἤδη γέγονε καὶ τοῦτο τὸ ψεῦδος, πλείω γὰρ ἢ τρισκαίδεκα ἔτη εἰς ταύτην τὴν ἡμέραν, ἐξ οὗ τετελεύτηκεν ἡ γυνή, καὶ οὔτε μερικὸς, οὔτε καθολικὸς κόσμῳ γέγονε πόλεμος· ἀλλὰ καὶ Χριστιανοῖς μᾶλλον εἰρήνη διαμένουσα ἐξ

Digitized by Google

nonnulla ad falsam illam Maximillæ prophetiam convincendam interseruit, tum tempus ipsum quo hæc scripta sunt designat, tum mulieris illius vaticinia commemorat, quibus bella et tumultus imminere prædixerat. Quorum quidem vaticiniorum falsitatem convincit his verbis : « Nonne, inquit, etiam hoc mendacium omnibus manifestum apparuit? Etenim ab obitu Maximillæ usque in hunc diem plusquam tredecim anni jam elapsi sunt : nec tamen ullum aut particulare bellum, aut universale in terris fuit. Imo Christianis præcipua quadam misericordia pax stabilis et firma permansit. » Atque hæc in secundo leguntur libro. Contra vero Ecclesia Smyrnensis Polycarpum (1), « doctorem apostolicum et propheticum fuisse, » inde demonstrat, quod « omne verbum, quod ex ore suo emisit, aut impletum esset, aut expectaretur implendum. » Eodem et nos argumento martyres nostros prophetico perfusos fuisse, spiritu demonstrabimus. Siquidem quidquid eis revelatum est, et omne verbum quod ex ore suo emiserunt ἐτελειώθη, *impletum est*, quamquam ex eorum genere essent, quorum prænotio ad divinam tantum sapientiam pertinet, cujus modi sunt futura contingentia, ea præsertim quæ ex libera ipsius Dei aut hominum voluntate dependent. Cum adhuc in incerto res versaretur an passio futura esset, an commeatus, passionem esse futuram Perpetua priore sua revelatione intellexit; et passio reapse secuta est. Nec solum passi sunt martyres; sed eo etiam ordine, quo illos Perpetua passuros esse prævidit : Saturum enim priorem scalam adscendere Perpetua conspexit; prior autem reipsa, ut passionis auctor observat, martyrium Saturus consummavit : « Saturus, qui et prior scalam adscenderat, prior reddidit spiritum. Nam et Perpetuam sustinebat. » Hilarianus procurator universos jam pronuntiaverat et damnarat ad bestias, cum altera, sancta eadem Perpetua, revelatione cognovit, *se non ad bestias*, ut ait, *sed contra diabolum pugnaturam;* id est, supremum sibi durissimumque certamen adversus bestias non fore; sed adversus diabolum quocum sibi visa fuerat in arena luctari. Res ut prævisa est, ita evenit : bestiis objecta, nullum ab eis dolorem experta est; sed acerbissimum sustinuit, cum a gladiatore *inter costas puncta exulnlavit :* cui postea jugulum præbens de diabolo triumphavit, qui eam fuerat gladiatoris opera adortus. Nunc illud quæro, an Basnagius hasce revelationes Perpetuam, ut in Actis dicitur, manu sua scripsisse concedat, an prorsus neget? Si enim a Perpetua scriptas fuisse non credit, quæ causa est cur non in auctorem passionis, velut in impostorem, id omne rejiciat, quod ejus animum offendit? Non autem sanctos ipsos martyres ob ea, quæ illis aliena fraude tributa sunt, crimineturi. Si autem revelationes suas Perpetuam in litteras misisse concedit; cum eas rerum postea gestarum eventis confirmatas fuisse videat : quæ causa est cur earum auctorem fuisse Spiritum sanctum in dubium revocet? Nec solum Perpetuam, sed cæteros quoque ejusdem agonis commilitones prophetico lumine fuisse collustratos, eodem argumento facile demonstratur. Quod enim unusquisque certaminis genus optaverat, et futurum esse forte præsenserat, consecutus est. Qua de re audiendus Actorum scriptor : « Sed qui dixerat : *Petite, et accipietis;* petentibus dedit eum exitum quem quisque desideraverat. Nam si quando inter se de martyrii sui voto sermocinabantur; Saturninus quidem omnibus bestiis velle se objici profitebatur : ut scilicet gloriosiorem gestaret coronam. Itaque in commissione spectaculi, ipse et Revocatus leopardum experti, etiam super pulpitum ab urso vexati sunt. Saturus autem nihil magis quam ursum abominabatur : sed uno morsu leopardi confici se jam præsumebat. Itaque cum aper subministraretur, venator potius qui illum aprum subministraverat, subfossus ab eadem bestia, post dies muneris obiit. Saturus solummodo tractus est. Et cum ad ursum substrictus esset in ponte, ursus de cavea prodire noluit. Itaque secundo Saturus illæsus revocatur. » Hæc autem martyrum non qualiacumque fuisse vota, sed vota, ut ita dixerim, prophetica, quæ non multo post subjungit, Saturi verba aperte demonstrant : « Item Saturus in alia porta militem Pudentem exhortabatur dicens : Adsum, certe sicut promisi et prædixi : nullam neque adhuc bestiam sensi; et nunc de toto corde credas. Ecce prodeo illo, et ab uno morsu leopardi consumor. » Vaticinio respondit eventus; ut enim passionis auctor subjungit : « Statim in fine spectaculi leopardo objectus, de uno morsu ejus tanto perfusus est sanguine, ut populus revertenti illi secundi baptismatis testimonium reclamaverit : Salvum lotum! salvum lotum! Plane utique salvus erat, qui hoc spectaculo inclaruerat. » Sed et quamvis nihil hic propheticum intervenisset; quis tamen ad miram illam erga martyres, et ad eorum vota suscipienda Dei providentiam animum advertens, non statim intelligit quam Deo placita fuerit eorum confessio, adeoque et eorum fides? Cum, ut ait Apostolus, *sine fide impossibile sit placere Deo.*

II. Est et aliud magni sane ponderis argumentum, ex quo prophetis maxima accedit auctoritas, et ex miraculis conficitur, quæ vel per ipsos aut pro ipsis ipsa per se divina omnipotentia demonstravit. Hæc autem, quibus nulla sunt martyrum Acta quæ non abundent, nostris quoque martyribus non defuerunt, ut vel ex modo dictis jam constat. Non enim absque miraculo factum est, ut aper in Saturum immissus, in ipsum potius venatorem iras et impetum verteret : et quod ursus in eumdem incitatus de cavea prodire noluerit. Et est hic minus, quam ubi de visionibus agunt, de Actorum fide dubitandum, cum res in propatulo et in medio amphitheatro gestas referant, quas nemo illorum temporum scriptor, vel impudentissimus confingere ausus fuisset. Est et illud inter miracula computandum, quod a ferocissima vacca Perpetua

ἀλέους Θεοῦ. » καὶ ταῦτα δὲ ἐκ τοῦ δευτέρου συγγράμματος. Lib. v *Hist. Eccles.*, cap. 16.

(1) Διδάσκαλος ἀποστολικὸς καὶ προφητικὸς.... πᾶν γὰρ ῥῆμα ὃ ἐξαφῆκεν ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ, καὶ ἐτελειώθη, καὶ τελειωθήσεται. Epist. Encycl. de Polycarpi martyrio.

Digitized by Google

cum vexaretur, adeo in extasi fuerit, ut nullum doloris sensum experta sit. Unde quod jam evenerat, « non prius credidit, nisi quasdam notas vexationis in corpore et habitu suo recognovisset. » Est et hoc palam et in media arena et stupentibus omnibus gestum. Neque res tam mira, ne forte illam Basnagius in Montanismi suspicionem trahat, in aliis martyribus ab omni id genus suspicione liberis, exemplo vacat. Geminus omnino est huic Actorum nostrorum loco alter de beata Blandina in Epistola Lugdunensium, ubi narrant quomodo et ipsa (1) « reticulo inclusa, tauro objecta est : a quo diu in altum jactata, nihil jam eorum quæ fiebant, penitus sentiens, tum ob spem et comprehensionem eorum quæ credebat bonorum, tum ob familiarem congressum, quem cum Christo in oratione habebat, tandem et ipsa victimæ instar jugulata est. Adempti etiam in pœnis doloris sensus insigne habemus exemplum in eadem Blandina, quæ, ut est in laudata epistola Lugdunensium (2), « instar generosi cujusdam athletæ, in ipsa confessione vires atque animos resumebat. Eratque ei refectio et quies, sensumque omnem præsentis doloris adimebat prolatio horum verborum : Christiana sum, et nihil apud nos mali geritur. » Non minus insigne illud quod de Theodoro in ecclesiasticis historiis (3) memoriæ proditum est. Jussu enim Salustii prætorio sub Juliano præfecti, diu et crudelissime tortus, læto inter tormenta et sereno vultu illum psalmi versiculum iterabat : « Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, et qui confidunt in simulacris suis. » « Hunc Theodorum, » inquit Rufinus, « ipsi nos postmodum apud Antiochiam vidimus, et cum requireremus ab eo si sensum doloris habuisset, ex integro dicebat : dolores se quidem parum sensisse; adstitisse autem quemdam juvenem, qui sudanti sibi linteo candidissimo et sudores extergeret, et aquam frigidam frequenter infunderet : et ita esse delectatum ut tunc mœstior factus sit quando deponi de equuleo jussus est. » Denique sanctus Flavianus, cujus supra mentio non semel facta est, hanc ipse suam revelationem narrat (4) : « Cum adhuc episcopus noster solus passus fuisset, ostensum est mihi hoc, quasi Cyprianum ipsum interrogarem, an pati ictus doleret; scilicet martyr futurus, de passionis tolerantia consulebam, qui mihi respondit, et dixit : Alia caro patitur, cum animus in cœlo est. Nequaquam corpus hoc sentit, cum se Deo tota mens devovit. Quibus sancti Martyris verbis hæc adjicit Actorum compilator : « O verba martyris martyrem cohortantis! Negavit esse in passionis ictu dolorem ut qui et ipse habebat occidi, animari constantius posset, quod nec parvum sensum doloris in passionis ictu timeret. » In cœlo Perpetuæ non minus quam Cypriani fuisse animum, cum bestiis objecta, et ab eis vexata, nullo doloris sensu affecta est, sanctus Augustinus sibi facile persuasit, qui hunc Actorum locum his verbis illustrat (1) : « Ubi erat illa femina, quando ad asperrimam vaccam se pugnare non sensit, et quando futurum esset quod jam fuerat, inquisivit? Ubi erat? Quid videns ista non viderat? Quo fruens ista non senserat? quo amore alienata, quo spectaculo avocata, quo poculo inebriata, etc., ? »

Inter miracula etiam referri debet immaturus Felicitatis partus. Quamvis enim feminam acerbum fœtum emittere, miraculum absolute non sit; circumstantiæ tamen cum quibus Felicitatis partus conjunctus fuit, ipsum ex speciali Dei providentia, et non secundum communes et ordinarias naturæ leges exstitisse plane suadent. Nam statim post orationem quam martyres ad Deum fuderant ut partum acceleraret, « dolores eam invaserunt. » Qua de re audiendus laudatus idem sanctus Augustinus (2) : « Denique editus est partus immaturo mense maturus. Actum est enim divinitus, ut non suo tempore onus uteri poneretur, ne suo tempore honor martyrii differretur. Actum est, inquam, divinitus, ut indebito die festus ederetur dum tamen tanto comitatui debita Felicitas redderetur, etc. »

Denique sine miraculo factum non esse videtur, ut cum pater, ultra modum iratus, infantem Perpetuæ reddere noluisset, ut apud illam, sicut antea, in carcere permaneret, et ab ea lactaretur, nullus aut ex lactis subtractione puerum, aut ex mammarum fervore matrem dolor invaderet : « Tunc quia consueverat a me infans mammas accipere et mecum in carcere manere, statim mitto ad patrem Pomponium Diaconum, postulans infantem; sed pater dare noluit, et quomodo Deus voluit, neque ille amplius mammas desideravit; neque mihi fervorem fecerunt, ne sollicitudine infantis, et dolore mammarum macerarer. » Quæ sane omnia si quis pro veris miraculis habere nolit; illud saltem fateatur necesse est, specialem hinc ostendi divinæ bonitatis erga suos martyres providentiam. De rerum autem gestarum fide, ipsa narrationis simplicitas quæ potissimum in Perpetuæ verbis elucet, dubitare non sinit.

III. Argumenta quæ hactenus prosecuti sumus, generatim ostendunt, Perpetuæ sociisque martyribus propheticum spiritum neutiquam defuisse : quæ modo subjiciam aperte demonstrant, quam longissime a Montanistarum doctrinis et institutis sanctos eosdem martyres abfuisse. Montanistarum sententia fuit, ut ex Tertulliano sæpius dictum est, solos ante diem judicii solemnis in cœlum martyres recipi. Quam opi-

(1) Τοῦσχατον εἰς γύργαθον βληθεῖσα ταύρῳ παρεβλήθη· καὶ ἱκανῶς ἀναβηθεῖσα πρὸς τοῦ ζώου, μὴ δὲ αἴσθησιν ἔτι τῶν συμβαινόντων ἔχουσα διὰ τὴν ἐλπίδα καὶ ἐποχὴν τῶν πεπιστευμένων, καὶ ὁμιλίαν πρὸς Χριστόν, ἐτύθη καὶ αὐτή.

(2) Ἀλλ' ἡ μακαρία ὡς γενναῖος ἀθλητὴς ἀνενίαζεν ἐν τῇ ὁμολογίᾳ, καὶ ἡ αὐτῆς ἀνάληψις, καὶ ἀνάπαυσις καὶ ἀναλγησία τῶν συμβαινόντων, τὸ λέγειν ὅτι Χριστιανή εἰμι· καὶ παρ' ἡμῖν οὐδὲν ῥαῦλον γίνεται.

(3) Rufin. lib. x *Hist. Eccles.*, cap. 36. Sanctus Augustinus, lib. xviii, *de Civitate Dei*, cap. 52. Socrates, lib. iii *Hist. Eccles.*, cap. 18 et 19. Sozomenus, lib. v, cap. 19 et 20. Theodorit., lib. iii *Hist. Eccles.*, cap. 10 et 11.

(4) Apud Ruin. in *Actis sanctorum Montani, Lucii*, etc., § 21.

(1) Serm. 280, alias 103, de divers.

(2) Serm. 281, al. de divers., 104.

Digitized by Google

nionem idem Tertullianus in libro *de Anima*, Perpetuæ « fortissimæ martyris » auctoritate confirmat; quæ, inquit, « sub die passionis in revelatione gloriæ Paradisi solos illic commartyres suos vidit. » Sed aut fallitur aperte Tertullianus, aut fallit: solos enim se in paradiso vidisse martyres Perpetua non dicit; quin oppositum clare et aperte testatur: « Et cœpimus illic multos fratres cognoscere, sed et martyres. » Igitur non solos ibi commartyres, sed et confratres etiam eosque non paucos Perpetua, seu potius Saturus vidit: hanc enim revelationem Saturus accepit, et manu sua litteris consignavit. Cur autem specialem de martyribus mentionem faciant, ratio in promptu est. In ipso Paradisi limine quatuor martyres, paulo antè in eadem Severi persecutione consummatos, obvios habuerant, a quibus de cæteris cum requisissent, moniti sunt ab angelis ut prius introirent et Dominum salutarent: « Ibi invenimus Jocundum, et Saturninum, et Artaxium, qui eamdem persecutionem passi, vivi arserunt; et Quintum, qui et ipse martyr in carcere exierat; et quærebamus ab illis ubi essent cæteri. Dixerunt autem nobis angeli: Venite prius, introite et salutate Dominum. » Quæ ubi facta sunt, multos se fratres vidisse testantur, sed et nominatim martyres, quo scilicet desiderio suo factum fuisse satis apertius luculentiusque declarent. Quamvis mirum esse non debeat, si animus de martyrii candida lætus, et martyrio proximus, in martyrum præmium specialiter ac distincte loquatur. Ad quæ enim afficitur animus, ea libenter recolit, et sæpe ac frequenter usurpat.

IV. Est aliud quod in hac Saturi visione animadvertam, in quo non parum momenti inesse videtur, ad nostrorum martyrum orthodoxiam adversus Basnagium vindicandam. Vult enim ipse, nullam Montanistis cum Catholicis etiam martyribus consuetudinem intercessisse, sed omnem eorum communionem, ut quos ludibrio et contemptui habebant, et tamquam psychicos traducebant, esse aversatos. Si ita est, non Saturum modo, et Perpetuam sociosque martyres, sed et Jocundum, et Saturninum, et Artaxium, et Quintum, et cæteros martyres quos requirebant, et quorum postea gloriam viderunt, et in eadem Severi persecutione passi jam fuerant, montanismi reos agere debebimus. Nam Saturus et Perpetua suæ tantum communionis martyres requisivissent. Quare aut prædictos omnes martyres de montanistarum grege fuisse dicemus, aut omnes pariter in catholicorum martyrum album referemus. Quis autem ob leves quosdam, quæ Basnagio in mentem venerunt conjecturas, tot e Catholicorum dypticis expungi martyres et ex eis Montanistarum ditari laterculos, patienter, et æquo animo ferat?

V. Sed ut institutum superius argumentum prosequamur, et ex Perpetuæ revelationibus, secus atque habebat Montanistarum doctrina, non solos in cœlo fuisse martyres collocatos, luculentius demonstremus: in memoriam nobis ea sanctæ martyris visio reducenda est, qua fratrem Dinocratem intellexit, translatum esse de pœna. Locum enim et gloriam ad quæ fuerat translatus, iis Perpetua verbis describit quibus aperte significatur, in eumdem locum et gloriam ipsum fuisse receptum, in quibus postea martyres Saturus vidit, ut ex utriusque visionis collatione manifeste liquet. Sic enim de sua visione Perpetua: « Video locum illum, quem videram tenebrosum, esse lucidum, et Dinocratem mundo corpore, bene vestitum, refrigerantem. Et ubi erat vulnus, video cicatricem, et piscinam illam quam retro videram, submisso margine usque ad umbilicum pueri; et aquam de ea trahebat sine cessatione, et super margine phiala erat plena aqua; et accessit Dinocrates, et de ea bibere cœpit, quæ phiala non deficiebat. Et satiatus abscessit de aqua, ludere more infantium gaudens. » Iis omnino consona sunt, quæ postea Saturus vidit: « Et vidimus, inquit, prope locum, cujus loci parietes tales erant quasi de luce ædificati et ante ostium loci illius quatuor angeli stabant, qui introeuntes vestierunt stolas candidas. Et nos vestiti introivimus et vidimus lucem immensam, etc. Et dixerunt nobis seniores: Ite et ludite. Et dixi: Perpetua, habes quod vis. Et dixit mihi: Deo gratias, ut quomodo in carne hilaris fui, hilarior sum et hic modo. » Et infra: « Et dum loquimur cum eis, dixerunt illis angeli: Sinite illos refrigerent..... Universi odore inenarrabili alebamur, qui nos satiabat. » Quam bene sibi concinunt Perpetuæ de Dinocratis et Saturi de martyrum gloria revelationes! Locum in quo Dinocratem Perpetua vidit, lucidus erat; loci illius in quo martyres Saturus vidi, parietes tales erant quasi de luce ædificati. Dinocrates mundo corpore erat et bene vestitus; martyres angeli stolis candidis induerunt. Dinocrates satiatus, infantium more ludebat; Perpetuam et Saturum seniores, ut luderent, hortabantur. Dinocratem Perpetua se refrigerantem adspexit; de Perpetua et Saturo angeli: « Sinite illos, inquiunt, refrigerent. » De aqua Dinocrates sine cessatione bibebat, eoque potu veluti inebriabatur; Perpetua et Saturus odore inenarrabili alebantur, qui eos mirifice satiabat. Quis neget, sub adeo consonis symbolis et figuris, eamdem fuisse gloriam repræsentatam? Quis neget, aquam, ad quam primum Dinocrates anhelabat, quam postea sine cessatione bibebat, qua satiabatur, quæ numquam ei deficiebat, perennem illum æternæ vitæ fontem adumbrasse, et voluptatis torrentem, de quo olim propheta cecinit (1): « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos; quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen? » Quibus utique verbis non aliam quam cœlestem, id est beatæ æternitatis et claræ Dei visionis gloriam, felicitatemque descripsit. Cum itaque martyr Dinocrates non obierit, falsum omnino est, quod ait Tertullianus, solos Perpetuam in paradiso martyres vidisse: falsum, quod ait Basnagius, Perpetuam ex Montanistarum opinione, omnes extra Paradisum in loco tenebroso, præter mar-

(1) Psalm. xxxiv, 10.

Digitized by Google

tyrum, animas collocasse : et falsum denique erit, Perpetuam eosque martyres qui se mortis socios ipsi addidere, e schola processisse Montanistarum, eorumque imbutos fuisse dogmatibus et disciplina.

VI. Ex eadem Saturi visione alia mihi nascitur conjectura, qua facile suadeam Perpetuam sociosque martyres a Montanistarum communione fuisse perquam alienos, sed in Ecclesiæ catholicæ pace atque unitate et vitam duxisse, et gloriosum pro Christo sanguinem effudisse : « Et exivimus, inquit Saturus, et vidimus ante fores Optatum episcopum ad dexteram, et Aspasium presbyterum doctorem ad sinistram, separatos et tristes, et miserunt se ad pedes nobis, et dixerunt nobis : Componite inter nos, quia existis et sic nos relinquitis. Et diximus illis : Non tu es papa noster, et tu presbyter ? ut quid vos ad pedes nostros mittatis ? Et misimus nos, et complexi illos sumus..... Et dum loquimur cum eis, dixerunt illis angeli : Sinite illos refrigerent ; et si quas habetis inter vos dissensiones, dimittite vobis invicem ; et conturbaveruut eos. Et dixerunt Optato : Corrige plebem tuam, quia sic ad te conveniunt quasi de circo redeuntes, et de factionibus certantes. » Optatum istum carthaginensium Montanistarum episcopum, et Aspasium ejusdem sectæ presbyterum Basnagius facit, et alterutrum existimat nostrorum martyrum Acta concinnasse. Contra eruditissimus Pagius ex subministrata sibi a cl. abbate Ludovico de Four observatione docet, Carthaginensium, utique Catholicorum, Optatum fuisse episcopum, et Agrippini successorem et ex hisce Actis supplendum eorumdem episcoporum Laterculum apud Schelstratium in dissert. de ecclesia Africana. Hanc opinionem sequendam omnino existimo, eamque inde confirmo, quod nullus tunc fuisse videatur Carthagine Montanistarum episcopus. Nullius profecto in suis libris umquam meminit Tertullianus, quin nullum tum fuisse, pluribus in locis manifestissime indicat. Id enim evidentissime mihi colligere videor ex iis omnibus locis, in quibus traditionum auctoritatem adversus hæreticos urget. Vult enim Christum doctrinam suam Apostolis communicasse : Apostolos viris apostolicis quos per singulas civitates episcopos constituerunt ; hos vero suis successoribus, id est iis qui deinceps viris apostolicis ordinatione legitima successerunt. Statuit, eas duntaxat ecclesias, pro veris, et apostolicis existimandas, quæ in suis fastis digerendis episcoporum catalogum ad aliquem vel ex Apostolis perduxerint, vel ex apostolicis viris qui tamen cum Apostolis perseveraverit ; aut si serius fuerint institutæ, traducem fidei ab apostolicis ecclesiis acceperint, et ab earum deinceps communione numquam exciderint, cujusmodi erant ecclesiæ Africanæ quæ ad Romanam Ecclesiam suam originem referebant. Urget hæreticos, ut suarum ecclesiarum origines edant et episcoporum catologum, aut ad Apostolos perducant, vel ad apostolicos viros, vel primum sibi episcopum ab ecclesiis apostolicis datum, una cum fidei semine, ostendant. Ita adversus hæreticos argumentatur, tum libro *de Præscriptionibus* (1), tum libro quarto *contra Marcionem*, ubi Marcionitas his inter cætera verbis lacessit (2) : « Habet plane et illud ecclesias, sed suas, tam posteras, quam adulteras, quarum si censum requiras, facilius apostaticum invenies, quam apostolicum, Marcione scilicet conditore, vel aliquo de Marcionis examine. Faciunt favos et vespæ, faciunt ecclesias et Marcionitæ. » Hoc utique argumento nunquam Tertullianus fuisset usus, si unum episcopum, a catholico episcopo separatum, Montanistæ carthaginenses id temporis habuissent ; cum nihil proclivius fuisset et facilius, quam illud in suum regerere auctorem, et Montanistas urgere, ut suorum episcoporum catalogum ederent, num forte originem suam vel Apostolis, vel apostolicis viris, aut saltem apostolicis ecclesiis deberent, an potius Montano, vel alicui de Montani examine. At Tertullianus, ut supra ostendimus, non se adhuc putabat ab apostolicarum ecclesiarum communione præcisum, et ex Catholicis, et Montanistis unum conflari arbitrabatur ecclesiæ corpus : quod in adversis membris diversis institutionibus regeretur ; nec disciplinarum varietatem, salva fidei regula, ecclesiarum lædere unitatem ; unde illa ejus vox de apostolicis ecclesiis loquentis : « Una Ecclesia sumus (3). » Sed quomodo una Ecclesia, si cathedram adversus cathedram erexissent, et episcopum adversus episcopum constituissent ?

Verum quemadmodum Tertullianus, ubi contra hæreticos disputat, episcoporum ordinem extollit ; ita in libris adversus Catholicos deprimit, ac fere laicis peræquat : Adversus hæreticos disputans, nullam sine episcopis apostolicis veram agnoscit Ecclesiam ; qui tamen in libris adversus Catholicos Ecclesiam in tribus laicis constituit, ut libro *de Exhort. Castit.* (4) « Ubi tres, Ecclesia est, licet laici. » Et libro *de Fuga in Persecut.* (5) : « Non potes discurrere per singulos, sit tibi et in tribus Ecclesia. » Et lib. *de Pudicit.* (6) : « Non Ecclesia numerus episcoporum. » Cogitanti mihi, cur adeo sibi, contraria in hisce libris effutiret, id unum ad animum occurrit. Cum catholici episcopi Montanistas a communione repellerent, neque ipsi alium suæ sectæ haberent episcopum, hoc ad solatium suum excogitasse, nullam esse jure divino clericorum in laicos potestatem, nullam, quæ in causa necessitatis laicos constringeret. Ita enim fiebat ut laici communione a clericis segregati, ipsi sibi clerici essent, ipsi sacerdotes, ipsi et tinguerent et offerrent ; nullaque proinde eos obligatio manebat, ut se, sacramentorum recipiendorum gratia, clericorum deinceps arbitrio permitterent : Nonne, inquit loco citato *de Exhort. Cast.*, « et laici sacerdotes sumus ? Scriptum est : *Regnum quoque nos et sacerdotes Deo et Patri*

(1) Cap. 32 et seqq.
(2) Cap. 5.
(3) Lib. *de Virgin. veland.*, cap. 2.
(4) Cap. 7.
(5) Cap. 14.
(6) Cap. 21.

Digitized by Google

*suo fecit.* Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas et honor per ordinis consessum sanctificatus : adeo ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers, et tinguis, et sacerdos es tibi solus. Sed ubi tres, Ecclesia est, licet laici. Unusquisque enim sua fide vivit; nec est personarum acceptio apud Deum, etc. Igitur si habes jus sacerdotis in temetipso, ubi necesse est, habeas oportet etiam disciplinam sacerdotis, ubi necesse sit habere jus sacerdotis. Digamus tinguis? Digamus offers ? Quanto magis laico digamo capitale est agere pro sacerdote, cum ipsi sacerdoti, digamo facto, conferatur agere sacerdotem ? » Annon hæc optima conjectura est, nullum tum fuisse Carthagine Montanistarum episcopum? Etenim si adversus hæreticos episcopalis ordinis auctoritas urgenda est, Catholicorum indices proferuntur. Si pro Montanistis adversus Catholicos decertandum, episcoporum auctoritas contemnitur, et Ecclesia in tribus laicis constituitur. Optatus itaque episcopus, qui, in Actis nostrorum martyrum memoratur, perperam fuisse dicitur Montanistarum carthaginensium episcopus: sed catholicæ communioni præfuit. Id quod etiam iis angelorum verbis confirmatur, quibus jubetur plebem suam corrigere, « quia sic, inquiunt, ad te conveniunt, quasi de circo redeuntes et de factionibus certantes. » Hæc enim verba non in eum bene conveniunt, qui paucorum hominum sectæ præesset, qualis tunc erat in Africa Montanistarum : sed qui populum et multitudinem gubernaret, qua se merito Catholici, ut ex eodem Tertulliano discimus (1), efferebant. Jam vero hoc argumento liquere puto, Perpetuam et Saturum sociosque martyres catholicæ communionis fuisse, non autem de grege Montanistarum : cum eorum catholicus episcopus curam gerat, ad eos accurrat, cum eis communicet, ad eorum se pedes mittat, sermones cum eis misceat, eorum denique opem imploret, et ipsi martyres suum expresse papam et episcopum appellent.

VII. Postremo pro sanctis martyribus conjectura nascitur, cum ex Ecclesiæ sollicitudine, ut splendide in carcere sancti martyres et liberaliter tractarentur; tum ex facilitate qua exhibitum sibi refrigerium ipsi martyres admittebant, ab omni prorsus morositate alieni, quæ in hypocritis et hæreticis, iis præsertim qui se morum gravitate et disciplinæ asperitate jactant, ut erant Montanistæ, solet ut plurimum eminere. Actorum loca, quæ huc pertinent, adnotanda sunt, cap. I, § 2 : « Ibi tunc Tertius et Pomponius, benedicti diacones qui nobis ministrabant, constituerunt pretio ut paucis horis emissi, in meliorem locum carceris refrigeraremus » cap. III, § 1: « Deinde post paucos dies, Pudens miles Optio præpositus carceris, qui nos magni facere cœpit, intelligens magnam virtutem esse in nobis, multos fratres ad nos admittebat, ut et nos et illi invicem refrigeraremus cap. V, § 3 : « Cum a tribuno castigatius eo tractarentur, quia ex admonitionibus hominum vanissimorum verebatur, ne subtraherentur de carcere incantationibus aliquibus magicis, in faciem respondit Perpetua, et dixit : Quid utique non permittis refrigerare noxiis nobilissimis, Cæsaris scilicet, et natali ejusdem pugnaturis? Aut non tua gloria est, si pinguiores illo producamur? Horruit et erubuit tribunus, et ita jussit illos humanius haberi, ut fratribus ejus et cæteris facultas fieret introeundi, et refrigerandi cum eis, jam et ipso Optione carceris credente. » Et cap. V, 4 : « Pridie quoque cum illa cœna ultima, quam liberam vocant, quantum in ipsis erat, non cœnam liberam, sed agapen cœnarent; etc. »

VIII. Quam hæc consentanea sunt vetustissimæ Ecclesiæ catholicæ disciplinæ, quæ maximam semper, et maternam erga confessores in vinculis constitutos ostendit sollicitudinem; tam aliena videntur ab asperrimis in speciem montanistarum institutis. Lucianus in epistola de morte Peregrini, veterum Christianorum erga fratres suos pro fide in vinculis positos, pietatis et caritatis officia, quamvis ea nefarie deridens, graphice tamen his verbis luculenterque describit (2) : « Magistratus autem eorum etiam intus cum eo condormiebant, custodibus corruptis : Dein cœnæ variæ introducebantur, et sacri eorum sermones dicebantur.... Aliqui etiam ex quibusdam Asiæ civitatibus venerunt, e communi mittentibus Christianis, qui viro opem ferrent, ipsumque défenderent et consolarentur. Incredibilem autem quamdam celeritatem ostendunt, si quid tale publicum contingat. Illico enim nulli rei parcunt. Proinde Peregrino tunc multæ pecuniæ mittebantur, et non exiguum proventum hunc lucrifecit. » Sed Christianos hac de re disserentes audiamus. Sanctus Cyprianus pluribus epistolarum suarum locis veteris hujus Ecclesiæ consuetudinis meminit, et in hæc non minus quam in alia curæ pastoralis officia sedulo ac solerter incubuit. Ita enim hac de re præcipit epistola quinta, quam e secessu scripsit ad Clerum : « Quantum autem ad sumptus suggerendos, sive illis qui gloriosa voce Deum confessi, in carcere sunt constituti, sive iis, qui pauperes et indigentes laborant, peto nihil desit; cum summa omnis quæ redacta est, illic sit apud clericos distributa propter ejusmodi casus; ut haberent plures, unde ad necessitates et pressuras singulorum operari possint. » Is porro erat christianæ plebis erga confessores affectus, ut non ei hac in parte stimulos addere, sed fratrum ad carceres concursum, ad fovendos scilicet atque refocillandos confessores,

(1) Lib. *de Jejuniis*, cap. 11.

(1) Οἱ δ' ἐν τέλει καὶ αὐτῶν καὶ συνεκάθευδον ἔνδον μετ' αὐτοῦ, διαφθείραντες τοὺς διασφύλακας· εἶτα δεῖπνα ποικίλα εἰσεκομίζετο, καὶ λόγοι ἱεροὶ αὐτῶν ἐλέγοντο.....Καὶ μὴν καὶ τῶν ἐν Ἀσίᾳ πόλεων ἦσαν ὧν ἤλθόν τινες, τῶν Χριστιανῶν στελλόντων ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, βοηθήσοντες καὶ ξεναγορεύσοντες καὶ παραμυθησόμενοι τὸν ἄνδρα. Ἀμήχανον δέ τι τὸ τάχος ἐπιδείκνυνται ἐπειδάν τι τοιοῦτον γένηται δημόσιον, ἐν βραχεῖ γὰρ ἀφειδοῦσι πάντων. Καὶ δὴ καὶ τῷ Περεγρίνῳ πόλλὰ τότε ἦλθε χρήματα παρ' αὐτῶν ἐπὶ προφάσει τῶν δεσμῶν, καὶ πρόσοδον οὐ μικρὰν ταύτην ἐποιήσατο.

Digitized by Google

ex prudentiæ legibus moderari opus esset. Unde statim subjungit : « Peto quoque, ad procurandam quietem, solertia et sollicitudo vestra non desinat; nam etsi fratres pro dilectione sua cupidi sunt ad conveniendum et visitandum confessores bonos, quos illustravit jam gloriosis initiis divina dignatio, tamen caute hoc, et non glomeratim, nec per multitudinem simul junctam puto esse faciendum : ne ex hoc ipso invidia concitetur, et introeundi aditus denegetur, et dum insatiabiles multum volumus, totum perdamus. Consulite ergo et providete, ut cum temperamento hoc agi tutius possit : ita ut presbyteri quoque, qui illic apud confessores offerunt, singuli cum singulis diaconis per vices alternent: quia et mutatio personarum, et vicissitudo convenientium minuit invidiam. » Et epistola 12, ad Pamelii numeros 37, de eodem argumento ita rursus scribit ad clerum : « Quamquam sciam vos, fratres charissimi, litteris meis frequenter admonitos esse ut gloriosa voce Dominum confessis, et in carcere constitutis omnis diligentia præbeatur ; tamen identidem vobis incumbo, ne quid ad curam desit iis quibus ad gloriam nihil deest. Atque utinam loci, et gradus mei conditio permitteret, ut ipse nunc præsens esse possem : Promptus et libens solemni ministerio cuncta circa fortissimos fratres nostros dilectionis obsequia complerem : sed officium meum vestra diligentia repræsentet, et faciat omnia quæ fieri oportet circa eos quos in talibus meritis fidei ac virtutis illustravit divina dignatio. » Et infra in eadem epistola, Tertulli in iis pietatis officiis diligentiam, atque sollicitudinem laudat : « Quamquam Tertullus, fidelissimus et devotissimus frater noster, pro cætera sollicitudine et cura sua, quam fratribus in omni obsequio operationis impertit, qui nec illic circa curam corporum deest, etc. » Ad diaconos hæc cura specialiter pertinebat, ut non solum ex nostrorum martyrum Actis, sed etiam ex ejusdem Cypriani epistolis et ex Dionysii Alex. epistola ad Domitium et Didymum, ubi Eusebii Diaconi sedulitatem commendat, qui in martyres Alexandrinos eam curam impendit, quam erga martyres Carthaginienses Tertullus (1) : « Eusebius, quem Deus jam inde ab initio roboravit, impulitque ut confessoribus in custodia positis ministeria strenue exhiberet; utque consummatorum ac beatorum martyrum cadavera non sine capitis sui periculo sepeliret. » Tertullianus antequam se ab Ecclesia omnino abalienasset, et abruptius adversus eam disputare cœpisset, in libro *ad Martyras* ejusdem moris cum laude meminit : « Inter carnis alimenta, benedicti martyres designati, quæ vobis et domina mater Ecclesia de uberibus suis et singuli fratres de opibus suis propriis in carcerem subministrant, capite educandum. Carnem enim saginari, et spiritum esurire non prodest. » Et infra, capite secundo : « Ipsam interim conversationem sæculi et carceris comparemus, si non plus in carcere spiritus acquirit, quam caro amittit; immo et quæ justa sunt, caro non amittit per curam Ecclesiæ, et agapen fratrum. » Sed postquam sese prorsus in disciplinam Montani tradidit, et acerbius atque inverecundius cum Catholicis gerere simultates cœpit, tum Ecclesiæ erga confessores charitatem longe quam Lucianus invidiosius traduxit; tum quæ Christianis observanda foret in vinculis ex Montanistarum legibus et institutis victus et disciplinæ severitas, his in libro *de Jejuniis* verbis exposuit (1) : « Plane vestrum est, in carceribus popinas exhibere martyribus incertis, ne consuetudinem quærant ne lædeat vitæ, ne nova abstinentiæ disciplina scandalizentur, cum nec ille Pristinus vester non christianus martyr attigeret, quem et facultate custodiæ liberæ aliquandiu fartum omnibus balneis quasi baptismate melioribus, et omnibus luxuriæ secessibus quasi Ecclesiæ secretioribus, et omnibus vitæ istius illecebris quasi æternæ dignioribus, hoc puto obligatum ne mori vellet : postremo ipso tribunalis de luce summa condito mero tamquam antidoto præmedicatum, ita enervastis, ut pancis singulis titillatus (hoc enim ebrietas sentiebat) quem Dominum confiteretur interroganti præsidi respondere non potuerit amplius : atque ita de hoc jam extortus, cum singultus et ructus solos haberet, in ipsa negatione digessit. » Hæc Tert. de Catholicis, quæ quamvis ad invidiam faciendam sint ultra modum exagerata, clare tamen ostendunt, fuisse catholicos martyres in vinculis, quoad per milites et custodes licebat, splendide ac liberaliter habitos. De Montanistarum vero deritia gravitateque hæc antea præmiserat : « Ut ab Joanne Paracletus obmutuisset, ipsi nobis prophetæ in hanc maxime causam exstitissemus... indicentes omnem ταπεινοφρόνησιν cum carcer ediscendus, et fames ac sitis exercendæ, et tam inediæ quam anxii victus tolerantia usurpanda sit, ut in carcerem talis introeat christianus, qualis inde prodisset; non pœnam illic passurus, sed disciplinam; nec sæculi tormenta, sed officia, eoque fidentior processurus ad certamen e custodia abusus nihil habens carnis, sic ut nec habeant tormenta materiem; cum sola et arida sit cute loricatus, et contra ungulas corneus, præmisso jam sanguinis succo, tamquam animæ impedimentis, properante jam et ipsa, quæ sæpe jejunans, mortem de proximo novit. » Hæc victus austeritas, quam hic Tertullianus ex Montanistarum disciplina describit, non hic solum in nostrorum martyrum Actis nullibi apparet; quin eos contra supervius vidimus cibo potuque libere utentes, et cum castigatius tractarentur, Perpetuam audivimus his tribunum verbis objurgantem, eique sancta securitate dicentem : « Quid utique non permittis refrigerare nostris nobilissimis, Cæsaris scilicet, et

(1) Εὐσέβιος δὲ ἐξ ἀρχῆς ὁ Θεὸς ἐνεδυνάμωσε καὶ παρεσκεύασε τὰς ὑπηρεσίας τῶν ἐν τάξει φυλακῆς γενομένων ὁμολογητῶν ἀναγκῶν ὡς ἀποπληροῦν, καὶ τὰς τῶν σωμάτων περιστολὰς τῶν τελείων καὶ μακαρίων μαρτύρων οὐκ ἀκινδύνως ἐκτελεῖν. Apud Euseb., lib. VII, cap. 2.

(1) Capite duodecimo.

Digitized by Google

aliquid et a nobis quod faciat ad Spiritum quoque A natali ejusdem pugnaturis? aut non tua gloria est, si pinguiores illo producamur? » Quæ certe verba, præter excelsam animi securitatem et indolem, quam præ se ferunt, mentem etiam Perpetuæ demonstrant a Montanistarum institutis omnino alienam, et aliis quam Tertullianus cogitationibus præditam. Quid enim adeo contrarium quam Perpetuæ et Tertulliani hac de re sensus et verba? Ille christianum vult ad certamen e custodia procedere, nihil habentem carnis, sola et arida cute loricatum, præmisso jam sanguinis succo, etc. Perpetua vero cum tribuno de victus tenuitate expostulat et, quamquam festive, ait tamen pinguiorem velle se in amphitheatrum produci. Ille Catholicos reprehendit, quod Pristino, ipso tribunalis die, lautius convivium paraverint. B Perpetua vero, sociique martyres, pridie quam bestiis objicerentur, cœnam quam liberam vocabant, et quæ bestiariis lautissima parabatur, neutiquam respuerunt.

IX. In quo sane catholicorum martyrum consuetudinem secuti sunt, qui illatos sibi cibos cum gratiarum actione percipere consueverunt. Alcibiades, unus e martyribus Lugdunensibus, austerum vivendi genus, quod antequam pro fide comprehenderetur, sectatus fuerat, in carcere retinebat. Attalo autem per visionem ostensum est, non recte neque ordine facere Alcibiadem, quod duro illo et austero et singulari vitæ genere uteretur. Testes hujus rei habemus longe gravissimos, Lugdunenses ipsos atque Viennenses in Encyclica de martyrio suorum, apud Eusebium, epistola (1) : « Alcibiades quidam, C unus ex illorum martyrum numero, durum et squalidum vivendi genus sectabatur; nullumque omnino cibum admittens, solo pane et aqua ad id usque temporis vesci consueverat. Cumque in carcere positus eamdem vivendi rationem vellet retinere, Attalo post primum, quod in amphitheatro confecerat certamen, revelatum est, non recte neque ordine facere Alcibiadem, qui et creaturis Dei minime uteretur, et aliis exemplum scandali fieret. Paruit itaque Alcibiades, et cunctis deinceps cibis, promiscue uti cœpit, gratias agens Deo. Neque enim divina gratia eos præsentia sua destituerat; sed consultorem habebant Spiritum sanctum. » Huic itaque eidem Spiritui nostri martyres morem gerentes, communem illum quem diximus, vulgaremque vitæ modum, etiam in D vinculis, usurparunt, ab ea vivendi ratione aperte diversum, quem suis Montanistæ martyribus præscripserunt.

(1) Ἀλκιβιάδου γάρ τινος ἐξ αὐτῶν, πάνυ αὐχμηρὸν βιοῦντος βίον, καὶ μηδενὸς ὅλως προτέρου μεταλαμβάνοντος ἀλλ' ἢ ἄρτῳ μόνῳ καὶ ὕδατι χρωμένου, πειρωμένου τε καὶ ἐν τῇ εἱρκτῇ οὕτω διάγειν, Ἀττάλῳ μετὰ τὸν πρῶτον ἀγῶνα, ὃν ἐν τῷ ἀμφιθεάτρῳ ἤνυσεν, ἀπεκαλύφθη, ὅτι μὴ καλῶς ποιοίη ὁ Ἀλκιβιάδης μὴ χρώμενος τοῖς κτίσμασι τοῦ Θεοῦ, καὶ ἄλλοις τόποις σκανδάλου ὑπολειπόμενος· πεισθεὶς δὲ Ἀλκιβιάδης πάντων ἀπέσχετο μεταλάμβανε, καὶ εὐχαριστεῖ τῷ Θεῷ· οὐ γὰρ ἀνεπίσκεπτοι χάριτος Θεοῦ ἦσαν, ἀλλὰ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἦν σύμβουλον αὐτοῖς. Apud Euschium., lib. V *Hist. Eccles.*, cap. 3.

X. Nunc vero, quamvis mihi jam videar, quæ poterant in utramque partem de nostris martyribus disputari, in medium protulisse : sustine tamen, lector, ut te paulisper detineam, quoad omnia, prolixius forsitan disputata, sub unum veluti conspectum ponam; et utriusque opinionis Momenta, tam ejus videlicet quæ sanctos martyres, uti montanistas traducit, quam ejus quæ illorum patrocinium suscepit, pauca in verba conferam, utrorumque instituta comparatione. Sed prius nobis in memoriam revocare debemus, hanc unam esse ex illis controversiis, de quibus sententia tuto pronuntiari non potest, nisi ad singulas notas, et omnes circumstantias animum adverterimus, quæ vel ex ipsa re in disputatione posita oriuntur, vel eam extrinsecus comitantur; de quibus sapientissima illa constituta regula est (1) : quod si quidem omnes circumstantiæ tales sunt, quales rarissime inveniuntur cum falsitate conjunctæ, viri prudentis est morigerum se præbere, et assensum facile accommodare. Quod si e contra hæ circumstantiæ ejusmodi sunt quæ sæpissime adjunctam falsitatem habent, ratio exigit ut vel assensum nostrum inhibeamus, vel ut falsum judicemus quod narratur, cum nullatenus appareat illud verum esse, quamvis aliunde quin fieri potuerit absolute non repugnet, aut etiam reapse factum non esse, ea certitudine non constet, quam metaphysicam vocant, et qua mathematicæ facultates gaudent. Hominis enim imprudentissimi et nullius judicii esset, ejusmodi evidentiam et certitudinem requirere in rebus contingentibus, et particularibus factis, quæ in historiis narrantur, et hominum testimoniis, et fide humana nituntur.

His positis, argumenta Basnagii cum nostris argumentis, rationes cum rationibus conferamus. Æqui autem prudentisque lectoris erit ei causam adjudicare, cujus rationes rarissime, aut saltem rarius cum falsitate conjunctæ sunt, quam quæ ex adverso poste producuntur. Et quoniam cum externis tum internis argumentis utriaque pugnatum est : externorum cum externis, et internorum cum iis quæ sunt ejusdem generis, collationem instituemus. Quod ad priora illa pertinet, sive externa, nullus equidem dubito, quin juxta regulam positam, et sapientum calculo comprobatam, nobis, seu potius sanctis martyribus, causa adjudicanda sit. Nam quæ de nostrorum martyrum recta fide habemus externa testimonia, ejusmodi sunt, ut quamvis unum aut alterum fallere possit, aut aliquando etiam fefellerit, omnia tamen, non dicam rarissime, sed numquam omnino inveniuntur cum falsitate conjuncta. Neque enim martyris alicujus, aut confessoris afferri potest exemplum, quem Ecclesia in sanctorum album ea, qua Perpetuam sociosque martyres, celebritate, retulerit, qui deinde post quindecim ab ejus obitu sæcula a recta fide repertus fuerit alienus. Quare prudentiam Basnagii desideremus, cum ad extenuandas propositi

(1) Vid. *Logic.* sive *de Arte Cogit*, part. IV, cap. 15,

Digitized by Google

argumenti vires exempla indicat quorumdam hæreticorum, quorum nomina in sua martyrologia quidam horumce operum concinnatores privato judicio retulerunt. Ad argumentum enim labefactandum, quod ex publico et universali, et per tot sæcula numquam interrupto sanctorum cultu conficitur, hæreticus aliquis in medium fuisset adducendus, cujus in Ecclesia cultus non minus fuerit quam nostrorum martyrum pervulgatus. Magnus Athanasius in epistola apologetica pro sancto Dionysio Alex. ad ejus orthodoxiam adversus Arianos vindicandam, hoc imprimis utitur argumento, quod magnum et evidentissimum existimat (1) : « Magni certe argumenti est, in hoc illos vere non dicere, sed virum calumniari, quod nec ille umquam ab aliis episcopis deprehensæ impietatis damnatus, episcopatu pulsus sit, ut illi e Clero ejecti sunt ; neque hæresis propugnandæ causa secesserit ab Ecclesia ; sed in illa pie obdormierit, ejusque memoria hactenus cum patribus celebrata, et una in album relata sit. Si enim eadem, quæ illi, sensisset, aut si scriptorum suorum rationem non reddidisset ; minime dubium, quin eadem fuisset, qua illi, pœna plectendus. » An hoc etiam Athanasii pro Dionysio argumentum frigida hac Basnagius responsione diluisset, quod hæretici episcopi aliquando in martyrologia, aut sacra diptyca irrepserint ? Næ futile et prorsus indignum viro prudenti responsum ! Quinimo exemplum statuendum fuisset in homine, in quem hæc omnia simul orthodoxiæ indicia convenerint, qui tamen post plurium ab ejus obitu sæculorum intervallum fuerit hæreticus deprehensus. Sed hujusce rei nullum omnino exstat in ecclesiasticis monumentis exemplum. Quæ vero Basnagio suppetunt ex Tertulliani auctoritate, et Actorum compilatore adversus Perpetuam sociosque martyres conjecturæ ejusmodi sunt, quæ falsitatem adjunctam non raro et manifestissime habent. Cum, ut ostendimus, Tertullianus et catholicos martyres sæpissime laudaverit, et ad eorum communionem adspiraverit, et Novatiani denique, non minus quam Montanistæ ab Ecclesia catholica extorres catholicorum Acta martyrum luci dederint, seræque posteritati commendarint, etc.

Eadem est internorum argumentorum comparatio. « Nostra enim ex sanctitate martyrum, ex eorum virtutibus, et miraculis, et vaticiniis, et ex prophetiarum exitu conficiuntur, quæ simul omnia numquam omnino inveniuntur cum hæresi fuisse conjuncta. Quæ vero apud Basnagium ex quarumdam visionum, ut ipsi videtur, inconcinnitate proficiscuntur, talia sunt quæ ut multum, secundum se spectata, et in bonam possemus et in malam partem interpretari. Sed ubi inveniuntur cum sanctitate et simplicitate vitæ, cum miraculis et vaticiniorum eventu conjuncta, ratio postulat ut ea in partem, quoad fieri poterit, optimam accipiamus. Et hinc argumentum exsistit, ex quo adversarius nulla, ut mihi videtur, ratione possit evadere. Aut enim iis quæ de nostrorum martyrum virtutibus, prophetiis, et miraculis in Actis referuntur, fidem accommodat, aut potius abrogat. Si fidem habeat, in tuto profecto est sanctorum martyrum orthodoxia ; cum eæ virtutes, in quibus nihil fucatum, nihil adulterinum repertum est, nihil denique per simulationem et hypocrisim gestum, ea miracula, eæ prophetiæ, in hæreticos martyres non conveniant ; multo autem minus in Montanistas, quæ in Actis habentur, ab eorum dogmatis, et disciplina, ut ostendimus, perquam aliena. Et tunc, ut dixi, ratio postulat, ut visiones et revelationes, quemadmodum et a nobis, et ante nos a divo Augustino et ab aliis veris doctissimis factum est, in optimam partem interpretemur. Sin autem iis quæ de Perpetuæ, Felicitatis sociorumque martyrum virtutibus, etc., referuntur, fidem Basnagius derogat, eadem ratione, et iis fidem abrogare debebit, quæ in Actis ad visiones et revelationes martyrum pertinent. Nulla enim ratio patitur, ut Actis contra martyres credat, pro martyribus fidem non habeat. Præcipue cum longe proclivius sit existimare Actorum compilatorem in iis quæ de visionibus narrat, esse mentitum, quam in iis quæ de signis et miraculis habet : visionum enim, et revelationum solus Deus testis erat et martyres, qui jam fuerunt e vivorum numero immanitate carnificum exturbati ; quæ vero ad miracula pertinent, in aperto quædam eorum, et in medio amphitheatro a scriptore coævo gesta narrantur, ubi profecto in auctore contemporaneo ullus fraudis, et suscipionis locus esse non potest ; facitque hic maxime, quod de id genus miraculis præclare Dodwellus observat (1) : Si ea scilicet pro historicæ fidei captu, atque natura probari sibi velint athei, nihil prorsus esse quod hic desiderare possint, quominus hujusmodi narrationes videantur esse verissimæ : « Imprimis enim non in angulis, inquit, aut paucis quibusdam consciis, quorum posset interesse, sed palam gesta, et in omnium conspectu narrant, tam inimicorum quam amicorum, quin potius inimicorum, qui locum in theatris præcipuum habebant. Ita factum non modo ut qui ea scripserint, ea certo possent cognoscere ; sed et qui alia in sententia essent, ea facile possent certoque refellere. Deinde, talia fuisse hæc gesta, ut plurimorum interierit, et quam maxime, ne lateret veritas, sed potius ut esset compertissima. Persecutorum intererat, ne hæc vera crederentur, quibus gravissima forent crudelitatis infamia apud absentes, tam vivos quam etiam posteros, onerandi ; quibus divino

(1) Μέγα μὲν οὖν τεκμήριον τοῦ μηδὲ τοῦτο λέγειν αὐτοὺς ἀληθὲς, ἀλλὰ τὸν ἄνδρα συκοφαντεῖν, ὅτι μήτε παρ' ἑτέρων ἐπισκόπων ἐπ' ἀσεβείᾳ κατεγνωσθεὶς ἀπεβλήθη τῆς ἐπισκοπῆς, ὥσπερ οὗτοι τοῦ κλήρου, μήτε αὐτὸς ὡς αἱρέσιν ἐκδικῶν ἐξῆλθε τῆς Ἐκκλησίας, ἀλλ' ἐν αὐτῇ κεκείμηται καλῶς, καὶ ἡ μνήμη μέχρι νῦν αὐτοῦ μετὰ τῶν πατέρων ἔστι καὶ γέγραπται· εἰ γὰρ ἦν τὰ τοῦτων φρονήσας, ἢ περὶ ὧν ἔγραψε μὴ ἦν ἀπολογησάμενος, οὐκ ἦν ἀμφίβολον ὅτι πάντως τὰ αὐτὰ καὶ αὐτὸς αὐτοῖς ἐπεκόνθει. Montfauconian. Edit., n. 3.

(1) Dissert. XII Cyprianica, de *Martyr. Fortitud.*, § 45.

Digitized by Google

etiam suffragio damnati viderentur. Christianorum etiam maxime omnium intererat, siquidem fuissent falsa, ne vera crederentur, quibus tantos hujus vitæ cruciatus tam nulla futurorum præmiorum mercede lucraturi. Non est itaque quod suspicemur contemptas has fuisse narrationes; sed vero omnem potius ab utrisque diligentiam in illis eruendis fore adhibendam. » Quod si Acta Perpetuæ ab auctore coævo collecta fuisse Basnagius negat, jam eo res recidit ut omnem non solum miraculis, sed etiam visionibus fidem derogemus, et ad externa argumenta controversia tota revocetur, in quibus vidimus quantum Perpetuæ causa triumphet. Demus tamen paria esse quæ in utramque partem momenta modo afferuntur, cum boni viri sit et æqui judicis dubia in meliorem potius partem quam in deteriorem interpretari, et nemo qua fruitur bonæ famæ et existimationis possessione, nisi malus certis indiciis et perspicuis argumentis demonstretur, exui debeat, nullo modo permittendum erat ut ea quæ jam per quindecim sæcula rectæ fidei et sanctitatis existimatione gavisi sunt, ob leves quasdam conjecturas, Perpetua sociique martyres exuerentur. Quod quidem in causa fuit ut in hac controversia defensoris partes in me ultro susciperem, et hanc qualemcumque meam dissertationem in publicum emitterem, quæ tota quanta est, utinam in Dei honorem et gloriam martyrum cedat!

# ANNOTATIONES

## IN FRAGMENTUM INCERTI SCRIPTORIS

# DE CANONE SS. SCRIPTURARUM.

(L. A. Murator. *Antiqq. Ital. medii ævi*, t. III. col. 854. Galland. *Bibl. Vett. PP.* t. II, p. 208. Routh. *Reliq. scr.* t. IV, p. 3. Ever. Stoch. *Comment. de libr. N. T.* § 63, p. 199. Freindaller. *Comment.*, Linc. 1802. Kirchnoser. Quellensamm lung zur Geschichte der Neutestamentlichen canons. Zurich. 1842. p. 1, 2.)

Primus Muratorius veterrimum hoc edidit fragmentum, in quo de canone Novi Testamenti agitur. Is vero in *Antiquitatum Italicarum medii Ævi*, tomo III. Mediol. 1740, de codice msto, ex quo idem desumptum est, hæc præmisit: « Sed quando cœpimus vulnera rimari litteris inflicta, dum rudia sæcula decurrerent, ne hoc quidem dissimulandum est, imperitissimos et indoctissimos homines crebrius quam antea fuisse adhibitos ad exscribendos codices, quos propterea erroribus ac sordibus ad nauseam usque repletos intueare. Ex his non paucos præ manibus habui, et exemplum afferre juvat, quod non uno nomine, nisi mihi facile blandior, lucem exposcere videtur. Asservat Ambrosiana Mediolanensis bibliotheca membranaceum codicem, e Bobiensi acceptum, cujus antiquitas pene ad annos mille accedere mihi visa est. Scriptus enim fuit litteris majusculis et quadratis. Titulus præfixus omnia tribuit Johanni Chrysostomo, sed immerito, p. 851. » Tum vero cæteris tractatibus, qui in codice continentur, memoratis, pergit vir cl. ita scribere: « Ex eodem ergo codice ego decerpsi fragmentum antiquissimum, ad canonem divinarum Scripturarum spectans. Nulli diligentiæ peperci, ut ejus auctorem detegerem, simulque rescirem num hactenus editum fuerit. Nisi me fefellerunt oculi, aut complurium librorum defectus, quem non semel doleo, nusquam deprehendi evulgatum, ac propterea spes mihi superest fore ut libentius a lectoribus accipiatur, ac præcipue quod antiquitatem redoleat summe venerabilem. »

Deinde ostendit opinari se Muratorius tribuendum esse fragmentum Caio, ecclesiæ Romanæ presbytero, qui floruit sæculo exeunte secundo. Idem censuit quoque cl. Gallandius in prolegomenis tomi II *Bibliothecæ* suæ *Patrum*, p. 23, et propterea quod Miltiadis, vel ut hic scribitur nomen, *Miltiadis*, hæretici cujusdam mentionem injecit fragmenti auctor, istud idem excerptum vult Gallandius pertinere ad disputationem quam adversus Proculum seu Proclum Cataphrygarum sectatorem Caius composuit. Anonymus enim scriptor apud Eusebium lib. V *Hist.*, c. 16, seu supra in vol. meo II, p. 73, sub ipsum initium operis, quod adversus Cataphrygas contexuit, hæresim nominat Miltiadis. Quod tamen Gallandii argumentum, etiamsi de lectione Miltiadis, cujus loco *Alcibiades* nonnulli volunt reponere, satis constiterit, haud satis valeret ad hocce fragmentum Caio vindicandum. Porro Muratorianæ de Caio conjecturæ opposuerat sese V. D. Everardus Stoschius, qui ipse in *Commentatione de Librorum Novi Test. Canone*, Francof. ad Viadrum edit. anno 1755, fragmentum post Muratorium repetivit. Ait enim in §. 63, p. 199, argumenta quæ ad conjecturam suam commendandam idem affert Muratorius, ei parum probabilitatis conciliare: « Quod enim Caius



Digitized by Google

« Epistolam ad Hebræos rejecerit tamquam non cano- A
« nicam, id ipsi cum pluribus aliis, Irenæo e. g. et
« Hippolyto, immo teste Eusebio lib. VI, c. 20, et Hie-
« ronymo *de Viris Ill.* c. 60, cum pluribus aliis
« Romanæ ecclesiæ doctoribus commune fuit. Et
« quod Hermas temporibus auctoris fragmenti, *Pas-*
« *torem* conscripsisse dicatur, id ad alium quem-
« cumque qui ea ætate vixit applicari potest. »
Dum vero clarus vir Stoschius §§. 61 et 62 abjudicanda hæc Caio censet, propterea quod idem Caius apud Eusebium lib. III. *Hist.*, c. 28, Apocalypsin Joannis Cerinthi esse existimet, quam quidem auctor fragmenti pro libro canonico habet, id meminisse debemus, verba Caii utrum ad Apocalypsin S. Joannis pertineant, adhuc sub judice esse; qua de re cum nos ad ejus fragmenta aliquid annotavimus; B
in vol. II *Reliquiar.*, pag 16, tum vero cl. Freindallerus fragmenti hujus nuperus editor, de quo mox memorabo, disseruit, §§ 9 et 10. Aliud insuper est argumentum contra Caium a Stoschio ita propositum: auctorem fragmenti vel penitus ignoravisse, vel saltem non animadvertisse, Epistolas Pauli dudum ante visam et editam a Joanne apostolo Apocalypsin scriptas fuisse, qualis quidem error et incogitantia difficulter de Caio, quem Eusebius *H. E.* VI, 2 ). ἀνδρα λογιώτατον, et cujus commentationem contra Proclum Photius cod. 48, σπουδαίαν διάλεξιν vocat, concipi possit. Sic ille; hoc vero παρὰ τὸν χρόνον dumtaxat ἁμάρτημα foret, quod interea oportere ita existimari negarent cum Epiphanio in *Hær.* LI, cap. 12 et cap. 36, illi eruditi qui, ut notat ipse quoque vir clarus, C
Apocalypsin Joannis ad Claudii Augusti tempora referunt. Cons. et Thomæ Newtoni Bristoliensis episcopi *Dissert. in Prophetias*, Anglica lingua conscriptas, vol. III, § 24, c. 1, atque J. D. Michaelis *Prælect. de Libb. N. T.* sect. ult. Et mihi quidem majorem moveret scrupulum nævus fine hujus fragmenti inventus, ubi positum videtur, *Basilidem* esse *Cataphrygum*, si diis placet, *constitutorem*; etenim, si ita legendus et construendus locus, vereor ne ignorantiæ crassæ in hoc auctore argumentum inde ducendum foret.

Quamquam vero vir cl. hæc Caii fuisse nolit, quocum sentit tum cl. Keilius in additamentis ad *Fabricianæ Biblioth. Græc.*, vol. VII, pag. 285, tum alii viri docti, quos ibi commemoravit Keilius, eidem tamen D
Stoschio probabile admodum videtur fragmentum omnino esse antiquissimum, et circa sæculi secundi finem aut tertii initia conscriptum; ad quam quidem sententiam firmandam multas ille rationes, easque quam valentissimas, subjecit. Et in ea sententia conveniunt scriptores, quod sciam, omnes, qui breve istud commemoraverint. Has autem Stoschii rationes ad S. Scripturæ libros singulos qui in fragmento nominantur, deinceps afferam, utpote quæ antiquitatem ejus non tantum muniant, sed etiam ipsum egregie illustrent. Neque aliter de ætate scripti ante Stoschium judicaverat celeb. Moshemius, qui in *Comment. de Rebus Christianorum ante Constantinum M.* ad sæc. primum, § 54, p. 164, de eodem hæc posuit: « Auctor ignotus est. Muratorius Caium, presbyterum Romanum, esse putat, qui occidente sæculo secundo floruit. Hoc quidem dubium est: illud vero ex ipso libello certum, sæculo eum secundo et illo quidem tempore quo Hermas in vivis fuit, scripsisse. In hoc igitur magni pretii fragmento hæc de Herma scripta leguntur: *Pastorem vero nuperrime temporibus nostris in urbe Roma Herma conscripsit, sedente cathedra urbis Romæ ecclesiæ Pio episcopo, fratre ejus.* » Hæc Moshemius. Itaque, aut prope abesse videtur auctor a medio sæculo secundo, quando ad exitum quidem perductus fuerat Pii episcopatus, aut certe constat illum ante finitum sæculum sua scripsisse, etiamsi de vera ætate opusculi *Pastoris* appellati aliter statuatur. Qui vero factum sit ut cl. Lardneri diligentiam hoc fragmentum, a nemine omnium, ni fallor, rejectum aut improbatum, effugerit, id nescire me fateor, cum diu antequam illud Lardneri *de Fide Hist. Evangelicæ* plane egregium opus denuo typis ab ipso mandaretur, fragmentum cum orbe erudito communicatum fuisset. quum vero ponendus sit auctor inter scriptores qui primi omnium, excepto Papia, de evangelistis ipsis vel commemoraverint, vel ipsorum scripta nominatim adduxerint, fieri non potest quin primus hic librorum Novi Testamenti catalogus curis nostris dignus censeatur. Est tamen ab eo omissa, quod multam moveat admirationem, epistola et semper et ab omnibus recepta, prior illa S. Petri, de cujus auctoritate nemo a temporibus usque Polycarpi atque Papiæ dubitavit. Istaque facta est omissio ab auctore, qui tres ex septem ἀντιλεγομέναις scripturis agnovit, dum nullum interea librum νόθον, uno fortasse excepto, in canonem Novi Testamenti admisit. De altero nævo illo circa Basilidem hæreticum apud eum existente jam dixi.

Nuperrime vero, cum dixissem ad pag. XXI præfationis operis mei, hoc fragmentum de canone distulisse me in medium adducere, propterea quod novissima ejusdem editio nondum ad manus pervenisset meas, transmissa ex Germania mihi est opella a viro nobili peregre agente, quæ ante Lincii prodierat anno 1802, cum Commentatione Francisci Freindaller, canonici et theol. professoris publ. Is quidem nullam usquam Stoschiani libri de Canone commemorationem fecit, contraque Caio presbytero fragmentum vindicandum esse statuit, ubi tamen in § 8, ad pag. 13, hæc habet: « Est vero simillimum Collationem Caii cum Proclo græce esse habitam conscriptamque. Talem quippe eam legere Eusebius, « Photius, ac Theodoretus, qui lib. III *Fabularum hæreticarum* eamdem κατὰ Πάτροκλον inscripsit. « Addo quod Valesius, momentis haud spernendis, « Proclum hunc e ducibus sectæ Montanisticæ, Græcum Asiatem fuisse arguat. Græce itaque cum homine Græco Caius contulerit. Attamen fragmentum nostrum latinæ potius originis stylum sapit. « Cui quidem difficultati ea solummodo ratione oc-

Digitized by Google

« curreris, si latinitate illico donatam hanc disputa- « tionem, aut ab ipsomet Caio in Romanorum gratiam latine simul dixeris exaratam. Quæ utraque « profecto conjectura a veritate haud absona est. Sic « enim pleraque S. Irenæi opera in latina versione « antiquissima, nec non alia generis hujus quamplurima ad nos usque pervenere. » Hæc Freindaller. Interea ego ex vestigiis satis claris deprehendisse mihi videor hominem, qui græce scripserit, post hæc latina verba latentem, eo indicio quod eadem ita græcissant, ut etiam ex illa lingua versa esse videantur. Pergit Freindaller, ad § 13, ita scribere, postquam monuit in § 11 Caium hunc, consentientibus Valesio et Ruinarto, eum esse de quo ad calcem *Actorum S. Polycarpi* legitur : *Acta hæc Caius descripsit e manuscriptis Irenæi, Polycarpi discipuli, cui coævus fuit;* atque idcirco non credendum esse virum cum Irenæo diu versatum Apocalypsin Joannis apostoli contempsisse : « Quod si momenta, » inquit ille, « suppeterent, unde securi videremur, pertinere hoc « fragmentum ad eamdem cum Proclo Disputationem « unde suum mutuatus est Eusebius, quodque Caii « esse non disputatur, tum profecto hæ nostræ pro « eodem vindiciæ usque ad exploratam penitus as- « surgerent certitudinem. Memoratus quidem ipse- « met loco citato Muratorius faventem quamdam huic « sententiæ rationem jam protulit, dum ex imputi adversariorum in supponendis novis scriptu- « ris temeritate ansam arripuisse Caium, conjicit, de « librorum N. T. canone, quod in fragmento fit, « agendi. Cui commodissime id quoque adjici pote- « rit, vel in fragmento ipso quoddam contextus cum « disputatione quadam indicari vestigium, quod acutissimi viri effugisse oculos profecto mirandum « est. Auctor nimirum facta de epistola Pauli ad Romanos ejusque argumento mentione, verba hæc « subdidit : *De quibus singulis necesse est a nobis disputari.* Cum præterea nullibi cæteroquin in fragmenti hujus integro argumento quidpiam occurrat « disputationi tali dissonum, immo universa potius « conciliari eidem quam optime valeant, quid nos « ultra morabitur, quominus hoc veneratione dignissimum antiquitatis ecclesiasticæ monumentum denuo revindicemus Caio veteri, cui tot illud « rationes vindicant, iis quæ ex adverso stant, « sufficienter, quod arbitror, solutis. » Hæc ille quidem.

« Age vero, » ait Muratorius, « jam proferamus « fragmentum ipsum e vetustissimo codice Ambrosiano decerptum, atque illud eruditorum omnium « examini subjiciamus, nullum demendo ex erroribus quibus librariorum imperitia scripturam saturavit atque fœdavit, quamquam nihil ii obstent « quominus pretium rei intelligamus. » Sic ille; ita et cl. Stoschius fragmentum cum omnibus mendis atque erroribus exhibuit; sicuti fecit Gallandius in tomo II *Bibliothecæ* suæ *PP.* ubi in *Caii Fragmentis* illud collocavit. Utinam corrigendi officium viri eruditi in se suscepissent. Cum vero factum id non fuerit, nisi quod in nonnullis locis, quorum facilior est emendatio, cl. Freindaller, fragmentum membratim tractans, veram scripturam reposuit; τὴν στάρτας ego adeptus sum, quam priores illi adhuc ornandam reliquerant. An boni quid ex his litteris tam fœde immutatis expiscari potuerim, aliorum judicium esto.

# FRAGMENTUM ACEPHALUM
## INCERTI SCRIPTORIS
# DE CANONE SS. SCRIPTURARUM.

I..... Quibus tamen interfuit, et ita posuit. Tertio, Evangelii librum secundo [a] Lucam. Lucas iste medi-

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Fortasse*, Liber secundum. *Routh.*

MART. JOSEPHI ROUTH COMMENTARIUS.

I. — *Quibus tamen interfuit.* Si Christi Domini res gestæ, non ipsi Apostoli, hic designentur, contradixerit fragmenti auctor verbis Papiæ, qui, ut supra vidimus, veterem presbyterum secutus, hoc de Marco negabat, nempe eum aut ipsum Dominum audivisse, aut sectatum esse, quod quidem ex ore presbyteri a Papia acceptum dein Hieronymum suffragio suo stabilientem habes in prœmio *Commentarii super Matthæum.* Taceo de aliis Patribus. Tamen perquam nota est de Marco contraria illa traditio, an et certissima sit dubito, ab Epiphanio in *Hæresi* LI, § 6, commemorata, qua is statuitur fuisse ex discipulis LXXII; quod idem de sancto quoque Luca ab eodem Epiphanio narratur ad § 11, prout de utroque evangelista prius positum erat ab eo in *Hæresi* XX, § 4, Hippolytum secuto, si testimoniis, quæ collocata sunt a Millio ante Evangelia, credendum. Hoc autem cum initio Evangelii S. Lucæ vix conciliari posse, multi viri docti-simi existimarunt, neque id miror; aut si fuerit unquam Domini discipulus Lucas, certe unus τῶν ἀπ' ἀρχῆς αὐτοπτῶν, is non videtur fuisse qui ita scriberet, καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ Λόγου. Consentit cum viris illis eruditis fragmenti auctor, ut mox videbis, Lucæ

Digitized by Google

cus post ascensum Christi, cum eo [a] Paulus quasi ut [b] juris studiosum secundum assumpsisset numeni suo ex opinione conciliset [c]. Dominum tamen nec ipse vidit in carne; et idem prout assequi potuit, ita et

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Eum, *ut jam reposuit Freindaller.*
[b] *Fortasse* et. *Routh.*
[c] *Fortasse*, secum assumpsisset, nomine suo ex ordine conscripsit. *Routh.*

## MART. JOSEPHI ROUTH COMMENTARIUS.

discipulatu negato, consentit et Eusebius in lib. III *Hist. Eccl.*, capp. 4 et 24, qui et in lib. I, c. 12, ejusd. op. nullum ait extare τῶν δ. discipulorum catalogum, etsi unum ex illis Barnabam fuisse traditum sit.

Postquam hæc annotaveram, vidi cl. Freindaller in nupera sua hujus fragmenti editione locum ita interpretandum esse censere, quasi interfuisset Marcus *Petri concionibus*; etsi aiat postea, « fortasse cuipiam « obrepere posse opinionem Marcum, cum Christo « conversatum, ea *quibus ipse interfuit*, postea scripsisse, idque esse quod fragmenti auctor « iis verbis innuerit. Verum id ipsum apud Papiam « antiquissimus presbyter, Aristio, pernegat; neque « fas est evangelistæ Marci personam cum altera « Joannis Marci confundere, cujus in Actibus Apostolorum cap. XII mentio fit, de quo quidem poste« riore simile quid opinandi locus esse videretur. » Hæc ille. Verumtamen, quidquid de Marci discipulatu, aut de Joanne Marco, statuitur, nihilominus potest fieri ut hujusmodi quid auctor fragmenti revera scripsisset: *Marcus discipulus et interpres Petri juxta quod Petrum referentem audierit* (huc usque Hieronymi verba affero, *de Viris Ill.* c. 8.), digessit res gestas a Domino, *quibus tamen interfuit, et ita posuit.* Idem illud de Petro et Marco habent, præter presbyterum Papianum Joannem, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Eusebius, Epiphaniusque. Ait Tertullianus quoque lib. IV *adv. Marcion.* cap. 5: *Marcus quod edidit, Petri affirmari, cujus interpres Marcus.* Porro Evangelium hoc a Joanne apostolo comprobatum fuisse tradit Eusebius lib. III *Hist.* cap. 24.

Ad Eusebii verba quod attinet, in lib. II *Hist.* cap. 15, et lib. IV, cap. 14 de Marci Evangelio posita, quæ utroque loco ex uno eodemque Clemente, si modo Clementis fuerint hypotyposes illæ, quæ multa saltem frivola atque absurda continebant, desumpta sunt; mihi quidem ita illa concilianda atque interpretanda videntur, ut statuantur ibi Romani Marcum, qui Petri jamdiu fuisset sectator, rogasse, ut quæ dicta ab eodem essent, conscriberet, et postea secum communicaret. Hoc vero rogatum ubi Petro innotuisset, nec prohibuisse eam rem fieri, neque ut fieret incitasse. Ea vero perfecta, cum Evangelium confectum fuisse novisset, Petrum librum illum auctoritate sua libenti animo comprobasse, ut deinceps in ecclesiis legeretur. Cæterum, quanti faciendum sit Papianum de Marci Evangelio testimonium ex ore Joannis presbyteri acceptum, supra ad Papiæ Fragmenta admonui, vol. I, pag. 36, qui et primus omnium nominatim de S. Matthæi Evangelio commemoravit.

*Et ita posuit.* Hoc est litteris mandavit, sive composuit.

*Librum secundo Lucam.* Anne *liber secundum Lucam?* Reposuit et Freindaller *secundum*, qui recte monuit antiquitatem hujus epigraphes seu tituli Evangeliorum ex hoc fragmento ostendi.

*Cum eo Paulus quasi ut juris studiosum secundum assumpsisset, numeni suo ex opinione conciliset.* Lineolæ separantes (lineæ post voces *secundum*, *assumpsisset*, *suo*, *conscrisset* (*conciliset*) a Freindaller additæ) suspicionem meam hiatus omissarum vocum indicant. Sphalmata grammatica sunt, *eo* pro *eum*, *numeni* pro *nomine*, *conscrisset* pro *conscripsisset.* Propositio subsequa, qua periodus finiatur, penitus desideratur. Quæ vero loci hujus explanatio? Irenæus scribit apud Eusebium *H. E.* lib. II, cap. 8, post mentionem de Marci Matthæique Evangeliis, « Lucas quoque sectator Pauli, Evangelium a Paulo « prædicatum litteris mandavit. » An forsitan fragmentario nostro dicere idem mens fuit, Lucam nimirum suo nomine prædicata a Paulo, acta Evangelica, secundum opinionem plerorumque, e. g. Irenæi, in formam hanc conscripsisse? Medicum Lucam antiqui passim prodidere, nonnulli quoque pictorem; Callistus demum Nicephorus, in *Breviario Hist.*, lib. II, cap. 45, narrat de illo quamplurima. Verum *juris* quoque *studiosum*, cumque, ut talem a Paulo sibi comitem adjunctum, ut adducto fragmenti loco dicitur, haud ullibi locorum legisse me memini. Fecerit hoc forte Apostolus eo fine ut jurisconsulto socio faciliorem sibi sive ad doctos sive magistratus disponeret accessum. Maxime autem, quis vocis additæ, *secundum*, genuinus sensus sit, divinatu arduum. Anne idem ac *repetita vice?* tum obtineret hæc interpretatio: postquam cum Paulus, *secundo*, sibi ut jurisconsultum sociasset, illum hoc Evangelium scripsisse. An vero præcedens vel subsequens hanc voculam, altera quædam desideratur? Id fore arbitror proximum veritati. Hæc Freindaller. Inquinatissimus est locus, sed fortasse ita repurgandus: cum *eum* Paulus quasi *et* juris (καὶ τοῦ δικαίου) studiosum *secum* assumpsisset, *nomine* suo ex *ordine* (καθεξῆς σοι γράψαι S. Luc. I, 3, *ex ordine tibi scribere* Vulgat. interp. Vid. et infra, ubi de Joanne hæc sunt, *scriptorem* se *omnium mirabilium Domini* per ordinem, *profitetur*) *conscripsit.* Evangelium quidem a Paulo prædicatum Lucam sectatorem ejus litteris mandasse, multi e veteribus tradiderunt, ut Irenæus, lib. III *contra Hæres.* cap. 1, Origenes, Eusebius, Hieronymusque. *Nam et Lucæ digestum Paulo adscribere solent*, ait Tertullianus *adv. Marcion* 4, 5, hoc bene addito, *magistrorum videri posse*, *quæ discipuli promulgarint.* Ad verba autem illa quod attinet, *et juris studiosum*, fieri potest ut quædam hoc loco collatio habeatur jurisprudentiæ, seu scientiæ æqui bonique, cum arte medica, quam Lucas professus est. Certe ad integritatem verborum confirmandam facit principium *Commentarii Rerum Lucæ* a Combefisio in *Auctario* suo *Patrum* primum editi. Et καὶ δικαίῳ, ait ibi Metaphrastes, μνήμῃ μετ' ἐγκωμίων τελεῖσθαι, θεῖος τις ἀνὴρ καὶ σόφος τὰ θεῖα νομοθετεῖ (Prov. X, 7), τόσην ἄρα τῷ ἀποστόλῳ συνεισενεγκεῖν προσῆκε τὴν εὐρημίαν. τοῦτον γὰρ ἡ ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗ καὶ τῆς ἀποστολῆς ἄξιον, καὶ ΤΟΥ ΑΓΑΠΗΤΟΝ ΟΦΘΗΝΑΙ ΤΩ ΠΑΥΛΩ, διαγρύντος ἐποίησεν. Addas quod *Vett. Gloss.* habent, δίκαιον, *jus*, *justum.* Quod vero emendaverim *secum* pro *secundum*, illud fortasse stabiliendum ex *Act. Apost.* XV, 37. *Barnabas autem volebat* secum assumere *et Joannem qui cognominabatur Marcus.* De *nomine* autem pro *numeni* reposito, hoc notandum est scripsisse auctorem paulo infra, *Joannes suo nomine cuncta describeret.*

*Dominum tamen nec ipse vidit*, etc. Videsis quæ paulo supra de hac re annotavi.

*Posuit.* For. hypostigme, prout feci, pro puncto poni debet, neque enim huic loco quædam decesse cum Freindallero existimandum est.

*Ita et a nativitate Joannis incipet dicere.* Error calami pro *incipit.* Freindaller. Hinc interea firmantur priora illa Evangelii Lucæ capita quæ ei abjudicare hæretici cum veteres tum recentiores gestierunt. Est quoque notatu dignum agnovisse eamdem hanc Evangelii partem non tantum omnes, quos hic memorabo, scriptores, Justinum Martyrem, Irenæum, Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Julium Africanum, Origenem, Cyprianum, Novatianum, auctorem *Computi de Pascha*, Victorinum, Petrum-

Digitized by Google

(*Luc. cap.* 1) a nativitate Joannis incipet [a] dicere. A velatum, alterutrum nobis enarremus. Eadem nocte
Quarti Evangeliorum [b] Joannis ex discipulis. Cohor- revelatum Andreæ ex apostolis, ut recognoscentibus
tantibus [c] condiscipulis et episcopis, suis dixit: Con- cunctis Joannis [d] suo nomine cuncta describeret. Et
jejunate mihi hodie triduo, et quid cuique fuerit re- ideo licet varia singulis Evangeliorum libris principia

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Incipit *reposuit Freindaller*.
[b] *Fort.* Quarto, Evangelium. *Routh.*
[c] *Fort.* Is cohortantibus. *Routh.*
[d] Joannes. *Freindall.*

## MART. JOSEPHI ROUTH COMMENTARIUS.

que Alexandrinum in *Canone* v, sed etiam, regnante Hadriano, Celsum apud *Origenem* lib. II, cap. 32, medioque sæculo tertio antitrinitarios auctore Novatiano in libro *de Trin.* cap, 24. Adde quod ex aliis scriptoribus retulit Eusebius, ipsum Lucæ Evangelium una cum duobus alteris Evangeliis a Joanne apostolo fuisse comprobatum. Vid. lib. III *Hist.* cap. 24.

*Evangeliorum.* Legendum *Evangelium*, aut potius *Evangelii librum*, ait Freindaller, quod supra habes.

*Ex discipulis*, ἐκ τῶν μαθητῶν; vid. et infra. Fortasse B statim post legendum, *Is cohortantibus*, cum vocula *is* voce antecedente absorpta fuisse videatur.

*Cohortantibus condiscipulis et episcopis suis*, etc. Confirmat Clemens Alex. apud Eusebium *H. E.* VI, 14. Scripserat enim ille in *Hypotyposibus* suis, Joannem, omnium evangelistarum postremum, cum videret in aliorum Evangeliis ea quæ ad corpus Christi pertinent, tradita esse, ipsum divino Spiritu afflatum spirituale Evangelium familiarium suorum rogatu conscripsisse. Narrat et ipse loco modo memorato Eusebius, lib. III *Hist.* c. 24, Joannem, cæteris ab eo Evangeliis approbatis, res gestas a Christo ante incarceratum Baptistam, cum rogatus esset, in Evangelio tradidisse. Hæc Clemens, Eusebiusque. Proxime accedat Victorinus, qui sub finem sæculi tertii floruit; ita enim ille de Joanne apostolo in *Commentario* ei adscripto *in Apocalypsim*, p. 1253, *in Biblioth. Parisinæ PP.* tomo I: *Nam et Evangelium postea scripsit. Cum essent Valentinus et Cherinthus et Ebion, et cæteri* C *scholæ Sathanæ, diffusi per orbem*, convenerunt ad illum de finitimis provinciis omnes, et compulerunt ut ipse testimonium conscriberet. Epiphanius quoque *Hæres.* LI, num. 12, dum memorat propositum illud divinam Christi naturam adstruendi, hæc scribere pergit: Διὸ ὕστερον ἀναγκάζει τὸ ὄγδοον πνεῦμα τὸν Ἰωάννην παραπτύμενον εὐαγγελίσασθαι δ' εὐλάβειαν καὶ ταπεινοφροσύνην, διὰ τὴν γεραιὰν αὐτοῦ ἡλικίαν.—Μετὰ ἱκανὰ ἔτη τοῦ διατρῖψαι αὐτὸν ἀπὸ (*for.* ἐπὶ) τῆς Ἀσίας, ἀνεγκάζεται ἐκθέσθαι τὸ εὐαγγέλιον, p. 434. ed. Petavii. Ait præterea Hieronymus, *de Viris Ill.* cap. 9: *Joannem novissimum omnium scripsisse Evangelium, rogatum ab Asiæ episcopis, adversus Cerinthum aliosque hæreticos, et maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse.* Eadem autem ac plura habet idem Hieronymus in procemio *Commentarii super Matth.* quæ brevi isthuic fragmento maxime affinia sunt. Ibi enim additur *ecclesiasticam narrare historiam* cum a fratribus cogeretur D ut scriberet, ita facturum se respondisse, si indicto jejunio in commune omnes Deum deprecarentur, *quo expleto, revelatione saturatum illud procemium e cœlo veniens eructavisse: In principio erat Verbum; et Verbum erat apud Deum; et Deus erat Verbum; Hoc erat in principio apud Deum.* Quod autem ad indictum jejunium attinet, quod nonnulli pro suspecto habuerunt, quia nemo ante Hieronymum jejunii meminisset, ejus nunc demum nobis testis est auctor iste Hieronymum duobus fere sæculis antecedens. Immo moris hujus apostolici in rebus magni momenti observati dabunt exemplum *Actus Apost.* capite XIV, comm. 22: *Et cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros, et orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino.*

*Alterutrum nobis enarremus.* H. e. an fuerit Evangelium rogatu eorum conscribendum, nec ne.

*Eadem nocte revelatum Andreæ*, etc. Singulare narrationis argumentum. Refert quid simile de Joannis Evangelio S. Hieronymus; nec minus lectu dignus de hoc Eusebius, *H. E.* lib. III, c. 24. Unicum vero nullibi alias repertum, participatio sancti Andreæ est in hoc labore evangelico. Tamdiune Andreas superstes? Testibus quippe Eusebio ac Hieronymo, Joannes sero admodum, redux nimirum ab exilio, Nerva, Trajanove Augustis, Evangelium suum scripsit. Ea tamen temporis designatio non firmiter adeo contestata est, ut non alteri breviori a relegatione illius in Pathmon insulam sub Domitiano, locus pateat. Potuisse porro attingere hos annos Andream, quis ibit inficias, cum ob multa vastissimaque Apostoli hujus itinera, quæ in historiis antiquissimis commemorantur, autumandi suggeratur ratio pervenisse illum ad prægrande senium, donec ab Ægæa, Achaiæ proconsule, crucis suspendio damnaretur. FREINDALLER.—In regionibus ab Asia non longe remotis Evangelium prædicasse Andream, fidem facit idoneus auctor Gregorius Nazianzenus, *Orat.* XXV, p. 438, edit. Paris. ubi Epirum huic apostolo provinciam fuisse ait. Porro narrat Hieronymus, c. 7, lib. *de Viris* III, ossa S. Lucæ cum reliquiis Andreæ apostoli ad Constantinopolim vigesimo Constantii anno translata esse; ubi ex Philostorg. *Hist. Eccl.* lib. III, c. 2, notavit Fabricius, ex *Achaia* translatas esse SS. Andreæ et Lucæ reliquias.

*Joannis suo nomine cuncta describeret.* Manifeste Joannes. FREINDALLER. De divino hoc Evangelio dignum notatu est verba ex eo adducta videri sub initium sæculi Ecclesiæ secundi ab Ignatio in *Epistola ad Philadelphenses*, § 7, quod et a presbyteris factum esse, qui Apostolorum discipuli fuerunt, refert Papias, aut saltem ipse Irenæus, lib. V, *contra Hæres.*, cap. ult. A Celso itidem apud Origenem locis duobus, lib. II, c. 37 et c. 54, Hadriano regnante Joannis Evangelium vel indicatum vel allatum est. Addas Justinum M. medio sæculo secundo idem adducentem in *Apologia* ad Antoninum Pium, Hadriano qui successit, § 61, p. 71, ed. Benedictin. Ut ulterius progrediamur in hac quidem re, nihil opus.

*Principia doceantur. Viderit*, inquit Tertullianus, *si narrationum dispositio variavit* (sc. apud Evangelistas), *dummodo de capite fidei conveniat.* lib IV, *adv. Marcion.*, cap. 2. Voce enim *principia* magis putem *capita* seu *propositiones* significari, quippe cum in ore omnibus sit doceri principia sive capita fidei, quam procemia seu præfationes; etsi contrarium quid suadere videatur capitulum tertium *Responsionum* a Victore Capuæ episcopo S. Polycarpo adscriptarum, ubi hæc sunt: *Rationabiliter Evangelistæ principiis diversis utuntur, quamvis una eademque evangelizandi eorum probetur intentio. Matthæus, ut Hebræis scribens, genealogiæ Christi ordinem texuit, ut ostenderet ab ea Christum descendisse progenie de qua eum nasciturum universi Prophetæ cecinerant. Joannes autem ad Ephesum constitutus, qui* (sic) *legem tamquam ex gentibus ignorabant, a causa nostræ redemptionis Evangelii sumpsit exordium*, etc., etc. *Nihil ergo contrarium reperitur, ubi licet diversis scriptis, ad eamdem tamen patriam pervenitur*, pag. 32 *Appendici. Ignatianæ* ab Usserio editæ Londini anno 1647. primum vero Polycarpi isthæc ex vetustissima super quatuor Evangelia Catena a Feuardentio ad *Notas Irenæanas*, lib. III, cap. 3, translata fuerant. Annotat hæc quoque Freindaller: « Eximium profecto

Digitized by Google

doceantur, nihil tamen differt credentium fidei [a], cum uno ac principali spiritu declarata sint in omnibus omnia de nativitate, de passione, de resurrectione, de conversatione [b], cum discipulis suis, et de gemino ejus adventu, primo in humilitate despectus, quod ro.....[c], secundum [d] potestate regali præclarum [e], quod futurum est. Quid ergo mirum si Johannes tam constanter singula etiam in Epistolis suis proferat, dicens in semetipso (I *Joan.* I, 1-4): A *Quæ vidimus oculis nostris, et auribus audivimus, et manus nostræ palpaverunt, hæc scripsimus.* Sic enim non solum visorem sed [f] auditorem, sed et scriptorem omnium mirabilium Domini per ordinem, profitetur.

Acta autem omnium Apostolorum sub uno libro scripta sunt. Lucas optime [g] Theophile [h] (*Act.* I, 1) comprehendit, quia sub præsentia ejus singula gerebantur; sicut et semote [i] (*Joan.* XXI. 18, 19.) pas-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Fides, *Freindall.*
[b] *Fortasse addend.* Domini. *Routh.*
[c] *Fort.* quod prophetatum. *Vide not. Routh*
[d] *Fort.* secundo. *Routh.*
[e] *Fort.* præclaro. *Routh.*
[f] *Fort.* se et. *Routh.*
[g] Scripta sunt Lucas *edd. Kirchnoser, forsan typog. vitio. Edd.*
[h] *Fort.* optime ea Theophilo. *Routh.*
[i] *Fort.* semota. *Routh.*

## MART. JOSEPHI ROUTH COMMENTARIUS.

« posteris testimonium collatæ evangelicis hisce « scriptoribus inspirationis, qui, utut diversis in « deductione historica usi exordiis, adeo tamen a « communi impulsore suo, sancto nimirum, *uno principalique Spiritu*, concordanter directi sunt, ut « acta fere præcipua, in horum libris singulorum, « haud discongrue consignata reperiantur. Recenset « ea auctor hoc ordine, ut ad historiam nativitatis « Jesu Christi, passionis, resurrectionis, conversa- « tionis cum discipulis, nempe a resurrectione, ge- « minique ejus adventus, veluti potissima capita, « cuncta reducat. » Hæc ille. Interea vero convenienter, ut opinor, cum auctore *Fragmenti* hujus *de Canone Novi Test.* S. Hieronymus in *Epistola ad Pammachium*, quæ est *de optimo genere interpretandi*, hoc posuit: *Sermonum varietas Spiritus unitate concordat;* p. 373, ed. Frobenii.

*Fidei.* Cor. fides. FREINDALL.

*Principali.* Forsan græce scriptum fuerat. Philoxeni glossa est, ἡγεμονικόν, *principale.*

*De conversatione.* Excidisse vox *Domini* videtur.

*Primo in humilitate despectus, quod ro..* Ait Freindaller « hoc ne conjectura quidem restitui posse; » neque mihi locum supplendi ratio constat. Conjecturam tamen legendum, sed fortasse a scopo aberrans, vel *quod prophetatum*, quod verbum interdum usurpatum est ab ecclesiasticis scriptoribus, vel *quod completum est* ἐπληρώθη. Hanc vocem posteriorem habes infra, si quid id refert. Lege porro Tertullianum in *Apologetico*, cap. 21: *Duobus enim*, inquit, *adventibus ejus significatis, primo, qui jam expunctus est in humilitate conditionis humanæ, secundo, qui concludendo sæculo imminet in sublimitate divinitatis exertæ; primum non intelligendo, secundum, quem manifestius prædicatum sperant* (scil. Judæi), *unum existimaverunt.* Quem quidem Tertulliani locum Cyprianus imitatus haud longe a fine opusculi *de Idolorum Vanitate* hæc scribit: *Sed significato duplici ejus adventu, uno qui exercitio et exemplo hominis fungeretur, altero qui Deum fateretur, non intelligendo primum adventum, qui in passione præcessit occultus, unum tantum credunt, qui erit in potestate manifestus.* Hæc Cyprianus. Conferas item quæ posuit magister ejus Tertullianus capite ult. libri sui *adversus Judæos.*

*Secundum potestate regali præclarum.* Cor. secundo... præclaro.

*Tam constanter.* H. e. tam fidenter, et asseveranter. *Gloss. vet.* constanter, εὐτα**ῶς, θαῤῥούντως.

*Dicens in semetipso.* Conjeceram ego, sicut Freindaller, reponendum esse *de* pro *in*; at verba fortasse sonant idem quod illa Tertulliani in lib. *de Pudicitia*, cap. 18: *Nam hoc etiam in sua persona Apostolus statuit. Adfirmans enim Christum ad hoc venisse, ut peccatores salvos faceret, quorum primus ipse fuisset, quid adjicit? « Et misericordiam sum consecutus, quo-* B *niam ignorans feci in incredulitate* (I Tim. I). Conferas anonymum auctorem *de Rebaptismate,—« propterea discipuli ejus arbitrantur, quod nulla alia ratione vitam æternam his præstiturus esset, nisi primum ipse vitam hanc temporalem cum illa æterna* in se ipso *continuasset* ad pag. 359 ed. Benedictinæ operum S. Cypriani.

*Sed auditorem.* For. legendum, se et auditorem.

*Per ordinem.* H. e. ordine, quomodo melioribus auctoribus mos scribere. Sed pariter atque hic auctor formulam vix sanam adhibuit, ita fecit Tertullianus *de Spectac.* cap. 5; Hieronymus, *de Viris Ill.* cap. 9; Optatus *de Schismate Donatist.* lib. III. p. 62 et p. 64 ed. Dupin., aliique scriptores. Cæterum, ait Freindaller, « Haud destituimur indiciis posteriores « esse epistolas Joannis Evangelio, auctoremque nostri « fragmenti, antiqua forsitan instructum traditione, « versibus 1-4 epistolæ primæ ad confirmandam dicti « Evangelici auctoritatem, usum eatenus, quatenus « Apostolus ipse his verbis ad illud a se scriptum « respexerit. Id quod profecto ita contigisse poterat; « quamquam hæc verba, ταῦτα ἀπεγγέλλομαι ὑμῖν, de « *prædicato* Evangelio intelligi æque possint. »

*Acta autem omnium Apostolorum sub uno libro scripta sunt. Lucas optime Theophile comprehendit, quia*, etc. Ait Freindaller: « Numerosas sensus cor- « rupti lacunas quis hoc loco non videt? At quæ « subsidii huic malo? Hæc ille. Sed forsan, vel deleri oportet verbum *sunt*, vel interseri vocem *ea* post *optime*, item scribi *Theophilo* pro *Theophile.* Consimilia istis de Luca traditis Hieronymus *de Viris Ill.* c. 7, post Eusebium habet, *Evangelium sicut audierat, scripsit: Acta vero Apostolorum sicut viderat, composuit.* Cæterum, cum librum hunc sacrum totidem verbis excitavit in Epistola sua Polycarpus, Joannis apostoli discipulus, § 1, confer et § 6, tum eum admiserunt Lucæque adscripserunt, ante synodum Nicænam, Irenæus, Clemens Alex., Tertullianus, Origenesque; e quibus Irenæus ex hoc libro solo, D quæ sit Apostolorum, qui Evangelia non scripserunt, doctrina, probationes suas collegit, lib. III, c. 12. Tertullianusque ait: *Hanc scripturam qui non recipiunt, nec Spiritus sancti esse possunt, qui necdum Spiritum sanctum possint agnoscere discentibus missum; sed nec Ecclesiam defendere, qui quando, et quibus incunabulis institutum est hoc corpus, probare non habent. De Præsc. Hæret.* cap. 22. Porro, affertur hic liber, auctore quidem ejus non nominato, ut sacer tamen ab ecclesiis Lugd. et Vienuensi, atque Polycrate, et ab auctore adversus Cataphrygas, et Firmiliano, et Cypriano, Pontioque diacono ejus, sicut ab auctore *Computi de Pascha*, et Victorino, et Lactantio, eumque ἐν τοῖς ὁμολογουμένοις posuit Eusebius.

*Sicut et semote passionem Patri evidenter declarat, sed perfectionem Pauli*, etc. At vero quomodo, quæ sequuntur e vestigio, explicanda sunt? *Et semote*

sionem Petri evidenter declarat [a], sed [b] (*Rom.* xv, 24, 28.) profectionem Pauli ab urbe ad Spaniam proficiscentis.

Epistola [c] autem Pauli, quæ, a quo loco, vel qua ex causa directe [d] sint, voluntatibus [e] intelligere [f] ipse declarant [g]; primum omnium Corinthiis schisma hæresis interdicens, deinceps Callactis [h] circumcisionem; Romanis autem ordine Scripturarum, sed e principium earum esse Christum intimans, prolixius scripsit. De quibus singulis necesse est a nobis disputari, cum ipse beatus apostolus Paulus sequens prædecessoris sui Joannis ordinem, nonnisi nominatim septem Ecclesiis scribat ordine tali. Ad Corinthios prima [i], ad Ephesios secunda, ad Philippenses tertia, ad Colossenses quarta, ad Galatas quinta, ad Tessalonicenses [j] sexta, ad Romanos septima. Verum Corinthiis et Tessalonicensibus licet pro correbtione [k] iteretur, una tamen per omnem orbem Ecclesia diffusa esse denoscitur [l]. Et Joannes enim in Apocalypsi, licet (*Apoc. capp.* I et II.) septem Ec-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *Fort.* declarant *Routh.*
[b] Sed et, *reposuit Freindall.*
[c] Epistolæ, *Freindall.*
[d] Directæ, *Freindall.*
[e] Volentibus, *Freindall.*
[f] Intelligere *omisit Routh. in textu, restituit in not. Edd.*
[g] *Fort.* declarat. *Routh.*
[h] Galatis, *Freindall.*
[i] *Fort.* primo, *et in sequentibus*, secundo, *atque ita deinceps. Routh.*—Epistola *rectius subaudi. Edd.*
[j] Thessalonicens. *hic et infra. Freindall.*
[k] Correctione *Kirchoser.*
[l] Dignoscitur *Freindall.*

## MART. JOSEPHI ROUTH COMMENTARIUS.

*passionem Petri evidenter declarat.* Carcerem forsitan Petri, prodigiosamque liberationem (*Act.* XII), his verbis innuunt; poterant enim ista omnimodis, imminentis Petro martyrii quasi præludia æstimari. — *Sed* (verosimilius, *sed et*) *profectionem Pauli ab urbe ad Spaniam proficiscentis.* Altum quidem Acta in nostris Bibliis Pauli hoc iter Roma ad Hispanos reticent. Verum truncatus procul dubio locus scire nos impedit an hujus mentio ibidem injecta, ad Acta Apostolorum, an potius ad alium librum pertineat. Attamen certi his reddimur, Paulum ab urbe Roma in Hispaniam commigrasse: indubie, postquam a Nerone absolutus est, a prima scilicet captivitate, de qua capite ultimo Actuum Apostolorum historia legitur. Utrum forsan veluti *eo facto* finiri librum Actorum, quemadmodum ordiri verbis: *Optime Theophile*, designaedi, fragmentario nostro intentio fuit? FREINDALLER. — Fortasse legendum, pro *semote, semota*, ut accipiatur verbum pro narrationibus *seorsum* et *separatim* positis, h. e. aliibi quam in *Actibus Apostolorum*; ac proinde locus ita restituatur, *sicut et semota passionem Petri evidenter declarant* (scil. *S. Joan.* cap. 21 comm. 18 et 19), *sed* et *profectionem Pauli ab urbe ad Spaniam proficiscentis.* De quo quidem itinere suo apostolus in *Ep. ad Romanos*, cap. xv, comm. 24, hæc scribit: ὡς, ἐὰν πορεύωμαι εἰς τὴν Σπανίαν, ἐλεύσομαι πρὸς ὑμᾶς, iterumque ad comm. 28, τοῦτο οὖν ἐπιτελέσας, καὶ σφραγισάμενος αὐτοῖς τὸν καρτὸν τοῦτον, ἀπελεύσομαι δι' ὑμῶν εἰς τὴν Σπανίαν. Huc autem pertinet scholium quoddam a cl. Matthæi ad cap. ult. *Act. Apost.* edit. suæ prolatum. Μετὰ τὴν διετίαν (comm. 30, commemoratam) εἰς Σπανίαν ἀπελθὼν ἐκήρυξε (Paulus), καὶ ὑποστρέψας εἰς Ῥώμην ἐμαρτύρησεν. Αὐτὸς Ῥωμαίοις ἔγραψεν, εἰς Σπανίαν ἐτείγομαι, καὶ ἐλπίζω διαπορευόμενος θεάσασθαι ὑμᾶς· καὶ πρὸς Τιμόθεον. Ἐν τῇ πρώτῃ μου ἀπολογίᾳ οὐδείς μοι συμπαρεγένετο. Ἱστέον δὲ ὅτι μέχρι τούτου ἱστορεῖ Λουκᾶς τὰ περὶ τὸν μακάριον Παῦλον ἐν ταῖς Πράξεσι τῶν ἀποστόλων, κατ' ἐκεῖνο καιροῦ τὸ βιβλίον συγγραψάμενος, καὶ τὰ καθεξῆς ἥκιστα γινώσκων· οὐδὲ τὸ μαρτύριον τούτου (Pauli) ἐγκατέθετο τῇ βίβλῳ, καταλιπόντες γράφειν ἐκεῖσε Λουκᾶς τε καὶ Ἀρίσταρχος ἐξήλθον p. 136. Posteriora vero verba, sive scholium alterum, Ἱστέον δὲ κ. τ. λ. exhiberi ab Œcumenio quoque in *Comment.* ad pag. 197, idem vir doctus monuit. Verumtamen merentur conferri de S. Pauli in Hispaniam profectione Sam. Basnagii *Exercitt. Historico-Criticæ*, ad pag. 511-516.

*Epistola autem Pauli, quæ; a quo loco, vel qua ex causa directe sint, voluntatibus intelligere, ipse declarant.* Corrigit Freindaller. ut post vidi. *epistolæ, directæ volentibus, ipsæ.* Malim ego reponere *declarat* pro *declarant*, propter verbum *interdicens* in sequentibus.

*Schisma hæresis.* Formula verborum insolentior. Græce σχίσμα τῆς αἱρέσεως. Mox *Galatis*, quod inferius quidem legitur, pro *Callactis* reposuit Freindaller.

*Ordine Scripturarum.* H. e., ni fallor, Scripturas Vet. Test. ordine adhibito, sive alias post alias, interpretatus. Atque ait Freindaller: « Verba *ordine* « *scripturarum*, non videntur quid innuere aliud « quam, Paulum hoc loco rationes suas, e Lege veteri pro stabilienda nova prætulisse, huicque illam « *ordine* subjecisse. »

*Principium.* H. e. ἡ ἀρχή, initium, fundamentum.

*Sequens prædecessoris sui Joannis ordinem.* Imperite scriptum, modo hoc velit auctor, quod tamen haud constat, imitatum esse Paulum *Apocalypsin*; nam, ut verisimiliter statuit Stoschius in *Comment. de Canone Libb. Novi Test.* cap. v, § 62, edita est *Apocalypsis* sub Domitiano, neque ad Claudii vel Neronis tempora retrahenda; quod quidem, ut dixi, nonnulli statuerunt viri illustres. Ait porro Freindaller existimare se Joannem Pauli prædecessorem nominatum ab auctore, « quod hunc præcesserit vocatione ad apostolatum; congruereque hanc vocem « significatu voci alteri, *Senior*, quam Joannes ipse « in suis epistolis usurpavit. Illa nimirum interpretatio veritati profecto haud dissona ordinem pericopes universum restituit; comparatione Paulinas « inter et Apocalypticas epistolas jam non ad utramque ætatem, verum dumtaxat ad septenarium « numerum spectante. »

*Prima....secunda*, etc., etc. Fort. legend. *primo.... secundo*, atque ita deinceps.

*Correbtione.* Sic antique pro *correptione.*

*Una tamen per omnem orbem terræ Ecclesia esse denoscitur* (*dignoscitur*). Tertullianus, *de Præscriptionibus Hæreticorum* cap. 20: *Omne genus ad originem suum censeatur necesse est. Itaque tot ac tantæ ecclesiæ una est; illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ, et omnes apostolicæ, dum una; omnes probant unitatem.*

*Licet septem ecclesiis scribat*, etc. Stoschius, ubi paulo superius, § 59: « Aliud adhuc sæculi secundi vel « tertii ineuntis vestigium mihi in eo reperisse videor, « quod auctor fragmenti, numerum ecclesiarum ad « quas apostolus Paulus Epistolas scripsit, ad imitationem Epistolarum Joannis ad septem ecclesias « Asiæ, pariter ad septenarium reducat. Fuisse enim « ineunte sæculo tertio, qui in eo mysterium aliquod « quæsiverint, videre est apud Cyprianum lib. I « *Testim. adv. Jud.* cap. 20. *Item*, scribit Cyprianus, « in Βασιλίων *primo*: *Sterilis septem peperit, et quæ « plurimos habebat filios infirmata est. Filii autem « septem, sunt ecclesiæ septem.* Unde et Paulus sep« tem ecclesiis scripsit, et Apocalypsis ecclesias « septem ponit, ut servetur septenarius numerus, *ut « dies septem, quibus Deus mundum fecit, ut Angeli*

Digitized by Google

clesiis scribat, tamen omnibus dicit. Verum ad Philemonem una, et ad Titum una, et ad Timotheum duas [a] pro affectu et dilectione, in honore tamen Ecclesiæ catholicæ, in ordinatione ecclesiasticæ disciplinæ, sanctificatæ sunt. Fertur etiam ad Laudecenses, alia [b] ad Alexandrinos, Pauli nomine fictæ ad hæresem [c] Marcionis; et alia plura, quæ in

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Duæ. *Freindall.*
[b] *Fort.* Laodicenses aliæ. *Routh.*
[c] *Fort.* hæresim. *Routh.*

## MART. JOSEPHI ROUTH COMMENTARIUS.

« *septem qui assistunt ante faciem Dei.* » Vide et ejusd. Cypriani *Exhort. Martyrii*, pag. 270, ed. Benedictin. « Neque forte inepta erit cogitatio, si dica« mus rationem cur dubia contra Epistolam ad Hebræos mota, apud quosdam veterum pondus « acceperint, prætensum hoc numeri septenarii mysterium, quem circa ecclesias ad quas Paulus « scripserit, omni modo integrum servare volebant, « fuisse. Unde quoque alii, qui de Epistola ad Hebræos non dubitabant, ne viderentur mysterium « numeri septenarii negligere, dicere maluerunt Pau« lum *bis septem*, quam eum quatuordecim epistolas « scripsisse. » Hæc Stoschius. Ait Freindaller « id« circo forte, ne excessus numerum istum offenderet, « Epistolam ad Hebræos omissam reperiri. Poterat « isthanc porro, etiamsi eam Paulo tribueret, hoc « loco incommemoratam jure dimittere; eo quod « Hebræi, sive Judæo Christiani, ad quos missa est, « mixti quidem singulis communitatibus essent, non « tamen propriam constituerent. » Sic disseruit ille, idque probabiliter. Sed de hac Epistola plus infra. Porro bene monuit Freindaller epistolas Apocalypticas sæculo secundo jam habitas fuisse *catholicas*, id est tales quæ ad universam (ὅλην) Ecclesiam directæ fuerint. *Septiformis* Ecclesia dicitur ab Optato in lib. II *de Schismate Donatist.* cap. 3, pag. 93, ed. Dupin. Ut vero locos omittam aliorum veterum scriptorum, qui cum Augustino in lib. VII *De Civitate Dei*, cap. 4, statuunt, *numero septenario* universæ *Ecclesiæ significatam esse perfectionem*, hoc tantum notabo, Jesum Christum, qui in omnium procul dubio ecclesiarum medio perpetuo versatur, in medio septem candelabrarum, h. e. ecclesiarum, visum esse a Joanne in *Apocalypsi*, cap. I, comm. 13. Jam vero afferenda mihi sunt valde affinia huic nostri fragmenti loco Victorini verba, quæ ex *Commentario in Apocalypsim* ei adscripto desumpsi. *In toto orbe septem ecclesias omnes esse, et septem nominatas, unam esse catholicam Paulus docuit. Et primum quidem, ut servaret et ipse typum septem ecclesiarum, non excessit numerum. Sed scripsit ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Thessalonicences, ad Philippenses, ad Colossenses. Postea singularibus personis scripsit, ne excederet modum septem ecclesiarum. Et in brevi contrahens prædicationem suam ad Timotheum sic ait:* Ut scias, qualiter debeas conversari in Ecclesia Dei vivi (I *Tim.* III, 15). Hæc Victorinus, cap. 1. Denique, dum numerus hic septenarius inter veteres Pythagoricos tam perfectus quam religioni aptissimus habebatur, unde *Etymol. Magn.*: Ἑπτάς, ἀπὸ τοῦ σέβω, σεπτάς τις οὖσα, ὡς θεία, καὶ ἀμήτωρ, καὶ πάρθενος, similia sectatus Glycas in *Annalibus* Spiritum S. vult cœlo descendisse decimo post die quam resurrexisset Christus, propterea quod numerus quoque denarius sit perfectus; part. 3, pag. 225, ed. Labbæi.

*Duas. Duæ* cum Freindallero reponend. Ita similiter corrigendum est paulo infra.

*In ordinatione ecclesiasticæ disciplinæ sanctificatæ sunt.* Ait Tertullianus fine libri ult. *adv. Marcionem: Soli huic Epistolæ* (scil. ad Philippens.) *brevitas sua profuit, ut falsarias manus Marcionis evaderet. Miror tamen, quod ad unum hominem* (Philemonem) *litteras factas, receperit, quod ad Timotheum duas, et unam ad Titum*, de ecclesiastico statu compositas recusaverit. Sic ille. Nota ad plures missam esse unam saltem ex his epistolis. Cæterum, ut de universis Paulinis dicam, cum manu ipsius Pauli aut scriptæ sint aut signatæ, epistolæ ejus omnes (vid. *Gal.* VI, 11 et II *Thess.* III, 18), et pleræque earum ad ecclesias frefrequentissimas, et diu postea florentes, missæ sint, in quibus ipsas recitari mos erat (conf. *Coloss.* IV, 16, cum Dionysii Corinthii *Fragmentis*, pag. 168, vol. I *Reliquiar.*), earumdemque ecclesiarum plerasque Paulus ipse postero tempore adiverit; haud dubitandum est quin nemini alii etiam recentiorum scriptorum, qui vita jam functus fuerit, adscribi possit gravioribus ac certioribus argumentis suum proprium opus. Adde quod ab apostolicis usque temporibus quotquot supersunt patres hasce tredecim epistolas, ut fidei religionisque testes ac regulam, protulerunt. De Pauli illa ad Hebræos, quæ ab auctore fragmenti omissa est, mox dicendum.

*Ad Laudecenses, alia ad Alexandrinos.* Fortasse scribendum, *ad Laodicenses alia, alia ad Alexandrinos.* Stoschius, *de Canone Libb. N. T.*, hæc scribit § 56: « Memoratur igitur primo epistola quædam Pauli ad Laodicendos, quæ ad hæresim Marcionis pertineat. Jam vero ex Tertulliano *adv. Marcion.*, lib. V, cap 11, 17, et Epiphanio, *Hæresi* XLII, constat Marcionem qui medio sæculo secundo, hæresin suam sparsit, epistolam aliquam ad Laodicenos in canone suo habuisse. Et quamquam ex Tertulliani verbis fere colligi debeat eam ab Epistola ad Ephesios non nisi titulo discrepasse, tamen ex Epiphanii testimonio, et quod Marcionis perpetuus fere mos fuerit genuina Apostolorum scripta corrumpere, vix dubitari poterit Marcionis illam ad Laodicenos, a genuina Pauli ad Ephesios Epistola dissensisse, eamque ab auctore fragmenti, intendi. Jungitur huic Epistolæ ad Laodicenos, alia Pauli ad Alexandrinos, cujus, inquit celeb. Muratorius, *nescio an quisquam alius memineri*t. Neque ego ullam ejus apud veteres mentionem reperire potui. Igitur vel plane periit, vel forte sub alio titulo veteribus commemorata est, cum certum sit plures sæpe uni eidemque libro apocrypho, datos fuisse titulos. Vid. celeb. Beusobrii Dissert. *de libris Apocryphis N. T.*, § 10, vel adhuc alicubi inedita latet. Certe Kirstenius testatur reperiri apud Arabes plures Pauli epistolas, nobis adhuc incognitas. Vid. Fabricius *Cod Apocr. Novi Testamenti*, part. II, pag. 920. » Hæc Stoschius. Ait Hieronymus fine cap. 5 lib. *de Viris Ill.*: *Legunt quidam et ad Laodicenses, sed ab omnibus exploditur.* Habet vero de hac epistola Philastrius quæ digna sunt ut huc quidem afferantur, in *Hæresi* sua LXXXIX. — *Alii autem Lucæ evangelistæ aiunt* (*Epistolam ad Hebræos*); *Epistolam etiam ad Laodicenses scriptam.* Et quia addiderunt in ea quædam non bene sentientes, inde non legitur in ecclesia, etsi legitur a quibusdam, *non tamen in Ecclesia legitur populo nisi tredecim Epistolæ ipsius* (Pauli), *et ad Hebræos interdum*, p. 169, ed. Fabricii. Interea singulare id est, quod nobis occurit in Ælfrici Abbatis *de V. et N. Testamento tractatu*, qui Ædgari regis Angliæ temporibus compositus est; cum enim idem Ælfricus omnes et singulos Novi Testamenti libros in canone Scripturæ reposuerat, solam his addidit Pauli Epistolam ad Laodicenos. Vid. p. 28, edit. Lisle, 1623 Denique brevissima quædam exstat Pauli epistola ad Laodicenos dicta, sed diversa a veteri scripto, et ex cæteris Paulinis contexta, quæ a Fabricio in *Cod. Apocrypho N. T.*, ad pag. 873, vol. II, recusa est.

*Ad hæresim Marcionis.* Græce, κατὰ τὴν αἵρεσιν τοῦ Μαρκίωνος. *Vett. Gloss. Secundum*, ad, κατα

Digitized by Google

catholicam Ecclesiam recipi non potest. Fel A sane Judæ, et superscripti Johannis duas [a] enim cum melle misceri non congruit. Epistola

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Duæ *Freindall.*

## MART. JOSEPHI ROUTH COMMENTARIUS.

« Altera hic præterea, » inquit Freindaller, « subreptitia cum inscriptione ad Alexandrinos, occurrit Pauli Epistola, de qua quidem quid statuendum, ipsi Muratorio exploratum non est, quin nec ego memini de simili Epistola umquam aliquid mihi venisse ad manus. Litteras porro hasce tum ad Laodicenos, tum Alexandrinos, confirmandæ hæreseos Marcionitarum gratia conflatas fuisse auctor noster commemorat, quo fit ut origini earum certa epocha figi possit. Quid? quod Epiphanii quoque testimonium hisce consonet, *Hæresi* B XLII diserte scribentis Marcionem roborandis suis erroribus ab Epistola ad Laodicenos subsidia mutuasse. »

*Recipi non potest.* Ad formam græci sermonis, παραλαμβάνεσθαι οὐ δυνατόν ἐστι. Sed *possunt* pro *potest*, reponere vult Freindaller.

*Fel enim cum melle misceri non congruit.* Simili usus est metaphora senior ille apud Irenæum ad pag. 42. vol. I *Reliquiar. : In Dei lacte gypsum male miscetur.*

*Et surperscripti Joannis duas.* L. *duæ*. ut supra ad lin. 8. Stoschius, *de Canone Libb. N. T.* §. 53 hæc scribit : « Auctorem hujus fragmenti ad ultima « sæculi II vel initia sæculi III referendum esse, « ex eo colligo quod haud pauca in eo de libris « Novi Testamenti occurrant, quæ opinionibus quo« rundam Christianorum illius ætatis plane confor« mia sunt. Scilicet 1. Omittuntur in hocce librorum » sacrorum canone Epistola ad Hebræos, Epistola « Jacobi, et Joannis apostoli non nisi duæ com- C « memorantur. Jam vero utramque, ad Hebræos « et Jacobi Epistolam, quin etiam tertiam Joannis, « versus sæculi secundi finem, a quibusdam in « canone non relatas fuisse, clarissimis testimoniis « constat. Quod enim ad Epistolam ad Hebræos « attinet, eam ab Irenæo et discipulo ejus Hip« polyto, non genuinum Pauli opus habitam fuisse, « testatur Stephanus Gobarus apud Photium, Bibl. « Cod 232 Ὅτι Ἱππόλυτος καὶ Εἰρηναῖος τὴν πρὸς Ἑβραίους « ἐπιστολὴν Παύλου, οὐκ ἐκείνου εἶναι φασίν. *Hippolytus « et Irenæus Epistolam Pauli ad Hebræos ejus esse « negant.* Ibid. Cod. 121 ex Hippolyti libro contra « Hæreses: Λέγει δὲ ἀλλά τέ τινα τῆς ἀκριβείας λειπόμενα, « καὶ ὅτι ἡ πρὸς Ἑβραίους ἐπιστολὴ οὐκ ἔστι τοῦ ἀποστόλου « Παύλου. *Dicit et alia quædam parum accurata, et « quod Epistola ad Hebræos non sit apostoli Pauli.* « De Caio presbytero Romano, uti id jam observavit « Muratorius, Eusebius *Hist. Eccl.* lib. VI. cap. 20, « pariter refert eum in disputatione adversus Pro- D « clum, Cataphrygarum hæresis propugnatorem, « *tredecim solum divini Apostoli commemorare Epis« tolas*, eam quæ ad Hebræos inscripta est, cum « reliquis non annumerans. Quid Origenes de ea « senserit, vide supra § 48, » (ubi de ista Epistola tamquam opusculo sententiam Pauli referente sensisse Origenem, Stoschius ostendit). « Epistolam « vero Jacobi circa idem tempus non ab omnibus « in canone relatam fuisse, testis est Eusebius *Hist.* « *Eccl.* lib. II. c. 23, in fine. *Sane pauci admo« dum ex vetustioribus, tum hujus Epistolæ, tum « illius Judæ, quæ et ipsa in septem catholicarum « numero recensetur, mentionem fecere.* De tertia « autem Joannis constat eam pariter a quibusdam « dubiam habitam. Certe Irenæus primam et se« cundam Joannis citat; tertiæ autem mentionem « non injicit. Vid. Lardnerus *Fide Hist. Evang.*, « part. II, tom. I. c. 17, pag. 301, 302. » Hæc Stochius.—I. De *Epistola* vero *ad Hebræos* hoc velim adjicere, Barnabæ non Paulo eam adscripsisse Tertullianum in lib. *de Pudicitia*, c. 20, quod et Hieronymus memorat de Tertulliano in libro *de Viris Ill.* cap. 5, neque in canonem Latinorum receptam eamdem fuisse etiam Hieronymi temporibus. Videnda enim inter alios locos *Epist.* ejus *ad Dardanum* p. 69 ed. Frobenii. Attamen haud constat Irenæum Hippolytumve discipulum ejus, quos supra nominat Stoschius, hanc Epistolam e librorum sacrorum numero ejecisse, quippe cum, teste Eusebio lib. V *Hist.* cap. 26, ex ipsa sententias quasdam idem ille Irenæus in opere suo *Variarum Disputationum* adduxisset. Origenes quoque in hanc Epistolam scripsit commentarios. Porro in loco modo excitato Dardano ostendit Hieronymus, suscipi eam quasi Pauli apostoli ab ecclesiis Orientis et ab omnibus græci sermonis scriptoribus. Certe ego inter legendum clare atque aperte factum illud ab auctoribus, quos hic nominabo, vidi; quique omnes, exceptis S. Petro Alexandrino episcopo, atque Eusebio, ante sæculum tertium finitum vixerant; a Clemente nimirum Alexandrino, etsi a Romano quoque Clemente etiam existente sæculo primo epistola adducta est in capitibus ejus 17 et 36; a vetere insuper presbytero apud eumdem Clementem Alex. quem p. 472. vol. I *Reliquiar.* collocavi, ab Origene, cum alibi, tum in *Epist. ad Africanum* c. 9; a Dionysio Alexandrino, præsulibus Antiochenis in *Epistola* sua *ad Paulum Samos.* pp. 473 et 474 in vol. II. posita, Petro Alexandrino in *Canone* suo *nono*, denique ab Eusebio ipso *de Mart. Palæst.* c. 11. Addendi Clementi Romano, qui haud ipsum Pauli nomen apposuit, Pinytus in Epistola *ad Dionysium Corinthium*, p. 132. vol. I *Reliquiar.*; Theognostus catecheticæ in Alexandrina urbe scholæ præfectus; S. Methodius, in *Convivio Virg.* pp. 90 et 96 ed. Combefis.; Manesque et Archelaus in *Disputatione* capp. 5, 34, et 41 et 53.—II. Ad *Jacobi* quod attinet *Epistolam*, quam, sicut Judæ illam, omisit saltem in recensione sua librorum sacrorum apud Eusebium, lib. VI. cap. 25, Origenes, mihi monendum est verba Eusebii quæ commemoravit Stoschius, in græcis esse, οὐ πολλοὶ τῶν παλαίων αὐτῆς ἐμνημόνευσαν, quæ vertit quidem Valesius, sed vix accurate, *pauci admodum ex vetustioribus;* etsi forsan ita loqui etiam Eusebii temporibus licuisset, nam, si qui sunt præter Irenæum, lib. IV, c. 16 vel. 30, pauci existunt e scriptoribus Eusebio vetustioribus, nunc superstitibus, qui hanc Epistolam aperte adduxerint; nonnulli tamen alii istorum superstitum ad ipsam, præcipue ubi Veteris Testamenti loci in ea adducuntur, possunt respicere. Certe mox ostensurus sum omnes Epistolas catholicas a Clemente Alexandrino in *Hypotyposibus* suis breviter enarratas fuisse. Tum vero a Syris Epistolam Jacobi receptam esse, refert Causmas Indicopleustes, *de Mundo* lib. VII, pag. 292 edit. Montfaucon.; eademque epistola in versione semper extitit Syriaca, sicut una alia præterea ex septem Scripturis ἀντιλεγομέναις, Epistola ad Hebræos. — III. Denique de *Tertia Epistola S. Joannis* hæc addam commentatum quidem fuisse in duas priores hujus apostoli Epistolas eumdem Clementem, id testante in lib. primo *Divin Lectionum* Cassiodoro, cap. 8, immo vero exstare adhuc quæ adscribuntur Clementi Alex. *Adumbrationes* in has duas Epistolas, non in tertiam; sed tamen tradere Eusebium lib. VI, *Hist.* cap. 14, Clementem in libris ὑποτυπώσεων omnium utriusque Testamenti Scripturarum compendiosam insti-

Digitized by Google

in catholica habentur. Et Sapientia ab amicis Salomonis in honorem ipsius scripta. Apocalypsis [a] etiam Johannis et Petri tantum recipimus, quam quidam ex nostris legi in Ecclesia nolunt.

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *Fort.* Apocalypses. *Routh.*

## MART. JOSEPHI ROUTH COMMENTARIUS.

tuisse enarrationem, *ne illis quidem prætermissis scripturis de quibus inter multos ambigitur, Judæ Epistola, et Barnabæ, ac reliquis catholicis Epistolis.* Scripserat ergo Clemens, si accuratus testis est Eusebius, commentarios in tertiam Epistolam Joannis, sicut in Jacobi Epistolam. Utcumque res habet, hoc certe colligendum est, ex eo quid idem Clemens in lib. II *Stromatum* cap. 15, primam Joannis Epistolam adducens, quam omnes a Polycarpi usque temporibus receperant, ἐν τῇ μείζονι ἐπιστολῇ posuit, tribuendam esse saltem illam secundam ex Clementis sententia Joanni apostolo, non presbytero, cui quidem multi antiquitus, teste Hieronymo c. 9, *de Viris Ill.* et Eusebio lib. III *Hist.* c. 38, duas Epistolas posteriores asserere solebant; haud tamen consentiente Hieronymo ipso, qui, ut ex Epistolis ejus *ad Paulinum* p. 9 ed. Froben. et *ad Evagrium* p. 334, constat, utramque Joanni apostolo adscripsit. Interea quinam scriptores ante Cypriani tempora secundam amplexi fuerint Epistolam, supra ostendi ad Concil. Carthag. VII, pag. 166, vol. III, *Reliquiar.* quibus nunc addam auctorem ante synodum Nicænam qui scripsit Alexandrum Alex. in *Epistola* sua apud Socratem, lib. I *Hist.* c. 6. Fatendum vero est in nullum me incedisse scriptorem ante-Nicænum, fortasse propter epistolæ brevitatem, qui tertiam epistolam adduxerit, nisi qui post factam mentionem ejus, vel sui ipsius, vel aliorum saltem, dubitationem de hujus atque secundæ epistolæ γνησιότητι simul addiderit. Sed hæc hactenus.

Interea qui fit, quod magis miremur, ut sileat hujus fragmenti auctor de Epistola priore S. Petri, quæ, teste Eusebio, atque ipso apud Eusebium Origene, ἐν ταῖς ὁμολογουμέναις censetur Scripturis, sive, apud omnes, et semper, et ubique, recepta fuit; quamque tot Patres a Polycarpi et Papiæ usque temporibus in operibus suis adduxerunt? Rem prorsus intactam et Stoschius et Muratorius silentio prætermittunt. Dictum fore a quoquam vix putem, Ecclesiæ, in qua vixerit hic anonymus de canone scriptor, nondum S. Petri Epistolam innotuisse, nam floruit idem medio sæculo secundo. Ait quidem, ut mihi jam constat, cl. Freindaller : « Prætereuntur hoc loco duæ Petri Epistolæ, « quarum prima coævo jam communiter recepta invenitur; non minus Epistola Jacobi, quæ auctori Romæ viventi nequibat esse incognita; tertia denique « Joannis Epistola prorsus reticetur. Verum ex una « parte pensandum est agi hic de fragmento, quod « locis quamplurimis integritate sensus destituitur, « et vel idcirco litem etiamnum pendere, an non in « contextu vel præmisso, vel subsequo, et hæ Bibliorum partes commemoratæ fuerint, atque, sollummodo mutilati operis vitio, hodie mentio earum desideretur; ex altera parte dissimulandum « non est non omnes in omnibus ecclesiis libros « divinos eodem tempore fuisse receptos, atque ab « ipso Eusebio singillatim Epistolam Jacobi, secundam Petri et tertiam Joannis antilegomenis annumerari. » Hæc ille, ubi hoc solum notabo, Eusebium, qui libros S. Scripturæ prædictos τοὺς ἀντιλεγομένους plus semel nominat, addere, γνωρίμους δ' οὖν ὅμως τοῖς πολλοῖς, et ὅμως δὲ ἐν πλείσταις ἐκκλησίαις παρὰ πολλοῖς δεδημοσιευμένους. Ut ut res se habet, quacumque de causa S. Petri Epistola omissa est, Epistolam sane *Judæ* auctor commemoravit, quam tamen norunt omnes inter τὰς ἀντιλεγομένας Scripturas Eusebium recensuisse, qui lib. quoque *Hist.* II, cap. 23, loco a Stoischio supra adducto, ait non multos ex vetustioribus hujus Epistolæ mentionem fecisse.

Ex his paucis vidi ego afferentes eam tamquam S. Scripturæ librum, Tertullianum, Clementem Alexandrinum, Origenemque, et fortasse Concilium Antiochenum contra Paulum Somosatenum habitum, auctoremque contra Novatianum, a quo quidem, quæ saltem Judas ipse protulerat, referuntur. Quibus scriptoribus nunc demum radendus est hujus fragmenti auctor, qui et alios præterea duos ex iisdem septem libris S. Scripturæ controversis suffragio suo, ut vidisti, confirmat, *Apocalypsin, Epistolamque alteram Joannis.* Adhæc, quod majus est, nullum, uti jam monui, ὑποβολιμαῖον opus canoni Novi Testamenti idem scriptor obtrusit præter Petri *Revelationem*, simul tamen commemorata νοθείας nota, quæ ab aliis libro infixa erat. Porro omnes τὰς ὁμολογουμένας Scripturas idem hic Noster enumeravit, una tantum omissa, quæ est illa S. Petri Epistola.

*In catholica.* Græce τῇ καθολικῇ, et subaudita, ut interdum fit, voce ἐκκλησίᾳ. Exempla autem tum in Tertulliano libro *de Præscr. Hæreticorum*, cap. 30, tum sæpe alibi apud recentiores Tertulliano scriptores Optatum et Augustinum, occurrunt. Vid. et notas ad S. Cornelii Fragmenta p. 30, vol. III. In *Codice* quoque *Theodosiano*, lib. XVI, tom. II, *de Episc.*, lege 4. Constantinus imp. habet, *sanctissimum catholicæ concilium.* Itidem in *Codice Canonum Afric.* num. 109 hæc exstant : *Itemque si fuerit episcopus ad catholicam ex Donati parte conversus*ve, etc., ubi interpretatio græca, ὁμοίως δὲ καὶ ἐὰν ἐπίσκοπος ἐκ τῶν τοῦ Δονάτου μερῶν πρὸς τὴν καθολικὴν ἐπιστρέψῃ, etc.

*Sapientia ab amicis Salomonis..... scripta.* Cum in *Versione* τῶν ὁ hoc opus exstaret, quod non solum a Methodio adducto ad Melitonis Fragmenta p. 128, vol. I nomine *Sapientiæ* insignitum est, sed etiam a Clemente Alex. aliisque Methodio vetustioribus; ita dictum fuit eumdem librum saltem ut ecclesiasticum atque utilem, quamvis incertæ originis ac Judaico canoni ignotum, vetustiores Christiani, perinde atque auctor noster, adduxerunt. Parum autem verisimile est certe novum atque inauditum, quod ait fragmenti auctor, conscriptum esse librum ab amicis Salomonis, qui quidem liber, testante Hieronymo in *Præfat. in Proverbia, apud Hebræos nusquam est*, p. 26. Hoc interea monuit Freindaller : « Qua ratione liber Sapientiæ, nisi forte de diverso sermo sit, locum « inter Scripturas novi fœderis hic nactus sit, critices « aciem fugit. Verum Psalmorum quoque memoria, « in hoc fragmento, paullo inferius, sed primoribus « tantummodo labiis attingitur. »

*Apocalypsis.* For. *Apocalypses*, sed mavult rescribere Freindaller. *Apocalypsim.*

*Et Petri tantum recipimus, quam quidam ex nostris legi in Ecclesia nolunt.* « Recte hæc, » ait Muratorius, ubi supra, ad pag. 853, « in Caii tempora con« veniunt. Eusebius enim lib. III, cap. 25, Apoca« lypsim Petri inter dubios quidem libros recenset, « non tamen abjicit veluti hæreticorum fœtum. Eo« dem quoque testante, lib. VI, cap. 14, Clemens « Alexandrinus eadem Apocalypsi est usus, non se« cus ac Epistola Barnabæ (Epistolisque catholicis). « Sozomenus pariter nos monuit, lib. VII, c. 19, hanc « Apocalypsim in quibusdam Ecclesiis Palæstinæ « usque adhuc singulis annis semel legi. » Hæc Muratorius. Ita video memoratos in *Luterculo* quodam *SS. Scripturarum*, quem primus edidit Cotelerius in *Judicio de Epistola S. Barnabæ*, quatuor alios libros extra canonicos illos N. T. *Barnabæ Epistolam, Pastoris, Actus Pauli, Revelationem Petri*; quæ ipsa ope-

Pastorem vero nuperrime temporibus nostris in A

## MART. JOSEPHI ROUTH COMMENTARIUS.

ra, addito libro qui inscriptus est *Apostolorum Doctrina*, Eusebius, loco prius a Muratorio nominato, posuit post τὰς ὁμολογουμένας controversasque Scripturas, quasi libros quidem νόθους, sed prorsus omissa immensa illa τῶν ψευδεπιγράφων farragine qui ab hæreticis sunt confecti. Attamen nimis ludicra sunt brevia illa ex Petri *Apocalypsi* translata ad *Eclogas* Clementi Alex. attributas, quam ut minimam habeat liber venerationem. Vid. §§ 49 et 50, pag. 207, *Combefisiani Auctarii Patrum Noviss.* Fortasse interea nonnulli putent, relativum *quas* pro *quam* hoc loco reponi debere, ut simul comprehendatur Joannis *Apocalypsis*, in quem quidem librum iniquiores temporibus illis aliquot homines extitisse notum est; etenim de receptione ab Ecclesia inter Scripturas divinas hic agi, non tantum de lectione in sacris conventibus, B quemadmodum fit in canone ultimo concilii Laodiceni, ubi omissa est *Apocalypsis*, verba mihi suadent quæ de Hermæ *Pastore* statim post sequuntur. Confer omnino Filastri locum quem supra adduxi. Quot vero scriptores Caio presbytero aut vetustiores, aut saltem ejusdem ætatis, librum Apocalypticum amplexi fuerint, dixi ante ad Caii Fragmenta p. 16, vol. II, quorum et nomina nunc apponam; ii sunt Papias, Justinus M., fratres Viennenses et Lugdunenses, cum Irenæo, Melito, Theophilus Antiochenus, Apollonius, Hippolytus, Tertullianus, Clemensque Alexandrinus; quem postremum Patrem Joanni apostolo *Apocalypsim* attribuisse, ostendere convenit ex Clementis opusculo quod inscriptum est, *Quis dives salvetur*. Cum enim in sectione ejus ultima refertur, Joannem *apostolum* post tyranni obitum e Pathmo insula Ephesum rediisse; hoc ipsam relegationem suam commemorat *Apocalypsis* auctor Joannes, cap. I, comm. 9. Alios scriptores omitto ad Dionysium Alexandrinum usque, qui presbytero quidem Joanni, non apos- C tolo, librum attribuebat, ibidem tamen opus hoc divinum a sacris minime abjudicans; vid. lib. VII *Hist. Eusebii* c. 22, immo vero in fragmento *Epistolæ* suæ *ad Hermammonem*, quæ ab eodem Eusebio conservatur, lib. VII, cap. 20; verba inde adduxit Dionysius, tanquam ex illo libro prophetico et θεοπνεύστῳ. Καὶ τοι Ἰωάννης, inquit ille, ὁμοίως ἀπεκαλύπτεται, etc.

*Pastorem vero nuperrime temporibus nostris*, etc. Contra eorum opinionem qui auctorem libri dicti *Pastoris* velint Hermam esse, cujus S. Paulus meminit *Epistolæ* fine *ad Romanos* cap. XVI, comm. 14, aut saltem antiquissimum scriptorem qui ante Hieosolymam excisam vixerit, argumentum affert cel. Moshemius, in lib. *de Rebus Christianorum ante Constant. M.* Sæc. I, § 54, ex vetustissimo scriptore *Carminis contra Marcionem*, quod Tertulliano tribuitur; ubi sub fin. lib. III, hæc sunt:

> Jamque loco nono cathedram suscepit Hyginus,
> Post hunc deinde Pius, Hermas cui germine frater D
> Angelicus Pastor, quia tradita verba locutus.

Quo versu ultimo Moshemius vult legere *cui* pro *quia*, dum alii fortasse melius posuerunt *qui*. Sed hac re missa, isthæc scribere vir cl. pergit: « Reliquos vete- « rum de Herma, Pii fratre, locos, ut cum Tertul- « liano prorsus consentire et ei librum *Pastoris* tri- « buere, doceam, necesse non est. » (*Librum Pontificalem* et *Martyrologia* in animo habet Moshemius.) « Testem enim bona fortuna paucos ante annos no- « bis adduxit exceptione majorem et Hermæ nostro « æqualem, qui omnem extra controversiam ponit « *Pastorem*, quem habemus, sæculo secundo a Pio, « Romani episcopi, fratre, conscriptum esse..... » (Vid. supra, col. 172.) « In hoc igitur magni pretii frag- « mento hæc de Herma scripta leguntur: *Pastorem* « *vero nuperrime temporibus nostris in urbe Roma* « *Herma conscripsit, sedente cathedra urbis Romæ* « *Ecclesiæ Pio episcopo, fratre ejus.* Hæc luculenta « sunt, omnemque virorum doctorum de Hermæ « ætate, loco, conditione, disputationem terminant. « Succedunt alia verba non minus commemorabilia, « ex quibus, quo loco et numero Hermas in Ecclesia « Latina olim haberetur constat. Excluditur ille *ca-* « *none* seu numero divinorum librorum, non quidem « nimis eleganter et oratione concinna, verum per- « spicue tamen et evidenter: *Et ideo legi eum quidem* « *oportet, se publicare vero in Ecclesia populo, neque* « *inter Prophetas completum numero, neque inter Apo-* « *stolos in finem temporum potest.* Ait scriptor pri- « vatim quidem a piis hominibus legi posse *Pasto-* « *rem*, negat vero eum in populi Christiani concione « legi debere et neque Prophetarum neque Aposto- « lorum libris adjici posse. Honorificus est hic locus « ecclesiis Latinis, plusque in illis sapientiæ et cau- « tionis fuisse, quam in Græcis, quorum plerisque « Prophetis et Apostolis non inferior Hermas visus « fuit, demonstrat.... Verbum addam de ratione « qua se viri docti potissimum moveri dicunt, ut « Hermam *Pastoris* auctorem ab Herma Pii ponti- « ficis fratre distinguant. In *libro Pontificali*, non- « nullisque aliis veterum scriptis, locus quidam ex « Hermæ, Pii fratris, libro cui *Pastoris* titulum de- « derat, producitur de *Paschate die Dominico* cele- « brando, quem frustra in *Pastore* Hermæ qui ad « nos pervenit, quærimus. Vid. Jo. Alb. Fabricii « *Codex Apocryphus* Novi Testam. tom. III, pag. 701. « Ex hoc colligunt Hermam, Pii fratrem, librum re- « liquisse a nostro *Pastore* diversum. Si græce *Pas-* « *tor* Hermæ hodie exstaret, si ad nos integrum dela- « tum esse libellum hunc dubio careret, non sper- « nenda esset hæc ratio. At cum latinam tantum « habeamus interpretationem, eamdemque fortassis « mutilam, omnis expers virtutis haberi debet. Veri- « simile est Orientalium et Græcorum Christiano- « rum illos qui quartodecimani nominantur, locum « hunc de tempore Paschatis, quia sententiæ eorum « obsistebat, ex *Pastore* ejecisse. » p. 164. Hæc vir præstantiss. contra pervulgatam illam de Herma *Pastoris* auctore sententiam; quæ tamen vix et ne vix quidem recentiorum est scriptorum commentum; Hermæ enim Paulino adscribendum esse *Pastoris librum* statuit Origenes lib. X *Comm. in Epist. ad Rom.* ad locum quo Hermas ab Apostolo commemoratur, alibique præterea auctores, ut ex Eusebio Hieronymoque constat, idem tradiderunt. Porro nonnulli apud Germaniam viri docti hunc scriptorem primo sæculo vindicandum, adhuc opinantur; utrum autem novis quibusvis rationibus sententiam suam confirment, id nondum mihi videre contigit.

Sed vero opera inter se vult distinguere, Hermæ Paulini, et Hermæ sive Hermetis Pii fratri, Gallandius in Prolegomenis de Caio Presbytero, § IV, pag. XXXI, tomi II *Biblioth. Patrum*, luculenterque idem ostendisse ait Justum Fontaninum, *Hist. Litt. Aquil.* lib. II, cap. 1. Porro hæc ipse scribit Gallandius lectu haud indigna: « Quemadmodum viri apos- « tolici opus antiquis Patribus *Pastor* seu *liber Pas-* « *toris* appellatus fuit, inde fortasse derivata deno- « minatione hujusmodi, quod in toto ferme opere « Pastor inducitur Hermam alloquens et informans: « ita quoque contigerit, ut et Hermetis liber *de* « *Paschate* fuerit nonnullis saltem *Pastor* nominatus; « quia illius auctor *de iis scripsit quæ ei præcepit* « *angelus, quum venit ad eum in habitu Pastoris*, ut « habet Catalogus II Henschenianus, unde non « solum scriptori, sed ejus etiam libro *Pastoris* « nomen inhæserit. » Librum autem injuria temporis deperditum fuisse, quem Hermes Pii frater ediderit, putant Gallandius et Fontaninus; et Fontanus quidem hunc Hermetem nominari debere Hermam negat; quem tamen *Herma* non *Hermes* auctorem hujus fragmenti appellare videmus, sicut *Hermas* pseudo-Tertullianus

urbe Roma Herma [a] conscripsit, sedente cathedra [b] urbis Romæ Ecclesiæ Pio episcopo fratre ejus. Et ideo legi eum quidem oportet, se publicare [c] vero in Ecclesia populo, neque inter Prophetas comple- A tum [d] numero, neque inter Apostolos, in finem temporum potest.

Arsinoi autem, seu Valentini, vel Miltiadis, nihil

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *Fort.* Hermas. *Routh.*
[b] In cathedra. *Freindall.*
[c] *Fort.* sed publicari. *Routh.*
[d] *Fort.* Completos. *Routh.*

## MART. JOSEPHI ROUTH COMMENTARIUS.

habet. Immo, contra, Usuardus Paulinum illum Hermam *Hermetem* vocat in *Martyrologio* suo 9 maii fol. 70, ed. Lovan. Porro fragmenti auctor librum *Pastorem* dictum, qui Hermæ exstat, in mente habere poterat, et si fingas illum per errorem Hermæ, vel Hermeti, Pii papæ fratri opus adscripsisse, at vero, ut recte ait, sed alio loco, Freindaller: « Fi- « denter hic scriptor de re ista loquitur, quemad- B « modum de rebus divulgatis quibuslibet atque re- « centibus sermocinari quis solet. » Interea adversus Gallandium, qui statuit non esse intelligenda verba fragmenti de *libro Pastoris* nobis cognito, verum de libro quodam recentiori nunc deperdito, in hunc modum acute respondet idem Freindaller: « An hic « posterior *liber Pastoris* ad canonicos novi fœderis « libros pertineat, legique in Ecclesia debeat, uspiam « fuisse quæstionem motam, per antiquitatem in- « tegram nullibi vestigium reperitur. Nullis itaque « modis Caius Gallandianum hunc Hermam indicare « sane poterat, cum universa quæ de *libro Pastoris* « in medium protulit, stent pro noto antiquiore « altero, qui proinde vel ideo non a veteri Herma « primi sæculi, sed in secundo a fratre Pii I, con- « scriptus est. »

*Herma.* For. legend. *Hermas.*

*Sedente cathedra urbis Romæ Ecclesiæ Pio episcopo.* Particulam *in* post *sedere* addendam esse mecum sentit Freindaller. Cæterum id monendum C est, cathedram urbis Romæ per decennium tenuisse Pium post annum Christi CXL.

*Se publicare vero.* For. *sed publicari* vero. Græce δημοσιεύσθαι δὲ. *Sed* pro *se* posuit et Freindaller. Interea opponuntur τοῖς ἀποκρύφοις libri *publicati*; Eusebius lib. III *Hist.* cap. 3, de suis ipsius temporibus ac regione agens, hoc ipsum Hermæ opus etiam in ecclesiis δημοσιεύσθαι, *publicari* seu *publice legi*, consuevisse ait, etsi ἐν ὁμολογουμένοις non reponendum. « Liber autem hic *Pastoris*, » ait Freindaller, « majori in honore inter Græcos fuit « quam Latinos; forte quod lingua græca sit operis « hujus vernacula, unde postmodum latinitate do- « natum est. » Porro postea idem monuit faciliorem inter Græcos quam Latinos reperire potuisse locum sententiam illorum qui librum *Pastoris* antiquioris Hermæ, a Paulo nimirum salutati, fuisse existimabant, eo quod Latinis scriptor cognitus fuerit; indeque patere causam cur volumen hoc majori D apud Græcos quam Latinos in honore sit habitum: dicere enim de eodem S. Hieronymum, lib. *de Viris Ill.* cap. 10: *Apud Latinos ferme ignotus liber.* Confer Mosheim. supra ad pag. 32.

*Completum*, lege *completos*.

*Potest.* Græce, δυνατόν ἐστι. Ait auctor *contra Cataphrygas*, apud Eusebium: Δεδιὼς δὲ καὶ ἐξευλαβούμενος, μή τη δόξω τισὶν ἐτισυγγράφειν ἢ ἐπιδιατάσσεσθαι τῷ τῆς τοῦ εὐαγγελίου καινῆς διαθήκης λόγῳ· ὧν μήτε προσθεῖναι μήτ' ἀφελεῖν δυνατὸν, τῷ κατὰ τὸ εὐαγγέλιον αὐτὸ πολιτεύεσθαι προηρημένῳ, pag. 73, vol. II harum *Reliquiar.*

*Arsinoi autem, seu Valentini*, etc. De Arsinoo nulla alibi, quod sciam, exstat mentio, sed is gente videtur Ægyptius fuisse, secta gnosticus. Valentinum autem Psalmorum librum confinxisse referunt ex Tertulliani libro *de Carne Christi* cum Muratorius, tum Stoschius. Porro in *Catena* ms. *in Jobum*, quæ in bibliotheca Bodleiana asservatur, ad cap. 21, vers. 12, uti nos certiores facit Grabius tom. II *Spicilegii PP.* pag. 38, ab Origene memorantur *Psalmi Valentini* atque *Odæ Basilidis*. In *Catena* quoque *in Jobum* a Paulo Comitolo latine versa Venetiisque edita anno 1587, ad pag. 345, opuscula eadem Origenes adducit. Ad Marcionem autem, vel Marcionitas, aliquod opus hujusmodi pertinuisse, nemo, quod sciam, præter hunc scriptorem, narravit. Solum habet Epiphanius, postquam *evangelium* atque *apostolicum* Marcionis memoravit, ἄλλα δὲ συντάγματα ἀρ' ἑαυτοῦ συνέταξε (Marcion) τοῖς αὐτοῦ πλανωμένοις. *Hæres* XLII. cap. 9, pag 309, ed. Petavii. Ex quibus operibus unum *Antitheses* dictum Tertullianus sæpius adduxit. Sed notabilis est locus Origenis apud Macarii *Oratt. in Lucam* pag. 981 ed. Delaruan. *Op. Origenis*: Ταῦτα δὲ εἴρηται πρὸς τοὺς ἀπὸ Οὐαλεντίνου, καὶ Βασιλίδου, (sic) καὶ τοὺς ἀπὸ Μαρκίωνος· ἔχουσι γὰρ καὶ αὐτοὶ τὰς λέξεις ἐν τῷ καθ' ἑαυτοὺς εὐαγγελίῳ. Hinc colligendum mihi quidem videtur commune aliquod extitisse evangelium apud hæresiarcharum istorum discipulos, sicut ante ad AGRIPPAM CASTOREM notavi, pag. 85, vol. I *Reliquiar.* Valentino evangelium fuisse auctores sunt Irenæus lib. III *adv. Hæres.* cap. 11, et scriptor *Appendicis* Tertulliani *de Præscript. Hæret.* cap. 49, prout Basilidi fuisse inse tradit Origenes in *Homilia* sua *in Luc.* pag. 932, ut de Hieronymo atque Ambrosio initio *Comm. in idem Evang.* taceam. Marcionis autem evangelium, ex opere S. Lucæ confectum, celebratius est, quam ut teste egeat. Quid ergo prohibet quin Psalmorum liber quispiam tribus illis sectis communes sibi opiniones habentibus communis fuisse videatur? Neque tantum in loco superius allato, verum etiam alibi Origenes Valentinum, Basilidem, Marcionem, memorando simul conjunxit. Vide *Catenam* illam *in Jobum* a Comitolo latine editam ad pag. 237. Neque diversum quid fecerunt alii auctores; ut exempli gratia Clemens Alex. in celebri loco *Strom.* lib. VII, cap. 17. Immo vero ita scribere Hieronymus videtur de Priscilliano in cap. 121, lib. *de Viris Ill.* ut unam eamdemque, aut consimilem, noveris esse istorum hæresim; *Hic usque hodie a nonnullis gnosticæ, id est Basilidis et Marcionis, de quibus Irenæus scripsit, hæreseos accusatur, defendentibus aliis, non ita eum sensisse, ut arguitur.* Sic ille. Superest de *Miltiade*, homine ignoto, qui hoc loco memoratur, dicere, nulla cognatione eum junctum videri Miltiadi Cataphrygum, sive Montani discipulo, quem auctor anonymus *contra Cataphrygas* oppugnabat. Vid. pag. 73, vol. II *Reliquiar.* Porro ita Freindaller: « Oborietur dubi- « tatio, qua ratione vir ille in favorem Marcionis, « quemadmodum Arsinous ac Valentinus, librum « psalmodicum condiderit. Miltiades utique, sive « Alcibiades, » (nam ita legendum opinabantur Langus ad Nicephorum, Valesiusque ad Eusebium) « Montani secta adhæserat, quem hæreticus Mar- « cion quadraginta, nisi quinquaginta annis, com- « puto ætatis prævenit. Quid, inquam, ille ad pro- « movendos sive Marcionis, sive ejus sectatorum « errores, quibuscum Montanisticæ hæresi aut nulla, « aut pæne nulla causæ communio intercesserat, « negotiorum susciperet? » Denique, quod attinet ad illud in hoc fragmento portentum, *Basilidem Asianorum Cataphrygum constitutorem*, qui Basili-

in totum recipimus, qui etiam novum Psalmorum librum Marcioni conscripserunt una cum Basilide

A Assianum Catafrygum constitutorem [a].

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Fort.* Asianorum Cathaphrygum constitutore, vel constitutores. *Routh.*

MART. JOSEPHI ROUTH COMMENTARIUS.

dem Alexandrinum, celebrem illum hæresis gnosticæ doctorem, Cataphrygum seu Montanistarum, sectæ notissimæ et ætate posterioris, statorem fuisse vel conditorem, umquam audivit? Nullam porro similitudinem aut cognationem habebant Montanistæ cum Gnosticis, vel Marcionitis, quas quidem hæreses tot libris confutavit Montani sectator Tertullianus. Locus unus tantum mihi occurrit, ubi hujusmodi quid possit innui; in quo nimirum exstat error ille Epiphanii de causa abstinentiæ a cibis apud Montanistas, quem supra ad vol. I, pag. 331 indicavi; præterquam quod hic quidem memorandum est, cum severius erga pœnitentes se gerere B solerent Montanistæ, de Basilide hæc scripsisse in *Strom.* IV. cap. 24. Clementem Alexandrinum, πλὴν οὐδὲ πάσας (ἁμαρτίας) ὁ Βασιλείδης φησὶ, μόνας δὲ τὰς ἀκουσίας καὶ κατ' ἄγνοιαν, ἀρίστθαι. Anne ergo, nihil enim hac de re affirmaverim, si minus nostri auctoris ignorantia, at fortasse malevolentia quorumdam, dicebantur constitutorem suum habere Montanistæ, seu Cataphryges, Basilidem gnosticum hæreticum? Neque vero congesta a me istæc abs re aliena essent, si verba, *Asianorum Cataphrygum constitutorem*, de Psalmorum illo libro, non de Basilide ipso, exponi possent. Qua quidem interpretatione famam auctoris nostri vel facilius tuebimur. At vero his verbis allatis, *Asianum Cataphrygum constitutorem*, pro quibus posuit, *Asiano Cataphrygum constitutore*, ait Freindaller hujus personam in Miltiade, vel Alcibiade, latere posse; « verumtamen « hanc ultimam pericopen arbitratur sensus de- « fectu laborare, et restitutionem ejus desperari. » Cæterum de Basilidis Valentinique ætate, qui paulo post mortuos omnes Apostolos exorti esse videntur, dixi ante ad pag. 135, vol. primi *Reliquiar.* Atque eosdem hæreticos auctor est Clemens Alexandrinus circa tempora vixisse Hadriani imperatoris, quod de iis tradidit in loco *Stromatis* VII, cap. 17, pag. 898, ed. Potteri, quem modo memoravi.

*Qui etiam novum Psalmorum librum Marcioni conscripserunt.* Eodem sensu Epiphanius in loco supra ad p. 35, descripto, ἀλλὰ δὲ συντάγματα ἀφ' ἑαυτοῦ συντάξει (Marcion) τοῖς ἀπ' αὐτοῦ πλανωμένοις. Ita et Cornelius Nepos, in *Lysandro*, cap. 3 : *Hanc (orationem) ei scripsisse Cleon Halicarnasseus dicitur.* Supra posuerat auctor de Pauli epistolis pseudepigraphis, *fictæ ad hæresim Marcionis.*

## INEUNTE SÆCULO TERTIO.

# MARCUS MINUCIUS FELIX, CAUSIDICUS ET APOLOGETA.

# PROLEGOMENA.

### DE M. MINUCII FELICIS APOLOGETÆ VITA, HISTORIA ET SCRIPTIS, AUCTORE D. GOLHASR. LUMPER O. S. B. (1).

I. — Minutio, seu Minucio, Marci agnomen erat; C Octavius siquidem his eum verbis compellavit (2) : « Non boni viri est, *Marce* frater, hominem, etc. » Cæcilius vero : « Quamquam tibi, *Marce* frater, etc. » Quam nota autem omnibus, et nobilis fuit consularis apud Romanos Minuciorum familia, tam cuilibet hactenus incompertum, utrum ex ea aut qua ex alia suam Minucius noster originem duxerit. Neque ulli magis exploratum quæ fuerit illius patria (3). Quidam tamen eum ex sui libri stylo in Africa natum suspicantur (4). Sed hi nec probant, nec probare possunt aliquid durioris Africani sermonis in eo deprehendi. Numquid potiori jure dici posset Cæcilium et Octavium, tanto amoris vinculo Minucio devinctos, revera Africanos fuisse, ejusque populares? At sane id, sicut paulo post videbimus, neque ita certum est, neque ex illorum quantavis amicitiæ necessitudine potest ullo absque dubio colligi.

II. — Neminem vero fore putamus qui negabit Minucium Romæ, quæ tunc cæterarum totius mundi urbium caput erat, diu mansisse, ubi causidici munere fungebatur, quemadmodum Lactantius (5) atque

(1) *Hist. Theolog. critica de Vita, scriptis atque doctrina SS. PP.* pars VII.

(2) Minut. in *Dialogo*, cap. 2 et 5.

(3) Galland, tom. II *in Prolegom.*; Ceillier, *Hist. des Auteurs*, tom. II, pag. 222. D

(4) Tillemont, *Mémoires*, tom. III. *H. E.* pag. 71; Basnage, *ad ann.* 210, 3. Dupinius post Rigaltium ita ratiocinatur : « Hieronymus in *Catalogo*, in quo temporum servat ordinem, Tertullianum inter et Cyprianum eum numerat. » Minucium a Tertulliano non pauca sumpsisse liquet, et a Cypriano in libro *de Vanitate Idolorum* Minucii verba non uno in loco exscripta fuisse. Inde præsumitur eum Africanum fuisse; et ejus scriptio ad Africanum stylum accedit.

(5) Lactant, lib. V *Institut.*, cap. 1.

Digitized by Google

Hieronymus (1) hoc palam aperteque asseverant. Ipsemet vero Minucius initio sui libri (2) scribit Octavium ad se Romam venisse, atque una cum eo, et altero comite paulo post Ostiam petivisse : « Cum ad vindemiam, inquit, feriæ judiciariam curam relaxaverant, » id est, cum a forensi labore, quo per totum annum occupabatur, vindemiarum tempore vacaret. Nonne etiam Octavius de se ipso, et de Minucio, vel potius Minucii tantum nomine dixit : « Non tamen sacrilegos aliquos et incestos, parricidas etiam defendendos et tuendos suscipiebamus : hos vero, » scilicet Christianos, « nec audiendos in totum putabamus (3). » Ex quibus liquet illum, cum ethnicus adhuc esset, causidici munus obiisse.

III. — Verum nostra ætate vir acerrimini ingenii, Heumannus, dubitari de statu Minucii, eumque e numero causidicorum sive jurisconsultorum eximendum esse censuit (4). Nimirum, inquit Heumannus, Lactantius, qui primus omnium inter antiquiores eo munere functum esse Minucium perhibere existimatur, appellat illum quidem « causidicum ; » ea tamen eleganti notione, qua ipsum non « forensem, » sed « christianæ religionis » causidicum innuat : quo semel posito, Lactantii verba perperam accepisse Hieronymum arbitratur : quin et eo procedit, ut sibi propemodum persuadeat haud scripsisse Lactantium : « Minucius Felix non ignobilis inter causidicos loci, » sed « non ignobilis inter causidicos Ecclesiæ fuit. » Scilicet ait, ex compendiosa scriptura *Ecce* pro *Ecclesiæ*, facile *loci*, nasci potuit. At operam ludere vir criticus comperitur. Mitto locum illum Minucianum modo laudatum, quem unum vidit, aliosque detorsit Heumannus. Licet enim ex ejus sententia verba illius loci minus apta existimentur, quibus ejusmodi lis dirimatur ; alibi tamen adeo luculenter suam causam perorat noster « causidicus, » et quidem « non ignobilis loci ; » ut nemo plane fuerit qui, æqui judicis partes sibi sumens, juxta ipsius placita sententiam ferre detrectet. Sic igitur ille (5) : « Nos cum sacrilegos aliquos, et incestos, parricidas etiam defendendos, et tuendos suscipiebamus ; hos (Christianos) nec audiendos in totum putabamus. » Ubi notandum in primis verbum suscipiebamus, ex foro sumptum, ut ad eum locum ex Wowerio animadversum. « Suscepti » enim « clientes. » Servius ad illud Virgilianum (6) :

Et fraus innexa clienti :

« Vult, inquit, intelligi prævaricatores qui patroni sunt clientium, quos nunc susceptos » vocamus. Reliqua porro Minuciani contextus, quem descripsimus, ita cohærere noscuntur ejusmodi vocis illius acceptioni, ut quisquis integram auctoris sententiam inspiciat, fateatur oporteat ipsum aliquando saltem, A quo tempore scilicet ethnicæ superstitioni esset adhuc addictus, causidici munere fuisse perfunctum. Neque vero jure quis regerat Octavium hic a Minucio ita loquentem induci ; adeoque illud unum ut maxime inde colligi posse, Octavium quidem, non autem Minucium, causarum patronum egisse. Quis enim, inquit vir eruditus (1), probe non intelligat Octavium vel de se ipso, deque Minucio simul, vel potius Minucii tantum nomine dixisse, « se aliquando sacrilegos, et incestos, parricidas etiam, defendendos et tuendos suscepisse ; Christianos vero nec audiendos in totum putasse ? »

IV. — Quod si rem ita se habere perspicuum sit, illud quoque consequens fuerit, Minucium nostrum, etiam post christianæ religionis professionem, in eo- B dem munere obeundo perstitisse. Siquidem Octavium ad se Romam venisse scribit (2), « quum ad vindemiam feriæ judiciariam curam relaxaverant ; » id est, cum a forensi labore, quo per reliquum anni tempus distinebatur, incumbentibus autumnalibus feriis vacaret. Neque est demum cur quis miretur cum Balduino (3), « in tam profano et inimico foro consistere causidicum pium potuisse ; » ac proinde non est cur inde potius colligat Heumannus (4) Minucium causidicum Romani fori haudquaquam fuisse. « Hi enim si considerent, verbis utor Mamachii viri cl. (5), neque semper imperatores cavisse ne qui nostrum publicis muneribus fungerentur, neque omnes, facile quidem certe confitebuntur tertio sæculo, quo Septimius Severus æquior aliquando quam de- C cessores sui consueverant, nostris (6), et Alexander (7) et Philippi Augusti, qui nihil adversum nos decernendum existimaverunt (8), adepti sunt, fas fuisse Christiano viro in forum venire, patrociniumque eorum suscipere quos aut injuria affectos aut bonis injuste privatos fuisse arbitraretur. » Arnobius enimvero testatur (9) « magnis ingeniis præditos oratores, et consultos juris magisteria christiana expetiisse, spretis quibus paulo ante fidebant. » Et quis vero dubitet Arnobium his verbis ad Minucium nostrum, immo suum, respexisse, quem inter ejusmodi oratores et jurisconsultos primas tulisse probe noverat ? Quid, quod Tertullianus, « Hesterni sumus, inquiebat (10), et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, D tribus, decurias, senatum, forum : sola vobis reliquimus templa. » Deleat igitur ex suis *Parergis* Heumannus observationem illam qua Minucium albo

(1) Hieronym. in *Catalog.*, cap. 58, et Epist. 83 *ad Magnum*.
(2) Minuc. in *Dialog.*, cap. 2.
(3) Idem, cap. 28.
(4) Heumann. *Parerg. Gœtting.* x, pag. 208-212.
(5) Minuc. *Dialog.*, cap. 28.
(6) Virgil. *Æneid.* vi, 609.

(1) Le Nourry, *Apparat.*, tom. II, pag. 11.
(2) Minuc. *Dialog.*, cap. 2.
(3) Balduin. *Dissert. de Minuc. Fel.*, § 5.
(4) Heumann. loc. cit., pag. 212.
(5) Mamach. *Orig. et Antiq. Christ.*, tom. III, pag. 299 seqq.
(6) Tertullian. *ad Scapul.*, cap. 4.
(7) Euseb. *H. E.* lib. VI, cap. 16 et 28.
(8) Id. ibid. cap. 34.
(9) Arnob. *adv. Gent.*, lib. II, pag. 21, edit. Paris, 1656.
(10) Tertull. *Apologet.* cap. 37, ed. Migne, t. I, col. 462.

Digitized by Google

jurisconsultorum eradendum statuebat : vigeatque Firminiani et Hieronymi auctoritas, asserentium Minucium Felicem non ignobilis loci, quin et insignem inter causidicos Romæ exstitisse (1).

V. — Minucius in paganismo ab incunabilis educatus fuerat, sed in provectiori ætate a gentilium superstitione defecit, et christianam fidem amplexus est ; quemadmodum de seipso testatur, ubi de Octavio hæc habet (2) : « Cum, discussa caligine, de tenebrarum profundo in lucem sapientiæ et veritatis emergerem, non respuit comitem, sed, quod est gloriosus, præcurrit, » id est, Octavius me in christianæ fidei professione præcessit : quod et Cæcilius innuit, dum Dialogi initio Minucium rogat « ut, cum in utroque vitæ genere versatus fueris, repudiaris alterum, alterum comprobaris, » nempe licet gentilium superstitionem repudiaveris, attamen fidem christianam comprobaveris « in præsentiarum tamen, ita tibi informandus est animus, ut libram teneas æquissimi judicis, nec in alteram partem propensus incumbas, ne non tam ex nostris disputationibus nota sententia, quam ex sensibus prolata videatur (3). » Quam pie autem et sancte post conversionem suam Minucius vixerit, his Eucherius, Lugdunensis episcopus docet verbis (4) : « Et quando clarissimos facundia Firmianum, Minucium, Cyprianum, Hilarium, Joannem, Ambrosium ex illo volumine numerositatis evolvam ? Dixerant, credo : Quid hoc est ? surgunt indocti et cœlum rapiunt ; et nos cum doctrinis ecce tibi in errore volutamur et sanguine ! Dixerant istud ; et idcirco postea vim intulerunt ipsi regno. »

VI. — Postquam Minucius Christo nomen dedit, « nominis hujus sacramentis institutus, » ut cum Arnobio (5) loquar, jam veritatis vindicem, assertoremque se præbuit (6). Dialogum itaque perscripsit duas in partes distinctum, quarum altera Cæcilii pro Ethnicis, altera Octavii pro Christianis orationem complectitur ; eumque inscripsit Octavius, ut tradunt Lactantius et Hieronymus : imitatus nimirum Platonem, Ciceronem aliosque veteres, qui ejuscemodi libris in dialogi formam compositis, illius nomen præfixerunt qui præcipuas in eis agit partes.

« Est autem Minucii dialogus, » inquit cl. Blackwallius, « acute, eleganter ac perspicue digestus. Tot fere in eo graves sententias quot periodos deprehendis, et sententiæ quidem, sponte ex argumento profluentes, solerter orationi sunt intextæ. Rationibus et pugnat et vincit, quantumque acuminis, A tantum habet et salis. Ingenium a natura ipsi datum non ad fingendum, sed ad veritatem dicendam, quam adulterare nescit. Christianorum doctrinam criminibus liberat quæ pagani eis objecerant ; adversariorumque calumnias in ipsorum religionem tam apte tamque evidenter retorquet, ut se, cum malæ causæ fortissimum maximeque timendum oppugnatorem, tum bonæ nobilissimum præstet patronum (1). »

VII. — Cæterum de aliis Minucii vitæ gestis, quamdiu vixerit, qualiterque mortuus sit, altum apud antiquos et recentiores scriptores silentium : neque de ætate qua Minucius Felix vixit, scriptorum habetur consensio. Henricus Dodwellus (2) persuasit sibi eum extremis Marci Antonini temporibus floruisse, et David Blondellus (3), illum æqualem fecit Frontoni, B qui M. Antoninum docuit circa annum Christi 160. Plerique non sine ratione quidem eum numerant in scriptoribus sæculi tertii ecclesiasticis ; non satis tamen certum et perspicuum est quibus ævi hujus annis floruerit, cujus potissimum imperatoris temporibus Romæ vixerit. Guil. Caveus (4) dicit : « De ætate ejus, qua vixit, nihil habeo quod pro certo affirmare ausim ; si tamen in re obscura dubiaque hariolari liceat, conjiciam, illum, utpote Tertulliano supparem, Cypriano antiquiorem circa annum 220 claruisse. » Jo. Alb. Fabricius (5) observat, quod omnes consentiant, Minucium a temporibus Antonini, Commodi ac Severi non longe abfuisse. Zephyrini Pontificis Romani ætate Minucium Romæ vixisse conjicit Ceillierius (6) ex Hieronymo, qui in catalogo C *de Viris illustribus* Minucium inter scriptores qui id temporis exstitere, recensuit. Ejusdem sententiæ fuere viri doctissimi Baronius (7) et Tillemontius (8). Nostra ætate vir cl. Jo. Daniel ab Hoven in epistola ad Gerhardum Meermann, Minucium Athenagoræ æqualem fuisse eidemque principem inter latinos scriptores christianos locum vindicare allaboravit (9).

VII. — Præter dialogum hunc, alium Minucii librum *de Fato*, vel *contra Mathematicos* Hieronymus *de Viris illustribus* capite 58, ita enarrat : « Sed et alius sub nomine ejus fertur *de Fato*, vel *contra Mathematicos*, qui cum sit et ipse diserti hominis, non mihi videtur cum superioris libri stylo convenire. » Liber hic, cujus Hieronymus etiam in epistola ad Magnum mentionem facit (10), hodie non exstat D

(1) Videnda *M. Minucii Felicis pro se et statu suo Epistola Apologica ad F. O. M.* id est, Fridericum Ottonem Menckenium, qua, adversus Heumanni observationem, monstratur Minucium Felicem inter jureconsultos ac causarum patronos jure meritoque locum tueri. Hæc epistola translata est in nova *Acta Eruditor.* 1738, pag. 210.

(2) Minuc. in *Dialog.*, cap. 1.

(3) Idem, cap. 5.

(4) Euch. Lugdun. *Epist. ad Valerianum*, tom. v *Biblioth. PP.*, pag. 771.

(5) Arnol, loc. cit.

(6) Le Nourry. *Apparat. ad Biblioth. Max. PP.*, tom. iv, pag. 19.

(1) Blackwal., *de Præstantia Classicor. Auctor.*, cap. 10, § 5, pag. 193.

(2) Dodwel. *Dissertat. Cyprianica.* iii, § 16, pag. 12.

(3) Blondell., *de Eucharistia.*, pag. 119.

(4) Cave, *Hist. litterar. script. Eccl.*, tom. i, p. 101.

(5) Fabric. Not. *Ad Hieronymum, de Viris illustribus* cap. 58, pag. 133. Biblioth. Ecclesiast.

(6) Remi Ceillier, *Hist. des Auteurs Ecclés.* tom. ii, chap. 23, pag. 222.

(7) Baron. *ad ann.* 211, § 3 et 4.

(8) Tillemont., *Mémoir.*, tom. iii. *Note sur Minute*, pag. 295.

(9) Quæ primum locum occupat in V. D. *Campensibus* sive *spicilegiis critico-antiquariis*. Campis, 1766. Exstat etiam in Lindneri secunda Minucii Felicis editione, 1773.

(10) « Minucius Felix in libro cui titulus est *Octavius*

Digitized by Google

Ejus Minucium fuisse auctorem, non certum quidem, A simile tamen vero est. Ipse enim indicat se de fato commentari voluisse, his verbis (1) : « Ac de fato satis, vel si pauca pro tempore, disputaturi alias, et uberius et plenius. » Verum, observante cl. Dupinio (2), utrum in alio libro *de Fato* amplius disseruerit, et an tractatus, qui Hieronymi temporibus exstabat, is esset quem promiserat, an potius inde ansam arripuisset auctor aliquis quemdam Minucii nomine supponendi, incertum est. Cum vero satis apertum sit hoc ingenii monumentum interiisse, mirum sane quod Sebast. Nanus Tillemontius (1) de Minucio ejusque Dialogo erudite disserens, addat illud legi typis exscriptum in quadam Arnobii editione.

et in altero *contra Mathematicos*, si tamen inscriptio non mentitur auctorem, quid gentilium scripturarum dimisit intactum. » Hieronym. Ep. ad Magnum. 83.

(1) Minuc., in *Octav. Dialog.*, cap. 36.

(2) Dupin. *Biblioth. des Auteurs*, tom. I, pag. 189.

(1) Tillemont., *Mémoir.*, tom. III, pag. 73.

FRANCISCI BALDUINI JC.

# DISSERTATIO

# DE MINUCII FELICIS OCTAVIO.

Ut hunc sive libellum, sive dialogum, qui multis B subreptum, alterique, non domino, injuste adscriptum ; ut et plagio et partu supposito facta nostro Minucio duplex injuria esse videatur. Sed hæc frequens est querela de librariorum nihil non temere miscentium facinoribus. Fortasse, ut hunc libellum Arnobio quidam adscriberent, quædam styli et argumenti similitudo, quæ imperitos persæpe fallit, fecit : et cum legerent *Octavium*, statim somniarunt octavum aliquem esse librum. Ridicule profecto et inepte. Saltem Arnobio perpetua oratione utenti dialogum temere adscribendum non esse cogitassent. Verum inscitiæ tam cæca quam confidens est audacia. Sane Hieronymus scribit Nepotianum suum tam in scriptoribus ecclesiasticis diligenter versatum fuisse, ut, si quid ex iis proferretur, C statim agnosceret atque discerneret, quid Tertulliani, quid Cypriani, quid Lactantii, quid Minucii, quid Victorini, quid Arnobii esset. Cæterum, tanto magis miror Erasmum eo loco, illum dico Erasmum hominem acerrimo judicio præditum, et talium scriptorum minime obtusum censorem, annotasse hujus Minucii nihil nunc exstare.

jam sæculis falso creditus est dictusque esse octavus Arnobii adversus Gentes, et inscriberem, et esse plane liquidoque affirmarem M. Minucii Felicis *Octavium*, facile mihi persuaserunt duo et boni, et antiqui, et graves testes auctoresque, Lactantius atque Hieronymus. Ille enim suarum *Institutionum* lib. I, cap. 11, citat « Minucium Felicem in eo, ut ait, libro, qui *Octavius* inscribitur. » Et ex eo verba quædam descripta recitat quæ non patiuntur nos aut alium aliquem, aut alterius cujusquam, Octavium fingere. Idem lib. V, cap. 1, loquens de Christianorum quos legerit eloquentia, primo loco hunc Minucium laudat. « Minucius, inquit, Felix, non ignobilis inter causidicos loci fuit. Hujus liber, cui *Octavius* titulus est, declarat quam idoneus veritatis assertor esse potuisset, si se totum ad id studium contulisset. » Testis alter est Hieronymus, qui hunc, sicuti ipse fatetur, Lactantium secutus, in *catalogo Scriptorum ecclesiasticorum* ait : « Minucius Felix, Romæ insignis causidicus, scripsit Dialogum Christiani et Ethnici disputantium, qui *Octavius* inscribitur. » Idem in epistola *ad Magnum*, oratorem Romanum, « Minucius, inquit, Felix, causidicus Romani fori, in libro, cui titulus *Octavius* est, quid gentilium scripturarum dimisit intactum ? » Jam autem non esse hunc librum Arnobii, satis patet, cum Minucii esse apparet. Et vero, quod Hieronymus in eadem epistola subjicit, indicare alioqui poterat Arnobii non esse, cum quidem non nisi septem, qui et jamnum exstant, libros D adversus Gentes Arnobium scripsisse testetur. Cumque alterum quemdam librum Minucio nostro falso inscriptum fuisse narret, tanto miror doleoque magis hunc, qui ejus erat unicus καὶ γνήσιος, fuisse illi

Cujus potissimum imperatoris temporibus Romæ vixerit noster Minucius, nondum mihi satis liquet. Hieronymus in suo catalogo, quo scriptores ecclesiasticos eo qui vixerunt ordine recensere videtur, illum Origeni proximum, Cypriano priorem fuisse, obscure significat. Sed hujus alioqui vel sæculum vel ætatem non indicat. Certe in Cypriani de *Idolorum vanitate* libello plurima sunt quæ tot idem verbis in Octavio Minucii leguntur ; necesse ut sit, aut hunc ab illo, aut illum ab hoc ea sumpsisse. Hieronymus vero in epistola *ad Magnum*, loquens de latinis scriptoribus Ecclesiæ, etsi Minucium ante Cyprianum laudet, tamen iliam de idolis orationem

Digitized by Google

adscribere Cypriano magis videtur. Sed et in Apologia pro suis adversus Jovinianum libris, primo loco Tertullianum, secundo Cyprianum, tertio Minucium commemorat. Sabellicus, sed sine teste, affirmat eum Romæ floruisse quo tempore Urbanus ibi erat episcopus, hoc est, temporibus Alexandri Severi imperatoris. Si ita esset, esset Minucius antiquior Cypriano, æqualis Tertulliano, nostrisque adeo Juriscons. Ulpiano et Paulo. Verum etsi posteriorem fuisse credam, tamen proxima illa tempora secutum esse existimo : nostra vero non attingere nisi intervallo longissimo, hoc est, annorum prope CIↃ CCC.

Minuciam gentem olim Romæ nobilem fuisse memini, in qua quatuor consules Minucii Augurini intra annos quadraginta numerari possunt. Sed et Minucios Rufos, et Minucios Thermos in Fastis consularibus lego. Denique et Minucius Fundanus Asiæ præses fuit illustris, ad quem Hadrianus imperator non iniquam de Christianis legem misit : ut jam nihil dicam de eo cujus in Epistolis meminit Plinius, vel quem ille noster laudat Julianus, cujus ad Minucium Natalem libri de Jure civili laudantur.

His vero omnibus unum Minucium Felicem, etsi non fuerit ejusdem aut gentis aut familiæ, facile antepono, ætate quidem posteriorem, doctrina tamen, virtute et, quod primo loco numerandum est, pietate multo superiorem. Fuit enim non modo jurisconsultus magnus, et excellens suo tempore orator : sed et, quod majus est, fuit serio Christianus. Afrum fuisse suspicor, licet id affirmare non ausim. Certe Frontonis Cirtensis (Cirta autem fuit nobilissima Numidiæ civitas, cujus et in Pandectis mentio fit) ita meminit, ut in Africa versatum se esse significet. Estque genus dicendi scribendique secutus, quale Afri illi, Tertullianus, Cyprianus, Arnobius : ut jam de posterioribus non loquar, quos eadem olim aluit Africa, illa, inquam, felix fœcundaque Africa, quæ ut semper aliquid novi proferre dicebatur, sic etiam religionis nostræ vindices et patronos doctissimos acerrimosque protulit, et ad ipsius quoque Romanæ Ecclesiæ præsidium atque defensionem emisit, nam et ex eadem Africa prodibant hostes minime ignavi, neque improbi minus, quam vehementes calumniatores, qualis, ne longius abeam, fuit ille, cujus jam memini, Fronto : quem quidem tam impudentem rhetorem, quam impium Christianorum adversarium fuisse, ex Minucio intelligemus. Nollem hunc fuisse Papirium Frontonem, jurisconsultum, qui in Pandectis laudatur. Suspicor potius fuisse Cornelium Frontonem rhetorem, quem Capitolinus narrat fuisse præceptorem M. Antonini philosophi, imperatoris, et ex cujus etiam schola oratoria accepimus prodiisse illum nostrum (1) Melitonem, qui ad Christianorum defensionem, eloquentiam suam convertit : ut quod illis impius præceptor probrum asperserat maledicendo, bonus discipulus abstergeret respondendo.

(1) Sardensem episcopum, auctorem Apologiæ pro Christianis. Hieronym. *Catalog.*

A Minucium nostrum Romæ causas egisse, paulo ante ex Lactantio et Hieronymo dictum est : neque hoc ipse dissimulat, cum vindemiarum feriis curam judiciariam sibi remissam fuisse narrat. Sic enim et Ulpianus in Pandectis lege 1 *de Feriis* scribit, M. Antonini imperatoris oratione expressum fuisse, « ne quis messium aut vindemiarum tempore adversarium cogeret ad judicium venire. » Sicuti et Suetonius (*cap.* 35) narrat Augustum statuisse, « ne Septembri Octobrive mense necesse esset » in senatum venire. Immo vero et ipse Cyprianus, tamquam alter Minucius, in sua Epistola ad Donatum (*Edit. Oxon. Tractatu de Gratia, pag.* 1.) meminit ejus temporis quo, ut ait, « indulgente vindemia solutus animus in quietem, solemnes et statas anni
B fatigantis inducias sortitur. » At tum quidem secessus amœnos captare se ait, ubi de rebus divinis cogitet. Non dissimilis est narratio nostri Minucii. Felices vero illæ feriæ, quibus a foro subselliisque abductus nobilissimus causidicus est ad religiosam sive commentationem sive disputationem. Cicero, quod abs nostro Scævola accepit, narrat (*lib.* II *de Oratore, cap.* 6). « Lælium cum Scipione solitum esse rusticari : eosque incredibiliter repuerascere esse solitos, cum rus ex urbe, tamquam ex vinculis evolassent : conchas » etiam, « et umbilicos ad Caietam, et ad Lucrinum legere consuesse, et ad omnem animi remissionem ludumque descendere. » Ejus vero exempli statim mihi in mentem venit, cum Minucium audirem, relicto strepitu forensi, cum suo Octavio
C rusticari, et in littore Ostiensi suaviter spectare puerilem, quem describit, ludum. Sed cum deinde audio quam in illo secessu et gravis et seria de religione disputatio fuerit, et quale sit in deserto fornice consilium, sentio numquam coactum Romæ fuisse senatum majori de re : nullumque forum, urbem nullam, nullum negotium, illi sive otio, sive solitudini prætulero : sæpiusque ut jurisconsulti eo modo feriari, secedere atque rusticari aliquando velint, optare cogor. An in eorum animos cadere non potest sancta aliqua et religiosa et secreto suo digna rerum divinarum cogitatio? Lactantius innuit, Minucium sese totum non contulisse ad studium rerum ecclesiasticarum. Sed tanto nobilior ejus jurisD prudentia fuit, quæ, qualis esse debet, in republica fuit : et rerum divinarum humanarumque curam et cognitionem conjunxit : tantoque propterea magis ejus exemplum nostri ordinis hominibus commendo, ut saltem diebus nefastis in otio melioris religionis fastos excolant, iisque se dent atque addicant. Habebant olim feriantes Romani suam « decursionem Tiberinam, » cujus meminit Cicero (*lib.* V *de Fin. cap.* 24.), suamque, ut leges (2) nostræ vocant, « Majumam » ad Ostiam. Sed excursio nostri Minucii quam minime aut otiosa aut ludicra fuit? Digna

(2) Titulo utriusque Codicis *de Majuma.* Suidas *Ostiæ* eos ludos celebratos addit, quorum summa fuit ἡδυπαθεῖν ἐν τοῖς θαλαττίοις ὕδασιν, ἀλλήλους ἐμβάλλοντες.



Digitized by Google

profecto, cujus vestigia libenter conspiceret Augustinus : et illum recessum, in quo habita est disputatio, salutaret, cum in ecclesia Ostiensi matrem suam Monicam sepeliret. Equidem religiosi ejus colloquii, quod sancta hæc matrona cum filio suo habuit ad ostia illa Tiberina (sicuti ipse recitat lib. XI *Confession.*) meminisse soleo, quoties Dialogum hunc Minucianum lego.

Quænam esset Romani fori conditio, quum in eo versaretur Minucius, quæque Ecclesiæ in ea urbe tunc facies esset, ejus ætatis memoria plane ostendit: et quæ aliquando scripsi ad Edicta veterum Principum Rom. de Christianis, eam rem illustrant. Neque ignota est historia temporum, quibus Decius aut Valerianus imperavit. Bene vero habet: Jurisconsultis, quorum de jure civili responsa legimus, non solum ab religione alienis, sed et ejus acerrimis adversariis, successisse christianum causidicum: et illud sive forum sive collegium Rom. togæ atque advocationis, quod tot jam annis conspersum fuerat sanguine et cineribus piorum hominum, tandem aliquando voce et vestigiis christiani jurisperiti expiatum atque consecratum fuisse. Arnobius libro primo gloriatur, et oratores et jurisconsultos, magnis, ut ait, ingeniis præditos, transiisse ad Ecclesiam. Credo equidem, cum id scriberet, de Minucio eum suo cogitasse. Multos ejus ordinis fortasse numerare vix potuisset. Sed Minucii tamen exemplum quosdam secutos esse credo: ut et Minucius habuit, quos in eodem stadio sequeretur. Saltem Hieronymus ad Magnum, ubi Minucium laudat, meminit duorum Romanæ urbis senatorum, Hippolyti et Apollonii, qui, ut et inter Scriptores ecclesiasticos referrentur, meriti sint. Quid dicam de illo (1) Vettio Epagatho Lugdunensi, qui olim et multis quidem ante Minucium annis et fuit et partim ignominiæ, partim honoris causa (ut varia tunc erant hominum de religione judicia) publice appellatus est (2) ADVOCATUS CHRISTIANORUM ? An horum causam aliquando in foro Roman. Minucius egerit, nescio. Certe Tertullianus vix hoc licuisse significat. Tam odiosa tunc erat eorum sive religio, sive Ecclesia, cui status reipublicæ imperiique Rom. adversabatur, totque jam erat publicis præjudiciis confossa, ut ipsius nominis Christiani confessio ad damnationem satis esset. Tantum abest, ut hujus religionis esset, quæ libertatis erat, assertio. Sed tanto magis interea miror in tam profano et inimico foro consistere causidicum pium potuisse. Illorum vero, cum jam annis prope ducentis orbis Romanus et palam et publice et libere Christo nomen dedisset, auctoribus ipsis imperatoribus, visam esse legem necessariam, quæ et tandem lata est, ut in nullo foro vel advocatus vel causidicus esset ullus, vel jus postulandi quisquam haberet, qui Christianus non esset. (Lege VIII. Cod. *de Postulando.*) Quam fuit itaque nobile Minucii nostri exemplum, qui bonarum partium, quantum potuit, patronus Romæ fuit, quo tempore nondum impune hoc licebat ! certe Christianis tunc erat interdictum foro, neque iis jus postulandi prætor dabat. Verum etsi magis illi palliati quam togati esse solerent : tamen quia iis respublica sæpe carere non poterat, aliquando legatos esse eos, et eorum quosdam aliquod in republ. munus obire passi subinde sunt ethnici principes. Christiani imperatores deinde multo fuere indulgentiores, qui eos et consules et præfectos urbi atque etiam prætorio interdum creabant, quos alioqui non ignorabant esse acerrimos hostes religionis, quod intelligi potest vel ex unius Symmachi conditione. Sed facti tandem, aliquando sunt severiores, et senatum forumque Rom. perpurgarunt et Minucios quosdam esse jusserunt, quicumque vel jus diceret, vel causas ageret. Aram Victoriæ, quæ in vestibulo curiæ stabat, et ad quam senatus jurare atque sacrificare solebat, jampridem everterant, ipso etiam et Symmacho (3) et senatu reclamante. Sed effecerunt postremo, ut non modo a tali superstitione liberi essent omnes togati, sed etiam ut nulla in foro nisi christiana esset illa jurisprudentia, cujus jam olim aliqua in Minucio nostro effigies fuerat.

Minuciani hujus libelli inscriptio, et dialogi forma, antiquum eruditumque scribendi morem refert. Genus dicendi est argutum, acre, vehemens : est pressum, densum, nervosum, crebis sententiis compactum, omniumque antiquitatum atque historiarum memoria refertum, et in quo plures sententias quam periodos numerare possis. Nam neque verbosi olim fuerunt Christiani, qui verba dare nondum didicerant: et eorum patroni erant homines docti, ac, ut uno verbo dicam, polyhistores. Quod ad falsa crimina attinet, non tam verbis et libellis, quam vita et re ipsa refellebant adversarios.

Quæstio quæ hic proponitur, et causa qua de agitur magna est, de religione nempe vera aut falsa. Acerrima utrimque est actio atque contentio. Exitus et victoria est qualis esse debet, ubi verum cum falso confligit. Malorum portiam vehemens patronus, et bonarum gravis hostis est Cæcilius Natalis. Harum contra vindex, et illarum accusator acerrimus atque justissimus est Octavius januarius. Medius sedet bonus judex atque arbiter Minucius Felix. Contentionis occasio fuit, quod, cum hic cum duobus illis, quos nominavi, in littore Ostiensi ambularet, ab Octavio Christiano reprehensus sit Cæcilius ethnicus, qui occurrens idolo Serapidis, illud colere se significasset. Sane

(1) Martyr Lugdunensis sub M. Antonio et L. Vero. Testes Euseb. H. E. lib. v. cap. 4, et Gregor. Turonensis, lib. I, cap. 29.

(2) παράκλητος Χριστιανῶν. Euseb. d. l.

(3) Symmachus *lib.* X. *epist.* 54. *ed. Jureti, sive* 61 *ed. Scioppi*, ad Valentinum, Theodosium et Arcadium AAA.

Digitized by Google

olim Pisone et Gabinio coss. Serapidis sacra Capitolio et urbe fuerant ejecta: sed postea fuerunt restituta, et in suberbiis facile hærebant. Reprehensus Cæcilius fremit, et tamquam irritatus graviter in Christianorum religionem invehitur: suamque simul superstitionem defendens, Octavium veluti lacessit. Sed imprudens incurrit in adversarium fortem et acrem: et ut, ille ait,

Fragili cupiens illidere dentem,
Infregit solido. (*Horat. lib. II, satir.* 1.)

Causæ status non unus est. Cæcilius varie et confuse agit de multis. Octavius pleraque et depellit sola inficiatione, et retorquet justa recriminatione. Quædam ingenue confitetur: sed jure defendit. Itaque hæc disceptatio partim facti, partim juris quæstionibus constat. Tertullianus antea, et ante Tertullianum Justinus et Athenagoras, quorum exstant apologetici libelli, et postea Cyprianus partim contra Demetrianum, partim in libello de Vanitate Idolorum, et multo deinde magis Arnobius atque Lactantius hanc causam egerunt: et usi plerumque sunt non iisdem modo et sententiis et argumentis, sed et verbis et formulis. Sic enim majores nostri eadem de iisdem, ut ille olim dicebat, dicere solebant.

Atque utinam posteritas tale observasset exemplum, ambitiosa novitas bonam antiquitatem non inquinasset. Velim sane Apologias eorum, quos dixi, cum hoc Minuciano libello conferri: et alium nunc commentarium colligere non sit necesse. Multa ex veterum philosophorum disputationibus, et poetarum fabulis et Romana Græcaque historia subtiliter et docte hic repetuntur. Verum ineptum esset iis de rebus annotationes multas et otiosas hoc loco inculcare. Malliem quæ ad antiquitatem Christianorum memoriam pertinent, copiose explicare. Sed et harum commentariis alius debitur liberior locus: nam iis, quos jam inchoavi, absolvendis aliquando me dedam. Jam vero præter illos, quos dixi, libellos valde velim etiam hic legi et comperari adversarias orationes Symmachi et Ambrosii: ut quam causam acriter quidem, sed privatim tamen quo tempore Christianis palam esse vix licebat, actam esse ex Minucio audiemus: eamdem multis post annis publice in aulico consistorio iterum iterumque agitatam: in eaque nobilem Romanorum sacrorum patronum, qui et Pontifex maximus et præfectus urbi erat, cum maximo et acerrimo Antistite Christianæ religionis commissum, quo tempore nostri liberi erant, et bona æquaque conditione, audiamus: præsertim cum judex et arbiter sederet, non modo tam religiosus quam Minucius, sed multo majoris auctoritatis, et qui rem bene judicatam exsequi, et adversarii calumniatoris petulantiam reprimere atque coercere posset. Si quis denique hic adjungat Augustini libros de Civitate Dei, ad Octavii disputationem multum lucis et splendoris adjunxerit, ego in talibus commentariis nunc describendis non immorabor; sed breviter tantum delibabo quædam capita Minuciani libelli, ut lectorem præmoneam.

Cæcilius principio laudat nescio quam sive Academicam ἀκαταληψίαν, sive Pyrrhonicam ἐποχήν, quasi nulla esset religionis scientia; et Epicurea audacia exagitat Dei providentiam, prope ut ille (1) Cotta apud Ciceronem in libris de Natura Deorum, Octavius Providentiam defendit: Neque iis etiam argumentis uti dedignatur, quibus Velleius apud eumdem Ciceronem refellit Cottæ vanitatem. Cæcilius exprobrabat, Christianos Deo, ut quidam Fato, addicere, quidquid agitur geiturve. Abs verbo Fati, tametsi odiose propter ineptias Stoicorum, qui ea voce abutebantur, non abhorret Octavius. Sed longiorem ea de re disputationem in aliud tempus rejicit, et eum veluti scopulum caute refugit. Sane Hieronymus in Catalogo, et ad Magnum (*Epist.* LXXXIV) testis est, quemdam de Fato librum olim Minucio inscriptum fuisse: sed falsam fuisse inscriptionem monet. Credo illi a quibusdam esse adscriptum, quia hic videbatur tale aliquid esse pollicitus. Arnobius, quem Minucii discipulum et imitatorem appellare soleo, modo adversarios de fato accusat, modo etiam Christianos eodem nomine accusatos fuisse ostendit: et in utraque tamen causa, cum ad rem ventum est, hæret et nescio quomodo attonitus ἐπέχει. Nam (juvat enim propter Minucium et quosdam alios obiter hic notare) lib. VII, posteaquam exagitavit fatum, præsertim quale Stoici fingebant: « has tamen, inquit, partes, quia res nimium longi est multique sermonis, inexplicatas transcurrimus atque intactas. » Idem lib. II, cum scriberet Christianos urgeri rogatos, an sine voluntate Dei quidquam fieret? tam se utrimque premi sentit, ut, ad elabendum, deprecatione cujusdam ignorantiæ utatur. « Si, inquit, cuncta ejus voluntate conficiuntur, nec citra ejus nutum quidquam potest in rebus vel provenire vel cadere, necessario sequitur ut mala etiam cuncta voluntate ejus intelligantur enasci; sin autem dicere voluerimus, pessimorum ab eo rejicientes causas, mali esse conscium, generatoremque nullius: incipient videri aut eo invito res pessimæ fieri, aut, quod sit immane dixisse, nesciente, ignaro, ac nescio. »

Quid igitur tandem inter has veluti symplegadas constrictus, quæstioni respondet? « Respondeamus, inquit, necesse est, nescire nos ista, etc. » Justinus antea in sua Apologia non dubitaverat τὴν τῆς εἱμαρμένης ἀνάγκην, ut appellat, aperte inficiari, planeque rejicere, dum scopulum unum, quem imminere alioqui putat, vult effugere. Atqui tunc in alterum incurrit, quem non minus aut Minucius aut Arnobius reformidasse videtur. Tandem vero Augustinus in eadem Africa volens veluti persolvere, quod Minucius pollicitus esse dicebatur; et, quod hic præstare for-

(1) Transposita et confusa vocabula. C. enim Velleius, senator, est ille Epicureus, *lib.* I. *de Orat. cap.* VI. qui inde, ab VIII capite ad XXI, Providentiam impugnat: cui C. Cotta, Academicus, respondet a cap. illo XXI ad finem libri. Adde initium libri II.
(LINDNER.)

Digitized by Google

tasse vix potuisset, cumulate dependere : subtiliter exposuit in hac quæstione medium quidpiam, quo satisfieri posse judicavit utrique difficultati. Sciebant et Minucius et Arnobius quænam olim fuisset dissensio disputatioque inter Chrysippum et Diodorum περὶ δυνατῶν καὶ εἱμαρμένης, sive de Fato. Nam et nos ex Cicerone atque Plutarcho illam utcumque cognoscimus. Sed ne in hujus quidem judicibus et arbitris nostri quidquam deprehendebant, quod omnino sequerentur. Itaque quamdiu non liquebat, *amplius* pronuntiare quam temere aliud statimque definire maluerunt.

Redeo ad Cæcilium. Is suorum numinum antiquitatem, passimque receptam auctoritatem, quantum potest, tuetur. Christianorum Deum verum et unicum exagitat; et eos interea tamquam ἀθέους proscindit. Octavius idolorum fabulam et vanitatem salse traducit, iisdem etiam verbis usus quibus Cyprianus in eodem argumento utitur. Neque vero difficilis fuit reprehensio, cum quidem et ipsius Ciceronis libri de Natura Deorum veluti suffragarentur. Nam et Arnobius, lib. III, post principium, testis est, propterea quosdam Christianorum hostes aliquando « mussitasse, libros illos jussu senatus abolendos atque concremandos esse. » Quid? res ipsa, quæ abs suis quoque cultoribus est irrisa (nulla enim umquam stultior atque ineptior fabula ullius superstitionis fuit) ultro sese refellebat. Sed et quod huc pertinebat, facile describere potuit Minucius ex Tertulliano, Justino, Athenagora, Theophilo : ut et postea ex Minucio Arnobius, Lactantius, Ambrosius, Augustinum, cum eamdem causam agerent. Certe quod Octavius de Saturno narrat, Lactantius ipsum Minucium auctorem laudans repetit, latiusque exponit lib. I, cap. 11. Ut autem Octavius totam fabulam Romanæ superstitionis salse subsannat : sic et ipsorum oraculorum, quibus tantopere gloriabantur ethnici, vanitatem eleganter ostendit : ac ante suam quidem ætatem oraculum Apollinis Pythii desiisse significat : sicuti et Plutarchus fatetur temporibus Adriani imperatoris plane defecisse : Sic enim cum Christianæ religionis veritas invalesceret, necesse fuit evanescere imposturam illorum τῶν χρηστηρίων. Porro Octavius de dæmonibus et eorum, cum abs Christianis adjurantur, trepidatione narrat, quod antea Justinus et Tertullianus in Apolog. et Cyprianus contra Demetrianum et postea Lactantius lib. quarto, cap. vigesimo septimo. Itaque facile refellit ipsum quoque Ulpianum, Christianos, ut impostores, hujus, ut vocant, exorcisationis causa, irridentem Lege I. *de Extraord. Cognit.* Inanes non fuisse exorcismos posterioribus quoque temporibus, et fuisse frequentes in Ecclesia, intelligi quoque potest ex Optato Afro et Augustino, scriptoribus a Minucio minime alienis.

Sed et de Deo unico multa Octavius inculcat, non dissimilia iis, quæ Justinus περὶ Μοναρχ. et Clemens Alexandrinus collegerant. Nam et utrumque legisse noster potuit. Neque vero præterit, quod Cyprianus urget, ipsum quoque vulgus naturaliter appellare Deum unum et singularem, cum Numen invocat : sicuti et Lactantius lib. II, cap. 1, ait ethnicos, cum jurarent, *Deum* potius, quam *Jovem* nominasse. In antiqua formula jurisjurandi Rom. nominatur Diespiter. Sed Cicero, lib. VII Epist. *ad Trebat.*, dixit, « jurare Jovem lapidem. » Sæpe etiam Jovis meminisse olim jurantes constat, et apud Græcos Ζεὺς ὅρκιος est appellatus. Mirum vero, quod Cæcilius gloriatur, ignotis etiam numinibus Romanos aras exstruxisse. Nam quid hoc aliud est, quam errorem confiteri? Talem aram Paulus Athenis vidisse se ait, et ex ea sumit argumentum convincendæ hujus ignorantiæ, docendorumque Atheniensium. Neque in Attica modo, sed et in Elide fuisse aras ita inscriptas, testis est (1) Pausanias. Et fortasse postea Octavius, cum docere Cæcilium instituit, Pauli exemplo inde repetiit suæ catecheseos de veri Dei cognitione principium.

Illud quoque mirum videri posset, Cæcilium gloriari, « quæ apud alios populos singula numina coluntur, universa Romæ coli : » Nihil ut supersit, quam ut suum Pantheon gloriose ostentet. Atqui obstabat lex Romuli, quæ peregrinos deos coli vetabat. Obstabat Ciceronis sententia, qui confusionem religionum alioqui fore pronuntiat. Sed peregrinos fortasse non judicabant, quia jam erant publice acciti, et veluti civitate donati. Sic urbs illa, quæ ab Athenæo (*lib. I, cap.* 17.) scite dicta erat ἑστιοῦχος τῆς οἰκουμένης, salse abs Theophilo nostro ante Minucii ætatem, appellata est ἑστιοῦχος τῆς δεισιδαιμονίας. Nam et Tertullianus (*de Spectaculis, c.* 6) dixerat, « in ea consedisse conventum dæmoniorum, » curiamque deorum. Interea non temere adjecit, illic quidvis colere, jus fuisse, præter Deum verum. Estque profecto memorabile, quod Augustinus lib. I *de Consensu Evangelistarum*, cap. 18, scribit, cur illum unum non coluerint Romani, qui colebant omnes alios. *Quia*, inquit, *solum se coli voluerit, illos autem deos Gentium, quos isti jam colebant, coli prohibuerit.* Cum autem de ipso Christo quæreretur, alia etiam causa fuit, cur senatus reclamaret. Porro, ut Augustinus in eo libro multa inculcat, quæ ex nostro Octavio repetita videri possent; sic et, quod eleganter respondet de excidio Hierosolymitano, Octavii de eadem re responsionem confirmat. Sed singula nunc describere nihil attinet. Redeo ad Minucianum auditorium.

Cæcilius Christianos accusat, quod « templa tamquam busta despiciant. » Fatetur Octavius. Nam et Clemens Alexandrinus in προτρεπτικῷ antea probaverat, illa esse (2) sepulcra. Sed Arnobius lib. VI « templa bustis superlata » fuisse ait. Cæterum Christiani alia postea ratione ex suorum martyrum sepulcris, non modo templa, sed et altaria effecerunt. Neque non potuit Minucius ea vidisse. Sed ita est profecto. Etsi majores nostri religionis nomine multa facerent in speciem similia iis, quæ ab ethnicis fiebant : tamen,

(1) Pausanias *Eliac.* I, cap. 14. ἀγνώστων θεῶν βωμός.
(2) Clemens *Protreptico ad Gentes*, p. 58. δεικνύντες, τῶν εἰδώλων τὰ τεμένη, τάφους τινὰς ἢ δεσμωτήρια.

Digitized by Google

quia alius erat finis, aliusque usus, sua sacra defendi posse sciebant, etsi aliorum κακοζηλίαν damnarent. Sacrificiorum Romanorum ritus quam valde irridenti! Atqui non dissimilis olim eorum, quæ lege divina Judæis mandata erant, forma fuit.

Etsi autem Christiani ætate nostri Minucii sua templa superbe attollere ad exemplum ethnicorum non possent : tamen suas saltem habebant cryptas, et quasdam etiam ædes et domus sacras in apertis et editis locis, ut Tertullianus ait, et lubenter conveniebant ad illa suorum martyrum sepulcra : quæ κοιμητήρια vocabant. Nam et hæc illis permisisse Gallienum imperatorem (qui Minucii ætatem non longo intervallo attigit) Eusebius scribit. Ridet autem Cæcilius, quod Christiani suos jam vita functos, non tam mortuos esse, quam dormire dicerent et crederent corporumque resurrectionem jactarent. Atqui et apud suum Homerum (*Iliad.* Ω. *v.* 344) legerat, ὑπνώοντας ἐγείρειν, et apud Virgilium (*Æneid.* IV, *vers.* 244.) « somnos adimere, » cum de mortuis in vitam revocandis agitur. Quid præterea hic responderit Octavius, conferri potest cum iis, quæ antea Theophilus, Athenagoras, Justinus, Tertullianus, eadem de re scripsere. Nam hos secutus Minucius est. Ridet Cæcilius (*cap.* 12.) Christianos, quod cadavera *ungant*, non *coronent*. Atqui et Romani, etsi quid agerent ignorarent, unguenta funebria habebant. Notus est ille Enni versiculus :

Tarquinii corpus bona femina lavit et unxit.

Et licet Leges XII. Tabb. servilem uncturam cadaverum, ut ait Cicero (*de Legib. lib.* II, *cap.* 24), tollerent, aliam tamen relinquebant : et ipsi jurisconsulti inter justos funeris sumptus unguenta referunt (*L. trigesima septima, de Relig. et Sumpt. fun.*). Quod ad « coronas cadaverum » attinet, fatetur Octavius Christianis ineptas videri : et eos propterea in eo genere ethnicos imitari nolle. Tertullianus in libro *de Corona* (*cap.* 13), ait, « a sæculo coronari et ipsas Libitinas : » Et ipse Cicero *pro Flacco* (*cap.* 31) meminit « aureæ coronæ impositæ mortuo » cuidam « Castricio. » Verum quid antiquæ leges Rom. de Coronis cadaverum statuerent, dixi ad Duodecim Tabb. Denique ridet et indignatur Cæcilius, apud Christianos « cadavera humari, » non « uri. » Verum est vetus illud, « Risu inepto nihil est ineptius. » Quid Octavius? Simpliciter respondet, antiquam esse suam et meliorem sepeliendi consuetudinem. Quod et Arnobius respondit. Nam et post Minucium mota iterum hæc quæstio est. Atqui Romani poterant sui saltem Ciceronis librum *secundum de Legibus* (*cap.* 22) legisse, qui hunc morem defendit et confirmat. Et Plinius lib. VII, cap. 54, « Ipsum, inquit, cremare apud Romanos non fuit veteris instituti : terra condebantur. » Sane Tertullianus *de Corona* (*cap.* 12) ait, Christiano non licuisse cremare, et (ineunte) libro *de Resurr. carn.* ridet eos, qui « atrocissime, » ut ait, « exurunt defunctos. »

Porro Augustinus lib. XI *Confess.* significat in ecclesia Ostiensi peculiarem aliquem etiam fuisse morem humandorum corporum. An is quoque jam tum in usu esset, cum ibi ageret Minucius, nescio. Ridiculum vero, quod Cæcilius, severus scilicet censor, Christianos accusat, quia neque unguentis delibuti, neque sertis redimiti essent. Mirum, quod interea non miratur, eos tamen usos jam tum fuisse oleo et chrismate. Sane sobriam, siccam, frugalemque vitam, hoc est, ab unguentis alienam, ipsi etiam ethnici laudare solebant : et Plato ex sua Republica, quam optimam suo judicio fingit, Homerum non ejicit nisi unguento perfusum et vittis redimitum, et, ut hic noster Octavius ait « coronatum : » cum significaret sese habere nolle cives tam molles. Ac ne longius abeam, Vespasianus quemdam ungentis madentem, et gratias agentem pro impetrata præfectura, aversatus, « Mallem, inquit, allium oleres. » Sed quid non objiceret Cæcilius, cum etiam Christianos accuset, quia flores naribus supponerent, nec capiti coronando imponerent? Atqui ipse Lucianus in suo Nigrino ipsos Romanos rectius irridet, quod Christianos hic non imitentur, et faciant contra naturam, planeque nihil aut sapiant, aut sentiant. Adde Tert. *de Cor. mil.*

Cæterum Cæcilius, ut alter Lucianus in Peregrino, Christianos irridet, quod colant hominem crucifixum. Octavius breviter negat hominem tantum esse, quem colant : et regerit, adversarios potius esse ἀνθρωπολάτρας, qui reges tamquam deos colant, et per eorum etiam genium jurent : quin immo gravius puniant ita pejerantem, quam si quis suum Jovem jurando sciens falleret. Suspicor hic notari quamdam constitutionem Alexandri Severi : quæ tamen relata est in libros Juris L. II, C. *de Rebus credit.* Sane olim Christianos noluisse uti tali formula jurisjurandi, testis est Tertullianus in *Apologetico*. Sed tanto magis miror eam posteriorum Cæsarum Christianorum legibus commendari.

Cæcilius contumeliose objicit Christianos etiam « ipsam crucem adorare. » Negat Octavius. Adversarius iis, ut furciferis, maledicit. Noster (non enim eum pudet crucis Christianæ) cruciferos suo modo dici non recusat, et de suæ crucis signo religioso, (quod certe majoribus olim nostris familiare fuit) respondet, quod antea Justinus et Tertullianus scripserant, et postea Lactantius lib. IV, cap. 27. Nam et quanti illud fecerit Constantinus, notum est : certe ut vulgo res minus esset ignominiosa, edixit ne deinceps facinorosi cruci affigerentur. Non desiit tamen Julianus Apostata, ut Cæcilius, Christianis ignominiæ causa exprobrare crucis cultum, sicuti ex Cyrillo intelligi potest.

Mira est impudentia calumniæ. Eo tandem evasit, ut nescio quæ sacrorum monstra Christianis objicerent adversarii, « et qualia demens (1) (ut quidam poeta dixit) Ægyptus portenta colit. » Audet etiam Cæcilius fingere illos « adorare caput asini, » quamquam primus hoc non finxerit. Octavius tam putidam calumniam inficiatione depellit, et id potius de adver-

(1) Juvenal. Satir. 15 ineunte.

Digitized by Google

sariis vere dici posse, recriminando probat, secutus suum Tertullianum (*Apolog. c.* XVI), qui et Christianos vulgo dictos esse asinarios, et Christum ipsum auribus asininis tamquam aliquem Midam ab impio pictore expressum fuisse narrat. Talem autem confictam fabulam esse significat, quod Cornelius Tacitus mentiendo tale quippiam de Judæis recitasset. Verum et ante Tacitum multis annis Apio Alexandrinus tempore Caligulæ in Judæis accusaverat quamdam ὀνολατρείαν. Cæterum, cum Josephus tale mendacium jam refutasset, minus ignoscendum est Tacito, qui in eo perstat : minime vero illis, qui majori etiam impudentia Christianis hoc probrum aspergunt.

Turpius est quod Cæcilius eodem pudore clamitat, eos « colere nescio quæ pudenda. » Ecquo ruit impura maledicentia ? Octavius suæ verecundiæ esse intelligit, id longiori oratione non refellere : interea audire cogitur, alia non minus nefanda, cum Cæcilius declamaret nefarios esse Christianorum cœtus anteluccanos, incesto et parricidio pollutos, prope ut olim erant Romæ Bacchanalia. Octavius talia crimina non solum abs suis depellit, sed etiam retorquet in adversarios. Quam incesta essent Romanorum sacra non est ignotum. Nam et eorum poeta (1), « Nota Bonæ, inquit, secreta deæ. » Diu etiam humanas victimas immolarunt : etsi in aliis gentibus hanc, non jam dico sanctam, sed sanguinariam et sceleratam feritatem reprehenderent. Est autem memorabile, quod Plutarchus in Problem. narrat, eos obtendisse ad hoc suum factum excusandum, aliorumque damnandum. Mirum vero Christianis sacra talia objecta fuisse. Fuit tamen vetus et diuturna hæc calumnia : et quidem promiscuæ libidinis suspicionem facile augebat quorumdam credulitas, qui alios ex suo ingenio æstimant, et nocturna promiscuæ multitudinis coitio, et quia Christiani sese fratres sororesque appellarent, atque etiam osculo sese invicem exciperent. Quid dicam, osculo quosdam impudice abusos esse, ut et fatetur et conqueritur Clemens Alexandrinus in Pædag. Christiani satis multa castissimi sui pudoris testimonia apponebant. Sed nihil audit impudens malevolentia, quæ ut linguam habet intemperantem, sic neque frontem neque aures habet. Sane et olim Apionem tale quippiam de Judæorum cœtibus conflaxisse narrat Josephus. Ergo nihil nostris tali infamia oppressis aliud superfuit, quam, quod scite et eleganter Æschylus ait, τὴν ἀλιθειαν ἀναπτύναι τῷ χρόνῳ. Non erant impostores, qui verba darent : non homines clamosi et impotentes, qui convicits, maledictis, libellis famosis adversarios vicissim opprimere vellent. Rebus ipsis falsum refellere, et eo tandem modo vincere sedendo et silendo malebant : et bona interea conscientia sese sustentabant atque consolabantur. Sic bonam causam agebant bene.

Mirum rursus, Cæcilio tam insolentem visam esse illam inter eos « fraterni nominis communionem, » cum et ipse Ulpianus scripserit, eum, qui fraterna charitate diligitur, etsi frater non sit, recte tamen *Fratrem* simpliciter appellari quod et in libros juris relatum est L. quinquagesima octava *de Hæred. instit.* Quin immo et olim ipsos Essæos, ante tempora Christianorum, ita sese invicem compellasse, didici ex quodam Philonis fragmento, quod exstat apud Eusebium περὶ προπαρασκευῆς (*lib.* VIII, *cap.* 12).

Horribilius est alterum, quod objiciebatur, « crimen infanticidii : » cœpitque hæc calumnia paulo post tempora Trajani, et ad Constantini ætatem perduravit, et quidem cum tragica suspicione cujusdam cœnæ Thyesteæ. Sed unde hæc suspicio ? An quia Christiani dicere solerent se vesci corpore et sanguine Christi ? sicut e diverso narrat Augustinus quosdam aliquando existimasse ab Christianis adorari Cererem et Bacchum, cum audirent in eorum mysteriis tanti fieri panem et vinum : neque alioqui rem intelligerent. Quid dicam, quod Epiphanius (2) narrat, quondam hæreticos, qui Gnostici et Cataphryges et Pepuziani appellabantur, se vero Christianos esse mentiebantur, commisisse quod hic Cæcilius omnibus Christianis objicit ? Sed an æquum fuit, ut viris bonis propterea affingeretur, quod ab iis erat alienissimum ? Adversarii loco probationis obtendebant famam et rumorem. Sed nullo quoque jure id fieri, leges civiles pro nostris respondebant, et ipse Quintilianus (3) dixit, « nulli non etiam innocentissimo accidere posse fraude inimicorum, falsa vulgantium, ut sinistro rumore laboret. » Quam vero procul abessent Christiani ab omni homicidio, satis Octavius ostendit, cum ne homicidium quidem in ludis gladiatoriis spectare eos per suam religionem potuisse narrat, quod et antea Theophilus dixit *ad Autolycum*; et eodem tempore Athenagoras *in Apologia*, et latius Tertullianus in libro *de Spectac.* et postea Lactantius lib. VI, cap. 20. Sed neque cæsæ pecudis sanguinem gustasse nostros Minucius affirmat : sicuti et Tertullianus. Sic enim, quam Apostoli repetitam Noæ legem rursus tulerant, multis sæculis nostri diligenter observarunt, non minus quam Apostolicum in eadem Synodo decretum περὶ πορνείας. Certe quam honestum, religiosum, pudicum, castumque fuerit Christianorum solemne convivium, quod ἀγάπην appellabant, Cæcilius, si verum ingenue dicere, quam improbe mentiri maluisset, intelligere potuerat non solum ex Tertulliani nostri Apologia, sed et sui Plinii quadam ad Trajanum Epistola. Sed petulantiam projectæ maledicentiæ quid refrænare posset ? Dixi de eo convivio plura in annotationibus ad illam Epistolam, quæ jam repetere nihil attinet. Utut autem nocturni Christianorum cœtus innoxii essent, tamen obstabat lex Duodecim Tabb. multis decretis confirmata, et gravia erant judicia de collegiis illicitis. Nostri vero respondebant, nihil reipublicæ esse periculi a suis coitionibus, quia essent alienissimi ab omni vel ambitione, vel ullius dignitatis

(1) Juvenalis Satir. 6, vers. 313.

(2) Epiphanius, Hæresi XLVIII, sect. XIV, p. 416.
(3) Quintilianus lib. V *Instit. Orat.*, cap. 3.

Digitized by Google

cogitatione, nihilque esset in republica, quod affectarent, sed sua essent privata conditione contenti, ut Tertullianus in Apolog. respondet.

Cæterum ut jam prætream reliqua capita vel accusationis Cæcilianæ vel Octavianæ defensionis, illud observare juvat : cum calumniator ingeniosus et acer nihil non vel confingat vel exaggeret, et majestatis quædam leviora crimina adjungat : præteriisse crimen perduellionis, quod et alia antea objecerant, et ad reos statim opprimendos inprimis idoneum esse videbatur. An id dissimulavit, quia ne tenuis quidem ejus esset suspicio? Fuit certe perpetua hæc majorum nostrorum gloria, quod nullis injuriis tam irritari potuerint, ut in principes aut tyrannos, etsi ab iis indignissime vexarentur, hostili animo essent, aut ullis adversus eos conjuratis conspirationibus (quæ tamen alioqui et speciosæ et frequentes tunc erant) assentirentur : aut, quid sua patientia, tolerantia, modestia, continentia dignum esset, non meminissent. Tantum abest ut essent aut turbulenti aut seditiosi, aut immani cupiditate ultionis abriperentur. Nam etsi ea multitudine septi essent, ut facile possent conficere, quod in hoc genere instituissent, tamen fas non esse putabant. Et vero suæ alioqui religionis et principia sustulissent, et fundamenta evertissent. Immo vero humanæ societatis vincula omnia dissolvissent. Quid multi etiam philosophi ambitiose prædicarent de tyrannicidis, notum erat. Sed nostri talibus fabellis incendi se non patiebantur : tantum abest, ut religionis nomine ad publicum parricidium incitarentur. Nihil est prætermissum, quod eos inflammare posset, et furor fieri dicitur læsa sæpius patientia. Sed eos religio continuit, et ad invictam modo patientiam armavit. Id vero, de quo etiam quæri hoc tempore audio et miror, perpetua plurium sæculorum historia nos alias confirmabimus. Illud modo breviter attingam, quod Minucius dicere potuit, ac paulo ante ejus ætatem accidit.

Tertullianus *ad Scapulam* (*cap.* 2) « Circa majestatem, inquit, imperatoris infamamur : tamen numquam Albiniani, nec Nigriani vel Cassiani inveniri potuerunt Christiani. » Juvat et alterum ejusdem Tertulliani loco, cujus memoriam veterem hisce temporibus renovari plurimum interest, ascribere. « Unde, » inquit, in Apolog. (*cap.* 35) « et Cassii et Nigri et Albini? unde qui inter duas lauros obsident Cæsarem? unde qui faucibus ejus exprimendis palæstricam exercent? unde qui armati palatium irrumpunt, omnibus Stephanis atque Partheniis audaciores? De Romanis, nisi fallor, id est, de non Christianis. » Ne hunc quidem locum ex historia illustrare gravabor. Avidius Cassius, Syriæ legatus, adversus M. Antonium imperatorem surrexerat, cum prætexeret se rem publicam restituere atque conservare velle, quam Marci dissoluta indulgentia pessumdaret. Christiani tamen, qui in Marci exercitu adversus Marcomannos tam frequentes fuerunt, Cassianæ factionis nulli fuerunt. Commodum, impurum tyrannum et nostris infestissimum, domi strangulari Romani curarunt, qui illi maxime erant familiares. An his Christianus ullus adfuit? Septimio Severo, qui ad imperium gladiatorio animo viam affectabat, sese opposuit Pescennius Niger in Syria, et deinde Clodius Albinus in Britannia Galliaque, cum uterque tam bono jure armatus, quam Severus, sibi esse videretur. Nam et ipse Tertullianus in libro *de Pallio* (*cap.* 2) hosce non minus, quam Severum, *Augustos* aliquando agnovit atque appellavit. Christiani tamen in eorum vel exercitu, vel factione nulli inventi sunt. Plautianus, qui principi proximus erat, et post eum maximæ auctoritatis, ut Severus et Caracalla, a quibus fiebant multa crudeliter, jugularentur, immittit in curiam suum præfectum, et eodem paulo post irrumpit. An Plautianum Christiani secuti sunt, quorum interesse videbatur tyrannos illos tolli? immo vero potius Severum jam decumbentem illi suo etiam oleo curarunt sanaruntque, ut testis est Tertullianus *ad Scapulam*, ubi et solemnes Ecclesiæ preces pro principibus commemorat. Tum addit : « Ex regula patientiæ divinæ agere nos satis manifestum est, cum tanta hominum multitudo, pars pene major civitatis cujusque, in silentio et modestia agimus. Absit enim, ut indigne feramus ea nos pati, quæ optamus : aut ultionem a nobis aliquam machinemur, quam a Deo exspectamus. » Non dissimilia sunt, quæ repetit in Apologetico, et digna sunt, quæ his quoque temporibus inculcentur. Certe ait, Christianos facile (1) « paucis faculis vel una nocte » potuisse sese ulcisci, si aut fuissent, aut esse voluissent (quod tamen jam a temporibus Neronis dicebantur) incendiarii. « Sed absit, inquit, ut aut igni humano vindicetur divina secta; aut doleat pati, in quo probatur. » Ait, illis, si aperte agere, et vim vi repellere voluissent, minime defuisse « vim numerorum et copiarum. » Sed inquit, « apud istam disciplinam magis occidi licet, quam occidere. » Ait illos etiam sine armis potuisse vincere secedendo, et vacuum Romanis suum orbem relinquendo, si alio migrare voluissent. Tum enim defuissent, quibus imperasset Romanus imperator. Adeo pauci supererant, qui non essent Christiani. Sed nostros et cives manere voluisse, et ad hostes Romanorum transire noluisse significat, et interea tamen a Romanis appellatos esse non hostes modo, sed et principum et humani generis hostes. Cæterum tam injusta et aperta fuit hæc injuria, ut ipsos tandem hostes Christianorum puduerit tam et ingrate agere, et loqui impudenter.

Ergo Cæcilius, quantumvis esset impudens, erubuit iis aliquod perduellionis crimen affingere. Quidvis aliud objicere, carpere, mentiri, calumniari

(1) Tertullianus Apolog. cap. XXXVII. « vel una nox pauculis faculis largiter ultiones posset operari, si malum malo dispungi penes nos liceret. » Mentem Balduinus magis, quam verba Tertulliani expressit : at in nox sequentibus ipsa verba ex eodem loco Apologetici. (LINDNER.)

Digitized by Google

maluit. Sed neque Christianis « adscribit causam publicarum calamitatum : » quod tamen eo tempore alii adversarii odiose facere imprimis solebant. Tristissima sane ætate Minucii erat facies Romani imperii, horribilisque dilaceratio atque confusio. Quid dicam genus omne malorum tunc inundasse? orbemque et concussum et permixtum bellis, incendiis, inundationibus, terræ motu, civitatum ruinis, gentium regnorumque excidiis, denique confectum et fame et peste publica? Non committit tamen Cæcilius, ut (quod vulgus tunc clamitabat, et ante postque multis sæculis jactatum est) calumniaretur, Christianis totum illud chaos acceptum ferri debere, eorumque sanguine esse expiandum. Ante Minucii ætatem Tertullianus, « Si, inquit, (1) Tiberis ascendit in arua, si cœlum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim, *Christianos ad Leonem*, » acclamatur. Non minus odiosa et immanis erat acclamatio tempore Cypriani, ut ex hujus ad Demetrianum Epistola satis apparet. Eadem et tempore Arnobii. Nam et hic in suis adversus Gentes libris laborat, ut hac publici odii et invidiæ flamma nostros liberet. Quid ipse postea Symmachus? nonne audet talem rursus cantilenam canere? Certe dignus erat, qui audiret, quod aliquando Romæ post mortem Commodi acclamatum est, (2) *Delatores ad Leonem*. Sed nostri ab sanguine et ultionis cupiditate erant alieni. Ambrosius non passus est eum in crimine tam falso diutius exsultare. Sed cum non multo post urbs ipsa capta atque direpta fuisset, non erubuerunt impii calumniatores talem postremo cladem religioni Christianæ adscribere : coactusque est rursus Augustinus tam tetræ maledicentiæ occurrere. Nam et propterea se suos *de Civitate Dei* libros scripsisse fatetur. Agit ergo minus malitiose Cæcilius, qui aliorum exemplo talem facem in nostros non contorquet, neque eorum innocentiam tam indigne onerat. Immo vero iis, ut miseris, ut victis, ut servis, ipse tamquam magnis victoriis elatus, et summa felicitate cumulatus, superbe insultat : et hoc nomine tam illorum religionem fastidiose deprimit, quam suam gloriose attollit superstitionem. Sic enim profani homines ex fortuna et rerum successu pendent. Sic ipse Cicero *pro Flacco* contumeliose exagitat Judæorum et gentem et sacra. Sed et Apionem Judæis servitutem et ærumnas, tamquam falsæ religionis testimonia, confidenter objecisse, ex Josepho intelligimus. Mirum vero, post tempora quoque Constantini, Julianum imperatorem nostros eadem ratione impetiisse, sicuti ex Cyrilli responsionibus cognoscimus. Quanto id magis potuit Cæcilius, qui Christianos, nisi afflictos, miseros, pauperes, nullos viderat? itaque magno supercilio et fastu et contemptu in eos despuit, et tamquam καθάρματα καὶ περιψήματα (utor Apostoli verbis) proculcat. Sed Thrasonicos eius spiritus altiori animo despicit Octavius, iisque sanctam quamdam superbiam opponit, qua et in paupertate divites, et in servitute liberi, et in media denique morte victores essent nostri. Utut autem Cæcilius initio despumans, et intemperanter convicia profunderet, et minas efflaret, et ampullas horribiles projiceret, denique Christo insultaret : tamen veris victus paulo post cedit : neque arbitri judicisque Minucii sententiam exspectat, sed ultro illi occurrit. Admirabilis profecto conversio, præsertim tam repentina. Sed ea ostendit, sanabiles multos Romæ fuisse, qui videbantur alioqui depositi et deplorati : veritati vero errorem facile cedere. Ergo Cæcilius quadam veluti in jure cessione Octavio vindicanti addici poterat. Certe vinci dedique non recusat, et Octavianæ orationis quodam quasi fulmine perculsus, tamquam alter quidam Paulus, subito religionem, quam ignorans oppugnaverat, admonitus complectitur.

Vellem autem, Minucius nobis quoque exposuisset totam hujusce μετανοίας historiam : ut et, qua lege, qua conditione, quibus sponsoribus, quo ritu, qua cærimonia, Cæcilius Romam reversus, in Ecclesiæ collegium et communionem cooptatus fuerit, intelligeremus. Nam et antiqui illius moris memoria expetenda est. Sed quod Hieronymus ad Chronica Eusebii, et Augustinus lib. VIII. Confession. (*cap.* 2) narrat de duobus aliis ejusdem et conditionis, et ordinis, et gentis, et ingenii viris, Arnobio et Victorino : cogitemus factum quoque esse de Cæcilio. Immo vero hic Cæcilius fatetur sese, posteaquam intellexit quid non sit vera religio, desiderare intelligentiam, cognitionem, institutionem religionis veræ; eam vero catechesin in diem sequentem fuisse rejectam Minucius scribit. Sed tanto magis doleo, alteram hanc scholam, quæ Minuciani libri optima et maxima pars fuisset, non editam esse : saltem non exstare. Nam neque satis est falsum refellere, verum etiam docere oportet : ut et, quid non sit, et quid sit Deus aut religio, exponatur. Sed bene habet : quod hic desideramus, sarcire potest Augustini liber *de Catechizandis rudibus*, qui et leges et formulam veteris catecheseos eleganter describit : et quomodo sit agendum cum doctis et litteratis, etiam monet : neque dissimilem Minucii ætate credo catechesin fuisse, et his quoque temporibus non observari miror. Juvat autem, ut Cæcilium audivimus accusatorem et adversarium, nunc rebus conversis spectare catechumenum. Catechumeni tunc etiam appellabantur « auditores, » vel « audientes, » sicuti ex multis Tertulliani locis apparet : erantque imprimis dociles, minimeque refractarii : quod et ipse Lucianus in *Philopat.* indicat. Contentiosæ itaque disputationes nullæ cum iis erant : sed placidis monitionibus religio docebatur. Post catechesin qui jam sua nomina Ecclesiæ dederant, ut Baptismo initiarentur, appellati sunt « competentes : » eorumque rursus in ordine Cæcilium jam nostrum conspicere juvat. Post Baptismum candidatus denique particeps fiebat τῶν

(1) Desunt quædam ex Tertulliani Apolog. cap. 40. ita supplenda : *Si Tiberis ascendit ad mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si cœlum stetit*, et sic reliqua. (LINDNER.)

(2) Lampridius Vita Commodi cap. 18. et hanc et similes acclamationes prodidit. (LINDNER.)

Digitized by Google

μυστηρίων, a quibus antea procul abesse jubebatur. Neque sane de iis, aut promiscue disputare, aut coram profanis hominibus disserere, majores nostri solebant. Testis est Theodor. (1) in Eran. Nam illa religiosius atque adeo timidius tractanda esse sentiebant: et quorsum alioqui res evaderet, longe prospiciebant. Itaque licet, cum accusarentur eorum συνάξεις, magna causa esse videretur, cur exponere deberent quidquid in iis ageretur; tamen de mysteriis nihil dicunt in foro, neque de iis cum adversariis aut contendunt aut litigant.

Atque hæc quidem hactenus breviter præmonere visum fuit, ut ad Octavii Minuciani lectionem viam veluti præmunirem, quæ et Christianarum antiquitatum memoriam nobis commendet, et ad eam renovandam nos excitet, qui et alioqui Romanas tanto studio persequimur. Atque utinam qui Romæ sunt docti homines, et nullum non etiam lapidem revolvunt, nullamque non in ipsis lapidibus litteram observant, ut antiquæ reipublicæ aliquid eruant: veteris quoque Ecclesiæ monimenta (quibus eadem urbs abundat) colligerent, pluresque, qui in ea et vixerunt, et sepulti sunt, Minucios excitarent. Satis jam, satis est novorum de Religione libellorum. Veteribus potius in lucem revocandis hujus generis reliquiis operam demus: et simus aliquando doctæ antiquitatis potius, quam inanis novitatis studiosi: majorumque nostrorum imagines et intueamur, et aliis, ne novi homines esse forte videamur, ostentemus. Neque tamen, etsi eadem eorum religio animusque idem fuerit, eadem quoque semper facies fuit, idemve status. Non enim semper vexati abjectique jacuerunt, neque tam aut ingrati aut inepti fuerunt, ut optimo jure optimaque conditione esse recusarint, cum hoc iis licuit per principes Christianos: neque tam fatui, ut hoc beneficio non uterentur: neque tam iniqui, ut, si quid in suis imperatoribus desiderarent, paganorum (ut loquimur) tyrannorum loco eos haberent: neque tam morosi, ut publicæ tranquillitati nihil quidquam condonarent. Loquor de iis, qui non fuerunt degeneres. Sed liberæ Ecclesiæ splendorem non vidit Minucius: servientis modo squalorem vidit. Nostrum vero est, utrumque statum, et utriusque temporis conditionem recte considerare atque discernere: et hoc externæ, ut ita loquar, formæ temporumque discrimen prudenter observare, ut et antiquitatis memoria, et majorum nostrorum exemplis recte utamur. Hic enim et prudentia magna et cautione maxima opus esse fateor: et cum lex nova rogatur, fertur sæpe illud *Uti rogas*, sæpius istud *Antiquo*, nobis ut occurrat atque placeat, necesse est, resque postulat. Insculptum Romæ in veteri marmore esse dicitur, CANDIDA FULVO NOBILIOR AURO FELIX ANTIQUITAS. Sed ejus præjudiciis infeliciter abuteremur, nisi liberum integrumque judicium in iis discernendis atque diligendis adhibeamus: ne vel confuse omnia misceamus, vel malitiose prætereamus, quæ imitari nos oportet, vel etiam, quæ huic ætati non conveniunt, intemperanter urgeamus. Cum olim de testamentis ageretur, lex quædam civilis respondit, « retinendum esse morem fidelissimæ vetustatis. » L. XVIII. Cod. *de Testam.* Cumque de finibus et ordine gubernationis ecclesiasticæ quæreretur, audita in Nicæno concilio est illa vox: ΤΑ ΑΡΧΑΙΑ ΕΘΗ ΚΡΑΤΕΙΤΩ. Nulla tamen fuit superstitio, quæ intemperanter, atque impotenter urgeret, quod reipublicæ salus repudiaret. Et ut sapientes jurisconsulti, ubi de magistratuum jure quæstio esset, graviter respondebant, non solum spectandum esse, quid Romæ factum sit, sed etiam quid fieri debeat. (Lege duodecima *de Offic. Præs.*) Sic etiam spectare debemus, non solum quid majores nostri fecerint, sed et quo tempore, et quave conditione, aut quali fine: neque non meminisse quoque oportet, quod lex quædam monet, non tam exemplis quam legibus judicandum esse. Ergo facio perlubenter, ut et jurisprudentiam et historiam conjunctim aut colam, aut saltem colendam esse sæpe profitear: et quidem utramque in utroque genere, humanarum dico et divinarum rerum, sive civilium et ecclesiasticarum. Nam et earum intelligentia atque memoria talem horum studiorum conjunctionem requirit: ut, si Tiberius imperator recte judicavit, militarem disciplinam (quod ait (2) Suetonius) ex antiquitate esse repetendam: nos multo magis sentiamus rectiusque dicamus, civilem et ecclesiasticam bona fide judicioque bono inde repeti debere. Interea vero, quia varie et periculose hic errari posse sentio, iterum iterumque obtestabor omnes bonos et cordatos, ut a factionibus aversi, et a studio partium alieni, primum vetustati tantum auctoritatis tribuant, quantum illi debetur: deinde placide cogitent atque observent, non solum quid veteres Christiani, tempore Minucii, facerent, cum aliud non possent: sed et quid optarent, et ubi possent, faciendum esse statuerent: et vero, quid tandem, cum liberi fuerunt, fecerint, ut et rempublicam et Ecclesiam recte constituerent.

(1) Theodoretus, Cyrenensis episcopus, in Dialogis, quibus *Eranistæ* nomen dat, Dialogo 2, pag. 159. *ed. Lips.* ita Orthodoxum inducit Eranistæ, de S. Eucharistia interroganti, respondentem: οὐ χρὴ σαφῶς εἰπεῖν· εἰκὸς γάρ τινας ἀμυήτους παρεῖναι. *Non decet aperte loqui: fortassis adsunt mysteriis nondum initiati.* Refert Eranistes: αἰνιγματώδως ἡ ἀπόκρισις ἔστω. *Proponatur ergo in forma ænigmatis responsio.*

(2) Suetonius Tiber. cap. 19. *Disciplinam acerrime exegit, animadversionum et ignominiarum generibus ex antiquitate repetitis.*

Digitized by Google

## AD PRIMAM LINDNERI EDITIONEM PRÆFATIO

# JOANNIS AUGUSTINI ERNESTI.

*Docto et christiano lectori salutem.*

In institutis eorum, per quos bonarum litterarum omnium, imprimisque sacrarum, intelligentiam atque scientiam Deus reddidit generi humano, hoc reperio fuisse, ut et ipsi sacra cum humanis conjungerent, nec minus studiosi essent legendorum veteris Ecclesiæ, Græcæ Latinæque, scriptorum, quam quæ ab antiquioribus Græcis et Romanis accepta tenerent, et ejusdem conjunctionis auctores suasoresque essent iis, qui se ad eorum disciplinam auctoritatemque contulissent. Ne exempla e longinquo repetamus, externisque de populis, Erasmus, quem in principibus instauratoribus humanitatis eruditæ numerant omnes, non minus curaverat, ut in scriptis antiquorum Ecclesiæ Doctorum versatus esset, quam in profanis Græcorum et Latinorum, nec plus ei debet antiquitas Græca et Romana, quam Ecclesiastica, ut qui haud paulo plura volumina Ecclesiæ veteris Doctorum, quam classicorum auctorum, ad fidem codicum recensuit, castigavit, illustravit. In nostris autem terris, primum, qui in hac ipsa Lipsia nostra fundator bonarum litterarum exstitit, Petr. Mosellanus, ita Græcos et Latinos scriptores interpretatus est, ut pariter ad intelligentiam et lectionem PP. interpretandis Scripturis S. et prælegendis poetis ecclesiasticis, adolescentes æmulantes ejus studia, hoc est, florem juventutis, adduceret. Quam disciplinam ab eo acceptam retinuit, et suis tradidit Casparus Bornerus, vir et ipse, ut judicat Joach. Camerarius (*in Vit. Ph. Melanchth. p.* 71) ad disciplinas fundandas natus, cui Lutherus et Melanchthon tantum in hac Academia tribuerunt, quantum nemini. Cujus rei auctorem idoneum habemus Georgium Fabricium, scholæ Bornerianæ alumnum, qui eamdem ab eo disciplinæ formam accepit. Nam in Epistola, qua Alexandro, Martisburgensis præsulatus administratori commendat corpus poetarum Christianorum, ait: « Se Leipsiæ audivisse Casp. Bornerum, hymnos Prudentii interpretantem eruditissime: eamque lectionem illum, a viro clarissimo Petro Mosellano sibi quasi per manus traditam, fideli possessione ad usum publicum multos annos retinuisse (1). » Nec ab ea ratione recessit Joachimus Camerarius, tertius de numero eorum, qui litteras apud nos fundarunt, quem studiose diligenterque tractasse scriptores ecclesiasticos, et disciplina Mosellani arguit, et clare docent Notationes figurarum sermonis Domini J. C. et Apostolorum, et alii libelli, ad rem ecclesiasticam pertinentes. Quid dicam de illo Germaniæ præceptore Philippo? quem, quis nescit, cum summus esset litteris in græcis latinisque, quoad e poetis, oratoribus, historicis et philosophis non Christianis, discuntur, eumdem principem illis temporibus in his præsertim terris, fuisse litterarum ecclesiasticarum, ita versatum in omni genere scriptorum veteris Ecclesiæ, ut nihil aliud, nisi hos, tractasse videri posset. Atque, quod magis mirere, in eo genere prope adhuc juvenis ita profecerat, ut in colloquio, quod in hac urbe de religione, auctore Georgio, duce, a. MDXIX fuit, disputantibus cum Eccio Theologis, Carolostadio et Luthero, etiam loca Patrum subjiceret inter disputandum, quibus illi adversus Eccium uterentur. Ex quo intelligi potest, hanc tum disciplinæ formam in Germaniæ locis, quæ bonis litteris plurimum tribuerent, fuisse, ut utrumque genus litterarum, a prima prope pueritia, conjungeretur. Ejus porro disciplinæ diligentem custodem, et auctorem ac commendatorem patria nostra habuit Georgium Fabricium, ut illa ipsa, quam ante commemoravimus, Epistola declarat, in qua graviter queritur eos, qui latinæ elegantiæ studiosi esse ac videri velint, negligere plerumque scripta antiquorum Ecclesiæ Doctorum, quorum lectio egregiam doctrinam Ecclesiæque utilem suppeditet, pietatemque alat, cujus haud paulo major esse debeat, quam elegantiæ, cura. Quid? Barthium, Reinesium, Rivinum, Rittershusium et haud paucos alios, quis satis cognitos habet, quin sciat, eos in cætera, latinarum imprimis litterarum, scientia, etiam hoc genus diligentissime tractasse, coluisse atque ornasse? Quam multos alios de recentioribus litteratoribus possum commemorare, qui plurimum huic generi scriptorum legendo tribuerunt: in his Jo. Frid. Gronovium, unum omnium elegantissimum Romanorum scriptorum interpretem, qui non minus bonis observationibus antiquos scriptores ecclesiasticos illustravit et castigavit, quam Romanos.

Eam autem rationem multas et magnas utilitates habere, plurimum etiam delectationis non illiberalis, facile doceri potest. Ac primum, quod litterarum Græcarum et Latinarum instaurationem profuisse ad instaurandam doctrinæ sacræ puritatem et integritatem, una et consentiente voce, litteratores pariter atque theologi eruditi prædicant, id profecto hac maxime de causa contigit, quod earum litterarum stu-

(1) A. Bornero etiam *Prudentium* editum esse Lipsiæ discas licet e G. Fabricii *Comment. in Poet. Christ.* p. 50 init.

Digitized by Google

dium cum divinorum primum, deinde vero etiam veterum Ecclesiæ Librorum lectione et interpretatione conjunctum est. Etenim illæ litteræ etsi hanc vim habere potuere, ut ingenia ad elegantiæ sensum acuerent, et ejus amorem incenderent, tamen, si in iis, hoc est, in profanorum librorum lectione se continuissent earum studiosi, nihil aliud nisi contemptum eorum suscipere potuissent, qui rerum divinarum scientiam traderent, propterea, quod eorum disciplina barbariæ sordibus contaminata et obscurata esset. Ac quod traditum est de nonnullis illius temporis litteratoribus, eos abhorruisse a religione, et divina contempsisse atque risisse, id si ita est, et non potius criminandi et invidiæ faciendæ causa tum a barbaris hominibus, qui contemptum sui ulcisci cuperent, confictum est, quod doctissimi quidam viri existimant, nescio, an iis acciderit propterea, quod in legendis tractandisque libris gentilium acquiescerent, eorumque elegantia et suavitate ita capti tenerentur, ut nihil aliud attingere cuperent aut sustinerent. In quo facile accidere potuit, ut disciplinam religionis judicarent e stupore et stultitia eorum vel hominum qui eam tum profiterentur, vel librorum de religione, qui in manibus hominum essent. Enimvero cum quidam his litteris imbuti ad veteres Ecclesiæ Doctorum libros Græcos Latinosque cognoscendos se dedissent, quorum intelligendorum facultatem illarum litterarum scientia dederat, tum vero et ipsos Libros sacros rectius intelligere discebant, et quod vulgaris disciplina theologiæ habebat stultitiæ et inscitiæ, id ei vitio hominum indoctorum et barbarorum additum, intelligebant. Qua re incensi sunt animi ad studium liberandæ divinæ doctrinæ ab sordibus errorum et ineptiarum scholasticarum, quibus per tot sæcula contaminata et oppressa jacuerat.

Atque ut litteræ humaniores hac ratione profuerunt religioni, sic iis vicissim religio, earumque cum scriptorum Ecclesiasticorum lectione conjunctio plurimum profuit. Etenim cum Sophistæ et Theologistæ barbari ante clamassent, litteras illas obesse religioni, aut certe in verbis, fabulis, inanibus historiis versari totas, nihil prodesse disciplinis majoribus, a rebus magnis et utilibus ad religionem vacuas esse, eamque ob causam inutiles, nec dignas studio juventutis, quod jactatum etiam in hac Academia traditur, cum Rhagius Æsticampianus eas docere cœpisset, Andreæ Delitiano eum quintam in curru rotam vocante, os iis obturatum est tum, cum eæ litteræ ad sacrorum Librorum, ad Ecclesiæ Patrum intelligentiam translatæ essent, intelligereturque, per eas aditum dari ad veram sacrorum librorum interpretationem et ad veram Theologiæ scientiam. Itaque cum P. Mosellanus interpretari cœpisset Epistolas Pauli, in quo maxime, ut tum erant tempora, adjuvabatur Patrum Græcorum et Latinorum lectione, tanti concursus juventutis sunt facti, et ad illas ipsas, et ad cæteras ejus lectiones, ut jam vieti jacerent, qui bonis litteris ante essent adversati.

A Ac nescio, an nunc quoque vendibilior litterarum humaniorum bona merx foret in Academiis, si earum disciplina cum sacris tali modo conjungeretur ab eorum doctoribus, qui in plerisque locis prope soli sedent in scholis. Nam et per se utilior disciplina humanitatis redderetur, et facile intelligerent juvenes, eas litteras sibi non modo, quæ nunc vulgaris opinio est, ad qualemcunque latine scribendi facultatem profuturas, quam permulti ne expetunt quidem, quod ejus sibi pro institutæ vitæ rationibus exiguum aut nullum usum vident fore, sed etiam, et multo quidem magis, ad doctrinæ utilis copiam, ad quam ipsam et expetendam paulatim allicerentur, et comparandam adducerentur.

Neque enim profecto dici hoc vere potest, non B habere Doctorum veteris Ecclesiæ libros, quo possimus in omni genere doctrinæ, quod habeat aliquam vel cum religione conjunctionem, vel ad sacram scientiam bene tractandam utilitatem, juvari. Longum foret demonstrare, quid ab iis præsidii ad Theologiam, ad interpretationem Scripturarum sacrarum, ad sacram civilemque historiam, ad Geographiam utramque, ad alias artes ac disciplinas, et quomodo, peti possit. Integri commentarii hoc argumentum est, quem nunc non scribimus. Ad eloquentiam eam, qua in templis uti convenit, quantam copiam rerum, argumentorum, imprimis popularium, sententiarum maxime optimarum, etiam acutarum et venustarum, suppeditabit ea lectio recte instituta, hoc est, si doctor, in hoc genere librorum versatus, indicaC verit, quid in uno quoque sit ad hanc rationem utile. Sunt enim in hoc genere sane multi egregii et copiosi, ut nihil dicam de Chrysostomo, et aliis Græcis, eloquentiæ nomine claris, Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, imprimisque Ambrosius cum Salviano, Petro Chrysologo, et, quod quidem ad copiam bonarum, acutarum, et venustarum sententiarum attinet, quarum in eloquentia ecclesiastica usus sit, omnium princeps, Bernardo, qui nullam aliam ob causam mellifluus dictus est. Atque hanc sententiarum copiam ex talibus tanto salubrius hauserint studiosi, quod de religione vera scripti sunt, iisque legendis etiam sensus pietatis excitabitur, aletur, et confirmabitur, quod in Christianorum veterum, D etiam poetarum, lectione imprimis spectabat Georgius Fabricius: « Non enim, » inquit, (*Præfat. ad Poet. Christ. p.* 4) « finis studiorum et doctrinæ unicus est, ut linguam perpolitam et volubilem habeas, sed ut colatur et abundet rerum magnarum et utilium scientia animus. Omnino autem nullæ res majores, fructuosiores, et digniores sunt, quam pietatis et religionis scientia, quæ peti ex his scriptoribus potest: in quibus etiamsi alia non excellunt, tamen lectorem meliorem et sanctiorem possunt dimittere. » Sed profecto inscitia nostrorum temporum et ignavia, quæ etiam apud Theologos in hac parte longe lateque dominatur, nimis humiliter sentit de hoc toto genere scriptorum, quod tamen aut omnino non novit, aut vix aliquando per leves et raras occasiones quasdam

Digitized by Google

( hoc est, ad testimonium citandi causa, sed fere ex indicio novitiorum scriptorum ) inspexit. Ego, ut in ea parte me contineam, quæ ad eloquentiæ studia maxime pertinet, unam Cypriani Epistolam de longioribus, et accuratius scriptis, velut secundam, Ambrosii item eam, quam Symmacho, paganicæ religionis conservationem ab imperatoribus disertissima epistola petenti, opposuit, vel Bernardinam, qua S. Theoderici Abbati Guilielmo, apud quem delatus erat, quod studiose detraheret de Cluniacensibus monachis, ita se purgat, ut eorum vitia omnia exprimat: has igitur, ut alia similia taceam, longe prætulerim omnibus latinis Panegyricis, qui Pliniano subjiciuntur, parum abest; quin etiam ipsius Plinii ambiguis argutiis, et assentationibus eruditis, propter quas Panegyricum ejus admirantur. Venit in mentem, dum Bernardi mentionem facio, librorum ejus *de Consideratione*, ad Eugenium III. P. R. scriptorum, quos nuper in historiæ Eccl. lectionibus commendavi studiosis. Sunt ii sane, ut cætera istius viri, et Patrum Eccl. fere omnium, scripta, de Lud. Vivis verissimo judicio, non pellucidæ, sed perturbatioris aquæ, hoc est, non omnino puræ latinitatis et elegantis: at scripti, ut puto, ad imitationem nobilissimæ Epistolæ Ciceronis ad Quintum Fr. de bene administranda provincia, cujus etiam sententias quasdam habet, quamquam alia veste indutas; at in iis non minori arte, nec minus molli articulo, tractat Eugenium, quam Marcus fratrem, hortans per laudem, et ita præscribens bene gerendi Pontificatus rationem, ut omnia Pontificum, quales illis temporibus erant, Eugenii ipsius, aulæque Pontificiæ, et cleri universi vitia clarissime describat, servans ubique decorum, et offensionem vitans. Itaque cum primum illos libros legere cœpi, quamquam assuetus purioribus et elegantioribus, tamen ita me tenuerunt, ut ab eis non ante, quam ad finem perlegissem, discesserim. Quod si talibus legendis ipse teneri potui, cum tam studiose principes eloquentiæ Græcæ Latinæque, nec, ut opinor, sine sensu elegantiæ, tractarem, et inde fructum doctrinæ capere, qui mihi nequaquam contemnendus videretur: alios, minus istis humanitatis studiis deditos, minus etiam in iis provectos, non delectari, non adjuvari posse ad doctrinam putem?

Sed sicut in antiquioribus Græcis et Latinis, quos classicos vocamus, ordo quidam, accommodatus ætati profectibusque discentium, præscribi a magistris humanitatis solet: sic etiam in hoc genere ratio quædam talis adhiberi debet. Neque enim omnia omnibus apta sunt, aut omni tempori, studiisque omnibus. Alia juvenilis ætas desiderat, cum litteris Græcis et Latinis maxime vacat, alia cum in altioribus Theologiæ studiis versatur, alia in principiis, alia cum longius in iis progressa est, cum ad perfectionem quamdam et copiam doctrinæ aspirat. Ac mihi non hoc jam est institutum, ut de universa legendorum Patrum ratione et ordine universo disseram: de initiis ejus studii satis erit monuisse. In quibus mihi rectissimum videtur, proponi et commendari eos libros, qui maximam habeant conjunctionem cum cæteris istius ætatis studiis, vel rebus, vel genere dicendi. Dubitari autem non potest, quin ejus generis sint maxime libri ii, qui religionis Christianæ veritatem demonstrant, et superstitionem paganicam oppugnant. Nam rerum, primum, magna pars vel nota est ei ætati e gentilium scriptorum, poetarum maxime, lectione, quod efficit intelligentiam eorum librorum faciliorem, vel lucem vicissim affundit illis libris, in quibus cognoscendis tum maxime versari debet. Est etiam ætate ipsa classicis scriptoribus conjunctissimum hoc genus, cum maxima pars ex eo sit tempore, quo superstitio gentilis dominabatur. Ipsi vero auctores eorum librorum, etiam qui serius vixere, ut Augustinus, Orosius, et alii, vel magistri eloquentiæ fuere, quod de plerisque traditum est, vel ejus et humaniorum litterarum omnium studiosi imprimis. Itaque in iis cura dictionis et artificium dicendi ac disserendi magis fere, quam in cæteris apparet. Nam si qui habent aliquid impuritatis in verbis, aut in dicendi genere duri et horridi, ut Arnobius, id fere a patria traxere. In quo potest caveri juventuti, ne inde aliquid trahat, si indifferantur ad id tempus, cum in bene scribendi ratione, saltem quoad puritatem verborum, aliquid firmitatis sunt consecuti. Mihi initium talium librorum legendorum fuit Minucius Octavius, in quem primum incidi in schola Portensi, in qua tum huic lectioni aliquid tribuebatur, de magistrorum commendatione, nec facile erat de provectioribus, qui non unum et item alterum talem scriptorem, poetas etiam aliquot Christianos, haberet, quos per dies dominicos, aliosque festos, legeret. Atque hinc mihi primum injectus est amor scriptorum Ecclesiasticorum, qui post etiam confirmatus est, cum et litteratores maximos viderem iis multum tribuisse, et principes Theologorum, primum a præceptoribus audirem, deinde ipse viderem, inde a Lutheri temporibus, Patrum scriptis cognoscendis plurimum studii tribuisse.

Quo magis probavi Viri doctissimi, Jo. Gottlieb Lindneri, Scholæ Salzensis in Thuringis Conrectoris dignissimi, consilium, Minucii rursus edendi, et cum aliorum doctorum virorum, tum suis animadversionibus talibus illustrandi, per quas facilior esset lectio ejus et utilior juventuti scholasticæ. Ipsis autem notis Viri perspiciendis vidi, non modo multa bene de verbis rebusque tradita esse, sed etiam crisin adhibitam esse modestam et accuratam, quæ defendenda magis et explicanda lectione vulgata, quam conjecturis exercendis occuparetur, quas nimis multas expertus est Minucius. Itaque confido, hunc libellum utilem fore et accommodatum multis nominibus juventuti, vehementerque opto, ut Vir doctissimus, cum alia præmia docti hujus laboris, omninoque doctrinæ suæ, capiat, tum maxime hoc, ut intelligat, se eo utilem juventuti Christianæ operam navasse: quod et ipsum maxime in hoc labore suscipienda spectasse confido. Scr. Lipsiæ a. d. IV. Kal. Martias.

Digitized by Google

## JOHANN. GOTTLIEB LINDNERI

# ANALYSIS LOGICA DIALOGI [1]

ΠΑΡΑΣΚΕΥΗ.

CONSTAT :

1° ANTECEDENTE, ubi excurrit in laudes Octavii Christiani, a quo Cæcilius, cultor deorum, qui Minucium salutatum Romam venerat, inter ambulandum ad veram religionem fuit revocatus. C. I, II.

2° CONCOMITANTIBUS, ubi docet quid in via acciderit, et quomodo Minucium Octavius admonuerit ne familiarem pateretur diutius errare. C. II,—III tot.

3° CONSEQUENTE, quod exponit occasionem, natam ex objurgatione modo dicta, disputandi de religione. C. IV.

ΑΓΩΝ.

TRANSITIO continet Cæcilii admonitionem ad M. Minucium præsidem de officii partibus rite tuendis. C. V.

| THESIS. | ANTITHESIS. |
|---|---|
| I. | I. |
| Fieri non potest ut Christiani certi aliquid afferant in introducenda religione nova. | Via perveniendi ad certitudinem est in proclivi, quia |
| I. — Non in articulo de Deo, *quod probatur*, | I. — *Incertitudo illa non est in veritate, sed in judiciis hominum veritatem indagantium, et oritur ex obscuritate non objectiva, sed subjectiva*, XVI; |
| [a] *A conditione veritatis, quæ est incerta*, V. | [b] *A conditione subjecti ad investigandam eam veritatem minus apti*, V; Deest enim |
| | 1°—*Medium causativum* : doctrina et eruditio; |
| | 2°—*Medium ordinis* : opes et facultates; |
| | [c] *Ab inutili*. Sufficit enim ad vitam beatam cognitio sui ipsius, V. |
| | [d] *A naturali statu hominis*, qui humilis et in terram projectus est, *Ibid.* |
| | II. — *Nec in articulo de creatione*, quam perperam Deo attribuunt Christiani, quia omnia fortuito et casu quodam ita conflata sunt, ut nunc cernuntur, V. |
| | III.—*Neque in articulo de Providentia*, |
| | [a] Quia, quæ semel cœpta sunt, lege necessitatis continuantur; adeoque omnia commodius derivari ex mechanica corporum structura possunt, V. |
| | [b] Ob defectum ordinis, qui est |
| | 1°—*In rebus naturalibus*, V. |
| | 2°—*In rebus moralibus*, Ibid. |
| | [b] *Externa hominum conditio nihil officit veritati*, XVI. |
| | 1°—*Quasdam veritates etiam absque eruditione comparare nobis possumus*; |
| | 2°—*Divitiæ magis avocant a sapientia, quam paupertas*; |
| | [c] *Concedo cognitionem sui ipsius esse salutarem, sed ea sine universitatis exploratione minus procedit*, XVII; |
| | [d] *Naturalis hominis status, qui erectus est, jubet potius cœlum aspicere.* |
| | II. — *Deus est creator hujus Universi*, quod patet ex ordine rerum ad certum finem institutum, qui sane non potest casus esse fortuiti, XVII. |
| | III.—Datur Providentia : quod probatur |
| | [a] *Ex omnimoda perfectione*, XVII, XVIII; quæ conspicitur |
| | 1°—In Universo, e. g. |
| | α *In quatuor anni temporibus.* |
| | β *In aquis.* |
| | γ *In terra continente.* |
| | δ *In animantibus.* |
| | ε *In homine.* |
| | ζ *In nascendi ratione.* |
| | 2°—In singulis Universi partibus, § 3. |
| | α *Britannia.* |
| | β *Ægypto.* |
| | γ *Mesopotamia.* |
| | δ *Oriente.* |
| | [b] *Ex analogia domus bene ædificatæ*, XVIII. |
| | DIGRESSIO I. |
| | De unitate Dei, *quæ probatur* |
| | 1°—*Inductione Socratica*, exemplis petitis: |
| | [a] *Ab imperiis terrenis*, XVIII; |

(1) Analysin hujus dialogi jam dedit Abr. Scultetus in *Medulla Theologiæ Patrum*, p. I, l. X, c. 9, p. 357, quam vero ne retinerem, variæ persuaserunt rationes. Equidem impetrare a me numquam potui ut Cæcilium crederem tam varium tamque parum sibi constantem fuisse, ut argumenta protulerit parum cohærentia et ad certam aliquam propositionem non redigenda : ideoque cogitavi de argumentis Cæcilii in syllogismi formas redigendis. Nec fuit hoc multi laboris reputanti duo fere fuisse quæ ab eodem exigerentur : quorum primum fuit ut superstitionem cui innutritus erat, missam faceret; alterum, ut Christianorum sacris initiandum se traderet. Christianam religionem declinare studuit, hoc usus ratiocinio : *Quæcumque religio est incerta et minus proficua, illa utique non est amplectenda : jam vero religio Christiana nec certa est nec proficua : ergo R. C. non est amplectenda.* Pro religione vernacula retinenda hunc formavit syllogismum : *Quæcumque religio est certa et utilis, in illa utique est permanendum : atqui religio a Romanis recepta certa est et utilis : e. in religione tradita permanendum.* In his duobus ratiociniis omnis disputatio Cæcilii continetur.

Digitized by Google

II.

*In religione a majoribus tradita est permanendum;*

I—Quia certa,

[a] *Ob incertum veritatis*, quod ex præmissis patet, VI;

[b] *Ob antiquitatem*: habemus enim religiones per traditionem acceptas, *Ib.*;

[c] *Ob fidem majoribus debitam*: quo quis enim deorum sæculo propior accedit, eo major illi fides est habenda, *Ib.*;

II— Quia utilis. *Romani enim magnitudinem imperii sui diis debuerunt;*

[a] Quod Romani fuerint religiosi, hoc patet ex venerandis

1°—*Diis vernaculis*, VI;
2°—*Diis peregrinis*, Ib.;
3°—*Instituendis castis virginibus et nominibus sacerdotum*, Ib.

[b] *Ab animalibus sociabilibus*, Ib.; A
2°—*Ab æternitate Dei*, Ib.;
3°—*Ab ejus omnipotentia*, Ib.;
4°—*A cæteris perfectionibus*, quæ uni, non pluribus competunt, *Ib.*;
5°—*A defectu nominis*, Ib.;
6°—*A testimonio tum vulgi*, Ibid.; *tum poetarum*, XIX, Ibid.; *tum etiam philosophorum*, Ib.

II.

*Stultum est, in religione falsa illa quidem, sed a majoribus tradita, velle permanere.*

Quod probatur,

[a] *Negando omnia esse incerta*, Providentia probatur, XX;

[b] *Distinguendo inter antiquitatem fabulosam, et veritatis amantem*: Hæc, non illa, est sectanda, *Ib.*;

[c] *A fide majorum dubia*, Ib.;

Digressio II.

Homines fuisse, quos pro diis coluerunt Gentes. C

*Hoc probatur:*

1°—*Ostendendo modum quo factum illud sit, deorum origine altius ex historiis repetita*, XX;
2°—*Ex testimoniis philosophorum et historicorum*, XXI, XXII;
3°—*Ex affectionibus humanis*, XXI;
4°—*Ex testimoniis poetarum*, XXII;
5°—*Ex ipsorum nativitate et morte*, XXIII.

Digressio III.

De Idolorum Origine et Vanitate.

1°—*Origo*, XXIII; D
2°—*Vanitas*, XXIV.

II—*Falsissimum est Romanos imperium suum diis debuisse*, XXV;

[a] Quia Romani non tam religiosi, quam impune sacrilegi.

Hoc probatur demonstratione indirecta, per rationem disjunctivam. *Si a diis Romani regna accepta possederunt, ea habuerunt,*

1°—*Vel a diis peregrinis,*
2°—*Vel a diis vernaculis,*
3°—*Vel ob cultum religiosiorem.* Atqui, *non a diis peregrinis, qui antiquos sui cultores potius tuiti essent, si quicquam valerent*, c. XXV;

*Nec a diis vernaculis, qui morbi potius sunt et propudia, quam dii*, Ib.;

*Neque ob cultum castiorem, siquidem virginibus non castitas tutior, sed impudicitia felicior fuit*, Ib.

Ergo *nullo modo diis imperium suum Romani debent, sed est audaciæ præda*, Ib.;

[b] Imperia possederunt gentes exteræ, etiam absque superstitione Romana, *Ib.*;

[b] Quod hæc religio imperium conciliaverit illis, patet:

1°—*Ex institutione*, quia sacra Romana optimo consilio sunt instituta, VII,

[a] *Ad remunerandum divinam indulgentiam*, Ib.;

[b] *Ad avertendam iram*, Ib.;

2°—*Ex eventu*, quia auguria pœnitenter omissa et observata feliciter, *Ib.*;

3°—*Ex oraculis et vaticiniis*, non antiquissimorum modo temporum, sed recentiorum etiam, *Ib.*

III.

*Christiana religio non est utilis,*

1°—Ob mores Christianorum deterrimos: *Si enim esset utilis, primam utique utilitatem exereret in emendandis moribus*, VII. Jam vero sunt.

2°—*Auguria multoties fefellerunt*, adeoque committitur fallacia non causæ ut causæ, XXVI.

3°—*Oracula sæpius mentita sunt*, adeoque eventus non industriæ, sed casui attribuendus, *Ib.*

Digressio IV.

De existentia et molitionibus dæmonum:

*Ubi describitur:*

1°—*Existentia*, XXVI,
[a] Descriptione, *Ib.*,
[b] Testimoniis, *Ib.*,
2°—*Molitiones*, XXVII, tot.

Digressio V.

De perversa in Christianos quæstione.

*Quæ, dæmoniis instigantibus, perversa est*, quia fit:

1°—*De incognitis et inexploratis*, XXVIII;
2°—*Quia non admittit defensionem*, Ib.
3°—*Quia cogit non ad confitendum, sed negandum*, Ib.

III.

1°—Qui de Christianorum sceleribus circumferuntur sermones, partim aperte sunt falsi et a malevolis quibusdam, instigatione dæmonum disseminati; partim quidem veri, sed sinistra interpretatione, inspersisque mendaciis depravati.

Digitized by Google

[a] *De ultima plebe*, VII ;

[b] *Factiosi*, Ib.;

[c] *In publicum muti*, Ib.;

[d] *Eorum multitudo in dies crescit*, IX, *instar lolii;*

[e] *Occultis se signis noscunt*, Ib.;

[f] *Incestum ob fratris appellationem commiserunt*, Ib.;

2°—Ob sacra multo deteriora, nam ;

[a] *Colunt caput asini*, IX;

[b] *Genitalia sacerdotis sui adorant*, Ib.;

[c] *Ad hominem e cruce pendentem supplicant*, Ib.;

[d] *Initiantur cæde infantis*, Ib.;

[e] *Convivia incesta celebrant*, Ib.;

[f] *Sacra sua occultant* X;

3° — Ob alia plura opinionum portenta ;

A. — In articulo de Deo; *colunt enim*

[a] *Deum solitarium, eumdemque imbecillum ; quod exemplo Judæorum patet*, X;

[b] *Deum invisibilem : quod absurdum*, Ib.;

[c] *Deum omniscium : quod impium*, Ib.

B. — De fine mundi. *Statuunt mundum interiturum aliquando : quæ opinio repugnat legi naturæ semel constitutæ atque æternæ*, X.

C. — De resurrectione mortuorum, *quam impugnat, argumentis*

1° — Κατ' ἄνθρωπον, quia ad resurrectionem stabiliendam, multa alia absurda simul sunt assumenda; e. g.

[a] *Ignium sepulturam esse rejiciendam*, ne scilicet corpus resuscitandum periret, XI;

[a] *Negat hoc ex eo sequi quod honores et purpuras Gentium recusarent*, XXXI ;

[b] *Negat docendo Christianos congregatos eadem quiete agere, qua et singuli*, Ib.;

[c] *Concedit, sed hoc ideo fieri monet, quod Gentes eos publice audire erubescerent*, Ib. ;

[d] *Concedit, sed hoc laudis, non criminis esse docet*, Ib.;

[e] *Concedit, sed crimen removet, eo quod non notaculo corporis, sed innocentiæ signo se dignoscerent*, Ib ;

[f] *Negat, et appellationis fraternæ innocentiam defendit*, Ib.;

2—Plurima quæ de sacris nostris spargitis, sunt falsa ; non pauca depravata ;

[a] *Inficiatur et retorquet*, XXVIII;

[b] *Negat, et convicium remittit*, XXVIII, XLIX;

[c] *Negat et retorquet*, Ib.

[d] *Negat et retorquet*, XXX tot.;

[e] *Negat et retorquet*, XXXI ;

[f] *Concedit, sed jure fieri monet*, XXX ;

3. — Christianorum doctrina est sanissima : hinc

A. — In articulo de Deo,

[a] *Distinguendum esse monet inter Judæos veteres legique divinæ obedientes, et recentiores immorigeros*, XXXIII ;

[b] *Invisibilitatem Dei jure adstruit, docet* XXXII ;

[c] *Omni scientiam Dei firmissimis niti argumentis adserit*, XXXII, XXXIII ;

B. — Doctrina de fine mundi, *nec legi naturæ, nec philosophorum sententiis repugnat*, XXXIV.

C. — Ad objecta de mortuorum resurrectione respondetur.

[a] *Ignium sepultura, non facilitandæ resurrectionis causa rejicitur, sed ut mos veterum humandi corpora frequentetur*, XXXIV ;

A [b] *Pœnas et remunerationes post mortem statuere, quia error erroremfacile pariat*, Ib.;

[c] *Ipsos Christianos pœnis esse dignos, cum sint mali*, Ib.;

[d] *Deum esse injustum, qui sortem in hominibus puniat, cum omnia subjecta sint fato*, Ib. ;

2° — Κατ' ἀλήθειαν, ostendendo impossibilitatem.

[a] *Dilemmate*, Ib.;

[b] *Defectu exempli*, Ib.;

B

3° — Ob mala plurima, quibus cultores suos expouit : *Cultus enim Dei unius non ducit ad felicitatem,*

[a] *Quia ejus cultores sunt pauperes*, XII ;

[b] *Quia infirmi ac calamitosi*, Ib.;

C [c] *Tormentis aliorum expositi*, Ib.;

[d] *A Deo relicti*, Ib.;

[e] *Alii sine Deo felices sunt*, Ib.;

[f] *Honestis voluptatibus avocat*, ut sunt :

1° — *Pompæ et spectacula*, Ib.;

2° — *Præcerpti cibi et potus delibati*, Ib.;

[g] *Rerum licitarum usum, qualis florum est, damnat*, Ib.;

D [h] *Defunctos adeo debito honore defraudat, dum coronari eos prohibet*, Ib.;

[i] *Nec damnum vitæ præsentis futuræ felicitate pensat*, Ib.;

IV.

*Summa totius disputationis.*

1° — A rerum divinarum exploratione abstinendum,

[a] *Quia veritas est supra nos*, XII, Ib.;

[b] *Ob inertiam et ruditatem eorum qui huic*

[b] *Pœnas post mortem etiam Gentes statuunt, sed easdem perhorrescunt*, Ib.; XXXIV. ;

[c] *Christiani ethnicis tamen multo sunt meliores*, Ib.;

[d] *Concedit fatum esse, sed liberum, ob omniscientiam Dei, qua futura præsciat*, XXXVI;

2° — Possibilitas resurrectionis adstruitur

[a] *Tum sententiis philosophorum, tum argumentis ex ratione petitis*, XXXIV;

[b] *Æque absurdum est exemplum hominis qui ex mortuis resurrexerit, videre velle, quam esset postulare ut sol sub noctem oriatur, et arbores in hieme vernent. Exempla resurgentium apparebunt utique, sed suo tempore*, Ib.

3° — Inter Christianos et ethnicos de eo quod bonum malumve est, non convenit.

[a] *Paupertas hæc non infamiæ, sed gloriæ est ; non coacta, sed voluntaria*, XXXVI ;

[b] *Fortitudo infirmitatibus roboratur, virtus calamitatibus*, 8 ;

[c] *Gloriamur suppliciis affecti, freti auxilio Dei.* XXXVII ;

[d] *Non derelinquimur a Deo, sed tentamur*, Ib.;

[e] *Felicitas sine Deo non potest esse solida*, Ib.;

[f] *Voluptates, quibus abstinemus non sunt honestæ, sed pravæ et illicitæ*, Ib.; quod probatur *Ib.;*

1° — *De pompis et spectaculis*, 12, 13 ;

2° — *Sacrificiorum reliquiis, quæ dæmoniis libantur*, XXXVIII ;

[g] *Horum non usus, sed abusus damnatur*, Ib.;

[h] *Abhorret a ratione mos coronandi mortuos*, Ib.;

[i] *Christiani non tranquille solum vivunt, sed beati etiam sunt spe futuræ felicitatis*, Ib.;

IV.

1° — A rerum divinarum investigatione nemo absterreri debet, quia

[a] *Veritas non est supra, sed penes nos*, Ib.;

[b] *Nos non habitu sapientiam, sed mente præfe-*

Digitized by Google

*studio incumbunt*, XII;
c *Ab exemplo Socratis, Arcesilæ, Carneadis. Academicorum et Simonidis Melici*, XIII;

2° Dubia ergo quæ sunt, merito relinquenda, *Ib.*

V.
EPILOGUS
continet :

1° — Provocationem Cæ-

*rimus*, XXXVIII.
c *Philosophorum exempla nihil nos monent*, Ib.

2. Non dubia amplius sunt quæ dubia quondam fuerunt, cum veritas divinitatis jam maturuit.

V.
EPILOGUS
ostendit :

1° — Quos stimulos oracilii ad Octavium, *qua invitatur ad respondendum*, XIV;
2° — Orationem Minucii ad Cæcilium, *qua ipsum, non prius exultandum esse monet, quam utrimque fuerit peroratum*, Ib.;
3° Responsionem Cæcilii, *qua Minucium taxat, quod se oratione gravissima interpellaverit, et attentum Januarii auditorem fore promittit*, XV, tot.

tlo Octavii in animis audientium reliquerit, XXXIX, tot;
2° — Confessionem Cæcilii, qua victum se esse fatetur, XL;
3° Dilationem quæstionis de rebus ad quas institutio perfectior requirebatur, *Ib.*;
4° Gratulationem Minucii conjunctam cum gratiarum actione ad Octavium XLI, 1, 2;
5° Lætum omnium discessum, *Ib.*

# MARCI MINUCII FELICIS OCTAVIUS.

## PROŒMIUM.

In hoc Dialogo Cæcilius inducitur ethnicis superstitionibus addictus, qui patrium et avitum deorum cultum a nemine deserendum, variis rationibus probare conatur : neque ulli esse anxie de religione inquirendum, sed antiquam retinendam, novam repudiandam. Contra vero Octavius, qui, impio illo cultu rejecto, christianæ professioni nomen cum Minucio Felice dederat, omnia Cæcilii argumenta sic funditus evertit, tantisque rationum momentis christianæ religionis veritatem demonstrat, ut Cæcilius, gravissima disputatione fractus ac plane convictus, veram religionem læto gratantique animo fuerit amplexatus. Ac primum quidem Cæcilii sermonem pro deorum cultu exponit auctor. Deinde vero Octavii responsionem ad singula orationis Cæcilianæ membra subinfert.

### CAPUT PRIMUM.

ARGUMENTUM. — *Ab ipso dialogi exordio, narrat Minucius quam jucunda eorum quæ sibi cum Octavio, dum apud se Romæ ageret, contigerant, ac potissimum hujusce disputationis recordatione oblectaretur.*

I. (1)[a] COGITANTI mihi, et cum animo meo Octavii, boni et fidelissimi contubernalis, memoriam recensenti, tanta dulcedo et affectio hominis inhæsit, ut ipse quodam-

### VARIORUM NOTÆ.

*M. Minucii Felicis.* Plura Minuciæ gentis cognomina, Rufi, Thermi, Fausti, Macri, Fundani, et in his etiam Felices. Vetus inscriptio Romana apud Gruter, pag. 918 :

DIIS MANIBVS
SACRVM
Q. MINVCIVS
FELIX.

Scribitur per C, quia non a *minutus* : quod correpta etiam syllaba jubet. Silius Italicus VII, 523 :

Nec mora, disjecto Minuci vecordia vallo
Perdendi simul et pereundi ardebat amore.
CELLAR.

*Octavius.* Hoc nomen dialogi, sumptum a principe colloquentium persona, ut Cicero suos dialogos Catonis, Luculli, Bruti, Lælii nomine præscripsit, Platonem imitatus, cujus *Phædonem*, *Alcibiadem*, *Socratem* et alios libros, a principe colloquente nominatos habemus. Quis fuerit Octavius, ex cap. I et II, quantum de eo nobis traditum est, cognoscitur. Infra cap. XV et Januarius plenis nominibus Januarius Octavius appellatur. Cæteri collocutores sunt Cæcilius Natalis, paganus adhuc, post colloquium Christianus, et noster M. Minucius Felix, qui in hoc Dialogo aliquando solo prænomine Marcus vocitatur. Vide capp. III et V. CELLAR.

* Ut accuratior exhibeatur unius codicis exstantis dialogi *Octavius* collatio ac verior effigies, in textu sunt interpositi numeri, quorum alii, nempe romani, capita seu divisiones codicis, alii vero, vulgares scilicet, exhibent folia. EDD.

CAP. I.—*Fidelissimi contubernalis.* Buzelius de militia interpretatur, quod scilicet Minucius noster, ex more Romanorum, juvenis Cæcilii contubernio usus fuerit. Hic probandum ipsi incumbit, an mos ille sæculis sequioribus tam constanter usu receptus manserit : nam de ipso Minucio hoc onus probandi nemini imponimus. Melius est in genere sodalem laboris ac studiorum intelligere. LINDNER.

*Tanta dulcedo.* Wopkenius *tantum dulcedo* rescribendum censet, minus recte. LINDNER.

Digitized by Google

modo mihi viderer in præterita redire, non ea quæ jam transacta et decursa sunt, recordatione revocare. Ita ejus contemplatio, quantum subtracta est oculis, tantum pectori meo, ac pene intimis sensibus, implicata est. (11) Nec immerito discedens vir eximius et sanctus immensum sui desiderium nobis reliquit: utpote quum et ipse tanto nostri semper amore flagraverit, ut et in ludicris et seriis pari mecum voluntate concineret, eadem vellet vel nollet. Crederes unam mentem in duobus fuisse [a] divisam: sic solus in amoribus, conscius ipse, socius in erroribus, et quum, discussa caligine, de tenebrarum profundo in lucem sapientiæ et veritatis emergerem, non respuit comitem, sed, quod est gloriosius, præcucurrit. Itaque, cum per universam convictus nostri et familiaritatis ætatem mea cogitatio volveretur, in illo præcipue sermone ejus mentis meæ resedit intentio, quo Cæcilium, superstitiosis vanitatibus etiam nunc inhærentem, disputatione gravissima ad veram religionem reformavit.

## VARIORUM NOTÆ.

*Discedens.* Ex toto orationis contextu liquido patet hunc dialogum a Felice nostro post Octavii fata litteris fuisse mandatum : quapropter legendum *decedens*. Ita persæpe Cicero, aliique scriptores optimi. Phædrus, lib. IV, fab. 4 : *Quidam decedens tres reliquit filias*. Sulpicius Sever., *Hist. sacr.*, lib. I, cap. 7 : *Sara quum septimum et vicesimum supra centesimum annum ageret, decessit*. Sic et alibi passim idem historicus. Claudianus tamen in Rufinum, lib. II, 10 :

Solatia letho
Exitium commune dabit, nec territus ante
Discedam ; cum luce simul linquenda potestas.

At ibi quidam codd. *decedam* : et vere quidem. Davis. —Si Grunerum audias in *Actis Societ. Latin. Jenens.*, vol. IV, pag. 209, editorum lectio retinenda, eodem sensu. Verum vir eruditus minus appositis exemplis id adstruere videtur; cujusmodi sunt : *a vita discedens, ex vita discedo, discessum a corpore*. Loca erant producenda, in quibus verbum *discedo* simpliciter usurpatum, de morte absolute ac sine controversia accipiatur, quo modo sane constat de verbo *decedo*. Galland. — Nihil est quod de morte cogitare nos jubeat, quod facit Gronovius, ob levem imitationem Ciceronis, qui in principio Bruti ait : *Quod vir egregius alienissimo reip. tempore exstinctus, et auctoritatis et prudentiæ suæ triste nobis desiderium reliquerit*. Nam 1° scripsisse hæc Minucius æque poterat post Octavii e Roma discessum, quam mortem. 2° Memoria non minus est absentium, quam mortuorum. 3° Desiderium amici absentis est immensum ; mortui triste, nec facile ferendum. 4° Octavius tunc adhuc erat junior, ob liberos infantes. 5° Dubito an *discedere* simpliciter dicatur pro *mori*. Lindner.

*Vir eximius et sanctus.* Virum *sanctum* et *sanctam* feminam etiam ethnici dicebant moribus et virtute præstantem. Apud Christianos, qui datam Christo fidem servabat, qui Baptisma suum habebat integrum, *sanctus* appellabatur. Et hæc appellatio religionem designat et mores. Quod si aliquis moribus improbis notaretur, jam desinebat esse et haberi Christianus. Rigalt.

*Et in ludicris et seriis.* Cl. Heumannus, *et in seriis*. Sed nulla opus mutatione. Amant certe ejusmodi dicendi compendia veteres illi sæculi secundi et tertii auctores, illi inprimis, qui sermone brevi et conciso utuntur, et rerum magis quam verborum copiam sectantur. Ex Tacito, Plinio, Suetonio et illius ætatis aliis, non dubitarem exempla peti satis multa posse. Mencken. —Sic Livius, 34, 7, 14 : *Et vos in manu et tutela..... debetis habere eas*. Tacitus, *Histor.*, 4, 36 : *In luxum effusi et epulas et nocturnos cœtus*. Plinius, *Panegyr.*, 21, 3 : *In animis nostris et judiciis eras pater patriæ*. Lindner.

*Eadem vellet vel nollet.* Sic edidit Heraldus, auctoritate, ni fallor, ms. regii. Rigaltius vero et Sig. Gelenius habent *eadem velle vel nolle*, quod explicat cl. Grunerus per infinita naturam nominum habentia. Wopkenius, cui glossam sapere quatuor hæ voces videntur, nullo modo est audiendus. Sed ipse, ut conjecturæ huic suæ parum confisus, statim subjungit : *Haud raro ita res eadem aut ferme eadem diversis vocibus ingeminatur, citra quam necesse sit, idque* per ἀσύνδετον, et in hoc provocat ad cap. 3, *emicaret, emergeret ;* 5, *indignandum, indolescendum ;* 11, *mortuis, extinctis ;* 37, *uri, cremari ;* 24, *sciunt, norunt*. Cl. Heumannus ita vult legi : *concineret, et eadem vel vellet vel nollet*. Sed usos frequentissime hoc dicendi genere veteres auctores, exemplis sat multis probat F. O. Menckenius, quibus addo Plin., lib. X, Ep. 50 : *Superest ut tu libratorem vel architectum mittas*. Plorusi, 9, 10 : *Ne potestas solitudine vel mora corrumperetur*. Minucius noster, 20 : *Antiquitas fabellis delectata vel capta*. Id., 25 : *Quorum cibo vel fastidio*. Itaque, sic ut vulgo legitur dicere Felicem potuisse, non est dubium ; voluisse autem, hoc facilius crediderim, quo magis ipse cavendum intelligebat ne delicatas aures illa duas ejusdem formæ ac soni voculas repetendi ratio offenderet. Lindner.

*Crederes unam mentem.... divisam.* Nihil in hisce verbis inest vitii. Lactantius *de Mort. Persec.*, cap. 8 : *Nec enim possent in amicitia tam fideli cohærere, nisi esset in utroque mens una*. Vide Persium, Sat. V, 23, et ibi scholia ; et Hieronymum, Epist. I et XV, edit. BB. Davis.

*Sic solus in amoribus conscius ipse socius.* Hæc equidem sic intelligo : *Sic is qui mihi solus erat in amoribus, cujus rei testis est ipse locupletissimus socius, etiam fuit in erroribus*. En similem locum apud Ciceronem, qui lib. VII, Ep. 32, de Curione ita : *Est mihi, ut scis, in amoribus*. Quod Minuc. fortasse ita esset elocutus : *Est mihi conscius ipse, in amoribus*. Schefferus illud *conscius* delet et ita legendum censet : *Sic socius in amoribus ipse, socius in erroribus*. Gronovius ita : *Sic solus in amoribus conscius, ipse socius in erroribus*, et vult Octavium his verbis de se ipsum confiteri, quod venerem promiscue spargerent, dum more illorum adolescentiam ab se actam fatetur. Heumannus ita : *Sic solus in amoribus ipsi, socius in erroribus, cum discussa caligine... emergerem*. Causæ cur acquiescere in hac emendatione nequeam, sunt : primum, quod voces aliquot ejiciendæ sunt, quod, quomodo excusari queat, non video; deinde pars orationis optima excidit. Tria enim Minuc. de Octavio suo affirmat, 1° quod amicus fuerit ; 2° quod ex sui amore simul errori adhæserit ; 3° quod ex errore simul cum eo in lucem veritatis redierit. Hic vero, ex emendatione Heumanniana membrum secundum abest. Observet insuper lector elegantem paronomasin, *conscius* et *socius*, *amoribus* et *erroribus*. Lindner.

*Sapientiæ et veritatis.* Hoc est, veræ sapientiæ, nempe christianæ. Sic *feminas sapientiam consecutas* dixit Tertullianus, Christianas ; et *Socratem sapere ad veritatem*, cum ad Christianorum scita propius accedebat. Rigaltius.

*Præcucurrit.* Sic in ms. est; at in editione Romana, quæ omnium est prima, *præcurrit*. Sed nihil mutandum contra ms. auctoritatem. Habet hanc formam Plautus, *Menæchm.*, 5, 8, 8. Conf. de *concurrere, decurrere, procurrere*, eadem forma Freinshem, *in Indice ad Florum*, v. *concurrere*. Lindner.

*Etiam nunc inhærentem.* Sic loquitur Minucius respiciens ad illud temporis sive negotii quod hoc de-



Digitized by Google

## CAPUT II.

ARGUMENTUM. — *Octavii Romam adventus forensium feriarum tempore, pergratus Minucio. Utrique ad marina Ostiæ balnea, adscito Minucii comite Cæcilio, ire placuit. Dum simul ad mare pergunt, Cæcilius conspecto Serapidis simulacro, manum ori admovens, illud colit.*

Nam negotii et visendi mei gratia, Romam contenderat, relicta domo, conjuge, liberis, et, quod est in liberis amabilius, adhuc annis innocentibus, et adhuc dimidiata verba tentantibus, loquelam ipso offensantis linguæ fragmine dulciorem. Quo in adventu ejus non possum exprimere sermonibus, quanto quamque impatienti gaudio exultaverim, quum augeret maxime lætitiam meam amicissimi hominis inopinata præsentia. Igitur, post unum et alterum diem, quum jam et aviditatem desiderii frequens assiduitatis usus implesset, et quæ per absentiam mutuam de nobis nesciebamus, relatione alterna comperissemus; placuit Ostiam petere, amœnissimam civitatem, quod esset corpori meo siccandis humoribus de marinis lavacris blanda et apposita curatio. Sane et ad vindemiam feriæ judiciariam curam relaxaverant. Nam id temporis, post æstivam diem, in temperiem semet autumnitas dirigebat. Itaque, quum

## VARIORUM NOTÆ.

scribitur. LIND. — Proba lectio, quam varie corruperant cum alii *etiamnum*, alii *etiam tunc* edidissent. Apuleius, *Miles.* 4 : *Ac paululum a via retractum, per altissimum præceps in viam proximam etiam nunc spirantem præcipitant.* Heic *etiam nunc* est ἔτι. HERALD.

CAP. II. — *Adhuc annis innocentibus.* Propter annos teneros qui fere sunt criminum nesci; nam male rem gessit Fulvius Ursinus, qui vocem *annis* expungendam censuit. DAVIS.—*Innocentem ætatulam* dicit Prudentius in agone Romani martyris. Tacitus, lib. III, *innoxiam ætatem.* HERALD.— Lactantius, lib. I, cap. 20 : *Quum teneras*, inquit, *atque innocentes animas, quæ maxime est ætas parentibus dulcior, sine ullo respectu pietatis extinguerent*, etc. VOUVER. — *Annis adhuc innocentibus.* Wopkenio intelligendi omnino videntur liberi *qui sunt* adhuc *annis* vel *in annis innocentibus*, subaudito per ellipsin tralaticiam participio *existentibus. Innocentes* quippe *annos* dixit Minucius, ut *fessos annos* Seneca, *Hippol.* 267 : *Rudes annos* Quinctil. *Instit. Orat.* l. I, c. II. BURM.—Ita satis, credo, lectio recepta stat confirmata, neque erat cur Heumannus rescriberet : *et, quod est amabilius, liberis adhuc innocentibus.* Addo posse hæc verba commodius et ita explicari : *liberis adhuc innocentibus annis*, h. e. *per annos*, sive *propter annos.* Ablativum certe hoc modo exponendum esse nonnumquam, docet Cortius ad lib. II *Epist.* Cic., Epist. 10, § 5. Menckenius *liberos annis innocentibus* interpretatur per *liberos qui sunt annorum innocentium.* LINDNER.

*Loquelam..... dulciorem.* Meursio reponendum videtur *loquela, ipso offensantis linguæ fragmine dulciore*, ac ita sane edidit Chr. Cellarius. Sed uti de κακοφωνίᾳ nihil dicam, vulgata et ms. regio firmata lectio manum medicam non flagitat; est enim appositio schema non infrequens, de quo adiri poterit G. J. Vossius *de Construct.*, cap. 2. Vide et Casp. Barthium, *Advers.*, lib. XLIII, cap. 25. DAVIS. — Crimen κακοφωνίας huic emendationi imputatum, declinare quidem Cel. Heumannus studet, adducto eum in finem loco Hieronym., *Epist.*, p. 49, *Garrula atque balbutiens linguæ offensione fit dulcior.* Sed quis non videt locum hunc longe diversum esse ab illo ubi quinquies casus sextus repetitur? LINDNER.

*Impatienti gaudio.* Lego *impotenti.* Ita et *impotentem* (id est immoderatum, et qui efficit ut homo sui non sit potens) *amorem* Catullus dixit Epigr. 36, et Tacitus, *Hist.* IV, 44. Etiam in Lactantii lib. V, cap. 1 pro *impotentes* librarii scripserunt *impatientes.* HEUM. — Quid causæ sit cur pro *impatienti* legendum Heumannus *impotenti* sciscat, haud intelligo. Vocabulum *impatiens* enim est ejusmodi, ut de vehementibus animi commotionibus inprimis usurpetur, atque adeo de *gaudio* recte possit usurpari. Nam, si dolorem dixerunt veteres *impatientem*, non video cur minus hoc vocabulum tribuendum *gaudio*, quod eamdem commovendi animum habet vim, existimetur. Ita nempe de dolore Justinus, 12, 13 : *Quosdam impatientius dolentes consolatus est;* et 32, 3 : *His rebus offensus Philippus impatientius in dies mortem Demetrii dolebat;* et Aur. Victor in *Cæs.*, cap. 6 : *Qui prælatum adoptione ejus Pisonem impatientius dolens*, et in *Epist.*, cap. 14 : *Dolore ardens, impatiensque;* et Plin., lib. IX, Ep. 22 : *Dolet, ut qui impatientissime;* et Tacitus, lib. IV *Annal.*, cap. 17 : *Tum vero, æquari adolescentes senectæ suæ impatienter indoluit.* MENCKEN. — Si vel maxime concesserim, *gaudium* dici posse *impatiens* ut *dolorem*, quod vix crediderim, tamen gaudium inopinatum et repentinum et præsens an sic dicatur, valde dubito. LINDNER.

*Corpori meo.* Heumann. scribit *corporis mei.* Sed usu satis trita constructio verbi substantivi cum casu tertio. Vide tamen Bunem. ad *Lactant.*, V, 2, 5. LINDNER.

*Siccandis humoribus*, pro *ad siccandos humores.* Nam balneis marinis utebantur quoties vitiosis intus humoribus contraxerant languorem, nervis remissioribus et laxis. Suetonius in *Augusto*, 82, 5. Adde Scriveriana ad Martialem, 10, 13. GRONOV.—Curationis hujus etiam Vitruvius mentionem facit, lib. V, cap. 9. Refero huc et illud Symmachi, lib. VIII, Epist. 46. Quem locum in singulari Dissertatione an. 1734 edita Lipsiæ, et ibidem subsequenti anno in *Actis Academicis*, p. 120 et seqq., recensita interpretatus est Jac. Henr. Chr. Adami. HEUM.

*Ad vindemiam.* Heum. scribit *ob vindemiam.* Immerenti voculæ hæc injuria infertur, nec, qui satis habet cognitum in multis auctorum locis, quorum magna pars a Jo. Frid. Gronovio ad Senecæ lib. IV, *de Benef.*, cap. 6 collecta est, *ad* notare idem quod *illo tempore* aut *circa illud tempus*, is minus commode positum hoc in loco judicabit, quo *feriæ ad vindemiam* illæ sunt quæ vindemiæ tempore habentur, scilicet feriæ vindemiales et, ut verum dicam, elegantius ita quam si *ob* ponatur pro *ad*, dicuntur. MENCKEN. — Conferatur etiam Cortius ad Cicer. *Epist.*, lib. III, Ep. 5, n. 9. Est et alia explicatio non inimus elegans et concinna, qua feriæ dicuntur laxare judiciariam curam ad vindemiam fruendam. LINDNER.

*Nam id temporis.* Duo Minucius ponit quæ hanc curationem vel maxime commendabant, *ferias vindemiales* scilicet et *temperiem autumnitatis.* Blanda erat curatio ob autumnitatis temperiem; apposita, ob ferias vindemiales. LINDNER.

*Autumnitas dirigebat.* Frustra hic scrupulus injectus fuit ab doctissimo Meursio, quasi deessent nonnulla de Cæcilio deambulationis comite adscito. Itaque etiam nullum ex viris doctis qui postea ediderunt, sibi assentientem invenit, haud dubie non quod opinati fuerint omitti quasdam circumstantias veluti ex jure, quod historici non refugiant, sed quod crediderint satis colligi ejus comitatum partim ex superioribus, ubi ostendit se acturum de sermone Octavii, quo Cæcilium reformavit disputatione gravissima ad veram religionem; partim ex sequentibus, ubi describit Octavius Cæcilium domi forisque lateri Minucii inhærentem. Hæc enim duo loca sic ordinavit apte auctor, ut ex eis nequeat lector aliter cogitare, quam eum simul exivisse. GRONOV.

Digitized by Google

diluculo ad mare, inambulando littore, pergeremus, ut et aura, [a] aspirans leniter, membra vegetaret, et cum eximia voluptate molli vestigio cedens arena subsideret; Cæcilius, simulacro Serapidis denotato, ut vulgus superstitiosus solet, manum ori admovens osculum labiis impressit.

## CAPUT III.

ARGUMENTUM. — *Superstitiosi hominis actum indigne ferens Octavius, Minucio acriter exprobrat hujus impii facinoris in famiam non minorem in ipsum, ut-pote Cæcilii hospitem, quam in eumdem Cæcilium redundare.*

Tunc Octavius ait : Non boni viri est, Marce frater, hominem domi forisque lateri tuo inhærentem, sic in hac imperitiæ vulgaris cæcitate deserere, ut tam luculento die in lapides eum patiaris impingere, effigiatos sane, et unctos, et coronatos; quum scias hujus erroris non minorem ad te quam ad ipsum infamiam redundare. Cum hoc sermone ejus medium spatium civitatis emensi, jam liberum littus tenebamus. Ibi arenas extimas, velut sterneret ambulacro

## VARIORUM NOTÆ.

*Inambulando littore.* Cellar. suscriptorem nactus cl. Heumannum, edidit *littori*. At vero incognita scriptoribus antiquis formula, *inambulare littori*, est; nec usquam hoc verbum cum dandi casu conjunctum invenio. Gerundii igitur, non participii, vim habet *inambulando* illud; *littore* autem pro *in littore* positum est eodem modo quo apud Livium, lib. XXIII, cap. 21 : *Qui ceciderant pugna Cannensi;* et Florum, lib. III, cap. 16 : *Occiso palam comitiis Annio;* et Curtium, lib. VII, cap. 7 : *Cecidere eo prælio peditum duo millia;* et Ovidium, Epist. I, Her. v. 21 :

Denique quisquis erat castris jugulatus Achivis;

aliosque plures, adductos ex parte a cl. Drakenborchio ad Livii lib. IX, cap. 32. MENCKEN.

*Ut et aura.* Delet *ut* Heum. fortasse quia offendebatur quod hoc modo causa ambulandi esset, ut vestigio cedens arena subsideret, quod non probabat. LINDNER.

*Molli vestigio.* Vestigium hoc in loco plantam pedis denotat. Gellius *N. A.*, lib. IX, cap. 4 : *Vestigia pedum habentes retro porrecta, non, ut cæterorum hominum, prospectantia.* Prudentius *in Symmach.*, lib. XI, præf. v. 33 :

Sed vestigia fluctibus
Summis tingnere cœperat.

Plura suppeditabit Gasp. Barthius *Advers.*, lib. XLIII, cap. 25, ubi tamen perperam reponit *membra vegetaret cum eximia voluptate, et molli vestigio cedens arena subsideret :* quasi scilicet arena, pedibus cedens, nullam prorsus ambulanti voluptatem afferat. DAVIS. — *Molli vestigio cedens arena.* Hic locus ab interpretibus varie est tentatus. Ouzelius et cum eo Schefferus et Davisius *vestigium* accipiunt de *planta pedis*. Sed concoquere Scheff. non potuit, qui *plantæ* eorum in primis qui calceis non admodum frequenter utantur, dici queant *molles*. Hac difficultate permotus, hoc *molli* plane ejecit. Grunerus, qui cum Wopkenio et Gronovio accipit de vestigii pedisve impressione per metonym., rem ita expedit : Cedens arena erat *molli vestigio*, quod, cedendo, locum, qui pede calcabatur, molliorem faciebat, quo sensu est casus sextus, ut *molle iter* apud Quinctil. *Instit. Orat.* 4, 2, p. m. 350, *mollis trames*. Ovid. *Fast.* 3, 15, *vinea mollis et cedens*. Neque vero Wowero *mollis*, quod in edit. Romana se invenisse perhibebat, reponenti assentiri debebant vel Davisius, vel Clericus in *Biblioth. select.*, tom. XXIV, pag. 124. Applaudo Heumanno, qui ait Minuc. dicere voluisse, arenam, etiam leviter ab euntibus impressam, cessisse. Eodem modo dici potest : Cervical molli cervici cedens subsidit; *Es liegt sich weich*. LINDNER.

*Vulgus superstitiosus solet.* Malim legere *superstitiose solet*. HEUM —Fortasse quod masculinum genus additum voci *vulgus* nolit. Atqui habet vocem hanc eodem genere Horat. lib. II, Serm. 3, v. 62 :

. . . . . Huic ego vulgum
Errori similem cunctum insanire docebo.

Hæc Menckenius, qui etiam comparativum *superstitiosius* præferi. LINDNER.

*Manum ori admovens..... pressit.* Rom. edit. *impressit*. HERALD. — Plinius, lib. XXVIII, cap. 11 : *In adorando dexteram ad osculum referimus.* Hieronymus, tom. VI, *in Oseam*, cap. XIII, fol. 72 : *Qui adorant, solent deosculari manum suam, quod Job fecisse se negat, dicens : Si osculatus sum manum meam apponens ori meo; et hoc mihi ad iniquitatem maximam reponetur.* De adorantium gestu, habitu, motu flexuque corporis, vide Barnab. Brissonium, lib. I, *de Formul.*, p. 35; et Petrum Pithœum, lib. I, *Adversar.*, cap. 3. ELMENHORSTIUS. — Quæ modo Elmenhorstius conferre suadet ac consulere, videsis doctissime et concinne collecta in nota quam Lugdunensi editioni ac versioni Octavii J. G. H. Greppo subjunxit, pp. 193-199. EDD.

CAP. III.— *Non boni viri est, Marce frater.* Octavius Marcum Minucium *fratrem* appellat, Christianus Christianum. At cap. V, Cæcilius, adhuc ethnicus, eumdem Minucium sic etiam compellabit, *quamquam tibi, Marce frater*. Hæc igitur appellatio fuit affectus et religionis : utriusque certe in Octavio, affectus in Cæcilio. RIGALTIUS.

*Imperitiæ vulgaris cæcitate.* Pati, ut in religione paganorum permaneat. *Vulgarem* vero dicit, quia tunc sensim, qui paulo emunctioris naris erant, gentilium religionis fraudes sentiebant, et Christum sequebantur, ita ut vulgus tantum in ethnicorum superstitione remaneret. LINDNER.

*Effigiatos.* De verbo *effigiare* multa Savaro ad Sidonii Apollinaris lib. VI, Epist. 12, quibus hæc loca addere poteris. Papias : *Effigiare, formare.* Apuleius, *Metamorph.*, lib. II, pag. 11 : *Miris extrinsecus simulacris effigiata.* Martianus Capella, *de Nupt. Philol.*, lib. VI, pag. 130 : *Quippe memoratur omnia posse effigiare.* Pag. 228 : *miris formis effigiata.* Augustinus, *de Hæres.*, cap. 86 : *Tertullianus animam dicit effigiatum corpus esse.... Deum corporeum esse, licet non effigiatum.* ELMENHORT. Aliter in ed. BB, t. VIII, p. 25.

*Unctos et coronatos.* Utrumque morem satis illustrarunt Joan. Clericus ad *Genes.* cap. XXVIII, 18; et Car. Paschalius, *de Coronis*, lib. IV, 4. DAVIS. — Undenam edit. Lugd. acceperit hanc lectionem, *unctos et coronatos*, ab eruditissimorum hominum recta correctione fluxisse, nec in cod. reg. aliud legi quam istud : *unguines ordinatum*, prorsus incompertum. Nosmet oculis nostris vidisse testamur, *unctos et coronatos*. EDD.

*Medium spatium civitatis*, non est distantia Ostiæ a Roma, quod placuit Wopkenio, cum intervallum inter Romam et littus, quippe XVI stadiorum, vel cursoribus fatigandis sufficiat, nedum ut spatiando umbratici homines tale absolvere vel potuerint vel voluerint; neque est medium spatium per civitatem Ostiensem, qua parte mare spectabat, liberam muris, quæ sententia se commendavit Barthio, *Advers.* XLIII, cap. 25, siquidem, hoc spatio confecto, *non liberum littus*, sed campos et agros nacti essent. Sed est spatium quod interjacet medium inter Ostiam civitatem et locum a deambulantibus petitum, id est mare. Quod bene monuit vir quidam doctus in *Observ. misc. Crit.*, vol. X, tom. I, p. 13. Ostiam enim petebant Romani, ut nostri homines thermas, aciduias, vel etiam vineas. Ibi, per aliquod tempus commorati, delecta-

Digitized by Google

perfundens lenis unda tendebat : et, ut semper mare etiam positis flatibus, inquietum est, etsi non canis spumosisque fluctibus exibat ad terram, tamen crispis torosisque. Ibidem erroribus delectati perquam sumus, quum in ipso æquoris limine plantas tingeremus, quod vicissim nunc appulsum nostris pedibus alluderet, fluctus nunc, relabens ac vestigia retrahens in sese resorberet. Sensim itaque tranquilleque progressi, oram curvi molliter littoris, iter fabulis fallentibus, legebamus. Hæ fabulæ erant Octavii, disserentis de navigatione, narratio. Sed ubi eundi spatium satis justum cum sermone consumpsimus, eamdem emensi viam rursus, versis vestigiis, terebamus. Et quum ad id loci ventum est ubi subductæ naviculæ, substratis roboribus, a terrena labe suspensæ quiescebant; pueros videmus, certatim gestientes, testarum in mare jaculationibus ludere. Is lusus est: testam tere- A B

tem, jactatione fluctuum lævigatam, legere de littore; eam testam plano situ digitis comprehensam, inclinem ipsum atque humilem, quantum potest, super undas irrotare, ut illud jaculum, vel dorsum maris raderet, enataret, dum leni impetu labitur; vel summis fluctibus tonsis emicaret, emergeret, dum assiduo saltu sublevatur. Is se in pueris victorem ferebat, cujus testa et procurreret longius, et frequentius exsiliret.

## CAPUT IV.

ARGUMENTUM. — *Subtristis Cæcilius de hujusmodi objurgatione qua sui causa Octavius Minucium perstrinxit, petit ut sibi cum Octavio de suæ religionis veritate disputare liceat. Annuit cum socio suo Octavius, ac medius inter Cæcilium et Octavium sedet Minucius.*

Igitur, quum omnes hac spectaculi voluptate caperemur, Cæcilius nihil intendere, neque de conten-

## VARIORUM NOTÆ.

bantur quotidie, inambulando littore ad mare pergentes, quod mare ab Ostia civitate tria stadia abest, et commode intra spatium horæ poterat absolvi. His vero observatis, nec Davisio assentiendum, qui vocem *civitatis* delet; nec Heumanno, qui *itineris* reponit; nec Menckenio, qui *viæ et itineris* rescribit. LINDNER.

*Tendebat.* Sic ms. Rom. edit. *tundebat* Wower. *Tendere* hic est *extendere*, ex mente omnium interpretum. Heumanno vero non est activum, sed neutrum, et aqua exundans dicitur *tendere* in terra quam occupavit, velut exercitus in campo. Accusativus *arenas* vero regitur a participio *perfundens*. LINDNER.

*Et, ut semper mare*, etc. Hæc ego sic intelligo ac suppleo : *Ut semper mare, etiam positis flatibus, inquietum est* (sic etiam tum erat, et), *et si non canis spumosisque fluctibus exibat ad terram, tamen crispis torosisque* (sc. exibat ad terram per zeugma). De zeugmate est res nota ex Sallust. *Jug.* cap. 3, n. 2; de altero, quod in comparatione post propositionem, redditionem supplevi, non item. Ita tamen Cicero, lib. VII, Epist. 28, 6 : *Respublica erat mihi carior; quam nunc*, supple. Sidonius, II, Epist. 8 : *Perpetuis sedibus dormienti similior illata est*; supple, *quam mortuæ*. Adeoque non erat cur cl. Heumannus sic emendaret : *et, ut semper mare, etiam positis flatibus, inquietum est, et, si non canis spumosisque fluctibus æstuat, terram tamen crispis tortuosisque lambit; delectati perquam sumus, cum*, etc. LINDNER. C

*Crispis torosisque.* Ita scriptum in ms. reg., non *tortuosis*, quod notam B. Hieronymus ad Heliodorum : *Licet in modum stagni fusum æquor arrideat, licet vix summa jacentis elementi spiritu terga crispentur.* Et in Epitaphio Paulæ : *Huc usque prosperis navigavimus ventis, et crispantia maris æquora labens carina sulcavit.* HERALD.—Parum attentis oculis regium exemplar inspexerat qui primus ex eo renuntiavit scriptum, *tortuosis*. Nam in eo libro scriptum prius fuerat, *srispis tororisisque*, et qui correxit, legi voluit, *crispis torosisque*. Venarum *toros* medici dixere, et jubarum *toros* poetæ. RIGALT.

*Quod vicissim nunc resorberet.* Locum interpungo in hunc modum, præeunte cl. Grunero : *Mare fluctus resorbere* dicitur apud Ovidium, *Heroid.* XII, 125 :

Quæque vomit fluctus totidem, totidemque resorbet.

Ubi Burm. Sabæi editio, *illideret*, Wowerus in ms, vult legi *allideret*, in quo tamen fallitur vir doctissimus, quippe qui ms. ipse non inspexit, sed alii id testanti, temere credidit, cum Heraldus et Rigaltius pro recepta lectione pugnent. Gronovius mavult : *alluderet fluctu*. Davisius *allideret fluctus, ut σύνταξιν* expediat. Barthius *Advers.* lib. XLIII, cap. 25, *appulsim*, et *se* in *sese* mutat. LINDNER.

*Hæ fabulæ.* Plena locutio, cujus exempla plura habet Cortius ad lib. IX, Epist. 25, Cic. 13, n. 2, et plura adhuc colligi ex Cæsare possent. LINDNER.

*De navigatione*, sc. *sua*. Sermonibus familiaribus occasionem subministrant tempus, locus, personæ, negotia et denique res quævis oculis objectæ. LINDNER.

*Emensi viam.* Heumannus tollit *emensi*, repetitum e cap. 2, quod præter necessitatem facit. LINDNER.

*A terrena labe suspensæ.* Labem dicit uliginem cœnosam, qua putrescerentarinæ diutino situ. RIGALT.

*Videmus.* In narrationibus loco imperfecti præsens non sine vi adhiberi probat ex Longino Bergerus, *de Natural. Pulchr. Orat.*, pag. 203. LINDNER.

*Eam testam.* Plena locutio, V, n. LINDNER.

*Vel enataret.* In hisce Minucii verbis, nisi fallor, mendum latet, quod non animadverterunt viri perspicaces. Legendum credo *nec enataret*. Nonnumquam testa sine saltu maris superficiem lambebat : interim vero crebris saltibus in aerem erat evecta. Hinc auctor : *Ut illud jaculum vel dorsum maris raderet, nec enataret, vel summis fluctibus tonsis, emicaret, emergeret.* Nisi recipiatur hæc emendatio, Felix ταυτολογος erit censendus. Priorem modum describit Eustathius ad *Iliad.* Σ, pag. 1219; posteriorem Pollux *Onom.* lib. IX, § 119. DAVIS.—*Raderet, vel enataret. Vel* prorsus alienum est ab hoc loco, adeoque delendum. Sunt enim locutiones synonymicæ *raderet, enataret*, æque ac verba sequentia *emicaret, emergeret*. Illa pertinent ad testarum *cursum*, hæc ad *saltum*. Wopken scribit *innataret*, approbante Heum. Davisius emendat *raderet nec enataret*. LINDNER. D

*Emicaret, emergeret.* Amat Minucius plures voces ejusdem significationis copulare; unde σφάλματα irrepserunt, quæ observabimus postea. Non audemus igitur damnare *emergeret*, quod faciebat politissimi ingenii vir Joan. Wowerius. Pro *resiliret*, quod sequitur postea, edidimus *exsiliret*, ms. Reg. et edit. Rom. secuti. HERALDUS.— *Emicaret, emergeret.* Posterius verbum ejectum fuit a Wowero, sed meliori jure retinetur ab Heraldo, qui simul Minucii editoribus hanc regulam injungit : Amat Minuc. plures voces ejusdem significationis (idque ἀσυνδέτως) copulare. LINDNER.

*Exsiliret.* Sic est in ms. et in ed. Rom.; pro quo non oportebat a nonnullis edi *resiliret*. Etsi enim hoc verbum non est huic loco inconveniens (nam et Ovid. *Metam.* XII, 480, dixit : *Resilit tecti a culmine grando*), tamen nihil est causæ cur *exsiliret* rejiciamus, quod etiam præcedenti *emicaret* similius est. HEUM.

CAP. IV.—*Nihil intendere.* Hos infinitivos, sive per enallagen modorum interpreteris, sive per ellipsin

Digitized by Google

tione ridere; sed tacens, anxius, segregatus, dolere nescio quid vultu fatebatur. Cui ego : Quid hoc est rei? cur non agnosco, Cæcili, alacritatem tuam illam ? et illam oculorum etiam in seriis hilaritatem requiro? Tum ille : Jamdudum me Octavii nostri acriter angit et remordet oratio, qua, in te invectus, objurgavit negligentiæ, ut me dissimulanter gravius argueret inscientiæ. Itaque progrediar ulterius : de toto et integro mihi cum Octaviores est. Si placet ut ipsius sectæ homo cum eo disputem, jam profecto intelliget facilius esse in contubernalibus disputare, quam conserere sapientium modo; modo in istis ad tutelam balnearum jactis, et in altum procurrentibus petrarum obicibus residamus, ut et requiescere de itinere possimus et intentius disputare. Et cum dicto ejus assedimus ita ut me ex tribus medium lateris ambitione

A protegerent; nec hoc obsequii fuit, aut ordinis aut honoris, quippe cum amicitia pares semper aut accipiat aut faciat, sed ut arbiter, et utrique proximus, aures darem, et disceptantes duos medius segregarem. Tum sic Cæcilius exorsus est :

## CAPUT V.

ARGUMENTUM. — *Disputationem suam aggreditur Cæcilius : et primum quidem omnia in rebus humanis dubia et incerta; adeoque dolendum quod Christiani, rudes plerumque et illitterati, de summa rerum ac divina majestate aliquid certi decernere audeant; hinc nulla providentia mundum regi arguit, concluditque satius esse traditis religionibus adhærere.*

B Quamquam tibi, Marce frater, de quo maxime quæ-

## VARIORUM NOTÆ.

verbi *cæpit*, ubique fere aliquid dissoluti habent et positos invenies in tristitia, confusione, trepidatione. Cæsar *de Bell. Gall.* 1, 32 : *Nihil Sequani respondere, sed in eadem tristitia taciti permanere.* Id. c. 16 : *Diem ex die ducere Ædui, conferri, comportari, adesse, dicere.* Eadem ratio est *Asyndetor.* LINDNER.

*Tacens, anxius, segregatus.* Describit hominem vexatum mœroribus et curis ingentibus qualis erat Homeri Bellerophon (*Iliad.* Z, 201). RIGALT.

*Segregatus, dolere nescio quid vultu fatebatur.* Incommode omnino ms. reg. et editt. exhibent *segregatus dolore, nescio quid vultu fatebatur*, affectuum enim index est vultus, quem propterea Cicero in *Pisonem* vocavit *sermonem quemdam tacitum mentis.* Vide et *Offic.*, lib. I, cap. 29. DAVIS. — *Dolere.* In ms. est *dolore*, unde Heum. facit *doloris.* Eleganter sane; sed C elegantiæ non minus est in lectione recepta. *Dolere nescio quid* est *dolere ob aliquid.* LINDNER.

*Alacritatem tuam illam.* Ne quem offendat junctura verborum *tuam illam? et illam*, hoc ex usu auctoris fieri ostendam. Sic Noster 21, 5 : *Sacra ipsa et ipsa mysteria;* 35, 4 : *Parentem omnium et omnium dominum;* 9, 8 : *sexus omnis homines et omnis ætatis;* 10, 2: *templa nulla, nulla nota simulacra;* 10, 5 : *in omnium mores, actus omnium inquirere;* 10, 6 : *adstat factis omnibus, locis omnibus interesse;* 7, 4 : *rata testis est, testis et;* 5, 5 : *beati satis, satisque prudentes;* 28, 8: *boum capita et capita vervecum;* 32, 8 : *tenebris interest, interest cogitationibus;* 23, 8 : *tormentis quibus et quibus machinis ;* 24, 4 : *ridenda quam multa, multa etiam miseranda sunt.* Hoc expedito, superest ut lector moneatur interrogat. *cur* ante verbum *requiro* esse repetendam, per zeugma. Si quis adeo in textum velit recipere, per me licet. Hoc certe liquet, supervacuam esse emendationem Heum. quam affert : D *Cur non agnosco, Cæcili, alacritatem tuam illam, et illam oculorum, etiam in seriis hilaritatem?* nec Cellar., qui *illam? et* in *cur* mutat, esse audiendum. LINDNER.

*Objurgavit.* Sc. *te*, quod pronomen etiam omittitur apud Cic. lib. VII, Epist. 28, 5 : *Intellexi enim ex tuo sermone, dicere te ex meis libris animum meum* (te) *desiderare.* LINDNER.

*Ipsius sectæ homo.* Opponitur adversario ficto et quasi umbratico, qui exercitii tantum gratia, adversarii partes in se suscipit, quod fit cum disputatur *in contubernalibus.* Quo jure igitur Heum. rescribat : *Ut de ipsius secta hodie cum eo disputem*, alii videant. Wopken. etiam sinistre intellexit, qui de eadem cum Octav. secta cogitat. Melius utique Cellar. qui sectam paganorum intelligit, cui adhuc deditus erat Cæcilius. LINDNER.

*Quam conserere sapientium modo.* Sic facile restituimus ipsissimam scripturam Minucii depravatam in exemplari perversa litterula : *Facilius esse in contubernalibus disputare, quam conserere sapientiam modo in istis ad tutelam balnearum*, etc. Omnes hactenus editiones prava interpunctione sensum everterant. Et falsi sunt interpretes qui asserunt in manuscripto legi aliter quam hic retulimus. Ait Cæcilius facturum se ut Octavius intelligat facilius esse disputare et rixari inter contubernales vulgaribus dicteriis et conviciis, quam eo modo conserere quo solent sapientes. Deinde incipit aliam clausulam : *In istis ad tutelam balnearum*, etc. RIGALTIUS.—*Conserere sapientium modo*, h. e. accurate disputare, prout philosophos, quales nos esse profitemur, decet. *Conserere*, sc. argumenta, est disputare. *Modo* autem positum est pro *more.* Ita Lactant. 7, 7, 9 : *Erravit ergo Democritus, qui vermiculorum modo putavit homines effusos esse de terra.* Etiam *de Ira*, cap. 20, 10. Nonnullæ edit. habent : *Pecudum modo humi repere.* In ms., teste Herald. et Rigaltio, est : *quam conserere sapientiam modo in istis*, etc. Inde Rigalt, primus fecit : *conserere sapientium modo. In istis*, etc. In hac emendatione unum illud desidero, quod clausula sequens nimis abrupte ita incipit. Hinc suspicor priorem clausulam desiisse in *modo*, et posteriorem a *modo* incepisse, cujus quidem rationis exempla dedi ad capitis hujus num. 3. Omissionis autem ratio in alterutra clausula in promptu est. Nemo, credo, Heum. assentietur rescribenti : *Si placet ut cum eo disputem, in istis ad tutelam intentius disputare. Jam profecto intelliget facilius esse, in contubernalibus disserere* (ita scribo pro *conserere*), *quam disputare sapientium modo.* Herald. *quam conserere sapienti manum.* LINDNER.

*Aut ordinis.* Fallitur Wow. abesse a ms. codice hæc verba ratus. Contrarium testatur αὐτόπτης Heraldus, qui et cap. 9, 3, docet, sæpius Wow. afferre aliquam scripturam, quasi illius vetusti codicis sit, cum tamen ibi non reperitur. Fefellerat videlicet eum amicus, qui a se inspectum esse istum codicem mentitus fuerat. HEUM. — *Nec hoc obsequii fuit, aut ordinis, aut honoris.* Ms. reg. nihil mutat. Nam quod aiunt verba ista *aut ordinis* in eo nusquam apparere, falluntur; nec aliorum observationibus fidem arbitrari tam facile debuerant. Sane, si qui honoratiores, aut amplioris ordinis erant, locus honoratior iis dabatur, et idcirco medius. Appianus *de Bellis civilibus*, lib. IX. Καὶ συνεδρευον οἱ τρεῖς, Καίσαρος ἐν μέσῳ διὰ τὴν ἀρχὴν προκαθίσαντος. HERALDUS.

*Disceptantes.* Editio Oxoniensis habet *discrepantes.* OUZEL.

CAP. V.—*Quamquam tibi, Marce frater.* Cæcilius ethnicus Minucium Christianum *fratrem* vocat, quocum erat amicitiæ familiaritate conjunctissimus, ut indicant illa Octavii ad Minucium de Cæcilio, cap. 3 : *Hominem domi forisque lateri tuo inhærentem.* RIGALTIUS. —*De quo.* Minuc. *id, de quo* scripserit, necesse est. Tam dura enim ellipsis non convenit scriptori tam latine

rimus, non sit ambiguum, utpote quum, diligenter in utroque vivendi genere versatus, repudians alterum, [alterum] comprobans; in præsentiarum tamen ita tibi informandus est animus, ut libram teneas æquissimi judicis, nec in alteram partem propensus incumbas, ne non tam ex nostris disputationibus nata sententia, quam ex tuis sensibus prolata videatur. Proinde, si mihi, quasi novus aliqui et quasi ignarus partis utriusque, considas, nullum negotium est patefacere omnia in rebus humanis dubia, incerta, suspensa, magisque omnia verisimilia quam vera. Quo magis mirum est nonnullos tædio investigandæ penitus veritatis cuilibet opinioni temere succumbere, quam in explorando pertinaci diligentia perseverare. Itaque indignandum omnibus, indolescendum est, audere quosdam, et hoc studiorum rude [rudes],

VARIORUM NOTÆ.

docto, tamque venustatis studioso. Heum.—Atqui convenit ea Ciceroni lib. III, Epist. 6, 7 : *Ut tuum factum qui, quo animo inter nos simus, ignorant, alieni hominis.... esse videatur*, ubi plura Cortius. Convenit Lactantio 6, 12. 39 : *Sed quæ in supervacua fueras impensurus, ad meliora convertas*. Cæsari *de Bello Gall.* I, 1 : *Tertiam qui ipsorum lingua Celtæ appellantur*. Lindner.

*Repudians alterum comprobans*. Sic mss. R. mendose, ut videtur, ac proinde merito bis inducendum esse τὸ *alterum* inter duo verba, *repudians*, *comprobans*, censet Gronovius, quem impressi fere omnes secuti sunt. Edd.

*In præsentiarum*. Gronovius non obscure damnare videtur vocem *in præsentiarum*, non apud Minucium modo, sed apud Tacitum etiam et Cornelium Nepotem, quasi corruptam a librariis. Sed ea frustra disputari puto. Vox *inpræsentiarum* omnino latina, et ad analogiam linguæ latinæ formata, orta ex *in præsentia rerum*; ut *illicet* ex *ire licet*, etc. Gruner. l. c. pag. 212.

*Æquissimi judicis*. Miratur Heum. non jam dudum rescriptum fuisse *judicii*. Ego virum doctissimum in hoc magis miror, qui in loco tam sano mutare quicquam ausus fuerit. Alludit aperte ad habitum judicum, qui libram manu tenentes depingebantur. *Libram justi judicis* laudat Arnobius in Psalm. CXXXIX. Lindner.

*Propensus*. Pari facilitate rescribit Heum. *propensius*. Sed eadem facilitate lectio recepta defenditur. Certe formula *propensus in alteram partem* ipsi usurpata formula Ciceroni est lib. VIII, *ad Attic.* Ep. 3. *Multitudo et infimus quisque propensus in alteram partem*. Quod vero voces duas, *propensus* et *incumbas*, conjungit Minuc., ad quarum utramque referri illud *in utramque partem* potest, id ei demum mirum et insolitum videri potest qui Minuc. non legit integrum, hoc dicendi genere sæpissime utentem. Ita enim supra c. 3, perfundens *lenis unda* tendebat, et 5 : *Eamdem emensi viam rursus versis vestigiis terebamus*. Ib. *Quæ supra nos cælo suspensa sublata sunt*. Similes macrologias notavit Cortius ad Cic., lib. V, Epist. 7, n. 2, it. lib. XVI. Ep. 26, n. 1.

*Ne non tam*. Imitatur, ut alias quondam monuimus, Cicer. Parad. 1, 2 : *Vereor, ne cui vestrum ex Stoicorum hominum disputationibus, non ex meo sensu deprompta hæc videatur oratio*. Wopk.

*Si mihi.... considas*. Ex editione quadam Oxon. Jac. Ouzelius reponit : *Si mihi.... confidas*, quod equidem miror, quum, hac lectione recepta, nullus sensus, nisi ineptus admodum et incommodus, exsurgat. Sed bonus ille vir in syntaxi expedienda laboravit, cum in animum non revocaret, istius modi pronomina apud optimos auctores, non raro παρέλκειν, ut multis ostenderunt viri doctissimi, Dionys. Lambinus ad Lucretii lib. III, p. 292, et Pet. Burmannus ad Phædri lib. I, Fab. 22, 3. Hoc idem etiam in Græcis scriptoribus animadvertit Athenag. *Legat. pro Christ.*, cap. 9 : Καὶ μή μοι γελοῖόν τις νομίσῃ τὸν υἱὸν εἶναι τῷ θεῷ. Sic et Tatianus in Orat. ad Græc. aliique Davis. Vechnerus in *Hellenolexiæ* suæ lib. I. cap. 6, § 5. Addo nec Hebræos carere hoc pleonasmi genere, e. gr. *Genes.* XII, 1, XXII, 5; immo nec nos Germanos. Heumann.

*Novus aliqui*. In vulgatis editt., contra ms. fidem, legitur *aliquis*, absque causa sontica. Cicero *Acad. Quæst.* lib. IV, cap. 7 : *Deus aliqui requirat*. Idem *Offic.* lib. IV, cap. 7 : *Nisi aliqui casus vel occupatio consilium ejus peremisset*. Tertullianus *Apol.*, cap. 19 : *Aliqui Manethon Ægyptius*. A. Gellius, *Noct. Attic.* lib. I, cap. 13 : *Etiam repentinus aliqui* (sic ms.) *casus rem commodius agi posse polliceretur*. Idem lib. XI, cap. 13 : *Dicatque mihi, quæso, aliqui vestrum* ; ac mox : *Ne vos facile perstringeret modulatus aliqui currentis facundiæ sonitus*. Vide et G. J. Vossium *Annal.* lib. IV, cap. 8. Davis.—Rec. edit. Lugd. jam laudatus paulo supra, in cod. ms. legisse declarat : *Novus aliqui* eo loci in nota inquiens : *Sic ms. edente Heraldo, non, quemadmodum Wouw. Gronov. Davis* volunt, *aliqui*. At editoris Lugdunensis pace, asseverandum est hanc lectionem nec ms. regii nec Heraldi esse. Edd.

*Dubia incerta*. Eadem jungit quæ Cic. lib. I *de Orat.*, cap. 20. Gron.

*Magisque omnia verisimilia*. Sic est in ms. ; editi omittunt *omnia*. Lindner.

*Quo magis*. In ms. est *quo magis*. Sed præstat ed. Rom. quæ, teste Wow. habet *minus*. Lindner.

*Investigandæ penitus.... succumbere*. Sic omnino ms. Hoc tamen non impedit quominus Fulv. Ursinus reposuerit : *investigandæ potius veritatis*. Jac. autem Ouzel. et Chr. Cellar. ediderunt : *investigandæ penitus veritatis cuilibet opinioni temere potius succumbere*. Male prorsus, cum vox illa *potius* crebro subaudiatur. Corn. Nepos *Datam.* cap. 8, 1 : *Statuit congredi, quam cum tantis copiis refugere*. Livius 23, 45, 15 : *Ipsorum quam Annibalis interesse*. A. Gellius. *Noct. Att.* lib. II, cap. 7 : *Declinanda sensim et reliquenda esse dicunt, quam respuenda*. Sed apud Græcos particula μᾶλλον intelligitur. Porphyr. *Abstin.* lib. II, *Sect.* 15 : Καὶ μαρτυρεῖ γε ἡ πτῖρα, ὅτι χαίρουσι τοῦτῳ οἱ θεοὶ ἢ τῷ πολυδαπάνῳ. Tatianus in Orat. *ad Græc.*, cap. 61 : Χρὴ τῷ πρεσβύτῃ κατὰ τὴν ἡλικίαν πιστεύειν, ἢπερ ἀπὸ τῆς πυγῆς ἀρυσαμένοις ἔλληνι. Euseb. tamen *Præp. Evang.* X, 2, ibi legit : μᾶλλον ἤπερ. Vide et Justin Mart. *Apol.* 1, c. 18. Davis.—Adde quos citat J. H. Maius fil. *Observ. Sacr.* l. b. I, p. 26. Grabius ad Irenæum lib. IV, c. 23, f. 309, *n.* s., it. f. 325, *n.* B. Gronov. ad lib. V. 21. Sanct. et Perizon. ad Minerv. IV, 7, pag. 692. Lindner.

*Indignandum omnibus indolescendumque est*. Sollicitari non debuit hæc scriptura veteris exemplaris. Etenim proba est, et Octavii disceptatione firmatur, Cæcilii verba repetentis cap. XVI : *Et quoniam frater meus erupit ægre se ferre, stomachari, indignari, dolere*, etc. Rigalt.

*Indolescendum est, indolescendumque est*, habent impressi omnes, perperam codicis ms. fidem sibi vindicantes. Ita et paulo infra in eodem codice legitur *audere*, quod accepit Heraldus et multi post eum ; at editor Lugd. iterum mendose codici tribuit *audire*, inconsultoque codice hæc in nota subjungit ad vocem *Audere* : « Ita recte edidit Heraldus, pro ms. *audire*. » Edd.

*Audere quosdam, et hoc studiorum rudes*. Ita edidimus, ms. reg. auctoritatem secuti. Antea legebatur, *audire quosdam*. In eodem ms. *rude* male, pro *rudes*. Christianos autem studiorum rudes habitos observabamus ad eum Arnobii locum lib. III : *Hoccine est illud fastidium vestrum, sapientia hæc arrogans, qua despuitis nos ut rudes*, etc. Herald.

*Et hoc*. Non intelligo quemadmodum potuerint id

Digitized by Google

litterarum profanos, expertes artium etiam sordidarum, certum aliquid de summa rerum ac majestate decernere, de qua tot omnibus sæculis sectarum plurimarum usque adhuc ipsa philosophia deliberat. Nec immerito: quum tantum absit ab exploratione divina humana mediocritas, ut neque, quæ supra nos cœlo suspensa, sublata sunt, neque quæ infra terram profunda, demersa sunt, aut scire[6] sit datum, aut scrutari permissum, aut stuprari religiosum: et beati satis, satisque prudentes jure videamur si, secundum illud vetus Sapientis oraculum, nosmetipsos familiarius noverimus. Sed quatenus in- A dulgentes insano atque inepto labori, ultra humilitatis nostræ terminos evagamur, et in terram projecti, cœlum ipsum et ipsa sidera audaci cupiditate transcendimus, vel hunc errorem saltem, non vanis et formidolosis opinionibus implicemus. Sint principio omnium semina, natura in se coeunte, densata: quis hic auctor deus? sint fortuitis concursionibus totius mundi membra coalita, digesta, formata: quis deus machinator? Sidera licet ignis accenderit, et cœlum licet sua materia suspenderit; licet terram fundaverit pondere, et mare licet influxerit e liquore; unde hæc B

## VARIORUM NOTÆ.

**docti viri mutare, Sabæus in *horum*, alius *hos*.** Est enim ipsum ad *Hebræos* XI, 12, Ἀφ' ἑνὸς ἐγεννήθησαν, KAI TAYTA νενεκρωμένου, ubi recte quidem: sed dubie Vetus interpres, *et hoc emortuo*; sed corrupte Beza, *eoque jam mortuo*. Neque enim id est in Græcis. Achilles Tat. VII, p. 427: Καὶ τελμήσεις οὕτως ἐπὶ τοῖς αἰσχίστοις ἀποθανεῖν, νομιζόμενος φονεὺς, καὶ ταῦτα Λευκίππης. GRONOV.

*Expertes artium etiam sordidarum.* Distinctionum mutatione locus hic emendandus. Et sane ita scriptum fuerat, *litterarum profanos, expertes artium etiam sordidarum*. Dicit igitur Christianos esse *litterarum profanos, expertes*; quo de convicio plura observabamus ad Arnobium. Addidit *artium etiam sordidarum*. Christiani igitur non solum litterarum profani et expertes, ut illi volebant, sed etiam sordidis artibus mancipati; atque etiam ipsi Ecclesiæ doctores lanarii, sutores, fullones, ἐριουργοί, σκυτοτόμοι καὶ κναφεῖς ab iisdem habiti, ut observat Origenes lib. III, *contra Celsum*. Sic autem apud Minucium plura reperiuntur vocabula rem unam eamdemque significantia, nisi quod posteriora clariora sunt et quasi interpretationis vice funguntur: ut non immerito suspicari possit aliquis glossemata esse, nisi in toto hoc scripto id esset pene perpetuum. Sic antea ad cap. 3 observabamus *emicaret, emergeret*. HERALD.

*De summa rerum ac majestate.* Heum. *summa rerum majestate*, i. e. Deo. Sed magis mihi ne quid dissimulem, probatur lectio vulgata. Fortiorem enim et nervosiorem in vulgatis, quam in illis Heum. inesse sententiam putem. Eleganter a Minuc. *summa rerum* ipsa natura dicitur; quo modo etiam Tullius lib. II, *de Orat.*, cap. 31. Majestas autem est ipsum illud Numen quo sapientissime reguntur omnia, et a quo summa rerum administratur. Vide loca a me collecta in *Miscellaneorum* Lips. vol. I, p. III, pag. 532, it. Grævium ad Cic. Orat. *pro Milone*, cap. 30. MENCKENIUS.

*Tot omnibus sæculis.* Terentius, *Andr.* I, 1, 28: *Quod plerique omnes faciunt adolescentuli*. It. *Eunuch.* 1, 2, 5: *Jam calesces plus satis*. Eodem modo Græci, πλείονες δὴ πάντες, πάμπολλα. Sic *universos omnes* aliquando dixisse Latinos observant Pareus in lexico Plautino, ac Prieræus ad Apul. pag. 546. Placet etiam interpunctio Wopkenii: *De qua tot, omnibus sæculis, sectarum plurimarum*, h. e. *tot sectarum plurimarum*. Et placet præ illa emendatione quam antea protulit, *totis, omnibus sæculis*, per asyndet. Heumanni conjectura est liberior, *post tot omnis sæculi sectarum inquisitionem*, adeoque repudianda. LINDNER.

*Ipsa philosophia*, hoc est ipsi philosophi. Abstr. pro concr. Vid. Cortium ad Cic. lib. VIII, Ep. 4, 5. LINDNER.

*Exploratione divina*, hoc est Dei. Heum. scribere non dubitat: *Ab exploratione rerum divinarum*. LINDNER.

*Quæ supra nos cœlo suspensa sublata sunt.* Totus hic locus ad fidem exemplaris editus est. Et frustra sunt qui pro *sublata* scribi jubent *sublimata*. Sustolluntur ea quæ sus sive sursum, id est in altum, tolluntur. Itaque *sublata* sunt τὰ ὑψωθέντα. *Sublata* dixere delicatiores pro *suslatis*. Et heic *sublata* opponuntur *demersis*, ut *suspensa profundis*. Recte igitur Minucius ait non esse permissum scrutari quæ supra nos cœlo suspensa sunt, neque esse religiosum ea quæ sub terram profunda sunt stuprare; quasi stuprum inferant terræ, qui in viscera ejus penetrare audent. Elegantissima sunt in hanc sententiam a Plinio notata lib. II, cap. 63, et præfatione lib. XXXIII. RIGALTIUS. —*Sublata sunt.* Sustollere usurpatur de machinis, quibus aliquid in sublime tollitur. Lucret. 904, IV: *Levi sustollit machina nisu*; uti de sideribus Avien. *in Arato*, v. 631: *Qua semet sidera porro sustollunt*. Contrarium ejus est *demergere*. LINDNER.

*Aut scire sit datum.* Hæc verba in ms. regio ita leguntur: *Ut scrutare permissum aut struprari religiosum*. Unde Herald: *Aut scrutari permissum, aut struprari* (vitio, credo, operarum pro *stuprari*) *religiosum*. Jos. Scaliger legi posse existimabat *ruspare*, vel *ruspari*, quod ad ms. proxime accedere videtur. Cellar. *sciscitari rel.*, Heum. *scitari permissum, aut scrutari religiosum*. Posse *stuprare* explicari per corrumpere, sive errorem vanis et formidolosis opinionibus implicare, ut loquitur Noster, nullus equidem dubito. Cicero ipse *ad Att.* 1, 18, *stupratum judicium*, i. e. corruptum. LINDNER.

*Sint principio omnium, semina natura in se coeunte densata.* Ita edidimus, ms. reg. auctoritatem secuti. Et sane Epicurea disciplina, unde hausta ista sunt, lectionem hanc flagitabat, non *principia*, quæ erat vulgata lectio. HERALDUS.

*Quis hic auctor deus.* Pro *hic* legendum *his*, suspicatur Heum. Sed frequens ista enallage, vel Ciceroni lib. II, Ep. 5: *Hæc negotia quomodo se habeant*, i. e. *quomodo se negotia hic habeant*. LINDNER.

*Sua materia.* Ita ms. reg. teste Her. Fallitur Wow. qui ibi esse ait *pura materia*, et legendum esse censet: *levissima materia*. LINDNER.

*Licet terram fundaverit pondere.* Ita exhibuimus, sancte secuti lectionem unici codicis, exemplo doctissimi Heraldi, qui, quum, revocans primævam Sabæi lectionem, optime id elegisset, statim mutare non dubitavit Rigaltius, rescribens *licet terram fundaverint pondera*: infeliciter omnino. GRONOV.—Barthio ita visum est rescribere: *se fundaverit pondere*. Cellario cum aliis: *fundaverit pondus*. Heum., *licet terram suum fundaverit pondus*. LINDNER.

*Et mare licet influxerit e liquore.* Hæc sane latina non sunt; et ab exemplari nimium recedere videtur Rigaltii conjectura restituentis, *et mare licet influxerit liquor* seu *eliquor*. Reponendum puto, *mare licet confluxerit e liquore*. Novatianus *de Trin.* cap. 5: *Credamus in Deum Patrem... qui cœlum alta sublimitate suspenderit, terram dejecta mole solidaverit, maria soluto liquore diffuderit*. Qui locus huic Minuciano geminus est, DAVIS. — Lectionem tamen codicis ms. retinet cum Heraldo Gronovius. GALLAND. — Sensus est: *Licet*

Digitized by Google

religio, unde formido, quæ superstitio est? Homo, et animal omne quod nascitur, inspiratur et alitur, elementorum ut voluntaria concretio est, in quæ rursum homo, et animal omne dividitur, solvitur, dissipatur, ita in fontem refluunt, et in semet omnia revolvuntur, nullo artifice, nec judice, nec auctore. Sic, congregatis ignium seminibus, soles alios atque alios semper splendere; sic exhalatis terræ vaporibus, nebulas semper adolescere: quibus densatis coactisque, nubes altius surgere: iisdem labentibus, pluvias fluere, flare ventos, grandines increpare: vel nimbis collidentibus, tonitrua mugire, rutilare fulgura, fulmina[1] præmicare. Adeo passim cadunt, montes irruunt, arboribus incurrunt: sine delectu tangunt loca sacra et profana; homines noxios feriunt, sæpe et religiosos. (III) Quid tempestates loquar varias ac incertas? quibus, nullo ordine vel examine, rerum omnium impetus volutatur; in naufragiis, bonorum malorumque fata mixta, merita confusa; in incendiis, interitum convenire insontium nocentiumque; et, cum tabe pestifera cœli tractus inficitur, sine discrimine omnes deperire; et, cum belli ardore sævitur,

## VARIORUM NOTÆ.

(sua materia) *e liquore fluxerit in mare*. Unde Rigalt. hanc lectionem infert: *et mare licet influxerit eliquor*, quod postremum vocabulum accipit pro nom. subst. Alii: *influxerit liquor*. Heum. *confluxerit e liquore*, et hanc emendationem probat loco Tibulli, lib. IV, 20:

Qualis et in curvum pontus confluxerit orbem.

Menck. qui lectionem ms. defendit, docet, mari crescenti, et tamquam in altum surgenti, propriam esse vocem *influere*, idemque notare quod Germanis *anflüssen anwachsen*. LINDNER.

*Quæ superstitio est?* Heum. legit: *atque superstitio est*. *Et alitur*. Rom. edit. *et alitur* Wow. In ms. est *attollitur*. Cuperi neque correctio neque interpretatio, quarum illam Clericus in *Biblioth. select.* tom. XXIV, p. 128, hanc in tom. XXVI, p. 459, profert, assensum meretur. HEUM.—Post tot summorum virorum conjecturas, proferam et meam qualemcumque, quæ cum ms. optime conciliari poterit: *Homo et animal omne quod nascitur, inspiratur et tollitur, elementorum ut*, etc.; qui *inspiratur*, vitam capit; *tollitur* autem, cui vita eripitur. *Homo et animal omne* est subject.; *inspiratur* et *tollitur* est prædic. Gronov. per modum interrogationis ita: *Elementorum ut voluntaria concretio est?* LINDN. — Nec mirum sane commentatorum sibi ultro ambages subnectentium exemplum! Plenissima luce in codice legitur *et alitur*, minime vero *attollitur*. Hinc susque deque ruit hæc prurientium eruditorum farrago, in quam iterum impegit editor Lugdun. qui cum scripsisset *et alitur*, etc., hæc addit, et referre piget: *Ita edit. Rom. sed ms.* attollitur. *Fortasse legendum*: et tollitur, h. e. *vitam capit et amittit*. p. 18. EDD.

*Elementorum ut vol.... ita in fontem refluunt*. Hunc locum a viris eruditis varie sollicitatum, ejusmodi sola interpunctione suæ integritati restituit cl. Grunerus l. c., pag. 212. Quod quidem, inquit, unice verum est: etenim τὸ *ut* pro *uti* vel *quemadmodum* positum est, cui respondet sequens vocula *ita*.

*Voluntaria concretio*. Heum. Vera, inquit, scriptura hæc est: *fortuita concretio*. Sed nescio annon pari jure lectio vulgata retineri queat, præsertim cum *casus voluntarius* (Cic. *de Fin.* 65) sit idem qui et *fortuitus*. LINDNER.

*Solvitur*. Haud dubie legendum *resolvitur*. HEUM. — Solent tamen sæpe simplicia pro compositis adhiberi. LINDNER.

*Omnia revolvuntur*. Heum. transponi verba jubet, *revolvuntur omnia*.

*Nec judice*. Heum. quia vim vocis non assequebatur, legit: *nec auspice*. Etiam Mencken., quid sibi velit illud, *judice*, se ignorare fatetur. Hoc loco quid sit *judex*, demonstrabit illud Ovidii *Metam.* I, 19:

Hanc Deus et melior litem natura diremit. LINDNER.

*Quibus densatis*. Non erat cur Heum. rescriberet: *atque his densatis*. LINDNER.

*Labentibus*. Sic est in ms. de edit. Romana, testatur idem Heum. Sab. vero et Bald., *labantibus*. LINDN.

*Præmicare*. Ut *promicare* potius cum doct. Heusingero legam, nihil me movet. Habet enim hoc ipsum *præmicare* sensum valde commodum et accommodatum ad mentem Minuc., qui summum et mirificum fulminum splendorem verbo hoc significare voluit. Nimirum *præmicare* est *valde micare*, ut fere plerumque præpositio *præ* in compositione augere significatum simplicis solet. Apuleianum verbum est, cujus scriptoris hæc sunt, *Metam.* lib. V: *Lucernamque concinnam, completam oleo, claro lumine præmicantem*. Et lib. X: *Nam et galeam nitore præmicantem*. Lib. XI: *Video præmicantis lunæ candore nimio completum orbem*. Et eodem libro: *Quorum primus lucernam præmicantem, claro porrigebat lumine*. MENCK.

*Adeo passim*. Non debebat cl. Heum. *adeo* mutare in *atque* (vel *ac*) *ea*. Est enim nota hæc Latinis dicendi forma, qua *adeo* ponitur initio propositionis, et *ut*, quod sequi debebat, construendum cum eo quod præcesserat, omittitur. Plene esset ita: *Adeo passim cadunt,.... ut facile inde appareat auctorem harum rerum deum non esse*. Ex similem Lactantii locum, III, 9, 12: *Si te quispiam vocasset ad cœnam, in eaque optime acceptus esses; num sanus videretur, si pluris faceres ipsam voluptatem, quam voluptatis auctorem? adeo philosophi ad corpus omnia referunt, nihil prorsus ad mentem*, supple: *ut facile inde appareat eos pluris facere voluptatem, quam voluptatis auctorem*. Confer eumdem auctorem II, 1, 12; II, 6, 6; V, 1, 17. LINDNER.

*Montes irruunt*. Rom. *diruunt* Wow. Bene *irruunt*, quod est in ms.; nam *irruere* est *ruere in quem*. Claudian. *Cons. Mall. Theod.* v. 195, in optimis libris mss. et ed.:

Irruet intrepidus flammas.

Prudent. *Apotheos* v. 414.

Ecce Gerasenos legio irruit effera porcos.

Ammian. XVII, 28: *Has terras Parthiscus irruens, obliquatis meatibus, Istro miscetur*. Avien. *Descript. Orbis*, v. 594, de Acheloo:

Irruit Hadriacum tergum maris.

Quæ loca a Cellario congesta, monstrante Gronovio sumpta sunt ex notis Nic. Heinsii ad locum Claudiani *de Cons. Mallii* v. 194. LINDNER.

*Homines noxios feriunt, sæpe et* (h. e. *sæpe etiam*) Cæsar *de Bello Civ.* I, 9: *Hæc quo facilius, certisque conditionibus fiant, et jurejurando sanciantur*. Iact. 1, 18, 13. *Nam et Herculi eadem ipsa porta patuit*. Quo jure Heum. scripsisse Minuc. credat: *homines non modo noxios feriunt, sed sæpe religiosos*, videant alii. Hoc addo, in ms. esse *et sæpe*. LINDNER.—Ne nimis ita affirmanti credas, in ms. enim legitur: *sæpe et*. EDD.

*Vel examine*, h. e. *judicio*. Supersedere Heum. labore suo poterat, quo rescribit: *discrimine*. LINDN.

*Rerum omnium impetus*, h. e. periphrastice *res omnes*; hoc enim verbo veteres in periphrasi esse usos, docet cl. Ernesti *in Clave Ciceron*. Wopk. sumit pro *mole*. LINDNER.

*Convenire*. Heum., quia verbum deesse putat, a quo excipiantur accusativi infinitivis juncti, scribit *constat evenire*. At vero commodius a verbo *loquar* eosdem pendere aliquis dixerit, si modo interpungantur verba eo modo quo Gronov. nobis præivit. LINDNER.

*Sævitur*. Heum. non est dubium hanc esse veram

Digitized by Google

meliores potius occumbere. In pace etiam, non tantum æquatur nequitia melioribus, sed et colitur : ut in pluribus nescias utrum sit eorum detestanda pravitas, an optanda felicitas. (IV) Quod si mundus divina providentia et alicujus numinis auctoritate regeretur, numquam mereretur Phalaris et Dionysius regnum, numquam Rutilius et Camillus exsilium, numquam Socrates venenum. (V) Ecce arbusta frugifera, ecce jam seges cana, jam temulenta vindemia imbri corrumpitur, grandine cæditur : adeo aut incerta nobis veritas occultatur et premitur ; aut, quod magis credendum est, variis et lubricis casibus, soluta legibus fortuna dominatur.

## CAPUT VI.

ARGUMENTUM. — *Quælibet natio, ac Romani postmodum numina sua ita coluere, ut eorum cultum supremum totius orbis terræ imperium fuerint assecuti.*

Cum igitur aut fortuna certa, aut incerta natura sit, quanto venerabilius ac melius, antistites veritatis majorum excipere disciplinam, religiones traditas colere ; deos quos a parentibus ante imbutus es timere, quam nosse familiarius, adorare ; nec de numinibus ferre sententiam, sed [a] prioribus credere qui, adhuc rudi sæculo, ipsius mundi natalibus, meruerunt deos vel faciles habere, vel reges !

## VARIORUM NOTÆ.

auctoris nostri scripturam : *cum belli ardor sævit.* Qui tamen vir doctissimus hoc impersonali, ex neutro activo formato, magis offendatur, quam verbis *itur, statur*, equidem non video, maxime cum præter. *sævitum est* occurrat apud Velleium, lib. II, cap. 74 : *In Perusinos magis ira militum, quam voluntate sævitum ducis.* Curtius lib. VIII. cap. 19, 6 : *Etiam in tecta sævitum est.*

*Sed et colitur.* Hæc est exemplaris lectio. Al., *sed attollitur.* Davisius, *sed præponitur.* Wopkensius delet *sed.* Mihi plane nihil mutandum videtur. Neque perspexisse videntur vocis *colitur* efficaciam, qui mutandam censuerunt. Non enim, si *æquatur melioribus nequitia*, statim et *colitur.* Illa enim eo ipso jam *æquatur melioribus*, si impune licet esse nequam. Sed *colitur* etiam, si homines improbi ea in fortuna ponuntur, ut alii venerari eos quasi mereantur, et in magno honore habere cogantur. Hoc enim vult vox *colere.* Cicero aliquoties *colere et observare* conjungit, ut *ad divers.* XIII, 78, *Neque præter cæteros colit et observat.* Et *de Offic.* I, 41 : *Eos quorum vita perspecta in rebus honestis atque magnis est,... sicuti aliquo honore et imperio affectos observare et colere debemus.* GRUNEB. l. c. — Ellipsi, duriore sane, subaudiendum foret, *præ illis*, scil. melioribus. Quamobrem non rejiciendum quod conjicit Davis., *sed præponitur :* nisi forte, leviore mutatione, malimus : *in pace etiam in tantum æquatur nequitia melioribus et colitur, ut in pluribus* vel potius : *In pace etiam non tantum æquatur nequitia melioribus, sed ita colitur, ut in pluribus*, etc. i.e. ut plures mali, quam boni felices sint. WOPK. — *Sed et* habet Plin. VII, 30 : *Sed et nostram gloriam percenseamus.* LINDNER.

*Phalaris et Dionysius.* Habet ex Cicerone, qui hæc latius diduxit *de Nat. Deor.* lib. III, capp. 32, 33. DAVIS.

*Jam temulenta vindemia.* Proxima temeto ; de qua mox temetum fiat : unde et temulenti. RIGALTIUS.

*Jam seges cana.* Rescribit Heum. *jam cana seges*, sed perperam. Promiscue enim Noster adjectiva modo præponit, modo postponit. *Quum aut fortuna certa aut incerta natura sit.* 7, *dant cautelam periculis, morbis medelam.* 31, *non ut affirmator testimonium fecit, sed convicium ut orator adspersit.* Wow. notat in ms. esse *flava*, sed non est ; testantur Herm. et Rig. LINDNER.

*Adeo aut.* Hæc lectio non est ex emendatione Meursii pro vulgata *adeo ut*, sed est lectio ipsa ms. LINDNER.

CAP. VI. — *Quanto venerabilius.* In vulgatis erat *quando.* Sed laurea ex hac emendatione debetur non Meursio, sed Her. qui sic ex edidit. LINDNER.

*Antistites veritatis.* Hæc est genuina cod. regii lectio. Imp. *antistitem.* EDD.

*Ante imbutus es timere.* Rectissima est hæc libri veteris scriptura. Et impersonaliter quidem accipienda videtur. RIGALT. — Vulgati male : *imbutus existimare, quam cognosse.* LINDNER.

*Adhuc rudi sæculo.* Hæc verba desunt in ed. Gronov., typorum, ut opinor, vitio. LINDNER.

*In ipsius mundi natalibus* Non opinor impleri emphasin ab pronomine, quam in eo voluit sitam esse Minuc. si edatur *in ipsius mundi nat.*, prout vult ms. Implebit autem, si scripseris *in ipsis mundi nat.*, ut infra, *ab ipsis imperii nascentis incunabulis.* Certe etiam sic ediderant olim Wow. et Elmenh., etsi queat placere enallage casuum. Quod autem ex persona Cæcilii nunc profert auctor, plane totum habes ut acceptum et probatum olim Germanis, apud Tacit. in *Germ.*, cap. 14 : *Reverentius visum est de actis deorum credere, quam scire.* GRONOV.

*Meruerunt deos vel faciles habere, vel reges.* Faciles dicit beneficos, bene meritos. Plinius lib. II. : *Hic est vetustissimus referendi bene merentibus gratiam mos, ut tales numinibus adscribantur* RIGALT, — Miror unde factum ut vir doctissimus Jac. Perizonius hoc in loco reposuerit *vel patres habuere vel reges*, cum nec omnes ii qui statim recensentur, vel patres fuere vel reges. *Faciles* sunt placidi et propitii, ac proinde benefici. Virgilius *Eclog.* III, 9 :

Faciles nymphæ risere

Ubi Servius hoc modo : *Ideo*, inquit, *indulsere nymphæ, quia mites sunt et exorabiles ;* sic in Georgicis : *Et faciles venerare Napæas.* Prudentius contra Symmachum lib. II, 804 :

Sic probus, atque reus canitalis criminis isdem
Sideribus, facilisque boli bonitate fruuntur.

Hinc apud Arnobium lib. I. pag. 5 : *Sequitur ut abundantiæ tempore* (dii) *irati difficilesque non sint.* In ethnicis autem multos ob munera artiumque inventionem deos esse habitos, nemini latet. Vide Clementem Alexandrinum in *Protrept.* pag. 13, A, ed. Lugdur. 1616, et Nostrum, cap. XX. DAVIS. — Scheff. *socios vel familiares* rescribit, voce *familes* contracte scripta cum lineola in capite. Heum. *cives*, ob ea quæ sequuntur cap. 20. Sed hæ correctiones sunt ejusmodi, ut vel ex dissensione partium, malam causam possis subodorari. Quid est quod in lectione recepta offendat ? At illa optime cum cæteris Minucii verbis cohæret. Cap. 21 dicit Noster *ob merita virtutis* (eu reges) *aut muneris* (eu faciles) *deos habitos.* Verum quidem est quod capite præcedente mentio fiat *civium*, sed non civium absolute, sed *ut civium bonæ memoriæ*, h. e. talium qui alicujus muneris vel artis inventione faciles se civibus suis præbuerunt, eoque ipso bonam memoriam sunt consecuti. Verum etiam, quod Scheff. taxat, parum justam sibi oppositionem videri, quam postulet conjunctio *vel.* Sed nullam oppositionem hic locum habere, sed *vel* utrobique valere *et* bene monet Wopk. et adducit Severum *Hist. Sacr.*, I, 53, *et sacra ornamenta vel publica, vel privata.*

Digitized by Google

Inde adeo per universa imperia, provincias, oppida, A videmus singulos sacrorum ritus gentiles habere, et deos colere municipes, ut Eleusinios Cererem, Phrygas Matrem, Epidaurios Æsculapium, Chaldæos Belum, Astarten Syros, Dianam Tauros, Gallos Mercurium, universa Romanos. Sic eorum potestas et auctoritas totius orbis ambitus occupavit : sic imperium suum ultra solis vias et ipsius Oceani limites propagavit, dum exercent in armis virtutem religiosam, dum urbem muniunt sacrorum religionibus, castis virginibus, multis honoribus, ac nominibus sacerdotum : dum obsessi, et citra solum Capitolium capti, colunt deos, quos alius jam sprevisset, iratos; et per Gallorum acies, mirantium superstitionis audaciam, pergunt telis inermes, sed cultu religionis armati : dum capti, in hostilibus mœnibus adhuc ferociente victoria, numina victa venerantur : dum undique hospites deos quærunt, et suos faciunt : dum aras exstruunt, dum etiam ignotis numinibus et manibus. Sic, dum universarum gentium sacra suscipiunt, etiam regna [meruerunt]. Hinc perpetuus merent venerationis tenor mansit, qui longa ætate non infringitur, sed augetur : quippe antiquitas cæremoniis

## VARIORUM NOTÆ.

*Deos colere municipes.* Municipes deos appellat Minucius Felix, qui peculiari cultu in singulis civitatibus vel provinciis consecrati sunt. Horum catalogos texunt etiam Tertull., *Apolog.* c. 24, Lactantius lib. I, Prudentius in *Symmach.* II. Sidonius (Apollinaris) qua excellit brevitate, binos singulis versibus concluB sit (*Carm.* IX, vv. 165 sqq.) : vetus epigramma singulos singulis, in hunc modum :

Dodone tibi, Juppiter, sacrata est, etc.

Cf. D. Mart. *Religion des Gaulois*, II, 210; Burmann. *Anthol. lat.* pp. 147 sqq. EDD.

*Eleusinios Cererem.* Eleusinii, dum colunt Cererem, nequeunt ita celebrari quasi deam colant municipem, utut habeant gentiles ritus sacrorum; quippe quam veteres deducant fabulæ ex Sicilia, aut, si ita fabulosæ genti indulgere libet, ex Creta. Accedit quod aut gentes magnas aut urbes memorabiles ad hoc producat in proxime sequentibus, quibus anteponi Eleusinios (etsi Celeo regnatam urbem, ut jactabant), quæ ratio est? Possis vereri apices litterarum in ea voce confusos et Minuc. dedisse *ut Hennæos Cererem.* C Forsan id scriptum fuit *Henneios*, sicut cap. 51, in ms. fuit *Henneis*, pro quo restituerunt *Œæis*. GRONOV.

*Phrygas Matrem.* Non opus est ut, cum Sigism. Gelenio, Laurentio Barrensi, Fulv. Ursino, eosque secuto Chr. Cellario, reponamus *Phrygas magnam Matrem;* renititur enim unicus ms., Cybeleque κατ' ἐξοχὴν interdum *mater* dicitur. Virgilius *Georg.* IV, 64:

Tinnitusque cie, et Matris quate cymbala circum.

Ac *Æneid.* III, 3 :

Hinc Mater cultrix Cybeli Corybantiaque æra.

Sic enim cum Servio legendum arbitror, non *Cybele*, ut habent editt. recentiores. Ita et Arnobius lib. V, p. 167. DAVIS.

*Universa Romanos.* Mox dicet, *Universarum gentium sacra suscepisse.* Et paulo post : *Initiasse ritus omnium religionum.* RIGALT.

*Propagavit.* Scribendum omnino *propagarunt.* HEUM. Nihil opus est, cum singularis respiciat ad *eorum potestas et auctoritas.* LINDNER.

*Dum exercent.* sc. *Romani;* debebat esse *exercet*, ut præcedens *propagavit.* Sed ita optimi auctores loqui consueverunt. Cæsar. *de Bello Gall.* VI, 24 : *Quæ gens ad hoc tempus iis sedibus se continet, summamque habet justitiæ et bellicæ laudis opinionem, nunc que in eadem inopia, egestate, patientia, qua Germani, permanent.* LINDNER.

*Dum urbem.* Ita ms. reg. Alii *orbem.* LINDNER.

*Quos alius jam sprevisset iratos.* Sic ms., ut videtur; et ex eo Sabæus Gelenius, Heraldus, Rigaltius aliique. At Wouwerius et Elmenhorstius, *quos alius jam sprevisset iratus :* quod mihi et Gronovio vehementer placet : nam sæpe factum est quod ait Livius lib. I, cap. 31, ut homines *fortunæ obirati*, cultum reliquerint deum. DAVIS. — Male a quibusdam editum est *iratus.* Recte enim prima illa editio *iratos* habet. At etiam ii peccarunt qui, *iratos* edentes, non præfixerunt huic verbo comma. *Irasci* scilicet dicebantur dii, cum urbs aliqua hostium veniebat in potestatem. Hinc *aversos a Carthagine deos* vocabat Florus II, 6, 20. Tum vero deos suos ethnici solebant *spernere*, immo etiam *sæva in sanctos verbera ferre deos*, ut Ovidii verbis uar ex *Amorum* I, 7, 6; de quo ritu Pitiscus ad *Sueton.* tom. I, p. 767; et Bælius in suo *de Cometis* libro, cap. 132. HEUM.

*Dum capti, in hostilibus mœnibus.* Romani, dum sunt in Capitolio, quantum erat ut non essent capti et in ditione hostium? et sic tamen in mœnibus jam hostilibus, hoc est, ab hoste insessis numina victa venerabantur. Quod optimum intellectu. Nunc illud *capti* magis promovet, quam supra dicebat *citra solum Capitolium capti*, ut pateat isto discrimine voluisse eum imitari Virgiliana ex VII *Æneid.* : *Num capti potuere capi?* GRON. — Vox penultima vel oscitantiæ librarii debetur, vel scribendum : *dum aras extruunt* demum *etiam ignotis numinibus.* DAVIS. — Davis *in* mutavit in *vir* feliciter; sed etiam *hostilibus* mutandum erat in *hostili.* Sic cap. VII, *metu hostili.* HEUM. — Lindner secutus est lectionem Davisii. Sensus est, inquit : Romani urbibus hostium vi captis, etiam inter ferocitatem victoriæ, ubi alias pietas omnis exsulat, tamen numina victa venerati sunt. FRIC.

*Dum aras exstruunt, dum etiam.* Legendum fortasse *interdum etiam ignotis num.* Cæterum, quorsum addat *et manibus*, fateor me non satis intelligere. De diis ignotis proculcata res est. Manes etiam deos habitos pueris notum : sed quorsum hic eorum mentio? Quare nesciebam an legendum esset : *ignotis numinibus et inanibus.* HERALD. — Lectionem defendit Gron. et vult *dum* esse *etiamdum*, vel etiam legendum : *dudum etiam ignotis.* LINDNER.

*Numinibus et manibus.* Bene *Cæcilius* componit *deos Manes* cum *ignotis numinibus.* Bene, inquam, ex Epicuri sensu, qui negabat esse aliquos Manes et subterranea regna. Etenim Manes eorum dicuntur qui jam esse desierunt, ac proinde nulli sunt. Et Cæcilius *ignotos Deos spernit*, quia sunt ignoti : et *Manes* sive defunctos, quia defuncti et jam nulli. RIGALT.

*Meruerunt.* Sc. *suscipere.* Quod zeugma nec Ciceroni ignotum, lib. XI, Ep. 18 : *Sin aliquid virium forte* D *collegerit, sentiet, nec senatui consilium nec populo Rom. virtutem deesse, nec reip. te vivo imperatorem*, sc. *deesse.* Vel potius syllepsis, ut idem lib. XIII, Ep. 10 : *Cura igitur, si me tanti facis, quanti et Varro existimat*, sc. te me facere. It. lib. IX, Ep 8 : *Nunc autem quid est, sine his cur vivere velimus? Mihi vero cum ipsis, vix his autem detractis, ne vix quidem*, sc. vivere libet. Sic sane esse in ms. colligitur ex silentio Heraldi et Rigalt. Meursius vero indicat et merito legi *merunt*, unde corrigit *inierunt*, vel etiam *regnaverunt.* Gronov. *iverunt*, nempe in illorum manum velut comitantia deos. Heum. vult *eis etiam regnare meruerunt.* Davis. *merent.* Lectionem a nobis receptam (sc. *meruerunt*) ed. Romanam exhibere docet Heum. LINDNER.

*Manserit.* Lindner legit *mansit*, cum omnibus fere impr. Ed. Rom. *maneat.*

*Antiquitas..... adstruxerit velustatis.* Juvenustius

Digitized by Google

atque fanis tantum sanctitatis tribuere consuevit, quantum adstruxerit vetustatis.

## CAPUT VII.

ARGUMENTUM. — *Auspicia et auguria Romana pœnitenter omissa, observata feliciter.*

Nec tamen temere (ausim enim interim[9] et ipse concedere, et sic melius errare), majores nostri, aut observandis auguriis, aut extis consulendis, aut instituendis sacris, aut delubris dedicandis, operam navaverunt. Specta de libris memoriam : jam eos deprehendes initiasse ritus omnium religionum, vel ut remunerarentur divina indulgentia, vel ut averteretur imminens ira, aut ut, jam tumens et sæviens, placaretur. Testis mater Idæa, quæ adventu suo et probavit matronæ castitatem, et urbem metu hostili liberavit : testes equestrium fratrum in lacu, sicut ostenderant, statuæ consecratæ, qui anhelis, spumantibus equis atque fumantibus, de Perse victoriam eadem die qua fecerunt, nuntiaverunt : testis ludorum, offensio Jovis, de somno plebeii hominis iteratio : et Decuriorum devotio rata testis est : testis et Curtius, qui, equitis sui vel mole vel honore hiatum profundæ voraginis

## VARIORUM NOTÆ.

*antiquitas* dicitur cæremoniis adstruere *vetustatem*. Sed tamen elegantissimo cuique talia aliquando excidunt. Cic. *de Divin.* II, 33 : *Errabat enim in multis antiquitas, quam vel usu jam, vel doctrina, vel vetustate immutatam videmus.* Tali forma etiam Vellei. Pat. I, 4, *subsequenti tempore magna vis Græcæ juventutis abundantia virium sedes quæritans in Asiam se effudit.* Ubi alia, ut et *Lection. Tull.* II, 5. WOPK. — Inde Heum. rescribit : *Fanis tantum sanctificatis tribuere consuevit, quantum* (sanctitatis iis) *adstruxerat vetustas.* Etiam jam antea Fulv. Ursinus rescribebat : *adstruxerat.* LINDNER.

CAP. VII. — *Melius errare.* Ait Cæcilius sese melius errare quam Octavium, si Romananorum superstitiones probare videatur tam utiles et prosperas cultoribus suis RIGALT. — Rom. *esse melius.* WOW.

*Memoria.* Lindner legit *specta de libris memoriam*, h. e. specta memoriam de libris hauriendam. In ms. est *memoria :* e quo inepte facit *memoriai* Lac. Gronov. Rigaltius putat, aut hanc esse veram scripturam : *Specta de libris memoriarum;* aut istam : *Specta de libris memorias.* Wopk. pro *de libris* conjicit *de his rebus*, vel hoc, *de libris*, errore librarii natum potius existimat, ex voce *delubris*, quæ in præcedente versu exstat. Davisius : *specta de libris; memoria jam eos.* Heumannus, quia *spectare* plerumque ad externa referatur : *inspice acta et libros memoriarum;* et *acta* accipit *pro monumentis publicis res gestas exhibentibus.* LIND.

*Mater Idæa.* Hæc est verissima lectio, cujus vestigia agnovimus in ms. reg. ubi scriptum sane fuerat *Idæa;* sed quia littera I parum cohærebat, ac præcedenti voce fuerat adjecta, idcirco eam pene deleverant; ut litterulæ istius non nisi simulacrum aliquod remanserit. Alii igitur ediderant, *Mater Deum;* Fulv. Ursinus *Mater dea*, sed adjecta notula, qua *Mater Idæa* volebat legi, Cicerone auctore libro *de Aruspicum Resp.: Atque illa mater Idæa.* HERALD.

*Testes equestrium fratrum.* Heum. emendatio : *equestres fratrum, sicut se ostenderant, statuæ;* bona illa quidem, sed lectioni ms. non præferenda. Tò *in lacu* Barth. *Advers.* lib. LXIII, cap. 25, exterminat. LINDNER.

*Sicut ostenderant.* Sic et editi vetustiores. Fulv. tamen Ursinus, deesse aliquid existimans, edidit : *sicut se ostenderant*, et Casp. Harthius *Advers.*, lib. XLIII, cap. 25, non dubitandum ait vere conjecisse doctissimos viros qui reducunt *sicut ostenderant se;* quasi scilicet pron. recipr. subaudiri non possit. Corn. Severus *in Ætna* vs. 317 :

Penitusque coacti
Exagitant venti.

Sedulius, *Carm.*, I IV, 80 :

Propriique lavans in gurgite fletus.

Auctor *Paneg.* V, cap. 12, 8 : *Posuere venti, fugere nubes*, etc. Multa hujusmodi, suppeditabit G. I. Vossius, *Annal.* lib. III, cap. 3, et *de Constr.* cap. 58. Davis. — Non male Scheff. *se ut ostend raut.* LINDN.

*Qui anhelis*, h. e. *cursu anhelantibus.* Non enim equites equis insidentes anhelabant, sed equi equitibus onusti, et viæ longinquitate defatigati. Sic est, ut edidimus, ms. et in utraque ed. Romana : et Ursin. demum in margine addidit *anheli*, quem postea cæteri sunt secuti. LINDNER.

*Qua fecerant*, sc. *victoriam Romanis*, sive *præstiterant.* Hic sensus cum fidei historicæ convenit, tum quoque latinitati satis consentaneus est; secus quam vidit Meursius, qui nemineni unquam Latinorum *victoriam facere* dixisse putabat, ideoque *qua vicerant*, rescribebat. Vegetius M. R. I, 20, *a quibus sæpe*, tactum *esse constat* victoriam. Incertus Paneg. Maxim. et Constantino, c. 13 : *Si pro divo Augusto Actiacam victoriam tantummodo gener Agrippa confecit*, cætera. WOPK. — Utrumque verbum, tamquam glossema, delet Heum. LINDNER.

*Offensi Jovis.* Scriptum fuerat in aliquo exemplari primario, *offens Jovis.* Descriptum inde fuit in cod. reg. *offensio Jovis.* Legendum *offensi Jovis.* Et recte, *ludorum Jovis.* Erant enim dicati Jovi circenses, Indi maximi votivi, bello Latino tum primum facti. Arnobius VII : *Est, ut agnoscere debeamus Jovi indignanti, non adhibitam curam sollicitiorem ludis Circensibus proprii.* Propriis scilicet, Jovi ipsi dicatis. Rigalt. corrigit, *offenso Jovis.* Meurs. *offenso Jove.* CELLAR. LINDNER.

*De somno.* Sic est in ms., quamquam Wow. testetur esse *somnio*, quod et Meursius rescribit. Sic Cic. *de Divin.* I, 42 : *Visa est in somnis Hecuba;* id. II, 27, *per somnum.* Virgil. *Æn.* VII, 270. LINDNER.

*Iteratio.* Instauratio. Totam hanc historiam prolixius certe, sed et scrupulosius, persequitur, Arnobius lib. VII, pag. 241. RIGALT.

*Decuriorum.* Sic aperte legitur in ms. reg., puta ex antiquarii sphalmate, pro *Deciorum*, quod habent impress. EDD.

*Testis est : testis et.* Gronov. Hanc repetitionem scabrosam vocabat et ingratam, sed mutat tamen mentem in *Addendis* pag. 494. Vide quæ notamus Cap. IV. LINDNER. — *Equitis sui. Equitis* pro *equi.* Rara quidem, boni tamen commatis locutio. Nonius cap. 2, *equitem* pro *equo.* Virgilius *Georg.* III, 11 :

Atque equitem docuere sub armis
Insultare solo, et gressus glomerare superbos.

Orosius lib. II, cap. 7 : *Quum unum regiorum equitum candore formaque excellentem*, etc. DAVIS.

*Vel mole vel honore.* Expressimus lectionem ms. Historia ad quam Noster respicit, exstat apud Livium VII, 6. Erat scilicet, seu motu terræ, seu qua vi alia, forum medium ferme specu vasto collapsum. Quo facto id illi loco dicandum vates canebant, quo plurimum pop. Rom. posset, si remp. perpetuam esse vellent. Dubitantes M. Curtium castigasse ferunt, an ullum magis Romanum bonum, quam *arma virtusque* esset. Tum equo, quam poterat maxime *exornato*, insidentem, *armatum* se in specum immisisse, *donaque ac fruges* super eum a multitudine congestas. Nunc ad explicationem verborum singu-

Digitized by Google

coæquavit. Frequentius etiam quam volebamus, deorum præsentiam contempta auspicia contestata sunt. Sic Allia nomen infaustum, sic Claudii et Junii, non prælium in Pœnos, sed ferale naufragium est. Et, ut Trasimenus Romanorum sanguine et major esset et decolor, sprevit auguria Flaminius: et, ut Parthos signa reposcamus, Dirarum imprecationes Crassus et meruit et irrisit. Omitto vetera, quæ multa sunt, et de deorum natalibus, donis, muneribus, negligo carmina poetarum; prædicta etiam de oraculis fata transilio, ne vobis antiquitas nimium fabulosa videatur. Intende templis ac delubris deorum quibus Romana civitas et protegitur[10] et armatur: magis sunt augusta numinibus incolis præsentibus, inquilinis, quam cultus insignibus et muneribus opulenta. Inde adeo pleni et mixti Deo vates futura præcerpunt, dant cautelam periculis, morbis medelam, spem afflictis, opem miseris, solatium A calamitatibus, laboribus levamentum: etiam per quietem deos videmus, audimus, agnoscimus, quos impie per diem negamus, nolumus, pejeramus.

## CAPUT VIII.

ARGUMENTUM. — *Mimine ferenda Theodori, Diagoræ ac Protagoræ impia temeritas, qui deorum religionem vel penitus tollere, vel saltem infirmare volnere; at multo minus ferri debet latebrosa et lucifugax Christianorum natio, qui deos despuunt, et dum mori post mortem timent, interim mori non timent.*

Itaque, cum omnium gentium de diis immortalibus, quamvis incerta sit vel ratio vel origo, maneat tamen firma consensio; neminem fero tanta audacia, tamque irreligiosa nescio qua prudentia tumescentem, qui hanc religionem tam vetustam, tam utilem, tam B salubrem dissolvere aut infirmare nitatur. Sit licet ille Theodorus Cyrenæus, vel, qui prior, Diagoras Melius, cui Atheon cognomen apposuit

## VARIORUM NOTÆ.

lorum accingamur. *Equitis sui* est appositio pro mole *sua qui eques erat. Moles* dicitur de pompa, majestate, vi ac potentia. Vid. Gronov. in *Observ.* I, 20. En *arma*, in quibus vis omnis consistebat. *Honor* est præmium virtutis, judicio studioque civium delatum ad aliquem, Cic., de *Clar. Orat.* 280, c. 81. En *Virtutem*, quæ duo requirebantur, ex oraculo, si remp. salvam esse vellent. Errat ergo Cellar. qui Curtium intelligit de lacu, et equitem de equo. Heum. veram scripturam hanc fuisse putat: *Curtius, qui eques sui olim devotione hiatum*, etc. et *equitis* ortum ex *eques sui;* pro *devotione* scripsisse *olevelone*, unde natum *ole vel honore; olim* denique ex *vel m* natum. Credat qui volet. LINDNER. — *Vel honore.* Rescribebat Heraldus *vel onere.* Minus recte, ut videtur. Quis enim existimet scripsisse Minucium *vel mole, vel onere?* Vulgatam lectionem confirmat Rigaltius ex Valerio Max. lib. v, cap. 6, ita in hanc sententiam scribente: *Super quem universi cives honoris gratiæ certatim fruges injecerunt.* Vide quoque Livium lib. VII, cap. 6. GALLAND.

*Ferale naufragium est.* Leges grammaticæ postulant ut deleatur vox ultima. Minucius enim non de tempore tunc præsente, sed diu præterito loquitur. DAVIS.

*Ut Parthos signa repetamus. Reposcamus* rescribere nullus dubitavit, ob oculos enim habuit Virgilium suum, *Æneid.* VII, 606:

Parthosque reposcere signa.

Quem locum si in promptu habuisset, vel Heum. vel, quem inventorem emendationis laudat, Heusing., non utique rescripsissent *a Parthis.* LINDNER.

*Et, de deorum natalibus* etc. Locus a vitiosa interpunctione laborat: sic autem distinguendus est: *et, de deorum natalibus, donis, muneribus, negligo carmina poetarum;* nemo enim nescit quam frequentes sint in his canendis poetæ. DAVIS.— Heumanus ita: *Omitto vetera, quæ multa sunt, de deorum natalibus, donis, muneribus, carmina poetarum.* At non dicitur: *multum esse* de *re*, sed, in *re.* LINDNER.

*Antiquitas nimium fabulosa.* Nam certe sciverunt eam omnem fabulosam esse, et forsan hoc ipso Minucii tempore eam talem scripsit Justinus XI, 6: *Ut omnis antiquitas fabulosa est.* GRONOV.

*Quam cultus insignibus.* Sic olim habuit codex reg. Hodie præfert: *cultu insignibus.* Unde critici occasionem arripuere corrigendi: *cultu insignia.* Sed apparent vestigia derasæ litteræ s quam nos hac editione reducimus in lucem, ut rideat Minucii sensus iste genuinus: templa ac delubra Romana magis esse divinæ beneficentiæ titulis augusta, quam cultus insignibus et muneribus opulenta. *Beneficentiæ* tituli sunt augustæ illæ inscriptiones:

NVMINIBVS. INCOLIS.
NVMINIBVS. PRAESENTIBVS.
NVMINIBVS. INQVILINIS.

At *opulenta cultus insignia* sunt *aureæ statuæ, thensæ, acerræ, lectisternia, solisternia, currus*, et alia hujusmodi pretiosa. RIG. — Ita distinguendum existimat Iler. *quam cultu, insignibus, et muneribus opulenta.* LINDNER.

*Inde adeo.* Ne, quæso, dubita mecum legere *i-eo* C *pleni*, inquit Heum., sed nescio an omnibus sit persuasurus. LINDNER.

*Negamus, nolumus, pejeramus.* Hæc est lectio ms. reg. Editio Romana, *volumus;* Gelenius, *violamus*, (conf. cap. XXIX): quæ lectio non displiceret si librorum niteretur auctoritate. HERALD —Mihi dubium non videtur quin vir summus J. F. Gronovius, *Observ. Eccl.* cap. VII, recte correxerit *negamus* nos videre, *nolumus* audire, *ejeramus*, quod idem valet ac *non agnoscimus.* DAVIS—Retinendum omnino quod in ms. itemque in editione Romana est, *pejeramus:* scilicet *pejerare deos* eodem jure Minuc. dixit, quo dici solet *jurare deos.* Notissimum est illud: *Jovem lapidem jurare*, id est per Jovem:

Cujus jurare timent et fallere numen. (*Virgil.* VI, 324.)
Maria aspera juro. (*Ibid.* V. 351.)
Stygias juravimus undas. (*Ovid., Metam.*, II, 101.)
Diis jurando palus. (*V.* 46.)

Dicitur vero et *perjurare*, sive *pejerare*, deos, hoc est mendaciter jurare per deos. En Ovidii locum *Amorum* III, 10, 22:

Et perjuratos in mea damnna deos. HEUMAN.

D CAP. VIII.—*Tam vetustam, tam utilem.* In aliquo exemplari scriptum fuerat antiquario more, *tam vetus tam utilem*, quod est, tam vetustam, tam utilem. Syllabas proxime repetitas semel scribebant, ut videmus in editione *Pandectarum* juris ad exemplar Florentinum. Et hæc scriptura compluries in Minuciano exemplari reperitur. RIGALT.

*Sic licet.* Scribo, *Sit licet.* MEURS. — Et sic est in ms. reg. LINDNER.

*Diagoras Melius.* In ms. est *Diagoras Milesius;* ac ita sane eum vocarunt non modo Eusebius et Theodoretus, ut notavit vir doctissimus Ric. Bentletus ad *Fragm. Callimachi* 86, sed et Chrysostomus Hom. IV, in I *Epist. ad Corinth., cap.* I, ut animi sim dubius, auctorine an sibariis hanc lectionem debeamus. Utcumque sit, atheus iste in Melo insula fuit natus. Vide Ælianum, *Var. Hist.* II, 23, et Suidam. DAVIS.

*Atheon cognomen.* Heum. ad hunc locum et in

Digitized by Google

antiquitas, qui uterque, nullos deos asseverando, timorem omnem, quo humanitas regitur, venerationemque penitus sustulerunt: numquam tamen in hac impietatis disciplina simulatæ philosophiæ nomine atque auctoritate pollebunt, quum Abderiten Pithagoram [Protagoram] Athenienses viri, consulte potius quam profane de divinitate disputantem, et expulerint suis finibus, et in concione ejus scripta deusserint; quid homines (sustinebitis enim me impetum susceptæ actionis liberius exserentem) homines, inquam, deploratæ, illicitæ ac desperatæ factionis grassari in eos, non ingemiscendum est? qui de ultima fæce collectis imperitioribus, et mulieribus credulis, sexus sui [11] facilitate labentibus, plebem profanæ conjurationis instituunt; quæ nocturnis congregationibus, et jejuniis solemnibus et inhumanis

## VARIORUM NOTÆ.

*Actis Philosophorum*, tom. I, pag. 43, judicavit græcum ἀθέου rescribendum esse. Sed habet cognomen hujus philosophi perversi Cicero non græcum modo, sed et latinum, e. g. *de Nat. Deor.* I, 23: *Quid? Diagoras, atheos qui dictus est:* Item III, 37: *At Diagoras, atheos ille qui dicitur.* Sic, cognomen Heracliti, quod Ciceroni, lib. II. *de Fin.* cap. 5, græcum est σκοτεινόν. Livius, in alia licet persona, latine vertit, XXIII. 39: *Heraclitus, cui Scotino cognomen erat.* LINDNER. — Non debet hæc lectio mendi esse suspecta. A. Gellius *Noct. Attic.* lib. XV, 29: « *Duæ istæ in loquendo figuræ notæ satis usitatæque sunt:* Mihi nomen est Julius, et mihi nomen est Julio. *Tertiam figuram novam, hercle, reperi apud Pisonem in secundo Annalium. Verba Pisonis hæc sunt:* L. Tarquinium collegam suum; quia Tarquinium nomen esset, metuere; eumque orat uti sua voluntate Romam contendat. Quia Tarquinium, *inquit*, nomen esset: *hoc proinde est tamquam si ego dicam*: mihi nomen est Julium.» Et ita quidem plus vice simplici locutus est Livius. Plurimi sane mss. corrupte exhibent *quia Tarquinio nomen esset*; verum hæc scriptura menti Gellianæ prorsus adversatur, licet incertus hæreat Jac. Gronovius, recipienda sit necne. DAVIS.

*Quo humanitas regitur. Humanitas* hoc in loco *genus humanum* denotat. Noster, cap. XXVI: *Idem etiam dæmonas prodidit terrenos, vagos, humanitatis inimicos.* Arnobius lib. II, pag. 75: *Quorum cruciatibus pasceretur nescio quævis latens, et humanitati adversa credulitas.* DAVIS.

*Pollebunt.* Davis legebat *pollebit*, et exponit: *Sit licet ille qui hanc religionem dissolvere nitatur, Theodorus vel Diagoras, numquam tamen id valebit præstare.* Sed nihil ego in vulgata lectione moverim. Sensus est: *Fecerit hoc* (conatus hoc fuerit) *Theodorus ac prius etiam Diagoras, nunquam tamen apud posteros nomine auctoritateque simulatæ philosophiæ multum valebunt.* Sic ad duo singularia recte refertur verbum plurale *pollebunt. Vel* hic accipiendum pro *et*, ut supra c. I, *ut pari mecum voluntate concineret, eadem vellet vel nollet.* Vide quæ notavi ad cap. V. WOPK.

*Athenienses viri.* Ultimam vocem temere prorsus expunxit Fulv. Ursinus; eodem enim modo boni auctores passim loquuntur. Cæsar lib. I, B. G., cap. 31: *Harudum millia hominum* XXIV *ad eum venissent.* Prudent. in *Symmacho* I, 550:

Ad sincera virum penetralia Nazaræorum.

Et lib II, 541:

Æneadumque ultro victricia signa virorum.

Ruffinus in vers. *Recogn. Clementis*, lib. I, cap. 65: *Quiescite paulisper, 10 viri Israelitæ.* Vide et cap. 20. DAVIS. — Eodem modo etiam Græci loqui consueverunt, ἄνδρες Νινευῖται (*Matth.* VII, 24); ἄνδρες Γαλιλαῖοι (*Act.* I, 11). Xenophon *Cyrop.* 2, p. 33: ἄνδρες Πέρσαι; et Demosthenes sæpius, ἄνδρες Ἀθηναῖοι. LINDNER.

*Consulte potius. Inconsulte* ex emendatione Meursii, Heumanno approbante, a Cellario in textum est receptum, et retinui, quia omnino Protagoras inconsultius se gesserat; non quod ita sensisset, sed quod publice disputasset. Multa in cathedra privatim consulte proferuntur, quæ alius publice pro suggestu inconsulte disserit. LIND. — Jo. Meurs., cui placet *inconsulte* pro *consulte*, eo modo se gessit, quem incaute secutus est Chr. Cellar. Quid enim miri si Cæcilius *consultam* vocet Protagoræ ἀποχήν, qui cap. V, Academicum egit, et cap. XIII, *Carneadis et Academicorum plurimorum in summis quæstionibus tutam dubitationem* impense laudavit. DAVIS.

*Deusserint.* Verissima lectio, quam edit. Rom. et ms. regius nobis suppeditarunt. Ediderat Gelenius *deriserint*, inepta sententia. HERALD. — In Romana editione est *deriserint.* Sed veram restituerunt scripturam Leopardus *Emend.* lib. XI, cap. 11, et Lud. Carrio, lib. II, *Emend.* cap. 18. Dicit videlicet idem noster Minucius quod Diagoras Laertius, IX, 52: Ἐξεβλήθη πρὸς Ἀθηναίων, καὶ τὰ βιβλία αὐτοῦ κατέκαυσαν ἐν τῇ ἀγορᾷ. HEUM. — Cicero *de Nat. Deor.* lib. I, cap. 23: *Librique ejus in concione combusti.* RIGALT.

*Homines, inquam.* Epanalepsis est, Ciceroni usitatissima; lib. I, ep. 9, n. 67: *Scripsi etiam, nam etiam ab orationibus me refero ad mansuetiores musas, scripsi igitur Aristoteleo more tres libros.* Cortius ad *Cicer.* lib. XV, ep. 10, n. 1. LINDNER.

*Illicitæ, deploratæ, inlicitæ ac desperatæ factionis.* Aiunt in ms. legi, *inquinatæ* (Vouw. nempe, testis suspectus, ut alias sæpe, ita et nunc aperte fallax. EDD.). Sed codicem antiquum alium a regio exemplari nemo hactenus protulit. In regio disertissime scribitur, *inlicitæ.* Et merito quidem exploditur quod Ferrarius et Priscianensis ediderant, *incitæ.* Illud vero, *inlicitæ*, etsi defendatur antiquitate exemplaris, nihilominus friget inter illa duo, *deploratæ* ac *desperatæ.* Itaque, si conjecturæ locus est, legam, *incitæ*, quod est incitatæ, furiosæ, rabidæ. Catullus in Galliambo: *Alios age incitatos, alios age rabidos.* Incitus, quemadmodum percitus. In Prudentii *Vincentio*, ubi de spiritibus immundis:

Qui vos latenter incitos, in omne compellunt nefas.

RIGALT. — Wopk. *incestæ.* Mihi quidem non est dubium scribi oportere *deploratæ inscitiæ.* Inferius etiam, cap. XII, ab ethnico Cæcilio Christiani vocantur *indocti, impoliti, rudes, agrestes;* et supra cap. V, *studiorum rudes, litterarum profani, expertes artium.* Etiam apud Livium VII, 2, est *inscitia* pro *ignorantia, inscientia.* HEUM. — Gronov. ex *incilitæ*, quod, teste Rigaltio, est in ms., facit *inculcæ*, tamquam Δρυοχαρνῆς. Alii *inclinatæ.* LINDNER.

*Quæ nocturnis.* Heum. ob anaphoram legit *qui nocturnis.* LINDNER.

*Jejuniis solemnibus.* Correctionem Jac. Gronovii, *olentibus* reponentis, merito *putidam* appellavit Davis. in secunda sua Minucii nostri editione. HEUM. — Jejunia solemnia eo tempore quo Minucius scripsit, Christianos jam observasse nemo dubitabit. Tertull. *ad Uxor.* lib. II, p. 128. opp. t. II, ed. Paris, 1566-8: *Si jejunia observanda sunt, maritus eodem die convivium exerceat.* Sed ad recte intelligendum hunc Minucii nostri locum hæc observari insuper debent. Romani Christianorum sacra pro mysteriis habebant sceleratissimis, qualia olim bacchanalia experti fuerant, de quibus lib. XXXIX, 10. Ea mysteria nocturnis conventibus suis celebrare Christianos calumniabantur. Convenire igitur eos stato die et humanarum carnium esu, promiscuoque post epulas concubitu ad omne scelus conjurare inter se ac fœderari. Carnes illas humanas Cæcilius vocat *inhumanos cibos.* Fœderari Christianos dicit, voce e mysteriorum ratione petita: sed *confœderari* non *ad sacra*, ut initiati in mysteriis Romanæ religionis, sed *piaculis*, carnium nimi-

Digitized by Google

cibis, non sacro quodam sed piaculo fœderantur. A Latebrosa et lucifugax natio, in publicum muta, in angulis garrula : templa, ut busta, despiciunt ; deos despuunt, rident sacra, miserentur miseri, si fas est, sacerdotum honores et purpuras despiciunt ipsi seminudi. Pro mira stultitia et incredibili audacia, spernunt tormenta præsentia, dum incerta metuunt et futura ; et dum mori post mortem timent, interim mori non timent. Ita illis pavorem fallax spes solatio redivivo blanditur.

## CAPUT IX.

ARGUMENTUM. — *Christianorum religio stulta, hominem siquidem crucifixum, ipsumque hujus supplicii instrumentum venerantur. Asini caput colere, ipsamque parentis sui naturam adorare dicuntur. De cæde infantis et sanguine initiantur, ac per impudentes tenebras incerta sorte omnes permiscentur.*

Ac jam, ut fœcundius nequiora proveniunt, serpentibus in dies perditis moribus, per universum orbem sacraria ista teterrima impiæ coitionis adole-

## VARIORUM NOTÆ.

rum humanarum esu et promiscuo concubitu. Pluribus de improba ac Romanorum adversus Christianos calumnia disputamus in *Exercit. histor.* de odio humani generis Christianis olim a Romanis objecto persecution. Christ. nominis causa, cap. 2, sect. 7. GRUNER.

*Inhumanis cibis.* Lego *humanis*. Florus, III, 5, 10, de L. Sylla : *Primumque Athenas, urbem (quis crederet) frugum parentem, obsidione ac fame ad humanos cibos compulit.* LINDNER.

*Lucifugax natio.* Ita est in ms. et edit. Rom. prima, teste Rigaltio, non *lucifuga*. Emendandus igitur Gesneri *Thesaurus Lat. Linguæ*, tom. III, pag. 154, ubi falso testatur *in ms. et veteribus libris esse lucifuga*, et in vulgatis *lucifugax*. LINDNER. — Voce *nationis* sectam sive genus indicat Minucius. Sic apud Phædrum lib. II, *Fab.* V, 1 : *Est Ardelionum quædam Romæ natio.* Ita et *nationem* pro Epicureorum secta dixit Cicero N. D. lib. II, cap. 29. DAVIS.

*In publicum muta.* Sic ms. Recte quidam *in publico* rescripserunt : idque jam habet ed. Sabæi Romana. Ac obvia est mendi causa. HEUM. — Sic cap. 19, *in publicum dicere* ; cap. 28 : *Hos nec audiendos in totum putabamus.* Quinct. *Declam.* 13 : *In publicum vivitur, et omnes opes congeruntur in medium.* Nescio cur Her. retinuerit *in publico*. Gronov. Geilius, 6, 14, *in medium relinquere*. Plautus *Bacch.* 1, 2, 55 :

In mentem nunc mihi fuit. LINDNER.

*Ut busta despiciunt.* Tertull. lib. *de Spectat.* cap. 13 : *Nec minus templa quam monumenta despuimus.* Nempe cum plerisque gentilium templis defunctorum cadavera sita essent ac tumulata, quod Clem. Alex., Arnob., Eusebius et alii pluribus comprobant, Christiani ab eo usu ea ut sæpius et denominabant et æstimabant. Hinc etiam Amm. Marcell. lib. XXII, de Gregorio Alexandriæ episcopo : *Reversus ex comitatu principis, quum transiret per speciosum Genii templum, multitudine stipatus ex more, flexis ad ædem ipsam luminibus :* « Quamdiu, inquit, sepulchrum hoc stabit? » Apposite autem ad hoc argumentum Tiberius apud Tacit. *Annal.* lib. IV : *Hæc mihi in animis vestris templa, hæ pulcherrimæ effigies et mansuræ. Nam quæ saxo struuntur, si judicium posterorum in odium vertit, pro sepulchris spernuntur.* HERALD. — Quia statim iteram occurrit *despiciunt*, jure suspicatus est Rigalt. errasse librarium. Quem affert Tertulliani locum *de Spect.* cap. 13, is viam aperit emendationi. Norant scilicet Christiani iis locis exstructa fuisse templa ubi ii sepulti fuerant qui pro diis colebantur. Jam, cum ob oculos Tertullianum fuisse Minucio nostro inter doctos constet, facile apparet ita eum scripsisse : *Templa ut busta despuunt.* Tolle igitur *despiciunt* et *deos* ita junge sequentibus : *Deos rident et sacra.* Perge nunc : *miserentur miseri.* Ac *miserentur*, non *miserantur*, est in edit. Romana (et in cod. reg.). Interjectum *fas est* inde natum videtur, quod librarius bis scripserat *sacer*, deinde prius delere noluit. HEUM. — Hæ mutationes ortum habuerunt inde quod ferre viri doctissimi noluerunt *despiciunt* bis positum. Sed ferendum est *partem* apud Cæsarem, *de B. G.* I, XII, sexies positum, et *locum*, cap. 49, ejusdem libri quinquies ; et cap. 1, libro IV, quater positum. LINDNER.

*Miserentur miseri.* Ita distinguit Heraldus. Vulgo sic : *miserantur miseri, si fas est, sacerdotum.* Interpunctio Heraldi unice vera. Notum est *honorem* pro *magistratu* dici, vid. Rittersh. ad Plin. ep. XI, 11, 2 ; *purpura* vero *magistratuum* insigne. Vid. Andr. Steyeri Dissert. *de Purpura sacræ Dignitatis Insigni.* GRUNER. — Lusum in verbis captat, ut *mori post mortem*, 9, 8 ; *sacra sacrilegiis omnibus tetriora*, 27, 2 ; *fallantur et fallunt*, 10, 2 ; *aut puniendum est, aut pudendum.* LINDNER.

*Pro mira stultitia et incredibili audacia spernunt.* Nihil cod. reg. interjicit nec distinguit, dum impress. habent : *Proh! mira stultitia et incredibili audacia! spernunt.* EDD.

*Præsentia.* Adeoque *certa* supplendum ex altero membro. Eodem modo supplendus *Johannes Ep.* I, 18. LINDNER.

*Ita illis pavorem... blanditur.* In ms. est *solatia rediviva. Blandiri* hoc loco est *mollire, levare, mitigare*, ut apud Columellam, VII, 16 : *Blanditur hac caprinum igneam sævitiam sacri ignis.* Ex quo loco simul patet constructio verbi *blandiri* cum casu quarto. *Pavor* est metus *mortis et tormentorum præsentium. Solatium redivivum* est, quale *a redivivis speratur* in altera vita. *Blandiri solatio redivivo* dixit, ut Ovid. *Metam.* X, 555 :

Umbra blanditur populus.

Sensus ergo est : *Mitigat timorem mortis et tormentorum præsentium spes illa fallax, fore ut aliquando reviviscant.* Certe Lactant. VII, 22, 8 : *Redivivas justorum animas* dicit pro *redivivis justis*, vel *animis justorum redivivorum* ; siquidem Latini sæpe adjectivum nomini alieno aptant, ut Virgil. *Æn.* II, 713 :

Templumque vetustum
Desertæ Veneris.

Hoc est templum vetustum et desertum. — Postquam de hoc loco quid ipse sentirem exposui, conjecturas et emendationes virorum doctissimorum ordine subjungam, unde sibi quisque quid velit eligat. Heraldus edidit : *Ita illis pavor et fallax spes solatio redivivo blanditur.* Gronovius lectionem ms. ita interpretatur sensu verbi prægnante : *Fallax spes blandiens vel blandiendo pavorem illis ponit solatia rediviva.* Davisius : *Vita illis pavorem, fallax spes solatia rediviva blanditur.* Wopkenius : *Ita illis prava et fallax spes solatia ridicula blanditur*, i. e. ominatur, pollicetur, ut cap. XI, *inepta solatia.* Heumannus : *Ita illis inter pavorem fallax spes solatii recidivi blanditur.* Recidivum enim dicitur quod, postquam evanuit et interiit, restituitur et quasi renascitur. Grunerus : *Ita illius pavorem fallit fallax spes, solatia rediviva blanditur.* Et Ovidius *Trist.* V, 7, 39 :

Detineo studiis animum falloque dolores. LINDNER.

CAP. IX. — *Sacraria... adolescunt.* Sacrarium est templum parvum, vel etiam locus ubi sacra reponuntur. Sic vocatur *domus* in qua Christiani oratum convenichant. *Adolescunt* loca quum frequentantur et magnus hominum numerus eo congregatur. Sic Velleius, II, 30, 6 : *Numerus in tantum adolevit.* Tacitus *Histor.* II, 54 : *Cremona numero colonorum, opportunitate fluminum, ubertate agri, annexu connubiisque gentium adolevit.* Ex

Digitized by Google

scunt. Eruenda prorsus hæc, et exsecranda consensio. Occultis se notis et insignibus noscunt, et amant mutuo pene antequam noverint : passim etiam inter eos velut quædam libidinum religio miscetur ; ac se promisce appellant fratres et sorores, ut etiam non insolens stuprum, intercessione sacri nominis, fiat incestum : ita eorum vana et demens superstitio sceleribus gloriatur. Nec de ipsis, nisi subsisteret veritas, maxima et varia maxime nefaria et honore præfanda, sagax fama loqueretur. Audio eos turpissimæ pecudis caput asini consecratum, inepta nescio qua persuasione, venerari : digna et nata religio talibus moribus. Alii eos ferunt ipsius antistitis ac sacerdotis colere genitalia, et quasi parentis sui adorare naturam. Nescio an falsa[12], certe occultis ac nocturnis sacris apposita suspicio : et qui hominem, summo supplicio pro facinore punitum, et crucis ligna feralia, eorum cærimonias fabulantur, congruentia perditis sceleratisque tribuit altaria, ut id colant quod merentur.(VI) Jam de initiandis tirunculis fabula tam detestanda quam nota est : infans farre contectus, ut decipiat incautos, apponitur ei qui sacris imbuatur. Is infans a tiruculo, farris superficie, quasi ad innoxios ictus provocato, cæcis occultisque vulneribus occiditur : hujus, proh nefas ! sitienter sanguinem lambunt, hujus certatim membra dispertiunt : hac fœderantur hostia ; hac conscientia sceleris ad silentium mutuum pignerantur : hæc sacra sacrilegiis omnibus tetriora. (VII) Et de convivio notum est, passim omnes loquuntur, id etiam Cirtensis nostri testatur oratio : ad epulas so-

## VARIORUM NOTÆ.

Christi Ecclesiam, etiam ante principum Christianorum tempora, per orbem disseminatam! LINDNER.

*Eruenda prorsus.* Heum. scriptum fuisse suspicatur *ejicienda*, et Minucium ob oculos habuisse Cicer. *de Offic.* I, 41 : *Cynicorum vero natio tota est ejicienda.* Sed quidni *eruere consensionem* pari jure dici potest, ac dicimus : eruere herbas, arborem, oculos, civitatem ? LINDNER.

*Occultis se notis et insignibus noscunt.* In hunc locum Dodwellus *Dissert. Cyprian.* II, § II, pag. 19.

*Ac se promisce.* Ita edidi, jubente ms. In impressis omnibus est *promiscue*, quasi altera vox non esset latina. *Gellius*, in præf. Noct. Attic. : *Indistincte atque promisce annotabam* : hinc *promiscam cogitationem* dixit idem scriptor lib. XI, cap. 16, et *promiscas quæstiones*, lib. XIII, c. 9. DAVIS. — *Promisce*, ms. quod auctoritate Gellii probat Davisius. Verum aliter Gellium loqui monet Heum., aliter Minucium ; illius notam esse cacozeliam antiquariam, hunc vero fugientem omnis affectionis. LINDNER.

*Maxime nefaria.* Sic recte rescripsit Fulv. Ursinus, cum in ms. sit *maxima et varia*, hoc est multa et multorum generum. LINDNER. — Qui error scribæ cum sit luculentus, miror hanc scripturam retentam esse a Davisio. Burmanni vero correctionem, *maxima et valida*, h. e. certo vera, scribi jubentis in not. *ad Sueton.*, merito rejicit Wopk., simul Ursinianam emendationem comprobans. HEUM.

*Caput asini.* Ordinem verborum suadere putabat doctissimus Davisius, ut, cum Cupero, deleatur (ad Cæsaris lib. III, B. G. c. 1), tamquam glossa, vox *asini*. Delet etiam cl. Heumannus, tamquam margini aliquis hoc verbum adscripserit e cap. 28, 8. Immerito, ut vidimus lection. Tullian. II, 6, *Prodig.* cap. 128, *ante Pontificis M. domum* Lepidi. Sic pollice utroque laudanda videtur ista mss. lectio. Valer. max. III, 2, 3, *fusisque hostibus, opima Deo spolia Jovi Feretrio retulit ; ubi vulgo, de eo.* Nec rejicienda ista Flori IV, 1 : *Tum consul, habito senatu, in præsentem... Cicero peroravit* : Ubi τὸ *Cicero* Grævio videbatur ex glossa irrepsisse, aut saltem alieno loco poni. Conferatur lib. II, 2. Alter *Consulum interceptus Asina Cornelius.* WOPK. — Sic Noster cap. 26, *Tiresias cæcus ;* 19, 2, *parens omnium Deus* ; 28, 9, *Apim bovem ;* 31, 9, *Unius Dei parentis* ; 34, 3, *ipsi artifici, Deo soli* ; 35, 3, *ignes Ætnæ et Vesuvii montis.* LINDNER.

*Digna et nata religio talibus moribus.* Heum. Minucium scripsisse putat : *Digna sane talis religio talibus animalibus.* Sed cave quicquam mutes in loco sanissimo. Christianos tamquam libidinosos scortatores et incestos sugillaverat Cæcilius. His itaque moribus optime ait convenire cultum asini, animalis salacissimi. Phædrus, lib. I, *Fab.* 29. Deinde alludit ad patientiam Christianorum asininam. Quippe asinus cum honore et officiis prosequitur, a quo vapulat et contemptui habetur ; unde proverbium Rabbinorum : דבי דחמרא מיקר מנסחוהי. Vide Buxtorfii *Lexicon Chald. Talmud.* p. 788. Notatu dignum, quod ab Hebr. נאר, *asinus*, descendat נאוך *turpe.* LINDNER.

*Naturam.* Hieronymus epist. LXI : *Pars corporis nostri secretior a nobis natura, φύσις, dicitur.* WOWERIUS.

*Qui hominem.* En naturam calumniæ et mendacii ! quædam necessaria omittunt : alia ex ingenio addunt : *hominem* dicunt, omittunt *Deum*, sive θεάνθρωπον. De *summo supplicio* loquuntur, tamquam infami et servili, non ut a vatibus prædicto et necessario. *Pro facinore* aiunt *punitum*, omittunt cujus, ut intelligantur facinora propria, cum debebant aliena. LINDNER.

*Eorum cærimonias fabulantur.* Sic quidem est in ms. regio ; sed legendum *cærimonias fabulatur*, ut edidere Sig. Gelenius, Des. Heraldus aliique ; nam sine numero singulari non constat σύνταξις. Frustra autem est J. Meursius, qui reponit : *cærimonia fabulantur.* Cærimoniæ enim apud Latinos dicuntur *sacra omnia*, ut ait Isidorus *Origin.* VI, 19, et ante eum Servius ad Virgil. *Æn.* IV, 302. Christianis igitur vitio vertit Cæcilius quod et Christum et crucem colant. DAVIS. — Sane aliquem nominatim designari videtur significare Octavius ipse infra capp. 28, 30. HERALD.

*Imbuatur.* Sic ex ms. reg. Herald. *Imbuitur* alii, inter quos Lindnerius, Heraldi lectione allegata, « Nescio, inquit, utrum ex ms. an errore typothetarum. » Porro geminam codicis lectionem exhibemus. EDD.

*Is infans.* De hac epanalepsi conf. cap. VIII. LINDNER.

*Notum est, passim omnes loquuntur, id etiam... oratio.* Non audiendus est cl. Heum. qui legendum arbitratur : *nonne, quod passim omnes loquuntur, id etiam... oratio ?* interrupta enim oratione affectus indignationis apprime exprimitur. Sic cap. XI : *Multa ad hæc suppetunt, ne festinet oratio. Injustos ipsos magis nec laboro, jam docui.* LINDNER.

*Cirtensis nostri.* Neminī dubium quin hic Noster indigitaverit M. Cornelium Frontonem, Cirtæ in Numidia natum, oratorem inter Latinos istius ævi haud despicabilem, hostem Christianis infensissimum, de quo iterum auctor cap. XXXI meminit ; hinc et aliunde constat eum adversus Christianorum sectam orationem scripsisse. Jam ne eum temere velim habeas esse alterum Frontonem quem laudant Juven. Satyr. I, 12 ; Plin. Jun. *Epist.* XI, 2 ; Martial. *Epig.* Ipse vero Cirtensis, teste Eutropio VIII, 6, Marci Antonini imp. et Lucii Veri latinis litteris præceptor fuit ; quem Eumenius magnis excipit laudibus ac velut *Romanæ eloquentiæ non secundum, sed alterum decus prædicat.* Si qua Joanni Salisberiens. fides, *Polycrat.* VIII, 19, ab eximio Cheronensi Plutarcho ex gente materna

Digitized by Google

lemni die coeunt, cum omnibus liberis, sororibus, matribus, sexus omnis hominis et omnis ætatis : illic, post multas epulas, ubi convivium caruit [caluit], et incestæ libidinis ebrietatis fervor exarsit, carnis [canis] qui candelabro nexus est, jactu offulæ ultra spatium lineæ qua vinctus est, ad impetum et saltum provocatur : sic everso et exstincto conscio lumine, impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis involvunt per incertum sortis ; et, si non omnes opera, conscientia tamen pariter incesti, quoniam voto universorum appetitur quicquid accidere potest in actu singulorum.

## CAPUT X.

ARGUMENTUM. — *Quidquid colunt, magnopere occultare nituntur : nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra. Deus illorum, sicut et Judæorum, unicus esse fertur : quem cum nec videre nec ostendere queant, illum nihilominus molestum, inquietum et præpostere curiosum arbitrantur.*

Multa prætereo consulto ; nam et hæc nimis multa sunt quæ aut omnia aut pleraque omnium vera declarat ipsius pravæ religionis obscuritas. Cur etenim occultare [13] et abscondere quidquid illud colunt magnopere nituntur, quum honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint ? cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra ? numquam palam loqui, numquam libere congregari [sustinent], nisi illud quod colunt et interprimunt, aut puniendum est aut pudendum ? Unde autem, vel quis ille, aut ubi Deus unicus, solitarius, destitutus ; quem non gens

## VARIORUM NOTÆ.

oriebatur. Excidisse videbantur illius opera pene universa, paucis exceptis grammaticæ rei fragmentis : cum illustriss. S. R. E. presbyter cardinalis Ang. Maius, in bibliotheca Ambrosiana, e vetustissimi codicis παλιμψήστου visceribus feliciter ad lucem revocavit pleraque Frontonis opera, ac ea evulgavit sub hoc epigrammate : *M. Cornelii Frontonis opera inedita, cum epistolis item ineditis Antonini pii, M. Aurelii, L. Veri et Appiani, necnon aliorum veterum fragmentis. Mediol.* 1815, *in*-8°. Deest adversus Christianos declamatio. DDD.

*Cum omnibus liberis.* Notari debet hic locus, qui ex mentione luminis indicat fuisse cœnam ; et, quum omnes liberos et omnis ætatis homines adfuisse testatur, an credimus illos omnes liberos non fuisse baptizatos ? Certe mihi contra videtur narratio innuere manifeste etiam in ætate prima Baptismum fuisse datum. GRONOV. — Pia est hæc meditatio, dubito an etiam solida. Ex præsentia hominum in cœna colligit vir doctissimus eos omnes fuisse baptizatos. Multi, inter quos etiam Constantinus ille Magnus, Baptismum ad mortem usque reservabant, quos tamen vix verosimile est toto illo tempore agapis Christianorum abstinuisse. Deinde ipsa vox *missæ* de populi dimissione nos cogitare jubet. Sed fac ita hæc esse, ut vult v. d. et Justinus, *Apol.* I, c. 85 testatur : Οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι, διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀπορέρουσι Id. cap. 86 : τῆς εὐχαριστίας οὐδενὶ ἄλλῳ μετασχεῖν ἐξόν ἐστιν, ἢ τῷ πιστεύοντι καὶ λουσαμένῳ τὸ ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ἀναγέννησιν λουτρόν. Infirmum tamen erit testimonium ex ore inimici, qui, quæ testatur, non adspexerit ipse, sed fama tantum, eaque incerta et dubia, cognoverit. Si enim ex hoc loco probari posset liberos in sacra cœna administranda fuisse præsentes, non video quidni eodem jure probari posset canem candelabro vere fuisse nexum. Liberis enim præsentibus, mysteria, credo, Christianorum non diu occulta mansissent. Neque ex accensione lucernæ colligi usus cœnæ recte potest, siquidem persecutionum tempore conventus plerumque nocturnos celebrabant. LINDNER.

*Convivium caluit.* Formula eadem utitur quoque Sulp. Severus, *Hist. Sacr.* II, 13 : *Igitur, quum jam post epulas multis poculis convivium calere cœpisset.* WOPK. — Non dubito rescribendum esse *incaluit.* Curtius, V, 7, 5; VIII, 1, 22 : *Cum rex multo incaluisset mero.* Nec movet me quem Wopk. profert Sulpicii locum : nam et hic *calere* se ipsisse librarium pro *incalere*, antecedens *m* mihi persuasit facile. HEUM. — Quid vero faciet loco Horatii. *Carm.* III, 21, 12 :

Narratur et prisci Catonis sæpe mero caluisse virtus.

LINDNER.

*Incestæ libidinis exarsit.* In ms. est *incestæ libidinis ebrietatis fervor exarsit.* Gelenius : *Incestæ libidinis ebrietate fervor exarsit* Meursius reponit, *ebrietis.* Rigaltius : *Et incestæ libidini ebrietatis fervor exarsit.* Gronovius : *Et in cœcas libidines ebrietatis fervor exarsit.* Valer. Maximus, lib. II, 1, 5 : *Proximus a Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam venerem esse consuevit.* Hinc *vinum Libero propter excitandam libidinem* attributum esse testatur Isidorus *Orig.* VIII, 8.

*Canis provocatur.* Carnis, indubium antiquarii veteris mendum, pro *canis.* EDD. — Unde Gentes calumniam hanc habuerint, conjectu est difficile. Crediderim tamen hanc rei fuisse originem : *Canes* dicebantur qui ad investigandas et odorandas res adhibebantur, docente Ven. Ernesti in *Clave Ciceron.*, quod verbi etiam Plautus pro *vigili* adhibuit. Quumque nascentis Ecclesiæ temporibus plures essent qui Christianis insidiarentur, aluerunt etiam quosdam qui in conventibus dispicerent an adesset speculator, qui sermonum et mysteriorum aucupium faceret. Hunc dicebant *canem.* Fortasse illi fuit negotium candelarum extinguendarum, si quando insidias vererentur, vel certe fenestrarum obstruendarum, quibus inconsulti illi spectatores excluderentur. LINDNER.

*Opera.* Lectio sana, quam non debebat cl. Heum. sollicitare, et rescribere *opere.* Cicero *de Offic.* I, 35 : *Liberis dare operam re honestum est, nomine obscœnum.* Plaut., *Merc.* 4, 5, 10 : *Pol haud censebam istarum operarum esse patrem.* LINDNER.

CAP. X.—*Pleraque omnium.* Wopk.: *pleraque omnia*, ut *plerique omnes* apud Terentium et Nepotem. Heumannus : *pleraque omnino.* Ego, vel vulgatam retinendam, vel *omnium* delendum puto. LINDNER.

*Quidquid illud colunt.* Heum. rescribit : *quidquid illud est quod colunt.* Mihi *illud* pleonastice videtur esse positum. LINDNER.

*Cur nullas aras habent.* Adeoque de sacrificio Missæ iis temporibus altum silentium ! LINDNER.

*Nulla nota simulacra. Vota* pro *nota* scribendum videtur Nic. Heinsio. *Advers.* lib. I, cap. 18, pag. 185. At nil mutandum. Innuit ethnicus Christianos simulacrum aliquod quod colant, sed vulgo incognitum : paulo enim ante dixit *cos id quod colunt occultare et abscondere.* HEUM.

*Sustinent.* Hoc verbum, quod in ms. non est, inseruit Cellar. et quia in ms. non est, uncinulis clausit. Ac certe, vel hoc vel simile verbum excidit. HEUM.

*Unde autem, vel quis ille, aut ubi.* Sic quæri de ignotis solet. Florus, I, 18, 5 : *Qui enim aut unde Romani ?* Seneca *de Morte Cl. Cæsaris*, p. m. 811, ex Homeri *Odyss.* Λ : Τίς, πόθεν εἰς ἀνδρῶν, τόθι τοι πτολίεσσι... LINDNER.

*Gens libera Romana superstitio noverunt.* Magna fiducia rescribo : *gentes liberæ ;* sequitur enim *regna*, sequitur *noverunt.* Quare et *Romanæ superstitiones* rescribo non timide. HEUM. — Ego vero hunc locum per syllepsin consuetam ita interpretor : *gens libera*

Digitized by Google

libera, non regna, non saltem Romana superstitio noverunt? Judæorum sola et misera gentilitas unum et ipsi Deum, sed palam, sed templis, aris, victimis cærimoniisque coluerunt : cujus adeo nulla vis nec potestas est, ut sit Romanis numinibus cum sua sibi natione captivus. At etiam Christiani quanta monstra, quæ portenta confingunt? Deum illum suum, quem nec ostendere possunt nec videre, in omnium mores, actus omnium, verba denique et occultas cogitationes diligenter inquirere, discurrentem scilicet, atque ubique præsentem; molestum illum volunt, inquietum, impudenter etiam curiosum, siquidem adstat factis omnibus, locis omnibus intererrat : cum nec singulis inservire possit, per universa districtus, nec universis sufficere, in singulis occupatus. (VIII) Quid? quod toto orbi, et ipsi mundo cum sideribus suis minantur incendium, ruinam moliuntur? quasi aut naturæ divinis legibus constitutus æternus ordo turbetur, aut rupto elementorum omnium fœdere, et cœlesti compage divisa, moles ista qua continetur et cingitur subruatur.

## CAPUT XI.

ARGUMENTUM. — *Futurum quoque asserunt totius mundi incendium; ac post corporum nostrorum resurrectionem, justis beatissimæ vitæ, injustis maximarum pœnarum æternitatem promittunt.*

Nec hac furiosa opinione contenti, aniles fabulas

## VARIORUM NOTÆ.

novit, *non regna* noverunt, *non saltem Romana superstitio* novit. Ita singularia et pluralia permutantur : *Divitiæ, decus, gloria in oculis sita sunt.* Quid enim mirum si verbum quod ad plura præcedentia refertur, numero plurali ponitur? LINDNER.

*Judæorum.... gentilitas.* *Gentilitas* hoc in loco gentem denotat. Tertullianus *de Anima*, cap. 30 : *Aborigines nunc in suis sedibus permanent, et alibi amplius gentilitatem fœneraverunt.* Eodem sensu *Vasconum gentilitatem* dixit Prudentius περὶ στεφ. Hymn. I, 94. DAVIS.

*Romanis numinibus.* In ms. est *nominibus*, quod emendant in *numinibus* Wow., Rig., Heum., Cell. aliique complures. Sic pro *nominis* rescripsit *numinis* Heum. ad Lactant. III, 29, 14. At in ed. Romana est *homimbus*, quod retinet et defendit Wopk., quia cæteroquin languida nimis oratio videretur, neque ex mente Cæcilii imbecillitatem Dei Judæorum adeo evinceret, si Romanis *numinibus*, quam si Romanis hominibus esset captivus : conf. cap. 33, 6. Huic sententiæ patrocinatur etiam Livius III, 17, 3 : *At vos vereremini Deos patrios ab hostibus captos.* LINDNER. — Ego cum illis facio qui *Romanis hominibus* verum putant. Id poscunt omnino verba quæ præcedunt, *cujus adeo nulla vis nec potestas est.* Deinde nullibi invenies deos gentis alicujus victæ cum gente sua *Romanis numinibus* captivos dici. Populus vero victor cepisse ac detriumphasse victi populi deos, sæpe dictum. Tertullianus, *Apolog.* 25 : *Tot de diis, quot de gentibus triumphi; tot manubiæ, quot manent simulacra captivorum deorum.* Eodem sensu Minucius ipse inferius, cap. 25. GRUNERUS, l. c. pag. 222 sqq.

*At etiam enim* Uncinulas huic verbo circumdedit Cellarius, ut indicaret, melius id abesse. Cum vero et in ms. sit, et in editione Romana, rescribo *enim*. HEUM.—Conjungunt has particulas in affectu indignationis Terentius *Eunuch.* V, 7, 10. *At etiam primo callidum et disertum credidi hominem.* Cicero. *Philipp.* II, p. m. 438. C : *At etiam litteras recitavit.* It. pag. 442. A : *At etiam quodam loco facetus esse voluisti.* It. pag. 441 : *At etiam ausus es dicere.* Idem de Nat. Deor. I, 41 : *At etiam de sanctitate, de pietate adversus deos, libros scripsit Epicurus.* LINDNER.

*Quanta monstra.* Vetus exemplar, *quam ta nra.* RIGALT. — Hic Rig. obscuræ ms. codicis scripturæ nimium intentus, edidit *qua in tam nostra*, et quod vix credibile, defendit etiam acriter (et explicat : *Christiani, qua sunt in urbes Italiæ, in P. R. provincias, in tam nostra diffusi*). Adeo cæco tenetur illius codicis amore. Scheffelus agnoscit peccatum librarii, sed minus felix est corrector, ita hunc locum censens restituendum : *At jam Christiani, quæ, mirum, monstra* (quod *mirum* tamen ante ista *monstra* ac *portenta* mirifice languet et sordet. *W.*). Ego DAVISIO subscribo, cui legendum videtur : *quanta monstra.* Proxime enim hoc accedit ad scripturam vetusti illius codicis. HEUM. Teste Rigaltio, Ferrarius et Priscianensis legunt : *quænam monstra.* Ouzelius : *At Christiani, quæ monstra.* Gronovius : *Christiani quam inania, quæ portenta confingunt?* et provocat ad Prud. in Cassiano : *Non est inanis aut anilis fabula.* Grunerus : *Quæ contra naturam, quæ portenta confingunt*, et probat ex Ciceronе de Nat. Deor. II, 5. *Tertium* (sc. deorum notionem posuit Cleanthes eam, quæ terret animos), *præter naturam hominum, pecudumque portentis.* LINDNER.

*In omnium mores.* Miratur Gronovius, qui Cæcilius Ethnicus dicere hæc potuerit, quibus siquidem Δίκης ἐρῶμεν τὰ πανθ' ὁρῶν, per omnia scripta celebrabatur. At ego optime scio, quomodo dicere potuerit. Dixit scilicet, ut epicureus, non ut ethnicus. Eodem modo providentiam exagitavit, quo Velleius apud Cicer. *de N. D.* I, 20. LINDNER.

*Toto orbi.* Aliæ editt. *toti orbi*, sed lectio, quam recipimus, est in ms. Reg., ut testatur Nic. Rigaltius, nec mutari sane debuit, quum eadem forma usi sint Apuleius aliique. Propertius, lib. III, *El.* IX, 57.

Septem urbs alta jugis *toto* quæ præsidet orbi.

Lactantius *de Phœnice*, V, 159 :

Æquatur *toto* capiti radiata corona.

Hyginus *Fab.* V. *Ob id Juno* toto *generi ejus fuit infesta.* In aliis hujusce formæ vocibus similia multa collegit G. J. Vossius in *Anal.* lib. IV, cap. 6. Vide et Janum Gulielmum ad Ciceronem *pro Quintio* cap. 1. DAVIS.

*Compage divisa.* Burmannum, qui ad Valerii Flacci lib. I, pag. 139, *divulsa* scribi jubebat, jure refellit Wopkenius adductis locis. Hegesippi, II, 9, extr. *a quo dirutis* divisisque *porticibus, templum separastis.* Cypriani de Unit. Eccl. p. 110, *qui scindit et dividit Ecclesiam Dei.* Firmici de Errore Pro. Rel. p. 19, *quis laceravit? quis* divisit? *quis membris ejus spulatus est?* Sic Prudent. *Peristeph.* hymn. X, 494, et XI, 93, et alii passim; atque ita *dispertire* pro distrahere, dilacerare, discerpere, supra cap. IX. LINDNER.

*Qua continetur et cingitur.* Repete ex antecedentibus *totus orbis et ipse mundus.* Ita Cicero de Nat. Deor. II, 57 : *Quæ* (natura) *primum oculos membranis tenuissimis vestivit et sepsit : quas primum perlucidas fecit; ut per eas cerni posset; firmas autem, ut continerentur* (repete :) *oculi membranis illis.* Conf. Wopken. *Lection. Tull.* II, 17. Fieri non posse, ut totus orbis rueret, Cæcilius exinde colligit, quod non ex omni latere apertus, ruinæque expositus sit, sed potius, instar castelli firmissimi, tanta mole undique contineatur et cingatur. LINDNER. — *Qua continetur et cingitur.* Meursius emendat, *qua continemur et cingimur.* Et sic edidit Cellarius. Nobis autem minore mutatione legendum placet, *quæ continetur et cingitur.* Cicero de Nat. Deor. lib. II, cap. 36 : *Terra sita in media parte mundi, circumfusa undique est hac animabili spirabilique natura, cui nomen est aer;*



Digitized by Google

adstruunt et annectunt; renasci se ferunt, post mortem et cineres et favillas: et nescio qua fiducia mendaciis suis invicem credunt; putes eos jam revixisse. Anceps malum, et gemina dementia! Cœlo et astris, quæ sic relinquimus ut invenimus, interitum denuntiare: sibi mortuis, exstinctis, qui sicut nascimur et interimus, æternitatem repromittere. Inde videlicet et exsecrantur rogos, et damnant ignium sepulturas; quasi non omne corpus, etsi flammis subtrahatur, annis tamen et ætatibus in terram resolvatur: nec intersit utrum feræ diripiant, an maria consumant, an humus contegat, an flamma subducat, cum cadaveribus omnis sepultura, si sentiunt, pœna sit; si non sentiunt, ipsa conficiendi celeritate medicina. Hoc errore decepti beatam sibi, ut bonis et perpetem vitam mortuis, pollicentur: cæteris, ut injustis, pœnam sempiternam. Multa ad hæc suppetunt, ni festinet oratio, injustos ipsos, magis nec laboro, jam docui: quamquam etsi justos darem, culpam tamen, vel innocentiam fato tribui sententiis plurimorum et hæc vestra consensio est. Nam quidquid agimus, ut alii fato, ita vos

## VARIORUM NOTÆ.

et cap. 40: *Omnia cingens et coercens* dicitur *cœli complexus*. Lucretius lib. v, pag. 614:

Denique jam tuere hoc circum superaque; quod omnem
Continet amplexu terram. DAVIS.

CAP. XI. — *Et cineres et favillas*, hoc est: *licet post mortem cinis et favilla sint* per appositionem. Multi enim in illa tyrannorum persecutione vel vivi comburebantur, vel, post violentam necem, illati in ignem, in cineres et favillas redigebantur. Hoc adeo mirum videbatur ethnicis, quod Christiani, etiam in cinerem redacti, se resuscitatum iri crederent. Heumannus non dubitat scribere: *e cinere et favilla*, quod præter necessitatem facit. Ideoque etiam comma post *ferunt* posui. LINDNER.

*Putes eos jam revixisse*. Hæc interpres Gallus ita vertit: *Vous diriez qu'ils sont déjà ressuscités*. Appelius autem in versione Germanica, Gallum cæco quodam impetu secutus, ita: *Wollet ihr sagen, es waren bereits etliche Wieder auserwecket*. Quo ipso nec Gallice nec Latine se intelligere profitetur. LINDNER.

*Sibi mortuis, exstinctis*. Non opus est ut cum Fulv. Ursino et Chr. Cellario reponamus, *sibi mortuis et exstinctis*: pari enim ratione dicit Noster cap. 3, 7: *Fluctibus tonsis emicaret, emergeret*, ubi frustra est J. Woverus, qui ultimam vocem glossematis suspectam habet. Arnobius lib. I, pag. 8: *Congelare, constringere sanguinis sui fervorem solet*. Et paulo post: *Perferre, sustinere flagrantissimos soles non potes*. Ac pag. 11. *Propulsare, defendere suas valeant contumelias*. Ita passim scriptor ille συνώνυμα coacervat. DAVIS. — Ita scripsisse Heumanno videtur Minuc.: *Morte extinctis*, ut apud Curt. III, 5, 10: *Ignobili morte extingui*. LINDNER.

*Annis et ætatibus*. Hoc est, cum annis et ætatibus, *mit der Zeit und mit den Jahren*. Nic. Heinsius *Advers*. lib. II, cap. 19, pag. 366, pro *ætatibus* scribebat *ætatis vi*. LINDNER.

*In terram resolvatur*. Gronovius videndum, ait annon ediderit auctor: *In auram resolvatur*, quia non agatur in hac disputatione de materia, in quam resolvatur cadaver, sed de reductione in nihilum, ut de eo sperari aliquid nequeat. Sed quis non videt nimis longe petita hæc esse. LINDNER. — Non est cur quidquam mutemus: nam corpora mortuorum terram fieri statuere Gentilium plurimi. Ita Sophocles, *Electra* v. 246. Epicharmus apud Plutarchum, *Cons. ad Apollon*. pag. 110, ait, γᾶν μὲν εἰς γὰν ἀπελθεῖν. Euripides *Hypsipyla*:

Αὐτός τε θνήσκει καὶ τέθ' ἁβδόται βροτοί,
Εἰς γὴν φέροντες γῆν.

Eos versus Latine reddidit Cicero *Tuscul*. lib. III, cap. 25. Vide Lactantium *Div. Instit*. lib. VII, cap. 12. DAVIS.

*Nec intersit*. Davisio prorsus legendum videbatur: *et intersit*, ob præcedens *quasi non*. Neque mirum. Aliter tamen sensisset, si observasset ἀμάρτημα Minucii nostri μνημονικόν, qualia observari debere a Criticis in *Arte* mea *Critica* dudum monui § 40, 41, 42 et 43. Putabat scilicet Minucius, antea se scripsisse, *cum omne corpus.... resolvatur*. Merito igitur non subscripsit Davisio Wopkenius. HEUM. — Est hæc observatio V. D. pererudita illa quidem, sed hoc tamen loco minus necessaria. Etenim *quasi non* efficit in interrogatione propositionem eam affirmantem, quam sibi in animo habuisse Minucium concepit Heumannus. LINDNER.

*Omnis sepultura*. Putabam olim legendum esse *ignis sepultura*, ob conficiendi celeritatem, siquidem corpus nulla, quam ignis sepultura, citius conficitur. Obstabat quidem, quod jam § 3, præcesserat *ignium sepulturas*. Obstabat, quod post *pœna* supplendum erat *quidem*, et ante *si* adversativa *sed*. Obstabat etiam, quod videbam, sub *omni sepultura* comprehendi sepulturam in visceribus ferarum, maris, humi, flammarum. Sed hæc leviora erant, quam quæ tam bellæ emendationis memoriam supprimerent. Jam vero video *omnem sepulturam* hic opponi *condituræ cadaverum* per aromata et unguenta ex more Ægyptiorum, unde fiebat, ut cadavera sero admodum conficerentur, licet ut Noster supra loquebatur, annis et ætatibus in terram resolverentur. LINDNER.

*Beatum sibi ut bonis*. Ita ediderat Gelenius, nec aliter scriptum in ms. Reg. Ibidem postea *mortui* pro *mortuis*. HERALD.

*Perpetem vitam. Perpetuam*, ut habent nonnullæ editt., ex glossemate. Festus: *Perpetem* pro *perpetuo* dixerunt poetæ. Et ita sane non raro loquitur Plautus; nec Poetæ solum sed etiam solutæ orationis scriptores. Cl. Mamertinus *Pan*. I, cap. 3, 4: *Noctes omnes diesque perpeti sollicitudine pro omnium salute transigere*. Et *Pan*. II, cap. 3, 4: *Perpeti cura quamvis compositum gubernat imperium*. Vide et Tertullianum, *Apol*. cap. 18. DAVIS.

*Injustos ipsos magis nec laboro*. Hæc verba duplicem sensum pariunt, prout *magis* vel ad antecedentia, vel ac consequentia refertur. *Injustus magis est injustior*, quæ loquendi ratio vel ex lexicis satis est nota. Hinc sensus est: *Injustiores ethnicis esse Christianos, non amplius demonstrabo, qui jam docui*. Et hæc explicatio optime convenit cum responsione Octavii cap. 35: *Tamen si vobiscum Christiani comparemur..... multo vobis meliores deprehendemur*. Deinde *magis nec laboro* est *non amplius laboro*, scil., docere *injustos ipsos*, esse. Heumanno hæc videtur vera esse auctoris scriptura: *Injustos esse ipsos, minimeque bonos, jam docui*. LINDNER.

*Culpam tamen vel innocentiam fato tribui sententiis plurimorum, et hæc vestra consensio est*. Hæc est lectio Reg. Gelenius ediderat, *etiam vestro consensio est*. Editio Rom. *Et hæc vestram*. Hæc igitur ait, nec bene nec male facta cuiquam imputari debere, cum ea fato tribuantur, qua de re plura observabamus ad Tertulliani *Apolog*. cap. 2. HERALD. Heumannus legit: *Tribuit sententia plurimorum. Et hæc vestra etiam consensio est*. LINDNER.

*Ita vos Deo dicitis*. Cellarius post alios edidit, *ita vos Deo addictis*. Minore mutatione reponi possit, *ita vos Deo dicatis*, id est, attribuitis. Tertullianus

Digitized by Google

Deo addicitis : sic sectæ vestræ non spontaneos cupere, sed electos. Igitur iniquum judicem fingitis, qui sortem in hominibus puniat, non voluntatem. Vellem tamen sciscitari, utrumne cum corporibus? et corporibus quibus? ipsisne an innovatis, resurgatur? sine corpore? Sine corpore. Hoc,[18] quod sciam, neque mens, neque anima, nec vita est. Ipso corpore? sed jam ante dilapsum est. Alio corpore? ergo homo novus nascitur, non prior ille reparatur. Et tamen tanta ætas abiit, sæcula innumera fluxerunt, quis unus ullus ab inferis, vel Protesilai sorte, remeavit, horarum saltem permisso commeatu, vel ut exemplo crederemus? Omnia ista figmenta malesanæ opinionis, et inepta solatia, a

## VARIORUM NOTÆ.

*Apol.* cap. 13. *Imperatoribus defunctis honorem divinitatis dicatis.* Iterum cap. 21 : *Nec tantum tamen honoris satis Romani dicaverunt.* Vide sis ejusdem libri cap. 28 et Sedulium, *Carm.* III, 88. Verum non est cur a ms. lectione recedamus, ut ea ostendent quæ de verbo *dicendi* monuerunt Heinsius ad Ovidii *Fast.* VI, 594, et Gravius ad Ciceronem *pro Flacco*, cap. 31. Davis. — Ne moveatur aliqua molestia optimo Minucio, dum maluit simplice uti, sed in significatione compositi ; quum perinde id amavisse Cyprianum probent *Observationes* paternæ cap. 3, *ad ecclesiasticos.* Et jam ediderat Cicero pro Flacco : *Doli*, inquit Valeria, *omnem pecuniam* dixerat. Et Plautus, Aulul. 9, 4, 14 : *Nempe huic dimidium*, dicit. Gronov. — Non video quomodo Davisius defendere potuerit *dicatis* adductis locis Tertulliani *Apolog.* 13 23. 27, nec Heumannus cum Cellario aliisque *addicitis* ex ejusdem Tertull cap. 14. Lindner.

*Sic sectæ vestræ non spontaneos cupere.* Ait Rigaltius Hellenismum esse, quum in rem hæc verba tamquam Suida adducit Ἐπιθυμῶν γενικῇ προαιρετικῶς ἔχων. At, præterquam quod vox antepenultima in isto scriptore non compareat, phrasis est Latinissima, nec casum genitivum, sed dativum regit. Cæsar lib. I, B. G. cap. 18 : *Favere et cupere Helvetiis.* Tullius Tiro apud Gellium *Noct. A.* lib. VII, cap. 3 : *Accusabantur quod adversus* P. R. *regi magis cupierint faverintque.* Sic etiam Terentius *Andr.* act. V. sc. IV. 2. Davis.

*Sed electos.* Paulus ad *Rom.* IX, 16 : Οὐ τοῦ θέλοντος οὐδὲ τοῦ τρέχοντος, ἀλλὰ τοῦ ἐλεοῦντος θεοῦ. Rigalt. — Totum hunc locum ita refingit : *Sic sectæ vestræ non spontaneos cupere, sed electos, fingentes, iniquum judicem fingitis*, etc. Sed nihil opus est, modo ex præcedentibus post *electos* subaudias *dicitis*, quamquam alia notione. Ita, Cic. lib. IX, Ep. 17, 6 : *Nos illi* (Cæsari) *servimus, ipse temporibus*, sc. *servit* Ubi alia est verbi notio, cum Cæsari *servire* dicas ; alia, cum temporibus *servire.* Lindner.

*Utrumne sine corpore, an.* Heraldus ex ms. Regio edidit : *Utrumne cum corporibus, et corporibus quibus ; ipsisne, an innovatis resurgatur?* sine corpore? *sine corpore hoc*, etc. Hic his positum *sine corpore* indicat, prius illud, loco non suo, esse positum. Unde Fulvius Ursinus hæc duo verba inserens inter *utrumne* et *cum*, loco mota restituit, non ex conjectura sua supplevit. Lindner. — *Utrumne cum corporibus?* Recentiores habent, *utrumne sine corpore, an cum corporibus?* Et ita quidem plenior ac rotundior fit oratio. Sed quum sola Fulvii Ursini conjectura nitatur illa lectio, nos ms. fidem sequendam duximus. Davis.

*Hoc, quod sciam*, etc. Sic loquitur, quia nihil animo potuit concipere, quod non erat corporatum. Eodem modo Velleius apud Cic. *de N. D.* lib. I. cap. 12 : *Quod vero sine corpore ullo Deum vult esse, ut Græci dicunt, ἀσώματον, id quale esse possit, intelligi non potest ; careat enim sensu necesse est, careat etiam prudentia, careat voluptate.* Et cap. 14 : *Cum autem sine corpore idem velit esse Deum, omni illum sensu privat, etiam prudentia.* Sed et sanctiores Philosophi, inferiores naturas ratione utentes, corporibus instructas esse censuerunt ; qua in sententia fuerunt Origenes aliique e Patribus, ut docuit P. D. Huetius, Origen. lib. II, *Quæst.* 5, *Sect.* 3 *sqq.*, et *Quæst.* 6, *Sect.* 13. Davis.

*Et tamen tanta ætas abiit.... fluxerunt.* Rescribit sine dubitatione : *At cum tanta ætas... abierit fluxerint*, Heum. Sed nihil opus. Sic. cap. 36 : *Et tamen facultates, si utiles putaremus, a Deo posceremus* ; 37, *Et imperator tamen, quod non habet, non dat;* 36. *Et tamen, qui potest pauper esse. Et hæc tamen nobis nata sunt.* Lindner.

*Quis unus ullus ab inferis.* Hoc habet a Minucio Lactantius lib. VII. *D. I.* c. 23, omissa dictione, *ullus.* Sed legitur in exemplari, etsi contrarium affirment qui excerpta sua venditant nimium credulis. Rigaltius. — Si verum esset, quod testatur Wow. scilicet ms non agnoscere τὸ *ullus*, omnia essent plana et cum Lactantii loco ex amussi convenirent. Sed, tantum abest, ut Herald. et Rigalt. sibi habeat consentientes, ut hæc potius Lactantium defectus postulet, et dictionem *ullus* in Lact. omissam. dicat legi in exemplari Regio Parisiensi. Sed cum Bonemannus, diligentissimus libb. et codd. pervestigator, nihil tale se deprehendisse testetur, est, de quo dubitemus. Sic Livio e Ciceroni frequens est *quis unus.* (Wouw. pro more suo fallitur : *ullus* in cod. adesse recte testantur Her. et Rigal. Edd.) De hoc paganorum contra resurrectionis fidem argumento vide præter Lactant. VII, 22, 10 ; etiam Theophili lib. I, *ad Autolycum* cap. 18 : φὲς γὰρ δεῖξόν μοι πῶν ἵνα ἐγερθέντα ἐκ νεκρῶν, ἵνα ἰδὼν πιστεύσω. Conf. *Lucæ* XVI, 27. *seqq.* Lindner.

*Horarum saltem.* Broukhusius ad Propertii lib. I, *Eleg.* XIX, 10, aliquid excidisse ratus, emendat : *Horarum saltem* paucarum *permisso commeatu.* Davisius vero *horarum saltem* III, quod refert Hycinus *Fab.* CXI ; idque fieri facile potuisse probat, ex similitudine notæ numeralis cum littera præcedente. Receptam tamen lectionem probe defendit Gronovius. En ipsissima ejus verba : « Quum de suavissima translatione vocis *commeatus* norit jam unusquisque, ex respectu sive castrorum, sive aulæ Cæsareæ, tum iste genitivus *horarum* ita solus declarat perfectionem maximam. Harum numerus in computando tempore apud Romanos non processit ultra duodecim ; unde ad exiguam temporis partem modo signandam, et quæ non ultra unum diem processerit, immo nec unum impleverit, recte arcessit auctor horas, non dies aut hebdomadas aut menses. Hanc mentem veritatis manifeste probat Lucianus in *Cataplo*, ubi dicit Megapenthes : οὐ πολὺν χρόνον, ὦ Μοῖρον, αἰτῶ, et opportune explicat Scholiastes Academicæ nostræ Bibliothecæ εἰς Πρωτεσίλαον ἀποσκώπτει, ut ita, quod Græci vulgo dicerent *non multi temporis commeatum*, is ab Minucio describatur *horarum* ; integerrime prorsus, præsertim quum etiam commeatus isti militares pro loci intervallo potuerint horis fuisse descripti, non modo diebus aut hebdomadibus. Ita et illas ipsas voces, ut plenissimas notavit quoque Cl. Pricæus ad illustrationem Apulei lib. II *Miles.* p. 114. Scilicet quum sic dicit *horarum*, ex veterе Latini sermonis, non subintelligitur vox *omnium*, sed *aliquot*..... Non, quod non interdum placuerit eis integrum id efferre, (sic enim Cicero, II *Orat.* 18 : *Locutus esse dicitur homo copiosus* aliquot *horas.* Suetonius, *Aug.* 56 : *Sedit in subselliis per* aliquot *horas*, et patet causa diversitatis satis liquide) aut quod non definire eas liceat certo appositio numero, quo contineantur ; sed id maluerunt facere in monendis spatiorum, quæ exacte nosci

Digitized by Google

poetis fallacibus in dulcedine carminis lusa, a vobis, nimirum credulis, in Deum vestrum turpiter reformata sunt.

## CAPUT XII.

ARGUMENTUM. — *Quid autem ipsimet Christianis post mortem eventurum sit, inde augurari possimus, quod nunc omni ope destituti, summis calamitatibus et miseriis premuntur.*

Nec saltem de præsentibus capitis experimentum, quam vos irritæ pollicitationis cassa vota decipiant: quid post mortem impendeat, miseri, dum adhuc vivitis, æstimate. Ecce pars vestrum et major [et] melior, ut dicitis, egetis, algetis, opere, fame, laboratis: et Deus patitur, dissimulat; non vult, aut non potest opitulari suis. Ita aut invalidus, aut iniquus est. Tu qui immortalitatem postumam somnias, cum periculo quateris, cum febribus ureris, cum dolore laceraris, non tum conditionem tuam sentis? A Non tum agnoscis fragilitatem? Invitus, miser, infirmitatis argueris, nec fateris? Sed omitto communia; ecce vobis minæ, supplicia, tormenta, et jam non adorandæ, sed subeundæ cruces: ignes etiam, quos et prædicitis, et timetis: ubi Deus ille, qui subvenire reviviscentibus potest, viventibus non potest? Nonne Romani sine vestro Deo imperant, regnant, fruuntur orbe toto, vestrique dominantur? Vos vero suspensi interim atque solliciti,[16] honestis voluptatibus abstinetis. Non spectacula visitis, non pompis interestis: convivia publica absque vobis; sacra certamina, præcerptos cibos, et delibatos altaribus potus abhorretis. Sic reformidatis deos, quos negatis. Non floribus caput nectitis; non corpus odoribus honestatis: reservatis unguenta funeribus: coronas etiam sepulB chris denegatis, pallidi, trepidi, misericordia digni, sed nostrorum deorum. Ita nec resurgitis miseri, nec interim vivitis. (IX) Proinde si quid sapientiæ vobis, aut verecundiæ est, desinite cœli plagas, et mundi fata

## VARIORUM NOTÆ.

refert, ut idem Suetonius in Nerone c. 33, de hædo, *postquam is* quinque *horas protraxit*. Id quod ad hanc fabulam conferri nequit, in qua, ut passim, narrandi est varietas. Displicuit etiam exacta determinatio temporis Nostro infra cap. 18 : *Omitto Persas*. At quis non gestivit et exultavit celebrare illos *septem Persas*... Locum Justini lib. II, cap. 14, *tam brevi* horarum *momento de victoria nuntiatum sit*, citat DAVIS.

*In dulcedine*. Præstaret *in dulcedinem* : nec credo tam sæpe Latinos, præsertim elegantiores, ablativo pro accusativo usos, quam casus hos permixtos a scribis. Sic certe Justinus lib. IV, 1 : *Hoc ab antiquis in dulcedinem fabulæ* compositum. WOPK.

*A vobis nimirum credulis*. Ita ms. et editt. Rom. Rigalt. Gronov. Davis. Sed Gelenius et Cellarius, *nimium credulis*, quod sententiam postulare Heraldus arbitratus est. Distingue : *a vobis, nimirum credulis, in Deum vestrum turpiter reformata sunt*. Ita nihil superest, quod offendere possit. GRUNER.

CAP. XII.—*Æstimate*. Male Cellar. edidit *æstimatis*. Recte Ouz. et Dav. et Gron., *æstimate*, quod et habet Romana editio. HEUM. — Addo, et ms. LINDNER.

*Egetis, algetis*, etc. In ms. est quidem *opere* uno verbo, sed divise proferendum, ut plerique ediderunt. Cæterum locus est sanissimus et planissimus *Egere* et *algere* conjungit etiam Jacobus II, 15, 16. *Ope laborare* est inopem esse, sive, ut loquitur Cic. *egere ope*. *Re laborare* est re familiari carere. *Fame laborare* habet Columella I præf. Exaggerat Christianorum paupertatem per exergasiam Cæcilius ethnicus. Miror, hunc locum a viris doct. fuisse tentatum : a Davisio qui rescribit, *ægretis, algetis, pauperie, fame laboratis;* Wopk. qui legit, *egetis, algetis, opere inani laboratis*. Heum qui locum sic restituit : *corpore et animo laboratis. Id Deus dum patitur et dissimulat, aut non vult, aut non potest opitulari suis*. LINDNER.

*Non vult aut non potest*. Pro *aut non vult*. Vide, quæ notamus supra cap. 1, it. cap. 34. LINDNER.

*Quum periculo*. Herald. Rig. ex ms. Baluz. Ursin. Wov. Lindner legunt, *cum querquero quateris;* i, e. algore et tremore. Pompeius Festus, aut interpolator Paulus: QUERQUERAM, *frigidam cum tremore, a Græco κάρηνα certum est dici*. Addit ex Lucilio, *Querquera consequitur febris, capitisque dolores*. Gellius lib. XX, cap. 1 : *Ægrotationem gravem cum febri rapida et quercera*. Est et apud Apuleium. Apolog. *querquerum*. Legunt autem *querquero* apud Minucium Fr. Balduinus, Fulv., Ursinus et Jo. Wowerus: contra, *periculo*, Heraldus et Rigaltius ex libris antiquis: quos sequerer, si commodum videretur ad dicendum, *periculo quati*, præsertim hoc loco, et in tali nexu verborum. CELLAR.—Consulatur de hoc morbo: Keuchenius ad *Samonicum*, pag. 269, qui tamen, cum *querquerar* dici vult, non *querquerum*, patrocinatur Lud. Carrioni *Emend.* lib. II, cap. 18, in Minucio nostro rescribenti *querquera*. HEUM.

*Et jam non*. Male in edd. quibusdam est, *etiam non adorandæ*. *Jam* sic sæpius intendit vim negativi *non*. Infra cap. 21 : *Hæc jam non sunt sacra; tormenta sunt*. Lactant. de Morte Persec. 19 : *Jam non pecorum, sed militum pastor*. Salvianus *de Gub. Dei* I, C pag. 17, edit. Brem.: *In Ægypto quippe tunc, jam non simplex tantum, sed multiplex*, etc. Sic ibi legerim cum vulgo, *tunc enim non*, etc. Paulinus Epist. ad Aprum : *Nec jam scholastico magis, quam divino sermone*. Justinus in Præfat.: *Quod ad te, non jam cognoscendi magis, quam emendandi causa transmisi*. WOPK.

*Coronas etiam sepulchris denegatis*. Primi Christiani abstinuerunt hoc ritu, ne quid commune cum nationibus haberent. Pagani enim sepulchra sertis ornabant. Propertius lib. III. *Eleg.* 16:

Afferet huc unguenta mihi, sertoque sepulchrum
Ornabit, custos ad mea busta sedens.

Et vetus poeta in Copa :

Quid cineri ingrato servas bene olentia serta ?
Anne coronato vis lapide ista tegi?

Hinc est quod inter crimina Christianis objecta, Justinus Martyr *Apolog.* II, pag. 68, refert, μὴ τοῖς ἀποθανοῦσι χοὰς καὶ κτίσας, καὶ ἐν ταφαῖς (ut *Meursius* emendat) στεφάνους καὶ θυσίας φέρειν. Posteriores autem recesserunt ab hac simplicitate. Prudentius *Cathemer.* Hymno X, Exsequiarum extremo :

Nos tecta fovebimus ossa
Violis et fronde frequenti,
Titulumque et frigida saxa
Liquido spargemus odore. CELL.

*Misericordia digni, sed nostrorum deorum*. Pro *sed* rescripsit *et* Jos. Fr. Gronovius *Observat. in Script. Eccl.* cap. 7, pag. 75, et Davisius *vel nostrorum*. Sed sana est lectio ms. Si quem ordo verborum offendit, legat : *Misericordia digni deorum, sed nostrorum*. Sic infra cap. 26 : *Angelos, id est, ministros et nuntios Dei, sed veri*, quod posset etiam esse : *nuntios, sed Dei veri*. Florus I, 1, 6: *Prior ille sex vultures, hic postea*, sed *duodecim videt*. Plinius 33, 3: *Antonius apud nos in contumeliam naturæ vilitatem auro fecit proscriptione dignum*, sed *Spartaci*. LINDNER.

Digitized by Google

et secreta rimari : satis est pro pedibus aspicere, maxime indoctis, impolitis, rudibus, agrestibus: quibus non est datum intelligere civilia, multo magis denegatum est disserere divina.

## CAPUT XIII.

ARGUMENTUM. — *Concludit tandem Cæcilius repudiandam religionem novam; nec de rebus dubiis temere pronuntiandum.*

Quamquam, si philosophandi libido est, Socratem sapientiæ principem, quisque vestrum tantus est, si potuerit, imitetur; ejus viri, quoties de cœlestibus rogabatur, nota responsio est: QUOD SUPRA NOS, NIHIL AD NOS. Merito ergo de oraculo testimonium meruit prudentiæ singularis, quod oraculum, idem ipse præsensit, idcirco universis esse præpositum; non quod omnia comperisset, sed quod nihil se scire didicisset: ita confessæ imperitiæ summa prudentia est. Hoc fonte defluxit Arcesilæ, et multo post Carneadis, et Academicorum plurimorum in summis quæstionibus tuta dubitatio; quo genere philosophari et caute indocti possunt, et docti gloriose. (x) Quid? Simonidis Melesii

## VARIORUM NOTÆ.

*Pro pedibus.* Hoc est, *quæ pro pedibus sunt.* Cicero de Divinat. II, 13: *Quod est ante pedes, nemo spectat: cæli scrutantur plagas.* LINDNER.

*Disserere divina.* Disserere de divinis. Ita Cicero *de Nat. Deor.* lib. III, cap. 40. *Ea quæ disputavi, disserere malui, quam judicare*: Sulpicius Severus, *Hist. sacr.* lib. II, cap. 28: *Reliqua vero ejus incertum pigeat an pudeat magis disserere.* Hieronymus in Jovin. lib. I, col. 147, edit. BB: *Præceptor meus Gregorius Nanzianzenus, virginitatem et nuptias disserens, Græcis versibus explicavit.* Idem Epist XXXI ad Pammachium: *Illam Apostoli περιοχὴν aliter disserere compelleris.* Sic et Tacitus aliique scriptores celeberrimi. DAVIS.

CAP. XIII. — *Quisque vestrum tantus est.* Sic ms. Haud tamen defuere qui emendarunt, *quisquis vestrum tantus est*: ac ita sane edidit Chr. Cellarius; sed nihil opus est ut ab exemplaris lectione recedamus. Prudentius *Peristeph.* Hymn. X, 214:

Junonis iram sentiet, *quisque* ut Deum
Signo aut sacello consecrarit Herculem.

Juvencus *Hist. Evang.* lib. I, pag. 35, ed. Lugd. 1553:

*Quisque* meis monitis, auresque et facta dicabit.

Et lib. II, pag. 45:

*Quisque* rigitur justæ repetit primordia vitæ,
Hunc similem, etc.

Symmachus lib. I, Epist. 52: *Quisque bonæ frugis est, in publicum commodum vendicatur.* Ubi vide Fr. Juretum, ut et ad Ambrosii *cont. Symmachum*, lib. I, pag. 318. IDEM.

*Si potuerit. Si poterit* video primum in Rigaltiana, cujus auctor, si id fecit ex fide codicis ms., recte est. Sed antea omnes, ab ipsa Sabæana, *si potuerit.* Sane quamvis cap. 15, *Si potest refutari;* at cap. 27, *infestare, si possis.* Ac licet digitum vix moveris, tamen ita maluit Tullius lib. II *Orat.* 20, dicere, *si potuero;* III, 22; *si non potueris.* GRONOV.

*Quod supra nos, nihil ad vos.* Hoc Socratis dictum memorant Lactantius lib. III, cap. 19, et Hieronymus in *Apolog. adv. Rufin.*, cap. 8. Vide Xenophontem lib. I *Memorab.* fol. 710; Theodoretum *contr. Græc.* Orat. IV, *de Mat. et Mundo*, fol. 60, et Gellium lib. XIV, cap. 3. ELMENHORST. — *Merito*, etc. Hoc est: Merito Socrates dixit: *Quod supra nos, nihil ad nos.* RIGALT. — Hoc fuit Apollinis de Socrate responsum:

Ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος.

Id memorant veterum plurimi, quorum testimonia collegit Ægid. Menagius ad Diogenis Laertii lib. II, § 37. DAVIS.

*Quod oraculum, idem ipse, præsensit, idcirco universis esse præpositum.* Ita exhibuimus verba ipsissima ms. Regii, et illa hoc modo intelligimus: *Oraculum* scilicet *idem ipse* Socrates, *præsensit, idcirco*, etc. Non adeo absurdum est virum sapientem *oraculum* appellari, cum ipse Cicero *de Orat.* lib. I, cap. 45, *domum Jurisconsulti totius* oraculum *civitatis* nuncupaverit. Ante infinitivum *esse*, supplendum est *se*, quod etiam fit ex more linguæ latinæ. Jam videamus conjecturas interpretum super hoc loco. Rigaltius: *Quod supra nos, nihil ad nos. Merito. Ergo de oraculo testimonium meruit prudentiæ singularis (quod oraculum idem ipse præsensit), idcirco universis esse præpositum, non quod,* etc. J. F. Gronovius in *Obs. ad Script. Eccl.* cap. 6, pag. 76: *Quod oraculum ipse præsensit: idcirco universis est præpositus*, etc. Gronovius filius: *Quid oraculum? idem ipse præsensit, idcirco*, etc. Ouzelius: *Quo oraculo ipse præsensit idcirco universis se esse præpositum, non quod*, etc. Wopk.: *Idcirco universis sese præpositum*, et ita explicat: *Cujus oraculi mentem idem ipse recte percepit; sese nimirum per illud ideo universis esse præpositum, non quod*, etc. Davis.: *Quo oraculo idem ipse persensit, idcirco universis sese præpositum*, etc. Gruterus: *Quod oraculum, idem ipse præsensit, idcirco*, etc., et addit, *Velle Minucium omnem a Socrate dissimulationem removere, quod et Justinus fecerit, in verbis ab Heraldo allatis.* Heumannus verba, *Quod oraculum.... præpositum* tamquam glossema delet, et ita vult legi: *Merito.... singularis: non quod..... didicisset*, etc. LINDNER.

*Ita confessæ. Confessio* alii. Ita et infra cap. 38, 1, *confessio timoris.* Ac res ipsa loquitur, peccasse librarium. HEUM.

*Academicorum plurimorum*, hoc est *numerosorum et variorum.* Plinius 9, 12; *Aquatilium tegmenta plura sunt.* Et omnino secta Academicorum numerosa erat. Numeratur enim Academia vetus, media, nova, quarta et quinta. Et hæ classes ac veluti capita plures itidem personas complectebantur. Davisius conjecit: *Academicorum, Pyrrhoniorum in summis*, etc., cum tamen *Pyrrhonii*, ut bene monet Wopk. facile intelligantur in *Academicis.* Heumanno rescribere placet: *Academicorum juniorum.* An vero per appositionem? Sed Arcesilas erat caput *Academiæ mediæ.* An vero Academicorum juniorum fit mentio præter hos duumviros a Cæcilio nominatos? Sed erat Carneades assecla *Academiæ novæ.* Et annon Academiæ veteri æque placuit *de singulis dubitare* ac *novæ* sive *juniori*? LINDNER.

*Simonidis Melesii.* Undenam nemine contradicente editores omnes usque ad novissimum legerint: *Simonidis Melici*, latet. Nec sanius ipsemet Lindnerus scripsit, etsi hæc in Notis habeat. Ita scriptum in ms. Reg. Et sane voces istas repetere amat Minucius, hoc modo infra cap. 19: *Sit Milesius Thales omnium primus, qui de cœlestibus disputavit. Idem Milesius Thales rerum initium aquam dixit.* Sic Apuleius Miles. 1: *Thessaliam, nam et illic originis maternæ nostræ fundamenta a Plutarcho illo inclyto, ac mox Sexto Philosopho, nepote ejus, prodita, gloriam nobis faciunt: eum Thessaliam ex negotio petebam.* Sed ejusmodi repetitiones apud ipsum Cæsarem memini me sæpius observare. HERALD. — Sic cap. 22: *Saturnum enim principem hujus generis et examinis omnes scriptores vetustatis, Græci Romanique hominem prodiderunt.* — *Is itaque Saturnus, Creta profugus*, etc. cap. 26: *Spiritus sunt insinceri, vagi, a cœlesti vigore terrenis labibus et cupiditatibus degravati. Isti igitur Spiritus, posteaquam*, etc., et cap. 27: *Isti igitur impuri spiritus* Cap. III, 7, *testam teretem jactatione fluctuum levigam legere de littore, eam testam plano situ digitis* etc., C. Nepos, Eumene III, 3: *Eumenes quum neque magnas copias, neque firmas haberet.* — *Eumenes igitur intelli-*

Digitized by Google

nonne admiranda omnibus et sectanda cunctatio? qui Simonides, cum de eo, quid et quales [17] arbitraretur deos, ab Hierone tyranno quæreretur, primo deliberationi diem petiit, postridie biduum prorogavit, mox alterum tantum, admonitus, adjunxit: postremo, cum causas tantæ moræ tyrannus inquireret, respondit ille, quod sibi, quanto inquisitio tardior pergeret, tanto veritas fieret obscurior. Mea quoque opinione, quæ sunt dubia, ut sunt, relinquenda sunt: nec, tot ac tantis viris deliberantibus, temere et audaciter in alteram partem ferenda sententia est, ne aut animis inducatur superstitio, aut omnis religio destruatur.

## CAPUT XIV.

ARGUMENTUM. — *Non sine animi elati fastidio provocat Octavium Cæcilius, ut argumentis suis respondeat. Cui Minucius modeste respondet, de sua haud mediocri eloquentia, deque concinna orationis varietate non esse ipsi exultandum.*

Sic Cæcilius, et renidens (nam indignationis ejus tumorem effusæ orationis impetus relaxaverat): Ecquid ad hæc, ait, audet Octavius, homo Plautinæ prosapiæ, ut pistorum præcipuus, ita prostremus philosophorum? Parce, inquam, in eum plaudere; neque enim prius exultare te dignum est concinnitate sermonis, quam utrimque plenius fuerit peroratum; maxime quum non laudis, et veritati disceptatio vestra nitatur. Et quamquam magnum in modum me, subtili varietate, tua delectaverit oratio, tamen alius moveor, non de præsenti actione, sed de toto genere disputandi: quod plerumque pro disserentium viribus, et eloquentiæ potestate, etiam perspicuæ veritatis conditio mutetur. Id accidere pernotum est auditorum facilitate, qui, dum verborum lenocinio a rerum intentionibus avocantur, sine delectu adsentiuntur dictis omnibus: nec a rectis falsa [18] secernunt, nescientes inesse et incredibili verum, et in verisimili

## VARIORUM NOTÆ.

*gebat;* ad quem locum videatur Boeclerus. LINDNER.

*Quid et quales.* Sic supra cap. 17, *Hominem nosse se et circumspicere debere, quid sit, quare sit.* LINDNER.

*In alteram partem.* Non est cur *alterutram* velis pro *alteram* (ut fecit Davisius): quod posterius sæpissime pro priore adhibetur a Latinis. Supra, cap. 5, *Ut libram teneas, æquissimi judicis, nec in alteram partem propensus incumbas.*, Cicero Acad. II, 43: *Non potest igitur uterque esse sapiens,.... sed alter.* Plura depromi exempla ex Fabri Thes. Tursellino de Part. Freinshemii Indice in Florum, et aliunde possunt. WOPK.

*Homo Plautinæ prosapiæ.* Et tamen adhuc hæret illius animo diracitas Octavii, Cæcilium tam C luculento die impegisse in lapides, eo quod in Ostiensi littore lapidem unctum et effigiatum Ethnicorum adorasset. Itaque Octavium suum allo sale defricat; et *Hominem* esse dicit *Plautinæ prosapiæ:* quod prima quidem fronte ad Plautinos tantum jocos referri videatur. At subinde illum ipsum hominem Plautinum in pistrinum trudit, ubi tres fabulas scripsisse M. Accium Plautum Varro et plerique alii tradiderunt. Hoc vero pistrinensis militiæ probrum torquet in Octavium Cæcilius ob religionis christianæ simplicitatem, cujus sequaces magna pars erant idiotæ et opifices, ut pistores, sutores et id genus alii. Ait igitur Octavium esse quidem inter pistores Christianos præcipuum, at inter philosophos postremum. RIGALT. — Hanc olim tritam fuisse proverbii formulam testantur hæc sat frequentia apud D. Hieron. *Inventæ sunt Plautinæ familiæ*, Epist. XXVII..... *Plautinæ familiæ columen* Epist. XLVII. EDD.

*Parce in eum plaudere.* Cæcilium Minucius jam repercutit *Plautina prosapia. Parce*, inquit, *in eum plaudere.* Quasi diceret: Noli in Octavium nostrum latrare cum illa tua Plautina, sive latrante prosapia. Et est jocus duplex. Nam peracta comœdia solent actores plausum petere. Hic Cæcilius sibi plaudit in odium et infamiam Octavii. *Plausus* autem datur complausis sive complosis manibus; et *plautiores conchæ* dicuntur quæ sunt ad plausum aptiores; et *plauti canes* quorum aures dependulæ, flaccidæ et latiores applaudunt capiti. RIGALT.

CAP. XIV. — *Plenius.* Gronovius legi vult *penitus*, sed frustra. Latini *plenum* dicunt, cui nihil deest, de qua significatione vocis plura damus ad Aur. Victor. *Orig. Gent. Rom.* XII, 12. Inde *plene* dicitur pro *omnino.* CXC. ad *Qu. Fratr.* I, 1, 15 s. *hoc* plene *vitare non potes.* Justin. XI, 11, 9. Hinc apud Minucium, *quam utrimque plenius et omnino fuerit peroratum.* Ad comparativum quod attinet, potest expoui per positivum. Sed accuratiores volunt, semper debere unam, vel plures voces subintelligi. Vide Sanctium et Perizonium in *Minerva* II, 16. p. m. 219. In Minucii verbis poteris *quam adhuc* subaudire. GRUNER.

*Non laudis et veritati*, ms. R. Unde Herald. *laudi, sed veritati.* Alii *laude. sed veritate.* EDD. Heumannus legit *plausu*, quia paulo ante dixerat: *Parce in eum plaudere.* Sed signum *laudis* est *plausus.* LINDNER.

*Subtili varietate tua delectarit oratio. Subtilem* Cæcilii *varietatem* dicit Minucius, quam mox Octavius dicet *subtilem variationem et vacillationem*, quæ proxime accedat ad cavillationem et versutiam. RIGALT.

*Pro disserentium viribus.* Scribo *disserendi viribus*, quia sequitur *eloquentiæ potestate.* HEUM. Pro disserentium viribus nonnunquam bona causa male; et mala causa bene defenditur. Et ea *vis* omnis posita est in pondere argumentorum et sententiarum. Attamen argumenta neque sola neque ubique vim suam exeunt, nisi elegantia verborum simul contineantur. Si quidem *eloquentiæ* ea est potestas, ut auditoris animum afficiat, eumque præclaro dicendi genere commodum, elatum, perculsum, in admirationem et assensum abripiat. LINDNER.

*Sine delectu.* Ita ms. Reg. et Editio Rom. Alii *dilectu.* LINDNER.

*A rectis.* Bene se habere vocem *rectis* existimo, secus quam judicabat Jac. Gronovius, dum corrigit *certis. Recta* enim dicta sunt *vera sincera, nihil ficti habentia*, adeoque *falsis* contraria. Sic infra cap. XVI, 9: *Sermo.... non fucatur pompa facundiæ, sed, ut est,* recti *regula sustinetur.* Plautus cap. 5: Recta *et vera loquere.* WOPK. Cicero *de Amic.* cap. 10, *Ab amicis, quod* D rectum *non est, postulare.* Et c. 11, *si* rectum *statuerimus, concedere amicis quicquid velint.* Idem lib. III *de Offic.* cap. 11. Rectum *est* (h. e. *verum est*) *id non licere.* Ovidius, Metam. VII, 72, *rectum pietasque pudorque.* Apparet hinc, *rectum* dici et id quod honestum est, et id quod verum. Quid? ipse noster Minucius in clausula hujus capitis ait, *ea quæ* recta *sunt, eligere et probare* nos oportere. HEUM.

*In incredibili.* In exemplari legitur, *et incredibili.* Sed mens auctoris poscit ut duas syllabas intelligamus in unam fuisse contractas antiquario more, quem supra notavimus. Ut *inesse in verisimili mendacium* dixit Minucius, ita sane dixerit *inesse in incredibili verum.* Incredibile est, Deum hominem factum esse et crucifixum. Incredibile est, fore ut corpora mortuorum, sive cremata, sive sepulta, etiam post multa sæcula, reviviscant. Et tamen isthæc, quamvis incredibilia, vera sunt. Rursus: Verisimile est, non esse deum, aut non agere curam rerum humanarum, aut si ageret, fore ut

mendacium. Itaque quo sæpius asseverationibus creduntur, eo frequentius a peritioribus arguuntur : sic assidue temeritate decepti. Culpam judicis transferunt ad incerti querelam, ut damnatis omnibus malint universa suspendere, quam de fallacibus judicare. Igitur nobis providendum est, ne odio identidem sermonum omnium laboremus, ita, ut in execrationem et odium hominum plerique simpliciores efferantur. Nam incaute creduli circumveniuntur ab his, quos bonos putaverunt : mox, errore consimili jam suspectis omnibus, ut improbos metuunt etiam, quos optimos sentire potuerunt. Nos proinde solliciti, quod utrimque in omni negotio disseratur, et ex altera parte plerumque obscura sit veritas, ex altero latere mira subtilitas, quæ nonnumquam ubertate dicendi, fidem confessæ probationis imitetur : diligenter quantum potest, singula ponderemus, ut argutias quidem laudare, ea vero quæ recta sunt, eligere, probare, suscipere possimus.

## CAPUT XV.

ARGUMENTUM. — *Regerit Minucio Cæcilius non sine aliqua læsi animi significatione, ipsum religiosi judicis officio recedere, dum suæ disputationis vires infirmat. Integrum, Octavio esse ea omnia, quæ in medium protulerat, confutare.*

Decedis, inquit Cæcilius, officio judicis religiosi ; nam perinjurium est, vires te actionis meæ, intergressu gravissimæ disputationis, infringere cum Octavius integra et illibata habeat singula. Si potest reputare ; id quod

## VARIORUM NOTÆ.

pollueretur tam tristi atque multiplici ministerio. Item verisimile est morte omnia humana finiri. Et tamen hæc, etsi verisimilia sint, falsissima sunt. RIGALT.

*Culpam judicis transferunt ad incerti querelam.* Sana non est hæc lectio : nam de multis judicibus agit Minucius Ideo Wowerius reponit *culpam judicii*. Meursius et Cellarius emendant, *culpam* judices *transferunt ad incerti querelam*. Mihi languere videtur sententia, nisi forsan addito pronomine legatur : SUAM *culpam* JUDICES *transferunt ad incerti querelam*. Ausonius in *Cupid. crucif.* v. 64 :

Transferunt ut *proprias* aliena in crimina culpas.

Sallustius *Jug.* cap. 1 : SUAM *quippe culpam auctores ad negotia transferunt*. Sic *metum a scelere* suo *ad ignaviam vestram transferre* dixit idem c. 34. DAVIS.— Ita Heum. explicat : *Cum suam judicandi temeritatem accusare deberent, ex eo, quod falluntur sæpius, concludunt, nihil esse recti, sed esse perpetuo dubitandum de omnibus.* Sed in ms. est *judiois*, quod bene se habet, exponente Gronovio ad h. l. *Culpa* enim *judicis* est quam judex admittit remissa intentione in auditu, vel, dum in audiendo animo est omisso, aut omissior ab actione dicentis, ut Terentius loquitur notante patre lib. III *Observat.* cap. 7, et idcirco in judice vitari debet vitium, quod in sola judicis persona committitur, transferunt ad rem et materiam, quam queruntur plenam fuisse caliginis et obscuritatis et incerti, quam penes ipsum judicem sit causa difficultatis vel caliginis. Estque prorsus eadem pronuntiatio, qua utitur Sallustius loc. cit. LINDNER.

*Ut damnatis omnibus.* Lego, *ut ampliatis*. MEURS. Sed *ampliatis* idem est, quod *suspensis*, quum debuisset alia quædam vis esse in isto participio et diversa ab verbi *suspendere* significatione; immo cur voluit tam fatue abundare, ut diceret, *ampliatis omnibus malmi universa suspendere*, quam *ampliare universa malint*, vel *suspendere universa malint? Damnatis* autem est rejectis, alienatis, sepositis propter difficultatem penetrandi non ad aliquod tempus, sed in perpetuum. GRONOV. — Si quid tamen mutandum est, malim ego : *damnatis opinionibus*. Opiniones enim sunt *incertæ*, sunt *fallaces*, et recte opponuntur certitudini. LINDNER.

*Laboremus*; *ita ut*, etc. Lege et distinguo : *laboremus ita ut, in exerrationem*, etc. A Gellius *N. A.* lib. IV, cap. 8 ; *Id autem, quod supra scripsi Fabricium de Corn. Rufino*, ita ut *in pleraque historia scriptum est, dixisse*. Et lib. IX, cap. 14 : *Libris pluscula ita, ut Cæsellius ait, scriptum inveni*. Sic et Noster infra locutus est. DAVIS.

*Efferantur.* Davisius mutat in *efferuntur*. Male. Est enim verbum *efferare*, non *efferre*. In geminum Livii locum V, 27 : *Efferati odio iraque*. Hoc si animadvertisset Wopk. non verborum tantum frustra consumpsisset, refutando Davisium et ostendendo, haud raro ita per subjunctivum at infinitum obliquari orationem, quæ proprie recta esse deberet. HEUM.

*Nam incaute creduli.* Heum. non dubitat, ita scripsisse Minucium : *Nam dum incaute* etc. Et hæc emendatio minus est necessaria, ad summum particula *dum* potest intelligi. LINDNER.

*Solliciti.* Hoc verbum cum hoc loco sit alienum, scribo *soliti* : eumque nunc desideretur verbum infinitivum, sic lego : *Nos proinde audire soliti*. Sensus : Nos, qui in foro causas agimus, audire consuevimus, quod utrimque, etc. HEUM. Bene se habet lectio recepta ms. ; *sollicitus* enim est *dubius, attentus*. Cicero pro domo 96 : *Suspensa atque sollicita tota civitate*. Idem de Amic. 52 : *Suspecta ac sollicita semper omnia in vita tyrannorum*. Livius, V, 47 : *Canes, sollicitum animal, ad nocturnos strepitus*. LINDNER.

*Ex altero latere.* Ita ms. Rom. E. *lateat*. Supple *sit*. *Ex altero latere mira* (sin) *subtilitas*. Heumannus, quamquam dubitanter, scribit tamen *luceat*. Emendatio Fulvii Ursini, quæ est in Ed. Romana, mihi, fateor, perplacet. LINDNER.

*Suspicere.* Fortasse *suscipere*. Sic cap. 6, 7 : *Dum universarum gentium sacra* suscipiunt. Sed et sic gradatio satis bene procedit. Est enim *suspicere* plus, quam probare. Sed jam video, ita Heraldum ex ms. Regio edidisse, ut adeo nesciam, unde Cellarius verbum *suspicere* hauserit, prorsus tollendum. LINDNER.

CAP. XV. — *Si potest*, etc. Reg. ms. *reputare*. Locus non videtur sanus ; et fortasse scriptum fuerit : *Cum Octavius integra et illibata habeat singula, si potest refutare. Id quod*, etc. HERALD.—Interpunxerim.... *habeat singula, si potest, refutare*, id est, *habeat refutanda*. Nisi potius *habere* pro *debere* dixerit, aut, quod malim *debeat* legendum sit. WOPK.—Inspectio hujus loci accuratior me perduxit ad hanc emendationem : *Si potest, refutabit crimina, quæ in commune, nisi fallor, compendium protuli*. Significat Cæcilius illa crimina quæ adhuc in Christianos contulerat. Hæc, inquit, *in commune compendium protuli*, h. e. breviter et compendiose recitavi, putans, id tibi pariter et mihi fore commodum. HEUM. — Hunc locum equidem sic intelligo : Si Octavius, *potest refutare id, quod* tu, Cæcili, *criminaris*, i. e. crimini das Christianis, *in commune*, tribus nobis *compendium protuli* (profui.) Neque tamen lectio adeo perplexa est, ut sensus prorsus nullus exsculpi queat. Mihi certe ita exponi posse videtur : *Si* Octavius, qui justiorem irascendi mihi haberet causam *potest reputare* ea, quamvis diversa sint, quæ tibi dicta sunt cap. 16 ; etiam post longiorem interpellationem meam, qua intercedente, alii fortasse objectiones, ad quas respondere debebat, excidissent ; *id, quod criminaris*, vitio mihi vertis, affirmando perinjurium esse vires actionis tuæ intergressu gravissimæ disputationis infringere *in commune compendium pro-*

Digitized by Google

criminaris, inquam, in commune, nisi fallor, compendium protuli, ut examine scrupuloso nostram sententiam non eloquentiæ tumore, sed rerum ipsarum soliditate liberemus : nec avocanda, quod quereris, diutius [19] intentio, cum toto silentio liceat responsionem Januarii nostri, jam gestientis, audire.

## CAPUT XVI.

ARGUMENTUM. — *Suam itaque orditur responsionem Octavius : seque veracium verborum flumine amarissimam conviciorum labem diluturum confidit. Dehinc ad infirmanda singula Cæcilii argumenta digreditur.*

*Primum itaque statuit, nemini ægre ferendum quod Christiani quantumvis indocti, de cœlestibus rebus disputent : non enim disputantis auctoritas, sed disputationis ipsius veritas est spectanda.*

Et Octavius : Dicam equidem, ut potero, pro viribus; et adnitendum tibi mecum est, ut conviciorum amaris simam labem verborum veracium in flumine diluamus. Nec dissimulabo principio ita Natalis mei errantem, vagam, lubricam nutasse sententiam, ut sit nobis ambigendum, utrum tua eruditio turbata sit, an vacillaverit per errorem. Nam interim deos credere, interim se deliberare variavit, ut, propositionis in-

## VARIORUM NOTÆ.

*tuli; τὸ, inquam*, certe declarat, orationem, quæ incipit a *si potest*, esse M. Minucii Felicis. Planior tamen esset oratio, si *inquam* positum esset post *reputare*, LINDNER.

*Toto silentio*. Rescribo *tuto*. Sic supra cap. XIII, 3, *tuta dubitatio*. HEUM. Est vero *tuta dubitatio*, ob periculum errandi. Unde vero illi periculum, qui verbo silentia rumpit? *Totus* hoc loco est *omnis*. Sic infra cap. XXIII, 6 : *Plures* totis *hominibus deos haberemus;* XXVIII, 8 : Totos *asinos in stabulis, cum vestra Epona consecratis*. Vell. Paterc. II, 109, 2 : *Totumque, ex male dissimulato, agebat æmulum*. LINDNER.

*Jam gestientis*. Eloqui, scilicet. RIGALT. — Corporeo motu demonstrantis, se verba facturum : nam *gestire* proprie est *sensum corporis gestu indicare*, prout monet Donatus ad Terentii *Eunuch*. act. III, scen. V, 7. Hinc oratorie Cicero *pro Marcello* cap. 3 : *Parietes medius fidius, ut mihi videtur, hujus curiæ, tibi gratias agere gestiunt*. DAVIS.

CAP. XVI.—*Ut potero pro viribus*. Duas priores voces glossematis suspectas habet Jos. Wowerus et duas posteriores Heumannus, L. Immerito quidem, ut opinor, cum scriptores Africi phrases ejusdem significatus non raro geminent conjungantque. Arnobius lib. II, pag. 42 : *Passim, sine ullius personæ discriminibus*, ubi postremis verbis primum explicatur, ut observavit Des. Heraldus. Sic et lib. VII, pag. 225 : *Esseque in usibus vestris*, alimoniarum in parte *jusserunt*. Sane quæ Romano charactere signantur, pari jure possent ejici. DAVIS. Sic Florus II, 2, 5 : *Statimque ac sine mora* : conf. II, 3, 1. It. II, 8, 12 : *Statim et e vestigio*. Cicero lib. VIII Ep. 4, 4 : *Quod eum non mediocriter Cæsar.... valde contempsit*. LINDNER.

*Adnitendum tibi mecum est*. Ambigua oratio, Minucio sit adnitendum, an Cæcilio. Sed vultu gestuque dicentis tolli potuit omnis ambiguitas; si conversus ad Cæcilium hæc dixerit Octavius. Quod sane factum videtur. RIGALT. — Ex parte contraria, nihil mihi certius videtur, quam Minucium intelligi; præterquam enim, quod is ultimus verba fecit, ac proinde sermo cum respiciat necesse est, cui nisi Christiano convenit, *conviciorum*, quæ profuderat Cæcilius, *amarissimam labem, verborum veracium flumine diluere?* Omnes, nisi fallor, mecum sentient, et lapsum Rigaltium fatebuntur. DAVIS.

*Verborum veracium in lumine* scriptum in ms. Reg. et editione Rom. Gelenius ediderat *lumine*. Suspicantur alii *flumine*. HERALD.— *Flumine* Fulv. Ursinus, idque recte. Nam 1° *labes* non *in lumine*, sed *flumine* sive aqua, sive quo alio fluido diluitur. Seneca *Hippol*. 890 : *Labem hanc pudoris eluet noster cruor*. 2° *Flumen orationis et verborum* notum est apud scriptores optimos. Contra *lumina orationis* diversum quid significant. 3° Natura verbi *diluamus* hoc postulat. Nam quod *colores* et *odores* diluuntur; hoc longe fit alia notione. 4° Non est dubium quin in mente habuerit Ciceronis locum lib. II *de Natur. Deor.* cap. 7 : *Orationis flumine reprehensionis vitia diluuntur*. Conviciorum amarissima labes, hoc est, *conviciorum amarissimorum labes*. LIDNER.

*Ita Natalis mei..... sententiam*. Obliqua oratione affatur Cæcilium Natalem. RIGALT. — Dubitat Valerius, an hic Cæcilius Natalis qui disputatione Octavii ad Christi fidem conversus est, idem sit cum Natali, de quo Cajus Romanus apud Eusebium *Hist. Eccl.* lib. V, cap. 28. Nomen certe convenit, inquit, et tempus atque professio.

*Nutasse*. Percommodo verbo usus est Cicero *N. D.* I, 43 : *Nutare videtur in natura deorum*. Marc. Capella lib. I, pag. 9 :

Anxia cum trepidis nutat sententia rebus.

Sic et *nutantem fidei gressum* dixit Juvencus *Hist. Evang*. lib. III, p. 80; vide et p. 93. Franc. tamen Juretus ad lib. II Ambrosii *contra Symmachum* pag. 330, ex edit. Romana reponit *mutasse* h. e. *mutatam esse sententiam*, nec negari quidem potest, ita locutos esse veteres, ut ostendit etiam. Jac. Palmerius, *Spicil*. in Sallustium, pag. 300. Sed, cum recepta lectio multo sit elegantior, alteram illam meudo typographico irrepsisse putaverim, præcipue, quod hanc varietatem minime notent ii, qui unicum ms. diligenter tractarunt. DAVIS.

*Utrum tua eruditio*. Ita ex ms. Regio ediderunt Herald. et Rigalt. Estque Enallage personarum, qua oratio ex obliqua mutatur in directam, ut *Actor*. I, 4, quod tum fieri in primis consuevit, ubi ista tertia persona, adest, in Minucio. GRONOV. Ita Cæsar *de B. G*. II, 32. *Dimisso concilio curio, concionem advocat militum, commemorat, quo sit eorum studio usus, ad Corfinium, Cæsar*. Et post nonnulla : *Vos enim vestrumque factum*, inquit, *omnia deinceps municipia sunt secuta*. Vid. Bergerus *de Naturali Pulchr. Orat*. pag. 208. Cellarius aliique legunt *sua*, sed et sic est contra reciprocorum legem, cum debebat esse *ejus*, scilicet Cæcilii. LINDNER.

*Eruditio turbata sit*. Vel lege, *fucata sit*. Cap. XVI, 9 : *non* fucatur *pompa facundiæ et gratiæ*. Eruditio enim *fucata* versutia, subtilitate, dolo, opponitur *vacillanti* per errorem. Hanc innocentem, non veteratoriam illam, in Natale suo, agnoscit Octavius. Fraudis enim est, *variare, ut propositionis incerto, incertior responsionis intentio fundatur*. Sed vacillat per errorem, qui *in triviis hæret anxius, nec singulas audet eligere, nec universas probare*. Vel quod magis placet, supple *studio* et *consilio*, ut justa sit oppositio inter eruditionem *turbatam studio*, et, *vacillantem per errorem*. LINDNER.

*An vacillaverit per errorem*. Ethnicum scilicet. Quam pene transpositis litteris scripsit, *an cavillaverit*. Ut *cavillare* seu *cavillari* dicuntur sontes, cum sui copiam non faciunt, cum frustrantur et subterfugiunt. In veteri glossario *Vacillator* dicitur συκοφάντης. RIGALT.

*Variavit*. Lib. XXVII, cap. 27 : *Si, quæ de Marce..*

Digitized by Google

certo, [in]certio[r] responsionis nostræ intentio fundaretur. Sed in Natale meo versutiam nolo, non credo: procul est ab ejus simplicitate subtilis urbanitas. Quid igitur? Ut qui rectam viam nescit, ubi, ut fit, in plures una diffunditur, quia viam nescit, hæret anxius, nec singulas audet eligere, nec universas probare; sic cui non est veri stabile judicium, A prout infida suspicio spargitur, ita ejus dubio opinio dissipatur. Nullum itaque miraculum est, si Cæcilius identidem in contrariis ac repugnantibus jactetur æstu et fluctuetur: quod ne fiat ulterius, convincam, et redarguam, quamvis diversa sint, quæ dicta sunt; una veritate confirmata probataque, nec dubitandum ei de cætero est, nec vagandum. Et

## VARIORUM NOTÆ.

*morte* variant *auctores*, *omnia exsequi vellem*. Ibidem: *Ita fama* variat, *ut tamen plerique tradant*, etc. Idem lib. II, cap. 57: *Timon atque ira invicem sententias* variabant Ovidius. *Metam.* XV, 618, *Dissidet et* variat *sententia*. Apparet hinc, pro *variavit* injuste rescribere *declaravit* Wopk. in *Obs. misc. crit.* tom. X, lib. I, p. 29. HEUM.

*Incertior responsionis nostræ intentio*. In ms. legitur *certio*, pro *certior*, quum non solerent repetere eamdem litteram, ut sæpius patet ex Pandectis. GRONOV.—Addo *in* esse omissum, quia antea in *incerto propositionis* B jam adfuerat, et subscribo Rigaltio, qui restituit negativam, quæ exciderat, et est, ad Octavii mentem necessaria. Heumannus legit *nec certius*, quod tamen vix verosimile. LIND.—Restitui compositionem negativam quæ exciderat, et est ad Octavii mentem necessaria. Ait enim, Cæcilium subtili vacillatione per ethnicum errorem interdum deos credere, interdum addubitare an ulli sint: ut per hac variationem et per incertum suæ propositionis, sive per incertam propositionem suam, incertum reddat Octavianæ responsionis fundamentum. Hoc versutiam mox dicet Octavius. RIGALTIUS.—Rigaltio non assentior; nec tamen ex omni parte sana videtur ms. lectio: nam, nisi fallor, prorsus repugnat: UT *propositionis incerto, certior responsionis intentio fundaretur*. Si aliter se res haberet, propositionum variatio non *versutiæ*, sed *stultitiæ* suspicionem deberet inferre. Hæc incommoda vitabuntur, si modo legamus: NE *propositionis incerto*, *certior responsionis nostræ intentio fundaretur*. Istæ voculæ crebro sunt a librariis confusæ. Lactantius *Div. Inst.* lib. II, cap. 1: UT *id, cui dominari debet, imitetur*. In aliis cod. est: NE *id..... dominetur*, etc. DAVIS.

*In Natale meo*. Scribo, *Natali meo*. MEURS.—Scribe *Natale*. Sic, a *Juvenalis* et *Martialis* ablativus est *Juvenale*, *Martiale*. Vid. Vossius. lib. II *de Analogia*, cap. 11, pag. 295. De quodam Romano Consule *C. Bellico Natale* vid. Gorius in Annot. ad *Inscriptiones Florentinas P.* I, pag. 259. Nostrum Cæcilium *Natalem* invenisse sibi videbatur Valesius in Eusebii *Hist. Eccl.* lib. V, cap. 28. Sed jure id reliquit in medio. HEUM.

*Nolo, non credo*. Posterius ut glossema, delet Heum, quia *nolo* idem esset, quod *non credo*, *non statuo*. Sed sunt tamen diversa. *Versutiam nolo*, quatenus omnia bona de aliquo spero; et, si vel maxime aliquis contrarium testetur, tamen *non credo*. LINDNER.

*Simplicitate*. De hac simplicitatis notione videndus est Jo. Clericus ad Pedonis Albinovani *Eleg.* II, 22. Ac ita sane ediderunt Sigism. Gelenius, Laur. Barrensis, alii (pro eo, quod est in ms. *subtilitate*, *simplicitate*); minimeque arrident ea quæ in hunc locum conatus est Nic. Rigaltius (scribens *subtilitate simplici*). Oscitans Librarius inanem vocem scripsit, delendam autem non existimavit, ne codicem litturis dehonestaret; atque hæc multis mendis origo, quæ etiamnum hærent, ut ostendi ad Cæsaris lib. II. *B. G.*, cap. 19. Nunc exemplum insigne ex Theoph. Antiochen, subjiciam. Is igitur lib. II *ad Autolyc.*, pag. 104 B. sic loquitur: Καὶ ἴσασιν οἱ δύο εἰς σαρκὰ μίαν· ὁ δὲ καὶ αὐτὸ δείκνυται τελειούμενον ἐν ἡμῖν αὐτοῖς. Τίς γὰρ οὐχὶ ὁ νομίμως γαμῶν οὐ καταφρονεῖ μητρὸς, καὶ πατρὸς καὶ συγγενείας πάσης καὶ πάντων. Quæ verba eo quidem in loco sensum turbant et paulo post repetuntur, ac proinde omnino sunt delenda. Lege igitur, ἅμα δ' ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὴν γυναῖκα αὐτοῦ καὶ ἵνα πλείων ᾖ ἡ εὔνοια πρὸς αὐτούς, etc. Ejusdem vocis repetitio fecit, ut nonnulla omitterentur, quod cum animadverteret descriptor, ea sane inseruit, reliqua tamen non expunxit, ne libri pulchritudinem macularet. DAVIS.—Notandus etiam Jac. Gronovius, pro *subtilitate* rescribens *sinceritate*. HEUM.

*Diffinditur*. Ita recte rescriptum pro *diffunditur*. Ob oculos Felici nostro haud dubie fuit illud Virgilii *Æn.* V, 540.: *Partes ubi se via findit in ambas*. Nec displiplicet Heraldo *diffinditur*. Cæcum vero ducem sequuntur Rigaltius ac Davisius, itemque Jac. Gronovius, cum *diffunditur* defendunt auctoritate veteris illius librarii. In eodem ms. Codice post *diffunditur* adjecta sunt tria hæc verba: *quia viam nescit*. Rectissime vero ejecerunt hoc glossema Critici, nec audiendus Wopkenius, reponere gestiens, *quia veram nescit*. HEUM.—Quia in apodosi dicit *spargitur*, etiam in protasi convenientius est *diffunditur*. Pomponius Mela III, 3: *Mare vagum atque diffusum facie amnium spargitur*. GRONOV.— Cicero *de Invent* I, 52: *Enumeratio est, per quam res* disperse et diffuse *dictæ, unum in locum coguntur*. Plinius XII, 5: *Vastis ramis diffunditur ficus in India*. LINDNER. — Etsi *quia viam nescirem* glossema redoleat, ac fluxisse videatur ex eo quod præcesserat, *qui rectam viam nescit*, in nostro tamen auctore ferri talis pleonasmus potest, quo causa cur hæreat indicatur. EDD.

*Æstuet, fluctuetur*. In ms. teste Herald. et Rigalt. est, C *jactetur æstu, et fluctuetur*. Recte ita Meursius rescripsit: *Jactetur, æstuet, fluctuetur*. *Æstuare dubitatione* dixit Cicero lib. IV *in Verrem*, c. 30. HEUM.—Ad describendum Cæcilium incerto animi hærentem, idque aperientem in indignatione infausta, utitur gradu satis placenti ut primo dicat *jactarit*, quod satis notum, sed et diversitatem admittit magnam, et sic non satis exprimens id quod volebat: unde addit secundum *æstuare* quod ordinarium est in Oceano, sed gravius priore. Tertium igitur accedit *fluctuari*, quod et ipsum, quum sit satis notum, tum certe complectitur gravissimas procellarum agitationes, nequaquam perpetuas. GRONOV.

*Quamvis diversa sint quæ dicta sunt*. Turbata est libri veteris scriptura, *Quamvis diversa quæ dicta sunt, una veritate confirmata probataque sint*. RIGALT. — Ex hac turbata libri veteris scriptura, mihi videtur veram lectionem collegisse. Nimirum ita reponendum censeo: *Convincam et redarguam, quamvis diversa, quæ* D *dicta sunt, una veritate confirmata probataque*. Sic *nec dubitandum ei de cætero est, nec vagandum*. Hac emendatione recepta, bene cohærent sententiæ: sed, si vulgatam lectionem retineamus, mera fit arena sine calce. DAVIS. — Deleo cum Davisio *sint*, quod nec in ms. est, nec in Ed. Romana. HEUM. — Sed est tamen in post *probataque*, quamquam non suo loco, ut optime vidit Rigaltius, unde a criticis jure insertum est post *diversa*. LINDNER.

*Una veritate confirmata probataque*. Supple *tamen*. *Una tamen veritate*, etc. Idque jubet antecedens particula *quamvis*. Ovidius, Trist. I, 1, 25:

Neu cave defendas, quamvis mordebere dictis.

Hoc est: *Tamen cave ne defendas*. Horatius lib III, *Od.* 10, 13:

O quamvis neque te munera, nec preces
Nec tinctus viola pallor amantium
. . . . . .
Curvat; supplicibus tuis
Parcas,

Digitized by Google

quoniam meus frater erupit ægre se fere, stomachari, indignari, dolere, illiteratos, pauperes, imperitos, de rebus cœlestibus disputare; sciat omnes homines sine delectu ætatis, sexus, dignitatis, rationis et sensus capaces et habiles procreatos: nec fortuna nactos, sed natura insitos esse sapientiam: quin ipsos etiam philosophos, vel si qui alii artium repertores [20] in memorias exierunt, priusquam solertia mentis parerent nominis claritatem, habitos esse plebeios, indoctos, seminudos; adeo divites facultatibus suis illigatos, magis aurum suspicere consuesse, quam cœlum: nostrates pauperes, et commentos esse prudentiam, et tradidisse cæteris disciplinam. Unde appareat ingenium non dari facultatibus, nec studio parari, sed cum ipsa mentis formatione generari. Nihil itaque indignandum, vel dolendum, si quicumque de divinis quærat, sentiat, proferat; quum non disputantis auctoritas, sed disputationis ipsius veritas requiratur: atque etiam quo imperitior sermo, hoc illustrior fatio est: quoniam non fucatur pompâ facundiæ ei gratiæ, sed, ut est, recti regula sustinetur.

## CAPUT XVII.

ARGUMENTUM. — *Fatetur quidem hominem debere se ipsum nosse: sed plane negat hanc cognitionem ab eo posse comparari, quin antea rerum universitatem et Deum ipsum agnoscat. Ex ipsius autem mundi constitutione atque ornatu, quique ratione præditus, compertum habet eum a Deo conditum fuisse atque ab eo regi et administrari*

Nec recuso, quod Cæcilius adserere inter præcipua connisus est, hominem nosse se et circumspicere debere, quid sit, unde sit, quare sit; utrum elementis concretus, an conciunatus atomis, an potius a Deo factus, formatus, animatus? Quod ipsum explorare et eruere, sine universitatis inquisitione non possumus, quum ita cohærentia, connexa, concatenata sint, ut, nisi divinitatis rationem diligenter excusseris nescias humanitatis: nec possis pulchre gerere rem civilem, nisi cognoveris hanc communem omnium mundi civitatem: præcipue quum a feris belluis hoc differamus, quod illa prona, in terramque vergentia, nihil nata sint prospicere, nisi pabulum nos, quibus vultus erectus, quibus suspectus in cœ-

## VARIORUM NOTÆ.

**Hoc est tamen parcas.** Lucretius, IV, 157:

Et quamvis subito ... quamque
Rem contra speculum ponas, apparet (tamen) imago.

Quod cum non animadverterent, vel Davisius, vel Heumannus, male cohærere vulgatam lectionem sententiæ questi sunt, ideoque rescripserunt, ille: *Sic nec dubitandum*, etc. hic, *Ne dubitandum sit.* LINDNER.

*Sciat omnes.* Sic recte ediderat Gelenius, atque ita scriptum in ms. Reg. At edit. Rom. *sciet.* HERALD.

*Sine delectu.* Ita ms. Reg. et ed. Romana non *dilectu.* LINDNER.

*Habiles procreatos.* Nihil opus, ut legamus cum Meursio, *habiles procreatos esse*, quoniam infinitivus *esse* sic sæpe subaudiri solet. Ita Noster supra cap. V: *Omnia in rebus humanis dubia, incerta, suspensa, magisque verisimilia, quam vera*, scilicet *esse*. VIII, *Nullos deos* (esse) *asseverando*. IX, *Eorum cærimonias* (esse) *fabulatur*. X, *Verâ* (esse) *declarat*. XI. *Quamquam etsi justos* (esse) *darem*. XVII, *Non divina ratione perfectum* (esse) *volunt*. § 13. *Formæ nostræ pulchritudo Deum fatetur* (esse) *artificem*. XVIII. *Qui Jovem principem volunt* (esse). XIX, *Democritus intelligentiam deum* (esse) *loquitur*. Ibid., *Rationem Deum* (esse) *disserit*. Ibid., *Interpretando Junonem* (es e) *æra*. Ibid.; *Deum* (esse) *novimus*, et sexcenta alia plura. LINDNER.

*Sed natura insitos esse sapientiam.* Puto legendum esse: *insitam habere*. Cicero, *de Fin.* IV. 2: Habere *etiam* insitam *quamdam, vel potius innatam cupiditatem*. Idem *pro Font.* 231: *Inimicitias insitas habere.* Vel quæ Cl. Gruneri est sententia *insitam esse* Schefferus putabat ante verbum *sapientiam* excidisse verba aliquot, ex conjecturis non facile supplenda. Vopkenius *indutos* rescribi vult pro *insitos*. Heumanno hæc videtur vera esse emendatio: *Nec a fortuna dari, sed natura insitam esse, sapientiam*. Alii *indeptos esse* volunt; alii *inditam esse*. In hac opinionum farragine eligas licet emendationem, quæ bonum sensum fundat, nec tamen a ductu litterarum multum abeat, vel linguæ regulis adversetur. LINDNER.

*Suspicere.* Sic est in ms. Romana edit. habet *suspicere*. Cf. cap. XIV. LINDNER.

*Nostrates.* Rescribo *contra*, inquit Heum., in quo tamen me non habet sibi assentientem. *Nostratium* enim vocabulum partes notat, quarum quisque studiosus est, et *sectas*. Hoc loco complectitur et Judæos et Christianos veteres, qui commenti sunt sapientiam, quia inde Gentium et philosophi et poetæ sua hauserunt, quod probat Kortholt ad Justini *Apol.* I, pag. 92; et ad Athenag. *Apol. sect.* 21, p. 94, n. l. LINDNER.

*Facultatibus.* H. e. *pro facultatibus.* Plautus *Pers.* IV, 4. 13: *Datur hæc sexaginta minis.* Id. *Asin.* I, 3, 20: *Pro pecunia si data.* LINDNER.

*Si quicumque.* Rom. edit. *quæcumque.* Male. HERALD.

*Quærat, sentiat, proferat.* Rescribit Davisius *censeat.* Male vero. Nam *sentire* et *proferre* hic inter se opponuntur. *Nec omnia, quæ sentimus, dicere* libet aut licet *proferre. Rara temporum felicitas*, inquit Tacitus. *Hist.* I, cap. 1, *Ubi, quæ sentias, dicere liceat.* HEUM.— Ducit me hic locus ad emendationem, si forte minus necessariam, non coactam tamen illam. Locum sic lego: *Si quicumque divinis quærat, quæ sentiat, proferat.* Potuit *quæ* excidisse ob antecedens *quærat*, quod a *quæ* incipit. Nec aliter Ablancourtius: *S'enquérir des choses divines, et en vouloir dire ce qui leur en semble.* Hoc enim in primis in Christianis taxaverat Cæcilius, quod certum aliquid de summa rerum et majestate decernerent, cap. V, adeoque, quæ sentirent, proferrent, cum philosophi, qui se toti ei studio dedissent, non nisi dubitanter pronuntiarent, et, deliberare se velle dicerent. Nisi forte malis per syllepsin ita supplere: *Si quicumque de divinis quærat* (divino) *sentiat* (divina) *proferat.* LINDNER.

*Hoc illustrior est.* Nuspiam id jure dici potest. Attamen sic nuper Quæliana, secuta Rigaltianam. At Romana Sabæi, Wowveriana, Elemenhorstiana, utraque Heraldi, *Hoc illustrior ratio est.* GRONOV.

CAP. XVII. — *Connisus est.* Sic Heraldus ex ms. Reg. CELLAR. *connixus est.* LINDNER.

*Quod illa prona.* Imitatur notissimos versus Ovidii *Metam* I, 84:

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit: cœlumque tueri
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

*Nata sint.* Legendum esse *nata sunt*, ego quidem non dubito. HEUM. — Pro recepta stat, quod explicari potest, *nihil nata esse videri possint.* Non enim sequitur, quia animalia in terram vergunt, ergo nihil nata sunt prospicere, nisi pabulum, sed hoc tantummodo exinde, non sine veritatis specie, colligitur. LINDNER. Cæterum notandus est Minucius, qui sic scribit, ac si non dixisset tantum *feris belluis*, sed apposuisset etiam *pecoribus* vel *animalibus* ut cap. XIX, *Pecudamque genus, et quidquid aliud animalium*, hinc univer-

lum datus est, sermo et ratio, per quæ Deum agnoscimus, sentimus, imitamur, ignorare nec fas nec licet ingerentem sese oculis et sensibus[21] nostris cœlestem claritatem. Sacrilegii enim vel maximi instar est, humi quærere, quod in sublimi debeas, invenire. (XI) Quo magis mihi videntur, qui hunc mundi totius ornatum non divina ratione perfectum volunt, sed frustis quibusdam temeré cohærentibus conglobatum, mentem, sensum, oculos denique ipsos non habere. Quid enim potest esse tam apertum, tam confessum, tamque perspicuum, quam oculos in cœlum sustuleris, et quæ sunt infra circaque lustraveris, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur? Cœlum ipsum vide. Quam late tenditur! quam rapide volvitur! vel, quod in noctem astris distinguitur, vel, quod in diem sole lustratur: jam scies, quam sit in eo summi moderatoris mira et divina libratio. Vide et annum ut solis ambitus faciat: et mensem vide ut luna aucto, senio, labore circumagat. Quid tenebrarum et luminis dicam recursantes vices, ut sit nobis operis et quietis alterna reparatio? Reliquenda vero astrologis prolixior de sideribus oratio vel quod regant cursum navigandi, vel quod arandi metendique tempus inducant; quæ singula, non modo, ut crearentur, fierent, disponerentur, summi opificis et perfectæ rationis egerunt, verum etiam sentiri, perspici, intelligi, sine summa solertia et ratione non possunt. Quid quum ordo temporum ac frugum stabili varietate distinguitur, nonne auctorem suum parentemque testatur ver æque cum suis floribus, et æstas cum suis messibus, et autumni maturitas grata,[22] et hiberna olivitas necessaria? Qui ordo facile turbaretur, nisi maxima ratione consisteret. Jam providentiæ quantæ, ne hiems sola glacie ureret, aut sola æstas ardore torreret, autumni et veris inserere medium temperamentum, ut per vestigia sua anni revertentis occulti et innoxii transitus laberentur. Mari intende: lege littoris stringitur. Quidquid arborum est vide, quam e terræ visceribus animatur. Aspice Oceanum: refluit reciprocis æstibus. Vide fontes: manant venis perennibus; fluvios intuere: eunt semper exercitis lapsibus. Quid loquar apte disposita recta montium collium flexa, porrecta camporum? quidve animantium loquar adversus sese tutelam multiformem? alias armatas cornibus, alias dentibus septas, et fundatas ungulis, et spicatas aculeis: aut

## VARIORUM NOTÆ.

sum hoc, in neutro plurali edens; aut solummodo quod sic in lingua promptus et ab juventa assuefactus exstaret locus, vel Sallustii vel Ovidii, ut consuetudo ista auferret alios sensus. Nam assidua fuisse in posteriorum linguis illa ipsa verba, probat consensus quoque istorum duorum, quos profert Barthius, lib. XIX *Advers.*, cap. 7. Cui generis mutationi simile præbet Livius XXVI, 27, fin. et Paræus in *Lexici Critici mantissa*, pag. 61 et 62, collegit alia exempla. Gronov.

*Sermo et ratio.* Forte, *datus, et sermo et ratio*, etc. Asyndetis tamen delectatur quoque Minucius. Wopk. — Orationis nervos incidit Heu. dum verba: *Sermo et ratio, per quæ Deum agnoscimus, sentimus, imitamur*, tamquam e margine in textum irrepsissent, delet. Tria enim sunt, quibus a feris belluis distinguimur, *status erectus*, quo *Deum agnoscimus*, oculos in cœlum tollentes; *sermo*, quo Deum *sentimus*, omnis enim de divinitate notio et sensus, ope sermonis, ab infantia nobis instillatur; *ratio*, in quo similitudo nostra cum Deo consistit, quemque eo ipso *imitamur*, siquidem est Ens ratione non modo utens, sed rationis ipsius auctor. Lindner.

*Per quæ.* Bene, consueta Syllepsi. Cicero, lib. VII *Ep.* 20, 4, *Domum, agros*, eaque *amœno loco*. Lindner.

*Quæ sunt infra circaque.* Alii legunt *supra circaque*, sed contra fidem mss. Lindner.

*Quo.* Haud dubie rescribo *a quo*. Heum. — Nisi præpositio pari jure omissa, quo apud Horat. *edite* (a) *regibus*, et omnes alios. Lindner.

*Vel quod.* Ita ms. Romana editio *vel quæ*, subaudi *sidera*. Heum.

*Inducant.* Nonnullis placet *tempus indicant;* sed nulla necessitate ducti, lectionem a mss. retentam deseruerunt. Vide Virgilium *Georg.* I, 24. Davis. — Ovidius *Fastor.* lib. V, 163:

Aut simul *inducunt* obscura crepuscula noctem.

Lindner.

*Ac frugum.* Ita est in ms. Codice, non item in editione Romana. Hæc enim habet *hæc frugum*, idque perperam, quod et Heraldus agnoscit. Ac omnino, ut est in mss. ita scripsisse *Minucium*, frequentia docent verba, quibus et *temporum* et *frugum* varietas exponitur. Heum.

*Hiberna olivitas.* Scopum non tetigit hic Rigaltius. At recte vidit J. Fr. Gronovius *Observ. eccl.*, cap 7, *olivitatem hibernam* pro ipsa hieme a Minucio accipi, quemadmodum *messis* apud Poetas pro æstate ponitur. Olivæ enim decembri mense maturescunt, ut testatur Columella lib. XII, 50. Davis.

*Inserere.* Lego *interserere*. Heum. — Plinius, lib. III, *Ep.* 19: *Prædia agris meis vicina, atque etiam* inserta, *venalia sunt.* Quædam exemplaria legunt *inter serta*, sed frustra. Lindner.

*Occulti et innoxii transitus.* Ita loquitur, quoniam existimabant Philosophi, omnia corpora ex Empedocleis elementis constare, similitudine fruendæ necessum esse ut στοιχεῖα debitis copiis adsint, atque inter se commisceantur, quod in subita nimiaque cœli mutatione fieri nequit. Vide Apuleium *Phil. Platon.* lib. I, p. 5, et Max. Tyrium *Dissert.* XXIII, 234. Davis. — Si verba hæc essent Cæcilii, locum habere observatio posset. Jam vero cum Octavius Christianus loquatur, vix est verisimile, cogitasse eum de elementis Empedocleis, cum ratio hujus rei peti commodius ex *impedita transpiratione* possit. Lindner.

*Quam.* Deleri *quam* oportere, docebit quemvis inspectio eorum, quæ antecedunt, quæque subsequuntur. Heum.

*Apte disposita.* Hoc est, *quam apte deposita sint.* Lindner.

*Recta montium.* I. e. *errecta.* Lactant., lib. II, cap. 1, 14, *Nobis autem status* rectus—*adeo datus est.* Ibid. § 16, *Nisi forte id ipsum, quod* recte *sumus, sine causa homini attributum putant.* Adeoque non erat, cur Meursius rescriberet *arrecta*; Perizonius *erecta*; Wopkenius *urdua*. Lindn.

*Et fundatus ungulis, et spicatas.* Minime dubito quia locus hic librariorum negligentia in mendo cubet. Minucius enim non vult easdem animantes *et fundatas ungulis, et spicatas aculeis* fuisse: sed has ungulis, illas vero aculeis in sui tutelam gaudere. Quare procul dubio legendum, AUT *fundatas ungulis*, AUT *spicatas aculeis:* quod sequentia verba prorsus confirmant. Davis. — *Spicatas.* Glossæ: Spico, *arvo, abrado.* Vide Servium ad illa Virgilii I *Georgicon.*: — *Ferroque faces inspicat acuto.* Wower. — Dalecampius rescribit: *munitas ungulis.* Recto

Digitized by Google

pedum celeritate liberas, aut elatione pinnarum? Ipsa præcipue formæ nostræ pulchritudo Deum fatetur artificem, status rigidus, vultus erectus, oculi in summo, velut in specula, constituti, et omnes cæteri sensus velut in arce compositi.

## CAPUT XVIII.

Longum est ire per singula: nihil in homine membrorum est, quod non et necessitatis causa sit, et decoris: et quod magis mirum est, eadem figura omnibus, sed quædam unicuique lineamenta deflexa. Sic et similes universi videmur, et inter se singulis dissimiles invenimur. Quid nascendi ratio? Quid cupido generandi? Nonne a Deo data est? et ut ubera partu maturescente lactescant, et ut tener fœtus ubertate lactei roris adolescat? Nec universitati solummodo Deus, sed et partibus consulit. Britannia sole deficitur, sed circumfluentis maris tepore recreatur: Ægypti siccitatem temperat Nilus amnis: colit Euphrates Mesopotamiam: pro imbribus pensat Indus, et serere Orientem dicitur et rigare. Quod si ingressus aliquam domum, omnia exculta, disposita, ornata vidisses, utique præesse ei crederes dominum, et illis bonis rebus multo esse meliorem: ita in hac mundi domo, cum cœlum terramque perspicias, providentiam, ordinem, legem, crede esse universitatis dominum parentemque ipsis sideribus et totius mundi partibus pulchriorem. Ni forte, quoniam de providentia nulla dubitatio est, inquirendum putas, utrum unius imperio, an arbitrio plurimorum cœleste regnum gubernetur: quod ipsum non est multi laboris aperire cogitanti imperia terrena, quibus exempla utique de cœlo: quando umquam regni societas aut cum fide cœpit, aut sine

## VARIORUM NOTÆ.

vero *fundatas* scribitur. Nam et Lucretius v, 929, dixit: *Genus humanum solidis ossibus intus fundatum esse.* Pro *fundatus ungulis.* Lact. *de Opific. Dei*, cap. 2, dicit *suffultus ungulis.* Heum.

*Compositi.* Heum. legit *dispositi.* Sed non agitur de diversitate locorum et ordine, quo *disponuntur*, sed de uno loco, quo *componuntur. Disponuntur* milites ubi plures sunt aditus, ab utroque latere dextra levaque; sed *componuntur* in arce. Possent esse sensus *dispositi* per *totum corpus*; sed maluit Deus in eos in *capite componere.* Lindn.

Cap. XVIII. — *Et inter se invenimur. Inter se*, pro *inter nos*, more Græcorum, qui sic passim ἐν ἑαυτοῖς dicunt. Sic supra, cap. 11, *cœlo et astris.... interitum denuntiare; sibimortuis, extinctis, qui sicut nascimur et interimus, æternitatem repromittere.* Rarius hoc apud Latinos. Wopken. — *Evocationem* Latini dicunt, cum persona verbi a nomine vel pronomine discrepat. Virgilius VI, 347 *Quisque suos patimur manes.*

*Nonne a Deo data est.* Hisce *et ut ubera*, etc. præcedentia non satis recte adaptari posse putabat Davisius, nisi legatur in neutro plurali *a Deo data* sunt. Sed recte per ellipseos genus usitatissimum hæc ita accipias, ut si plenius audiremus.... *data est? et illud datum itidem ut ubera*, etc. Sic, ut jam in *Lection. Tull.* monuimus. Tacitus *Annal.* I, 15: *Sed decreta pecunia ex ærario*, utque *per circum triumphali veste uteretur.* Ubi consulendus J. F. Gronovius. Cicero, *Famil.* I, ep. 3: *Commendo tibi ejus omnia negotia.... imprimisque, ut.... eum ita tractes*, etc. sc. *rogo.* Sallustius, *Jug.* cap. 29: *Ac pauca..... locutus de invidia facti, atque in deditionem uti acciperetur..... in deditionem accipitur.* Ubi *hortatus*, aut tale quid subaudiendum. Aurel. Victor de *Vir. Illustr.*, cap. 1, *quibus regnum annuis vicibus habendum reliquit*, et ut *alternis imperarent*, scil. *voluit.* Novatianus de *Cibis Jud.* cap. 2: *Alium quoque discrimen induxit*, quidque *aut reprobum judicaretur aut mundum*, scil. *distinxit, significavit.* Wopk.

*Consulit.* Quia etiam in loco Ciceronis *de Divin.* lib. I, pag. 575, unde noster est expressus, exstat præsens, non est, cur cum Cl. Heumano legas, *consuluit.* Lindner.

*Deficitur. Defici* hic non notat *languescere*, ut intellexit *Appelius*, qui in versione Germanica ita vertit: *Brittannien, so durch die Sonnen Hitze ganz entkrftet und abgemattet wird*, quod contrarium plane est ab eo, quod Minucius voluit intelligi; sed notat *destitui, carere.* Melius utique si *Ablancourtium*, antesignanum, esset secutus, qui vertit: *Il échauffe par les vapeurs tièdes de la mer l'Angleterre, qui ne le pouvait être par le soleil.* Lindn.

*Ægypti siccitatem*, etc. Hæc verba ms. ita exhibet: *....Temperat Nilus amnis: colit Euphrates Mesopotamiam. pro imbribus pensat: Indus flumen et serere*, etc. Cicero II, de Nat. Deor.: *Ægyptum Nilus irrigat. Mesopotamiam fertilem efficit Euphrates. Indus vero non aqua sola agros lætificat, et imitigat sed etiam conserit, magnam enim vim seminum dicitur secum deportare.* Hæc expressit Minucius; ideo facile mihi persuaderi patior, verba Minucii glossematis inquinata. Nam illa, *pro imbribus pensat*, interpretantur verbum *colit.* Ego vero malim cum Heum. interpretationem esse verborum *siccitatem temperat.* L. Deinde non *Indus flumen*, sed *Indum flumen*, ut Horat. *flumen Rhenum, Metaurum*, Cæsar *flumen Rhodanum.* Wower. — At mutata distinctione, ni fallor, recte legetur: *Ægypti siccitatem temperat Nilus* amnis, *colit Euphrates Mesopotamiam:* pro imbribus pensat *Indus* flumen *et serere Orientem dicitur et rigare.* Davis. — *Ægyptum temperat Nilus amnis: Euphrates Mesopotamiam pro imbribus pensat Indus: flumen et serere Orientem dicitur et rigare.* Verbo *colere* adjecit mentionem imbrium, ut pateat ratio colendi, quam Euphrates adhibet, quum alioquin colere æquivocum sit τῷ arare. Quod si liceret transponere voculam, libenter vellem *pensat et Indus: flumen serere or. d. et rig. Pro imbribus*, mavult *Plinius* explicare vicem imbrium. Gronov.

*Quod si ingressus.* De hoc argumento videatur Cicero *de Nat. Deor.*, lib. II, 5, 6, 37.

*Cœlum terramque.* Glossema, adscriptum a quopiam margini, qui explicare voluerat *hanc mundi domum.* Quod si observasset non utique scripsisse putaret Minucium: *Perspiciens providentiam ordinem, legem vides.* Lind.

*Ni forte.* Crediderit facile quispiam, *nisi forte* scriptum a Minucio, cum alterum illud non sit usitatum. Heum.

*Quibus exempla utique de cœlo.* Subaudi *sunt.* Heumannus delet *quibus*, et ita intelligit, *Imperia terrena esse exempla de cœlo*, hoc est, *formata ad similitudinem cœlestis imperii.* Sed obstat usus Latinæ linguæ. Exemplum enim non dicitur id, quod ad similitudinem alius cujusdam rei formatum est, sed exemplum est rei, de quacumque nobis sermo sit, formula, quæ semper et ubique sibi constet, et cujus apographa dari plura possint. Hinc *exempla* in plurali dicere maluit, quia plura imperia terrena ad exemplum imperii cœlestis formata sunt. Singularem *exemplar* rescribentem probe refellit. Lind.

*Aut sine cruore desiit.* Aptiore longe oppositione legas *desiit*, quam *discessit* (quod habet Rom. Ed. et Heraldus): atque ita emendandum esse, fidem facit, quod etiam de *Idol. Van.* cap. 5, in his Minucii verbis exprimendis verbo *desiit* usus est. Wopk.

Digitized by Google

cruore discessit? Omitto Persas, de equorum hinnitu augurantes principatum; et Thebanorum permortuam fabulam, transeo: ob pastorum et casæ regnum de geminis memoria notissima est; generi et socceri bella toto orbe diffusa sunt: et tam magni imperii duos fortuna non cepit. Vide cætera: rex unus apibus, dux unus gregibus, in armentis rector unus: tu in cœlo summam potestatem dividi credas, A et scindi veri illius ac divini imperii totam potestatem? cum palam sit parentem omnium Deum nec principium habere, nec terminum; qui nativitatem [24] omnibus præstet, sibi perpetuitatem, qui ante mundum fuerit sibi ipse pro mundo; qui universa, quæcumque sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; nec

## VARIORUM NOTÆ.

*Omitto Persas.* Jubet respicere lib. I, cap. 10, ubi tantummodo dicitur: *Persas inter se pactos esse, ut, die statuta, omnes equos ante regiam primo mane producerent. et, cujus equus inter solis ortum primus hinnitum edidisset, is rex esset.* Quasi vero hic locus faciat ad Minucium intelligendum, ac non potius monstrari debebat lib. X, cap. 1, ubi refert, ex B Trogo, Justinus, *Quod Artaxerxes vivus, Darium filium, per indulgentiam, regem fecit, nihil sibi ablatum existimans, quod in filium contulisset, sinceriusque gaudium ex procreatione capturus, si insignia majestatis, vivus, in filio conspexisset. Sed Darius interficiendi patris consilium cepit.* Eu! societatem regni, quæ non sine cruore desiit, quam tamen nihil attinet referre, quia non ratio, sed equorum hinnitus in electione judicavit. LINDNER.

*Et Thebanorum par, mortuam fabulam transeo.* Ita distinximus hunc locum, ms. Regio auctore, et sententia flagitante. Haud dubie scripserat Minucius, *Thebanorum par*, neque aliter legebat Cyprianus, cum dixit *Thebanorum fratrum germanitatem*. Statius, *par infandum et geminis sceptrum exitiale tyrannis, et consanguineum scelus, et unius ingens bellum uteri*. Sed cur *mortuam fabulam* dicit Minucius, paulo ante sua tempora tota Statii *Thebaide* decantatam? Fortean scripserat *mutuam fabulam*. Etenim pacti erant fratres (Eteocles et Polynices) ut mutuis annis regnarent, et mutua pernicies utrisque; unde et *mutua fabula*. Sed exspectanda auctoritas alterius exemplaris. RIGALT. — Ego quidem sic debui edere cum Rigaltio, utpote quod proxime accedit ad lectionem codicis antiqui; quod miror eumdem virum doctissimum, non satis intelligentem, mox deserere. Noster ad exemplum citat modo, sed nequaquam ut ejus fidem præstet. Hinc et *fabulam* vocat, et *mortuam*, hoc est jam exoletam, sine efficacia et vi, ut demonstrando valide vero nequeat opitulari. Prorsus ut Plato in *Phæd.* ἀδυμώνυ λέγειν. Nec aliter in *Culice* Virgilius:

> Hic et fama vetus numquam moritura per ævum
> Curtius, e mediis quem quondam sedibus urbis
> Devotum bellis consumpsit gurges inundans.

Ubi Scaliger, pag. 35. GRONOV. — Lego et dispungo totum locum: *Thebanorum par mortuum, fabulam transeo ob pastorum et casæ regnum, memoria notissima est*, MEURS. — *Thebanorum præmortuam fabulam*, ELMENH. — *Thebanorum germanorum fabulam*, anonymus criticus in *Obs. misc. crit. novis*, t. I, pag. 138, *par fratrum fabulosum*. Scilicet, non credit Minucius veram esse illam narrationem. Quare ei statim opponit historiam de Romulo et Remo. Eodem modo Horatius, lib. I, *Oda* 22, Hydaspen appellavit *fabulosum*. HEUM. — Paucis hæc commentatio absolvenda est, immo uno tantum verbo quod in cod. reg. disertissime legitur: *permortuam*, id est *omnino inanem et evanidam fabulam*. EDD.

*Historia.* In editione Romana est *memoria*, item in ms. reg. quod exhibet Heraldus. — *Ob pastorum et casæ regnum, de geminis historia notissima est.* Hieronymus, tract. IX, part. III, Epist. 39, *ad Rusticum monachum* de Contemptu sæculi: *Roma ut condita est, duos fratres simul reges habere non potuit.* Vide et Lucanum lib. I, 92 sqq. ELMENHORSTIUS.

*Generi et soceri bella.* Pompeii et Cæsaris, unde vulgatum illud: *Socer generque perdidistis omnia.* RIGALT.

*Duos fortuna non cepit.* Mirari subit unde factum, ut Jo. Meursius reposuerit *sors una non cepit*; aperte enim Minucius Lucanum respexit lib. I, 109 sqq:

> Populique potentis
> Non cepit fortuna duos.

DAVIS. — Verisimilius tamen ut respexerit ad hunc locum Flori IV, 2, 14: *Sic de principatu laborabant tamquam duos tanti imperii fortuna non ceperit.* Ubi Florus, ut alibi, imitatur Lucanum, cum Florum exprimat Minucius, quod et infra, cap. 37, videbimus. WOPK. — Heumannus Minucium scripsisse putat *fortuna duos*. Sed sunt ejusmodi transpositiones frequentes apud Nostrum: cap. 31: *Propter hanc fabulam Galli eam;* c. 7, *Jam eos deprehendes initiasse;* c. 9, *Turpissimæ pecudis caput asini* pro *asini caput;* c. 12, *Misericordia digni, sed nostrorum deorum*, pro *deorum sed nostrorum*. LINDNER.

*In gregibus.* Heum. delet *in*, quia præcedit *rex unus apibus*. Nihil opus: eodem modo Cyprianus de *Idol. Vanit.* c. V: *Rex unus est apibus, et dux unus in gregibus.* Varro *de R. R.* I, 2: *Quod ludis circensibus novissimi curriculi finem facit quadrigis; quod in cereali pompa solet esse primum.* LINDNER.

*Tu in cœlo summam potestatem, totam potestatem?* Non ita scripsit Minucius; hoc enim modo *potestatem* repetere balbutientis est infantiæ. Mihi proinde videtur *potestatem* priore loco positam, a mala manu fluxisse. Quapropter, ista voce deleta, lego: *Tu in cœlo* summam *dividi credas, et scindi veri illius ac divini imperii totam potestatem? Summa* nominatur id quod in eo genere rerum de quibus sermo habetur, primum sit atque præcipuum. Velleius Paterculus lib. II, cap. 76: *Natus obscurissimis initiis parum habebat. Summam accepisse.* Ovidius *Fast.* lib. V, 71:

> Romulus hoc vidit, selectaque pectora Patres
> Dixit: ad hos urbis Summa relata novæ.

Gronovius rescribit *majestatem* vel *auctoritatem;* Heumannus, *unitatem*. Neutrum necessarium. Cf. cap. VIII, IX, et quæ disputat de grata vocum iteratione Bergerus *de Natur. Pulchr. Orat. pag.* 239. LINDNER.

*Verbo jubet consummat.* Nisi leges grammaticas perruperit Minucius, legendum: *Qui universa quæcumque sunt, verbo* jubeat, *ratione* dispenset, *virtute* consummet; ut antea, qui nativitatem omnibus præstet,... *qui ante mundum* fuerit. DAVIS.

*Potest;... tactu purior est.* Primam vocem a Jac. Ouzelio et Chr. Cellario prætermissam, ex antiquitus editis revocavi; reliquas a ms. exsulantes ex Cypriano restituere Joan. Meursius et Fulv. Ursinus: ac recte quidem; Carthaginensis enim episcopus *de Idol. Van.* cap. 5, § 6. Nostrum describit, ut noster sua ex Tertulliani *Apolog.* cap. 17, adumbravit. DAVIS. — *Tactu purior est.* Loco horum verborum in ms. Reg. est *potest.* Hæc tamen verba ejus loco jure inseri probat, 1° quia causa deesset cur *comprehendi Deus non posset;* 2° Cyprianus, epitomator Minucii, hæc verba habet cap. 5; 3° testatur Theodorus Canterus ex antiquo manu exarato

Digitized by Google

æstimari, sensibus major est, infinitus, immensus, et soli sibi, tantus quantus est, notus; nobis vero ad intellectum pectus angustum est; et ideo sic eum digne æstimamus dum inæstimabilem dicimus. Eloquar quemadmodum sentio; magnitudinem Dei qui se putat nosse, minuit; qui non vult minuere, non novit. Nec nomen Deo quæras, Deus nomen est. Illic vocabulis opus est cum per singulos propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est: Deo, qui solus est, Dei vocabulum totum est. Quem si patrem dixero, terrenum opineris; si regem, carnalem suspiceris; si dominum, intelliges utique mortalem. Aufer additamenta nominum, et perspicies ejus claritatem. Quid? quod omnium de isto habeo consensum: audio vulgus, quum ad cœlum manus tendunt, nihil aliud quam DEUM dicunt; et, DEUS MAGNUS EST; et, DEUS VERUS EST, et, SI DEUS DEDERIT. Vulgi iste naturalis sermo est, an Christiani confitentis oratio? et qui Jovem principem volunt, falluntur in nomine, sed de una potestate consentiunt. Audio poetas quoque «unum patrem divum atque hominum» prædicantes, et «talem esse mortalium mentem qualem parens omnium diem duxerit.»

## CAPUT XIX.

ARGUMENTUM. — *Præterea poetæ illum divum hominumque Parentem, omnium rerum creatorem, mentem et spiritum appellarunt. Quin et ipsimet præstantiores philosophi eadem fere ac Christiani de Deo uno sensere.*

Quid Mantuanus Maro? nonne apertius, proximius, verius? «Principio, ait, cœlum et terras,» et cætera mundi membra «spiritus intus alit, et infusa mens agitat. Inde hominum pecudumque [16] genus» et quid quid aliud animalium. Idem alio loco, mentem istam et spiritum, Deum nominat; hæc enim vera [*impr.* verba] sunt:

## VARIORUM NOTÆ.

codice se illas voces proferre in libro I, Variar. lection. cap. 7, quæ editæ fuerunt MDLXXIV; 4° *potest* hoc loco est insuavius, inde fortasse ortum quod librarius, omisso *tacit*, scripserat purior est. Quod cum, relegens locum non intelligeret, inde mutavit in *potest*, quod ante adfuerat post verbum *videri*. LINDNER.

*Qui non vult minuere.* Permirum, inquit Heum., hoc *non* tam diu tenuisse hunc locum. Tunc scilicet verba hunc habent sensum: Deum ignorari ab eo qui velit Deum minuere; cujus siquidem majestatem si compertam haberet, numquam de Deo minuendo cogitaret. Jam vero ex lectione recepta sensus est: Qui non vult minuere magnitudinem Dei, nimisque humiliter abjecteque de ea sentire, non novit, id est, is prolitetur se non nosse hanc magnitudinem. Uter sensus sit præferendus, facile patet. LINDNER. — Immo obvius est et præclarus vulgaris lectionis sensus, nempe Deum minui ab eo qui se eum comprehendere et nosse præsumit; quod non audet, qui non vult ad exiguam mentis suæ comprehensionem Deum deprimere. Nosse Deum est minuere; non novit, qui non minuit. EDD.

*Deo quæras.* Meursio aliisque non assentior, qui ex Cypriani *de Idol. Van.* cap. 5, reponunt *nomen Dei;* nam ms. Veron. etiam Cypriano dativum casum vindicat, et σύνταξιν defendit Justinus martyr, *Apol.* I, cap. 80: Ὄνομα γὰρ τῷ ἀῤῥήτῳ θεῷ οὐδεὶς ἔχει εἰπεῖν, ac in eamdem mentem passim Christiani vett. Idem *Apol.* II. cap 6, pag. 12: Ὄνομα δὲ τῷ πάντων πατρὶ θεσὸν, ἀγεννήτῳ ὄντι. οὐκ ἔστιν. ᾧ γὰρ ἂν τι ὀνόματι προσαγορεύηται, πρεσβύτερον ἔχει τὸν θέμενον τὸ ὄνομα. Ubi omnino legendum ὁ γὰρ ἂν ὀνόματι, ut attendenti fiet manifestum. Vide etiam *Cohort. ad Græcos*, cap. 20; Lactant. I, 6. de *Ira Dei*, cap. 2: unde patet Platonicos Christianis prævixisse. Max. Tyrius. *Dissert.* I, pag. 12: Τοῦτου (Θεοῦ) ὄνομα μὲν οὐ λέγει (Πλάτων) οὐ γὰρ οἶδεν, idemque paulo post numen dicit ἄῤῥητον φωνῇ, et *Dissert* XXXVII, ἀνώνυμον νομοθέτην. DAVIS. — Genitivus *Dei*, regitur a substant. *nomen*; sed dativum *Deo*, a verbo *quæras*, sensu eodem. LINDNER.

*Quem si patrem* Epitheta *terrenum* et *carnalem* aptius haud dubie sic transposueris: *quem si patrem dixero, carnalem opineris; si regem, terrenum suspiceris.* WOPK.

*Vulgus dicunt.* Constructionem verborum sensuum cum indicativi loco infinitivi exemplis sat multis probat Cortius ad Cicer. lib. III, ep. I, 3. Unde per se corruunt emendationes Heumanni, qui rescribendum jubet: *Audio, vulgo dici;* Wopkenii, *Rude vulgus nihil aliud;* vel: *Audio tendentes, nihil dicunt;* vel: *Adeo vulgus, cum tendunt, nihil..... dicunt.* LINDNER.

*Sed de.* Quis latine supra vulgus doctus non videbit, *sed* ejici oportere? Tali quippe in tractu verborum subaudiunt quidem *sed* latini scriptores, at non exprimunt. HEUM.

CAP. XIX. — *Poetas prædicantes.* Heumannus rescribit *poetam prædicantem.* Sed nequaquam, quod vult vir doctissimus, de solo Homero sermo est, qui κατ' ἐξοχήν poeta appellari solet, sed etiam de Ennio, cujus verba sunt: *unum patrem divum atque hominum.* Cicero *de Nat. Deor.* lib. II, cap. 2. Et ut idem Ennius,

. . . Patrem, divumque hominumque.

Ibidem, cap. 25: *Ipse Jupiter a poetis pater divumque hominumque dicitur.* LINDNER.

*Qualem diem duxerit.* Ms. Reg. *diem direxit;* atque hinc existimamus veram lectionem elici posse. Scriptum igitur putamus, *qualem parens omnium in diem induxerit.* Homerus *Odys.* XVIII, 136:

Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶντε θεῶντε.

HERALD. — In exemplari legitur, *Qualem parens omnium diem duxerit.* nisi quod scriptura paulum exterrante apparet *duxerit.* Itaque legendum, ut edidimus, *qualem parens omnium diem duxerit,* οἷον ἐπάγαγοι ἦμαρ. Talis est mens qualis dies, quo die mens edita est. Hoc sibi vult Homerus et versio Ciceronis, quæ refertur ab Augustino, lib. V, *de C. D.* cap. 8. RIGALT. *In diem eduxerit* mavult HEUMAN. — Mallem *induxerit* cum Davisio. GALLAND

*Proximius.* Frustra est J. Wowerus, qui reponit *proximius veris;* proximius enim hic dicitur quod præsentioris est fidei, quemadmodum vidit J. F. Gronovius *Observ.* lib. I, cap. 24, pag. 491. DAVIS. — Est etiam Heumannus qui reponit *distinctius.* Non enim quæritur quam distincte omnia creata sint, sed quis omnino creaverit, an *pater deorum*, an vero, quod proximius accedit ad veritatem christianam, *spiritus.* LINDNER.

*Verius.* Non assentior Heumanno rescribenti *uberius.* Sic infra cap. 36, *disputaturi alias et verius et plenius.* Lactant, IV, 30, *postea plenius et verius pugnabimus;* ubi τὸ *verius* defendunt Guelferb. Goth. Witteb. duo Lips. Angl. Reim. et edd. ante Gallæum omnes. Longe pauciores agnoscunt τὸ *uberius.* Idem. de Opif. XX, 1: *Tunc ego te et planius et verius cohortabor.* Hyginus poet Astron. præf.: *Quæ fuerant ab Arato obscurius dicta, persecuti planius ostendimus effeci ut neque brevius neque verius diceret quispiam.* Conferatur omnino Bunemannus ad *Lactant.*, VI, 30, LINDNER.

*Principio. Æneid.* VI, 724 *sqq.*

*Hæc enim verba sunt.* Sc. ipsissima Virgilii. In

Digitized by Google

Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusque maris cœlumque profundum.
Unde homines, et pecudes, unde imber et ignis.

Quid aliud et a nobis Deus, quam mens et ratio et spiritus prædicatur? Recenseamus, si placet, disciplinas philosophorum, deprehendes eos, etsi sermonibus variis, ipsis tamen rebus in hanc unam coire et conspirare sententiam. (XII) Omitto illos rudes et veteres qui de suis dictis sapientes esse meruerunt. Sit Thales Milesius omnium primus, qui primus omnium de cœlestibus disputavit. Is Milesius Thales rerum initium aquam dixit; Deum autem eam mentem quæ ex aqua cuncta formaverit. Eho! altior et sublimior aquæ et spiritus ratio, quam ab homine potuerit inveniri; a Deo traditum. Vides Philosophi principalis nobiscum penitus opinionem consonare. Anaximenes deinceps, et post Apolloniates Diogenes, aera Deum statuunt, infinitum et immensum. Horum quoque similis de divinitate consensio est. Anaxagoræ vero descriptio et motus infinitæ mentis Deus dicitur. Et Pythagoræ Deus est animus, per universam rerum naturam commeans et intentus: ex quo etiam animalium omnium vita capiatur. Xenophanem notum est omne infinitum cum mente Deum tradere; et Antisthenem, populares deos multos, sed naturalem unum præcipuum; Zeuxippum [*imp.* Speusippum], vim naturalem, animalem, qua omnia regantur, Deum nosse. Quid Democritus? quamvis atomorum primus inventor, [16] nonne plerumque naturam, quæ imagines

## VARIORUM NOTÆ.

ms. Reg. est *vera*. Sunt enim vera quæ affert Virgilius, Deum esse mentem et spiritum. LINDNER. — *Hæc enim ejus verba sunt*. Sic post Fulv. Ursinum edidere recentiores. DAVIS.

*Deum namque*. Prior versus cum hemistichio exstat *Georg.* IV, 221; posterior autem ex *Æneid.* I, 747 est desumptus, nisi quod in Virgilio ob metrum legatur: *Unde hominum genus et pecudes*. Hic autem poeta Deum ex mente Pythagoreorum depingit. Cicero de *N. D.*, lib. I, cap. 2: *Pythagoras censuit animum esse per naturam rerum omnem intentum et commeantem, ex quo nostri animi carperentur;* et hinc sua de Pythagoræ sententia hausere Minucius et Lactantius *Div. Inst.* I, 5. DAVIS.

*Omnium primus, qui primus omnium*. Satis concinna iteratio et conversio; et mirum nisi repetierit ex Ovidio *Metam.* IV, 171:

Primus adulterium Veneris cum Marte putatur
Hic vidisse deus. Videt hic deus omnia primus.
GRONOV.

*Eho! altior et sublimior*. Qui Minucium antehac edidere, non videntur cepisse Minucii mentem: nec sane perviderant quid vetus exemplar suggereret, editioni Romanæ nimium creduli. Etenim secundum eam sic ediderant: *Et altior et sublimior aquæ et spiritus ratio, quam ut ab homine potuerit inveniri, a Deo tradita*. Scriptum est in exemplari: *Eo altior* et *a Deo traditum*. Reddita aspiratione ac dispunctione, rediit sensus clausulæ, alias male cohærenti. Postquam apposuit Cæcilio sententiam Thaletis prope consentaneam Mosi de Deo et mundo condito, subsistit hac interjectione, *Eho!* ac subinde, considerata sublimitate sententiæ, altiorem esse ait quam ut ab homine potuerit inveniri aut cogitari; et continuo pronuntiat absolute, *a Deo traditum*, per Mosen scilicet, a quo Thales acceparat. RIGALT. — J. F. Gronov. *Observ. eccl.*, cap. 7, p. 80, putat hæc verba e margine in textum irrepsisse, aut transposita esse ac hoc ordine legenda: *Vides philosophi principalis nobiscum penitus opinionem consonare. Sed altior et sublimior*, etc. Virum illum summum per omnia, incaute nimis, sequitur Cellarius: est enim ἐκφώνημα παρενθετικόν, suumque locum debet obtinere. Homines doctissimos in fraudem induxit absurda ista sententia, qua statuerunt πολιγγενεσίαν christianam sive Baptismum aqua et spiritu denotari, cum respexerit Minucius ad *Gen.* I, 2, 9; ubi vide J. Clerici annotata. Aliquid porro vitiosi latere putat Jac. Gronovius, quod *altior* et *sublimior* connectantur, quum a se non differant, sed idem plane denotent. Ita tamen Novatianus *de Trinit.* cap. 2: *Qui* (Deus) *est sublimitate omni sublimior, et altitudine omni altior*. Cyprianus ad Donatum, pag. 9: *Solo altior, et hac omni terrena potestate sublimior*. Igitur sarta tecta maneat vulgata lectio. DAVIS.

*Anaxagoræ vero*. Buhlerius, apud Clericum in *Biblioth. anc. et mod.* t. XVI, p. 222, verba Minucii depravata esse censet, 1° quia non motus mentis infinitæ est Deus, sed mens infinita ipsa, quæ motum et descriptionem rebus dat, 2° quia confundit artificem cum operere Octavius: ideoque in hunc modum restituit: *Anaxagoræ rerum descriptio et modus infinitæ mentis opus dicitur*. Fieri enim potuit ut vocabulum *Deus* fuerit explicatio *infinitæ mentis*, margini adscripta, quæ postea in textum irrepsit. Locus Ciceronis quem expressit Noster, exstat lib. I, de *Nat. Deor.* cap. II: *Anaxagoras omnium rerum descriptionem et motum* (alii *modum*) *mentis infinitæ vi ac ratione designari et confici volait*. Pro *notus* legit *modus* et intelligit *ordinem et ornatum*, qui locum dedit varietati quæ in hoc universo cernitur. Accedit quod Augustinus, *Ep.* CXVIII, 24, in Cicerone videtur legisse *modum*. Qui pro contraria sententia digladiatur, Davisius provocat ad seriem orationis et testimonia Aristotelis, Eusebii et Hermiæ, qui omnes in referenda Anaxagoræ sententia *dispositionem* et *motum* conjungunt. Cum Buhlerio facit Heumannus. LINDNER.

*Capiatur*. In ms. depravate, *capitatur*. Hinc recribere gestit Meursius *captatur*. Ex verba Lactantii, I, 5: *Pythagoras ita definivit quid esset Deus: Animus qui per universas mundi partes omnemque naturam commeans atque diffusus, ex quo omnia quæ nascuntur, animalia vitam capiunt*. HEUM.

*Vim naturalem, animalem*. Dele *naturalem*, quod nec est in loco Ciceronis quem ob oculos habuit, Minucius. Scilicet librarius id *naturalem*, quod paulo ante præcessit, errante oculo repetierat, posteaque delere noluit, ne vitium inferret suo codici: de quo librariorum more pulchre supra disseruit Davisius ad cap. 16. Ac hic ipse Dav. in Annot. ad Ciceronis lib. I *de N. D.* cap. 15, putat eliminandum e Minucii hoc loco esse *naturalem*. HEUM. — Legendum forte, *vim naturamve animalem*, conjicit Wopk.; quod non exacte, perque omnia verba, exprimere Ciceronem noster voluerit. LINDNER.

*Deum nosse*. Pro *nosse* legit *esse* Fulv. Ursinus et Heumannus. Si tamen *nosse aliquem Deum* eo sensu accipias quo dicimus *noscere excusationem*, salva est lectio recepta. LINDNER.

*Quid Democritus*. Doct. Arntzenius ad Plinii *Paneg.* c. II, 7, distinguit: *Quid? Democritus, quamvis*, etc. Sed nulla distinctionis mutatione opus est, nisi malis; *Quid Democritus, quamvis .. inventor? nonne*, etc. Sic supra hoc cap.: *Quid Mantuanus Maro?* cap. 7: *Quid nascendi ratio?* Vid. et cap. 21, 26, bis. WOPK.

*Primus inventor*. In loco Lactant. III, 17, inventio doctrinæ atomorum Lucippo adscribitur. De antiquitate illius philosophiæ aliquid videre licet in Burneti *Archæologia*, l. I, c. 7. Burn. it in eorum sententiam qui putant hanc hypothesin ortum debere Leu-

Digitized by Google

fundat, et intelligentiam, Deum loquitur? Straton quoque et ipse naturam : etiam Epicurus ille qui deos aut otiosos fingit aut nullos, naturam tamen superponit. Aristoteles variat, et adsignat tamen unam potestatem. Nam interim mentem, mundum interim Deum dicit, interim mundo Deum præficit. Aristoteles Ponticus variat, alias mundo, alias menti divinæ tribuens principatum. Heraclides Ponticus quoque Deo divinam mentem, quamvis varie, adscribit. Theophrastus, et Zenon, et Chrysippus, et Cleanthes, sunt et ipsi multiformes; sed ad unitatem providentiæ omnes revolvuntur. Cleanthes enim mentem, modo animum, modo æthera, plerumque rationem Deum disseruit. Zenon, ejusdem magister, naturalem legem atque divinam, et æthera interim, interdumque rationem, vult omnium esse principium. Item interpretando Junonem aera, Jovem coelum, Neptunum mare, ignem esse Vulcanum, et cæteros similiter vulgi deos elementa esse monstrando, publicum arguit graviter et revincit errorem. Eadem fere Chrysippus, vim divinam, rationalem naturam, et mundum interim, et fatalem necessitatem Deum credit, Zenonemque interpretatione physiologiæ in Hesiodi, Homeri Orpheique carminibus imitatur. (XIII) Babylonio etiam Diogeni disciplina est exponendi et disserendi Jovis partum et ortum Minervæ, et hoc genus cæterarum rerum vocabula esse, non deorum. (XIV) Nam Socraticus Xenophon formam Dei veri negat videri [27] posse, et ideo quæri non oportere. Aristo Stoicus [*impr.* Chius], comprehendi omnino non posse. Uterque majestatem Dei, intelligendi desperatione; senserunt. Platoni apertior de Deo et rebus ipsis et nominibus oratio est; et quæ tota esset cœlestis, nisi persuasionis civilis nonnumquam admixtione sordesceret. Platoni itaque in Timæo Deus est ipso suo nomine mundi parens, artifex animæ, cœlestium terrenorumque fabricator; quem et invenire difficile, præ nimia et incredibili potestate; et, cum inveneris, in publicum dicere impossibile præfatur.

## VARIORUM NOTÆ.

cippo aut Democrito. Cudworthus demonstravit, ut puto ei majorem antiquitatem attribuendam. Dicit in System. Intell. l. I, c. I. *Pythagoram*, *Empedoclem*, *Anaxagoram*, *Parmenidem*, *Ecphantum*, *Arcesilaum* aut *Archelaum*, ut Sid. Apollinaris de eo testatur, huic opinioni favere. ut et maximam partem veterum physicorum ante Democritum : Democritum autem et Leucippum fuisse primos atheos atomicos; atomorum autem fautores ante Democritum fuisse incorporealistas et theistas. *Miscell. Obs. Crit.*, vol. IV, t. III, pag. 59. LINDNER.

*Quæ imagines fundat.* Simulacra, εἴδωλα, quibus incidentibus visum peragi Democritus existimavit. Vid. Diogenem Laert. lib. IX, § 44; et Cicer. *de Divin.* lib. II, pag. 4903 et lib. I *de Nat. Deor.* cap. 12. DAVIS.

*Et ipse naturam.* Sc. Deum esse loquitur. LINDNER.

*Deos aut otiosos fingit, aut nullos.* Sic loquitur Minucius, quia qui Providentiam tollit, Dei existentiam negare censendus est; nam, ut eleganter Salvianus *de Gubern. Dei* lib. IV, pag. 116 : *Qui nihil aspici a Deo affirmant, prope est ut cui aspectum adimunt, etiam substantiam tollant :* et hinc factum, ut nonnullis videretur *Epicurum, ne in offensionem Atheniensium caderet, verbis reliquisse deos, resustulisse*, teste Cicerone *de N. D.* lib. I, c. 30 : ideoque illum ἀθεότητος insimularunt. Ælianus *V. H.* lib. II, cap. 31, et Theophilus *ad Autolyc.* lib. III, pag. 121. DAVIS.

*Aristoteles Ponticus varial, alias mundo, alias menti divinæ tribuens principatum.* Hæc verba sunt purum putum glossema. MEURS.

*Mentem, modo animum.* Heum, legit, *mentem modo et animum*, sed nihil opus. Debebat esse, *modo mentem, modo animum.* Sed sæpius noster vocabulum, quod ter erat ponendum, semel omittit : cap. 8, *tam vetustam, utilem, tam salubrem.* Vel, si quid mutandum est, mallem, *mentem modo, modo animum.* Nec audiendus Davisius, qui ad Cicer. de *N. D.* I, 14, legendum censebat, *C. enim mundum, modo animum.* LINDNER.

*Disseruit.* Lege *disserit;* nam verba præsentis temporis antecedunt et subsequuntur. DAVIS.

*Vim divinam.* H. e. *vim*, scilicet *divinam, Deum esse, credit.* LINDNER.

*Disciplina exponendi.* Peregrina hæc verba latiuis auribus censet Heum.: ideoque rescribit, licet dubitanter : *Babylonio enim Diogeno, discipulo ejus placet id disserenti*, etc., sed habemus *disciplinam dicendi*, Cicero Orat. pro Archia I, 2, *Disciplinam capessendæ reipublicæ.* Id. pro Sextio cap. 6 : *Intelligendi disciplinam.* Idem in Orat. 71 : Est mihi disciplina, idem est ac docco, profiteor. Ut disciplina dicendi est rethorica, ita dicere possum, est mihi disciplina dicendi, h. e. dico vel profiteor rhetoricam; est mihi disciplina capessendæ reip. h. e. capesso remp. vel profiteor politicam; est mihi disciplina intelligendi, h. e. intelligo s. intellectum præceptis acuo, vel logicam profiteor; sic est mihi disciplina exponendi et disserendi, h. e. expono et dissero, vel profiteor doctrinam quæ disserit de ratione deorum ad physiologiam traducenda. LINDNER.

*Cæterarum rerum*, ms. : unde Meursius reponit *certarum rerum.* Nec minus errant Fulv. Ursinus et Chr. Cellarius, quibus placuit *hoc genus rerum esse*, etc. : nulla enim necessitate coacti vocem commodam omisere. Davis. ex codicis *cætera tum*, facit *cætera tantum.* GRONOV.

*Aristo Chius.* Romana in editione est *Aristo Stoicus.* Quædam edit. habent *Aristo Chius Stoicus.* Sed omitti debuisse verbum postremum, ex vero judicat Lud. Carrio, *Emend. lib.* II, cap. 18. HEUM. — Quod Minucius Aristo Chio, id Cicero tribuit Aristoni, inquit Elmenh., qui incogitantia lapsus est; Aristo enim non est, vel dat. vel abl., sed est nominativus. Conf. Baelii *Diction.* sub voce ARISTO. LINDNER.

*Et rebus ipsis.* H. e. quod ad res ipsas attinet, quos ablativos, cum a præpositione *de* derivaret Meursius, non dubitavit emendare; *et rebus ipsis et homimbus*, pro *nominibus* LINDNER. — *Et rebus ipsis et nominibus.* Vult Minucius Platonem non vero tantum nomine, sed et rectis attributis summum Numen insigniisse, quum Deum factorem parentemque omnium prædicat. Videsis inter alios Clementem, *Recognit.* lib. VIII, cap. 20. DAVIS.

*Ipso suo nomine.* Oratio cœlestis *est Christiana.* ED. LUGD. — Quia Cicero *Deum nominari omnino* negat *posse*, et Apuleius l. I de Dogmat. Plat. *Deum carere nomine* ait. Exinde Buhlerius luce clarius apparere credit legendum esse in Nostro : *ipse sine nomine.* Contra quam emendationem, lectionem receptam defendens Clericus in *Biblioth. anc. et mod.* t. XVI, pag. 223, ait Minucium nihil asserere quod placitis hujus philosophi principalis adversetur. Qui *Deum, ipso suo nomine mundi parentem* profitetur, Deum nomen habere negat. Parens enim mundi non est nomen, siquidem Plato in *Timæo* ipse Deum πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς vocat, salva propositione illa qua Deo nomen esse negat. LINDNER.

Digitized by Google

(XV) Eadem fere et ista quæ nostra sunt nam et Deum novimus et parentem omnium dicimus, et numquam publice, nisi interrogati, prædicamus.

## CAPUT XX.

ARGUMENTUM. —*Quod si Providentia mundus regitur et unius Dei nutu gubernetur, non nos debet antiquitas imperita rapere ad mutui consensus errorem; quæ nimirum fabellis suis delectata, ridiculas traditiones invexit. Nec minus evidenter ostenditur insulsum impiumque semper fuisse deorum cultum, dum mortalium antiquissimi suos reges, duces inclytos artiumque inventores, ob præclara illorum facinora, non secus ac deos venerati sunt.*

Exposui opiniones omnium ferme philosophorum, quibus illustrior gloria est Deum unum multis licet designasse nominibus; ut quivis arbitretur, aut nunc Christianos philosophos esse, aut philosophos fuisse jam tunc Christianos. Quod si Providentia mundus regitur et unius Dei nutu gubernatur, non nos debet antiquitas imperitorum, fabellis suis delectata vel capta, ad errorem mutui rapere consensus; quum philosophorum suorum sententiis refellatur, quibus et rationis et vetustatis adsistit auctoritas. Majoribus enim nostris tam facilis in mendaciis fides fuit, ut temere crediderint etiam alia monstruosa mira miracula: Scyllam multiplicem, Chimæram multiformem, et Hydram felicibus vulneribus renascentem, et Centauros, equos suis hominibus implexos; et quidquid famæ licet fingere, illis [28] erat libenter audire. Quid? illas aniles fabulas, de hominibus aves et feras, homines et de hominibus arbo-

## VARIORUM NOTÆ.

*Eadem fere et ista.* Sic et habet Romana editio. Fulv. Ursinus non habebat cur ita refingeret: *Eadem fere ista, quæ et nostra sunt.* HEUM.

CAP. XX. — *Deum unum.. nominibus.* Hæc verba glossematis suspecta habet Cel. Heumannus; sed bene cohærent, si interpreteris, eos scilicet Deum unum, licet multis nominibus, designasse. Eodem modo explicabamus verba hujus capitis: *Eadem fere Chrysippus, vim scilicet divinam*, etc. Lactant. I, 5: *Sive enim natura, sive æther, sive ratio, sive mens, sive fatalis necessitas, sive divina lex, sive quid aliud dixeris, idem est quod a nobis dicitur Deus. Nec obstat appellationum diversitas, quum ipsa significatione ad unum omnia revolvantur.* LINDNER

*Antiquitas imperitorum.* Interpretes, quod sciam, tantum non omnes, hæc ita vertunt, ut vox *imperitorum* absit, adsit, parum referat. Sic Gallicus: *Nous ne devons point nous laisser emporter aux fables de l'antiquité.* At vero neutiquam ea vox erat negligenda Distinguit enim Octavius inter antiquitatem *imperitorum* et *peritorum*, sive philosophorum, id agens ut doceat, ab iis qui, præjudicata quadam opinione, antiquitatem temere sectentur, philosophos potius quam imperitos esse audiendos, quoniam utrique parti vetustatis ex æquo assistat auctoritas, illi insuper rationis. LINDNER.

*Delectata vel capta. Gaudere* et *capi* ita conjungit Tullius *Fam.* VI, ep. 7: *Tu, pro tua prudentia, quibus rebus gaudeat qu bus capiatur Cæsar, tenes.* Multum autem Noster in jungendis synonymis, qualia *sublimior et altior, figmenta et mendacia, defendere et tueri, errare et falli.* capp. 19, 22. 28, 32, et alibi. Sæpius porro synonyma ejusmodi copulantur conjunctione *vel* pro *et*. Sulp. Severus, *Hist. Sacr.* II, 15: *Satis se Domino ob peccata* vel *crimina dedisse pœnarum*, ubi plura cumulamus. Conf. quæ supra ad cap. VIII. Jam vero nihil erat cur Davisius ista *delectata vel* proscriberet, tantumque legeret, *fabellis suis capta.* Immerito enim causatur quod de fabularum *delectatione* vel suavitate hic non sit agendi locus. *Delectari* enim *fabulis* qualibuscumque, sensu hic percommodo dicimur, si faciles illis aures præbeamus, magnique illas faciamus. Similiter *multitudo deorum delectare* dicitur apud Lactant. I, 7, atque infra, cap. 22, *dulcia figmenta ac mendacia* dicuntur, quibus capi se facile patiantur homines. Conf. Cicer. *de Divin*, II, 55 WOPK.

*Monstruosa* scripsisse sæpe librarios pro *monstrosa*, secutos enuntiationem vulgi, docet Heumanus ad *Lactant.* I, 20. et IV, 15. Sed jam annotavit Bünemannus, Scheffero, Heinsio, Gœsio, Burmanno rectius in prosa *monstruosus*, quam *monstrosus*, quod poetis magis familiare. *Mira miracula* dici posse ex fragmento Varronis, quod citat Nonius, probat Gronovius: *Eodem conjecisse mira miracula nescio quæ.* Ad emendationes quod attinet. Meursius vult *monstruosa miracula*; Heraldus *monstruosa, mira, miracula*; Davisius *dira miracula*; Cellarius et Heum., *monstrosa miracula*; Gruneras, *alia monstruosa, mira miracula.* LINDNER. — *Mira miracula.* Nihil mutandum. Est lusus in verbis, ut supra *miserentur miseri*, et *mori post mortem.* GRUNER., l. c., pag. 226. — Sic et Davisius in secunda edit., ubi quoque similibus locutionibus usos esse veteres observat. Apuleius *Metam.*, lib. I, p. 15, et lib. II, pag. 185, *gratas gratias* dixit. Ausonius Epigr. 20: *Potare immixtum sueta merumque merum*; etc. Vide superius ad finem cap. 8 annotata. GALLAND.

*Equos suis hominibus.* Frustra est vir eruditus J. Woverus, qui reponendum conjecit *equos semihominibus implexos*; nam retinenda est vulgata lectio. Arnobius, lib. I, juxta finem: *Ipsius mortis extinctor hominem suum permiserit interfici.* De hujusce pronominis vi et potestate adeundus est J. F. Gronovius, *Observ.* lib. I, cap. 11. DAVIS.

*Licet.* Haud dubie rescribendum *libet.* HEUM.

*Illis erat libenter audire.* Ita Germ.: Es waribnen lieb zu hœren, h. e. *libenter audiebant.* Propertius I, 20, 13:

> Ne tibi sit duro montes et frigida saxa,
> Galle, nec expertes semper adire lacus.

Ubi *ne tibi sit adire* est *ne adeas, ne velis adire*, ubi videatur Passeratius, in notis. Adeoque non erat cur Heum. rescriberet: *Illis erat libentibus audire.* LINDNER.

*De hominibus aves.* Pro *ex hominibus.* Tertulliani est hic stylus: id quod observavi ad Lactantii V, 9. Sanissima igitur est hæc scriptura, contra quam sentit anonymus quidam in *Obs. crit. Brit. et Bat.*, vol. I, p. 29. HEUM. — *De hominibus aves, et feras homines.* Editio Woweri, *de hominibus aves, et de feris homines.* Paulo quidem melius; aliquid tamen deesse censeo: hoc enim modo hominum in feras metamorphosin non memorat Minucius. Itaque rescribendum puto: *De hominibus aves et feras*, de feris *homines, et de hominibus arbores atque flores?* Clemens *Recognit.* lib. X, cap. 26: *Ex hominibus aiunt stellas fieri, et arbores, et animalia, et aves, fontesque ac fluvios.* DAVIS.

*Aves et feras.* In ms. est *et feras homines.* Ecquis vero, vel a me non monitus, non videt τὸ *homines* turpissimum esse glossema. Binas enim classes constituit Minucius earum rerum in quas homines formatos esse fabulæ ferant, alteram animatarum, scilicet avium atque ferarum, inanimatarum alteram, scilicet arborum atque florum. Wowerus aliis aperte, Gronovio dubie assentiente, ediderat, *de hominibus aves,*



Digitized by Google

res atque flores : quæ si essent facta, fierent; quia fieri non possunt, ideo nec facta sunt. Similiter vero, ac erga deos quoque majores nostri improvidi, creduli, rudi simplicitate crediderunt : dum reges suos colunt religiose, dum defunctos eos desiderant in imaginibus videre, dum gestiunt eorum memorias in statuis detinere, sacra facta sunt quæ fuerant adsumpta solatia. Denique, et antequam commerciis orbis pateret, et antequam gentes ritus suos moresque miscerent, unaquæque natio conditorem suum, aut ducem inclytum, aut reginam pudicam sexu suo fortiorem, aut alicujus muneris vel artis repertorem venerabatur, ut civem bonæ memoriæ. Sic et defunctis præmium et futuris dabatur exemplum.

## CAPUT XXI.

ARGUMENTUM. — *Mortales in deos fuisse assumptos confirmat Octavius Evhemeri, Prodici, Perses et Alexandri Magni testimonio, a quibus deorum patria, natales, sepulchra recensentur. Exponit præterea deorum tristes exitus, fata et funera. Ad hæc ineptas putidasque nugas videt, quas de suorum deorum forma et figura ethnici venditant.*

Lege Stoicorum scripta vel scripta sapientium, eadem mecum recognosces. Ob merita virtutis aut muneris deos habitos Erueret [*impr.* Evhemerus] exsequitur, et eorum natales, patrias, sepulchra dinumerat et per provincias monstrat : dicta [*impr.* Dictæi] Jovis et Apollinis Delphiciæ [*impr.* Delphici], et Pariæ [*impr.* Phariæ] Isidis, et Cereris Eleusiniæ. Prodigiis [*impr.* Prodicus] assumptos in deos loquitur, qui errando inventis novis utili-

## VARIORUM NOTÆ.

*et de feris homines.* Male Schefferus, *de hominibus aves et feras omnes esse de hominibus.* Pessime vero, mea quidem sententia. LINDNER.

*Quia fieri non possunt.* Recte sic in ms. codice. Plures ita ediderant pessime : *Quæ si essent facta, fierent, quæ fieri non possunt : ideo nec facta sunt.* Illud addo, breviter dictum esse *fierent*, pro *nunc etiam fierent*, et *quia fieri non possunt* pro *quia nostro tempore fieri non possunt.* Cæterum, quid sentiendum sit de hac Minucii argumentatione, dixi in *Pœciles*, tom. II, pag. 282. HEUM.

*Similiter ac vero erga deosquoque.* Gerade so, wie sie auch in Ansehung der Goetter., etc. In ms. voces sunt transpositæ, *similiter ac vero.* Quod cum sit alienum ab usu linguæ, Rigaltius interpunxit *Similiter ac vero.* Wow et Elmenh. ediderunt : *similiter vero erga deos*, omissa particula *ac ;* Gronovius, inepte, *simili veratro;* Schefferus, *similiter ac vere;* Heumannus, *simili errore.* Nulla ex his emendationibus videtur verum nobis sistere Minucium. *Similiter vero* est *similiter sane.* Cicero ad *Quint frat.* I, 1 : *Tibi et fuit hoc semper facillimum, et vero esse debuit.* Sequitur *ac* post *similiter* apud Ciceronem de *Nat. Deor.* III, 3 : *Tu autem qui id quæris, similiter facis ac si me roges.* LINDNER.

*Improvidi, credulı.* Talia asyndeta notavimus supra aliquoties. Heum. legit *improvide credulı*, ut supra cap. 14 : *incaute credulı.* LINDNER.

*Rudi simplicitate crediderunt.* Heumannus mavult *rudi simplicitati*, h. e. veteribus, magna simplicitate et imperitia conspicuis. Sed quinam sunt *veteres* illi *simplices* respectu *majorum*, nisi majores ipsi? et hi non *rudi simplicitati* crediderunt, quia majoribus ita veteres essent præponendi, sed ex *rudi simplicitate.* LINDNER.

*Memorias in statuis.* Primo ita pro edito *instantius* rescripsit Lud. Carrio *Emend.* lib. II, cap. 18. Legi vero etiam in ms. *in statuis*, docet Heraldus. Pro *memorias* legit *memoriam* Heum. LINDNER.

*Denique et.* Sic edidi, secutus Heraldum et Rigaltium ; unde opinor ita in ms. exstare, quum cæteræ editiones deleant secundam vocalem sine causa. GRONOV.

*Sexu suo fortiorem.* Decipi enim facile possunt, ut ait Ovidius, *Heroid.* II, 65 :

Fallere credentem, non est operosa, puellam,
Gloria.

Item :

Sum decepta tuis et amans et femina verbis.

Quæ se ergo decipi non patiebatur, *sexu suo erat fortior.* Heum. rescribit *sexuve suo.* LINDNER.

CAP. XXI. — *Lege Stoicorum scripta. Lege* est imperativus. Quod me monentem si quis forte miretur, sciat in Indice Cellariano hæc verba legi sub titulo *Lex Stoicorum scripta.* LINDNER.

*Vel scripta sapientium.* Has voces delendas censuit Cellarius. Alii reponunt : *Lege* historicorum *scripta*, *vel scripta sapientium.* Sed nihil mutandum : nam apud optimos auctores speciei genus apponitur. Ovid. *Metam.* V. :

Daulia Threicio, Phocæaque milite rura,

quum Daulis oppidum sit Phocidos. DAVIS. — Ad Stoicorum jactantiam pertinet quod titulum *sapientium* sibi vel in primis vindicaverunt, quod vel leviter in Senecæ scriptis versatum non fugit. *Sapientes* igitur κατ' ἐξοχήν sunt *Stoici.* Equur vero Stoicorum mentio præcessit? an ut speciei apponatur genus? Non puto. Quid igitur? *Historicorum*, non *Stoicorum* legendum esse. Idque probatur, 1° quod etiam in Hieronymi quodam loco librarios scripsisse *Stoicorum*, alios *historicorum*, observavit Heumannus. *Pœciles* t. II, pag. 344; 2° quod Lactantius similiter loquitur, V, 4 : *Oportebat prius humana testimonia afferri, id est philosophorum et historicorum;* 3° quod Minucius etiam revera testimonia *Stoicorum et historicorum* attulit. Ad *sapientes* referuntur Euhemerus, Prodicus, Persæus; ad historicos Alexander M., Nepos, Cassius, Thallus et Diodorus ; 4° quod glossa *Stoicorum* vocem *historicorum* pellere facile potuit, quia descriptores non animadvertebant *vel* positum esse adversative, ut cap. I. Gronovius Minucium *vel scita sapientium* edidisse putat. LINDNER.

*Ob merita virtutis aut muneris deos habitos, Erueret*, etc. Locus ab interpunctione laborat, et sic distinguendus est : *recognoces. Ob merita deos habitos Euhemerus exsequitur, et*, etc. Hæc enim præstitit antiquus ille scriptor. Cicero de *N. D.* lib. I, cap. 42 ; *Qui aut fortes aut claros aut potentes viros tradunt post mortem ad deos pervenisse, nonne expertes sunt religionem omnium? quæ ratio maxime tractata ab Euhemero est.* Adisis Lactant. *de Ira Dei* cap. 2. Vide et lib. I *Div. Inst.* cap. 11. DAVIS.

*Prodigiis.* Unde Des. Heraldus reponit *Posidippus;* sed optime restituit Nic. Rigaltius ex Ciceronis *N. D.* lib. I, cap 42 : *Quid*, inquit ille, *Prodicus Chius? qui ea quæ prodessent hominum vitæ, deorum in numero habita esse dixit.* Ubi legendum, *quid Prodicus Ceus?* Suidas Πρόδικος Κεῖος ἀπὸ Κέω τοῦ νήσου. Passim etiam apud Platonem Κεῖος vocatur. Erasmus tamen in *Adagiis* et J. Alb. Fabricius *Bibl. Græc.* lib. II, cap. 18, hunc sophistam falso Coium appellant ; licet hic ejusdem lib. XXIII cap. 41, recte Ceum statuat. DAVIS. — Neque adeo est audiendus Sevinus, qui in *Commentariis Academiæ Inscriptionum regiæ* t. VIII, pag. 2, vult *prodigiis* mutari in *prodit. Is.* HEUM.

*Novis* [*frugibus*]. Dele *frugibus*, quod nec est in edi-

Digitized by Google

tati hominum profuere. In eamdem sententiam et Persæus philosophatur, et annectit inventas fruges et frugum ipsarum repertores iisdem nominibus, ut comicus sermo est, Venerem [19] sine Libero et Cerere frigere. Alexander ille Magnus, Macedo, insigni volumine ad matrem suam scripsit, metu suæ potestatis prodi- A tum sibi de diis hominibus a sacerdote secretum: illi Vulcanum facit omnium principem, et postea Jovis gentem et despicis Isidis ad hirundinem, sistrum, et adspersis membris inanem (XVI) tui Serapidis sive Osiridis tumulum. Considera denique sacra ipsa et ipsa mysteria, invenies exitus tristes, fata et funera,

## VARIORUM NOTÆ.

tione Romana, si Wowero credimus; qui et percommode producit illud Plinii: *Singula quosdam inventa numero deorum addidere*. Delevit vero et Fulv. Ursinus *frugibus*. HEUM.

*Alexander ille Magnus, Macedo*. Wowero ultimum horum verborum videbatur abjectitium, mihi penultimum. Non enim laudare Alexandrum illum volebat Noster, sed ab aliis Alexandris discernere. HEUM. — B *Alexander ille Magnus, Macedo*. Statuunt Nic. Rigaltius, eumque secutus Chr. Cellarius, lapsum esse Minucium, et Alexandrum non *Magnum*, sed Πολυίστορα intelligi debere. Athenagoras tamen *Legat. pro Christ.* cap. 24: Ἡρόδοτος μὲν οὖν, inquit, καὶ Ἀλέξανδρος ὁ τοῦ Φιλίππου, ἐν τῇ πρὸς τὴν μητέρα ἐπιστολῇ..... φασὶ παρ' ἐκείνων (ἱερέων) ἀνθρώπους αὐτοὺς γενέσθαι μαθεῖν. Sic et Augustinus *C. D.* lib. VIII, cap. 5 et 27. Ac sane inanem esse prorsus hanc doctorum virorum suspicionem multis rationibus ostendit optimus et eruditissimus præsul Joan. Fellus ad Cypriani *de Idol Van.* pag. 12 ed. Oxon. DAVIS. — Eam tamen Alexandri Magni epistolam suppositam esse omni ope contendit doctiss. vir Sablonsky, *Pantheon Ægypt.* Prolegom. 15, 16. Vide quæ ad Tert. *Apolog.* annotavimus. EDD.

*Illic Vulcanum*. Ms. reg. *illi*. HER. et RIGALT. — Quid ergo? an Heraldus et Rigaltius ita sperunt codicem ms., ut quod ipsi in eo viderunt repudient? Indicarunt vero id propter Ursinum qui edidit *ille*, C ipsi in pejus elabentes: an vero ignorarunt in Plauto ac Terentio tam studiose eam particulam esse annotatam isto sensu, ut *dum illi sedeo?* Non dubitavi ergo restituere Minucio quod ipsius est; nam scio ita legi in unico libro. GRONOV. — *Illic* recte rescripsit Rigaltius pro ms. *illi*. Infra cap. 22: *Illic obiit, illic plios habuit*. HEUM. — *Uranum*. Ita rescribere nullus dubitavi pro eo quod est in vulgatis (atque etiam in unico ms. reg. EDD.) *Vulcanum*. Eo Lactantium de eodem argumento discerentem, I, 13: *Ennius quidem in Euhemero non primum dicit regnasse Saturnum, sed Uranum patrem*. Cui quamquam plures essent filii, ex iis tamen non nisi *Croni* f. *Saturni* mentionem facit, et, omissis Saturni filiis, solam Jovis gentem commemorat. Sic omnia facillima. Quam contorta vero emendatio Heumanni: *illi Vulcanum facit Lemniorum principem, Vesta et Jove genitum*. LINDNER.

*Despicis*. Ordinem disputationis paginarum aliquot in codice permutatione, sive alio casu, esse inter- D ruptum equidem pro certo credo. Restituendum, nisi partium luxatarum dispositione, posse non puto. Mihi cohærere verba Minucii ita videntur, cap. XXI, 4: *Illic Vulcanum facit omnium principem et postea Joris gentem. Saturnum enim principem hujus generis et examinis*, etc. Cap 23 usque ad cap. 23: *Unde manifestum est homines illos fuisse quos et natos legimus et mortuos scimus. Dispice Isidis ad hirundinem sistrum*, scilicet *et reperies eos quos natos legimus, mortuos etiam esse*. Cap. 21, usque ad cap. 23, *et in iisdem opinionibus miseri consenescunt, quum sit veritas obvia, sed requirentibus. Quis ergo dubitat*, etc. cap. 23. Conferatur etiam *Dispositio* quam huic operi præmisi. LINDNER. — Non *dispice*, sed *dispicis*, in ms. apertissime legi testis est Rigaltius, qui et interpretari conatur: id quod et facit pro sua codicis ms. superstitiosa veneratione Jac. Gronovius. Verum recte durissimam et maxime contortam vocat hanc interpretationem Davisius, qui, duce Salmasio, ita censet rescribendum, *Respicesis Isidis ad hirundinem sistrum*. At nec hæc oratio est fluida et concinna. Deterior vero est illa correctio quam in secunda sua editione protulit: *Ridet spicas Isidis ac hirundinem*. Nec probare possum Woweri conjecturam, in annotatione ad Sidonii Apollinaris lib. II, Ep. 9, pag. 418, rescribentis *dispicis*, qui sit genitivus a *dispex*. Quæ hariolatus est in *Obs. misc. crit.* t. II, pag. 54. seqq.; t. IV, pag. 442, quidam Britanniæ criticus, ea quidem mihi non placere fateor; immo dubito an ulli sint placitura. Putabat ille Minucii verba *et de spicis Isidis* posse cum superioribus cohærere, ut supponatur antecedens verbum, *facit*, hic subintelligi pro *agit*. LINDN. — Ignoscet etiam, spero, Elsnerus, vir singulari ingenio doctrinaque florens, fatenti mihi nec suarum conjecturarum unam mihi videri felicem. Hic in *Schediasmate critico*, an. 1744 edito, cap. 11, p. 111, sqq., vel ita cum nonnullis legi oportere censet: *Despice Isidis ad hirundinem sistrum*; vel ita *Despice Isidis hirundinum sistrum*. Interpretatur etiam, pag. 114, hoc *despice* per *aspice obiter*, aut *cum contemptu*. Cum vero *ad hirundinem* dici putat pro *ad similitudinem hirundinis*, merito, per genium latinæ linguæ ita loqui licere, negat criticus quidam in *Novis litterariis*, Hamburgi an. 1744 editis, pag. 8. Optimus mihi μάντις esse videtur J. Huberus, Basileensis juris doctor, idemque vir criticæ artis peritissimus. Hic, cum aliquot annos C in academia Goettingensi versaretur, privato in sermone ita refingebat hæc verba: *Aspice Isidis ac Anubidis sistrum*. Anubidem constat Isidis fuisse filium. HEUM. — Ego vero retineo lectionem Cellarianam, eamque explico: *Dispice*, h. e. *considera Isidis sistrum ad* (i. e. juxta) *hirundinem*. Isis enim depingebatur cum hirundine avicula et sistro. Erat vero, ut sistrum instrumentum ita hirundo animal querulum et luctibus aptum. Unde facile ad funera et fata licet colligere. Tertullianus *Apog.* cap., 15: *Dispicite Lentulorum et Hostiliorum venustates*, etc. LINDNER. — Alii, pro libitu suo hinc inde lacerum locum disturbantes, in alias abiere sententias, unde tantum sit satis novissima indigitare tentamenta, editoris nempe Lugdunensis, cui hæc forsan arrideant: *Dispice Isidis ab hirundine sistrum*... vel: *Vide spicas Isidis horridulæ sistrum*, vel si melius placet: *Spicam Isidis hordeaceam et sistrum*, vel demum (parce, lector): *De aspide Isidis I. ad ærisonum sistrum*.

Claudite jam rivos, pueri! EDD.

*Et aspersis*. Lego *et dispersis*. Apponam Lycophronis scholiastæ verba, a quibus non parum lucis huic loco: Ὅσιρις ὁ καὶ Διόνυσος, βασιλεὺς ὑπάρχων Αἰγύπτου ὑπὸ Τυφῶνος τοῦ ἀδελφοῦ καὶ τῶν συνωμοτῶν μεληδὸν κατετμήθη, καὶ ἐξετέθη πολλαχοῦ. Ἴσως δὲ ἡ καὶ Δήμητρα, γυνὴ Διονύσου μετὰ Ὧρου τοῦ υἱοῦ τὸν Τυφῶνα καὶ πάντας τοὺς σὺν ἐκείνῳ φονεῖς ἀνεῖρεῖ· τὰ δὲ τοῦ Διονύσου μέρη καὶ μόρια σὺν λέξασα, ἑκάστῳ ναὸν καὶ ἱερὰ ᾠκοδόμησεν. Aliorum auctorum loca, quæ abunde, adscribere supersedeo. MEURS.

*Tui Serapidis*. Hic rursus per derisum objicit Octavius Cæcilio, quod simulacro Serapidis, obviam sibi notato, manum ori admovisset, osculum labiis impressisset, quod est, adorasset. RIGALT.

*Fata et funera*. Ita est in ms. Jul. Firmicus de *Errore prof. Rel.*, pag. 408: *Sed in his funeribus et luctibus, quæ vere sunt funera quæ facta sunt*; ubi lego *facta sunt*, Heumannus legit *et fœda funera*. LINDNER.

Digitized by Google

et luctus atque planctus miserorum deorum. Isis perditum filium cum Cynocephalo suo et calvis sacerdotibus luget, plangit, inquirit, et Isiaci miseri cædunt pectora, et dolorem infelicissimæ matris imitantur : mox, invento parvulo, gaudet Isis, exsultant sacerdotes, Cynocephalus inventor gloriatur : nec desinunt annis omnibus vel perdere quod inveniunt, vel invenire quod perdunt. Nonne ridiculum est vel lugere quod colas, vel colere quod lugeas ? hæc tamen Ægyptia quondam, nunc et sacra Romana sunt. Ceres facibus accensis, et serpente circumdata, errore subreptam et corruptam Liberam anxia et sollicita vestigat. Hæc sunt Eleusina. Et quæ Jovis sacra sunt ? Nutrix capella est, et avido patri subtrahitur infans, ne voretur ; et Corybantum cymbalis, ne pater audiat vagitus, tinnitus eliditur. Cybele A Dyndima, pudet dicere, quæ adulterum suum infeliciter placitum, quoniam et ipsa deformis et vetula, ut multorum [10] deorum mater, ad stuprum inlicere non poterat, exsecuit, ut deum scilicet faceret eunuchum. Propter hanc fabulam Galli eam et semiviri sui corporis supplicio colunt. Hæc jam non sunt sacra ; tormenta sunt. Quid formæ ipsæ et habitus ? Nonne arguunt ludibria et decora [*impr.* dedecora] deorum vestrorum ? Vulcanus claudus deus et debilis ; (XVII) Apollo tot ætatibus levis ; Æsculapius bene barbatus, etsi semper adolescentis Apollinis filius ; Neptunus glaucis oculis, Minerva cæsiis, bubulis Juno, pedibus Mercurius alatis, Pan ungulatis, Saturnus compeditis ; (XVIII) Janus vero frontes duas gestat, quasi ut aversus incedat. B Diana interim est alte succincta venatrix ; et Ephesia

## VARIORUM NOTÆ.

*Calvis sacerdotibus.* Elegans lectio, quam ms. regius repræsentat. Ante in omnibus editionibus, *et aliis sacerdotibus.* Isidis sacerdotes caput rasisse notum est, et nos plura observabamus in juvenilibus nostris ad Martialem *Epigr.* 29 lib. XII, in hæc verba :

Linigeri fugiunt calvi, sistrataque turba.

Artemidorus I, 23 : Ξυρᾶσθαι δὲ δοκεῖν τὴν κεφαλὴν ὅλην, πλὴν Αἰγυπτίων ἱερεῦσι καὶ γελωτοποιοῖς, καὶ τοῖς ἐξ ἔθους ἔχουσι ξυρᾶσθαι, ἀγαθὸν, πᾶσι δὲ τοῖς ἄλλοις πονηρόν. Prudentius lib. contra Symmachum priore :

Isidis amissum semper plangentis Osirim
Mimica ridendaque suis solemnia cavis HERALD.

*Cynocephalus.* Qui et *Anubis.* Mercurius, ut Plutarchus *de Iside.* Is cultus Ægyptiis canina facie. Apuleius : *Attollens canis cervices arduas Anubis, læva caduceum gerens* WOWERUS.

*Hæc tamen Ægyptia quondam.* Puta Jac. Onzelius nihil obstare quominus dicatur Minucium eo respicere, *quod, sicut Ægyptii Isidem, ita Romani iisdem ferre solemnibus et cæremoniis Cybelen coluerint :* qua in re multum fallitur vir erudi us : moris enim fuit Romanis nullos deos, nisi publice adscitos, colere. Vide doct. virum J. Clericum ad Ped nis Albinovani *Eleg.* I, 24. Hinc Pisone et Gabinio coss. Isidis sacra Roma sunt expulsa, quæ tamen popu'us superstitiosus postea recepit. Tertullianus in *Apolog.* cap. 6 : *Serapidem et Isidem et Harpocratem cum suo Cynocephalo, Capitolio prohibitos, id est curia deorum pulsos, Piso et Gabinius coss. non utique Christiani, eversis etiam aris eorum abdicaverunt. His vos restitutis summam majestatem contulistis.* Vide et eumdem *ad Nationes* lib. I, c. 10. Arnobius lib. II, pag. 95 : *Vos Ægyptiaca numina, quibus Serapis atque Isis est nomen, non post Pisonem et Gabinium coss. in numerum vestrorum retulistis deorum.* Huc respexisse Minucium luce meridiana est clarius. DAVIS.

*Et serpente circumdata.* Codex regius, affirmante Heraldo, *circumdata :* sed præstat *circumlata.* Ovidius *Fastor.* IV, 497, de Cerere :

Frenatos curribus angues
Junxit, et æquoreas sicca pererrat aquas

Defendit etiam hanc scripturam Hieron. Alexander in *Explicatione antiquæ tabulæ solis effigie symbolisque exsculptæ*, pag. 754 editionis Græviauæ. Quod Gronovius affert ænigma, nempe faces circumdatas serpente, non probat lectionem codicis ms. : nam, quia Ceres in eo numino non curru insidens repræsentatur, serpentes etiam junctæ currui esse non possunt, sed simpliciter faces circumdatæ serpente efficiæ sunt. LINDNER.

*Liberam.* Sic vocabatur Proserpina. Cicero *in Verrem*, lib. IV, pag. 1281, ed. Lamb. : *Raptam esse liberam, quam eamdem Proserpinam vocant, ex Ennensium nemore.* Ac *de N. D.* lib. II, cap. 24. : *Quod ex nobis natos, liberos appellamus, idcirco Cerere nati, nominati sunt Liber et Libera, quod in Libera servant, in Libero non item.* Vide et Arnobium lib. V, pagg. 171. 182. DAVIS.

*Et quæ.* Ita ms. et editio Romana.

*Tinnitus eliditur.* Ita esse in ms. colligo ex silentio Heraldi, qui, si aliter legisset, locum intactum haudquaquam reliquisset. Interim Rigaltius ibi esse testatur *initus eliditur :* id quomodo conciliari queat, equidem non video ; video tamen ex *initus* facili negotio fieri posse *tinnitus*, quod probo. Ut Noster dicit *tinnitum elidere*, ita Celsus IV, 4, dixit *sibilum elidere*, C et Plinius XI, 51, *sonum elidere similem sternutamento.* Is vero tinnitus ideo Corybantum cymbalis elidebatur, *ne pater audiret vagitus*, i. e. vagitum crebrum atque indesinentem. Rigaltius mavult *intus eliditur ;* Wowerus *tinnitus editur ;* Heumannus, *vagitus tinnitu eliditur.* LINDNER

*Cybele Dyndimena.* Hæc emendatio debetur Cel. Heumanno, cæteris quæ adhuc lucem conspexerunt, longe præferenda. Rigaltius *Cybelæ Dyndima* legi volebat ; Davisius, *Cybelæ Dyndimena ;* Cellarius, *Cybelen Dyndimenam ;* Meursio auctore, in ms. est : *Cybele Dyndima pudet dicere quæ*, etc. LINDNER. — *Cybele Dyndima.* Τὰ Δίνδυμα. Nec fuit heic mutandum quidquam. Virgilius, *ite per alta Dyndima.* Servius : *Montes matris deum.* Catullus dixit *deam Didymi*, sive *Dindymi* RIGALT. — Ms. repræsentat *Cybele Dindymena*, unde vett. editt. exhibent *de Cybele Dindymena.* Joan. autem Meursius reponendum censuit *Cybelen Dindymenam*, ac ita edidit. Chr. Cellarius. D Mihi vix dubium videtur quin legi debeat *Cybelæ Dindymena* ; a mente enim quo agebantur, ita dicta sunt Cybeles sacra. DAVIS.

*Et ipsa.* Clare apparet, rescribendum esse *ipsa et.* HEUM.

*Et semiviri.* Qui, quæso, *semiviri*, præter Gallos, Cybelem *sui corporis supplicio colebant ?* Nulli. Omnino legendum : *Galli eam semiviri*, delecta conjunctione, invexit librariorum stultitia. DAVIS. — Quid, si Minucius ἐμφατικῶς conjunctionem illam addiderit ? In hanc nimirum sententiam : Galli usque adeo Cybelen colunt, ut *etiam* semiviri, sui corporis supplicio eam colant.

*Et dedecora.* Recte ita rescriptum pro ms. *et decora.* Heum. Heraldus scriptum arbitratur *ludibria dedecora.* LINDNER.

*Quasi ut aversus.* Ita est in cod. ms. et ita ediderunt ea verba Heraldus, Rigaltius, Davisius, Gronovius, qui posterior tamen inesse iis vitii aliquid suspicatur, legendumque *quasi utraversus incedat.* Sed eam cor-

Digitized by Google

mammis multis et veribus exstructa ; et Trivia trinis capitibus, et multis manibus horrifica. Quid ? ipse Jupiter vester modo imberbis statuitur, modo barbatus locatur : et quum Hammon dicitur, habet cornua ; et quum Capitolinus, tunc gerit fulmina ; et quum Latiaris, cruore perfunditur ; et quum Feretrius, non aditur. (XIX) Et, ne longius multos Joves oberam, tot sunt Jovis monstra quot nomina. Erigone suspensa de laqueo est, ut Virgo inter astra, ignata sit. Castores alternis moriuntur, ut vivant : Æsculapius, ut in deum surgat, fulminatur : Hercules, ut hominem exuat, Henneis [*vulg.* Œteis] ignibus concrematur.

## CAPUT XXII.

ARGUMENTUM.— *Has porro fabulas, ab imperitis hominibus primum traditas, alii deinceps celebrarunt, ac poetæ potissimum, qui haud parum veritati sua auctoritate nocuere; atque hujusmodi figmentis et mendaciis dulcioribus corrumpuntur ingenia puerorum, qui proinde in iis miseri consenescunt, quum alioquin sit obvia, sed requirentibus.*

(XX) Has fabulas et errores et ab imperitis parentibus discimus, et, quod est gravius, ipsis studiis et disciplinis elaboramus, carminibus præcipue poetarum, qui

## VARIORUM NOTÆ.

rectionem probare non possum, utut eam defendat vir doctissimus in *Ludibr. Malevola* Clerici, pag. 47. Neque vero magis placet Ursini, Woweri et Elmenhorsti conjectura, *quasi et aversus*. Cod. ms. lectionem, unice veram, tuetur Plauti locus *Mercat.* I, 1, 90 : *Servum una mittit, qui olim a puero parvulo mihi pædagogus fuerat, quasi ut mihi foret custos.* Nam in his τὸ *ut* παρέλκει ut τὸ *quod* non raro. *Aversus* autem idem est quod *a tergo*. Livius, XXXIII, 8, *quod cædebantur aversi*. Aur. Victor, *Orig. gent. Rom.* VI, 2, de Caco, Evandri servo : *Recurani hospitis boves surripuit, ac, ne quod esset indicium, aversos in speluncam attraxit.* Duas frontes Jano dedisse veteres notum est. Ovid. *Fast.* I, 89, sqq.

Sitque quod a tergo, sitque quod ante videt.

Causas cur bifrontem fluxerint veteres, allegant Vossius, *de Orig. et progr. Idolol.* I, 19; et Everh. Otto, *de Tutela Viar. publ.* part. I, c. 7, p. 126. GRUNER. — Addo Lactantium, III. 24 : *Quid dicam de iis nescio qui, quum semel aberraverint, constanter in stultitia perseverant, nisi quod prudentes et scios mendacia defendenda suscipere, puto quasi ut ingenia sua in malis rebus exerceant;* ubi conferatur Bünemannus. LINDNER.

*Veribus exstructa*, alii leg. *uberibus;* non est hic substantivum (quod ab omnibus est creditum), sed adjectivum. *Mammas uberes* vocat Noster, *quæ multo lacte plenæ sunt :* (quod fortasse ex magnitudine uberum colligere datur, licet alias ex mammarum magnitudine ad earum ubertatem minus recte colligitur. LINDNER. — Sic *uber ager* apud Livium XXIX. 25, et XXXIV, 62 ; *uber solum* apud Tacitum, *Hist.* V, 6, et Curtium, VI, 4. In ms. codice Minucii est *veribus*, quod factum esse ex *uveribus* (ita enim sæpe scribebant librarii, litteras *b* et *u* permutantes) acute conjecit Rigaltius, ideoque *uberibus* rescribere non dubitat : id quod et Heraldo placuit. Ac eodem modo locum hunc Lipsius emendavit ad Taciti *Annalium* III, 61 Supra quoque cap. 19. codex ms. *verius* habet, pro *uberius;* et infra cap. 36, *verius* est in Romana editione pro *uberius*. Apparet nunc falsissimam esse correctionem Lucæ Holstenii, qui, in *Epistola de verubus Dianæ Ephesiæ* Romæ primum an. 1688 edita, et in *Actis Eruditorum* recensita, *supplem.* I, pag. 350, posteaque in tom. VII *Antiquitatum Græcarum* Gronoviano recusa, rescribendum judicabat *verubus :* quod quidem etiam in editione Romana reperio. Rejicit vero et Davisius hanccce correctionem, quæ tamen se probarat Jac. Gronovio. HEUM. — Hujus explicationis auctor primus non est Heumannus, sed J. Tristanus, teste Luca Holstenio, cujus *Epistolam de Verubus Dianæ* calci hujus libri subjeci. LINDN. — Vid. eamdem epist. in hoc tomo, paulo infra, post D. Nic. Le Nourry dissertationem, col. 365. EDD.

*Barbatus locatur* Verbum *locatur* tollendum esse judicat Heum, sed commodius retinetur. Est enim pro composito *collare*, quod habet Phædrus in *Epilogo* lib. II : *Æsopo ingentem statuam posuere Attici, servumque collocarunt æterna in basi.* LINDNER.

*Tunc gerit fulmina*, Offendebat Gronovium particula *tunc ;* quæ tamen neminem hoc loco magis offendere debet, quam *tum* apud Ciceronem pro *lege Manilia* cap. 6 : *Quum venit calamitas, tum detrimentum accipitur;* et Plautum : *Ego tunc adero quum tui videndi mihi copia erit.* Similis redundantia adfuit cap. 17, *quam e terræ*, etc. LINDNER.

*Non aditur*. Sc. *a supplicaturis. Supplicaturi enim*, inquit Broukhus. ad Tibull. I, 593, pag. 104, *vel gratias acturi, propria locutione* adire deos *dicebantur, et* adire ad deos. Jupiter enim Feretrius non ideo erat ut a supplicaturis adiretur, qui honos potius capitolino est habitus, sed ut ei spolia opima, hostibus devictis, ferrentur. Ita Wow. et Rigalt., pro eo quod in codice est : *non auditur* legunt, sed aliter explicant : Wowerus, cum dicit, *intra annos paulo minus* DXXX, *auctore Festo, tantum trina opima spolia Jovi Feretrio suspensa ;* Rigaltius, cum scribit *Jovem Feretrium ideo non adiri quia spolia opima non Feretrio ferebantur, sed Marti, sed Quirino.* Jac. Gronovius, *nomen auditur*, non vero etiam statua vel habitus cernitur. J. F. Gronovius, *opimis induitur ;* Schefferus, *non clauditur*, putans templum ejus, sicut Pacis, semper fuisse apertum, quia et Feretrius pacem ferre credebatur. Witholius in *Encæniis Criticis*, an. 1741 editis, *votis aditur ;* sed hoc commune illi cum Hammone, Capitolino et Latiari Perizonius. *pompa aditur*, Heumannus, *cum pompa aditur*. Sed et Capitolinum cum pompa adibant. LINDNER. — *Cum Feretrius, non auditur*. Locus est a variis tentatus. Eorum conjecturas recenset rejicitque Davisius, qui sic demum concludit : Multo quidem facilius est redarguere falsa quam vera reperire ; forsan tamen haud incommode correxerim : *cum Feretrius, non audit*. Romanos tecte ridet Minucius quod a tanto tempore opima spolia non tulerant. GALLAND.

*Et ne longius*. Perplacet sententia Heumanni, qui irrepsisse *multos Joves* e margine ait, et *ne longius abeam* legendum esse monet, ut Cicero, lib. II *de Fin.* cap. 30, *ne longius abeam, quid dicat Epicurus*. Sed nolui quidquam mutare in re adhuc dubia, in primis cum Cicero *de Nat. Deor.* lib. III, cap. 16 : Joves plures commemorat ; et *obire terram*, pro *perlustrare* notum sit. Sic Pallas, apud Virgilium *Æn.* lib. X, v. 446 :

Corpusque per ingens
Lumina volvit, obitque truci procul omnia visu.

*Ignita*. Ita pro ms. *ignata* scribentes Rigaltium et Heraldum duces secuti sunt editores omnes, præter Gronovium Jacobum, qui *signata* rescribendum duxit, invita profecto minerva critica. Illud tamen probe videt, verbum *ignata* non cum *astra*, sed cum *virgo* conjungi oportere. Clarius utique dicere poterat Minucius : *Ut inter astra sit virgo ignita*. HEUM.

*Œtæis ignibus*. In ms. *Henneis*. Dictatum fuerat, *Ætnæis*, prave pro *Œtæis*. RIGALT.

CAP. XXII.—*Discimus*. Sic ms. reg., melius quam vulgo, *didicimus*. HERALD. Tuetur etiam lectionem ms. Lud. Carrio, *Emendat.* lib. II, cap. 18. HEUM.

*Elaboramus*. Elaborare est *exornare, expolire*, Ci-

Digitized by Google

plurimum quantum veritati ipsi sua auctoritate nocuere.[31] Et Plato ideo præclare Homerum illum inclytum, laudatum et coronatum, de civitate quam in sermone instituebat, ejecit. Hic enim præcipuus bello Troico deos vestros, etsi ludos facit, tamen in hominum rebus et actibus miscuit : hic eorum paria composuit, sauciavit Venerem, Martem vinxit, vulneravit, fugavit. Jovem narrat a Briareo liberatum, ne a diis cæteris ligaretur; et Sarpedonem filium, quoniam morti non poterat eripere, cruentis imbribus flevisse; et thoro [*impr.* loro] Veneris illectum, flagrantius quam in adulteras soleat, cum Junone uxore concumbere. Alibi Hercules stercora egerit, et Apollo Admetto pecus pascit; Laomedonti vero muros Neptunus instituit, nec mercedem operis infelix structor accipit : illic Jovis fulmen cum Æneæ armis in incude fabricatur, quum cœlum et fulmina et fulgura longe ante fuerint quam Jupiter in Creta nasceretur, et flammas A veri fulminis nec Cyclops potuerit imitari, nec ipse Jupiter non vereri. Quid loquar Martis et Veneris adulterium deprehensum? et in Ganymedem Jovis stuprum cœlo consecratum? quæ omnia in hoc prodita, ut vitiis hominum quædam auctoritas pararetur. His atque hujusmodi figmentis et mendaciis dulcioribus corrumpuntur ingenia puerorum, et, hisdem fabulis inhærentibus, ad usque summæ ætatis robur adolescunt, et in iisdem opinionibus miseri consenescunt, quum sit veritas obvia, sed requirentibus. Saturnum enim[32] principem hujus generis, et examinis omnes scriptores vetustatis, Græci Romanique, hominem prodiderunt. Scit hoc Nepos et Cassius in historia, et Thallus ac Diodorus hoc loquuntur. Is itaque Saturnus, Creta profugus, Italiam, metu filii B sævientis, accesserat, et, Jani susceptus hospitio, rudes illos homines et agrestes multa docuit, ut græculus et politus, litteras imprimere, nummos si-

## VARIORUM NOTÆ.

cero in *Orat.* 84 : *Elaborata concinnitas.* Heumannus legit *corroboramus.* LINDNER.

*Plurimum quantum.* Cellarius et plures alii ediderunt *permirum quantum :* quod etiam est in editione Romana Sed in ms. est *plurimum quantum :* quod recte defendit Carrio in modo laudato capite. Infra, cap. 40, iterum occurrit *plurimum quantum :* quod et habet Romana illa editio. HEUM.

*Ipsi sua auctoritate.* Cicero de *Nat. Deor.* I, 16 : *Nec enim multo absurdiora sunt ea quæ poetarum vocibus fusa, ipsa suavitate nocuerunt.* Et Noster, infra : *His atque hujusmodi figmentis et mendaciis dulcioribus* C *corrumpuntur ingenia puerorum.* Vide annon legendum sit : *ipsa sua suavitate.* LINDNER.

*Laudatum et coronatum.* Minucius brevi compendio retulit quæ longiori hoc sermone dixit Plato lib. III, de Rep. : *Si quis in urbe nostra voluerit poemata sua ostentare, venerabimur quidem ipsum ut sacrum, admirabilem et jucundum; dicemus autem non esse fas ut ejusmodi homo sit in rep. nostra; emittemusque eum aliam in urbem, effuso in caput ipsius unguento, impositaque corona lanea.* Ea *laudatum* prius poetam, deinde *coronatum*, tum *e civitate ejectum !* HEUM.

*Sermone.* Eleganter *sermonem* pro libro, tractatu, dialogo, seu historia dici probat R. Bentleius ad Horat. III. *Ode* 8, v. 5, p. 110. Item Cicero lib. IX. *ep.* 8 : *Feci igitur sermonem, inter nos habitum in Cumano, cum esset una Pomponius.* LINDNER.

*Loro Veneris.* Sic est in ms. Minucii codice, non *cesto Veneris* : pro quo in editione Romana vitiose scriptum est *toro :* quod et edidit Gronovius. HEUM. —In cod. reg nitide scriptum est : *thoro.* EDD.

*Instituit.* Heusingerus, teste Heum., legit *instruit.* Nihil muto, et Burmanni illud usurpo, qui, cum in Quintil. *Instit.* l. I, c. 1, p. 17, variari in his vocibus videret; *parum referre*, inquit, *arbitror, quum utraque lectio facile probari possit.* Alterum fortasse ideo præferendum, quia sequitur *infelix structor*, non putaverim. LINDNER.

*Illic* [*Vulcanus*]. Dele posterius verbum, quippe in ms. non repertum, sed in editione demum Romana. Omiserunt igitur jure id verbi suis in editionibus Rigaltius, Davisius, Gronovius. HEUM.

*Cœlum et fulmina.* Adjecimus copulativam particulam ex ms. reg. HERALD.

*In Ganymede.* Usitatius, *in Ganymede*, vel deleatur *in*, ut sensus sit *: quid loquar Ganymedem, Jovis stuprum*, etc. LINDNER.

*Ut vitiis hominum.* Ita edidit Heraldus, nihil quidquam monens de diversa scriptura. Rigaltius vero, *ut judicii*s scripturam esse antiqui exemplaris satis apertam affirmat. Retinui lectionem Heraldi, quam etiam habet Sabæus; scilicet,

Quod decuit divos, cur mihi turpe putem?

inquit aliquis verbis Ovidii, *Amor.* II, 8.—Hæc antiqui exemplaris scriptura probatur Rigaltio. Etenim, inquit, depravato judicio, hominibus male judicantibus, quæ leguntur a diis vitia perpetrata, pro virtutibus habentur. At Gelenius et Cellarius edidere, *ut vitiis hominum.* Paulo propius accedens ad ms. vestigia Davisius, legendum putat *uti vitiis hom.* Satis bene. Minus enim placet altera viri eruditi conjectura, legentis in secunda editione, *ut flagitiis hominum quædam auctoritas pararetur.* GALLAND.

*Corrumpuntur.* Systema gentilismi perquam accommodatum esse corrumpendis moribus, docet Bælius *Diction.* sub voce JUPITER, lit. D. LINDNER.

*Iisdem.* In ms. est *hisdem;* illud tamen valet, *iisdem.* Videatur Bunem. ad Lactant. *de Mort. Persec.* XXIII. LINDNER.

*Inhærentibus.* Sc. *in animo.* Neque male legeremus *inhærentes.* Supra cap. 1, *quo Cæcilium superstitiosis vanitatibus etiam nunc inhærentem.* Lactantius, I, 1 : *Multi enim superstitionibus vanis pertinaciter inhærentes.* LINDNER.

*Examinis. Examen*, pro multitudine, grege, Pacatus, Plinius aliique dixerunt. Sic etiam in loco huic congruo Tertullianus, *Apolog.* cap. 10 : *Satis jam de Saturno, licet paucis. Etiam Jovem ostendemus tam hominem quam ex homine, et deinceps totum generis ipsius examen tam mortale quam seminis sui pater.* Et D hunc locum Minucius ob oculos habuisse videtur. LINDNER.

*Et, Jani.* Hæc est verissima lectio e ms. reg. Antea, *etiam susceptus hospitio.* HERALD.

*Litteras imprimere.* Cf. Cyprian. *de Idol. Vanitate*, cap. 2. Et hinc ariolatus est Pomponius Læt. natam esse in Italia ævo Saturnio, typographicam artem, cui acriter oppugnavit Peutinger *Serm. conv. de Germ. mirand.* Videsis interea Tullium hæc lib. II, *de Nat. Deorum*, 37, Balbo disputante, disserentem :.... *Cur non idem putet, si innumerabiles unius et viginti formæ litterarum vel aureæ vel quales libet, aliquo conjiciantur, posse ex his in terram excussis annales Ennii, ut deinceps legi possint effici : quod nescio anne in uno quidem versu posset tantum valere fortuna.* Immo ante ævum Saturnium, si fides doctiss. viro Grotesend, jam in Oriente, Babylonicis tegulis testantibus, exstabat vera ars caracteres ex typis æneis imprimendi. Cf. Lambinet, *Orig. de l'Impr.*, tom. I, p. 359. Prosper Marchand, *Hist. de l'Impr.*, pag. 3-5. Portbuiann,

Digitized by Google

gnare, instrumenta conficere. Itaque latebram suam, quod tuto latuisset, vocari maluit Latium, et urbem Saturniam dedit de suo nomine, et Janiculum Janus ad memoriam uterque posteritatis reliquerunt. Homo igitur utique qui fugit, homo utique qui latuit, et pater hominis, et natus ex homine : terræ enim vel [*impr.* et] cœli filius, quod apud Italos esset ignotis parentibus, proditus; ut in hodiernum inopinato visos, cœlo missos; ignobiles et ignotos, terræ filios nominamus. Ejus filius Jupiter Cretæ, excluso parente, regnavit, illic obiit, illic filios habuit; adhuc antrum Jovis visitur, et sepulchrum ejus ostenditur, et ipsis sacris suis humanitatis arguitur.

## CAPUT XXIII.

ARGUMENTUM. — *Quamvis ethnici reges suos mortales agnoscant, illos tamen deos fingunt, vel ipsis invitis; non ad fidem numinis, sed ad honorem emeritæ posteritatis. Atqui verus Deus neque ortum habet neque occasum. Deorum deinde imagines et simulacra Octavius exagitat.*

Otiosum est ire per singulos et totam seriem generis istius explicare, quum in primis parentibus probata mortalitas in cæteros ipso ordine successionis influxerit : nisi forte post mortem deos fingitis, et, pejerante Proculo, deus Romulus, et Juba, Mauris volentibus, deus est, et divi cæteri reges, qui consecrantur, non ad fidem numinis, sed ad honorem emeritæ potestatis. Invitis[22] his denique hoc nomen adscribitur : optant in homine perseverare; fieri se deos metuunt, etsi jam senes, nolunt. Ergo nec de mortuis dii sunt, quoniam Deus mori non posset [*impr.* potest]; nec de natis, quoniam moritur omne quod nascitur, divinum autem id est quod nec ortum habet nec occasum. Cur enim, si nati sunt, non hodieque nascuntur? nisi forte jam Jupiter senuit et partus in Junone defecit, et Minerva canuit antequam peperit. An ideo cessavit ista generatio, quoniam nulla hujusmodi fabulis præbetur adsensio? Cæterum, si dii creare possent, interire non possent; plures totis [*impr.* natis] hominibus deos haberemus, ut jam eos nec cœlum contineret, nec aer caperet, nec terra gestaret : unde manifestum est homines illos fuisse quos et natos legimus et mortuos scimus. Quis ergo dubitat horum

## VARIORUM NOTÆ.

*Essai sur l'Impr.*, Cicer., ed. Leclerc, t. XXV, p. 328. EDD.

*Et urbem Saturniam dedit de suo.* Sic est in ms. Fulv. Ursinus primus edidit : *urbem Saturniam de suo nomine*, omissa voce *dedit*. In quibusdam editum est : *urbem Saturniam dedit suo nomine*, omisso *de*. Arntzenius ad Aurel. Victor., pro *dedit*, legendum *condidit* putabat. Sed docuit Barthius ad Stat. III, *Theb.* 16, *dare* pro *condere* accipi solere, ut adeo mutat one opus non sit. Adsunt hic duo verba, *dedit* et *reliquerunt*, ex quibus unum absit necesse est. Si posterius deleas, verba sic fluunt : *urbem Saturniam dedit de suo nomine, ut Janiculum Janus. Ad memoriam uterque posteritatis.* Posterior tamen ratio, qua *dedit* abest, plures subscriptores nacta est. LINDNER.

*Quod apud Italos.* Non item apud Cretenses. *Esse ignotis parentibus*, est, *ignotos parentes habere*. Heum. non dubitat hanc esse veram scripturam : *quod apud Italos essent ignoti parentes ejus*. LINDNER.

*Inopinato visos.* Barthius ad Statii *Theb.* X, 752, quia *inopinato visi* etiam terræ filii vel terra editi dicerentur, lacunam inesse his statuit quorumdam, quibus expressis oppositio aptior esset inter *inopinato visos* et *ignobiles ignotosque*. Sed ita distinxisse auctor videtur, ut prioribus speciatim intelligat homines aliqua in parte claros aut præstantes, posterioribus tales, qui, cum obscuro sunt ortu, tum factis virtutibusve se non adeo illustrant. Sic autem cepisse etiam Lactantius videtur, I, 11. Et *terræ filiorum* appellatio plerumque hominibus vilioribus accommodatur. WOPK.

*Adhuc antrum.* Lege *illic adhuc antrum*. HEUM.

CAP. XXIII. — *Et pejerante.* Non incommode rescribi volebat Meursius *ut pejerante*. .. At, cum correctio hæc non sit necessaria, ei non subscribo. In editione Romana est *et pejerante* : quod forsan scriptum pro *et perjurante*. Vide quod ad Lactantii *de Ira*, cap. 16, scripsi. HEUM. — Cyprianus, 2, 5, habet *pejerante*. LINDNER.

*Et Juba.* Numidiæ an Mauritaniæ rex fuerit, dubitant. Cellarius Numidiæ regem fuisse probat ex Dione, qui simul testatur tempore civilis Pompeiani bello divisum Mauritaniæ regnum fuisse, Boccho in citeriore, Bogude in ulteriore regnante. Interim Lucanus, IV, 672, ejus regnum ad Gaditanum mare extendit. Sed detur hoc fuisse licentiæ poeticæ; at vero expressis verbis *Mauritaniæ rex* vocatur a Floro, IV, 2; et Eutropio, VI, 18. Tacitus item *Annal.* lib. IV, cap. 5 : *Jubam*, inquit, *Mauros ex dono P. R. accepisse*. Idem *Histor.*, lib. II, 58, *famam* ait *fuisse Albinum, spreto procuratoris vocabulo, insigne regis et Jubæ nomen, usurpasse*. Erat autem Albinus procurator Mauritaniæ. Quod vero Cellarius addit, vero non esse simile Jubam, ad Thapsum a Cæsare victum et, desperatis rebus, sibi manus inferentem, a suis facile consecratum fuisse, id nihil, quantum ego video, difficultatis habet, quia Mauri omnes suos sine discrimine reges pro diis habebant, quocumque mortis genere perierunt. Et fortasse hunc præ cæteris elegit, quo absurditas ejus consecrationis magis pateret. LINDNER.

*Optant in homine perseverare.* Heumannus rescribit, *optant homines perservari*. Ego nihil muto. Notæ sunt locutiones *hominem induere et exuere*, i. e. humanam naturam : de quibus vid. Bunem. ad Lactant. IV, 10. Et ipse Paulus, I *Corinth.*, XV, 53 : Δεῖ γὰρ τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀφθαρσίαν, καὶ τὸ θνητὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀθανασίαν. Lactant. IV, 25 : *Ut appareret etiam in homine illum esse cœlestem*. Ergo, *optant in homine perseverare*, est, optant diutius manere homines. LINDN.

*Et, si jam senes.* J. Meursius correxit *etsi jam senes. Non sunt ergo*, etc. Sed nihil opus est ut quidquam mutemus, nisi quod, duabus voculis in unam compactis, legendum sit, *etsi jam senes, nolunt;* quomodo locus fiet integer. DAVIS. — Lego : *et, etsi jam senes.* HEUM.

*Et partus in Junone defecit.* Quod eo magis mirum videri poterat, cum mysterium habuit renovandi quotannis virginitatem, lavando se in Canatho, Peloponesi flumine. Pausanias, *Peloponn.*, lib. II, extremo, atque etiam partim afflatu auræ, partim tactu floris et lactucæ esu concepit. LINDNER.

*Si dii creare possent.* Sic recte mss., licet aliter visum Jac. Ouzelio, cui placet *creari*. Sed vir bonus in animum non revocavit huic verbo *gignendi* significationem inesse; theologiæque, ut opinor, quam Criticæ peritior, *creationem ex nihilo* statim somniavit. Ovidius, *Metam.*, lib. VII, 666 :

Simul et Pallante creati
Conveniunt.

Et lib. XIII, 22 :

Digitized by Google

imagines consecratas vulgus orare et publice colere? A nec postea de vestra veneratione culturam : nisi forte dum opinio et mens imperitorum artis concinnitate decipitur, auri fulgore præstringitur, argenti nitore et candore eboris hebetatur. Quod si in animum quis inducat tormentis quibus et quibus machinis simulacrum omne formetur, erubescet timere se materiem ab artifice, ut deum faceret, illusam. Deus enim ligneus, rogi fortasse vel infelicis stipitis portio, suspenditur, cæditur, dolatur, runcinatur; et deus aureus, vel argenteus, de immundo vasculo sæpius, ut factum Ægyptio regi, conflatur, tunditur malleis et incudibus figuratur; et lapideus cæditur, scalpitur et ab impurato [a] homine lævigatur; nec sentit suæ nativitatis injuriam, ita ut B liter judicant? Mures, hirundines, milvi, non sentire nondum deus saxum est, vel lignum, vel argentum. Quando igitur hic nascitur? ecce funditur, fabricatur, sculpitur; nondum deus est : ecce plumbatur, construitur, erigitur; nec adhuc deus est : ecce ornatur, consecratur, oratur : tunc postremo deus est quum homo illum voluit et dedicavit.

## CAPUT XXIV.

ARGUMENTUM. — *Brevi insuper inductione demonstrat quantum in celebrandis quorumdam deorum mysteriis ridiculi, obscœni crudelesque ritus observarentur.*

Quanta vero de diis vestris animalia muta natura-

## VARIORUM NOTÆ.

Nobilitate potens essem Talamone creatus.

Lucretius, lib. I, 734 :

Ut vix humana videatur stirpe creatus.

Ac iterum, lib. V, 1012 :

Prolemque ex se videre creatam.

Lactant., *Epist.*, cap. 5 : *Libido..... creandis liberis servit.* Plura exempla facile possunt congeri, sed rei notæ non immorabor. DAVIS. — Conferatur etiam Burmannus ad Phædr. I, 16 : *Si crearit liberos*; et Torrentius, cum aliis ad Valer. Max. VII, 7, *quia non creandorum liberorum causa conjugium intercesserat.* LINDNER.

*Præstringitur.* Dion. Lambinus, ad Lucretii lib. III, pag. 411, scribit : *auri fulgore præstinguitur*; et ad Horatii lib. II. Epist. 1, pag. 234, ait, *ubicumque legitur* præstringere, *seu* præstringere *oculos, seu* aciem oculorum, *legendum* præstinguere. Sed hæc sententia nimis est dictatoria. Lactantius, lib II, cap. 6 : *Horum pulchritudo ac nitor præstringit oculos.* Nonius Marcellus, pag. 695, *præstringere obtenebrare.* Plautus *Milite Glor.* :

Præstringat oculorum aciem in acie hostibus.

Locus exstat act. I, scen. I, 4 : ubi vir eruditus non modo eumdem errorem in notis repetiit, sed et perperam edidit *præstinguat aciem*, quod sane perquam est temerarium, cum Ciceronem, Livium aliosque non aliter locutos esse constet; præterquam quod illum versum ita etiam laudet Apuleius *de Deo Socrat.* p. 77, ed. Lugd. DAVIS.—Conferatur etiam Bunem. ad Lactant. II, 6. LINDNER.

*Tormentis quibus.* Lege *tornis quibus;* nam vox *tormentum* notat 1° machinam bellicam, 2° supplicium et cruciatum, 3° funem tensum. Prior ille significatus plane huc non quadrat; alter quidem posset quodammodo applicari, si eo sensu accipias ut simulacra cædendo, dolando, runcinando, dolorem pati existimentur; sic etiam tertius ille, cum funibus simulacrum suspenditur, quod tamen uncis immissis factum potius credo. Sed *tornus* est instrumentum fabrile quod, auctore Plinio, VII, 56, *Theodorus Samius invenit.* LINDNER. — Lindnerus legere vult : *tornis quibus;* sensui autem loci et contextui *tormentum* illud aptius videtur et commodius. RUSWUM.

*Timere se materiem.* Ita edidimus, ms. reg. auctoritatem secuti. Legebatur antea, *Erubescet temere se materiei, ut deum faceret, illusum;* nullo sensu. Quæ autem hoc loco disseruntur a Minucio, ea omnia explicata sunt ad Tertulliani *Apolog.* HERALD.

*Aureus.* Edit. Rom. male, *Deus cereus vel argenteus.* HERALD.— Rescribit *aureus*, sed hæsitanter, Gatakerus in *Cinni* sui lib. II, cap. 19, pag. 571. Confidentius ita emendasset si in Minucii, cap. 24, legisset, *in auro et argento* (e quo diu sunt ficti) *consecratam* (ab ethnicis) *esse avaritiam.* Recte idem monet *sæpius* hic esse corrigendum, cum non sæpius sed semel id fecerit rex ille Ægyptius. Itaque pro *sæpius*, vel *legimus*, vel *scimus*, scripsisse putat Minucium. Mihi in promptu est correctio facilior, ideoque verisimilior : Scilicet, adhibita verborum trajectione sic scribo : *de immundo vasculo sæpius, ut factum Ægyptio regi.* Video nunc etiam Jac. Gronovio ita rescribendum videri. HEUM.

*De immundo vasculo, ut sæpius factum Ægyptio regi.* Minucius ad Amasidis facinus respicit, quod narrat Herodotus lib. II, cap. 172, et ex eo Athenagoras *Legat. pro Chr.*, cap. 23. Aliter hunc locum distinguit Cotelerius ad Clement. *Hom.* X, cap. 8; aliter legit Gatakerus *Advers. miscell.* lib II, cap. 19, pag. 571, sed absque causa sontica. DAVIS.

*Et incudibus.* Scribo *et in incudibus.* MEURS.

*Impurato.* Recte ms. ita, non *imperito*, quod editio Romana habet, et hinc plures aliæ. Loca Plauti quibus idem verbum occurrit, exhibet Pareus in *Lexico critico.* Minuciano vero loco huic simillimum Justini martyris produxit ad hunc locum Elmenhorstius, alium Origenis Heraldus. HEUM.

*Nondum deus saxum est.* In hisce verbis non modo nullum esse acumen, sed ne sensum quidem, ait Davisius, nisi divisa vocula, legas : *Nisi forte non, dum deus, saxum est.* Non opus. Sensus est : *Nisi forte saxum, vel lignum, vel argentum nondum deus est*, scilicet materia saxi, ligni vel argenti rudis atque inelaborata, nondum est deus, quod assumit Noster hypothetice. Inde pergit : *Quando igitur hic nascitur?* hoc est, *quando igitur saxum, vel lignum, vel argentum fit deus?* LINDNER.

*Quum homo illum voluit.* Hanc lectionem rite doctissimi Rigaltius et Heraldus ex ms. vindicaverunt, quæ frustra conjecturis illuditur, jam ab prima editione. Nam *voluit* est Minucii, ut contra dixit, *quos per diem negamus, nolumus;* sic *in natali meo versutiam nolo non credo.* Nonne habet ex Ciceronis placitissimo libro II *de Orat.* cap. 6, id præbentis ex Lucilio, *Lælium Decimum volo*, quod ille in suo argumento et ante et post intelligit pro arbitratu. GRONOV. — Antea legebatur *ille voluit*, ut edidit Cellar. Corrigit *quum homo illum vovit*, Meurs.; *cum homo illum, quem Deum esse voluit et dedicavit*, Heum. LINDNER. — *Cum homo illum voluit.* Nempe esse Deum, inquit Rigaltius, sanam esse ms. lectionem contendens. Cellarius, *cum homo ille voluit* Meursius *vovit.* Davisius autem *coluit :* quæ quidem vox, eo judice, huic loco bene convenit, sive proletariam *adorandi*, sive minus vulgarem *ornandi* significationem recipias. GALLAND.

CAP. XXIV. — *Quanto verius.* In ms. est *quanta vero*, pro quo *quanto verius*, primus rescripsit Fulv. Ursinus. LINDNER.

*Naturaliter.* Non est glossema, sed significare vo-

Digitized by Google

eos sciunt, norunt; inculcant, insident; ac, nisi abigatis, in ipso dei vestri ore nidificant. Araneæ vero faciem ejus intexunt, et de ipso capite sua fila suspendunt: vos tergitis, mundatis, eraditis, et illos quos facitis, protegitis et timetis. Dum unusquisque vestrum non cogitat prius se debere Deum nosse quam colere; dum inconsulte gestiunt parentibus obedire; dum fieri malunt alieni erroris accessio, quam sibi credere; dum nihil ex his quæ timent norunt: sic in auro et argento avaritia consecrata est; sic statuarum inanium consignata forma; sic nata Romana superstitio. Quorum ritus si percenseas, ridenda quam multa, [multa] etiam miseranda sunt. Nudi cruda hieme discurrunt; alii incedunt pileati, scuta vetera circumferunt, pelles cædunt mendicantes, vicantes deos ducunt. Quædam fana semel anno adire permittunt, quædam in totum nefas visere; est quo viro non licet, nonnul-

## VARIORUM NOTÆ.

luit Noster hoc adverbio, animalia, natura duce, multo verius de diis judicare quam gentiles, rationis usu pollentes. LINDNER.

*Sciunt, norunt.* Sic recte ms. ac ita distinguendum ut fecimus; non est enim opus ut Wowerum, Ouzelium, Cellarium aliosque sequamur, quibus placet *sciunt, rodunt*. Viri eruditi memores esse debuerunt συνώνυμα a scriptoribus Africis frequenter conjungi. Arnobius, lib. III, pag. 106 : *Honestius quam vos multo de sui nominis dignitate existimare, credere*. Et pag. 109 : *Quantas, inquam, irarum flammas suffunderent, excitarent*. Plura congessimus ad hujus libri cap. 11. DAVIS. — *Norunt* recte rescripsit Wowerus, eumque secuti Ouzelius et Cellarius. Nimirum *rodunt* ad mures pertinet; *insultant* (h. e. crebro insiliunt) ad hirundines; *insident* ad milvos. Cæterum totus hic locus ita mihi videtur interpungendus ac legendus : *Quanto verius de diis vestris animalia muta judicant! Mures, hirundines, milvi (nam non sentire eos sciunt) rodunt, insultant, insident*. HEUM. — Non puto hac parenthesi opus esse in dictione concisa, quæ sic est supplenda : quia *non sentire eos sciunt*, ideo *rodunt*, etc. Hæ particulæ subaudiuntur in tali verborum nexu, non ponuntur. Gronovius, τὸ *norunt* defendens, meptum esse ait illud *rodunt*, cum omnes lexicographi uno ore affirment proprium murium esse, qui aliquid atterunt, et in illis quæ funduntur plumbanturque, falsum. An vero et falsum in illis quæ *e ligno fabricantur, fabricantur, scalpuntur?* LINDNER.

*Inculcant. Calcant, conculcant.* Tertullianus *de Pœnit.* cap. 7 : *Formidant videri inculcare, quod consecuti sunt*. Idem *ad Nat.* lib. I, cap. 10 : *Quos Lares et Penates domestica consecratione perhibetis, domestica licentia inculcatis*. Non igitur necessaria est Woweri et Cellarii conjectura, quibus arridet *insultant*. DAVIS.

*Protegitis et timetis.* Hoc est, *et tamen timetis*. Infra, cap 26 : *Regulus auguria servavit et captus est*; 28 : *Vos capita vervecum et immolatis et colitis*; 35 : *Vos adulteria prohibetis et facitis*. Lactant. IV, 2 : *Nusquam sapientiam comprehenderunt, et alicubi esse illam necesse est*. Adeoque non erat cur Wopkenius legeret *et illos quos facitis et protegitis, timetis*. Est quidem sensus ita satis commodus, priori tamen, qui ex lectione recepta efficitur, non modo non anteferendus, sed ne æquiparandus quidem. Absurdum quidem est *ea timere quæ feceris*, ut loquar cum Lactantio, *Epitome* XXV, 5 : poterat tamen id aliquo modo ferri, modo desinerent, postquam facti sunt, esse in tutela hominum. Jam vero, cum dii continuo hominum protectione egeant, eosdem timeri ecquis ferat? Interim Gentes tam vanæ sunt, ut deos quos fecerunt, protegant, et nihilominus timeant LINDNER.

*Sic in auro... consecrata est.* Infra, cap. 25, dixit Noster *sacrilegium consecrare*, ut notavit Nic. Rigaltius; at, ad mentem Felicis explicandam, apprime faciunt verba Lactantii lib. II, cap. 6 : *Imaginum pulchritudo ac nitor præstringit oculos, nec ullam religionem putant, ubicumque illa non fulserint. Itaque sub obtentu deorum avaritiæ et cupiditas colitur*. DAVIS.

*Quorum ritus.* Subaudi *Romanorum*. Videbatur sibi scilicet Minucius non *Romana superstitio*, sed *Romanorum superstitio*, scripsisse : quod acute observavit Jac. Gronovius. Equidem de hac prudentia criticorum, ut scilicet non corrigant ea quæ ipsimet auctores peccarunt memoriæ vitio, satis dixi in meo *de Arte Critica* libello, an. 1712 edito, §§ 40-43. HEUM. — Sic cap. 25, *nimirum insignis et nobis justitia Romana auspicata est. Nonne in ortu suo et scelere collecti* (sc. *Romani*) *illi justi*. LINDNER.

*Ridenda quam multa, [multa] etiam.* Nihil opus ut cum Heumanno legamus *quam multa etiam miseranda sunt!* Conf. quæ notavimus supra cap. 4. LINDNER.

*Discurrunt.* Ego vero facile agnoscebam sic fuisse scriptum : *discurrunt alii : alii incedunt*. HEUM.

*Pelles cædunt.* Hæc sede sua mota, et ante tres priores voculas collocanda censent J. Wow. ac Chr Cellarius, ut de Lupercis intelligantur. At Cl. Cuperus reponit *peltas*; Steph. autem Monachius not. ad *Polycarpi* epist., tom. II, *var. Sacr.*, pag. 366, rescribit *pelles*, sub quo nomine *cymbala* possint comprehendi. Verum, ut recte vidit Fr. Ad. Lampius in *addendis* ad opus *de Cymbalis vett.* lib. III, cap. 14., repudianda non est vulgata lectio, nam *pelles* sunt tympana e pellibus confecta. DAVIS.—Phædrus, lib. III, 20, 7, de Gallis, *Cybelles* sacerdotibus : *Detracta pelle asini, sibi fecerunt tympana*. Hoc præterea observo, inter *pelles* et *cædunt* interjiciendum esse *alii*. Tria enim sacerdotum genera exhibet Minucius, *Lupercos, Salios* (quorum *ancilia* vocat *scuta vetera*) et *Gallos*. Jam igitur, ita Minucio fluxerit oratio, necesse est : *Nudi cruda hieme discurrunt alii; alii incedunt pileati et scuta vetera circumferunt : pelles alii cædunt et mendicantes vicatim deos ducunt*. Nec illud non monendum, *mendicantes* non esse nominativum, sed accusativum, et ad *deos* pertinere. Persuadebit id, credo, Tertullianus, qui in *Apologetici* sui cap. 42 ita fatur : *Non sufficimus ei hominibus et diis vestris mendicantibus opem ferre*. HEUM.

*Mendicantes vicatim.* Mendum hic latere credit Lac. Gronovius in exitu præfationis suæ ad *Minucium Felicem* an. 1709 editæ. Verum omnino sanissimus est hic locus, nec vereor ne quisquam aliis aliter sit existimaturus. HEUM.

*Vicantes*, eodem sensu ac *vicatim*, quod vulgo habent impressi. EDD.

*Quædam fana semel anno adire.* In Cereris et Proserpinæ fanum apud Arcades feminis τὸν πάντα ἐστὶν ἐσοδος χρόνον, *omni tempore aditus patebat* : οἱ δὲ ἀνδρες οὐ πλέον ἢ ἅπαξ κατὰ ἔτος ἕκαστον ἐς αὐτὸ ἐσιᾶσι, *viris quotannis dumtaxat semel*. Pausanias *Acad.* cap. 31. Thebis etiam Iri dymenæ, quæ mater deorum est, sacrarium μίαν ἐν ἑκάστων ἐτων ἡμέρα τὸ ἱερὸν ἀνοίγειν νομίζουσιν, *tantum uno quotannis die aperire fas fuit*. Idem *Bœot.* cap. 25. CELL.

*In totum [annum] nefas visere.* Tale erat Neptuni templum Mantineæ, ἐσοδος δὲ ἀνθρώποις οὔτε ποτὲ ἐς αὐτὸ ἦν, οὔτε ἄχρι ἡμῶν ἐστιν. Pausanias *Acad.* cap 5. CELLAR.

*Quædam viro non licet.* Sacra bonæ Deæ, Cereris et Vestæ. Lact. lib. III, cap. 20, sect. 4, ubi tres divas has conjungit. De bona Dea separatim Cicero *Arusp.*

Digitized by Google

la absque [53] feminis sacra sunt; etiam servo quibusdam cærimonis interesse piaculare flagitium est: alia sacra coronat univira, alia multivira, et magna religione conquiritur quæ plura possit adulteria numerare. Quid? qui sanguine suo libat et vulneribus suis supplicat, non profanus melius esset, quam sic religiosus? aut cui exta sunt obscœna demessa, quomodo Deum violat, qui hoc modo placat, quum, si eunuchos Deus vellet, posset procreare, non facere? Quis non intelligat male sanos, et vanæ et perditæ mentis in ista desipere, et ipsam errantium turbam mutua sibi patrocinia præstare? heic defensio communis furoris est furentium multitudo.

## CAPUT XXV.

ARGUMENTUM. — *Dehinc ostendit a Cœcilio perperam jactitari Romanos qui totius orbis imperio potiti fuerint hujusmodi superstitionibus rite observatis. Atqui Romani in ortu suo et scelere collecti et immanitatis terrore creverunt. Igitur Romani non ideo tanti quod religiosi, sed quod impune sacrilegi.*

At tamen ista ipsa superstitio Romanis dedit, auxit, fundavit imperium, quum non tam virtute, quam religione et pietate pollerent; nimirum insignis et nobilis justitia Romana ab ipsis imperii nascentis incunabulis auspicata est. Nonne in ortu suo et scelere collecti, et muniti immanitatis suæ terrore creverunt? nam asyli prima plebs congregata est: confluxerant perditi, facinorosi, incesti, sicarii, proditores: et ut ipse Romulus, imperator et rector, populum suum facinore præcelleret, parricidium fecit. (XXI) Hæc prima sunt auspicia religiosæ civitatis. Mox alienas virgines jam desponsatas, jam destinatas, et nonnullas de

## VARIORUM NOTÆ.

*Resp. cap.* 17. De Cerere Catanensi et Ennensi, Verrin. VI, cap. 45 et 49. CELLAR.—Ita edidit *Heraldus*, nihil quicquam monens de diversa scriptura exemplaris. *Rigaltius* vero testatur scriptum esse: *Est, quo viro non licet.* Quæ lectio, si est vera, explicanda utique ut jubet Wopkenius, qui contra Davisium, qui conjiciebat: *Est quo viro ire non licet*, disputans, *τὸ visere ἀπὸ κοινοῦ* subaudit, quia non tantum *visere locum*, sed etiam *visere ad locum* dicunt Latini. Plautus in *Casina* III, 4: *Viso huc, amator si a foro rediit domum*, in *Rud.* V, 1, *illam visam huc in Veneris fanum.* Lucretius II, 360; *et crebrà revisit ad stabulum.* Plura Juretus ad *Symmach.* IV, *epist.* 52, et Heinsius ad *Ovidii Amor.* II, 2. LINDNER.

*Absque feminis sacra.* Herculis scilicet, Gellius I. XI, c. 6: *Mulieres Herculaneo sacrificio abstinent.* Causam affert Macrobius *Saturn.* I, cap. 12. CELLAR.

*Servo quibusdam cærimoniis interesse.* Cærimoniis sacrorum Herculis, cujus rei neglectionem in Appio et Potitiis punitam tradunt Livius, IX, cap. 29, et Val. Maximus, lib. I, cap. 1, num. 17.

*Sacra coronat univira. Tertullianus* de *Monogam.* cap. 17: *Fortunæ muliebri coronam non imponit, nisi univira; sicut nec Matri Matutæ.* CELL.

*Qui sanguine suo libat.* Ex libero ingenio citavit hæc verba Dougtæus *Analect. Sacr.* parte I, exc. 102: *Qui sanguine suo litat et vulneribus supplicat, profanus forte melius esset quam sic religiosus.* LINDNER.

*Non profanus. Non* positum est pro *nonne:* cujus generis exempla multa collegit Gronovius ad Sen. III, *de Ira.* cap. 33, ad epist. 58 ad *Quæst. Nat.* I. IV, *Præfat.* LINDNER.

*Aut cui exta sunt obscœna demessa.* Hæc est lectio Rom. edit. et ms. reg. Unde Gelenius efficit *testa.* Et sane *testa Samia* Gallos genitalia sibi exsecuisse quidam tradiderunt. (Loca produxit Ramirezius in *Pentecontarchi* sui cap. 4. HEUM.) Scripsisse tamen Minucium existimo, *aut cui execta sunt obscœna, demessa*: quod *Minucii* stylum magis sapit. Lactantius enim non testa solum, sed etiam ferro messem istam faciam indicat lib. V, cap. 9: *Qui virilia sua ferro metunt; et, quod est sceleratius, ut sint religionis antistites.* HERALD. — Putant quidam *testa* corrigendum pro *exta.* Verum non videtur fuisse necessarium h. l. ut, quomodo exsectio illa fieret, ostenderetur. Mallem credere *τὸ exta* natum ex compendio vocis *exsecta*, qua voce quis *τὸ demessa*, quod sequitur, explicaverat, ac propterea delendum esse. Nisi forte putemus, *extra* honeste vocasse *virilia*, quod *exstent*, quod Rigaltius putabat, quo casu illud *obscœna* videretur glossa, nec *τὸ exta* jungendum. Quia tamen alibi hac notione usurpata *exta* videntur, malo priorem sententiam servare. SCHEFF. — Legit quoque *testa* Ramirezius in *Penteront.* cap. 4, ubi pluribus locum istum illustrat. GALLAND.

*Quomodo Deum violat.* Jac. Perizonius negativam particulam excidisse ratus, emendat: *Quomodo non Deum violat;* sed hac viri doctissimi correctione nihil est opus, si ad sententiæ finem admirationis nota pingatur. DAVIS.—Et in hac interpretatione acquiescere debebat Heumannus, non rescribere: *Quam impie Deum violat, qui hoc modo placat!* Cicero de *Amicit.* cap 2: *Quomodo enim, ut alia omittam, mortem filii tulit!* LINDNER.

*Procreare non facere.* Non *posset* ante infinit. *facere*, sed aliud verbum supplendum, v. g *necesse haberet.* Deo adscribitur, quod hominibus debebat. Cæterum infirma admodum est hæc argumentatio. Possemus eodem modo argumentari: *Si viros imberbes Deus vellet, posset procreare, non facere.* LINDNER.

*Et vanæ et perditæ mentis.* Scilicet *homines*, quod etiam subaudiendum erat in *male sanos.* Heumannus emendat: *male sanas et perditas mentes ita desipere.* Sed *desipere in ista* est *desipientium istis rebus prodere*, ut Latini dicunt *desipere intra verba.* Potest etiam huic verbo mesce significatio prægnans, qualem annotavit *Gronovius* esse in verbo *alludere.* cap. 3, et explicari *desipere et prolabi in ista* LINDNER.

*Heic defensio.* Non est cur, vel cum Wopkenio legamus *sic defensio*, vel cum Heumanno verba, *hic defensio... multitudo*, ejiciamus. Verba enim cohærent et sunt latina, et sententia aliis auctoribus satis trita LIND.

CAP. XXV.—*Attamen.* Heumanus legit *At enim.* Ego nihil muto, valet *Et tamen.* Infra § 13: *Et tamen ante eos, Deo dispensante, diu regna tenuerunt Assyrii*; cap. 20: *At nonnumquam tamen veritatem vel auspicia vel oracula tetigere;* cap. 35: *Et tamen admonentur hominum doctissimorum libris.* LINDNER.

*Auspicatus est.* I. e. cœpit. Sic § 3, *hæc prima sunt auspicia religiosæ civitatis.* Florus I, 1, 6, *uter auspicaretur et regeret, adhibuere piacula.* Adeoque retinendum contra Heum., qui delere volebat. LINDNER.

*Confluxerant.* Scribo, *quo fluxerant.* MEURS. Sed, ut stylus Nostri in plurimis aliis locis est abruptior, sic nihil usitatius quam voculas *ibi* vel *illuc* hoc modo omitti. Videmus hoc ad ista Velleii II, 51, *nihil in mora habuit, quominus* (illuc) *proveniret;* et Justini, VII, 1, *urbem Edessam.... occupavit, revocatusque. .. regni* (ibi) *sedem statuit.* Aptius præterea hic *confluendi* quam *fluendi* verbum est. WOPK.

*Sine more rapuit.* Alludit ad Virgilianum illud *Æn.* VIII, 635:

Raptas sine more Sabinas.

*Sine more*, sine exemplo; quod factum antea non fuc-

Digitized by Google

matrimonio mulierculas, sine more, rapuit, violavit, illusit; et cum earum parentibus, id est cum soceris suis, bellum miscuit, propinquum sanguinem fudit. Quid irreligiosius, quid audacius, quid ipsa sceleris confidentia [36] tutius? Jam finitimos agro pellere; civitates proximas evertere cum templis et altaribus, captos cogere; damnis alienis et suis sceleribus adolescere, cum Romulo, regibus cæteris et postremis ducibus disciplina communis est. Ita quidquid Romani tenent, colunt, possident, audaciæ præda est, templa omnia de manubiis, id est de ruinis urbium, de spoliis deorum, de cædibus sacerdotum. Hoc insultare et illudere est, victis religionibus servire, et captivas eas post victorias adorare. Nam adorare quæ manu A ceperis, sacrilegium est consecrare, non numina. Toties ergo Romanis impiatum est, quoties triumphatum; tot de diis spolia, quot de gentibus et tropæa. Igitur Romani non ideo tanti, quod religiosi, sed quod impune sacrilegi. Neque enim potuerunt in ipsis bellis deos adjutores habere, adversus quos arma rapuerunt: et quos postulaverant, detriumphatos colere cœperunt. Quid autem isti dii pro Romanis possunt, qui nihil pro suis adversus eorum arma valuerunt? Romanorum enim vernaculos deos novimus; Romulus, Picus, Tiberinus, et Consus, et Pilumnus, ac Polumnus. Cloacinam Tatius et invenit et coluit; Pavorem Hostilius atque Pallorem; mox a nescio quo Febris dedicata. Hæc alumna urbis istius superstitio,

## VARIORUM NOTÆ.

rat. quod inauditum et insitatum ante : ut contra, Virgil. *Æn.* IV, 57 : *Lectas de more bidentes.* RIGALT. B

*Id est, cum soceris suis.* Hæc verba glossematis suspecta habet Joan. Wowerus; eamque ob causam uncis inclusit Chr. Cellarius. Minus quidem recte, ut opinor : boni quippe auctores eodem modo passim loquuntur. Arnobius lib. VI, pag. 203 : *Deos, relictis sedibus propriis, id est cœlo, non recusare nec fugere habitacula inire terrena* Julius Firmicus *de Error. prof. Relig.* pag. 1 : *Quatuor elementa esse principia creaturarum nemo est qui dubitet*, id est *ignem, aquam, aerem et terram*; ubi voces ultimas perperam rejecit Joan. Wowerus : pari enim more Lactantius *Div. Inst.* lib. II, cap. 12 : *Empedocles,... quatuor elementa constituit, id est, ignem, aerem, aquam et terram.* Proletarium hoc est apud eos qui operam dant ut oratio sit perspicua, nec ullis ambiguitatibus involuta. DAV. —Cave assentiaris Wowero, hæc verba exterminanti pro glossemate. Habent enim et elegantiam et emphasin quamdam. Eumdem in modum II, 5, scribit Noster : *de manubiis, id est de ruinis urbium.* Sic et cap. 36, *Angelos, id est, ministros et nuntios Dei.* HEUM. — Lampridius in *Severo*, cap. 6 : *Cum senatus frequens in curiam, hoc est ædem, Concordiæ.... convenisset.* LINDNER. —Verba, *id est cum soceris suis*, ideo hic necessaria sunt, quod iis Romuli scelus magis manifestum redditur. Vim igitur orationis auget. GRUN. C

*Tutius.* Qui meticulosius agit, minus plerumque est tutus, quam qui confidentius, siquidem tabs, justitia causæ suæ fretus, ita agere creditur. *Tutius* plus dicit quam *audacius.* Sic cap. 29 : *Est eis tutius per Jovis genium pejerare.* Infra, II, 11 : *Non castitas tutior.* LINDNER.

*Captos cogere.* Florus I, 15, 3 : *Qua victoria, tantum hominum, tantum agrorum redactum in potestatem, ut in utro plus esset nec ipse posset æstimare qui vicerat.* Heumannus legit *rapta congerere.* LINDNER.

*Et postremis ducibus* Lege : *Posthumis.* WOW.—Merito illud *postremis* displicuisse Davisio puto tentanti D *posteris.* Minore tamen mutatione etiam conjici posset *post reges.* WOPK.—Non puto mutationem necessariam esse. Neque enim video cur omnes, post reges, Romanorum duces *postremos* dicere minus liceat. GRUNER.

*Impiatum est.* Impersonale. *Impiare*, polluere. Apuleius lib. I Metam. : *Cruore humano adspersus atque impiatus.* Prudentius *Cathmer.* VI, hymno ante somnum, vers. 35 :

> At qui coinquinatum
> Vitiis cor impiavit.

CELLARIUS. — *Impiatum*, ut Tert. adv. Gnosticos, *victoriatum* et *injuriatum.* WOWER.— Chr. Cellarius edidit *a Romanis.* Sed nihil opus; cap. 23 : *Ut factum Ægyptio regi*; cap. 27 : *Quæ paulo ante tibi dicta sunt.* LINDNER.

*Et tropæa.* Ne dubites *et* delere. HEUM.

*Arma rapuerunt.* Arma corripere pro *sumere*, phrasis Floro usu trita; videatur *Index* Freinshemii. LINDN.

*Et quos postulaverant. Et quos post lauream detriumphatos*, etc. Sic emendari posse censemus, quod absque ullo sensu legitur in exemplari, *et quos postulaverant.* Apparent pristinæ scripturæ vestigia : *quod postulaverant*, sed abrasa est littera *d*, et superscripta littera *s*, ab antiqua etiam manu. RIGALT.—Sigis Gelenius, Chr. Cellarius aliique ediderunt *et quos post cladem triumphatos*; sic etiam Jac. Ouzelius, nisi quod ille *detriumphatos*, unde Jac. Perizonius reposuit *demum triumphatos*; absque causa quidem sontica : alteram enim vocem adhibet Tert., *Apolog.* cap. 27. Fulv. autem Ursinus multo propius ad ms. vestigia legit *et quos populaverant*; ut mihi mea blanditur conjectura pro qua rescribendum censeo, *et quod postulaverant detriumphatis colere cœperunt.* Justinus 2, 15. *Veluti triumphatis Spartanis, a civibus excipitur.* DAVIS —Suspicor, aliquem e modo allatis verbis hic adscripsisse in margine *post victoriam*, et inde postea factum esse absurdum illud *postulaverant.* Jam igitur sic legi oportet : *et quos triumphatos*, etc. HEUM. — Ego hoc verbum accipio de evocatione deorum. Evocare enim deos, nihil est aliud quam *postulare, ut, deserto populo, a quo adhuc culti essent, ad se transirent dii.* LINDNER. — Legitur in editione Lugdunensi, ex anonymi cujusdam restitutione : *Aut quos præposteræ adjuverunt, qui triumphati coli cœperunt.* An felicior D. Caillau, vel cum Fulv. Ursinum secutus, afferat illud : *quos populaverant*, vel cum de suo proponat : *prout voverant* (PP. Apostol. t. II, p. 92. 1842), periti dijudicent. EDD.—Gronovius veteris codicis lectionem, *quod postulaverant*, haud dubie sinceram existimat. Nempe, inquit, in principiis belli, votis in Capitolio nuncupatis, ut ex illo contingeret triumphus, etiam sub pellicitatione numinum transferendorum. Alii aliter. GALLAND.

*Picus.* Nescio quo errore inductus Cellarius crediderit Picum fuisse Faulni filium, Saturni nepotem, cum locus Virgilii ab ipso citatus aperte testetur Picum Fauno fuisse patrem, non filium. Et ipse, in notis ad *Prudentii* lib. I, in *Symm.* v. 244, scribit Saturni fuisse filium, Fauni patrem. LINDNER.

*Polumnus.* In exemplari, Tertullianus lib. II ad Nat.: *Item Voluntatis. Volumnum et Voletam.* RIGALT. — Malo *Pilumnus ac Picumnus*, quam quod Rigaltius substituit, *Volumnus.* Pilumnus enim et Picumnus, ut ait Servius ad *Æneid.* IX, 4, *fratres fuerunt et dii*, OUZEL.

*Cloacinam... Pavorem.. Pallorem... Febris.* De cultu horum veterum Romæ nascentis numinum cf. egregiam D. Greppo Disquisitionem in notis ad *Octav.* Edit. Lugdun., p. 261-270. EDD.

*Hæc alumna urbis istius superstitio.* Id est, *hæc sunt numina alumna Romæ urbis.* Numina alumna alicujus gentis sunt quæ ab ea educata et enutrita

morbi et malæ valetudines : (XXII) sane et Acca Laurentia, et Flora, meretrices propudiosæ, inter morbos Romanorum et deos computand e. Isti scilicet adversus cæteros, qui in gentibus colebantur, Romanorum imperium protulerunt. Neque enim [37] eos adversum suos homines vel Mars Thracius, vel Jupiter Creticus, vel Juno nunc Argiva, nunc Samia, nunc Pœna ; nunc [*impr.* vel] Diana Taurica, vel mater Idæa, vel Ægyptia illa, non numina, sed portenta, juverunt. Nisi forte apud istos major castitas virginum, aut religio sanctior sacerdotum ; quum pene in pluribus virginibus, et quæ inconsultius se viris miscuissent, Vesta sane nesciente, sit incestum vindicatum ; in residuis impunitatem fecerit non castitas tutior, sed impudicitia felicior. (XXIII) Ubi autem magis a sacerdotibus, quam inter aras et delubra, conducuntur stupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur? frequentius denique in ædituorum cellulis, quam in ipsis lupanaribus, flagrans libido defungitur. Et tamen ante eos, Deo dispensante, diu regna tenuerunt Assyrii, Medi, Persæ, Græci etiam, et Ægyptii, quum Pontifices, et Arvales, et Salios, et Vestales, et Augures non haberent, nec pullos cavea reclusos, quorum cibo vel fastidio respublica summa regeretur.

## CAPUT XXVI.

ARGUMENTUM.— *Ex avium porro auspiciis atque auguriis vibratum leviter a Cæcilio telum contra ipsum Octavius Reguli, Mancini, Pauli atque Cæsaris exemplo retorquet. Non magis item validam esse petitam ex oraculis argumentationem, aliis exemplis demonstrat.*

Jam enim venio ad illa auspicia et auguria Romana, quæ summo labore collecta testatus es, et pœnitenter omissa et observata feliciter. Clodius scilicet, et Flaminius, et Junius ideo exercitus perdiderunt, quod pullorum solemnissimum tripudium exspectandum non putaverunt? Quid Regulus? nonne augu ria servavit, et captus est? Mancinus religionem tenuit, et sub jugum missus est et deditus. Pullos edaces habuit et Paulus apud Cannas : tamen cum maiore reipublicæ parte [38] prostratus est. C. Cæsar, ne ante

## VARIORUM NOTÆ.

sunt, et opponuntur diis peregrinis, quos aliquis populus suos fecit, assumpto eorum cultu ac religione. Heumannus scribit *almæ urbis istius*. LINDNER.

*Acca Larentia*. In editione Romana (et in ms.) est *Laurentia*. Priorem scripturam esse veram contendit J. Fr. Gronovius ad *Livii* I, 4. HEUM.

*Inter morbos Romanorum*. Heumannus rescribit : *inter probra Romanorum et deos*. Nihil his opus, si interpungas : *Hæc alumna urbis istius superstitio* (Pavor, Pallor, Febris), *morbi* (scilicet) *et malæ valetudinis sane ; et* (hoc est *item*) *Acca Larentia et Flora, meretrices propudiosæ*. LINDNER

*Vel Diana Taurica*. Sic edidi cum Sigism Gelenio et Chr. Cellario, ac ita rescribendum conjecit Jac. Perizonius, et quidem verissime. Des. Heraldus, Nic. Rigaltius et Jac. Ouzelius excudi curaverunt *nunc Diana Taurica*, quasi Juno scilicet eo nomine fuerit insignita. DAVIS.—Tam apertum est mendum et causa mendi, ut mirer Jac. Gronovium id propugnare sustinuisse. LINDNER. — *Nunc* tamen leg. in ms. EDD.

*Ut quæ*. Rescriptum non male pro ms. *et quæ*. LINDNER.

*Vesta sane nesciente*. Quæ si dea fuisset, non debebat nescire quæ in templo suo gererentur, et, licet occulta, indicare. Jam vero numquam per Vestam, semper per homines flagitia earum virginum sunt detecta. Adeoque non erat cur Vestam consciam verentur, modo homines fallerent, quam vero fallere tam erat facile, ut loquitur Ovidius in loco ab Rigaltio allegato :

Vestæ simulacra feruntur
Virgineas oculis opposuisse manus. LINDNER.

*Conducuntur stupra*. Edit. Rom. *condicuntur*. Wov. — Prorsus ita legendum : non enim stupra, sed mulieres stuprandæ, data pecunia, conducuntur : at inter aras viri feminæque de stupris paciscuntur et conveniunt. DAVIS.

*Adulteria meditantur*. Hæc vox, quæ vulgo *deponens* putatur, vim *passivam*, heic obtinet, ut et alibi, quem admodum notavit G. J. Vossius *Anal.* lib. III, cap. 6, exemplis ab eo prolatis addi possunt sequentia. Cicero *de Arusp. Resp.* pag. 1990 : *Nihil non diu consideratum, ac multo ante meditatum*. Ovidius *Metam.* lib. VII, 727 :

Meditataque pœne reliqui
Testamenta fide.

Plinius *Paneg.* cap. 3 : *Gratioremque existimari, qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit*. Latinus Pacatus *Paneg.* XII, cap. 2 : *Æstus diu ante meditati, longeque prospecti sunt*. Sic et Rufinus in vers. *Recogn.* Clementis lib. II, cap. 26. DAVIS.

*Respublica summa*. Non opus est ut vel *reip. summa* cum Wowero, vel, *res summa* cum Elmenhorstio reponatur. Cicero *pro S. Roscio Amer.* cap. 51 : *Quod summa respublica in hujus periculo tentatur*. Hanc locutionem multis stabilivit vir egregius J. Fr. Gronovius ad *Livii* lib. XXVI, cap. 10. DAVIS.

CAP. XXVI —*Testatus es*. Heraldus, fortasse errore typorum, vitiose exhibet, *testatus est*. LINDNER.

*Solemnissimum tripudium* est lectio Rom. edit. et ms. reg., pro qua *Gelenius* edidit *solistimum*. Sed, etsi *solistimum tripudium* prosperum augurium proprie dicitur, quod pueri norunt, fieri tamen potest ut scripserit Minucius *solemnissimum* ; quia revera solemne id erat et usitatum augurium, cum auspicia ex avium volatu ipsius jam Ciceronis tempore in desuetudinem abiissent, quod ipse docet in libris *de Divinatione*. HERALD —Locum hunc Minucii attulit ac notavit quoque Brissonius libro I *de Formulis*, ubi omnem hanc solistimi tripudii disciplinam exsequitur p. 124. Et quamvis Gallicus interpres etiam reddat, *le trépignement solennel des poussins*, tamen nullum tale nec dictum fuit, nec intelligi potest, quum tripudium esset modo unius generis, nempe solistimum, quod idcirco intellexit Minucius, nullum solemnissimum. GRONOV.

*Et Paulus apud Cannas : tamen*. Distinguunt viri docti : *et Paulus, apud Cannas tamen cum*, etc. Sed vix equidem dubito quin sic sit transponenda copula *habuit Paulus, et apud Cannas tamen*, etc. Sic illud et adhibetur in præcedentibus : *Quid Regulus? nonne augurio servavit et captus est?* etc. Adde, quod etiam Minucium hoc modo exprimit Cyprianus *de Van. Idol.* : *Missus est : et pullos edaces Paulus habuit, et apud Cannas tamen cæsus est*. VORK.—Hoc ipso permoveor, ut abstinendum censeam a correctione non necessaria. Solet enim subinde Cyprianus nonnihil immutare verba Minucii. Sic paulo post pro *eo facilius et navigarit et vicit*, Cyprianus ita : *et eo facilius navigavit et vicit*. HEUM.

*Romani populi*. In ms. est *cum majore reipublicæ parte*. Scriptum fuerat *cum majore R. P. parte*. Inde natus error. MEURS.

Digitized by Google

brumam in Africam navigia transmitteret, auguriis et auspiciis retinentibus, sprevit, eo facilius et navigavit et vicit. Quæ vero et quanta de oraculis prosequar? Post mortem Amphiaraus ventura respondit, qui proditum iri se ob monile ab uxore nescivit. Tiresias cæcus, futura videbat, qui præsentia non videbat. De Pyrrho Ennius Apollinis Pythii responsa confinxit, quum jam Apollo versus facere desisset: cujus tunc cautum illud et ambiguum defecit oraculum quum et politiores homines et minus creduli esse cœperunt. Et Demosthenes, quod sciret responsa simulata philippizæno [φιλιππιζειν] Pythiam querebatur. At nonnumquam tamen veritatem vel auspicia vel oracula tetigere. Quamquam inter multa mendacia videri possit industriam casus imitatus, aggrediar tamen fontem ipsum erroris et pravitatis, unde omnis caligo ista manavit, et altius eruere et aperire manifestius. Spiritus sunt insinceri, vagi, a cœlesti vigore terrenis labibus et cupiditatibus degravati. Isti igitur spiritus, posteaquam simplicitatem substantiæ suæ, onusti et immersi vitiis, perdiderunt, ad solatium calamitatis suæ non desinunt perditi jam perdere, et depravati errorem pravitatis infundere, et alienati a Deo, inductis pravis religionibus a Deo segregare. Eos spiritus[39] dæmonas esse poetæ sciunt, philosophi disserunt, Socrates novit, qui, ad nutum et arbitrium adsidentis sibi dæmonis, vel declinabat negotia, vel petebat. Magi quoque non tantum sciunt dæmonas, sed etiam, quidquid miraculi ludunt, per dæmonas faciunt: illis adspirantibus et infundentibus, præstigias edunt, vel, quæ non sunt, videri; vel, quæ sunt, non videri. Eorum magorum et eloquio et negotio primus Sosthenes et verum Deum merita majestate prosequitur: et Angelos, id est ministros et nuntios Dei, sed veri; ejusque venerationi novit assistere, ut et nutu ipso, et vultu Domini, territi contremiscant. Idem etiam dæmonas prodidit terrenos, vagos, humanitatis inimicos. Quid Plato, qui invenire Deum negotium credidit? nonne et Angelos sine negotio narrat et dæmonas? et in Symposio etiam suo naturam dæmonum exprimere conatitur? vult enim esse substantiam inter mortalem immortalemque, id est, inter corpus et spiritum, mediam, terreni ponderis et cœlestis levitatis admixtione concretam, ex qua monet etiam nos procupidinem amoris, et dicit informari, et labi pectoribus humanis, et sensum movere,

## VARIORUM NOTÆ.

*C. Cæsar.* Supple *C. Cæsar*, monitus, *ne ante brumam in Africam navigia transmitteret... sprevit* monita. LINDNER.

*In Africam navigia transmitteret.* Vel omittenda est vox penultima, prout fecit Cicero *de Divin.* lib. II, cap. 24, quem Minucius exscripsit; vel legendum *navigio transmitteret*: nam in trajiciendi significatione *navigia transmittere* respuit latinitas. DAVIS.

*Eo facilius.* Scribo *felicius.* HEUM.

*Qui proditum iri.* Hæc est verissima lectio, quam ms. reg. debemus. Legebatur antea, *qui proditus est ipse ob monile ab uxore nescius.* HERALD.

*Tiresias cæcus.* Davisius emoliendum τὸ *cæcus* censebat. Non minus tamen ingratus est pleonasmus iste, quem illustrabat cap. 16 · *dicam equidem, ut potero, pro viribus.* Et magna vis aliorum exemplorum convasari facillime posset. WOPK.

*Qui.* Necessario post τὸ *qui* deest τοῦ *cæcus* ἀντιθετον. MEURS.—Hoc viri doctissimi judicium Davisium, nisi fallor, in errorem induxit, ut *cæcus* deleret. Sed *cæcus* non est adjectivum, cum verbo *videbat* conjungendum, sed epitheton *Tiresiæ*. Unde liquet, comma ponendum esse non post *Tiresias*, sed post *cæcus.* LINDNER.

*Cujus tunc cautum illud.* Sic recte ediderat *Gelenius.* At in edit. Rom., *cautum illuc*, nullo sensu. HERALD.

*Industriam casus imitatus.* Hoc repetiit Noster e Cicerone, qui lib. II *de Divin.*, cap. 21: *Potest igitur veritatem casus imitari.* Huc et illud Favorini, philosophi, pertinet apud *Gellium* lib. XIV, cap. 1: *Multa tentando nonnumquam imprudenter in veritatem incidunt.* HEUM

*Vel petebat.* Heumannus mavult *gerebat.* Ego, si quid mutandum putarem, mallem *expediebat*, quod habet Cicero lib. XIII, *Ep.* 31. Sed nulla opus mutatione. Simplex *petere* positum pro composito appetere. Ex Ciceronem *de Nat. Deor.* III, 23. *Appetuntur, quæ secundum naturam sunt, declinantur contraria.* LINDNER.

*Vel, quæ non sunt, videri.* Hoc est, *ut vel ea, quæ non sunt, videantur.* Etiam Nepos verba, quæ *ut* sequi debebant, construit sequente infinitivo. Loca profert *Jo. Joach. Vngnad* ad *Milt.* cap. 7, 1. Heumanno ita scripsisse Noster videtur: *præstigias edunt, ut videantur vel, quæ non sunt, videri.* LINDNER.

*Et eloquio et negotio* Hæc verba delet Heumannus. Puto nostrum respexisse ad Lucæ XXIV, 19: Ὃς ἐγένετο ἀνὴρ προφήτης, δυνατὸς ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ. LINDNER.

*Sosthenes* ms. reg.; sic etiam veteres Cypriani editiones; *Sostanes* cod. Baluz. et Gratianopolit.; *Hostanes* Pamel. et cod. Turon.; *Ostanes*, Plin. Apul. Insignis Magus, *Magorum præcipuus*, inquit Augustinus lib. VI *de Baptismo* contra Donatistas, cap. ult., *formam veri Dei negat conspici posse et Angelos veros sedi ejus dicit assistere;* quem primus meminit Plinius lib. XXX, c. 1, eumque tradit Xerxi regi Persarum bellum in Græciam inferenti adhæsisse, seminaque magicæ artis sparsisse, orbemque universum, quaqua versatus est, infecisse. Cf cum Plinio et August loc. citatis. Apul. *Apol.* p. 449 et 554 ed. *ad usum;* Tertull. *de Anima* cap. 57; Tatian. *Orat ad Græcos;* Suidas v. ASTRONOMIA; Dion. Laert.; Selden. lib. 5, cap. 11, *Proœm.* cap. 2; Adr. Jun. Cf. not. in Tert. tom. II, col. 748, sqq. EDD.

*Sed veri.* Scilicet *esse, ejusque venerationi novit assistere.* Hostanes ergo tradidit non modo existentiam Angelorum, sed officia etiam. Jam facile erit agnoscere viros eruditos, Ursinum, Davisium et Heumannum, sine causa copulam *Quæ* ejicere et scribere *et Angelos... ejus venerationi n. a.* LINDNER.

*Etiam dæmonas. Aut dæmonas* rescribere gestit Davisius: quæ correctio manifesto falsa. HEUM.

*Ex qua monet etiam nos procupidinem amoris.* Ita ms. cujus vestigia secutus Rigaltius edidit: *ex qua movet etiam in nos p. a.* Gelenius et Heraldus: *ex qua manare etiam in nos procupidinem amoris dicit, et informari et labi pectoribus humanis.* Alii, *manet etiam in nos porro cupido amoris.* Minus commode. Davisius vero: *monet etiam nasci pruriginem amoris;* nova enim, inquit, et inaudita vox *procupido.* Idque sane magis placet. GALLAND. — Davisius, *ex qua movet etiam nos per cupidinem amoris.* Heumannus, *ex qua manent etiam in nos per cupidinem amores.* Sed hæc vix sine tautologiæ vitio consistere queunt. Quid enim est *affectus fingere et ardorem cupiditatis infundere* aliud quam *amorem monere?* Adeoque retinuimus lectionem *Heraldi*, hoc tantum observato, ut legi veli-

Digitized by Google

et affectus fingere, et ardorem cupiditatis infundere.

## CAPUT XXVII.

ARGUMENTUM. — *Quod ut solide præstet, rem alterius et a prima sua origine repetit. Nimirum erroris fons iste: dæmones sub statuis et imaginibus delitescunt, commorantur in fanis, extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula fundunt, falsis involuta responsis. Verumtamen hæc non a Deo, sed a se ipsis facta fuisse fateri coguntur, quum a Christianis per Deum verum adjurati ab obsessis corporibus fugantur. Hinc vero Christianos de Proximo fugitant; tantumque gentilium in eos excitant odium ut illos ante incipiant odisse, quam nosse, ne cognitos aut incitari possint aut damnare non possint.*

Isti igitur impuri spiritus, dæmones, ut os- A tensum a magis, a philosophis, et a Platone, sub statuis et imaginibus consecrati delitescunt, et afflatu suo auctoritatem, quasi præsentis numinis, consequuntur, dum inspirantur interim vatibus, dum fanis immorantur, dum nonnumquam extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt falsis pluribus involuta. Nam et fallunt et fallunt, ut et nescientes sinceram veritatem, et quam sciunt, in perditionem [40] sui non confitentes. Sic a cœlo deorsum gravant, et a Deo vero ad materias avocant, vitam turbant, omnes inquietant, irrepentes etiam corporibus occulte, ut spiritus tenues, morbos fingunt, terrent mentes, membra distorquent, ut ad cultum sui cogant: ut nidore altarium, vel hostiis pecudum saginati remissis, quæ constrinxerant B curasse videantur. Hi sunt et furentes, quos in pu-

## VARIORUM NOTÆ.

mus *in eos* hoc sensu: Plato vult *ex ea* terreni ponderis admixtione *manare in eos* spiritus sive dæmones *procupidinem*, h. e. πρόληψιν, quamdam *amoris*. Loquitur ex sententia Patrum, qui statuebant Angelos quosdam, mulierum amore captos, cum iis concubuisse. Ne quis ergo miretur angelos, tam impuro amore coinquinatos, hoc inde esse affirmat, quia dæmones non essent spiritus completi, sed substantia quædam inter corpus et spiritum media, et ex ea terreni ponderis admixtione manare in eos procupidinem amoris, quæ esse non posset, si toti essent cœlesti levitate concreti. LINDNER.

*Illabi.* Ita rescripserunt critici pro ms. *labi.* LIND.

CAP. XXVII. — *Dæmones.* Ejicio glossema. Nam τὸ *dæmones* a lectore quodam interpretamenti vicem ad oram notatum, ab aliis postea in textum receptum est. MEURS. — Hanc vocem, tamquam lossema, perperam C rejicimus Fulv. Ursinus et Jo. Meursius, eosque duces secutus Chr. Cellarius, qui eam prorsus eliminavit. Omnino tamen est retinenda, eoque modo passim loquuntur auctores. Justinus martyr *Apol.* I, 71, ed. Oxon. Ἤκουσαν διὰ τοῦ ἄλλου προφήτου ΗΣΑΙΟΥ λεχθέν. Ac *Apol.* II, 6, πολλοὶ τῶν ἡμετέρων ἀνθρώπων ΤΩΝ ΚΡΙΣΤΙΑΝΩΝ. Vide et Athenagoram *Legat. pro Christ.* cap. 22, p. 101. DAVIS.

*A philosophis.* Tollendum, glossema scilicet, inquit Heum. Sed merito locum suum tuetur, quia non solum Magorum et Platonis, sed etiam Socratis § 8, mentio fit. Hoc addo *et* a Platone explicandum esse per *et imprimis*. Marc. XVI, 7: Εἴπατε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ΚΑΙ Πέτρῳ. Actor. I, 14: Σὺν γυναιξὶ ΚΑΙ Μαρίᾳ. LINDN.

*Consecrati delitescunt.* Cyprianus *de Idolor. Van.* cap. 4, legit *consecratis delitescunt:* cujus codices ad exemplar Minucianum corrigendos existimavit Jo. Meursius; at Furv. Ursinus ex Episcopo Carthaginensi *Felicem* emendat, et me quidem habet assentientem; statuæ enim, ut vim aliquam haberent, certo modo consecrari debuere. Vicina sunt, quæ de talismanibus narrant Orientales. Vide Th. Stanleium, *Philos. Orient.*, lib. I, sect. 2, cap 27, edit. Cleric. DAVIS. — Equidem neutrum ex altero corrigendum puto. Qui enim, nisi dæmones, sub statuis consecrantur. Eodem modo dicere possum: *Venenum sub cibo comestum delitescit*; et: *Venenum sub cibo comesto delitescit* LINDN.

*Dum inspirantur... vatibus.* Haud dubius lege *inspirant.* Sic cap. 16: *Magi dæmonibus aspirantibus et infundentibus præstigias edunt.* Lactant. II, 14, 10: *Magorum ars omnis ac potentia dæmonum aspirationibus constat.* Apuleius *de deo Socratis*, pag. 45: *Dæmones curant vel somniis conformandis,.... vel oscinibus erudiendis, vel vatibus inspirandis.* HEUM.— Ex his locis simul liquet legendum esse: *dum inspirant interim vates.* Quod si est, non video, qui minus passivum locum habere possit: *dum inspirantur* (ab iis) *vates.* LINDNER.

*Ut et nescientes.* Miror ex tanto interpretum numero, neminem vidisse particulas *ut et* transponendas esse Sensus est: *dæmones falluntur et fallunt, et ut nescientes sinceram veritatem*, h. e. ut tales, qui sinceram veritatem nesciunt, adeoque falluntur; *et quam sciunt in perditionem sui, non confitentes*, adeoque fallunt. Dæmonibus adscribebant Patres cognitionem non modo non superiorem humanæ, sed ne parem quidem. Augustinus lib. I, *contra Acad.* cap. 6: *Ab hujus aeris animalibus quibusdam vilissimis, quos dæmones vocant, nos superari acumine ac subtilitate sensuum posse concedo, ratione autem, nego.* Et alio loco: *Absit ut ista considerans, animus veraciter religiosus et vero Deo subditus, ideo arbitretur dæmones se ipso esse meliores, quod habeant corpora meliora....Sed, sicut his omnibus animalibus ratiocinando et intelligendo meliores sumus, ita etiam dæmonibus bene atque honeste vivendo meliores esse debemus.* Admodum cavere dæmones ne quid in perditionem et turpitudinem sui faciant, colligimus ex isto capite: *Dæmones victi dolore, quod sunt eloquuntur: nec utique in turpitudinem sui, nonnullis præsertim vestrum assistentibus, mentiuntur.* LINDNER.

*A cœlo deorsum gravant.* Indita vitiorum terrena gravitate animum, ne ad Deum elevetur, detrahunt. CELLAR.

*Ad materias avocant.* Ita edidit Heraldus, et ita invenisse in ms. regio putatur. Heumannus in ms. *materiam* esse (falso) testatur: quod vero, unde habebat, nescio. Suspicor quod ab Rigaltio. LINDNER.

*Omnes inquietant.* Sic veteres membranæ, ut testatur Nic. Rigaltius. At Cyprianus *de Idol. Van.*, pag. D 14, legit *somnios inquietant*, cum quo faciunt Meursius, Ouzelius et Cellarius: ac, ut videtur, rectissime, Lactantius, qui ex nostro sua adumbravit, *Div. Instit.* lib. XI, cap. 14: *Qui* (dæmones) *quoniam sunt spiritus tenues et incomprehensibiles,... morbos ciunt, somniis animos terrent.* DAVIS.

*Remissis quæ constrinxerant. Desinunt lædere, ut curasse videantur*, Tertullianus *Apol.* cap. 22. Sic in ms. legebat Cyprianus, non *remissus*, ut et edidere Sigism. Gelenius aliique. RIGALTIUS.

*Hi sunt et furentes*, etc. Non voluit Minucius ipsos dæmonas significare, sed homines a tetris istis spiritibus obsessos vexatosque. Fortasse proinde legendum: *Hinc sunt et furentes:* quos postea *vates absque templo* vocat Noster; quod, ut vates in templis, sic hi in vicis et plateis insanichant et rotabantur. Vid. Clement. *Recognit.* lib. V, cap. 13, ac *Homil.* IX, cap. 7,

Digitized by Google

blicum videtis excurrere ; vates et ipsi absque templo sic insaniunt, sic bacchantur, sic rotantur. Par et in illis instigatio dæmonis, sed argumentum dispar furoris. De ipsis etiam illa quæ paulo ante tibi dicta sunt, ut Jupiter ludos repeteret ex somnio, ut cum equis Castores viderentur, ut cingulum matronæ navicula sequeretur. Hæc omnia sciunt plerique pars vestrum, ipsos dæmonas de semetipsis confiteri, quoties a nobis et tormentis verborum et orationis incendiis de corporibus exiguntur. Ipse Saturnus, et A Serapis, et Jupiter, et quidquid dæmonum colitis, victi dolore, quod sunt eloquuntur : nec utique in turpitudinem sui, nonnullis præsertim vestrum assistentibus, mentiuntur. Ipsis testibus, esse eos dæmonas, de se verum confitentibus credite. Adjurati enim per Deum verum et solum, inviti miseris corporibus inhorrescunt : et vel exsiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat, aut gratia curantis aspirat. Sic Christianos de proximo fugitant, quos longe in cœtibus per vos lacessebant. Ideo in-

## VARIORUM NOTÆ.

nec non Origenem *contra Celsum* lib. VIII, pag. 333 sqq.; et Prudentium *Perist.* v. 1063. Davis. — *Hi sunt et furentes.* Locus est vexatissimus, cui sic medelam affero : *Hi* (de quibus adhuc dixi, quorum membra dæmones distorquent) *sunt furentes, quos in publicum videtis excurrere* (intelligit *obsessos :* sed hi non soli a dæmonibus agitantur) ; *vates et ipsi in templo* (qui in publicum non excurrunt) *sic insaniunt, sic bacchantur, sic rotantur* (eodem modo se gestiunt quo obsessi). *Par et in illis instigatio dæmonis* (Vates *inspirati* etiam a dæmonibus instigantur), *sed argumentum dispar furoris.* In *obsessis* scilicet est, ut, remissis quæ constrinxerant, curasse videantur ; in *inspiratis*, ut afflatu suo auctoritatem quasi præsentis numinis consequantur, et homines, futurorum curiosos, sibi assuescant. Age, aliorum interpretationes videamus. Heumannus ita : *Qui et ipsi vates sunt, licet in templo calescant, agitante dæmone.* Scomma perelegans ; scias vero, lector, interpunctionem hic emendandam esse, statuendumque post *excurrere* comma, post *templo* colon. Wopken.us.— Interpungendum puto : *vates. Et ipsi absque templo... rotantur.* Porro, quia non de dæmonibus ipsis, sed hominibus obsessis loquatur Minucius, legebat Davisius : *Hinc sunt et furentes*, etc. Sed plane de dæmonibus ipsis loqui auctorem existimo, nec alio referri posse ista *et ipsi absque templo*, etc., nihilque usitatius est, quam ut de spiritus dæmonibusque loquantur auctores, tamquam de hominibus per illos instigatis, *Marc.* III, 3. Cellarius : Si dæmones, inquit, qui in templis sub statuis delitescunt, et suos agitant, movent sacerdotes, aut hi ab illis moveri simulant, pro diis habentur : æque omnes furiosos, qui extra templa idem rotando et jactando faciant, pro diis haberi posse. Heraldus : Legendum existimarim, *Vates et ipsi in templo.* Nam ejusmodi vatum in templis ipsis agitationes observabamus ad Tertulliani *Apolog.* ex Julio Firmico. Gruterus : Interpunctionem solam muto, hunc in modum : *Hi sunt et furentes, quos in publicum videtis excurre ; vates et ipsi absque templo : sic insaniunt*, etc. Lindner.

*Plerique pars vestrum.* Minime placet Rigaltii conjectura, legentis : *Hæc omnia sciunt plerique, pars vestrum ipsorum, dæmonas*, etc. Gelenius, Heraldus et Cellarius ediderunt : *omnia sciunt plerique vestrum.* Male : nam vocem commodam præterm ittunt. Omnino rescribendum : *Hæc omnia sciunt pleraque pars vestrum.* Sallustius *Jugurth.* cap. 18 : *Africæ pars inferior pleraque a Numidis possessa est.* Sic et Juvencus *Hist. Evang.* lib. I, pag. 9 :

> Istius hic populi partem pleramque reverti
> Ad verum suadebit iter.

Nec quisquam constructionem miretur : nam *pars* nomen est multitudinis. Virgilius *Æn.* I, 212 :

> Pars in frusta secant

Ovidius *Metam.* I, 244 :

> Dicta Jovis pars voce probant.

Videsis Ausonium in *Thalete* VI, 27. Davis. — Ordinaria verborum horum constructio hæc est : *Plerique vestrum sciunt ipsos dæmonas hæc omnia de semetipsis confiteri.* Nec rara est apud optimos scriptores talis duorum commatum implicatio. B Cæterum, cum in ms. codice ita exaratum reperiatur *plerique pars vestrum* (quod a Gronovio defendi non mirabitur, qui eum novit). Davisius hunc in modum legi jubet : *pleraque pars vestrum* Verum nimis aspera hinc existit oratio : qualis tribui Minucio nostro non debet. Et fortasse erravit Rigaltius, in ms. ita esse docens. Certe Heraldus, qui eumdem codicem suis usurpavit oculis, verbulum *pars* ibi non vidit : nisi forte manifestum mendum indicare noluit. Heum.

*Tormentis verborum.* Legebatur antea, *et meritis verborum*, quæ lectio nihil habebat incommodi. Sed ms. regii lectio, præterquam quod videtur commodior, adstipulatorem etiam habet Cyprianum, hac in re Minucii imitatorem. Ad Demetrianum : *Quando a nobis adjurantur et torquentur spiritualibus flagris, et verborum tormentis, de obsessis corporibus ejiciuntur.* Lactantius, V, 22 : *Sic extorti et cruciati virtute divini numinis exululant.* Herald.

*Ipsis testibus.* Teste viro docto in *Miscell. Observ.* 1734, vol. IV, p. 423, in ms. exstat *credite fissis*, C quamvis aliquatenus hoc *fissis* deletum sit : et hæc verba : *de se verum confitentibus* solummodo inter versus sunt (utique, sed eadem manu. Edd.). Unde quidem ille conjectabat, *Ipsis testibus esse eos dæmonas credite fassis.* Sed in tali lectione illud *testibus* longe melius abesset : tautologicum enim nimis, nimisque durum hoc videtur. Malim itaque : *ipsis testibus esse eos dæmonas credite de se verum fassis.* Wopk. — *Esse eos dæmonas* Manifestum glossema. Heum.

*Inviti miseri corporibus inhorrescunt.* Ita ms. dæmones adjurati in corporibus inhorrescunt. Idem est quod Jacobus II, 19 dicit : Καὶ φρίσσουσι. Et est hic primus fructus exorcismi. Tum vero exsiliunt, idque inviti, ut *Luc.* IX, 39 : Καὶ ἐξαίφνης κράζει καὶ σπαράσσει αὐτὸν μετὰ ἀφροῦ καὶ ΜΟΓΙΣ ἀποχωρεῖ. Et Noster cap. 12, *invitus, miser, infirmitatis argueris, nec fateris.* Lindn.— Malim *inviti miseris corporibus inhorrescunt.* Obsessa corpora Cyprianus dixit. Miruin porro legendum visum fuisse viro docto in *Miscell Obs. l. d.* D *miseri inhorescunt, e corporibus vel exsiliunt*, etc. Ut enim sensu plano ac facili hic adhibetur phrasis, *corporibus inhorrescere*, sic in his *et vel exsiliunt*, etc. commodissime subauditur *inde* vel *ex iis c.* nec tale quid præligebat Cyprianus IV, 7. Wopk.—Legendum hoc modo : *Victi in miseris corporibus inhorrescunt.* Heum. — Alii. legunt, *inhærescunt.* Lindner.

*Et quem metueris, infestare.* Jacet prorsus et flaccescit oratio, nisi rescribatur : *et quem oderis, infestare ;* prout conjecit Joan. Freinshemius ad Curtii lib. X, cap. 8. Quæ quidem emendatio Jac. Gronovio merito probatur. Adi Hieronymum Columnam ad Ennii Fragm , pag. 298, et Janum Gruterum ad *Publii Syri* vs. 37. Davis —Assentior. Origo namque mendi est in propatulo. En prope similem Taciti gnomen in *Vita Agricolæ*, cap. 42 : *Proprium humani ingenii est odisse quem læseris.* Prorsus vero similiter, ut Minucius noster loquitur apud Ciceronem lib. II *de Offic.*,

Digitized by Google

serti mentibus imperitorum, odium nostri serunt occulte per timorem : " naturale est enim et odisse, quem timeas; et quem metueris, infestare, si possis. Sic occupant animos, et obstruunt pectora, ut ante nos incipiant homines odisse, quam nosse : ne cognitos aut imitari possint, aut damnare non possint.

## CAPUT XXVIII.

ARGUMENTUM. —*Neque odium solum, sed nefanda etiam illis inferunt crimina quæ a nemine probari hactenus potuerunt. Sic est negotium dæmonum. Ab ipsis enim rumor falsus et seritur et fovetur. Invictissime autem demonstrat Octavius Christianos sacrilegii, incestus, stupri, parricidii tam false insimulari, quam certum verumque erat eadem prorsus crimina, aut his omnino similia atque majora ab ipsismet ethnicis reapse committi.*

Quam autem iniquum sit, incognitis et inexploratis, judicare, quod facitis; nobis ipsis pœnitentibus credite : et nos enim idem fecimus, ut eadem vobiscum quondam adhuc cæci et hebetes sentiebamus, quasi Christiani monstra colerent, infantes vorarent, convivia incesta miscerent : nec intelligebamus ab his fabulas istas semper ventilari, et numquam vel investigari, vel probari, nec tanto tempore aliquem existere, qui proderet, non tantum facti veniam, verum etiam indicii gratiam consecuturum; malum autem adeo non esse, ut Christianus reus nec erubesceret, nec timeret, et unum solummodo, quod non ante fuerit, pœniteret. Nos tamen quum sacrilegos aliquos, et incestos, parricidas etiam, defendendos et tuendos suscipiebamus; hos nec audiendos in totum putabamus : nonnumquam etiam, miserantes eorum, crudelius sæviebamus, ut torqueremus confitentes ad negandum, videlicet ne perirent, exercentes in his perversam quæstionem, non quæ verum erueret, sed quæ mendacium cogeret. Et si quis infirmior, malo pressus et victus, Christianum se negasset, favebamus ei, quasi, ejerato nomine, jam omnia facta sua illa negatione purgaret. Agnoscitisne eadem nos sensisse et egisse, " quæ sentitis et geritis? Quum, si ratio, non instigatio dæmonis judicaret, urguendi magis, non ut diffiterentur se Christianos, sed ut de incestis stupris, de impiatis sacris, de infantibus immolatis faterentur. His enim et hujusmodi fabulis iidem dæmones ad exsecrationis horrorem imperitorum aures adversus nos referserunt. Nec tamen mirum, quum hominum fama, quæ semper insparsis mendaciis alitur, ostensa

## VARIORUM NOTÆ.

cap. 7. Ennius : *Quem metuunt, oderunt : quem quisque odit, perisse expetit.* HEUM.

CAP. XXVIII.—*Quam autem iniquum sit.* Ita optime in ms. regio. Antea legebatur : *Quantum autem vitium sit.* Tangit eam iniquitatem Minucius, quam pluribus exagitat Tertullianus in *Apolog.* HERALD.

*Incognitis et inexploratis*, scilicet *rebus*. Plene est apud Ciceronem *pro Cæcin.* 29 : *Dum, incognita re, judicare voluisset.* Virgilius *Æneid.* I, 519 : *Sed res animos incognita turbat.* Adeoque non erat cur Lud. Carrio *Emend.* II. cap. 18 rescriberet *de incognitis*, et Meursius *in incognitis*. LINDN.

*Idem fecimus.* Sic ms. *Fuimus* impress. EDD. — Scribo, *iidem*. MEURS. —Scribe *idem fecimus*. Præcedit enim *quod facitis*. WOPK.

*Ventilari.* Heumannus scribit *venditari*, et sequens *et* delet. LINDNER.

*Indicii gratiam.* Ita ediderat Gelenius optime. At Rom. editio *judicii*. Male. Gelenii editionem confirmat ms. reg. An autem id est, quod significabat Tertullianus *Apologet.*, cap. 7 : *Quis talia facinora, quum invenissel, celavit aut vendidit ipsos trahens homines?* ut *vendere* eo loco dicat, accepto pretio indicare. Diximus nobis non liquere. HERALD.

*Malum autem.* Hoc est : nec intelligebamus malum adeo non esse, ut potius Christianus reus nec erubesceret, etc. Actionibus enim malis inest pudor quidam naturalis conjunctus cum timore. LINDN.

*Unum solummodo.... pœniteret.* Hæc constructio licet insolens possit videri, bonis tamen auctoribus haud ignoratur. Cicero *Tuscul.* lib. v, cap. 28: *Sapientis est enim proprium, nihil quod pœnitere possit, facere.* Idem *de Invent.* lib. II, pag. 66, *Utrum id facinus sit, quod pœnitere fuerit necesse.* Videsis A. Gellium *Noct. Att.* lib. XIII, cap. 2 DAVIS.

*Aliquos.* Delendum videtur. *Lactant.* V, 1, 2. HEUM.

*Suscipiebamus.* Ex foro verbum. *Suscepti* enim *clientes*. Servius ad illud *Æneid.* VI. 609 :

Et fraus innexa clienti ;

*Vult*, inquit, *intelligi prævaricatores qui patroni sunt clientium, quos nunc* SUSCEPTOS *vocamus*. WOWER.

*Miserantes eorum.* Misericordia in eos permoti, quorum vitam servare studebamus. Heumannus scribit *miserentes*. LINDN.

*Ut torqueremus* Sic ms. At Romana jam in editione rescriptum *ut urgeremus*. Recte. Ac statim, hoc *urgere* usurpatur iterum. HEUM.

*Videlicet ne perirent.* Innuit commodum, quod ex illa negatione ad eos redundare deberet. Etiam chirurgus, miserens ægri, membra amputat, secat, urit, ne videlicet pereat. LINDN.

*Malo pressus et victus.* Nihil opus ut cum Heumano rescribamus, *dolore oppressus et victus*. Scilicet cogitaverat vir doctus de malo non physico, sed morali. *Malum* autem pro pœna et dolore dici omnibus probatur lexicis. *Premere* vero pro *opprimere* dixit etiam Quinct. *Instit. Orat.* lib. III, cap. 2, *p. m.* 407 : *Varenus, qui in omnibus publicis malis premebatur : nam et damnatus est.* Cicero Tuscul. 2, 17 : *Quis autem non miser modo tunc, quum premetur summis doloribus, si in his est summum malum.* LINDN.

*Nos sensisse et egisse, quæ sentitis et geritis.* Vel cum anonymo Parisiensi propter sequens *geritis* rescribendum est *gessisse;* vel, quod mihi præplacet, propter antecedens *egisse*, pro *geritis* scribendum *agitis*. HEUM.— Alterum ro scilicet opus esset, si non liceret verbum æquipollens in locum alterius substituere. LINDN.

*Quum, si ratio, non instigatio dæmonis judicaret urgendi magis.* Ms. *urguendi :* male editum erat *arguendi*. Supple *quum urgendi* Christiani erant vel essent CELLAR.—Heumannus τὸ *magis* ejecit, quod valet *potius*, cap. 5, et scribit *urgendum esset*. LINDN.

*Nec tamen mirum, cum omnium fama.* Si nihil hoc omissum est in exemplari, tota periodus ita constituenda est ut aliquis sensus eliciatur : *His enim et hujusmodi fabulis iidem dæmones ad exsecrationis horrorem imperitorum aures adversus nos referserunt. Nec tamen mirum. Cum hominum fama, quæ semper insparsis mendaciis alitur, ostensa veritate consumitur, sic est negotium dæmonum; ab ipsis enim rumor falsus et seritur et fovetur* Illa autem verba, *cum hominum fama*, annecti debent istis, *sic est negotium dæmonum*. Ut clausula sic accipiatur : *Nec tamen mirum. Sic est negotium dæmonum cum hominum fama, quæ*, etc. Homi-

Digitized by Google

veritate, consumitur : sic est negotium dæmonum ; ab ipsis enim rumor falsus et seritur et fovetur. Inde est quod audire te dicis, caput asini rem nobis esse divinam. Quis tam stultus ut hoc colat? Quis stultior, ut hoc coli credat? nisi quod vos et totos asinos in stabulis, cum vestra vel Epona consecratis : et eosdem asinos cum Iside religiose devoratis : item boum capita et capita vervecum, et immolatis et colitis : de capro etiam et homine mixtos, et leonum et canum vultus, deos dedicatis. Nonne et Apen bo- A vem cum Ægyptiis adoratis et pascitis? nec eorum sacra damnatis instituta serpentibus, crocodilis, belluis cæteris, et avibus, et piscibus, quorum aliquem deum si quis occiderit, etiam capite punitur. Iidem Ægyptii cum plerisque vobiscum non magis Isidem, quam ceparum acrimonias metuunt : nec Serapidem magis, quam strepitus per pudenda corporis expressos contremiscunt. Etiam ille qui de adoratis sacerdotis virilibus adversum nos fabulatur, tentat in nos [48] conferre quæ sua sunt. Ista enim im-

## VARIORUM NOTÆ.

num intellige, Christianorum. In ms. legitur, *omnium*. Rigalt.—Bene Rigaltius, quum pro *omnium*, reponit *hominum* : sed male, cum id de Christianis intelligi vult, ut jam monuit V. C. Jo. Fr. Gronovius *Observ. in Eccl. script.*, cap. 7, ubi totum hunc locum ita restituendum censet : *Nec tamen mirum, quum hominum fama quæ semper insparsis mendaciis alitur, ostensa veritate consumitur, sit et negotium dæmonum : ab ipsis enim rumor falsus et seritur, et fovetur.* Hoc est, eo interprete : Fama illa, hom num oribus jactata et propagata, quæ semper alitur et crescit mendaciis, quæque veritate patefacta evanescit, eadem hominum fama est ipsorum dæmonum negotium et opus : horum est auctoritas et instinctus, illorum ministerium. Ouzel — *Nec tamen mirum.* Primus huic loco manus medicas attulit Rigaltius, cum pro *omnium*, quod est in ms., reponit *hominum*, scilicet Christianorum, hoc sensu : *Nec tamen mirum. Sic est negotium dæmonum cum hominum fama, quæ*, etc. Propius veritatem attigit J. F Gronovius in cap. VII *Obs. eccl.* p. 81, qui itidem pro *omnium* rescribit *hominum*, sed maligne sentientium paganorum, sed hominum in universum, quod probo. Cum autem, pro *sic est*, rescribit *sit et*, in eo me non habet consentientem. Arbitror itaque C scriptum esse *si est*. Sequitur enim, in primis apud Terentium *si*, quando præcessit *non mirum est*. Sic *Hecyra* IV, 4, 87 : *Non mirum fecit uxor, si hoc ægre tulit. Andr.* IV, 1, 27 : *Quid istuc tam mirum, si de te exemplum capit.* Sensus est : Si hominum tantum fama esset, quæ de nobis tam nefanda loqueretur, mirari fortasse aliquis posset, qui fieret, ut non aliquando, ostensa veritate, consumeretur. Sed mirandum non est. Est enim negotium dæmonum, a quibus rumor falsus non modo seritur, quod et in hominum fama fieri novimus, sed et fovetur, ne aliquando consumatur. Heumannus rescribit : *Cum communis fama, quæ semper insparsis mendaciis alitur, ostensa veritate consumitur, sit negotium dæmonum.* Grunerus : *Cum omnium fama, quam semper insparsis mendaciis alitur, tam ostensa veritate consumitur, sic esse negotium dæmonum.* Lindner.

*Cum vestra vel Epona* scriptum in ms. reg. Ed. Rom. *vel Hippona*. Sane scriptum puto a Minucio, D *cum vestra Epona*, et notatum ab aliquo ad marginem *vel Hippona*. Eponam autem scripsisse veteres, pluribus ostendit Adrianus Turnebus in *Advers.* Herald. — Non igitur debebat *Gronovius* filius, *Vesta* scribere pro *vestra*. Solam enim *Eponam* hic nominatam esse a *Minucio*, laudatus modo Tertulliani locus, qui ei fuit ob oculos, facile persuadet. Inspice et alterum simillimum locum Tertulliani *Apolog.*, cap. 16. De *Epona* vid. et Tomasini liber *de Donariis*, cap. 1. Non *Eponam*, sed *Equonam* dictam fuisse deam hanc, audacia non ferenda statuit Barthius *Advers.* lib. XXVI, cap. 2, et lib. XXXVII, cap. 1. Heum. — Cum particulæ *vel* efficaciam non sentirent interpretes, varie ingenio indulserunt. Voculæ ejus vim deinceps posita declarabunt. Tertullianus *Apolog.* 23, *Quod vel ex publicis eorum..... intelligi debet.* Terent. *Heaut.* III, 3, 7 : *Vel heri in vino, quam immodestus fuisti!* Cicero *ad Diversos* VII, 15 : *Quam sint morosi, qui amant, vel ex hoc intelligi potest.* Forte nemo de integritate loci dubitasset, si scripsisset Minucius : *vel cum Epona vestra.* Sed iste verborum positus morari nos non debet, quum et supra cap. 11 : *Vel ut exemplo credere-mus*, pro *ut vel*. Et ita fere Cicero *de Orat.* II, 27 : *Hæc sunt omnia ingenii vel mediocris*, pro *vel ingenii mi.* Gruner.—Inscriptionem, quæ de hac Dea Solodori apud Helvetios legitur, affert *Jo. Georg. Keyssler* in *Itinerario* epist. 19, p. 123. Lindn.—Quæ extant de dea Stabularia sive in testimoniis veterum, sive in monumentis epigraphicis vel pictis, vel ære fusis, vel numismaticis, disertissime collegit idem jam merito laudatus D. Greppo, in not. ad edit. Lugd., p. 275-288. Edd.

*Devotatis.* In ms. est *devoratis*, quod locum tueri posset, si quis ostenderet Isidem asinos devorasse vel in sacrificiis asinos fuisse adhibitos, quia sacrificiorum partem sacris operantes comedebant. Quod, quia a nemine, quod sciam, est factum, Meursius rescripsit : *devotatis*, quod est, vel consecrare, vel devotum se asinis et Isidi esse ostendere. Heraldus : *denotatis*, id est : asinum, Isidis gerulum, simul cum Iside religiosa denotatione colitis. Nic. Heinsius in *Syll.* epist. t. IV, p. 260, *adoratis*. Wopkenius : *religione decoratis*, i. e. dignamini, cohonestatis. Rigaltius et Heumannus *decoratis*, quia asino, Isidem pretiose ornatam gestanti, circumdata fuerunt minoris pretii ornamenta, et Ovidius *Fast.* VI, 311 et 317, *Coronatos et ornatos* asinos tales memorat. Lindner.

*Boum capita.* Non in religionibus externis et Ægyptiis, sed Romanis, unde omnes aras videmus his capitibus esse obsitas, immo serta velut inter columnas templorum confecta. Sic caput vervecis, aquilæ, leonis, ad fasces ornandos, bovis ad alia ornamenta cernimus in sepulchro M. Antonii Antii Lupi, apud Bellorum in *Sepulchris*. Etiam tale bovis videtur incusum nummo Sardinorum sub Gordiano apud Erizzum, p. 512. Sed rem Romanam confirmat aspectus monumenti Cæciliæ Metellæ, Cretici filiæ, quod notum est. Gronov.

*Vultus.* Sic est in ms. et explicari potest per appositionem. Nam vultus caninus erat *Anubis*, vel *Cynocephalus*. Vultus leonis erat *Frugifer* ille cujus mentionem facit Arnobius, lib. VI, p. 196, in loco a Cellario citato. Alii legunt, *leonum et canum vultu* (subaudi) *mixtos*. Cui emendationi patrocinatur Tertullianus *Apolog.*, cap. 16 : *Illi debebant adorare statim biforme numen, quia et canino et leonino capite commixtos, et de capro et de ariete cornutos.., deos receperunt.* Lindn.

*Iidem Ægyptii cum plerisque vobiscum.* Miror locum hunc tam fœde corruptum voluisse edere, cum editiones aliæ hic bene sese habeant, ut Parisiens. in qua sic legitur : *Cum plerisque vobis*, non *vobiscum*. Scheff.

*Strepitus per pudenda corporis expressos.* Rom. *crepitus*. Petronius tamen *strepitum obscœnum* dixit. Alex. *Aphrodis.*, lib. I, Prol. 164, ἀποτορδή. Ridicula autem hæc superstitio nota ex verbis Catonis apud Festum, *Prohibere comitia.* Wower.

*Contremiscunt.* Editio Rom. habet *extremiscunt*. Male. Heum.

*Ista impudicitiæ*, pro *ista impudicitia*. Paulo infra *id in se pessimi facinoris admittunt* ; cap. 2, 4 : *id tem*


Digitized by Google

pudicitiæ eorum forsitan sacra sint, apud quos sexus omnis membris omnibus prostat, apud quos tota impudicitia vocatur urbanitas; q i scortorum licentiæ invident, qui medios viros lambunt, libidinoso ore inguinibus inhærescunt : homines malæ linguæ, etiamsi tacerent; quos prius tædescit impudicitiæ suæ, quam pudescit. Proh nefas! id in se mali facinoris admittunt quod nec ætas potest pati mollior, nec cogi servitus durior.

## CAPUT XXIX.

ARGUMENTUM. — *Nec magis verum hominem cruci propter sua crimina affixum coli; nam eum non modo innocentem, sed Deum etiam esse merito credunt. Contra vero, ethnici regum in deos a se adscriptorum invocant numina, ad imagines supplicant, eorumque genios implorant.*

Hæc et hujusmodi propudia nobis non licet nec audire, etiam pluribus turpe defendere est. Ea enim de castis fingitis et pudicis quæ fieri non crederemus, nisi de vobis probaretis. Nam quod religioni nostræ hominem noxium, et crucem ejus adscribitis, longe de vicinia veritatis erratis, qui putatis Deum credi, aut meruisse noxium, aut potuisse terrenum. Nec [*impr.* næ] ille miserabilis cujus in homine mortali spes omnis innititur; totum enim ejus auxilium, cum exstincto homine, finitur. Ægyptii sane hominem sibi quem colant eligunt, illum unum propitiant, illum de omnibus consulunt, illi victimas cædunt; et ille qui cæteris deus, sibi certe homo est, velit nolit : nec enim conscientiam suam decipit, si fallit alienam. Etiam principibus et regibus, non ut magnis et electis viris, sicut fas est, sed ut de eis [*impr.* deis], turpiter adulatio falsa blanditur, " quum et præclaro viro honor verius, et optimo amor dulcius præbeatur. Sic eorum numen vocant, ad imagines supplicant, genium, id est dæmonem, ejus implorant : et est eis tutius per Jovis genium pejerare, quam regis.

Cruces etiam nec colimus, nec optamus. Vos plane qui ligneos deos consecratis, cruces ligneas, ut deorum vestrorum partes, forsitan adoratis. Nam et signa ipsa et cantabra et vexilla castrorum, quid aliud quam inauratæ cruces sunt et ornatæ? Tropæa vestra victricia, non tantum simplicis crucis faciem, verum et affixi hominis imitantur. Signum sane crucis naturaliter visimus in navi, quum velis tumentibus vehitur, quum expansis palmulis labitur; et quum erigitur jugum, crucis signum est, et quum homo, porrectis manibus, Deum pura mente veneratur. Ita signo crucis aut ratio naturalis innititur, aut vestra religio formatur.

## VARIORUM NOTÆ.

*poris*; 3, 6 : *id loci*. Heumannus *impudicitiæ* tollendum esse pronuntiat. LINDNER.

*Sexus omnis*. Deleo *omnis*, quod facile irrepsit, cum sequatur *omnibus*. Cave *omnis* mutes in *femineus*. De utroque enim sexu loquitur auctor noster. HEUM. — Lactant. VI, 23, 10 : *Non sufficit sexus a Deo datus, nisi etiam suum sexum profane ac petulanter illudant.* Idem I, 20, 25 : *Nulla pudicitia, libidinibus effrænatis omnem sexum, et omnes corporis partes contaminantibus.* LINDNER.

*Impudicitia vocatur urbanitas*. Similiter Curtius V, 1, 38 : *Apud matronas et virgines Persarum comitas habetur vulgaris corporis vilitas.* HEUM.

*Facinoris*. Rigaltius in exemplari *mali* esse testatur. Heraldus tamen nihil monet. Heumanno neutrum probatur, et scribit *id in se facinoris admittunt*. LINDNER.

*Nec cogi servitus durior*. Ulpianus. Lege 2 Digest. De his qui sui vel alieni juris sunt, etc. : *Si dominus in servos sævierit, vel ad impudicitiam turpemque violationem compellat : quæ sint partes præsidis, ex rescripto divi Pii ad Ælium Marcianum, proconsulem Bæticæ, manifestabitur, cujus rescripti verba hæc sunt* : « Dominorum quidem potestatem in suos servos illibatam esse oportet, nec cuiquam hominum suum jus detrahi, sed dominorum interest ne auxilium contra sævitiam vel famem vel intolerabilem injuriam denegetur his qui juste deprecantur. Ideoque cognosce de querelis eorum qui ex familia Julii Sabini ad statuam confugerunt : et si vel durius habitos quam æquum est, vel infami injuria affectos cognoveris, veniri jube, ita ut in potestatem domini non revertantur. » Vide Leg. 14 Cod. Just. *de Episcopali Audientia*; Senecam lib. III *de Benefic.*, cap. 20; Photium, *Nomocanon.*, tit. 13, cap. 22. ELMENH.

CAP. XXIX. — *Deum credi*. Construe : aut noxium meruisse credi Deum, aut terrenum potuisse credi Deum. LINDNER.

*Ægyptii sane*. Pro *sane* rescribi *Saitæ* vult Jac. Gronovius. Assentiatur qui volet. HEUM.

*Honor verius*. Cave cum Humanno *verius* deleas, hic pernecessarium. Duæ propositiones uno eodemque verbo cohærent :

Quum et { præclaro viro honor / optimo amor } { verius / dulcius } præbeatur.

LINDNER.

*Cruces etiam nec colimus, nec optamus*. Non est cur codicem ms. deseramus, qui refert *optamus*. Ut enim crucibus affigi non *optabant* veteres Christiani, sic nec eam pœnam subire recusabant, potius quam religioni suæ nuntium remitterent. Ausonius in *Orat. Matut.*, v. 73 :

Nec timeat mortem bene conscia vita, nec optet

Idem *Periandro*, v. 3, pag. 290 :

Mortem optare malum, timere pejus.

DAVIS. — Lege *ornamus*. Contra gentes disputat, quibus mox *ornatas cruces* objicit. GRUNER. l. c. pag. 246. — *Cruces nec colimus*. Christianis vitio vertebat Cæcilius quod crucem colerent. Hinc supra, cap. 9, *crucis ligna feralia* Christianorum *cærimonias* vocabat. Et cap. 12 clarius adhuc crucis cultum Christianis objiciens : *Ecce*, inquit, *vobis jam non odorandæ, sed subeundæ cruces*. Quando igitur Cæcilio hæc objicienti Minucius respondet, *cruces non colimus*, de cultu sane absoluto quem Cæciliana objectio præ se ferebat, ejusmodi verba esse accipienda noscuntur. Perinde ac si dixisset Minucius : Cruces non ita colimus Christiani, ut crucibus ipsismet honorem cultumque tribuamus; quemadmodum quidem vos ethnici vestra colitis simulacra. Atque hanc esse auctoris nostri sententiam, ex iis liquet quæ statim subdit, eam ipsam accusationem in gentiles retorquens : *Vos plane qui ligneos deos consecratis, cruces ligneas, ut deorum vestrorum partes, forsitan adoratis*. Videsis *Diar. Erud. Ital.* tom. XXVII, pag. 391 seq ; et adi VV. Cll. Orsi. *Histor. eccl.* lib. VI, § VII; ac Trombellium *de cultu SS.* tom. II, part. III. pag. 373. GALLAND.

*Cantabra*, vexilla militum. Vide Tertull. *ad Nat.* I, et quæ ibi notantur, et quæ alibi, eodem tomo, D. Le Nourry disseruit. EDD.

Digitized by Google

## CAPUT XXX.

ARGUMENTUM. — *Impudentissimam quoque esse de potato a Christianis infantis a se occisi sanguine calumniam evincit Octavius. Ethnici vero, inquit, et pueros recens natos crudeliter exponunt et priusquam nascantur, crudeli necant abortu. Christianis homicidium nec videre fas, nec audire.*

Illum jam velim convenire qui initiari nos dicit aut credit de cæde infantis et sanguine. Putas posse fieri ut tam molle, tam parvulum corpus fata vulnerum capiat? ut quisquam illum rudem sanguinem novelli, et vixdum hominis cædat, fundat, exhauriat? Nemo hoc potest credere, nisi qui possit audere. Vos enim video procreatos filios nunc feris et avibus exponere, nunc adstrangulatos misero mortis genere elidere. Sunt quæ in ipsis visceribus, medicaminibus et potis, A originem futuri hominis exstinguant, et parricidium [48] faciant antequam pariant. Et hæc utique de deorum vestrorum disciplina descendunt; nam Saturnus filios suos non exposuit, sed voravit. Merito et ei in nonnullis Africæ partibus a parentibus infantes immolabantur, blandiriis et osculo comprimente vagitum, ne flebilis hostia immoletur. Tauris etiam Ponticis et Ægyptio Busiridi ritus fuit hospites immolare, et Mercurio Gallos humanas vel inhumanas victimas cædere : Romani Græcum et Græcam, Gallum et Gallam, sacrificii viventes obruere; hodieque ab ab ipsis Latiaris Jupiter homicidio colitur; et, quod Saturni filio dignum est, mali et noxii hominis sanguine saginatur. Ipsum credo docuisse sanguinis fœdere conjurare Catilinam, et Vellonam sacrum suum B haustu humani cruoris imbuere; et comitialem mor-

## VARIORUM NOTÆ.

*Pura mente.* Hæc verba nihil plane ad rem faciunt. Signum crucis homo formal, qui, porrectis manibus, Deum veneratur, sive id pura, sive impura mente fiat. LINDNER.

CAP. XXX.— *De cæde.* Deleo *de*, illatinum quippe. HEUM.

*Fata vulnerum.* Rescribo *tanta* (id est tot) *vulnera.* HEUM. — Cum Valerius *Argon.* VI, 652, dixerit *fatale vulnerum*, nostrum recte *fata vulnerum* dicere potuisse arbitror LINDNER.

*Nemo hoc potest credere.* Tertullianus *Apologet.* cap. 9 : *Qui ista credis de homine, potes et facere.* ELMENH.

*Rudem sanguinem.* Nulla vel minima ratione allata, editor Lugdunensis inoffenso pede lectionem quasi delicatulam adduxit : *roseum sanguinem!* EDD.

C *Procreatos.* Non inscite Nic. Heinsius *Advers* lib. III, cap. 2, p. 409, suspicatur unum hic excidisse verbulum, atque ita legit : *modo procreatos* HEUM. — Lactant. V, 9, 15 : *Qui natos ex se pueros aut strangulent, aut, si nimium pii fuerint, exponant.* LINDNER.

*Medicaminibus etpotis.* Sic legitur in codice regio, non *epotis*, ut in vulgatis plerisque. Utrum autem *et potis* unum idemque sit verbum, videant periti. EDD.

*Tauris etiam Ponticis.* Heraldus edidit *Pontificis.* LINDNER

*Et Mercurio Gallos.* Excidit verbum *constat*, vel simile. Durius enim est cum Wopkenio rescribere *Gallis* atque *ritus fuit* ἀπὸ κοινοῦ subaudire. HEUM. — Wowerus in notis ad hæc verba, ut ostendat Getas Zamolxi servos suos immolare, provocat ad Æneæ Gazæi dialogum qui *Theophrastus* inscribitur. Sed, cum nihil tale ibi reperiatur, Casp. Barthius in notis ad laudatum dial. p. 125, *b*, memoria lapsum eum esse credit. LINDNER.

D *Humanas vel inhumanas victimas.* Aut *vel inhumanas* glossema est, aut *vel* ponitur pro *vel potius.* Sic Cicero *Phil.* II, cap. 12 : *Sed stuporem hominis, vel dicam pecudis, attendite* Idem *de Amic.*, cap 12, *Gracchus regnum occupare conatus est. vel regnavit is quidem paucos dies.* Et lib. IV, *ad Famil.* Epist. 13, extrema : *Sed hæc tu melius omnium* HEUM.

*Sacrificii viventes obruere.* Edidit Gelenius *sacrificii viventes obruere;* ms autem : *sacrificii*, testante Rigaltio; quæ vera est lectio, subauditur enim *causa.* Terentius *Adelph.* act. IV, sc. IV, 6 : *Nec id assentandi magis, quam habeo quod gratum facere existimes.* Apuleius *Apol.*, pag. 187: *Ut obtentu ejus ætatulæ, ipse insimulationis falsæ non plectetur.* Vide et intt. ad Sallustii *Bell Catil* cap. 6. DAVIS.—*Sacrificii* Cum in ms. esset *sacrificii*, huic lectioni acquiescebat Davis, subaudito *causa.* Sed ellipsin hanc satis latinam exemplis suis neutiquam videtur probasse. Jac. Gronovius legebat *sacri vice.* Facilis autem mutatio sensusque planus si rescripseris *sacrificiis*, vel *in sacrificiis.* Tacitus *Annal.* XV, 47 : *Bicipites...partus...in sacrificiis quibus gravidas hostias immolare mos est, reperti.* Paulinus Nol. Epist. XI, 7: *Illa per legem jussa sacrificiis animalia mactemus in vitiis.* Sic *lustratione, ludis, comitiis*, etc. dicitur de tempore quo talia fiunt; quod ex Observ. *Prodig.*, cap. 130; Livio II, 36, et alunde dudum notatum a criticis. WOPK.— Mihi videtur ab aliena manu profectum esse hoc verbum, adeoque ejiciendum. Immo, cum in editione Romana (quam etiam Heraldus est secutus) sit *sacrifici*, facile credetur a quopiam adscriptum fuisse hoc verbum in margine ad verbum *Romani.* HEUM. — Mihi perplacet lectio ed. Rom. sic ut *Romani* sit adjectivum, *sacrifici* vero substantivum. Est enim *sacrificus* qui sacra facit. Ovidius *Fastor.* VI :

Martia sacrifico deductum nomen ab Anco. LINDNER.

*Obruere.* Non est infinitivus, sed præteritum indicativi. HEUM. — In ms. reg. pleraque hujusmodi paradigmata indicantur tantum per abreviationem *er, obruer*, unde in impressis induci solet hoc verbum abbreviatum *ere, obruere.* EDD.

*Mali et noxii hominis.* Hoc est *bestiarii.* Tertullianus *Apolog.* cap. IX : *Ecce in illa religiosissima urbe Æneadarum piorum est Jupiter quidam, quem ludis suis humano profluunt sanguine. Sed bestiarii, inquitis. Hoc opinor minus quam hominis An hoc turpius, quod mali hominis?* LINDNER.

*Bellonam sacrum suum.* Sic legitur in exemplari. Sacro Bellonæ tribuit Minucius, quod Tertullianus de sacratis et servientibus Bellonæ dixerat in *Apologet.* RIGALT. — Codicis regii lectionem retinet etiam Salmasius *Exerc. Plin.* p. 130, et *sacrum* pro sacrificio poni confirmat. Equidem viri doctissimi sententiæ non accedo; quum ἀκυρολογίας reus esset Minucius, si tali modo loqueretur. Omnino enim necessaria videtur hominis mentio, quem cruoris haustus imbuat. Hoc igitur loco *sacer* sacrati potestatem sibi vendicat. Virgilius *Æn.* VI, 484.

Cererique sacrum Polybœten.

Ubi Servius : *Sacrum, sacratum Nomen pro participio.* Prudentius *Perist* Hymn. XI, 2 :

Vidimus, o Christi Valeriane sacer.

Nihil igitur opus ut vel *servum* cum Gelenio, vel *sacratum* cum Heraldo reponamus. DAVIS.—*Bellonam sacrum suum haustu. Sacrum* ex ms. est vulgo *servum.* Est autem *sacrum*, sacrificium, et omnis sævæ deæ cultus, cui operantes, lacertos et brachia cruentabant. Lucanus, lib. I, vers. 565,

Tum, quos sectis Bellona lacertis
Sæva movet, cecinere deos. CELLAR.

— Merentur notari quæ vir doctus in *Miscell. Obs.* vol. IV, t. II, p. 224, ad cap. 9 Ælii Lampridii Commodi, scribit : *Bellonæ servientes vere exsecare brachium præcepit studio crudelitatis.* Casaubonus

Digitized by Google

bum hominis sanguine, id est morbo graviore, sanare. Non dissimiles et qui de arena feras devorant illitas et infactas cruore, vel membris hominis et viscere saginatas. Nobis homicidium nec videre fas, nec audire; tantumque ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis sanguinem noverimus.

## CAPUT XXXI.

ARGUMENTUM. — *Ab omni etiam verisimilitudine tam alienum est quod Christianis objicitur, pollutum incesto convivium, quam constat incesti reos revera esse gentiles; Christianorum convivia non tantum pudica, sed et sobria. Tantum denique abest incesti cupido, ut nonnullis rubori sit etiam pudica conjunctio.*

Et de incesto convivio fabulam grandem adversum nos dæmonum cotio [*impr.* coitio *vel* concio] mentita est, ut gloriam pudicitiæ deformis infamiæ aversione [*impr.* adspersione] macularet, ut ante exploratam veritatem homines a nobis, terrore infandæ opinionis, averteret: sic de isto [46] et tuus Fronto, non, ut affirmator, testimonium fecit; sed convicium, ut orator, aspersit. Hæc enim potius de vestris gentibus nata sunt. Jus est apud Persas misceri cum matribus; Ægyptiis et Athenis, cum sororibus legitima connubia: memoriæ et tragœdiæ vestræ incestis gloriantur, quas vos libenter et legitis et auditis: sic et deos colitis incestos, cum matre, cum filia, cum sorore conjunctos. Merito igitur incestum penes vos sæpe deprehenditur, semper admittitur; etiam nescientes miseri potestis in illicita prorueré, dum Venerem promisce spargitis, dum passim liberos seritis, dum etiam domi natos alienæ misericordiæ frequenter exponitis, necesse est in

## VARIORUM NOTÆ.

dicit: Observa vocem *vere*; nam ex illa discimus plerumque ficta et simulata fuisse tantum vulnera Bellonariorum. Bellonarios solitos fuisse revera brachia sua secare, ex mille testimoniis liquet. Sed artificiose sibi levia vulnera dabant, ut dicit Seneca *de Vita beata*, cap. 27. Hoc monstrum miseros illos homines cogebat profunda vulnera corpori inferre. LINDNER.

*Non dissimiles.* Hoc est: *His Bellonariis non dissimiles et illi qui*, etc. LINDNER.

*Nec audire.* Dele turpe hoc additamentum. *Nobis*, inquit, *Minucius, homicidium nec videre fas*, id est, ne videre quidem. HEUM. — Lego *audere*. Objecerat enim Cæcilius Christianis, quod cæde infantis initiarentur. Huic calumniæ respondet Octavius, dicens tantum abesse ut Christianus audeat cædem facere, ut ne cædem quidem videre sibi licitum esse putet. Possem equidem hoc loco constructionem verbi *audere* cum accusativo vindicare, nisi viderem id omnibus jam lexicis esse factum. Addo tantum duo loca, Lactantii *Instit. Div.* VI, 20, 25: *Si homicidium facere nullo modo licet, nec interesse omnino conceditur.* Idem *Epitome* (IV), LXIII, 4: *Quod si interesse homicidio sceleris conscientia est, et eidem facinori spectator obstrictus est, cui et admissor: ergo et in his gladiatorum cædibus non minus cruore perfunditur, qui spectat, quam ille qui facit.* LINDNER.

*Edulium pecorum.* *Edulia pecora* vocat, quibus vesci licebat, uti Horatius lib. II. *Sat.* 4, 43, *edules* dixit *capreas*. Tertullianus *Apol.* cap. 9, vocat *epulas esculentas*, et Plinius lib. VIII, cap. 55. *Esculenta animalia.* HEUM.

CAP. XXXI. — *Coitio.* Ms. *cotio.* Scripserat Minucius *coitio*, id est factio, conspiratio. HERALD. — Rom. ed., teste Heumanno, habet *concio*.

*Aversione.* Rescribo *adspersione*, vel, ut monachi scribebant, *aspersione*. Ac ita jam emendavit Woverus. Corn. Nepos in *Alcibiade*, cap. 3, 6: *Aspergebatur etiam infamia, quod*, etc. Cicero Orat. *pro Cœlio*, cap. 10: *Istius facti non modo suspicione, sed ne infamia quidem, est aspersus.* Similiter Curtius X, 10, 18: *Quos rumor asperserat.* Rursus Cicero Orat. *in Vatinium* cap. ultimo: *Ne qua ex tua summa indignitate labes illius dignitati aspergatur.* Jac. Gronovius, qui putabat haud dubie scripsisse Minucium *accessione*, haud dubie erravit. HEUM. — Assentior viro doctissimo. Scripserat aliquis *aversione*; quia sequitur verbum *averteret*. Sed præstat aspersione, ob sequens *ut orator aspersit*. LINDNER.

*Terrore.* Recte, si grammaticorum regulas spectes, ab Heumanno rescribi *terror*, hoc video; an etiam, si mentem auctoris, dubito. Minucius utique scripsit *errore*, et repeti ἀπὸ κοινοῦ voluit dæmonum *coitio*. Nam coitio dæmonum avertit homines a Christianis terrore infandæ opinionis. Pari scilicet jure dicere possum: *dæmonum astutia homines a virtute, terrore difficultatis, avertit.* Et, *terror difficultatis homines a virtute avertit.* LINDNER.

*Tuus Fronto.* Ex vocabulo *tuus* Dallæus exsculpere voluit Minucium coævum esse Frontonis, contra Bellarminum, qui eumdem Tertulliano juniorem esse affirmaverat. Sed fallitur vir cætera doctus. Nam *tuus* non modo *coætaneum*, sed et *concivem ejusdem religionis asseclam*, et *quem quis testem sententiæ suæ probandæ allegat*, significat. LINDNER. — Vides. supra annotata ad caput 9. EDD.

*Nata sunt.* Lege *nota sunt*. HEUM.

*Ægyptiis et Athenis.* Lege vel *Œgyptiis et Atheniensibus*, vel *Ægypti et Athenis*. LINDNER.

*Memoriæ et tragœdiæ vestræ incestis.* Memoriæ scripta et libri sunt, quibus memoriæ proditur; sive monimenta litterarum, ut supra cap. 7: *Specta de libris memorias.* Et Gellius lib. IV, cap. 6: *In veteribus memoriis scriptum legimus.* Idem lib. V, cap. 5 inquit: *In libris veterum memoriarum scriptum est.* Tertullianus *adversus Judæos* cap. 1: *Secundum Scripturarum divinarum memorias populus Judæorum major, id est antiquior, derelicto Deo, idolis servivit.* Non est ergo causæ satis ut cum F. Ursino et Wowero *comœdiæ* sufficiamus. CELLARIUS.

*Cum matre.* Jovem respicit, cui Juno fuit *et soror et conjux*, ut loquitur Virgilius, *Æn.* I, 51. Sed hoc notum est; illud vero non ita, proletarium regem istum deorum cum matre etiam et filia rem habuisse; quam ob causam tacent interpretes, non enim, ut puto, sceleris magnitudine ad silentium sunt stupefacti. Nos, quod diximus, veterum testimoniis ostendemus. Clemens Alex. *Protrept.* p. 8, D: Δηοῦς δὲ μυστήρια καὶ Διὸς πρὸς μητέρα Δήμητραν ἀκροδίσιοι συμπλοκαί. Athenag. *Legat. pro Christ.* c. 27: Χρὴν δ' αὐτοὺς. . ἐὰν Δία μεμισηκέναι ἐκ μητρὸς μὲν Ῥέας θυγατρὸς δὲ Κόρης πεπαιδοποιημένον. Idem cap. 16 memorat θυγατέρα τοῦ Διὸς ἣν ἐκ τίνος μητρὸς Ῥέας ἡ Δημήτρας ἐπαιδοποίησατο. Rem prolixe narrat et Arnobius lib. V, pag. 170, sq. DAVIS.

*Promisce spargitis.* Sic ms. lib. et hoc loco et supra cap. 9; nam veteres *promiscus* et *promiscuus* dicebant Gellius lib. XI, cap. 16: *Deterret nos a varia promiscuaque cogitatione.* Idem lib. II, cap. 24: *Promisce indefiniteque largiri.* Et lib. VI, cap. 14, *ut promisce dici solet.* CELLAR.

*Dum etiam domi natos... exponitis.* Consulatur omnino eruditissimi jurisconsulti Gerardi Noodtii *Julius Paullus*, seu commentarius ad Leg. IX. D. de agnoscendis et alendis liberis. GALLAND. — *Domi natos.* Heraldus male *dominatos*. LINDNER.

*In vestros recurrere.* Jo. Pricæus ad Apulei *Metam.* lib. VII, pag. 379, reponit *incurrere*, quem secutus est Jac. Ouzelius. Sed nihil necesse est, ut eos audiamus. DAVIS.

Digitized by Google

vestros recurrere, in filios inerrare. Sic incesti fabulam nectitis, etiam quum conscientiam non habetis. Ad nos pudorem non facie sed mente præstamus. Unius matrimonii vinculo libenter inhæremus, cupiditate procreandi aut unam scimus, aut nullam. Convivia non tantum pudica colimus, sed et sobria: nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus; sed gravitate hilaritatem temperamus, casto sermone, corpore castiore; plerique inviolati corporis virginitate perpetua fruuntur potius quam gloriantur: tantum denique abest incesti cupido, ut nonnullis rubori sit etiam pudica conjunctio. Nec de ultima statim plebe consistimus, si honores vestros et purpuras recusamus: nec fastidiosi [*impr.* factiosi] sumus, [47] si omnes unum bonum sapimus, eadem congregati quiete qua singuli: nec in angulis garruli, si audire nos publice aut erubescitis, aut timetis. Et quod A in dies nostri numerus augetur, non est crimen erroris, sed testimonium laudis. Nam in pulchro genere vivendi et præstat et perseverat suus, et accrescit alienus. Sic nos denique, non notaculo corporis, ut putatis, sed innocentiæ ac modestiæ signo facile dignoscimus: sic mutuo, quod doletis, amore diligimus, quoniam odisse non novimus: sic nos, quod invidetis, FRATRES vocamus, ut unius Dei parentis homines, ut consortes fidei, ut spei cohæredes. Vos enim nec invicem agnoscitis, et in mutua odia sævitis: nec fratres vos, nisi sane ad parricidium recognoscitis. B

## CAPUT XXXII.

ARGUMENTUM. — *Neque dici potest Christianos occultare quod colunt, quoniam nulla delubra, nullasque aras habent. Persuasum siquidem ipsis est non posse Deum ullo templo circumscribi, aut fingi illius simu-*

## VARIORUM NOTÆ.

*In filios inerrare.* Viro doctissimo Jac. Perizonio placet *in filias inerrare*; cui equidem non accedo, cum *filii* utriusque sexus liberos denotent. Tertullianus, quem Noster describit. *Apolog* cap. IX: *In primis filios exponitis.... Alienati generis necesse est quandoque memoriam dissipari. Et semel error impegerit, exinde jam tradux proficiet incesti, serpente genere cum scelere.* Arnobius lib, IV, pag. 137, postquam de Minerva ex capite Jovis nata locutus est, addit: *Ex capite conceptos filios procreat.* Javolenus *Digg.* lib. I, tit. XVI, 84: *Filii appellatione omnes liberos intelligimus.* Adi et Legg. 116, 121, 201. DAVIS. — *In filios inerrare.* Perizonio tentante, in *filias inerrare*, alterum inde defendit Davisius, quod *filiorum* nomine etiam *filiæ* comprehendi soleant. Id autem ipsum jam Perizonius notavit ad *Sanct. Min.* IV, 10, 5, et alii multi. Quare, cum res adeo tralaticia hæc sit, videtur hac emendatione usus vir laudatus, ut orationis concinnior esset varietas, dum *recurrere* ad feminas, *inerrare* ad mares referat Minucius. Quem tamen ab hujusmodi ταυτολογίας specie, quæ forsitan Periz. offendebat, neutiquam abhorruisse cap 1, et alibi vidimus. WOPK. — Aut vehementer fallor, aut ita scripserat noster Minucius: *Necesse est vos vestras incurrere in filias, in sorores.* Jam Pricæus rescripserat *incurrere*, secutusque eum Ouzelius, qui, et alios scriptores producens ita locutos, emendationem *Pricæi* satis firmat. HEUM. — Non debuit Pricæus verbum *incurrere*, de furore libidinis ab aliis usurpatum, hic tam violenter inferre, quia et Minucio placent interdum verba sic composita, ut hoc *recurrere*, etsi prima syllabæ significatio sit nulla et prorsus intereat, ut supra, *recognoscere*, et paulo post *vera religio reseretur*. Alibi, *refidamus*, ubi etiam *angit et remordet oratio*. Cæterum omnino nunc significatio ejus requiritur, q. d. ut dum sic alios vestri sanguinis abigitis, alios retinetis, hi, nescii consanguinitatis, concipient amores inter se, et Venus ita recurrat in vestros redundetque et regyret. GRONOV. C

*Sic incesti fabulam nectitis.* Intelligit fabulam Œdipodis, de quo Lactantius VI, 20, 23 *Quæ autem possint vel soleant accidere in utroque sexu vel per errorem, quis non intelligit, quis ignorat? Quod vel unius Œdipodis declarat exemplum, duplici scelere confusum.* Poterat dicere, *fabulam agitis*, sed maluit *nectere*, quia supra cap. 9, Cæcilius dixerat: *Nexus infandæ cupiditatis involvunt.* Nimium a veritate abludit conjectura illa Wowerri, *fibulam nectitis*, quam ut assensum præbere possimus LINDNER. — Abludit et Lugdun. editor cum conjicit: *Labem nacti estis.* EDD

*Cupiditate procreandi.* Ita omnes editiones et ms. reg. Sententia tamen postulat *cupiditatem* HERALD. — Recte Heraldi correctionem rejecit Jac. Gronovius. Jo. Davisius in contextu expressit *cupiditatem*; in notis autem ms. lectionem sanam esse rectius censuit. Feminea *unam*, *nullam*, pendent ab voce subintelligenda *mulier*, vel simili; æque ac in illis Ovidii *Art. Amat.* II, 399:

Dum fuit Atrides una contentus, et illa
Casta fuit.

Plenius locutus est Plautus *Merc.* IV, 6, 8:

Nam uxor contenta est, quæ bona est, uno viro;
Qui minus vir una uxore contentus siet? GRUNER.

*Fastidiosi* fere omnes editi et ms. reg. Affirmare tamen audemus legendum *nec factiosi sumus*. Nam accusabantur Christiani vel eo præcipue nomine, quod coitiones et factiones inirent, quod nec omiserat Cæcilius cap. 8. Diluit nunc criminationem illam Octavius eodem modo quo Tertullianus in *Apolog.* unde ista sumpta sunt, cap. 39: *Hoc sumus congregati, quod et dispersi. Hoc universi, quod et singuli*, etc. Videsis quæ ibi observabamus. HERALD.

*Unum bonum sapimus.* Fulv. Ursinus *bonum*, tamquam glossam, respuit. CELLAR. — repetiit; scilicet Minucius verba Pauli *Rom.* XV, 5. et *Phil.* II, 2: τὸ αὐτὸ φρονεῖτε, quod ita redditum in versione veteri: *Idem sapiatis*. HEUM.

*Nostri numerus.* Scribo *noster numerus*. HEUM. — Nihil opus. Sic cap. 32, *Hostias et victimas Domino offeram, quas in usum mei protulit* Cap. 34, *Vide adeo quam in solatium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur*. LINDNER.

*Vivendi et præstat et perseverat suus.* Emendo sic: *viventibus et perstat suus.* Τὸ *perstat* aliquis in margine fuerat interpretatus per *perseverat*. *Alienus*, id est, is qui nondum erat Christianus. Nunc et liquet quis dicatur *suus*. HEUM.

*Non notaculo corporis.* Sic libri, verbo insolenti. Glossæ tamen veteres: NOTACULUM, *nota*, *signum*. Rom. lib *nota occulta*, ut supra Cæcilius, cap 9, dixerat: *Occultis se notis et insignibus noscunt*. VOWER et CELLAR. D

*Mutuo, quod doletis, amore.* Non videtur *amore* tollendum esse. Horatius *Epod.* XV, 10:

Fore hunc amorem mutuum.

Terentius: *Meretrix adolescentem, cujus mutuo amore tenebatur, exclusit.* LINDNER. Quæ modo excitat eo loci Lindnerus verba Terentii, mendose colliguntur e quodam veteri lexicographo, nec nisi cum dubii signo dantur apud Rob. Steph. *Thesaur.* verb. MUTUUS. EDD.

*Ut unius Dei parentis homines.* Rejice *Dei* in marginem, e quo translatum fuit in textum. HEUM. — Cellarius edidit *omnes*, quod unde habeat, nescio. LINDNER.

*Ad parricidium.* Rigaltius interpretatur ex *Petroniano Critone* de perditione hominis, qui est in

Digitized by Google

*lucrum. Ubique autem præsens, omnia videt, etiam secretiores mentis nostræ cogitationes; ac prope cum illo et in ejus vivimus sinu.*

(XXVI) Putatis autem nos occultare quod colimus, si delubra et aras non habemus? Quod enim simulacrum Deo fingam, quum, si recte existimes, sit Dei homo ipse simulacrum? Templum quod ei exstruam, quum totus hic mundus, ejus opere fabricatus, eum capere non possit? et, quum homo latius maneam, intra unam ædiculam vim tantæ majestatis includam? Nonne melius in nostra dedicandus est mente, in nostro imo consecrandus est pectore? Hostias et victimas Domino offeram, quas in usum mei protulit, ut rejiciam ei suum munus? ingratum est; quum sit litabilis hostia bonus animus, et pura mens, et sincera sententia. Igitur, qui innocentiam colit, Domino [48] supplicat; qui justitiam, Deo libat; qui fraudibus abstinet, propitiat Deum; qui hominem periculo surripit, optimam victimam cædit. Hæc nostra sacrificia, hæc Dei sacra sunt; sic apud nos religiosior est ille qui justior. At enim, quem colimus Deum, nec ostendimus nec videmus: immo ex hoc Deum credimus, quod eum sentire possumus, videre non possumus. In operibus enim ejus et in mundi omnibus motibus virtutem ejus semper præsentem aspicimus, quum tonat, fulgurat, fulminat, quum serenat. Nec mireris si Deum non videas: vento et flatibus omnia impelluntur, vibrantur, agitantur; et sub oculos tamen non venit ventus et flatus. In sole adeo, qui videndi omnibus causa est, videre non possumus; radiis acies submovetur, obtutus intuentis hebetatur: et, si diutius inspicias, omnis visus exstinguitur. Quid? ipsum solis artificem, illum luminis fontem possis sustinere, quum te ab ejus fulgoribus avertas, a fulminibus abscondas? Deum oculis

## VARIORUM NOTÆ.

semine; Heumannus de Romulo et Remo, Eteocle et Polynice. Probo. LINDNER.

CAP. XXXII. — *Latius maneam* Heumannus vult *laxius habeam*, quam sententiam protulit in *Parergis criticis*, A. 1712 editis, p. 47, et in *Miscell. Lips. novis* vol. VIII, p. I, p. 127. Sed tuentur lectionem ms. quam exprimendam curavimus. DAVISIUS et WOPKENIUS. — *Latius* enim adhibetur de rebus amplis, extensis, sive tales sint latitudine proprie dicta, sive etiam longitudine, quod probat Davisius ad Lactant. *Epit.* cap. 58, et Cicero. *de Leg.* II, 1. *Manere* pro *habitare* probat Wopkenius, et probant omnia lexica, et græcum μένω, quod eodem sensu extat *Joann.* I, 38; *Matth.* X, 11. Sed firmissimum argumentum ducitur ex Cypriano, Minucii epitomatore, qui de *Idol. Vanit.* cap. 5: *Et cum homo latius maneat.* LINDNER.

*Intra.* Cellarius vitiose *inter.* LINDNER.

*Nostro imo.* Heumannus, qui *immo* accepit pro *intimo*, delet *nostro*. Ego vero accipio pro adverbio, et confirmor in hac mea conjectura auctoritate ed. Rom. quæ exhibet *immo.* LINDNER.

*Hostias... sincera conscientia.* Non intellexit Jac. Gronovius mentem Minucii, qui ad hæc scripsit sequentia. Palam alludit ad verba Pauli ex I *Tim.* IV, 4: οὐδὲν ἀπόβλητον μετ' εὐχαριστίας λαμβανόμενον. *Rejicere* h. l. non est reprobare, sed propria significatione accipi, debet. Nam Deo hostias et victimas offerre, idem est ac *rejicere*, i. e. reddere illi inconsiderate velle, quod nobis ipse dedit. Hoc autem *ingratum est*, quia Deus animalia nobis dedit ut iis utamur in gloriam nominis sui, non vero ut iis ad sui ignominiam abutamur: quod faciunt omnino qui Deum victimis indigere, iisque cæsis placari posse, arbitrantur. GRUNER. — Heumannus *ingratum est*, tamquam manifestum glossema, rejicit. LINDNER.

*Cum sit litabilis hostia.* Lactantio quoque *victima litabilis* dicta lib. I *Div. Instit.* cap. XXI, id est Deo grata et acceptabilis: et *Epitome* cap 5, *victima litabilior.* CELLAR — Ad sententiam recte Cellarius, non item ad vim vocis. Est *litabilis hostia* qua Deus placari potest. *Litare* enim, pontificalis vox, significat *sacrificio facto placasse numen*, ut Macrobius loquitur *Saturn* III, 5. Adde Servium ad Virg. *Æn.* II. 118. Respicere autem Minucius videtur ad *Psalm* L, 18, 19. GRUNER.

*Sincera sententia.* Rom. *conscientia.* Wow.

*Justitiam.* Heraldus vitiose *injustitiam.* LINDNER.

*Optimam victimam.* Is. Vossius ad *Melam*, III, 2, emendabat *optimam victimam* (prout etiam *Heraldus* edidit. LINDNER). Sed præstat omnino alteri lectioni adhærere. Et enim in præcedentibus *supplicare, libare,* et *propitiare* est idem plene perfecteque facere, quod propriis *supplicationibus*, etc., imperfecte fiebat: sic etiam plane accipiendum hoc *opimam victimam cædere.* Et *opimas victimas* Deo gratissimas vulgo habitas quis ignorat? Lactant. VI, 2: *Mactant igitur optimas ac pingues hostias Deo quasi esurienti.* WOPK.— Simili errore apud Lactant. *Epitome* cap. 25, 7, legebatur: *Num igitur mentis suæ compos videri potest, qui talibus optimas victimas cædit?* Sed vindicant *opimas* eo loco Pfaffius, Davisius et Bünemannus. LINDNER.

*Sub oculis.* Lege *sub oculos.* Seneca lib I. *de Benef.*, cap. V: *Non est beneficium id quod sub oculos venit.* Lactantius III, 9, 12: *Nec videt amplius, quam quod sub oculos venit.* Idem, lib. VII, 9, 2, eodem, quo Minucius noster, argumento utitur, et simul, quod forte acidisse credo, eadem illa distinctione: *Deus*, inquit, *facit multa, quorum vis quidem apparet, substantia tamen non videtur, sicut est vox, odor, ventus: ut harum rerum argumento et exemplo etiam Deum, licet sub oculos non veniret, de sua tamen vi et effectu et operibus cerne remus.* HEUM — Adde eumdem lib. VII, 1, 9, cap. 9, 27; cap. 11, 9. LINDNER.

*In sole.* Ita ms. Heumannus delefam vult præpositionem, et recipit emendationem Gelenii, qui rescribebat *solem* Sed annotavit Gifanius in *Indice Lucret.* hanc præp. sine discrimine vel cum accusandi vel cum auferendi casu jungi. Horat. *Serm.* lib. I, *Sat.* 3, 26:

Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum. LINDNER.

*Videre.* Sic ed. Rom. et ms, et ita edidit Heraldus. *Quid? ipsum.* Editio Romana habet, *Quid ipsum*, non interjecto interrogationis signo. Jam sic rescribo *Qui* (i. e. quomodo) *ipsum.* Sic infra cap. 36: *Qui* (ms. *quis*) *potest pauper esse, qui non eget?* HEUM.

*Fulgoribus.* Scribe *fulguribus.* Conjungere solet *fulgura* et *fulmina.* Ita supra: *Rutilare fulgura, fulmina præmicare.* Et postea: *Cum cœlum, et fulmina, et fulgura longe ante fuerint, quam Jupiter in Creta nascereiur.* MEURS. — Cave quidquam mutes. Cicero *de Divin.* lib. II, cap. 19. *Tum et fulgores et tonitru existere.* Sic enim legendum ex mss Cantabr. et Victor. non *fulgura*, quod in vulgatis. Iterum cap. 39, ubi versum interpretatur ex *Iliad.* I. 256. Lucretius VI, 755.

Sic fulgorem quoque cernimus ante,
Quam tonitrum accipimus,

Ovidius *Metam.* VII, 619:

Ille notam fulgore dedit, tonitruque secundo,

Videsis Aurelium Victorem capp. 14, 23. DAVIS.

Digitized by Google

carnalibus vis videre, quum ipsam animam tuam, qua vivificaris et loqueris, nec aspicere possis, nec tenere? (XVII) Sed enim Deus actum hominis ignorat, et, in cœlo constitutus, non potest, aut omnes obire, aut singulos nosse. Erras, o homo, et falleris. Unde enim Deus longe est, quum omnia cœlestia terrenaque, et quæ extra istam orbis provinciam sunt, Deo cognita, plena sint? Ubique non tantum nobis proximus, sed infusus est. In sole adeo rursus intende: cœlo adfixus, sed terris omnibus sparsus est; [49] pariter præsens ubique interest et miscetur omnibus, nusquam enim claritudo violatur. Quanto magis Deus, auctor omnium ac speculator omnium, a quo nullum potest esse secretum, tenebris interest, interest cogitationibus nostris quasi alteris tenebris. Non tantum sub illo agimus, sed et cum illo, ut prope dixerim, vivimus.

## CAPUT XXXIII.

ARGUMENTUM. — *Quod si tamen Deus Judæis nihil profuisse dicatur, certe judaicorum annalium scriptores testes locupletissimi sunt, illos prius Deum deseruisse, quam ab ipso fuisse desertos.*

Nec nobis de nostra frequentia blandiamur: multi nobis videmur, sed Deo admodum pauci sumus. Nos gentes nationesque distinguimus: Deo una domus est mundus hic totus. Reges tantum regni sui per officia ministrorum universa novere; Deo indiciis opus non est: non in solum oculis ejus, sed et in sinu vivimus. Sed Judæis nihil profuit quod unum et ipsi Deum aris atque templis maxima superstitione coluerunt. Ignorantia laberis si, priorum aut oblitus aut inscius, posteriorum recordaris. Nam et ipsi Deum nostrum, idem enim omnium Deus est:

## VARIORUM NOTÆ.

*Nec tenere.* Quod, quid ad rem faceret illud *tenere*, non videbat Davisius, legebat *cernere*, aliusque vir doctus in *Actis Lips.*, octob. 1735, *tueri*. Tali quidem Tacitus in *Agric.* cap. 40: *Viso aspectoque Agricola.* Et cap. 45: *Præcipua sub Domitiano miseriarum pars erat., videri et aspici.* Ubi hanc formam immerito vexabat Colerus. Sed *tenere*, pro *comprehendere* non sollicitandum hic arbitror. Ambrosius *Offic.* I, 29: *Et viderunt Heliseum, quem corripere gestiebant, et videntes tenere non poterant.* Et solet ita hoc cum verbo *videre*, *tenere* conjungi. Paulinus Nol. *Epist.* XVIII, 1: *Ut.... quadam tuæ gratiæ portione frueremur, videntes et tenentes eum, quem fides veritatis probavit.* Paulinus Petroc. V, *Martini* VI, 4: *Carnique tuæ sine carne superstes, cerneris, expeteris, contingeris atque teneris.* Novatianus *de Trinit.* cap. 11: *ed enim veritati cæcitas hæreticorum nulla præscribet: nec quoniam in Christo aliquid tenent, aliquid non tenent, alterum vident, alterum non vident, eripietur nobis illud, quod non vident, per illud, quod vident.* Ubi quod prius *videndi* et *tenendi* verbo significatum erat, postea uni *videndi* verbo involvitur, quod nempe non multum ista duo distarent. *Tenere* etiam huic loco vindicat vir doctus in *Miscell. Obs.* 1732, vol. I, pag. 32, eo quod *tenere* apud Nostrum idem videatur, quod apud Lactantium de Vita beata *tangere* in his: *Anima idcirco immortalis est, quia nec tangi potest, nec videri.* WOPK.

*Cognita plena sint.* Qui hic emendabant: *Deo cuncta plena sint*, vel *Deo cognita plene sint*, offensi eo videntur, quod vox eadem Deo, tam diverso modo, a nominibus *cognita*, *plena* dependeat, hujusque respectu in ablativo, illius in dativo casu in elligenda sit. Sed forma ista satis usitata est. Sic cap. 26: *Onusti et immersi vitiis;* cap. 36, *Qui non eget, qui non inhiat alieno.* Arnobius lib. I, p 25: *Consentaneum, dignum Deo fuerat.* Plinius VII, *Epist.* 25: *Ac ne sermonibus quidem malignis aut attendit aut alitur.* Lactant. *de Ira Dei*, c. 4: *Quid tam dignum, tam proprium Deo, quam providentia?* Panegyr. incerti VIII, 22: *Ut de sideribus et cœlo digna et vicina promittant.* Ausonius *Grat. Act.* cap. 3: *Non ingratus beneficiis, sed oppressus.* Ambrosius *Offic.* I, 21: *Intercessionibus non solum credere nos, sed etiam delectari debere.* Hegesippus I, 34: *Non videmus virtutibus, sed delectamur.* Boetius *Consol.* I, 1: *Hominumque mentes assuefaciunt morbo, non liberant.* Et lib. III, 4: *Ut utentium mentibus virtutes inserant, vitia depellant.* Dictys Cret. lib. V, 8: *Non se his moveri, neque indignari.* Plura prætermitto sciens. WOPK.

*Enim claritudo.* Gronovius auctorem scripsisse putat *ejus claritudo.* LINDNER.

*A quo nullum potest esse secretum.* Heumanno hæc esse vera videntur Minucii verba: *Quanto magis Deus, auctor omnium ac speculator omnium, a quo nil ullis potest esse secretum* (h. e. sejunctum) *tenebris, interest cogitationibus nostris.* Nihil muto. *Quanto magis Deus tenebris interest*, sine ulla claritudinis suæ diminutione. LINDNER.

*Sed et cum illo.* Ita ms. Ego vero persuasum habeo Minucium scripsisse *sed cum illo*, quod et reperio in editione Romana. HEUM. — Nihil muto; cap. 4: *In pace etiam non tantum æquatur nequitia melioribus, sed et colitur.* Cap. 31: *Convivia non tantum pudica colimus, sed et sobria.* Ovidius, *Metam.* IV, 330:

Nescit quid sit amor: Sed et erubuisse decebat. LINDNER.

*Ut prope dixerim.* Hanc ms. lectionem defendit Wopkenius in *Obs. misc. crit.*, t. X, lib. I, pag 48; ita tamen, ut postea malit legere *ut proprie dixerim.* Sed mihi quidem neutrum approbavit vir doctissimus. HEUM.

CAP. XXXIII. — *Blandiamur.* Vel hic vel numquam alias videre licet quam sit opus aleæ plenum, emendare veteres auctores. Notaverat Cellarius ad hæc verba: *Ad objecta* cap. 9, *respondet.* Quod cum crederet cl. Heumannus, et emendaret: *blandimur: multi vobis videmur*, humani aliquid est passus. Non enim auctor respicit locum a Cellario citatum, sed cap 10, ubi Cæcilius providentiam divinam impugnaverat, usus argumento ab hominum frequentia et multitudine deducto. Plane ut ille apud Juvenalem *Sat.* 15:

Si curant igitur cunctos punire nocentes,
Quando ad me venient?

Jam respondet Octavius, non esse cur homines sibi de sua frequentia blandiantur, etc. Nam ad cap. 9 respondit jam cap 31. Conferatur, si placet, Dispositio hujus Dialogi, huic editioni præmissa. LINDNER.

*Reges tantum.* Jo. Meursius emendavit: *Reges statum regni sui per officia ministrorum diversa novere;* sed a ms. lectione discessit vir eruditus, quod σύνταξιν non caperet, quæ satis erit manifesta, si orationem hoc modo distinguas: *Reges tantum regni sui, per officia ministrorum, universa novere.* Dixit *universa regni sui*, pro *universis rebus regni sui*, vel, *universo regno suo*, ut *opaca viarum, porrecta camporum*, et similia. Tacitus *Hist.* lib. III, 4: *Prima rerum quieti speculabantur.* Et lib. V, 10: *Cuncta camporum... victore exercitu tenebat.* Sic alibi passim. DAVIS. — Assentior viro docto; nam tantum reges, quia nec singulis inservire possunt, per universa distracti, nec universis sufficere, in singulis occupati, universa regni sui, per officia ministrorum, noverunt; non vero Deus, cui indiciis opus non est. LINDNER.

*Indiciis.* Subaudi *aliorum.* — HEUM. Nihil opus. *Indicium* enim sumitur substantive pro *indice.* Lactantius, *de Mort. Persec.* VIII, 4: *Non deerant locuple-*

Digitized by Google

quamdiu enim eum caste, innoxie religioseque colue- A runt, quamdiu præceptis salubribus obtemperaverunt, de paucis innumeri facti, de egentibus divites, de servientibus reges; modici multos, inermi armatos, dum fugiunt insequentes, Dei jussu et elementis adnitentibus obruerunt. Scripta eorum relege, vel, si Romanis magis gaudes, ut transeamus veteres, Flavi Josæpi vel Antonini Juliani de Judæis require: jam scies nequitia sua hanc eos meruisse fortunam; nec quidquam accidisse quod non sit his, si in contumacia perseverarent, [50] ante prædictum. Ita prius eos deseruisse comprehendes, quam esse desertos: nec, ut impie loqueris, cum Deo suo captos, sed a Deo, ut disciplinæ transfugas, deditos.

## CAPUT XXXIV.

ARGUMENTUM. — *Nihil autem mirum si mundus hic igne tandem sit absumendus, omnia siquidem quæ initium, eadem et finem habent. Neque a sententia de mundi incendio abhorrent antiqui philosophi. Constat tamen Deum posse hominem quem ex nihilo finxit, ex morte excitare ad vitam. Resurrectionem autem futuram omnis natura meditatur.*

Cæterum, de incendio mundi, aut improvisum ignem cadere, aut difficile non credere, vulgaris erroris est. Quis enim sapientium dubitat, quis ignorat, omnia quæ orta sunt, occidere; quæ facta sunt, interire? cœlum quoque, cum omnibus quæ cœlo continentur, ita, ut cœpisse, desinere? fontium

## VARIORUM NOTÆ.

*tissimi senatores, qui, subordinatis indiciis, affectasse* B *imperium dicerentur.* LINDNER.

*Quamdiu caste.... coluerunt.* Ms. teste Meursio, repræsentat *quamdiu enim tum caste.* Legendum puto: *quamdiu eum caste.... coluerunt.* Nam solent auctores istiusmodi pronomina post παρίθεσιν immittere. Cicero *Acad. quæst.* lib. IV, cap. 7: *Quod si essent falsæ notitiæ* (ἐννοίας enim notitias appellare tu videbare), *si igitur essent hæ falsæ.* Idem *de Fato* cap. 16. Sic Cæsar lib. III, B. G. cap. 22. Quam in rem multa veterum loca collegit J. F. Gronovius ad Livii XXV, 27; et ad Senecam, *de Ira* I, 3. DAVIS.

*Et elementis.* Pessime vero post *jussu* fixum est comma in omnibus, quas vidi, editionibus, atque ita non licuit cognoscere *et* significare *etiam.* Lege: *Dei jussu et* (id est, etiam) *elementis annitentibus.* Respicit Noster, præter alias, historiam de *Josua*, solem et lunam, immo etiam imbres et grandines, nacto veluti C comitas auxiliatrices. Pro *obruerunt*, quod haud quadrat huc, scripserim *devicerunt.* Nec *annitentibus* satis placet. An forte *assistentibus*, vel *concertantibus* scripsit Minucius. HEUM. — Bene de modicis *obruerunt*, quod Virgilius *Æn.* II, 424, dixit de multis, *Obruimur numero;* et Ovidius *Fast.* I, 488:

Obruit ingentes ista procella viros. LINDNER.

*Flavii Josephi, vel Antonii Juliani.* In ms. scribitur *Flavi Josæpi*, et abrasæ membranæ superficies ostendit scriptum fuisse *Antonini Juliani.* RIGALT. — Antonii Juliani, veluti rerum Judaicarum scriptoris, præter Nostrum meminit nemo. Rhetoris autem cognominis mentionem aliquoties facit A. Gellius *Noct. Att.* I, 4, et IX, 1, 15. Sed an is ab hoc Minuciano diversus fuerit, nec ne, mihi non liquet, nostraque nihil interest. Illud φιλαρχαίοις paulo majoris est momenti, dum quæritur unde fiat ut Flavius Josephus hoc in loco memoretur. Nam Judæos Romanis ἐξ ἐναντίας opponit Noster: ideoque, licet Josephus Romana civitate donatus foret, incommode prorsus hic laudari videtur; siquidem tam natione quam religione fuerit Judæus. Præterea græce scripsit Josephus; nec hominis opera vestem Romanam Minucii tempore induerat. Vide Hieronymum Epist. *ad Lucinium* XXVIII, edit. Victor.; et Cassiodorum *Divin. Lect.* cap. XVII. Igitur locum sic legerem: *Scripta eorum* (Judæorum) *relege; vel si Romanis magis gaudes, ut transeamus veteres, Antonii Juliani de Judæis require.* Nisi fallor, in orationis contextum invasit Flavii Josephi nomen, postquam librarius id oræ sui codicis alleverat. Hoc autem contigit, quia Josephus scriptor esset celeberrimus, et idem cum Juliano tractaret argumentum. DAVIS. — Proponit Lindnerus verba transferre eo modo: *Releges ut transeamus veteres vel Flavii Josephi vel si Romanis magis gaudens, Antonini Juliani.* EDD.

*His* lego sine dubitatione. HEUM.

*Comprehendes.* Non est quod dubitemus legere *deprehendes.* HEUM.

*Cum Deo suo captos.* Ita solus Rigaltius, quem sequuntur nonnulli ex posteris, etsi verbum ille unum non proferat cur omiserit verbum *esse*, quod habent Sabæus, Wowerus, Heraldus, etiam Cellarius, exhibentes *cum Deo suo esse captos.* Quod moneo, ut inquiratur in verum. GRONOV. — Falsum. EDD.

CAP XXXIV.—*Aut difficile non credere.* Id est, *difficulter aut plane non credere.* In eumdem ferme modum cl. Gruterus, nisi quod ille *aut difficile aut non credere.* Ego vero transposuis tantum vocibus *difficile aut non.* Sic cap. 12: *Et Deus patitur, dissimulat,* (aut) *non vult, aut non potest opitulari suis.* Ita, puto, ms. minima fit injuria qui sic habet: *aut difficile non credere.* Possemus etiam legere *ut difficile*, sed præstat prior lectio. Habent quædam editiones: *Aut improvisum ignem cadere, aut difficilem credere.* Rigaltius hoc modo veram lectionem restituisse arbitratur: *aut improvisum ignem credere, aut difficile non cadere.* Boxhornio multo magis placet, si rescribatur: *Aut improvisum ignem cadere, aut sufficere non credere.* Gronovius reponit: *Aut improvisum ignem cadere aut dissilire.* Minus coacte auctor ita scripsisse Wopkenio videtur: *Cæterum te incendia mundi, aut improvisum ignem cadere difficile aut non credere.* Ex Heumanni sententia Minucii verba hæc sunt: *Cæterum de incendio mundi non credere, vulgaris erroris est.* LINDNER.

*Quis ignorat.* Ex hypothesi Heumanniana, quæ *aut difficile* ejicit, hæc etiam verba erant delenda. *Difficulter credit,* qui *dubitat; non credit,* qui *ignorat.* LINDNER.

*Ut cœpisse.* Ita ms., pro quo in Romana editione *cœpisset* rescriptum, quum rescribendum sit *cœpit esse.* HEUM.

*Fontium dulcis aquas maria nutrire in vim ignis abiturum.* Loci antehac depravatissimi præclaram emendationem suggessit nobis vetus exemplar. Nam sic omnino habet: *Fontium dulcis aqua maria nutrire* D *in vim ignis abiturum.* Sic autem intelligenda est hæc scriptura: τὸ *nutrire* abiturum in vim ignis Stoicis constans opinio est. Illa vero quæ sequuntur, *quod, consumpto humore, mundus hic omnis ignescat,* supervacua sunt et saporis notulam de margine abreptam. Neque aliud dicunt, quam id quod jam dictum est elegantius: *Fontium dulces aquas maria nutrire abiturum in vim ignis;* id est, maria non amplius nutrient fontes aquis dulcibus, sed illud nutriendi abibit in vim ignis: nutrimentum illud mutabitur in flammas, ebullient ignei torrentes de scaturigine fontium. RIGALT. — Edidit Gelenius, *fontium dulci aqua, marisve nutriri;* nec aliter Cellarius; sed, ut mihi videtur, ex ms. Regio belle emendavit Nic. Rigaltius; nec sane rarum est, ut *infinitivus* pro *substantivo* ponatur. A. Gellius *Noct. Attic.* lib. I, cap. 8: *Ego.* inquit, *pœnitere tanti non emo.* Arnobius lib. II, pag. 27. *Timere ipsum quid sit ignorans.* Sic et Sulpicius Severus; H. S. lib. II, cap. 3. Illud porro monendum puto, locum hunc vitiosa adhuc interpunctione laborare, quod

Digitized by Google

dulcis aqua maria nutrire, in vim ignis abiturum? Stoicis constans opinio est quod, consumpto humore, mundus hic omnis ignescat; et Epicureis, de elementorum conflagratione et mundi ruina, eadem ipsa sententia est. Loquitur Plato partes orbis nunc inundare, dicit nunc alternis vicibus ardescere; et, quum ipsum mundum perpetuum et insolubilem diceret esse fabricatum, addit tamen ipsi artifici, Deo soli et solubilem et esse mortalem. Ita nihil mirum est, si ista moles ab eo quo exstructa est, destruatur. Animadvertis philosophos eadem dis- A putare quæ dicimus, non quod nos simus eorum vestigia subsecuti, sed quod illi, de divinis prædicationibus Prophetarum, umbram interpolatæ veritatis imitati sint. Sic etiam conditionem renascendi, sapientium clariores. Pythagoras primus, et præcipuus Plato, corrupta et dimidiata fide, tradiderunt: nam, corporibus dissolutis, solas animas volunt et perpetuo manere, et in alia[61] nova corpora sæpius commeare. Addunt istis et illa ad retorquendam veritatem, in pecudes, aves, belluas, hominum animas redire. Non philosophi sane studio, sed mimico vitio digna ista sententia est. Sed

## VARIORUM NOTÆ.

cum non animadverteret Nic. Rigaltius, septem voces, tamquam glossema, perperam ejecit Distingue B *Fontium dulces aquas, maria nutrire in vim ignis abiturum?* hæc enim a superioribus pendent. Tum pergit auctor: *Stoicis constans opinio est quod consumpto humore mundus hic omnis ignescat*; quæ fere verba sunt Ciceronis *de Nat. Deor.* II, 46: *Ex quo eventurum nostri putant id de quo Panætium addubitare dicebant, ut ad extremum omnis mundus ignesceret, quum, humore consumpto, neque terra ali posset, neque remearet aer, cujus ortus, aqua omni exhausta, esse non posset.* Idem lib. III, 14: *Quid enim? non eisdem vobis placet omnem ignem pastus indigere? nec permanere ullo modo posse, nisi alatur? Ali autem solem, lunam, reliqua astra, aquis alia dulcibus, alia marinis?* Lucretius lib. I, 231:

> Unde mare, ingenui fontes externaque longe
> Flumina suppeditant? Unde æther sidera pascit?

Tria ergo sunt de quibus sapientium nemo dubitat, scilicet: 1° omnia, et in primis cœlum, cœpisse, C 2° aliquando desinere, 3° interim vero nutriri. Et his tribus partibus vertitur etiam cardo totius disputationis. Cœlum cœpit; ergo est Deus: cœlum desinet; ergo datur finis mundi et pœnæ post mortem: cœlum nutritur; ergo datur providentia. Davis, Rigaltius. — Boxhornius, cujus verba proferuntur ab Ouzelio, sic legit: *Fontium dulces aquas maria nutrire*, etc. Gronovius ita: *Fontium, dulcis aquæ, maris nutrimen in vim*, etc. Heumann., verbis *in vim ignis abit*, ejectis, legit: *Fontium dulci aqua marisve nutriri id* (i. e. cœlum), *Stoicis constans*, etc. Lindner.

*Loquitur Plato. Partes orbis nunc inundare dicit.* Ita distinguendum erit, si retinenda videatur hæc scriptura vetus. Cæterum, malim notam et familiarem Minucio loquendi formam servari, detracto inutili verbo, *dicit*, in hunc modum: *Loquitur Plato partes orbis nunc inundare, alternis vicibus ardescere.* Rigaltius. — Lenior erit medicina, si, addita particula copulante, legamus: *Loquitur Plato, et partes orbis nunc inundare dicit.* Cyprianus *de Unit. Ecclesiæ: Loquitur et dicit Scriptura divina.* Hieronymus *adv. Vigilant.* tom. IV, col. 288: *De quibus argumentaris et dicis.* Non aliter passim veteres Ecclesiæ scriptores. Davis. — Multo autem verisimilius est ire, sisse, adeoque exterminari oportere. *loquitur.* Nunc vero et *dicit* in *docet* muto, eoque confidentius, quod paulo post sequitur *diceret.* Non est enim credibile eodem verbo bis eadem in periodo usum esse tam elegantiæ studiosum scriptorem. Denique pro *inundare*, scribo *inundari*, duce Wopkenio in *Obs. misc. crit.* t. X. lib. I, pag. 49. Heum.

*Deo soli.* Rescribo *artifici soli*, remittens *ipsi Deo* in marginem. Heum.

*Deo soli, et solubilem, et esse mortalem.* Transposita vocula, lege: *Deo soli et solubilem esse, et mortalem* Davis. — *Esse et mortalem.* In ms. est *et esse mortalem.* Quam scripturam defendit Wopkenius. Lindner.

*Ab eo quo* Defendit hanc scripturam Wopkenius in *Lectionum Tullianarum* lib. I, cap. 1, pag. 4, pluribus docens exemplis, posterius *a* non raro omitti a scriptoribus præstantissimis. Heumannus.

*Quæ dicimus.* Lego: *Quæ docemus nos non.* Lactantius VII, 25, 1: *Ut docerem, non modo apud nos, verum etiam apud eos ipsos qui nos insectantur, veritatem consignatam teneri quam recusant agnoscere.* Heum.

*Retorquendam* Id est *obscurandam, avertendam.* Resurrectionem Pythagoras tradidit, sed animæ solum, non etiam corporis, adeoque dimidiata fide; sed, ut veritas magis adhuc retorqueretur, addit animas hominum redire *in pecudes*, cum dicere debebat *in sua corpora.* Heumannus Minucium scripsisse existimat: *Addunt et, ad retorquendam feritatem in pecudes, aves, belluas, hominum animas redire. Ad retorquendam feritatem*, id est, *ut feritas ad mansuetudinem traducatur*, uti Cicero loquitur in *Orat. pro Sextio*, cap. 42. Lindner.

*Mimico vitio digna ista sententia est.* Sic est in exemplari. *Mimico vitio*, hoc est, mimico more, nempe, risus undecumque captandi. Hunece morem Minucius austeritate christiana *vitium* vocat, et opponit *mimicum vitium philosophi studio.* Quod in quibusdam editionibus reperitur, *mimi convicio*, aptius respondere videatur philosophi studio Sed recte ait Minucius sententiam istam, animas hominum in pecudum et bestiarum corpora redituras, dignam esse *mimico vitio*: nam inter alia mimicæ artis vitia, illud est sane turpissimum, quod sæpe mimi pecudum et belluarum formas induunt. Tertullianus *Apol.* cap. 48: *Multis etiam jocis ex otio opus erit, si velimus ad hanc partem lascivire: quis in quam bestiam reformari videretur.* Rigalt. — Frustra laborat Rigaltius, qui hanc lectionem vindicare Minucio studet. Vera omnino scriptura est *mimi convicio*, quæ exhibetur ab edit. Rom. Elmenh. Wower. Cellar. probaturque Jac. Gronovio. Minucii mens est, sententiam illam de transmigratione animarum non dignam esse, de qua philosophus cogitare diligentius debeat; sed adeo ridiculam, ut vel mimo in theatro delectandorum hominum materiam præbere possit. Opportune huic Elmenhorstius illud Lactantianum VII, 12 attulit. D *Sententia deleri hominis ridicula, mimo dignior quam schola fuit.* Vox *convicii* tibi admodum huic loco apta videbitur, si Manucii observationem legeris ad illa Ciceronis *ad divers.* IX, 16: *Nunc venio ad jocationes tuas, quum tu secundum Œnomaum Accii, non ut olim solebat, Atellanum, sed ut nunc fit, mimum introduxisti.* Gruner. — Jam dudum viderunt critici (quibus fert suppetias Romana editio, quæ, Heraldo teste, habet *inimico vitio*, Wowero vero *mimi convitio*) *mimi convicio* scripsisse Minucium, de quo verbo videas quæ philologi ascripserunt ad *Phædri* I, 6, 5. Adde Ovidii *Metam.* V, 675, et Ciceronis lib. II ad *Q. fratrem Epist.* I, ubi *convicia* opponuntur *silentio*: quod et fit in *Orat pro Archia*, cap. 6. Idem lib. I ad Famil., epist. 5: *Pompeius, cum pro Milone diceret, clamore convicioque jactatus est.* Et lib. V in Verrem: *Erant convivia non illo silentio..... neque eo pudore,..... sed cum maximo clamore atque convicio.* Vides Minucio *convicium mimi* non dici serias contumelias, sed insectationem et irrisionem, magno cum clamore fieri solitam. Audi et

Digitized by Google

ad propositum satis est etiam in hoc sapientes vestros, in aliquem modum nobiscum consonare. Cæterum, quis tam stultus aut brutus est ut audeat repugnare hominem a Deo, ut primum potuisse fingi, ita posse denuo reformari? nihil esse post obitum, et ante ortum nihil fuisse; sicut de nihilo nasci licuit, ita de nasci licere reparari? Porro difficilius est id quod non sit incipere, quam id quod fuerit iterare. Tu perire et Deo credis, si quid oculis nostris hebetibus subtrahitur? Corpus omne, sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis; sed Deo, elementorum custodia reservatur. Nec, ut creditis, ullum damnum sepulturæ timemus, sed veterem et meliorem consuetudinem humandi frequentamus. Vide adeo quam, in solatium nostri, resurrectionem futuram omnis natura meditetur! Sol demergit et nascitur, astra labuntur et redeunt, flores occidunt et reviviscunt, post senium arbusta frondescunt, semina non nisi corrupta revirescunt: ita corpus in sæculo, ut arboros in hyberno, occultant virorem ariditate mentita. Quid festinas, ut cruda adhuc hyeme reviviscat et redeat? expectandum nobis [52] etiam corporis ver est. Nec ignoro plerosque, conscientia meritorum, nihil se esse post mortem magis optare quam credere: malunt enim exstingui penitus, quam ad supplicia reparari. Quorum error augetur, et in sæculo libertate remissa, et Dei patientia maxima: cujus quanto judicium tardum, tanto magis justum est.

## CAPUT XXXV.

ARGUMENTUM.—*Ostendit deinde Octavius justos piosque homines sempiterna felicitate donandos, injustos vero pœnis afficiendos æternis. Tum luculenter demonstrat multo sanctiores esse Christianorum mores quam ethnicorum.*

Et tamen admonentur homines, doctissimorum [*impr.* libris] et carminibus poetarum, illius ignei fluminis, et de Stygia palude sæpius ambientis ardoris, quæ cruciatibus æternis præparata, et dæmonum indiciis et de oraculis Prophetarum cognita tradiderunt. Et ideo apud eos etiam ipse rex Jupiter per torrentes ripas et atram voraginem jurat religiose; destinatam enim sibi cum suis cultoribus pœnam, præscius, perhorrescit. Nec tormentis aut modus ullus, aut terminus. Illic sapiens ignis membra urit et reficit; carpit et nutrit, sicut ignes fulminum corpora tan-

## VARIORUM NOTÆ.

Lactantium similiter loquentem lib. VII, 12, 31: *Quæ sententia deliri hominis, quoniam ridicula et mimo dignior quam schola fuit, ne refelli quidem serio debuit.* HEUM.

*Ut primum potuisse fingi:* Frustra plane Wowerus substituit *ut primum potuit fingi:* ut jam olim observavimus in *Lect. Tullianis.* Similis infinitivus est modo in præcedentibus: *Quis ignorat cœlum ita, ut cœpisse, desinere:* pro *cœperit*, cap. 33: *Ita prius eos deseruisse comprehendes, quam esse desertos:* id est, *quam deserti sint.* Orosius III, 2: *Quicumque nescit, hosce populos ita nunc in theatris consenescere, sicut tunc in castris tabuisse.* Vide lib. V, 1, et alibi passim. WOPK.

*Nihil esse post obitum,... fuisse.* Hæc verba ejicit Heumannus, ut scilicet auctorem errore liberet, quem errasse Dupinius in *Bibliotheca* sua *ecclesiastica* criminatur, *animas* statuentem *simul cum corpore mori turas.* Quæ si vera est via vindicandi Patres ab errandi labe, spes est fore ut proxime Patres ab omni errore immunes compareant. Minucium de corpore solo loqui manifestum est. Hoc Deus primum finxit et denuo reformabit. De nihilo natum esse, quid est aliud, quam *ante ortum nihil fuisse?* Et, de nihilo post mortem reparari, quid est aliud quam *nihil esse post mortem?* Hic equidem nihil erroris deprehendo. Loquitur eodem modo quo noster Tertullianus, *Apolog.* cap. 48: *Recogita quid fueris antequam esses; utique nihil; meminisses enim, si quid fuisses. Qui ergo nihil fueras priusquam esses, idem nihil factus, cum esse desieris. Cur non posses esse rursus de nihilo ejusdem ipsius auctoris voluntate, qui te voluit esse ex nihilo*, etc. LINDNER.

*Corpus omne.* Rescribere gestit *corpus omnino.* WOPKENIUS in *Lect. Tull.* lib. I, cap. 11, pag. 65. Sed ego quidem ei non subscribo. HEUM.

*Custodi.* Hoc est ex emendatione Woweri. Heraldus procul dubio ex ms. edidit. *custodia.* LINDNER.

*Sol demergit.* Lego: *Sol se mergit.* HEUM.

*In sæculo.* Facile mihi credes, opinor, rescribendum esse *in sepulchro.* HEUM.

*In hyberno.* Scilicet *tempore.* Plene Cæsar de *bello Alex.* cap. 43: *Hyberno tempore anni.* Heumannus scribere mavult *ut arbores hybernæ.* LINDNER.

*Ariditate mentita.* Ariditas arborum in hieme non est vera, sed tantum mentita, quia viror non penitus abest, sed tantum occultatur. Plene ita: *Ut arbores in hyberno occultant virorem ariditate mentita: ita corpus in sepulchro occultat vitam, mortalitate mentita.* Heumannus credit scripsisse Minucium: *Ita corpus in sepulchro, ut arbores hibernæ, occultatur, virore ariditatem seculturo.* LINDN.

*Quanto judicium tardum.* Hic *magis* subintelligendum, non, invito auctore, cum Heumanno, rescribendum. Tacitus *Annal.* lib. III, cap. 46: *Quanto pecunia dites et voluptatibus opulentos, tanto magis supplendum est imbelles Æduos evincite.* LIND.

CAP. XXXV. — *Hominum.* In ms. *homines.* Et tunc supplendum est *virorum.* LIND.

*De Stygia palude.* Cur, quæso, Noster igneum flumen suo nomine non exprimit, cum *Stygiam paludem* eo nomine sit dignatus? Sed res facile potest in recta luce collocari. Voces illæ *de Stygia palude* pro glossemate sunt habendæ. Scripserat Minucius *admonentur homines.... illius ignei fluminis* (Pyriphlegetontem significat) *et sæpius ambientis ardoris.* Ne vero lectorem fugeret quis sit *ardor* ille *sæpius ambiens*, ad oram libri scripsit notarius, agi *de Stygia palude:* quæ verba, ut fieri solet, in orationis contextum postea sunt recepta. De fluviis inferorum vide Platonis *Phædonem*, p. 400, et Arnobium lib. II, pag. 52. DAVIS.—Per explanandi formam usitatissimam, *igneum flumen* postea describit ratione cum ortus ipsius, tum figuræ. Non video sane cur cum Davisio trigam istam verborum pro emblemate notarii habeamus, magis quam sequentem *sæpius ambientis ardoris.* WOPK.

*Sæpius ambientis.* Scripsisse videtur *semper erumpentis.* Cicero lib. VI, *in Verrem*, cap. 48, ait *ex Ætnæ vertice ignes erumpere.* HEUM.

*Præparata.* Subaudi *esse.* HEUM.

*Indiciis.* Ed. Rom. *judiciis.*

*Cognita tradiderunt.* Hoc est: homines doctissimi et poetæ cognoverunt dæmonum indiciis et de oraculis prophetarum hæc cruciatibus æternis esse præparata, et tradiderunt.

*Torrentes ripas*, hoc est *ardentes.* Virgilius *Æn.* IX, 104:

Dixerat: idque ratum Stygii per flumina fratris,

Digitized by Google

gunt, nec absumunt; sicut ignes Hennei montis et Lesui montis [*impr.* Ætnæ et Vesuvii montis], et ardentium ubique terrarum flagrant, nec erogantur: ita pœnale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur. Eos autem merito torqueri qui Deum nesciunt, ut impios, ut injustos, nisi profanus, nemo deliberat, cum Parentem omnium et omnium Dominum non minoris sceleris sit ignorare quam lædere. Et quamquam imperitia Dei sufficiat ad pœnam, ita ut notitia prosit [53] ad veniam, tamen, si vobiscum Christiani comparemur, quamvis in nonnullis disciplina nostra minor est, multo tamen vobis meliores deprehendemur. Vos enim adulteria prohibetis, et facitis; nos uxoribus nostris solummodo viri nascimur: vos scelera admissa punitis; apud nos et cogitare, peccare est: vos conscios timetis, nos etiam conscientiam solam, sine qua esse non possumus. Denique de vestro numero carcer exæstuat: Christianus ibi nullus, nisi aut reus suæ religionis, aut profugus.

## CAPUT XXXVI.

ARGUMENTUM. — *Nec minus perspicue docet fatum nihil aliud esse quam quod* fatum est Deus. *Mens libera est, et ideo actus hominis, non nativitas judicatur. Posthæc manifestissimum facit, exprobratam Christianis pauperiem, non infamiam esse, sed gloriam; et quod corporis mala patiantur, non esse pœnam, sed militiam.*

Nec de fato quisquam aut solatium captet, aut excuset eventum. Sit sortis fortunæ, mens tamen libera est: et ideo actus hominis, non dignitas judicatur. Quid enim aliud est fatum quam quod de unoquoque nostrum Deus fatum est? qui quum possit præscire materiam, pro meritis et qualitatibus singulorum

## VARIORUM NOTÆ.

Per pice, torrentes, atraque voragine ripas
Annuit. LIND.

*Ignes.* In ms. *Hennei montis et Lesui montis.* Quæ sunt corrupta et intricata supervacuis interpretamentis. RIGALT. — Nemo dubitet potuisse auctorem scribere: *Ignes Ætnæ montis et Vesuvii montis*, et sæpe, licet notissima sit natura alicujus rei, tamen addi hanc ipsam et nihilominus exprimi. Sed invetustior omnino est hæc repetitio et prorsus male cogitata de profectibus legentium. Miror nihil ad hæc notavisse Heraldum, cum, mediam quandam viam eligens, ederet *Ætnæ et Vesuvii montis.* Cæterum ita bis cum exstet hoc substantivum in ms. libro, apparet loco motum esse, et Minucium scripsisse *Ætnæ montis et montis Vesuvii.* Sic enim solet, ut mox *parentem omnium et omnium dominum.* Cap. 5. *Cœlum ipsum, et ipsa sidera.* Et aliquoties antea.
GRONOVIUS.

*Et quamquam.* Nihil moveo in loco sano. Cæcilius cap. XI, concoquere non poterat *Christianos sibi mortuis perpetuam vitam polliceri*, idque *ut justis; cæteris ut injustis, pœnam sempiternam.* Ad hæc respondet Octavius, 1° Gentes pœnas sempiternas mereri, *qua gentes*, quia imperitia Dei sufficit ad pœnam, si vel maxime vita, cætera honesta, instituatur; Christianos vero dignos reddi venia, *qua Christianos*, quia notitia Dei, si vel maxime vita non sit absque noxa, prosit ad veniam; 2° Gentes etiam etiam pœnas sempiternas mereri, *qua sceleratas*, Christianos vero vitam æternam, quia gentibus multo meliores. Meursius emendat: *Et quamquam, ut imperitia Dei sufficiat ad pœnam, notitia prosit ad veniam.* Heumannus vero: *Et ut* (hoc est, si vel maxime) *imperitia Dei sufficiat ad veniam, notitia prosit ad pœnam; tamen:* et illustrat ex *Lucæ* XII, 47. Sed, qui dixerit *prodesse ad pœnam*, scio neminem. LIND.

*Quamvis in nonnullis.* Id est, quamvis nostrorum nonnulli disciplinam nostram minus curiose observant. HERALDUS. — Lego: *disciplina justo minor est.* Pertinet huc Tertulliani illud *Apolog.* cap. 46: *Sed dicet aliquis etiam de nostris excedere quosdam a regula disciplinæ.* HEUM.

*Viri nascimur.* Recte hoc verbum tuentur Davisius et Jac Gronovius adversus Meursium (credo voluisse scribere *Woverium*), qui *noscimur* rescribere gestiebat. Nuper tamen Arntzenius ad Plinii *Panegyricum*, et quidem ad cap. 6, pag. 34, ducem secutus Pricæum, rescribendum contendebat *noscimur.* Censet nimirum, si *nascimur* scripsisset Minucius, sequi eum negasse peccatum originis, credidisseque nos jam Christianos fuisse, cum egrederemur ex utero materno. De hoc judicio judicet, qui volet. Ego quidem tam oculatus non sum, ut vim hujus argumenti perspiciam. Omnino *nascimur* scripsisse Minucium doceat, quem ille tam frequenter imitatur, Tertullianus ita in *Apolog.* cap. 46, scribens: *Christianus uxori suæ solus masculus nascitur.* HEUM. — Producit hæc verba *Pricæus* ad *Lucæ* I, 34; ubi cum Maria usurpat verbum γινώσκω, judicavit, de eadem ferme re agentem Minucium debuisse scribere *noscimur*, prout sane securus allegat. Nequaquam probabiliter. Alludit enim Octavius ad I *Timoth.* III, 2: μιᾶς γυναικὸς ἀνδρα. GRONOV.

*Aut profugus. Profugus* h. l. non dicitur is qui a sacris profanis ad Christiana transgreditur, ita enim omnes quodammodo Christiani dici possent *profugi*, qui, antequam veræ religioni nomen profiterentur, fuerunt profani; sed intelliguntur ἀποστάται, qui, jugi a Christo impositi impatientes, in præcepta superiora relapsi sunt, eoque ipso Christiani esse desierunt.
LINDN.

CAP. XXXVI. — *Sit sortis fortunæ.* Ms. Quod quum sensu careat, non dubitavi loco singularis pluralem *sint* reponere. *Sunt* scilicet *fortunæ* opus *sortis.* Phil.: de creatione Principis: *Sors ad felicitatem, non ad virtutem attinet. Fortunæ et dignitas* non judicantur, quia *sunt sortis; mens et actus* hominis judicantur, quia *sunt libera.* Gronovius vult: *Sint sortes Fortunæ.* Meursius: *Fortis Fortunæ*, quod *Fors Fortuna* alia erat a *Fortuna*, ædemque habebat trans Tiberim, colebaturque ab iis qui sine arte aliqua vitam tolerabant. Heumannus: *Sit sors fortunæ*, h. e.: Concedo sortem esse opus fortunæ, ac huic deberi quod alius illustri loco et in magnis opibus natus est, alius humilis et pauper. LINDN. — *Eventum sit sortis Fortunæ.* Ita ms. Et longe melius illis qui *fortis Fortunæ* legunt. Nullus enim hujus Romanorum deæ hic locus; sed loquitur jam Minucius ex eorum mente qui unicuique suam fortunam ex astrologia ἀποτελεσματικῇ, sive judiciaria, assignabant, qua totius hominum vitæ cursus moderaretur. Hæc dicebatur *Sors Fortunæ*, sive ἡ κλῆρος τῆς τύχης. De sorte vero Fortunæ videatur Scaliger ad lib. II Manilii *Astronom.*; Seldenus item *de Dis Syris* syntagm. I, cap. 1, uti et Salmasius *de Annis Climactericis.* OUZELIUS.

*Non dignitas judicatur.* Non capio quid huc faciat *dignitas.* Minucius adversus astrologos disputat, qui, pro variis planetarum *aspectibus* et *conjunctionibus*, fata nascentium definita fuisse statuerunt. Repono, quod olim cl. Ferrerio placuit: *Non nativitas judicatur.* Paulo post: *In nobis non genitura plectitur, sed ingenii natura punitur.* Vide Petri Fabri *Semestr.* lib. III, cap. 33. DAVIS.

*Materiam.* Satis perspicuum est scribi oportere *futura.* HEUM.

Digitized by Google

etiam fata determinat. Ita in nobis non genitura A plectitur, sed ingenii natura punitur. Ac de fato satis: vel si pauca pro tempore, disputaturi alias et uberius et plenius. Cæterum, quod plerique pauperes dicimur, non est infamia nostra, sed gloria: animus enim, ut luxu solvitur, ita frugalitate firmatur: et tamen, quis potest pauper esse, qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo dives est? magis pauper ille est qui, quum multa habeat, plura desiderat. Dicam tamen, quemadmodum sentio: nemo tam pauper potest esse, quam natus est. Aves sine [84] patrimonio vivunt, et in diem pascua pascuntur: et hæc nobis tamen nata sunt: quæ omnia, si non concupiscimus, possidemus. Igitur, ut qui viam terit, eo felicior quo levior incedit, ita beatior in hoc itinere vivendi, qui paupertate se sublevat, non sub divitiarum onere suspirat. Et tamen facultates, si utiles putaremus, a Deo posceremus: utique indulgere posset aliquantum, cujus est totum. Sed nos contemnere malumus opes quam continere; innocentiam magis cupimus, magis patientiam flagitamus; malumus nos bonos esse quam prodigos. Et, quod corporis humana vitia sentimus et patimur, non est pœna, militia est. Fortitudo enim infirmitatibus roboratur, et calamitas sæpius disciplina virtutis est. Vires denique et mentis et corporis sine laboris exercitatione torpescunt: omnes adeo vestri viri fortes, quos in exemplum prædicatis, ærumnis suis inclyti floruerunt. Itaque et nobis Deus nec non potest subvenire, nec despicit, quum sit et omnium rector et amator suorum; sed in adversis unumquemque explorat et examinat; ingenium singulorum periculis pensitat; usque ad extremam mortem, voluntatem hominis sciscitatur, nihil sibi posse perire securus Itaque, ut aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur.

## CAPUT XXXVII.

ARGUMENTUM. — *Digna Deo spectacula sunt, pro Christi confessione iniquissime inflicti cruciatus. Quod quidem Octavius luculenter ostendit, comparatione fortissimorum quorumdam ethnicorum cum sanctis martyribus instituta. Spectaculis porro et pompis Christianos ideo non interesse declarat, quia ea non minus impia quam crudelia esse certo certius noverant.*

Quam pulchrum spectaculum Deo, quum Christianus cum dolore congreditur, quum adversum minas et supplicia et tormenta componitur; quum strepitum mortis [85] et horrorem carnificis irripiens inculcat; quum,

## VARIORUM NOTÆ.

*Genitura.* Qua quis est nobilis vel ignobilis, dives vel pauper, etc. LINDN.

*Verius et plenius.* In ms. scriptum est *verius* quod est *uverius*, pro *uberius*, ut cap. 21, *veribus* pro *uberibus*. RIGALT. — Vide notata ad cap. 19: *Proximius et verius*. LINDN. — Licuit Minucio vel Octavio sic agere in hac parte, quum eos ita suspensos abegisset Cæcilius. Cap. 11: *Multa ad hoc suppetunt, ni festinet oratio.* GRONOV.

*Qui potest.* Pro *quomodo potest*. Romana editio male: *quis potest*. HEUM. — Sic etiam ms. EDD.

*Et in diem pascua pascuntur.* Corrigo *in diem pascua p. Pascua* fœminino genere usurpari non insolens isto ævo. Glossæ: *Pascua* Νομή. Νομαί. Arnobius ad *Psalm.* XXII: *Perfectorum ergo ista vox est, quam Ecclesia de Domini passione suscepit. In loco pascua collocata, super aquam refectionis educata.* Item in *Psalm.* CVI. *Statuens eis pastores et pascuas.* MEURS. — *Pecua pascuntur.* Mss.: *Pascua pascuntur.* Scriptum existimo, *pecua*, id est pecora. Prudentius in agone Romani:

Jumenta, pecua, subjugales bestias.

HERALD. — Ms.: *pascua pascuntur*, unde receptam lectionem extudit Des. Heraldus, et, ut mihi quidem videtur, rectissime: *nam* pecua et pecuda, *ita ut* pecora *veteres dixerunt*, ut exemplis ostendit Nonius Marcellus cap. 2. Hinc Cato apud Gellium N. A. lib. VII, cap. 3. *Si quis majorem pecuum numerum habere voluerit.* Livius lib. XXXV, cap. 20. *In agris passim inundatis pecua ablata.* Vide et Prudentium *Peristeph.* Hymn. X, 333. DAVIS

*Quæ omnia.* Recte rescripsit Perizonius: *qui omnia.* Videtur Minucius ob oculos habuisse illud Pauli II *Cor.* VI, 10: *Tamquam nihil habentes, et* (*tamen*) *omnia possidentes.* HEUMANN. — Energia hæc in τ ἓς quæ *omnia* non oportet mutari: tamquam esset a iquis qui diceret nobis: vestra sunt hæc cuncta quæ videtis; qua formula utitur Apuleius lib. II. *Miles.* GRONOV.

*Corporis humana vitia.* Idem valet ac *corporis humani vitia.* Lucretius lib. II, pag. 109:

Melibœaque fulgens,
Purpura Thessalico concharum tincta cruore

Hoc est, Thessalicarum concharum cruore. Neque aliter Propertius lib. IV, *Eleg.* VIII, 23, et Statius in *Epith. Stellæ et Violantillæ*, v. 191. Pariter etiam solutæ orationis scriptores. Novatianus *de Trin.* cap. XXII, al. XVII: *Deum humanam conditionis fragilitatem suscipere non recusavit*, pro humanæ conditionis fragilitate. Cyprianus *de Mortal.* pag. 164, edit. Oxon. *Ad regnorum cœlestem claritatem*, pro regnorum cœlestium claritate. DAVIS.

*Nec non potest subvenire.* Res ipsa loquitur, scripsisse Minucium: *Nec non prospicit.* HEUM — Ego vero legendum puto: *Et nobis Deus potest non subvenire, nec despicit.* Jerem. XIV, 8: *O Israelitarum spes et servator adverso tempore, cur sis quasi peregrinus in terra, quasique divertens ad pernoctandum viator? Cur sis quasi vir somniculosus, quasi defendere non valens miles?* LINDN.

*In adversis.* Dele *in*, quod æque hic abesse debet, ac a sequenti *periculis* abest. HEUM.

*Voluntatem.* Quod ut faciat Deus, supplice voce orat Davides *Psalm.* CXXXIX, 23. Supra dixerat *ingenium* singulorum pensitat: nunc addit: *voluntatem* sciscitatur. Heumannus rescribit *virtutem*, quæ etiam est voluntatis et spontaneæ electionis. LINDN

*Nihil sibi posse perire, securus.* Hoc est, sciens eos qui veri sunt Christiani, nulla calamitate, nullis tormentis, victum iri, ut a se (Deo) desciscant. HEUM.

CAP. XXXVII. — *Irridens, insultat?* Ms. *irripiens inculcat*, unde Gelenius emendavit *irridens inculcat.* Quo sensu hoc verbum adfuit cap. 24, *norunt, inculcant, insident.* Rigaltius tamen, aliique recentiores, maluerunt *irridens insultat*, quod notius et probatius est. Jac. Gronovius vero hanc exsculpit lectionem *implens inculcat*, h. e. in strepitu feralium instrumentorum et horrore carnificis implendo ac satiando occupatus et districtus etiam *inculcat*; quam sententiam vigilantis somnium non immeri o dixit Heumannus, qui tamen, cum legit *exultat*, me non habet assentientem. Nam in exemplari, teste Rigaltio, est *stultat* (non h. l. sed infra. EDD.). Romana vero editio *insultat* aperte exhibet. Quid sit insultare strepitum mortis et horrorem carnificis, docet Prudentius cum aliis locis multis, tum *Peristeph.* II, 313, seqq. et 397-409. LINDN.

*Eriqit.* Imitatur Florum lib. I, 21: *Qui libertatem a dominis in ipsos erexerant.* Firmicus, *Error. Prof. Rel.*

Digitized by Google

libertatem suam adversus reges et principes erigit, soli Deo, cujus est, cedit; quum, triumphator et victor, ipsi qui adversum se sententia dixit, stultat [*impr.* insultat]! Vicit enim qui quod contendit obtinuit. Quis non miles sub oculis imperatoris audacius periculum provocet? nemo enim præmium percipit ante experimentum : et imperator tamen, quod non habet, non dat; non potest propagare vitam, potest honestare militiam. At enim Dei miles nec in dolore describitur, nec morte finitur. Sic Christianus miser videri potest, non potest inveniri. Vos ipsi calamitosos viros fertis ad cœlum, Mucium Scævolam, qui, quum errasset in regem, periisset in hostibus, nisi dexteram perdidisset. Et quot ex nostris non dextram solum, sed totum corpus uri, cremari, sine ullis ejulatibus, pertulerunt, quum dimitti præsertim haberent in sua potestate? Viros cum Mucio, vel cum Aquilio aut Regulo comparo? Pueri et mulierculæ nostræ cruces et tormenta, feras et omnes suppliciorum terriculas, inspirata patientia doloris, illudunt. Nec intelligitis, o miseri, neminem esse qui, aut sine ratione velit pœnam subire, aut tormenta sine Deo posse sustinere. Nisi forte vos decipit, quod, Deum nescientes, divitiis affluant, honoribus floreant, polleant potestatibus. Miseri! in hoc altius tolluntur, ut decidant altius. Hi enim, ut victimæ, ad supplicium saginantur; ut hostiæ, ad pœnam, coronantur. In hoc adeo quidam imperiis ac dominationibus eriguntur, ut ingenium eorum perditæ mentis licentiæ potestatis libere nundinentur : absque enim notitia Dei, quæ potest esse solida felicitas, quum mors sit somnio similis? antequam tenetur, elabitur. Rex es? et tam times quam timeris; et, quamlibet sis multo comitatu stipatus, ad periculum tamen solus es. Dives es? sed fortunæ male creditur, et magno viatico breve vitæ iter non instruitur, sed oneratur. Fascibus et purpuris gloriaris? vanus error hominis et inanis cultus dignitatis, fulgere purpura, mente sordescere. Nobilitate generosus es? parentes tuos laudas? Omnes tamen pari sorte nascimur; sola virtute distinguimur. Nos igitur qui moribus et pudore censemur, merito malis voluptatibus et pompis vestris et spectaculis abstinemus : quorum et de sacris originem novimus, et noxia blandimenta damnamus. Nam in ludis curulibus, quis non horreat populi in se rixantis insaniam? In gladiatoriis, homicidii disciplinam? In scenicis etiam non minor furore turpitudo prolixior : nunc enim mimus vel exponit adulteria, vel monstrat; nunc enervis histrio amorem dum fingit, infligit. Idem deos vestros, induendo

## VARIORUM NOTÆ.

p. 6 : *Et tunc, erecta sermonis libertate proclamat.* Wopk.

*Mucium Scævolam.* Lege *ut Mucium.* Heum. — Ego vero excidisse aliquot verba auguror, ex sequenti paragrapho supplenda : *Vos ipsi calamitosos viros fertis ad cœlum. Regulum, Aquilium, Mucium Scævolam, qui*, etc. Lindner.

*In regem.* Scribo *in rege.* Heum.

*Uri, cremari.* Motum est *uri* suo loco, quod ita repono : *Non dexteram solum uri, sed totum corpus cremari.* Heum.

*Inspirata.* Sic est in ms. Et quamvis Heraldus ex Lactantio v, 13, 12 defendit, tamen *insperata patientia* præferendum esse, nullus dubito. Nam locus quidem Lactantii longe diversus est a nostro. Illic *inspirata patientia* requiritur quia major latronum, hic vero *insperata*, quia talem patientiam de pueris et mulierculis nemo ne quidem sperasset. Lindn.

*Ut ingenium eorum.* Hic locus mihi semper desperatus est visus, quem sic satis commode, nescio an etiam feliciter, restituo. Semper sibi opponuntur duo contraria : *tolluntur* et *decidunt; saginantur* et *suppliciа patiuntur; coronantur* et *mactantur; eriguntur* et *deprimuntur.* In ms. est : *ut ingenium eorum perditæ mentis licentiæ potestatis libere nundinentur;* quæ verba nullum plane sensum fundunt. Ejicio *ingenium eorum*, quod jam vidit (fecit?) Heumannus; *mentis* vero explico per nominativum pluralem, et *potestatis* per accusativum. *Mentes perditæ licentiæ* sunt *milites prætoriani*, qui *potestates* sive imperia et magistratus *libere nundinabuntur.* Hoc vero, nisi sublato antecessore, facere non poterant. Illustre hujus rei exemplum exstitit, post Pertinacem, violenta morte, a militibus, sublatum, quod respexisse Minucium, qui, Dan. Heinsio teste, ad Senecæ Herculem Œtæum, his temporibus vixit, quis dubitabit? Profero locum Herodiani ea de re, qui exstat lib. II, cap. 6 : Οἱ δὲ στρατιῶται ἀναγαγόντες τοὺς εὐρωνοτάτους ἑαυτῶν ἐπὶ τὸ τεῖχος προσεκήρυττον ὠνιον τὸν βασιλείαν· τῷ τε πλείονι ἀργύριον δώσοντι ἐγχειρεῖν ὑπίχνοῦντο τὴν ἀρχήν. καὶ διὰ τῶν ὅπλων αὐτὸν ἀέξειν ἀδεῶς εἰς τὴν βασίλειον αὐλήν..... Τότε δὲ καὶ πρῶτόν ὑποδιερθάρη τὰ τῶν στρατιωτῶν ἤθη, καὶ χρήματων ἐδιδάχθησαν ἅπληστον καὶ αἰσχρὰν ἐπιθυμίαν, καταρρόνησίν τε τῆς πρὸς τοὺς ἄρχοντας αἰδοῦς..... τὸ γὰρ μὴ τὴν οὕτως ἀπρεπῶς ἐπὶ χρήμασι κηρυχθεῖσαν καὶ πραθεῖσαν ἀρχὴν εἶναι τὸν κωλύοντα. ἀρχηγὸν καὶ αἴτιον ἀπρεποῦς καὶ ἀπειθοῦς κατασάσεως καὶ ἐς τὰ ἐπιόντα ἐγίνετο ἀεί. τῆς φιλοχρηματίας αὐτῆς, καὶ τῆς τῶν ἀρχόντων καταφρονήσεως μέχρις αἵματος ἐξεθέσης. Heumannus locum ita emendat : *Ut eorum perditæ mentes licentia potestatis, severe vindicentur.* Lindner.

*Quum mors sit.* Ita interpunxi hunc locum jam dudum. Et nunc video eamdem etiam Wopkenio placuisse interpunctionem, neque miror Heumannum non subscripsisse, maluit enim rescribere : *Quæ non sit somnio similis, et, antequam tenetur, elabatur.* Lindner.

*Rex es?* Non esse, cur tria illa de quibus supra dixerat, divitias, honores, potestates, aliquem decipiant, ordine nunc evincit auctor. 1° De *potestatibus* loquitur. *Rex es?* 2° De *divitiis. Dives es?* 3° De *honoribus. Fascibus et purpuris gloriaris?* Lindner.

*Tamen.* Non subscribo cl. Heumanno *enim* rescribenti. Valet enim *sed*, quod in eadem structura orationis affuit. Lindner.

*In se.* Lege *inter se.* Heum. — Vel potius ita interpretare. Lindner.

*Non minor furor; et turpitudo.* Ms. reg. *furore;* fortasse, *non minor furor est, turpitudo prolixior.* Herald. — In exemplari legitur *furore.* Quod minime spernendum est, etsi in eodem ms. sæpe coalescant hujusmodi syllabæ; *Furore turpitudo*, pro *furor et turpitudo.* Rigalt.

*Histrio amorem dum fingit, infligit.* Cyprianus libro *de Gratia*, pag. 6 (Comelin. Epist. II, cap. 3) : *Adulterium discitur, dum videtur : et lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo, quæ pudica fortasse ad spectaculum matrona processerat, de spectaculo refertur impudica. Adhuc deinde morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum, histrionicis gestibus inquinari?* Cellar. — Lactant. VI. 20 : *Histrionum impudicissimi motus, quid aliud, nisi libidines docent et infligunt.* Elmenh. — Insigne vero acumen anonymi Parisiensis, *infigit* rescribentis. Argute videlicet Minucius amorem ait simul *fingi*, simul *figi* atque *infigi.* Heum.

Digitized by Google

[37] stupra, suspiria, odia, dedecorat. Idem, simulatis doloribus, lacrymas vestras vanis gestibus et nutibus provocat. Sic homicidium in vero flagitatis, in mendacio fletis.

## CAPUT XXXVIII.

ARGUMENTUM. — *Ab Idolothytis quoque iidem abstinent, ne quis eos existimet aut cedere dæmoniis, aut suæ religionis pudere. Non omnem vero florum colorem odoremque asperuantur. Sparsis enim, solutis ac mollibus uti solent, ac sertis colla complecti; sed mortui caput coronare, superfluum et inutile censent. Eadem etiam tranquillitate qua vivunt, sepeliunt mortuos, coronam æternæ felicitatis certissima spe exspectantes. Vera igitur eorum religio, rejectis gentilium superstitionibus, ab omnibus est suscipienda.*

Quod vero sacrificiorum reliquias et pocula delibata contemnimus, non confessio timoris est, sed veræ libertatis assertio. Nam, etsi omne quod nascitur, ut inviolabile Dei munus, nullo opere corrumpitur, abstinemus tamen, ne quis existimet aut dæmoniis, quibus libatum est, cedere, aut nostræ religionis pudere. Quis autem ille qui dubitat vernis indulgere nos floribus, quum capiamus et rosam veris et lilium, et quidquid aliud in floribus blandi coloris et odoris est? His enim et sparsis utimur mollibus ac solutis, et sertis colla complectimur. Sane, quod caput non coronamus, ignoscite. Auram boni floris naribus ducere, non occipitio capillisve solemus haurire. Nec mortuos coronamus. Ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi, aut non sentienti, facem, aut non sentienti, coronam; quum et beatus non egeat, et miser non gaudeat floribus. At enim nos exsequias adornamus eadem tranquillitate qua

## VARIORUM NOTÆ.

*Induendo stupra.* Heumannus re-cribit *inducendo*, quod verbum est theatri proprium, id quod vel e lexico Fabri cognosci licet. Sed ex illo libro simul cognosco significationes horum verborum promiscue usurpari. Et quemadmodum dici solet *adulationem, diversa, formam mortalem, mores pudicos, personam alicujus*, etc. *induere*; eodem modo licet diis induere stupra, suspiria, odia. LINDNER.

*In vero.... in mendacio.* Hoc est, in spectaculis gladiatoriis postulatis, ut alter alterum transfigat: at, cum in scena fit homicidium simulatum, lacrymas effunditis. Similis locus Lactantii v, 20, 12, tectu dignissimus. HEUM.

CAP. XXXVIII — *Inviolabile Dei munus.* Hoc est, donum humano generi a Deo datum, quod non possunt homines violare (id est efficere ut id tangere vel comedere nefas sit), cum id convertunt in victimam, dæmonibus dicatam. Ob oculos habet Noster sententiam quam Apostolus dixit I *Cor.* x, 25, et VIII, 7, et *Rom.* XIV, 14, ubi docet quocumque cibo Christianis licere vesci, etiam idolothytis, ita tamen ut, si frater adsit qui de libertate hac dubitet, iis pro tempore abstineatur. HEUM.

*Ne quis existimet.* Supplendum *nos*, non, cum Heumanno, textui inserendum.

*Cedere.* Lego *credere.* Sic cap. 40, *credere Deo.* Ac ita jam correxerat hunc locum Meursius. *Credere* est formula Christianorum. *Deo credere* dicuntur Christiani, *dæmoniis credere* idololatræ. HEUM. — Olim putabam legendum *edere*, ut Paulus I *Cor.*, x, 20, δαιμονίοις θύει, *dæmoniis sacrificat.* Jam vero lectionem vulgatam video retinendam. Libertatis enim est *non cedere*; Christiani, *soli Deo cedere*, cap. 37. LINDNER.

*Capiamus.* Stewechius ad Apulei Metam lib. x, p. 382. rescribit *carpamus.* Retert id Davisius, sed non probat; ego vero Stew. assentior. Virgilius *Georg* IV, 134:

Vere rosam, atque autumno carpere poma.

Ac hic ipse locus obversatus fuisse videtur menti Minucii. HEUM.

*His et sparsis utimur et sertis.* Christiani utebantur floribus sparsis, sertis, solutis, in usum simplicem: eo autem usu et modo qui in sacris gentilium erat, diligentissime abstinebant. CELLAR. — Apuleius lib. IV Metam: *Flores serti ac soluti*; I, 10, pag. 406: *Jactis floribus sertis ac solutis.* Tertullianus *de Corona militis*, cap. 5: *Flores et inserti et innexi, et liberi et soluti.* ELEMNH.

*Auram boni floris.* Tertullianus *de Corona*, cap. 5: *In capite quis sapor floris? Tam contra naturam est, florem capite sectari, quam cibum aure, sonum nare.* Et in *Apologetici* cap. 42, *Nos coronam naribus novimus. Viderint, qui per capillum odorantur.* HEUM.

*Nec mortuos coronamus.* Leges XII Tabularum prohibent *longas coronas* in funeribus, apud Ciceronem *de Legib.* lib. II, cap. 24: ergo videntur alias permisisse. Tertullianus *de Corona*, cap. 10. *Quid tam dignum idolo, quam quod et mortuo? nam et mortuorum est ita coronari, quoniam et ipsi idola statim fiunt et habitu et cultu consecrationis.* Hanc propter causam abstinebant prisci Christiani coronarum usu in funeribus: flores postea sepulchris injecisse, supra ad cap. 12, notavimus. CELLARIUS.

*Quemadmodum tribuatis exanimi, aut non sentienti facem, aut non sentienti coronam.* Sic ms.; at Gelenius edidit *exanimi aut sentienti facem.* Meursius legendum conjecit *exanimi, aut non sentienti, ut sentienti, coronam.* At Des. Heraldus emendat *exanimi, ut non sentienti facem, ut sentienti coronam.* Denique cl. Salmasius *Exercit. Plin.* p. 965, ed. Paris., scribendum pronunciat, *tribuatis aut sentienti facem, aut non sentienti coronam.* At vero omnes a scopo aberrarunt. Deleta particula negante, corrigendum *exanimi aut non sentienti facem* (fax enim nullum usum nisi videnti atque ita sentienti præstat) *aut sentienti coronam;* rationem subjicit ipse Minucius, *cum et beatus non egeat, et miser non gaudeat floribus.* Cui igitur bono mortuis, licet sentientibus, apponuntur? DAVIS. — Gutherus lib. III, *de Jure Manium*, salva veterum codicum fide, scriptum existimat: *aut non sentienti facem, aut non sectanti coronam.* Gronovius lectioni ms. insistens, eam ita explicat. *aut non sentienti* ad tenebras pellendas *facem, aut non sentienti* ad dulcem afflatum aut odorem *coronam.* Grunerus hanc auctoris sententiam esse ait: *Ego vos in hoc* quod nimirum mortuos coronatis, *magis miror, quemadmodum tribuatis* id *exanimi* (quem necesse est, *aut facem sentire*, qua cremare soletis; *aut non sentire coronam*, qua honestare putatis); *quum mortuus, si beatus sit, non egeat, sin miser, non gaudeat floribus.* Equidem hujus loci hunc esse sensum semper credidi: non mirum est mortuos a nobis non coronari, qua eos non sentire scimus. At vos, examinem cur coronatis? Fortasse quia sentit? Cur ergo facem sentienti subjicitis? At non sentit mortuus. Ergo non coronandus. Estque dilemma, cujusmodi Cæcilius supra, cap. 11, attulerat, et ita formari debet: *Exanimis aut sentit, aut non sentit: si sentit, cur illi facem subjicitis; si non sentit, cur coronam tribuitis?* LINDNER.

*At enim nos exsequias adornamus.* Ita Heraldus ex regio ms. et Meursius. Vulgo *adoramus*, quod interpretantur *facimus*, quia Festus dixerit: *Adorare apud antiquos significabat agere.* Sed nec ille exemplis probavit, neque, si probasset, certum inde foret. Minu-

Digitized by Google

vivimus. Nec annectimus arescentem coronam, sed a Deo æternis floribus vividam sustinemus, qui et modesti, Dei nostri liberalitate securi, spem futuræ felicitatis, fide præsentis ejus majestatis animamur. Sic et beati resurgimus, et futuri contemplatione viam vivimus. Proinde [58] Socrates, scurra atticus, viderit, nihil se scire confessus, testimonio licet fallacissimi dæmonis gloriosus · Arcesilas quoque et Carneades, et Pyrrho, et omnis Academicorum multitudo deliberet : Simonides etiam, in perpetuum, comprehendi nec [*vulg.* comperendinet;] Philosophorum supercilia contemnimus, quos corruptores et adulteros novimus et tyrannos; et semper adversus sua vitia facundos. Nos, non habitu, sapientiam, sed mente, præferimus : non eloquimur magna, sed vivimus : gloriamur nos consecutos; quod illi, summa intentione, quæsiverunt, nec invenire potuerunt. Quid ingrati sumus ? quid nobis invidemur, si veritas Divinitatis, nostri temporis ætate, maturuit? Fruamur bono nostro, et recti sententiam temperemus : cohibeatur superstitio, impietas expietur, vera religio reservetur.

## CAPUT XXXIX.

ARGUMENTUM. — *Hæc porro quum perorasset Octavius, Minucius et Cæcilius aliquando ad silentium stupefacti intentos vultus tenebant. Et Minucius quidem in Octavii admirationem raptus conticuit, apud se tacitus illa evolvens quæ audierat.*

Quum Octavius perorasset, aliquamdiu nos, ad silentium stupefacti, intentos vultus tenebamus : et, quod ad me est, magnitudine admirationis evanui, quod ea quæ facilius est sentire quam dicere, et argumentis et exemplis et lectionum auctoritatibus adornasset; et quod malevolos iisdem illis, quibus armantur, philosophorum telis retudisset ; ostendisset etiam veritatem, non tantummodo facilem, sed et favorabilem.

## CAPUT XL.

ARGUMENTUM. — *Cæcilius vero exclamavit se ab Octavio victum, nunc erroris esse victorem christianamque religionem jam tum profiteri ; dilata interim in diem crastinum pleniore fidei mysteriorum institutione.*

Dum isthæc igitur apud me tacitus revolvo, Cæcilius erupit : Ego Octavio meo plurimum quantum eadem tranquillitate qua vivimus, sed et mihi gratulor,

## VARIORUM NOTÆ.

cium ἀρχαϊκῶς, quam cum Latinis suæ et superioris ætatis, quanta nota est, loqui maluisse. CELLAR.

*Spem futuræ felicitatis.* Hoc est, ad spem futuræ felicitatis animamur securi, qui majestatem ejus præsentem credimus. Sic Claudianus in *Rapt.* v. 386 : *Animare ad crimina.* Olim ita emendabam : *sustinemus quiete : modesti, Dei nostri liberalitate ; securi, spe futuræ felicitatis ; animati, fide præsentis ejus majestatis.* Rigaltius edidit : *sustinemus, quieti, modesti, Dei nostri liberalitate securi, spem futuræ felicitatis de præsentis ejus majestatis animamur.* Heumannus ita scriptum fuisse a Minucio scribit : *Qui de potestate Dei nostri et liberalitate securi ad spem futuræ felicitatis fide præsentis ejus majestatis animamur.* LINDN.

*Nostri temporis ætate.* Locutio est bene latina. Propertius lib. I, Eleg. IV, 7 :

Et quascumque tulit formosi temporis ætas.

Ubi vide Janum Broukhusium. Sulp. Severus *Vit. B. Martini* cap. 20, *Ut est nostrorum ætas temporum.* Arnobius lib. II, pag. 58 : *Antecacti temporis decurrerit ævitatem.* E contra *in temporibus ætatis suæ* dixit A. Gellius lib. IX, cap. 4. DAVIS. — Recte illud, *nostri temporis ætate*, defendit et Davisius; sed, quod *maturuit* mutat in *innotuerit*, id dubito an præter necessitatem faciat. Satis enim concinne revelatio Evangelica, sive veritas divinitatis *maturuisse* circa illa tempora dicitur, quatenus tum demum, non prius aut serius, apte in lucem mitti Deo visa fuerit. Sic res *maturescere*, vel *matura fieri* dicitur, quæ tempus sibi destinatum vel congruum jam pertingit. Quinctil. Epist. ad Tryphonem : *Nam ipse eos* (libros) *nondum opinabar satis maturuisse.* Conferatur Cicero *Catil.* in. Or. I, cap. 13 : *Omnium scelerum ac veteris furoris et audaciæ maturitas in nostri consulatus tempus erupit.* Metaphora ducta videtur de frugibus, suo se tempore exibentibus. WOPK.

*Temperemus.* Ut neque in superstitionem, qua quis omnia credit, neque in impietatem, qua quis nihil credit, degeneret. Et hæc media via dicitur vera religio. Heumannus rescribit : *Recte sentientibus obtemperemus.* LINDNER.

*Reservetur.* Heumannus rescribit *restauretur.* Sed *reservetur*, idem est quod *servetur*, et solet Noster composita cum syllaba *re* simplicium notione adhibere. LINDNER.

CAP. XXXIX — *Intentos vultus tenebamus.* Ita est in ms. et recte quidem. Cæsar lib. VII. B. G. cap. 80 : *Omnium militum intenti animi pugnæ eventum exspectabant.* Joan. quidem Meursius reponit *intenti vultus tenebamus;* eumque in suis editt. sequuntur Ouzelius, Cellarius et Gronovius. Et sane Virgilius *Æn.* II, 1, dixit:

Conticuere omnes intentique ora tenebant.

Ubi Servius ait : tenebant, *habebant, ut sit figura, et intelligamus, ora intenta habebant.* Haud igitur culpandus est Minucius, quod magis tritam loquendi rationem adhibeat. DAVIS. — *Intenti vultus tenebamus.* Ms. Meursio teste, *intentos* non male. Sed videtur noster poetæ principis vocem expressisse, principio II Æneid.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.

CELLAR. — Erret Meursius necesse est, cum nec Heradum, nec Rigaltium, qui ms. illum codicem inspexerunt testem habeat. HEUM.

*Quod ad me est.* Non nisi barbarus ita dixerit pro *quod ad me attinet.* Nec tamen *est* ejicio, sed in *ex* muto. *Ex magnitudine admirationis evanui*, inquit Minucius. Jam *quod ad me* alibi quidem locorum, quod sciam, non occurrit, est tamen satis perspicuum : ac æque breviter *de me* pro *ad me quod attinet*, dicere consuevit Cicero in *Epistolis.* HEUMAN. — Dixit Cicero : *Quod ad Cæsarem*, scilicet *attinet*, lib. VIII. *Ep.* I, 8; ad quem locum conferatur Cortius. LINDNER.

*Evanui.* Dura dictio et nova. Facile tamen intelligitur nostrum Minucium ita locutum esse, pro *ecstasi quadam correptus sum*, sive ut Lactantius I, 4, 3, loquitur, *emota mea mens erat*, vel, ut Apuleius, lib. V, p. 166, ed. Francof. an 1621, ait: *Extra terminum mentis meæ positus eram.* HEUM.

CAP. XL.— *Cæcilius erupit.* Non exspectans arbitri sententiam, inopinato dixit nec se continere diutius, novæ mentis affectu concitatus, potuit. Vide cap. 16. CELLAR. — Romana editio habet *sic erupit.* Jure vero rejicitur hæc adjectio : ac supra quoque cap. 16, simpliciter dicitur *erupit.* HEUM.

*Plurimum quantum.* Post hæc verba in editione Ro-

Digitized by Google

nec exspecto sententiam. Vicimus, et ita ut improbe usurpo victoriam : nam, ut ille mei victor est, ita ego triumphator erroris.[89] Itaque, quod pertineat ad summam quæstionis, et de providentia fateor, et Deo cedo, et de sectæ, jam nostræ, sinceritate consentio. etiam nunc tamen aliqua consubsidunt non obstrepentia veritati, sed perfectæ institutioni necessaria : de quibus crastino, quod jam sol occasui declivis est, ut de toto, congruentius, promptius requiremus.

## CAPUT XLI.

ARGUMENTUM. — *Postremo læti omnes, hilaresque discedunt : Cæcilius, quod crediderit; Octavius, quod vicerit; Minucius autem, quod ille crediderit et hic vicerit.*

At ego, inquam, prolixius omnium nostrum vice gaudeo, quod etiam Octavius mihi vicerit, quum maxima judicandi mihi invidia detracta sit. Nec tamen possum meritum ejus verborum laudibus repensare. Testimonium et hominis et unius infirmum est. Habet Dei munus eximium, a quo et inspiratus oravit, et obtinuit adjutus.

Post hæc læti hilaresque discessimus, Cæcilius, quod crediderit : Octavius, gaudere quod vicerit : ego, et quod hic crediderit, et hic vicerit.

## VARIORUM NOTÆ.

mana ista sunt adjecta : *eadem tranquillitate qua vivimus*; quæ in ms. non reperiuntur. Sunt vero errore typographi huc translata e cap. 38, ubi leguntur eadem. Deleri itaque ea jam jussit Heraldus. HEUM. — Errat et ipse Heumannus; nam quatuor has voces legimus in reg. cod. EDD.

*Et ita, ut improbe usurpo victoriam.* Vulgg. *et ita, ut improbus.* Nos autem ms. lectionem retinuimus. Petrus Scriverius rescripsit : *Vicimus eia, ut improbe usurpo victoriam.* Jac. autem Gronovius ingeniose reponebat : *vicimus et ita haud improbe :* cui quidem emendationi lubens assentirer, nisi quod vox *ita* plane videatur otiosa. Mihi placet : *Vicimus, et haud improbe usurpo victoriam.* DAVIS.—Heumannus in *Dissertt. Syllog.* tom. I, part. II, pag. 483, *Vicimus. Et ita, nec improbe, usurpo victoriam* GALLAND. — *Haud improbe.* In unico libro patet istud *ita ut* scriptum esse, quia librarius neglexit iterationem vocalis primæ, quum deberet reponere *ita aut* prout reor in exemplo quo utebatur, scriptum fuisse, quod, dictante alio et lenius proferente, ille posuit pro *ita haut.* Sic enim patere opinor scriptum fuisse ab Minucio : κοινὸν enim ἐρμῆν respicit et in medium trahit hoc lucrum. GRONOV. — Legendum omnino sic : *Vicimus. Et ita, nec improbe, usurpo victorium.* HEUM.

*Quod pertineat.* Scribo *quod pertinet.* HEUM.

*Deo cedo.* Alii volunt *Deo credo;* sed retinuimus exemplaris lectionem, quæ recta est. Noster supra cap. 38 : *Ne quis existimet aut dæmoniis, quibus libatum est cedere :* ubi perperam itidem Joan. Meursius rescribit *credere.* Prudentius *Perist.* Hymn. X, 960.

Probatis cede jam miraculis.

Rursus in Symmach. lib II, vers. 3.

Diximus et nostro Romam jam cedere Christo.

Sic et *confessæ credere veritati* dixit Arnobius lib. VI, p. 197. DAVIS.

*Consubsidunt.* Verbum illatinum, immeritoque insertum Fabri lexico. Abjicio *con,* et subsequenti *non* factum, quod justo citius scriptum delere noluit librarius. Optimum vero sensum habet *subsidunt.* In vase enim *subsidere* dicitur id quod liquor habet turbidum, et hinc gravisculum. *Subsidunt,* inquit, *aliqua,* h. e. in imo pectoris adhuc resident et remanent. Dicit igitur Cæcilius superesse in sua mente deliberationes aliquot, quæ non quidem eam vim habent, ut de veritate religionis christianæ dubitare cogatur, quas tamen tolli cupiat, ut sua veritatis cognitio fiat perfectior HEUM.

*Ut de toto.* Deleo *ut,* rescribo *die toto :* nec sine voluptate nunc video etiam sic rescripsisse anonymum Parisiensem. HEUM. — *Ut de toto,* i. e. ut de materia integra justæ disputationis argumentum suppeditante. Ut non est conjunctio, sed adverb. simil. LINDNER.

*Promptius.* Dele verbum hoc, tanquam diversam scripturam, e margine in textum receptam ab indocto librario. HEUM.

CAP. XLI. —*Omnium nostrum vice.* Rescribi oportet *vicem* Curtius VII. 2, 5 : *Mœstus non suam vicem, sed fratrum.* Et in ejusdem libri cap. 11, 20, *Vicem eorum sollicitus.* Idem 10, 5, 21, de regina Sysigambi : *Illa suam, illa neptium vicem flebat.* Livium quoque sæpius ita loqui, et apud hunc etiam *vicem* ab indoctis librariis in vice mutatum fuisse, docet te Gronovius pater, ad Livii l.b. I, cap. 9 et 25. HEUM.

*Et inspiratus. Et* abesse commode potest. LINDNER.

*Octavius gaudere quod vicerit.* Quibusdam libris insertum est hoc modo : *Octavius gaudere quod vicerit.* Sed si *cœpit* subaudiatur, tamen id redundabit, in *læti hilaresque* unica expressum. CELL. — *Octavius gaudere.* Vel ultima vox cum Fulv. Ursino prorsus est expungenda ; vel, verbis transpositis, legendum : *Cæcilius, quod crediderit, gaudere : Octavius, quod vicerit.* Hoc ultro fatebuntur elegantiarum latinarum peritiores. DAVIS.

*Et quod hic.* Perbrevi attentione opus est ut videas clarissime ita scribendum : *Quod et hic crediderit.* HEUM.

## INDEX CAPITUM DIALOGI *OCTAVIUS* INSCRIPTI,

# MARCI MINUCII FELICIS

### ARGUMENTUM.

In hoc dialogo Cæcilius inducitur ethnicis superstitionibus addictus, qui patrium et avitum deorum cultum a nemine deserendum, variis rationibus probare conatur : neque ulli esse anxie de re gione inquirendum; sed antiquam retinendam, novam repudiandam. Contra vero Octavius, qui, impio illo cultu rejecto, christianæ professioni nomen cum Minucio Felice dederat, omnia Cæcilii argumenta sic funditus evertit, tantisque rationum momentis christianæ religionis veritatem demonstrat, ut Cæcilius, gravissima disputatione fractus ac plane convictus, veram religionem læto gratantique animo fuerit amplexatus. Ac primum quidem Cæcilii sermonem pro deorum cultu exponit auctor. Deinde vero Octavii responsionem ad singula orationis Cæcilianæ membra subinfert.

CAP. I. Ab ipso Dialogi exordio narrat Minucius, quam jucunda eorum quæ sibi cum Octavio dum apud se Romæ ageret contigerant, ac potissimum hujusce disputationis recor-

Digitized by Google

datione oblectaretur. col. 232 A
Cap. II. Octavii Romam adventus forensium feriarum tempore, pergratus Minucio. Utrique ad marina Ostiæ balnea, adscito Minucii comite Cæcilio, ire placuit. Dum simul ad mare pergunt, Cæcilius, conspecto Serapidis simulacro, manum ori admovens, illud colit. 235
Cap. III. Superstitiosi hominis actum indigne ferens Octavius, Minucio acriter exprobrat, hujus impii facinoris infamiam non minorem in ipsum, utpote Cæcilii hospitem, quam in eumdem Cæcilium redundare. 237
Cap. IV. Subtristis Cæcilius de hujusmodi objurgatione, qua sui causa Octavius Minucium perstrinxit, petit ut sibi cum Octavio de B suæ religionis veritate disputare liceat. Annuit cum socio suo Octavius; ac medius inter Cæcilium et Octavium sedet Minucius. 240
Cap. V. Disputationem suam aggreditur Cæcilius. Et primum quidem omnia in rebus humanis dubia et incerta esse asseverat: adeoque dolendum quod Christiani, rudes plerumque ac illitterati, de summa rerum ac divina majestate aliquid certi decernere audeant. Hinc nulla providentia mundum regi arguit, concluditque satius esse traditis antiquis religionibus adhærere. 242
Cap. VI. Quælibet natio, ac Romani postmodum C numina sua ita coluere, ut eorum cultu supremum totius orbis terræ imperium fuerint assecuti. 250
Cap. VII. Auspicia et auguria Romana pœnitenter omissa, observata feliciter. 253
Cap. VIII. Minime ferenda Theodori, Diagoræ ac Protagoræ impia temeritas, qui deorum religionem vel penitus tollere, vel saltem infirmare voluere. At multo minus ferri debet latebrosa et lucifugax Christianorum natio, qui deos despuunt; et dum mori post mortem timent, interim mori non timent. 256
Cap. IX. Christianorum religio stulta: hominem siquidem crucifixum ipsumque hujus sup- D plicii instrumentum venerantur. Asini caput colere, ipsamque parentis sui naturam adorare dicuntur. De cæde infantis et sanguine initiantur: ac per impudentes tenebras, incerta sorte omnes permiscentur. 260
Cap. X. Quidquid colunt, magnopere occultare nituntur: nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra. Deus illorum, sicuti et Judæorum, unicus esse fertur: quem quum nec videre nec ostendere queant, illum nihilominus molestum, inquietum et præpostere curiosum arbitrantur. 263
Cap. XI. Futurum quoque asserunt totius mundi incendium; ac post corporum nostrorum resurrectionem, justis beatissimæ vitæ, injustis maximarum pœnarum æternitatem repromittunt. 266
Cap. XII. Quid autem ipsismet Christianis post mortem eventurum sit, inde augurari possumus, quod nunc omni ope destituti, summis calamitatibus et miseriis premuntur. 271
Cap. XIII. Concludit tandem Cæcilius, repudiandam religionem novam; nec de rebus dubiis temere pronuntiandum. 273
Cap. XIV. Non sine elati animi fastidio provocat Octavium Cæcilius, ut argumentis suis respondeat. Cui Minucius modeste respondet de sua haud mediocri eloquentia, deque concinna orationis varietate non esse ipsi exsultandum: sed singula ejus argumenta diligenter expendenda. 275
Cap. XV. Regerit Minucio Cæcilius non sine aliqua læsi animi significatione, ipsum religiosi judicis officio decedere, dum suæ disputationis vires infirmat. Integrum Octavio esse ea omnia quæ in medium protulerat, confutare. 278
Cap. XVI. Suam itaque orditur responsionem Octavius: seque veracium verborum flumine amarissimam conviciorum labem diluturum confidit. Dehinc ad infirmanda singula Cæcilii argumenta digreditur. Primum itaque statuit, nemini ægre ferendum quod Christiani, quamtumvis indocti, de cœlestibus rebus disputent: non enim disputantis auctoritas, sed disputationis ipsius veritas est spectanda. 279
Cap. XVII. Fatetur quidem hominem debere se ipsum nosse: sed plane negat hanc cognitionem ab eo posse comparari, quin antea rerum universitatem, et Deum ipsum agnoscat. Ex ipsius autem mundi constitutione atque ornatu, quisque ratione præditus, compertum habet, eum a Deo conditum fuisse, atque ab eo regi et administrari. 284
Cap. XVIII. Non solum autem universo mundo, sed singulis ejus partibus Deus consulit. Unius autem Dei nutu omnia gubernari, terrenorum exemplo imperiorum probatur. Quamvis autem ille infinitus et immensus, sibique uni, quantus est, cognitus, a nobis nec videri nec nominari queat; ipsius tamen claritas, si nominum tollantur additamenta, perspicitur. 287
Cap. XIX. Præterea poetæ illum divum hominumque parentem, omnium rerum creatorem, mentem et spiritum appellarunt. Quin et ipsimet præstantiores philosophi, ca-



Digitized by Google

dem fere ac Christiani, de Deo uno sen- A
sere. 292

Cap. XX. Quod si Providentia mundus regitur, et unius Dei nutu gubernatur, non nos debet antiquitas imperita rapere ad mutui consensus errorem; quæ nimirum fabellis suis delectata, ridiculas traditiones invexit. Nec minus evidenter ostenditur insulsum impiumque semper fuisse deorum cultum; dum mortalium antiquissimi suos reges, duces inclytos artiumque inventores, ob præclara illorum facinora, non secus ac deos venerati sunt. 297

Cap. XXI. Idque confirmat Octavius Euhemeri, Prodici, Persei, et Alexandri Magni testi- B
monio, a quibus deorum patria, dies natales, sepulchra recensentur. Exponit præterea deorum tristes exitus, fata et funera. Ad hæc ineptias putidasque nugas ridet, quas de suorum deorum forma et figura ethnici venditant. 299

Cap. XXII. Has porro fabulas ab imperitis hominibus primum traditas, alii deinceps celebrarunt, ac poetæ potissimum, qui haud parum veritati sua auctoritate nocuere. Atque hujusmodi figmentis et mendaciis dulcioribus corrumpuntur ingenia puerorum, qui proinde in iis miseri consenescunt: cum alioquin sit veritas obvia, sed requirentibus. 306 C

Cap. XXIII. Quamvis ethnici reges suos mortales agnoscant, illos tamen deos fingunt, vel ipsis invitis; non ad fidem numinis, sed ad honorem emeritæ posteritatis. Atqui verus Deus neque ortum habet, neque occasum. Deorum deinde imagines et simulacra Octavius exagitat. 309

Cap. XXIV. Brevi insuper inductione demonstrat, quantum in celebrandis quorumdam deorum mysteriis ridiculi, obsceni crudelesque ritus observarentur. 312

Cap. XXV. Dehinc ostendit, a Cæcilio perperam jactitari Romanos, qui totius orbis imperio potiti fuerint, hujusmodi superstitionibus rite observatis. Atqui Romani in ortu suo D
et scelere collecti, et immanitatis terrore creverunt Igitur Romani non ideo tanti, quod religiosi; sed quod impune sacrilegi. 315

Cap. XXVI. Ex avium porro auspiciis atque auguriis vibratum leviter a Cæcilio telum, contra ipsum Octavius Reguli, Mancini, Pauli atque Cæsaris exempla retorquet. Non magis item validam esse petitam ex oraculis argumentationem, aliis exemplis demonstrat. 320

Cap. XXVII. Quod ut solide præstet, rem altius et a prima sua origine repetit. Nimirum erroris fons iste: dæmones sub statuis et imaginibus delitescunt, commorantur in fanis, extorum fibras animant, avium volatus gubernant, fortes regunt, oracula fundunt, falsis involuta responsis. Verumtamen hæc non a Deo, sed a se ipsis facta fuisse fateri coguntur, cum a Christianis per Deum verum adjurati, ab obsessis corporibus fugantur. Hinc vero Christianos de proximo fugitant; tantumque gentilium in eos excitant odium, ut illos ante incipiant odisse, quam nosse: ne cognitos aut imitari possint, aut damnare non possint. 323

Cap. XXVIII. Neque odium solum, sed nefanda etiam illis inferunt crimina, quæ a nemine probari hactenus potuerunt. Sic est negotium dæmonum. Ab ipsis enim rumor falsus et seritur, et fovetur. Invictissime autem demonstrat Octavius, Christianos sacrilegii, incestus, stupri, parricidii tam falso insimulari, quam certum verumque erat eadem prorsus crimina, aut his omnino similia atque majora, ab ipsismet ethnicis reapse commitii. 327

Cap. XXIX. Nec magis verum hominem cruci propter sua crimina affixum a Christianis coli. Nam eum non modo innocentem, sed Deum etiam esse merito credunt. Contra vero ethnici regum in deos a se adscriptorum invocant numina, ad imagines supplicant, eorumque genios implorant. 331

Cap. XXX. Impudentissimam quoque esse de potato a Christianis infantis a se occisi sanguine calumniam evincit Octavius. Ethnici vero, inquit et pueros recens natos crudeliter exponunt, et priusquam nascantur, crudeli necant abortu. Christianis homicidium nec videre fas, nec audire. 333

Cap. XXXI. Ab omni etiam verisimilitudine tam alienum est quod Christianis objicitur, pollutum incesto convivium, quam constat incesti reos revera esse gentiles. Christianorum convivia non tantum pudica, sed et sobria. Tantum denique abest incesti cupido, ut nonnullis rubori sit etiam pudica conjunctio. 335

Cap. XXXII. Neque dici potest, Christianos occultare quod colunt, quoniam nulla delubra, nullasque aras habent. Persuasum siquidem ipsis est, non posse Deum ullo templo circumscribi, aut fingi illius simulacrum. Ubique autem præsens omnia videt, etiam secretiores mentis nostræ cogitationes; ac prope cum illo,

Digitized by Google

et in ejus vivimus sinu. 338 A

CAP. XXXIII. Quod si tamen Deus Judæis nihil profuisse dicatur, certe Judaicorum annalium scriptores testes locupletissimi sunt, illos prius Deum deseruisse, quam ab ipso fuisse desertos. 342

CAP. XXXIV. Nihil autem mirum, si mundus hic igne tandem sit absumendus : omnia siquidem quæ initium, eadem et finem habent. Neque a sententia de mundi incendio abhorrent antiqui philosophi. Constat tamen Deum posse hominem quem ex nihilo finxit, ex morte excitare ad vitam. Resurrectionem autem futuram omnis natura meditatur. 344

CAP. XXXV. Ostendit deinde Octavius, justos piosque B homines sempiterna felicitate donandos : injustos vero pœnis afficiendos æternis. Tum luculenter demonstrat multo sanctiores esse Christianorum mores, quam ethnicorum. 348

CAP. XXXVI. Nec minus perspicue docet fatum nihil aliud esse quam quod fatus est Deus. Mens libera est : et ideo actus hominis, non nativitas judicatur. Posthæc manifestissimum facit, exprobratam Christianis pauperiem, non infamiam esse, sed gloriam : et quod corporis mala patiantur, non esse pœnam, sed militiam. 350

CAP. XXXVII. Digna Deo spectacula sunt, pro Christi C confessione iniquissime inflicti cruciatus. Quod quidem Octavius luculenter ostendit, comparatione fortissimorum quorumdam ethnicorum cum sanctis martyribus instituta. Spectaculis porro et pompis Christianos ideo non interesse declarat, quia ea non minus impia quam crudelia esse certo certius noverant. 352

CAP. XXXVIII. Ab idolothytis quoque iidem abstinent, ne quis eos existimet aut cedere dæmoniis, aut suæ religionis pudere. Non omnem vero florum colorem odoremque adspernantur. Sparsis enim, solutis ac mollibus uti solent, ac sertis colla complecti : sed mortu caput coronare, superfluum et inutile censent. Eadem etiam tranquillitate qua vivunt, sepeliunt mortuos, coronam æternæ felicitatis certissima spe exspectantes. Vera igitur eorum religio, rejectis gentilium superstitionibus, ab omnibus est suscipienda. 355

CAP. XXXIX. Hæc porro quum perorasset Octavius, Minucius et Cæcilius aliquamdiu ad silentium stupefacti, intentos vultus tenebant. Et Minucius, quidem in Octavii admirationem raptus conticuit, apud se tacitus illa evolvens quæ audierat. 357

CAP. XL. Cæcilius vero exclamavit se ab Octavio victum, nunc erroris esse victorem, Christianamque religionem jam tum profiteri : dilata interim in diem crastinum pleniore fidei mysteriorum institutione. 358

CAP. XLI. Postremo, læti omnes hilaresque discedunt : Cæcilius, quod crediderit : Octavius, quod vicerit : Minucius autem quod ille crediderit, et hic vicerit. 359

# EPISTOLÆ LUCÆ HOLSTENII

# DE VERUBUS DIANÆ EPHESIÆ

## AD MINUCIUM XXI.*

*Francisco cardinali Barberino, optimo studiorum patrono, Lucas Holstenius, felicitatem.*

Quum eruditum opusculum Claudii Menetreii domestici olim tui, solertissimi rei antiquariæ promicondi, singulari beneficio in publicam lucem proferri jusseris, quo Dianæ Ephesiæ statuas ænigmatis re- D conditis inscriptas luculenter explicavit ; non abs te futurum existimavi, si cogitationem de antiquis ejusdem Dianæ numismatis pridem mihi subortam eadem opera ad te deferrem. Feci hoc eo libentius, et excusatius, ut spero, quod argumentum Menetreio intactum, nec ulli antiquariorum hactenus observatum complectatur. Tui autem judicii hanc scriptionem facio, quod nemo te rectius intelligat, quam multiplicem

* Supra, cap. 21, col. 305.

Digitized by Google

usum accurata antiquitatis cognitio ad reliquum omne studiorum genus ornandum, augendumque præstet. Cum enim recte judicares, nihil in Veterum scriptis tam abstrusum, aut obscurum delitescere, quin lucem aliquam a priscis monumentis mutuari possit, ea tibi causa fuit, cur bibliothecæ, quam celeberrimam instruxisti, veterum tabularum, signorum, numismatum, et inscriptionum suppellectilem copiosam adjunxeris; ut universam eruditæ antiquitatis memoriam doctorum hominum oculis spectandam subjiceres. Nunc rem ipsam cognosce.

Nummi veteres Dianæ Ephesiæ effigie signati, quorum nonnullos tabellæ adjunctæ exhibent, eo a statuis Menetreii industria productis differunt, quod Deam mammarum pondere onustam fulcris quibusdam sive destinis, quos scipiones nodosos existimes, utrinque subrigant. Eaque in re ita constanter consentiunt omnes, quotquot vidi, vidi autem quam plurimos, ut simulacrum Ephesium olim eodem modo suffultum fuisse omnino affirmandum putem. Neque vero ea de re nos dubitare permittit Minucii Felicis eruditissimi scriptoris locus, ubi Dianæ Ephesiæ signum mammis multis verubusque extructum commemorat. Sed in isto loco pervertendo Criticorum acumen mirifice hactenus sese exercuit: adeo quidem ut, nisi vindiciæ ex libris et monumentis antiquis opportune dentur, posthac futurus sit intestabilis.

Rem clarius explico, ut, quam infeliciter Felix ab editoribus exceptus, habitusque fuerit, penitus perspiciatur. Princeps Romana editio a Fausto Sabæo ad Vaticani codicis fidem procurata ita locum, quem dixi, exhibet: *Diana interim est alte succincta venatrix; et Ephesia mammis multis et verubus extructa; et Trivia trinis capitibus et multis manibus horrifica.* Ita triplex unius Dianæ numen notis signisque peculiaribus accurate ex fabulosa gentilium theologia distinxit eruditus scriptor. Lectionem primæ editionis religiose servavit Basileensis, et Heidelbergensis Franc. Balduini; tum Romana posterior, quæ ex Fulvii Ursini recensione prodiit; nisi quod conjecturam suam vir accuratissime doctus margini appingens, non *verubus*, sed *uberibus* legendum moneat. Desiderii Heraldi Parisiensis Advocati editio duplex deinde Romanam lectionem expressit, sed altera *veribus* una litterula mutata pro *verubus* exhibet, ex ipso, ut notat, veteri manuscripto, qui Leonis X munificentia ex Vaticana bibliotheca in regiam migravit. Missus enim fuit codex ille singularis ad Franciscum regem una cum excuso exemplari, quod ejus nomini editores Romani inscripserant. Levis illa mutatio Heraldum perpulit, ut ipse vel *uberibus* cum Ursino, vel *tuberibus* cum Josepho Scaligero, legendum censeret; in priorem tamen conjecturam propensior.

Et hi quidem conjecturis eatenus indulserunt, ut textu Minuciano manus interim abstinerent. At cæteri deinceps non æque fuerunt religiosi. Nam Joannes Wowerius, civis meus, doctrina et judicio alioquin præclare instructus, Ursini conjecturam ita amplexus est, ut in contextum Minucii pro verissima recipere non dubitarit. Hujus exemplum postea Rigaltius Lutetiæ, et nuperrime, iterata editione, Batavi sunt secuti. Nec parum præsidii huic confidentiæ attulisse videtur Justi Lipsii auctoritas, quem correctionem istam ad Taciti Annal. lib. III, comprobasse sciebant. Et hi quidem omnes cum presso vestigio Ursini semitam calcassent, diversam iustitit Geverhartus Elmenhorstius, homo sane haud indiligens: qui Romanam lectionem mutare non ausus, trajectione verborum locum misere luxavit in editione Hamburgensi majori, ubi Minucii verba ita deformata leguntur: *Diana interim est alte succincta venatrix verubus extructa; et Ephesia mammis multis; et Trivia trinis capitibus*, etc.

Sed hæc leviora sunt præ illis, quæ jam ante ad eumdem Minucii locum commentus fuerat Petrus Faber, celebris legum antistes, libr. III, Semestr. cap. 3. Is acri disputatione lacessens S. Hieronymum, quod Dianam Ephesiam multimammiam a venatrice, quæ arcum tenet, alteque succincta est, distinxerit; magno quidem, sed irrito conatu evincere studet, Cererem mammosam Veteres novisse, Dianam mammosam ignorasse. Ideoque Minucii verba, ne Hieronymi causam juvent, distorquendo corrigendoque sic interpolat: *Diana interim est alte succincta venatrix Ephesia et mammis multis Ceres extructa.* Atqui hoc est, non depravatum castigare locum, quod ipse de se prædicat, sed integrum corrumpere. Abstinuisset utique infelici concertatione tantus vir, si Dianæ Ephesiæ signum vetus, aut nummos, vel per transennam inspexisset.

Adjungam superioribus celebrem nunc in Galliis virum, fori hujus antiquarii regem, Joann. Tristanum Is tomo I, exhibet nummum ΚΑΔΟΗΝΩΝ, sive Caduenorum (ita enim Stephano, Plinio, sibique ipsi alibi vocari ostendam), Dianæ Ephesiæ imagine signatum; eique illustrando vexatum Minucii locum ingenii periculum et ipse facturus adducit. Repudiatis igitur *verubus*, quam non genuinam Minucii vocem, sed Woweri, omnia alia sentientis, commentum existimat: *uberibus* quidem legendum censet, sed longe alio, quam cæteri omnes, sensu. Etenim cum inter mammas et ubera aut nullum, aut non nisi ineptissimum discrimen a Grammaticis statui rectissime perspexisset, ideoque vix sine vitio tautologiam istam accurato et pressæ dictionis scriptori tribui posse, perquam ingeniose *mammas multas*, *uberesque* Dianæ Ephesiæ de *turgidis multoque lacte distentis* censuit explicandas. Quo quidem Ursini, et quotquot ejus vestigia postea legerunt Criticorum depravationem aperte jugulat; Minucii tamen mentem non est assecutus, quod recenti et interpolatæ editioni, qua usus videtur, fidem temere adhibuerit.

Cæterum istis omnibus in perspicuo Minucii loco oculos, mentemque glaucoma præstrinxit, quod nequaquam exploratum haberent, quo significatu *verua* antiquis linguæ latinæ auctoribus proprie dicta acceptaque fuerint. Cum enim assatoria illa, sive transfixoria, ut Papias vocat, quorum in coquina usus est,

Digitized by Google

et quæ in Gallica Minucii interpretatione merito ridet Tristanus, ad Dianam Ephesiam exstruendam nihil quidquam facere viderent; non nisi de verutis sive jaculis Dianæ venatricis Minuciana *verua* accipi explicarique posse uno omnes, quod miror, consensu censuerunt. Unde factum, ut tot summi et incomparabiles viri ad vocem illam interpolandam certatim conspirarint. Ego vero adversus conjuratum agmen *verua* ista extra vitium esse affirmo, eaque nec Dianæ Ephesiæ, nec Minucio subtrahenda pertendo. Nam *verua* hæc, quibus Dianam suam exstruebant Ephesii, non pila aut veruta sunt, sed fulmenta ferrea oblonga, quæ brachiis supposita totam mammosi pectoris molem sustinebant.

Cum enim antiquissimum hoc signum ad Ægyptiorum simulacrorum instar pedibus esset arcte compressis, tantilla basis superimposito corporis ponderi ferendo impar, adminiculis suffulcienda fuit; quibus subtractis universam molem fatiscere et collabi necessum erat. Ea fulcra sive sustentacula, quod ex ferro longius producta essent, Minucius propria et eleganti voce *verua* dixit, non sequioris, quo vixit, sed Augustæi sæculi usum secutus. Nam Glossarium latinum optimæ notæ, quod in tribus vetustissimis codicibus Vaticanis exstat, *verua virgas et virgulas ferreas* interpretatur.

Eamque explicationem veram ac genuinam esse res ipsa me docuit: cujus etiam nunc te meminisse arbitror, Eminentissime Cardinalis, quod juxta mecum oculis eam olim usurpaveris. Anni enim sunt, ni fallor, quindecim, cum Jesuitarum societas ad S. Andreæ in Quirinali, dum novæ ædificationis fundamenta moliretur, lapides aliquot Tiburtinos prægrandes ordine quadrato dispositos offenderet: quorum duo ita erant inscripti, uti cum te jubente et adminiculante ex saxo scabro, et male polito excepi:

HAEC. AREA. INTRA. HANCCE
DEFINITIONEM. CIPPORVM
CLAVSA. VERIBVS. ET. ARA. QVAE
EST INFERIVS DEDICATA EST AB
IMP. CAESARE. DOMITIANO. AVG.
GERMANICO. EX. VOTO. SVSCEPTO
QVOD. DIV. ERAT. NEGLECTVM. NEC.
RÉDDITVM. INCENDIORVM
ARCENDORVM. CAUSA

Cippi illi utroque latere bina foramina, et veruum sive virgarum ferrearum vestigia plumbo circumfusa servabant; quibus olim inter se conjuncti aream interiorem ita clauserant, ne aditus vulgo pateret. Ibi tum reipsa perspexi, egregie falsum esse N. Rigaltium hominem naris emunctissimæ, dum ad Finium regundorum scriptores verua ista stipites instar subularum præacutos explicat, quæ nihil acuminis, aut cuspidis habuisse oculis manibusque cognoveram. Eodem vetustatis sensu Marcellus antiquus rei Medicæ auctor, sanguinis profluvio ex naribus sistendo præscribit cap. 10: « Veru ferreum candens in aceto assidue extingue, et fumum ejus naribus ducito. » Quis non A videt simpliciter hic et absolute ferri in virgam oblongam producti massam intelligi, qua forma fere omne ferrum rude et infectum vulgo venit.

Verum nihil ad Minucii mentem, et rei, de qua agitur, illustrationem afferri potest aptius versibus Prudentii ex priori contra Symmachum carmine; quibus geminorum fratrum Castoris et Pollucis simulacra describit eo habitu gestuque, quo tunc in sua sibi æde ad viam sacram visebantur. Versus isti sunt:

. . . . Gemini quoque fratres
Corrupta de matre nothi, Ledeia proles,
Nocturnique equites, celsæ duo numina Romæ,
Impendent retinente veru, magnique triumphi
Nuntia suffuso figunt vestigia plumbo.

Graphice depingit Dioscuros currentium gestu ita effi- B giatos, ut extra perpendiculum et basin prominentes spectantibus non sine horrore, ac metu impendere viderentur. Impendent enim, quæ supra caput jamjam casura pendent, ut recte ait Valla. Timor autem, et admiratio apud rude et superstitiosum vulgus religionis opinionem conciliabat. Eum metum poeta Christianus ridet, cum nullum esset ruinæ, aut fugæ periculum; quod veru, hoc est, vectis sive uncus ferreus a tergo infixus eos retineret, pedesque basibus applumbati moveri non possent.

Duplex hoc retinaculorum genus, queis numinum simulacra vel uti vinculis constricta defigebantur, Arnobius similiter libr. VI Nationibus exprobrat: « Si permanendi, inquit, necessitatem patiuntur, quid miserius his esse, aut quid infelicius poterit, quam si eos C in basibus ita unci retinent et plumbeæ vinctiones? » Utrumque etiam conjungit lex II Dig. de Sepulchro violato. « Celsus quærit si neque applumbata fuit statua, neque affixa, an pars monumenti effecta sit, an vero maneat in bonis nostris. » Sed Prudentius quoque Minucii fatum et malam Criticorum manum ut experiretur, ejusdem vocabuli non satis recte observata significatio fecit. Unde jam olim in pervetustis membranis Vaticanæ Bibliothecæ, *retinente solo*, pro *retinente veru*, substitutum videre est: quam lectionem Aldius, aliique ejus fidem secuti expresserunt. Georgius autem Fabricius, cum in suis exemplaribus *retinente veru* constanter scriptum reperisset, nec tamen proprium vocis usum apud Veteres satis haberet perspectum, ad correctionem, sacram Criticorum ancho- D ram, , confugit. Quocirca cum Dioscuros hastis sive pilis ad decursionem vulgo armari sciret, veru hoc ex rudi et obtuso ferro in verutum cuspide spicavit, et interpolata dictione, *impendent retinentque veru*, de suo, quo pollebat, ingenio procudit; eaque lectio exinde plerasque recentiores editiones insedit. Tantum vero absum, eam ut probem, ut contra priscam et genuinam mordicus tueri non dubitem, cum rei ipsius perspicuitate, tum veterum librorum auctoritate fretus: in quibus facile principem statuo codicem præstantissimum Urbinatis Bibliothecæ, quæ nuper Alexandri septimi sapientissimi Pontificis immortali beneficio Vaticanæ accessit; in quo ita scriptum reperi.

Digitized by Google

Hæc ad Dianae Ephesiæ statuas, nummosque veteres illustrandos scripsi, ut mutua eorumdem ope duo veterum scriptorum loca minus recte hactenus intellecta a Criticorum corruptelis vindicarem : tum vero ut illustri exemplo ostenderem, antiquitatis studium non metiendum inani delectatione, sed suum illi constare fructum, si recte colatur.

# DISSERTATIO

# IN MARCI MINUCII FELICIS LIBRUM QUI OCTAVIUS INSCRIBITUR.

AUCTORE D. NIC. LE NOURRY, MONACHO O. S. B. E CONGREGATIONE S. MAURI.

## CAPUT PRIMUM.

ANALYSIS HUJUS LIBRI, QUIS ILLIUS AUCTOR, AC QUI FUERINT CÆCILIUS ET OCTAVIUS QUI IN EO DISPUTANTES INTRODUCUNTUR.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Analysis hujus libri.*

Liber hic nihil aliud complectitur, quam dialogum quo Cæcilius superstitiosis ethnicorum hominum vanitatibus addictus, patrium et avitum deorum cultum, a nemine deserendum, omnibusque in eo perseverandum esse, variis rationibus probare conatur. Contra vero Octavius, qui impio illo cultu rejecto, christianæ professioni nomen cum Minutio Felice dederat, omnia Cæcilii argumenta sic funditus evertit, tantisque rationum momentis christianæ religionis demonstrat veritatem, ut Cæcilius illis plane convictus hanc læto gratantique animo amplexatus fuerit.

Ab ipso autem libri exordio narrat Minucius, quam jucunda eorum, quæ sibi cum Octavio, dum apud se Romæ habitaret, contigerant, ac potissimum hujusce disputationis recordatione delectaretur. Quorumdam siquidem negotiorum causa Octavius ad eum, vindemiarum forensiumque feriarum tempore ex inopinato advenerat. Tam gratus autem Minucio, quam improvisus fuit ille Octavii adventus. Post expletam uno et altero die summi desiderii aviditatem, utrique ad marina Ostiæ balnea, adscito Minucii comite Cæciliano, ire placuit. Diluculo itaque cum ad mare, « inambulando », ut ait, littore pergerent, Cæcilius, « denotato » Serapidis simulacro, manum ori admovit, labiisque impressit osculum. Quamobrem illico Octavius Minucio acriter exprobravit non minorem in ipsum, utpote Cæcilii hospitem, quam in eumdem Cæcilium redundare hujusce impii facinoris infamiam. Reliquum tamen exinde itineris spatium emensi, in maris littore de navigatione confabulando deambulabant.

Ibi porro cum pueros testarum in mare jaculationibus ludentes, aliqua non sine voluptate Minucius Octavius que conspicerent, Cæcilius e contrario ad tam gratum spectaculum minime intentus, subtristem præ se ferebat animum. Quapropter Minucius solitam in eo desideravit alacritatem. At ille ingenue confessus est se Octavii sermone perculsum ; atque idcirco petiit, ut sibi cum Octavio de religionis suæ veritate disputare liceret. Annuit cum socio suo Octavius, ac selecto paulo eminentiori loco, medius inter eum et Octavium sedit Minucius.

Ad hanc porro disputationem prinsquam Cæcilius aggrediatur, a Minucio postulat, ut æquissimi judicis libram perinde teneat, ac si de ulla religione nihil hactenus sibi fuisset compertum. Deinde vero haud dubitanter asseverat posse facillime probari omnia in rebus humanis esse dubia, suspensa, incerta minusque vera, quam verisimilia. Dolendum igitur, inquit, et omnium indignatione illud dignum, quod indocti quidam, ac scientiarum artiumque ignari de summa rerum et divina majestate aliquid decernere non dubitent, de qua philosophi nihil certi ad hunc usque diem statuere ausi fuerant. Nec immerito quidem ; persuasum siquidem ipsis erat infirmis hominibus cœlestia scrutari negatum, quibus satis esse debet, si seipsos familiarius noverint. Tum brevi inductione demonstrare conatur certum non esse utrum Deo aliquo auctore facta sint omnia. Ex prospera autem pravorum hominum Phalaridis et Dionysii, et adversa bonorum Rutilii, Camilli et Socratis fortuna, ac variis et lubricis terrenarum rerum casibus, probare contendit nobis nondum constare utrum Dei providentia mundus regatur, aut soluta legibus fortuna rebus omnibus dominetur.

Digitized by Google

Inde igitur ille concludit satius esse traditis antiquis religionibus adhærere, deosque vereri et adorare quam ullam de illis ferre sententiam. Ab ipso quippe mundi principio parentes nostri hosce deos aut faciles, aut reges habuerunt. Quælibet enim natio, ac Romani postmodum numina sua sic coluere, ut bi pio eorum cultu supremum meruerint totius orbis terræ imperium. Tum deinde asseverare non veretur hunc deorum cultum, qui eo sanctior, quo vetustior est, quibusdam satis probari miraculis, nec impune a nonnullis impiis spretum et irrisum. Alia autem bene multa de deorum naturalibus et donis, de carminibus poetarum, et oraculis futura prænuntiantibus se prætermisisse contestatus, fidenter pronuntiat manifestam cuilibet fieri deorum præsentiam ex templis, quæ incolebant; ex votibus, qui ventura noverant; ex beneficiis, quibus dii ipsi solebant bene de hominibus mereri, ac tandem ex somniis, quibus evidentissime agnoscebantur. Quamvis ergo horum deorum natura vel origo incerta sit; firma tamen manere debet omnium gentium de iis consensio. Quamobrem minime ferendam esse ait Theodori, Diagoræ, ac Protagoræ impiam temeritatem qui hanc religionem penitus tollere, aut saltem infirmare voluerunt.

At certe multo minus, inquit, tolerari debet illi cita et desperata factio Christianorum, lucifugaque eorum natio, ex ultima fæce hominum collecta, ac nocturnis congregationibus, jejuniis solemnibus, inhumanisque cibis fœderata. Isti enimvero templa, ut busta, despiciunt, deos respuunt, rident sacra, honores floccifaciunt, tormenta denique sic soernunt ut dum mori post mortem timent, mori interim non vereantur. Per universas nihilominus terræ partes disseminati, occultis notis sese invicem cognoscunt, amantque pene antequam noverint. At dicuntur caput adorare asini, colere sacerdotis genitalia, atque hominem crucifixum, ipsumque hujus supplicii instrumentum venerari. Quid plura? Ad epulas solemni die cocunt, atque ibi epoto infantis crudelissime occisi sanguine, ictum fœdus sanciunt, et eorum tirunculi initiantur. Post illud vero immanissimæ feritatis convivium, extinctis a cane luminibus, per impudentes tenebras, incerta sorte omnes permiscentur, atque ita, aut reipsa, aut conscientia fiunt incesti. Cæterum quidquid colunt, magno studio occultare nituntur; nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra.

Deus porro illorum, sicuti et Judæorum, unicus esse fertur, quem cum nec videre, nec ostendere queant, illum nihilominus animo plane inquietum, præpostere curiosum, ubique præsentem, omnia hominum facta, atque intimas animi cogitationes, etiamsi singulis inservire non possit, diligenter inquirere arbitrantur. Futurum quoque asserunt totius mundi incendium, ac post corporum nostrorum resurrectionem justis beatissimæ vitæ, injustis maximarum pœnarum æternitatem repromittunt. Eapropter damnant rogos, ignemque sepulturas, et cuncta voluntati divinæ seu fato adscribunt. Nullus tamen mortuus ab inferis excitari potest; et nemo umquam Protesilai sorte vel hora unica ad vitam fuit revocatus. Quid autem hisce Christianis post mortem eventurum sit, inde ipsi augurari debent, quod nunc omni divina ope destituti, Romanis vero subditi, summis calamitatibus et miseriis premuntur, honestis voluptatibus, spectaculis, pompis, conviviis publicis, idolothytis, floribus, coronis abstinent, et unguenda funeribus reservant.

Comites itaque suos Cæcilius adhortatur desinant cœli plagas mundique secreta rimari, hancque sequantur Socratis sententiam: « Quod supra nos, nihil ad nos. » Et certe ille divino oraculo laudari idcirco meruit: « Quod nihil se scire didicisset. » Ex hoc autem fonte manavit prudens Arcesilæ, Carneadis, plurimorumque Academicorum in summis quæstionibus dubitatio, ac Simonidis, de diis ab Hierone tyranno interrogati, cunctatio omnibus imitanda. Denique Cæcilius horum opinioni se lubenti animo subscribere declarat; nec sine elati animi fastidio Octavium, ut argumentis suis respondeat, provocando, finem sermoni suo imponit.

Tum Minucius Cæcilio modeste respondit de sermonis sui concinnitate, subtili orationis varietate, suaque haud mediocri eloquentia ipsi non esse exsultandum; sed singula ejus argumenta diligenter expendenda, ut quod in eis verum validumque sit, seligatur, probetur, et suscipiatur. At Cæcilius non sine aliqua læsi animi significatione dixit eum, disputationis suæ vires infirmando, ab officio religiosi discedere judicis. Integrum siquidem Octavio erat ea omnia, quæ in medium protulerat, si posset, confutare, seque ad eum magno silentio audiendum jam esse paratissimum.

« Dicam equidem, respondit Octavius, ac pro viribus adnitar, ut veracium verborum flumine amarissimam conviciorum labem diluam. » Ante omnia vero ille profiteretur fas sibi non esse dubiam, ancipitem, vagam et fluctuantem dissimulare Cæcilii mentem ac sententiam. At fatetur tamen eam nec ulli malo illius dolo, nec callido versutoque ejus animo, ab ejus sinceritate prorsus abhorrenti, sed veritatis ignorationi esse tribuendam.

Ad infirmanda dehinc singula Cæcilii argumenta aggressus, docet nemini ægre ferendum, quod Christiani, quantumvis illiterati et pauperes, de cœlestibus rebus disputent. Tales enimvero non solum fuerunt philosophi, et alii artium inventores; verum nostrates etiam, qui, quantumvis inopes et egentes, aliis prudentiam et disciplinam tradiderunt. Et vero cum ingenium non fortunæ aut facultatibus detur, sed a natura nobis insitum sit, quilibet cujusvis sexus et conditionis homo, divina investigare, et de iis sententiam ferre potest.

Fatetur quidem hominem debere se ipsum nosse, ac quis, unde, quare, a quo, et ex quibus elementis factus sit; sed plane penitusque negat hanc cognitionem ab eo posse comparari, quin rerum

Digitized by Google

universitatem, et Deum ipsum antea cognoscat. Nullus etenim, nisi mente omnino captus, totius mundi ornatum advertere potest, quin persuasum confestim habeat, eum non fortuito atomorum concursu, sed a Deo conditum fuisse, atque ab eo regi et administrari. Quod quidem ille confirmat ac stabilit ex cœli, solis, lunæ, siderumque motibus ac utilitate, ex mensium circulo, tenebrarum lucisque vicissitudine, ex miro temporum ordine, ex stabili varietate frugum, maris finibus, innata animantibus ad sui defensionem multiformi armatura, hominis forma ac figura, et generandi nascendique ratione. Nam hæc omnia sine omnipotentis Dei providentia fieri non possunt. Non universo autem tantum mundo, sed singulis ejus partibus Deus consulit. Quis enim dubitat ejus imperio Britanniam maris tepore, Ægyptum Nilo, Euphrate Mesopotamiam, Orientem Indo flumine fœcundari? Denique sicut domui præclaro ornatu dispositæ aliquem, sic toti mundo hunc Dominum præesse cernimus.

Porro autem ipsum unicum esse Deum probat Octavius terrenorum exemplo imperiorum, scilicet Persarum, Thebanorum, Romanorum, ubi, inquit, nullus neque frater fratrem, neque socer generum regni consortem pati umquam potuit. Quid vero, quod sicuti apibus, gregibus, et armentis unus est tantummodo rex aut dux, ita unus est Deus, qui principio et fine carens, omnia moderatur?

Quamvis autem ille infinitus et immensus, sibique soli, quantus est, cognitus, a nobis nec videri, nec nominari queat; eum tamen, si nominum terrestrium tollas additamenta, perspicue cognosces. Et sane unanimem esse omnium de illo consensum inde Octavius arguit, quod vulgus, manus ad cœlum tendendo, ipsum invocat. Præterea poetæ illum divum hominumque patrem, et Virgilius omnium rerum creatorem, mentem, et spiritum appellavere. Quin etiam ipsimet, uti ille singillatim ostendit, præstantiores philosophi, Thales, Anaximenes, Diogenes Apolloniates, Anaxagoras, Pythagoras, Xenophanes, Antisthenes, Speusippus, Democritus, Straton, Aristoteles, Heraclides, Theophrastus, Zenon, Chrysippus, Cleanthes, Diogenes Babylonius, Xenophon, Aristo et Plato, quamvis a nobis verbis et sermone discrepent, in nostram nihilominus de illo ipsomet Deo unico alii obscurius, alii planius iverunt sententiam.

Ex his ita disputatis Octavius falsitatis evidenter arguit venditatas a majoribus nostris, tamquam miracula, ridiculas de Scylla, Chimæra, Hydra, Centauris, aliisque aniles fabulas, et absurdas traditiones. Nec minus evidenter ostendit insulsum impiumque semper fuisse deorum cultum. Antiquissimi enimvero homines primum sane suos reges, duces inclytos, pudicas et sexu suo fortiores reginas, artiumque inventores, ob præclara illorum facta, vel accepta ab eis beneficia non secus ac deos venerati sunt. Et hoc quidem ab Octavio probatur Euhemeri, Prodici, Persei et Alexandri Magni testimonio, a quibus deorum patria, dies natales, sepulchra, vel beneficia, et sacerdotum secreta recensentur. Negare igitur hæc non poterant ethnici, sicuti nec sistrum, inquit, Isidis, ac Serapidis seu Osiridis tumulum, sacraque mysteria nihil aliud prodere, quam miserorum deorum tristes exitus, fata et funera. Quis etiam non videat Eleusinia Cereris, aliaque Jovis et Cybeles sacra non minus absurda esse quam probrosa?

Quantas insuper de deorum suorum forma ac figura ineptias putidasque nugas ethnici venditant! Claudum quippe fingunt Vulcanum, Apollinem imberbem, Æsculapium filium ejus barbatum, glaucis Neptunum oculis, Minervam cæsiis, bubulis Junonem, Mercurium pedibus alatis, ungulatis Pana, Saturnum compeditis, duplici fronte Janum, Dianam alte succinctam, Ephesiam multis mammis, trino capite et multis manibus Triviam, Jovem tot formæ monstris horridum, quot appellatum nominibus, Erigonen laqueo suspensam, Castores alternis diebus viventes ac morientes, ictum flumine Æsculapium, et Herculem Œteis crematum ignibus.

Has porro fabulas ab impiis hominibus primum traditas, alii deinceps celebrarunt, ac poetæ potissimum, qui haud parum veritati sua nocuerunt auctoritate. Quamobrem Plato civitate non immerito ejecit Homerum, qui impudente ludibrio cecinit sauciatam Venerem, Martem non sine vulneribus fugatum, Jovem a Briareo liberatum, Sarpedonis casum cruentis imbribus flentem, ac loro illectum Veneris; Herculem stercora egerentem, Neptunum sine ulla mercede instituentem Laomedontis muros, Apollinem pascentem Admeti pecus, Vulcanum Jovis in Creta nati fulmina fabricantem, Martis Venerisque adulterium, et raptum ab eodem Jove Ganymedem. At ridiculis illis obscenisque commentis ingenia puerorum corrumpuntur, ac tandem in iis turpiter nequiterque consenescunt.

A Diodoro nihilominus Siculo, Thallo, et Nepote, quos citat Octavius, omnes discere facillime potuerant horum principem fuisse Saturnum; qui quidem metu filii e Creta aufugiens, atque in Italia a Jano susceptus, plurima rudes homines docuit, atque imposito variis locis suo nomine, se ipsum probavit esse hominem. Jupiter vero, qui in Creta, unde eum expulerat, regnavit, in hac insula mortuus est, ubi sepulchrum ejus ostenditur. Præterea Romulus post mortem suam, pejerante Proculo, Juba Mauris volentibus, aliique etiam quamvis inviti et reluctantes, dii renuntiati sunt. Atqui verus Deus nec nasci, nec mori potest.

Deorum deinde imagines et simulacra Octavius exagitat, palamque facit ea vel ex vili sordidaque, vel pretiosa materia, manibus et arte fabrorum quoquo modo conficta, ab avibus aliisque animalibus sæpe sæpius coinquinata, impie coli ab ethnicis, ac precibus frustra et inutiliter fatigari. Brevi insuper inductione demonstrat quantum in celebran-

Digitized by Google

dis quorumdam deorum mysteriis ridiculi, obsceni, crudelesque ritus observarentur.

Tum dehinc ostendit ab Cæcilio perperam jactitari Romanos, hujusmodi superstitionibus rite observatis, totius orbis potiri imperio. Etenim parricidio regnum illud inchoatum, sceleribus, impietate, et sacrilegiis accrevit. Quid vero, quod vernaculi dii, Romulus, Picus, Tiberinus, Consus, Pilumnus, Picumnus, Cloacina, Pavor, Pallor, Febris, Morbus, Acca Laurentia, et Flora nullam iisdem Romanis opem ferre potuerunt? Multo autem minus aliarum gentium dii, quos illi non coluere, nisi bello prius victos, ac post actum de ipsis triumphum. Denique nullus ignorat, Assyrios, Medos, Persas, Græcos, Ægyptios, regnasse ante quaslibet, cæterisque omnibus deteriores Romanorum superstitiones.

Ex avium porro auspiciis atque auguriis vibratum leviter a Cæcilio telum, contra ipsum Octavius Reguli, Mancini, Pauli, Cæsarisque exempla retundit. Similibus etiam ille Amphiarai, Tiresiæ et Apollinis Pythii exemplis demonstrat non magis validam esse petitam ex oraculis argumentationem. Sed quia urgere aliquis poterat, quædam saltem vera fuisse oracula, idcirco Octavius rem altius, et a prima sua origine repetendam esse censuit. Dicit itaque quosdam esse impuros spiritus, qui cupiditate et vitiis, *substantiæ suæ* simplicitatem amiserunt. Neque id negare poterant ethnici. Nam hos poetæ dæmonas vocant, notique erant Magis ac Socrati, qui unum ex illis custodem et consiliarium habuit. Qui vero illi sint, Holstanes et Plato edisserunt. Atqui Magi aliique horum perditorum angelorum, qui homines secum perdere conantur, afflatu et inspiratione varias præstigias edunt.

Ipsi vero illi dæmones sub statuis et imaginibus delitescunt, commorantur in fanis, vel in hominum corpora irrepunt, naturalem quarumdam rerum ordinem perturbant, oracula falsis involuta responsis fundunt, aliaque extraordinaria, sicuti ea, quæ de Jove, Castoribus, et Claudia Cæcilius recensuerat, sic efficiunt, ut ethnicis videantur vera patravisse miracula. Verumtamen tunc fateri coguntur hæc non a Deo, sed a se ipsis facta fuisse, cum a Christianis per Deum verum adjurati, et sacris exorcismis ab obsessis corporibus fugantur. Quamobrem Christianos de proximo fugitant, tantumque gentilium in eos concitant odium, ut illos non solum prius odisse, quam nosse incipiant, sed nefanda etiam illis inferant crimina, quæ a nemine probari hactenus potuerunt. Et certe Octavius plane testificatur se id sua experientia didicisse, cum ipse adhuc ethnicus, ejusque socii, Christianos variis tormentis, non tam ad fictitia ea crimina confitenda, quam ad ejurandam Christi fidem compellere nitebantur.

Ibi autem ille invictissime demonstrat Christianos sacrilegii, incestus, stupri, parricidii tam falso insimulari, quam certum verumque erat eadem prorsus crimina, aut his omnino similia, atque etiam majora ab ipsismet ethnicis reapse committi. Ac primo quidem qui caput, inquit, asini a Christianis adorari præpostere clamitabant, hi cum Epona et Iside consecrabant asinos, capita boum ac vervecum venerabantur, deosque dedicabant vel caprina humanaque forma, vel bovino caninoque vultu repræsentatos. Ad hæc autem ipsi Romani bovem Apim, aliique animalia, serpentes, aves, belluas, pisces colebant, sicuti Ægyptii, qui non magis Isidem et Serapidem quam acrimonias ceparum et ventris crepitus verebantur.

Quod subinde objecit Cæcilius a Christianis coli sacerdotis genitalia, illud tam falsum esse Octavius asseverat, quam certum est ethnicos obscenissimis constuprari turpitudinibus, quas nobis nec nominare, nec audire fas unquam fuit.

Nec magis verum erat hominem cruci propter crimina sua affixum a nobis coli. Nam eum non modo innocentem, sed Deum esse merito credimus. Contra vero Ægyptii homini a se electo mactant victimas, et sacrificia faciunt. Alii autem regum in Deos a se adscriptorum invocant numina, ad imagines supplicant, atque eorum implorant genios.

Cruces autem, pergit Octavius, nec colimus, nec optamus. Sed ethnici eas fortasse tanquam deorum suorum partes venerantur. Crucis etenim figura in ipsorum, quæ colunt, signis, cantabris, vexillis, et trophæis, ac pluribus aliis, quas ille commemorat, naturalibus rebus conspicitur.

Impudentissimam quoque esse ait de potato a Christianis infantis a se occisi sanguine calumniam. Ethnici vero, uti ille arguit, et pueros recens natos crudeliter exponunt, et priusquam nascantur, crudelissimo necant abortu. Saturnus autem dicitur filios vorasse, et infantes a quibusdam Africæ incolis, sicut a Tauris et Busiride Ægyptio hospites, a Gallis et Romanis homines, immolantur; et Jupiter ipse hac quoque, horrenda dictu, colitur victima. Quid plura? Sanguine humano conjuravit Catilina, litatur Bellonæ, et comitialis morbus sanatur. Denique athletæ belluas hominum cruore et membris adhuc saginatas devorant. At Christianis homicidium vel audire, vel cernere non licet, et animalium sanguine interdictum.

Ab omni etiam verisimilitudine tam alienum est, quod Christianis objicitur, pollutum incesto convivium, quam constat incesti reos reipsa esse gentiles. Persæ enimvero cum matribus, Ægyptii et Athenienses cum sororibus miscentur. Poetæ autem varia et exsecranda deorum canunt adulteria, quorum etiam plerique gentiles conscii erant. Christiani vero unius matrimonii vinculo illigati, extra illud semper casti, aut in virginitate perseverantes, pudica, sobria, et gravi hilaritate temperata convivia agebant.

Quamvis autem purpuras et honores recusent, non sunt tamen ex ultima plebis fæce orti, nec factiosi, nec in angulis garruli. De probata etenim eorum vita haud incertum testimonium erat sæpius

Digitized by Google

repetita de crescente quotidie ipsorum numero querimonia. Et certe non corporis, sed innocentiæ signo sese invicem agnoscunt, quantumque sese mutuo amant, ac jure merito se fratrum nomine compellant, tantum ethnici, sibi invicem ignoti, mutuis odiis in seipsos crudelius sæviunt.

Neque dici potest eosdem Christianos occultare quod colunt, quoniam nulla delubra, nullasque aras habent. Persuasum siquidem ipsis erat non posse Deum ullo templo circumscribi, aut fingi illius simulacrum, ac nullam pura et sincera hominis conscientia hostiam ipsi esse gratiorem et acceptiorem.

Hunc porro Deum tametsi oculis nostris, quemadmodum ventos, solem, nostramque animam non videamus, ex ejus nihilominus operibus evidenter cognoscimus. Ubique autem præsens omnia videt, etiam secretiores mentis nostræ cogitationes, ac prope cum illo, et in ejus vivimus sinu. Quod si tamen Deus Judæis nihil profuisse dicatur, certe Judaicorum annalium scriptores testes utique erant locupletissimi, illos prius Deum deseruisse, quam ab ipso fuisse desertos.

Cæterum cum omnia quæ initium, eadem et finem habeant, nihil mirum si mundus hic igne tandem consumendus sit. Et certe Octavius ostendit hanc de illo mundi incendio fuisse Stoicorum, Epicureorum, et Platonis opinionem. At hic, sicuti Pythagoras, dimidiatam tantum mortui hominis ad vitam revocationem agnovit. Constat tamen Deum posse hominem, quem ex nihilo finxit, ex morte excitare ad vitam. Quibusdam vero exemplis probat Octavius futuram esse hanc resurrectionem corporum, quæ Christiani antiquo et meliori more sepeliebant. Nec longe absimili modo ille ostendit justos piosque homines post hanc vitam æterna felicitate, injustos vero pœnis sempiternis afficiendos. Tum deinde luculenter demonstrat multo sanctiores esse mores Christianorum, quam Gentilium. Nec minus perspicue docet fatum nihil aliud esse, quam quod *fatus est* Deus, qui pro singulorum meritis fata determinat. Ibi autem se de fato fusius aliquando disputaturum pollicetur.

Manifestissimum post hæc facit exprobratam Christianis pauperiem non infamiam esse, sed gloriam, quemadmodum adversos eorum casus, ac quantumlibet horrendos, ipsis iniquissime pro Christi confessione inflictos cruciatus, ac mortem ipsam, non pœnas esse, sed virtutis probationes, ac triumphos, dignaque Deo spectacula. Quod quidem Octavius luculenter ostendit facta fortissimorum quorumdam ethnicorum cum martyribus nostris comparatione. Si qui vero Deum nescientes, divitiis et honoribus affluant, vel ad summum dignitatum atque imperii evehantur culmen, hos ille asserit victimas esse ad supplicium saginatas et coronatas, qui profecto, quo lapsu graviore ruant, altius tolluntur. Nulla enim absque Dei cognitione potest esse solida felicitas.

Spectaculis porro et pompis Christianos ideo non interesse declarat, quia ea non minus impia, quam crudelia esse, certo certius noverant. Ab idolothytis quoque iidem abstinent, ne quis eos existimet aut cedere dæmoniis, aut religionis suæ pudere. Non omnem vero florum colorem odoremque aspernantur. Sparsis enim, solutis ac mollibus uti solent, ac sertis colla complecti: sed mortui caput coronare superfluum et inutile censent. Eadem etiam tranquillitate, qua vivunt, sepeliunt mortuos, coronam æternæ felicitatis certissima spe exspectantes. Quamobrem quantumvis Socrates, Arcesilas, Carneades, Pyrrho, Academici et Simonides nihil se certo scire asseverent; Christiani tamen eam, quam frustra illi quæsierant, veritatem se invenisse haud immerito gloriantur. Vera igitur eorum religio, rejectis gentilium superstitionibus, ab omnibus suscipienda est.

Hæc porro cum Octavius perorasset, ac Minucius in illius admirationem raptus conticeret, Cæcilius exclamavit se ab Octavio victum, nunc erroris sui esse victorem, ac christianam religionem jam tum profiteri. Postremo dilata in crastinum diem clariori mysteriorum nostrorum explicatione, omnes læti hilaresque domum reversi sunt.

### ARTICULUS II.

### *Utrum Minucius Felix sit hujus libri auctor, et quis ille fuerit.*

Minucium Felicem hujus libri, sive dialogi, auctorem esse tam invicta scriptorum omni fide majorum auctoritate probatur, ut nullus ea de re dubitandi locus ulli superesse possit. Firmianus siquidem Lactantius, qui Diocletiano imperante, sicuti notat Hieronymus (*Hieronym. Catalog. Script.* § 80), nec longo post Minucium tempore floruit, hæc de illo habet verba (*Lactant. lib.* I *de vera Relig. cap.* 11): « Minucius Felix in eo libro, qui Octavius inscribitur, sic argumentatus est: Saturnum, cum fugatus esset a filio, in Italiamque venisset, etc. » Quæ quidem in hoc Minucii libro revera legimus. Post hæc vero idem Lactantius: « Ex his, inquit, qui mihi noti sunt, Minucius Felix non ignobilis inter causidicos loci fuit. Hujus liber, cui Octavius titulus est, declarat quam idoneus veritatis assertor esse potuisset, si se totum ad id studium contulisset (*Lactant. lib.* V *de Justitia cap.* 1). »

Hieronymus vero in suo de Viris Illustribus seu Ecclesiasticis Scriptoribus Catalogo: « Minucius Felix, inquit, Romæ insignis causidicus, scripsit dialogum Christiani et ethnici disputantium (antiquissimus S. Germani a Pratis codex ms. *disputantis*), qui Octavius inscribitur... Meminit hujus Minucii et Lactantius in libris suis » (*Hieronym. de Scriptor. Eccles. cap.* 58), in his scilicet, qui a nobis, uti vides, citati sunt. Ad Magnum vero, hæc adhuc de illo scripsit (*Idem, Epist. ad Magn.*): « Minucius Felix, causidicus Romani fori, in libro, cui titulus Octavius est, et in altero contra Mathematicos, si tamen inscriptio non mentitur auctorem, quid gentilium scripturarum dimisit intactum? » Ad Heliodorum quoque hæc de Nepo-

Digitized by Google

tiano scribit (*Idem, Epist. ad Heliodor.*) : « Illud aiebat Tertulliani... Sic Minucius Felix, ita Victorinus, in hunc modum est locutus Arnobius. » Denique in Apologia adversus Jovinianum (*Idem, Epist.* 30, ad *Pammach. seu Apolog. Adv. Jovin.*) : « Taceo, inquit, de latinis Scriptoribus Tertulliano, Cypriano, Minucio, Victorino, Lactantio, Hilario. »

Longum sane et inutile foret omnia recentiorum scriptorum de hujus libri auctore proferre testimonia. Satis enim constat eum Minucio nostro ab omnibus, nemine reclamante, attribui, ac jure plane merito vindicari.

Ei autem, qui ab aliquibus Minucius littera c, in t mutata, nuncupatur, Marci agnomen erat. Octavius siquidem his cum verbis compellavit : « Non boni viri est, Marce frater, hominem, *etc.* » Cæcilius vero : « Quamquam tibi, Marce frater, *etc.* »

Quam nota autem omnibus, et nobilis fuit consularis apud Romanos Minuciorum familia tam cuilibet hactenus incompertum utrum ex ea, aut qua ex alia suam Minucius noster originem duxerit. Neque ulli magis exploratum quæ fuerit illius patria. Quidam tamen eum ex hujus, de quo agimus, stylo in Africa natum suspicantur. Sed hi nec probant, nec probare possunt aliquid durioris Africani sermonis in eo deprehendi. Numquid potiori jure dici posset Cæcilium et Octavium, tanto amoris vinculo Minucio devinctos, revera Africanos fuisse, ejusque populares ? At sane id, sicut paulo post videbimus, neque ita certum est, neque ex illorum quantavis amicitiæ necessitudine potest ullo absque dubio colligi.

Neminem vero fore putamus, qui negabit Minucium Romæ, quæ tunc cæterarum totius mundi urbium caput erat, diu mansisse, ubi causidici munere fungebatur. Citati quippe a nobis Lactantius atque Hieronymus illud palam aperteque asseverant. Ipsemet vero Minucius hujus libri initio scribit Octavium ad se Romam venisse, atque una cum eo et altero comite paulo post Ostiam petivisse : « Cum ad vindemiam, inquit, feriæ judiciariam curam relaxaverant, » id est, cum a forensi labore, quo per totum annum occupabatur, vindemiarum tempore vacaret. Nonne etiam Octavius de se ipso, et de Minucio, vel potius Minucii tantum nomine dixit : « Nos tamen sacrilegos aliquos, et incestos, parricidas etiam defendendos et tuendos suscipiebamus; hos vero, » scilicet Christianos, « nec audiendos in totum putabamus. » Ex quibus liquet illum, cum ethnicus adhuc esset, causidici obiisse munus.

Nobis autem ipsemet testis est se ab ineunte ætate, et usque ad eam jam satis adultam, omnibus obligatum fuisse gentilium superstitionibus, ac nuntio tandem eis misso, christianam fidem amplexatum. De se siquidem, ac de Octavio hæc scriptis tradidit : « Solus in amoribus conscius ipse, socius in erroribus ; et cum discussa caligine de tenebrarum profundo in lucem sapientiæ et veritatis emergerem, non respuit comitem, sed quod gloriosius est, præcucurrit. » Cælius vero ab ipso orationis suæ exordio, ita eum alloquitur : « Quam tibi, Marce frater, de quo cum maxime quærimus, » id est, de ethnicæ et christianæ religionis veritate, « non sit ambiguum ; ut pote cum diligenter in utroque vivendi genere versatus, repudiaris alterum, alterum comprobaris. » Quin etiam Octavius non tam de ipso fortasse, quemadmodum diximus, quam de Minucio Felice hunc rursus loquitur in modum : « Quam autem iniquum sit de incognitis, » scilicet Christianis, « et inexploratis judicare, quod facitis, nobis ipsis pœnitentibus credite. Et nos enim idem fuimus, et eadem vobiscum quondam adhuc cæci et hebetes sentiebamus, quasi Christiani monstra colerent, infantes vorarent, convivia incesta miscerent. Nec intelligebamus ab his fabulas istas semper ventilari, et numquam vel investigari, vel probari... hos nec audiendos in totum putabamus. Nonnumquam etiam miserantes eorum crudelius sæviebamus, ut torqueremus confitentes ad negandum, videlicet, ne perirent, exserentes in his perversam quæstionem, non quæ verum erueret, sed quæ mendacium cogeret. Et si quis infirmior, malo pressus et victus, Christianum se negasset, favebamus ei, quasi ejerato nomine, jam omnia facta sua illa negatione purgaret. Agnoscitisne eadem nos sensisse et egisse, quæ sentitis et geritis ? »

Sed a nobis fortasse aliquis insuper inquiret, utrum Minucius Felix post datum christianæ fidei nomen, in causidici munere obeundo suam adhuc impenderit operam. Sed is, quæso, animum ad ea advertat, quæ paulo ante observabamus, illum cum Cæcilio et Octavio Ostiam, ubi disputatio, quæ hoc, quo de agimus, libro exhibetur, habita est : tunc venisse, quando, « Ad vindemiam feriæ judiciariam ejus curam relaxaverant. » Atqui tum, uti ex citatis paulo ante Cæcilii verbis ostendimus, Minucius christianam religionem profitebatur. Quapropter ubi Cæcilius obviam Serapidis simulacrum adorasset, tum illico in Minucium sic Octavius invectus est ; « Non boni viri est, Marce frater, hominem domi forisque lateri tuo inhærentem sic in hac imperitiæ vulgaris cæcitate deserere, ut tam luculento die in lapides eum patiaris impingere... cum scias hujus erroris non minorem ad te, quam ad ipsum infamiam redundare. » At ibi Octavius, uti vides, Minucium ideo arguit, quod christianam religionem tunc professus, in eo, quo ad Ostiense littus pergebat, itinere passus fuisset Serapidis simulacrum a Cæcilio individuo sup comite adorari.

Neque id ulli mirum videri debet. Tum enim Christiani nec sua munera, nec dignitates, aut alia officia cum ethnicorum religione deponere consueverant. Sed illi tunc, sicuti diximus, et fusius infra dicemus, per totum terrarum orbem dispersi, atque cum ethnicis permisti, solebant quælibet munia et negotia, solo deorum cultu excepto, cum eis agere. Unde Tertullianus (*Tertull. Apologet. cap.* 37, *pag.* 33) : « Hesterni, inquiebat, sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, muni-

Digitized by Google

cipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum, sola vobis reliquimus templa. » Et infra (*Idem ibid. cap.* 42) : « Itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris, cæterisque commerciis cohabitamus hoc sæculum. Navigamus et nos vobiscum, et vobiscum militamus, et rusticamur, et mercamur; proinde miscemus artes, operas nostras publicamus usui vestro. Quomodo infructuosi videamur negotiis vestris, cum quibus, et de quibus vivimus, non scio. Sed cerémonias tuas non frequento, *etc.* »

Quam pie autem et sancte postea Minucius vixerit, his Eucherius Lugdunensis episcopus docet verbis (*Eucher. Lugdun. epist. ad Valerianum*) : « Et quando clarissimos facundia Firmianum, Minucium, Cyprianum, Hilarium, Joannem, Ambrosium ex illo volumine numerositatis evolvam? Dixerant, credo; Quid hoc est? Surgunt indocti et cœlum rapiunt : et nos cum doctrinis nostris ecce ubi in errore volutamur et sanguine. Dixerant istud; et idcirco ipsi postea vim intulerunt regno. »

ARTICULUS III.

*Qui fuerint Cæcilius, et Octavius, qui in hoc libro disputantes introducuntur.*

Cum hic liber nihil aliud, uti vidimus, contineat præter Cæcilii et Octavii de ethnica et christiana religione disputantium dialogum, a nobis haud dubie aliquis sciscitabitur quinam illi fuerint. Sed huic ingenue respondebimus nihil de iis certius, quam ex hoc libro posse proferri. Cæcilius autem, qui causam orat ethnicorum, ibi alio nomine *Natalis* ab Octavio nuncupatur. « Nec dissimulabo, inquit, principio ita Natalis mei errantem, vagam, lubricam nutasse sententiam.... sed in Natali meo versutiam nolo, non credo, procul ab ejus simplicitate subtilis urbanitas. » Quibus ex verbis præterea colligimus eum virum bonum, rectum, sincerum et simplicis veritatis amicum fuisse.

Neque dubium ulli esse potest, quin ille primum quidem mancipatus fuerit gentilium religioni, quam bona fide, totisque ingenii viribus in hoc libro defendere connitur. Et vero ubi intellexit se per Minucii latus ab Octavio feriri, quia Serapidis simulacrum, more gentilium, uti dictum est, salutaverat, tanto dolore correptus est, ut in hæc eruperit verba : « Jamdudum me Octavii nostri acriter angit et remordet oratio, qua in te invectus, objurgavit negligentiæ, ut me dissimulanter gravius argueret inscientiæ. » Denique ea fuit illius probitas et ingenuitas, isque animi candor, ut Octavii oratione attentissime audita, victum se statim ultroque confessus, pristinos ejuraverit errores, ac christianam fidem amplexus sit.

Eum vero patria Cirtensem, seu Cirta, nobilissimo Numidiæ oppido oriundum, ex his quidam colligi posse putant illius verbis, quibus Frontonem Cirtensem oratorem suum appellat : « Id etiam Cirtensis nostri testatur oratio. » Quod quidem quia verum esse Octavius probe noverat, ipsi ita respondit : « Sic de isto et tuus Fronto, non ut affirmator testimonium fecit, sed convicium ut orator aspersit. » Verumtamen quoniam Cæcilius Frontonem alia de causa suum dicere potuit, quanti hoc argumentum sit ponderis, aliorum esto judicium.

Quidquid porro de illius patria statuatur, scimus sane ipsum Romæ diu, atque in eadem, qua Minucius, habitasse domo. Ibi autem tanta inter utrumque intercesserat amicitiæ necessitudo, ut Cæcilius a Minucii latere numquam discederet. Octavius siquidem aperte declarat eum fuisse « hominem domi forisque lateri » Minucii Felicis « inhærentem. » Quapropter cum Cæcilius Serapidis adorasset effigiem, tunc continuo Octavius Minucium increpando dixit : « Scias hujus erroris non minorem ad te, quam ad ipsum infamiam redundare. »

Cæterum ille philosophus, videtur et Academicorum, qui omnia dubia atque incerta, nihilque se scire asserebant, sectam secutus. Sua enim vero in oratione non alias, quam hujuscemodi academici viri partes agit, uti ab ipso non solum illius exordio, sed fine etiam manifestissime omnibus patet. Quid vero quod ipse eadem oratione probare nititur incertum omnino esse, nec sibi, nec ulli hactenus homini exploratum, utrum unus pluresve sint dii, atque idcirco satius esse in re tam dubia sequi acceptas a majoribus de iisdem diis eorumque cultu traditiones? Sed ubi veritatis lumen ei affulsit, tunc protinus repudiatis, ut vidimus, erroribus pristinis, Deum unum agnovit, crediditque, ac christianam religionem professus est.

Quidam vero ex Lampridii scriptis conflci posse putaverunt hunc Cæcilium natione Afrum, rhetorem professione, ac Diadumeni, qui Macrini filius erat, fuisse præceptorem. Sed hæc opinio nulla prorsus, nec vero quidem simili ratione, immo nec ipso etiam nomine fundatur. Quibus enim Lampridii manuscriptos codices legere licuit, hi Diadumeni magistrum in illis omnibus, neque Cæcilium, neque Cæcilianum, sed Cælianum vocari asseverant. Quod vero alii quidam illum Natalem fuisse suspicantur, qui Severo imperante, Christum confessus, ad Theodotianos hæreticos postea defecit, hi profecto mera ac prorsus debili conjectura, nominis scilicet sola similitudine nituntur.

At vero itaque propius abesse creduntur, qui eum esse censent, qui in Africam reversus, et presbyter deinde creatus, Cyprianum Carthaginensem episcopum ad ipsam christianam religionem adduxit. De illo namque hæc Pontius Diaconus in ejusdem Cypriani vita narrat ( *Pont. Vita Cyprian.*) : « Erat sane illi etiam de nobis contubernium viri justi et laudabilis memoriæ Cæcilii, et ætate tunc et honore presbyteri, qui eum ad agnitionem veræ divinitatis a sæculari errore correxerat. Hunc toto honore atque omni observantia diligebat, obsequenti veneratione suscipiens, non jam ut amicum animæ coæqualem, sed tamquam novæ vitæ parentem. » In

Digitized by Google

tanti autem beneficii memoriam Cyprianus procul dubio cognomen Cæcilii assumpsit. Quid enim, quæso, aliud significant hæc Hieronymi verba (*Hieronym. de Script. Eccles. cap.* 67) : « Exinde suadente presbytero Cæcilio, a quo et cognomentum sortitus est, Christianus factus? » Cæcilius vero vicissim tanto Cyprianum et amore et honore prosecutus est, ut, teste adhuc Pontio, conjugem suam et liberos illi moriens commendaverit. « Demulsus ejus obsequiis, ait Pontius (*Pont. Vit. Cypr.*), in tantum dilectionis immensæ merito provocatus est, ut de sæculo excedens, accersitione jam proxima, commendaret illi conjugem ac liberos suos, et quem fecerat de sectæ communione participem, postmodum faceret pietatis hæredem. » At hunc esse, de quo agimus, Cæcilium inde haud inepte confirmari arbitrantur, quod eadem fuerit hujus et Cypriani ætas, atque eadem, uti apparet, patria, in quam Cæcilius post datum Christi nomen redierat. Huc accedit, quod plura, de quibus nos inferius, hujusce libri fragmenta, totidem verbis transcripsit Cyprianus. Verum etiamsi hisce rationum momentis huic opinioni nihil repugnare probaveris; nemini tamen umquam persuadebis, aliquid prorsus certi et indubitati posse ex eis concludi.

Octavius vero, qui et Januarius a Cæcilio cognominatur, vir fuit, ut ait Minucius, eximius et sanctus, ipsique amicissimus. Et certe tanto uterque in se invicem amore flagrabat, « ut crederes unam, » inquit idem Minucius, « mentem in duobus fuisse divisam. » Uterque etiam, ut annotavimus, causarum fuerat patronus et ethnicus, et ambo simul, ejurato impio gentilium cultu, christianæ religioni initiati sunt. Tunc autem Octavius Minucii fidelissimus, ita enim Minucius ipse loquitur, contubernalis erat, id est, Romæ cum eo commorabatur. Inde postea rediit in patriam, matrimonioque ibi copulatus, plures liberos suscepit. Sed ii adhuc infantibus, et dimidiata verba tentantibus relictis, Romam negotii et visendi Minucii gratia iterum venit, ubi summo cum gaudio ab illo exceptus est. Pietatem vero sanctitatemque ejus satis patefaciunt mentis ardor et studium, quo in gentilium superstitiones raptus, Cæcilium, atque etiam ipsum Minucium, ob adoratam ab illo, sicut vidimus, Serapidis effigiem tam acriter castigavit. Scimus quidem Cypriani tempore quosdam in Africa extitisse episcopos, quorum unus Natalis, alter vero Januarius appellatur. Sed eosdem illos esse, qui in hoc Minucii libro disputant, quicumque dixerint, hi nulla prorsus vel minima ratione fulti, pro libito divinabunt.

Porro autem Minucius hujusce libri initio significare videtur Octavium ex hac vita migravisse, quando hunc illius cum Cæcilio dialogum scriptis tradidit. Quam grata etenim sibi esset illius memoria, quantumque intimis suis sensibus ille inhæreret, ibi explicat, continuoque addit : « Nec immerito discedens vir eximius et sanctus, immensum sui desiderium nobis reliquit. » Verumtamen quia simplici verbo *discedens* utitur, nobis dictu non ita facile videtur, utrum illud de Octavii morte, vel de illius ab ipso et Roma discessu intelligendum sit. Neque tamen ignoramus hæc priori significatu a doctis quibusdam viris explicari, haud dubie quoniam Minucius adjecit : « Immensum sui desiderium nobis reliquit. » At certe utrum de viro sibi conjunctissimo et amicissimo, quocum una ipsi erat mens et anima, quique longo terrarum intervallo jam a se separatus erat, dicere id ille non potuerit, tuum sit, lector erudite, judicium.

Quoquo autem modo res se habeat, non desunt quidam, qui suspicantur Octavium et Cæcilium fictos personatosque esse homines, qui a Minucio nostro in hoc libro disputantes introducuntur. Sed isti quoque nullam omnino conjecturæ suæ proferunt vel levissimam confirmationem. Nescii porro non sumus sæpius a variis scriptoribus, ex quibus hanc auctor noster dialogi formam dubio procul mutuatus est, suis in libris simulatos hujusmodi viros induci. At hujus fictionis aut expressis plerumque verbis lectores ipsi suos admonent, aut id ex eorum sermone facile intelligitur. Contra vero in hoc auctoris nostri libro nihil quidquam occurrit, quo nec veros homines disputasse, nec ea omnia, quæ narrantur, vera esse credamus. Cæterum quidquid ea de re dixeris, integra semper, et ejusdem ponderis erunt Minucii contra gentilium ritus, ac pro christianæ religionis defensione argumenta.

## CAPUT II.

DE HUJUS LIBRI ÆTATE, STYLO, TITULO, ARGUMENTO, DIVISIONIBUS, MANUSCRIPTIS CODICIBUS, ET EDITIONIBUS, DE VARIORUM IN EUM OBSERVATIONIBUS, DE CORRUPTIS LOCIS, ET QUID MINUCIUS EX ALIIS, ET ALIIS EX IPSO DELIBAVERINT.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Quo tempore hic liber editus fuerit.*

Quo tempore illud Cæcilii et Octavii colloquium litteris Minucius mandaverit, in eamque, quam præ se fert, libri formam redegerit, res est inter doctissimos hujus ætatis scriptores controversa. Quidam enim hunc librum a Minucio circa annum Christi 160 scriptum fuisse opinantur. Sed hi nulla alia ducuntur ratione, quam quia in animum sibi induxerunt Frontonem Cirtensem oratorem, quem M. Aurelii imperatoris magistrum dicunt, hoc in libro citari. Sed incertum omnino est an Fronto a Minucio laudatus Aurelii revera fuerit præceptor. Deinde quid prohibet, quominus Fronto, antea mortuus, ab auctore nostro postmodum citari potuerit? Denique Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum (*Hieronym. Catalog.* § 53 et 584) Tertulliano, quem Severo et Caracalla imperantibus regnasse, sicut et alii, perhibet, longe antiquiorem quam Minucio locum assignat.

Quidam e contrario opinati sunt Minucium poste-

Digitized by Google

riorem esse Cypriano, qui anno Christi 258 martyrio vitam finivit. Hieronymus enim, inquiunt, in sua adversus Jovinianum Apologia, sive ad Pammachium Epistola, Minucium nostrum post eumdem Cyprianum nominavit. Inde autem duo confici posse putant, ac primo quidem, ab ipso Minucio, ubi de Christianorum vexatione disputat, ibi excitatam a Decio Imperatore persecutionem indicari : secundo, Minucium hoc in libro plura ex Cypriani delibasse commentationibus.

Verum tota hæc argumentatio in sola nititur Hieronymi Apologia. Sed ibi ille varios Scriptores appellando, temporum non sequitur ordinem. Everso igitur hujus opinionis fundamento, ipsa quoque ruat necesse est. Neque etiam Minucius de persecutione Deciana, sed alia antiquiore loqui videtur. Cyprianus etiam sua a Minucio, potius quam Minucius ab eo haud dubie excerpsit.

Quamobrem alii censent hunc Minucii nostri librum editum fuisse initio tertii Ecclesiæ sæculi, cum post data a Severo imperatore edicta, gentiles in Christianos sæviebant. Nam Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum (*Idem*, *Catalog. Script. Eccles.* § 58 et 59), ubi ordinem temporum accuratius observat, Minucium nostrum posuit proxime ante Caium, ut in omnibus illius Catalogi editionibus, vel proxime post ipsum, ut in vetustissimo codice nostro Sangermanensi, Longobardicis litteris ante mille annos descripto. At in omnibus hujus libri sive editis sive ineditis codicibus Cyprianus longe post utrumque, videlicet post septem alios scriptores, collocatur. Nonne autem inde colligere licet Minucium et Caium fuisse coætaneos, et Cypriano vetustiores? Atqui « Caius sub Zephyrino Romanæ urbis episcopo » inquit idem Hieronymus, « id est, sub Antonino, Severi filio, disputationem adversum Proculum, Montani sectatorem valde insignem habuit. » Prius vero Eusebius semel et iterum dixerat hunc Caium vixisse sub Zephyrini pontificatu (*Eusеb. libr.* II *Histor. Eccles. cap.* 25, *et lib.* VI, *cap.* 20). At hic Romanæ Ecclesiæ ab anno 201 aut 202 præfuisse perhibetur. Severi autem filius, sive Caracalla, cujus Hieronymus mentionem facit, post Severum patrem suum ab anno 211 ad annum 217 imperavit. Nonne autem inde concludi potest Minucii nostri librum editum in lucem fuisse sub Caracallæ imperio, et cum ethnici in Christianos adhuc grassabantur ?

Sed objiciunt eruditi viri Cæcilium exprobravisse Octavio nulla tunc fuisse Christianis templa, nec id utique ab Octavio negatum. Atqui Origenes, inquiunt, in suis, quæ Philippo regnante, hoc est, circa annum 244 composuisse fertur, in Matthæum commentariis (*Origen. Tract. in Matth.* cap. 28), testatum nobis fecit incensas fuisse Christianorum ecclesias. Antea ergo publicis in locis exstructæ fuerant, sed non longum ante tempus, ac dumtaxat cum Alexander Severus, circa annum 222, Romanis imperabat. Nam is, teste Lampridio, « Christo templum facere voluit, eumque inter deos recipere, quod et Adrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus civitatibus sine simulacris jusserat fieri. » (*Lamprid. in Vita Alex. Sev. post med.*) Christiani igitur oblatam sibi Alexandro construendi ecclesias occasionem procul dubio non amiserunt. Sed cur, quæso, datam sibi prius ab Adriano, uti ibidem narrat Lampridius, similem occasionem amisissent? Nutat igitur hæc argumentatio, nihilque ex ea certi omnino confici potest.

Urgent tamen Cæcilium audacter asseruisse Christianos ex ultima face plebis fuisse homines, summisque miseriis ac paupertate ubique oppressos. At hoc dici non potuit, nisi paulo ante imperium Alexandri Severi, cujus palatium Christianis repletum erat, qui vitam procul dubio in summis miseriis ac paupertate non agebant.

Sed hujus argumentationis non majus profecto est pondus et robur. Jam enim audivimus Tertullianum dicentem urbes, castella, forum, senatum, palatium oppleta fuisse Christianis, qui gentilibus nihil aliud, quam falsorum deorum templa reliquerant. Quis autem diffitebitur hos, sicut ethnicos, non omnes sortis infimæ, sed cujuslibet fuisse conditionis ?

Quid vero, quod ipsemet Minucius noster post christianæ religionis professionem non minoris, quam antea conditionis fuit : sed insignis erat, uti supra a nobis observatum, causarum patronus? Quamvis autem Cæcilius, et alii etiam, ut inferius explicabimus, dixerint plures ex Christianis pauperes egenosque fuisse, non negant tamen non paucos ex illis abundasse magnis divitiis ac facultatibus. Quamobrem Octavius Cæcilio, Christianorum paupertatem, ignobilitatem, et humilitatem exprobranti, respondet : « Non de ultima statim plebe consistimus, si honores vestros et purpuras, » quando scilicet christianæ sanctitati repugnabant, recusamus.

Quid ergo, inquiet aliquis, nihilne certi de hujus libri ætate definiri potest? Respondebimus Minucium haud obscure inficiari publicas, cum hæc scriberet, a Christianis ædificatas ecclesias, aut ut ipse loquitur, ulla fuisse templa publica, in quæ palam convenire potuerint. At inde non inepte colligitur hunc librum prius editum fuisse, quam Romanorum imperio potiretur Alexander Severus, cujus palatium, sicuti diximus, plenum erat Christianis, quorum Deo ipse templum construere decreverat. Quo autem potissimum tempore liber ille divulgatus sit, non aliunde certius, sicuti opinamur, colligi potest quam ex citato Hieronymi de Scriptoribus Ecclesiasticis Catalogo. Quamvis enim probaretur non omnes omnino memoratos ab eo scriptores ibi servato ad amussim tempore recenseri ; plures nihilominus a Tertulliano ad Minucium nostrum, et ab eodem Minucio ad Cyprianum enumerantur, quam ut inde concludi haud absurde non possit hunc librum a Minucio editum esse, post Tertulliani et ante Cypriani eodem de argumento lucubrationes (*Hieronym. Catalog. Script. Eccles.* § 53, *pag.* 115 ; § 58, *pag.* 117, *et* § 67, *pag.* 119). Atqui Tertullianus Apologeticum suum,

Digitized by Google

de quo infra disputandum, in lucem protulit circa annum 200 ; Cyprianus vero suum ad Demetrianum circa annum 257 scripsisse perhibetur. Medio igitur intra hos annos intervallo Minucius librum hunc publici juris fecisse dicendus est. Deinde vero si ille revera, sicut paulo ante dicebamus, asserat nullas tunc fuisse publicas Christianorum ecclesias, inde adhuc conficietur hunc librum in vulgus prodiisse ante annum 220, quo Alexander Severus ad imperium evectus est. At hæc porro omnia si secum componantur, nonne probabilius dici potest hunc librum a Minucio editum esse circa annum Christi 217, quo Caracalla occisus fuit vel cum regnaret Heliogabalus, ac per varias Romani imperii tempestates Christiani ab ethnicis impune divexarentur. Nos tamen peritiori non invidemus qui meliora suggesserit.

ARTICULUS II.

*Cujus verbis, quove stylo hic liber compositus sit, quis ejus titulus, quis Minucii Felicis in eo scopus, et utrum ille Christianorum causam plene perfecteque peroraverit.*

Etsi Minucius Felix apertissime declaret editum a se fuisse hunc librum ex instituta, quemadmodum superius dictum est, inter Cæcilium et Octavium disputatione; nemini tamen dubium esse debet, quin eum non tam illorum, quam suis verbis composuerit. Quæ enim ab illis pronuntiata sunt, eo difficilius potuit memoriter retinere, quod non statim, sed elapso quodam tempore, et post Octavii a se discessum in hanc, quam videmus, libri formam se redegisse testificetur. Præterea idem plane est totius hujus libri stylus. Quis autem facile patietur sibi persuaderi Cæcilium et Octavium, ex tempore disputantes, eodem prorsus modo esse locutos? Ad hæc vero idem quoque est in præfatione hujus disputationi, ab ipsomet Minucio præposita, ac toto in libro modus loquendi, eademque dicendi ratio. Sed illum a Minucio confectum ii longe facilius concedent, qui Cæcilium et Octavium personatos homines fuisse arbitrantur.

Omnes porro magno plane consensu, unaque voce fatentur, Minucii in hoc Dialogo dicendi genus esse grave, argutum, elegans, politum, acre, vehemens, pressum, concisum, præclaris gravibusque sententiis passim ubique repletum. In eo etiam elegantes quædam, concinnæ, et ipsa sua brevitate gratissimæ descriptiones occurrunt, atque ea in primis, cunctorum ore celebrata, qua puerorum sese testarum in mare jaculationibus oblectantium ludus describitur.

Nemo est etiam, qui non videat hunc librum duas distinctum esse in partes, quarum prima Cæcilii pro ethnicis, et secunda Octavii pro Christianis orationem complectitur. Verum omnia in eo continenter, et ulla absque sermonis distinctione, cum in codice manuscripto, tum in editis scripta semper fuerunt. In ultima siquidem tantum illius editione quædam textus in capita dividendi notæ seu numeri in marginibus apposita sunt. Sed hæ divisiones sæpius satis accuratæ non videntur. In majus autem legentium commodum totus liber in varia capita potest facile distingui.

Verus autem et genuinus hujus libri titulus est *Octavius*, quem illi ab ipsomet Minucio impositum citati a nobis locupletissimi testes Lactantius et Hieronymus apertissime pronuntiant. Eum autem Minucius ita inscribendo, Platonem, Ciceronemque, et alios imitatus est, qui ejuscemodi libris, in dialogi formam compositis, illius nomen præfixerunt, qui præcipuas in eis agit partes. Talis autem in hoc libro Octavius repræsentatur, qui de suo adversario, nimirum Cæcilio, triumphavit, eoque tandem illum adegit, ut quam impugnabat christianam religionem, veram esse agnosceret, illamque confestim amplexaretur.

Non alius porro Minucii toto hoc in libro scopus, finisque fuit, quam ut falsitatem ethnicæ religionis, et christianæ veritatem demonstraret. Sed quia hæc demonstratio variis argumentis, diversisque modis fieri potest, Minucius in se dumtaxat probandum suscepit falsos commentitiosque esse gentilium deos, impios omnino et absurdos illorum cultus, unum tantummodo esse Deum, ubique præsentem, et omnibus ac singulis providentem; sanctos, illibatosque Christianorum mores et conventus, ethnicos eorum criminum reos esse, quorum falso accusabant Christianos, quosque contra jus omne et fas propter suum solum nomen quolibet dirissimo suppliciorum genere excarnificabant et trucidabant. Quæ quidem ab eo vel argumentis, ut aiunt, ad hominem, hoc est, ethnicorum ipsorummet scriptorum testimonio, vel aliis ab ipsa naturali ratione et æquitate petitis, invictissime probantur.

At si res ita se habeat, qua, inquiet aliquis, ratione Lactantius Minucium nostrum ex his christianæ religionis defensoribus unum esse dicit, qui « defensioni ejus non sufficerunt? » (*Lactant. lib.* v *Divin. Instit. cap.* 1). Cur etiam haud dubitanter asseverat hoc illius opere declarari « quam idoneus veritatis assertor fuisset, si se totum ad id studium contulisset? » Nonne his verbis satis aperte significat hoc argumentum a Minucio, aut levissime, aut animi dumtaxat relaxandi recreandique gratia pertractatum? Minime quidem. Ea quippe disputatio tam serio, tantoque studio ab ipso instituta est, ut illa sola Cæcilius se victum, atque ad gentilium errores ejurandos, amplexandamque christianam religionem coactum fuisse palam professus sit. Nihil itaque aliud sibi Lactantius voluisse videtur, nisi christianæ religionis defensionem hoc Minucii in libro totam, integram, atque omni, qua poterat, parte perfectam et absolutam non exhiberi. Christianæ enimvero religionis veritas variis, uti jam monuimus et omnes ultro fatentur argumentis, quæ sola separataque sufficiunt, demonstrari potest. Minucio itaque nullus vitio umquam jure merito verterit, quod ad funditus evertendos gentilium errores, ad propulsandas illo-

Digitized by Google

rum in Christianos falsissimas criminationes, ac stabiliendam christianæ religionis veritatem, ex pluribus argumentis ea selegerit, quibus hæc satis superque demonstrantur. Ita sane aliqui haud plane ignobiles christianæ religionis defensores, illius veritatem demonstrarunt ex adimpletis divinorum prophetarum oraculis, alii ex Christi discipulorumque ejus miraculis, alii vero aliis argumentis, quæ hic dinumerare nihil necesse est, quis tamen illos suo defensoris munere non rite perfunctos dicere umquam ausus est?

ARTICULUS III.

*De hujus libri manuscriptis codicibus variisque editionibus.*

Unus nobis jam a longo tempore tantum superest hujus libri manuscriptus codex, octingentis abhinc annis eleganti sane charactere, sed ab imperito librario descriptus. Arnobii autem nomine post septem illius adversus gentes libros hoc titulo exhibetur: *Arnobii liber VII explicit: Incipit liber VIII feliciter.* Summus autem Pontifex hunc codicem, Romæ in bibliotheca Vaticana repertum, Francisco primo Galliarum regi cum uno primæ illius editionis exemplari dono dedit: jamque in regia bibliotheca Parisiis olim numero 1344, nunc 3975, notatus asservatur.

Falso hujus codicis titulo deceptus Faustus Sabæus Brixianus, anno 1542 cum Arnobii nomine, et tamquam octavum illius librum typis edi curavit. Elapso inde triennio, hoc est, anno 1545, Sigismundus Gelenius novam hujus libri, eodem titulo et nomine, Basileæ typis Frobenii editionem juris fecit publici.

Eodem postea errore ducti sunt, ii a quibus hic liber eodem modo iterum in Germania excusus, et divulgatus est.

Sic igitur hic liber, Arnobio præpostere ascriptus, tamdiu nemine animadvertente, variis in mundi partibus, Italia, Gallia, Germania volutabatur. Omnes quoque alios etiam doctiores homines hic error adeo invaserat, ut Erasmus ipse, in legendis sanctorum Ecclesiæ Patrum libris exercitatus, verum Minucii *Octavium* non amplius exstare asseruerit. Sed si attentiori ille animo et hunc auctoris nostri, atque alios Arnobii libros legisset, non minus ipsi, quam olim Nepotiano, ut Hieronymus testatur (*Hieronym. epist.* 35, *ad Heliod. p.* 271), facile promtumque fuisset, diversam plane utriusque discernere dicendi rationem. Et vero, quid Erasmo cæterisque omnibus facilius, quam hunc librum volvendo, confestim deprehendere Arnobii libros non in dialogi formam, sicut hic Minucii *Octavius*, styloque longe diverso esse compositos.

At optime quidem id intellexit Franciscus Balduinus, atque hac ipsa de causa, Lactantii, Hieronymique, quos supra citavimus, auctoritate fretus, *Octavium* hunc genuino suo parenti Minucio Felici restituit. Quamobrem anno 1560 illum, ipso Minucii nomine inscriptum, curavit Heidelbergæ typis Ludovici Lucii excudi.

Tredecim tamen postea annis, nimirum anno 1583, nova hujus libri cum septem Arnobianis editio a Fulvio Ursino Romæ adornata est, in qua ille ab his ita sejunctus fuit, tamquam Ursinus id fecisset omnium primus, nec ullus de hoc Minucii libro ab Arnobianis sejungendo hactenus cogitasset. Sed Balduini editionem si viderat, bonam illius fidem; si non noverat, diligentiam haud plane immerito desiderabis.

Deinceps vero a cæteris omnibus hic liber Minucii nomine editus est. Nam posthæc studio et cura Johannis a Wower Basileæ ex Frobenii typographia anno 1603 prodiit. Nos autem ille admonet se Minuciani textus errata correxisse ex illa Fulvii Ursini editione, atque ex alio quodam libro, cujus margini variantes lectiones ex manuscripto regio, atque aliis ex libris Petrus Daniel collegerat.

Hamburgi vero semel et iterum annis 1610 et 1612 idem ille Minucii nostri liber ab Gebharto Elmenhorstio cum septem Arnobii libris publicatus fuit.

Simili quoque modo alia illius editio Parisiis anno 1613 a Desiderio Heraldo, sed ullis absque in Octavium observationibus, uti mox dicetur, adornata, in publicam lucem emissa est.

Aliam hujus libri editionem, ab Oxoniensium typographorum officina profectam, sed ab aliis parum discrepantem nobis indicat Ouzelius.

Postea vero Nicolaus Rigaltius illum ad codicis Regii fidem denuo castigatum, variisque in locis, ut ipse ait, correctum et emendatum Lutetiæ Parisiorum apud viduam Mathurini Dupuis protulit in vulgus. Et certe in hoc regio codice manuscripto deprehendimus Rigaltii notas, quibus Minucii verba separavit correxitque, ac varias interpunctiones, quibus commata et phrases credidit esse distinguenda. Ex hac autem editione idem liber Amstelodami anno 1645, et inter Cypriani Opera anno 1666 postmodum excusus est. Verum editio a Rigaltio adornata plurium vituperationem effugere non potuit.

Quamvis enim Jacobus Ouzelius non minimis illam extollat laudibus; aliam tamen, uti putabat, meliorem ipse adhuc adolescens anno 1652 Lugduni Batavorum apud Johannem le Maire promulgavit. Nam in illius præfatione monitum lectorem facit se auctoris verba, ab aliis ex regio codice recte emendata, retinuisse, alias vulgatam prætulisse lectionem. Conjecturas vero suas, easque, ut ipse ait, certissimas semel tantum aut bis Minuciano inseruit textui, cæteras suis commisit animadversionibus. Denique plurima in prava verborum interpunctione ac distinctione se immutasse testificatur.

Ea autem Ouzelii editio recusa est in officinà Hackiana Lugduni Batavorum anno 1672; sed quo auctore, cujusve studio et labore, penitus tacetur.

Digitized by Google

Brevi etenim tantum monito declarant typographi, A se dubios anxiosque hæsisse, cujus potissimum scriptoris opera novis typis cuderint, doctorum tandem virorum consilio hunc edidisse Minucii Felicis Octavium, omnibus, uti aiunt, numeris suis absolutum, ac quibuslibet variorum, quæ hactenus prodierant, notis et animadversionibus illustratum.

At Gronovio, sicuti paulo post dicetur, longe aliter visum est. Nullam enimvero esse putat, hac ipsa propter easdem Ouzelii notas pejorem minusque probandam. Porro autem tametsi illa elegantioribus, quam cæteræ omnes, typis excusa videatur, plura nihilominus ac potissimum in observationibus et notis, ubi auctorum libri citantur, typographorum errata deprehendimus. Quod quidem idcirco monendum esse duximus, ne quis in posterum, iis non satis diligenter examinatis, in errorem inducatur. B

Aliam præterea hujusce Minuciani libri editionem Christophorus Cellarius in christianæ juventutis gratiam curavit, Hallæ anno 1699, perfici. Hæc enim illius, utinam et omnium, fuit sententia, optimos latinitatis auctores, Ciceronem, aliosque, qui nihil nisi pudicum et honestum exhibent, ab adolescentibus christianis legendos sane, sed iis conjungendos christianæ Ecclesiæ antiquissimos et purioris latinitatis scriptores. Persuasum siquidem ille nec immerito habuit, hac lectione adolescentes posse latini sermonis nitore et elegantia, ac fidei nostræ documentis, morum sanctitate, ac historia ecclesiastica simul imbui et informari. C

Denique hic liber anno 1709 Lugduni Batavorum « ex recensione Jacobi Gronovii » typis mandatus est. Quibus autem rationibus ad eum rursus publicandum adductus fuerit, sic ille ab ipso præfationis suæ exordio explicat: « Repetenda erat in hac urbe editio M. Minucii Felicis, cum vario sermone ad librariorum notitiam venit mea frequens hujus libelli commendatio, et olim ac semper lectio, ut fieri nequiret, quin iretur ad me. » Multis itaque nominibus ei procul dubio obstricta est litteratorum respublica, quod suam hisce librariis, seu potius typographis, non negaverit operam. Sine ea enimvero actum erat de nova *Octavii* editione, aut minus doctis manibus inquinata potius, quam D repurgata prodiisset.

Omnes vero vituperat superiores hujus libri editiones, nullamque esse asserit, in qua plura non desiderentur. At illas in primis infamare conatur, quæ annis 1645, 1652, et 1672, a Rigaltio et Ouzelio concinnatæ sunt. Nihil tamen aliud reprehendit, nisi quod vulgatæ in iis annotationes « sint nimis, inquit, copiosæ et loquaces, aut nimis paucæ. » Longioribus quippe non solum obscuratur et evanescit tota Minuciani sermonis venustas, sed ejus etiam textus, in illis mersus, magno sine tædio vix a quoquam perlegi potest. Plura insuper loca superesse putat quæ tametsi correctione indigeant, ab earum tamen animadversionum scriptoribus intacta omnino, ac prætermissa fuerunt.

At certe non alio Gronovius animo harum aliarumque editionum vitia exaggerare videtur, nisi ut unicuique persuadeat suam cæteris aliis esse præstantiorem, omnibusque numeris absolutam. Verumtamen quæ in Minucii nostri textu mendis adhuc pluribus fœdata, aut obscuriora esse censet, hæc nullius manuscripti codicis auctoritate, sed suis tantummodo, vel aliorum conjecturis enucleare, vel quod rarius est, emendare connititur. Quanti porro hæ conjecturæ sint momenti, infra suo loco ostendemus. palamque mox faciemus illum suis in notis in eadem incidisse vitia, quæ in aliis tanta confidentia redarguere ausus est.

Observandum adhuc est quasdam ex hactenus recensitis hujusce Minuciani libri editionibus non semel, sed secundo, tertio, atque etiam amplius typis excusas fuisse. Sed quia nihil eis novi accessit, illas hic annumerare et recensere parum utile, aut potius plane supervacuum nobis videtur.

### ARTICULUS IV.

### *De variorum in hunc librum notis et animadversionibus.*

Ex iis omnibus, quorum opera hunc librum typis editum diximus, pauci sunt, qui multas in eum notas et observationes non publicaverint. Quæ itaque, qualesve ac cujus generis sint, jam a nobis explicandum est. Primo quidem Joannes Meursius nonnullas in hunc Octavium protulit, quas in quodam opusculo, *Hypocriticus Minucianus, sive Criticus subsecivus*, inscripto, excusas habemus. In iis autem nonnulla auctoris nostri, quæ corrupta ipsi videbantur, loca conjecturis suis corrigere, sed sæpe sæpius minus feliciter et apposite conatus est. Alia vero quædam pauca aliorum scriptorum verbis explicat et interpretatur.

Franciscus autem Balduinus in suis in hunc librum Prolegomenis, postquam illum Minucio Felici vindicavit, quædam de ejus ætate, familia, patria, professione, causidicis, Romanoque foro præfatur. Tum deinde disserit de hujus libri stylo, argumento, varia Cæcilii Octaviique disputandi ratione, ac plura hujus disputationis capita breviter exponit. Ea autem ex aliis quibusdam scriptoribus, ac potissimum ex christianæ religionis defensoribus, Justino martyre, Athenagora, Theophilo Antiocheno, Clemente Alexandrino, Arnobio, Lactantio, Ambrosio, Augustino confirmat; sed nullibi fere indicat quibus in libris, vel qua librorum in parte hæc quæ citavit loca reperiantur. Denique ad præfationis calcem Christianos ad venerandæ cohortatur antiquitatis ecclesiasticæ studium.

Wowerus vero in suis notis brevitati satis consuluit. His autem vel textus menda corrigere nititur, vel Minucii Felicis verba ac dicta quibusdam aliorum scriptorum testimoniis explicare aut



Digitized by Google

confirmare. Verum majorem in iis citandis jure certe merito diligentiam ab ipso requiras. Nam alicubi appellat tantum scriptoris nomen, sed illius librum, vel libri locum, ubi citata ab illo verba occurrant, indicare non curat. Quod quidem ab eo in primis factitatum animadvertimus, ubi ad Tertulliani libros atque in primis illius Apologeticum nos mittit. Aliquando etiam vagatur extra propositum. Exemplo sit ille locus, ubi Octavius a Cæcilio « pistorum præcipuus, » non sine convicio appellatur. Ibi enim Wowerus multa, quæ ad auctoris propositum nihil penitus faciunt, perperam congessit.

Elmenhorstii autem notæ Wowerianis prolixiores sunt, atque in iis multo accuratius quam Wowerus annotat auctorum a se citatorum loca. Frustra tamen quidquam in tam longis observationibus quæres, quod ad Minuciani textus integritatem aut emendationem pertineat; nam in illis eo tantum collineat, ut plura quæ ab auctore dicta sunt, aliorum testimoniis asserantur, et stabiliantur. Demum nos aliquando ad suas mittit in Arnobii, aut Woweri in hunc Minucii nostri librum animadversiones. Omnes porro illas Elmenhorstii notas Gronovius solito more suo contemnit, verumque illud esse asseverat, quod de iis a Scaligero antea fuerat pronuntiatum (*Scaliger. Epist.* 260 *et* 261).

Quæ vero ab Heraldo profectæ sunt, in plerisque illis de emendato, manuscripti regii auctoritate, auctoris nostri textu, vel de eo conjecturis suis corrigendo disputat. In aliis vero nos ille vel ad suas remittit notas in Arnobii libros, vel Tertulliani Apologeticum, cujus tamen vix ulla ullibi citat capita. In cæteris tandem notis sententias Minucii ex aliis scriptoribus confirmare conatur. Sed illæ primam hujus libri partem, nimirum Cæcilii sermonem, et illius in Christianos calumnias magis spectant. Paucissimæ autem ejusmodi sunt in Octavii responsionem, et in rejectos atque exagitatos ab illo impios ethnicorum ritus.

Quibusdam autem observationes Rigaltii in hunc librum eruditæ nec parum curiosæ videntur. Ut enim alios omittamus, Ouzelius in sua ad eum librum præfatione fatetur multa in eis præclara inveniri, et plus cæteris omnibus ab illo restitutam *Octavio* sanitatem. Rigaltium tamen propterea arguit, quod conjecturis suis nimium indulgeat, easque Minucii verbis intermiscendo, illum ea loquentem faciat, quæ in mentem ipsi non venerant. Gronovio autem si credas, hæc Minucii Felicis disputatio merebatur, « ut procederet reverentius, et acrius expolita ac meliore in lumine posita, » quam in illa Rigaltii editione.

At certe quisquis hujus observationes legerit, is manifesto comperiet, in illis emendati textus rationem aliquando afferri, aliqua obscuriora verba explanari, ac plura Minucii loca aliorum auctorum firmari auctoritate. Non minus tamen clare perspiciet horum sæpe nec libros, nec librorum capita, sed solum nomen citari. Multa quoque deprehendet ab illo omnino prætermissa, quæ non minus, quam cætera, explanatione aliqua egere videantur. Postremo quilibet ex postea dicendis agnoscere poterit, quam levibus sæpe conjecturis textum Minucii emendare voluerit.

Quamvis longissimæ profecto sint Ouzelii in hunc librum animadversiones, eas tamen a se « juvenilibus annis, » ac « currente prælo » compositas fatetur. Ad hæc vero declarat in iis se ab aliorum tametsi doctissimorum virorum sententia nonnunquam, sed citra contumeliam, discessisse. Verum eas prolixiores esse nemo sane negaverit. Sæpe enim a proposito auctoris textu prorsus digreditur, et plura, quæ ad illum nihil penitus faciunt, ad nauseam usque congerit. Visne quædam harumce digressionum tibi proferri exempla? Vide, quæso, quantum a proposito aliena sint, quæ ad Minucii de lapidibus effigiatis et unctis sermonem explicandum retulit, de idolis in Meccano Turcarum templo constitutis? Quid vero ad Minucii propositum conducit longior Ouzelii disquisitio de opera a Romanis in delubris dedicandis, vel ab aliis quibusdam in observandis auguriis data, ac de primo auguriorum inventore, et de delubri etymologia? Ut quid etiam ille, oblata sibi de deorum tantum natalibus dicendi occasione, ad explanandos hominum tam principum, quam privatorum, atque etiam urbium natales dies, variosque eorum celebrandorum ritus, perquam longissime excurrit? Nec minores sunt illius digressiones de Mercurii nomine et officiis, ubi a Minucio simpliciter dicitur pedibus alatis depictus: de sternutatione, ubi Socratis dæmonium commemoratur; atque ut alia hinc multa prætermittamus, de cane aliisque animalibus quæ Ægyptii colebant, quorum Minucius nullam fecerat mentionem. Sed hæc fortasse quibusdam videbuntur facilius condonanda adolescenti, qui cum vanam eruditionem suam ostentare vellet, observationes suas, « prælo, » ut ipse ait, « currente » editas, non potuit facere breviores. Sed nullam tamen Gronovius ei veniam dare potuit. Nam illum appellat virum ferum et ferreum, ac commentatorem impium, qui falso venditat animadversiones sibi fuisse « prælo currente » natas. Scelestum enimvero, inquit ille, suut receptaculum, quo sua condidit furta, quæ diris potius debebantur, nisi aliqua ex sui ipsiusmet Gronovii patre, Boxhornio, Vossio et Elia Schevio accepisset. Sed quis non fatebitur graviorem, et viri magis feri ac ferrei, quam æqui judicis hanc esse censuram.

Cellarius vero tria in suis notis se præstitisse significat. Primo redditam textus a se emendati rationem. Secundo historias et fabulas, si quæ obscuriores sunt, illustrari, ac tandem latina Minucii verba, si quando minus usitata aut difficiliora occurrant, clarius enucleari. At in his animadversionibus, aut plura ab aliis dicta repetit, aut multa tacita relinquit, quæ nihil cæteris minus expositione indigebant.

Præterea Jacobus Gronovius hanc omnium, de quibus hactenus egimus, notarum animadversionumque collectionem nihil aliud esse asserit, nisi indigestam

Digitized by Google

molem, colluviem infinitam, atque insanas a Minucii textu digressiones. At certe quamvis fateatur absurda illa et inutili animadversionum luxurie eumdem Minucii textum omnino præpostere obrui ac submergi, plura tamen in eis omissa fuisse deplorat, quibus Salmasius, Brummerus, Ernestius, ac potissimum Johannes Pricæus alienis in locis, obscura quædam auctoris nostri loca emendare aut enucleare tentaverunt.

Quamobrem is ipse Gronovius, in sua hujus libri omnium ultima editione, superioribus illis observationibus, si quasdam Ouzelii exceperis, has Salmasii aliorumque, et suas adjecit. Verum in easdem, quas in aliis tanta confidentia condemnat, aberrationes imprudenter omnino dilabitur. Longioribus etenim ipsius aliorumque, quas transcripsit, annotationibus, textus Minucii longe magis quam in superioribus editionibus plane mergitur. Plures siquidem videre est paginas, in quibus nullum exstat Minucii verbum; in aliis vero una tantum, aut duæ vel tres, in cæteris paucissimæ ipsius textus lineæ. Quis igitur diffitebitur ipsum Ouzelium, cujus notas Gronovius tanto despicatui ducendas arbitratur, longe fuisse prudentiorem, qui sua in editione totum integrumque Minucii textum repræsentat, omnesque suas animadversiones ad illius calcem rejecit?

Quanti autem momenti, et quanto cæteris præstantiores sint ejusdem Gronovii notæ, si scire aveas, id tibi quibusdam exemplis patefaciendum est. Primum itaque annotat his Minucii verbis: « In præterita redire, » efficacissimam exhiberi veræ jucunditatis, præteritis gaudiis perceptæ, descriptionem. Quod quidem ille Tullii et Vespasiani exemplis, nihil magis, quam alia innumera, ad propositum facientibus, probare conatur. Tunc continuo sic prosequitur: « Certe quod hic oculi, in aliis potest efficere cogitatio; immo ne vivam, si non hæc felicitas me per annos meos comitetur; ut et domestica me felicitas consoletur, et Cantabrigiæ vivam cum Jo. Pearsonio, Lutetiæ cum Henr. Valesio, Florentiæ cum Ant. Magliabequio, viris ab ommi doctrinæ laude beatissimis in æternum. » Papæ, quam præclara, quam erudita, quam necessaria erat hæc observatio! Quis umquam, ea prætermissa, Minucium clare omnino et perspicue loquentem audire potuisset?

Ubi vero Cæcilius dixit « nebulas semper adolescere, » ibi plura de græcis nominibus ἀντίλη et νῖφος ideo congerit, non ut auctoris sui textum explicet, sed ut Pricæum, et Gallicum hujus libri interpretem redarguat.

Sed longius adhuc postea evagatur, ubi Cæcilius Christianis objecit nullum ex inferis vel Protesilai sorte remeasse, « horarum saltem permisso commeatu. » Primum enim nos ille admonet nihil hac latina enuntiatione esse aut venustius, aut quod ipsi magis placuerit. Deinde vero fuse lateque probat, hoc solo et eleganti genitivo « horarum » significari exiguam temporis partem, quæ non ultra unum diem processerit. Quis umquam, amabo te, nisi monente Gronovio, id animo percepisset? Denique Janum Brouxhusium, qui ante vocem « horarum » scribi voluit « paucarum, » acriter castigat, additque se ab illo omni mendaciorum calumniarumque genere vexatum. Siccine ergo ei potius, quam aliis, fas fuit notis longioribus non solum digredi ab auctoris sui proposito, sed privatas quoque injurias ulcisci?

Sed agedum, quis in hujus libri editionibus animadversionem aliquam protulit ea longiorem, quæ ab illo scripta est in hæc pauca Minucii de Dianæ simulacro verba: « Mammis multis, et verubus exstructa? Sex enim illius libri et amplius hæc nota paginas implet, et integra ibi Holstenii Epistola, haud semel edita, transcribitur. Nonne poterat eam, si necesse esset, aut in libri calcem amandare, aut ex illa quemadmodum ex Woweri, Elmenhorstii, aliorumque observationibus, quædam delibare, quæ ad auctoris nostri explicationem magis conducebant.

Verum et nos ipsi longiores utique essemus, si alias Gronovii his similes notas singillatim recensere vellemus, atque illas in primis, quibus recentioris cujusdam scriptoris testimonia gallico idiomate scripta interserit, atque Ouzelii furta et compilationes passim ubique indicat. Quasi vero, his prætermissis, textus Minucii intelligi non potuerit?

Neque tamen ii sumus, qui aliorum omnium, sicuti Gronovius, notas et animadversiones adspernemur, aut prorsus explodendas esse censeamus. Fatendum enim est variam in eis cum ipsiusmet Gronovii, tum aliorum eruditionem identidem deprehendi, iisque explicari nonnullos Minucii obscuriores loquendi modos, ac verba quædam a librario fœde corrupta. Sed alia adhuc supersunt, quæ medicam manum postulant, et quæ explicatione egere nemo sane negaverit. Nova ergo hujus libri editio cæteris magis accurata et perfecta, ab aliquo erudito sinceroque veritatis amatore, nec partibus suis nimium studenti, adornari procul dubio potest.

### ARTICULUS V.

### *De corruptis aut corruptionis suspectis quibusdam hujus libri locis.*

Cum unus tantum nobis supersit hujus libri manuscriptus codex regius, non mirum sane, si in auctoris textu varia occurrant imperiti et latine nescientis librarii errata, quæ tot scholiorum notarumque editores vel intacta præteriere, vel conjecturis aut parum certis aut falsis emendare conati sunt. De his itaque locis corruptis aut corruptionis suspectis, præter ea, quæ inferius, ubi occasio opportunior se dederit, dicentur, hic aliquid promendum, et medica, si fieri possit, manus eis adhibenda.

Primum igitur suspicabatur Meursius, in hoc Octavii loco, ubi Minucius dixit: « Cum diluculo ad mare inambulando, etc. » Cæcilii aliorum comitis nomen omissum. Sed perperam. Nam mox eum Minucius nomine suo appellat; et paulo post Octavius illum vocat « hominem domi forisque » Minucii « la-

Digitized by Google

teri inhærentem. » At inde satis liquet priori loco facile Cæcilii nomen ab omnibus posse suppleri.

Observavit Rigaltius Minucium, de fluctibus maris disserentem, dixisse: « Crispis torosisque ibidem erroribus delectati. » Verum in manuscripto codice regio prima prioris nominis *crispis* littera C, correcta fuit, et alia quæ hanc præcedebat, deleta videtur, quemadmodum et illa quæ in voce *torosis* media erat. Quamobrem quidam ibi legendum putarunt *tortuosis;* alii bene a librario correctum *torosis*. Quæ quidem lectio probatur Rigaltio. Nam *venarum*, inquit, *toros medici dixere, et jubarum toros poetæ*. Sed magis ad Minucii propositum citare poterat hunc Virgilii versum:

Riparumque toros, et prata recentia rivis
Incolimus.
(Virgil. l. VI *Æneid.* v. 674.)

Postea vero in codice regio legimus: « Facilius in contubernalibus disputare, quam conserere sapientium modo in istis, etc. » Quæ quidem depravata pluribus apparent. Quamobrem aliqui opinati sunt legendum, « quam conserere sapienti manum: » alii vero « quam conserere sapientium modo, » id est, sicut sapientes inter se colloqui et disputare solent. At quia hoc verbum « conserere, » solum, ac sine addito aliquo nomine, puta *manum*, *pugnam*, *bellum*, aut quid simile, vix umquam a bonis scriptoribus adhibetur, nihil procul dubio certi, sine alterius manuscripti codicis auxilio definiri potest.

Paulo post Cæcilius a Minucio petit, ut in sua cum Octavio disputatione libram teneat æquissimi judicis. « Ac mihi quasi ignarus, » ita eum alloquitur: « partis utriusque considas. » Verum Onzelius contra codicis regii fidem ibi, sicut in Oxoniensi editione, corrigendum censet: « Mihi.... confidas; » quandoquidem grammaticis dictu inusitatum est: « Judex mihi confidas. » At nonne apud Virgilium sæpe legitur arvis, mensis, transtris considere? Cur ergo fas Minucio non fuit scribere: « Judex mihi considas; » cum a Cicerone etiam aliisque politissimis scriptoribus dictum fuerit, « Mihi assidet, Jovi assidet. »

Quod insuper in manuscripto codice scriptum est: « Quæ supra nos, cœlo suspensa, sublata sunt, » erroris suspectum quibusdam videtur. Pro *sublata* igitur restituendum putant sublimata; quod quidem ut confirmet Rigaltius, citat hæc libri cujusdam, præpostere Ambrosio adscripti, verba, « Quoniam esset hoc cœlum omne, quod cernimus, ardua sublimitate suspensum (*Lib. de Salomone append.*). » Sed potiori jure pro manuscripti regii lectione possumus verum laudare Ciceronem, qui contra Rullum pro lege Agraria dixit: « Romam in montibus positam et convallibus cœnaculis sublatam atque suspensam (*Cicer. Orat.* 2, *pro lege Agrar. pag.* 309). »

In nonnullis editionibus hæc verba legere est: « Licet terram fundaverint pondera. » In aliis vero: « Licet terram fundaverit pondus. » Sed meris conjecturis immutari non debuit hæc codicis manuscripti lectio: « Licet terram fundaverit pondere, » Nam ibi A subaudiri debent hæc duo verba, « sua materia, » atque ex his suppleri, quæ illa sic antecedunt: « Cœlum licet suspenderit sua materia, licet terram fundaverit pondere: » id est, cœlum materia sua suspenderit, et terram sua quoque materia, quæ crassa et ponderosa est, pondere fundaverit.

Corruptissimus vero est hic locus, in manuscripto regio codice ita descriptus: « At etiam χρῖani quantă nră, quæ portenta confingunt? » Quid enim hæc verba significent, dictu difficillimum. Rigaltius autem ea sic reddidit: « At etiam Christiani qua in tam nostra, quæ portenta confingunt? » eaque ab ipso sic explicantur: « Christiani qua sunt in urbes Italiæ, in populi Romani provincias, in tam nostra diffusi, quæ portenta confingunt? » Verum hanc lectionem et conjecturam B nemo secutus est. Quamobrem alii omnes emendari voluerunt: « Quænam monstra, quæ portenta confingunt? » Et hæc quidem superioribus et subsequentibus magis conveniunt verbis. Sed quid definire audeas, ubi unicus est manuscriptus codex, isque plane corruptus, nisi alium meliorem inveneris?

Ubi vero Minucius ex creaturis Deum creatorem existere ostendit, ibi dixit: « Hyberna olivitas necessaria. » Sed quorsum hæc ad Minucii institutum, inquit Rigaltius? Plerisque enim in regionibus olivæ non proveniunt. Melius, pergit ille, scribi debuit « hyberna uligo, » qua humus hyeme, velut olivo perfusa, quiescit. At satis ille non animadvertit quod apud Columellam legimus: « Media est olivitas plerumque initium mensis Decembris; nam et ante hoc C tempus acerbum oleum conficitur (*Colum. lib.* XII, *cap.* 50. *init. pag.* 481). » Quamvis autem id aliquibus tantum in regionibus contingat, hæc nihilominus Columellæ verba ad auctoris nostri probandam lectionem plane sufficiebant. Si enim olivitas est mense Decembri, nonne hyberna dici potuit? Ad hæc vero Cicero ex vitibus et olivetis, quæ non in omnibus terræ partibus crescunt, eodem plane, quo Minucius modo argumentatur (*Cic. lib.* II *de Nat. Deor. pag.* 238, *lin.* 16). » At Gronovius ariolatur ab eodem Minucio scriptum fuisse *hyberni*, id est hyemis *olivitas;* sed futili prorsus vanaque, ac contra manuscripti codicis fidem conjectura.

Post hæc in editis legimus hæc Octavii verba: « Aves sine patrimonio vivunt, et in diem pecua pascuntur. » D At in codice regio scriptum est « pascua pascuntur. » Quæ certe auctoris lectio non debuit tanta facilitate immutari. Pascua enim sunt loca, in quibus pecudes pascuntur. Cur ergo ab Octavio dici non potuit, « pascua pascuntur, » quemadmodum a Virgilio:

Pascuntur vero sylvas et summa Lycæi.
(*Virgil. lib.* III *Georg.* v. 314.)

Tam obscurus adhuc quam depravatus est hic locus, quem manuscriptus codex sic exhibet: « In hoc adeo quidam imperiis ac dominationibus eriguntur, ut ingenium eorum perditæ mentis licentiæ potestatis libere nundinentur. » Hæc autem cum ullum vix sensum habere viderentur, sic in editis emendata sunt: « In hoc adeo quidam imperiis ac dominationibus

Digitized by Google

eriguntur, ut ingenium eorum perditæ mentes licentia potestatis libere nundinentur. » Rigaltius autem, « perditæ mentes, » idem significare censet, atque calumniatores, adulatores, et hujusmodi alias generis humani pestes. Nec plura quidem ille ibi observat. Minucii porro verba, sic correcta, hunc efficiunt sensum: Adulatores, vel calumniatores ingenium principum et regum, licentia potestatis, quam in eos habent, libere nundinantur. Alii vero legendum mallent: « Ut ingenium eorum perditæ mentis licentiam potestatis libere nundinetur: » id est, ideo evehuntur, ut ingenium perditæ eorum mentis nundinetur potestatis liberæ licentiam. Gronovius tandem, retentis vocibus « licentia, et liberæ potestatis, » totum hunc locum sic explicat: Dominationes et imperia nundinantur eorum ingenium perditæ mentis, licentia liberæ potestatis. Sed quis asseverare audeat tanta perspicuitate et elegantia ubique loquentem Minucium, in tantam prolapsum esse sermonis obscuritatem? Satius igitur est ad hunc locum sanandum melioris notæ codicis opem expectare, quam vanis levibusque indulgere conjecturis.

Tum deinde continenter Octavius: « Absque notitia Dei, inquit, quæ potest esse solida felicitas, cum mors sit somnio similis? Antequam teneatur, elabitur. » Suspicantur quidam ibi vocem, *mors*, esse supervacaneam. Alii pro ea nomen *res* substitui volunt. At prudenter nihil in textu mutatum. Satis enim planus ac perspicuus est hic auctoris nostri sensus: Absque Dei notitia non potest esse solida felicitas, sed fluxa tantum et vana; quandoquidem hæc felicitas mors est, quam somnio, sive somno similem apud Xenophontem Cyrus dicebat: ἡγιὺτερον μὲν τῷ ἀνθρωπίνῳ θανάτῳ οὐδὲν ἐστιν ὕπνου (*Xenoph. lib.* VIII *de Expedit. Cyr. pag.* 237).

Suspectus tandem quibusdam fortassis erit unus ex his duobus locis, quorum prior libri initio sic habetur: « Itaque cum diluculo inambulando littore pergeremus, etc. » Quibus verbis Minucius significat, se summo mane cum duobus sociis suis ad mare inambulando perrexisse, ac post non longam deambulationem, omnes ad disputandum in eodem consedisse loco. Alter vero locus, qui huic repugnare videtur, in libri fine sic habetur: « Etiam nunc tamen aliqua consubsidunt..... de quibus crastino; quod jam sol occasui declivis est. » Numquid enim, inquiet aliquis, Cæcilii Octaviique ambulatio, ac disputatio, quæ hoc parvo Minucii libro continetur, per totam duraverunt diem? Numquid præter hanc disputationem, et haud longam deambulationem, nihil aliud Minucius cum sociis egit, omnesque pariter totam diem aut ambulantes, aut disputantes, atque impransi et jejuni transegere? Delenda itaque, forsitan, ultima loci hujus posterioris verba, vel in priore, vox *diluculo*.

Sed hoc dicendi genus ad juris, ut aiunt, apices non prorsus accipiendum est. Minucius siquidem non omnia scripto tradidit, quæ eo die ab ipso sociisque suis acta sunt. Et vero, cum ille hanc disputationem alio, quam habita est, tempore se conscripsisse testetur; ea tantum quæ ad illam faciebant, cæteris prætermissis, putavit esse narranda. Denique Tertullianus simili Christianum inter et proselytum Judæum disputatione totum diem ad vesperam usque insumptum fuisse his primis libri sui adversus Judæos verbis aperte declarat: « Proxime accidit, disputatio habita est Christiano et proselyto Judæo. Alternis vicibus contentioso fune uterque diem in vesperam traxerunt (*Tertull. lib. advers. Judæos, cap.* 2). » Nemo tamen inde aut contra hujus textus sinceritatem, aut contra disputationis veritatem argumentari umquam ausus est. Si quæ porro alia sint depravata Minucii verba, aut corruptionis suspecta, de iis ubi occasio se offeret, infra disputabimus.

### ARTICULUS VI.

*Quid Minucius ex aliis scriptoribus Cicerone, Seneca, Tertulliano, ac vicissim ex hoc ejusdem Minucii libro Cyprianus aliique delibaverint.*

Quemadmodum plura in hoc Minucii libro ex aliis scriptoribus, puta Cicerone, Seneca, et Tertulliano delibata; ita etiam multa ex illo a Cypriano totidem verbis, in suum præsertim *de Idolorum Vanitate* librum, translata animadvertimus. Nonnulla vero ex illis nunc seligemus; cætera ne eadem repetantur suis locis, ubi quæ Minucius docet, excutienda erunt, commodius reservaturi.

Primum itaque Minucius unum Deum revera existere hoc probat argumento: « Quid potest esse tam apertum, tam confessum, tamque perspicuum, cum oculos in cœlum suspexeris, et quæ sunt infra circaque lustraveris, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur? » Cicero autem idem argumentum eodem plane modo, sed brevius, sic urget: « Quid potest esse tam apertum tamque perspicuum, cum cœlum suspeximus, cœlestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo hæc reguntur (*Cicer. lib.* II *de Nat. Deor. init. pag.* 214, *lin.* 10)? » Videsne pleraque eadem Ciceronis verba, quæ ab Minucio amplificata sunt?

Tum deinde Minucius: « Relinquenda vero astrologis prolixior de sideribus oratio..... quæ singula non modo ut crearentur, fierent, disponerentur, summi artificis et perfectæ rationis eguerunt; verum etiam sentiri, perspici, intelligi sine summa solertia et ratione non possunt. » Tullius vero: « Hæc omnis descriptio siderum.... alia quæ natura, mentis expers, hæc efficere potuit, quæ non modo ut fierent, ratione eguerunt, sed intelligi qualia sint, sine summa ratione non possunt (*Cic. eodem lib. pag.* 231, *lin.* 41)? »

Rursum Minucius: « Quidve animantium loquar adversus sese tutelam multiformem? alias armatas cornibus, alias dentibus septas, et fundatas ungulis, et spicatas aculeis, aut pedum celeritate liberas, aut elatione spinarum? » Explicatius Cicero: « Jam illa cernimus, ut contra metum et vim, suis se armis

Digitized by Google

quæque defendat. Cornibus tauri, apri dentibus, morsu leones, aliæ fuga se, aliæ occultatione tutantur (*Cic. ibid. pag.* 233, *lin.* 39). »

Præterea Minucius aliquando contractione id brevius facit, quod Cicero longius produxerat. Sic enim ille: « Ægypti siccitatem temperat Nilus, colit Euphrates Mesopotamiam, Indus et serere Orientem dicitur et rigare. » Fusius autem Cicero: « Ægyptum Nilus irrigat, et cum tota æstate obrutam oppletamque tenuerit, tum recedit, mollitosque et oblimatos agros ad serendum relinquit. Mesopotamiam fertilem efficit Euphrates, in quem quotannis quasi novos agros invehit. Indus vero, qui est omnium fluminum maximus, non aqua solum agros lætificat et mitigat, sed eos etiam conserit; magnam enim vim seminum secum frumenti et similium dicitur deportare (*Cic. ibid. pag.* 234, *lin.* 20). »

Tum continenter Minucius: « Quod si ingressus aliquam domum, omnia exculta, disposita, ornata vidisses, utique præesse ei crederes dominum, et illis bonis rebus multo esse meliorem; ita in hac mundi domo, cum cœlum terramque perspicias, providentiam, ordinem, legem, crede esse universitatis dominum parentemque, ipsis sideribus et totius mundi partibus pulchriorem. » Præiverat his verbis Cicero: « Ut si quis, in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum venerit, cum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri judicare, sed esse aliquem intelligat, qui præsit, et cui pareatur; multo magis in tantis motibus, tantisque vicissitudinibus tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus nihil umquam immensa et infinita vetustas mentita sit, statuat necesse est ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari (*Cicer. ibid. pag.* 216, *lin.* 3). »

Ex Seneca etiam multa Minucium decerpsisse probatu facile est. Cæcilium etenim inducit Christianos, qui mortua hominum corpora rogis cremari nolebant, sic exagitantem: « Quasi nec intersit, utrum feræ diripiant, an maria consumant, an humus contegat, an flamma subducat. » Seneca vero dixerat: « Ille divinus animus egressurus hominem, quo receptaculum suum conferatur, ignis illud exurat, an feræ distrahant, an terra contegat, non magis ad se judicat pertinere, quam secundas ad editum infantem (*Senec. Epist.* 92, *pag.* 381). »

Octavius autem ad objectam Christianis pauperiatem respondet: « Nemo tam pauper esse potest, quam natus est. » Simili plane modo Seneca: « Nemo tam pauper vivit, quam natus est (*Senec. lib. Quare viris bonis*, etc., *seu de Provident. cap.* 6, *pag.* 504). »

Idem Octavius paulo post: « Quod corporis humana vitia sentimus, non est pœna, sed militia... calamitas sæpius disciplina virtutis est. » Seneca vero: « Verberat nos et lacerat fortuna. Patiamur, non est sævitia, certamen est. » Et paulo ante hæc verba: « Calamitas virtutis occasio est (*Senec. ibid. cap.* 4, *pag.* 409). »

Pergit Octavius: « Deus... in adversis unumquemque explorat et examinat: ingenium singulorum periculis pensitat: usque ad extremam mortem sciscitatur, nihil sibi posse perire securus. » Jam quæso audi Senecam: « Hos itaque Deus quos probat quos amat, indurat, recognoscit, exercet: eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis servat. Erratis enim, si quem judicatis exceptum. Veniet ad illum diu felicem sua portio. Quisquis videtur dimissus esse, dilatus est (*Senec. ibid. cap.* 4, *pag.* 408). »

Addit Octavius: « Itaque ut aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur. » Et Seneca post citata a nobis ejus verba: « Ignis aurum probat, miseria fortes viros (*Senec. ibid. cap.* 5, *pag.* 391). »

Quid plura? Prosequitur Octavius, et ait: « Quam pulchrum spectaculum Deo, cum Christianus cum dolore congreditur, cum adversus minas et supplicia et tormenta componitur? » Prius Seneca eodem in libro dixerat: « Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus (*Senec. ibid. cap.* 2, *p.* 492). » Videsne quam recte Minucius ea, quæ Seneca, vir inter ethnicos optimus et honestissimus scripserat, contra ipsosmet ethnicos, et ad tuendam Christianorum doctrinam, gentilli longe sanctiorem, traduxerit?

Ab ethnicis scriptoribus ad Christianos si transcamus, plura quoque animadvertemus, quæ Minucius ex Tertulliani libris, ac potissimum ex illius Apologetico decerpsit. Ad id autem probandum, quædam tantum ex iis proferre nunc sufficiet. De Deo itaque hæc Octavius dixit: Universa quæcumque sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. » De eo etiam Tertullianus: « Quod colimus, Deus unus est, qui totam molem istam.... verbo, quo jussit; ratione, qua dispensat; virtute, qua potuit, de nihilo expressit (*Tertull. Apologet. cap.* 17, *p.* 18). »

Rursum de eodem Deo Octavius: « Quid, quod omnium de isto habeo consensum? Audio vulgus, cum ad cœlum manus tendunt, nihil aliud quam Deum dicunt: et, Deus magnus est; et, Deus verus est; et, Si Deus dederit. Vulgi iste naturalis sermo est, an Christiani confitentis oratio? » Similiter Tertullianus: « Anima..... Deum nominat hoc solo nomine, quia proprio Dei veri: Deus magnus, Deus bonus; et, quod Deus dederit: omnium vox est. Judicem quoque contestatur illum: Deus videt; et Deo commendo; et Deus mihi reddet. O testimonium animæ naturaliter christianæ! Denique pronuntians hæc non ad Capitolium, sed ad cœlum respicit (*Tertull. ibid*). » Eadem ille sed brevius dixit duobus aliis in libris (*Idem lib. de Testimon. animæ cap.* 2, *pag.* 84, *et libr. de Resurr. carn. cap.* 3, *pag.* 381). At Minucium ad hæc, quæ retulimus, ejusdem Tertulliani verba respexisse, nulli dubium esse debet.

Nonne etiam ad alia ejus verba collineabat, ubi hæc gentilibus jure merito objecit: « Ubi magis a sacerdotibus, quam inter aras et delubra, conducuntur stupra, tractantur lenocinia, adulteria meditan-

Digitized by Google

tur. Frequentius denique in ædituorum cellulis, quam in ipsis lupanaribus, flagrans libido defungitur. » Nam Tertullianus simili plane modo iisdem ethnicis prius objecerat : « Conscientiæ omnium recognoscent in templis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipsis plerumque ædituorum et sacerdotum tabernaculis, sub iisdem vittis, et apicibus, et purpuris, thure flagrante, libidinem expungi (*Tertull. Apologet. cap.* 15, *p.* 16). »

De gladiatorum præterea crudeli prorsus feritate hæc sunt Octavii verba : Non dissimiles et qui de arena feras devorant, illitas et infectas cruore, vel membris hominis et viscere saginatas. » De iisdem Tertullianus : « Illi qui de arena ferinis obsoniis cœnant, qui de apro, qui de cervo petunt. Aper ille quem cruentavit, colluctando detersit. Cervus ille in gladiatoris sanguine jacuit. Ipsorum ursorum alvei appetuntur, cruditantes adhuc in visceribus humanis. Ructatur porro ab homine caro pasta de homine (*Tertull. Apologet. cap.* 9. *pag.* 10). »

Ad hæc vero Octavius : « Nec factiosi, inquit, sumus, si omnes unum bonum sapimus, eadem congregati quiete, qua singuli. » Tertullianus autem : « Hæc coitio Christianorum.... si quis de ea queritur eo titulo, quo de factionibus querela est : in cujus perniciem aliquando convenimus? Hoc sumus congregati, quod et dispersi, hoc universi quod et singuli, neminem lædentes, neminem contristantes (*Tertull. Apolog. cap.* 39, *p.* 36). »

Denique ut alia bene multa, inferius citanda, nunc missa faciamus, dicit Octavius : « Vicit, qui quod contendit, obtinuit. » Tertullianus autem : « Victoria est, pro quo certaveris, obtinere (*Tertull. Apolog. cap.* 50, *pag.* 44). »

Jam vero ad ea veniamus quæ Cyprianus ex Minucio nostro transcripsit : « Quando umquam, ait auctor noster, regni societas aut cum fide cœpit, aut sine cruore discessit? » Totidem verbis Cyprianus : Quando umquam regni societas, aut cum fide cœpit, aut sine cruore desiit (*Cyprian. lib. de Idolor. Vanit. pag.* 14)? » Unde forsitan colligas in Minucii textu similiter, pro *discessit*, legendum *desiit*, quod verbo *cœpit* melius opponitur.

Minucius : « Rex unus apibus, dux unus in gregibus, in armentis rector unus. » Cyprianus : « Rex unus est apibus, et dux unus in gregibus, et in armentis rector unus (*Cypr. ibid.*). »

Minucius : « Qui universa quæcumque sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat, hic nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; nec æstimari, sensibus major est.... et ideo sic eum digne æstimamus, dum inæstimabilem dicimus. » Cyprianus vero : « Qui universa quæcumque sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat; hic nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; nec æstimari, sensu major est : et ideo sic eum digne æstimamus, dum inæstimabilem dicimus (*Cypr. loc. cit.*). Ibi autem Cyprianus quædam Minucii verba, a nobis omissa, et quibusdam punctis notata, brevitatis haud dubie causa prætermisit.

Minucius : « Nec nomen Deo quæras : Deus nomen est. Illic vocabulis opus est, cum per singulos propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est. Deo qui solus est, Dei vocabulum totum est.... Audio vulgus.... Et, Deus magnus est; et, Deus verus est; et, Si Deus dederit; vulgi iste naturalis sermo est. » Cyprianus : « Nec nomen Dei quæras; Deus nomen est illi. Illic vocabulis opus est, ubi propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est. Deo qui solus est, Deus vocabulum totum est.... Vulgus in multis Deum naturaliter confitetur... Dici frequenter audimus : O Deus! et, Deus videt; et, Deo commendo; et, Deus mihi reddet; et, Quod vult Deus; et, Si Deus dederit. » (*Cypr. ibid. pag.* 15.) Videsne quomodo inter Minucii verba Cyprianus sua interjecerit? Minucius insuper de mortuorum hominum imaginibus hæc litteris mandaverat : « Sacra facta sunt, quæ fuerant assumpta solatia. » De iisdem Cyprianus : « Facta sunt sacra, quæ primis fuerant assumpta solatia (*Cypr. ibid. pag.* 11). »

Minucius : « Alexander ille magnus Macedo insigni volumine ad matrem scripsit, metu suæ potestatis proditum sibi de diis hominibus a sacerdote secretum. » Cyprianus : « Alexander Magnus insigni volumine ad matrem suam scribit, metu potestatis proditum sibi de diis hominibus a sacerdote secretum (*Cypr. ibid. pag.* 12). »

Minucius : « Castores alternis moriuntur, ut vivant, Æsculapius ut in deum surgat, fulminatur. Hercules ut hominem exuat, Œteis ignibus concrematur. » Cyprianus iisdem adhuc verbis : « Castor et Pollux alternis moriuntur, ut vivant; Æsculapius ut in deum surgat, fulminatur; Hercules ut hominem exuat, Œteis ignibus concrematur (*Cypr. ibid. pag.* 11). »

Minucius : « Apollo Admeti pecus pascit. Laomedonti muros Neptunus instituit, nec mercedem operis infelix structor accepit. » Cyprianus : « Apollo Admeti pecus pavit. Laomedonti muros Neptunus instituit, nec mercedem operis infelix structor accepit (*Cypr. ibid.*). »

Minucius postea de Saturno et Jano hæc memorat : « Docuit litteras imprimere, nummos signare.... Itaque latebram vocari maluit Latium.... et Janiculum Janus. » Cyprianus : « Inde Latium de latebra ejus nomen accepit. Hic litteras imprimere, hic signare nummos in Italia primus instituit... De cujus, Jani, nomine Janiculum dictum est (*Cypr. ibid.*). »

Minucius : « Antrum Jovis visitur, et sepulchrum ejus ostenditur. » Cyprianus hæc totidem plane verbis retulit : « Antrum Jovis in Creta visitur, et sepulchrum ejus ostenditur (*Cypr. ibid.*). »

Minucius : « Pejerante Proculo Deus Romulus. » Cyprianus vero : « Est Romulus, pejerante Proculo deus factus (*Cypr. ibid. pag.* 12). »

Minucius de diis : « Cur si nati sunt, non hodieque nascuntur, nisi forte jam Jupiter senuit, et partus in Junone defecit. » De iisdem Cyprianus : « Si autem

Digitized by Google

aliquando dii nati sunt, cur non hodieque nascuntur, A nisi forte Jupiter senuit, aut partus in Junone defecit (*Cypr. ibid.*). »

Minucius : « Romanorum deos vernaculos novimus. Romulus, Picus, Tiberius, et Consus, et Pilumnus, ac Picumnus dii. Cloacinam Tatius et invenit, et coluit. Pavorem Hostilius, atque Pallorem : mox a nescio quo Febris dedicata est.... sane et Acca Larentia, et Flora meretrices. » Cyprianus : « Romanorum deos vernaculos novimus. Est Romulus... Picus, et Tiberius, et Pilumnus et Consus.... Deam quoque Cloacinam Tatius et invenit, et coluit : Pavorem Hostilius atque Pallorem : mox a nescio quo Febris dedicata : et Acca et Flora meretrices (*Cypr. ibid. pag.* 12). »

Minucius : « Mars Thracius, vel Jupiter Creticus, B vel Juno nunc Argiva, nunc Samia, nunc Pœna, nunc Diana Taurica vel mater Idæa, vel Egyptia, illa non numina, sed portenta. » Cyprianus : « Mars Thracius et Jupiter Creticus, et Juno vel Argiva vel Samia vel Pœna et Diana Taurica, et Deum Mater Idæa et Ægyptia portenta, non numina (*Cypr. ibid. pag.* 13). »

Minucius : « Ante eos, Deo dispensante, diu regna tenuerunt Assyrii, Medi, et Persæ, Græci etiam et Ægyptii. » Cyprianus : « Imperium ante tenuerunt et Assyrii, et Medi, et Persæ ; et Græcos et Ægyptios regnasse cognovimus (*Cypr. ibid.*). »

Minucius : « Quid Regulus ? Nonne auguria servavit, et captus est ? Mancinus religionem tenuit, et sub jugum missus est, et deditus. Pullos edaces habuit C et Paulus apud Cannas ; tamen cum majore reipublicæ parte prostratus est. Caius Cæsar, ne ante brumam in Africam navigia transmitteret, auguriis et auspiciis renitentibus, sprevit, eo facilius et navigavit et vicit. » Cyprianus : « Regulus auspicia servavit et captus est. Mancinus religionem tenuit et sub jugum missus est : et pullos edaces Paulus habuit, et apud Cannas tamen cæsus est. C. Cæsar, ne ante brumam in Africam navigia transmitteret, auguriis et auspiciis renitentibus, sprevit, et eo facilius navigavit et vicit (*Cypr. ibid.*). »

Minucius de dæmonibus : « Spiritus insinceri et vagi a cœlesti vigore, terrenis labibus et cupiditatibus degravati.... Non desinunt perditi jam perdere, et depravati errorem pravitatis infundere. » Cyprianus D similiter modo : Spiritus insinceri et vagi, qui postea quam terrenis vitiis immersi sunt, et a vigore cœlesti terreno contagio recesserunt, non desinunt perditi perdere, et depravati errorem pravitatis infundere (*Cypr. ibid.*). »

Minucius de iisdem adhuc : « Isti igitur impuri spiritus.... sub statuis et imaginibus consecrati delitescunt, et afflatu suo... inspirantur vatibus.... Nonnumquam extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt falsis pluribus involuta. Nam et falluntur et fallunt.... vitam turbant, somnos inquietant, irrepentes etiam corporibus occulte.... terrent mentes, membra distorquent ; ut ad cultum sui cogant, ut nidore altarium, vel hostiis pecudum saginati, remissis quæ constrinxerant, curasse videantur. » Cyprianus : « Illi ergo spiritus sub statuis atque imaginibus consecratis delitescunt, hi afflatu suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt, falsa veris semper involvunt. Nam et falluntur et fallunt : vitam turbant, somnos inquietant. Irrepentes etiam in corporibus occulte, mentes terrent, membra distorquent.... ut ad cultum sui cogant, ut nidore altarium et rogis pecorum saginati, remissis quæ constrinxerant, curasse videantur (*Cypr. ibid. pag.* 14). »

Minucius rursum de iisdem dæmonibus : « Sic occupant animos, ut ante nos incipiant homines odisse, quam nosse ; ne cognitos aut imitari possint, aut damnare non possint. » Cyprianus quoque : « Hinc vulgus in odium nostri nominis cogunt, ut nos odisse incipiant homines antequam nosse ; ne cognitos aut imitari possint, aut damnare non possint (*Cyprian. ibid.*). »

Minucius : « Templum quod ei, Deo, exstruam, cum totus hic mundus, ejus opera fabricatus, eum capere non possit ; et cum homo latius maneam, intra unam ædiculam vim tantæ majestatis includam ? Nonne melius in nostra dedicandus est mente, in nostro imo consecrandus est pectore. » Cyprianus vero : « Quod templum habere possit Deus, cujus templum totus est mundus ? Et cum homo latius maneat, intra unam ædiculam vim tantæ majestatis includam ? In nostra dedicandus est mente, in nostro consecrandus est pectore (*Cypr. ibid. pag.* 15). »

Alia adhuc in hoc Minucii libro occurrunt, quæ quidem his similia, quæ Cyprianus vel in libro, jam a nobis sæpius citato, vel in suis *ad Donatum et Demetrianum* libris, et alibi scripsit, quæ nunc transcribere longius foret. Quamobrem illa, ubi ad confirmandam auctoris nostri sententiam opus erit, inferius proferemus.

At mirum haud dubie videbitur Cyprianum, tam disertum eruditumque virum, tot unius libelli, a Minucio compositi, loca de verbo exscripsisse ad verbum. Plurimi itaque suum in animum facile inducent Minucium ex Cypriano potius, quam Cyprianum ex Minucio sua esse mutuatum. Sed si Minucius librum suum uti jam ostendimus, prior edidit, non ille certe ex Cypriano, sed Cyprianus ex illo sua desumpsit. Quid vero, quod nec infimi nec obscuri fuit nominis Minucius noster ; quippe quem Lactantius eruditione haud mediocri præditum, et insignem, uti supra observatum est, causidicum appellat, atque ex ejus libro plura haurire non dubitavit. Quidni ergo et Cyprianus ?

Digitized by Google

## CAPUT III.

NOVÆ IN MINUCII FELICIS LIBRUM ANNOTATIONES; AC PRIMO EXPENDUNTUR ARGUMENTA, QUIBUS DEUM EXISTERE CÆCILIUS NEGAT, ET PROBAT OCTAVIUS.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Quid et quomodo in his notis agetur, ac primo inquiritur utrum Christiani ab hac disputatione rejiciendi.*

Nihil, ut jam diximus, toto hoc Minucii in libro, si prologum, et epilogum, atque ejusdem Minucii judicium exceperis, aliud occurrit, nisi Cæcilii Octaviique disputatio; qua ille ethnicorum, hic Christianorum religionem omnibus ingenii sui viribus propugnare ac tueri conituntur. Sed utriusque argumenta, ac potissimum Octavii ad iniquas Cæcilii criminationes responsa, longo sermonum intervallo a se invicem separata, lectoris mentem ita perturbare possunt; ut illorum vim et pondus, nisi iterum iterumque eadem legat et relegat, vix possit perspicere. Ad hæc vero, plura in eis strictim summatimque attinguntur, quæ tametsi Minucii tempore essent clara et perspicua, multis jam obscura sunt, atque idcirco debent a nobis explicari.

Quamobrem tria nostris in observationibus præstanda esse censuimus Primo quidem quodlibet Cæcilii argumentum, et Octavii ad illud responsiones ac confutationes, a se invicem sejunctas, simul et conjunctim proponemus examinabimusque. Secundo ostendimus quid in eis firmum, aut invalidum, verum aut falsum sit. Tertio quæ strictius et compressius, vel obscurius dicta sunt, explanare conabimur.

Priore autem contra Christianos argumento Cæcilius contendit eos ad hanc de diis disputationem nullo prorsus modo admittendos esse, et a nemine audiendos. Suam vero argumentationem duci posse arbitratur ex duplici eorumdem Christianorum conditione, quarum altera ipsis peculiaris, altera cum cæteris hominibus communis erat. Eos enim ex ultima plebis fæce collectos dicit, artium liberalium penitus expertes, illitteratos indoctos plane, ac idiotas, atque idcirco omnino indignos qui « de summa rerum, ac majestate » id est, de Deo, utrum existat, ac quis qualisve sit, disputantes ac decernentes audiantur. Quid vero, quod non modo indignum est, sed etiam, ut ipse ait « indignandum » hujuscemodi homines eo devenisse audaciæ, ut certi aliquid de Deo constituant, de quo philosophorum doctissimi nihil hactenus statuere ausi fuis-ent? Visne ipsamet tibi proferri Cæcilii verba? Ecce hæc ipsa sunt; « Indignandum omnibus indolescendumque est, audere quosdam et hoc studiorum rudes, litterarum profanos, expertes artium etiam sordidarum, certum aliquid de summa rerum, ac majestate decernere, de qua tot omnibus sæculis sectarum plurimarum usque adhuc ipsa philosophia deliberat. » Rursus vero urget Christianos fuisse « homines deploratæ, illicitæ ac desperatæ factionis, qui de ultima fæce collectis imperitioribus, et mulieribus sexus sui facilitate labentibus, plebem profanæ conjurationis instituunt, ac tandem latebrosa, inquit, et lucifugax natio in publicum muta, in angulis garrula. »

Neque porro Cæcilius solus hanc Christianis, ultimam hominum omnium, rusticitate, et imperitia postremorum, conditionem exprobravit. Nam Celsus et ipsemet ethnicus apud Origenem in eos, tamquam vilissimos omniumque infimos, nihilque nisi coram pueris, mulierculis et fatuis docere aliquid audentes, sic invehitur : Ὁρῶμεν δὴ ποῦ καὶ τοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς ἐπιῤῥητότατα ἐπιδεικνυμένους, καὶ ἀγυρτοῦντας, εἰς μὲν φρονίμων ἀνδρῶν σύλλογον οὐκ ἂν ποτε παρελθόντας, οὐδ' ἐν τούτοις τὰ ἑαυτῶν κατατολμήσαντας ἐπιδεικνύειν· ἔνθα δ' ἂν ὁρῶσι μειράκια, καὶ οἰκοτρίβων ὄχλον, καὶ ἀνοήτων ἀνθρώπων ὅμιλον ἐνταῦθα ὠθουμένους τε, καὶ καλλωπιζομένους. « Cernimus certe et circumforaneos istos circulatores ostentare ista vulgo jactatissima, non apud cœtus hominum prudentium, quod id nequaquam audeant, sed ubicumque animadverterint, adolescentum mediastinorum, et fatuorum turbam eo se ingerere, ibique se venditare. » Et paulo post: Ὁρῶμεν καὶ κατὰ τὰς ἰδίας οἰκίας ἐργουργοὺς, καὶ σκυτοτόμους, καὶ γναφεῖς, καὶ τοὺς ἀπαιδευτοτάτους τε καὶ ἀγροικοτάτους, ἐγκυκλίων μὲν τῶν πρεσβυτέρων, καὶ φρονιμωτέρων δεσποτῶν οὐδὲν ῥᾳθύμως ἔχειν τολμῶντας· ἐπειδὰν δὲ τῶν παίδων ἰδίᾳ λάβωνται, καὶ γυναικῶν τινῶν σὺν αὐτοῖς ἂν ἀκούσωσιν, θαύμασί' ἅττα διεξιόντας, ὡς οὐ χρὴ προσέχειν τῷ πατρὶ καὶ τοῖς διδασκάλοις, ἐμοὶ δὲ πειθεσθαι. « Videre licet lanificos, sutores, fullones in suis ædibus, et illiteratissimum quemque et rusticissimum coram senioribus et prudentioribus patribusfamilias nihil audere proloqui. Ubi vero seorsun nacti fuerint pueros eorum, et mulierculas imperitas, mira quædam disserere, non esse audiendos parentes ac præceptores, sed sibi credendum (*Origen. lib.* III, *contra Celsum*, *pag.* 141, 144, in 4°).

Quapropter Gregorius Nazianzenus ita Julianum Apostatam imperatorem irridet : « Hæc nostræ, hoc est, Gallilæorum hæ contemptorum et abjectorum hominum narrationes. Hæc nos, qui Christum adoramus. Hæc piscatorum, et ut ipsi aiunt, imperitorum discipuli. Hæc nos, qui cum vetulis sedemus et psallimus. Hæc nos longis jejuniis confecti et semianimes. Hæc nos, qui frustra vigilamus. atque in nocturnis stationibus nugamur, et tamen vos prosternimus. Ubi sunt grammatici? Ubi consiliarii? Libet enim ab indoctorum nostratium quodam, ut quidem vobis videtur, triumphalem hymnum mutuari » (*Gregor. Nazianz. Orat.* 4, *in Julian. pag.* 298 *et seq.*)

Verumtamen ipsemet Julianus apud Cyrillum Alexandrinum isthæc non tam suæ ætatis quam primi Ecclesiæ sæculi Christianis vitio vertit : μηδὲ ἤλπισαν εἰς τοῦτο ἀρ/ξεσθαί ποτε δυνάμεως ὑμᾶς. ἡγάπων γὰρ αἱ θερα/παίναι ἐξαπατῆσουτι καὶ δούλους, καὶ διὰ τούτων τὰς γυναῖκας, ἄνδρας τε ὁσίους Κορνήλιος καὶ Σέργιος, ὧν εἷς ἐὰν φανῇ τῶν τηνικαῦτα γνωριζομένων ἐπιμνησθείς, ἐπὶ Τιβερίου γὰρ ἦτοι Κλαυδίου ταῦτα ἐγένετο, περὶ τάντων

Digitized by Google

ὅτι ψεύδομαι νομίζετε « Neque sperarunt, inquit, vos eo potestatis venturos unquam. Satis enim habebant ipsi, si ancillas, aut servos deciperent, et per hos uxores et viros, quales Cornelius et Sergius, quorum unus si illustres inter viros ejus ætatis appareat (atqui Tiberii vel Claudii temporibus hæc fuerunt), de omnibus me mentiri putatote (*Cyril. Alex. lib.* VI, *contra Julian. pag.* 206). » Cæcilius vero asseverare non veretur Christianos sua adhuc ætate fuisse vilissimæ plebis illitteratos indoctosque homines.

Atqui absurdum est, ait ille, aut si mavis, indignandum illos de Deo aliquid haud dubitanter decernere, de quo philosophi quamplurimi adhuc deliberant. Neque dixeris id a Cæcilio de tot philosophis gratis confictum. Nam Cicero non modo varias ac valde discrepantes asserit fuisse doctissimorum horumce, ut ipse loquitur, hominum de Deo sententias : Sed, « qui deos, inquit, esse dixerant, tanta sunt in varietate ac dissensione constituti ; ut eorum molestum sit annumerare sententias. » Et paulo post : « Profecto eos ipsos, qui se aliquid habere arbitrantur, addubitare coget doctissimorum hominum de maxima re tanta dubitatio (*Cic. lib.* II *de Natur. Deor. pag.* 195, 197). »

Verum Octavius, seu potius Octavii nomine Minucius, hanc Cæcilii aliorumque ethnicorum argumentationem duplici ratione diluit, funditusque evertit. Primum enim Cæcilio gratis dat, et concedit Christianos omnes, uti ille falso tamen contendebat, fuisse pauperes, illitteratos, et imperitos. Sed argumentum, inde ab eo desumptum, penitus imbecille et infirmum esse multiplici ratione demonstrat. Quilibet enimvero homines cujusvis ætatis, sexus, et dignitatis, naturaliter sensus et rationis capaces sunt, ilsque sapientia non temere, sed a natura inseritur.

Deinde ipsimet gentiles philosophi, atque alii artium inventores, initio, plebeii indocti, ac seminudi fuerant. Quin immo nostrates, inquit Octavius, quamtumvis pauperes, commenti sunt prudentiam, eamque aliis postea tradiderunt. Ingenium ergo nec facultatibus et divitiis datur, nec paratur studio et labore, sed homini cum ipsa sua mente ingeneratum est.

Denique in disceptationibus et controversiis non tam disputantis auctoritas quæritur, quam rationum momenta, et veritas. Quod quidem, ut id obiter dicamus, his a Cicerone asseritur verbis : « Non enim, tam auctoritatis (aliis auctores) in disputando, quam, rationis momenta quærenda sunt (*Cic. lib.* I *de Natur. Deor. post init. pag.* 197). » Quapropter qui de Deo rebusque divinis disputat, is eo efficacius veritatem a se propugnari omnibus persuadet, quo magis ejus sermo impolitus, minusque vanæ eloquentiæ pompa fucatus est. Sed præstat Octavium suis verbis contra Cæcilium disputantem audire : « Sciant, ait, omnes homines sine delectu ætatis, sexus, dignitatis, rationis et sensus capaces et habiles procreatos, nec fortuna nactos, sed natura insitos esse sapientiam. Quin ipsos etiam philosophos, vel si qui alii artium repertores in memorias exierunt, priusquam solertia mentis parerent nominis claritatem, habitos esse plebeios, indoctos, seminudos. At vero divites facultatibus suis illigatos, magis aurum suspicere consuesse, quam cœlum. Nostrates pauperes et commentos esse prudentiam, et tradidisse cæteris disciplinam. Unde apparet ingenium non dari facultatibus, nec studio parari, sed cum ipsa mentis formatione generari. Nihil itaque indignandum vel dolendum, si quicumque de divinis quærat, sentiat, proferat ; cum non disputantis auctoritas, sed disputationis ipsius veritas requiratur : atque etiam quo imperitior sermo, hoc illustrior est ; quoniam non fucatur pompa facundiæ et gratia, sed, ut est, recti regula sustinetur. »

Simili plane modo Cyrillus Alexandrinus adversus Julianum eadem objicientem argumentatur : « Quod vero mulierculæ crediderint, ac famuli, et obscuri nonnulli homines vocati fuerint, inde Servatoris clementiam vituperat. Sed numquid satius est sentire hominem, in quantum natus est homo, nullo pacto homini antecellere, sed unam per omnes rationem substantiæ procedere. Unus quippe omnium ingressus in mundum, et æqualis egressus, ut scriptum est..... Una quidem omnibus hominibus est natura, Illa autem sic comparata est, ut ad quidvis laude dignum sit idonea. Sapiens enim est, et secernere potest a deterioribus meliora. Nihil ergo prohibet, quominus infimæ sortis homo sit sapiens, et qui destitutus est pecuniis, justitiam colat, et qui servili est conditione, æquus et honestus videatur.... Equidem dixerim ego, virum inopem, si rectum honestumque vivendi genus susceperit, citra comparationem præstare diviti avaro, et servum sapientem hero insano.... Videre autem licet eos, qui laude virtutis apud Græcos maxime præstiterunt cæteris, artifices initio fuisse popularemque et sordidam artem exercuisse, quam a parentibus accepissent, non sine tamen admiratione sapientiæ. Multos prætermitto. Ad ipsum venio Socratem, Sophronisci filium, qui matre obstetrice genitus, patre autem statuario, eamque artem apprime calluit, neque id sibi dedecori esse putavit (*Cyril. Alex. lib.* VI *contra Julian. pag.* 207). » Græca Cyrilli verba, quia longius esset hic referre, in ejus libro legere poteris, ubi illud et auctoritate et verbis Porphyrii, ex tertio *Historiæ Philosophorum* libro a se transcriptis, luculentissime probatum, Timæi testimonio confirmat. His addi potest Laertius, qui in Socratis Vita Platonem citat, qui illum Sophronisco patre lapidario, cujus artem postea exercuit, et matre Phænareta obstetrice natum tradidit. (*Laert. lib.* II, § 18). Ei autem suffragantur Valerius Maximus, Suidas, Timon a nobis articulo sequenti laudandus, et alii (*Valer. Maxim. lib.* III, *cap.* 4).

Quid vero, quod Cyrillus ibidem, adhuc eodem Porphyrio teste, demonstrat Platonem palæstris diu primum exercitatum, ex athleticis sudoribus, vel, ut quidam aiunt, ex Isthmiis et Pythiis, vel aliis cer-

Digitized by Google

taminibus ad philosophiam transivisse (*Cyrill. Alex. libr.* VI *advers. Julian. pag.* 208).

Addit præterea ille Zalmoxim Thracem fuisse Pythagoræ servum, et illum multas mulieres, quemadmodum Plato Marcellam, philosophicis imbuisse disciplinis. Huc porro accedit, quod nos alibi de mulieribus philosophis, pictricibus, et poetriis disputavimus (*Tom.* I, *Apparat. lib.* III, *dissert.* II, *cap.* 18, *art.* 4, *pag.* 1155; *et cap.* 24, *art.* 3, *pag.* 25, *et seq.*).

Denique si Minucius hoc nomine, Nostrates, designaverit Hebræos, qui ethnicis artes et disciplinas tradiderint, id a nobis jam probatum est tom. I, Apparat. lib. II, dissertatione 2, cap. 7, §. 2. pag. 387, ex Justino martyre, et ex Clemente Alexandrino. Ibidem lib. III, dissert. 2, cap. I, art. I, pag. 834, cap. 15, art. I, et seqq.; atque ex iis quæ de Thalete, cap. 17, art. I, pag. 1121; de Pythagora, ibidem cap. 17, art. 2; de Platone, ibidem art. 4, atque philosophorum ex sacra nostra Scriptura furtis et expilationibus, cap. 16, art. 2; ac tandem ex artium et scientiarum inventoribus. Ibidem cap. 31, art. I, pag. 1187, et seqq.

Quamvis autem hæc Minucii responsio, quæ frivolam Cæcilii argumentationem funditus evertit, et ipsi et cuilibet, quantumvis moroso homini, plene satisfacere debuerit; secundam tamen ei adjicit. Plane siquidem penitusque pernegat tales suo tempore Christianos fuisse, quales Cæcilius tam audacter asserult, pauperes atque infimæ omnium sortis homines indoctos et illitteratos. Non enim « de ultima, inquit, statim plebe consistimus, si honores vestros et purpuras recusamus. » Atque hæc profecto nec plura homo modestissimus, quibus id quod Cæcilius temere affirmabat, verum esse paucissimis verbis inficiatur.

Sed quod tanta modestia negat illud Origenes, ubi Celso respondet, maximum convicium et impudentem calumniam esse palam asseverat (*Orig. lib.* III, *contr. Cels. pag.* 142, *et seqq.*).Nec mirum quidem. Nam Tertullianus Minucio paulo antiquior, de se, omnibusque ætatis suæ Christianis hæc memoriæ prodidit : « Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum : sola vobis relinquimus templa (*Tertull. Apolog. cap.* 37, *pag.* 33). » At certe, qui urbes, forum, castra, decurias, palatium, senatum et tot alia loca implebant, ex his certe plurimi, ut jam diximus, nec infimæ sortis erant homines, nec pauperes, nec indocti et illitterati.

At cur, inquiet aliquis, hæc et alia a nobis inferius citanda, tam alto Minucius silentio prætermisit? Cur, inquimus et nos, ille vel solo suo exemplo os Cæcilii, tam impudenter mentientis continuo non occlusit? Non enim ex infimæ plebis fæce vir dici potuit, qui ut jam ex locupletissimis testibus Lactantio atque Hieronymo observavimus, Romæ insignis causidicus erat. Nobis itaque haud ægre persuadebitur, eum tam modesta moderataque responsione sibi utendum existimavisse; ut ea lenitate ac moderatione adversarium suum ad ejurandos errores suos, christianamque religionem amplexandam facilius alliceret.

Nihil porro ineptius erat, quam illud quod urgebat Cæcilius Christianos nationem esse latebrosam, lucifugacem, et in angulis garrulam. Sua enim vero documenta publice prædicabant : sed hæc ethnici, ne vera esse negare non possent, audire erubescebant ac verebantur. Sed de his infra fusius.

Postremo ex dictis evidenter adhuc ostenditur quantumvis variæ ac discrepantes fuerint philosophorum gentilium de Deo sententiæ, quantumvis de illo dubitaverint, ac, si velis, quidam eum existere negaverint; Christianos tamen, etiamsi pauperes et illitteratos, potuisse de ipso disputare, ac certi statuere aliquid, veramque ferre sententiam.

Frustra ergo Cæcilius eos sub orationis finem hortatur, desinant « cœli plagas, et mundi fata et secreta rimari. Satis enim est pro pedibus aspicere, maxime indoctis, impolitis et rudibus. » Quod quidem ex Democrito, cujus fonte Epicurus hortulos suos vanis falsisque opinionibus rigavit, haustum fuisse, docet his verbis Cicero : « Democritus non inscite nugatur, ut physicus, quo genere nihil arrogantius : «Quod ante pedes, nemo spectat; cœli scrutatur plagas. » (*Cic., lib.* II *de Divinat. p.* 282, *lin.* 30.) Nam hoc superbi hominis, litteris et otio intemperanter abutentis, argumentum ex hactenus dictis prorsus eversum est.

ARTICULUS II.

*Expenduntur argumenta quibus Cæcilius probare nititur fas Christianis et aliis non esse de Deo disputare.*

Christianos ab omni de Deo disputatione arcendos alia Cæcilius probat ratione, quæ ipsis cum cæteris hominibus plane communis est. Eam etenim objicit esse naturæ humanæ infirmitatem; ut nemini quæ supra nos cœlo suspensa, aut infra in terræ visceribus posita, scire, aut scrutari concedatur : « Absit, inquit ille, ab exploratione divina humana mediocritas, cum neque quæ supra nos cœlo suspensa..... neque quæ infra terram..... scire sit datum, aut scrutari permissum. » Unicuique siquidem sufficit, si « secundum vetus sapientis oraculum nosmetipsos noverimus. » Alludit autem ad celeberrimum illud adagium, γνῶθι σεαυτόν, « Nosce te ipsum; » quod nos alibi ab aliis Thaleti, ab aliis Chiloni, atque etiam Pythiæ adscriptum annotavimus (*Tom.* I *Apparat. lib.* III, *diss.* 2, *cap.* 14, *art.* 3, *pag.* 1097; *et cap.* 19, *art.* 4, *pag.* 1170).

Addit Cæcilius quod si aliquando insano ineptoque labori indulgentes, ultra humilitatis nostræ terminos evagemur, hunc errorem vanis formidolosisque Christianorum opinionibus non esse implicandum. Non vult ergo ullam a Christianis de Deo rebusque divinis institui disputationem, satisque ipsis esse, si se ipsos noverint.

Digitized by Google

Magna autem, uti quidem ipsi videbatur, Socratis, qui divino oraculo hominum sapientissimus renuntiatus est, auctoritate testimonioque, illud stabilire et confirmare nititur : « Si philosophandi, ait, libido est, Socratem, sapientiæ principem, quisque vestrum tantus est, si poterit, imitetur. Ejus viri quoties de cœlestibus rogabatur, nota responsio est : QUOD SUPRA NOS NIHIL AD NOS. Merito ergo de oraculo testimonium meruit prudentiæ singularis. Quod oraculum ipse præsensit, idcirco universis esse præpositum, non quod omnia comperisset, sed quod nihil se scire didicisset. Ita confessæ sapientiæ summa prudentia est. »

Hæc autem a Cæcilio non inconsiderate dicta fuisse inde probatur, quod de eodem Socrate Cicero litteris similiter mandavit : « Socrates mihi videtur, id quod constat inter omnes, primus a rebus occultis, et ab ipsa natura involutis..... avocavisse philosophiam, et ad vitam communem adduxisse; ut de virtutibus et vitiis, omninoque de bonis rebus et malis quæreret : cœlestia autem aut procul esse a nostra cogitatione censeret, vel si maxime cognita essent, nihil tamen ad bene vivendum conferre. Hic in omnibus fere sermonibus, qui ab iis, qui illum audierunt, perscripti varie, copiose sunt, ita disputat, ut nihil affirmet ipse, refellat alios : nihil se scire dicat, nisi idipsum; eoque præstare cæteris, quod illi, quæ nesciant, scire se putent : ipse se nihil scire id unum sciat; ob eamque rem se arbitrari ab Apolline omnium sapientissimum esse dictum, quod hæc esset una omnis sapientia, non arbitrari sese scire, quod nesciat (*Cic. lib.* I *Acad. quæst. pag.* 5, *lin.* 41, *et seqq.*). » Quis autem facile sibi persuaderi non sinet hæc et alia Ciceronis verba, alibi a nobis, ubi de eodem Socrate agebamus, relata, Cæcilii dictis ita consentanea esse; ut hunc inde sua hausisse haud prorsus absurde suspicandi locum nos habere videamur (*Tom.* II *Apparat. lib.* III, *dissert.* 2, *cap.* 17, *art.* 5, *pag.* 1133, *et seqq.*)?

Porro autem hujusce Apollinis in Socratis laudem oraculi rursus Cicero aliis in libris (*Cicer. lib. de Senect. pag.* 417, *lin.* 12; *et lib. de Amicit. pag.* 419, *lin.* 43, *et pag.* 429, *lin.* 22.), Pausanias (*Pausan. lib.* I, *pag.* 20). Plinius (*Plin. lib.* VII *natur. Hist. cap.* 31), Solinus (*Solin. cap.* I, *pag.* 11), Valerius Maximus (*Valer. Max. lib.* III, *cap.* 4), aliique quam plures meminere. Laertius vero illud sic a Pythia fusum testatur :

Ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος·
Mortalium omnium Socrates sapientissimus.
(Laert. l. II in *Vit. Socr.* § 37.)

Martyr autem Justinus (*Justin. Cohortat. ad Græc. pag.* 33), eamdem ac Cæcilius et Cicero, hujus oraculi rationem protulit. Lucianus vero (*Lucian. de Saltat. pag.* 507; *Dial. Amor. pag.* 583; *et Dial. de Sectis, pag.* 304), postquam illius mentionem semel atque iterum fecit, de ipsomet Socrate hæc in verba loquitur : Ὅς ἐκπεράγει πρὸς ἅπαντας, οὐχ ὅπως μη πάντα ἀλλὰ μηδ' ὅλως εἰδέναι τὶ, ἢ τοῦτο μόνον, ὅτι οὐκ οἶδε. « Omnium testimonio professus est, se non tantum omnia, sed in universum nihil nosse, aut hoc tantum se scire, quod nesciret. »

Theodoretus porro (*Theodor. de Græc. affect. curat. serm.* 2, *pag.* 488; *ibid. serm.* 4, *pag.* 531), qui Pythiæ hoc oraculum attribuit, alicubi Xenophontis verba refert (*Xenoph. lib.* I *Memorab. pag.* 710; *et lib.* IV, *pag.* 815), quibus narrat quomodo Socrates quoslibet homines a cœlestium divinarumque rerum investigatione dehortabatur; asserebatque eos, qui illas rimari conabantur, aut fatuos esse, aut in maximo stultitiæ periculo. Xenophontis autem verba integra in ejus libris, et adhuc a Cyrillo Alexandrino (*Cyrill. l.* V *contra Julian. pag.* 180), et Gellio citata reperies (*Gellius. lib.* IV *Noct. Att. cap.* 4). Laertius nihilominus (*Laert. lib.* II, § 37 *et* 45) ejusdem Xenophontis testimonio (*Xenoph. lib.* I *Memorab. pag.* 726) probat Socratem de Providentia Dei aliquando disputasse : et laudatus ab eo Xenophontis locus in ipsius libris revera invenitur.

Citatum tandem a Cæcilio ejusdem Socratis adagium : « Quod supra nos, nihil ad nos, » a Lactantio (*Lactant. lib.* III, *de falsa Sapient. cap.* 20, *pag.* 308), his profertur verbis : « Celebre hoc proverbium Socrates habuit : Quod supra nos, nihil ad nos. » Hieronymus vero sic illud contra Rufinum adhibet : « Totam mihi physicam opponis, ut frustra ad ethicam transiens Socrates dixerit : Quæ supra nos, nihil ad nos (*Hieronym. Apologet. advers. Rufin. lib.* II, *longe post medium*). » Cæterum Cæcilius ex his concludit imitandam esse Arcesilæ, Carneadis, Simonidis, et Academicorum in summis, ac potissimum de diis, totam dubitationem. Vides certe quibus fundamentis nitatur hæc Cæcilii, sive ethnici hominis argumentatio. Jam vero quid ad eam respondeat Octavius, examinemus.

### ARTICULUS III.

*Exponuntur Octavii responsa, quibus superiora Cæcilii argumenta diluit et evertit.*

Fatetur quidem Octavius, ac Cæcilio concedit hominem nosse se ipsum debere, atque attento circumspicere animo, quid ipse, et unde sit, utrum ex elementis, vel atomis concretus, vel a Deo factus et creatus. Sed hoc, inquit, ab illo sciri non potest, nisi Deum cognoscat. Deinde vero sicut cætera animantia prona, atque ad hoc nata, ut solum pabulumque conspiciant; ita homo vultum sublimem et erectum habet, ut humi non repat, sed attollendo ad cœlum oculos, omnemque mundi ornatum contemplando, ad Dei perveniat cognitionem. Quid vero, quod fas illi non est, ingerentem sese oculis sensibusque nostris divinam ignorare claritatem? Quæ enim infra, circa, supraque ipsum, quæ ante pedes suos, et in cœli plagis sunt posita, si lustra-

Digitized by Google

verit; tum illico apertissime comperiet esse aliquod præstantissimæ mentis numen, a quo creata omnis natura movetur, alitur et gubernatur. Et hoc quidem ex primo Ciceronis *de Natura Deorum* libro eum decerpsisse jam vidimus. Christiani igitur id constantissime asserentes, nullis se vanis aut formidolosis opinionibus implicabant.

Ab objecta vero Socratis auctoritate ille facillime se se expedit, et eam paucissimis verbis elevat, planeque conficit. Postquam enim multa, quibus Deum existere probaverat, certa esse ostendisset, tum continuo hæc adjecit : « Proinde Socrates scurra Atticus viderit, nihil se scire confessus, testimonio licet fallacissimi dæmonis gloriosus. » Nec ibi quidem ille plura, sed quæ abunde sufficiunt ad ea omnia penitus destruenda, quæ ex Socratis auctoritate decerpta erant Cæcilio enim libenter largitur Socratem se nihil scire confessum quidem esse, sed ibidem asserit illum fuisse « scurram Atticum. » Quo autem auctore id dixerit, si quæras, tibi respondebit Cicero eum ita a Zenone appellatum : Zeno quidem, inquit, non eos solum qui tum erant, Apollodorum, Syllum cæterosque figebat maledictis : sed Socratem ipsum, parentem philosophiæ, latino verbo utens, scurram Atticum fuisse dicebat ( *Cic. lib.* I, *de Natur. Deor. pag.* 209, *lin.* 9). » Quapropter Lactantius hanc ipsam in rem, eodem Zenone citato, his Socratem verbis exagitat : « Per canem et anserem dejerebat. O hominem scurram, ut ait Zeno Epicureus, ineptum, perditum, desperatum, si cavillari voluit religionem; dementem, si hoc serio fecit, ut animal turpissimum pro Deo habuerit. » (*Lactant. lib.* III *de falsa Sapient. cap.* 20, *pag.* 309.) Ita quidem ille certe probat Socratem jure merito, a Zenone, quamvis Epicureo, scurram appellatum; quandoquidem si per canem et anserem jocose juravit, religionem irrisit, et cavillatus est. Si autem serio, demens profecto fuit, qui turpissimum animal, non secus atque Ægyptii, pro Deo habebat. Inde procul dubio Timon in Sillis hunc philosophum his depinxit versibus :

Ἐκ δ' ἄρα τῶν ἀπίλλης λιθοξόος, ἰννομολίσχης,
Ἑλλήνων ἰπποιδὸς, ἀριζόλογους ἀτοφήνας,
Μυκτὴρ ῥητορόμαστος, ὑπαττικὸς, εἰρωνευτής.

Fluxit ab his legumque loquax lapidumque politor,
Græcorum vates, impostureque magister,
Derisor, rhetorque subatticus, et simulator.
(*Laert. lib.* II *in Vit. Socrat.* § 19.)

Nec est quod aliquis objiciat, Socratem a Græcis, ut testatur Cicero εἴρωνα vocatum, id est, festivum, facetum, elegantem (*Cic. lib.* II *de Orat. pag.* 167; *et in Bruto*, *pag.* 240, *lib.* II *Acad. quæst. pag.* 14; *lib.* II *de Offic. pag.* 365); quippe qui sale Attico, seu verbis gravitate salsis, alios philosophos, qui sibi sapientiam ascivisse venditabant, numquam non insectabatur : cum vero Epicurei gravius id ferrent, illum contumeliosissimo scurræ dicterio verberarunt. Quis enim negaverit hominem, qui nihil, ne Deum quidem ipsum se scire profitebatur, ab aliis ethnicis philosophis, atque a Minucio et Lactantio « scurram », vel quod mitius est « scurram Atticum » recte vocitari.

Porro autem Minucius acute omnino et facete Socratem illum corripit, qui de Apollinis testimonio gloriabatur. Fallacissimi quippe dæmonis oraculum erat, quod sane sicut et alia ab ethnicis jactitata, ab impiis dæmonibus fusum profectumque fuisse, quemadmodum infra videbimus, demonstrat. Unde optime quidem Tertullianus in hoc ipsum Apollinis oraculum, quo, inquit, « Socratem Apollo sapientissimum omnium cecinit, sic exclamat : O Apollinem inconsideratum! Sapientiæ testimonium reddidit ei viro, qui negabat deos esse (*Tertull. Apolog. cap.* 46, *pag.* 40). »

Socratis itaque auctoritate sic eversa, citatum deinde a Cæcilio Arcesilæ, Carneadis, aliorumque Academicorum testimonium plane penitusque corruat necesse est. Nam hi, sicut et ipse Cæcilius fatetur, Socratis discipuli fuerunt, ejusdemque opinionis assertores : « Hoc fonte» Cæcilii verba sunt, «defluxit Arcesilæ, et multo post Carneadis, et Academicorum plurimorum in summis quæstionibus tuta dubitatio : quo genere philosophari et caute indocti possunt, et docti gloriose. » Hanc autem Arcesilæ, Carneadis, et aliorum Academicorum opinionem clarissime explicat Cicero, lib. III de Orat. pag. 193; lib. II de Finib. pag. 58 : lib III de Offic. pag. 390 : de Divinat. lib. II. pag. 301 : præcipue lib. I Academ. quæst. pag. 10, et lib. IV, pag. 15, 14, et seqq.; et Diogenes Laertius lib. IV de Vit. et Dogmat. Philosoph. ubi utriusque Arcesilæ et Carneadis vitam scripsit. Augustinus lib. XIX de Civitat. cap. 18, et lib. III, cont. Academ. pag. 284. Gellius lib. XI Noct. Attic. cap. 5, ubi Academicos inter et Pyrrhonios quid discriminis intersit, perspicue enucleat; Vossius, Jonstonus, et alii, qui de philosophis eorumque sectis plura litteris mandaverunt. Nos autem de vana Academicorum secta, ac nominatim de Arcesilao et Carneade', tomo primo hujusce Apparatus lib. III, dissert. 2, cap. 17, art. 5, pag. 1134 disputavimus. Quis porro non intelligit quo jure Minucius, confutato rejectoque Socrate, horum omnium opiniones, et testimonium flocci nihilique facit, ac penitus adspernatur?

Non majoris illud apud eum est pretii, quod ex Simonide paulo fusius urget Cæcilius. « Quid? Simonidis Melici, inquit, nonne admiranda omnibus et sectanda cunctatio est? Qui Simonides cum de eo quid et quales arbitraretur deos, ab Hierone tyranno quæreretur, primo deliberationi diem petiit, postridie biduum prorogavit, mox alterum tantum admonitus adjunxit; postremo cum causas tantæ moræ tyrannus inquireret, respondit ille quod sibi quanto inquisitio tardior pergeret, tanto veritas fieret obscurior. » A Cicerone autem hæc mutuatus esse videtur. Latinus enim orator eadem sic narrat : « Rogas me quid aut qualis sit Deus? Auctore utar Simonide, de quo cum quæsivisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi causa sibi unum diem postulavit. Cum idem ex eo postridie quæreret, biduum petivit; cum sæpius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero quæreret, cur ita faceret : Quia quanto, inquit,

Digitized by Google

diutius considero, tanto mihi videtur obscurior (*Cic. lib.* I *de Natur. Deor. pag.* 204, *lin.* 12, *et seqq.*). » Ibi vero Simonides ab eodem Cicerone « Poeta suavis » appellatur, atque inde, ut ait Suidas, Μελικέρτης, Melicertus, propter suavitatem vocatus. Quapropter corrupte in manuscripto regio Minucii nostri codice legitur *Simonidis Melchi*, nec male in editis *Melici* restitutum. Illius autem Pausanias meminit, et Ælianus, patria Ceum fuisse testificatur. Nos autem de illo jam disseruimus (*Pausan. lib.* I *Attt. pag.* 2, *Ælian. lib.* IV *Variar. Hist. cap.* 15, *lib.* IX, *cap. ult. et lib.* XII, *cap.* 25. *Tom.* I, *Apparat. lib.* III, *dissert.* 2, *cap. ult. art. ult. pag.* 1284).

Quam vili porro Minucius pendat non solum hunc Simonidem, vel Arcesilaum et Carneadem, sed etiam Pyrrhonem aliosque omnes Academicos et gentiles philosophos, ex his ejus verbis collige : « Arcesilas, et Carneades, et Pyrrho, » de quo Laertius, Eusebius, et alii, nosque alibi, « et omnis Academicorum multitudo deliberet; Simonides etiam in perpetuum comperendinet : philosophorum supercilia contemnimus, quos corruptores et adulteros novimus, et tyrannos, et adversus sua vitia facundos. Nos non habitu sapientiam, sed mente præferimus; non eloquimur magna, sed vivimus : gloriamur nos consecutos, quod illi summa intentione quæsiverunt, nec invenire potuerunt ( *Laert. lib.* IX *in Vita Pyrrh. Euseb. lib.* XIV, *Præpar. Evang. cap.* 17 *et* 18, *pag.* 350). »

Similiter Cyprianus, qui ex his verbis quædam in suum de *Bono Patientiæ* librum sic transtulit : « Philosophos nec humiles videmus esse, nec mites, sed sibi multum placentes, sed hoc ipso quod sibi placeant, Deo displicentes... Nos autem, qui philosophi non verbis, sed factis sumus, non vestitu sapientiam, sed veritate præferimus, qui virtutum conscientiam magis, quam jactantiam novimus : qui non loquimur magna, sed vivimus (*Cypr. lib. de Bono Patient. post init. pag.* 210, *et seqq.*). »

Cæterum Tertullianus, de quo nos suo loco (*Dissert. in Tertull. cap.* 4, *art.* 4), eadem de Thalete, quæ Minucius de Simonide hunc retulit in modum : « Quid Thales ille princeps physicorum sciscitanti Crœso de Divinitate certum renuntiavit, commeatus deliberandi sæpe frustratus ( *Tertull. Apologet. cap.* 46, *pag.* 40). Recte ergo Minucius concludit neque humanam infirmitatem, neque professam philosophorum ignorationem prohibere umquam potuisse, quin Christiani de Deo cœlestibusque rebus disputarent. Nam ante Minucium nostrum Tertullianus citato jam loco dixerat : « Deum quilibet opifex christianus et invenit et ostendit, et exinde totum, quod in Deo quæritur, re quoque assignat : licet Plato affirmet factitatorem universitatis neque inveniri facilem, et inventum in omnes enarrari difficilem. » Denique ibi Tertullianus, ut fusius suo loco ostendemus, ea probat quæ de philosophorum vitiis dixit Minucius.

### ARTICULUS IV.

*Examinantur argumenta, quibus Deum existere negat Cæcilius, et Octavius demonstrat.*

Cum Cæcilius sua in disputatione partes officiumque Academicorum, uti diximus, sustineat, nihil mirum, si ab ipso orationis exordio asseveranter affirmet, nullo plane negotio probari posse « omnia in rebus humanis dubia, incerta, suspensa, magisque omnia verisimilia, quam vera. » Quamvis autem tam absurdæ insulsæque propositionis falsitas a nobis post Octavium in superioribus articulis abunde demonstrata sit, inde tamen Cæcilius conficere conatur nemini hactenus certum exploratumque fuisse utrum Deus existat : « Sint principio, inquit, omnium semina, natura in se coeunte, densata, quis hic auctor Deus? Sint fortuitis concursionibus totius mundi membra coalita, digesta, formata, quis Deus machinator? Sidera licet ignis accenderit, et cœlum licet materia sua suspenderit, licet terram fundaverit pondere, et mare licet influxerit liquor, unde hæc religio, unde formido, quæ superstitio est? » At his certe verbis Cæcilius rejecta ab aliis philosophis Democriti et Epicuri opinione, qua ut Cicero aliique aiunt, atomorum motu et concursione omnia formata esse arbitrabantur, verum Christianorum de Deo documentum labefactare molitur (*Cic. lib.* I *de Fin. pag.* 41, *et seqq. et lib.* I *Acad. Quæst. pag.* 4; *et lib.* I *de Nat. Deor. pag.* 203, 204, *et seqq.*; *Laert. lib.* IX *et* X, *in Democ. et Epic. Vita. Theodoret. serm.* 2, *pag.* 487, *et serm.* 4, *pag.* 528, *Gassend. tom.* I, *pag.* 256, *et seqq. tom. Synt. philosop. Epicur. part.* 2, § 1, *cap.* 15; *et nos. tom.* I. *Apparat. pag.* 435 *et* 1136). Apud ipsum enim Ciceronem Velleius Epicureus Platonis de Deo sententiam refellere eadem argumentatione connisus est : « Quibus, inquiebat, oculis intueri potuit vester Plato fabricam illam tanti operis, quæ construi a Deo, atque ædificari mundum facit? Quæ molitio? quæ ferramenta? qui vectes? quæ machinæ? qui ministri tanti muneris fuerunt? Quemadmodum autem obedire et parere voluntati architecti aer, ignis, aqua, terra potuerunt! Unde vero ortæ illæ quinque formæ, ex quibus reliqua formantur, apte cadentes ad animum efficiendum, pariendosque sensus. Longum est iter ad omnia, quæ talia sunt; ut optata magis, quam inventa videantur ( *Cic. lib. de Nat. Deor. pag.* 198, *lin.* 22)? »

At Cæcilius haud dubie existimabat hoc Ciceronis cuniculo omnes expugnari philosophorum de Deo opiniones. Si enim fortuito atomorum motu et concursu cuncta composita sunt, atque elementa sine ullo artifice vel auctore in se ipsa refluunt ac revolvuntur, nullus profecto Deus existit, aut certe dubium illud incertumque est.

Sed recte respondet Octavius, eos, qui mundum omnemque ejus ornatum frustis quibusdam seu atomis temere, ac fortuito sibi cohærentibus, conglobatum esse censent, videri nec mentem, nec sensum

Digitized by Google

nec oculos habere. Prius vero Cicero dixerat : « Hic ergo non mirer esse quemquam, qui sibi persuadeat corpora quædam solida atque individua vi et gravitate ferri, mundumque effici ornatissimum et pulcherrimum ex eorum corporum concursione fortuita? Hoc qui existimat fieri potuisse, non intelligo cur non idem putet, si innumerabiles unius et viginti formæ litterarum, vel aureæ, vel qualeslibet aliquo conjiciantur, posse ex his in terram excussis, annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici. Quod nescio an ne in uno quidem versu possit tantum valere fortuna..... Quod si mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, aut urbem non potest, quæ sunt minus operosa, et multo quidem faciliora? Certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem numquam hunc admirabilem cœli ornatum, qui locus est proximus, suspexisse videatur (*Cic. lib.* II *de Natur. Deor. pag.* 228, *lin.* 6). » Neque semel id dixisse contentus, alio in libro brevius quidem, sed non minus perspicue repetit : « Esse, inquit, præstantem aliquam æternamque naturam, et eam suspiciendam admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum cœlestium cogit confiteri (*Idem, lib. de Divinat. pag.* 301, *lin.* 22). »

Nec est quod nobis atheus nescio quis, aut pertinax incredulus objiciat Ciceronem academicam sectam secutum fuisse, qui omnia incerta esse opinabatur, atque utrum verus Deus, aut alii gentilium dii exsisterent revera dubitabat. Non enim quærimus quid ille sentiret, nec utrum timore aliquo non auderet, quem cognoscebat verum Deum, palam confiteri. Sed expendimus quanti momenti sit illius argumentum. Atqui nemo est sani capitis homo, qui negare possit eo invictissime demonstrari unicum existere Deum, rerum omnium creatorem et rectorem. Quoquo enimvero oculos, uti ait Octavius, sive sursum, sive deorsum, sive ultro citroque vertat, tam facile, quam certo comperiet esse aliquod præstantissimæ mentis numen, a quo omnia facta sunt, ac gubernantur.

Uterque autem et Cicero et Octavius illud haud brevi rerum creatarum enarratione manifestissime comprobant. Et Octavius quidem ex cœlo, rapidoque ejus, ac solis et lunæ rato statoque motu; ex ejusdem lunæ senio et labore, id est, variis illius erroribus sive incrementis et decrementis, uti ex Cicerone mox citando, atque Marone intelligere est (*Virgil. lib.* II *Georg.* v. 478); item lucis ac tenebrarum continuata vicissitudine, siderum ordine ac dispositione; stabili frugum, et quatuor anni tempestatum varietate; mari suis orarum littorumque finibus circumscripto; reciprocatis Oceani æstibus; perenni fluminum fluviorumque cursu, rectis montibus, collibus flexis, porrectisque campis; naturali animantium tutela; ac præcipue hominis pulchritudine, illiusque membris, quorum nullum nisi necessitatis aut decoris causa formatum, atque ipsa hominum omnium figura; qua etsi sibi videantur similes, certis tamen lineamentis singuli dissimiles inveniuntur; ac tandem ex indita unicuique aut ratione nascendi, aut generandi cupidine.

Cicero autem hanc inductionem longe fusius prosequitur, atque plurimam totius secundi de Natura Deorum libri partem, in eam explicandam enucleandamque (*Cicer. lib.* II *de Natur. Deor. pag.* 228, *et seqq.*). Longius profecto esset, et parum utile ea omnia, quæ ab illo, more suo elegantissime dicta, et a Minucio nostro delibata sunt, hic transcribere; vel eo maxime, quod a quolibet apud eum facile videri possint. Satis itaque nobis erit si observemus ibi nos a Cicerone, quantumvis Academicorum sectatore, admoneri hoc argumentum non modo a quibusdam tractari philosophis, ac nominatim a Cleanthe, sed omnes etiam philosophos debuisse eo plane penitusque convinci. « Nam philosophi, inquit, debuerunt, si forte eos primus adspectus mundi conturbaverat, postea cum vidissent motus ejus finitos, et æquabiles, omniaque ratis ordinibus moderata, immutabilique constantia, intelligere inesse aliquem non solum habitatorem in hac cœlesti ac divina domo, sed etiam rectorem ac moderatorem, et tamquam architectum tanti operis, tantique muneris (*Lib.* II *de Nat. Deor. pag.* 227; *ibid. p.* 216). » Alia his plane similia eodem in libro jam dixerat. Sed adire adhuc poteris Philonem Judæum, auctorem libri de Monarchia, et Quæstionum græcarum, Athenagoram, Theophilum Antiochenum, Irenæum, Lactantium, Athanasium et alios.

Quid vero, quod non hi tantummodo ethnici, Judæi, ac Christiani scriptores, sed recentiores etiam scholastici, ac præsertim D. Thomas, qui ad demonstrandam, uti hi loquuntur, Dei existentiam, hoc argumento, eoque aliis tanto gravioris momenti, utuntur, quanto ab omnibus facilius percipi intelligique potest. Quamobrem Apostolus inde asseveranter pronuntiat neminem esse hominem, qui possit ullam prorsus ignorati a se Dei habere excusationem. Nam « Invisibilia, inquit, ipsius a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sempiterna quoque ejus virtus et divinitas; ita ut sint inexcusabiles (*Roman.* I, 20). » Hinc Tertullianus : « Et hæc ait, est summa delicti nolentium recognoscere, quæ ignorare non possunt (*Tertull. Apolog. cap.* 17, *pag.* 18). » Cyprianus vero iisdem pene verbis : « Atque est summa delicti, nolle agnoscere, quem ignorare non possis (*Cypr. lib. de Idol. Vanit. p.* 14). » Quod quidem ante utrumque a Clemente Alexandrino assertum vidimus (*tom.* I *Appar. dissert.* 2, *cap.* 6, *art.* 1, *pag.* 948).

### ARTICULUS V.

*Expenditur aliud Minucii argumentum, quo Deum intimo hominum sensu, ac ipsa eorum conscientia cognitum, revera existere demonstrat.*

Ethnicos Minucius noster a creaturis, mirandoque prorsus totius mundi ornatu, ad se ipsos, intimumque eorum sensum, ac propriam uniuscujusque con-

Digitized by Google

scientiam revocat. Dei quippe revera exsistentis idea, et cognitio, inquit, illorum animis adeo insita ingenitaque est; ut non modo philosophi, ac docti, sed plebeii etiam et indocti, natura duce, eum existere palam aperteque variis in occasionibus confiteantur. « Quid, inquit Minucius, quod omnium de isto habeo consensum? Audio vulgus, cum in cœlum manus tendunt, nihil aliud, quam Deum dicunt : et, Deus magnus est; et, Deus verus est; et, Si Deus dederit. Vulgi iste naturalis sermo est, aut Christiani confitentis oratio? »

Præterea ibi ille continenter adjecit ethnicos, falso Jovis deorumque suorum nomine, verum ipsummet Deum reipsa appellare. « Qui Jovem, inquit, principem volunt, falluntur in nomine, sed de divina potestate consentiunt. » Eadem plane Cyprianus, ut antea vidimus, scriptis tradidit. Sed utrique præiverat Tertullianus, qui in eosdem ethnicos simili plane modo argumentatur : « Vultis, inquit, ex animæ ipsius testimonio comprobemus » unum videlicet dumtaxat rerum Deum exsistere? « Quæ licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus ac concupiscentiis evigorata, licet falsis deis exancillata; cum tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valetudine, Deum nominat, hoc solo, quia proprie verus hic unus Deus bonus et magnus; » ita codices manuscripti antiquiores et melioris notæ, quemadmodum suo loco videbimus. « Et, quod Deus dederit, omnium vox est. Judicem quoque contestatur illum : Deus videt : et, Deo me commendo; et, Deus mihi reddet O testimonium animæ naturaliter christianæ! Denique pronuntians hæc, non ad Capitolium, sed ad cœlum respicit. Novit enim sedem Dei vivi. Ab illo enim et inde descendit (*Tertull. Apolog. cap.* 17, *p.* 18). »

Sed hæc ille adhuc fusius alio in libro prosequitur. Quæ quidem omnia describere cum longius foret, nonnulla, atque ea in primis, quæ ad secundum Minucii nostri locum faciunt, proferemus : « Te palam, inquit, et tota libertate, qua non licet nobis, domi ac foris audimus ita pronuntiare : Quod Deus dederit : et, Si Deus voluerit. Ea voce et aliquem esse significas, et omnem illi confiteris potestatem, ad cujus spectas voluntatem : simul et cæteros negas deos esse, dum suis vocabulis nuncupas, Saturnum, Jovem, Martem, et Minervam. Solum Deum confirmas, quem tantum Deum nominas; ut cum illos interdum deos appellas, de alieno, et quasi pro mutuo usa videaris. De natura quoque Dei, quam prædicamus, nec te latet. Deus bonus, Deus benefacit, tua vox est (*Lib. de Testimon. animæ cap.* 2, *pag.* 81). » In libro quoque ad Scapulam : « Populus, inquit, acclamans Deo Deorum, qui solus potens est, in Jovis nomine, Deo nostro testimonium reddidit (*Idem, lib. ad Scapul. cap.* 4, *pag.* 87). »

At illud, inquit, est « testimonium animæ naturaliter christianæ, » in hoc videlicet, quod insitam a natura habeat veri Christianorum Dei cognitionem. Non enim minus perspicue, sicut suo loco videbimus, alibi affirmat fieri, non nasci Christianos. Quamobrem Minucius noster dixit : « Vulgaris iste naturalis sermo est, aut christiani confitentis » Deum scilicet existere « oratio. » Ubi vero hoc primum ac præcipuum veræ religionis documentum variis comprobavit philosophorum gentilium testimoniis, ex iis concludit « aut nunc Christianos esse philosophos, aut philosophos jam tunc fuisse Christianos, » in hoc, quod verum Deum, non vero alia Christianæ religionis placita agnoverint. Sed de hoc adhuc in nostra de Tertulliani Apologetico dissertatione.

Cæterum eodem plane, quo ille, et Minucius noster, modo argumentatur Arnobius : « Da, inquit, verum judicium, et hæc omnia circumspiciens, quæ videmus, magis an sint dii cæteri, dubitabit, quam in Deo cunctabitur, quem esse omnes naturaliter scimus, sive cum exclamamus : O Deus! sive cum illum testem constituimus improborum, et quasi nos cernat, faciem sublevamus in cœlum (*Arnob. lib.* II *advers. Gent. init. pag.* 43). »

Denique Lactantius similiter in ethnicos disputat : « Nam cum jurant, inquit, et cum optant, et cum gratias agunt, non Jovem, aut deos multos, sed Deum nominant, adeo ipsa veritas, cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit..... At vero si qua necessitas gravis presserit, tunc Deum recordantur. Si belli tremor infremuerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegaverit, si sæva tempestas, si grando ingruerit, ad Deum confugiunt, a Deo petitur auxilium; Deus, ut subveniat, oratur. Si quis in mari, vento sæviente, jactatur, hunc invocat. Si quis aliqua vi afflictatur, hunc protinus implorat. Si quis ad extremam mendicandi necessitatem deductus, victum precibus exposcit, Deum solum obtestatur, et per ejus divinum atque unicum numen (*Lactant. lib.* II *Institut. cap.* 2, *pag.* 138). »

Porro illa Dei cognitio ita menti hominum intimisque sensibus ingenerata est, ut a nemine sine magno piaculo ignorari possit. Nam « ignorare, ait auctor noster, nec fas est, nec licet ingerentem sese oculis, et sensibus nostris cœlestem claritatem. » Quamobrem ille postea fidenter asseverat, quoslibet Deum ignorantes non secus atque impios, debitis mulctandos esse pœnis ac suppliciis. Loquentem illum si audire velis, ecce ipsamet ejus verba : « Eos merito, qui Deum nesciunt, ut impios, ut injustos, nisi profanus nemo deliberat; cum parentem omnium, et omnium Dominum non minoris sceleris sit ignorare, quam lædere. » Sed jam audisti citatos a nobis Paulum Apostolum, Tertullianum, Cyprianum eadem de illis pronuntiantes, qui nec ex rebus creatis, nec ex illa ingenita mentibus suis Dei cognitione, illum agnoscunt, aut volunt agnoscere.

At huic de homini innata Dei cognitione opinioni quantum gentiles etiam philosophi faveant, ex illorum Oratore latino accipe : « Quæ est, inquit, gens aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quamdam deorum, quam appellat πρόληψιν Epicurus, id est, anteceptam animo

Digitized by Google

rei quamdam informationem, sine qua nec intelligi, nec quæri, nec disputari possit..... Cum enim non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, mancatque ad unum omnium firma consensio, intelligi necesse est esse deos; quoniam insitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus. De quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est. Esse igitur deos confitendum est » (Cic., lib. I *de Natur. Deor.*, pag. 202, lin. 5 et seqq.). Quid autem illa hominis ethnici confessione et argumentatione verius, nisi deos suos pro vero et unico Deo dixisset? At vide, quæso, an hunc errorem emendaverit, ubi Ennii testimonio ostendit hunc verum Deum, sicuti Minucius et Tertullianus aiunt, Jovis nomine ab omnibus invocari : « Quod ni ita esset, » inquit, « qui potuisset assensu omnium dicere Ennius :

Aspice hoc
Sublime candens, quem invocant omnes
Jovem.

Illum vero et Jovem et dominatorem rerum, et omnia nutu regentem, et ut idem Ennius,

Patrem Divumque hominumque.

et præsentem, ac præpotentem Deum. Quod qui dubitat, haud sane intelligo, cur non idem, sol sit, an nullus sit, dubitare possit » (lib. II *de Nat. Deor.*, pag. 214, lin. 12 et seqq.).

## CAPUT IV.

### DE DEO UNO.

#### ARTICULUS PRIMUS.

*Examinatur argumentum, quo Octavius ethnicorum poetarum Homeri et Virgilii, philosophorum Thaletis, Anaximenis, Diogenis Apolloniatis, Anaxagoræ, Pythagoræ et Xenophanis auctoritate unum dumtaxat Deum esse ostendit.*

Quemadmodum Minucius validissimis rationum momentis, ac communi omnium populorum consensu demonstrat Deum revera existere : ita etiam illum plane unicum esse, ipsorummet ethnicorum cum poetarum tum philosophorum testimonio luculenter ostendit. A poetis autem sic orditur : « Audio, » inquit, » poetas quoque unum patrem divum atque hominum prædicantes, et talem esse mortalium mentem, qualem parens omnium dixerit. »

Utrum vero unius poetæ Græci vel Latini, an plurium sint hæc verba, a nobis fortasse aliquis requiret. At in fine superioris articuli vidimus Jovem, quem omnes invocant, ab Ennio poeta vocari « Patrem divumque hominumque. » Cicero autem ibi Balbum Stoicum inducit hæc ipsa verba citantem, quibus præstantissimæ mentis numen existere confirmet. Testatum præterea Augustinus facit eumdem Ciceronem (August., lib. V *de Civit.*, cap. 8, p. 121), ubi probat a Stoicis Jovem « quem summum Deum » putabant, appellari, hos citasse Homeri versus, sicque in latinam vertisse linguam :

Tales sunt hominum mentes quali pater ipse
Jupiter, auctiferas lustravit lumine terras.

Hi autem versus apud ipsummet Homerum sic græce exhibentur :

Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.
(Hom., *Odyss.* XXVIII, v. 135.)

Quos latinus interpres sic reddidit :

Talis enim mens est terrestrium hominum
Qualem quotidie ducit pater hominumque deorumque.

Scimus quidem a Lactantio traditum, nihil ab Homero dari potuisse quod pertineat ad veritatem; quippe qui humana potius quam divina conscripserit (Lactant., lib. I *Instit. divin.*, cap. 5, pag. 21). Verum præterquam quod Cicero hæc carmina tamquam probata Stoicis citavit, ea sane Minucii nostri proposito sic congruunt, ut ad illa collineasse plane videatur. Si quis tamen, aut Ennium, aut alios poetas ibi ab illo citari nobis recte probaverit, illi statim subscribemus.

Alter poeta a Minucio, quemadmodum postea a Lactantio (Lactant., lib. I *Instit. divin.*, cap. 5, pag. 22), nomine suo sic appellatur : « Quid Mantuanus Maro? Nonne apertius, proximius, et verius, » id est, propius ad veram de Deo sententiam accedit, eamque apertius et verius decl rat? Illius tamen versus auctor noster nec integros, nec quo in libro habeantur, sed eorum dumtaxat sensum, et quædam verba quamvis ex duobus ejus libris excerpta, hunc exhibet in modum : « Principio cœlum et terras, et cætera mundi membra, spiritus intus alit, et infusa mens agitat; inde hominum pecudumque genus, et quidquid aliud animalium. » Idem alio loco mentem istam et spiritum nominat. Hæc enim ejus sunt : « Deum namque ire per omnes terrasque tractusque maris, cœlumque profundum : unde homines et pecudes, unde imber et ignes. » Non igitur inutilis omnino quibusdam operæ pretium erit integros versus illos describere, et indicare ubi reperiantur. Priores autem in sexto Æneidos libro sic leguntur :

Principio cœlum, terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra,
Spiritus intus alit; totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet :
Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.
(Virgil., *Æneid.*, l. VI, v. 719 et seqq.)

Posteriores vero in Georgicorum libro quarto sic habentur :

Deum namque ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum,
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum;
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.
(Idem, l. IV. *Georgic.*, v. 220 et seqq.)

In hos autem, ac potissimum priores versus legendæ sunt Servii observationes. Plures alios ac præcipue Græcos poetas, de quibus superiore tomo egimus, Minucius citare poterat (tom I *Apparat.*, pag. 784) : sed quia Homerum, uti apparet, omnium Græcorum poetarum, Maronem vero Latinorum coryphæum ac principem fuisse nemo non fatetur, idcirco horum testimonia ad præcipuum illud christianæ religionis



Digitized by Google

dogma probandum satis superque esse existimavit.

Ad celebriores itaque philosophos transit, probatque eos in eamdem, etsi non iisdem verbis, re tamen vera conspirasse sententiam. A Thalete autem dicendi sic facit initium : « Thales Milesius, qui primus omnium de cœlestibus disputavit, rerum initium aquam, » ut alibi vidimus, « dixit, Deum autem eam mentem quæ ex aqua cuncta formaverit » (tom. I *Apparat.*, pag. 434 et 776). Et hæc quidem decerpta videntur ex Cicerone, ubi de eadem, ac Minucius noster, quæstione disputat. Philosophorum enim, sicuti ille, opiniones ibi recenset, atque ab eodem quoque Thalete sic incipit : « Thales Milesius, qui primus de talibus rebus quæsivit, aquam dixit esse initium rerum, Deum autem eam mentem quæ ex aqua cuncta fingeret » (Cic., lib. I *de Nat. Deor.*, p. 199. B lin. 20) Eadem porro Lactantius, ac totidem pene ac Minucius verbis postea tradidit (Lactant., lib. I *Institut. divin.*, cap. 5, pag. 24).

Sed Minucius hæc continenter subjunxit, quæ incuria amanuensium librariorum ita depravata sunt, ut sine aliquo novo codice manuscripto vix a quoquam vera eorum lectio inveniri queat. In editis etenim nostris sic exhibentur : « Et (ms. reg. *eo*, Rigaltius *eho*) altior et sublimior aquæ et spiritus ratio, quam ut ab homine potuerit (ms. reg. *poterit*, male), inveniri, a Deo tradita (ms. reg. *traditum*). » Nonne horum verborum initio pro voce *eo*, legendum *sed*, vel ejuscemodi aliquid? Ut ut sit, sensus Minucii esse videtur altiorem et sublimiorem esse aquæ et spiritus, tamquam rerum omnium causæ, ut aiunt, materialis C et efficientis rationem, quam ut ab homine potuerit inveniri, nisi a Deo ipso edoceatur Quamobrem Thales hoc invenire non potuit, quod a solo Deo traditum est. Verumtamen id ille poterat discere ab Ægyptiis quibuscum, ut alibi diximus, congressus fuerat. Ægyptii autem a Moyse, et hic a Deo illud acceperat (tom. II *Apparat.*, pag. 1120, et seqq.).

« Anaximenes deinceps, » pergit Minucius, « et post, Apolloniates Diogenes aera infinitum et immensum. » Verum Cicero utriusque opinionem separatim explicat. Et primum quidem de Anaximene hæc illius sunt verba : « Anaximenes aera Deum statuit, eumque gigni, esseque immensum et infinitum, et semper in motu » (Cic., lib. I, *de Nat Deor.*, pag. 199, lin. 25). Minucius vero hæc verba, « eumque gigni, » D de industria omisit : nam ille prioribus verbis eo magis a vera nostra de Deo sententia aberrabat, quo propius subsequentibus, « infinitum et immensum, » ad eam accedere videtur.

De Diogene vero Apolloniate ita Tullius postea : « Quid aer, quo Diogenes Apolloniates utitur Deo, quem sensum habere potest, aut quam formam Dei? » (Idem Cic., ibid., pag. 200, lin. 10.) Quis vero qualisve fuerit ille aer, quo Diogenes Apolloniates Deo utebatur, tacet quidem latinus ille orator : sed ab Augustino his verbis declaratur : « Diogenes, Anaximenis alter auditor, aerem quidem dixit rerum esse materiam, de qua omnia fierent, sed cum esse compotem divinæ rationis, sine qua nihil ex eo fieri posset » (Aug., lib. VIII *de Civit.*, cap. 2). Vides sane quam merito jure Minucius dixerit eamdem esse utriusque Anaximenis et Diogenis de Deo opinionem, eamque a christiana non prorsus abhorrere. Quamvis enim ab aliis ideo dissentiat, quod aerem rerum materiam dixerit, in hoc tamen cum Christianis consentit, quod pro certo habuisse videatur aerem, divinæ rationis compotem, rerum omnium efficientem esse causam.

Non desunt enim scriptores qui suspicantur hos philosophos aeris infiniti immensique nomine intellexisse non hunc quidem quem spiramus aerem, sed divinum quemdam spiritum, quemadmodum Virgilium canentem audivimus, quo tota mundi machina B fovetur et animatur. Huic autem suspicioni favere videntur hæc Plutarchi apud Eusebium de Anaximenis opinione verba : « Anaximenes Milesius aerem ejusmodi principium esse docuit; ex eo enim omnia nasci, in eumque vicissim cuncta dissolvi. Nam animus, ψυχή, noster, exempli causa, aer est, nosque fovet ac tuetur, cunctumque adeo mundum spiritus aerque, πνεῦμα καὶ ἀήρ, complectitur : est autem spiritus eademque aeris significatio, λέγεται δὲ συνωνύμως ἀὴρ καὶ πνεῦμα » (Euseb., lib. XIV *Præpar. Evang.*, cap. 14, pag. 74). In primo autem Plutarchi *de Philosophorum Placitis* libro hæc leguntur (Plutarch., lib. I *de Placit. Philos.*, cap. 3, pag. 876, tom. 2). Sed ibi Anaximenes ab eo redarguitur, quod rerum duntaxat materiam, non vero efficientem causam C assignaverit. Prius vero Eusebius ex alio Plutarchi libro *Stromatum* non aliud ab Anaximene assertum fuisse narrat, nisi aerem, quem infinitum putabat, rerum omnium esse principium. Sed hæc ita explicat Laertius, tamquam Anaximenes duo inde prima rerum principia constituerit (Laert., lib. II, § 3, et lib. IX § 57). At hi fortasse aut non totam illius, neque Diogenis Apolloniatis sententiam exposuere, aut *infiniti* nomine spiritus immensus intelligendus est. De utriusque porro opinione videsis alios, a nobis alibi laudatos auctores, et Augustinum Epist. CXVIII, ad Dioscorum, pag. 338 (tom. I *Apparat.*, lib. II, dissert. 2, § 29. pag. 435, et lib. III, dissert. 3, cap. 1, art. 1, pag. 776).

Pergit Minucius : « Anaxagoræ, descriptio et motus D infinitæ mentis Deus dicitur. » Similiter Cicero : « Inde, » inquit, « Anaxagoras, qui accepit ab Anaximene disciplinam, primus omnium rerum descriptionem et motum, mentis infinitæ vi ac ratione designari et confici voluit » (Cic., lib. I *de Nat. Deor.*, p. 199, lin. 22). Alibi vero paulo aliter : « Anaxagoras materiam infinitam, sed eas particulas similes inter se, et minutas, eas primum confusas, postea in ordinem reductas a mente divina » (lib. IV *Acad. quæst.*, pag. 33, lin. 12). Sed illius opinionem Laertius longe enodatius certiusque ex illius libris, et Timonis auctoritate sic exposuit : Πρῶτος τῇ ὕλῃ νοῦν ἐπίστησεν, ἀρξάμενος οὕτω τοῦ συγγράμματος, ὅ ἐστιν ἡδέως, καὶ μεγαλορρόνως ἐρμηνευόμενον· Ἥντα χρήματα ἦν ὁμοῦ, εἶτα νοῦς

Digitized by Google

ἐλθὼν αὐτὰ διεκόσμησε· παρ' ὃ καὶ νοῦς ἐπεκλήθη· καί φησι περὶ αὐτοῦ Τίμων, ἐν τοῖς Σίλλοις οὕτω.

Καί σου Ἀναξαγόρην φάσ' ἴμμεναι, ἄλκιμον ἥρω,
Νοῦν, ὅτι δὴ νόος αὐτῷ, ὃς ἐξαπίνης ἑκαγείρας
Πάντα συνεσφήσσειν ὁμοῦ τετραμμένα πρόσθεν.

« Primus hic materiæ mentem adjecit, in principio Operis sui, suavi et magnifica oratione sic scribens : « Omnia simul erant, deinde accessit mens, eaque composuit; quamobrem et mens sive animus, ὁ νοῦς, dicitur. Timon hoc ipsum de Anaxagora in Sillis decantavit :

Nunc ubi Anaxagoras, mens est, fortissimus heros,
Qui mentem subito, nam mens non defuit illi,
Composuisse putat fuerant quæ incondita quondam. »

De illo quoque plura Lucretius, atque etiam Augustinus, et nos quoque locis jam citatis (Lucret., lib. I, ante fin.).

Dehinc Minucius : « Pythagoræ Deus est animus, per universam rerum naturam commeans, et intentus, ex quo etiam animalium omnium vita capiatur. » Ex Cicerone hæc adhuc auctor noster delibavit : « Pythagoras, » ait ille, « censuit animum esse per naturam rerum intentum et commeantem, ex quo animi nostri carperentur » (Cic., lib. I, *de Nat. Deor.*, p. 199, lin. 37). Utrumque haud dubie secutus est Lactantius. Atque eo etiam recidit, quod de asserta ab illo Pythagorea unitate et dualitate Laertius Plutarchusque memorant, uti liquet ex his quæ de eodem philosopho superiori *Apparatus* nostri tomo locis jam citatis observavimus (Lactant., lib. I *Instit. divin.*, cap. 5, pag. 24, et lib. *de Ira Dei*, cap. 11, pag. 796; Laert., lib. VI *in Vit. Pythag.*; Plutar., lib. I. *de Pl. Philosoph.*, pag. 876, tom. 1, *Apparat.*, pag 783).

Post hæc autem Minucius : « Xenophanem, » inquit, » notum est omne infinitum cum mente, Deum tradere. » Ciceronis autem hæc sunt verba ipsissima : « Tum Xenophanes, mente adjuncta, omne præterea quod esset infinitum, Deum voluit esse » (Cic., lib. I *de Natur. Deor.*, pag. 199, lin. 4). At Laertius paulo aliter, sed non alio prorsus sensu narrat eum existimavisse : « Dei substantiam globosam esse, nihilque cum hominibus habere commune. Totum cernere, totumque audire, non tamen respirare. Simulque esse omnia, mentem, prudentiam, æternitatem » (Laert., lib. IX, § 15). Ibi autem hac voce σφαιροειδῆ, globosam seu rotundam substantiam, nihil aliud nisi infinitam significat. Ea autem idcirco usus est, quia figura rotunda neque initium habet neque finem. Quapropter rursus Cicero alio in libro eamdem Xenophanis sententiam his retulit verbis : « Xenophanes dixit unum esse omnia, neque id esse mutabile, et id esse Deum, neque natum umquam, et sempiternum, et conglobata figura » (lib. IV Academ. quæst., pag. 33). Ante Minucii porro ætatem Clemens Alexandrinus aperte docuit hanc Xenophanis sententiam consentaneam esse christianæ doctrinæ, hisque Isaiæ verbis : « Cui assimilavistis me, dicit Dominus? »

A Quod quidem hunc ille probat in modum : Εὖ γοῦν καὶ Ξενοφάνης ὁ Κολοφώνιος διδάσκων, ὅτι εἷς καὶ ἀσώματος ὁ Θεός, ἐπιφέρει.

Εἷς Θεὸς ἔν τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισι μέγιστος
Οὔ τι δέμας θνητοῖσιν ὁμοῖος, οὐδὲ νοῆμα.

« Recte ergo Xenophanes Colophonius docens unum esse Deum, et incorporeum, subjungit : »

Maximus in genere est divum atque hominum Deus unus,
Qui nec corpore, nec mente est mortalibus ullis Assimilis.

Hunc locum quem alibi breviter attigimus, integrum descripsit Eusebius; qui tamen alio in loco Plutarchi verba exhibet, quibus longe aliter Xenophanis de Deo opinionem repræsentat. Videsis Epiphanium atque Theodoretum (tom. I *Apparat.*, pag. 1113; Euseb., lib. XIII *Præpar. Evang.*, cap. 13, pag. 679, et lib. I, cap. 8, pag. 23; Epiphan., *Exposit. fid.*, pag. 1087; Theodor., *Serm.* 2, *de Græc. Affect. curat.*, pag. 486).

B

ARTICULUS II.

*De aliis gentilibus philosophis Antisthene, Speusippo, Democrito, Stratone, Epicuro, Aristotele, Heraclide Ponlico, Theophrasto, Cleanthe, Zenone, Chrysippo, Diogene Babylonio, Xenophonte, Aristone et Platone.*

Ad alios gentiles philosophos gradum, si placet, cum Minucio nostro faciamus. Quidnam autem de Deo Antisthenes ac Speusi pus censuerint, ille sic enarrat : « Antisthenem, populares deos multos, sed naturalem unum præcipuum : Speusippum vero naturalem animalem, quo omnia reguntur, Deum nosse. » At hæc procul dubio ex Cicerone mutuatus est, qui de utroque totidem pene verbis dixerat : « Antisthenes in eo libro qui *Physicus* inscribitur, populares deos multos, naturalem unum esse dicit.... Nec multo secus Speusippus (in manuscripto regio *Seuxippus*, sed male) Platonem avunculum subsequens, vim quamdam dicit, qua omnia regantur, eamque animalem » (*Cic., lib.* I *de Natur. Deor. pag.* 200, *lin.* 21). De illa Antisthenis opinione Lactantius postea litteris eadem mandavit (*Lactant., lib.* I *Instit. Divin., cap.* 5, *pag.* 24; *et lib. de Ira Dei, cap.* 11, *pag.* 796). De hoc autem philosopho ac de Speusippo alibi egimus (*Tom.* I *Apparat., pag.* 1113, 1122 *et* 1134). Laertius vero in hujus Vita asserit eum intra Platonis avunculi sui dogmata perstitisse. Verum de illis ab eo labefactatis Numenius apud Eusebium expostulat. Denique Laertius animadvertit ab ipso scriptum fuisse *Definitionum* librum, quem nonnulli eum esse opinantur qui inter note Platonis opera in lucem prodiit. Illius autem libri initio hæc Dei definitio legitur : Θεὸς ζῷον ἀθάνατον, αὐτάρκες πρὸς εὐδαιμονίαν, αὐτάρκες αἰδιος, τοῦ ἀγαθοῦ φύσεως αἰτία : « Deus est animal immortale se ipso contentum, essentia sempiterna, naturæ boni causa » (*Laert., lib.* IV. § 1, 5; *Euseb., lib.* IV *Præpar. Evang., cap.* 5, *pag.* 727 *apud Platon., tom.* 3, *pag.* 411).

C

D

Rursum vero ex Cicerone ea Minucius delibaverat,

Digitized by Google

quæ de Democrito postmodum adjecit : « Quid Democritus, quamvis atomorum primus inventor, nonne plerumque naturam, quæ imagines fundat, et intelligentiam, Deum loquitur? » Etenim Cicero similiter de illo : « Quid Democritus, inquit, qui tum imagines earumque circuitus in deorum numero refert, tum illam naturam quæ imagines fundat ac mittat, tum scientiam intelligentiamque nostram » ( *Cicer., lib. cit., pag.* 200, *lin.* 5). Quocirca Augustinus hæc ad Dioscorum de illa Democriti opinione scribit : « Quanto melius ne audissem quidem nomen Democriti, quam cum dolore cogitarem nescio quem suis temporibus magnum putatum, qui Deos esse arbitraretur imagines quæ de solidis corporibus fluerent, solidæque ipsæ non essent, easque hac atque hac motu proprio circumeundo, atque illabendo in animos hominum, facere ut vis divina cogitetur, cum profecto illud corpus unde imago flueret, quanto solidius est, tanto præstantius quoque esse judicetur. Ideoque fluctuavit, sicut isti dicunt, nutavitque sententia ; ut aliquando naturam quamdam, de qua fluerent imagines, Deum esse dicent, qui tamen cogitari non posset, nisi per eas imagines quas fundit et emittit, id est, quæ de illa natura, quam nescio quam corpoream et sempiternam, ac per hoc etiam divinam putat, quasi corporis similitudine, continua velut emanatione ferrentur, et venirent, atque intrarent in animos nostros; ut Deum vel deos cogitare possemus » (Augustin., *Epist.*, 118, pag. 340). Sed quantumvis fluctuaverit vacillaveritque Democritus, ex his certe quæ ipse Augustinus ac Cicero de illius opinione scriptis tradiderunt, quis non videat Minucium jure haud immerito dixisse quodam saltem modo agnitam ab illo fuisse naturam divinam, ac Deum revera esse unum? Atqui id ad ejusdem Minucii sufficiebat propositum.

Stratonis dehinc opinionem his paucissimis verbis exponit : « Straton quoque et ipse naturam. » Sed quo pauciora, eo minus clara sunt hæc verba. Eorum itaque enodationem sæpius laudatus a nobis Cicero tibi suppeditabit : « Nec audiendus est, » inquit, « ejus, Theophrasti, auditor Strato, is qui physicus appellatur, qui omnem vim divinam in natura sitam esse censet, quæ causas gignendi, augendi, minuendive habeat, sed careat omni sensu et figura » (Cic., lib. cit., pag. 200, lin. 45). Visne plura? Audi rursus eumdem Oratorem de illo loquentem : « Negas sine Deo posse quidquam. Ecce tibi e transverso Lampsacenus Strato, qui det isti Deo immunitatem magni quidem muneris. Sed cum sacerdotes deorum vacationem habeant, quanto est æquius habere istos Deos? Negat opera deorum se uti ad fabricandum mundum. Quæcumque sint docet omnia esse effecta natura, nec ut ille qui asperis et lævibus, et hamatis uncinatisque corporibus concreta hæc esse dicat, interjecto inani : somnia censet hæc esse Democrati non docentis, sed optantis. Ipse autem singulas mundi partes persequens, quidquid aut sit, aut fiat, naturalibus fieri aut factum esse docet ponderibus et motibus. Sic ille Deum opere magno liberat, et me timore » (Lib. 4, *Academ. quæst.*, pag. 33, lin. 46 ). Alium tibi citari si desideras, en præsto est Plutarchus qui hoc de Stratonis opinione scriptum reliquit : Καὶ μὴν τῶν ἄλλων περιπατητικῶν ὁ κορυφαιότατος Στράτων οὔτε Ἀριστοτέλει κατὰ πολλὰ συμφέρεται, καὶ Πλάτωνι τὰς ἐναντίας ἔσχηκε δόξας περὶ κινήσεως, περὶ νοῦ, καὶ περὶ ψυχῆς, καὶ περὶ γενέσεως· αὐτὸν, τελευτῶν, τὸν κόσμον, οὐ ζῷον εἶναί φησι, τὸ δὲ κατὰ φύσιν ἵπεσθαι τῷ κατὰ τύχην. « Et quidem Peripateticorum reliquorum summus Strato, neque cum Aristotele sentit multis de rebus, et de motu, mente, anima, ortu, contraria Platoni defendit. Denique mundum ipsum animal esse negat, aitque naturam sequi fortunæ impetus, casu initium motus naturæ præbente, et deinde sic a natura motus physicos absolvi » (Plutarch., *lib. advers. Colot. Epicur.*, pag. 1115). Quam porro Strato naturam appellavit, jam a Cicerone explicatum vidimus. Sed de hac illius opinione nobis aliquid adhuc dicendum erit, ubi quomodo a Lactantio refellatur, palam omnibus facere conabimur.

Minucium nostrum interim sequamur : « Etiam Epicurus ille, » inquit, « qui deos aut otiosos fingit, aut nullos, naturam tamen superimponit. » Sed hanc Epicuri de Deo opinionem fuse enucleat apud Ciceronem Velleius Epicureus. Postquam enimvero multis probavit Dei vitam eam esse, qua nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius excogitari potest, hanc sententiæ suæ reddit rationem : « Nihil enim agit, nullis occupationibus est implicatus, nulla opera molitur, sua sapientia et virtute gaudet : habet exploratum fore se semper cum in maximis, tum in æternis voluptatibus » Postea ille ibidem declarat Epicurum falso docuisse natura effectum esse mundum : nihil opus fuisse fabrica, eamque rem ei esse facillimam » (Cic. lib. 1 *de Natur. Deor.*, pag. 203, lin. 8). Nam omnia, ut jam diximus, fortuito atomorum concursu facta fuisse garriebat. Denique ibidem Velleii seu Epicureorum nomine Tullius dixit : « Et pie sancteque colimus naturam excellentem, atque præstantem. » At Minucius noster quæ Epicurus falsa esse docebat, ab his distinguit, quibus præstantiorem cæteris omnibus naturam, atque idirco divinam, volens nolens, confessus est. Adi, si lubet, Laertium, et Menagii ac Gassendi in illum notas, et alium hujus librum (Laert. lib. x, § 123; Menag. et Gassend. notas ad hujus lib. IV, de vita et morib. Epicur., cap. 1, 2, 3).

Deinceps vero Minucius plurima transcripsit Ciceronis verba, quibus Aristotelis de Deo refert opinionem. Ecce siquidem quomodo ille loquitur : « Aristoteles variat, et assignat tamen unam potestatem. Nam interim mentem, mundum interim Deum dicit, interim mundo Deum præficit. » Sic autem Tullius : « Aristoteles in tertio de Philosophia libro multa turbat, a magistro Platone uno dissentiens. Modo enim menti tribuit omnem divinitatem, modo mundum ipsum Deum dicit esse, modo quemdam alium præficit mundo » (Cic. lib. citat., pag. 200, lin. 26, et seqq. ). Et hæc quidem decerpsit Minucius, sed reli-

Digitized by Google

quit sequentia : « Eique eas partes tribuit, ut replicatione mundi quadam motum regat atque tueatur : tum cœli ardorem Deum dicit esse..... Cum autem sine corpore idem vult esse Deum, omni illum sensu privat et prudentia. » Pauciora nihilominus, quam uterque, de illa Aristotelis sententia retulit hunc in modum Lactantius : « Aristoteles quamvis secum ipse dissideat, ac repugnantia sibi dicat et sentiat, is summam tamen unam mentem mundo præesse testatur »(Lactant. lib. II *Institut. divin.*, cap. 25, p. 25; et lib. *de Ira Dei* cap. 11, pag. 796) Et brevius adhuc alio in libro : . Eadem fere, inquit, atque Antisthenes, » de quo nos paulo ante diximus « Aristoteles cum suis Peripateticis. » Videsis Plutarchum, Lescalopierum, ac si velis quæ alibi observavimus (Plutarch. lib. I *de Placit. Philosoph.*, cap. 7, pag. 881 ; Lescalop. in cit. Cicer. § 33, pag. 54, et de *Arist. Theologia*, pag. 184 et seqq., tom. I *Apparat.*, pag. 781).

Præterea « Heraclides Ponticus, ait Minucius, Deo divinam mentem, quamvis varie adscribit, alias mundo, alias divinæ menti tribuens principatum. » At hæc quidem, et alia insuper de illo tradit Cicero : « Ex eadem, » inquit, « Platonis schola Ponticus Heraclides puerilibus fabulis refersit libros; et tamen modo mundum, tum mentem divinam esse putat : errantibus etiam stellis tribuit divinitatem, sensuque Deum privat, et ejus formam mutabilem esse vult, eodemque libro rursus terram et cœlum refert in Deos » (Cic. lib. I *de Natur. Deor.*, pag. 200, lin. 39, et seq. ). Minucius itaque, sicuti vides, de Heraclidis opinione ea tantum refert, quæ ad rem suam faciebant. Illius vitam scripsit Laertius, nosque de illo tomo superiori loco paulo ante citato disseruimus (Laert. sub finem lib. V tom. I *Apparat.*, pag. 779).

Quatuor subinde alios philosophos simul Minucius ita conjungit : « Theophrastus et Zenon, et Chrysippus, et Cleanthes sunt et ipsi multiformes, sed ad unitatem providentiæ omnes revolvuntur. » Tum continuo trium posteriorum opiniones singillatim recenset, sed nihil de primo amplius dixit. Utrum autem id ab ipsomet Minucio, vel librarii oscitantia omissum fuerit, quis asserere audeat? Theophrasti porro opinionem si scire aveas, eam tibi patefacient hæc Ciceronis verba : « Nec vero Theophrasti inconstantia ferenda est; modo enim menti divinum tribuit principatum, modo cœlo, tum autem signis, sideribusque cœlestibus » ( Cic. ibid., pag. 200, lin. 42). Vide, si lubet, quæ de illo alibi animadvertimus (Tom. I *Apparat.*, pag. 781).

His observatis, jam quid de tribus aliis Minucius statuat, examinemus. A Cleanthe autem sic incipit : « Cleanthes mentem, modo animum, modo æthera, plerumque rationem, Deum asserit. » Ita ille ab ultimo exorsus est, quamvis cum, sicuti Cicero, cujus vestigiis more suo insistit, Zenonis discipulum fuisse fateatur. De illius autem sententia hæc scriptis ipse Cicero mandavit : « Cleanthes qui Zenonem audivit, tum ipsum mundum Deum dicit esse, tum totius naturæ menti atque animo hoc nomen tribuit, tum ultimum et altissimum, atque undique circumfusum, et extremum omnia cingentem, atque complexum ardorem, qui æther nominatur, certissimum Deum judicat » (Cic. lib. cit., pag. 101, lin. 10). Quod quidem ille fusius adhuc enucleat, quemadmodum a nobis alibi annotatum est (Tom. I *Apparat.*, pag. 782).

Secundum dehinc locum Minucius Zenoni Cleanthis magistro assignat, illiusque de Deo opinionem sic exponit : « Zenon, ejusdem magister, naturalem legem atque divinam, et æthera interim, interdumque rationem vult omnium esse principium. Idem interpretando, Junonem aera, Jovem cœlum, Neptunum mare, ignem esse Vulcanum, et cæteros similiter vulgi Deos elementa esse monstrando, publicum gra- viter arguit et revincit errorem. » Nonne autem hæc adhuc delibata sunt ex hoc Ciceronis loco? « Zenon naturalem legem divinam esse censet, eamque vim obtinere recta imperantem, prohibentemque contraria..... Alio loco æthera Deum dicit esse..... Aliis autem libris rationem quamdam per omnem pertinentem naturam, ut divinam esse affectam putat. Idem astris hoc idem tribuit, tum annis, mensibus, annorumque mutationibus. Cum vero Hesiodi Theogoniam interpretatur, tollit omnino usitatas perceptasque cognitiones deorum. Neque enim Jovem, neque Junonem, neque Vestam, neque quemquam qui ita appelletur in deorum habet numero, sed rebus inanimatis atque mutis, per quamdam significationem hæc tribuit nomina » (Cic. lib. cit. pag. 200, lin. 47 et seqq.). Laertius vero testatum nobis facit eam fuisse Zenonis opinionem : Ἕνα τε εἶναι Θεὸν, καὶ νοῦν, καὶ εἱμαρμένην. καὶ Δία, πολλαῖς τε ἑτέραις ὀνομασίαις προσονομάζεσθαι. « Unum esse Deum, et mentem, et fatum, et Jovem, multisque aliis appellari nominibus »(Laert. lib. VII *in Vita Zenon.*, § 135 et 147 ). Quæ quidem nomina ille postea recensuit. Hinc Tertullianus : « Apud vestros quoque sapientes λόγον, id est, sermonem atque rationem, constat artificem videri universitatis. Hunc enim Zeno determinat factitatorem, qui cuncta in dispositione formaverit, eumdem et fatum vocari, et Deum, et animum Jovis, et necessitatem omnium rerum » (Tertull. *Apolog.*, cap. 21). Tertullianum sequitur Lactantius (Lactant. lib. IV *Institut.*, cap. 7, pag 373). Sed quædam ex iis jam attigimus in superiore Apparatus nostri tomo ( Tom. I Apparat., pag. 780). Qua autem ratione iidem Zeno et Stoici deos vulgi elementa esse putaverint, in sequenti dissertatione ostendemus (Dissert. in Arnob. c. 17, art. 5).

Tertius a Minucio appellatur Chrysippus qui « eadem fere, » inquit, « vim divinam, rationalem naturam, et fatalem necessitatem Deum credit : Zenonemque interpretatione physiologiæ in Hesiodi, Homeri, Orpheique carminibus imitatur. » Atque hæc longe fusius Cicero prosequitur (Cic., lib. cit. pag. 201, lin. 27 ). Ex primo etenim ejusdem Chrysippi de natura deorum libro, hæc litteris consignata memorat : « Ait vim divinam in ratione esse positam, et universæ na-

Digitized by Google

turæ animo, atque mente; ipsumque mundum, Deum dicit esse, et ejus animi fusionem universam : tum ejus ipsius principatum, qui in mente et ratione versetur, communemque rerum naturam, universa atque omnia continentem; tum fatalem umbram, et necessitatem rerum futurarum.» Quibus quidem alia, quæ ibidem legere poteris, cum adjecisset, hæc ex secundo illius *de Natura* itidem *Deorum* libro retulit : « In secundo autem vult Orphei, Musæi, Hesiodi, Homerique fabellas accommodare ad ea, quæ ipse primo libro de diis immortalibus dixerat, ut etiam veterrimi poetæ, qui hæc ne suspicati quidem sint, Stoici fuisse videantur. » De his autem aliisque Stoicis videsis Laertium, qui eorum vitas publicavit, Plutarchum, Lipsium, ac quæ a nobis tomo superiore observata sunt. ( Laert., lib. VII *de Vitis et dogmat. clar. philosoph.*, Plutarch., lib. I *de Placit. Philosoph.*, cap. 7 et 8; ac lib. *de Stoïcor. repugnant.*; Lipsi., lib. I *Physiolog. Stoic.*, *dissertat.* 3, et seqq.; tom. I *Apparat.*, pag. 780 )

Prosequitur Minucius noster, et ait : « Babylonio etiam Diogeni, disciplina est exponendi et disserendi Jovis partum, et ortum Minervæ, et hoc genus cætera, rerum vocabula esse, non deorum. » Præiverat Cicero his verbis : « Diogenes Babylonius, » quem alibi magnum et gravem Stoïcum vocat, « in eo libro, qui inscribitur de Minerva, partum Jovis ortumque virginis ad philosophiam traducens, disjungit a fabula ( Cic., lib. I *de Natur. Deor.*, pag. 220, lin. 41, et lib. 3, *de Offic.*, pag. 394) » Alios ejus libros de *Divinatione*, *Nobilitate*, *et Legibus* ab eodem Cicerone, Athenæo, et Plutarcho citatos reperies. Laertio autem si credas, « Stoicus, » fuit « ex Seleucia, appellatusque est Babylonius ob urbium vicinitatem : » Si Gellio fidem habeas, ille Plauti poetæ, Carneadisque Academici vixit tempore : si Luciano, usque ad secundum supra nonagintа annos vitam suam produxit.( Cic., lib. I *de Divinat.*, pag. 255; Athen., lib. IV *Deipnosoph.*, *p.* 168, et lib. XII, pag. 526; Plutarch., *lib. de Exil.*, pag. 605; Laert., lib. VI, sub finem Vitæ Diog., § 81; Gellius, lib. XVII Noct. atti., cap. 21; Lucian., *de Macrob.*, pag. 916).

Quid plura? Duos alios Minucius profert in medium, qui Dei majestatem ab hominibus intelligi posse pernegarunt. Alter enim, ut illius verbis utamur, « Socraticus Xenophon formam Dei veri negat videri posse, et ideo quæri non oportere. » Alter vero, « Aristo Chius comprehendi omnino non posse. » De priore eodatius Cicero : « Xenophon facit in iis, quæ a Socrate dicta retulit, Socratem disputantem, formam Dei quæri non oportere, eumdemque et solem, et animum Deum dicere, et modo unum, tum autem plures deos. » In quarto autem Xenophontis *Memorabilium* libro, id quod de eo narrat Cicero, revera invenitur. Primam vero hujus propositionis partem in usus suos sumpsit Minucius noster, et post illum Lactantius, atque etiam Theodoretus. Nos autem de ea alibi egimus (Cic. lib. I *de Natur. Deor.*, pag. 200, lin. 18; Xenoph., lib. IV *Memorab.*, pag. 802; Lactant., lib. *de Ira Dei*, cap. 11, pag. 795; Theodor., tom. 4, *serm. de Fide*, pag. 477).

Pauca Minucii de Aristonis opinione verba, pluribus his Cicero, ac clarioribus exposuit : « Neque formam Dei intelligi posse censet, neque in diis sensum esse dicit, dubitatque omnino Deus animans necne sit ( Tom. I Apparat., pag. 782; Cic., lib. I *de Nat. Deor.*, pag. 201, lin. 8). » Observandum obiter in regio cod. ms. Minucii non legi sicut in editis « Aristo Chius, » Sed « Aristo Stoicus. » Quapropter rogabis fortasse, an ibi « Stoicus » potius, quam « Chius » legendum ? Sed quolibet modo legas, parum interest. Aristo siquidem et patria Chius, et philosophiæ secta Stoicus fuit. Id autem satis patet ex iis quæ de illo alibi animadvertimus ( Tom. I *Apparat.*, 3 dissert. 2, cap. 18, art. 2. pag. 1115, et seq. )

Horum denique philosophorum agmen merito claudit Plato, cæterorum omnium facile princeps. Illius autem de Deo sententiam sic Minucius enarrat : « Platoni in *Timæo* Deus est, ipso suo nomine mundi parens, artifex animæ, cœlestium terrestriumque fabricator, quem et invenire difficile præ nimia et incredibili potestate, et cum inveneris, in publicum dicere impossibile præfatur. » Quocirca palam ille declarat hanc Platonis sententiam aliis omnibus esse apertiorem, totamque fere cœlestem, « nisi ille persuasionis civilis nonnumquam admixtione sordesceret, » hoc est, nisi Socratis præceptoris sui cicutam necemque veritus, falsis vanisque imperiti vulgi opinionibus ignave serviliterque interdum adulari coactus fuisset. Unde Justinus Martyr : Ἐνταῦθα ὁ Πλάτων τοὺς τὴν πολυθεότητα ἀσπαζομένους δεδιὼς, τὰ ἐναντία ἑαυτῷ τὸν κατ' αὐτὸν δημιουργὸν εἰσάγει λέγοντα. « Plato multorum deorum cultum amplexos veritus, contraria inter se opificem Deum suum inducit loquentem » (Justin., Cohort. ad Græc., pag. 21; Plato *in Timæo*, pag. 41, tom. 3 ), cum aliis utique diis, quos ab eo genitos fuisse ibidem dixerat.

Cicero autem ubi illius opinionem enarrat, primum exprobrat inconstantiam ; « Jam de Platonis inconstantia, » ait, « longum est dicere, qui in *Timæo* patrem hujus mundi nominari negat posse, in *Legum* autem libris quid sit omnino Deus, inquiri oportere non censet » ( Cic., lib. I *de Natur. Deor.*, pag. 200, lin. 11). Eumdem Platonis librum, ac sententiam citavit Lactantius » ( Lactant., lib. I *Instit.*, cap. 8, pag. 41, et lib. de Ira Dei, cap. 11, pag. 795 ). Sed plura ibi Cicero, et postea Eusebius de ipso Platone, ejusque inconstantia memorant, quibus respondere Lescalopierius conatus est ( Euseb., lib. XIII *Præpar. Evang*, cap. 14; Lescalop., *Exposit.* in lib. I Cic. de Nat. Deor., § 30, pag. 50). Ea autem Minucius ad institutum suum non conducentia prætermisit.

Porro autem citata a Minucio et aliis Platonis verba in ejus Timæo sic revera leguntur : « Atque illum quidem parentem hujus universitatis invenire difficile, et cum inveneris, indicare in vulgus impossibile, εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν » (Plato, tom. III, p. 28 ). Eadem transcripsit Athenagoras, ubi sicut

Digitized by Google

Minucius noster, plane ostendit ethnicos philosophos unum agnovisse summum Deum (*Athenag., Legat. pro Christian.*, pag. 6, et seq.). Rursus vero illa philosophi verba citarunt Cicero in Fragmentis, et Tertullianus, nosque alibi ea retulimus (Cic., *Fragm.*, pag. 26; Tertull., *Apolog.* cap. 46, pag. 40; Tom. I *Apparat.*, pag. 781 et 918, pag. 155).

Tum deinde Minucius hæc subnectit : « Eadem fere et ista, quæ nostra sunt Nam et Deum novimus, et parentem omnium diximus. » Similiter Athenagoras : *εἰ τοίνυν οὐκ ἔστιν ἄθεος Πλάτων, ἵνα τὸν δημιουργὸν τῶν ὅλων νοῶν ἀγένητον θεόν, οὐδὲ ἡμεῖς ἄθεοι, ὑφ' οὗ λόγῳ δεδημιούργηται, καὶ τῷ παρ' αὐτοῦ πνεύματι συνέχεται τὰ πάντα, τοῦτον εἰδότες καὶ κρατοῦντες θεόν.* « Quod si non impia est hæc Platonis de uno universitatis ingenito Deo sententia, ne nos quidem fuerimus impii, qui illum agnoscimus et observamus Deum, cujus ut verbo fabricata sunt, sic spiritu continentur hæc universa. »

Ex his omnibus philosophorum opinionibus ita explicatis hanc Minucius conclusionem elicit : « Exposui opiniones omnium ferme philosophorum, quibus illustrior gloria est, Deum unum multis licet designasse nominibus, ut quivis arbitretur aut nunc Christianos esse philosophos, aut philosophos fuisse jam tunc Christianos, » eo videlicet sensu, quem superius explicavimus. At perpende, quæso, utrum ab hac conclusione longe recesserit Augustinus, qui de iisdem philosophis hæc pronuntiat : « Itaque si hanc vitam illi viri nobiscum rursum agere potuissent, viderent profecto cujus auctoritate facilius consulerentur hominibus, et paucis mutatis verbis atque sententiis, Christiani fierent, sicut plerique recentiorum nostrorumque temporum Platonici fecerunt » (Aug., lib. *de vera Relig.*, cap. 4, tom. 7, pag. 750). Unum porro his adjicere liceat, plerosque illos philosophos eamdem ob causam citari a Tertulliano, Lactantio, et aliis, atque ex eorum opinionibus idem plane confici ac concludi. Sed de illis postea agemus.

### ARTICULUS III.

*Expenditur aliud Octavii de Deo uno argumentum, ex terrenorum regnorum, et rerum naturalium exemplis desumptum.*

Ex terrenis imperiis, ubi nullus regni socium pati potest, aliud Minucius petit argumentum, quo non modo unum dumtaxat Deum esse, sed illius unius tantum imperio omnia gubernari confirmat ac convincit : « Quando enim, » inquit ille, « umquam regni societas aut cum fide cœpit aut sine cruore permansit? » Antea Ennius apud Ciceronem :

> Nulla sancta societas, nec fides regni est.
> (Cic., l. I *de Offic.*, p. 354, lin. 9.)

Minucius vero noster id quatuor probat exemplis, quorum ultimum a Cicerone ibidem proponitur. Sed ea auctor noster quo brevius, eo obscurius retulit. Nam ne nomine quidem suo illos, quibus de agitur, umquam appellat. Non abs re itaque erit hæc paulo enodatius explicare.

A Persis itaque initium hisce duxit verbis : « Omitto Persas, de equorum hinnitu augurantes principatum. » Verum quis hæc intelliget, nisi Darii Persarum regis historiam noverit aut revocarit in memoriam? Occisis siquidem Magis, oppressaque sordida, ut ait Valerius Maximus, eorum dominatione, Darius ex pacto et conventu rex solus creatus est, postquam ejus equus sub ipsum solis ortum dolo Æbaris hinnitum edidisset (Valer. Max., lib. VII, cap. 2, Exter., §, 2). Videsis Herodotum, Justinum historicum, Valerium Maximum, et alios (*Herodot. lib* III, § 82, 85 *et seq.*; *Justin., sub fin. lib.* I; *Valer. Max. loc cit.*).

Nec magis clara sunt hæc subsequentia Minucii verba : « Et Thebanorum par mortuum, fabulam transeo : » vel obscurius ac corrupte in codice regio « per mortuam fabulam. » Paucis his verbis Minucius decantatam a Statio Polynicis et Eteoclis fratrum, atque Œdipi Thebanorum regis filiorum fabulam perstringit (Statius, lib. XI et XII *Thebaid.*). Hæc autem sic narratur. Cum Œdipus in exsilium sponte proficisceretur, eisdem illis filiis suis regno suo ea lege cessit, ut alternis imperarent. Natu porro major Eteocles postquam anno primo regnasset, Polynici subsequenti anno imperandi locum denegavit. Repulsam ille passus, se contulit ad Adrastum Argivorum regem, et Argiam illius filiam sibi despondit. Tum coacto exercitu, Thebanis ille cum Tydæo, altero Adrasti genero, intulit bellum. In eo autem ambo fratres Eteocles et Polynices singulari certamine inito, mutuis vulneribus occiderunt. Denique eorum cadaveribus rogo impositis, flamma duas in partes sese in odii implacabilis signum divisisse fertur. Audi, si lubet, Ovidium illud his versibus canentem :

> Consilio, commune sacrum cum fiat in ara
> Fratribus, alterna qui periere manu.
> Ipsa sibi discors, tanquam mandetur ab illis
> Scinditur in partes atra favilla duas.
> (Ovid., l. V *Trist.*, *eleg.* 5, *v.* 33 *et seqq.*)

Exstant hanc in rem Græci Branoris versus, quos Ausonius latinos fecit (Auson., Epigr. 129). Atque ut Pausaniam, Diodorum Siculum, Senecam aliosque omittamus, Lucanus ad id allusit his versibus :

> Ostendens confectas flamma latinas
> Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit
> Thebanos imitata rogos.

Deinde vero Minucius : « Ob pastorum, » inquit, « et casæ regnum, de geminis memoria notissima est. » Recte quidem, sed longe clarius, si Romuli et Remi nomen addidisset. Nemo enim nescit Remum, propterea quod fratris ludibrio novos transilivisset Romæ muros, ab irato fratre Romulo, aut illius saltem jussu interfectum (Livius, lib. I; Florus, lib. I, et alii).

Eorum quoque, quos auctor noster ultimum profert in exemplum, nomina reticuit : « Generi et soceri, » ait ille, « bella toto orbe diffusa sunt, et tam magni imperii duos fortuna non cepit » At Cyprianus, qui hæc tria posteriora exempla, sicut et alia plura ex Minucio, uti diximus, compilavit; utrumque suo appellat nomine : « Pompeius, » inquit, « et Cæsar affi-

Digitized by Google

nes fuerunt, nec tamen necessitudinis fœdus in æmula potestate tenuerunt » (Cyprian., lib. *de Idolor. Vanitat.*, pag. 14). Quomodo autem affines, atque unus socer, generque alius fuerit, his Suetonii de Cæsare verbis dices : « Ad retinendam Pompeii necessitudinem ac voluntatem, Octaviam sororis suæ neptem, quæ C. Marcello nupta erat, conditione ei detulit, sibique filiam ejus in matrimonium petiit » (Sueton., *in Vita Cæsar.*, § 27), Fausto Syllæ destinatam. Prius vero dixerat : « Sub idem tempus Calphurniam L. Pisonis filiam, successuri sibi in consulatu, duxit uxorem, suamque Juliam Cn. Pompeio collocavit, repudiato priore sponso Servilio Cæpione » (§ 21). Vide præterea, si lubet, Plutarchum in *Vita Pompeii*, et alios Romanæ historiæ scriptores (Plutarch., tom. I, pag. 644).

Neque porro homines tantum, sicuti Minucius pergit, pati potuerunt regnum duos inter, etiam arctioribus naturæ vinculis conjunctos, dividi, sed nec ipsa quoque natura. « Vide, » inquit, « cætera : Rex unus apibus, dux unus in gregibus, in armentis rector unus. » Quæ quidem Cyprianus totidem verbis retulit (Cypr., lib. *de Idol. Vanit.*, pag 14). Uterque vero inde concludit, neque summam in cœlo dividi potestatem, atque idirco unum dumtaxat esse Deum. Plura ex his alia hujuscemodi post Lactantium, de quo nos suo loco, Hieronymus profert exempla, quibus probandum susceperat unum in monasterio debere esse rectorem : « Etiam muta, » ait, « animalia, et ferarum greges duces sequuntur suos. In apibus principes sunt. Grues unam sequuntur ordine litterato. Imperator unus; judex unus provinciæ. Roma ut condita est, duos fratres simul habere reges non potuit, et parricidio dedicatur. In Rebeccæ utero Esau et Jacob bella gesserunt..... In navi unus gubernator; in domo unus dominus. In quamvis grandi exercitu unius signum exspectatur. » (Lactant., lib. I *Institut. divin.*, cap. 3, et seq., lib. *de Ira Dei*, cap. 11, pag. 793; Hieronym., Epist. 95, ad Rustic. Monach., pag. 775).

Ex iis autem sic contra Cæcilium gentilem Octavius Minucii nomine argumentatur : « Tu in cœlo summam potestatem dividi credis, et scindi veri illius ac divini imperii totam potestatem? » Cyprianus paucioribus verbis : « Multo magis, » inquit, « mundi unus est rector (Cypr. ibid.). » Et hoc quidem argumentum Athanasius hunc in modum, quo illius vim et pondus omnes adhuc facilius sentire percipereque possunt. « Ipse, » inquit, « dispositionis ordo, omniumque partium concors conspiratio, non multos, sed unum mundi ducem et moderatorem esse manifeste ostendit. Nam si plures mundo præessent, ordo ille servari non posset; sed omnia confusione et perturbatione plena essent, dum unusquisque omnia ad suum arbitrium traheret, et adversus alium pugnaret. Namque et multos deos, nullos deos esse, τὴν πολυθεότητα ἀθεότητα εἶναι, ducebamus, sic multos rectores nullos rectores, esse dicendum est. Cum enim alter alterius imperium everteret, nullus certe esset, qui imperaret et dominaretur, nemo qui regeret et gubernaret » (Athanas. *Orat. contr. Gent.*, § 38, pag. 37).

Quis autem non videat idem penitus a Minucio nostro hac probari ratione? « Cum palam sit parentem omnium Deum nec principium habere nec terminum, qui nativitatem omnibus præstet, sibi perpetuitatem, qui ante mundum fuerit, sibi ipse pro mundo, qui universa quæcumque sunt verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. » Eadem porro et antea a Tertulliano et postea a Cypriano dicta esse vidimus. Cernisne quanti roboris sit istud argumentum, quo doctissimi illi viri evidenter demonstrant nullos plane, si plures sint, posse esse deos, atque idcirco ut unus tantummodo, nec plures sint dii, esse prorsus necessarium?

## CAPUT V.

### DE DEI NOMINE, NATURA, ET ATTRIBUTIS.

#### ARTICULUS PRIMUS.

*Quis et quid sit Deus, quodve ejus nomen, ac quomodo ab homine cognoscatur ; tametsi corporeis oculis videri non possit.*

Quamvis Octavius tam certis, quam evidentibus, argumentis probaverit Deum existere, eumque esse unicum, Cæcilius tamen solita gentilium pervicacia adhuc nutans, eorum, si tamen potuisset umquam, vim et robur infirmare hac percunctatione conatur : « Unde, » inquit, « vel quis ille, aut ubi Deus unicus, solitarius, destitutus, quem non gens libera, non regna, non saltem Romana superstitio noverant? Judæorum sola et misera gentilitas unum et ipsi Deum coluerunt. » Ad hæc autem Cæcilii, aliorumque Gentilium, interrogata Minucius constanter respondet eorumdem omnino Judæorum Deum esse atque Christianorum, quos Cæcilius ipse jam tum per totum terrarum orbem dispersos, ac Tertullianus, uti observavimus, loca omnia implevisse declaraverat.

Interroganti autem quis ille Deus sit, respondet Octavius : « Nec nomen Deo quæras : *Deus* nomen est. Illic vocabulis opus est, cum per singulos propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est, Deo qui solus est, *Dei* vocabulum totum est; quem si patrem dixero, terrenum opineris; si regem, carnalem suspiceris; si dominum, intelliges utique mortalem. Aufer additamenta nominum, et perspicies claritatem. » Apud Cyprianum, qui primam phrasim totidem verbis transcripsit, omissa sunt hæc duo verba « per singulos, » atque ibidem scriptum est : « *Deus* nomen illi; illic vocabulis opus est, ubi propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est » (Cypr., lib. *de Idolor. Vanit.*, pag. 15). Neque ibi ille plura.

Lactantius autem de Trismegisto : « Hic, » inquit, « scripsit libros, et quidem multos, in quibus majestatem summi ac singularis Dei asserit, iisdemque nominibus appellat, quibus nos, Deum et Patrem : ac ne quis nomen ejus requireret, ἀνώνυμον esse dixit eo quod nominis proprietate non egeat, ob ipsam unitatem » (Lactant., lib I, cap. 6, pag. 30). Trisme-

Digitized by Google

gisti verba a Lactantio sic citata sunt : Ὁ δὲ Θεὸς εἷς, ὁ ὃὲ εἷς, ὀνόματος οὐ πρόσδέεται· ἔστι γὰρ ὁ ὢν ἀνώνυμος. Tum deinde ipsemet Lactantius sic disputat : « Deo igitur nomen non est, quia solus. Nec opus est proprio vocabulo, nisi cum discrimen exigit multitudo; ut unamquamque personam sua nota et appellatione designes. Deo autem, quia semper unus est, proprium nomen est *Deus*. » At quod ibi post græca Trismegisti verba adjecit, illud profecto ex nostro auctore, sicut et alia plura, delibasse videtur, et sensum illius reddidit clariorem.

Docet itaque Minucius primo naturam Dei esse simplicissimam, quæ nullo penitus modo dividi queat, ipsum vero neque terrenum, neque corporeum, neque mortalem, atque ideo spiritalis immortalisque esse substantiæ.

Deinde vero Deum quidem, qualis quantusque in se est, a nobis non cognosci : quemlibet tamen hominem ab illius idea, quæcumque terrena et imperfecta sunt removendo, ad manifestam illius pervenire cognitionem.

Tertio, nomina iis tantum rebus imponi, quæ a se invicem distinctæ, ac diversæ sunt; ut quæ una quæque sit, designetur. Quamobrem Deo, inquit, qui simplicissimus est, ac solus ante omnes creaturas semperque exstitit, nullum, uti mox citatus a Lactantio Trismegistus aiebat, nomen dari potest. Neque absimili prorsus modo Justinus Martyr : Θεῷ δὲ οὔτε ὁ τιθεὶς ὄνομα προϋπῆρχεν, οὔτε αὐτὸς ἑαυτὸν ὀνομάζειν ᾠήθη δεῖν, εἷς καὶ μόνος ὑπάρχων. » Fieri omnino non potest, ut proprium aliquod Deo nomen attribuatur, propterea quod nomina ad designationem et discretionem subjectarum rerum imponantur, quæ variæ sunt et multæ. Deo autem, qui nomen inderet, nemo ante eum exstitit : neque ipse se ipsum nomine aliquo designari opus esse duxit, unus et solus existens (Justin. *Cohort. ad Græc.*, pag. 19). » Rursus vero alibi haud semel ille, sicut et alii Ecclesiæ Patres, negat ullum fingi posse proprium Dei nomen.

Neque his officit, quod Celso objicienti Deum esse *innominabilem*, respondet Origenes : Διαστολῆς δεῖται. εἰ μὲν γὰρ, ὅτι οὐδὲν τῶν ἐν λέξεσι καὶ σημαινομένοις δύνατα παραστῆσαι τὰς ἰδιότητας τοῦ Θεοῦ, ἀληθές ἔστι τὸ λεγόμενον, εἴ γε καὶ πολλαὶ ποιότητες οὐκ εἰσὶν ὀνομασταί. τίς γὰρ δύνκται ὀνόμασι διαφορὰν δοῦναι ποιότητος φοίνικος, καὶ γλυκύτητος ἰσχάδος.... οὐδὲν οὖν θαυμαστὸν εἰ οὐκ ὀνομαστὸς οὕτως ὁ Θεός. εἰ δὲ τὸ ὀνομαστὸν λαμβάνεις, καλὸ οἷον τέ ἐστιν ὀνόμασι παραστῆσαι τι τῶν περὶ αὐτοῦ, εἰς τὸ χειραγωγῆσαι τὸν ἀκροατὴν, καὶ ποιῆσαι νοῆσαι περὶ Θεοῦ, κατὰ τὸ ἐριστὸν τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει, τινὰ τῶν περὶ αὐτοῦ, οὐδὲν ἄτοπον λέγειν αὐτὸν ὀνομαστόν. « Distinctione opus est. Si enim hoc vult, quod in verborum significatis nihil potest Dei proprietates exprimere, verum est; quandoquidem multæ qualitates sunt innominabiles. Quis enim discernat nominibus qualitatem dulcedinis palmulæ, et dulcedinis caricæ... Non mirum igitur, si Deus hoc pacto est innominabilis. Quod si nominabile accipiatur, quatenus auditorem potest nominibus A ad aliquam cognitionem Dei manuducere, quantum naturæ humanæ licet comprehendere, non absurde dicetur nominabilis (Origen., lib. LXI *contr. Cels.*, pag. 320, in 4°). » Fatetur siquidem Origenes a nemine posse Deo proprium nomen imponi, nec ab ullo nominari, nisi quatenus fragilitati humanæ datum est.

At iis quidem ita vere prorsus ac recte positis, Minucius noster, ac cum illo Cyprianus, et Lactantius asserunt hoc vocabulum *Deus*, revera esse, quantum homini, ut ait Origenes, eum nominare fas est, totum ac proprium veri Dei nomen. Antea vero illud a Tertulliano his comprobatum verbis legimus : Anima « licet corpore pressa, licet.... Deum nominat, hoc solo, quia proprie verus hic Deus bonus et B magnus (Tertul., *Apologet.*, cap. 17, pag. 24). » Quapropter hoc *Dei* nomen ipsi soli nec alteri dandum esse asseverat.

Quis autem ille sit, si quis a Minucio nostro, quemadmodum Cæcilius, scisciteur, hoc protinus ab eo responsum accipiet : « Hic nec videri potest, visu clarior est, nec comprehendi, tactu purior est (hæc tria posteriora verba etsi a Cypriano transcripta, in ms. codice regio desunt) nec æstimari, sensibus major est (infinitus, immensus, et soli sibi quantus est notus. Nobis vero ad intellectum pectus angustum est), et ideo sic eum digne æstimamus, dum inæstimabilem dicimus » (Cypr., lib. de *Idol. Vanit.*, pag. 14). Ea autem omnia, his tantum exceptis, quæ uncinis clauduntur, totidem verbis descripsit Cyprianus. At utroque prior Tertullianus, idem aliis verbis C hunc dixerat in modum : « Invisibilis est, etsi videatur; incomprehensibilis, etsi per gratiam repræsentetur; inæstimabilis, etsi humanis sensibus æstimetur, ideo verus tantus est. Cæterum quod videri communiter, quod comprehendi, quod æstimari potest, minus est et oculis quibus occupatur, et manibus quibus contaminatur, et sensibus quibus invenitur. Quod vero immensum, soli sibi notum est; hoc est, quod Deum æstimari facit, dum æstimari non capit : ita eum vis magnitudinis et notum hominibus objicit et ignotum. » Eadem a Theophilo Antiocheno, et a Nazianzeno aliisque Ecclesiæ Patribus sæpe sæpius tradita quis ignorat? (Theoph. Antioch., lib. I *ad Autolyc. post. init.*, pag. 71.)

D Sed contra hæc tam certa tamque vera documenta insurget adhuc aliquis ethnicus, et cum Cæcilio urgebit, hæc Christianorum placitorum monstra esse ac portenta, quibus se frustra Deum habere affirmant. Etenim illum nec ostendi, nec videri posse fateri coguntur. At, quid mirum, ait Minucius, si Christiani Deum suum, quem ex operibus ejus evidenter agnoscunt, corporis oculis se non videre profiteantur? Numquid tu ipse, quisquis es gentilis homo, ventum et flatus, quibus omnia impelluntur, oculis tuis vides? Numquid oculorum tuorum acies solem, qui omnibus videndi causa est, intuendo non hebescit, et obtunditur? Numquid animam tuam, qua vivis, qua animaris, qua loqueris, vides ac conspicis?

Digitized by Google

Nec suum, quæso, ullus inducat in animum a solo auctore nostro his comparationibus infirmatas fuisse vanas ethnicorum argutias, et cavillationes. Nam iisdem comparationibus usi sunt, non antiquissimi modo, aliique Ecclesiæ Patres, sed doctissimi etiam quidam gentilium Scriptores. Atque ut ex multis quosdam seligamus, Theophilus Antiochenus : « Deus universa, » inquit, « cum non forent, creavit, ut ex operibus suis quam excellens sit, homini innotesceret. Est anima humana in humano corpore, non videtur, invisibilis existens, verum ex corporis motibus cognoscitur, sic nec Deus humanis et corporeis oculis videri potest... Quemadmodum si quis cernat navem, suis armamentis instructam, mare sulcare et in portum appellere, certe credit aliquem a quo gubernetur, in ea esse gubernatorem.... Si in solem, quod sane minimum est elementum, » cum Deo videlicet compositum, « homo oculos intendere nequit, propter caloris et potentiæ excellentiam, multo minus gloriam Dei, quæ ineffabilis est homini, homo mortalis contueri potest » (Theoph. Antioch., lib. I ad Autolyc., pag. 72). Plura adhuc ille ibi, quæ si græce scripta videre cupias, in ejus libro legere haud difficiliter poteris.

Postea vero Lactantius eodem plane modo argumentatur ac plures quoque adhibet ejuscemodi comparationes : « Ante omnia, quoniam Deus ab homine videri non potest, ne quis tamen ex eo ipso putaret Deum non esse, quia mortalibus oculis non videtur : inter cætera institutorum suorum miracula, fecit etiam multa, quorum vis quidem apparet, substantia tamen non videtur, sicut est vox, odor, ventus, ut harum rerum argumento et exemplo, etiam Deum, licet sub oculos non veniret, de sua tamen vi, et effectu, et operibus, cerneremus. Quid voce clarius, aut vento fortius, aut odore violentius? Hæc tamen cum per aerem feruntur, ad sensusque nostros veniunt, et eos potentia impellunt, non cernuntur acie luminum, sed aliis corporis partibus sentiuntur. Similiter Deus non aspectu nobis, aliove fragili sensu comprehendendus est, sed mentis oculis intuendus, cum opera ejus præclara et miranda videamus » (Lact., lib. VII *de Vita beata*, cap. 9). Irenæum aliosque eadem enarrantes adire poteris : longiora quippe illa sunt, ut omnia transcribamus.

Quid quod, et ipse Cicero, ut etiam ethnicis hominibus ethnicum scriptorem opponamus, simili prorsus modo dixit : « Sic mentem hominis, quamvis eam non videas, ut Deum non vides ; tamen ut Deum cognoscis ex operibus ejus, sic ex memoria rerum, et inventione, et celeritate motus, omnique pulchritudine virtutis, vim divinam mentis cognoscito » (*Cic. lib.* I *Tuscul.*, *pag.* 126, *lin.* 38).

Minucius itaque his rationibus, quas tam ethnici quam Christiani scriptores æquo jure comprobarunt, Cæcilio planissime satisfacit, ejusque funditus diruit ratiocinationem. Quocirca recte ille concludit : « Ex hoc credimus Deum, quod eum sentire possumus, videre non possumus. In operibus enim ejus, et in mundi motibus omnibus, virtutem ejus semper præsentem adspicimus, cum tonat, fulgurat, fulminat, cum serenat, » quemadmodum supra ostendimus.

### ARTICULUS II.

*Quibus argumentis Minucius probaverit Deum esse infinitum, æternum, immensum, ac scire omnia.*

Pleraque Dei attributa, sive summæ divinæque ejus perfectiones, a nostro Minucio perspicue explicantur. Eum enim infinitum esse ideo pronuntiat, quia principio et fine caret. Nec id Cæcilius inficiari poterat, cui illud memoratum a Laertio effatum Thaletis, notum esse debuit : Τί τὸ θεῖον? aiebat Thales : τὸ μήτε ἀρχὴν ἔχον μήτε τελευτήν. « Quid Deus? quod initio et fine caret » (*Laert., lib.* I in *Vita Thalet.*, §. 36).

Deinde vero Minucius asserit illum esse æternum ; ut pote qui « nativitatem omnibus præstet, sibi perpetuitatem, » atque ipse ante mundum fuerit. Tertullianus autem hanc Dei æternitatem repetere videtur ex superiori Minucii ratione, qua probatur esse infinitus. Nam ille contra Hermogenem sic disputat : « Quis alius Dei census, quam æternitas? Quis alius æternitatis status, quam semper fuisse et futurum esse, ex prærogativa nullius initii, et nullius finis » (*Tertull. lib. cont. Hermog., cap.* 4, *pag.* 267)? Sed illa duo infinitatis et æternitatis attributa secum ita connectuntur, ut utrumque ab alio æque possit probari. Sed audias adhuc, velim, Gregorium Nazianzenum de æternitate Dei disputantem : « Deus et erat semper, » inquit, « et est, et erit : vel ut rectius loquar, semper est ; nam *erat* et *erit*, nostri temporis fluxæque naturæ segmenta sunt. Ille autem semper est, atque hoc modo se ipsum nominat, cum in monte Moysi oraculum edit. Universum enim id quod est, in se complectitur, nec principium habens, nec finem habiturus » (*Greg. Nazian. Orat.* 38, *pag.* 811). Quæ quidem ilsdem verbis in ejusdem Oratione secunda supra quadragesimam habentur (*Idem, Orat.* 42, *pag.* 898). Deus itaque cum nihil ab alio, sed a se ipso, et quod est, et quidquid est, accipiat, idcirco et infinitus et æternus esse debet.

Aliud autem christianæ doctrinæ novum Cæcilius contendebat esse monstrum, quod illius sectatores Deum immensum, et ubique præsentem prædicarent. Quomodo etenim, inquiebat, potest locis omnibus interesse, in cœlo constitutus, et simul « per universa districtus? » Quid ergo? respondet Minucius. Nonne sol cœlo affixus, ubique præsens est? Nonne ille sine luminis corruptione, sed eo semper integro et illibato, omnibus miscetur? Atqui multo magis Deus non solum rebus singulis, sed etiam nobis et proximus et infusus est. Quinimmo addit Minucius : « Non tantum sub illo agimus, sed et cum illo, ut prope dixerim, vivimus. » Quibus quidem verbis ad illud Apostoli effatum : « In eo vivimus, movemur et sumus (*Actor. cap.* XVII. v. 28), animadvertisse nonnulli forsitan suspicabuntur. Sed cum tota in

Digitized by Google

disputatione contra ethnicos agendo, nihil, uti observavimus, ex sacra nostra Scriptura delibaverit, hanc certe rationem ideo protulit; quia ethnici eam aut infirmare, aut respuere non poterant. Et certe Seneca, tametsi gentilis, quadam in Epistola scripserat: « Ipse (Deus) humano generi ministrat: ubique et omnibus præsto est. » Alibi vero: « Quocumque flexeris, ibi illum videbis occurrentem. Nihil ab illo vacat (*Seneca, Epist* 95, *pag.* 397, *et seq., lib.* IV *de Benef., cap.* 8). » Denique ut plura omittamus, in alia rursus Epistola: « Deus ad homines venit, immo quod propius est, in homines venit (*Epist.* 73, *pag.* 305). » Cum itaque omnia, uti recte post Thaletem et Aratum tradit Minucius, Deo plena sint, debent quoque et cuncta esse ipsi cognita (*Thales, apud Aristot., lib.* I *de Anim cap.* 5). Quamobrem ille omnium speculator, omnes novit hominum et actus et cogitationes.

Sed contra hæc omnia Cæcilius pertinaciter instabat, Deum frustra gratisque fingi omnibus locis, factis, et cogitationibus interesse. Quid enim, inquit, hujusce opinionis assertores aliud his verbis ingerebant, nisi Deum « molestum, inquietum, et impudenter etiam curiosum? » At hæc erat ipsamet Epicurei philosophi impia apud Ciceronem expostulatio. « Imposuistis, » inquit, « in cervicibus nostris sempiternum dominum, quem dies et noctes timeremus. Quis enim non timeat omnia providentem, et cogitantem, et animadvertentem, et omnia ad se pertinere putantem, curiosum, et plenum negotii Deum? » (*Cic. lib.* I *de Nat. Deor., pag.* 203, *lin.* 29.) Quapropter Lucretius de hoc timore depulso, et gratias Epicuro maximas agit, et summopere gratulatur. Quid vero, quod Cicero ubi narrat Stratonem docuisse « omnia esse effecta natura, » ibi postea addidit: « Sic ille et Deum opere magno liberat, et me timore. Quis enim potest, cum existimet a Deo se curari, non et dies et noctes divinum numen horrere; et si quid adversi acciderit, quod cui non accidit, extimescere ne id jure evenerit? » (*Cic. lib. Academ. pag.* 33, *lin.* 47.)

Sed philosophi illi, atque in primis Epicurei, homines plane voluptuarii, hæc objiciebant. Persuasum siquidem ipsis erat Deum, si actus cogitationesque hominum cognoscat, esse timendum, atque adeo hoc timore voluptatem felicitatemque suam perturbari. Deus nihilominus minime similis est aliis regibus, qui « regni sui, » ait Minucius, « per officia ministrorum, universa novere; » sed cuncta per semetipsum cognoscit. Neque illi ad ea cognoscenda « indiciis opus est. » Quod quidem antiquissimi philosophi ultro fatebantur. Thales quippe Milesius, quemadmodum ex Laertio discimus, « Interrogatus, latereine deos homo male agens: ἀλλ' οὐδὲ διανοούμενος, ἔφη. Ne cogitans quidem, inquit » (*Laert., lib.* I, *in Vit. Thalet* § 36). Valerius vero Maximus idem posteris tradidit, atque istius pronuntiati hanc reddidit rationem: « Mirifice Thales: nam interrogatus an facta hominum deos fallerent: *Nec cogitata*, inquit. Ut non solum manus, sed etiam mentes puras habere vellemus, cum secretis cogitationibus nostris numen adesse credidissemus (*Valer. Max. lib.* VII, *cap.* 2, § 8, *exter.*). » Ortus itaque inde hominibus timor, si Epicureis malisque hominibus incommodus sit, cæteris jure merito optimus justissimusque censetur. Videsis in Laertii locum citatos auctores Lucanum, Euripidem, et Theonem Sophistam, qui hoc effatum non Thaleti, sed Pittaco tribuit.

## CAPUT VI.

### DE DIVINA PROVIDENTIA.

#### ARTICULUS PRIMUS.

*Examinantur argumenta, quibus Minucius ostendit mundum, et omnia, ac singula Dei providentia gubernari; ubi de Britannia, Nilo, Euphrate, et Indo.*

Quibus argumentis Minucius Deum existere probavit, iisdem colligit universa et singula, quæ ejus nutu ac voluntate primum creata sunt, ac totum mundum divina ejus Providentia regi et gubernari. Jam vero ea argumenta superius exposuimus et examinavimus. Nemo autem negare potest summam esse illorum vim, et pondus maximum. Cicero autem, quemadmodum diximus, in præcipua secundi sui *de Natura Deorum* libri parte, longe copiosius, quam auctor noster, iisdem rationum momentis contra Epicureos demonstrat mundum divina providentia administrari.

Ille vero, ac post eum Minucius hoc de divina Providentia documentum, obvia cuilibet domus comparatione asserit et illustrat. Ac Minucius quidem noster: « Quod si, » inquit, « ingressus aliquam domum, omnia exculta, disposita, ornata vidisses, utique præesse ei crederes dominum, et illis bonis rebus esse meliorem: ita in hac mundi domo, cum cœlum terramque prospicias, providentiam, ordinem, legem; crede esse universitatis dominum, parentemque, ipsis sideribus, et totius mundi partibus pulchriorem. » Antea vero Orator: « Ut si quis in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum venerit, cum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri, judicare, sed esse aliquem intelligat, qui præsit, et cui pareatur; multo magis in tantis motibus, tantisque vicissitudinibus tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus nihil umquam immensa et infinita vetustas mentita sit, statuat necesse est ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari » (*Cic. lib.* II *de Natur. Deor., pag.* 216, *lin.* 3, *et seq.*).

Neque rerum tantummodo universitati, qua omnia continentur, sed singulis etiam mundi partibus Deus Providentia sua consulit. Sed audiamus, si lubet, Minucium id quibusdam quoque exemplis demonstrantem: « Britannia, » inquit, « sole deficitur, sed circumfluentis maris tempore recreatur. Ægypti siccitatem temperat Nilus. Colit Euphrates Mesopotamiam. Indus et serere Orientem dicitur et irri-

Digitized by Google

gare. » In manuscripto autem regio codice post vocem « Nilus » hæc leguntur : « Amnis Euphrates Mesopotamiam pro imbribus pensat. » Quæ quidem cur in editis mutata sint, nobis certe incompertum est.

At nulli dubitamus hæc excerpta fuisse ex secundo Ciceronis *de Natura Deorum* libro, ubi iisdem Nili, Euphratis, et Indi exemplis, ad probandam quoque Dei Providentiam utitur. Transcripta autem a nobis superius illius verba, hic repetere supervacaneum duximus (*Cic., lib.* II *de Nat. Deor., pag.* 234, *lin.* 20; *vid. supr. cap.* 2, *art.* 6).

At nonne, inquies, Minucius perperam et præpostere, primo pro exemplo Britanniam proposuit? Undenam enim ille accepit illam sole defici? Sed dic, quæso, nonne etiam Strabo similiter de Britannis hæc scripto tradidit : Ἔπομβροι δ' εἰσὶν οἱ ἀέρες μᾶλλον ἢ νιφετώδεις. ἐν δὲ ταῖς αἰθρίαις ὁμίχλη κατέχει πολὺν χρόνον· ὥστε δι' ἡμέρας ὅλης, ἀπὸ τρεῖς μόνον ἢ τέτταρας ὥρας τὰς περὶ τὴν μεσημβρίαν, ὁρᾶσθαι τὸν ἥλιον· τοῦτο δὲ κἀν τοῖς Μορινοῖς συμβαίνει, καὶ τοῖς Μεναπίοις, καὶ ὅσοι τούτων πλησιόχωροι. « Aer apud eos imbribus magis est, quam nivibus obnoxius : ac sereno etiam cœlo caligo quædam multum temporis obtinet, ita ut toto die non ultra tres aut quatuor, quæ sunt circa meridiem, horas, conspici sol possit. Quod ipsum Morinis quoque, et Menapiis, et eorum vicinis contingit » (*Strabo, lib.* IV *Geogr., pag.* 200).

Visne et alium tibi proferri testem? En præsto est Tacitus, cujus hæc sunt verba : « Cœlum crebris imbribus ac nebulis fœdum; asperitas frigorum abest. Dierum spatia ultra orbis nostri mensuram; et nox clara, et extrema Britanniæ parte, brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. Quod si nubes non officiant, aspici per noctem solis fulgorem, nec occidere et exsurgere, sed transire affirmant; scilicet extrema et plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras, infraque cœlum et sidera nox cadit » ( *Tacit. in Vita Julii Agricol., longe post. init.*).

At si præterea tertium adhuc testem desideres, nobis adhuc in promptu est Cæsar, qui in hanc insulam trajecerat. De illa siquidem hunc scribit in modum : « Loca sunt temperatiora, quam in Gallia, remissioribus frigoribus... In hoc medio cursu est insula, quæ appellatur Mona, complures præterea minores objectæ insulæ existimantur, de quibus insulis nonnulli scripserunt dies continuos triginta sub bruma noctem esse » ( *Cæsar. lib.* IV *de Bello Gall. pag.* 713). Sed, hi, quemadmodum Herodianus, Servius et Jornandes aut falso rumore decepti fuerunt, aut de ultimis Scotiæ versus septentrionem finibus loquuntur. Nam Tacitus jam laudatus in Vita Julii Agricolæ : « Nox, » inquit, « clara, et extrema Britanniæ parte, brevis; ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. » ( *Herodian. lib.* III *Histor. pag.* 84; *Serv. in lib.* I *Georgic. Virgil. pag.* 81; *Jornand. de reb. Getic. cap.* 2).

Esto, dicet alius, res ita se habeat, cedo equidem. Verum qua, inquiet, Minucius ratione constanter affirmat Britanniam maris tempore recreari? Huic itaque Ciceronis verbis respondebimus : « Maria, inquit, agitata ventis ita tepescunt, ut intelligi facile possit in tantis illis humoribus inclusum esse calorem. Nec enim ille externus et adventitius habendus est tepor : sed intimis maris partibus agitatione excitatus. Quod nostris quoque corporibus contingit, cum motu atque exercitatione calescunt » ( *Cic. lib.* II *de Natur. Deor., pag.* 217, *lin.* 42, *et seq.*). At generatim de quolibet mari loquitur. Quid ergo mirum, si Britannia tempore maris, undique eam circumdantis, calore tepescat. Sed melius forsitan dixisset hunc teporem non ex incluso in mari calore, sed ex illius tantum agitatis salsis partibus, ejusque vaporibus excitari.

De tribus autem memoratis a Minucio fluminibus, si aliorum, præter Ciceronem, Scriptorum testimonia petieris, multa tibi cito proferentur. Nam primo quidem, Diodorus Siculus luculenter ostendit non solum quomodo Nilus Ægypti siccitatem, ut ait Minucius, temperet, verum etiam quomodo eam fœcundam fertilemque reddat. Græca autem ejus verba, quia longiora sunt, latino tantum ex interprete reddemus : « Exundatio ejus, » inquit, « a solstitio incipiens æstivo, ad equinoctium usque autumnale augetur. Interim novum subinde limum importans, tam ignava quam frugibus et plantis culta sola, quamdiu velint agricolæ, humectat. Aquas enim leniter accedentes modicis facile aggeribus avertunt, iisque apertis, si ex usu videatur, non magno labore iterum inducunt; adeoque tantum laboribus compendii, et hominibus emolumenti affert, ut pars rusticorum maxima seminibus in exsiccatos telluris agros conjectis, pecora ad conculcandum inducant, et post quatuor aut quinque menses ad demetendum revertantur. Aliqui levibus aratris summo terræ dorso, post humectationem obiter proscisso, ingentes frugum acervos absque magnis impendiis, et laborum ærumnis inde tollunt » (Diodor. lib. I *Bibliot.*, pag. 22). Sanctus quoque Ambrosius, non minus luculenter : « Verno, » inquit, » apud Ægyptios tempore Nilus exundat, ut jaciendis seminibus terra mollescat, et blandiore sinu, et clementiore gremio semina missa suscipiantur » ( Ambros., *lib. de Noe et arca*, cap. 14, § 48, pag. 247). Qui plura voluerit, adeat Strabonem, Melam, Plinium, Solinum, et alios ( Strab. lib. V *Geograph.*, pag. 694, et lib. VII, pag. 788; Mela, lib. I *de Situ orb.*, cap. 9. Plin., lib. I *Histor. natur.*, cap. 9, pag. 557, et lib. XVIII, cap. 8, pag. 490; Solin., cap. 32).

Testatum iidem auctores faciunt sicut Ægyptum Nilo, ita Mesopotamiam, quomodo ait Minucius, Euphrate fœcundam fieri. De hoc enimvero flumine Plinius hæc narrat : « Increscit et ipse Nili modo statis diebus, paulum differens, ac Mesopotamiam inundat, sole obtinente vicesimam partem Cancri. Minui incipit in Virgine, Leone transgresso. In totum vero remeat in vicesima nona parte Virginis » (Plin. lib. V *Natur. histor.* cap. 27, pag. 584). Solinus vero, Plinii sequester et imitator : « Mesopotamiam, » inquit,

Digitized by Google

opinat inundationis annuæ excessibus, ad instar Ægyptii amnis, id est, Nili, terras contegens, invecta soli fœcunditate, iisdem ferme temporibus, quibus Nilus » (Solin., cap. 38). Videsis Strabonem, Arrianum, Quintum Curtium, atque alios geographos (Strab. lib. XVI *Geograph.*, pag. 740 ; Arian. lib. VII *de Expedit. Alexand.*, pag. 453 et 489 ; Q. Curt. lib. V, paulo post. init.).

Porro autem postquam idem Strabo quædam de fluviis, qui in Gangem, et Indum influunt, præfatus est, hæc quæ de Indo Minucius, litteris prodidit, Eratosthenis auctoritate confirmat : Ἐκ δὲ τῆς ἀναθυμιάσεως τῶν τοσούτων ποταμῶν, καὶ ἐκ τῶν ἑτεσίων ὡς Ἐρατοσθένης φησι, βρέχεται τοῖς θερινοῖς ὄμβροις ἡ Ἰνδικὴ καὶ λιμνάζει τὰ πεδία· ἐν μὲν οὖν τούτοις τοῖς ὄμβροις λίνον, σπείρεται, καὶ κέγχρον· πρὸς τούτοις σησάμην, ὄρυζα, βοσμορον. τοῖς χιμερινοῖς δὲ καιροῖς πυροὶ, κριθαὶ, ὄσπρια, καὶ ἄλλοι καρποὶ ἐδώδιμοι, ὧν ἡμεῖς ἄπειροι. » Eratosthenes auctor est ex horum tantorum fluviorum exhalationibus, et flatu Etesiarum, Indiam æstivis imbribus madere ac campos stagnis oppleri, et in iis imbribus linum seri et milium, et sesamum, orizam et bosmorum; Hiberno autem tempore seri triticum, hordeum, legumina, et alias fruges esculentas, quarum nos expertes » ( Strabo, lib. XV *Geograph* , pag. 690).

Videsne quam recte Minucius ex his omnibus concludat omnia et singula Dei Providentia administrari. Terras enimvero natura sua steriles, et solis ardore tostas, nec imbribus madefactas, horum fluminum inundationibus fœcundas efficit. Eodem plane modo prius ostenderat hac divina providentia, aliarum mundi partium fœcunditati a stata, quatuor anni tempestatum vicissitudine mirum plane in modum fuisse consultum : » Jam providentiæ quantæ, inquit, ne hiems sola glacie ureret, aut sola æstas ardore torreret autumni et veris inserere medium temperamentum ; ut per vestigia sua anni revertentis, occulti et innoxii transitus reverterentur. Ibi autem dixit : « Iliems glacie urit, » quemadmodum Virgilius :

. . . . Aut Boreæ penetrabile frigus adurat.
(*Virgil. lib.* I *Georg.* v. 93.)

ARTICULUS II.

***Excutiuntur Cæcilii ethnici contra divinam Providentiam argumenta, ex rebus prosperis malorum, et bonorum adversis ducta, ubi de Dionysio tyranno Phalaride, Rutilio, Socrate, Camillo, et Judæorum Christianorumque miseria.***

Plura adversus divinam Providentiam Cæcilius objicit, quorum alia ad omnes universim homines, alia ad quosdam particulatim, alia ad Gentiles, alia ad Judæos, alia denique ad Christianos spectant. Primum autem, quomodo, inquiebat ille, stante Dei Providentia, loca sacra et profana, quemadmodum homines pii et impii, fulmine aliisque fortuitis casibus pariter æqualiterque feriuntur? Cur sontes, æque ac insontes, boni et mali, tempestatibus ac naufragiis ullo sine discrimine opprimuntur? Cur denique viri nequissimi optimis sæpe sæpius florentiores sunt et feliciores?

Deinde vero quibusdam exemplis ille probandum suscipit falsum esse divina Providentia mundum gubernari, aut omnibus ac singulis consuli. Sed præstat ipsummet Cæcilium, ea proferentem, audire : « Quod si mundus, » inquit, « divina Providentia, et alicujus numinis auctoritate regeretur, numquam mereretur Phalaris et Dyonisius regnum, numquam Rutilius et Camillus exilium, Socrates venenum » Eodem plane argumento apud Ciceronem Cotta Academicus Providentiam Dei concutere moliebatur (Cic., lib. V, *de Nat. Deor.*, pag. 252, lin. 4 et sqq.). Pro certo autem is posuit, quod a Telamone de diis hoc uno versu decantatum est :

Nam si curent, bene bonis sit, quod nunc abest.

Academicus autem ille iisdem atque aliis pluribus quam Cæcilius exemplis, omisso tamen Camillo, hæc confirmare nititur. Ibi autem ea sic urget : « Cur avunculus meus vir innocentissimus idemque doctissimus P. Rutilius in exsilio est.... Duo de quadraginta Dionysius tyrannus annos fuit opulentissimæ, et beatissimæ civitatis. Quam multos ante hunc in ipso Græciæ flore Pisistratus, ac Phalaris, ac Apollodorus pœnas sustulit, multis quidem ante cruciatis et necatis... Quid dicam de Socrate, cujus morti illacrymari soleo Platonem legens? » Denique postquam multa Dionysii impia facta et sacrilegia, a Valerio etiam maximo postmodum notata (lib. I, cap. 1. *Extern.* § 3), recensuit, his narrationem suam absolvit verbis : « Hunc igitur nec Olympius Jupiter fulmine percussit, nec Æsculapius misero diuturnoque morbo intabescentem interemit, atque in suo lectulo mortuus, in Tympanidis rogum illatus est, eamque potestatem, quam ipse per scelus erat nactus, quasi justam et legitimam, hæreditatis loco filio tradidit » (Cicer. loc. cit).

Dissimulare tamen nec Cæcilius nec alii Gentiles poterant Dionysium illum, cujus varia singulariaque facinora uterque, Cicero, et Valerius Maximus, alibi adhuc recensent, in tam beata felicique fortuna fuisse miserrimum (Idem lib. V *Tuscul.*, p. 186, lin. 3 et seqq. Val. Max. lib. IX, cap. 13. Exter., § 4). Nam ipsemet Cicero hæc de illo litteris alio in libro mandavit : « Quid censemus superiorem illum Dionysium? Quo cruciatu timoris angi solitum, qui cultros metuens tonsorios, candenti carbone sibi adurebat capillum ? (Cic. lib. II *de Offic* pag. 377 lin. 17, et seqq.)

Valerius vero maximus eum alio modo scelerum suorum pœnas dedisse sic enarrat : « qui tametsi debita supplicia non exsolvit dedecore tamen filii, mortuus pœnas rependit, quas vivus effugerat. Lento enim gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat » (*Val. Max.*, *lib.* I, *cap.* 1, *Exter.*, § 5 ).

De Phaladiris vero morte hæc posteris tradidit Cicero : « Testis est Phalaris, cujus est præter cæteros nobilitata crudelitas, qui non ex insidiis interiit ut is quem modo dixi, Alexander : non a paucis, ut hic noster; sed in quem universa Agrigentinorum multitudo impetum fecit. » Ex Valerio autem Maximo

Digitized by Google

disces cujus consilio, et quomodo hic tyrannus ab Agrigentinis interfectus fuerit (Valer. Max., lib. III, cap. 3. *Exter.*, § 2.

P. Rutilii Rufli, quem Paterculus virum non sæculi tantum sui, sed omnis ævi optimum appellat, nota est omnibus historia (Patercul. lib. II *Histor.*). Quis enim nescit illum publicanorum, quorum latrocinia coercuerat, conspiratione, depulsum fuisse in exsilium, quamvis teste Cicerone, esset innocentissimus (Cic. Orat. II, *pro Fonte.*, pag. 227, et seq. et *Orat.* 37, *in Pison*, pag. 544)? De illo autem Valerius Maximus sic loquitur : » Quid damnatione, quid exsilio miserius? At P. Rutilio, conspiratione publicanorum perculso, auctoritatem adimere non valuerunt. Cui Asiam petenti omnes provinciæ illius civitates legatos, secessum ejus opperientes, obviam miserunt. Exsulare aliquis hoc loco, an triumphare justius dixerit? » (Valer. Max., lib II, cap. 10, § 5.) Similia haud semel dixit Seneca (Senec., lib. *Quare bonis viris mala*, etc., cap. 3; lib. de *Benefic.*, cap. 17; et epist. 24 et 69). At omittenda non sunt hæc Ovidii de eodem Rutilio carmina :

> Et grave magnanimi robur mirare Rutili,
> Non usi redditus conditione dati.
> Smyrna virum tenuit, non pontus, et hostica tellus
> (Ovid., *Eleg.* IV, l. I, *de Pont.* v. 65.)

Denique hujus meminit Vossius, quem si lubet adire haud difficile poteris (Voss., lib. I *de Histor. græc.*, cap. 22).

Platonis porro de Socratis Morte liber, quem Cicero non sine lacrymis unquam a se lectitatum testatur, is ipse est, qui *Phedo*, sive *de Animo* inscribitur. In ejus autem fine Plato, quomodo idem Socrates veneno epoto vitam finierit, non minori eloquentia, quam dolore deplorat (Plato in *Phæd.*, tom. I, pag. 116, et seqq. et *Apologet. Socrat.*, tom. I). At de hac tanti philosophi cæde legi potest illius Apologia ab eodem Platone, Xenophonte, et Apuleio conscripta, atque Senecæ, Origenis, Augustini, aliorumque plurium libri ac commentationes (Xenoph. *Apolog. Socrat.* pag. 705, et lib. II *Memor.* Apulei. *Apolog. Socrat.* Laert., lib. II *Vitæ Socrat.*, § 42. Senec. lib. *de Provid.* pag. 272; lib. I *de Vit. beat.*, cap. 26 et 27; et epist. LXXIV. Origen., lib. II, *contr. Cels.*, pag. 71. Augustin. lib. VIII *de Civit.*, cap. 3, pag. 192; Laert. loc. cit. Origen., lib. I, contra Cels., pag. 5. Senec. lib. de Provid., cap. 3, pag. 495). Cæterum citati a nobis Scriptores narrant quam falsa fictitiaque fuerint crimina, propter quæ ab iniquissimis judicibus morte damnatus est. Demum Laertius ac postea Origenes memoriæ prodiderunt, Athenienses injustæ condemnationis, statim atque ille mortuus est, pœnituisse. Quamobrem Seneca hanc mortem illi tam gloriosam fuisse asseverat, quam infamis fuit aliorum plurimorum vita : « Male, » inquit, « tractatum Socratem judicas, quod illam potionem publice mixtam, non aliter quam medicamentum immortalitatis obduxit, et de morte disputavit usque ad ipsam. Male cum illo actum est, quod gelatus est sanguis, ac paulatim frigore inducto, venarum vigor constitit. Quanto magis huic invidendum est, quam illis, quibus gemma ministratur, quibus exoletus, omnia pati doctus, suspensam auro nivem diluit? Hi quidquid biberint, vomitu remetientur tristes, et bilem suam regustantes. At ille venenum lætus et libens hauriet. »

De Camillo tandem, quem Cæcilius non autem Cicero memorat, hæc a Valerio Maximo scripta reperies : « Virium Romanarum et incrementum lætissimum, et tutela certissima Furius Camillus in Urbe incolumitatem suam tueri non valuit, cujus ipse salutem stabilierat, felicitatem auxerat. Siquidem a L. Apuleio tribuno plebis tamquam peculator Vegetanæ prædæ reus factus, duris, atque ut ita dicam, ferreis sententiis in exilium missus est. Et quidem eo tempore, quo optimo juvene filio privatus, solatiis magis allevandus, quam cladibus onerandus erat. Sed immemor patria tanti viri maximorum meritorum, exequiis filii, damnationem patris junxit : « At, » inquit, « ærario abesse tribunus plebis querebatur quindecim millia æris, tanti namque pœna finita est. Indignam summam, propter quam populus Romanus tali principe careret » (Valer. Max., lib. V, cap. 3, § 2). Hæc copiosus descripsit Plutarchus, quem adire poteris, quemadmodum Senecam, Diodorum Siculum, Livium, Florum, et alios (Plutarch., in *Camil. Vit.*, tom. I, pag. 334 et seqq. Senec., lib. IV, *de Benefic.*, cap. 27, et lib. V, cap. 17. Diodor. Sicul., lib. XIV *Bibliot.*, pag. 456. Livius, lib. V, § 32).

Ab Ethnicis ad Judæos et Christianos transit Cæcilius, atque eorum exemplo divinam Providentiam tollere sic nititur : « Scio equidem, » inquiebat, « unum Deum ab Judæis palam aperteque coli. Sed quam eis opem, quodve tulit auxilium? Nonne miserrima est natio, quæ cum Deo suo Romanis Numinibus (*cod. reg.* nominibus, *editio Rigaltii* hominibus) est captiva? »

Christianos vero adhuc acrius urget : « Ecce, » ait, « pars vestrum et major et melior, ut dicitis, egetis, algetis, opere, fame laboratis, et Deus patitur et dissimulat : non vult, aut non potest opitulari suis ; ita aut invalidus, aut iniquus est. » Sed « hæc, » pergit ille, « pauca sunt, et cum aliis communia. Vobis autem insuper peculiaria propriaque semper mala esse videmus, minas videlicet, supplicia, tormenta, cruces et ignes. Ubi ergo Deus vester? Cur vobis non subvenit, et opitulatur? »

Sed non solus Cæcilius, verum ethnici omnes hac ipsa querela et expostulatione Christianos pulsare consueverant. Nam illis, sicuti refert Clemens Alexandrinus, objiciebant : Εἰ κηδεται ὑμῶν ὁ Θεὸς τι δηποτε διώκεσθε, καὶ φονεύεσθε; ἢ αὐτὸς ὑμᾶς εἰς τοῦτο ἐκδίδωσι. « Si Deus vestri curam gerit, cur patimini persecutionem, et morte afficimini? An ipse vos eis tradit? » (Clemens Alexand., lib. IV *Strom.*, pag. 504) Et paulo post : Διατί δὲ οὐ βοηθεῖσθε διωκόμενοι.... « Cur autem cum vos persequuntur, nihil vobis affertur auxilii » (Ibid. pag. 505)? Apud Eusebium quoque Lugdunensis Viennensisque Ecclesia scribebat : Οἱ

Digitized by Google

ὀλίγον πολὺ, λίγοντες. ποῦ ὁ Θεὸς αὐτῶν. καὶ τί αὐτοὺς ὤνησεν ἡ θρησκεία, ἣν καὶ πρὸ τῆς ἑαυτῶν εἵλοντο ψυχῆς. « Nonnulli paulo æquiores, et qui vicem nostram dolere quodammodo videbantur, exprobrabant identidem, hæc dicentes : Ubi est Deus eorum, et quid illis profuit hæc religio, cui vitam quoque suam postposuerunt? » (Euseb., lib. v Histor., cap. 2, pag. 165. )

Omnibus itaque his argumentis cum ipse Cæcilius, tum plurimi alii Ethnici, ac præsertim Epicurei et Academici, uti ex Ciceronis *de Natura Deorum* libris ostendimus Providentiam divinam impugnabant. Iis autem probare conabantur Deum, si quis sit, summa quiete, et felicitate perfrui, nihil agere, nullis occupationibus distineri, nulla opera moliri, atque eo esse beatum, quod certum exploratumque habeat fore se semper in maximis æternisque voluptatibus. Quamobrem assertam a Stoicis Dei Providentiam tamquam fatidicam anum rejiciebant, negabantque Deum aliquid curare, aut aliqua ejus Providentia mundum guberuari. Verum hæc illi tam impie, quam contra conscientiæ suæ stimulos objectabant, ut impune peccare, et quodlibet agere possent. Sed Octavium, si lubet, varia illa argumenta refellentem, et evertentem audiamus.

ARTICULUS III.

*Quomodo Octavius superiora Cæcilii argumenta infirmet, et destruat.*

Objecta sibi a Cæcilio contra divinam Providentiam argumenta Octavius tanta facilitate, quanta soliditate diluit funditusque destruit. Jam enim propositа ab ethnicis tyrannorum Phalaridis, ac Dionysii, atque etiam Socratis, summi, ut aiebant, mirandique philosophi exempla, ab iis ipsis eversa animadvertisti. Ad illud autem quod ducitur ex fulminibus, quæ casso irritoque ictu, aut ullo absque discrimine loca sacra et profana, pioque et impios homines feriunt, Octavius respondet tantum abesse, ut inde Deum esse negemus, quin potius, « in mundi, » inquit, « omnibus motibus virtutem ejus semper præsentem aspicimus, cum tonat, fulgurat, fulminat, cum serenat. » Nos enimvero sicut Deum, et omnipotentem ejus virtutem, in cœli serenitate, ita in maximis hujus turbulentissimisque tempestatibus agnoscimus. Et certe etsi nemo tunc Deum corporeis oculis videat, quis dubitare tamen potest horum tantorum motuum primum esse auctorem, quem tunc timet ac veretur? Nam idcirco tonitrua mugiunt, ait Tertullianus, « ut homines terreantur, » eoque terrore improbi ad saniorem mentem redeant, et implorent Dei misericordiam ( Tertul., *Apologet*, cap. 17, pag. 18 ). Sed de Tertulliano nos suo loco.

Secunda Cæcilii adversus Dei Providentiam argumentatio, ab aliis gentilibus, et athæis sæpius nec sine fastidio repetita, desumitur ex malorum quorumdam hominum felicitate, et bonorum miseria. Quonam enim modo, inquiunt, Deus æque justus ac potens hæc ferre potuisset? Sed Minucius facile luculenterque ostendit eum solum esse felicem, qui verum Deum cognoscit, eique pie ac fideliter servit et obtemperat. Ad infirmandam vero Cæcilii argumentationem iisdem plerumque atque Seneca, tametsi Ethicus, et rationibus et verbis utitur (*Senec., lib. Quare viris bonis*, etc. pag. 488, *et seqq.*).

Primo itaque penitus negat eos esse felices, qui divitiis affluant, vel amplissimos honorum dignitatumque gradus adepti sunt. Altius siquidem tolluntur, ut gravius decidant; vel sicuti Claudianus cecinit :

Tolluntur in altum
Ut lapsu graviore cadant.
(Claudian., l. 1 *in Rufin.*)

Adhæc vero hi, ut victimæ, saginantur ad supplicium, et tamquam hostiæ ad pœnam coronantur. Quid etiam, quod adulatores fictis sæpissime blanditiis et assentationibus aliorum abutuntur potentia?

Præterea nonne dives « fortunæ male creditur, » inquit Minucius, ejusque inconstantiæ committitur? Nonne divitiis suis, tamquam viatico, ad breve conficiendum vitæ iter, minus locupletatur, quam oneratur? Rex autem, tam timet, quam timetur, et ad periculum solus est. Nam Labienus a Seneca citatus recte canebat :

Necesse est multos timeat quem multi timent.

Qui vero generis sui prædicat nobilitatem, non seipsum laudat, sed parentes. Denique qui fascibus et purpura gloriatur, hic mente sordescit. Omnes quippe homines, sive pauperes sive divites, pari sorte nascuntur, sola virtute distinguuntur.

Cyprianus vero in sua ad Donatum Epistola longe copiosius, quam auctor noster, prosequitur (*Cyprian., epist.* 2 *ad Donat.*, pag. 7 et 8). Non audemus longiorem illius sermonem integrum hic describere, quem tamen legisse procul dubio te non pœnitebit. Addemus itaque illud quod, brevius ab Apuleio scriptum legimus : « Generosus est? Parentes laudas. Dives est? Non credo fortunæ. Magis ista dinumero. Validus est? Ægritudine fatigabitur. Pernix est? Abibit in senectutem. Formosus est? Expecta paulisper, et non erit » ( Apul., *de Deo Socrat.* sub finem). Vide, si lubet, citatum a nobis Senecæ librum de Providentia, sive Quare bonis viris mala accidant, cum sit Providentia, atque in hunc librum Mureti Disputationem, et Morellii, atque aliorum Observationes.

Pergit Minucius, ac desumptum ex proborum hominum paupertate, adversisque casibus argumentum simili modo explodit. Ea enimvero paupertas, inquit, neque infamia est, neque miseria, sed gloria, virtutisque comparandæ ac stabiliendæ occasio. Noster siquidem « animus ut luxu solvitur, ita frugalitate firmatur. » Deinde vero in egestate dives est, qui nihil concupiscit : pauper e contrario ille est, qui divitiis abundans, plura adhuc desiderat. Quamobrem Pomponius Rufus apud Valerium Maximum dicebat : « Omnia habet, qui nihil concupiscit, eo quidem certius, quam qui cuncta possidet. » ( Valer. Maxim., lib. IV, cap. 4 *proœm.*)

Digitized by Google

Huc accedit, quod nemo, uti Minucius post Senecam ait, « tam pauper vivit, quam pauper natus est. » Inde autem infert Seneca contemnendam esse paupertatem (Sen., lib. *de Prov.*, cap. 6, pag. 504.). Deinde quod Christianos spectat, Minucius haud dubitanter asserit illos posse divitias et facultates, si eis utiles forent, a Deo impetrare ; sed illas ab ipsis sperni atque innocentiam anteferri ac pietatem.

Longe autem minoris, vel potius nullius plane momenti illud est, quod ex miserrima Judæorum conditione urget Cæcilius. Quamdiu enim Deum pie sancteque coluerunt, quamdiu præceptis ejus morem sedulo gesserunt, tamdiu illos secundis rebus et omni prosperitatum genere, non magnis sine miraculis, usos esse constat. At postquam impietate suisque sceleribus Deum deseruerunt, tum ab eo deserti, debitas luerunt impietatis suæ scelerumque pœnas. Audi, quæso, Minucii verba : « Quamdiu caste, innoxie, religioseque coluerunt, quamdiu præceptis salutaribus obtemperaverunt, de paucis innumeri facti, de egentibus divites, de servientibus reges ; modici multos, inermi armatos, dum fugiunt insequentes, Dei jussu et elementis adnitentibus obruerunt..... Ita prius eos deseruisse comprehendes, quam esse desertos, nec cum Deo suo captos, sed a Deo ut disciplinæ transfugas, deditos. »

Neque Cæcilius, aut alius quilibet respondere poterat illud gratis a Minucio fictum, quod in eorumdem Judæorum scriptis æternæ memoriæ traditum, passim ubique legitur. Nihil enim in eis contra se suosque parentes scripsere, nisi quod aut tacere aut dissimulare non poterant. Addit vero Minucius eo magis reos fuisse Judæos, quod hæc omnia in iisdem illorum libris longo ante tempore fuerunt prædicta, quam acciderint.

Duos autem præterea testes nominatim appellat Josephum et Antonium Julianum. At prior sane omni fide hac in re major erat. Judæus siquidem fuit, atque in libris, quos de gente sua, belloque Judaico scripsit, quique omnium manibus teruntur, quivis ea, quæ Minucius refert, legere facillime poterit Posterior quoque de Judæis, ut satis aperte Minucius innuit, commentarios divulgaverat. Sed illorum jacturam a tam longo tempore fecimus, ut qui vel eorum vel ipsiusmet Juliani meminerit, vix ullus præter auctorem nostrum occurrat. Nullus tamen, nisi plane incredulus, negare potest ea vera esse, quæ a Minucio nostro proferuntur.

Si quis autem, Cæcilio morosior, alium pro Juliano testem sibi citari postulet, ei protinus dabimus Tertullianum cujus hæc verba sunt : « Tantum Judæis erat apud Deum gratia, ob insignem justitiam et fidem originalium auctorum, unde illis et generis magnitudo et regni sublimitas floruit ; et tanta felicitas, ut Dei vocibus de promerendo Deo et non offendendo præmonerentur. Sed quanta deliquerint, fiducia patrum inflati, deviantes a disciplina in profanum modum, etsi ipsi non confiterentur, probaret exitus hodiernus ipsorum ; dispersi, palabundi, et cœli et soli sui extorres vagantur per orbem sine homine, sine Deo rege, quibus nec advenarum jure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur? » (Tertul., *Apologet.*, cap. 1, pag. 20.) Eadem porro reperies apud Cyprianum, qui totum hunc Tertulliani locum delibando, ipsamet etiam aliquando illius verba mutuatus est (Cyprian., *lib. de Idol. Vanit.*, pag. 15). Sed de his fusius alia in dissertatione nostra agendum.

Urgebat tamen Cæcilius frustra prædicari Providentiam Dei, qui impune patitur probos homines quibuslibet adversis casibus affligi ; ac potissimum Christianos maximis, et exquisitissimis suppliciis vexari, excarnificari, necari. At Minucius id verum quidem esse fatetur : sed contendit hæc non solum Dei Providentiæ, sed miserationis etiam, immo vero amoris et benevolentiæ certissima esse indicia. Deus etenim, uti ille post Senecam ait, unumquemque in adversis probat et examinat : vel ut ipsiusmet Senecæ verbis utamur : « Hos Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet. Eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis servat. Erratis enim, si quem credatis exceptum. Veniet ad illum diu felicem sua portio, quisquis videtur dimissus esse dilatus est (*Senec., lib. de Provid. cap.* 4; *pag.* 498). » Itaque sicut aurum igne, inquit uterque, Seneca et Minucius, sic fortis vir, pius et probus miseriis ac calamitatibus probatur. Potest ergo miser videri, sed reipsa miser non est. Quæcumque enim corporis mala et tormenta, non pœnæ sunt, sed militia, et sæpius disciplina virtutis, vel ut Seneca loquitur : « Non sævitia ; certamen est, » et virtutis occasio (*Ibid. cap.* 5, *pag.* 501 ; *cap.* 3, *pag.* 494 ; *cap.* 4, *pag.* 498). » Addit insuper Minucius id quod non solum ab eodem Seneca sed etiam a Platone et Xenophonte confirmatur, vires nostras sine laboris exercitatione prorsus torpescere. (*Plato, in Theæt., tom.* I, *pag.* 153; *Xenophon., lib.* VII *de Exped. Cyr., pag.* 198).

Porro autem præ cæteris omnibus hic laudamus Senecam, ejusque verba retulimus ; quia Minucius plura, ut supra ostendimus, ex illo desumpsit. Cæterum de his omnibus legere præterea poteris Ciceronis paradoxa, Valerium Maximum lib. IV, cap 4, de Paupertate laudata. Justinum Martyrem Apolog. 76, pag. 43 et seqq. Clementem Alexandrinum, lib. IV Strom. pag. 504 et seqq. Tertullianum Apologetic. cap. 41. Cyprianum tract. de Mortalitate, pag. 158. Arnobium lib. II adversus Gentes, pag. 97. Lactantium lib. V, cap. 21 et 22, pag. 529 et seqq. Ambrosium, Serm. 11, in Psalm. CXVIII, pag. 1110 et seqq. ac lib. II de Jacob. et Vita beat. cap. 9, pag 473. et seqq. Augustinum lib. de Civitat. cap. 29, pag. 27. Theodoret. Orat. 6. de Provident. pag. 578 et seqq. de Græcor. affect. curand. serm. 6. itidem de Provident. pag. 573. et seqq. et alios quam plurimos. Interim vero auctorem nostrum sequamur, hoc imbelle Ethnicorum telum in ipsos acerrime retundentem.

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

*Quomodo Octavius diluerit deductam a Cæcilio ex martyrum suppliciis et morte argumentationem, ubi proposita Scævolæ, Reguli et Aquilii exempla exponuntur : ac de magno martyrum numero, et divinæ ad subeundum martyrium gratiæ necessitate.*

Pergit Minucius, ac luculenter Cæcilio aliisque ethnicis ostendit, crudelissimis Christianorum martyrum suppliciis, non modo non lædi Dei Providentiam, sed mirum plane in modum commendari. Tantum enim ei abesse videtur, ut Christianus ob suæ religionis professionem dirissimis cruciatibus ac tormentis excarnificatus, atque iis animam agendo, miser infelixque sit, quin illum dignum censeat Deo spectaculum, Nonne etenim benignis summæ illius majestatis conspectibus dignus, ipsique acceptissimus est sanctissimus martyr, qui propter publicam fidei christianæ confessionem innumera, eaque atrocissima perpessus supplicia, effuso tandem sanguine, de carnificibus et tyrannis triumphat?

Nemo certe quantumvis pervicax gentilis negare id merito jure potest, qui hæc Senecæ de forti viro legerit verba : « Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus, utique si et provocavit. Non video, inquam, quid habeat in terris Jupiter pulchrius, si convertere animum velit, quam ut spectet Catonem, jam partibus non semel fractis, stantem nihilominus inter ruinas publicas rectum..... Liquet mihi cum magno spectasse gaudio deos, cum jam ille vir, acerrimus sui vindex, alienæ saluti consulit, et instruit discedentium fugam ; dum etiam studia nocte ultima tractat, dum gladium sacro pectori figit, dum viscera spargit, et illam sanctissimam animam indignamque, quæ ferro contaminaretur, manu educit. » (*Senec., lib. de Provid., cap.* 2, *pag.* 492.) Si hæc Seneca de ethnico forti homine, in tot adversis constituto, de sua post hanc vitam sorte incerto, dicere potuit ; quid dicere debebat de Christiano martyre, qui certo certius novit se morte sua æternam felicitatem consecuturum ?

Ne autem Cæcilius aut alius gentilis quispiam opponeret hanc quidem Senecæ, aut Stoici cujusdam philosophi, non aliorum vero fuisse opinionem, idcirco urget adhuc Minucius, atque ob Cæcilii et cæterorum oculos ponit Mucii Scævolæ, Reguli, et Aquilii exempla, quos tametsi calamitosi viderentur, ob invictam nihilominus in acerbissimis tormentis constantiam, ethnici omnes summis laudibus in cœlum extulerunt. Quæ porro supplicia, Aquilius et Regulus pertulerint, silet Minucius, haud dubie quia hæc suo tempore nemini incomperta erant. Sed ne alicui forsitan incognita sint, ea breviter enarrabimus ; de Mucii autem Scævolæ supplicio, hæc Arnobius ibidem adjecit : « Qui cum errasset in Regem, periisset in hostibus, nisi dextram perdidisset. » Is enim cum Porsenna, Etruscorum rex, Romam gravi diutinoque bello obsideret, in hostium castra audacter, et sine ulla, ut ait Cicero, spe salutis intravit, ibique Regis scribam, pro ipsomet rege, quem occidere volebat, imprudens interfecit (*Cic., Paradox., p.* 434). Quamobrem captus et ante regis tribunal adductus, dextram accenso ad sacrificium foco injecit intrepidus. Qua audacia exterrefactus Porsenna, illum libertate donatum dimisit (*Livius, Decad.* I, *lib.* II, *pag.* 22 *et seq.*). At de hoc illius facto alibi diximus.

Marcus vero Attilius Regulus, cujus postea auctor noster meminit, iterum consul, primo Punico bello, ab hostibus, quos variis cladibus fregerat et vicerat, captus, cum de captivis commutandis Romam missus esset, jurassetque se rediturum : « Ut venit, ait Cicero, captivos reddendos in senatu non censuit. Deinde cum retineretur a propinquis et ab amicis, ad certissimum tamen supplicium redire maluit, quam hosti datam fidem fallere (*Cic., lib.* I *de Offic., pag.* 356, *lin.* 16 *et seqq.*) » Ad eos itaque reversus, vigiliis et inedia necatus est. Videsis eumdem Ciceronem lib. V *de Finib.*, pag. 112, atque imprimis lib. III *de Offic.*, pag. 401 *et seq.* Valer. Max., lib. I, cap. 1, § 14, p. 13. Eutropium, lib. II *Histor. Rom.* Aurelium Victorem *de Viris illustribus*, pag. 605. A. Gellium, lib. VI *Noct. attic.*, cap. 4. Florum, *l.b.* II, *cap.* 2. Senecam, lib. *de Provident.*, cap. 13, pag. 272. Aug., lib. I *de Civitat.*, cap. 13, pag. 13; cap. 24, pag. 23; lib. II, cap 23, pag. 52, et lib. III, cap. 18, p. 76. De utroque autem, Scævola et Regulo, Cicero, lib. III *de Offic.*, pag. 252. Lactant., lib. V, cap. 13, pag. 496. Tertullian., *Apologet.*, cap. 50, et lib. *ad Martyr.*, cap. 4 et alios. Unum porro dumtaxat animadvertemus varias fuisse de Reguli pœnis suppliciique genere horum Scriptorum opiniones.

Cæterum quo frequentior hujus Reguli ac Mucii Scævolæ apud varios scriptores, eo rarior Aquilii, ab auctore nostro ibidem memorati, mentio. Hinc certe quidam opinantur in ejus nomine scribendo errasse librarium, atque ibi pro Aquilio, legendum Atilio aut Acilio. Qua quidem facta emendatione, censent hunc esse, quem Dionysius Halicarnasseus Ἀτίλιον, seu potius, ut eis placet, Ἀκύλιον, appellavit (*Halicarn., lib.* III *Antiquit., pag.* 259 *et seq.*). Sed futiles vanæque sunt hæ conjecturæ. Minucius enim de viris innocentissimis, qui vario suppliciorum dirissimorum genere occisi sunt, loquitur. Atilius autem, teste eodem Halicarnasseo, meritas criminis sui pœnas persolvit.

Quid vero, amabo te, vetat quominus dicamus sermonem a Minucio fieri de Marcio Aquilio, quem Appianus, a Mithridate crudelissimæ morti traditum, his narrat verbis : « Nec multo post Marcium Aquilium, legationis hujus et belli auctorem præcipuum, captum vinctumque in asino circumvehebat, coactum suapte voce apud spectatores proclamare se esse Marcium, donec Pergami aurum liquatum in os ejus infundit, corruptelas largitionum exprobrans Romano



Digitized by Google

nomini? » (*Appian., lib. de Bel. Mithrid., longe post init., pag.* 123). Plinius quoque : « Nec jam, inquit, Quiritium aliquo, sed universo nomine Romano infami, rex Mithridates Aquilio duci capto aurum in os infudit (*Plin., lib.* XXXIII *Natur. Hist., cap.* 3, *pag.* 32).

Nescii quidem non sumus scriptis a Valerio Maximo proditum, M. Aquilium maluisse Mithridati turpiter servire, quam gloriose ac fortiter mori. Sed ipse Valerius alto ibi premit silentio quo mortis genere obierit (*Valer. Max., lib.* IX, *cap.* 13, § 1). Quamvis autem ille de Aquilii morte aliter, quam Appianus et alii, sentiret, id certe prohibere non potuit, ne Minucius horum potius, quam Valerii Maximi, secutus sit opinionem. Huc accedit, quod hic Aquilius esse credatur, de quo Cicero quadam in Oratione sic disserit : « Vos eum regem (Mithridatem), inultum esse patiemini, qui legatum populi Romani consularem, vinculis, ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necavit? (*Cic., orat.* 13, *pro Lege Manil., pag.* 243.) Denique Arnobius, de quo nos suo loco, exemplum ejusdem Aquilii contra ethnicos, quemadmodum Minucius noster, adhibuit (*Arnob., lib.* I, *pag.* 23).

Jam autem animum, quæso, advertas quam recte ex his exemplis auctor noster contra ethnicos argumentetur. Primum enim ex Scævolæ exemplo sic ille disputat : « Et quot ex nostris non dexteram solum, sed totum corpus uri, cremari, sine ullis ejulatibus pertulerunt, cum dimitti præsertim haberent in sua potestate? » Acrius deinde, ex omnibus simul conglobatis, hunc instat in modum : « Viros cum Mucio, vel cum Aquilio aut Regulo comparo. Pueri et mulierculæ nostræ cruces et tormenta, feras et omnes suppliciorum terriculas inspirata patientia doloris illudunt. » Eodem plane modo et ex iisdem Mucii ac Reguli exemplis Lactantius ratiocinatur : « Nostri, ut de viris, inquit, taceam, pueri et mulierculæ tortores suos taciti vincunt, et exprimere illis gemitum nec ignis potest. Eant Romani, et Mucio glorientur aut Regulo..... Ecce sexus infirmus, et fragilis ætas, dilacerari se toto corpore utique perpetitur, non necessitate, quia licet vitare, si vellent, sed voluntate, quia confidunt Deo (*Lactant., lib.* V *Instit. divin. cap.* 13, *pag.* 495 *et seq.*). » Alii vero ethnici, quamvis robusto corpore vigentes, cum torquerentur, exclamabant, edebantque gemitus, quia « deest illis, inquit, inspirata patientia. » Quibus quidem verbis Minucius noster, uti cernis, jam usus fuerat. Lactantius igitur non modo auctoris nostri sensum et mentem, sed ipsa etiam quædam verba expressit.

Nemini porro ingratum aut injucundum fore putamus, si ex utroque illo Minucii Lactantiique loco observemus non parvum, sicut quidam falso existimant, fuisse eorum tempore martyrum numerum. Nonne enim magnam horum fuisse multitudinem illi palam aperteque declarant, cum dicunt non tantum viros, verum etiam pueros et mulierculas summa patientia ac sine ullo gemitu passos esse corpus suum uri et cremari? Quid vero dicendum de variis aliis cruciatuum, de quibus illi tacuerunt, generibus, cruA cibus, feris, et « omnibus, » ut ipse loquitur, « suppliciorum terriculis? » Nonne tot tamque diversis tormentis, non tam parvo Christiani numero crudeliter necati, palmam martyrii tunc consecuti sunt?

Animadvertendum insuper persuasum Minucio, quemadmodum Lactantio, fuisse, neminem sine divino victricis gratiæ auxilio, potuisse crudelissimos illos cruciatus pro Christi confessione ad mortem usque tanta perferre constantia (*Lactant., loc. cit.*). Primum etenim uterque diserte affirmat inspiratam eis fuisse patientiam. Sed quomodo inspirata est, nisi divinæ gratiæ auxilio? Deinde addit Minucius « neminem esse, qui aut sine ratione velit pœnam subire, aut tormenta sine Deo possit sustinere. » Lactantius vero postea scripsit : « Nec ipsam patientiam, sine Deo, cruciatus tantos posse superare (*Lactant., loco cit.*). » Nonne autem his verbis ipsam divinæ gratiæ, ad mortem tot tantisque tormentis obeundam, necessitatem luculentissime asserit et vindicant? De Lactantio autem aliquid adhuc infra dicendum. (*Dissert. in Lactant., cap.* 28, *art.* 1).

B

### ARTICULUS V.

*Quomodo ultimum Cæcilii contra divinam Providentiam argumentum ex Christianorum de fato opinione petitum, ab Octavio solvatur.*

Ultimum contra divinam Providentiam Cæcilii propugnaculum fuit communis, uti aiebat, opinio, non modo gentilium, sed omnium etiam Christianorum, qui fato omnia fieri arbitrabantur. Quid ergo? quomodo Cæcilius tam affirmate asseverare potuit hanc communem fuisse Christianorum universorum sententiam? Nonne eam totis animi ingeniique viribus impugnaverunt? Si de aliquibus hæreticis id ille dixisset, manus ei haud inviti daremus. Sed quis ipsum, de omnibus universim Christianis hoc asserentem, ferre potest? Audi tamen, obsecro, qua ratione illud probare conatur. « Quidquid agimus, inquit, ut alii fato, ita vos Deo dicitis; sic sectæ vestræ non spontaneos agere, sed electos, » id est, vos Christiani non ultro et sponte vestra, sed divina electione, sectam religionemque vestram amplexati estis. Cum autem hæc objectabat, respexisse videtur ad ea Christi verba, quæ vel ex Christianis audierat, vel legerat in Joannis Evangelio : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos* (*Joan.* XV, 16). Ex iis autem ille concludit : « Igitur iniquum judicem fingitis, qui sortem in hominibus puniat, non voluntatem. »

C

D

Sed hanc futilem ineptamque argumentationem cito et facile Minucius evertit. Quamvis enimvero a Deo simus electi, certum tamen est liberam semper esse humanam voluntatem, ac proinde homines propter liberos suos actus, si pravi sint, non vero illorum sortem a Deo puniri. « Mens, quippe, uti ille ait, libera est, et ideo actus hominis, non dignitas judicatur. » Deus ergo justus æquusque est judex, qui homines propter bonos actus præmio, ac propter malos, pœnis afficit.

Digitized by Google

Verum Octavius cum Cæcilio agit liberalius. Concedit illi, quod vult, omnes Christianos credidisse omnia fato fieri. At quid est fatum, inquit? « Fatum est, quod de unoquoque nostrum Deus fatus est. » Neque huic fati definitioni repugnat Augustinus. Nam « ordinem causarum, inquit, ubi voluntas Dei plurimum potest, neque negamus, neque fati vocabulo nuncupamus, nisi forte, ut fatum *a fando* dictum intelligamus, id est, a loquendo (*August., lib. de Civit., cap.* 9, *pag.* 123). » Plura hanc in rem apud Vossium in Etymologico videbis.

Hac autem posita fati definitione, contendit Octavius nullam homini ad agendum a Deo imponi fatalem necessitatem. Deus enim vero « cum materiam, » inquit, seu futura omnia, sive bona, sive mala hominum opera, « possit præscire, pro meritis et qualitatibus singulorum fata determinat. » Quibus sane verbis docet Deum, qui divina sua præscientia omnia futura, ac quidquid unusquisque aut bene, aut male, sed semper magna cum libertate, acturus est, optime cognoscit, pro meritis singulorum, sive bonis, sive malis, fata, id est, æterna aut supplicia, aut præmia determinare, seu æterno decreto suo statuere ac decernere. Ex quibus ille hunc concludit in modum : « Ita in nobis non genitura plectitur, sed ingenii natura punitur ; » hoc est, non genitura, sine nascendi modus, sed vitia nostra, ac ea omnia, quæ Dei mandatis non obtemperando, peccavimus, ab illo justissime puniuntur.

Porro autem quia Cæcilius palam asseverat propugnatam a plurimis gentilibus impiam de fato seu fatali necessitate opinionem, a nobis haud dubie aliquis sciscitabitur quinam illi fuerint. At cuilibet id petenti plenissime, uti arbitramur, his Ciceronis verbis satisfaciemus : « Ac mihi quidem, inquit, videtur, cum duæ sententiæ fuissent veterum philosophorum, una eorum, qui censerent omnia ita fato fieri, ut id fatum vim necessitatis afferret, in qua sententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristoteles fuit : altera eorum, quibus viderentur sine ullo fato esse animorum motus voluntarii ; Chrysippus tanquam arbiter honorarius, medium se ferre voluisse : sed applicat se ad eos potius qui necessitate motus animos liberatos volunt. Dum autem verbis utitur suis, delabitur in eas difficultates, ut necessitatem fati confirmet invitus (*Cicer., lib. de Fato, pag.* 307, *lin.* 48 *et seq.*) » Qui plura voluerit, is adeat ejusdem Ciceronis *de Fato* librum, ex quo hæc desumpta sunt. Legat etiam ex recentioribus Christianis scriptoribus plurimos, Lipsium, et Vossium ex antiquis vero Ecclesiæ Patribus, Augustinum, Eusebium et Tatianum, qui in sua ad Græcos Oratione, uti alibi observavimus, hunc errorem plane exagitat ac refellit (*Voss., l.* II *de Orig. et Progres. idolol., cap.* 45 *et seqq. Lips., lib. de Const., cap.* 29 *et seqq. August., lib.* V *de Civit., cap.* 2 *et* 20. *Euseb., lib.* VI *de Præpar. Evang., cap.* 1, 2, 3 *et seqq., et Tatian., tom.* I *Apparat. nostri, pag.* 543).

## CAPUT VII.

### DE ALIIS CHRISTIANÆ RELIGIONIS DOGMATIBUS.

#### ARTICULUS PRIMUS.

*Excutiuntur argumenta, quibus Cæcilius corporum nostrorum resurrectionem impugnat, et Octavius eam tuetur ; ubi de metempsychosi atque hujus opinionis auctoribus et assertoribus Pythagora et Platone.*

Alia quædam christianæ religionis documenta convellere nititur Cæcilius, sed non feliciori successu. Unum autem ex præcipuis illud procul dubio est, quo futurus corporis nostri ad vitam reditus asseritur. Eo enim sublato, vana, ut ait Apostolus, et inanis erit fides nostra. Cæcilius vero hoc fidei speique nostræ fundamentum isto dilemmate evertere molliebatur : Vel resurgemus, inquit, sine corpore, vel cum corpore. Non primum quidem ; nam sine corpore neque mens, neque anima, neque vita est. Atque ita argumentabantur ethnici, qui nihil nisi corporeum exsistere posse garriebant. Neque etiam cum corpore, pergit Cæcilius, vel ipsomet nostro, vel alieno resurgemus. Non ipsomet quidem nostro, quod a tam longo tempore erit mortuum ; ut nihil prorsus illius residui quidquam possit remanere. Non alieno etiam, quandoquidem non idem numero, sed alius a mortuo redivivus homo foret.

Secundo deinde argumento contra mortui nostri corporis ad vitam excitationem sic adhuc pugnat Cæcilius : « Quis unus ullus ab inferis vel Protesilai sorte remeavit, horarum saltem permisso commeatu, vel ut exemplo crederemus ? » Jam vero observatum a nobis fuit quosdam frustra ominari in hoc Minucii textu nomini *horarum* subjungendum esse adjectivum *paucarum*. Satis enim ibi subintelligitur ; quia de sorte agitur Protesilai, qui primus ex Græciæ principibus ab Hectore in Trojano bello interfectus dicitur. Laodamia vero illius uxor, statim atque eum mortuum fuisse rescivit, magnis precibus a diis impetrasse fertur, ut illius ad vitam excitati colloquio per tres horas frui sibi liceret. Videsis Propertium, Hyginum, Catullum et Ovidium, qui ad hunc Protesilaum uxoris ejus nomine scripsit Epistolam (*Propert., lib.* I, *Eleg.* 19 ; *Hygin., Fab.* 103. *Catul., Epist.* 63 *ad Mallium. Ovid., Epist.* 13).

Frequens autem ac sæpius repetita fuit hæc ethnicorum argumentatio. A Justino siquidem martyre sic proponitur : διὰ τὸ μήπω ὡραχέναι ὑμᾶς ἀναστάντα νεκρὸν, ἀπιστεῖτε ἔχει. « Propterea quod nondum mortuum resurrexisse videritis, vos incredulitas resurrectionis tenet. (*Justin., Apolog.* 2, *p.* 65.) » Similiter a Theophilo Antiocheno : ἀλλὰ καὶ τὸ ἀρνεῖσθαι σε νεκροὺς ἐγείρεσθαι. φὴς γὰρ, Δεῖξόν μοι κἂν ἕνα ἐγηγερμένα ἐκ νεκρῶν, ἵνα ἴδων πιστεύσω : « Sed et negas mortuorum resurrectionem. Ais namque : Ostende mihi saltem unum ex mortuis revocatum, quem si videro, verbis tuis fidem habebo. (*Theoph., lib.* I *ad Autol., pag.* 77.) » His præter cæteros, quos referre longum esset, adjunga-

Digitized by Google

tur Lactantius, qui pari quoque modo ethnicos hæc objicientes inducit : « Tot jam sæcula transierunt, quis umquam unus ab inferis resurrexit, ut ejus exemplo credamus? (*Lactant.*, *lib.* VII, *cap.* 22, *pag.* 719.) »

Sed cur, inquit, Minucius, tu Cæcili, homo ethnice, audes hanc Christianorum de corporum nostrorum resurrectione sententiam, tamquam anilem fabulam rejicere? Cur petis id unius exemplo tibi probari? Numquid oblitus es dimidiam saltem illius partem constanter propugnari a Pythagora et Platone, qui animarum nostrarum ex mortuis corporibus in alia transmigrationem asseruerunt? At id si ex memoria tua excidit, lege, quæso, librum primum Diodori Siculi, et ibi ab eo scriptum reperies Pythagoram ab Ægyptiis hanc accepisse opinionem (*Diodor. Sicul.*, *lib.* I *Biblioth.*, *pag.* 62). Revolve Herodoti libros, et ibi videbis illum similiter dixisse Græcos, quorum nomine haud dubie Pythagoram et Platonem comprehendit, illam ab iisdem delibasse Ægyptiis (*Herodot.*, *lib.* II, § 123). Adi Laertium, atque ex citatis ab illo Scriptoribus comperies, quid Pythagoras de variis animæ suæ transmigrationibus prædicabat (*Laert.*, *lib.* VIII, § 4 *et* 5). Si hæc omnia satis tibi non sint, fidem procul dubio non denegabis Laberio, qui apud Tertullianum hanc ipsam de metempsychosi opinionem a Pythagora propugnatam aperte testificatur (*Tertull.*, *Apologet*, *cap.* 48, *pag.* 42). At ipsemet Tertullianus, Ambrosius, aliique, quemadmodum Minucius noster, hinc recte concludunt incredibilem ethnicis esse non debere Christianorum de corporis nostri resurrectione sententiam (*Ambros.*, *lib.* II *de fide Resurr.*, § 65, *tom.* II, *pag.* 1151).

Quid vero, quod idem Tertullianus alibi haud dubitanter asseverat, hoc de animarum transmigratione absurdum dogma non modo ab eodem Pythagora, sed etiam a Platone, sicuti dixit Minucius noster, fuisse assertum (*Idem*, *lib. de Anim.*, *cap.* 28). Sed quod ad Platonem attinet, nullo prorsus ad id probandum teste opus est. Non obscure enim nec semel in libris suis illud tradidisse legitur (*Plat.*, *in fin. lib. de Anim.*, *tom.* III, *pag.* 104, *et lib.* X *de Republ.*, *tom.* II, *pag.* 620).

Priusquam vero progrediamur ulterius, duo hic observanda sunt. Et primo quidem de illo ridiculo philosophorum errore Minucium dixisse : « Non philosophi studio, sed mimico vitio digna ista sententia est. » Mirum etenim quanto studio nec pauci, nec ineruditi viri hunc locum, quem corruptum censent, et emendare nitantur, et quam varias illius correctiones excogitaverint. Sed nihil certi afferunt, propter quod genuina manuscripti codicis regii lectio immutari debeat. Quamobrem ea retenta, Rigaltius suspicatur Minucium his verbis ad mimos collineasse, qui in scena sese aliquando in belluas transformabant, earumque induebant figuras. Alii vero opinantur a Minucio notari Laberium, a Tertulliano, uti paulo ante annotavimus, laudatum, et hæc illius carmina a Crinito descripta:

Et audio mala multa etiam ex bonis
Per illud, ut nos olim mutant philosophi,
Et nunc de mulo hominem, de muliere colubrum
Faciunt, et ex diversis diversa alia.
(*Crinit.*, *l.* XI *de Honest. discipl. cap.* 3.)

Laberius autem et poeta et mimus fuit, de quo præter cæteros Macrobius : « Laberium asperæ libertatis equitem Romanum Cæsar quingentis millibus invitavit, ut prodiret in scenam, et ipse ageret mimos, quos scriptitabat. » (*Macrob.*, *lib.* II, *Saturnal.*, *cap.* 7.) Atque ibi Macrobius plura Laberii carmina refert, quibus ad scriptos a se mimos agendos coactus est. De illo quoque Horatius cecinit.

Et Laberi mimos, ut pulchra poemata mirer.
(*Horat.*, *lib.* II, *Sermon. Satir.* 10)

Laberius itaque has philosophorum de metempsychosi deliriationes, non solum scriptis, paulo ante citatis, sed etiam actis mimicis haud dubie deriserat. Minucius ergo inde inferre potuit hunc errorem « mimico « vitio, » aut mimico convitio, » aut « mimi convicio, » nimirum Laberii, vel si velis, cujuslibet pantomimi esse dignum.

Animadvertendum secundo Pythagoram a Minucio appellari primum, qui hanc opinionem, seu potius deliriationem introduxit. Sed quo jure, quove teste id tam asseveranter affirmavit? Nam Diodorus Siculus apertissime, uti jam diximus, et Herodotus paulo obscurius testificantur primos hujus opinionis auctores fuisse Ægyptios, a quibus eam Pythagoras accepit. Quamobrem aut erravit Minucius, aut potius nihil aliud sibi voluit, nisi hanc sententiam a Pythagora, tamquam primo illius inventore et auctore apud Græcos disseminatam. Quod si hoc posterius ille tantum edixit, ipsummet procul dubio testem habebit Herodotum, cujus hæc sunt verba : Τούτῳ τῷ λόγῳ εἰσὶ οἱ Ἑλλήνων ἐχρήσαντο, οἱ μὲν πρότερον, οἱ δὲ ὕστερον, ὡς ἰδίῳ ἑωυτῶν ἐόντι. τῶν ἐγὼ εἰδὼς τὰ οὐνόματα, οὐ γράφω. « Hanc rationem sunt ex Græcis, qui usurpaverint tamquam suam ipsorum, alii prius, alii posterius, quorum ego nomina sciens non duco esse scribenda (*Herodot.*, *lib.* II, § 123). » Sed longe clarius ab Hieronymo scriptum fuit : « Et quia Pythagorica dogmata me legisse dixeram, audi quid apud Græcos Pythagoras primus invenerit, immortales esse animas, et de aliis corporibus transire in alia. » (*Hieronym.*, *Apologet. adver. Rufin.*, *lib.* III. *ante fin.*, *pag.* 470. *Tom.* I *Apparat.*, *pag.* 522, 620 *et* 1136. *Dissert. in Lactant.*, *cap.* 29, *art.* 1, *Dissert. in Tertull. Apologet.*, *cap.* 11, *art.* 2.) De hac porro illius ac Platonis opinione a nobis jam dictum est, et infra adhuc disputabitur.

### ARTICULUS II.

### *Alia ad probandam corporum nostrorum resurrectionem Octavii, et contraria Cæcilii argumenta examinantur.*

Contra primam Octavii argumentationem objectabat Cæcilius, aliique gentiles, se numquam ridiculæ prorsus aut Pythagoræ et Platonis, aut Christianorum de corpore nostro ad vitam revocando opinioni

Digitized by Google

subscribere potuisse ; quandoquidem nulla umquam, quæcumque fingatur, ratione fieri illud potest. Sed Octavius insulam adversarii sui, de potestate divina dubitantis, temeritatem sic reprimit : « Quis tam stultus, aut brutus est, ut negare audeat mortuum hominem potuisse a Deo ad vitam revocari ? » Quemadmodum enim hominem ex nihilo finxit ac creavit, ita æque facile illum a mortuis excitare potest. Sed hoc argumentum acrius urget Justinus martyr : « Si quis umquam vobis, cum nondum tales exstaretis, neque ex talibus orti essetis, asseveraret semen humanum et imaginem picturam indicans, ex eo ipso semine naturam hujusmodi fieri posse ; num prius quam id factum esset, credideretis? Non equidem opinor quemquam contra hoc dicere ausurum esse. Sed enim quomodo ab initio non credidissetis possibile esse, ut e tenui gutta tales existerent et extitisse tamen videtis : eodem modo existimate impossibile non esse ut dissoluta, atque seminum instar in terram dejecta corpora humana, tempore suo, jussu Dei relinquant et naturam incorruptibilem induant (*Justin.*, *Apol.* II, *pag.* 65) »

Eodem quoque telo ethnicos non solum Tatianus, et Athenagoras, a nobis mox citandi, verum etiam Tertullianus sic ferit : « Considera te ipsum, o homo, et fidem rei invenies. Recogita quid fueris, antequam esses, utique nihil : meminisses enim, si quid fuisses. Qui ergo nihil fueris priusquam esses, idem nihil factus, cum esse desieris, cur non possis rursus esse de nihilo, ejusdem auctoris voluntate, qui te voluit esse de nihilo ? Qui non eras, factus es, cum iterum non eris, fies. Redde, si potes, rationem, qua factus es, et tunc require qua fies. Et tamen facilius utique fies, quod fuisti aliquando ; quia æque non difficile factus es, quod numquam fuisti aliquando. Dubitabitur, credo, de Dei viribus, qui tantum hoc corpus mundi de eo, quod non fuerat, non minus quam de morte vacationis et inanitatis composuit, animatum spiritu omnium animatorum (*Tert.*, *Apolog. c.* 48, *p.* 42). » Atque hæc ille uberius eo in libro prosequitur (*Idem*, *lib. de Resurrect. carnis*, *c.* 11 *et seqq.*) Brevius autem postea Lactantius : « Si a principio Deus hominem nescio quo inenarrabili modo instituit, credamus ab eo restitui veterem posse, qui novum fecit (*Lactant.*, *lib.* VII *Institut.*, *cap.* 23, *pag.* 721). »

Instabant tamen gentiles fieri omnino non posse, ut hominis corpus aquis absorptum, igne crematum, in pulverem, cineres et favillas redactum, in aliud corpus transmutatum, idem numero rursus exsuscitetur, reficiatur, ac reformetur. At respondet Minucius, quamquam corpus illud « nobis subducatur, Deo tamen elementorum custodi reservari. » Et id quidem ille paucis, quod pluribus Tatianus et hunc urgebat in modum : « Hoc ita futurum credimus, nihil interim curantes, utcumque nugari nos et blaterare arbitremini. Quoniam sicut ignorabam, quis essem, antequam nascerer, cum nullus adhuc essem, solum autem in subjecto materiæ carnis existebam ; deinde genitus, qui olim non eram, ipsa generatione essentiæ meæ fidem habeo ; ita natus, et per mortem ad non esse redactus, atque iterum conspicuus oculis denuo existam. Quamvis enim caro tota incendio consumatur, materiam tamen evaporatam mundus excipit : quamquam aut in fluviis, aut mari contabescam, aut feris dilanier, condor tamen in penu perdivitis domini. Quod licet pauperes et impii nesciant ; Deus tamen qui regnat, substantiam sibi soli conspicuam, quando voluerit, ad pristinam integritatem reducet (*Tatian. Orat. contr. Græc. pag.* 146). »

Pari etiam modo Tertullianus respondet : « Ubicumque resolutus fueris, quæcumque te materia destruxerit, hauserit, aboleverit, in nihilum redegerit, reddet te. Ejus est nihilum ipsum, cujus et totum (*Tertull. Apolog. cap.* 48, *pag.* 43). » Longe autem fusius Athenagoras hæc adversus gentiles urget et explicat. Ibi autem ipse, quemadmodum alii jam citati a nobis Scriptores : Εἰ μὴ ὄντα κατὰ τὴν πρώτην σύστασιν, ἐπύησε τὰ τῶν ἀνθρώπων σώματα, καὶ τὰς τούτων ἀρχὰς, καὶ διαλυθέντα, καθ' ὃν τύχῃ τύπον, ἀναστήσει μετὰ τῆς εὐμαρείας. ἐπίσης γὰρ αὐτῷ καὶ τοῦτο δυνατόν. « Si hominum corpora cum non essent, condidit Deus, eorumque principia unde originem trahunt, procreavit ; etiam quomodocumque dissoluta, cum eadem facilitate instaurabit. Id enim illi æque facile est (*Athenagor. lib. de Resur. car. pag.* 43 *et seqq.*) » Cætera autem quæ hic transcribere longius foret, in ejus libro legere te non pigeat.

Quamvis autem Minucius tot tantique ponderis rationibus frivolas ethnicorum cavillationes funditus everterit ; variis nihilominus exemplis illas adhuc refellit et destruit : « Vide adeo, inquiebat, quam in solatium nostri, resurrectionem futuram omnis natura meditetur. Sol demergit et nascitur, astra labuntur et redeunt, flores occidunt et reviviscunt, post senium arbusta frondescunt, semina non nisi corrupta revirescunt : ita corpus in sæculo, ut arbores in hyberno adhuc occultant virorem, ariditate mentita. Quid festinas ut cruda adhuc hyeme reviviscat et redeat? » Eadem est Theophili Antiocheni futuram corporis nostri resurrectionem comprobandi ratio. « Deus plurimarum, inquit, rerum argumenta suppeditat, quibus incredulitatem nostram, quantum ad resurrectionis negotium attinet, propellat. Observa, nisi molestum sit, temporum, dierum et noctium interitum. Annon animadvertis, ut ista moriuntur et resurgunt? Quid præterea referam resurrectionem fructuum et seminum, quæ omnia nostræ voluntati serviunt? Si enim granum, exempli gratia, tritici, aut reliquorum fructuum in terram sparseris, primum quidem moritur et dissolvitur, et tum demum nascitur, et in culmum fructificantem assurgit. Arborum et quercuum natura, secundum Domini imperium, occulta quadam vi, nobisque invisibili, statis temporibus fructus proferunt. Interdum passerculus, aut alia avicula devorans semen mali, aut ficus, aut alterius rei, avolat in locum aliquem editum, saxosum, et id in

Digitized by Google

foveam aliquam per diversam corporis partem emittit. Quid fit? Semen illud subcressit, et in arborem magnam evadit, quamvis devoratum, per tantum calorem transierit.... Sin autem volueris mirabilius spectaculum cernere, quod ad id comparatum est, ut majore evidentia mortuorum resurrectio comprobetur, jubeo te erigere vultum, non solum ad terrestria, verum etiam ad cœlestium resurrectionem. Lunam vide, quæ singulis mensibus et perit et renascitur, nec non et alia considerato astra. Præterea et in temetipso, quamvis id ignores, resurrectionis operationem cognosce, o homo. Non dubito quin aliquando adversa valetudine afflictus, amiseris carnes tuas, et formam, roburque; cæterum Deus tibi misericordiam impertiens et medicinam tribuens, effecit ut carnes amissas, formam, roburque recuperares. Et quemadmodum ignoras quo, te relicto, carnes abierint, sic te fugit unde redierint, et unde eas acceperis. Verum enimvero, inquis, ex alimento et saporibus, in sanguinem conversis, carnes repullularunt. Pulchre quidem; sed ne erres, hoc Dei beneficium est, nec alteri est accepto referendum (*Theoph., lib.* II *de Autolyc., pag.* 77 *et seq.*). » Iisdem quoque aut similibus plane exemplis plurimi, iique doctissimi Ecclesiæ Patres, futuram corporum nostrorum resurrectionem confirmarunt. Sed quia prolixiora sunt eorum verba, quam ut hic integra exhibeantur, ea curiosis omnibus, qui omnia suismet oculis lustrare volunt, indicabimus. Legant itaque Tertullianum *Apologet.* cap. 48, et lib. *de Resurrectione carnis*, cap. 12. Ambrosium lib. V *Hexaem.* cap. 22 et 23, pag. 109 et seq. atque in primis lib. II *de Fide resurrect.* § 53 et seq. pag. 1147 et seq. Theodoretum orat. 9, *de Providen.*, sub finem, pag. 436 et seqq. Nilum *orat.* 1, *in Pascha*, apud Photium, *Biblioth.* pag. 1530. Adeant adhuc Augustinum lib. XXII *de Civit.*, cap. 21 et seqq., pag. 676 et seqq., ubi ille explicat utrum, et quomodo corpora, aut illa quæ in favillas et cineres redacta sunt, aut alia ab aliis hominibus comesta, aut etiam infantium, sint ad vitam revocanda. Revolvant etiam, si vacat et lubet, pseudonymum Justini martyris librum *Quæst. et Respons. ad Græc.*, pag. 208 et seqq., inter ejusdem Justini opera divulgatum.

Verum insurget ethnicus aliquis, aut nescio quis incredulus, nobisque objiciet, proposita hactenus ad probandam corporis nostri resurrectionem exempla, minimi aut potius nullius esse momenti. Neque enim sol et astra moriuntur, neque iidem numero flores et fructus mortui reviviscunt. At sane non adeo bardi et hebetes fuerunt laudati a nobis doctissimi illi viri; ut hæc aut ignoraverint, aut non animadverterint. Nescii quippe non erant omnes comparationes aliqua, ut aiunt, ex parte claudicare. Quamobrem eas ideo instituunt, ut ex illis patefaciant multa suppetere nobis exempla, quæ aliquid cum mortuis corporibus nostris, ad vitam aliquando revocandis, commune ac simile habeant, et quibus ad ea revocanda Dei potestas, qua de sola agitur, plane ac perspicue probatur. Nonne etenim solis astrorumque occasus, et ortus, nonne fructus aliaque hujusmodi ex putrescentibus granis suis renascentia, nobis exhibent aliquam resurgentis nostri corporis similitudinem? At si hæc solita Dei potestate continuo fiunt, quomodo ethnici negare audebant corpora nostra mortua posse eadem Dei potentia ad vitam excitari? Ut ea igitur ad amissi luminis auras redeant, nihil aliud quam ipsius Dei voluntas desideratur. Atqui id Deum velle ex sacris nostris Scripturis evidentissime colligitur, uti inferius ex aliis nostris scriptoribus ostendemus. Quia vero ethnici non de hac utique Dei voluntate, sed de illius tantum potentia litem faciebant, satis sibi Minucius, aliique, esse putarunt hanc variis exemplis, ac quibusdam etiam ad hominem, uti loquuntur, argumentis demonstrasse.

Porro autem his ita stabilitis ac confirmatis, nihil auctor noster amplius censuit respondendum ad ineptam Cæcilii cavillationem, qua postulabat aliquem mortuum sibi proferri, qui ad nos unquam vivus remeaverit. Quid enim opus erat divinam mortuos exsuscitandi potestatem aut Protesilai, aut alio probari exemplo, quæ certissimis rationum momentis demonstrata fuerat? Theophilus tamen Antiochenus, ut hebes illud et imbelle gentilium telum retundat, alia, quam Protesilai, tradita ab ipsismet gentilibus exempla hunc profert in modum : « Sed quid memorabile facis, si videas et credis? Εἶτε πιστεύεις τὸν Ἡρακλέα καύσαντα ἑαυτὸν ζῆν, καὶ Ἀσκληπιὸν κεραυνωθέντα ἐγηγέρθαι, τὰ δὲ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ σοὶ λεγόμενα ἀπιστεῖς, ἵνας κἂν ἐπιδείξῃ σοι νεκρὸν ἐγερθέντα, καὶ ζῶντα, καὶ τοῦτο ἀπιστεύσεις. Si credis Herculem, quem flamma assumpsit, vivere, Æsculapium fulmine tactum, vitæ restitutum, quæ dementia est nolle dare fidem illis, quæ Deus loquitur? Dubitatio te teneret, et si tibi præsentarem aliquem e mortuis evocatum, an apud te fidem invenire possem? » (*Theoph., lib. ad Autolyc., pag.* 77.) Poterat adhuc ille allatum a Platone Heri Armenii, de quo nos alibi, exemplum, aliaque plura, ab ethnicis venditata, in medium adducere; sed hæc tanquam supervacanea Scriptores nostri aspernati sunt. Cæterum si de futura mortuorum resurrectione plura adhuc, quam ea, quæ ex citatis auctoribus retulimus, aliquis desideret, is Tatianum, Ambrosium, aliosque adeat, qui integros hoc de argumento tractatus ediderunt (*Tom.* I *Apparat. lib.* III, *dissert.* 2, *cap.* 16, *art.* 1, *pag.* 1116).

### ARTICULUS III.

*Expenduntur argumenta, quibus ostenditur improbos homines pœnis æternis atque igne sempiterno cruciandos; pios autem et justos perpetua felicitate donandos; ubi de montis Ætnæ et Vesuvii ignibus, Stygia palude, et igneo inferni flumine.*

Quemadmodum Cæcilius christianæ fidei de mortuorum hominum ad vitam regressu, ita et de im-

Digitized by Google

proborum pœnis sempiternis, æternaque piorum felicitate dogma, non sine irrisione rejicit ac repudiat. « Hoc, inquit, errore, » futuri de morte ad vitam reditus, Christiani « decepti beatam sibi, ut bonis, et perpetem vitam mortuis pollicentur; cæteris ut injustis, pœnam sempiternam..... Quid post mortem impendeat, miseri dum vivitis, æstimate... Tu qui immortalitatem posthumam somnias, cum periculo quateris, cum febribus ureris, cum dolore laceraris, nondum conditionem tuam sentis? » Denique tam audacter quam impie ille pronuntiat : « Sicut nascimur, et interimus, » id est; quemadmodum antequam nasceremur, nihil eramus, ita post mortem ad idem nihilum redacti, nihil penitus erimus. Et ita quidem argumentabatur Cæcilius, At hic obiter observandum in hoc textu verba *periculo quateris*, quibusdam displicuisse, eosque ariolari legendum *querquero*, id est, frigore et tremore, sive febri frigida *quateris*. Sed huic conjecturæ repugnat manuscriptus codex regius, ac verba etiam subsequentia eam admitti prohibent.

Octavius autem Cæcilio hæc Christianis objicienti, vel potius arroganter exprobranti, modeste respondet plerosque « conscientia meritorum, » id est, peccatis vitiisque conscientiam illorum redarguentibus, magis optare, quam re ipsa credere hominem morte exstingui penitus, nec ad ulla postea supplicia reservari. Et sane dubium non est, quin in illos hoc errore seipsos fallentes, ac liberius peccantes, quo tardius, eo severius justissimo Dei judicio animadvertatur. Unde Valerius Maximus de Dionysio Syracusanorum tyranno : « Lento, inquit, gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat (*Valer. Max., lib.* I, *cap.* 1, *Extern.* § 3, *pag.* 21).

At si, fatente ethnico homine, divina vindicta non sinit graviorum criminum reos abire impunitos, negare procul dubio alii non possunt improbos, sceleratos, et impios homines, qui criminibus adhuc coinquinati moriuntur, debitis post mortem pœnis esse afficiendos. Tunc enim quas in hac vita non dederunt, in altera, quæ æterna erit, sempiternas igne æterno luent. Nam « sapiens ignis, ait Minucius, membra urit, et reficit, carpit et nutrit. » Neque ethnici respondere poterant illud quorumdam, qui alios terrere volebant, esse commentum. Non id quippe omnipotenti Deo difficilius est, quam mortuum hominem ad vitam excitare. Sufficit igitur ut id velit. Atqui eum ita velle non solum sacræ Scripturæ declarant, sed divina etiam illius justitia, quæ nullum scelus inultum relinquere potest.

At Minucius ut illud ethnicis facilius persuadeat, in hujus documenti confirmationem quædam affert exempla ignium, fulminum, ac montium Ætnæ et Vesuvii, atque terrarum ubique ardentium, quæ quidem illis incognita procul dubio non erant. Audias velim eum loquentem : « Sicut ignes fulminum, inquit, corpora tangunt, nec absumunt; sicut ignes Ætnæ et Vesuvii, et ardentium ubique terrarum, flagrant nec erogantur : ita pœnale illud incendium, non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur. » At hæc ille delibasse videtur ex hoc Tertulliani de iisdem æternis ignibus disputantis loco : « Noverunt et philosophi diversitatem arcani et publici ignis. Ita longe alius est, qui usui humano, alius qui judicio Dei apparet, sive de cœlo fulmina stringens, sive de terra per vertices montium eructans. Non enim absumit, quod exurit : sed dum erogat, reparat. Adeo manent montes semper ardentes, et qui de cœlo tangitur, salvus est, ut nullo jam igni decinerescat. Et hoc erit testimonium ignis æterni, hoc exemplum jugis judicii pœnam nutrientis. Montes uruntur et durant. Quid nocentes et Dei hostes? Hæc sunt quæ in nobis solis præsumptiones vocantur, in philosophis et poetis summæ scientiæ et insignia judicia (*Tertull. Apologet. cap.* 48 *pag.* 43).» Eodem quoque modo Lactantius, post utrumque, Tertullianum ac Minucium Felicem, hæc plane in verba, ab aliis paulo diversa, argumentatus est (*Lactant., lib.* VII *divin. Institut. cap.* 21 *pag.* 715 *et seq.*). Ignis sempiterni « natura diversa est ab hoc nostro, quoad vitæ necessaria utimur, qui nisi alicujus materiæ fomite alatur exstinguitur. At ille divinus per se ipsum semper vivit ac viget sine ullis alimentis, nec admixtum habet fumum, sed est purus ac liquidus, et in aquæ modum fluidus. Non enim vi aliqua sursum versus urgetur, sicut noster.... Idem igitur divinus ignis una eademque vi, atque potentia et cremabit impios, et recreabit; et quantum a corporibus absumet, tantum reponet (noster codex *resumet*) ac sibi ipse æternum pabulum subministrabit. Quod poetæ in vulturem Tityi transtulerunt; ita sine ullo revirescentium corporum detrimento aduret tantum, ac sensu doloris afficiet (*Dissert. in Lactant. cap.* 29).» Sed de hac Lactantii Tertullianique argumentatione adhuc aliquid suo loco dicemus ostendemusque quo sensu hic et Minucius verbum *erogare* acceperint (*Dissert. in Tertull. cap.* 11).

Pergamus interim, iisque occurramus, qui gentilium nomine nobis forsitan objicient, prorsus ineptas esse fulminum, montium ac terrarum semper ardentium, cum inferorum igne comparationes. Nonne etenim, inquiet, aliquid ex hominis fulmine tacti substantia hujus ardore consumitur? Nonne etiam ignibus Ætnæ Vesuviique (in manuscripto codice *Hennei et Jesui*, corrupte, uti vides) seu aliorum montium, aut ardentium terrarum nova semper subministratur materia? Contra vero Christiani asseverabant eumdem semper fore ignem inferorum, nihilque penitus humani corporis ab illo exusti deperire. Verum Tertullianus, quem Minucius noster, uti jam monuimus, sequitur, hoc rationis momentum ethnicis plane præcidit. Maximam quippe hujus argumenti vim in hoc positam esse ostendit, quod gentiles, nemine reclamante, faterentur quosdam fulminum, montium, et terrarum ignes esse

Digitized by Google

prorsus extraordinarios. Nonne autem inde inferre potuit, ab iisdem ethnicis perperam negari alium non posse infinita Dei potentia excitari ignem, qui idem semper maneat, impiorumque corpora non consumendo, æternum exuret, ac cruciabit.

Neque porro ibi stetit Minucius, sed alia adhuc comparatione, seu alio, ut aiunt, ad hominem, argumento confirmat, quam inepte Cæcilius aliique gentiles id abnuerint: « Admonentur, inquit, homines doctissimorum libris, et carminibus poetarum, illius ignei fluminis, et de Stygia palude sæpius ambientis ardoris, quæ cruciatibus æternis præparata, et dæmonum indiciis et de oraculis Prophetarum cognita tradiderunt. » Ibi autem Minucius et profanos et sacros scriptores procul dubio citavit. Prophetarum siquidem nomine, libros Veteris Testamenti, atque etiam, si velis, Sibyllarum, et aliorum, quos ethnici prophetas esse putabant, effata designat: « dæmonum vero indiciis, » sacros Novi Testamenti codices; ubi legimus dæmones palam, ac omnibus audientibus, confessos fuisse æternis se ignibus cruciari. Ethnicis itaque publicam illam dæmonum confessionem objicit, quam nec illi, nec ullus alius negare poterat.

Scriptores vero profanos, sive ethnicos, testes appellat « ignei fluminis de Stygia palude, » puta Acherontis, quem iidem ethnici unum ex quatuor celebratissimis inferorum fluviis esse fabulabantur, ignibusque, ut ait Servius, plenum, qui Pyriphlegethontis aquas recipiebat (*Serv. in lib.* VI *Virgil. Æneid. pag.* 404). Qui autem fuerint hi aliique duo inferorum fluvii, ex Platone, qui illos descripsit, atque aliis quam plurimis discere quilibet facillime poterit (*Plato Phæ. tom.* I, *pag.* 112 *et seqq.*).

Ab illo quoque Platone eadem facilitate edocebitur, cur Styx a Minucio palus, eaque ardore sæpius ambiri dicatur; tametsi alii fluvium esse tradiderint, cujus adeo frigida est aqua, ut ea epota quivis protinus moriatur. Styx enim, inquit, in horridum immanemque locum incidit, paludemque efficit. (*Idem, ibid. pag.* 113). Terram vero ingreditur, et circumrotans influit in Pyriphlegethontem, igne ardentem, neque ejus tamen aqua illi aut cuipiam alteri fluvio miscetur. Circulo autem facto, effundit se in tartarum. Totus porro ille Platonis locus ab Eusebio descriptus est (*Euseb. lib.* XI *Præpar. Evang. cap.* 23, *p.* 567). Quis vero sibi facile non persuadebit hunc ipsum in primis Platonem, doctissimorum hominum, vel, ut ait Tertullianus, philosophorum, nomine, huncque ejus librum a Minucio nostro citari? Nullus quoque inficias fortasse ibit, e laudatis ab eo et Tertulliano poetis, primum Homero, et secundum Virgilio dandum esse locum. Homerus enimvero cecinit:

Ἔνθα μὲν εἰς Ἀχέροντα Πυριφλεγέθων τε ῥέουσι,
Κώκυτός θ', ὃς δὴ Στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀποῤῥώξ,
Πέτρη τε, ξύνοδός τε δύω ποταμῶν ἰριδούπων.

Hic quidem in Acherontem Pyyriphlegethonque confluunt
Cocytusque, qui certe Stygis aquæ est fluxus.
Petraque, et concursus duorum fluviorum valde sonantium.
(*Hom., Odyss.* X, *v.* 143.)

Postea vero Virgilius:

Hinc via Tartarei, quæ fert Acherontis ad undas,
Turbidus hic cœno, vastaque voragine gurges
Æstuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.
(*Virgil., l.* VI *Æneid., v.* 295 *et seqq.*)

Quos in versus hæc Servius observat: « Acheronta vult quasi de imo nasci tartaro; hujus æstuaria Stygem creare, de Styge autem nasci Cocytum. » Vide adhuc si velis, quæ ille prius in ejusdem libri versum 107 annotaverat. Sed Stygiæ paludis frequens apud varios Scriptores mentio.

Tum deinde Minucius: « Et ideo apud eos, inquit, etiam ipse rex Jupiter per torrentes ripas et atram voraginem jurat religiose, » hoc est, per aquas dubio procul Stygias, de quibus Homerus:

Ἄγρει νῦν μοι ὅμοσσον ἀάατον Στυγὸς ὕδωρ.
Age nunc mihi jura inviolabilem Stygis aquam.
(*Homer., Iliad.* XIV, *v.* 271.)

Alio etiam in libro canebat:

Καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ, ὅστε μέγιστος
Ὅρκος, δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσι.
Et ipsa subjacens Stygis aqua, quod maximum
Juramentum, gravissimumque existit beatis Diis.
(*Idem, Odyss. l.* V, *v.* 185 *et seqq.*)

Homero plane concinit Virgilius hisce carminibus latinis:

Cocyti stagna alta vides Stygiamque paludem,
Di cujus jurare timent et fallere numen.
(*Virg., l.* VI *Æneid., v.* 323 *et seqq.*)

Plura si velis, adi Apollonium *Argonaut.* lib. II, v. 290. Hesiodum *Theogon.* IV, 383 et seqq. et v. 775 et seqq. Ovidium lib. I *Metamorph.* v. 184 et seqq. Apuleium lib. VII *Metamorph.* circa med. Natalem Comitem lib. III *Mytholog.* cap. 1 et seqq. Vossium lib. II *de Orig. et Progr. Idolo.* cap. 81 pag. 359 et seqq.

Quam certum porro est improbos homines, qui ex hac vita criminum conscii migrant, æternis suppliciis a justo et omnipotente Deo affici, tam constare debet justos, in justitia morientes, ab eodem Deo sempiterna felicitate donari. Minucius autem eo ipso, quo primum probavit, secundum satis se demonstrasse arbitratus est. Quocirca illud amplius probandum non existimavit, palamque pronuntiare non dubitat: « Hos pios videlicet homines, spe futuræ felicitatis securos vivere. »

### ARTICULUS IV.

*Examinantur argumenta quibus Octavius contra Cæcilium probat mundum igne aliquando periturum; ac de Stoicorum, Epicureorum, et Platonis ea de re opinionibus.*

Christiani pro certo adhuc ratoque decreto habebant totum hunc mundum, et omnia quæ in eo sunt, igne consumenda. Sed illud Cæcilius paucis his verbis impugnat: « Quasi aut naturæ divinis legibus constitutus æternus ordo iubetur, aut rupto

Digitized by Google

elementorum omnium fœdere, et cœlesti compage divisa, moles ista, quæ continetur, et cingitur, subruatur. » Sed illum Octavius his verbis castigat : « Aut improvisum ignem cadere, aut difficile non credere, vulgaris erroris est. » Multis autem hæc obscura videntur. Quamobrem Rigaltius, et quidam alii duorum verborum transpositione, sic in editis correcta scribi voluerunt : « Aut improvisum ignem credere, aut difficile non cadere vulgaris opinionis est. » Onzelius vero unius verbi additione putavit mendum debere ita sanari : « Aut improvisum ignem cadere, aut sufficere non credere, vulgaris erroris est. » Sed perperam, ac contra fidem manuscripti codicis, ac Minucii mentem. Omnibus siquidem satis apertus est hic illius sensus : Vulgaris erroris est credere improvisum ignem non cadere, aut id esse difficile, nimirum Deo, qui pari utique facilitate, qua omnia creavit, illa potest destruere. At hanc esse veram ejus mentem liquido patet ex subsequentibus ipsius verbis et argumentatione.

Verum enimvero propositionem suam, his ille probat argumentis ; ac primo quidem : « Quis sapientium, inquit, ignorat omnia quæ orta sunt, occidere ; quæ facta sunt, interire? Cœlum quoque cum omnibus, quæ cœlo continentur, ita ut cœpisse, desinere. » Ibi procul dubio indoctæ hominum multitudini opponit sapientes, sive eo nomine philosophos designet, sivet alios quoslibet, qui imperitæ plebis opinionibus duci se non patiuntur. Prius autem Cicero, Velleium Epicureum sic disputantem induxerat : « Hunc (Platonem) censes primis, ut dicitur, labris gustasse physiologiam, qui quidquam, quod ortum sit, putet æternum esse posse? Quæ est enim coagmentatio non dissolubilis? Aut quid est, cujus principium aliquid sit, nihil sit extremum? » (*Cic. lib.* II *de Natur. Deor. pag.* 198 *lin.* 31 *et seqq.*)

Cyprianus vero ad Demetrianum scribit hanc ab ipsomet Deo constitutam esse legem, ut quæ orta sunt, omnia occidant, et aliquando finiantur : « Hæc, inquit, sententia mundo data est, hæc Dei lex est ; ut omnia orta occidant, et aucta senescant, et infirmentur fortia, et magna minuantur, et cum infirmata et diminuta fuerunt, finiantur. » (*Cyprian. ad Demetr. tom.* I *pag.* 187). Et hæc quidem ille fusius prosequitur, quæ in ejus libro legere poteris, sicuti et infinita propemodum alia, in eamdem rem ab aliis scriptoribus tradita, quæ nunc congerere nihil necesse est.

Porro autem Minucius noster verissimam illam Christianorum de mundi fine, futuroque illius incendio sententiam, non modo communi sapientum opinione confirmat, sed quorumdam quoque tametsi non ejusdem sectæ philosophorum testimoniis. Post citata enimvero a nobis superiora illius verba, continenter subjecit : « Fontium dulci (ms. dulcis) aqua marisve nutriri (ms. maria nutrire) in vim ignis abiturum, Stoicis constans opinio est, quod consumpto humore mundus hic omnis ignescat. » Mirum sane quantum in hoc loco, quem corruptum esse volunt, emendando eruditi viri a se invicem dissentiant. Nam quidam retinendam censent manuscripti codicis lectionem, sed post hæc verba : « constans opinio est, » quæ ibi subsequuntur, tamquam superfluum, quod ex margine in textum irrepsit, additamentum penitus rejiciunt. Eam autem aiunt esse Minucii mentem : fontes suis dulcibus aquis non amplius nutrient maris aquas : sed illud nutrire, sive maris nutrimentum, uti Stoicorum opinio est, in nivim ignis abibit, seu igne conficietur. Alii nihil in textu manuscripti codicis, nisi *dulces aquas*, pro *dulcis aqua*, immutandum suspicantur, eumque esse auctoris nostri sensum : *Nutrire*, sive nutrimenta, quæ fontes et maria cœlo debent, pariter cum illo in vim ignis abitura.

Sed Gronovius, explosis hisce omnibus conjecturis, putat Minucii verbis omnia comprehendi, quæ triplicis differentiæ sunt, liquorum genera. Quamobrem textum ejus sic corrigendum esse opinatur : « Fontium, dulcis aquæ, maris nutrimen in vim ignis abiturum. » Verum præterquam quod hæc correctio auctoritate nulla stabilitur, quodnam, obsecro, est inter fontium et dulcis aquæ nutrimentum discrimen?

At quam obscura et emendatu difficilia sunt auctoris nostri verba, tam certum profecto videtur illum ad hæc respexisse Ciceronis verba : « Sunt stellæ natura flammeæ : quocirca terræ, maris, aquarum vaporibus aluntur iis, qui a sole ex agris tepefactis, et ex aquis excitantur.... Ex quo eventurum nostri (scilicet Stoici) putant id, de quo Panætium addubitare dicebant ; ut ad extremum omnis mundus ignesceret, cum, humore consumpto, neque terra ali posset, neque remearet aer, cujus ortus, aqua omni exhausta, esse non posset. Ita relinqui nihil præter ignem, a quo rursum animante ac Deo, renovatio mundi fieret, atque idem ornatus oriretur (*Cic. lib.* II *de Natur. Deor. pag.* 232, *lin.* 12 *et seqq.*). » Vides enim quædam ex iis verbis eadem esse, atque apud Minucium, qui proinde sensum Ciceronis reddere voluit. Is vero esse videtur : neminem sapientium ignorare cœlum, ac omnia, quæ in eo continentur, tam dulci fontium, quam maris aqua nutriri ; illudque ipsum cœlum, omnemque mundum, consumpto, uti Stoici opinabantur, humore, in eam unde cœperat, vim ignis abiturum. Si quid tamen aliquis certius proferat, huic non refragabimur.

De hoc autem Stoicorum placito, præter laudatum a nobis Ciceronem, Philo hæc scriptis tradidit : Οἱ δὲ Στωϊκοὶ κόσμον ἕνα, γενέσεως δ' αὐτοῦ Θεὸν αἴτιον, φθορᾶς δὲ μηκέτι Θεόν, ἀλλὰ τὴν ὑπάρχουσαν ἐν τοῖς οὖσι πυρὸς ἀκαμάτου δύναμιν, χρόνων μακραῖς περιόδοις, ἀναλίσκουσαν τὰ πάντα εἰς ἑαυτήν, ἐξ ἧς πάλιν αὖ ἀνακύκλησιν κόσμου ἵστασθαι τῇ προμηθείᾳ τοῦ τεχνίτου. « Stoici unum mundum asserunt, et Deum auctorem ejus generationis ; corruptionis vero non item Deum, sed indefessam vim ignis, rebus insitam, post longas temporum ambages absumpturam, et in semet mutaturam omnia, ex qua

Digitized by Google

denuo mundum instauraturam Opificis providentiam (*Philo. lib. Quod mun. sit corrupt., pag.* 940).» Postea tamen adjecit: « Boethus, Possidonius et Panætius, viri Stoica doctrina valentissimi, tamquam correpti numine, omissis exustionibus et instaurationibus, transfugerunt ad divinius de incorruptibilitate mundi placitum. » Πρὸς θειότερον δόγμα, τὸ τῆς ἀφθαρσίας τοῦ κόσμου παντὸς, αὐτομόλησαν. Animum autem, quæso, advertas an his verbis confirmari possit, quod dictum a Cicerone vidimus, non Panætium solum, sed alios etiam Stoicos addubitasse utrum vera esset aliorum sodalium suorum de futuro mundi incendio sententia. Sed Minucio nostro hanc longe plurium fuisse sufficiebat. Videsis in citatum Ciceronis locum Lescalopierii observationes, et Origenis adversus Celsum disputationem (*Orig. lib.* v. *contr. Cels. pag.* 244), ac ea etiam, si velis, quæ a nobis in superiori Apparatus nostri tomo observata sunt (*Tom.* I. *Apparat. lib.* III, *dissert.* 2 *cap.* 16. *art.* 1, *pag.* 1117).

Neque porro hanc Minucius noster Stoicorum tantummodo de elementorum conflagratione, et mundi ruina esse opinionem asserit; sed etiam « Epicureis, inquit, eadem ipsa sententia est. » Utrum autem ibi de omnibus, vel de quibusdam dumtaxat Epicureis intelligendus sit, et utrum Epicurum a præceptore suo Democrito, id accepisse crediderit, non minimus datur dubitandi locus. Ad Pythoclem enimvero hæc Epicurus scripsit (*Apud Luert. lib.* x, § 88) in verba: Κόσμος ἐστὶ περιοχή τις οὐρανοῦ, ἄστρα τε καὶ πάντα φαινόμενα περιέχουσα, ἀποτομὴν ἔχουσα ἀπὸ τοῦ ἀπείρου, καὶ καταλήγουσα ἐν πέρατι, ἢ ἀραιῷ, ἢ πυκνῷ. καὶ οὗ λυομένου, πάντα τὰ ἐν αὐτῷ σύγχυσιν λήψεται... ἐν ᾧ λέγον οὐκ ἔστι καταλαβεῖν. « Mundus est cœli quædam continentia, stellas, et terram, et quæ videntur omnia continens, abscissionemque ex infinito habens, atque in termino desinens sive raro, sive denso: quo soluto, quæ in illo sunt omnia, confusionem accipient: aut desinens, aut in eo, quod circumagitur, aut in eo, quod stabilitatem habet.... in quo terminum comprehendere nequimus. » Plutarchus vero, cujus Eusebius verba retulit, hæc narrat in secundo de Placitis philosophorum libro: Ἐπίκουρος φθαρτὸν (κόσμον) ὅτι γενητὸν, ὡς ζῷον, ὡς φυτόν. « Epicurus periturum, dixit (mundum) quia genitus sit, ut animantem, et plantam (*Plutarch. lib.* II *de Placit. Phil. cap.* 4. *pag.* 886. *Euseb. lib.* XV *Præpar. Evang., pag.* 842). » Testatum vero Lactantius facit hæc hausta ab Epicuro ex Democriti fontibus: « Epicurus, auctore Democrito, ait mundum, et ortum, et aliquando esse periturum. » Postea vero illius opinionem enucleatius exponit: « Epicurus, inquit, sive Democritus sua sponte natum esse dixit, seminibus inter se coeuntibus, quibus iterum resolutis, dissidium, atque interitum seculorum (*Lactant., lib.* VII, *Divin. Instit., cap. pag.* 647, *et cap.* 3, *pag.* 637).» Et recte quidem. Nam paulo supra Epicureum audivimus, qui apud Ciceronem asseverat omne, quod ortum est, necessario periturum.

At nondum satis exploratum habemus quonam modo Epicurus vel ejus sectatores mundum interiturum dixerint, utrum aqua, an igne, aut atomorum corpusculorumve, sicut Lactantius ait, dissolutione, vel eorum conflictu, ac percussionibus, quemadmodum Philo his significat de Democrito, et Epicuro verbis: Πολλοὺς κόσμους ὑπογράφουσιν, ὧν τὴν μὲν γένεσιν ἀλληλοτυπίαις, καὶ ἐπιπλοκαῖς ἀτόμων ἀνατιθέασι, τὴν δὲ ῥοπὰν ἀντικοπαῖς, καὶ ἀποστάσεσι τῶν γεγονότων. « Multos mundos imaginantur, quorum generationem conflictationibus et connexionibus atomorum tribuunt, corruptionem percussionibus et dissultibus (*Philon., lib. Quod mund. sit incorrupt., pag.* 940). » Multos enimvero mundos si variis hujusce modi conflictionibus ac percussionibus corrumpi posse Epicurus autumavit, cur non et omnes? Gassendus tamen verisimilius opinatur illum docuisse mundum hunc igne, utpote cæteris omnibus elementis magis actuoso, penitus absumendum. (*Gassendus, Syntag. Philosoph. Epic.* § 2, *cap.* 7, *tom.* III, *pag.* 32). At si citata paulo ante a nobis auctoris nostri verba aut legisset, aut se aliquando legisse meminisset, poterat procul dubio illa in conjecturæ suæ haud prorsus invalidam proferre confirmationem.

Venit postremo Minucius ad Platonem, qui, ut ipse refert: « Loquitur Plato partes orbis nunc inundare dicit » (sed hoc ultimum verbum quidam, aut rejiciunt, aut retinent, si post *Plato*, addatur), « et nunc alternis vicibus ardescere; et cum ipsum mundum perpetuum, et insolubilem diceret esse fabricatum, addit tamen ipsi artifici Deo soli, et solubilem, et esse mortalem. Ita nihil mirum est, si ista moles ab eo, quo extructa est, destruatur. » Duo ibi Minucius a Platone asserta narrat. Primo mundum a Deo « insolubilem » creatum, sed ita tamen ut ab illo solvi et destrui possit. Secundo partes mundi alternis vicibus, aut inundare, id est, aquis obrui, aut « ardescere, » hoc est igne conremari.

At primum quidem Plato apertissime edixit: Δηλούμενος οὖν ἄριστον γένημα ποιεῖν, τοῦτον ἐπόλει Θεὸν γενητὸν, οὐποκα φθαρησόμενον ὑπ' ἄλλῳ αἰτίῳ, ἔξω τῷ αὐτὸν συντεταγμένῳ Θεῷ, εἴποκα δήλοιτο αὐτὸν διαλύειν. « Cum igitur Deus vellet pulcherrimum fœtum, mundum producere, hunc effecit Deum genitum, numquam corrumpendum ab alia causa, præter quam a Deo, qui ipsum composuit, si quando voluit ipsum dissolvere (*Plato. in Timæo, tom.* III, *pag.* 94).» Quam sane ob causam ab Arnobio litteris hoc mandatum legimus: « Plato ille divinus multa de Deo digna, nec communia sentiens multitudini, in eo sermone ac libro, cui nomen *Timæus* inscribitur, deos dicit et mundum corruptibiles esse natura, neque omnino dissolutionis expertes: sed voluntate Dei regis ac principis, vinctione in perpetua contineri (*Arnob., lib.* II, *pag.* 68). »

Testatum autem fecit Philo Judæus hanc revera fuisse Platonis de mundo creato et incorruptibili sententiam, quia ab illo Deus supremus inducitur hæc ad alios deos fecisse verba: (*Phil. lib. Quod mund. sit corrup. pag.* 950). Θεοὶ θεῶν, ὧν ἐγὼ δη-

Digitized by Google

μιουργὸς πατὴρ τε ἔργων, ἄλυτα ἐμοῦ μὴ θέλοντος. τὸ μὲν οὖν δὴ δεθὲν πᾶν λυτόν· τό γε μὴν κάλῶς ἁρμοσθὲν, καὶ ἔχον εὖ, λύειν ἐθέλειν κακοῦ. διὸ καὶ ἐπείπερ γεγένησθε, ἀθάνατοι μὲν οὐκ ἐστὲ, οὐδὲ ἄλυτοι τοπάμπαν· οὔτι γε μὴν λυθήσεσθέ γε, οὐδὲ τεύξεσθε θανάτου μοίρας, τῆς ἐμῆς βουλήσεως μείζονος ἔτι δεσμοῦ, καὶ κυριωτέρου λαχόντες ἐκείνων, οἷς, ὅτ' ἐγίγνεσθε, συνεδεῖσθε (*Plato, Tim. tom.* II, *pag.* 41). Quæ quidem in Platonis Timæo, exceptis nonnullis diversis lectionibus, inveniuntur. Prima autem verba ab Athenagora citata sunt (*Athenag., Legat. pro Christian.*, *pag.* 7); omnia vero in quodam operum Ciceronis fragmento, sic latine reddita exhibentur: « Hæc vos, qui deorum satu orti estis, attendite: Quorum operum ego parens effectorque sum, quæ per me facta sunt, non sunt dissoluta, me invito, quamquam omne colligatum solvi potest: sed haud quaquam boni est, ratione vinctum velle dissolvere. Sed quoniam orti estis, immortales vos quidem esse, et indissolubiles non potestis; neutiquam tamen dissolvemini, nec vos ulla mortis fata periment, nec fraus valentior, quam consilium meum, quod majus est vinculum ad perpetuitatem, quam illa quibus estis tum, cum gignebamini, colligati (*Cicer. lib. de Univers. Append.*, *pag.* 29. *lin.* 6 *et seqq.*). »

At hi non explicant utrum Plato censuerit mundum alternis vicibus igne et aqua corrumpendum. Clemens vero Alexandrinus illud hisce edisseruit verbis: Ὁ δὲ Πλάτων τὴν γῆν χρόνοις τισὶ διὰ πυρὸς καθαίρεσθαι καὶ ὕδατος, ὧδέ πως φησί· Πολλαὶ κατὰ πολλὰ ῥθορὰι γεγόνασιν ἀνθρώπων, καὶ ἔσονται πυρὶ μὲν καὶ ὕδατι μέγισται, μυρίαις δὲ καὶ ἄλλαις ἕτεραι βραχύτεραι. καὶ μετ' ὀλίγα ἐτιφέρει· Τὸ δὲ ἀληθὲς, ἔστι τῶν περὶ γῆν καὶ κατ' οὐρανὸν ἰόντων παράλλαξις, καὶ διὰ μακρῶν γινομένη τῶν ἐπὶ γῆς πυρὶ πολλῷ φθορά. Ἔπειτα περὶ τοῦ κατακλυσμοῦ ἐπιλέγει· Ὅτ' ἂν δὲ αὖ θεοὶ γῆν ὕδασι καθαίροντες κατακλύζουσιν, οἱ μὲν ἐν τοῖς ὄρεσι διασῴζονται βουκόλοι καὶ νομεῖς οἱ δὲ ἐν ταῖς παρ' ἡμῖν πόλεσιν, εἰς τὴν θάλασσαν ὑπὸ τῶν ποταμῶν φέρονται. « Plato autem terram quibusdam temporibus dicit per ignem, et aquam expurgari hoc modo: Multi sæpe fuerunt interitus, et erunt igne quidem, et aqua maximi; quin etiam aliis quoque innumerabilibus alii breviores. Et paulo post subjungit: Revera autem est eorum, quæ terram et cœlum obeunt, immutatio, et qui post longa intervalla eorum, quæ sunt in terra, multo igne fit interitus. Deinde subjungit de diluvio: Quando autem rursus dii terram aquis expurgnantes inundant, qui sunt quidem in montibus bubulci et pastores conservantur: qui autem sunt in iis, quæ sunt apud vos urbibus, in mare feruntur a fluviis (*Clemens Alexand. lib.* V. *Strom. pag.* 549 *et seqq.*). »

Perpende autem, obsecro, utrum Minucius noster ad hunc Clementis Alexandrini locum collineaverit, atque ex dictis ii conciliari inter se possint, qui, sicuti Lactantius (*Lactant. lib.* VII *Institut., cap.* 1 *pag.* 646; *et cap.* 3. *pag.* 656), dicunt Platonem docuisse mundum in æternum esse mansurum, vel ut Epiphanius (*Epiphan. lib.* I *adv. Hæres. pag.* 12. *et Expos. Fid., pag.* 1088), illum esse corruptioni obnoxium, A cum tempore dissolutum iri. Docebat enim Plato, quemadmodum vidimus, mundum sola Dei voluntate dissolvendum, atque idcirco ex se, ac nisi Deus vellet, perpetuo mansurum. Vide etiam an ille jure merito a Cicerone, paulo antea citato, propterea arguatur, quod mundum et ortum fuisse, sed eo tamen, quo diximus, modo æternum fore putaverit. Quidquid porro pronunties, negare non poteris Minucium ex hac Platonis aliorumque de mundo tandem destruendo sententia, haud absurde conficere ethnicos non potuisse inficiari verum esse Christianorum placitum, quo mundum igne aliquando periturum asserebant. De illo autem aliquid notavimus in superiore Apparatus nostri tomo, et in subsequentibus dissertationibus nostris adhuc dicemus (*Tom.* I *Apparat.*, B *pag.* 1117).

## CAPUT VIII.

### DE TRIBUS EXSECRANDIS CRIMINIBUS, INFANTICIDIO, COMESIS HUMANIS CARNIBUS, ET INCESTU, QUORUM CHRISTIANI A CÆCILIO ET ALIIS ETHNICIS ACCUSABANTUR.

#### ARTICULUS PRIMUS.

*Quæ qualisve fuerit ea accusatio, quæ illius occasiones, et quamdiu duraverit?*

Vidimus hactenus quam vano inutilique conatu Cæcilius præcipua quædam Christianorum documenta labefactare molitus sit, ac quibus rationum momentis ab Octavio, seu potius Minucio Felice stabiliantur. Ad eas nunc veniamus criminationes, quibus Cæcilius aliique ethnici sacros eorumdem Christianorum ritus, moresque sanctissimos ausu plane temerario infamare conati sunt. Primum autem Cæcilius Christianos omnes horrendorum prorsus criminum in synaxibus, et nocturnis congregationibus admissorum, accusat. Ait enim eos solemni quodam die ad epulas, in iis nocturnis synaxibus agendas, alicubi congregari. Accenso autem ibi lumine infantem ab ipsis crudelissime necari, eosque rabie plusquam ferina vesci illius carnibus, et lambere sanguinem: extinctis demum facibus, omnes quolibet stupri, adulterii, incestusque scelere pollui.

Jam quidem in superiore Apparatus nostri tomo observavimus a quibusdam secundi Ecclesiæ sæculi scriptoribus, ac præsertim Justino martyre, Athenagora, et Theophilo Antiocheno memoriæ proditum, Christianos horumce criminum ab ethnicis fuisse insimulatos. Sed etiamsi hi aliique nostri auctores concesserint quosdam hæreticos, a nobis ibidem notatos, puta Cataphrygas, vel Basilidem, aut Carpocratem ejusque sectatores, aut Gnosticos sicuti Irenæus (*Iren., lib.* I *advers. Hæres., cap.* 24), Eusebius (*Euseb. lib.* IV *Hist. cap.* 7, *pag.* 120), Epiphanius testificantur (*Epiph. in Hæres.* 26, § 5, *p.* 87, *et hæres.* 27, § 3, *pag.* 104), præbuisse aliquam hujus calumniæ occasionem; palam tamen ac constantissime asserunt falsissimam esse hanc criminationem. Quin immo publice contestantur ethnicos numquam inves-

Google

tigasse, vel ausos investigare utrum vera essent illa Christianorum crimina, ne falsa esse aliquando agnoscerent. Nullum quoque cujuslibet conditionis hominem, ut postea dicetur, invenire umquam potuerunt, nisi paucissimos Christianorum mendaces servos, a quibus crudelissimus omnium tyrannus, exquisitissimis quantumlibet suppliciis extorquere potuerit, ut hæc crimina vera et a Christianis patrata fuisse fateretur.

Quamvis autem hoc tam certum, quam publicum testimonium ad Minucii nostri hæc execranda crimina jure merito præfracte negantis, explicandam confirmandamque sententiam sufficiant; quia tamen Cæcilius paulo aliter, quam citati a nobis scriptores hanc instruit accusationem, juvat eum audire. Quo etenim modo ethnici tunc detestabili illo mendacio impudenter abuterentur, hunc ille explicat in modum : « De initiandis tirunculis fabula tam detestanda, quam nota est. Infans farre contectus, ut decipiant incautos, apponitur ei qui sacris imbuitur. Is infans a tirunculo farris superficie, quasi ad innoxios ictus provocato, cæcis occultisque vulneribus occiditur. Hujus, proh nefas! sitienter sanguinem lambunt, hujus certatim membra dispertiunt..... Et de convivio notum est..... Ad epulas solemni die coeunt cum omnibus liberis, sororibus, matribus, sexus omnis homines, et omnis ætatis. Illic post multas epulas, ubi convivium caluit, et incestæ libidinis furor ebrietate exarsit, canis qui candelabro nexus est, jactu offulæ ultra spatium lineæ, qua vinctus est, ad impetum et saltum provocatur. Sic everso et extincto conscio lumine, impudentibus tenebris, nexus infandæ cupiditatis involvunt, per incertum sortis, et si non omnes opera, conscientia tamen incesti. » Quid his sceleribus magis crudele, impium, inhumanum, et horridum?

At priusquam ulterius progrediamur, observandum est in manuscripto codice legi : « Incestæ libidinis fervor ebrietatis; » sed librarii oscitantia, ut plerique arbitrati sunt. Quocirca in pluribus editionibus scriptum voluerunt *ebrietate*, satis utique claro et aperto sensu. Verum hæc emendatio non placuit Gronovio, qui voces *incestæ libidinis* depravatas suspicatus est, ac legendum « in cæcas libidines fervor ebrietatis exarsit. » Nam de incestu, inquit, paulo post dicitur : *conscientia tamen pariter incesti*. Sed tantum abest, ut his verbis ultimis excludantur superiora *incestæ libidinis*, quin ea potius videantur jam dicta indicare. Ad verum itaque propius accedit altera lectio; melioris tamen codicis auctoritate debet confirmari.

At omni probabilitate illud caret, quod Gronovius ibidem adjecit, his Cæcilii de Christianarum synaxeum verbis, designari infantium Baptisma. Numquid enim Cæcilius Gentilium nomine, in Christianos disputando, de sacris horum cœtibus loqui non potuit, nisi mentionem Baptismi faceret? Numquid illi et ethnicis compertum erat quidquid in his cœtibus agebatur? Numquid etiam infantes toties sacro Baptismate initiabantur, quoties Christiani solemnes quidem suos cœtus, sed secretos inibant? Bene tamen est, quod Gronovius infantes sacris Baptismatis undis ætate Minucii Felicis ablutos fuisse ultro fateatur.

Quod vero spectat ad crimina, quorum Christiani tam falso, quam temere postulabantur, de his Tertullianus scriptum nobis id reliquit : « Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii, et pabulo inde, et post convivium incesto; quod eversores luminum canes, lenones scilicet tenebras, tum et libidinum impiarum inverecundiam procurent (*Tertull. Apologet. cap.* 7, *pag.* 8). Ibi autem ille paucis verbis omnia congerit crimina, quæ Cæcilius, sive Minucius pluribus edixit, nempe infanticidium, convivium carne et sanguine infantis inhumanissime occisi adornatum, eversores dehinc luminum canes, ac promiscuos quoslibet concubitus atque incestus. Ibi tamen Tertullianus non perspicue omnino edisserit, quomodo infans diceretur a Christianis occidi.

Aperte autem postea declarat ethnicos revera credidisse a Christianis exceptum infantis *rudem*, sive crudum *sanguinem*, eoque panem intinctum, quo tum quidem, quemadmodum et ejusdem infantis carnibus, vescebantur (*Ibid. cap.* 8, *pag.* 9). Alio autem in libro obscurius loquitur, nihilque aliud memorat, nisi « infanticidium, horam lucernarum, caninum ministerium, et ingenia tenebrarum, » quibus faventibus, Christiani quolibet stupro, adulterio et incestu contaminari dicebantur (*Idem*, *lib.* I *ad Nation.*, *cap.* 15 *et* 16, *pag.* 60). Sed hæc suo loco enucleatius explicabimus (*Dissert. in Tertull.*, *cap.* 20, *art.* 1).

Origenes vero ubi Celsum hæc adhuc crimina Christianis solita procacitate objectantem pro merito castigat, ibi testificatur hujus calumniæ, ab ipso nascentis Ecclesiæ initio Christianis illatæ, auctores fuisse non quidem ethnicos, aut hæreticos, ut ab aliis paulo ante dictum vidimus, sed Judæos. Addit præterea suo adhuc tempore quosdam his quantumvis falsissimis rumoribus ab amplectenda Christiana religione deterritos, omniumque Christianorum fugisse colloquia. Δοκεῖ μοι παραπλήσιον Ἰουδαίοις πεποιηκέναι, τοῖς κατὰ τὴν ἀρχὴν Χριστιανισμοῦ κατασκεδάσασι δυσφημίαν τοῦ λόγου· ὡς ἄρα καταδύσαντες παιδίον μεταλαμβάνουσιν αὐτοῦ τῶν σαρκῶν· καὶ πάλιν, ὅτι οἱ ἀπὸ τοῦ λόγου, τὰ τοῦ σκότου πράττειν βουλόμενοι, σβεννύουσι μὲν τὸ φῶς, ἕκαστος δὲ τῇ παρατυχούσῃ μίγνυται. ἡ τις δυσφημία παράλογος πάλιν μὲν πλείστων ὅσων ἐκράτει πειθουσα τοὺς ἀλλοτρίους τοῦ λόγου, ὅτι τοιοῦτοί εἰσι Χριστιανοί. καὶ νῦν δὲ ἔτι, ἀπατᾷ τινας, ἀποτρεπομένους διὰ τὰ τοιαῦτα, κἂν εἰς κοινωνίαν ἁπλουστέραν τῶν λόγων ἥκειν πρὸς Χριστιανούς « Videtur, aiebat, mihi, Celsus, fecisse idem, quod Judæi, Christianæ doctrinæ initio, sparso rumore, quod ejus sectæ homines mactati pueri vescerentur carnibus; et quod quoties eis libeat operam dare occultis libidinibus, extincto lumine, constupret quam quisque primam nactus fuerit. Quæ falsa et iniqua opinio dudum valde multos a religione nostra alienos

Digitized by Google

tenuit, persuasos quod tales sint Christiani; et ad hoc temporis nonnullos fallit; quia ea de causa Christianos ita aversantur, ut ne simplex colloquium cum homine Christiano habere velint.» (*Orig., lib.* VI *contr. Cels., pag.* 293 *et seqq.*)

Verumtamen si Judæi hujus calumniæ auctores fuerunt, eam procul dubio auxerunt quidam, in Lugdunensis Viennensisque Ecclesiæ Epistola, ab Eusebio descripta, notati gentiles Christianorum servi, qui a præside capti, cum tormenta reformidarent, et dæmonum instinctu, et militibus incitantibus, mentiti fuerant Christianorum θυέστεια δεῖπνα, καὶ οἰδιποδείους μίξεις, « Thyæsteas cœnas, et incestos Œdipi concubitus, » quæ paulo post a nobis explicabuntur (*Euseb. lib.* V, *cap.* 2, *pag.* 156).

At brevi postea tempore duravit hæc calumnia. Nam teste adhuc Eusebio, postquam Christianorum innocentia omnibus innotuisset, impudentissima illa criminatio penitus extincta est. « Sed hæ dæmonis artes, » inquit eruditus ille vir, « nequaquam in diuturnum tempus ei processere; quippe cum veritas ipsa se ipsam astrueret, et commendaret, progressuque temporis in dies elucesceret..... Simul etiam exstincta est temporis lapsu calumnia illa, quæ nostræ religioni afficta fuerat (*Euseb., lib.* IV *Histor., cap.* 7, *pag.* 120). » Jamvero examinandum est quomodo Minucius hæc tam falsa, quam horrenda crimina diluat.

ARTICULUS II.

*Expenduntur generales rationes, quibus Octavius objecta Christianis a Cæcilio et Gentilibus crimina diluit.*

Duplici responsione Octavius planum omnibus facit, nihil prorsus his calumniis esse putidius, ab ipsaque veritate, et omni prorsus verisimilitudine magis alienum. Prima autem responsio generalis est, atque omnia simul complectitur illa crimina, quæ Octavius falsissima atque omnino incredibilia esse demonstrat. Secunda vero unumquodque crimen diluit, ac perspicue ostendit singula tam falso Christianis inferri, quam impudenter, et impune a gentilibus perpetrabantur. Prior illa responsio in hoc articulo, posterior in subsequentibus examinanda est.

Octavius itaque, seu Minucius, fidenter respondet malis dæmonum artibus factum, ut ethnici « ante nos incipiant homines odisse, quam nosse; ne cognitos aut imitari possint aut damnare non possint. Quod quidem totidem verbis repetit Cyprianus (*Cypr., lib. de Idol. Vanit., pag.* 14). Quamobrem justissime cum Cæcilio aliisque gentilibus ille expostulat, quod Christianos incognitos, inexploratos, et numquam auditos condemnarent. Ne autem id ethnici negare auderent, asseveranter affirmat se illud non ab aliis tantum certo didicisse, sed compertum omnino habere funestissima sua experientia, cujus tunc ipsum maxime pœnitebat. Si nobis non credas, ecce ipsamet illius verba, « Quam iniquum sit de incognitis et inexploratis judicare, quod facitis; nobis ipsis pœnitentibus credite. Et nos idem fuimus, et eadem vobiscum quondam adhuc cæci et hebetes sentiebamus, quasi Christiani monstra colerent, infantes vorarent, convivia incesta miscerent. Nec intelligebamus ab his fabulas istas semper ventilari, nec umquam vel investigari, vel probari; nec tanto tempore aliquem existere, qui proderet non tantum facti veniam, verum etiam indicii gratiam consecuturum. » Eamdem autem vidimus fuisse æquissimam Justini martyris, aliorumque a nobis paulo ante citatorum, querimoniam. Sed eam adhuc acrius fusiusque contra ethnicos urget Tertullianus, et post eum Lactantius, atque alii, sicut a nobis suo loco demonstrandum est (*Tertull. Apolog., cap.* 1 *et* 2, *et lib.* I *ad Nation. cap.* 7. *Lactant. lib.* V, *cap.* 1).

Neque ibi tamen stetit summa gentilium adversus Christianos contra jus omne iniquitas. Minucius siquidem et Octavius, cum adhuc gentilium superstitionibus addicti, publico causidici, ut diximus, munere fungerentur, quoslibet sacrilegos, parricidas, aliorumque scelerum gravissimorum reos coram judicibus defendebant, illorumque suscipiebant patrocinium. Contra vero in Christianos, impia prorsus atque hactenus inaudita commiseratione, sævientes, dira quæstione acerbissimisque supplicils eos, si fieri posset, cogebant, non ut crimina illa faterentur, sed se christianos esse negarent. « Exercentes, ait, in his perversam quæstionem, non quæ verum erueret, sed quæ mendacium cogeret. »

Tertullianus quoque eamdem Gentilium iniquissimam crudelitatem sic exagitat « Itaque nec in illo ex forma malorum judicandorum agitis erga nos, quod cæteris negantibus adhibetis tormenta ad confitendum, solis Christianis ad negandum, cum si malum esset, nos quidem negaremus, vos vero confiteri tormentis compelleretis..... Vociferatur homo: Christianus sum. Quod est, dicit: tu vis audire quod non est. Veritatis extorquendæ præsides de nobis solis mendacium elaboratis audire. Hoc sum, inquit, quod quæris an sim. Quid me torques in perversum? Confiteor, et torques; quid faceres, si negarem? Plane aliis negantibus non facile fidem accommodatis: nobis si negaverimus, statim creditis. Suspecta sit vobis ista perversitas, ne qua vis lateat in occulto, quæ vos adversus formam, adversus naturam judicandi, contra ipsas quoque leges ministret » (*Tertull. Apolog. cap.* 2, *pag.* 3, *et lib.* I *ad Nation. cap.* 2, *pag.* 46 *et seqq.*). Nec id semel dixisse contentus fuit, sed rursus postea ethnicos urget, aitque: « Longe aliud munus carnifici in Christianos imperatis, non ut dicant, quæ faciunt, sed ut negent, quod sunt. »

Cyprianus vero in eosdem gentiles simili modo argumentatur, eosque hoc confutat confunditque dilemmate: « Christianum esse aut est crimen, aut non est. Si crimen est, quid non interficis confitentem? Si crimen non est, quid persequeris innocentem? Torqueri enim debui, si negarem, si pœnam tuam metuens, id quod prius fueram, et quod deos tuos non colueram, mendacio fallente celarem, tunc

Digitized by Google

torquendus fuissem, tunc ad confessionem criminis vi doloris adigendus, sicut in cæteris quæstionibus torquentur rei, qui se negant crimine, quo accusantur, teneri; ut facinoris veritas, quæ indice voce non premitur, dolore corporis exprimatur. Nunc vero cum sponte confitear, et clamem, et crebris ac repetitis identidem vocibus Christianum me esse contester, quid tormenta adhibes confitenti (*Cypr. lib. ad Demet. pag.* 190 *et seqq.*)? »

Aliud iniquissimi gentilium in Christianos judicii caput fuit, quod si quis cruciatuum vi tandem victus, Christianum se esse inficiaretur, tunc ei favebant, laudibus illum extollebant, augebantque honoribus. Quasi vero fas eis fuisset hac falsa pietate homines, tot tantorumque criminum accusatos, nec ea se commisisse negantes, non solum absolvere, sed omnibus bonis, ob solam nominis christiani negationem, cumulare? Sic itaque fatebantur in solo, ut ait Tertullianus, Christianorum nomine posita fuisse omnia eorum crimina (*Tertull. Apolog. cap.* 2 *et* 5, *pag.* 4, *et lib.* 1 *ad Nation. cap.* 3, 5).

Verum hac impii homines fraude et astutia alios ad ejurandam christianam fidem facilius allicere volebant. Neque id gratis a nobis fictum putes. Minucius etenim illud a se factum, non sine maximo contriti cordis dolore confitetur. « Et si quis, ait, infirmior, malo pressus et victus, christianum se negasset, favebamus ei, quasi ejerato nomine, jam omnia facta sua illa sua negatione purgaret. Agnoscitisne eadem nos sensisse et egisse, quæ sentitis et geritis? Cum si ratio, non instigatio dæmonis judicaret, urgendi magis, non ut diffiterentur se Christianos, sed de incestis, stupris, de impiatis, id est, pollutis, sacris, de infantibus immolatis faterentur. » Eadem quoque Lactantius memoriæ postea his totidemque verbis prodidit: « Si qui autem doloris vel mortis metu, vel suapte perfidia cœleste sacramentum deseruerint, vel ad funesta sacrificia consenserint, eos laudant, et honoribus mactant, ut eorum exemplo cæteros illiciant (*Lactant. lib.* 1, *cap.* 9, *pag.* 48?). »

Aliud certissimum integritatis et innocentiæ Christianorum indicium erat, quod si tanta flagitia admisissent, aliquos saltem eorum aliquando pœnituisset, aut timuissent pœnas criminibus suis debitas luere, aut tandem erubuissent nomen ei dedisse religioni, quæ ad illa perpetranda compellebat. « At qui malum adeo non est, ait Minucius, ut Christianus reus non erubesceret, nec timeret, et unum solummodo, quod non ante fuerit, pœniteret. » Sed hæc fusius a Tertulliano antea dicta fuisse legimus. Ipsamet enim illius isthæc sunt verba: « Christianus vero quid simile? Neminem pudet, neminem pœnitet, nisi retro non fuisse. Si denotetur, gloriatur: si accusatur, non defendit: interrogatus, vel ultro confitetur: damnatus, gratias agit. Quid hoc mali est, quod naturalia (ms. *natura alia*), mali non habet, timorem, pudorem, tergiversationem, pœnitentiam, deplorationem? Quid hoc mali est, cujus reus gaudet, cujus accusatio votum est, et pœna felicitas (*Tertull. Apolog. cap.* 2, *pag.* 4)? » Quanti autem hoc argumentum sit ponderis et momenti, inde colligitur, quod fieri non possit, ut homo tot criminum conscius, vel sola vindice conscientia, non erubuerit; vel eum non pœnituerit sectæ, ad hæc scelera impellentis, suum dedisse nomen; aut denique tot exsecrandorum flagitiorum accusatus, pœnas subire non fuerit veritus. Atqui nihil tale Christianis accidit. Quinimo et de nomine suo, et professione semper gloriati, pro utriusque defensione quælibet etiam crudelissima ad mortem usque tormenta constantissime pertulerunt.

Porro autem Minucius noster ferre non potest sibi ab ethnicis objici Christianos tot tantorumque criminum fama ubique vulgata coargui. Primum enim falsos hos rumores pravis dæmonum artibus disseminatos fuisse contendit. Deinde vero: « Fama, inquit, semper sparsis mendaciis alitur, ostensa veritate consumitur. » Sed hoc Tertullianus longe fusius prosequitur, ac citato etiam Virgilii carmine, invictissime demonstrat nihil hoc argumento esse quidquam magis leve, infirmum, et absurdum (*Tertull. Apolog. cap.* 7, *et lib.* 1 *ad Nation. cap.* 7). Sed quomodo illud, aliaque a nobis exposita urgeat, suo loco examinabimus (*Dissert. in Tertull. cap.* 20, *art.* 1).

## CAPUT IX.

DEMONSTRATUR QUAM FALSA SINT DUO PRIMA CRIMINA CHRISTIANIS OBJECTA, INFANTEM AB IPSIS SACRA INTER MYSTERIA OCCIDI, AC POSTEA DEVORARI EJUS CARNES, ATQUE ETHNICOS E CONTRARIO HORUM REVERA ESSE REOS.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Excutiuntur argumenta, quibus Minucius Christianos hoc utroque crimine prorsus liberat.*

Tametsi Minucius generalibus responsis inusta Christianis a Cæcilio, et aliis gentilibus tria horrenda infandaque scelera satis superque diluisset, ad unumquodque tamen venit, quod singulatim duplici ratione confutat et destruit. Primo enim illud falsum omnino esse demonstrat. Deinde vero luculentissime probat ipsosmet gentiles, Christianorum odiosos accusatores, illius reipsa esse reos ac conscios.

Initium autem ab infante occiso, adesis ejus carnibus, potatoque sanguine, his ille verbis duxit: « Illum jam velim convenire, qui initiari nos dicit, aut credit de cæde infantis, aut sanguine. Putas posse fieri, ut tam molle, tam parvulum corpus fata vulnerum capiat, ut quisquam illum rudem sanguinem, (eodem Tertullianus verbo utitur) novelli, et vix dum nati hominis cædat, fundat, exhauriat? Nemo hoc potest credere, nisi qui possit audere (*Tertull. Apolog. cap.* 8, *pag* 9). » Dicit itaque hanc criminationem ab omni prorsus veritate sic abhorrere; ut ab iis solum credi possit, qui scelus idem perpetrabant. Martyr vero Justinus rationes nobis reddit, cur id omnem humanam fidem superet (*Justin. Mart., Apol. pag.* 50). Nemini enimvero credibile, inquit, fieri potest, ut homines flagitiosissimis voluptatibus dediti, humanisque cæsi infantis carnibus, quales Christiani ab

Digitized by Google

ethnicis fingebantur, vescentes, sponte se omnibus bonis, divitiis et facultatibus privarent, sinerentque se ob solam religionis adeo crudelis confessionem, exquisitissimis tormentis occidi, ac ultro etiam quandoque morti se offerrent.

Quid autem, quod Trypho Judæus ab eodem Justino martyre interrogatus, an verum esse censeret illud et alterum, quod Christianis infligere solebant flagitium : « Homines vorare, et post epulum, lucernis extinctis, nefario promiscue concubitu involvi; » ulla absque hæsitatione respondit : Περὶ δὲ ὧν πολλοὶ λέγουσιν, οὐ πιστεῦσαι ἄξιον· πόρρω γὰρ κεχώρηκε τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως. « Quæ a multis jactantur, indigna sunt fide; longe enim a natura humana absunt (*Justin., Dialog. contra Tryph. pag.* 227). » Audisne Judæum non sua tantum sponte fateri hæc esse incredibilia; sed rationem etiam reddere cur illa falsa esse omnino, nec credi posse persuasum habuerit?

Tertullianus autem haud immerito asserit extra omnem penitus esse credibilitatem, atque hominis non mente penitus capti opinionem, eo Christianos venisse dementiæ, ut vitam mercedemque æternam iis promitterent, qui tantis tamque horrendis sceleribus non semel aut raro, sed toto ferme vitæ suæ tempore contaminarentur. Præstat vero eum loquentem audire : « Ut fidem naturæ ipsius appellem adversus eos, qui talia credenda esse præsumunt; ecce proponimus horum facinorum mercedem. Vitam æternam repromittunt. Credite interim. De hoc enim quæro, an et qui credideris, tanti habeas ad eam tali conscientia pervenire. Veni, demerge ferrum in infantem, nullius inimicum, nullius reum, omnium filium : vel si alterius officium est, tu modo assiste morienti homini, antequam vixit. Fugientem animam novam exspecta. Excipe rudem sanguinem; ea panem tuum satia; vescere libenter. Interea discumbens, dinumera loca; ubi mater, ubi soror, nota diligenter, ut cum tenebræ ceciderint caniæ, non erres. Piaculum enim admiseris, nisi incestum feceris. Talia initiatus, et consignatus, vivis in ævum. Cupio respondeas, si tanti æternitas? Aut si non, ideo nec credenda. Etiamsi credideris, nego te velle : etiamsi volueris, nego te posse. Cur ergo alii possint, si vos non potestis? Cur non possitis, si alii possunt (*Tertull., Apolog. cap.* 8, *pag.* 9. *Idem Tertull., lib.* I *ad Nation. cap.* 7 *pag.* 52. *Dissert. in Tertull. cap.* 20 *art.* 1 *et seqq.*)? » At ille fusius adhuc ibi et alibi hæc enarrat, quæ a nobis suo loco explananda sunt.

Huic autem responsioni secundam Minucius adjicit, infanticidium illud tam ab ipsa veritate, quam a Christianorum moribus et institutis esse alienum. Quomodo enim illis Ecclesiæ suæ aut consuetudine aut præcepto, infantem impune interficere liceret, quibus « homicidium, » uti ille arguit, « nec videre fas, nec audire? »

In eosdem publicos nefariosque calumniatores idem quoque telum contorquet Athenagoras : « Quomodo quisquam, ait ille, vel homicidii, vel humanarum carnium epulationis insimularet illos, quos ne juste quidem occidendi hominis supplicium intueri velle aut posse cognoverit. « Οὓς γὰρ ἴσασιν οὐδ' ἰδεῖν, κἂν δικαίως φονευόμενον ὑπομένοντας, τούτων τίς ἂν κατείποι, ἢ ἀνθρωποφορείαν, ἢ ἀνθρωποβορίαν; » Pergit ille : « Quis non spectacula illa, in quibus gladiatores et belluas populo præsertim vos Imperatores exhibetis, maximi facit? Nos vero non ita multum, sive spectator sit aliquis, sive auctor cædis, interesse judicantes, alieno ab his spectaculis animo sumus. Quomodo igitur qui ne ab aliis quidem fieri, ne quid inde sceleris, et piaculi in nos redundet, videre sustinemus, homicidium committemus ipsi (*Athenag., Legat. pro Christian., pag.* 38)? »

Eumdem plane in modum contra Gentiles disputat Theophilus Antiochenus. Ad Autolycum (*Theoph. lib.* III *ad Autolyc., pag.* 126) quippe hæc in verba scripsit : « Nunc vide an hi qui talia », hoc est, memoratas a se sanctissimas Christi leges, « docentur, taliaque discunt, possint more brutorum animalium vivere, et pollui nefariis commixtionibus, aut possint, quod omnium immanissimum est, carnes humanas, infantis scilicet a se occisi, attingere? » Ὅπου γε καὶ τὰς θέας τῶν μονομαχων ἡμῖν ἀπειρῆσθαι ὁρᾶν, ἵνα μὲ κοινωνοί, καὶ συνίστορες τῶν φόνων γενώμεθα. ἀλλ' οὐδὲ τὰς λοιπὰς θεωρίας ὁρᾶν χρὴ, ἵνα μὴ μολύνωνται ἡμῶν οἱ ὀφθαλμοὶ, καὶ τὰ ὦτα, γενόμενα συμμέτοχα τῶν ἐκεῖ φωνῶν ἀδομένων, εἰ γὰρ εἴποι τις περὶ ἀνθρωποβορίας ἀκεῖ τὰ Θυέστου, καὶ Τηρίως τέκνα ἐσθιόμενα. « Præsertim cum etiam monomachias spectare nobis interdictum sit, ne videlicet participes hujusmodi cædium reddamur. Nec cætera spectacula spectare audemus, ne oculi nostri inquinentur, et aures nostræ audiant profana, quæ ibi decantantur, carmina; nempe dum Thyestis tragica facinora commemorant, et Terei liberos devoratos recitant. »

Nemo est autem qui nesciat quæ sint illa Thyestis Tereique tragica immanissimaque facinora, quæ ethnici publicis in spectaculis repræsentabant. Thyestes enim fertur Atrei fratris sui uxorem adulterio vitiasse. Cujus flagitii in vindictam Atreus filium epulandum ei apposuit, quæ quidem scelera ne sol videret, suum idcirco cursum retro convertisse fabulantur. Tereus vero, Thracum Rex, Philomelam Prognes uxoris suæ sororem, postquam constuprasset, linguam ei præcidit, arctissimaque custodia inclusit. Sed inde a Progne educta est, ac utraque Itym, adulterino concubitu progenatum, Tereo patri in convivio comedendum dedit. Tot crimina præter Ovidium et alios, Martialis duobus carminibus ita cecinit.

Ille magis ludit, qui scribit prandia sævi
Tereos, aut cœnam crude Thyeste tuam.
(*Ovid., l.* VI *et* XIV *Metamorph.*; *Martial., l. Epigr.* 19).

Vides igitur quam merito jure Minucius noster aliique antiquissimi Ecclesiæ Patres asseverarent Christianos ab ethnicis homicidii falso falsius accusari; quippe qui illud adeo abhorrebant, ut illud ne quidem in publicis spectaculis repræsentatum videre

Digitized by Google

aut audire umquam vellent. Nec minus clare conspicis illos comesæ humanæ carnis tam falso, quam vere quosdam ethnicos insimulari. Si quis autem alios similiter argumentantes sibi adhuc proferri velit, Tertullianum citabimus lib. *de Spectaculis*, cap. 19 et 20, Cyprianum, *Epistola ad Donat.* cap. 15. Lactantium lib. VI, cap. 20, pag. 619, et in *Epitome* cap. 6, pag. 743.

Neque porro hoc tantum, sed alio etiam argumento Minucius illam calumniam refellit : « Tantum, inquit, ab humano sanguine cavemus ; ut nec edulium pecorum in cibis sanguinem noverimus. » Acrius vero et vehementius Tertullianus in eosdem ethnicos hanc argumentationem urget. Digna autem profecto sunt, quæ hic describantur illius verba : « Erubescat error vester Christianis, qui ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus ; qui propterea quoque suffocatis et morticinis abstinemus, ne quo sanguine contaminemur, vel intra viscera sepulto. Denique inter tentamenta Christianorum botulos etiam cruore distentos admovetis, certissimi scilicet illicitum esse penes illos, per quod exorbitare vos vultis. Porro quale est, ut quos sanguinem pecoris horrere confiditis, humano inhiare credatis? (*Tertul. Apolog. cap.* 9, *pag.* 10).

Non soli autem viri, sed et mulieres hac valida ratione Christianos fictitio plane crimine purgabant. Narrat siquidem Eusebius Bibliadem, christianam feminam, dirissimis suppliciis superatam, primo quidem ejurasse fidem Christi, multaque de Christianis tam impia quam falsa coram tyranno dixisse : Ἡ δὲ ἐν τῇ στρεβλώσει ἀνέϊνηψε, καὶ ὡς ἂν εἰπεῖν, ἐκ βαθέος ὕπνου ἀνεγρηγόρησεν· ὑπομνησθεῖσα διὰ τῆς προσκαίρου τιμωρίας τὴν αἰώνιον ἐν γεέννῃ κόλασιν, καὶ ἐξ ἐναντίας ἀντεῖπε τοῖς βλασφήμοις φήσασα· Πῶς ἂν παιδία φάγοιεν οἱ τοιοῦτοι, οἷς μηδὲ ἀλόγων ζώων αἷμα φαγεῖν ἐξόν. « Verum illa resipuit, Eusebii verba sunt, inter cruciatus, ac veluti ex alto somno excitata est, præsente supplicio de æternæ gehennæ cruciatibus ipsam submonente, et contradicens impiis : Qui fieri posset, inquiebat, ut infantes comederent, quibus ne sanguinem quidem animantium degustare licet (*Euseb. lib.* V *Eccl. Hist., cap.* I, *pag.* 159)? »

Quid hoc feminæ testimonio ad revincendam ethnicorum calumniam validius et efficacius? Bibliades Christiana femina, immanissimis suppliciis vexata, impactum Christianis crimen falsum esse affirmat, sed summis doloribus victa, atque ut iis liberaretur, verum esse tam falso, quam invito fatetur. Ad saniorem deinde mentem redit, palamque declarat se vi tormentorum coactam, falsum dixisse ; ac tandem dirioribus tormentis excarnificata, in hac ultima illa confessione perseverat, et moritur. Quis ergo sanæ mentis homo huic testimonio fidem abrogabit? De interdicto autem Christianis animalium sanguine alibi disputavimus (*Tom.* I *Appar. lib.* III, *dissert.* 1, *cap.* 3, *art.* 5, *pag.* 680 *et seqq.*).

ARTICULUS II.

*Ostenditur quam certo Minucius ethnicos homicidii convincat, utpote qui filios recens natos exponerent, aut abortu necarent, atque etiam Carthaginenses Saturno filiorum suorum voratori, suos immolarent, tumque illorum gemitum blanditiis et osculis comprimere conarentur, ac quam ob causam.*

Nulla major a depravatissimis hominibus calumnia excogitari potest, quam cum gravissimorum scelerum quorum ipsimet rei sunt, alios omnino insontes insimulant. Tales autem Minucius probat fuisse ethnicos. Palam enimvero omnibus ille facit homicidium, cujus falsissime, uti superiori articulo dictum est, Christianos arguebant, ab ipsis revera, nec semel, nec uno tantum modo, sed sæpe sæpius variisque modis committi. Nam præter illa, quæ in superiori articulo ex Theophilo Antiocheno retulimus, Minucius noster duplex eis exprobrat homicidii genus, filiorum recens natorum expositionem, et antequam nascerentur abortum : « Video, inquit, vos procreatos filios nunc feris et avibus exponere, nunc adstrangulatos misero mortis genere elidere. Sunt quæ in ipsis visceribus, medicaminibus epotis, originem futuri hominis extinguant et parricidium faciant, antequam pariant. »

Eodem quoque modo antea Athenagoras. Qua ratione, inquit, homines jugulabimus? Οἱ, τὰς τοῖς ἀμβλωθριδίοις χρωμένας ἀνδροφονεῖν τε καὶ λόγον ὑφέξειν τῆς ἐξαμβλώσεως τῷ Θεῷ, φαμέν. « Qui mulieres medicamentis abortivis utentes homicidii reas, et rationem Deo reddituras dicimus. » (*Athenag., Legat. pro Christian.*, p. 38.) Nonne enim ejusdem, pergit ille, sceleris conscius est, qui fœtum in matris utero extinguit, aut recens natum morti exponit haud incertæ, atque ille qui hominem ætate provectum interficit? Atqui ab his criminibus, ait ibi ille, tam abhorrebant Christiani, quam sæpe ac impune ab Ethnicis perpetrabantur. Sed audiamus Tertullianum qui palam audacterque hæc illis exprobrat, et in eos sic argumentatur : « Sed quoniam de infanticidio nihil interest, sacro, an arbitrio perpetretur, licet de parricidio intersit, convertar ad populum : Quot vultis ex his circumstantibus, et in Christianorum sanguinem hiantibus, et ipsis etiam vobis justissimis, et severissimis in nos præsidibus apud conscientias pulsem, qui natos sibi liberos enecant? Siquidem et de genere necis differt, utique crudelius in aqua spiritum extorquetis ; aut frigori, et fami, et canibus exponitis? Ferro enim mori ætas quoque major optaverit. Nobis vero homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem deliberatur, dissolvere non licet. Homicidii festinatio est, prohibere nasci ; nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est, et qui futurus ; etiam fructus omnis jam in semine est (*Tertull. Apolog. cap.* 9, *pag.* 10). » At de his nos plenius in nostra de hoc libro disser-

Digitized by Google

tatione (*Dissertat. in Tertullian., cap.* 20, *art.* 3).

Nec minus acriter, nec sine ironia Lactantius hancce impudentem calumniam propulsat, quam ipsimet rei adversus innocentes adhibere non verebantur : « Impios, inquit, vocant ipsi scilicet pii, et ab humano sanguine abhorrentes, cum si et actus suos considerent, et illorum, quos tamquam impios damnant, jam intelligant quam mendaces sint, et iis omnibus quæ adversus bonos aut dicunt, aut faciunt, digniores. Non enim de nostro, sed ex illorum numero semper exsistunt, qui vias obsident armati..... venena clam temperent, qui uxores necent, ut dotes earum lucrentur, aut maritos, ut adulteris nubant, qui natos ex se pueros aut strangulent, aut si nimium pii fuerint, exponant » (*Lactant. lib.* v *Institut. cap.* 9, *pag.* 483. *Dissertat in Lactant. cap.* 27, *art.* 2). Sed alia quædam de his ille alibi, ut suo loco videbimus. Plura qui voluerit, is adeat Dionysium Halicarnasseum, Platonem a Theodoreto citatum, Philonem Judæum, Clementem Alexandrinum, et quæ alibi a nobis de puerorum expositione observata sunt (*Dionys. Halicarn. lib.* II *Antiq. Roman. pag.* 88; *Theodoret. tom.* 4. *serm.* 9, *pag* 678; *Philon. lib. de Special. legib. pag.* 793, *et seq.*; *Clem. Alex. lib.* III *Pæd. pag.* 226, *et lib* II *Stromat. pag.* 400, *tom.* I *Apparat. pag.* 805).

Aliis præterea exemplis Minucius invictissime probat crudelissimum parricidium, aliaque homicidia non solum impune ab ethnicis, sed publica cum laude et plausu olim et suo adhuc tempore consuevisse committi. Persuasum enimvero ethnici habebant, ait ille, a Saturno filios suos devoratos. Quamobrem creduli homines in quibusdam Africæ partibus pietati ducebant ei suos quoque filios immolare. Humanæ quoque victimæ a Tauris Ponticis et ab Ægyptio Busiride, a Gallis Mercurio, a Romanis Græcus et Græca, Gallus et Galla cædebantur. Præterea ab iisdem Romanis Latialis Jupiter hominis crudeliter necati sanguine placari ferebatur. Tam horrendæ autem feritatis exemplo factum auctor noster censet, ut Catilina cruore humano conjuraverit, alii Bellonæ sacrificaverint humani haustu sanguinis, ac plures comitialem morbum eodem humano sanguine, idest, ut recte Minucius animadvertit, *morbo graviore* sanaverint. Denique huic perquam immanissimæ crudelitati eam haud dissimilem esse dixit, qua athletæ aliqui in arena feras, hominum cruore et membris saginatas, liguriunt ac devorant. Qua ergo fronte Gentiles, concludit Minucius, tot criminum rei, impudenti calumnia objicere poterant infantem a Christianis occidi, vorari ejus carnes et bibi sanguinem? Sed prius Tertullianus falsissimam illam criminationem acrius huncque confutaverat in modum : « Hæc quo magis refutaverim, a vobis fieri ostendam partim in aperto, et partim in occulto, per quod forsitan et de nobis credidistis. Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam usque ad consulatum Tiberii, qui ipsos sacerdotes in eisdem arboribus templi sui obumbratricibus scelerum, votivis crucibus exposuit, teste militia patriæ nostræ, quæ idipsum munus illi proconsuli functa est. Sed et nunc in occulto perseveratur hoc sacrum facinus..... Cum propriis filiis Saturnus non pepercit, extraneis utique non parcendo perseverabat, quos quidem ipsi parentes offerebant, et libentes respondebant, et infantibus blandiebantur, ne lacrymantes immolarentur Et tamen multum homicidio parricidium differt. Major ætas apud Gallos Mercurio prosecabatur. Remitto Tauricas fabulas theatris suis. Ecce in illa religiosissima urbe Æneadarum piorum, nimirum Roma, est Jupiter quidam, quem ludis suis, Latiali haud dubie Jovi dicatis, humano proluunt sanguine..... De sanguinis pabulo, et ejusmodi tragicis ferculis legite necubi relatum sit (est apud Herodotum opinor) defusum brachiis sanguinem ex alterutro degustatum nationes quasdam fœderi comparasse. Nescio quid et sub Catilina tale degustatum est. Aiunt et apud quosdam Gentiles Scytharum defunctum quemque a suis comedi. Longe excurro. Hodie isthic Bellonæ sacratos (*ms.* sacratus) sanguis de femore proscisso in palmulam exceptus, esui datus signat. Item illi qui munere in arena noxiorum jugulatorum sanguinem recentem avida siti, comitiali morbo medentes auferunt, ubi sunt? Item illi qui de arena ferinis obsoniis cœnant, qui de apro, qui de cervo petunt! Aper ille, quem cruentavit, colluctando detersit. Cervus ille in gladiatoris sanguine jacuit. Ipsorum ursorum alvei appetuntur, cruditantes adhuc de visceribus humanis. Ructatur proinde ab homine caro pasta de homine » (*Tertullian Apolog. cap.* 9, *pag.* 9). Integrum hunc Tertulliani locum exhibendum esse duximus, quia ibi ille quædam exempla ab auctore nostro intacta protulit; et alia clarius uberiusque exponit, quorum ipse Minucius noster videtur fecisse compendium. Negare tamen non possumus priora ejusdem Tertulliani verba quibusdam non carere difficultatibus. Sed ea suo loco pro virili parte nostra explanare et dissolvere conabimur (*Dissertat. in Tertull. Apolog.*).

Interim vero aliquid de horrendis illis hominum ab aliis hominibus mactatorum sacrificiis dicendum. Nihil vero necesse ut plura congeramus de celebri, paucisque incognita ethnicorum opinione, qua Saturnus filios suos vorasse perhibetur. Missis itaque Pausania, Strabone, Diodoro Siculo, Luciano, Appollodoro, Theophilo Antiocheno, et aliis quamplurimis (*Pausan. lib.* VII, *p.* 242; *Strab. Geogr. p.* 468; *Diod. Sicul. l.* V *Biblioth., p.* 235; *Lucian. de Sacrif. p.* 73; *Apollod. lib.* I *Bib. init.*; *Theop. Antioch. lib.* I *ad Autol. p.* 75, *et lib.* III, *pag.* 118), sufficiat annotasse eam ab Hesiodo his decantari versibus (*Hesiod.* V, 463 *et sqq.*) :

Πεύθετο γὰρ γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος
Οὕνεκά οἱ πέπρωτο ὑπὸ παιδὶ δαμῆναι,
Καὶ κρατερῷ περ ἐόντι, Διὸς μεγάλου διὰ βουλάς.
Τῷ ὄγε οὐκ ἀλαοσκοπιὴν ἔσχεν, ἀλλὰ δοκεύων
Παῖδας ἑοὺς κατέπινε.

Audierat enim ex terra et cœlo st Ilis micante
Quod sibi fatale esset proprio a filio domari,



Digitized by Google

Quantumvis robusto existenti, Jovis magni per consi- [lia,
Ideoque non cæcam speculationem habuit, sed insi- (dias struens
Filios suos devorabat.

Quamobrem Nonnus eumdem Saturnum vocat « suorum devoratorem puerorum, » ἐῶν θοινήτορα παίδων (*Nonn.*, *lib.* XXI; *Dionys.*, *car.* 249).

Unum his nobis adjicere liceat Tatianum, qui ejusdem non solum Saturni, sed aliorum quoque exemplis, ethnicos anthropophagiæ, cujus Christianos falso insimulabant, hisce verbis arguit : « Apud nos, inquit, non invenitur anthropophagia : falsi testes, hoc crimine contra nos conficto, deprehensi estis. Apud vos autem Pelops deorum epulis apponitur, et amatus Neptuno puer, et Saturnus filios, et Jupiter Metim devorat. » Παρ' ἡμῖν οὐκ ἔστιν ἀνθρωποφαγία, ψευδομάρτυρες οἱ ἐπιτηδευόμενοι γεγόνατε. παρ' ὑμῖν δὲ ὁ Πέλοψ δεῖπνον τῶν θεῶν γίνεται, καὶ Ποσειδῶνος ἐρώμενος, καὶ Κρόνος τοὺς υἱοὺς ἀναλίσκει, καὶ ὁ Ζεὺς τὸν Μῆτιν καταπίνει (*Tatian. Orat. contra Græc. pag.* 162).

Carthaginenses autem Saturno filiorum suorum voratori gratificari cupientes, ei suos, uti recte ait Minucius noster, filios sacrificabant. Plato siquidem etsi palam negaverit homines hoc barbaro more a popularibus suis fuisse revera mactatos, ibidem nihilominus adjecit : « Contra vero Carthaginenses id solent ; quippe quod ipsis sanctum, atque legitimum, Καρχηδόνιοι δὲ θύουσιν, ὡς ὅσιον, καὶ νόμιμον αὐτοῖς. Illud autem apud ipsos solemne est ut ipsorum nonnulli filios suos Saturno sacrificent.... Sed etiam ii Græci, qui in Lycia habitant, et ex Athamante oriundi, æquales hostias sacrificant » (*Plato*, *tom.* II *lib. Polit. pag.* 315).

Apud Eusebium quoque hæc leguntur Diodori Siculi de Carthaginensibus, ab Agathocle Siciliæ tyranno obsessis, verba : « Iratum sibi Saturnum esse hac de causa dubitabant, quod cum ipsi antea liberorum suorum florem immolarent, deinceps nonnisi pueros quosdam, furtim coemptos, atque abs se educatos, ad sacrificium submitterent. Itaque hac de re quæstione habita, nonnullos ex eis, qui sacro ac solemni ritu cæsi erant, supposititios fuisse repererunt. Quæ cum secum ipsi reputarent, hostiumque castra mœnibus suis imminere cernerent, magna illis injecta religio est, quasi patrios deorum honores sustulissent. Atque hunc errorem ut mature procurarent, primum quidem eximios, communibusque lectos suffragiis, adolescentes omnino ducentos publice immolarunt. Deinde vero alii præterea, qui violatæ religionis vulgo suspecti essent, ultro sese ac sponte obtulerunt, trecentis haud pauciores » (*Euseb. lib.* IV *Præpar. Evang. cap.* 16, *pag.* 161). Hæc autem desumpta sunt ex vicesimo Bibliothecæ ejusdem Diodori libro, illiusque, et Eusebii græca verba inter se conferre poteris. Alio autem Diodorus in libro de Imilcare dixerat : « Diis supplicationes ritu patriæ instituens, τῷ μὲν Κρόνῳ παῖδα σφαγιάσας, τῷ δὲ Ποσειδῶνι πλῆθος ἱερέων καταποντίσας, puerum Saturno mactat, et Neptuno turbam Sacerdotum in mare demergit » (*Diodor. Biblioth. lib.* XX, *pag.* 739 *et seqq. Idem lib.* XIII, *pag.* 377 ). Quid vero, quod Plutarchus narrat Gelonem cum victis a se magno prælio Carthaginensibus, pacemque petentibus, ea tantum conditione illam confecisse, ut Saturno filios suos amplius non immolarent. Huc accedit quod a Dionysio Halicarnasseo scriptum legimus : « Fertur veteres Saturnum placare solitos humanis victimis, sicut Carthaginenses, dum stetit eorum urbs, et idem nunc quoque fit apud Gallos, aliasque gentes Occidenti proximas » ( *Dionys. Halicar. lib.* I, *Antiquit. Roman. pag.* 30 ). Cui porro hæc non sufficient, is legat adhuc Justinum martyrem, Origenem, Augustinum, qui testem suum Varronem citavit ( *Justin. Apolog.* II, *pag.* 50 ; *Origen. lib.* V *contr. Cels. pag.* 249; *Augustin. lib.* VII. *de Civit. cap.* 19 *et* 26 ).

Sed attende, quæso, quid non possint homines, sola falsæ pietatis umbra decepti ? « A parentibus infantes, » inquit Minucius, « immolabantur, blanditiis et osculo comprimentes vagitum, ne flebilis hostia immoletur. » Præeuntem vero ibi sequitur Tertullianum, qui uti jam annotavimus, dixerat : « Parentes offerebant filios suos, et libentes respondebant, et infantibus blandiebantur ne lacrymantes immolarentur » (*Tertul. Apol. cap.* 9). At si tunc filiorum suorum vagitum et lacrymas, quomodo ipsi sua suspiria, gemitus et omnem paterni cordis sensum, illos occidendo, continere poterant ? Ea tamen præpostera omnino fortitudine liberorum gemitus et lacrymas comprimebant, ne flebilis et lacrymans hostia, atque idcirco diis minime grata, mactaretur. Malum enimvero omen erat, si hostia repugnans, atque invita sacrificabatur. Testem si aliquem velis, audi Macrobium : « Observatum est à sacrificantibus, ut si hostia quæ ad aras duceretur, fuisset vehementius reluctata, ostendissetque se invitam altaribus admoveri, amoveretur, quia invito Deo offerri eam putabant. » Sive ut ait Plinius; « nec aliena hostia deos placari, nec retrahente se aris » ( *Macrob. lib.* III *Saturnal. cap.* 5; *Plin. lib.* VIII *Natur. Hist. cap.* 45, *p.* 221). Quapropter infaustum, teste adhuc Ammiano Marcellino, existimaverunt, quod in Juliani Apostatæ sacrificio decimus taurus, ruptis vinculis elapsus, ægre reductus est. (*Ammian. Marcel. lib.* XXIV, *cap.* 6, *pag.* 409.) Funestum etiam Pompeio portendere aliquid visa est « Ab ipsis, » sicut ait Valerius Maximus, « altaribus hostiarum fuga » (*Valer. Max. lib.* I, *cap.* 6, § 12 ) ; vel quemadmodum cecinit Lucanus :

Admotus superis, discussa fugit ab ara
Taurus, et Emathios præceps sejecit in agros,
Nullaque funestis inventa est victima sacris.
(Lucan., l VII, *v.* 156.)

At non his tantum exemplis Gentiles homicidii parricidiique convincebantur, sed aliis adhuc plurimis, quæ a nobis excutienda sunt.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

*Quo adhuc modo Minucius ostendat a Tauris Ponticis, et Busiride Ægyptio sacrificatos hospites, a Gallis homines Mercurio . a Romanis Græcum et Græcam, Gallum et Gallam, aliosque Jovi Latiali.*

Quemadmodum quibusdam Africæ populis infantes Saturno immolare inhumanissimus mos fuit, ita « Tauris Ponticis, » ait Minucius, « et Ægyptio Busiridi, suos diis fictitiis sacrificare hospites. » De Tauris autem hæc Clemens Alexandrinus græcis litteris mandavit : Ταῦροι τὸ ἔθνος, οἱ περὶ τὴν Ταυρικὴν Χερρόνησον κατοικοῦντες, οὓς ἂν τῶν ξένων παρ' αὐτοῖς ἕλωσι, τούτων δὴ τῶν κατὰ θάλασσαν ἁπτωκότων, αὐτίκα μάλα τῇ Ταυρικῇ καταθύουσιν Ἀρτέμιδι. « Tauri populi, qui habitant circa Tauricam Chersonesum, quoscumque hospites apud se ceperint, ex iis qui in mari aberrarunt, Dianæ Tauricæ statim sacrificant » (*Clem. Alex. Admonit. ad Gent. pag.* 27). Ea autem Clementis Alexandrini verba ab Eusebio descripta invenies. Athenagoras vero brevius, Origines clarius, et utroque uberius Athanasius, eadem plane memorant (*Euseb. lib.* IV *Præpar. Evang. cap.* 16, *p.* 157; *Athenagor. legat. pro Christ. pag.* 29; *Origen. lib.* V *contr. Cels. pag.* 249; *Athanas. Orat. contr. Græc.* § 25, *pag.* 2 ). Prius autem his omnibus Naso immanissimam illam magis ferarum, quam hominum, crudelitatem sic cecinit :

Illi, quos audis hominum gaudere cruore,
Pene sub ejusdem trigoris axe jacent.
Nec procul a nobis locus est, ubi Taurica dira
Cæde pharetratæ spargitur ara Deæ.
(Ovid., l. IV *Trist., Eleg.* IV, *v.* 325, *et seqq.*)

Ovidio concinit his versibus Juvenalis :

Tale quid excusat Mæotide sævior ara
Ægyptus; quippe illa nefandi Taurica sacri
Inventrix, homines (ut jam quæ carmina tradunt
Digna fide credas) tamen immolat. . . . .
(Juven. *Satyr.*, XV, *v.* 115 *et seqq.*)

Prudentius autem utrique scriptori etiam hoc sermone subscripsit :

Incassum arguere jam Taurica sacra solemus;
Funditur humanus Latiali in munere sanguis.
(Aurel. Prudent., l. I, *contr. Symmach. in spectaculis, etc.*

Lucanus quoque et alii mox citandi, his non absimilia narrant. At Diodorus Siculus hujus dirissimi D moris rationes profert, quas apud eum, si animus tibi est, legere poteris, ac præterea Senecam adire, et Gregorium Nazianzenum (*Diodor. Sicul. lib.* IV *Biblioth. pag.* 173; *Senec. in fin. Octav.; Gregor. Nazianz. Orat.* 39, *in Sac. lumin., pag.* 829).

Sed quantum ibi Minucio favet Diodorus, tantum ab eo dissidere videtur de Busiride. Meram enim contestatur esse fabulam, advenas Busiridis sævitia fuisse mactatos. Audi, quæso, ejus verba : Τῶν ἀνθρώπων δὲ τοὺς ὁμοχρωμάτους τῷ Τυφῶνι, τὸ παλαιὸν, ὑπὸ τῶν βασιλέων φασὶ θύεσθαι πρὸς τῷ τάφῳ τῷ Ὀσίριδος· τῶν μὲν οὖν Αἰγυπτίων ὀλίγους τινὰς εὑρίσκεσθαι πυῤῥοὺς, τῶν δὲ ξένων τοὺς πλείους. διὸ καὶ περὶ τῆς Βουσίριδος ξενοκτονίας παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἐνισχύσαι τὸν μῦθον, οὐ τοῦ βασιλέως ὀνομαζομένου Βουσίριδος, ἀλλὰ τοῦ Ὀσίριδος τάφου ταύτην ἔχοντος τὴν προσηγορίαν, κατὰ τὴν τῶν ἐγχωρίων διάλεκτον. « Homines aiunt ejusdem, quem Typhon habuit, coloris (scilicet rufi) antiquitus ad Osiridis monumentum a regibus mactatos esse. Et pauci sane Ægyptiorum rufi inveniuntur, sed peregrinorum complures. Proinde fabula de Busiridis, advenas obtruncantis, sævitia apud Græcos invaluit, non quod rex aliquis Busiris vocatus sit; sed tumulus Osiridis lingua vernacula id nominis habuit » (*Diodor. Lib.* I, *p.* 53 *et seqq.*). At hoc tamen in libro non prorsus inficiatur, aliquos fuisse Ægyptios reges, Busiridis nomine appellatos. Duorum etenim sic cognominatorum meminit (*Idem, lib.* I, *pag.* 29). Tantum itaque asserere videtur non homines, sed boves ad Osiridis tumulum, B non tamen a Busiride, sacrificatos. Diodoro autem suffragari Strabo videtur his totidemque verbis : Ἡ Βουσειρὶς πόλις ἐν τῇ Βουσειρίτῃ νόμῳ, καὶ κυνὸς πόλις· φησὶ δ' Ἐρατοσθένης κοινὸν μὲν εἶναι πᾶσι τοῖς βαρβάροις ἔθος τὴν ξενηλασίαν· τοὺς δ' Αἰγυπτίους ἐλέγχεσθαι διὰ τῶν περὶ τὸν Βούσειριν μεμυθευμένων ἐν τῷ Βουσειρίτῃ νόμῳ, διαβάλλειν τὴν ἀξενίαν βουλομένων τοῦ τόπου τούτου τῶν ὕστερον· οὐδὲ βασιλέως μὰ Δία, οὐδὲ τυράννου γενομένου τινὸς τοῦ Βουσείριδος. « In Busiritica præfectura est Busiris civitas, et Cynospolis. Auctor est Eratosthenes communem barbaris omnibus consuetudinem esse, ut hospites pellant. Ægyptios vero accusari propter ea, quæ in fabulis de Busiride et Busiritica præfectura dicta sunt, volentibus posteris loci hujus C inhospitalitatem calumniari; cum medius fidius, nullus rex neque fuerit Busiris, nec tyrannus » (*Strab. lib.* XVII *Geograph. pag.* 802 ).

At quamvis hæc illi negaverint; plures tamen Minucius habet adstipulatores, atque imprimis Ovidium, hisce versibus canentem :

Dicitur Ægyptus caruisse juvantibus arva
Imbribus; atque annis sicca fuisse novem.
Cum Thrasius Busiris adit, monstratque piari,
Hospitis effuso sanguine, posse Jovem.

Alibi vero :

Ergo ego fœdantem peregrino templa cruore
Busiridis domui.
(Ovid., l. I, *de Art. amat. v.* 650 et l. IX, *Metam., v.* 293.)

Nec minus perspicue Virgilius dixit :

Quis aut Eurystea purum,
Aut illaudati nescit Busiridis aras.
(Virgil., l. III *Georgic., v.* 4 et 5.)

Quem in locum Servius hæc observat : « Busiris rex fuit Ægypti, qui cum susceptos hospites immolaret, ab Hercule interemptus est, cum etiam eum voluisset occidere. Hujus laudes scripsit Isocrates. » Quamobrem Statius alicubi appellavit :

Immites ... Busiridis aras.

Eusebius vero hæc de Busiride tradidit : « Busiris Neptuni et Libyæ, Epaphi filiæ, ulius, apud vicina Nili loca tyrannidem exercet, transeuntes hospites crudeli scelere interficiens » (*Euseb. Chron. ad an.* 546 ). Cui præter alios suffragatus Augustinus,

Digitized by Google

« Illo, inquit, tempore, scilicet Herculis, vel rex, vel tyrannus Busiris, suis diis suos hospites immolabat, quem filium perhibent fuisse Neptuni ex matre Lybia, filia Epaphi » (*August. lib.* XVIII *de Civit. cap.* 12). Vides sane plures Minucio de illa immani Busiridis feritate tulisse suffragium.

Plurimi quoque nobis suppetunt haud incerti testes, quibus illud etiam confirmetur, quod ipse postea adjecit : « Mercurio Gallos humanas vel inhumanas victimas cædere. » Tantæ enim inhumanitatis sponsor testisque est Cornelius Tacitus, ubi de Gallorum moribus hæc præter alia plura commemorat : « Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus, humanis quoque hostiis litare fas habent. Cæsar vero, cui potissimum notissima erat Gallorum natio, scribit illos gravioribus vexatos morbis, aut in præliis versantes, pro victimis immolasse homines, vel se immolaturos vovisse, atque ad ea sacrificia ministris usos esse Druidibus »(*Tacit. de Morib. German. paulo post init.; Cæs. lib.* I *de Bell. Gall. post init.*). Non ibi tamen explicat cui deo has præberent hostias : sed quia ille ibidem, quemadmodum Strabo, asserit Gallos deum præcipue Mercurium coluisse, nonne cum Minucio nostro dici potest huic in primis deo, atque Heso etiam, ut mox dicetur, factum fuisse crudele illud sacrificium (*Strab., lib.* IV, *Geogr. pag.* 198). Idem procul dubio judicium ferendum est de Diodoro Siculo, Mela, Strabone, Cicerone, et Solino, qui generatim quoque a Gallis homines diis immolatos fuisse testificantur » (*Diod., l.* V *Biblioth., p.* 214 ; *Mela, l.* VI, *ubi de Gallia ; Strabo, lib.* IV *Geogr., pag.* 195 ; *Cic. Orat. pro M. Fonte, p.* 222 ; *Solin. cap.* 21, *p.* 41 ). Denique Lucanus de iis, et Diana Taurica, de qua nos paulo antea egimus, hæc cecinit (*Luc. l.* I *Phars. v.* 444 *sqq.*):

> Et quibus immitis placatur sanguine diro
> Teutates, horrensque feris altaribus Hesus,
> Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Lucano autem Lactantius adstipulatur. At testatum præterea Suetonius facit impiam illam detestandamque immolationem ab Augusto imperatore interdictam, a Claudio deinceps abrogatam fuisse : « Druidarum, ait ille, religionem apud Gallos diræ immanitatis, et tantum civibus sub Augusto interdictam, penitus abolevit » (*Lactant. lib.* I, *Divin. Institut. cap.* 21, *pag.* 112; *Sueton. lib.* V, § 25).

Non minus procul dubio crudele erat memoratum deinde a Minucio nostro Romanorum sacrificium, quo Græcum et Græcam, Gallam et Gallum vivos in foro Boario sub terra defodiebant. A Livio autem hæc de illo inhumano prorsus sacrificio litteris mandata accepimus : « Ex fatalibus libris sacrificia aliquot extraordinaria facta, inter quæ Gallus et Galla, Græcus et Græca in foro Boario sub terra vivi demissi sunt, in locum saxo conseptum, ubi ante hostiis humanis maxime Romano sacro imbutum » (Livius *Decad.* III, lib. II, pag. 195). Eadem narrat Plutarchus, hisque tamen addidit sacra illa facta mense novembri. Plinius vero aperte declarat ea ad suam usque ætatem perseverasse (Plutarch., tom. I, in *Vita Marcelli.*, pag. 299, et tom. II, *Quæst. Rom.*, pag. 283; Plin., lib. XXVIII *Histor. Nat.*, cap. 1, pag. 537 ).

Quin enim *Jupiter Latiaris*, uti auctor noster prosequitur, ab iisdem Romanis *homicidio* celebratur ; vel ut antea scripsit : Jupiter, cum Latiaris, cruore perfunditur. » Et certe Tatianus asseverat se hujus horrendi, et alterius Dianæ facti sacrificii testem fuisse oculatum : « Hæc, inquit, cum viderem..... apud Romanos Latiarem Jovem humano cruore et sanguine, per homicidia fuso, placari, Dianam vero non procul Megalopoli similibus gaudere » (Tatian. *Orat. contr. Græc.*, pag. 165 ). Quapropter Theophilus Antiochenus ethnicis jure prorsus merito exprobrabat lasciviam Matris Deum, et crudelitatem « Jovis Latiaris sitientis, διψῶντος, humanum sanguinem » (Theoph., lib. III *ad Autolyc.*, pag. 122). Tertullianus vero non solum in suo *Apologetico*, sicuti annotatum est, hæc aperte confirmat, sed alio adhuc in libro his repetit verbis : « Scytharum Dianam, aut Gallorum Mercurium, aut Afrorum Saturnum hominum victima placari apud sæculum licuit : et Latio ad hodiernum Jovi media in Urbe humanus sanguis ingustatur » (Tertull. *Scorpiac.*, cap. 7, pag. 624). Suo igitur tempore mos ille horribilis perseverabat, et adhuc postea duravit. Nam Lactantius similiter quoque scribit : « Nec Latini quidem hujus immanitatis expertes fuerunt. Siquidem Latiaris Jupiter etiam nunc sanguine colitur humano » ( Lact., lib I, cap. 21, pag. 113 ). Tot autem, tamque certis testibus fidem quis abrogare audebit? An autem diu postea tam immane sacrificium factum fuerit, haud ita compertum. Certe quidem id Athanasius non credidit, quippe qui de illo hunc loquatur in modum : Καὶ οἱ πάλαι δὲ Ῥωμαῖοι τὸν καλούμενον Λατιάριον Δία ἀνθρωποθυσίαις ἐθρησκευον : « Prisci item Romani Latiarem, ut vocant, Jovem humanis hostiis colebant » (Athanas. *Orar. contr. Græc.*, § 25, pag. 23).

De hoc porro detestabili hominum diis mactandorum ritu et more alibi disputavimus. Præter scriptores autem a nobis ibi citatos, legere adhuc poteris Philonem Judæum, Cornelium Tacitum, Plinium, Suetonium, Porphyrium, Eusebium, Cyrillum Alexandrinum, quibus addi possunt Tertullianus atque Lactantius : sed de his nos suo loco (Tom. I Apparat., lib. III, *disser.* 1, cap. 9, art. 2, pag, 757; Philip., lib. *de vict. Offer.*, pag. 853 ; Tacit., lib. XIV *Annal*, circ. med.; Plin., lib. XXX *Natur. Hist.*, cap. 1, pag. 728; Sueton. *Vita. Claud.*, § 25; Porphyr., lib. XII *de Abstinent. animal.*, pag. 223; Euseb. *Orat. de Laud. Constant.*, pag. 646 ; Cyril. Alex., lib. IV *contr. Julian.*, pag. 128; Dissert. in Lactant., cap. 34, art. 1, et in Tertull. cap. 20, art. 2 et seqq.).

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

*De aliis sceleribus ex illo fero mactandorum hominum more profectis, nimirum Catilinæ humano sanguine conjuratione, sacris Bellonæ hominum cruore imbutis quæsita illius haustu morbo comitiali medicina, ac belluis eo saginatis ab hominibus in arena devoratis.*

Suspicatur Minucius ex hactenus explicato hominum fictitiis diis sacrificandorum more, tamquam corruptissimo fonte, scaturivisse horrenda tria facinora : sceleratam videlicet Catilinæ fœdere humani sanguinis conjurationem ; sacra Bellonæ haustu humani cruoris imbuta ; eodemque hominum sanguine quæsitam comitiali morbo medicinam. Visne eum loquentem audire? « Ipsum, inquit, credo docuisse sanguinis fœdere conjurare Catilinam et Bellonam sacrum suum haustu humani erroris imbuere et Comitialem morbum homines sanguine, id est morbo graviore sanare. » Jam vero audisti citata a nobis Tertulliani verba, quibus eadem antea scriptis tradiderat.

Non eodem tamen omnes modo narrant factam a Catilina conjurationem. De illa enimvero Sallustius hæc posteris mandavit : « Fuere ea tempestate, qui dicerent Catilinam oratione habita, cum ad jusjurandum populares sceleris sui adigeret, humani cruoris sanguinem vino permixtum in patera circumtulisse. Inde cum post execrationem omnes degustassent, sicut in solemnibus sacris fieri consuevit, dicitur aperuisse consilium suum » (Sallust. *de Conjur. Catilin.* cap. 8). Narrat itaque hanc non omnium, sed quorumdam dumtaxat fuisse opinionem, de qua nihil ipse certo pronuntiat. Florus vero rem ita se habuisse haud dubitanter affirmavit (Florus lib. IV *de Gestis Rom.*, cap. 1).

At Dio Cassius illud aliter factum esse his testificatur verbis : οἷς ἀθεμίτων ὁρκωμοσίων ἀνάγκην προσῆγαγε, παῖδα γάρ τινα καταθύσας, καὶ ἐπὶ τῶν σπλάγχνων αὐτοῦ τὰ ὅρκια ποιήσας, ἔπειτα ἐσπλάγχνευσεν αὐτὰ μετὰ τῶν ἄλλων. « Illos ut se nefando jurejurando adstringerent, adegit. Puerum enim quemdam mactavit, juramentoque inito super ejus visceribus, ea deinde ipse cum aliis comedit » (Dio Cass., lib. XXXVII *Hist. Rom.*, pag. 48 et seqq.). Plutarchus autem tradidit eos mactati hominis gustasse carnes (Plutarch. *in Vit. Cic.*, pag. 866). At minoris forsitan ponderis quibusdam haud dubie videbitur horum posteriorum, utpote Græcorum, quam priorum auctoritas. Non immerito igitur jure his latinis scriptoribus auctor noster Tertullianusque suffragantur (Tertull., *Apolog.*, cap. 9, pag. 10).

De Bellonæ autem sacris, ac festis, in illius honorem celebrari solitis, hæc sunt Lactantii verba, quibus sanguinolentum hominum sacrificium describit : « Sacra alia virtutis, quam eamdem Bellonam vocant, in quibus ipsi sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant. Sectis namque humeris, et utraque manu gladios exserentes, currunt, efferuntur, insaniunt » (Lactant., lib. I, cap. 21, pag. 116). Lampridius autem de Commodo Imperatore : « Bellonæ, » inquit, « servientes vere exsecare brachium præcepit studio crudelitatis » (Lamprid. *in Commod.*, pag. 49). Quapropter Lucanus canebat :

. . . . Quos sectis Bellona lacertis
Sacra movet.
(Lucan., l. I *Pharsal.*, post med.)

Rursum vero alio in libro :

. . . . . Quacumque vagatur
Sanguineum veluti quatiens Bellona flagellum.
(Idem, l. VII, post medi.)

Videsis in hæc Lucani carmina Montfortii, et in Lampridium Casauboni observationes, ac Cæcilii scholia, in illa Juvenalis carmina :

. . . . Ecce furentis
Bellonæ, Matrisque deum chorus intrat.
(Juvenal., *Satyr.* VI, circa med.)

Animadvertisti sane a quibusdam traditum in his mysteriis sectos humeros, ab aliis lacertos, ab aliis brachium. Eas autem omnes corporis partes Seneca semel simulque his memorat verbis : « Cum aliquis secandi lacertos suos artifex, brachia atque humeros suspensa manu cruentat » (Senec. *lib. de Vita. beat.*, cap. 27). At eum ibi ad Bellonæ sacra alludere quis non videat?

Cur ergo Tertullianus, inquiet aliquis, solius femoris proscissi mentionem fecit? « Hodie istic, » ait, « Bellonæ sacratos (mss. sacratus) sanguis de femore proscisso in palmulam exceptus, esui datus signat » (Tertull. *Apolog.*, cap. 9, pag. 10). Quidni illi solum femur, quemadmodum aliis solos humeros vel lacertos memorare fas fuit? Non enim ille, neque alii membra omnia, quæ in Bellonæ sacris secabantur, dinumeranda esse arbitrati sunt. Sed de his mysteriis et illo Tertulliani loco infra adhuc aliquid dicendum (Infr., cap. 20, art. 3).

At observes velim Minucium nostrum non dixisse quidem in his sacris elicitum ex mystarum membris sanguinem, sed hæc sacra haustu humani cruoris imbuta. At sane hoc secundum ab illo dumtaxat denotatur, quia gravius erat, nec mystæ sanguinem humanum bibebant, nisi prius ex eorum membris eductus fuisset. Tertullianum vero mox audisti, qui sanguinis tunc et eliciti et epoti mentionem fecisse videtur. Sed de illo postea agemus (Dissert. in Tertullian., cap. 20, art. 4).

Demum auctor noster eos jure corripit, qui comitiali morbo laborantes, gladiatorum, in arena vulneratorum, sanguinem, quo sanari posse opinabantur, avide bibebant. Nam Plinius ipse, tametsi ethnicus, in illos non minus acriter invehitur : « Sanguinem gladiatorum, » inquit, « bibunt, ut viventibus poculis comitiales morbi, quod spectare facientes in eadem arena feras quoque horror est. At Hercule illi ex homine ipso sorbere efficacissimum putant calidum spirantemque, et una ipsam animam ex osculo vulnerum, cum plagis ne ferarum quidem admoveri ora fas sit humana... Quasi vero sanitas videri possit, feram ex homine fieri, morboque dignum in ipsa me-

Digitized by Google

dicina, egregia hercule frustratione, si non prosit. Adspici humana exta nefas habetur, quid mandi? Quis ista invenit ostenta? Tecum enim res erit, eversor juris humani monstrorumque artifex, qui primus ea condidisti, credo, ne vita tui oblivisceretur. Quis invenit singula membra humana mandere? Qua conjectura inductus? Quam potest medicina ista originem habuisse? Quis veneficia innocentiora effecit, quam remedia? Esto barbari externique ritus invenerint, etiamne Græci suas fecere has artes?» (Plin., lib. xxviii *Hist. Natur.*, cap. 1, pag. 54.) Celsum præterea adire poteris, ac jam citatum a nobis Tertullianum, et alios (Cels. lib. iii, cap. 23, *de comit. Morb.*; Tertullian. *Apologet.*, cap. 9 pag. 10).

Denique feras cruore, visceribus, membrisque saginatas hominum, ab hominibus aliis, in circo cum eis dimicantibus, fuisse devoratas discere quivis facile poterit ex Apuleio, jamque citato Tertulliano, quemadmodum in sequenti de ejus libris dissertatione ostendemus (Apulei. lib. iv *Metamorph.* ante med., pag. 58, et seqq.; Dissertat. in Tertullian., cap. 20, art. 4 et 5).

## CAPUT X.

### DE TERTIO CRIMINE, SCILICET INFAMI POST EPULAS STUPRO, ADULTERIO, ET INCESTU, CUJUS CHRISTIANI REI DICEBANTUR.

#### ARTICULUS PRIMUS.

*Quantum Christiani ab hoc scelere abhorrerent, quam castum fuerit eorum conjugium, quamque multi perpetua in virginitate perseverarint.*

Ethnici per alteram calumniam, priore non minus impudentem, Christianos petebant, illos infamis post epulas et convivium stupri, adulterii et incestus accusantes. Cæcilius vero illam animo nec magis æquo, nec minus acri, quam superiorem adhibuit. Quamquam enim fictum plane ac commentitium fuerit hoc crimen, duplici tamen argumento illud probare nititur. Et primum quidem duxit ex Frontonis testimonio et auctoritate; alterum ex eo, quod « honesta, » sicut ille aiebat, « semper publico gaudeant: » contra autem Christiani magno semper studio mysteria sua occultarent.

At Octavius totam hanc et calumniam, et argumentationem duplici etiam responsione obterit et contundit. Audacter enim palamque contestatur solitis dæmonum mendaciis confictum fuisse hoc Christianorum scelus, et a nemine umquam probatum. Secundo ipsosmet Gentiles hujus ipsius detestandi flagitii, Christianis perperam objecti, reapse convincit.

Asseveranter itaque pronuntiat : « Grandem esse fabulam quum adversum nos dæmonum coitio duplicem ob rationem mentita est : primo ut gloriam pudicitiæ deformis infamiæ aversione macularet. » Sed plures corruptum nomen *aversione*, atque alii legendum suspicantur *aspersione*, alii *accessione*. Quis autem inconsulto alterò emendatiori codice, certi aliquid statuere audeat? Quid enim si Minucius nomen illud *aversione*, seu *adversione* acceperit eo sensu quo a solis Jurisconsultis usurpatur pro repulsione in alterum, aut re non bene perspecta nec explorata? Causidici autem Minucii nostri hic sensus erit : Dæmones hanc excogitavere fabulam, ut, deformi infamia in Christianos rejecta, aut, ab ethnicis nec perspecta nec examinata, gloriam christianæ pudicitiæ macularent. Utrum vero scopum attigerimus, aliorum esto judicium. Posterior porro auctoris nostri ratio, qua prior confirmari videtur, hæc est : Ut ante exploratam veritatem homines a nobis atque a suspicienda religione christiana terrore infandæ opinionis dæmones averterent. »

Interpositam deinde Frontonis auctoritatem Octavius facillime infirmat : « Tuus, » siquidem, quemadmodum ille prosequitur, « Fronto, non ut affirmator, testimonium fecit, sed convicium, ut orator aspersit. » Quis autem non videt hoc nomine, *tuus*, perspicue declarari Frontonem de quo supra diximus, oratorem fuisse ethnicum, cujus proinde testimonium contra Christianos nullius momenti esse poterat?

Verum, ut id clarius pateat, Octavius impudentem illam Gentilium calumniam, singularemque innocentiam Christianorum patefacit ex sobriis illorum conviviis, summaque potissimum castitate, quam ille tam vere quam simpliciter hunc exponit in modum : « Nos pudorem, non facie, sed mente præstamus. Unius matrimonii vinculo libenter inhæremus; cupiditatem procreandi aut unam scimus, aut nullam. » Minucii itaque tempore ea erat, semperque, ex Christi præcepto, esse debuit conjugum christianorum castimonia. At, majoris perfectionis studio, plures nullo umquam matrimonii vinculo colligati, in perpetua virginitate permanebant. Verum præstat rursus auctorem nostrum de illa loquentem audire : « Plerique inviolati, » ait, « corporis virginitate perpetua fruuntur, potius quam gloriantur. Tantum itaque abest incesti cupido, ut nonnullis rubori sit etiam pudica conjunctio. » Ibi vero his verbis, « Fruuntur potius, quam gloriantur, » ethnicos obiter perstringit, apud quos Vestales, et Matris deum sacerdotes de virginitate sua magis gloriabantur, quam revera fruerentur. Sed de his infra.

Tertullianus etiam ad eamdem falsissimam ethnicorum criminationem similiter respondet : « Nos ab isto eventu diligentissima et fidelissima castitas sepsit; quantumque ab stupris et ab omni post matrimonium excessu, tantum et ab incesti casu tuti sumus. Quidam multo securiores totam vim hujus erroris virgine continentia depellunt, senes pueri (*Tert. Apologet.*, cap. 9, pag. 10). » Senes pueros ibi vocat qui ad senectutis usque tempus, puerilem virginitatem servaverunt. Antea vero Justinus martyr illud his verbis declaraverat : Καὶ πολλοί τινες καὶ πολλαὶ ἑξηκοντοῦται, καὶ ἑβδομηκοντοῦται, οἳ ἐκ παιδίων ἐμαθητεύθησαν τῷ Χριστῷ, ἄρρητα διαμένουσι καὶ ἀχράντως κατὰ

πᾶν γένος ἀνθρώπων τοιούτους δεῖξαι. « Permulti profecto A sexus utriusque et sexaginta et septuaginta annos nati, qui a pueris disciplinam Christi sunt assectati, incorrupti et cælibes perseverant. Et glorior me per omne genus hominum tales commonstrare posse » (*Justin. martyr. Apolog.* 1, pag. 62). De his porro non solum virginibus, sed conjugibus etiam christianis eadem ille postea, atque Tertullianus nosterque Minucius, tradidit Christianos vel liberorum dumtaxat creandorum atque educandorum gratia conjunctos connubio, vel, eo recusato, in continentiæ perpetuæ mansisse statu. Pari quoque modo eademque publica testificatione Athenagoras iniquam gentilium accusationem propulsat : Γυναῖκα μὲν ἕκαστος ἡμῶν, ἣν ἠγάγετο κατὰ τοὺς ὑφ' ἡμῶν τεθειμένους νόμους, νομίζων, καὶ ταύτην μέχρι τοῦ παιδοποιήσασθαι. ὡς γὰρ B ὁ γεωργὸς καταβάλλων εἰς γῆν τὰ σπέρματα, ἄμητον περιμένει οὐκ ἐπισπείρων· καὶ ἡμῖν μέτρον ἐπιθυμίας ἡ παιδοποιΐα. εὕροις δὲ ἂν πολλοὺς τῶν παρ' ἡμῖν καὶ ἄνδρας, καὶ γυναῖκας, καταγηράσκοντας ἀγάμους, ἐλπίδι τοῦ μᾶλλον συνέσεσθαι τῷ Θεῷ : « Itaque uxorem, quam secundum approbatas nobis leges sibi quisque duxerit, reputat non in alium quam in procreandæ sobolis finem. Quemadmodum enim agricola, postquam semina terræ mandavit, messis tempus exspectat nec alia superinjicit, sic nobis etiam concupiscentiæ modus liberorum procreatione definitur. Invenias autem multos ex nostris in utroque sexu qui in cælibatu consenescant, quod in hoc statu Deo conjunctiores se futuros cognoscant » (*Athenag. Legat. pro Christian.*, pag. 36 et *seq*).

Denique, ut alios omittamus, Origenes certe, frivolas Celsi cavillationes confutando, palam utique facit viros ac mulieres, post datum christianæ religioni nomen, tanto fuisse castiores, quanto antea impuri impudicique fuerant : ἐξ οὗ δὲ παρειλήφασι τὸν λόγον, τινὰ τρόπον γεγόνασιν ἐπιεικέστεροι, καὶ σεμνότεροι, καὶ εὐσταθέστεροι, ὥς τινας αὐτῶν διὰ τὸν ἔρωτα ὑπερβαλλούσης καθαρότητος, καὶ διὰ τὸ καθαρώτερον θρησκεύειν τὸ θεῖον, μηδὲ τῶν συγκεχωρημένων ὑπὸ τοῦ νόμου ἅπτεσθαι ἀφροδισίων : « Ex quo autem tempore verbum receperunt, tanto æquiores sunt redditi, graviores, constantiores ; adeo ut quidam ex ipsis, amore eximiæ puritatis et quo castiores ad Dei cultum accederent, ne concessa quidem et legitima utantur Venere » (*Orig.*, lib. I, *cont. Cels.*, pag. 21). Alio autem in libro, D postquam ostendit gentiles philosophos sese in quolibet impuritatis, lasciviæ et turpitudinis luto volutasse, hæc de Christianis subjungit : Οἱ δὲ ὑπ' αὐτῶν ἐπὶ ἰδιωτίᾳ ἐξουθενούμενοι, καὶ μωροὶ, καὶ ἀνδράποδα εἶναι λεγόμενοι, κἂν μόνον πιστεύωσιν ἑαυτοὺς τῷ Θεῷ, παραδεξάμενοι τὴν τοῦ Ἰησοῦ διδασκαλίαν, τοσοῦτον ἀποδείκνυσιν ἀσελγείας, καὶ ἀκαθαρσίας, καὶ πάσης τῆς ἐν συνουσίαις ἀσχημοσύνης, ὡς καὶ τρόπον τελείων ἱερέων πᾶσαν συνουσίαν ἀποστραφέντων, πολλοὺς αὐτῶν παντελῶς καθαρεύειν, οὐ μόνον ἀπὸ πάσης μίξεως .... ἐν δὲ Χριστιανοῖς, οὐ διὰ τὰς παρὰ ἀνθρώποις τιμὰς, οὐ διὰ μισθοὺς καὶ ἀργύρια, οὐδὲ διὰ δοξάριον, ἀσκεῖται τὴν παντελῆ παρθενίαν, καὶ ὡς ἐδιδάχθησαν τὸν Θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει, τηροῦνται ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ἐν δοκίμῳ νῷ, καὶ τῷ ποιεῖν τὰ καθήκοντα, πληρούμενοι πάσης δικαιοσύνης, καὶ ἀγαθότητος : « Cæterum, homines idiotæ, ab eis pro nihilo habiti, ac stulti et illiberales, si modo committant se in fidem Dei et doctrinam Jesu recipiant, tantum absunt ab omni lascivia, spurcitia, turpitudine libidinum, ut in morem perfectorum sacerdotum, ab omni coitu abhorrentium, multi eorum in totum caste pureque vivant, alieni a congressu mulierum etiam legitimo.... Apud Christianos, non propter humanos honores, non propter mercedes pecuniarias, non propter gloriolas viget virginitatis studium ; et quamprimum approbaverunt Deum habere in notitia, conservantur a Deo in hac mente laudabili et pietatis officiis, pleni omni bonitate ac justitia » (*Idem*, lib. VII, p. 364, et *seqq.*). Ibi Christianos in castitate aut perpetua virginitate viventes, opponit Atheniensium pontifici, qui ad solemnes cærimonias caste obeundas cicuta utebatur, ac quibusdam ethnicis, sed paucissimis, virginibus, quæ, religionis atque honoris aut mercedis gratia, sicut ille pontifex, in virginitate videbantur permanere. Nos autem in aliis dissertationibus disputavimus (*Tom.* I *Apparat.* lib. III, *Dissert.* I, cap. 5, art. 3, pag. 708 ; *Ibid.*, *Dissert.* II, cap. 10, art. 4, pag. 1021) de servata a plurimis Christianis per totum vitæ suæ curriculum continentia ac virginitate, et apud cæteros omnes castissimo matrimonii usu. At de utraque illa Christianorum virtute infra adhuc aliquid dicendum erit (*Dissert. in Lactant.*, cap. 27, art. 5 et 6).

Porro autem, cum dixit auctor noster, « unius matrimonii vinculo libenter inhæremus, » ne in tuum, quæso, animum inducas, secundum matrimonium ab eo improbari : nam ideo addidit *libenter*, ut eo significaret posse quidem christianum hominem secundam ducere uxorem, sed id ex indulgentia illi ab Apostolo concedi. Vide, si lubeat, quæ eam in rem alibi animadvertimus (*Tom.* I *Apparat. loc. cit.*, p. 2015 et *seqq.*).

### ARTICULUS II.

*Quomodo Minucius Cæcilii argumentum contra ethnicos retorqueat, ac eos cum matribus et sororibus connubium inire, atque illorum deos stupro, adulterio et incestu coinquinatos ex ipsorum memoriis demonstret.*

Satis Minucio nostro non fuit calumniam repulisse ethnicorum ac Christianorum patefecisse innocentiam : pergit enim ac validissimis rationum momentis demonstrat ipsosmet Gentiles stupri, adulterii et incestus, de quo Christianos invidiose criminabantur, vere esse conscios. Jus siquidem « est apud Persas, » quemadmodum ille ait, « misceri cum matribus ; Ægyptiis et Atheniensibus cum sororibus legitima connubia. » De Persis autem, præter Tertullianum (*Apologet.*, cap. 9, pag. 11), Tatianus scribit Græcis abominandum videri filios cum matribus suis conjungi, sed illud apud magos Persarum esse in primis laudabile (*Tatian. Orat. contr. Græc.*, pag. 164). Origenes vero asseverat multas esse leges quibus Persæ

Digitized by Google

non arcentur, « nec matres a filiorum, nec patres a filiarum connubio : » Μὴ κωλύοντες γαμεῖσθαι τοῖς παισὶ μητέρας, μηδὲ ὑπὸ τῶν πατέρων τὰς ἑαυτῶν θυγατέρας (*Orig.* lib. v, *contr. Cels.*, pag. 248). Quantum porro id quod aliis hominibus plane exsecrandum videtur, laudabile probatumque Persis fuerit, disces ex his Philonis Judæi verbis : Μητέρας οἱ ἐν τέλει Περσῶν τὰς αὐτῶν ἄγονται, καὶ τοὺς φύντας ἐκ τούτων εὐγενεστάτους νομίζουσιν, καὶ βασιλείας τὰς μεγίστης, ὡς λόγος, ἀξίους : « Honoratiores Persæ cum matribus contrahunt matrimonia, et natos inde arbitrantur nobilissimos, regioque, ut ferunt, dignantur solio » (*Philo. lib. de special. Leg.*, pag. 778).

Ad hæc vero nobis post Eusebium (*Euseb. lib.* I, *Præpar. Evang.*, cap. 4, pag. 11) testis est Theodoretus, hanc impiissimam legem a Zarada latam esse, quæ, post receptam ab iisdem Persis christianam fidem, protinus abrogata est : Κατὰ τοὺς Ζαράδου πάλαι Πέρσαι πολιτευόμενοι νόμους, καὶ μητράσι, καὶ ἀδελφαῖς, καὶ θυγατράσι μιγνύμενοι, καὶ νόμον ἔννομον τὸν παρανομίαν νομίζοντες, ἐπειδὴ τῆς τῶν ἀλιτέων νομοθεσίας ὑπήκουσαν, τοὺς μὲν Ζαράδου νόμους ὡς ἐπάτησαν παρανομίαν, τὴν δὲ εὐαγγελικὴν σωφροσύνην ἠγάπησαν : « Persæ, » inquit ille, « qui ex Zaradæ olim legibus viventes, et matribus et sororibus et filiabus quoque suis miscebantur, et rem injustissimam justæ legis loco habebant, postquam piscatorum leges audierunt, Zaradæ leges ut nefarias proculcarunt, et evangelicam continentiam amplexi sunt » (*Theodoret.*, tom. IV, serm. IX *de Legib.*, pag. 614). Jam vero de hac nefanda Persarum lege et consuetudine disseruimus (Tom. I *Apparat. lib.* III, *dissert.* II, cap. 24. art. 1, pag. 1239 et *seqq*).

Ad Ægyptios Atheniensesque si veniamus, Philo Judæus utrorumque conjugium pessimum esse pronuntiat : « Præcipitur ne sororem quidem esse ducendam ; honestum sane præceptum et aptum continentiæ, quamvis Atheniensibus Ὁ μὲν Σόλων ὁμοπατρίους ἐφιεὶς ἄγεσθαι, τὰς ὁμομητρίους ἐκώλυσεν· ὁ δὲ Λακεδαιμονίων νομοθέτης ἔμπαλιν, τὸν ἐπὶ ταῖς ὁμογαστρίοις γάμον ἐπιτρέψας, τὸν πρὸς τὰς ὁμοπατρίους ἀπεῖπεν· ὁ δὲ τῶν Αἰγυπτίων χλευάζων τὴν ἑκατέρων εὐλάβειαν, ὡς ἠρίεργα διατεττομένων, εὐφόρησεν εἰς ἀσέλγειαν ἐπιδαψιλευόμενος δυσθεράπευτον κακὸν σώμασι καὶ ψυχαῖς, ἀκρασίαν, καὶ παρασχὼν ὕδειαν ἁπάσας ἀδελφὰς ἄγεσθαι, τάς τε ἰδίας τοῦ ἑτέρου τῶν γονέων τοῦδε ἢ τοῦδε, καὶ τὰς ἐξ ἀμφοῖν, καὶ τὰς οὐ νεωτέρας μόνον, ἀλλὰ καὶ πρεσβυτέρας, καὶ ἰσηλίκας, καὶ δίδυμοι γὰρ πολλάκις ἐγενήθησαν, οὓς ἡ μὲν φύσις ἅμα τῇ γενέσει διέρρηξε, καὶ διέζευξεν. ἡ δὲ ἀκολασία καὶ φιληδονία εἰς κοινωνίαν ἐκάλεσεν ἀκοινώνητον, καὶ ἁρμονίαν ἀνάρμοστον. « Solon hoc observat in uterinis tantum germanis, eodem patre prognatis relinquit liberum. Contra Lacedæmoniorum legislator uterinis non interdicit connubio, sed solis eodem patre genitis. At Ægyptius, ridens utriusque simplicitatem et semiperfecta placita, laxavit libidinem, et auxit in corporibus animisque insanabile malum intemperantiæ, permissa licentia ducendi sorores, sive per alterutrum parentem sive per utrumque cognatas, majores pariter et minores, æqualesve, ne gemellis quidem exceptis, quas natura ipso natali sejunctis ; intemperantia vero societate copulavit insociabili, et male comparata junctura » (*Philo, loc. cit. p.* 779 *et seqq.*).

Diodorus vero Siculus prius dixerat Ægyptiis permissum legibus sororum cum fratribus conjugium, quandoquidem hoc Isidi feliciter cesserat : γαμεῖν ἀδελφὰς διὰ τὸ γεγονὸς ἐν τούτοις τῆς Ἴσιδος ἐπίτευγμα ( Diodor. Sicul., lib. I *Biblioth.*, pag. 16).

Ejusdem iniquissimæ legis meminit Pausanias, ubi de Ptolemæo sermonem sic habet : Οὗτος δὲ Πτολεμαῖος Ἀρσινόης ἀδελφῆς ἀμφοτέρωθεν ἐρασθείς, ἔγημε αὐτήν, Μακεδόσιν οὐδαμῶς ποιῶν νομιζόμενα, Αἰγυπτίοις μέντοι, ὧν ἦρχε : « Ptolemæus Arsinoes, germanæ sororis amore ductus, eam sibi matrimonio adjunxit, atque id sane, non ex Macedonum, sed Ægyptiorum, quibus imperabat, lege fecit » ( Pausan., lib. I, pag. 6). Æmilius quoque Probus, sive auctor libelli *de Viris illustribus*, ad Atticum, eadem de Cimonis apud Athenienses cum Elpenia sorore sua conjugio narrasse legitur. Plutarchus tamen eam ab illo ductam fuisse dicit quia parem generis sui dignitate sponsam non invenerat ( Plutarch., tom. I, in *Vit. Cimon.*, pag. 481). Athenæus vero id contra leges factum esse asserit (Athenæ., lib. XIII, *Deipnos.* pag. 589). At satis hactenus a nobis probatum putamus, quod auctor noster de his cum Atheniensium tum Ægyptiorum scelestis nefariisque conjugiis tradidit.

Instat tamen ille acrius, et sic adversus Cæcilium ethnicosque disputat : « Memoriæ et tragœdiæ vestræ incestis gloriantur, quas vos libenter et legitis et auditis. Sic et deos colitis incestos. » Memoriarum autem nomine supra usus fuerat : « Specta de libris memorias. » Et hoc quidem verbum ab A. Gellio sæpius usurpatum est. Alicubi enim : « In libris, » inquit, « memoriarum scriptum est » (A. Gell. lib. V *Noc. Attic.*, cap. 5). Alibi vero simplicius : « In veteribus memoriis scriptum leginus » ( Lib. IV, cap. 6). Memoriæ itaque idem sonant ac scripta, commentaria et ea quæ litteris ad rerum memoriam mandata fuerant. Quo etiam sensu Tertullianus dixit : « Inter cætera memoriarum » (Tertull. *Apolog.*, cap. 18) ; et paulo post, « canas memoriarum » (cap. 19, pag. 19). Alibi vero : « Secundum memorias populus Judæorum, id est antiquior, derelicto Deo, idolis servivit » (Lib. *advers. Judæos*, cap. I, pag. 205). Cæcilio igitur recte Octavius exprobrat lectas auditasque lubenti animo a gentilibus Memorias, hoc est scripta et libros seu historiarum seu poetarum quibus scripto, ac tragœdias queis voce et gestu, incestus deorum suorum repræsentabantur. Nemo enim est qui nesciat in comœdiis tragœdiisque poetarum tam Græcorum quam Latinorum, et aliorum ethnicorum historiis, stupra, adulteria atque incestus deorum non minus frequenter quam impudenter decantari. Vide autem, si vacat et lubet, quid de hisce comœdiis ac tragœdiis dixerint Lactantius (Lactant. lib. VI, *Institut.*, cap 20, pag. 519 ; et in *Epitom.* c. 63), Cyprianus (Cyprian. *Epist. ad Do-*

Digitized by Google

*nat.*, pag. 5), Augustinus (Augustin. lib. II *de Civit.* cap. 8 et seqq.) et alii. Sed, nos plura de illis in hac et sequentibus dissertationibus nostris.

Alio tandem modo Octavius ethnicos incesti idcirco arguit quod liberi recens nati, uti jam dixerat et a nobis prius observatum est (Cap. supr. art. 3), sæpe sæpius a parentibus suis exponerentur. Haud raro enim accidebat ut nequissimi libidinosissimique illi parentes, cum filiis natu grandioribus aut filiabus ad servitutem redactis vel meretriciam vitam agentibus, nefario incestu, aut nescientes aut se nescire dissimulantes, polluerentur. Quapropter Clemens Alexandrinus : Παιδὶ πορνεύσαντι, καὶ μαχλώσαις θυγατράσιν ἀγνοήσαντες πολλάκις μίγνυνται πατέρες, οὐ μεμνημένοι τῶν ἐκτιθέντων παιδίων, καὶ ἄνδρας δείκνυσι τοὺς γεγενημένους ἀκρασίας ἐξουσία· ταῦτα οἱ σοφοὶ τῶν νόμων ἐπιτρέπουσι : « Cum meritorio, inquit, filio et meretricibus filiabus sæpe patres coeunt. Expositorum filiorum immemores, et viros fieri eos qui genuerunt efficit nimia libidinis licentia. Hæc sapientes leges permittunt » (Clem. Alex. lib. III *Pædag.*, cap. 3, pag. 226 ). Ita ille Gentiles et immanem illorum in exponendis filiis feritatem ac crudelitatem acri irrisione insectatur. Nec immerito quidem incestus inde frequenter fieri conqueritur. Verumtamen Minucii nostri contra illos argumentum expressius fusiusque Tertullianus (Tertullian. *Apologet.* cap. 9), Lactantiusque (Lactant. lib. VI, cap. 20, pag, 618 et seqq.) prosequuntur; ad quos te, ne longiores simus, mittendum duximus, donec novam de illorum libris instituamus disputationem.

## CAPUT XI.

### DE ABSURDO CULTU QUEM ASININO CAPITI ET SACERDOTIS VIRILIBUS CHRISTIANOS EXHIBUISSE CÆCILIUS FALSISSIME OBJICIT.

#### ARTICULUS PRIMUS.

*Quam falsa sit hæc accusatio, et utrum Judæi vel Gnostici occasionem illi dederint, ac primi omnium caput asini revera adoraverint.*

Aliud ethnici tam absurde confictum quam impium crimen Christianis inferebant, quod Cæcilius his verbis Octavio objeciat : « Audio eos turpissimæ pecudis caput asini consecratum nescio qua persuasione venerari. » Tertullianus vero hanc ridiculam accusationem clarius explicat, illiusque occasionem et causam his patefecit verbis : « Somniastis, » ita ille Gentiles alloquitur, « caput asininum esse deum nostrum. Hanc Cornelius Tacitus suspicionem hujusmodi inseruit. Is enim in quinta *Historiarum* suarum, bellum Judaicum exorsus ab origine gentis, etiam de ipsa tam origine quam de nomine et religione gentis, quæ voluit argumentatus, Judæos refert Ægypto expeditos sive, ut putavit, extorres, vastis Arabiæ in locis, aquarum egentissimis, cum siti macerarentur, onagris, qui forte de pastu potum petituri æstimabantur, indicibus fontis usos, ob eam gratiam consimilis bestiæ superficiem consecrasse. Atque ita inde præsumptum opinor nos quoque, ut Judaicæ religionis propinquos, eidem simulacro initiari » (Tertul. *Apologet.* cap. 16, pag. 17 ). Et hoc quidem ille alio in libro repetit (Idem, lib. I *ad Nation.*, cap. 11, pag. 57 et seqq.). Quam merito autem Tertullianus absurdam hancce calumniam in Cornelium Tacitum refundendam esse dixerit, ex his ejusdem Taciti in citato quinto *Historiarum* libro verbis conjice : « Sed nihil æque Judæos, quam inopia aquæ fatigabant. Jamque, haud procul exitio, totis campis procubuerant, cum grex asinorum agrestium e pastu in rupem nemore opacam concessit. Secutus Moyses, conjectura herbidi soli, largas aquarum venas aperit..» Effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrali sacravere, cæso ariete, velut in contumeliam Hammonis » (Corn. Tac. lib. V *Hist.* init. ). Quamvis autem Tertullianus Tacitum « mendaciorum loquacissimum » hac saltem in re haud immerito appellet, falsæ tamen illius opinioni subscripsit Plutarchus, ubi de iisdem Judæis sic loquitur : « Nunc tam interficere quam edere suem eis est religio. Et fortassis hoc rationi consentit, Ὥς τὸν ὄνον δὲ ἀναφήναντα πηγὴν αὐτοῖς ὕδατος τιμῶσι. Sicut asino suus apud eos est honor, qui fontem aquæ eis monstravit, ita suem eos revereri, ut salionis et arationis magistrum » (Plutarch. tom. II, lib. IV, *Sympos.*, pag. 670 ).

Quid vero quod et Democritus historicus, narrante Suida, hæc de Judæis memoriæ prodidit : Χρυσῆν ὄνου κεφαλὴν προσκυνοῦν κατὰ τριετίαν ξένον ἀγρεύοντες προσέφερον, καὶ κατὰ λεπτὸν τὰς σάρκας διέξαινον, καὶ οὕτως ἀνήρουν : « Asini caput adorabant, et tertio quoque anno hospitem capiebant et offerebant, et minutatim carnes dissecabant, et sic interficiebant » (Suidas ad v. Ἰούδας ). Inde fortasse factum est ut in hujus absurdi cultus, tametsi plane fictitii, irrisionem, Zeno quidem Alexandrinus, primum Judæus, ut idem Suidas refert (Idem, v. Ζήνων), misso religionis suæ nuntio, asinum album per eorum synagogam die sabbati traduxerit.

Verum Josephus, Appioni eamdem calumniam objicienti ubi respondet, illius falsitatem variis rationibus demonstrat. Proferenda autem sunt ejus verba, quæ etiamsi in græco exemplari desint, in editis nihilominus sic latine habentur : « In sacrario Appion præsumpsit edicere asini caput collocasse Judæos, et id colere ac dignum facere tanta religione. Et hoc affirmat fuisse depalatum dum Antiochus Epiphanes et exspoliasset templum et illud caput invenisset ex auro compositum, multis pecuniis dignum. Ad hoc igitur primum quidem respondeo quoniam Ægyptius, vel si aliquid tale apud nos fuisset, nequaquam debuerat increpare cum non sit deterior asinus furonibus et hircis et aliis qui sunt apud eos dii. Deinde, quomodo non intellexit, operibus increpatus, de incredibili suo mendacio? Legibus namque semper uti mur iisdem, in quibus sine fine constitimus. Et cum varii casus nostram civitatem, sicut etiam aliorum,

Digitized by Google

vexaverint et Theos ac Pompeius magnus ac Licinius Crassus, et ad novissimum Titus Cæsar, bello vincentes, obtinuerint templum, nihil hujusmodi illi invenere » (Joseph. lib. II, *cont. Ap.*, pag. 1065). Ad insulsum itaque hoc mendacium, tam sæpe et repetitum et repulsum, duo Josephus reponit. Primo, argumentum in ipsummet Appionem, Ægyptium hominem, retorquet, ostenditque de hoc crimine iniquissimam esse illius expostulationem : Ægyptii quippe non minus absurdo impioque cultu bestias adorabant ac venerabantur. Secundo, probat illud non falsum tantummodo, sed incredibile penitus esse : nam Judæi, qui omnem prorsus idololatriam, ac proinde asinini, quantumvis aurei, capitis cultum, summo odio numquam non habuerunt, iisdem semper vixere legibus. Deinde, quod Appion de Antiocho Epiphane memorat, hoc Josephus ab ipsa veritate omnino abhorrere ostendit. Nullus enimvero, neque Pompeius magnus neque alii Romani imperatores, post reportatas de Judæis victorias in Hierosolymitanum templum ingressi, ullum asinini capitis simulacrum in eo umquam invenere.

Neque id negare potuit Tacitus, quem Tertullianus tanquam mendacem immemorem ipsiusmet testimonio refellit et insectatur : « At enim idem Cornelius Tacitus, » ipsamet Tertulliani sunt verba, « sane ille mendaciorum loquacissimus, in eadem *Historia* refert Cneium Pompeium, cum Hierusalem cepisset, propterea templum adiisset speculandis Judaicæ religionis arcanis, nullum illic reperisse simulacrum. Et utique, si id colebatur quod aliqua effigie repræsentabatur, nusquam magis quam in sacrario suo exhiberetur; eo magis quia nec verebatur extraneos arbitros, quamquam vana cultura : solis enim sacerdotibus adire licitum ; etiam conspectus cæterorum velo oppanso interdicebatur » (Tertull *Apol.* cap. 16, pag. 17). Eadem ab illo, sed aliis verbis, in primo *ad Nationes* libro (cap. 11) rursus scriptis tradita legimus. Et recte quidem; nam Cornelius Tacitus hæc citato in libro revera scripserat : « Romanorum primus Cn. Pompeius Judæos domuit, templumque jure victoriæ ingressus est. Inde vulgatum nulla intus Deum effigie, » pictum videlicet aut fabricatum, « vacuam sedem et inania arcana » (Tacit. lib. v *Hist.* post init.).

Ex his porro quæ hactenus disputata sunt, quis non videat nullam plane fidem habendam neque huic Cornelio Tacito neque aliis improbis calumniatoribus, qui a Judæis primum, deinde Christianis divinum aliquem cultum asinino capiti tributum impudentissime mentiebantur?

Unde vero tam putida fabula exorta sit, varias, præter eam quæ jam a nobis allata est, Bochartus (Bochart. *de Animal. sacr. script.* tom. I, cap. 18, pag. 221 et seqq.) ac Vossius (Voss. lib. III, *de Ort. et Progress. Idololatr.*, cap. 75, p. 565) rationes reddiderunt. Eæ autem, cum in eorum libris facile a quolibet legi possint, illud tantum adjiciemus quod de quodam Judæo, homine perditissimo, Tertullianus memorat. Is enim, post ejuratam Judaicam religionem « picturam, » inquit eruditus ille Africanus scriptor, « proposuit cum ejusmodi inscriptione : DEUS CHRISTIANORUM ONOCHOETES » ( Tertull. lib. I *ad Nation.*, cap. 11, pag. 57, et seqq.). Tum addit huncce fictitium deum fuisse repræsentatum cum asininis auribus, altero pede ungulatum, librum gestantem ac togatum (Idem, *Apologet.*, cap. 16, pag. 17), uti suo loco explicabimus. Ad hæc vero Epiphanius, ubi de Gnosticis, famosissimis illis Christianorum hæreticis, sermonem instituit, hæc memoriæ litterisque mandavit : « Quod ad Sabaoth pertinet, hunc asini quidam, alii porci figura constare censent » (Epiphan. in *Hæres.* XXVI, § 10, pag. 91). At sive hæc sive alia quælibet ficta ratio, aliquam Christianos scelestissimi hujusmodi cultus insimulandi occasionem dederit, certe Minucius noster plane penitusque pernegat, illam nefarii Judaicæ religionis desertoris sycophantiam, eumque absurdissimum Gnosticorum cultum ullo prorsus modo ad veros pertinuisse Christianos. Palam enimvero constanterque asseverat hunc falsum de asinini capitis cultu rumorem a dæmonibus sparsum ac pervulgatum, cui nullus sanæ mentis homo fidem umquam habere potuit. « Quis enim, » « inquit ille, « tam stultus, ut hoc colat? Quis stultior, ut hoc coli credat? » Meram itaque calumniam, atque impudentissimum mendacium cuilibet, nisi omnino desipiat, homini prorsus incredibile esse asserit. Pluribus porro verbis illud non refellit, quandoquidem hoc semel negando, satis se confutasse existimabat.

### ARTICULUS II.

*Quomodo Minucius probaverit ethnicos hujus, similisque aut pejoris sceleris esse reos, qui asinos cum Epona et Iside, atque boum et vervecum capita impie colebant, ac venerabantur.*

Quanta vero esset ethnicorum Christianos asinini cultus accusantium dementia, manifestum inde auctor noster facit, quod illi non semel, sed sæpissime ejusdem aut similis flagitii certissime convincerentur. Tot autem exemplis hoc ab eo probatur, ut nihil ethnici contra respondere, aut omnino hiscere auderent. Ab ipso itaque, quem asinis et Eponæ adhibebant, cultu sic incipit : « Vos et totos asinos cum vestra (Regius codex addidit *vel*) Epona consecratis. » Sed plurimi ibi librarii mendum subesse existimant, quod quisque pro ingenii sui acumine corrigere conatus est. Quidam enim illud *vel* expulerunt, scribique in editis voluerunt simpliciter « cum vestra Epona. » Ex his tamen aliqui suspicati sunt ab aliquo in margine notatum, « cum Hippona. » Verum hæ meræ conjecturæ sunt, nulla auctoritate vel testimonio fultæ. Alii vero in sua editione jusserunt scribi, « cum vestra vel sua Epona. » Quam quidem conjecturam, etsi contra manuscripti fidem, mox citandis Tertulliani verbis confirmare, sed perperam nituntur. Quidam tandem emendandum opinantur : « cum Vesta, vel Epo-

Digitized by Google

na; » quia gentiles persuasum habebant asinum esse Vestæ delicium. At certe tametsi asinus revera in deliciis fuisset Vestæ, probandum adhuc erat asinos ei consecrari, et cur Minucius dixerit, « vel Epona. » Præterea scribere debuisset, « et Epona, » atque eo maxime, quod continenter adjecerit asinos Isidi mactatos. Quid ergo si particula, *vel*, ab auctore nostro, sicut a pluribus aliis sumatur pro *etiam?* Nonne latina ac perspicua erit ejus locutio, nihilque in ejus textu mutandum?

Quæ porro fuerit Epona, his Plutarchus post Agesilaum (*Ages.* in *Italic.*) exponit verbis: « Fulvius Stellus, a mulieribus animo alieno, cum equa rem habuit. Ea suo tempore filiam edidit perpulchram, cui pater Eponæ nomen indidit, ὀνόμασεν Ἱππόνην; atque hæc est dea, equorum procreationem gerens » (*Plutarch.* tom. II. *in Parallel.* pag. 312).

Ipsius autem simulacrum in præsepiis collocari solitum colligunt ex his Juvenalis dictis:

. . . . . Jurat
Solam hippo, et facies olida ad præsepia pictas.
(Juvenal. *Satyr.* VIII, *v.* 157.)

Ibi vero nonnulli pro *Hippo* legi *Eponam* volunt. De eodem quoque Eponæ, sive Hipponæ, simulacro in præsepiis posito hæc sunt Apulcii verba: « Respicio pilæ mediæ, quæ stabuli trabes sustinebat, in ipso fere meditullio Hipponæ, seu Eponæ, deæ simulacrum, residens ædiculæ, quod accurate corollis roseis, et quidem recentibus, fuerat coronatum » (*Apulei. lib.* III *Metam. sub fin.*).

Cæterum Minucius noster dum ethnicis impium illum Eponæ cultum objicit, videtur in vestigiis insistere Tertulliani, qui pari modo contra eos sic disputaverat: « Vos tamen non negabitis et jumenta omnia, et totos cantherios cum sua Epona coli a vobis. Hoc forsitan improbamur, quod inter cultores omnium pecudum bestiarumque asinarii tantum sumus » (*Tertull. Apologet. cap.* 16, *pag.* 17, *et ad Nation cap.* 11, *pag.* 58). Eadem quoque iisdem plerisque verbis alio in libro repetit. Quapropter Prudentius hanc insulsam divinitatem his versibus explodit:

Nemo Cloacinæ aut Eponæ super astra deabus,
Dat solium, quamvis solidam persolvat acerram,
Sacrilegisque molam manibus rimetur et exta.
(Prudent., *Apothec.*, § II.)

Post hæc Octavius Cæcilium, aliosque ethnicos sic increpare pergit: « Eosdem asinos cum Iside religiose devotatis, » in regio codice « devoratis, » sed hoc plerisque omnibus videtur librarii mendum. Legendum itaque nonnulli putaverunt « devotatis, » id est, devotos ostenditis. Sed probare debebant ubinam verbum *devotare* eo sensu accipitur? Alii scriptum ariolabantur « denotatis. » At quid ad Octavii propositum? Alii autumabant emendandum « devocatis, » quo sensu Socrates a bonis auctoribus dicitur philosophiam devocasse de cœlo. Sed quorsum, amabo te, asinorum cum Iside devocatio? Alii tandem corrigendum censent « decoratis, » quia utramque asini, deam Isidem portantis, atque ipsiusmet Isidis, effigiem vario ornatu decoratam simul venerabantur. Nec inepta prorsus videtur hæc conjectura; jam enim Apuleium audivimus dicentem deæ Eponæ simulacrum recentibus corollis roseis fuisse accurate coronatum. Alio autem in libro non minus perspicue declarat Isidis effigiem ab ejus sacerdotibus per casulas, vicos et castra circumferri solitam serico contectam amiculo, quæ ab obviis omnibus gentilibus colebatur (*Apulei. lib.* VI. *Metam. sub fin*). Expende ergo utrum hic sit Minucii nostri sensus, et in ejus textu legendum sit « decoratis. » Nihil enim nos sine integri codicis auctoritate certo definiendum putamus.

Ad alia itaque transeamus: « Boum, » addit ille, « capita, et capita vervecum, et immolatis, et colitis. » At de boum cultu et sacrificio sic loquitur Herodotus: « Boves mares, eosdemque mundos, ac vitulos universi Ægyptii, θύουσι, immolant. At feminas eis θύειν immolare non licet, utpote Isidi consecratas. Nam Isidis simulacrum muliebre est, bubulis præditum cornibus, quemadmodum Io Græci describunt. Καὶ τὰς βοῦς τὰς θηλείας Αἰγύπτιοι πάντες ὁμοίως σέβονται προβάτων πάντων μάλιστα: Bovesque feminas omnes iidem Ægyptii venerantur ex omnibus pecudibus longe plurimum: eoquè nemo Ægyptius, Ægyptiave, Græci viri aut os suaviaretur, aut cultro, vel veru, vel olla illius uteretur, aut pura bovis carne græco cultro incisa vesceretur » (*Herodot.* lib. II. § 41).

Quid ergo, arguet aliquis? Nonne falsum omnino est ullam bovi ab Ægyptiis exhibitam venerationem, utpote qui illum diis immolarent? Eusebius enimvero apertissime inficiatus est ab iisdem Ægyptiis boves pro diis habitos; quandoquidem his eosdem boves sacrificabant. Hæc autem illius sunt verba: Ὅτι δὲ οὐδὲ τὰ ζῶα θεοὺς ἡγοῦνται, δῆλοι τὸ πυλλαχοῦ βοῦς ἀναχθέντας θεοῖς ἐν ταῖς ἑορτηναῖς: « Quod illi, Ægytii, brutas animantes deos esse nequam arbitrarentur, vel ex eo liquet, quod in plerisque locis boves diis consecratos solemnibus feriis deorumque religionibus immolare solebant » (*Euseb. lib.* III. *Præpar. Evang.* cap. 12, pag. 117). Animum tamen is advertat utrum facta ab Herodoto bovis, maris et feminæ, distinctione, nodus hujusce difficultatis non solvatur.

Inficias siquidem nullus ibit, Ægyptios aliquando bovi reverentiam honoremque adhibuisse, cum præter plurimos alios, Philo Judæus hoc de illis scriptum reliquerit: Ἐκλεθόμενοι τῆς πρὸς τὸ ὂν ὁσιότητος, ξηλωταὶ τῶν αἰγυπτιακῶν γίνονται πλασμάτων. εἶτα χρυσοῦν ταῦρον κατασκευασάμενοι, μίμημα τοῦ κατὰ χώραν ἱερωτάτου ζώου δοκοῦντος εἶναι, θυσίας ἀθύτους ἀνήγαγον. « Obliti, Israelitæ, veri Dei, cœperunt æmulari figmenta Ægyptiæ, facto juvenco aureo, ad imitationem animalis ejus sacratissimi, cui profana sacra faciebant, choreas agebant, etc. » (*Philo. lib.* III. *de Vita Moys.* pag. 677). Hieronymus vero similiter:

Digitized by Google

« Videtur mihi idcirco populus Israel in solitudine fecisse sibi caput vituli quod coleret, et Hieroboam filius Nabath vitulos aureos fabricatus; ut quod in Ægypto didicerant Apim et Muevim, qui sub figura boum coluntur, esse deos, hoc in superstitione servarent » (*Hieron. in cap.* XLVII. *Oseæ* v. 15). Prius vero Lactantius de iisdem quoque Israelitis: « In luxuriam, » inquit, « prolapsi ad profanos Ægyptiorum ritus animos transtulerunt. Cum enim Moyses dux eorum ascendisset in montem atque ibi 40 diebus moraretur, aureum caput bovis, quem vocant Apim, quod eos in signum præcederet, figurarunt » (*Lactant. lib.* IV, cap. 10, pag. 376). Sed de Api bove nos paulo infra disseremus.

Neque porro quemquam moveat, quod uterque Lactantius et Hieronymus dixerit, « caput vituli, » quemadmodum Minucius noster capita boum. Eo siquidem loquendi modo nihil aliud, quam vitulum aut boves ipsos integros significant. Bochartum ea de re, si lubet, consulere poteris (*Bochart. lib.* II. *de Animal. sacr. Script.* cap. 34, pag. 346).

Eodem plane sensu auctor noster adjecit: et « capita vervecum. » At nemo est proculdubio, qui nesciat vervecem esse masculum ovem castratum. Nos autem alibi annotavimus Samios revera cultum exhibuisse ovi, et quam ob causam (*Tom.* I. *Apparat. lib.* III. *dissert.* 1, cap. 9, art. 3, pag. 768). Sed id non prohibuit quominus Laribus ab aliis, teste Cicerone, sacrificaretur : « Neque necesse est, » inquit ille, « edisseri a nobis. . . quod genus sacrificii Lari vervecibus fiat » (*Cic. lib.* II. *de Legib.* pag. 340). Quod quidem Lambinus suis in hunc Ciceronis locum observationibus confirmat hac fratrum Larvalium inscriptione : LARIB. VERB. N. II. MATRI. LAR. OV. N. II.

Deinde vero narrat propter indictum Octavio Cæsari Augusti nomen, atque in hujusce rei memoriam, « vervecem » in templo Jovis idibus Januariis a flamine immolatum. Quam ob causam Ovidius hæc cecinit :

Idibus in magni castus Jovis æde sacerdos
Semimaris flammis viscera libat ovis.
Redditaque est omnis populo provincia nostro,
Et tuus Augusto nomine dictus avus.
(Ovid., l. I *Fast.*, v. 346, *et seqq.*)

ARTICULUS III.

***Quomodo Minucius adhuc probaverit ab gentilibus coli et adorari deos capro et homine mixtos, vultusque leonum et canum præferentes, item Apim bovem, serpentes, crocodilos, atque alias aves et bellnas, ac cepe etiam, et ventris crepitus.***

Prosequitur Minucius, et ut ethnicos insulsæ prorsus, qua Christianos asinini cultûs falso arguebant, calumniæ puderet: « De capro, » ait, « et homine mixtos deos, et leonum et canum vultus deos dedicatis. » Quales ille primos dicit, talis procul dubio erat Pan, quem sic a pictoribus et statuariis A repræsentatum narrat Herodotus : Γράφουσι δὲ δὴ καὶ γλύφουσι οἱ ζωγράφοι, καὶ οἱ ἀγαλματοποιοί, τοῦ Πανὸς, καθάπερ Ἕλληνες, τράγαλμα αἰγοπρόσωπον, καὶ τραγοσκελέα. « Panis autem simulacrum, et pictores pingunt, et statuarii sculpunt, quemadmodum Græci caprina facie, hircinisque cruribus » (*Herod. lib.* II. § 46). Addit tamen eos existimasse Panem similem fuisse alii diis, sed eo modo ab illis pictum quasdam propter causas, quas referre minime sibi gratum esse declarat. Satyri quoque fingebantur humano quidem, sed cornuto capite, pedibus caprinis, ac villoso corpore. Hos autem Lucianus sicuti Panem et Silenum dicit forma monstrosa esse speciabiles: Ὧν ὁ μὲν κέρατα ἔχων. καὶ ὅσον ἐξ ἡμισείας, ἐς τὸ κάτω αἰγὶ ἐοικώς, καὶ γένειον βαθὺ καθειμένος..... οἱ δὲ σάτυροι ὀξεῖς B τὸ οὖτα, καὶ αὐτοὶ φαλακροὶ, κεράσται, οἷα τοῖς ἄρτι γεννηθεῖσιν ἐρίφοις τὰ κέρατα ὑποφύεται. « Quorum hic quidem gerens cornua, dimidia parte corporis caprum referens, barbamque profundam nutriens, parum ab hirco discrepat. . . . . Satyri acutis auribus, et ipsi calvi, cornigeri, qualia fere hædis nuper natis excrescunt cornua » (*Lucian. in Deor. convi.* pag. 1096). Hinc Propertius, lib. III. Eleg. 16 :

Capripedes calamo Panes hiante canent.

Et Lucretius, lib. IV, ante med. :

Hæc joca Capripedes Satyros Nymphasque tenere
Finitimi fingunt, et Faunos esse loquuntur.

Si rei haud incompertæ alios desideras testes, adire poteris Eusebium, Servium, Vossium, Natalem Comitem, aliosque non paucos (*Euseb. lib.* C III. *Præpar. Evang.* cap. 4, pag. 124; *Serv. in Eclog.* 2 *Virgil.* v. 31. *Voss. lib.* I. *de Orig. et Progress. Idololatr.* cap. 8, pag. 31, et lib. VII, cap. 3, pag. 359).

De illis autem diis, qui leonum canumque vultus præ se ferebant, atque aliis monstrosis deorum figuris, haud infrequens a variis scriptoribus mentio facta est. Primo etenim hæc apud Eusebium a Porphyrio tradita legimus : « In effingendis numinum simulacris, omni genere animalium usi, feras aliquando cum hominibus una miscuere, aliquando avium pariterque hominum corpora conjunxere. » Εἴκασται γάρ τις παρ' αὐτοῖς μέχρι τραχήλου ἀνθρωπειδὴς, τὸ δὲ πρόσωπον ὀρνέου, ἢ λέοντος, ἢ ἄλλου τινὸς ζώου κεκτημένος. καὶ πάλιν αὖ κεφαλὴ D ἀνθρώπειος, καὶ ἄλλων τινῶν ζώων μέρη, πὴ μὲν ὑποκείμενα, πὴ δὲ ἐπικείμενα. « Videas apud ipsos imagines quasdam cervice tenus humana specie, vultu autem modo volucrem, modo leonem, aut aliud quodvis animal referentes; aliasque rursum capite quidem hominum similes, reliquis vero partibus corporis, modo inferioribus, modo superioribus, aliorum animantium formam ostendentes » (*Apud Eus. lib* III *Præpar. Evang.* cap. 4, pag. 93). Mutuatus autem hæc fuerat, ex quarto Porphyrii περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων libro et inde adversus ethnicos pugnando, intortum ab eis contra Christianos idem, atque Minucius, telum retorquet (*Porphyr. lib.* IV, *ante med.* pag. 372).

Digitized by Google

At Tertullianus pari etiam modo adversus eosdem gentiles argumentatus, eidem auctori nostro facem hisce verbis prætulerat : « Sed illi debebant adorare statim biforme numen ; quia et canino, et leonino capite commistos, et de capro, et de ariete cornutos, et a lumbis hircos, et a cruribus serpentes, et planta vel tergo alites deos receperunt » ( Tertull. *Apolog.* cap. 16 ). Et alio rursus in libro : « Sunt penes vos, gentiles nimirum, et caprino capite, et leonino, et de bove, et ariete, et hirco caprini dii, caprigenæ, vel anguini, et alites planta, fronte et tergo » (Idem, lib. I *ad Nation.* cap. 14).

Quæ quidem confirmari adhuc possunt cum aliorum, tum maxime his totidemque Macrobii verbis : « Eidem Ægypto adjacens civitas, quæ conditorem Alexandrum Macedonem magnum gloriatur. Serapim atque Isim cultu pene attonitæ venerationis observat. Omnem tamen illam venerationem soli se sub illius nomine testatur impendere : vel dum simulacro tricipitis animantis adjungunt, quod exprimit medio eodemque maximo capite leonis effigiem, dextera parte canis exoritur mansueta specie blandientis : pars vero læva cervici, rapacis lupi capite finitur, easque formas animalium draco connectit volumine suo, capite redeunte ad Dei dexteram, qua conspicitur monstrum » (Macrob. lib. I *Saturnal.* cap. 20).

Sed auctorem, si placet, sequamur nostrum : « Nonne, » inquit, « et Apim bovem cum Ægyptiis, et adoratis, et pascitis. » De hujus prodigiosi numinis et pastu et cultu, si testem quæras, Strabonem invenies, qui narrat Memphim esse Ægyptiorum regiam, ubi Apidis, qui idem atque Osiris, templum solis erat : Καὶ τὸν βοῦν τὸν Μνεῦιν, ἐν σηκῷ τινι τρεφόμενον, ὃς παρ' αὐτοῖς νενόμισται Θεὸς, ὥσπερ καὶ ἐν Μέμφει ὁ Ἆπις. « Et Mnevim bovem, qui in septo quodam nutritur, et ab iis, Heliopolitanis, pro deo habetur, quemadmodum Apis a Memphitis » ( Strab. lib. XVII *Geogr.* p. 803, et seqq.). Addit ille quibusdam signis denotari quis alius, eo defuncto, ad successionem sit aptus. Plura adhuc si velis, adi Diodorum Siculum, qui narrat etiam quomodo bos ille Apis post mortem sepulturæ mandari, atque alius in illius substitui locum, a quibus pasci, atque ubi collocatus honorari soleret. Adire præterea poteris Herodotum, Ælianum, Melam, Porphyrium ab Eusebio citatum, Ciceronem, ac si velis, quæ in primo Apparatus nostri tomo retulimus (Diodor. Sicul. lib. I *Biblioth.* pag. 53, et seqq.; Herod. lib. III, § 27; Æli. lib. X *de Animal.*, cap. 28; Mela, *de sit. Orb.* cap. 9; Euseb. lib. III *Præpar. Evang.* cap. 13, pag. 117; Cicer. lib. I *Nat. Deor.* pag. 207; Tom. I *Apparat.* pag. 1090 et seqq.).

Romanis porro Minucius vitio criminique vertit, quod non solum cum Ægyptiis Apim bovem adorarent, sed ea etiam non condemnassent, quæ illi de belluis, avibus, crocodilis, ac serpentibus ita constituerant ; ut si quis aliquem ex eis occidisset, capite puniretur. Hujus impii Ægyptiorum moris scriptores quam plurimi mentionem fecerunt. Quosdam autem ex magno illorum numero ut seligamus, primus prodeat Cicero, qui quanta fuerit earum gentium superstitio, paucis his edisserit verbis : « Omne fere bestiarum genus Ægyptii consecraverunt » ( Cic. lib. III *de Natur. Deor.* pag. 245, lin. 25 ; Ibid., lib. I, pag. 207, lin. 18). Eo autem usque hanc superstitionem processisse alibi memorat, ut ne fando quidem auditum sit crocodilum aut ibim, aut felem ab iis violatum. Quin immo : « Quorum etiam si imprudentes quidpiam » ut ille alio in libro ait, « fecerint, pœnam nullam recusant » ( lib. V *Tusc.* pag. 189, lin. 25). De hac porro violatæ pecudis pœna non minus perspicue Herodotus : « Quarum, inquit, bestiarum, « si quam quis necaverit, si volens, morte mulctatur, si nolens, plectitur ea mulcta, quam sacerdotes statuerint » (Herodot. lib. II, § 65). Tertullianus vero, cujus in vestigiis auctor noster stare adhuc videtur, id de iisdem Ægyptiis perhibet : « Nemo se ab invito coli volet, ne homo quidem : atque ideo et Ægyptiis permissa est tam vanæ superstitionis potestas, avibus et bestiis consecrandis, et capite damnandis, qui aliquem hujusmodi deum occiderint » (Tertull. *Apolog.* cap. 24, pag. 26).

Nos vero nonnihil de hoc ridiculo Ægyptiorum cultu in superiore Apparatus nostri tomo perstrinximus. Sed si hæc tibi non sufficiant, mittemus ad Herodotum, Diodorum Siculum, Strabonem, Ælianum, qui vadem suum Plutarchum dedit, Cyrillum Hierosolymitanum, Hieronymum et Theodoretum (Tom. I *Apparat.* pag. 496 et 636 ; Herodot. lib. II, § 65 et seqq.; Diodor. Sicul. lib. I *Biblioth.* pag. 52, 54 et seqq. ; Strab. lib. XVII. *Geograph.* pag. 811 et seqq.; Ælian. lib. X *de Animal.* cap. 13, et lib. XVII, cap. 5; Cyrill. Hierosol. *Catech.* 6, pag. 61; Hieron. lib. II *adv. Jovin.* pag. 59 ; Theod. *Serm.* 4, *de Angel. et dæmon* ,pag. 521). Quod autem Minucius adjecit, has Ægyptiorum superstitiones a Romanis non condemnari, quivis facile concedet, qui meminerit ab eis aut susceptas, aut toleratas omnium aliarum gentium, quantumvis absurdas religiones. Nam ut ipse Cæcilius aiebat : « Dum universarum gentium sacra suscipiunt, etiam regna meruerunt. »

Magis adhuc absurdum illud erat, quod subjungit Minucius, Ægyptios cum plerisque Romanis, timuisse ceparum acrimonias, et ventris strepitus. Ad id tamen non minus, quam superiora, verum certumque fuisse ex his discere poteris Juvenalis carminibus :

> Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
> Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
> Pars hæc, illa pavet saturam serpentibus Ibin :
> Effigies sacri nitet aurea cercopitheci,
> . . . . . .
> Illi cæruleos, hic piscem fluminis, illic
> Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.
> Porrum et cepe nefas violare, ac frangere morsu.
> O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
> Numina!
>
> (Juven., *Sat.* XV, init.)

Similia posthæc a Prudentio decantata sic legimus :

> Venerem precaris? comprecare et simiam.
> Placet sacratus aspis Esculapii?
> Crocodili, ibis, et canes cur displicent?
> Appone toris religiosas arulas,

Digitized by Google

Venerare acerbum cepe, mordax allium.
(Prudent. *Hymno in honor. sancti Rom.*, *v.* 256. *et seqq.*)

Quapropter Plinius de cepe haud dubitanter dixerat : « Allium cepasque inter deos in jurejurando habet Ægyptus » (Plin. lib. XIX *Natur. Hist.* c. 6, p. 593).

Causas hujus ridiculæ venerationis, et cultus si requiras, Plutarchi verbis dabimus : Οἱ δὲ ἱερεῖς ἀφοσιοῦνται, καὶ δυσχεραίνουσι, καὶ τὸ κρόμμυον παραμυλάττοντες, ὅτι τῆς σελήνης φθινούσης μόνον, εὐτρεφεῖν τοῦτο καὶ τελειοῦσθαι πέφυκεν. ἔστι δὲ πρόσφορον οὔτε ἀγνεύουσιν, οὔτε ἑορτάζουσιν· τοῖς μὲν, ὅτι ὄψῳν, τοῖς δὲ, ὅτι δακρύειν ποιεῖ τοὺς προσφερομένους. « Sacerdotes aversantur cepum et cavent, quia hæc sola planta, luna decrescente, vigere, et augere solet; et cepe usus neque castimoniam exercentibus commodus est, neque dies festos celebrantibus; alteris, quia sitim creat; alteris, quia lacrymas elicit » (Plutarch. lib. *de Isid. et Osir.* pag. 853 ). Priorem istam causam ex eodem Plutarcho retulit quidem A. Gellius, sed id sacerdotes Ægyptios de Pelusiotis dixisse asseverat (Gell. lib. XX *Noct. Att.* cap. 8). Nec immerito prorsus jure. Etenim Lucianus hosce Pelusiotas huic ridiculo absurdoque cultui, sicut et alios alteri addictos fuisse tradidit : Μεμφῖται μὲν ὁ βοῦς Θεὸς, Πηλουσιῶται δὲ κρόμμυον, καὶ ἄλλοις ἄλλοι ἔθεις, ἢ κροκόδειλος, καὶ ἄλλοις κυνοκέφαλος, ἢ αἴλουρος, ἢ πίθηκος. « Memphitis quidem bos Deus est, Pelusiotis vero cepe, jam aliis ciconia, aut crocodilus, aliis cynocephalus, aut feles, aut simia » (Lucian. *Dialog. Jupit. Tragœd.* pag. 699 et seqq. ). Quocirca Hieronymus : « Impelle, inquit, si potes, Pelusiotem, ut manducet cepe » (Hieronym. *adv. Jovin.* pag. 59).

Alibi vero idem Hieronymus, tam de eodem cepe, quam de crepitu ventris, quem secundo loco auctor noster memorat, sic loquitur : « Pleraque oppida eorum, Ægyptiorum, ex bestiis..... ut taceam de formidoloso, et horribili cepe, et crepitu ventris inflati, quæ Pelusiaca religio est » (Idem in cap. XLVI Esai ). Suffragatur Hieronymo Pseudo-Clemens, qui de his, atque aliis, de quibus auctor noster disserit, isthæc fecit verba : « Ægyptiorum alii bovem, qui Apis dicitur, colendum tradidere, alii hircum, alii gattas, nonnulli ibim, quidam serpentem, piscem quoque et cepas, et ventris crepitus, et cloacas, et brutorum animantium membra, et mille aliis subdiderunt odiosissimis turpitudinibus » ( Pseudo-Cle. lib. V *Recognit.* § 20, pag. 466 ). Similia ille alibi memorat, quem si vacat adire poteris (Idem, *Hom.* 10, pag. 657). Quid ergo dicendum de Romanis, qui insanos illos ritus, uti diximus, aut non improbabant, aut sectabantur, patienter tamen ferebant illos a poetis derideri?

ARTICULUS IV.

*Falsum esse a Christianis adorari sacerdotis virilia ; ac ethnicos turpiorum flagitiorum convinci, et quæ fuerit turpissimæ illius venerationis Christianos accusandi occasio.*

Aliud adhuc facinus flagitii sane dedecorisque plenum, ita Christianis Cæcilius objicit, ut illos tamen tanti propudii certo accusare non audeat : « Alii, » inquit, « eos ferunt ipsius antistitis ac sacerdotis colere genitalia, et quasi parentis adorare naturam. » Nihil sane hac calumnia futilius, minusque veritate fundatum. Factitata autem a Cæcilio dicitur, non ab omnibus, sed a quibusdam tantum, qui, quod non audebant asseverare, illud falso rumore venditabant.

Octavius itaque hoc plane fictitium crimen, Christianis iniquissime inustum, duplici, uti solet, responsione diluit. Negat quippe primo id umquam ab illis factum ; sed ridiculam fabulam, meramque calumniam esse contestatur. Deinde ille asserit ethnicos longe turpioribus, quas nec nominare, nec audire castis auribus fas erat, obscenitatibus fœdari. Sed hæc quidem præstat illius potius, quam nostris verbis enuntiari : « Qui de adoratis, ait, sacerdotis virilibus adversus nos fabulatur, tentat in nos conferre quæ sua sunt. Ista enim impudicitiæ eorum forsitan sacra sint, apud quos sexus omnis membris omnibus prostat, apud quos tota impudicitia vocatur urbanitas : qui scortorum licentiæ invident, qui medios viros lambunt, libidinoso ore inguinibus inhærescunt, homines malæ linguæ, etiamsi tacerent ; quos prius tædescit impudicitiæ, quam pudescit. Proh nefas ! Id in se pessimi facinoris admittunt, quod nec ætas potest pati mollior, nec cogi servitus durior. Hæc et hujusmodi propudia nobis non licet nec audire, etiam pluribus turpe defendere est. » Quamvis dixerit nefas esse hæc turpissima ethnicorum flagitia clarius explicari, nec aut ab ullo Christiano audiri, aut ab alio quolibet homine defendi ; non minus tamen vera, cunctisque explorata erant. Nam præter varia poetarum aliorumque, atque imprimis Martialis de iis testimonia, sanctissimus sane Apostolus in sua sola ad Romanos Epistola tanto potiori jure nonnulla, eaque gravissima, Gentilibus exprobravit, quanto veriora esse certo certius noverat. (*S. Paul., Epist. ad Rom. cap.* I, *vers.* 16 *et seqq.*)

Recte igitur auctor noster ethnicorum argumentum in eos retorquet. Nullus siquidem probare umquam potuit Christianos tanti sceleris, de quo suspicabantur, fuisse reos. Quin immo tam ridiculam suspicionem piissimum illorum vivendi genus plane penitusque removebat. Contra vero Gentiles hujus aliorumque adhuc majorum scelerum a suis, ut dictum est, auctoribus, aliisque testibus, omni fide majoribus, certe convincebantur.

Verum, tametsi, inquiet aliquis, a veritate omnino abhorruerit virilia sacerdotis a Christianis adorari ; credibile tamen non est publicum de horrendo illo crimine, nisi data saltem occasione aliqua, sparsum fuisse rumorem. Quæ igitur illa fuerit occasio, quisquis scire avebit, huic respondebimus Christianos, qui prioribus Ecclesiæ sæculis publicam delictorum suorum criminumque graviorum pœnitentiam agebant, extra fores limenque Ecclesiæ ad omnium, præsertim sacerdotum, sese prostravisse pedes, ut illorum veniam impetrare possent. Gentiles vero cum id vaga incertaque fama excepissent, inde fabu-

Digitized by Google

lam confecerunt ab eis sacerdotis virilia adorari. De hujuscemodi enim pœnitentibus, de quibus nos alibi fusius, hæc præ cæteris scribit Tertullianus : « Exhomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est..... Plerumque jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, et mugire dies noctesque ad Dominum Deum suum, presbyteris advolvi, et caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere (Tertullian. lib. *de Pœnit.* cap. 6, pag. 146). » Rursum vero ille, tametsi Montanistæ erroribus tunc implicatus, ab vera Ecclesiæ doctrina defecisset : « Et te quidem, » inquit, « pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in Ecclesiam inducens, conciliatum et concineratum, cum dedecore et horrore compositum prosternis in medium, ante viduas, ante presbyteros, omnium lacinias invadentem, omnium vestigia lambentem, omnium genua detinentem » (Idem, lib. *de Pudic.* cap. 13, pag. 729).

Narrat etiam Eusebius Natalem confessorem, ab hæreticis Asclepiodoto et Theodoto argentario plane deceptum, accepto salario, eorum sectæ episcopum creatum fuisse. Sed tanti criminis ille nocturnis visionibus sæpe admonitus, cum eas negligeret, a sanctis Angelis per totam noctem flagris gravissime cæsus est : Ὥστε ἑωθεν ἀναστῆναι, καὶ ἐνδυσάμενον σάκκον, καὶ σποδὸν καταπασάμενον μετὰ πολλῆς σπουδῆς, καὶ δακρύων προστεσεῖν Ζεφυρίνῳ τῷ ἐπισκόπῳ, κυλιόμενον ὑπὸ τοὺς πόδας οὐ μόνον τῶν ἐν τῷ κλήρῳ, ἀλλὰ καὶ τῶν λαικῶν, συγχέαι τε τοῖς δάκρυσι τὴν εὐσπλαγχνον ἐκκλησίαν τοῦ ἐλεήμονος Χριστοῦ. « Adeo ut primo diluculo consurgens, saccum induerit, et cinere conspersus confestim cum lacrymis ad pedes Zephyrini episcopi sese abjecerit, non solum cleri, verum etiam sæcularium vestigiis advolutus, et Christi misericordis Ecclesiam quoque misericordem fletibus suis commoverit atque concusserit. » Vero itaque simillimum esse quis negabit ethnicos ex hoc pio sanctoque more, quem aut non satis intellexerant, aut malitiose interpretabantur, ansam arripuisse, Christianos turpis illius, qua de auctor noster loquitur, adorationis falso accusandi.

## CAPUT XII.

### ALIÆ CÆCILII CRIMINATIONES, ET AD EAS OCTAVII RESPONSA EXAMINANTUR.

#### ARTICULUS PRIMUS.

*Quam immerito Cæcilius Christianorum synaxes, et jejunia condemnet, dicatque eos esse desperatæ factionis homines, lucifugam nationem, occultis signis se agnoscentes, atque antea se mutuo amantes, quam noverint.*

Aliis ethnici conviciis potius quam legitimis accusationibus, Christianos infamare nitebantur. Quæ enimvero illi piacula et scelera esse criminabantur, hæc isti contendebant optima esse, probanda, ac recte instituta. Tale procul dubio est illud, cujus Cæcilius Christianos tamquam sceleris alicujus arguit, nocturnis scilicet congregationibus et jejuniis solemnibus, « non sacro quodam, sed piaculo fœderari. » Sed lubenter illi fatebantur tam verum id esse, quam falsum erat, in iis synaxibus, quas *solemni*, ut ait Cæcilius, *die* agere solebant, aliquid nisi sanctissimum peragi. Et id certe evidentissime inde probatur, quod de illis ex Justini martyris *Apologia* alibi a nobis deprompta, et infra ex Tertulliano proferentur. At sane illud jam satis ex iis demonstratum est, quæ hactenus contra impudentes Cæcilii protulimus calumnias, quibus scelera non minus nefanda, quam incredibilia, in illis admissa fuisse perperam causatus est.

Visne alium adhuc testem, hac in re omni exceptione majorem, tibi dari? Plinium, ethnicum utique hominem, producemus, cui crimina, quorum Christiani insimulabantur, diligenter inquirendi provincia a Trajano imperatore demandata fuerat. Is quippe omnibus, qua potuit maxima diligentia, investigatis, ad eum scripsit Christianos, qui, ut ille ait, a christiana fide defecerant, affirmasse : « Hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem; seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria, ne fidem fallerent, ne depositum appellati negarent. Quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse, rursusque coeundi, ad capiendum cibum, promiscuum tamen, et innoxium » (*Plin. lib.* x, *Epist. ad Trajan. pag.* 376). Quid hoc testimonio, quod a Tertulliano transcriptum videbimus, ad probandam Christianarum synaxeum sanctitatem luculentius et efficacius (*Tertullian. Apologet. cap.* 2)?

Nullus itaque Christianus in his non solum congregationibus, sed « solemnibus etiam jejuniis omni laude dignis, non solum non erubescebat, verum etiam gloriabatur. Quamobrem Gregorius Nazianzenus in una adversus Julianum apostatam oratione: « Hæc nos, » inquiebat, « longis jejuniis confecti, et semianimes. Hæc nos, qui frustra vigilantes, atque in nocturnis stationibus nugamur, et tamen vos prosternimus » (*Greg. Nazian. Orat.* 4, *pag.* 299).

Gronovium itaque aliquis proculdubio mirabitur, qui in Minucii textu pro « solemnibus jejuniis, » legendum suspicatur, « olentibus jejuniis. » Nonne enim tunc solemnia erant Christianorum, atque imprimis Quadragesimæ jejunia? Nonne de iis Tertullianus scripsit : « Die Paschæ communis et quasi publica jejunii religio est » (*Tertullian. lib. de Orat. cap.* 14). Si autem communis et publica, cur non et solemnis erat religio? At hæc, pergit Gronovius, a Cæcilio, ethnicorum partes agente, jejunia Christianorum in malam partem accipiuntur. Sed quid vetat cur ille homo ethnicus ea, aut irridendo, aut verum dicendo, appellaverit *Solemnia*? De his porro aliisque Christianorum jejuniis, qui plura desiderabit, is adeat Irenæum ab Eusebio, lib. v *Histor. Eccles.* cap. 24, pag 192, citatum; Tertullianum

Digitized by Google

mox laudatum, lib. II ad Uxorem, cap. 4, lib. de Baptismo cap. 20, libro de Fuga cap. 1, lib. de Jejun. cap. 13 et 14.; Athanasium, Apologia ad Constantium Imperatorem, p. 310, et Apolog. de Fuga sua, p. 334; Cotelerii notas in Hermam, pag. 72 et seqq; atque in lib. v Constitut. Apostol. cap. 15, pag. 215, et seqq. Nos autem de Christianorum Vigiliis disseruimus tom. I. Apparat. lib. III, dissert. 1, cap. 6, art. 3, pag. 712 et seqq. De Jejuniis vero ibid., lib. I, dissert. 4, art. 5, pag. 53, et art. 23, pag. 67; nec non lib. II, dissert. 1, cap. 7, art. 2, pag. 330; ac lib. III, dissert. 1, cap. 1, art. 7, pag. 884; cap. 11, art. 7, pag. 1038 et seqq; et cap. 12, art. 4, pag. 1049.

Cæcilii ergo aliorumque Gentilium intolerabilis plane erat impudentia, qui Christianos castissimis moribus ornatos, et virtutibus sedulam operam dantes appellare audebant homines deploratæ, illicitæ et desperatæ factionis, latebrosam lucifugamque, in publicum mutam, et in angulis garrulam nationem, qui occultis se notis ac insignibus agnoscebant antequam noverint, ac præsentia tandem tormenta mortemque penitus aspernabantur. Nam « propterea » inquiebat Tertullianus, quod omne supplicii necisque genus, repudiato solo nostro Christianorum nomine, statim declinare possumus, « desperati, » sicut etiam Lactantius aiebat, « et perditi existimamur » (*Tertul. Apolog. cap.* 50, *pag.* 44; *Lactant. lib.* v *Instit. cap.* 9, *pag.* 463).

Sed quo impudentior fuit illa Cæcilii aliorumque Gentilium petulantia ac procacitas, eo certe major fuit Octavii pro Christianis respondentis moderatio. Quid enim, amabo te, hac illius responsione moderatius? « Nec fastidiosi, » inquit, « sumus, si omnes unum bonum sapimus, eadem congregati quiete, qua singuli, nec in angulis garruli, si audire nos publice, aut erubescitis, aut timetis. » Ita autem ille singula accusationis capita elevat ac refellit. Primum enim negat Christianos esse illicitæ factionis homines; quia, inquit, omnes unum bonum sapiunt. At illicita factio esse non potest sine partibus diversis, quæ aliquid contra bonum publicum machinentur. Quamobrem nonnulli pro « fastidiosi » suspicantur legendum « factiosi. » Non male quidem si hæc emendatio auctoritate codicis alicujus firmaretur. Quis enim scit utrum Minucius verbum « factiosi, » ad illa, « bonum sapimus, » non retulerit? Quid si factionis illicitæ criminationem his verbis, « eadem omnes congregati quiete, qua singuli » diluat? Verum si quis sit de vera illa lectione dubitandi locus, auctor tamen noster apertissime pronuntiat, probatque Christianos non illicitæ factionis dici posse homines.

Tertulliani porro ibi ille premit vestigia, qui neutiquam Christianorum, sed ipsorummet Gentilium illicitam factionem esse planius hisque verbis demonstrat: « Hæc coitio Christianorum merito sane illicita, si illicitis par: merito damnanda, si non dissimilis damnandis: si quis de ea queritur eo titulo, quo de factionibus querela est, in cujus perniciem aliquando convenimus? Hoc sumus congregati, quod et dispersi; hoc universi, quod et singuli, neminem lædentes, neminem contristantes. Cum probi, cum boni coeunt, cum pii, cum casti congregantur, non est factio dicenda, sed curia. At e contrario illis nomen factionis accommodandum est, qui in odium bonorum et proborum conspirant, qui adversus sanguinem innocentium, scilicet Christianorum, conclamant » (*Tertull. Apolog. cap.* 39 *et* 40, *pag.* 36). Sed de his plura, ubi de hoc Tertulliani libro disputabimus.

Si Christianorum secta dici non potuit illicita factio, multo certe minus « desperata; » quando quidem « securi, » ut ait Minucius, « spe futuræ felicitatis, fide præsentis Dei majestatis animamur. » Nulla igitur desperatione, sed certissima æternitatis spe quælibet tormenta pro religionis suæ professione constantissime perferebant, immo iis, ut diximus, gloriabantur. Acrius vero urget Lactantius nequaquam Christianos, qui « corpori suo non parcunt, » sed ipsosmet gentiles debuisse desperatos vocari, cum « nihil desperatius esse possit, quam torquere ac dilaniare eum, quem scias esse innocentem » (*Lactant. lib.* v. *Instit. cap.* 9, *pag.* 485). De his autem aliquid adhuc postea dicendum.

Non jure potiori ethnici objectabant Christianos nationem esse latebrosam et lucifugam, in publicum mutam, in angulis garrulam. Suam enim doctrinam palam prædicabant, promptumque ethnicis erat illos, « audire publice. » nisi aut erubuissent impietatem criminaque sua patefieri, aut veram religionem sibi demonstrari timuissent.

Objicienti dehinc Cæcilio Christianos occultis se notis, atque insignibus agnoscere, tam vere, quam simpliciter respondet: « Nos non notaculo corporis, ut putatis, sed innocentiæ ac modestiæ signo facile dignoscimus. » A nobis tamen observatum est Carpocratianos in posteriore sectatorum suorum auriculæ dexteræ parte, quamdam impressisse notam, qua eos haud dubie a cæteris hominibus discernerent (*Tom.* I *Appar. lib.* II *Dissertat.*, *cap.* 3, *art.* 3, § 12, *pag.* 293). Sed neque Cæcilius, neque Octavius de his aliisve hæreticis loquuntur, sed de omnibus generatim Christianis, qui se invicem, ut ait auctor noster, non alio quam innocentiæ et modestiæ signo dignoscebant. De illorum innocentia ex hactenus dictis, et infra adhuc dicendis constat, quemadmodum et de eorumdem præcipue in Ecclesia consistentium, vel ad eam venientium modestia, ex iis quæ in Clementis Alexandrini libros annotavimus (*Tom.* I *Apparat. lib.* III, *Dissert.* 1, *cap.* 6, *art.* 4, *pag.* 713).

Ad postremum tandem Cæcilii, de mutua Christianorum dilectione, convicium respondet Minucius Christianos mutuo et sincero amore sese diligere tum quia alios odisse non noverant, tum etiam quia unius parentis fratres, ut etiam dixerat Tertullianus, et consortes fidei, speique cohæredes erant. Instat

Digitized by Google

vero Octavius hunc, qui maximi profecto æstimandus est, mutuum amorem ab Ethnicis exprobrari, quia « in mutua, » sicuti eos alloquendo asseverat, « odia sævitis; nec fratres vos, nisi plane ad parricidium recognoscitis, » vel ut mox laudatus a nobis Tertullianus ait, « ad occidendum alterutrum paratiores..... quod apud ipsos omne sanguinis nomen de affectione simulatum » (*Tertullian., loc. cit.*). At de his fusius in nostra ad hunc Tertulliani librum dissertatione (*Tertullian. Apologet., cap.* 39, *pag.* 35). Interim vero de illa fraterna Christianorum charitate, et fratrum nomine, videsis Lucianum de Morte Peregrini, pag. 996, ac si lubeat, ea quæ a nobis tom. super. pag. 473, ac pag. 999, observata sunt.

### ARTICULUS II.

*Quo jure Cæcilius dixerit templa tamquam busta a Christianis despici, nullaque ipsis esse templa, nullas aras, nulla nota simulacra, et ineptæ recentiorum Iconoclasturum cavillationes refelluntur.*

Gravissimum profecto crimen illud Cæcilio videbatur, quod Christiani templa diis gentilium dicata non secus ac busta despicerent: « Templa, aiebat ille, ut busta, » id est, ut hominum mortuorum sepulchra aspernantur. Quamvis enim vox « bustum » a verbo *uro* derivetur, ac locum, in quo mortuorum corpora comburi solebant, primitus significaverit; solet tamen a probis auctoribus pro sepulchro, quemadmodum hic ab auctore nostro, usurpari. Testem quemdam si postules, Tertullianum, ex quo sua Minucius hausisse videtur, tibi in medium illico adducemus, qui Ethnicis antea dixerat: « Nec minus templa, quam monumenta despicimus » (*Tertull. lib. de Spectacul. cap.* 13). Vides sane « bustorum » significationem clare explicari a Tertulliano, ab eoque confirmari deorum templa a Christianis despici, tamquam defunctorum hominum sepulchra. Quidni ea hunc in modum contempsissent, cum Clemens Alexandrinus, et alii, sicut alibi annotavimus, deorum templa esse reapse mortuorum hominum sepulchra demonstraverit? (*Tom.* 1. *Apparat. lib.* III, *dissert.* 1. *cap.* 7, *art.* 3, *pag.* 72, *et seqq.*)

Altera Cæcilii querimonia criminatioque fuit, non solum deorum templa a Christianis contemni, verum etiam illis, ut securius mysteria sua occultarent, nulla esse templa, nullas aras, nullaque simulacra: Audi, quæso, quomodo ille ipse de iis conqueratur: « Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra..... Nisi illud, quod colunt, et interprimunt, aut puniendum est, aut pudendum? » Nonne autem eadem est apud Origenem Celsi ethnici querela, Christianos incusantis ararum, statuarum, templorumque dedicationes, seu potius positiones, et collocationes fugere? βωμοὺς, καὶ ἀγάλματα, καὶ νεὼς ἱδρύσθαι φεύγειν (Orig. lib. VIII, *contr. Cels.* pag. 389).

Quid ergo putas Minucium ad hanc respondisse accusationem? Ultro concedit nullos fuisse Christianis aras, nulla simulacra, immo nec ulla etiam templa ac delubra. Cur autem ea omnia non habuerint, hanc ille reddit rationem: « Putatis nos occultare, quod colimus, si delubra et aras non habemus. Quod enim simulacrum Deo fingam, cum si recte existimas, sit Dei homo ipse simulacrum? Templum quod ei extruam, cum totus hic mundus ejus opera fabricatus, eum capere non possit? Et cum homo latius maneam, intra ædiculam vim tantæ majestatis includam? » Hæc ultima de templo verba ex hoc auctoris nostri loco transcripsit, atque ideo probavit Cyprianus (Cypr. *de Idol. Vanit.* pag. 15).

Ædicula autem, ut id obiter annotemus, erat sacellum aliquod, sive sacræ alicujus ædis appendix, aut loculamentum, ubi Dei alicujus simulacrum et imago collocabatur. Unde Cicero: « Quid, inquit, cum Licinia virgo Vestalis..... Aram, et ædiculam, et pulvinar sub saxo sacro dedicasset? »(Cic. *Orat.* 29, *pro Domo sua*, pag. 427.) Apuleius vero: « In ipso meditullio Hipponæ deæ simulacrum residens ædiculæ » (Apulei. lib. III *Metam.*, sub fin.). Denique ut Plinium omittamus, certe Tertullianus, quemadmodum auctor noster, templa seu delubra, aras et ædiculam his verbis distinxit: « Nec enim differt an extruas, vel exornes, si templum, si aram, si ædiculam ejus instruxeris » (Tertullian., lib. *de Idol.* cap. 8, pag. 107). Verumtamen uterque quodlibet templum designat ædiculæ nomine, quo quidem idcirco utitur, ut melius ostendat quanto infinita Dei majestate minus angustiusque sit.

Alia itaque Minucius ac longe præstantiora Christianis, quam ethnicis templa, delubra, altaria, aras et victimas, aliaque longe sacratiora sacrificia fuisse testificatur: « Nonne, Deus, inquit, melius in nostra dedicandus est mente, in nostro imo consecrandus est pectore? Hostias et victimas Domino offeram, quas in usum mei protulit, ut rejiciam ei suum munus? Ingratum est, cum sit litabilis hostia bonus animus, et pura mens et sincera conscientia. Igitur qui innocentiam colit, Domino supplicat; qui justitiam, Deo libat; qui fraudibus abstinet, propitiat Deum; qui hominem periculo subripit, optimam victimam cædit. Hæc nostra sacrificia, hæc Dei sacra sunt. »

Quemadmodum autem Cæcilio Octavius, ita Origenes Celso itidem ethnico, ac eadem, ut paulo ante dicebamus, objicienti respondet, illum non videre, ὅτι βωμοὶ, « quod aræ », unicuique nostrum sit ipsa « mens sua, ex qua » sursum feruntur vere intelligibiles ac suave olentes suffitus, precesque ex pura conscientia: Ἀγάλματα δὲ καὶ πρέποντα Θεῷ, οὐχ ὑπὸ βαναύσων τεχνιτῶν κατασκευασμένα. « Simulacra autem Deo dicanda sunt non fabrorum opera, sed a verbo Dei dedolata, formataque in nobis, videlicet virtutes, ad imitationem primogeniti totius creaturæ, in quo sunt justitiæ, temperantiæ, fortitudinis, sapientiæ, cæterarumque virtutum exemplæ. Hæc sunt statuæ, ἀγάλματα, Deo dicandæ in animis justitiam juxta præceptum Dei, et fortitudinem, et pietatem, reliquasque



Digitized by Google

virtutes exercentium » (Origen. lib. VIII, *contr. Cels.* pag 389).

Pari itaque modo Minucius noster, et Origenes, atque alii ejusdem ætatis scriptores nostri, palam asserunt nulla Christianis fuisse templa et delubra, nullas sacras ædes, nullas aras, nulla simulacra. De iis autem omnibus uno eodemque modo illi loquuntur : immo vero si quid sit discriminis, illud est, quod Minucius ad verbum *simulacra* adjecit *nota*, quasi significare voluerit, Christianis nonnulla quidem fuisse simulacra, sed quæ non erant *nota*, ac secreto et occulte servabantur.

Sed vide, quæso, ineptas Calvinianorum aliorumque Protestantium cavillationes, qui in antiquissimorum Patrum scriptis, quodcumque sibi placuerit admittunt, rejiciunt quod displicuerit. Palam enim vero cum Dallæo fatentur Minucii nostri tempore, atque a primis Ecclesiæ sæculis sua Christianis fuisse quidem templa, sed nullas aras, nullaque simulacra. At qua temeritate distinxerint ea, quæ a vetustissimis illis scriptoribus non distinguuntur, parumper obsecro attendamus.

Bene quidem est, quod Dallæus aliique Protestantes concedant prima Ecclesiæ ætate Christianos sua habuisse templa. Sed qua fronte id negassent, quod ab illis Ecclesiæ Patribus certo certius asseritur? Tertullianus siquidem, uti alibi vidimus, diserte pronuntiat illis fuisse templa, quæ post Apostolum Ecclesiarum nomine, a Calvinianis tamen rejecto, appellavit. Visne aliud illius, etiam contra catholicam Ecclesiam scribentis, testimonium? « Reliquas, inquit, libidinum furias, impias, et in corpora, et in sexus ultra jura naturæ, non modo limine, verum etiam omni Ecclesiæ tecto submovemus. » Jam vero annotavimus ea quoque græco nomine ἐκκλησίαν, a Clemente Alexandrino nuncupari (Ap. p. 741, Tertul. lib. *de Idol.* cap. 7, pag. 107; et lib. *de Virgin. veland.* cap. 13, pag. 201; et lib. *de Pudic.* cap. 4, pag. 718, tom. 1. *Apparat.* pag. 713. Clem. Alex. lib. III. *Pædag.*, cap. 11, pag. 255.)

Nec minus evidenter id evincitur ex Christianorum synaxibus, quas in ædibus templisque, ut sæpius vidimus, agere solebant : ac præterea ex publica reorum pœnitentia, qui ad fores Ecclesiæ prostrati, fidelium preces ac sacerdotum clementiam implorabant. Denique hoc manifestissime probatur auctoritate Arnobii atque Lactantii, qui ethnicos idcirco vituperant, quod Christianorum conventicula et Ecclesias diruerint, aut combusserint. Plura autem de illa ecclesiarum eversione et instauratione narrat Eusebius easque vocat, προσευκτηρίων τοὺς οἴκους, « sacras ædes », et ἐκκλησίας, « ecclesias » alibi vero τοὺς οἴκους ἐν οἷς συνήγοντο, « ædes suas, in quibus conventus peragebant, ac tandem οἴκους ἐκκλησίων, ædes ecclesiarum » (Arnob. lib. IV, *contr. Gent.* pag. 152. Lactan., lib. V, *Inst.* cap. 11. Euseb. lib. VIII. *Hist. Eccl.* cap. 2, pag. 293 et 294. Ibid. cap. 17, pag. 316. Ibid. lib. IX, cap. 9, pag. 362).

Sed quid opus est pluribus illud probari, quod certissimum est, nec ab adversariis nostris negari umquam potuit? Advertas igitur velim versi; elle versutumque illorum ingenium. Confitentur Christianos sua quidem habuisse templa, non in nostrorum tamen, sed suorum duntaxat formam. Nobis si non credas, ecce totidem Dallæi verba : « Neque enim sic accipienda est Minucii oratio, quasi nullæ tum fuerint ædes, in quibus christianæ communionis homines sacros conventus habuerint, quo et de rebus divinis edoceri, et communi Deo supplicare possent, qualia sunt, quæ hodie Protestantium dicuntur templa » (Dallæ, lib. I, *de Imag.* cap. 3, pag. 52). At qua, amabo te, ille, aliique ejusdem sectæ homines, ratione umquam probaverunt templa vetustissimorum Christianorum, suis, non vero nostris, fuisse similia? Ne minima quidem. Num ergo quia sicut Missæ sacrificium, ita ex templis suis aras, et altaria, simulacra, et imagines penitus abstulerunt, inde antiquissima Christianorum templa suis similia esse venditant?

Verum qua profecto facilitate probatum est ædificata ab illis templa, eadem plane evidentia demonstrari potest positas fuisse in illis veteribus templis et ecclesiis aras, et erecta altaria. Tertullianus enim illud hisce verbis disertissime declarat : « Nonne solemniter erit statio tua, si ad aram Dei steteris » (Tertull. lib. *de Orat.* cap. 14, pag 155). Cyprianus vero non solum de altari, sed et sacrificio, quod adversarii nostri tam insolenter rejiciunt, hæc in verba ad Furnenses scripsit : « Jam pridem in concilio episcoporum statutum, ne quis de clericis et Dei ministris tutorem, vel curatorem testamento suo constituat, quando singuli divino sacerdotio honorati, et in clerico ministerio constituti, non nisi altari et sacrificiis deservire, et precibus atque orationibus vacare debeant. » Tum deinde ait, ab antecessoribus suis episcopis decretum : « Ne quis frater excedens ex hac vita, ad tutelam vel curam clericum nominaret : ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes et ministros voluit avocare. Et ideo Victor cum presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est quod pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentetur » (Cyprian. *Epist.* 1 *ad Presbyt.*). Cernis certe ab eo altare et sacrificium ab Christianorum precibus, deprecationibus et orationibus distingui. In illorum ergo Ecclesiis vera ac proprie dicta erant altaria, ac sacrificium pro mortuis fieri tum solebat.

Alia autem ad Cornelium papam Epistola scribit rejectum Novatianorum, qui eum falso accusabant, librum « considentibus Dei sacerdotibus, et altari posito » (Idem, Epist. 45, pag. 87). Atque ut alia bene multa, in ejus scriptis cuique obvia prætermittamus, Lucio papæ, de illius ab exsilio reditu, gratulatur; quandoquidem « magis crevit sacerdotalis auctoritas, ut altari Dei assistat antistes. » Sed illud a nobis hoc jam probatum est, quod etiam celeberrimus horum

Cypriani operum editioni præfectus, licet Anglicanæ ecclesiæ sectator, ultro palamque confitetur. Tam igitur certum est in Christianorum ecclesiis sive templis posita fuisse altaria, quam ædificatas ab eis Ecclesias, in quibus suos, uti fatetur Dallæus, sacros conventus habebant. Nam sicut ille ait, « non modo ex Eusebii Historia, sed ex aliis aliquot veteris Ecclesiæ monumentis satis constat, jam tum Christianis fuisse sacras hujus generis ædes, quibus si uspiam caruerunt, id factum paganorum vi ac injuria, præter fas eam piis hominibus copiam ac libertatem invidentium, non autem ulla Christianorum ipsorum religione » (Dallæ, lib. I, *de Imag.* cap. 3, pag. 52, et seqq.).

Sed dic, quæso, mi Dallæe; fateris quod dissimulare amplius non potuisti, suas Christianis fuisse sacras ædes, negas altaria, negas simulacra, ubi fides? Nonne eodem plane modo dixit Minucius : « Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra? » Cur ergo unum concedis, negas alterum? Numquid « fuit unquam », ut tuis ipsis verbis utamur, « ulla vis major aut iniquior, quam ut tibi jus atque auctoritatem sumas, ipsas hominum, et quidem ante multa sæcula mortuorum cogitationes pro arbitrio immutandi » (Dallæ, *de Imaginib.* lib. I, pag. 52). Minus enim Minucius negare videtur Christianis fuisse templa et altaria, quam simulacra. Non enim inconsiderate addidit Cæcilius, « nota simulacra », id est, ut diximus, quæ publica, aliisque cognita essent. Satis autem a nobis demonstratum est, a Christianis constructa fuisse templa et altaria, in quibus sacrificium verum facere consueverant. Qua autem idem Dallæus ratione illos nulla simulacra et imagines habuisse contendat, jam videamus.

Respondet ille « fieri posse », ut Cæcilius, quemadmodum alius quilibet gentilis, ambiguus hæserit utrum Christiani, « turpis et inhonestæ formæ numen in arcano colerent. » Nam ibidem Cæcilius ipse dixit: « Abscondere quidquid illud colunt, magnopere nituntur. » Itane vero quia putas illud « fieri posse », jus tibi sumis inde concludendi nec hunc gentilem, nec Minucium christianum negavisse quidem sua Christianos habuisse templa, et aras, sed tantum simulacra, de quibus uno eodemque modo loquuntur? Unde vero accepisti Ethnicis minus nota fuisse Christianorum simulacra, quam sacras ædes, quas occulte tantum adire consueverant?

Urget tamen Dallæus facile promptumque fuisse Octavio respondere, quædam Christianis fuisse simulacra et altaria, sed longe ab Ethnicorum simulacris et altaribus diversa. Tantum autem abest, ut ita responderit, quin immo dicat nullum exstruendum Deo templum, quem non totus mundus, multo minus una ædicula includere potest : sed bonum animum, puram mentem, sinceram conscientiam optimas esse et litabiles Deo hostias ac victimas, denique hominem esse Dei simulacrum.

Verum nihil plane hoc responso levius ac futilius. Nam Judæi et Gentiles, apud quos tot aras, victimas et sacrificia facta fuisse nemo nescit, eodem ac Minucius loquendi modo utuntur. In Philonis siquidem Judæi « de victimis, » libro hæc legimus : Τοῦ Θεοῦ θυσιαστήριον ἐστιν ἡ εὐχάριστος τοῦ σοφοῦ ψυχὴ, παγεῖσα ἐκ τελείων ἀριθμῶν ἀτμητων καὶ ἀδιαιρέτων. « Dei altare intelligitur grata sapientis anima, compacta ex numeris solidis et individuis. » At longe plura eam in rem paulo ante scripserat (Philon., lib. *de Victim.*, pag. 851).

Gentilis vero Seneca, a Lactantio citatus : « Non est beneficium ipsum, inquit, quod numeratur, aut traditur. Sicut nec in victimis quidem, licet opimæ sint, auroque præfulgeant, deorum est honos, sed pia ac recta mente venerantium » (Senec., lib. I, *de Benef.*, cap. 6; Lactant., lib. VI, *Institut.*, cap. 25, pag. 638). Quin etiam prius Cicero : « Cultus, aiebat, deorum est optimus, idemque castissimus, plenissimusque pietatis; ut eos semper pura, integra, et incorrupta, et mente, et voce veneremur » (Cic., lib. II, *de Nat. Deor.*, pag. 224, lin. 42). Si plura velis, adi Porphyrium aliosque plures a Lescaloperio, in hunc Ciceronis locum citatos. At quis unquam dixerit Judæos, aut gentiles, his verbis negavisse apud suos vera fuisse altaria, aras, victimas, sacrificia. (Porphyr., lib. II, *de Abstin. animal.* sub fin.; Lescalop., in lib. II, *de Nat. Deor.*, § 72, pag. 347.)

Quid vero facies Tertulliano, quem tam presso vestigio Minucius prosequitur? Nonne ipse quoque scripsit : « Nec minus templa, quam monumenta despicimus, neutram aram novimus, neutram effigiem adoramus? » (Tertull., lib. *de Spectac.*, cap. 13, pag. 96.) Nonne ibi tam aperte, quam Minucius ulla prorsus Christianis templa, aras et simulacra fuisse abnuit? Nonne etiam alibi ethnico Scapulæ respondet : « Sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro et ipsius, sed quomodo præcepit Deus, pura prece? » (Idem, lib. *ad Scapul.*, cap. 2, pag. 86.) Numquid idcirco negavit Christianos omnibus omnino caruisse templis, aris, et altaribus? Minime quidem, sicuti aliis paulo ante citatis probatum est illius verbis, et ab ipso Dallæo concessum.

Necesse est igitur, ut dicamus a Minucio nostro, Tertulliano aliisque eodem modo loquentibus, illud uno concedi sensu, et alio negari. At quoniam contra ethnicos disputabant, idcirco negaverunt Christianos gentilium more habuisse templa, in quibus fictitios deos colebant, et eos habitare arbitrabantur, vel aras et altaria, ad cædendas offerendasque eis victimas, sed habuisse sacras ædes et altaria, in quibus christiano ritu verum Deum colebant, incruentumque faciebant sacrificium. Nihil ergo dictu absurdius, quam citatis Minucii verbis, uti garriebat Dallæus, excludi « Romanorum, » ita invidiose Catholicos hæreticus homo appellat, « hominum » altaria, quia ipsi ejusque sodalibus sacrificium eucharisticum auctoritate propria rejicere placuit. Jam enim certissimo veterum Patrum testimonio ostendimus Minucii tempore in Christianorum templis sive Ecclesiis posita fuisse altaria, factumque sacræ Eu-

Digitized by Google

charistiæ sacrificium. Quod quidem postea Augustinus disertissime asseverat (August. lib. VIII, *de Civit.*, cap. 27, pag. 217; et lib. X, cap. 20, pag. 255).

Eadem porro cum sint Minucii et Tertulliani de templis, et altaribus, atque de simulacris verba, eodem sane modo explicanda sunt. Negant itaque ulla apud Christianos fuisse simulacra, qualia videlicet ethnici deorum suorum construxerant. At hanc fuisse Minucii mentem non solum ex hactenus dictis, sed tota etiam inter ipsum ac Cæcilium disputatione colligitur. Cæcilius quippe objiciebat nulla Christianis, quemadmodum gentilibus fuisse falsorum deorum, sicut templa, ita nec simulacra. Fatetur autem Minucius rem profecto sic se habere. At quomodo non negat iis fuisse alia quam fictitiorum deorum templa, ita etiam nec alia quam ipsorum ab illis facta simulacra inficiatur.

Neque urgeas omnia a Minucio omnino simulacra et imagines excludi, quandoquidem respondet : « Quod simulacrum Deo fingam, cum si recte existimes, sit Dei homo ipse simulacrum? » Nam de templis similiter, uti annotavimus, dixerat : « Templum quod ei exstruam, cum totus hic mundus, ejus opere fabricatus, eum capere non possit? » Atqui Dallæus, aliique ejusdem sectæ homines, confiteri coguntur, his posterioribus verbis vera Christianorum templa non excludi. Ergo similiter fateantur necesse est, prioribus ejusdem Minucii verbis non alia excludi, quam falsorum deorum simulacra, statuas et imagines, quæ a Christianis sine idololatria ferri non poterant. De his porro Christianorum imaginibus et simulacris, eorumque usu in superioribus nostris dissertationibus egimus, ac plura a Petavio, Thomassino et aliis pluribus tradita legere poteris (tom. I, *Apparat.*, pag. 747 et seqq.; Petav., tom. V, *Theolog. dogmat.*, lib. XV, cap. 11, et Thomass., lib. XII; *Theol dogmat. de Incarnat.*, cap. 7, et seqq.). Quid autem auctor noster de exhibito a Christianis cruci Christi cultu et honore statuerit, in quarto subsequenti articulo investigandum est.

### ARTICULUS III.

*Quomodo Octavius refellat Cæcilium objicientem a Christianis coli hominem cruci pro facinore affixum, ubi de suprema Christi divinitate : quam perspicue idem Octavius ostendat ab Ægyptiis scelestum hominem, et a Romanis reges et imperatores divino cultu honoratos, ac per illorum genios juratum; utrum vero Christianis per eorum salutem jurare fas fuerit.*

Christianos duplicis adhuc sceleris Cæcilius arguit : « Qui hominem, inquit, summo supplicio pro facinore punitum, et crucis ligna feralia eorum cærimonias fabulantur, vel potius, fabulatur, congruentia perditis sceleratisque tribuit altaria; ut id colant, quod merentur. » Audis sane quomodo gentiles duplicis adhuc nefarii, uti putabant, cultus Christianos condemnaverint; primo quod hominem crucis supplicio sua propter scelera affectum; secundo quod crucem, ferale supplicii illius instrumentum, colerent ac venerarentur.

At Minucius utramque illam criminationem falsam esse singulatim ostendit. Ad priorem enim quod spectat, palam ille constanterque asseverat gentiles falli omnino, totaque errare via, qui in suum induxerant animum, hominem terrenum, ac cruci sua propter crimina suffixum, meruisse aut potuisse a Christianis Deum credi, atque eo titulo divinum ipsi ab illis tribui honorem. Persuasissimum quippe iidem Christiani habebant eos prorsus esse miserabiles, qui spem in mortali ponunt homine, quo mortuo, quod ab illo exspectare poterant, auxilium omne finitur.

Sed ipsemet Minucius audiendus est : « Quod religioni nostræ hominem noxium, et crucem ejus ascribitis, longe de vicinia erratis, qui putatis Deum credi, aut meruisse noxium, aut potuisse terrenum. Nec ille miserabilis, cujus in homine mortali spes omnis in cititur; totum enim ejus auxilium cum extincto homine finitur. » Præfracte igitur negat a Christianis coli, noxium hominem ac morte merito mulctatum.

Quid ergo? Numquid Minucius tam certo affirmare potuit omnem prorsus cultum, ac veneratiouem Christo Servatori a Christianis denegatum, nullamque prorsus in illo spem habuisse? Nemo sane homo id unquam crediderit. Cum certum itaque et exploratum sit Christianos et coluisse Christum, et in eo, qui pro ipsis mortuus fuerat, spem collocasse, quid inde colligas, nisi pro rato fixoque Minucium posuisse, Christum a sectatoribus suis revera coli, non quidem sicut hominem, a quo mortuo nihil amplius sperandum, sed sicut Deum, in quo, utpote vero et immortali Deo, spem maximam semper habebant? Nonne autem inde, ut id obiter observemus, recte colligi potest persuasum Minucio prorsus fuisse Christum esse verum summumque Deum, atque ejusdem cum æterno Patre suo substantiæ? Nam ille, uti supra ostendimus, constantissime docuit, unum dumtaxat esse Deum. Ubi ergo Christum Deum agnovit, ibi ipsum profecto unum eumdemque cum Patre suo Deum confessus est.

Petavius ergo ex iisdem Minucii verbis, sed alia ratione probare conatur, agnitam ab illo fuisse supremam Christi divinitatem (Petav., tom. II, *Theolog. dogmat.*, præf., cap. 5, § 3). Censet enim vir doctus illum fateri verum Deum esse Christum, eoque nomine coli a Christianis, quemadmodum ethnici deos suos venerabantur. Sed doctissimi viri pace nobis dicere liceat, paulo enodatius explicandum quomodo illud ex paucis, quæ integra retulimus, Minucii verbis colligi possit. At hæc videtur esse illius argumentatio. Erratis, ethnici, qui putatis hominem, mere terrenum ac noxium a nobis Deum credi. Nam credimus Christum non modo innoxium hominem, sed verum etiam fuisse Deum, in quo spes nostra firmissime innititur.

Christiani siquidem ab ethnicis judicibus interrogati, nec imminentium suppliciorum metu deterriti,

Digitized by Google

constanter, sicut Plinius ad Trajanum Imperatorem scripsit, respondebant : « Carmen Christo, quasi Deo, dicere secum invicem, » id est, Christo, quem verum Deum esse asserebant, et quales, uti visum Petavio, ethnici esse deos suos arbitrabantur (Plin., Epist. 101).

Tum deinde Minucius ethnicorum argumentum in ipsos retorquet ac demonstrat ab illis hunc ipsum, quem Christianis falso exprobrabant, religiosum cultum mero homini revera exhiberi. Nam Ægyptii, inquit ille, unum hominem selectum de omnibus consulebant. « illum propitiabant, » atque ipsi, quem dicebant esse Deum, cædebant victimas. Quam autem verum id sit, docebit te Porphyrius, qui ad Anebonem hæc, sicut Eusebius refert, scripsit in verba : « Homini quoque circa pagum, quem Anubin vocant, divinos honores tribuunt, eique sacrificium offerunt, et impositas altaribus hostias adolent. » Ἄνθρωπον αἴθουσι, κατ' Ἄνυβιν κώμην, ἐν ᾗ καὶ τοῦτῳ θύεται, καὶ ἐπὶ τῶν βωμῶν τὰ ἱερὰ ἐκκαίεται. « Ille vero postea tantum comedit, quæ sibi ex privato penu, tamquam privato homini parata et apposita fuerint » (Euseb., lib. III, *Præpar. Evang.*, cap. 3, pag. 94). Eadem ille, nullo auctore citato, repetit, sicut postea Theodoretus, qui Porphyrii quidem citat Epistolam, illiusque sensum, sed non verba exhibet (Theodoret., tom. IV, Serm. 3, *de Angel. et dæmon.*, pag. 516).

Alio adhuc argumento Minucius ethnicos ac potissimum Romanos ejusdem impietatis coarguit. Non suis enim tantum principibus et regibus, tamquam diis, turpiter adulabantur: sed eorum etiam numen invocabant, ad eorum imagines supplicabant, implorabant ipsorum dæmonem, ac tutius illis erat, per Jovis, quam regis sui genium jurare.

De scelerata illa adulatione, qua mortuos Imperatores suos Romani deorum numero adscribebant, hæc apud Justinum Martyrem legimus : Καὶ τί γὰρ ἀποθνήσκοντας παρ' ὑμῖν αὐτοκράτορας ἀπαθανατίζεσθαι ἀξιοῦντες, καὶ ὀμνύντα τινὰ προάγετε ἐωρακέναι ἐκ τῆς πυρᾶς ἀνερχόμενον εἰς τὸν οὐρανὸν τὸν κατακαίοντα Καίσαρα. « Morientes apud vos Imperatores semper immortalitati consecrare dignamini, producentes quempiam, qui jurejurando confirmet vidisse se e rogo in cœlum ascendere ardentem Cæsarem. » Postea vero : « Et qui apud vos moriuntur, Imperatorum imagines forma ista consecratis, et deos inscriptionibus nominatis » (Justin., martyr., *Apolog.* I, pag. 67-90). Sed hæc impia Imperatorum Romanorum apotheosis nemini plane, qui vel primoribus labris aliquam illorum historiam attigerit, incognita esse potest. Non ibi tamen stetit prorsus detestanda ethnicorum adulatio, sed iisdem suis Imperatoribus, adhuc vivis, uti Julio Cæsari, Octaviano Augusto, aliisque, exstruxerunt templa, et aras, atque sacerdotes creaverunt (Sueton., *in Vita Julii Cæs.*, § 76; et *in Vita August.*, § 52. Cornel. Tacit., lib. III, *Annal.*, circ. med.).

Suos autem Imperatores adhuc viventes, aut post mortem, deos a se renuntiatos, magis verebantur, quam antiquiores, longoque jam a tempore a suis consecratos patribus. Cur ergo? Quia « tutius, » inquit Octavius, eis erat, « per Jovis genium pejerare, quam regis. » Ibi autem ille præeuntem proculdubio secutus est Tertullianum, cujus hæc ipsa verba legisse videtur : « Citius apud vos, gentiles, per omnes deos quam per unum genium Cæsaris pejeratur » (Tertullian., *Apolog*, cap. 28).

Certo quidem certius est jam ab Augusti imperatoris tempore morem invaluisse, ut ii per nomen sive genium Imperatoris jurarent. Etenim Horatius eumdem Augustum alloquendo, sic canebat :

> Præsenti tibi maturos largimur honores,
> Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.
> (Horat., l. II, *Epist.* I, v. 15 et 16.)

Audis certe et positas, sicut proxime diximus, Augusto adhuc viventi aras, ac per nomen, id est, genium ejus ethnicos jurasse. Postquam vero ille fato functus fuisset, Claudius Cæsar, teste Suetonio, « Jusjurandum neque sanctius sibi, neque crebrius instituit, quam per Augustum » (Sueton., *in Vita Claud.*, § 11), id est, per ejus genium et nomen. Quam sacrum autem ac religiosum fuerit hoc jusjurandum si tibi adhuc probari aveas, disces utique ex his Taciti verbis : « Aubrio crimini dabatur violatum perjurio nomen Augusti. Quæ ubi Tiberio notuere, scripsit consulibus..... jusjurandum perinde æstimandum, quam si Jovem fefellisset » (Tacit., lib. I, *Annal.* ante fin.).

Neque porro per solius Augusti, sed aliorum etiam Imperatorum genium gentiles jurare consueverant. Perversissimi siquidem hujus moris locupletissimus testis nobis est Apuleius. Cum enim Magistratus hortulanum quemdam quærerent, atque ubi esset scisciterentur : « Militones, inquit, ibi nec uspiam delitescere adjurantes, genium principis contendebant » (Apulei. lib. IX, *Metamorph.* sub fin.). Caligula insuper multos, Suetonio teste, gravibus pœnis affecit : « quod numquam per genium suum dejerassent » (Suet., lib. IV, § 27). Denique, ut plura omittamus, narrat Tertullianus, perduelles, qui a Cassii et Albini partibus stabant, per genios pejerasse Imperatorum (Tertullian., *Apologet.*, cap. 35, et lib. *ad Scapul.*, cap. 2, pag. 85).

Sed impium illud jusjurandum Christiani detestabantur. Quamobrem Polycarpus, quemadmodum aiebat Eusebius, numquam a tyranno cogi potuit, ut per Cæsaris genium juraret (Euseb., lib. IV, *Hist. Eccl.*, cap. 15, pag. 131 et seqq.). Alii vero Christiani, sicuti idem Tertullianus testatur, irreligiosi, ac populi hostes propterea proclamati sunt, quod Cæsarum imagines repropitiari, eorumque genios dejerare detrectaverint. Sed de Tertulliano adhuc aliquid suo loco dicendum (Tertullian., *Apologet.*, cap. 32, p. 31, et lib. I, *ad Nation.*, cap. 17, pag. 61).

Nonnulli porro a nobis fortasis inquirent cur Minucius tam confidenter pronuntiet ethnicos, « tutius, » vel sicut ait Tertullianus, « citius, » per Jovis, quam Imperatoris genium jurasse (idem, *Apologet.*, cap. 28). Duplicem itaque rationem illis dabi-

Digitized by Google

mus. Prima est, quam Tertullianus nobis suggerit, gentiles minus deos suos timuisse, quam præsentem Imperatorum potestatem. Secunda vero, quia juramenti Deo præstiti, inquit Zozimus, condonatio divinæ benignitati permissa erat (Zozim., lib. v, *Histor.* in fin.). Qui vero per genium principis, vel in re aliqua minoris momenti, verbi gratia pecuniaria, pejerabat, is, sicuti Ulpianus annotavit, fustibus castigari jubebatur (Ulpian., lib. II, titul. 2, leg. 13, § *Si quis*). Plura qui voluerit, ille adeat Brissonium, Hansenium Trelierum, et alios qui de veterum juramento, et Taffinum qui de genii cultu, ac per eum jurandi more scripserunt (Brisson., lib. VIII, *de Formul.*, pag. 809; Hansen., *de Jurament. veter.*, cap. 16; Taffin., *de Anno sæcul.*, etc., cap. 13).

ARTICULUS IV.

*Qua ratione Minucius dixerit cruces a Christianis nec coli, nec optari.*

Octavius ad secundam Cæcilii de crucis cultu objurgationem duobus quoque modis respondet Prius autem illius responsum his nec pluribus verbis comprehenditur : « Cruces nec colimus, nec optamus. » Sed id quo brevius, eo obscurius multis videbitur. Itane vero Christiani, inquies, nec ipsam quidem Christi crucem, nec ullam prorsus ejus imaginem colebant? Nonne crux Christi a Cyrillo Hierosolymitano vocatur, « τὸ σωτήριον τοῦ σταυροῦ ξύλον, salutare crucis lignum; et Eusebio, σωτήριον σημεῖον, salutare signum, σωτήριον καὶ ζωοποιόν, salutare ac vivificum, atque etiam, σωτήριον τρόπαιον, salutare trophæum, » Romanæ urbis, imperii, ac totius orbis præsidium, cujus divinam potentiam Licinius Imperator ethnicus agnovit? (Cyrill. Hierosol., Epist. *ad Constan. Imperat.*, pag. 247.) Quis autem dubitat tale crucis signum a christianis sincero cultu honoratum? Si quis tamen reluctetur, is audiat Eusebium, qui Constantinum Magnum summis laudibus ideo extollit, quia triumphale, uti ait, illud signum coluit τὸ νικοποιὸν βῆμα σημεῖον, in quo vim divinitatis et memoratos ibi ab eodem Eusebio mirabiles effectus, sæpius expertus fuerat (Euseb., lib. I, *de Vita Constant.*, cap. 31, pag. 423; lib. II, cap. 16, p. 451; lib. IV, cap. 21, pag. 535: et Orat. *de Laudib. Constant.*, pag. 627 et 628). Ambrosius vero haud dubitanter pronuntiat Christi crucem ab Helena, ejusdem Constantini matre, in capite regum locatam, « ut in regibus adoretur » (Ambros., orat. *de Obit. Theodos.*, § 46, pag. 1211). Hieronymus vero ait Paulam « prostratam ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorasse » (Hieron., Epist. 86, seu *Epitaph. Paulæ*, pag. 673).

Quid plura? Julianus Apostata Christianos, quemadmodum Cæcilius, objurgabat quod cœlitus delapsum Jovis ac Martis clypeum irridentes ac contemnentes, crucis signum venerabantur. At illi respondet Cyrillus Alexandrinus, τὸ σωτήριον ξύλον, « salutare lignum, τοῦ τιμίου σταυροῦ, honorandæ crucis, » refricare beneficiorum omnium in nos Christi morte collatorum memoriam (Cyrill. Alexandr., lib. VI, *contr. Julian.*, pag. 194 et seqq.). Quis autem dubitet longe æquius justiusque esse hujus salutaris signi, quam horrendorum ac turpissimorum flagitiorum a diis admissorum depictas in parietibus colere imagines?

Sed si res ita se habuerit, qua Minucius ratione dicere potuit : « Cruces nec colimus, nec optamus. » Quidam autem male ibi legerunt « oramus. » Alii auctoris nostri sensum perspectum satis non habentes, corrigendum censuerunt, et revera scribi voluerunt, « horremus. » Sed hæc omnia contra codicis manuscripti fidem, nec meliori sensu.

Quid igitur, inquies, Minucius sibi voluit his verbis : « Cruces nec colimus, nec optamus, » aut quomodo ea possunt explicari? Certum autem videtur illa non de ipso vero crucis Christi stipite et ligno, de quo jam citati a nobis Ambrosius et Hieronymus loquuntur, posse intelligi. Illius enimvero tempore vera illa crux Domini ab Helena, Constantini Magni matre, nondum reperta fuerat.

Quapropter ibi vel de hujus sacræ crucis signo et imagine, vel de aliorum sceleratorum hominum crucibus proculdubio loquitur. Atqui hoc secundo significatu verba ejus posse accipi inde haud absurde quis colliget, quod sicut « ethnici, » teste Origene, « legentes » Christi historiam, opinati sunt Christianos omnibus in crucem actis aliquam exhibere venerationem; ita etiam falso crediderunt, illos quaslibet cruces revereri (Origen., lib. II, *contr. Cels.*, pag. 87). Huic autem explicationi favere videtur et Cæcilii redargutio, et Minucii responsum. Uterque enim non de cruce aliqua singulariter, sed generatim de crucibus sermonem fecit. Potuit autem Minucius recte omnino dicere Christianos hominum, ob scelera morte damnatorum, cruces nec colere, nec optare.

Si quis vero hæc ipsius verba de veræ Christi crucis imaginibus exponenda esse arbitretur, hanc proculdubio existimabit esse ejus mentem ac sensum. Cruces aut ligneas, aut cujusvis materiei non colimus; quia ipsum lignum, aut aliam similem materiam non honoramus, sed crucem videndo, omnem nostrum cultum, ad ipsummet, qui in cruce pependit, Christum referimus. Nec explicatio illa quibusdam nimis violenta censebitur. Ambrosius enimvero, qui veram crucem Christi, uti observavimus, in regibus dixit adorari; paulo ante de illa ipsa sic scripserat : Helena « invenit titulum » crucis, « Regem adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis est error, et vanitas impiorum : sed adoravit illum, qui pependit in ligno, scriptus in titulo » (Ambros., orat. *de Obit. Theodos.*, § 46, pag. 1211).

Verum si ea sit auctoris nostri mens, quo jure adjecit, « nec optamus? » Quid enim Christianis optabilius, quam crucis Christi videre effigiem, aut pro Christo subire crucis supplicia? Responderi potest, Minucii verbum « colimus, » ad prius Cæcilii, « adorandæ; » atque « optamus, » ad « subeundæ cruces » referri, ita ut hic sit sensus : Cruces non optamus,

Digitized by Google

aut quærimus; sed si a tyrannis capti, eas subire coginur, lubenti animo patimur, et optamus crucis supplicio vitam finire. Eodem autem sensu Tertullianus: « Plane volumus pati, verum eo more, quo et bellum nemo quis lubens patitur, cum et trepidare et periclitari necesse sit; tamen prœliatur omnibus viribus, et vincens in prælio gaudet, qui de prælio querebatur (Tertullian., *Apologet.*, cap. 50). » At dissimulare non possumus, hac secunda interpretatione vim aliquam Minucii verbis afferri. Etenim una eademque vox simul signum dumtaxat crucis, et veram crucem significabit. Vide igitur qua ratione huic expositioni altera præferenda sit.

Cæterum quidquid de horum Minucii verborum sensu pronuntietur, negari certe non potest Christianos ejus tempore cultum aliquem reddidisse Dominicæ crucis signo. Frontibus quippe suis illud sæpissime imponebant, virginemque Eustochium Hieronymus hortatur: « Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat Domini crucem; » atque aliam quoque virginem: « Crebro signaculo crucis munias frontem tuam, ne exterminator Ægypti in te locum reperiat, sed primogenita, quæ apud Ægyptios pereunt, in tua mente salventur » (Hieronym, Epist. 18 *ad Eustoch.*, pag. 46; et Epist. 97 *ad Demetr.*, p. 790) Longe vero antiquiorem fuisse hunc Christianorum morem in sequentibus nostris dissertationibus demonstrabimus, ac eodem etiam crucis signo sæpe sæpius fugatos a Christianis dæmones, sicut alia in dissertatione postea annotabimus (Dissert. *in lib. Luc. Cæcil. de Mort persecut.*, cap 5, art. 2 et 3). Quis itaque sanæ mentis homo diffitebitur tributum a Christianis honorem crucis Christi signo, quo se creberrime ac singulis fere horis signabant, et cujus virtute tot tantaque miracula fieri mirabantur. Apage ergo ineptam Gronovii in hunc Minucii locum animadversionem, qua insulse asserit nullum cruci Christi tribuendum honorem. De illo autem adhuc postea agendum, de quo interim consulere poteris Petavium, Thomassinum, Gretserum, aliosque theologos sive scholasticos, sive controversiarum scriptores (Petav., tom. v, *Theol. dogm.*, lib. xv, cap. 8. Thomass., lib. xii, *Theol. dog. de Incarn.*, cap. 8; et *Theolog. in Magist. Sentent.*, lib. iii, diss. 9; et in D. Thom., iii, part. quæst. 25).

ARTICULUS V.

*Quomodo Minucius telum ethnicorum, Christianis cultum crucis objicientium, in illos retundat, qui cruces in deorum simulacris, cantabris, vexillis, tropæis honorabant, ac quarum signum in tumentibus navium velis, in jugo, et homine expansis brachiis orante repræsenta ur.*

Satis Minucio non fuit Ethnicos crucis cultum Christianis exprobrantes confutasse, sed id ipsum, quod inde conjiciebant telum, in illos sic retundit: « Vos plane ligneos deos consecratis, cruces ligneas, ut deorum vestrorum partes forsitan adoratis. Nam et signa ipsa, et cantabra, » (male aliqui scriptum volunt *labara*) « et vexilla castrorum, quid aliud, quam inauratæ cruces sunt et ornatæ? Tropæa vestra victricia non tantum simplicis crucis faciem, verum et affixi hominis imitantur. » Videtur autem auctor noster hæc delibasse ex Tertulliano, qui eodem prorsus modo illam ethnicorum de cultu cruci, a Christianis exhibito, vanam argumentationem retorsit: « Qui crucis, » inquit, nos « religiosos putat, consecraneus erit noster, cum lignum aliquod propitiatur. Viderit habitus, dum materiæ qualitas eadem sit. Viderit forma, dum id ipsum Dei corpus sit. Et tamen quanto distinguitur a crucis stipite Pallas Attica, et Ceres Pharia, quæ sine effigie rudi palo, et informi ligno prostat? Pars crucis est omne robur, quod erecta statione defigitur: nos si forte integrum et totum Deum colimus. Diximus originem deorum vestrorum a plastis de cruce induci. Sed et victorias adoratis, cum in tropæis cruces intestina sunt tropæorum. Religio tota castrensis signa veneratur, signa jurat, signa omnibus deis præponit. Omnes illi imaginum suggestus insignes, monilia crucum sunt, siphara illa vexillorum, et cantabrorum stolæ crucum sunt. Laudo diligentiam: noluistis nudas et incultas cruces consecrare » (Tertullian., *Apologet.*, cap. 16, pag. 17). Alio autem in libro eadem, sed aliis verbis repetita legi ab omnibus possunt (idem, lib. i, *ad Nation.*, cap. 12, pag. 58).

Cur autem Minucius dixerit ab ethnicis cruces ligneas, ut deorum suorum partes adorari, his intelliges ejusdem Tertulliani verbis. Cujusvis Dei « simulacrum, inquit, prius argilla deformat cruci et stipiti superstructa. In patibulo, » id est, cruce, « corpus Dei vestri dedicatur » (idem, *Apologet.*, cap. 12, pag. 14. Idem, lib. i, *ad Nation.*, cap. 12, pag. 58 et seqq.). Quod quidem alio in libro planius clariusque explicat: sed quia longior ibi est, ad ejus librum te mittendum satius duximus. Neque tamen sine aliqua observatione prætermittendum est, adjectum a Minucio adverbium « forsitan » ante « adoratis. » Numquid enim illud omnino asseverare noluit, quoniam ethnici deorum suorum simulacra adorantes, ad suppositas eis cruces animum non advertebant? Quid vero, si illud ironice, atque idcirco affirmanter, quemadmodum Tertullianus, dixerit?

Ante utrumque vero Justinus Martyr Ethnicis similiter objecerat « castrorum vexilla, et tropæa victricia » esse cruces, ut ait Minucius, vel sicut Tertullianus dixit « crucum stolas » (Justin. *Apol.* i, pag. 90). Omnibus autem cum id satis compertum sit, nihil amplius addemus, nisi illa Hieronymi ad Lætam verba: « Vexilla militum crucis insignia sunt » (Hieronym. epist. 57, *ad Læt.* pag. 591).

Memorata vero ab auctore nostro, et Tertulliano « cantabra » erant signa, quæ purpura, et auro ornata, in pompis et solemnitatibus cum deorum figuris per urbem ferebantur. Neque aliud inter cantabra et vexilla intercedebat discrimen, nisi quia hæc vela tantum erant, colore suo notissima; cantabra vero ab illis discernebantur et colore suo, et carmine

Digitized by Google

aliquo, vel nomine, quo grati aliquid ac jucundi significabatur.

« Tropæa » porro erant capta hostium spolia, quæ duplici veru, uno recto, et transverso altero, atque idcirco crucis effigiem referente, solebant imponi. Tropæis autem ferendis præpositi vocabantur cantabrarii, quorum mentio in Theodosiano codice, in quem legendæ sunt Gothofredi notæ, et Bullingeri, de Spoliis Gallicis, animadversiones (Cod. Theodos. leg. 2 *de Collegiatis*, tom. v, pag. 192. Bulling. *de Spol. Græc.*, cap. 3).

Pergit Minucius, et ait crucis signum naturaliter videri in navi, quæ velis tumentibus vehitur, et in jugo, quo consuevit terra arari. Sed hæc adhuc fusius explicat Justinus martyr. Navis autem antennam esse crucis signum Tertullianus Hieronymusque observarunt (Tertullian. lib. *advers. Judæos*, cap. 11. Hieronym. Epist. *ad Heliod.*).

Aliud porro naturale crucis signum est homo « manibus, » uti ait Tertullianus, « expansis » vel quemadmodum Minucius noster loquitur : « Homo qui, porrectis manibus, Deum pura mente veneratur » (Tertull. lib. II, *ad Nation.*, cap. 12).

Sed quorsum, inquies, ex hoc exemplo contra Ethnicos ille disputavit? Numquid et hi ethnici expansis etiam manibus preces fundebant? Ita sane; nec preces tantum, sed et sua hoc ritu faciebant vota, quemadmodum plurimis quorumlibet scriptorum testimoniis probatu facillimum est. Virgilius siquidem de Anchise cecinit :

> At Pater Anchises oculos ad sidera lætus
> Extulit, et cœlo palmas cum voce tetendit:
> Jupiter omnipotens, precibus si flecteris ullis, etc.
> (Virgil., l. II *Æneid.*, v. 687 *et seqq.*)

Sequenti autem in libro :

> Corripio e stratis corpus, tendoque supinas
> Ad cœlum cum voce manus, et munera libo
> Intemerata focis.
> (Virgil., l. III *Æneid.*, v. 176 *et seqq.*)

Paulo post vero dicit ab eodem Anchise passis, id est, extensis manibus numen invocatum :

> At Pater Anchises passis de littore palmis,
> Numina magna vocat.
> (Ibid., v. 263.)

Quid plura? Ipse alibi de alio cecinit :

> Respicit ignarus rerum ingratusque salutis,
> Et duplices cum voce manus ad sidera tendit :
> Omnipotens genitor, etc.
> (Idem, l. X, v. 666 *et seqq.*)

Ovidius etiam de nauclero tempestatis tempore :

> Ipse gubernator tollens ad sidera palmas,
> Exposuit votis, immemor artis, opem.
> (Ovid., l. I *Trist.*, *Eleg.* 10).

Alibi vero :

> . . . . . Hic votis numen adorat,
> Brachiaque ad cœlum, quod non videt, irrita tollens,
> Poscit opem.
> (Idem., l. II, *Metamorph.*, 38.)

Plura si velis, tibi suppeditabit Brissonius (Brisson., lib. II, *de Formul.*, pag. 44 et 118). Non solum autem gentiles, sed Moyses etiam, Israelitis contra Amalecitas pugnantibus, « cum levaret, » scilicet ad cœlum manus, ac Deum pro eis precaretur, « vincebat Israel » (Exod., cap. XVII, 11).

Christianorum vero eumdem fuisse morem perspicue docet Tertullianus : « Illuc, » id est, cœlum, « suspicientes Christiani, inquit, manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore, quia de pectore oramus (Tertull., *Apolog*, cap. 30). Alio quoque in libro scribit : « Nos vero non attollimus tantum manus, sed etiam expandimus e dominica passione modulatum, et orantes confitemur Christo » (Idem, lib. *de Orat.*, cap. 11). At de his Tertulliani verbis nos suo loco.

Ambrosius etiam ubi sanctissimæ Agnetis martyrium describit : « Si ad aras, ait ille, invita traheretur, tendere Christo inter ignes manus, atque in ipsis sacrilegis focis tropæum Domini signare victoris, » id est, dominicæ crucis signum, uti ibidem annotavimus (Ambros., lib. II, *de Virgin.*, cap. 2, § 7, pag. 148).

Denique ut alios complures missos faciamus, Prudentius cecinit ex martyrum Fructuosi, Aurelii, et Eulogii manibus, quas ad Deum in flammis tollebant, vincula excidisse :

> Non ausa est cohibere pœna palmas,
> In morem crucis ad Patrem levandas,
> Solvit brachia, quæ Deum precentur
> (Prudentius *in Hymno Fruct.*, etc., p. 187.)

Nec mirum sane; quandoquidem Paulus in prima ad Timotheum epistola scripserat : « Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus » (Paul. Epist. I, ad Tim., cap. II, 8).

Recte igitur ex his auctor noster concludit : « Ita signo crucis aut ratio naturalis innititur, aut vestra, » scilicet gentilium, « religio formatur. »

## CAPUT XIII.

### ALIA INIQUISSIMARUM CÆCILII ACCUSATIONUM CAPITA EXPENDUNTUR.

#### ARTICULUS PRIMUS.

*Quanta injustitia Cæcilius vitio Christianis vertat, quod honestis voluptatibus, spectaculis, pompis, circensibus et gladiatoriis ludis, ac turpibus theatri scenis abstinerent.*

Alia Cæcilius tamquam dedecora et crimina Christianis objicit, quæ eo minus probro vitioque eis dari debebant, quo magis manifestam omnibus faciebant illorum pietatem et sanctimoniam. Nemo tamen mirabitur singularem hujuscemodi accusationis insolentiam, si animadverterit impios homines ægre semper tulisse prava, ac turpissima sua opera insigni eximiaque Christianorum sanctitate redargui et condemnari. Sed age videamus quænam Cæcilius illis exprobrare ausus est.

Christiani, inquiebat ille, honestis voluptatibus

Digitized by Google

abstinent. O grande scelus! Quid autem, amabo te, mirum, si Christianus, qui crucifixum Dominum sequendo crucem suam quotidie ferre debet, omnem fugiat voluptatem? Nonne a Clemente Alexandrino didicimus voluptatem, ἡδονὴν, ab ipsismet gentilibus philosophis definiri, ὑπαρσιν ψυχῆς ἀπειθῆ λόγῳ, « elationem animæ, quæ non paret rationi » (Clemens Alexand., lib. I. *Pædag.*, cap. 13, pag. 135)? Observavimus vero ipsum adhuc docuisse voluptatis omnis principium esse cupiditatem, ac vicissim cupiditatem voluptate generari (Tom. I. Apparat., lib. III, dissertat. 2, cap. 21, art 2, pag. 1021). Quamobrem ab omni Christiano, quantum potest fieri, semper fugienda est. Quid vero, quod Cicero, etsi ethnicus, libros, quibus filium suum colendis officiis informat, sic absolvit? « Omnem voluptatem dicimus honestati esse contrariam.... Nam ut tribuamus aliquid voluptati, condimenti fortasse nonnihil, utilitatis certe nihil habebit » (Cic., lib. III, Offic. pag. 404, et seqq.).

Cæterum Minucius noster, ne Cæcilii animum nimis irritaret, modeste illi respondit: Christianos « malis abstinere voluptatibus, » quibus tamquam honestis ac licitis Ethnici indulgebant.

Dic ergo nobis, o Cæcili, quæ sunt illæ honestæ voluptates, quibus abstinere Christianis nefas esse contendis: « Non spectacula visitis, » ita illos alloquitur, « non pompis interestis, convivia publica absque vobis, sacra certamina, præcerptos cibos, et delibatos altaribus potus abhorretis. » Sed novum profecto illud ac singulare criminis genus Minucium minime perculit, aut perturbavit. Ultro enim confitetur ea omnia tamquam noxia, nefaria, ac pudori castisque moribus opposita Christianos fugere et aversari.

Ad spectacula enimvero et pompas quod attinet: « Nos, inquit, qui pudore et moribus censemur, malis voluptatibus, et pompis vestris, et spectaculis abstinemus, quorum et de sacris originem novimus, et noxia blandimenta damnamus. » Antea vero Tertullianus simili plane modo dixerat: « Æque spectaculis vestris in tantum renuntiamus, in quantum originibus eorum, quas scimus de superstitione conceptas. Quin et ipsis rebus, de quibus transiguntur, prætersumus (Tertullian. *Apologet.*, cap. 38, pag. 34). » Quæ autem fuerunt illæ spectaculorum origines, ac quomodo ex idololatria et impio falsorum deorum cultu ortæ sint, liquido edisseruit in suo de Spectaculis libro (Tertull., lib. *de Spectac.*, cap. 5 et seqq., pag 91 et seqq.), ubi plura de iisdem spectaculis eorumque interdicto legere poteris, quemadmodum in aliis passim SS. Patrum operibus.

Bene quidem dicet aliquis. Sed quid sunt « pompæ, » a Minucio postea memoratæ, quas Christiani non minus, quam spectacula fugiebant? Pompa græce dicitur πομπὴ, a verbo πέμπω, quod latine significat mitto, deduco, transveho. Solemnis autem erat et publica per civitatum vicos deductio, et transvectio, quæ fieri solebat in triumphis, supplicationibus aliisque solemnitatibus, ac præcipue circensibus. In ea delecti viri ordine quisque suo, ac tibicines, aliique procedebant, et ab ultimis deorum simulacra deferebantur. Unde Macrobius: « Ferculo vehuntur in pompa ludorum circensium deorum simulacra (Macrob. *Saturnal.*, lib. I, cap. 23) Tertullianus quoque: Circensium paulo pompatior suggestus, quibus proprie hoc nomen, pompa præcedens, quorum sit in semetipsa, probat de simulacrorum serie, de imaginum agmine, de curribus, de thensis, de armamaxis, de sedibus, de coronis, de exuviis. Quanta præterea sacra, quanta sacrificia præcedant, intercedant, succedant, quot collegia, quot sacerdotia, quot officia moveantur, sciunt homines illius urbis, in qua dæmoniorum conventus consedit » (Tertullian., lib. de Spectac., cap. 7, pag. 93). Quædam adhuc alia alibi retulit. Sed hæc omnia singillatim et graphice a Dionysio Halicarnasseo descripta invenies (Idem lib. *de Iaololat.*, cap 11, pag. 110. Dionys. Halicar., lib. VII, *Antiq. Roman.* pag. 475 et seq). De his vero nos nonnihil subnotavimus in quosdam Ambrosii libros (Ambr. *Expos. psal.* 118, serm. v, et lib I de Offic., cap. 18 § 75, pag. 21).

Quamvis autem inde, ac potissimum ex Tertulliani verbis facile intelligatur, cur illa Ethnicorum spectacula Christianis prohibita sint; peculiares tamen quasdam hujus interdicti rationes auctor noster reddidit: « Nam in ludis curulibus, » inquit, « quis non horreat populi in se rixantis insaniam, in gladiatoriis homicidii disciplinam, in scenicis etiam non minor furor, turpitudo prolixior. » In manuscripto codice regio legitur, « non minor furore, » nec omnino absurdo sensu. Utut sit, Tertullianus auctori nostro præiverat in suo Apologetico, ubi similiter scriptum legimus: » Nihil est nobis cum insania circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenæ, cum xysti vanitate. » Rursus vero alibi: « quid non frequentas, » aiebat, » tam solemnes voluptates circi furentis, et caveæ sævientis, et scenæ lascivientis? » Demum alio adhuc in libro: « Perit et fidelis, elapsus in spectaculum quadrigarii furoris, et gladiatorii cruoris, et scenicæ fœditatis, et xysticæ vanitatis, in lusus et convivia sæcularis solemnitatis, in officium, in ministerium alienæ idololatriæ » (Tertullian. *Apolog.*, cap. 38, pag. 34. Idem lib. I, *adver. Marcion.*, cap. 27, pag. 451. Lib. *de Pudic.*, cap. 7, pag. 722). Quapropter Hieronymus ad Marcellam hæc scribit: « Habeat sibi Roma suos tumultus, arena sæviat, circus insaniat, theatra luxurient. » Etenim: « credens in dominum, Jesum, » uti ille alibi de sancto Hilarione dixit, « non circi furoribus, non arenæ sanguine, non theatri luxuria delectatur (Hieronym., epist. 45, *ad Marcel.*, pag. 554, et *in vita Hilarion.*, pag. 75)

Porro autem Tertullianus in jam citato a nobis de Spectaculis libro, postquam manifestum omnibus fecit, quid sit circus, cur sic nuncupatus, et quid in eo ageretur, tum postea, quid hæc auctoris nostri verba: « Populi in se rixantis insaniam, » signifi-

Digitized by Google

cent, luculenter explicavit : « Cum furor, inquit, A interdicitur nobis, ab omni spectaculo auferimur, etiam a circo, ubi proprie furor præsidet. Aspice populum ad spectaculum jam cum furore venientem, jam tumultuosum, jam cæcum, jam de sponsionibus concitatum. Tardus est illi prætor, semper oculi in urna ejus cum sortibus volutantur. Dehinc ad signum anxii pendent ; unius dementiæ una vox est. Cognosco dementiam de vanitate : Misit, dicunt, et nuntiant invicem, quod simul ab omnibus visum est. Teneo testimonium cæcitatis. Non vident missum quod sit : mappam putant ; sed est diaboli ab alto præcipitati figura, (alias, *gula*). Ex eo itaque itur in furias, et animos, et discordias, et quidquid non licet sacerdotibus pacis. Inde maledicta, convicia sine justitia, odii etiam suffragia sine merito amoris » B (Tertul., lib. *de Spectac.*, cap. 8, pag. 93. Ibid. cap. 16, pag. 97). His plura addit, quæ te legere non pigeat. Videre quoque poteris, quæ de iisdem spectaculis adjecit ; ubi ille, sicut Martialis, Suetonius et alii, mentionem fecit mappæ, quæ, ut quidam aiunt, victori a prætore mitti solebat, vel sicut aliis placet, quæ committendorum ludorum signum erat (Juven. in fin. *Satyr.* 11 Martial., lib. XII, *Epigr.* 29. Sueton. in *Vita Neron.*, § 22). Carminis vero iambici, inter Gregorii Nazianzeni opera editi auctor enucleate describit circi furorem, iras, rixas, convicia, odia, pugnas, vulnera, et cædes (Gregor. Nazianz., *Carm.*, *iam.* 3, pag. 292).

Quam autem Minucius dehinc notat, « in gladiatoriis » ludis, « homicidii disciplinam, » hæc clarius a Cypriano exponitur : « Paratur, ait sanctissimus ille martyr, gladiatorius ludus ; ut libidinem crudelium luminum sanguis oblectet. Impletur in succum cibis fortioribus corpus, et arvinæ toris membrorum moles robusta pinguescit ; ut saginatus in pœnam carius pereat. Homo occiditur in hominis voluptatem ; et ut quis possit occidere, peritia est, usus est, ars est. Scelus non tantum geritur, sed et docetur. Quid potest inhumanius et acerbius dici ? Disciplina est, ut perire quis possit ; et gloria, quod perimit » (Cyprian. lib. *ad Donat.*, pag. 5 ). Vide adhuc, si placet, Tatianum, Arnobium, Lactantium, Prudentium, et quæ de illis gladiatorum certaminibus alibi observavimus » (Tatian. *Orat. contr. Græc.*, pag. 161. Arnob. D lib. II, pag. 72. Lactant. lib. VI, cap. 20, pag. 617. Prudent. lib. II. *contr. Symmach.*, pag. 429, *in hymn. SS. Fructu. Augur.*, etc., pag. 135; *et Hamart.*, pag. 322. Tom. 1. *Apparat.*, pag. 800).

Denique de scenicis turpitudinibus idem quoque Cyprianus, quæ ab auctore nostro dicta sunt, paulo copiosius edisserit : « In theatris, inquit, conspicies, quod tibi et dolori sit et pudori. Cothurnus est tragicus prisca carminum facinora recensere : de parricidiis et incestis error antiquus, expressa ad imaginem veritatis actione replicatur, ne scelus transeuntibus exolescat, quod aliquando commissum est. Admonetur omnis cœtus auditu, fieri posse, quod factum est..... Tum delectat in mimis turpitudinum magisterio, vel quid domi gesserit, recognoscere ; vel quid gerere possit, discere. Adulterium discitur, dum videtur, et lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo, quæ pudica fortasse ad spectaculum matrona processerat, de spectaculo revertitur impudica.... Exprimunt impudicam Venerem, adulterum Martem, et Jovem illum suum non magis regno, quam vitiis principem.... Deos suos, quos venerantur, imitantur ; fiunt miseris et religiosa delicta » (*Cypr.* ibid., pag. 5 et *seqq.*).

Prius vero Tertullianus : « A theatro, inquit, separamur, quod est privatum consistorium impudicitiæ.... summa gratia ejus de spurcitia plurimum concinnata est, quam Atelanus gesticulatur, quam mimus etiam per mulieres repræsentat, sexum pudoris exterminans, ut facilius domi, quam in scena erubescant ; quam denique pantomimus a pueritia patitur in corpore, ut artifex esse possit. Ipsa etiam prostibula publicæ libidinis hostiæ in scena proferuntur, etc. » (*Tert.* lib. *de Spectac.*, cap. 17, pag. 98). Ante utrumque porro Theophilus Antiochenus, Clemens Alexandrinus, ac postea Lactantius, Hieronymus, Auctor carminis iambici Gregorio Nazianzeno ascripti, et alii in has obscenitates scenicas jure merito invehuntur. Quis porro nescit iis scatere ethnicorum poetarum cum græcorum tum latinorum tragœdias et comœdiasquæ in multorum perniciem longe diutius, quam plura eaque utilissima veterum Ecclesiæ Patrum opera, typis editæ perseverarunt ? (*Theoph.*, lib. III, C *ad Autolyc.*, pag. 126 et *seqq. Clem. Alex.* lib. II, *Pædag.*, cap. 6, pag. 169 et lib. II, cap. 11, pag. 254. *Lactant.* lib. 6. *Institut.*, cap. 20, pag. 619 et *seqq. Hieronym. epist.* 18. *ad Marcell.* Apud Greg. Nazianz. tom. 2, pag. 191.)

ARTICULUS II.

*Quomodo Minucius respondeat aliis Cæcilii obtrectationibus, Christianos publicis conviviis, et sacris certaminibus non interesse, et abstinere ab idolothytis, ubi ostenditur, quæ essent illa publica ethnicorum convivia, ac quantum a Christianis discreparent.*

Triplici adhuc de causa Christianos increpat Cæcilius, quod publica cum Ethnicis convivia celebrare, sacris eorum certaminibus interesse, ac delibatos diis cibos et potus prægustare detrectarent. Quæ autem essent illa convivia ethnicorum, et cur instituta, si scire desideras, docebunt te hæc Tertulliani verba : « Grande videlicet officium focos ut toros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernæ habitu abolefacere, vino lutum cogere, catervatim cursitare ad injurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus ? Hæccine solemnes dies principum decent, quæ alios non decent ? Qui observant disciplinam de Cæsaris respectu, hi eam propter Cæsarem deserent ; et malorum morum licentia pietas erit, occasio luxuriæ religio deputabitur » ( *Tertull.*, *Apologet.*, cap. 35).

Ex his aliisque ejus verbis facile quivis intelligat,

Digitized by Google

ea convivia summo cum dedecore celebrata fuisse solemnibus Imperatorum, Cæsarumque diebus, nimirum natalibus, sicut ille alibi narrat, item illorum quinquennalibus, de quibus aliquid præstrinximus, decennalibus, vicennalibus ac cujuslibet anni initio, ut suo loco explicabitur, atque maxima triumphorum solemnitate (*Tertull.* lib. II, *ad Uxor.*, cap. 6; lib. de *Spectaculis*, cap. 6; Dissert. *in Luc. Cæcil.*, cap. 8 et 13, art. 7 et 3.)

Nec minori profecto morum depravatione, ethnici alia adhuc certis quibusdam deorum festis convivia agebant. Talia enimvero illa erant, de quibus idem Tertullianus : « Non in publico, inquit, Liberalibus discumbo, quod bestiariis supremam cœnantibus mos est » (*Tertullian. Apologet.*, cap. 42, pag. 38). Quamobrem Christiani ea impia, et idololatriæ vitio coinquinata penitus detestabantur. Et certe Martialis episcopus, teste Cypriano, convictus est idololatriæ, quoniam gentilium turpia et lutulenta convivia frequentaverat (Cyprian. *epist.* 67, pag. 173).

Minucius itaque cum hæc a nemine pio homine ignorari posse probe sciret, iniquæ Cæcilii objurgationi nihil aliud respondendum esse duxit, quam illi omnibusque aliis ethnicis demonstrando, quantum ab illorum conviviis nostra dissiderent : « Convivia, inquit, non tantum pudica colimus, sed et sobria. Nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, sed gravitate hilaritatem temperamus. » At de his jam aliquid delibavimus, et plura in sequenti de Tertulliani apologetico sermone disputabimus (Tom. I, *Apparat.*, lib. II, dissert. 1, cap. 6, art., 4. pag 715).

De sacris autem, quemadmodum illa Cæcilius appellat, certaminibus disseruimus, tomo primo nostri Apparatus, et superiori articulo, ubi de gladiatoribus et spectaculis egimus (Tom. I. *Apparat.* pag. 774 et 800). Minucius porro huic obtrectationi nihil aliud adhuc, quam quæ a nobis citato ejusdem Apparatus nostri loco observata sunt, videtur respondisse. Satis autem ex dictis patet quam horrenda fuerit eorum crudelitas.

Tertium Cæcilianæ reprehensionis caput est, quod Christiani delibatos diis cibos gustare renuerent. At Minucius id libenter fatetur, simulque hujus abstinentiæ reddit rationem : « Quod vero sacrificiorum reliquias, » ita ille loquitur, « et pocula delibata contemnimus, non confessio timoris est, sed veræ libertatis assertio. Nam etsi omne quod nascitur, ut inviolabile Dei munus, nullo opere corrumpitur, abstinemus tamen, ne quis existimet, aut dæmoniis, quibus libatum est, cedere, aut nostræ religionis pudere. »

Quamvis autem Minucius nusquam, uti jam annotavimus, expressa sacræ nostræ Scripturæ auctoritate, contra ethnicos eam aspernantes, pugnaverit, atque idcirco legem ab Apostolis de idolothythorum abstinentia latam penitus taceat, videtur tamen ad ea alludere, quæ Paulus de illa, et hujus abstinentiæ ratione in prima ad Corinthios Epistola tradidit (I Corint., cap. VIII, 1 et seqq. et cap. X. 19 et seqq.). Tertullianus vero ipsamet Pauli verba eamdem profecto in rem citare non dubitavit : « Sed neque, inquit, de sacrificato et parentato edimus, quia non possum cœnam domini edere, et cœnam dæmoniorum (Tertull. lib. *de Spectac.*, cap. 13). Denique Clemens Alexandrinus plura his, quæ auctor noster dixit, plane consentanea, prius tradiderat (Clemens Alexandr. lib. II. *Pædag.*, cap. 10, pag. 213).

Contra tamen Celsus apud Origenem acrius Christianos hoc, uti aiunt, argumento ad hominem urgebat : « Si idola nihil sunt, » uti Christiani contendebant, « quid molesti est frui epulis? » Sed futilem illam argumentationem Origenes, jam citatæ a nobis Pauli ad Corinthios Epistolæ verbis funditus evertit, additque : « Etiamsi sunt dæmones, quibus sacrificantur victimæ, non debemus eorum sacrificiorum fieri participes, ἐπιστάμενοι διαφορὰν τραπέζης Κυρίου, καὶ τραπέζης δαιμονίων· καὶ διὰ τὸ ἐπίστασθαι, πάντα μὲν πράττοντας, ἵνα τραπέζης Κυρίου ἀεὶ μετέχωμεν· παντὶ δὲ τρόπῳ φυλαττομένους, ἵνα μηδέ ποτε κοινωνοὶ γινώμεθα τραπέζης δαιμονίων, cum sciamus differentiam inter mensam Domini, et mensam dæmoniorum; et hoc scientes, nihil non faciamus, ut semper participantes mensæ Domini, modis omnibus caveamus a communicatione mensæ dæmonum » (Orig., lib. VIII, *contr. Cels.*, pag. 394). Videsis Cyrillum Alexandrinum, simili argumentationi a Juliano apostata propositæ respondentem, et Cyrillum Hierosolymitanum, Œcumenium, Estium aliosque Scripturæ interpretes in citata Apostoli verba » (Cyrill. Alexand. lib. VII, *contr. Julian.*, pag. 233. Cyrill. Hierosol. *Cateches.* 4, pag. 34).

### ARTICULUS III.

*Examinantur aliæ Cæcilii reprehensiones, quibus Christianos idcirco vituperat, quod floribus caput, odoribus corpus non honestarent, unguenta funeribus reservarent, coronas negarent mortuis, quorum corpora non cremabant, sed sepeliebant; ubi de more sepeliendi corpora ejusque antiquitate.*

Alia Cæcilius in Christianis reprehendit, quæ laude longe magis, quam vituperatione digna erant : « Non floribus, inquit, caput nectitis, non corpus odoribus honestatis, reservatis unguenta funeribus, coronas etiam sepulchris denegatis. » Triplex est illa criminatio, uti vides Minucius autem priori respondet non legitimum florum usum, sed abusum coronarum a Christianis jure merito reprobari. Audi, quæso, ejus verba : « Quis ille, qui dubitat vernis indulgere nos floribus, cum capiamus et rosam veris et lilium, et quidquid aliud in floribus blandi coloris, et odoris est. His enim et sparsis utimur mollibus, ac solutis, et sertis colla complectimur. Sane quod caput non coronamus, ignoscite. Auram boni floris naribus ducere, non occipitio, capillisve solemus haurire. »

Prævium vero ibi sequi videtur Tertullianum, qui absurdam hancce gentilium criminationem simili plane responso diluerat : « Non amo, inquit, capiti coronam; quid tua interest? Emptis nihilominus floribus quomodo utar? Puto gratius liberis et solutis, et

Digitized by Google

undique vagis, sed et si in coronam coactis, nos coronam naribus novimus. Viderint qui per capillum odorantur » (Tertullian. *Apologet.*, cap. 42, pag. 38). Sed hæc fusius ille alio in libro prosecutus, ostendit licitum esse florum usum, modo illorum color et odor non aliis, quam visus et odoratus sensibus, ad hunc finem divina Providentia destinatis, percipiatur : « Utere, inquit, floribus visu et odoratu, quorum sensuum fructus est... Cæterum in capite quis sapor floris? Qui coronæ sensus, nisi vinculi tantum, quo neque color cernitur, neque odor ducitur, nec temeritas commendatur? Tam contra naturam est florem capite sectari, quam cibum aure, quam sonum nare. Omne autem quod contra naturam est, monstri meretur notam penes omnes, penes nos vero etiam elogium sacrilegii in Deum, naturæ dominum et auctorem » (Idem lib. *de Corona.*, cap. 5, pag. 123). Quin etiam apud Lucianum, tametsi gentilem, ii castigantur, qui gestabant coronas, ὅτι μὴ ἴσασι τοῦ στεφάνου τὸν τόπον, « quia coronæ locum, » ubi imponenda esset, « nesciebant » (Lucian. *Dial. de Morib. philosoph.*, pag. 24).

Aliam tamen improbati a Christianis coronarum usus rationem Justinus Martyr reddidit; quia deorum simulacris anima carentibus tribui ab ethnicis solebat (Justin. *Apolog.* 2, pag. 57) Quin immo mox laudatus a nobis Tertullianus variis argumentis probat, illius moris originem ab impio illo deorum cultu derivari. Postea vero hæc adjecit : « Quo satis instruamur, quam alienam judicare debeamus coronati capitis institutionem ab eis probatam, et in eorum deinceps honorem dispensatam, » sicut adhuc alio in libro ostendi, « quos sæculum deos credidit (Tertullian. lib. *de Coron.*, cap. 7 et seq., pag. 124 et seq. Et lib. *de Spect.*, cap. 7, 11 et 12, pag. 93 et 95). » Quamobrem sequester ejus Cyprianus confessoribus Christi gratulabatur hisce verbis : « Ab impio sceleratoque velamine, quo illic velabantur sacrificantium capita captiva, caput vestrum liberum mansit. Frons cum signo Dei pura diaboli coronam ferre non potuit, coronæ se Domini reservavit » (*Cypr.*, *de Lapsis*, p. 122). Consule adhuc, si lubet, singularem Maderi de Coronis librum, et ea, si velis, quæ de illis superiore Apparatus nostri tomo diximus, et quæ adhuc postea dicenda sunt (Tom. 1. *Apparat.*, pag. 801 et seq. et infr., cap. 19, art. 2.)

Verum Cæcilius, aliique gentiles, non eo tantum nomine Christianos culpabant, quia coronas vivis hominibus denegabant, sed etiam mortuis : « Coronas, inquiebat, etiam sepulcris denegatis. » Quid vero ad hæc Octavius? Verum plane id esse libenter concedit, miraturque mortuos ab Ethnicis coronari : « Ego vos, ait, in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi aut non facem, aut non sentienti coronam, cum et beatus non egeat, et miser non gaudeat floribus » (Ibid. pag. 341). Verum corruptus plurimis videtur hic auctoris nostri textus, et in quibusdam editionibus particula *non* et nomen *exanimi* omissa sunt. Sed hæc correctio codici manuscripto adversatur, augetque potius quam tollit difficultatem. Minucii quippe menti contraria apparet. Non enim mirum « sentienti » facem tribui, sed mortuo, qui nihil videre potest. Servata autem codicis lectione, is videtur esse auctoris nostri sensus : « Miror equidem cur non sentienti et mortuo homini coronas tribuatis. » Non minus siquidem illud absurdum est, quam si « exanimi, » atque idcirco non sentienti, admoveatis facem. Mortuus namque homo aut « beatus » est aut « miser : » si beatus ac felicitate æterna fruatur, non eget floribus; si miser pœnisque crucietur æternis, gaudere non potest floribus, qui nullo gaudii sensu affici potest.

Eo autem argumento gentiles exagitat, qui non solum usitato more coronabant mortuos, sed quibus etiam illud antiquissima lege præceptum fuerat. Testem, si velis, habebis Ciceronem, ubi de XII Tabularum legibus disserit : « Illa, inquit, jam significatio est laudis, ornamenta ad mortuos pertinere, quod coronam virtute partam, et ei qui non peperisset, et ejus parenti sine fraude esse lex impositam jubet » (Cic. lib. II *de Legib.*, pag. 341, lin. 39). Docet vero Plinius quando imponenda erat : « Quis ergo honos, inquit, ut ipsi mortuo parentibusque ejus, dum intus positus esset forisve ferretur, sine fraude esset imposita? » (Plin. lib. XXI *Natur. Hist.*, cap. 3. pag. 107.) hoc est, cum mortui corpus servabatur domi, indeque efferebatur ac funebris pompa fiebat. De omnibus etiam mortuis scripsit Lucianus : Στεφανώσαντες ὡρχίοις ἄνθεσι προτίθενται λαμπρῶς ἀμπίσαντες : « Coronatos pulcherrimis floribus splendide vestitos proponunt » (Lucian. *de Luctu*, pag. 810). Sed hunc ille morem aliosque gentiles sepulturæ ritus irrisit et explodit Quidni ergo Christiani illum rejecissent coronarum usum, de quo nos alibi disputavimus? (Tom. I *Apparat.* lib. III, Dissert. I, cap 19, art. 6, pag. 802 et seqq. ) Cur autem eum respuerint, hanc Minucius reddidit rationem : « At enim nos exequias adornamus eadem tranquillitate qua vivimus; nec annectimus arescentem coronam, sed a Deo æternis floribus vividam sustinemus » (Minuc. pag. 342), hoc est exspectamus.

Quamvis autem Christiani mortuorum caput nulla redimirent corona, unguentis tamen illorum corpora ungere solebant (Ibid. pag. 98). Quid enim æquius quam ut propositum sibi ab Evangelista uncti corporis Christi (Johan. XIX, 39 et seq.) exemplum imitarentur? Neque Cæcilius hunc morem condemnare ausus est. Cum enim unguentorum usus Darii tempore, inquit Plinius, ad eos pervasisset, « tum honos et ad defunctos pertinere cœpit » (Plin. lib. XIII, *Natur. Hist.*, cap. 1, pag. 56 ). Quid igitur ipse Cæcilius in Christianis redarguat, audiamus : « Non corpus odoribus honestatis, reservatis unguenta funeribus » (Minuc. pag. 97). Eos itaque corripit, non quia mortuos unguentis perfunderent, sed non ungerent dum adhuc vivebant. Octavius vero hanc præpostera m omnino accusationem aspernatus, nihil videtur ad eam respondisse, nisi forte quod ibidem dixerat, Christianos licitum quidem florum atque adeo un-

Digitized by Google

guentorum usum non rejecis e, sed intolerabilem, A sicut alibi patefecimus (Tom. I *Apparat.*, pag. 803 et seq.), gentilium abusum. Plura porro Tertullianus de pio laudandoque Christianorum mortua corpora ungendi ritu tradidit, quæ suo loco a nobis examinanda sunt.

Postremo Cæcilius Christianos adhuc antiquum mortuos sepeliendi morem servantes, sic insectatur: « Exsecrantur rogos et ignium sepulturas, quasi non omne corpus, etsi flammis subtrahatur, annis tamen et ætatibus in terram resolvatur; nec intersit utrum feræ diripiant, an maria consumant, an humus contegat, an flamma subducat: cum cadaveribus omnis sepultura, si sentiunt, pœna sit; si non sentiunt, ipsa conficiendi celeritate, medicina » (Minuc. pag. 97 et seqq.). Quæ quidem ex Seneca delibata fuisse B jam observavimus (Sup. cap. 2, art. 5).

Tam frigidæ autem irrisioni, quid respondet Minucius? « Nec ut creditis, inquit, ullum damnum sepulturæ timemus, sed veterem et meliorem humandi consuetudinem frequentamus » (Minuc. pag. 255). Atqui reipsa antiquissimum et optimum fuisse cadaverum sepeliendorum morem his Cicero, si dubites, te docebit verbis: « At mihi quidem antiquissimum sepulturæ genus id fuisse videtur quo apud Xenophontem Cyrus utitur. Redditur enim terræ corpus, et ita locatum ac situm quasi operimento matris obducitur. Eodemque ritu in eo sepulchro quod procul ad Fonlis aras regem nostrum Numam conditum accepimus: gentemque Corneliam usque C ad memoriam nostram hac sepultura scimus esse humatam: C. Marii situs reliquias apud Anienem dissipari jussit Sylla victor.... Quod haud scio an timens suo corpori posse accidere, primus e patriciis Corneliis igni voluit cremari » (Cic. lib. II *de Legib.*, pag. 340, lin. 45 et seqq.).

Et de Numa quidem hæc quoque Plutarchus memoriæ prodidit: « Corpus ex præcepto ejus, ut fama est, πυρὶ μὲν οὐκ ἔδοσαν τὸν νεκρὸν, αὐτοῦ κωλύσαντος. δυὸ δὲ ποιησάμενοι λίθινας σοροὺς, ὑπὸ τὸν Ἰανικλὸν, τὴν μὲν ἑτέραν ἔχουσαν τὸ σῶμα, non cremaverunt; verum duas arcas lapideas fecerunt, quas condiderunt sub Janiculo; quarum in una cadaver ejus positum est » (Plutarch. tom. *in Vita Numæ*, pag. 74). Ex his igitur D liquet vetustissimam fuisse sepeliendi cadavera consuetudinem. Plinius quoque huic sententiæ subscripsit, quemadmodum ex hisce illius patet verbis: « Ipsum cremare apud Romanos non fuit veteris instituti: terra condebantur. At, postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc institutum. Et tamen multæ familiæ priscos servavere ritus, sicut in Cornelia nemo ante Syllam dictatorem traditur crematus; idque voluisse, veritum talionem, eruto C. Marii cadavere. Sepultus vero intelligatur, quoquo modo conditus; humatus, vero humo contectus » (Plin. lib. VII *Natur. Hist.*, cap 54, pag. 91 et seqq.). Ciceronem, uti vides, κατὰ πόδα sequitur, et quid sepulturam inter et humationem intersit, clare explicat.

Testis autem est idem Cicero, non solum apud Romanos, sed alias etiam apud gentes morem illum invaluisse. De Ægyptiis quippe, Persis et Magis hæc litteris memoriæque mandavit: « Condiunt Ægyptii mortuos, et eos domi servant. Persæ etiam cera circumlitos condiunt, ut quam maxime permaneant diuturna corpora. Magorum mos est non humare corpora suorum, nisi a feris sint antea laniata » (Cic. lib. I *Tuscul.*, pag. 133, lin. 23). Addit Hircanos optimam censuisse sepulturam cum mortuorum cadavera a canibus laniarentur.

De Atheniensibus vero ille hæc in citato a nobis secundo de Legibus libro memorat: « Athenis jam ille mos a Cecrope, ut aiunt, permansit hoc jus terra humandi, quam cum proximi fecerant, obductaque terra erat, frugibus obserebatur, ut sinus et gremium quasi matris mortuo tribueretur; solum autem frugibus expiatum, ut vivis redderetur » (Ibid. lib. II, *de Legib.*, pag. 342, lin. 9). Neque prætermitti debet Servius, qui in suis ad sextum Æneidos librum commentariis hæc observat: « Qui de pietatis generibus scripserunt, primum locum in sepultura esse voluerunt. Unde, cum pontificibus nefas esset cadaver videre, tamen magis nefas fuerat si visum insepultum relinquerent. Genus autem fuerat sepulturæ injectio pulveris. Unde est: Aut tu mihi terram injice, namque potes. Horatius: Non est mora longa, licebit, injecto ter pulvere, curras » (Servius in lib. VI *Æneid.* v. 175 et seqq. pag. 409, et in lib. II, pag. 618 et 619). Sed ea de re adhuc ille alibi, quem videsis, sicuti et Macrobium, qui aperte testificatur suo sæculo nullum fuisse urendi mortuorum corpora usum (Macrob. lib. VII *Saturnal.*, cap. 7). Alio autem in libro scripsit plurimarum gentium vel regionum institutis sanctum fuisse mortuorum corpora non sine cantu ad sepulturam deferendi (et lib. II in *Somn. Scipion.*, cap. 3). Plura porro de vario sepeliendi ritu disputat Lilius Gyraldus in scripto eam in rem libro peculiari; Alexander ab Alexandro, sexto libro Genialium Dierum; ac Tiraquellus suis in hunc librum annotationibus.

### ARTICULUS IV.

*Tam sanctos Christianorum quam Ethnicorum corruptos fuisse mores: cur illorum disciplina minor a Cæcilio dicatur: quantum iidem Christiani philosophis gentilibus pietate et doctrina antecellerent: Ethnicos tamen et Christianos fuisse amicos, ac fratrum nomine sese invicem compellavisse.*

Nemini ex hactenus dictis obscurum esse potest quam falso jactitarit Cæcilius, ut ipsemet postea recte agnovit, tota sua oratione se probasse Christianos esse homines non modo rudes et imperitos, sed impios etiam ac maximis hactenusque inauditis contaminatos sceleribus; Octavius vero tantam calumniam, satis superque confutatam, his adhuc refellit verbis: « Si vobiscum, » nimirum Ethnicis, nos « Christiani comparemur, quamvis in nonnullis disciplina nostra minor est, multo tamen vobis meliores deprehendemur. » Quibus sane verbis ille haud du-

Digitized by Google

bitanter asseverat longe puriores sanctioresque fuisse Christianorum quam gentilium mores.

Verum, inquiet aliquis, quid sibi vult Octavius cum ait, « In nonnullis nostra disciplina minor » quam ethnicorum « est? » Duplex esse potest horum verborum sensus : primo quidem, quamvis in nonnullis Christianis ignavis et desidiosis minor sit nostra disciplina, hi tamen ethnicis sunt meliores. Alter vero sensus : Christiani meliores ethnicis deprehenduntur, quamvis in nonnullis rebus disciplina eorum minor sit quam gentilium, puta legum multitudine, cæremoniis ad deorum cultum atque religionem pertinentibus, templis, aris, sacrificiis, pompis, coronarum usu aliisque ritibus, de quibus a nobis superius disputatum est. Vide autem an hic sensus priore melior propterea videatur quod Minucius Christianos cum ethnicis, non vero secum componat.

Quam autem integri, casti et religiosi Christianorum, gentilium vero corrupti, depravati improbique essent mores, brevi comparatione, quam Tertullianus fusius prosequitur (Tertullian. *Apologet.*, cap. 46, pag. 59 et seqq.), Minucius sive ejus nomine Octavius ostendit : « Vos enim, ait ille, adulteria prohibetis, et facitis; nos uxoribus nostris solummodo viri nascimur. » Quod quidem proxime citatus a nobis Tertullianus Speusippi exemplo sic comprobat : « Audio, inquit, quemdam Speusippum de Platonis schola in adulterio periisse : Christianus uxori suæ soli masculus nascitur » (Tertullian. loco cit. pag. 40). Sed de Christianorum castitate et infami ethnicorum impudicitia nos jam supra quædam retulimus (Supr. cap. 10, art. 1. et 2, et cap. 16, art. 2), et adhuc infra dicemus.

Deinde vero Minucius : « Vos scelera admissa putatis apud nos et cogitare peccare est : vos conscios timetis, nos etiam conscientiam solam, sine qua esse non possumus. » Tertullianus vero : « Democritus excæcando semetipsum, quod mulieres sine concupiscentia aspicere non posset et doleret si non esset potitus, incontinentiam emendatione profitetur. At Christianus salvis oculis feminas non videt, animo adversus libidinem cæcus est » (Tertullian. loc. cit., pag. 40). Sed probatione id non indiget. Quis enim nescit statutam a Christo legem : *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* v, 28)? Atque inde Tertullianus concludit divinam legem humana esse perfectiorem : « Quid perfectius, inquit, prohibere adulterium, an etiam ab oculorum solitaria concupiscentia arcere? » (Tertull. *Apolog.* cap 44, pag. 39.) Sed de his plura in subsequentibus dissertationibus (Dissert. *in Tertullian.*, cap. 12, art. 4).

Denique de reis in carcerem detrusis hæc auctor noster subjunxit : « De vestro numero carcer exæstuat; Christianus ibi nullus, nisi aut reus religionis suæ aut profugus. » Quæ quidem Tertulliani dictis adeo congruunt, ut ab illo excerpta translataque videantur. Ita enim ille : « Tot a vobis nocentes variis criminum elogiis recensentur : quis illic sicarius, quis manticularius, quis sacrilegus, aut corruptor, aut lavantium prædo, idem etiam Christianus ascribitur? Aut, cum Christiani suo titulo offeruntur, quis ex illis etiam talis quales tot nocentes? De vestris semper æstuat carcer, de vestris semper metalla suspirant, de vestris semper bestiæ saginantur, de vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt. Nemo illic Christianus, nisi hoc tantum, aut si et aliud, jam non christianus » (Tertull. *Apol.*, cap. 45, pag. 39) : hoc est, nullus Christianus in carcerem detrusus propter ullum quodvis scelus, sed ob solum nomen christiani christianæque legis professionem. Sin vero propter aliquod scelus, jam ille non erat christianus, id est a christiana professione defecerat. At hoc ipsum est quod a Minucio nostro dictum vidimus. Alia porro in dissertatione (Dissertat. *in Tertullian.*, cap. 12, art. 3, 4) ostendemus quam longe fusius idem Tertullianus hanc Christianorum ethnicorumque comparationem prosequatur. Interim legere poteris quæ in horum confirmationem ab illo ac Lactantio et Eusebio scriptis mandata sunt (Tertull. *ad Scapul.*, cap. 2; Lactant. lib. v *Instit.*, cap. 9, pag. 383; Euseb. lib. v *Hist. eccl.*, cap. 2, pag. 160).

Pergit Minucius noster, aliamque Christianorum cum ethnicis philosophis comparationem hunc instituit in modum. « Philosophorum supercilia contemnimus, quos corruptores et adulteros novimus et tyrannos, et semper adversus sua vitia facundos. Nos non habitu sapientiam, sed mente præferimus; non eloquimur magna, sed vivimus. Gloriamur nos consecutos quod illi summa intentione quæsierunt nec invenire potuerunt. » Cyprianus vero ex hoc auctoris nostri loco hanc ipsam comparationem procul dubio mutuatus est, ac plura etiam illius verba quæ a nobis superius descripta sunt (*Supr. cap.* 2, *art.* 39. *pag.* 4).

Sed hoc antea longe copiosius a Tertulliano tractatum fuerat : « Philosophi, ait, affectant veritatem, et affectando corrumpunt, ut qui gloriam captant. Christiani et necessario appetunt et integre præstant, ut qui saluti suæ curant. Adeo neque de scientia neque de disciplina, ut putatis, æquamur » (*Tertull. Apolog. cap.* 46, *pag.* 40). Plura hanc in rem ibi disputat, quæ a nobis suo loco examinanda sunt (*Dissert. in Tertullian. cap.* 12. *art.* 3 et 4; *et cap.* 13, *art.* 2 et 3.)

Præterea philosophi gentiles, ait Minucius, vanæ eloquentiæ fuco cum magna eloquebantur, adversus suamet vitia facundi erant. Prius autem ab eodem Tertulliano appellati sunt « homines gloriæ et eloquentiæ libidinosi » (*Tertullian. ibid. cap.* 47, *pag.* 41), quia ea ad libidinem abutebantur. Nihil ergo aliud nisi verborum fucum vendebant. Neque illud ipsis gentilibus incompertum quod Anaxippus apud Athenæum hisce versibus cantabat :

Οἵ μοι, φιλοσοφεῖς, ἀλλὰ τοὺς φιλοσόφους
Ἐν τοῖς λόγοις φρονοῦντας εὑρίσκω μόνον,
Ἐν τοῖσι δὲ ἔργοις ὄντας ἀνοήτους ὁρῶ.

Heu me! tu philosopharis : et ego philosophos
Verbis tantum sapere animadverto,

Digitized by Google

Gerendis autem rebus dementes esse perspicio.
(Athen., l. XIII *Deipnosoph.*, cap. 9, p. 610 *et seqq.*)

Visne celebre hujus exemplum? Dabit tibi Rufinus insignem philosophum, qui, quamvis cæteris omnibus eloquentia et doctrina excelleret, ab uno nihilominus concilii Nicæni episcopo, sola ac simplici christianæ doctrinæ expositione consternatus, victum se palam confessus est (*Rufin. lib.* X. *Histor. Eccles. cap.* 13).

Tametsi autem Minucius dixerit nec quæsitam nec inventam ab ethnicis philosophis veritatem, paulo tamen antea scriptum ab eo legimus : « Illi de divinis prædicationibus Prophetarum umbram interpolatæ veritatis imitati sunt. » Sed his verbis nihil aliud significat nisi philosophos ex sacris Prophetarum nostrorum prædicationibus, sive scripto sive verbo traditis, umbram consectatos esse veritatis, utpote qui hanc ibi repertam variis erroribus suis corruperint. Quod quidem a nobis haud semel in aliis dissertationibus nostris satis aperte, nisi fallimur, demonstratum (*Tom.* I *Apparat.*, *pag.* 527, 423, 1104, 1112), atque in sequentibus adhuc demonstrabitur.

Summum porro doctrinæ morumque inter Christianos et gentiles discrimen non impedivit quominus in eadem aliquando habitarent domo, seseque mutuo fratrum nomine compellarent. Vidimus enim Cæcilium ethnicum Romæ apud Minucium Felicem habitasse, tamque illum ab Octavio quam Octavium ab illo fratrem vocari (*Sup. cap.* 3. *art.* 2, *pag.* 11 *et* 12.

Neque dixeris Cæcilium et Octavium non veros, sed personatos fuisse homines; tametsi quippe res ita se haberet, certum nihilominus esse debet hæc a Minucio dicta non fuisse, nisi quia hujusce appellationis atque habitationis mos et consuetudo suo tempore invaluerat.

## CAPUT XIV.

EXCUTIUNTUR CÆCILII ARGUMENTA QUIBUS PROBARE CONATUR DEOS SUOS REVERA EXISTERE, AC PROINDE VERAM ESSE GENTILIUM RELIGIONEM.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Explicatur primum Cæcilii argumentum quo probare nititur veros esse deos suos ex majorum traditione et antiquissimo cultu deorum, nimirum Cereris Eleusiniæ, Phrygiæ matris seu Cybeles, Æsculapii Epidaurii, Beli Chaldaici, Astartes Syriæ, Tauricæ Dianæ et Mercurii Gallici.*

Huc usque Cæcilium contra religionem christianam irrito semper conatu disputantem, ac de illo triumphantem Octavium audivimus. Nunc videndum est utrum ille pro tuenda gentili religione sua feliciori successu pugnaverit. Primum autem, et quod validissimum putat, ab illius antiquitate petit argumentum. Ab ipso enim mundi exordio, vel sicut ipse Cæcilius ait, « rudi adhuc sæculo et in ipsius mundi natalibus, » majores nostri deos aut « faciles » aut « reges, » habere meruerunt. Dixit autem *faciles*, Ovidium secutus, qui cecinit :

Optastis, facilesque deos habuistis;
(Ovid., l. V, *Metamorph.*, § antepenult.)

id est propensos, benevolos et qui optata facile concedebant. Inde vero illorum cultus in universas terræ partes manavit. Nam Eleusinii coluerunt Cererem, Phryges Matrem, id est, Cybelem, Epidaurii Æsculapium, Belum Chaldæi, Syri Astartem, Dianam Tauri, Galli Mercurium, omnes deos Romani. Et hi quidem, quia sacris omnium gentium ritibus castisque virginibus et sacerdotum honoribus urbem suam munivere, totius mundi adepti sunt imperium. Ex quibus Cæcilius concludit, cum omnia incerta sint, satius esse traditas a majoribus ab mundi incunabulis et ad suam usque ætatem perseverantes, has religiones, ritus ac deorum cultum sequi, quam novæ religioni, secretis, sed corruptissimis sceleribus fœdatæ, cæca volubilitate mancipari. Eadem est Cottæ Academici apud Ciceronem, eadem Celsi apud Origenem, Symmachi apud Ambrosium, et aliorum, testibus Arnobio et Lactantio, gentilium conclusio (*Cic. lib.* III. *de Natur. Deor. init.*, *pag.* 240. *Orig. lib.* V, *contr. Cels. pag.* 254, *et seqq. Symmach. Relat. apud. Ambr.* § 3, 5, *et* 8. *pag.* 829. *Arnob. lib.* II *adv. Gentil. pag.* 30 *et seq. Lactant. lib.* II, *cap.* 6, *pag.* 171 ).

Quia vero Cæcilius omnia, quæ de diis suis a nobis recensita protulit, nemini incognita esse credebat, ea singillatim probare non curavit. At si quis de iis, sibi nunc forsitan incognitis, aliquid scire aveat, observabimus Eleusin Atticæ civitatem fuisse, non longe ab Athenis sitam, ubi memorata a Cæcilio *Ceres* filiam suam quærens, ab Eleusio ibi imperante hospitio benignissime suscepta est. Eleusinii vero in horum memoriam agebant sacra, quæ Eleusinia vocantur, de quibus alibi disseruimus (*Tom.* I. *Apparat. lib.* III. *dissert.* I, *cap.* 9, *art.* 2 *pag.* 789 *et seqq.*). Testatur autem Herodotus ibi templum Cereris Eleusiniæ, a Philisto Pasiclis filio conditum fuisse. Plura legere poteris apud Diodorum Siculum, Strabonem, Melam, Pausaniam, atque ea, si velis, quæ alibi annotavimus (*Herodot. lib.* IX, § 64 *et* 96. *Diodor. Sicul. lib.* I. *Biblioth. pag.* 117 *et lib.* V, *pag.* 200. *Strab. lib.* IX. *Geograph. pag.* 395, *Mel. de Sit. orb. cap.* 3. *Pausan. lib.* VI, *pag.* 103. *et lib.* VIII, *pag.* 249 et 256. *Tom.* I *Apparat. pag.* 759 *et seq.*).

Disces autem a jam citato Pausania, cur « *Æsculapius*, » ut ait Cæcilius, ab Epidauriis coleretur, et ubi situm fuerit illius templum. Livius vero scribit : « Haud parem opibus Sicyoni et Argo Epidaurum, sed inclytam Æsculapii nobili templo, quod quinque millibus passuum ab urbe distans, nunc vestigiis revulsorum donorum, tum donis dives erat, quæ remediorum salutarium ægri mercedem sacraverunt Deo. » De hujus autem templi inscriptione aliquid alibi a nobis observatum est (*Pausan. lib.* II, *pag.* 68. *Liv. lib.* XLV. § 18. *Tom.* I *Apparat. pag.* 1093).

Phryges vero, inquit adhuc Cæcilius, *Matrem* venera-

Digitized by Google

bantur, quemadmodum Strabo his testificatur, verbis : « Bereeyntes Phrygia gens et in universum Phryges, ac Troam, qui circa Idam accolunt Ῥέαν μὲν καὶ αὐτοὶ τιμῶσι καὶ ὀργιάζουσι ταύτῃ, μητέρα καλοῦντες θεῶν Rheam ipsi quoque colunt, eique orgia peragunt, Matrem appellantes deorum, et Agdestin, et Phrygiam, Magnam deam; a locis autem Idæam, Dindymenen, Bylenen, Pessinuntida, Cybelem » (*Strab. lib.* x, *Geogr. pag.* 469). Videsis præterea quæ a nobis annotata alibi fuerunt (*Tom.* I. *Apparat. lib.* III, *dissertat.* I. *cap.* 9, *art.* 2, *pag.* 758).

Quanta vero observantia Chaldæi *Belum* reveriti sint, facile colligas ex templi, in illius honorem constructi, amplitudine. De eo siquidem hæc Herodotus, uti de Babylone tradidit : Ἐν δὲ τῷ ἑτέρῳ Διὸς Βήλου ἱρὸν χαλκόπυλον. καὶ ἐς ἐμὲ τοῦτο ἔτι ἐὸν, δύο σταδίων, πάντῃ ἐὸν τετράγωνον. ἐν μέσῳ δὲ τοῦ ἱροῦ πύργος στερεὸς οἰκοδόμηται.... οὐδὲ νύκτα οὐδεὶς ἀναπαύλῃσεται ἀνθρώπων, ὅτι μὴ γύνη μούνη τῶν ἱριχωρίων, τὴν ἂν ὁ Θεὸς ἕληται ἐκ πασέων, ὡς λέγουσι οἱ Χαλδαῖοι ἐόντες ἱερίες τούτου τοῦ Θεοῦ. « In altero Jovis Beli templum æreis portis; id quod mea etiam nunc ætate existit, duorum undequaque stadiorum amplitudine, figura quadrata. In sacri medio turris solida..... Neque hic noctu cubat aliquis, præter mulierem unam ex indigenis, quam ex omnibus deus delegerit, uti narrant Chaldæi, hujus dei sacerdotes (*Herodot. lib.* I, § 181). Plura etiam de hoc templo Diodorus Siculus, qui perhibet illud a Semiramide ædificatum fuisse, sed vetustate collapsum (*Diodor. Biblioth. lib. pag.* 69). Verumtamen Plinius idem templum suo adhuc tempore permansisse asseverat (*Plin. lib.* V. *Natur. Hist. cap.* 26. *pag.* 712). Quidquid autem sit de illius templi destructione, alibi ostendimus, Theophilum Antiochenum, a Lactantio laudatum, scripsise Assyrios, et Babylonios Belo cultum exhibuisse ac venerationem. Legesis rursus Herodotum lib. III, § 158, pag. 223; Hieronymum in cap. XXIV. Ezechiel v. II et in cap. II. Oseæ, ỳ 16. Claudianum, Panegyr. I in laudem Stiliconis. Vossium lib. I de Origine et Progr. idolol. cap. 24, pag. 95. Giraldum, Histor. Deor. syntag. 2, pag. 108. et seqq. (*Tom.* I *Apparat. lib.* II, dissert. 4, cap. 2, § I. pag. 502).

Quid autem mirum si « Astartem, » cujus adhuc meminit Cæcilius, Syri coluerint; quandoquidem ut testis nobis est Tertullianus : « Unicuique provinciæ et civitati suus est deus, ut Syriæ Astartes. » Alibi tamen, uti suo loco videbimus, ab eo appellatur « Atagartis, » et a Cicerone quarta Venus : « Quarta, enim, inquit, Syria, Tyroque concepta, quæ Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse traditum est. » Philo quoque Biblius ex Sanchoniatone apud Eusebium : « Hanc, inquit, ipsam Astartem Phœnices Venerem esse memorant. » At Lucino eadem ac luna videtur; quamvis ex sacerdote aliquo atque a Phœnicibus Europam fuisse acceperit. Ex sacris porro Scripturis, quidam colligunt eam esse Astartem deam Sidoniorum, quam coluit rex Salomon, A eique excelsa statuit, ab Josia rege postmodum destructa (*Tertull. Apolog. cap.* 24, *pag.* 26. *et lib.* II. *ad Nation. cap.* 8, *pag.* 70. *Dissert. in Tertull. Apologet. cap.* 27 *art.* I. *Cic. lib.* III *de Natur. Deor. pag.* 248, *lin.* 30. *Apud Euseb. lib.* I *Præpar. Evang. cap.* 10, *pag.* 38. *Lucian. lib. de Dea Syria init.* III *Reg.* XI. 5. IV. *Reg.* XVIII, 13). Vide adhuc, si velis, Varronem, et Scaligeri in ejus verba notas, Eusebium, Suidam, Gyraldum, Salmasium, et Vossium (*Varr. lib.* IV *de Ling. lat. pag.* 14. *Euseb. lib.* I *Præpar. Evang. cap.* 10, *pag.* 37. *Suid. ad v. Astarte Gyrald. Syntag.* 13, *pag.* 375. *Salmas. exercit. in Solin. pag.* 574, *Voss. lib.* I. *de Orig. et Progres. idololatr. cap.* 28. *pag.* 88, *et lib.* II, *pag.* 206).

Addit Cæcilius divinos honores « Mercurio » a B Gallis redditos, quemadmodum his confirmatur Cæsaris verbis : « Deorum maxime Mercurium colunt. Hujus sunt plurima simulacra. Hunc omnium inventorem artium faciunt; hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad quæstus pecuniæ, mercaturasque habere vim maximam. » Cæsari suffragatur Tacitus, qui narrat Gallos eidem Mercurio humanis, ut supra annotavimus, hostiis litasse (*Cæsar. lib.* VI, *de Bello Gallic. longe post init. Tacit. de Morib. German. post init.*). Videre est etiam Vossium, qui a quibusdam tamen propterea arguntur, quod Titi Livii testimonio probare voluerit repertum fuisse juxta Carthaginem novum Mercurii Teutatis tumulum. Quæ enim citavit ejusdem Livii verba, in vetustissimo codice Puteano C non leguntur. Et id quidem obiter annotasse nemini fortasse, qui Vossium adire cupiat, molestum erit (*Vossius lib.* I *de Orig. idololatr. cap.* 13, *pag.* 134. *cap.* 37, *pag.* 140 *et lib.* II, *pag.* 238, *et seqq.*).

Nemini denique incompertum est eam fuisse Romanorum superstitionem, ut omnes, de quibus Cæcilius gloriatur, deos coluerint. Eorum quippe civitas, « cum pene omnibus, uti ait Leo Magnus, dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus; et magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem » (*Leo Pap. serm.* I *in Natal. Apost. Pet. et Paul.*). Utrum autem, hoc pio, ut loquitur contenditque Cæcilius, cultu meruerint totius orbis imperium, paulo post expendemus.

Ex his porro omnibus ille concludi posse existimat D deos gentilium revera existere, ac de iis ortas a mundi exordio traditiones minime descrendas, sed in hac majorum nostrorum religione constanter perseverandum. Quonam autem modo, et quibus rationum momentis Minucius eum impugnet ac refellat, solito more nostro examinandum est.

### ARTICULUS II.

*Quomodo Octavius Cæcilii argumentum refellat, ostendatque nec deorum cultum tantæ esse antiquitatis, nec sectandas majorum impias ac superstitiosas traditiones, quales erant de Scylla, Chimæra, Hydra et Centauris.*

Duæ sunt Cæciliane argumentationis a cæteris

Digitized by Google

quoque gentilibus numquam non usurpatæ partes. Prima omnes omnino gentiles spectat, secunda ipsos speciatim Romanos. Utraque autem totidem Minucii responsis, variisque ac gravissimis rationum momentis funditus evertitur. Quapropter ut recto ordine omnia tractentur, ducto a primis dicendi initio, ad alia postea veniemus.

Primum itaque nemini ea, qui hactenus dicta sunt, non iniquo prorsus animo consideranti, obscurum esse debet utramque illam Cæcilianæ disputationis partem jam iis argumentis prorsus infirmatam, fractamque fuisse, quibus Minucius, uti vidimus, non plures deos, sed unum solum esse, eumque omnibus et singulis rebus divina sua providentia consulere, invictissime demonstravit.

Quamobrem posteaquam utrumque illud veræ religionis fundamentum inexpugnabili rationum, ex ipsis ut plurimum gentilium philosophorum sententiis petitarum, propugnaculo munivit, tum ad primam Cæcilianæ ratiocinationis partem refellendam aggreditur. Dixerat autem Cæcilius antiquissimis, et mundo coævis, majorum nostrorum, qui a mundi primordio deos suos coluerunt, traditionibus, constantissime inhærendum.

At id Minucius noster absurdum et recte rationi prorsus contrarium esse luculentissime ostendit : « Nam si providentia, inquit, mundus regitur, et unius Dei nutu gubernatur, non nos debet antiquitas imperitorum fabellis suis delectata, vel capta, ad errorem mutui rapere consensus, cum philosophorum suorum sententiis refellatur, quibus et rationis et vetustatis assistit auctoritas. » Duplici, uti vides, ariete venditatam ab Ethnicis suæ religionis, et deorum cultus antiquitatem ibi percutit ac subvertit. Primo enim philosophorum auctoritate, cui refragari nemo gentilis homo poterat, manifestam facit hujus vetustatis falsitatem. Atque in hujusce assertionis confirmationem ea non parum profecto faciebant, quæ ab ipso, et a Clemente Alexandrino tradita probataque vidimus, eosdem scilicet philosophos pleraque sua placita ex sacris nostris Scripturis, sed a se postmodum depravatis ac corruptis, hausisse.

Deinde vero quantumvis antiqua esset Ethnicorum religio, nuntium nihilominus ei omnes ideo remittere debebant ; quia tota fabellis, mendaciis absurdissimis, monstrosis opinionibus, delirantiumque hominum somniis compacta fuit. Etenim quemadmodum Ambrosius, idem Symmachi argumentum refellendo, præclare docet : « Erubescat senectus, quæ emendare se non potest, non annorum canities est laudata, sed morum, nullus pudor est ad meliora transire (*Ambros. epist.* 18, § 7, *pag.* 834). Plura eam in rem legere poteris, apud Clementem Alexandrinum, Arnobium, de quo nos suo loco, et Prudentium (*Clem. Alex. Cohort. ad gent pag.* 57; *Arnob. lib.* II *adv. Gent. pag.* 90 *et seqq*; *Prudent. lib.* II *in Symmach.*).

At Tertullianum prætermittere non possumus, qui longius adhuc progressus, ethnicos scite acriterque ideo castigat, quod majorum suorum traditiones, magnis sæpiusque repetitis clamoribus jactatas, Christianis ad nauseam usque objicerent, quas ipsi pessumdabant et aspernabantur : « Ubi religio, inquit, ubi veneratio majoribus debita a vobis ? Habitu, victu, instructu, censu, ipso denique sermone, proavis renuntiastis. Laudatis semper antiquos, sed nove de die in diem vivitis, per quod ostenditur dum a bonis majorum institutis decediti, ea vos retinere et custodire quæ non debuistis, cum quæ debuistis, non custodistis. » Sed de iis plura nos suo loco, ubi de illius libris disseremus (*Tertul. Apolog. cap.* 6, *pag.* 7; *Dissert. in Tertullian. cap.* 18, *pag.* 15).

Ridiculas autem planeque absurdas fuisse gentilium antiquas opiniones, tametsi nemini incognitum esse poterat, Minucius tamen, ut omnibus cumulate satisfaceret, pluribus id demonstrat exemplis. Gentiles enim credebant, inquit, existere Scyllam multiplicem, Chimeram multiformem, Hydram vulneribus renascentem, et Centauros equos hominibus implexos. Scyllam vero Virgilius his versibus descripsit :

> At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris,
> Ora exsertantem, et naves in saxa trahentem.
> Prima hominis facies, et pulchro pectore virgo
> Pube tenus; postrema immani corpore Pistris,
> Delphinum caudas utero commissa luporum.
>
> (Virgil., l. III *Æneid.*, *v.* 424 *et seqq.*)

Aliter tamen, sed non minus portentosa repræsentatur ab Homero, quem adire poteris, sicut et Ovidium, Ausonium, Natalem Comitem et Vossium (*Homer.*, *Odyss. lib.* XII, *pag.* 172; *Ovid.*, *Metamorphos. lib.* IV, *fab.* 1 ; *Auson.*, *Idyl.* 4 ; *Nat. Com.*, *lib.* VIII *Mytholog.*, *cap.* 12; *Voss.*, *lib.* IV *de Orig. et progr. idol. cap.* 17, *pag.* 34). Chimæram vero depinxerunt idem Homerus, Hesiodus, Lucretius, Ovidius, qui tibi si non sufficiant, adire præterea poteris Virgilium, ac Natalem Comitem (*Homer. Iliad.* VI, *pag.* 106; *Hesiod. Theogon.*, *pag.* 469 ; *Lucret. lib.* V, *pag.* 57; *Ovid. lib.* IX *Metamorp.*, § 11 ; *Virg.*, *lib.* IV *Æneid.*, 28; *Natal. Com.*, *lib.* IX *Myt.*, *cap.* 4).

Variæ autem fuerunt de Centauris opiniones, quas his verbis refert Diodorus Siculus : « Ixion Junonis amore incensus, de stupro deam compellare non dubitavit. Jupiter ergo, τὸ μὲν διὰ ἰδώλου ποιήσαντα τῆς Ἥρας νεφέλην ἐξαποστεῖλαι· τὸν δὲ Ἰξίονα τῇ νεφέλῃ μιγέντα γεννῆσαι τοὺς ὀνομαζομένους Κενταύρους ἀνθρωποφυεῖς, nubis spectrum Junonis loco ei subjecit, quo inito Centauros ex parte homines procreavit..... Alii Centauros perhibent in Pelio a Nymphis educatos, adulta post ætate ex equarum inscensu biforme Hippocentaurorum, ut vocant, genus proseminasse. Quidam affirmant Nephele et Ixione prognatos Centauros, quod principes equitandi studium aggressi fuerint, inde nomen hippocentaurorum retulisse, et inde figmentum de duplici natura in fabulam abiisse » (*Diodor. Sicul.*, *lib.* IV *Biblioth. pag.* 189. *Idem*, *pag.* 153). Prius vero narraverat quomodo Hercules eosdem Centauros quarto certamine debellasse perhibeatur. Primam autem ex his opinionibus notat apud Ciceronem Cotta, ubi ait : « Una etiam nubes Centauros peperisse



Digitized by Google

dicitur » (*Cic.*, *lib.* III *de Natur. deor.*, *pag.* 247). A

Eusebiani vero Chronici auctor : « Bellum, inquit, Lapitharum et Centaurorum sub hoc tempore; quod scribit Palæphatus libro de Incredibilibus nobiles fuisse equites Thessalorum » (*Euseb. chron. ad ann.* 772). Scaliger tamen in suis ad hæc verba animadversionibus illum libere audacterque castigat, quod Palæphatum in opinionis hujus confirmationem citaverit, a qua longe discrepat. Alii nihilominus illam non solum Palæphati auctoritate probare conantur, sed Tzerzæ etiam, et Orosii, qui insuper his adjecit Lapithas a Thessalis dictos fuisse Centauros, quia ex equis pugnantes, unum cum eis corpus efficere viderentur (*Tzetz. hist. Chili.* VII, *cap.* 99; *Oros.*, *lib.* I, *cap.* 13). Adisis Ovidium, Natalem Comitem, et Vossium (*Ovid. lib.* XII *Metamorp. fab.* 4; *Comes*, B *lib.* VII *Mythol. cap.* 4; *Voss.*, *lib.* I *de Orig. et progr. idolol. cap.* 15, *pag.* 62).

Addit denique Minucius ab Ethnicis decantari ex hominibus aves, flores, arbores, ex alia ejusmodi facta fuisse. Quæ quidem in Ovidii libris Metamorphoseon passim occurrere nullus ignorat. At hæc omnia Hieronymus, ubi de Nabuchodonosor disserit, paucis verbis complectitur : « Multo, inquit, incredibiliora, et Græcæ, et Romanæ historiæ accidisse hominibus prodiderunt : Scyllam quoque, et Chimæram, Hydram, atque Centauros, aves et feras, flores et arbores, stellas et lapides factos ex hominibus narrant fabulæ » (*Hieronym.*, *in cap.* IV *Daniel.* V.1).

Vides itaque quam jure merito Minucius, ex his et aliis pluribus, infra recensendis, concludat falsum C omnino esse Cæcilium, aliosque omnes errare Ethnicos, qui docebant unicuique satius esse sequi majorum nostrorum de diis ac religione traditiones, et deos ab illis agnitos magis timendos, quam familiarius nosse, atque de illis ferre sententiam.

## CAPUT XV.

### EXPENDUNTUR ARGUMENTA QUIBUS MINUCIUS OSTENDIT FALSOS ESSE GENTILIUM DEOS.

#### ARTICULUS PRIMUS.

***Qua insulsitate Gentiles prædicabant homines ob merita virtutis, vel beneficia aliis hominibus collata factos fuisse deos.***

Falsi deorum cultus fons origoque uberior fuit in- D sana Ethnicorum persuasio, qua non solum prædicabant, sed etiam gloriabantur deos suos fuisse quidem homines, sed qui propter collata aliis hominibus beneficia, egregiaque facinora, præmium divinitatis consecuti fuerant, sive eos, ut ait Minucius, « ob merita virtutis, aut muneris deos habitos. » Testis hujusce deorum originis, omni exceptione major, nobis est Cicero, qui illud his verbis, a Lactantio citatis, mirum in modum confirmat. « Suscepit vita hominum, inquit, consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cœlum fama ac voluntate tollierent. Hinc Hercules, hinc Castor et Pollux, hinc Æsculapius, hinc liber etiam » (*Cic. lib.* II *de Natur. Deor.*, *pag.* 223, *lin.* 13; *Lactant.*, *lib.* I *Instit. cap.* 8 *et* 15, *pag.* 43 *et* 80). Rursus autem alio in libro hæc a Lactantio adhuc descripta, illius verba legimus : « In plerisque civitatibus intelligi potest augendæ virtutis gratia, quo libentius reipublicæ causa periculum adiret optimus quisque, virorum fortium memoriam honore deorum immortalium consecratam » (*Cic.*, *lib.* III *de Natur. deor.*, *pag.* 247, *lin.* 8; *Lactant. loc. cit.*). Poterat certe Lactantius tertium proferre Ciceronis locum, ubi non minus clare, quam in superioribus loquitur : « Fortes, inquit, aut claros, aut potentes viros tradunt post mortem ad deos pervenisse, eosque esse ipsos, quos nos colere, precari, venerari soleamus? » (*Cic.*, *lib.* I *de Natur. deor. pag.* 212, *lin.* 34.) Perpende autem, quæso, utrum Minucius ad hæc potissimum Ciceronis verba collineaverit.

Tacuit quidem latinus iste Orator, quod fuerit perversi hujusce moris initium : sed Plinius vetustissimum esse declarat : « Hic est vetustissimus referendi bene merentibus gratiam mos, ut tales numinibus adscribant? » (*Plin.*, *lib.* II *Natur. Hist.*, *cap.* 7, *pag.* 144.) Verum quantumlibet antiquus fuerit ille mos, non *in ipsius* tamen mundi, uti aiebat Cæcilius, *natalibus* ortus est. Tunc enim dumtaxat cœpit, ut recte arguit Octavius, quando « quæque natio conditorem suum, aut ducem inclytum, aut reginam pudicam, sexu suo fortiorem, aut alicujus muneris vel artis repertorem venerabatur. »

Fac tamen, si velis, illum mundo, quod fieri neutiquam potest fuisse coævum, numquam inde conficies hos esse veros Deos, qui nec æterni sunt, nec immortales, quique ab hominibus sicut vitam, ita et fictitiam divinitatem acceperunt : vel quibus, ut ait Octavius, divinitas fuit, « defunctis præmium, et futuris dabatur exemplum. » Variis autem argumentis illud, quemadmodum Athanasius, et Theodoretus, probare poterat (*Athanas.*, *Orat. cont. gent.*, *pag.* 18, *tom.* I; *Theodoret.*, *tom.* IV. *serm.* 3, *de Angel.*, *pag.* 510) : sed satius duxit Cæcilium, aliosque gentiles ad nosmetipsos scriptores mittere : « Lege, inquit, Stoicorum scripta, vel scripta sapientium, eadem mecum recognosces, » ob virtutis ac fortitudinis, vel muneris sive beneficiorum « merita, deos habitos. » Sed quidam suspicantur ibi pro *Stoicorum* legendum esse *historicorum* haud dubie, quia hoc nomen magis opponitur subsequenti *sapientium*. At mera est conjectura, nec sane sola sufficit ad explodendam nostri codicis lectionem, quæ Ciceronis auctoritate firmari videtur. Ubi enim disputat de iis, qui « dii, » ut ipse loquitur, « rite sunt habiti, » et de magnæ eorum multitudinis origine, ibidem adjecit : « Atque hic locus a Zenone tractatus, post a Cleanthe, et Chrysippo pluribus verbis explicatus est » (*Cic.*, *lib.* II *de Natur. deor.*, *pag.* 223, *lin.* 20 *et seqq.*). Constat autem Zenonem Stoicorum fuisse principem, hosque illius discipulos, sicut docet Laertius, qui eorum vitam scripsit, nosque alibi animadvertimus (*Laert. lib.* VII *de Vit. et dogmat. philosoph.*, § 1 *et seq. Tom.* I *Apparat. pag.* 1123).

Digitized by Google

Duo præterea alii testes a Minucio nostro proferuntur, et prior quidem : « Prodicus assumptos, inquit, in deos loquitur, qui errando inventis novis frugibus, utilitati hominum profecere. » Nonne autem hæc ille delibavit ex hisce Ciceronis verbis : « Prodicus Chius ea, quæ prodessent hominum vitæ, deorum in numero habita esse dixit? » Alio adhuc in libro refert, quid de eo Xenophon tradidit, huncque Xenophontis locum alibi notavimus (*Cic., lib.* I *de Natur. deor., pag.* 212, *lin.* 72, *et lib.* I *de Offic., pag.* 367, *lin.* 19; *Tom.* I. *Apparat. pag.* 1245).

Secundus ab auctore nostro appellatur « Perseus, » seu Persæus, « qui in eamdem, » uti ait, « sententiam philosophatur, et annectit inventas fruges, et frugum ipsarum repertores iisdem nominibus, ut comicus sermo est Venerem sine Libero et Cerere frigere. » Comicus autem Terentius cecinit :

Verbum, hercle, hoc verum est :
Sine Libero et Cerere friget Venus.
(*Terent., Eunuch. act.* IV *scen.* 5.)

At ibi illud ab alio adhuc desumptum esse significat. A quo autem, nisi ab Euripide, cujus est hoc græcum carmen?

Νεκρὸν Ἀφροδίτη Διονύσου δίχα, καὶ Δήμητρος.
Mortua est Venus, sine Baccho, et Cerere.

Quæ autem de Perseo retulit Minucius, hausta quoque fuerant, sicut superiora, ex eodem libro Ciceronis a nobis jam citato, ubi hæc legimus : « Perseus Zenonis auditor, » sicut etiam Laertius, vel sicut Athenæus ait, famulus, « eos dicit esse habitos deos a quibus magna utilitas ad vitæ cultum esset inventa; ipsasque res utiles, et salutares deorum esse vocabulis nuncupatas, ut ne hoc quidem diceret illa inventa esse deorum, sed ipsa divina » (*Cic., lib.* I *de Natur. deor., pag.* 201, *lin.* 18; *Laert., lib.* VII, *in vita Zenon.*, § 13 *et* 54; *Athen., lib.* IV *Deipnosoph. cap.* 17, *pag.* 162). At ex citato Latini et Græci poetæ versu facile intelligitur a Minucio nostro post Ciceronem designari potissimum Cererem et Bacchum, qui res hominum vitæ omnium utilissimas invenisse ferebantur. Quapropter Athenagoras eosdem Ethnicos arguit, qui elementa, eorumque partes deificant, Τὰ στοιχεῖα καὶ τὰ μόρια αὐτῶν θεοποιοῦσι, ac vitis fructum Bacchum appellant, vitemque ipsam Semelem, et fulmen æstum Solis, τὸν δὲ τῆς ἀμπέλου καρπὸν Διόνυσον, καὶ Σεμέλην αὐτὴν τὴν ἄμπελον, καὶ κεραυνὸν τὸν τοῦ ἡλίου φλόγα (*Athenag. legat. pro Christian. pag.* 24). Quam audacter vero ethnici Cereri frugum et vini Baccho, uti narrat Diodorus Siculus, aliisque aliarum rerum, hominibus utilium, inventionem tribuerint, in sequentibus nostris dissertationibus ostendemus (*Diodor. Sicul., lib.* III *Biblioth., pag.* 142, *et lib.* V, *pag.* 232; *Dissert in Arnob., cap.* 9, *art.* 2; *in Lactant., cap.* 30, *art.* 5; *in Tertullian., cap.* 25, *art.* 3). Nec minus perspicue demonstrabimus quam recte antiquissimi nostri scriptores, sicuti Minucius noster, probaverint a nullo sanæ mentis homine, ex his vel aliis quibuscumque beneficiis sibi collatis, confici posse eos, a quibus reperta nec creata sunt, esse deos, aut meruisse divinitatem. Nam ipsemet Cicero post citata a nobis paulo ante de Prodico verba, continuo subjunxit : « Quam tandem religionem, » ille Prodicus, « relinquit? » (*Cic., lib.* II *de Natur. deor., pag.* 212, *lin.* 34.) Rejecto siquidem vero Deo, falsisque introductis, nulla plane religio, sed vana tantum superstitio esse potest. At si rerum hominibus utilium inventores dii esse non possunt, multo minus res ab aliis inventæ. « Quid, » namque « absurdius, » ait adhuc Cicero, « quam aut res sordidas, atque deformes, deorum esse vocabulis nominatas, aut homines jam morte deletos, reponere in deos, quorum omnis cultus futurus esset in luctu (*Ibid. pag.* 201, *lin.* 21). » Nihil autem ea sententia verius, quandoquidem ante quaslibet res inventas, ac quoslibet earum inventores, creatæ procul dubio ab illo fuerant, qui mundum et omnes creaturas condidit, solusque idcirco Deus esse potest. Quis ergo non mirabitur hunc in primis ex corruptissimis fontibus unum esse, ex quo manavit idololatria impiusque falsorum deorum cultus totum terrarum orbem inundavit.

ARTICULUS II.

*Examinatur Minucii argumentum quo falsos esse gentilium deos probat ex eorum ortu, patria, morte, sepulchris, ac præsertim Jovis Dictæi, Apollinis Delphici, Isidis Phariæ, et Eleusiniæ Cereris.*

Alio adhuc Minucius argumento funditus evertit fictam a gentilibus omnium numinum suorum divinitatem. Ab iis autem illud rursum deprompsit, quæ illi ipsi de eorumdem deorum suorum natalibus, patria et sepulchris tradebant, ac numquam non venditabant. Necesse proculdubio non erat, ut id quo mirifice gloriabantur, probandum susciperet. Testem nihilominus vademque certissimum Euhemerum hisce todidemque verbis dedit : « Euhemerus exsequitur, et eorum natales, patrias, sepulchra dinumerat, et per provincias monstrat. » Prævium autem ibi more suo sequi videtur Ciceronem, qui « ab Euhemero, » inquit, « et mortes, et sepulturæ demonstrantur deorum » (Cicer. lib. I *de Natur. deor.*, pag. 112, lin. 37). Iste vero Euhemerus, si hoc scire aveas, græcus fuit scriptor, quem alii patria Agrigentinum, alii Messenium, quidam Coum, atque etiam Tegeatem crediderunt. Plura autem historiarum composuit volumina, ubi ea, quæ a Cicerone Minucioque memorantur, litteris mandavit. Legesis Plutarchum, Athenæum, Ælianum, Augustinum, Theodoretum, aliosque a nobis in superiori Apparatus nostri tomo citatos (Plutarch. *lib. de Isid. et Osir.*, pag. 360; Athen., lib. XIV, *Deipnosoph.*, pag. 658; Ælian. lib. II *Var. hist.*, cap. 32; Augustin., lib. I *de Evangel.*, cap. 23; Theodor., serm. 3, *de Angel.*, pag. 506). Ibi autem observavimus hunc Euhemerum a multis atheorum numero, haud dubie propter illas deorum historias, fuisse adscriptum. Sed id non prohibuit, quominus Ennius, uti Cicero, et postea Augustinus aiunt, ejus libros interpretatus sit, eaque vera sint, quæ de illorum deorum natalibus, rebus

Digitized by Google

gestis, mortibus, et sepulchris narraverat (Cicer. loc. cit.; August., lib. VII *de Civit.*, cap. 17, § 1, pag. 185).

Minucius porro ex iis, quæ ille græcus scriptor de deorum ortu, patria, et sepulchris dixerat, nonnulla tantum perstringit, nimirum « Dictæi Jovis, Apollinis Delphici, Phariæ Isidis, et Cereris Eleusiniæ. » Dicta autem, seu Dicte mons in Creta insula est, in cujus antro Ops, seu Rhea, Saturni uxor, Jovem peperit, ac Curetibus, seu Corybantibus, et Idæis Dactylis, ne recens natus a patre, sicut alii filii, devoraretur, custodiendum occulte tradidit (Strabo, lib. XX *Geogr.*, pag. 478). Inde Virgilius :

> Nunc age, naturas apibus, quas Jupiter ipse
> Addidit, expediam; pro qua mercede canoros
> Curetum strepidus crepitantiaque æra secutæ,
> Dictæo cœli regem pavere sub antro.
> (*Virgil. Georg. lib.* IV, *v.*149 *et seqq.*)

Alium si desideres latinum poetam, tibi cito producemus Lucretium, qui similiter cecinit :

> Dictæos referunt Curetas, qui Jovis illum
> Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur,
> Cum pueri circum puerum pernice choræa,
> Armati in numerum, pulsarent æribus æra,
> Ne Saturnus eum malis mendaret adeptus,
> Æternumque daret matri sub pectore vulnus.
> (*Lucret.*, *l.* II, *v.* 637 *et seqq.*)

Lege adhuc, si vacat, Servium in citatos Virgilii, et alios ejus versus, Ovidium, Diodorum Siculum, Lucanum, Strabonem, Theophilum Antiochenum, Athanasium, et quæ a nobis alibi delibata sunt (Serv., *in citat. versus et in lib.* III *Æneid.*, pag. 270; Ovid., lib. IV Fast.; Diodor., lib. V *Bibli.*, pag. 253; Lucan., *de Sacrific.*, pag. 183; Strab., lib. X *Geogr.*, pag. 468; Theophil. Antiochen., lib. I *ad Autolyc.*, pag. 75; Athanas., *Orat. contr. Græc.*, § 10, tom. I; Tom. I *Apparat.*, pag. 1164). Neque te moveat, quod nonnulli Jovem non in Dicta, sed in Ida monte educatum asserunt. Etenim uterque mons proximus erat, ut testatur Aratus; quamvis eos Strabo stadiis CIↃ distare existimaverit (Strab., lib. X *Geogr.*, pag. 478).

Porro autem ex jam citato Diodoro Siculo discimus quam verum illud sit, quod postea auctor noster retulit, capram fuisse ejusdem Jovis infantis nutricem, vel uti ipse loquitur : « Jovis nutrix capella est. » Nymphæ etenim, quemadmodum ipse Diodorus loquitur, « mellis et lactis temperamento infantem cibarunt, et capræ Amalteæ, ut vocatur, ubera ad pleniorem ei nutricationem porrexerunt..... Capræ etiam nutrici cum alios tribuit honores, tum Ægiochi, id est, Capritenentis cognomentum ab illa desumpsit » (Diod., lib. V *Biblioth.*, pag. 233). Quamobrem Ovidius :

> Nascitur Oleniæ sidus pluviale capellæ
> Illa dati cœlum præmia lactis habet.
> Nais Amalthea Cretæa nobilis Ida,
> . . . . . .
> . . . . . .
> . . . . . .
> Cornibus aereis, atque in sua terga recurvis :
> Ubere, quod nutrix posset habere Jovis,
> Lac dabat illa deo.
> (*Ovid. lib.* V *Fastor.*, § 2.)

Ad illius autem sepulchrum, a Minucio nostro, ac sequestre ejus Cypriano memoratum, quod spectat, Cretenses, teste Luciano, affirmabant, « Jovem non modo vixisse apud se, nutritumque fuisse; verum etiam sepulchrum ejus ostendunt : τὸν τάφον δεικνύουσι. » Tres vero Tullius distinxit Jove quorum « tertium, » inquit, numerabant « Cretensem, Saturni filium, cujus in illa insula sepulchrum ostenditur. » Varro autem, ut annotat Solinus, « in Opere, quod de litoralibus est, etiam suis temporibus affirmat sepulchrum Jovis ibi visitatum. » Callimachus tamen dubiam rem esse canit, ac Cretenses mendacii accusat : sed ibi cum Jovem semper exstitisse dicat, putide mentitur. Legesis adhuc Theophilum Antiochenum, Clementem Alexandrinum, Origenem, Tertullianum, Arnobium, Lactantium, Eusebium et Epiphanium. Vossius tamen existimat duos fuisse Cretenses Joves, unum antiquissimum Cretæ regem, a quo Creta nomen accepit; alterum juniorem, qui Europam rapuit, de quo Ciceronem et Lactantium loqui opinatur (Cypr. *de Idol. Vanit.*, pag. 11; Lucian. *de Sacrifi.*, pag. 185, lin. 39; Cicer., lib. III *de Nat. deor.*, pag. 247, lin. 34; Solin. Polyhist. cap. 11, pag. 29; Callimac., *Hymn. in Jovem*, pag. 535, tom. I poet. Græc.; Theophil., lib. II *ad Autol.*, pag. 81; Clement., Alexandr., *Admonit.* pag. 24; Origen., lib. III *contr. Cels.*, pag. 137; Tertull., *Apologet.*, cap. 25, pag. 27; Arnob., lib. IV *adv. Gent.*, pag. 135; Lactant., lib. I *Instit.*, cap. 11, pag. 64; Euseb., lib. III *Præpar. Evang.*, cap. 10, pag. 107; Epiph. *Anachorat.*, § 108, pag. 108; Vossius, lib. I *de Orig. et prog. idolol.*, cap. 1, pag. 61). Nobis vero sufficit id probasse, quod ab auctore nostro traditum est. De Jove autem aliquid postea dicendum.

Quam recte etiam Minucius Jovi Apollinem Delphicum subjunxerit, ex ipso rursus Cicerone liquido confirmari potest. Plurimos enimvero recenset Apollines, quorum « tertius, ait ille, Jove tertio natus, et Latona, quem ex Hyperboreis Delphos ferunt advenisse. » Lucianus vero : « Per regiones, inquit, illos » deos « distributos colunt, eos in civitatem suam receptant. Nempe, ὁ μὲν Δελφὸς τον Ἀπόλλω, Apollinem Delphi Deliique, Minervam Athenienses, cives suos exhibent et faciunt. » At Diodorus Siculus magis expresse narrat plerosque deos ex Creta prodiisse : « Ωσαύτως δὲ μὲν Ἀπόλλωνα πλεῖστον χρόνον φανῆναι περὶ Δῆλον, καὶ Λυκίαν, καὶ Δελφούς. Consimiliter multum temporis in Delo, Lycia, et Delphis Apollo exegit. » Delphi autem urbs erat Phocidis in Achaia ad Parnassum montem, oraculo Apollinis, ut nemo nescit, celeberrima. Quosdam tamen adhuc scriptores hanc in rem legere si velis, adi Pausaniam, Plutarchum, Strabonem, et alios Mythologos. Macrobio nihilominus varia Solis nomina interpretanti si credas, « Ἀπόλλωνα Δελφῶν, vocant, quod quæ obscura sunt, claritudine lucis ostendit, ἀπὸ τοῦ δηλοῦν ἄφανῆ, aut, ut Numenio placet, quasi unum et solum. Ait enim prisca Græcorum lingua δελφὸν unum vocitari. Unde et frater, inquit, ἀδελφὸς dicitur, quasi non unus » (Cicer. lib. III *de Natur. deor.*, pag. 248; Lucian., *de Sa-*

Digitized by Google

*crific.*, pag. 185; Diodor. Sicul., lib. v *Biblioth.*, pag. 237; Pausan., lib. x, pag. 320 et seqq.; Plutarch. *de oracul. Defect.*, pag. 433; Strab., lib. ix *Geogr.*, pag. 417 et seq.; Macrob., lib. i *Saturnal.* cap. 17).

Isidis Phariæ Minucius postea meminit. At si Euhemeri ab eo laudati commentationes in nostras manus devenissent, sciremus utique utrum Isidis Phariæ patriam, an sepulchrum, vel utrumque nobis indicaverit. Varias enim de illis fuisse opiniones Herodotus, a quo Ἰοῦν *Io* appellatur, Diodorus Siculus, et alii testificantur (Herodot. lib. i, et Diodor. Sicul., lib. i *Biblioth.*, pag. 9, 14 et 17, et lib. v, pag. 32). Duobus tamen hisce verbis, *Isidis Phariæ*, auctor noster non obscure significat sepulchrum illius in Pharo, celeberrima Ægypti insula, conditum, ubi maximo honore colebatur. Fatetur quidem Diodorus Siculus (Idem, lib. i, pag. 16), scriptores quosdam venditasse, Isim virumque ejus Osiridem ad Nisam Arabiæ tumulatos, ibique columnas, in utriusque honorem positas, in quarum una sacris litteris exarata inscriptio hæc legebatur. « Ego Isis sum, regina hujus loci, a Mercurio erudita. Quæ lege per me sancita sunt, nemo solvere potest. Ego Saturni novissimi dei filia sum, natu minima. Ego sum Osiridis regis uxor et soror. Ego sum illa, quæ prima fruges mortalibus reperi. Ego regis Hori mater sum. Ego sum, quæ in Canis sidere exoritur. Mihi Bubastos urbs ædificata. Vale, gaude, Ægypte mea nutrix. » Sed his magnam fidem se non habuisse plane non dissimulat.

Et certe Ægyptii haud semel quotannis, teste Herodoto, frequentes agebant conventus, atque in primis, « ἐς Βουβάστιν πόλιν τῇ Ἀρτέμιδι, in urbe Bubasti in honorem Dianæ. Δεύτερον, ἐς Βούσιριν πόλιν τῇ Ἴσι. Secundo loco, in urbe Busiri in honorem Isidis. In qua urbe maximum est, ἱρόν, templum Isidis, ipsa in medio Delta Ægypti sita. Est autem Isis, quæ Græca lingua dicitur Δημήτηρ, id est, Ceres » (Herod. lib. II, § 59).

Ex Strabone autem discimus Busirim civitatem esse Busiritidæ provinciæ, quæ portum habet ad Pharum a Bubulcis custoditum (Strab., lib. XVII *Geogr.*, pag. 802). Nonne ergo colligi inde potest hanc esse Isim, quæ ab auctore nostro nominatur Pharia, seu Paria; sic enim in numismatibus ab Frederico Ubaldino exhibitis apellatam videbis? (Ubaldin., *de Symbol. Dian. Ephes. statu.*, pag. 365, tom. VII *Antiq. Græc.*)

Cæterum cum Isis, ut citati paulo ante Herodotus, Diodorus Siculus, aliique plurimi prodiderunt, eadem sit atque Ceres, illius dubio procul Tertullianus mentionem his verbis fecit : « Quanto distinguitur a crucis stipite Pallas Attica, et Ceres Pharia » (Tertull. *Apolog.* cap. 17).

Solo autem cognomine, vel potius locis, ubi colebatur Isis Pharia, distincta fuit a Cerere Eleusinia, cujus adhuc auctor noster post Euhemerum meminit. Scriptum vero nobis Strabo reliquit : Εἶτ' Ἐλευσὶν πόλις, ἐν ᾗ τὸ τῆς Δήμητρος ἱερὸν τῆς Ἐλευσινίας, καὶ ὁ μυστικὸς σηκὸς, ὃν κατεσκεύασεν Ἰκτῖνος, ὄχλον θεάτρου δέξασθαι δυνάμενον. « Sequitur urbs Eleusin, in qua templum est Eleusiniæ Cereris, et mysticum delubrum, turbæ, quanta in theatro solet esse, capax, opus Ictini » (Strab. lib. IX *Geogr.*, pag. 395). Accedat et Cicero, cujus hæc sunt verba : « Omitto Eleusinam sanctam illam et augustam,

Ubi initiantur gentes orarum ultimæ. »
(*Cic., l.* II *de Natur. Deor., p.* 12 *lin.* 38.)

Quis autem cum Minucio nostro fictitias illas Cereris, et Isidis, aliorumque divinitates non rideat et explodat, quos mortuos sepultosque Ethnici fatebantur?

ARTICULUS III.

*Examinatur Minucii argumentum, quo commentitio Gentilium deos esse probat ex Alexandri Magni ad matrem epistola, qua proditum sibi de diis secretum testificabatur, ac Vulcanum fecit illorum principem; atque de Isidis ad hirundinem sistro, et vacuo Serapidis, seu Osiridis sepulcro disputatur.*

Mirabitur haud dubie aliquis fictitiæ deorum gentilium divinitatis testem a Minucio citari Alexandrum Magnum, « qui insigni, inquit, volumine ad matrem suam scripsit, metu suæ potestatis proditum sibi de diis hominibus a sacerdote secretum. » Sed id tamquam verissimum Cyprianus totidem verbis, uti jam vidimus, in suum de Vanitate idolorum librum transtulit (Cyprian. *de idolor. Vanit.*, pag. 12. Supr., cap. 2, art. 4, p. 35).

Prius Athenagoras dixerat : Ἡρόδοτος, καὶ Ἀλέξανδρος Φιλίππου ἐν τῇ πρὸς τὴν μητέρα ἐπιστολῇ (ἑκάτεροι δὲ ἐν τῇ Ἡλιουπόλει, καὶ Μέμφει, καὶ Θήβαις, εἰς λόγους τοῖς ἱερεῦσιν ἀφῖχθαι λέγονται), φασὶ παρ' ἐκείνων, ἀνθρώπους αὐτοὺς γίνεσθαι, μαθεῖν. « Herodotus et Alexander Philippi filius in epistola ad matrem (qui utrique in diversis civitatibus Ægypti, Heliopoli, Memphis, et Thebis in colloquium cum sacerdotibus venisse dicuntur) homines deos fuisse, ex illis se cognovisse, aiunt » (Athenagor. *legat. pro Christian.*, pag. 31). Quod itaque Minucius, ac post eum Cyprianus, insigne volumen, hoc Athenagoras epistolam vocat. Ita etiam Augustinus, qui docet illum, sicuti loquitur idem Minucius, sacerdotem patria Ægyptium fuisse, ac Leonem cognominatum » (August., lib. VIII *de Civit.*, cap. 5, pag. 194, et cap. ult., pag. 218, et lib. XII, cap. 10, pag. 309, ac lib. I de *Cons. Evang.*, cap. 3).

Contra tamen reclamant Rigaltius ac Cellarius, et Minucium, aliosque a nobis laudatos scriptores, errasse, atque ab iis Alexandrum Magnum Macedonem Alexandro Polyhistori suppositum esse contendunt. Opinionem vero suam duplici ratione stabilire conantur, tum quia Polyhistor Αἰγυπτιακὰ edidit, tum quia Tertullianus dixit : « Cedo jam de vestro, quod Ægyptii narrant, et Alexander digerit, et mater legit » (Tertull. lib. *de Pallio*, cap. 3, pag. 134).

Verum, præterquam quod verisimile non sit, Polyhistorem potestatis suæ metu a sacerdote Ægyptio

Digitized by Google

extorquere potuisse de diis hominibus secretum, ac matri suæ scripsisse ea de re librum, aut epistolam; certe Plutarchus, cui Rigaltius fortasse Cellariusque majorem, quam Ecclesiæ Patribus, fidem habebant, eadem in Alexandri Magni Vita narrat : Αὐτὸς δὲ Ἀλέξανδρος ἐν ἐπιστολῇ πρὸς τὴν μητέρα, φησὶν γεγονέναι τινὰς αὐτῷ μαντείας ἀπορρήτους, ἃς αὐτὸς ἐπανελθὼν φράσει πρὸς μόνην ἐκείνην.... λέγεται δὲ καὶ Ψάμμωνος ἐν Αἰγύπτῳ τοῦ φιλοσόφου διακούσας, ἀποδέξασθαι μάλιστα τῶν λεχθέντων, ὅτι πάντες ἄνθρωποι βασιλεύονται ὑπὸ Θεοῦ· τὸ γὰρ ἄρχον ἐν ἑκάστῳ καὶ κρατοῦν, θεῖόν ἐστιν. « Ipse in epistola ad matrem Alexander sortes quasdam sibi ait arcanas traditas, quas reversus soli ei relaturus esset..... Perhibetur etiam, cum Psammonem philosophum audivisset in Ægypto, ex dictis ejus præcipue probasse omnes mortales a Deo regi, quippe quod in quaque re imperat et dominatur, esse divinum » (*Plutarch., Vit. Alexandr.*, tom. II, pag. 680). Qui vero a Minucio, Cypriano, Athenagora sacerdos, et ab Augustino Leo vocatur, hunc ibi Plutarchus Psammonem philosophum appellat. Non dixit quidem Alexandrum matri suæ scripsisse, quæ ab illo Psammone acceperat, sed neque hoc etiam inficiatur. Verum quid vetat, quominus Athenagoras, Minucius, et alii aliunde hac de re certiores fieri potuerint? Tam levibus itaque conjecturis tantæ auctoritatis scriptores erroris condemnandi non erant.

Quæ porro apud auctorem nostrum verba proxime sequuntur, hæc corruptionis multum, et plurimam obscuritatis habent. Sic autem ea legimus : « Illic (*ms. Reg.* Illi) Vulcanum facit omnium principem, et postea Jovis gentem. Despice (*ms. Reg.* et de spicis) Isidis ad hirundinem sistrum, et dispersis (*ms. Reg.* adspersis) membris inanem tui Serapidis sive Osiridis (*ms. Reg.* Osiridis) tumulum. Ex variis hisce lectionibus cernis procul dubio, utrum immerito quibusdam hæc videantur esse adeo depravata, ut absque alterius sanioris manuscripti codicis auxilio sanari posse desperaverint.

Sensus autem primorum auctoris nostri verborum, quantum ex ms. Regii, aliis haud absurde præferenda lectione, potest colligi, hic est, *Illi*, seu potius *ille* Alexander, ac forte melius *itlic*, id est, in citata epistola Alexander facit Vulcanum omnium, scilicet deorum principem, et postea Jovis gentem. Et id quidem confirmari optime poterit transcriptis ab Eusebio hisce Diodori Siculi verbis : Ἔνιοι δὲ τῶν ἱερέων φασὶ πρῶτον Ἥφαιστον βασιλεῦσαι πυρὸς εὑρετὴν γενόμενον. « E sacerdotibus nonnulli volunt Vulcanum, illum ignis inventorem, primum regem numerandum esse, cui Saturnus, Jovis pater, imperio successerit » (Diodor., lib. I *Biblioth.* pag. 8; Euseb., lib. II *Præpar. Evang.*, cap. 1). Utrum autem istud verum sit articulo sequenti examinabimus. At certe neminem esse putamus, qui ultro non fateatur non minimas fuisse Gentilium de deorum suorum origine dissentiones. Nam alii plerique omnes illam a Saturno ductam esse opinati sunt, sicuti paulo post explicabimus. Cæterum sive a Saturno, sive a Vulcano initium sumserit, hi certe, neque eorum filii et nepotes veri umquam dii immortales esse potuerunt.

Quod autem postea Minucius de Iside, ejusque ad hirundinem sistro dixit, difficillimos sane habet explicatus. Quidam enim putant hunc esse Minucii sensum : Alexander sua in epistola facit de spicis Isidis sistrum ad hirundinem, id est sonum hirundinino similem. Spicæ enimvero succussæ, agitatæ, et collisæ sonum edunt, qualis concussione sistri redditur.

Salmasius vero suspicatur Minucium in aliquo græci scriptoris libro legisse inter Isidis insignia numerari Χελιδονίαν σεῖστρον, hoc est, Chelidoniam aspidem et sistrum : quod ipse vertit, « ad hirundinem sistrum, » quasi sistrum similem hirundini sonum crepitaculo faceret, ut κερκίδες, et radii textorii in græco epigrammate χελιδόσιν εἰκελίφωνοι dicuntur (Salmas. in Solin., pag. 343). Atque inde sic corrigendum censet auctoris nostri textum : « Aspicesis Isidis ad hirundinem sistrum. » Sed si Minucius aliquod græci scriptoris opus legerit, non aliud sane videtur præter citatam ab illo Alexandri Magni epistolam, vel Plutarchi, vel aliorum libros. At in illis quid ea de re scriptum fuerit, quis divinare potest? Non tam incerta itaque conjectura contra manuscripti antiquissimi, et editionum omnium fidem, textus ille emendari debet.

Quid ergo ibi sibi Minucius voluerit, a nobis si postules, nihil nos certi habere ingenue fatebimur. Quid vero conjiciamus, si roges; ut tibi morem geramus observare prius juvat quod Plutarchus tradidit, Isidem in hirundinem mutatam (Plutarch., lib. *de Isid. et Osirid.* pag. 356. Ibid. pag. 376). Deinde vero sistrum depingit superiore parte rotundum, ac curvamini illius in vertice effingi felem humana specie, et imæ parti, infra ea, quæ quatiuntur, aliquando Isidis, aliqua do Nephtyos faciem. At non unius tantum, sed varii generis diversæque formæ sistra erant, ut recte contra Bossium Tollius (Tom. VI *Antiquit. Græc.* pag. 411 et seq.), aliique demonstrant. Porro autem Isidis figura repræsentabatur, dextra manu sistrum gestans. Ipsa vero, ut vidimus, eadem est ac Ceres, quæ fruges invenisse ferebatur. Quibus ita explicatis, expende, quæso, an dici possit hanc esse auctoris nostri mentem. Alexander sua in epistola scripsit repræsentari Isidem seu Cererem frumenti, a se, uti aiebant, inventi, spicas in capite, subtus hirundinem, in quam mutata fuerat, ac dextra manu sistrum gestantem. Meliora tamen tibi in mentem si venerint, nobisque suggeras, confestim, minimeque reluctantes, sententiæ tuæ subscribemus. At fatendum tamen erit Minucium hinc recte concludere ridiculam omnino esse et explodendam hanc Isidis divinitatem.

Postremo in eadem Alexandri epistola, sive, ut loquitur auctor noster « volumine, » scriptum erat « dispersis, » vel « adspersis membris, inanem Serapidis, sive Osiridis tumulum. » Nec prorsus sane immerito. Narrat enim Diodorus Siculus quosdam tradidisse Typhonem fratris sui Osiridis, a se crudeliter necati,

Digitized by Google

corpus in partes viginti sex desecasse, quas totidem parricidii sui sociis distribuit (Diodor. Sicul. I *Bibl.* pag. 12; et apud Euseb. lib. II *Præpar. Evang.*, cap. 1, pag. 46). Postea vero eas Isis invenit, ac singulas quasque in fabricata hominis effigie inclusit. Accersitis deinde totius Ægypti sacerdotibus, unamquamque partem tributim divisit, quam suo quisque loco sepeliret. Quamobrem quælibet Ægypti tribus Osiridis tumulum, apud se habere existimabat, sed, uti ait auctor noster, inanem et vacuum. Plutarchus vero simplicius breviusque dicit Isidem cadaver Osiridis se dare dissimulantem, singula tantum singulis urbibus dedisse simulacra, vel ut alii opinantur, singulas illius cadaveris partes, ita ut inciderant, humasse (Plutarch. lib. *de Isid. et Osirid.*, pag. 358).

Esto, inquiet aliquis; concedo inanem fuisse Osiridis tumulum. Sed cur Minucius addidit : « Sive Serapidis tui? » At hæc percontanti Plutarchi verbis respondebimus (Idem ibid. pag. 362) : « Præstat Osirim cum Baccho eumdem facere, et cum Osiride Serapim, sic dictum postquam naturam mutavit, quia omnibus communis est Serapis. » Deinde observat plerosque sacerdotes docuisse eumdem esse Osirim atque Apim, et hunc « intelligendum formosam animæ Osiridis imaginem. » Nos vero alibi ostendimus quomodo ex Api factum fuerit Serapidis nomen (Tom. I *Apparat.* lib. III, dissert. 2, cap. 4, art. 1, pag. 1090). Quamobrem Lactantius, Plutarcho haud dubie subscripsit, ubi ait : « Est Osiris, quem Serapin et Serapidem vulgus appellat. Solent enim mortuis consecratis nomina immutari ; credo ne quis putet eos homines fuisse (Lactant. lib. I, cap. 21, pag. 118). » Utrique adjiciamus, qui prior citari debuit, Diodorum Siculum, cujus hæc legimus verba : « Osirim modo Serapin, modo Dionysum, interdum Plutonem, interdum Ammonem, quandoque Jovem, non raro Pana esse putant : τὸν Ὄσιριν οἱ μὲν Σάραπιν.... νενομίκασι » (Diodor. lib. I *Biblioth.* pag. 15).

Cur autem Minucius addiderit *tui*, facile intelliges, si animadvertas illum contra Cæcilium disputare, qui et ethnicus adhuc erat, et obvium Serapidis simulacrum, sicuti libri hujus in initio narratur, impio cultu salutaverat. Atqui sive plenum Osiridis vel Serapidis ossibus, sive vacuum fuerit sepulchrum, hinc certissime conficitur neque illos, neque alios similiter mortuos divinitatis esse compotes. Deus enimvero est æternus, qui a se ipso tantum vitam habet, quam idcirco amittere numquam potest.

## CAPUT XVI.

QUAM VALIDA SINT ALIA ARGUMENTA, QUIBUS OCTAVIUS CONTRA CÆCILIUM PROBAT, FALSOS NULLOSQUE ESSE GENTILIUM DEOS.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Quam luculenter Octavius ex prima deorum origine ostendat eos deos non fuisse, sed meros homines; ac primo quidem eorum principem Saturnum, Creta profugum, a Jano in Italia susceptum, ubi homines plura docuit, ac præsertim nummos signare, imprimere litteras, ac cujus nomine Saturnia nuncupata est.*

Intolerandam prorsus Cæcilii, aliorumque gentilium, de diis suis ostentationem ut Minucius in perpetuum comprimat, ipsos nequaquam deos, sed a prima sua origine meros homines fuisse hunc demonstrat in modum : « Saturnum principem hujus, » scilicet deorum, « generis, omnes scriptores vetustatis Græci Romanique, hominem prodiderunt. Scit hoc Nepos et Cassius in historia, et Thallus et Diodorus hoc loquuntur. »

Eodem penitus modo Tertullianus eosdem christianæ religionis hostes prosternit ac debellat : « Ante Saturnum, inquit, Deus penes vos nemo est. Ab illo census totius, vel potioris, vel notioris divinitatis. Itaque quod de origine constiterit, id et de posteritate conveniet. Saturnum itaque, quantum litteræ docent, neque Diodorus Græcus, aut Thallus, neque Cassius Severus, aut Cornelius Nepos, neque ullus commentator ejusmodi antiquitatum, aliud quam hominem promulgaverunt » (Tertullian. *Apolog.* cap. 10, pag. 12 ). Eadem alio in libro repetit, nisi quod a nescio quo *Tacitus*, pro *Thallus*, ut suo loco annotabimus, scriptum est (Idem, lib. II *ad Nation.* cap. 12, pag. 75; Dissert. in *Tertullian.* cap. 27, art. 1). Nam Lactantius, qui eum et Minucium nostrum sequitur, hæc de eodem Saturno totidem verbis dixit : « Omnes non tantum poetæ, sed historiarum quoque, ac rerum antiquarum scriptores, hominem fuisse consentiunt, qui res ejus in Italia gestas memoriæ prodiderunt; Græci Diodorus et Thallus; Latini Nepos, et Cassius, et Varro » (Lactant. lib. I, cap. 13, pag. 76).

Quatuor tamen scriptoribus a Minucio, quemadmodum a Tertulliano laudatis, quintum ille adjecit Varronem. Ita sane strenui illi pugiles, conversis in hostes propriis eorum copiis, illos penitus delent profligantque.

Verum cur, inquies, scriptores illi tanta asseveratione affirmare ausi sunt Saturnum deorum omnium primum esse et principem ? Nonne Alexander a sacerdote admonitus, in epistola, paulo ante a nobis citata, scripsit deorum principem esse Vulcanum, et postea Jovis gentem ? Sed quid mirum si aberrantium gentilium variæ fuerint de prima falsorum deorum suorum origine opiniones ? Deinde vero hæc unius sacerdotis sententia, vel ut ait Minucius, secretum fuit. Quis igitur dixerit huic magis, quam tot

Digitized by Google

celeberrimis scriptoribus, ab auctore nostro citatis, credendum? Denique ex infra dicendis satis utique patebit Vulcanum dici non potuisse deorum omnium nec primum, nec principem (Tom. I *Apparat.*, pag. 755).

Tum deinde Minucius ex iisdem procul dubio scriptoribus narrat Saturnum, sicuti alibi annotavimus, Creta profugum, in Italiam metu filii confugisse. Ibi autem a Jano susceptus, « rudes homines, » quemadmodum etiam Diodorus Siculus, a Minucio laudatus, testificatur, multa docuit, ac præsertim litteras imprimere, nummos signare, et conficere instrumenta. Præterea locum, in quo latuit, appellari voluit Saturniam, sicuti Janus Janiculum. At ea omnia Tertullianus antea, et postea Cyprianus, atque Lactantius scripto prodidere (Diodor., lib. III *Biblioth.*, pag. 136, et lib. V, pag. 231 et 233; Tertull., *Apolog.*, cap. 10, pag. 12, et lib. II *ad Nation.*, cap. 12, pag. 75; Cyprian., *de Idol. vanit.*, pag. 11; Lactant., lib. I, cap. 13, pag. 76).

De Saturnia autem urbe et Janiculo hæc cecinit Virgilius :

Hæc duo præterea disjectis oppida muris,
Reliquias veterumque vides monumenta virorum :
Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit urbem ;
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

(*Virgil.*, *l.* VIII *Æneid.*, *v.* 354 *et seqq.*)

Sed de his, signatoque nummo Ovidius, a Lactantio (*lib.* I *Institut. divin.*, *cap.* 13, *p.* 76) etiam laudatus, Saturnum sic interrogabat :

Multa quidem didici, sed cur navalis in ære
Altera signata est, altera forma biceps ?

Saturnum vero sic respondentem induxit :

Noscere me duplici posses in imagine, dixit,
Ni vetus ipse dies extenuasset opus.
Causa ratis superest : Thuscum rate venit in amnem,
Ante peregrato falcifer orbe deus.
Hac ego Saturnum memini tellure receptum ;
Cœlitibus regnis a Jove pulsus erat.
Inde diu genti mansit Saturnia nomen :
Dicta quoque est Latium terra, latente deo.
At bona posteritas puppim formavit in ære,
Hospitis adventum testificata sui.
Ipse solum colui, cujus placidissima lævum
Radit arenosi Tybridis unda latus.
Hic ubi nunc Roma est, tunc ardua sylva virebat,
Tantaque res paucis pascua bobus erat.
Arx mea collis erat, quam vulgus nomine nostro
Nuncupat, hæc ætas Janiculumque vocat.

(*Ovid.*, *l.* I *Fastor.*, *v.* 231 *et seqq.*)

At qua ratione, arguet aliquis, Saturnus dicitur artem docuisse nummos signandi? Nonne Servius in citatos Virgilii versus, illam soli Jano hacce animadversione adscribit : « Janus in Janiculo habitavit, qui quod una navi exsul venit, in pecunia ejus ex una parte Jani caput, ex altera navis signata est (Serv., pag. 509). Verum ibi Servius tam de Saturno, quam Jano, sicuti auctor ejus Virgilius, disserit. Quia ergo Saturnus, neutiquam vero Janus, « una navi exsul venit, » nonne de pecunia utriusque nomine signata intelligendus est?

Esto, urgebit alius : at certe Draco Corcyræus, apud Athenæum, cui Macrobius suffragatur, diserte asseverat : « νόμισμα χαλκοῦ πρῶτον χαράξαι, nummum aureum ab illo Jano primo signatum ; » hancque esse causam cur multæ in Græcia, Italia, et Sicilia urbes, monetam ex una parte bicipiti facie, ex altera vero, vel rate, vel navigio, vel corona impressam cuderunt (Athenæ., lib. XV *Deiphnosoph.*, cap. 18, pag. 692; Macrob., *Saturnal.* lib. I, cap. 7). Sed cur, quæso, in hac moneta aut ratis, aut navigii effigies excusa est? Nonne quia, ut diximus, aitque Plutarchus, « ἐπὶ τιμῇ Κρόνου πλοίῳ διαπεράσαντος εἰς Ἰταλίαν, in honorem Saturni navigio in Italia advecti? » (Plutarch., tom. II, *Quæst. Rom.*, pag. 274.) Quid ergo si Janus nummum in honorem Saturni, et Saturnus alium in hospitis sui memoriam cuderit? Quidquid sit, Minucius certe prævium vadem habuisse videtur citatum a nobis Ovidium, et magis expresse Tertullianum, qui de eodem Saturno hæc scriptis haud dubitanter mandavit : « Ab ipso primum tabulæ, et imagine signatus nummus ; et inde ærario præsidet » (Tertullian. *Apologet.*, cap. 10, pag. 12). Magistrum vero suum Cyprianus, sicuti Minucium nostrum, his verbis pone sequitur : « Hic litteras imprimere, hic signare nummos in Italia primus instituit ; unde ærarium Saturni vocatur » (Cyprian., *de Idolor. Vanit.*, pag. 11). Addamus, si lubet, Polydorium Vergilium, qui hanc opinionem Eutropii auctoritate confirmare nititur (Polyd. Vergil., lib. II *de Invent.*, cap. 20).

Recte ergo Minucius ex dictis concludit : « Homo igitur, utique » Saturnus, « qui fugit : homo utique qui latuit. » Eadem est Lactantii conclusio : « Censetne aliquis, inquit, Deum esse, qui fugit, qui latuit? Nemo tam stultus est. Qui enim fugit, et latet, et vim, et mortem timeat necesse est » (Lactant., lib. I *Instit. divin.*, cap. 13, pag. 176).

### ARTICULUS II.

***Quam præpostere Ethnici dixerint Saturnum ex cœlo et terra ortum : unde nata hæc opinio : utrum illius ratio, a Minucio data, recte a Lactantio redarguatur, ac inde tamen confici Saturnum non deum fuisse, sed merum hominem?***

Satis abundanter in superiori articulo demonstratum est Saturnum non esse Deum, ut pote qui « natus, » sicut ait Minucius, « ex homine » fuit. Quin immo, inquit, Tertullianus, « quia ab homine, non utique de cœlo et terra » genitus est, quemadmodum Ethnici passim et verbo et scripto, domi et foris, et ubi non venditabant? (Tertull., *Apolog.*, cap. 10, pag. 12, et lib. II *ad Nation.*, cap. 12, pag. 75.) Cur autem inani adeo jactatione illum de cœlo et terra ortum dicerent, si rationem ab auctore nostro postulas, hanc tibi dabit : « Saturnus enim dicitur terræ et cœli filius, quod apud Italos esset ignotis parentibus proditus ; ut in hodiernum inopinato visos, cœlo missos, ignobiles et ignotos terræ filios nominamus. » Sed hæc ratio non placuit Lactantio, et ab illo sic refellitur : « Minucius Felix in eo libro, qui Octavius inscribitur, sic argumentatus est : Saturnum, cum fugatus esset a filio, in Italiamque venisset, cœli filium dictum, quod soleamus eos, quorum virtutem miremur, aut qui repentino advenerint, de cœlo cecidisse dicere : terræ autem, quod ignotis parenti-

Digitized by Google

bus natos, terræ filios nominemus. Sunt hæc quidem similia veri, non tamen vera ; quia constat etiam tunc, cum regnaret, ita esse habitum. Potuit et sic argumentari : Cum potentissimus rex esset, ad retinendam patrum suorum memoriam, nomina eorum cœlo terræque indidisse, cum hæc prius aliis vocabulis appellarentur : qua ratione montibus et fluminibus nomina scimus imposita » (Lactant., lib. I *Instit.*, cap. 11, pag 67). Tum recensitis quorumdam fluminum nominibus, sic concludit : « Apparet ergo non ex cœlo natum esse, quod fieri non potest, sed ex eo homine cui nomen Urano fuit : quod esse verum Trismegistus auctor est. » Addit vero hæc incomperta fuisse Minucio, qui idcirco historiam alio traduxit. Denique verius esse censet Jovem, cum ex alto monte terram cœlumque contemplatus fuisset, ætheri qui supra mundum est, dedisse nomen cœli, sive Urani Οὐρανοῦ, quo avus ejus vocabatur. Sed probandum illi erat Saturni patrem, dum adhuc videbat, cœli nomine ab Italis revera fuisse appellatum. At de hac Lactantii opinione suo loco dicendum.

Vitiosam itaque censet esse Minucii argumentationem. Potius enim dicere debuisset Saturnum vocatum fuisse filium cœli et terræ, quoniam cum potentissimus rex esset, ad retinendam patrum suorum memoriam cœli ac terræ nomen eis imposuit. Probare autem id conatur auctoritate Trismegisti, qui memoriæ prodiderat Saturni patrem cognominatum fuisse Uranum, sive Cœlum. Sed ibi ille non ostendit utrum Trismegistus dixerit, quando et a quo Uranus nomen suum acceperit. Verius itaque scribere potuisset rudes homines, summa regiaque Saturni potestate perculsos, credidisse illum a cœlo et terra suam duxisse originem. Sybilla siquidem his carminibus, ab Athenagora (*Legat. pro Christian.*, p. 14) citatis, hoc cecinit :

Καὶ βασιλεὺς Κρόνος, καὶ Τιτὰν, Ἰαπετός τε,
Γαίης τέκνα φέριστα, καὶ οὐρανίους ἐκάλεσσαν
Ἄνθρωποι, γαῖαν τε, καὶ οὐρανὸν οὔνομα θέντες,
Οὕνεκα οἱ πρότιστοι ἔσαν μερόπων ἀνθρώπων.

Porro Saturnus et Titan, Japetusque,
Regnarunt, cœlo quos et tellure creatos
Dixerunt homines, terræ cœlique vocantes
Nomine, quod cunctos homines, virtute præirent.
(*Sibyll.* III *v.* 48 *et seqq.*)

Sed Minucius hanc rationem non omnino prætermisisse videtur. Nobiles enim viros ab ignobilibus distinxit, dixitque hos terræ, illos cœli filios cognominatos ab Italis, quibus parentes illorum cogniti non erant.

Lactantio autem verisimilius, quam verius esse videtur, homines ignotis parentibus ortos, et ex inopinato advenientes, cœli et terræ unde exhorti credebantur, nuncupatos fuisse nominibus. Attamen illud aliis et ethnicis, et christianis scriptoribus probatur. Primus ex illis citari potest Titus Livius, qui narrat Romulum Urbem Romam condendo, usum esse « vetere consilio condentium urbes, qui obscuram, atque humilem conscendo ad se multitudinem, natam e terra sibi prolem ementiebantur » (*Liv.*, lib. I, 58). At quomodo illud eme riri potuerunt, nisi obscuræ multitudini in cognita fuisset eorum proles ? Quis autem inficiabitur idem de parentibus ac filiis dicendum ? Si quis tamen difficilis ac morosus, illud de parentibus velit sibi probari, is audiat Servii de Acheloide verba : « Terræ filius dicitur, ut solet de iis dici, quorum, per antiquitatem latent parentes » (Serv., in lib. I *Georgic. Virgil.* v. 9). Magis verum ad nostrum de ipso Saturno propositum Aurelius Victor, aut quisquis libri de Origine gentis Romanæ auctor : « Primus, inquit, in Italiam creditur venisse Saturnus..... Tanta autem usque id tempus antiquorum hominum traditur fuisse simplicitas, ut venientes ad se advenas, qui modo consilio ac sapientia præditi, ad instruendam vitam, formandosque mores aliquid conferrent, quod eorum parentes ignorabant, cœlo et terra editos non solum ipsi crederent, verum etiam posteris affirmarent, velut hunc ipsum Saturnum, quem cœli et terræ filium dixerunt (Aurel. Vict., *Orig. gent. Rom. init.*).

Accedat et Tertullianus, qui non uno tantum, sed duobus in libris hoc de Saturno scriptum reliquit : « Cujus parentes ignoti erant, facile fuit eorum filium dici, quorum et omnes possumus videri. Quis enim non cœlum et terram, matrem ac parentem venerationis et honoris causa appellet, vel ex consuetudine humana, qua ignoti vel ex inopinato apparentes de cœlo supervenisse dicuntur ? Proinde Saturno repentino ubique cœlitem contigit dici. Nam et terræ filios vulgus vocat, quorum genus incertum est » (Tertull., *Apologet.*, cap. 10, pag. 12, et lib. II *ad Nation.*, cap. 75). Utrum autem hæc ad stabiliendam Minucii nostri opinionem sufficiant, nec satis recte a Lactantio redarguatur, peritiorum exspectabimus judicium. Lubenter enim fatemur nostrum non esse inter tantos, tamque venerandæ antiquitatis viros lites componere. Quidquid porro statuatur, inde profecto invictissime conficitur hunc Saturnum, quem Ethnici aliorum deorum suorum parentem esse garriebant, neutiquam deum, sed hominem tantummodo fuisse, qui non secus ac cæteri homines ex homine genitus fuit.

ARTICULUS III.

*Quibus rationum momentis Cœcilius demonstret falsam esse divinitatem Jovis et aliorum, qui ex hominibus geniti fuerant, vel aliorum libidine et arbitratu, ut Romulus et Juba dii renuntiati sunt.*

Minucius Felix a Saturno venit ad filium ejus Jovem, eumque hominem, nequaquam vero Deum fuisse similiter demonstrat. Saturni quippe « filius, inquit, Jupiter Cretæ, excluso parente, regnavit, illic obiit, illic filios habuit ; adhuc antrum Jovis visitur, et sepulchrum ejus ostenditur, et in ipsis sacris suis humanitatis arguitur. » Sed de his jam paulo antea disputavimus, atque adhuc in subsequentibus nostris dissertationibus agendum. De Jovis porro sacris, quæ hominem illum fuisse adhuc ostendebant, infra disputabimus.

Is itaque Jupiter cum deus esse non possit, quia ex alio homine genitus est, inde necessario sequitur cæteros ex illo, aliisque hominibus ortos, nequaquam deos, sed mortales fuisse homines, a natura divina infinite alienatos. Quamobrem Minucius declarat descriptas

Digitized by Google

Ethnicis illorum generationes, quas proferre tam longum, quam inutile foret, silentio a se prætermitti. Nam « otiosum est, inquit, ire per singulos, et totam seriem generis istius explicare, cum in primis parentibus probata mortalitas, in cæteros ordine successionis influxerit. » Nonne vero hæc delibavit ex Tertulliano, qui prius dixerat : « Otiosum est etiam titulos, persequi..... quod de origine constiterit, id et de posteritate conveniet? » (Tertull., *Apologet.*, cap. 10, pag. 12.) Hosce nimirum commentitios esse deos, merosque homines.

Sed Minucius Ethnicos acrius urget, hisque, quæ pene omnia Cyprianus transcripsit, verbis insectatur : « Cur si nati sunt, non hodieque nascuntur? nisi forte jam Jupiter senuit, et partus in Junone defecit, et Minerva canuit antequam peperit » (Cyprian., *de Idolor. van.*, pag. 12). Prius Theophilus Antiochenus Ethnicos eodem argumento confutaverat : Εἰ γὰρ τότε ἐγεννων, καὶ ἐγεννῶντο, δηλον, ὅτι ἐχρῖν καὶ ἕως τοῦ δεῦρο γίνεσθαι θεοὺς γεννητοὺς· ἡ γὰρ ἐγήρασαν διὰ οὐκ ἔτι γεννῶσι· ἢ ἀπέθανον, καὶ οὐκ ἔτι εἰσί. « Si tum genuere, et geniti sunt, opportebat eorum generationem hucusque porrigi. Sin secus se res habet, certe infirmum deorum genus reputabitur. Aut enim senio confecti, generare desierunt, aut e viventium numero penitus sunt sublati, et in nihilum redacti » (Theoph., lib. I *ad Autolyc.*, pag. 81). Brevius quidem Tatianus, sed non minus festive : « Si deorum generationem, inquit, memoratis, mortales eos ostenditis : διὰ τί γὰρ οὐ κύει νῦν ἡ Ἥρα; πότερον γεγήρακεν; ἢ τοῦ μηνῦσαντος ὑμῖν ἀπορεῖτε; Cur non amplius parit Juno? Consenuitne? Aut qui rem aperiat, habetis neminem? (Tatian., *Orat. contr. Græc.*, pag. 160.)

Sic etiam Seneca, a Lactantio laudatus, gentiles suos irridendo argumentatur : « Quid est ergo, inquit, quare apud poetas salacissimus Jupiter desierit liberos tollere? Utrum sexagenarius factus est, et illi lex Papia fibulam imposuit? An impetravit jus trium liberorum. An tandem illi venit in mentem : Ab alio exspectes, alteri quod feceris; et timet ne quis sibi faciat, quod ipse Saturno? » (Lact., lib. I, cap. 16, pag. 88.) Id est, ne sicut ille Saturnum patrem suum, ita ipsum filii ejus regno spoliarent. Sed de Lactantio, hisque Senecæ verbis aliquid infra dicendum. Denique ut alios missos faciamus, Juvenalis etiam cecinit :

> Quis tamen affirmet nil actum in montibus, aut in Speluncis? Adeo senuerunt Jupiter et Mars.
> (*Juvenal., Satyr.*, VI, *v.* 62. *et seqq.*)

Instat Minucius, et falsas de diis opiniones altera adhuc ratione funditus destruit : « Si dii, inquit, creari possent, interire non possent, plures totis hominibus deos haberemus; ut jam eos nec cœlum contineret, nec aer caperet, nec terra gestaret. » Sed hoc telo utique acerrimo, quo etiam Sybilla utitur, Ethnicos citatus jam a nobis Theophilus Antiochenus penitus transfixerat. Hinc enim, inquit, μᾶλλον καὶ πλείονες θεοὶ ὀφειλον εἶναι τῶν ἀνθρώπων, ὡς φησι Σίβυλλα, « colligitur plures esse deos, quam homines, sicut et Sibylla perhibet. » Cætera quæ longiora sunt apud eum, sicut et alia his similia, apud Arnobium, Lactantium, de quibus nos suo loco, et Eusebium quilibet legere haud difficulter poterit (Arnob., lib. III *adv. Gent.*, pag. 104 et seqq.; Lactan., lib. I, cap. 16 et seqq.; Euseb., *in Orat. Constant. ad sanct. cœt.*, cap. 4, pag. 570).

Interea vero monitum te esse volumus tantum in hoc argumento esse virium et ponderis; ut Plinius illo plane oppressus, fateatur aut majorem esse debere cœlitum, quam hominum numerum, aut vera non fuisse deorum matrimonia. Sed ipsummet loquentem audire juvat : « Major, inquit, cœlitum populus etiam, quam hominum intelligi potest, cum singuli quoque ex semetipsis totidem deos faciant, Junones geniosque adoptando sibi : gentes vero quædam animalia, et aliqua etiam obscena pro diis habeant; ac multa dictu magis pudenda, per fœtidos cibos et alia jurantes. Matrimonia quidem inter deos credi, tantoque ævo ex his neminem nasci, et alios esse grandævos semperque canos, et alios juvenes atque pueros, aligeros, claudos, ovo genitos, et alternis diebus viventes morientesque, puerilium prope deliramentorum est » (Plin., lib. II *Natur. Hist.*, cap. 7, pag. 142 et seq.). Quod ergo, amabo te, efficacius ad tollendas Gentilium religiones argumentum afferri poterat, quam illa sincera, et publica Plinii aliorumque etiam Ethnicorum confessio?

Neque dixeris illas indoctæ rudisque plebis opiniones a Plinio, quemadmodum ab illis Ethnicorum hominum doctissimis, tamquam aniles fabulas repudiari. Nam id Minucio, cæterisque christianæ religionis defensoribus, plane sufficiebat ad impios omnium Ethnicorum cultus, qui in hisce errorum monstris nitebantur, funditus evertendos. Quis enim illorum vanas superstitiones ferre quæat, qui unicum æternumque Deum negabant, et alios plurimos mortales, aut generantes, ac genitos deos colebant et venerabantur? Non minus autem docti quam indocti Gentiles, rejecto vero Deo, ridiculos, illos Deos colebant; vel colere se simulantes, nullum admittebant; aut aliud aliquid a vera divinitate eo magis remotum, quod creatum, vel ipsamet ratione privatum erat.

Nonne ergo a recto veritatis tramite similiter aberrabant, qui stulte prædicabant mortales quosdam homines, vel ortu suo, vel aliorum perjurio, libidine, et arbitratu, factos esse deos? Talis tamen fuit, « perjurante Proculo, » uti Minucius ait, « Deus Romulus, quemadmodum paulo post explicabimus. Talis quoque, « Juba » pergit ille, « Mauris volentibus, deus est, et divi, cæteri reges, qui consecrantur, non ad fidem numinis, sed ad honorem emeritæ potestatis? » Subscripsit auctori nostro Lactantius, scriptisque tradidit : « Privatim singuli populi gentis aut urbis suæ conditores, seu viri fortitudine insignes erant, seu feminæ castitate mirabiles, summa veneratione coluerunt, ut Ægyptii Isidem, Mauri Jubam (Lactan., lib. I *Instit.*, cap. 15, pag. 81). » Antea vero Tertullianus magis generatim, ac suppresso, sed subintellecto Jubæ nomine. « Unicuique provinciæ, et civitati suus est deus..... ut Mauritaniæ reguli sui. »

Digitized by Google

Sequitur ibi Tertullianum more suo Cyprianus, aitque : « Mauri manifeste reges colunt, nec ullo velamento hoc nomen obtexunt » (Cyprian. *de Idol. van.*, pag. 12).

Verum Cellarius suspicatur in Minucii nostri textu aliquod subesse mendum. Non enim Maurorum, inquit, sed Numidarum rex fuit Juba. Nec negare quidem possumus illud a Dione Cassio, ac Plutarcho fuisse litteris traditum. At numquid idcirco Minucius, aut ejus librarius, aut citati a nobis scriptores erraverunt (Dio., *Histor. Rom.*, pag. 193; Plutar. *in vita Cæsar.*, pag. 732) ? Numquid potius Cellarius non satis accurate libros Strabonis pervolutaverat ? Ibi enim hæc illius verba legere poterat : Νυνὶ εἰς Ἰούβαν περιέστηκεν Μαυρουσία, καὶ τολλὰ μέρη τῆς ἄλλης Λιβύης, διὰ τὴν πρὸς Ρωμαίους εὔνοιάν τε, καὶ φιλίαν. « Nunc Mauritaniam aliasque multas partes Africæ Juba obtinet, ob studium in Romanos, et amicitiam hoc consecutus » (Strab., lib. VI *Geogr.*, sub. fin., pag. 288).

Cur ergo, inquies, Juba, a Dione, et Plutarcho, Numidarum rex dicitur ? Difficultatis hujusce nodum solvit Herodianus, qui Mauritaniam, ubi imperabat Juba, quæque Romanis erat subjecta, ab incolis suis Numidiam vocatam fuisse testificatur : Καπελλιανὸς ἦν τις ὄνομα, ἀπὸ τοῦ συγκλήτου, ἡγεῖτο δὲ Μαυρουσίων τῶν ὑπὸ Ρωμαίοις, Νομάδων δὲ καλουμένων. « Capellianus quidam, senatorii ordinis vir, procurator Mauritaniæ Romanis subjectæ, quæ ab ipsis Numidia appellatur » (Herodian., lib. VII *Hist.*, *p.* 280).

Instat Cellarius vero non esse simile Jubam, qui a Cæsare victus violentas sibi manus intulit, in deorum numero a Mauris fuisse repositum. Sed levissimi momenti hæc ratio est. Quis enim nescit morem apud Romanos pervasisse, ut Imperatores suos quantumlibet improbos ac scelestos, solemni ritu, et apotheosi, deorum albo adscriberent ? Neque sæpius eorum expectabant mortem, sed dum adhuc vivebant, illis etiam invitis ac reluctantibus divinos deferebant honores. Quapropter Minucius post citata a nobis verba, continenter adjecit : « Invitis his denique hoc nomen adscribitur : optant in homine perseverare, fieri se deos metuunt, et si jam senes, nolunt. » Sed hæc acrius urget Tertullianus, uti in nostra de Apologeticis ejus libris dissertatione videbimus. Quid ergo mirum, si Mauri ad Romanorum instar regem suum Jubam deum esse voluerint ?

## CAPUT XVII.

QUANTI PONDERIS SIT ALIUD MINUCII ADVERSUS GENTILIUM DEOS ARGUMENTUM, PETITUM EX RIDICULIS EORUM FORMIS ET FIGURIS, ATQUE INDIGNIS TURPIBUSQUE ILLORUM FACTIS ET FLAGITIIS.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Quam absurde ab Ethnicis fingatur Vulcanus claudus, Apollo imberbis, Æsculapius barbatus, et aliquando imberbis ; Neptunus glaucis oculis, cæsiis Minerva, Juno bubulis, pedibus alatis Mercurius, Pan unguilatus, compeditus Saturnus, Janus bifrons et quatriformis.*

Ridiculæ deorum formæ ac figuræ aliud Minucio ad commentitiam illorum divinitatem explodendam invictissimum suppeditant argumentum. « Nam, quid, eorum, ait Minucius, formæ ipsæ, et habitus ? Nonne arguunt ludibria et dedecora, (mss. *decora*, sed male) deorum vestrorum ? » Scire autem si aveas quæ illæ fuerint, audi Gregorium Nazianzenum, eas paucis his versibus enarrantem :

Ἰθυφάλους, κεράοντας, ἀνασχίνας, ἡμιδρακόντας,
Θῆρας, θηρομιγεῖς τε γελοῖον εἶδος ἔχοντας.

Qui ita latine redditi sunt :

. . . . . Cornuti, semidracones
Ithyphali obsceni, colli exortesque feræque,
Æque feris mixti variis, ridenda gerentes.
Ora.

(*Greg. Nazianz.*, *Carm.* LXI, *p.* 142, *t.* II.)

Verum auctor noster hoc longe fusius prosequitur, atque ut tales deos colere Ethnicos tandem puderet, monstrosas plerasque omnes illorum formas recenset, ipsisque ponit ob oculos. Quamvis autem nullum fictæ illorum ætatis, aut dignitatis ordinem sequatur ; quia tamen id parum, aut nihil ad argumentationis robur, et convictionem facit, idcirco in ejus vestigiis inhærendum esse satius duximus.

A Vulcano autem sic orditur : « Vulcanus claudus deus, et debilis est. » Eodem etiam argumento apud Ciceronem Cotta, servato tamen magis deorum suorum ordine, Velleium Epicureum refellit, illique Vulcanum hæc objicit in verba : « Et quidem Athenis laudamus Vulcanum, eum quem fecit Alcamenes in quo stante atque vestito, leviter apparet claudicatio non deformis. Claudum igitur habebimus deum, quoniam de Vulcano sic accepimus » (Cic., lib. I *de Natur. deor.*, pag. 207, lin. 27).

Narrat vero Lucianus eum claudicasse, cum a Jove præceps datus esset e cœlo : Εἶγε μὰ Λήμνιοι καλῶς ποιοῦντες, ἔτι φερόμενον αὐτὸν ὑπεδέξαντο, ἐτεθνήκει ἂν ἡμῖν Ἥφαιστος, ὥσπερ ὁ Ἀστυάναξ ἀπὸ πύργου καταπεσών. « Quid Lemnii pro sua bonitate nisi eum, dum ferretur in aere suscepissent, perierat nobis Vulcanus, non aliter quam Astyanax e turri dejectus ? » (Lucian. *de sacrific.*, p. 184; Homer., *Iliad.* I, v. 590 et seq. ; *idem*, *Iliad.* XVIII, v. 304 et seqq.) At ibi procul dubio ad Homeri, a Clemente etiam Alexandrino citati, unam et alteram Iliadem alludit, ubi Vulcanus e cœlo in Lemnum præcipitatus, atque inde claudus effectus dicitur. Athanasius vero ubi Ethnicos, quemadmodum auctor noster, impugnat, illis objicit : Ἥφαιστον ῥιπτόμενον, καὶ χωλαίνοντα. « Vulcanum e cœlo projici, eoque casu claudum fieri. » Cæterum Arnobius illum uno, Gregorius autem utroque pede claudum fuisse tradiderunt. Nec desunt, qui illum bis e cœlo, et primo quidem a Junone, deinde a Jove dejectum opinentur (Clemens Alexand., *Admonit. ad gent.*, pag. 18; Athanas., *Orat. contr. gent.*, § 12, pag. 13, tom. I ; Arnob., lib. IV *adv. Gent.*, pag. 134; Greg. Naz., *Orat.* 3 *adv. Julian.*, pag. 259 et *orat.* 4, pag. 308).

Secundus ab auctore nostro inducitur : « Apollo tot ætatibus lævis, et Æsculapius semper barbatus. » Ob eam certe causam ferunt a Dionysio Siciliæ ty-

Digitized by Google

ramno detractam Æsculapio barbam, ut pote qui Apollinis semper imberbis, ut ait Cicero, esset filius. Qua de re videsis adhuc Ciceronem, Valerium Maximum, Arnobium Lactantium, et alios complures. Ipse autem Cicero, aliique barbam non cuilibet Æsculapio, sed Epidaurio demptam asserunt (Cicer., lib. I *de Natur. deor.*, pag. 107, lin. 26; Idem ibid., lib. III, pag. 252, lin. 40; Valer. Max., lib. II, cap. 1, *de Exter.*, § 3; Arnob., lib. VI *adver. Gent.*, pag. 206; Lactant., lib. II *Instit.*, cap. 4, pag. 157; Cic., lib. III *deor. Nat.*, pag. 252, lin. 45). Pausanias vero ubi de Phliasiis, hæc de Æsculapii simulacro memorat : Κατιόντων δὲ ἐκ τῆς ἀκροπόλεως ἔστιν Ασκληπιοῦ νάος ἐν δεξιᾷ, καὶ ἄγαλμα οὐκ ἔχον πωγωνίαν. « Qua ex arce descenditur, Æsculapii ædes ad dextram est, in qua signum imberbe » (Pausan., lib. II, *Corinth.*, pag. 56).

At si quæ Luciano fides, Apollo ab omnibus imberbis, exceptis tantummodo Assyriis, repræsentabatur : Οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι πάντες Απόλλωνα νέον τε ἤγηνται, καὶ πρωθήβην ποιοῦσι· μοῦνοι δὲ οὗτοι Απόλλωνος γενειητίω ξόανον δεικνύουσι. « Cæteri, enim omnes, ut ille ait, Apollinem et juvenem putant, et cum prima lanugine effingunt : soli autem isti Apollinis barbati simulacrum effigiant » (*Lucian., de Dea Syria, pag.* 1071). Macrobius tamen illud non ab omnibus Assyriis, sed Hieropolitanis factum esse tradidit : « Hieropolitani, ait, quæ sunt gentes Assyriorum, omnes Solis effectus, atque virtutes ad unius simulacri barbati speciem redigunt, eumdemque Apollinem appellant. Hujus facies prolixa in acutum barba figurata est » (*Macrob., lib.* I *Saturnal. cap.* 17).

Tertio Minucius : « Neptunus glaucis oculis, Minerva cæsiis (*Minuc., pag.* 181). » Jam vero citatus a nobis Cicero : « Dicere, inquit, licebit cæsios oculos Minervæ, cæruleos esse Neptuni » (*Cicer., lib.* I *de Natur. deor. pag.* 207, *lin.* 24). Quamquam autem Diodorus Siculus illud tamquam insulsum commentum rejiciat, putetque Minervam, quia glauco aer aspectu est, glaucopin fingi (*Diodor. lib.* I, *Biblioth. pag.* 88); eam tamen Lucianus appellat γλαυκῶπιν, quo quidem epitheto passim ab Homero ubique nuncupatur, illudque latinus illius interpres modo « cæsii, » modo « glaucis oculis reddidit » (*Lucian., Dialog. Vulcan. et Jovis, pag.* 74, *et de sacrific., pag.* 185). Et certe Latinis scriptoribus idem est cæsius, seu cæruleus, ac glaucus color, quales, inquiunt, sunt felium oculi.

Quid vero, quod Pausanias Neptunum, de quo Minucius, glaucos, sicut Minervam, habuisse oculos testificatur? « Minervæ signum, » illius verba sunt, « quod glaucos habeat oculos, γλαυκοὺς ἔχον τοὺς ὀφθαλμούς, Lybicam de ea re fabulam comperio : Minervam Neptuni, et Tritonidis paludis filiam esse, atque ideo glaucos illi itidem ut Neptuno oculos esse : Καὶ διὰ τοῦτο γλαυκοὺς εἶναι ὥσπερ καὶ τῷ Ποσειδῶνι ὀφθαλμούς. » Si quis autem contendat, probetque illum ibi de alia, quam citati a nobis scriptores, Minerva loqui, non repugnabimus. Nemo tamen negabit inter A Neptuni et Minervæ oculos, aliquid a Cicerone, et Minucio nostro positum fuisse discrimen, forsitan quia unius magis, quam alterius virides essent oculi. At de his Minervæ oculis Arnobius, de quo nos suo loco (*Dissert. in Arnob. cap.* 14, *art.* 1).

Juno autem ab ethnicis, ut ait deinde auctor noster, dicebatur « bubulis oculis » (*Hom. Iliad.* IV, *v.* 5). At Homerum haud dubie secutus est, a quo vocatur : βοῶπις πότνια Ἥρη, bovinis oculis veneranda Juno (*Iliad.* XIV, *v.* 159). Quod Poetæ interpres latine exprimit : « Pulchris oculis veneranda Juno. » Rationem si quæras, respondebimus græcum illud nomen ab eo sic redditum; quia oculi bubuli omnium pulcherrimi videbantur. Nam a Luciano (*Imag. pag.* 590) peritissimus pictor habetur, βοῶπίν B τινα ποιήσας αὐτῶν, qui Junonem « illam bovinis oculis pingebat. »

Pergit Minucius (*pag.* 184) : « Pedibus Mercurius alatis, Pan ungulatis, Saturnus compeditis. » Nullus est sane, qui ignoret Mercurium fingi deorum nuntium, atque idcirco alas in capite et pedibus gestantem. Quapropter de illo a Jove misso hæc cecinit Homerus :

Ὡς ἔφατ', οὐδ' ἀπίθησε διάκτορος Ἀργειφόντης.
Αὐτικ' ἔπειθ', ὑπὸ κοσσὶν ἐδήσατο κάλα πέδιλα,
Ἀμβρόσια, χρύσεια· τά μιν φέρον ἠμὲν ἐφ' ὑγρὴν,
Ἠδ' ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν, ἅμα πνοιῇς ἀνέμοιο.

(*Hom Odyss.* V, *v.* 43 *et seqq.*)

Sic ait : Neque renuit internuncius Mercurius,
Statim deinde pedibus subligavit pulchra talaria,
Immortalia, aurea, quæ ipsum ferebant sive per mare,
Sive per immensam terram pariter cum flamine venti.

(*Hom., Odyss.*, V, *v.* 43 *et seqq.*) C

Pan vero ungulatos sive hircinos pedes habuisse ferebatur, uti perhibet his verbis Eusebius : « Quin etiam suorum ipsi corporum speciem figuramque describunt, velut ipse Pan, qui cujusmodi fuerit, ex ejus oraculis docemur : Mortalis ergo cum sim, vota nuncupo, Πανὶ συμφύτῳ θεῷ, θυσσοκίρατι, δισσόποδι τραγοσκελεῖ. Pani, nativo deo, cornu gemino, gemino pede, hircinisque cruribus, insigni voluptuario » (*Euseb. lib.* III *Præpar. Evang. cap.* 14, *pag.* 124). Fatetur quidem Herodotus illum a pictoribus et statuariis figurari caprina facie, hircinisque cruribus : quam tamen ob causam id factum fuerit, explicatu sibi jucundum non esse ingenue confitetur D (*Herodot. lib.* II, §. 46). Sed adire poteris Servii in Virgilium notas, et alios (*Serv. in Virgil.*).

De Saturni deinde « pedibus, » uti auctor noster ait, « compeditis, » hæc a Cicerone litteris mandata legimus : « Vetus hæc opinio Græciam opplevit, exsectum Cœlum a filio Saturno, vinctum autem Saturnum ipsum a filio Jove. » Latino autem Oratori suffragantur auctores nostri Athenagoras, Athanasius, ac præter alios bene multos Epiphanius, qui ad Minucii nostri mentem inde sic argumentatur : « At qui in custodia detinetur, non modo potentiori alicui subjicitur, sed ob maleficium aliquod vinculis coerceri solet » (*Eclog.* 2. *v.* 31. *Cic. lib.* II *de Natur. deor. pag.* 223; *Athenag. legat. pro Christian. pag.* 19

Digitized by Google

*et* 20; *Athanas. Orat. contr. Gent.* § 11, *pag.* 12; *Epiphan. Anchorat.* §. 106, *pag.* 107).

Apud Lucianum porro cum sacerdos ipsummet Saturnum interrogasset, num a Jove filio suo in tartarum, vinculis injectis, fuisset revera præcipitatus, respondet ille : « Senex jam et podagrosus cum essem ob ætatem, unde etiam factum est, ut plerique mihi compedes esse finxerint, τὸ μὲν ὅλον γέρων ἤδη καὶ ποδαγρὸς ὤν, διὸ καὶ πεπεδῆσθαί με οἱ πολλοὶ εἴκασαν, impar eram viribus ad tam multa hujus ætatis facinora punienda..... Itaque mihi consulens, Jovi locum dedi. » Alias tandem cur a Jove victus fuerit causas Cicero et Macrobius afferunt (*Lucian. Saturnal. pag.* 1022 *et seq. Cicer. loc. cit. Macrob. lib.* I *Saturnal. cap.* 8).

Tum postea Minucius : « Janus vero frontes duas gestat, quasi ut aversus incedat. » Athenæum (*lib.* XV *Deipnosoph. p.* 592) enim aliosque quam plurimos ut prætermittamus, Ovidii de illo hæc sunt carmina :

Jane biceps anni tacite labentis origo,
Solus de superis qui tua terga vides.
. . . . . .
Quem tamen esse deum te dicam Jane biformis ?
Nam tibi par nullum Græcia numen habet.
(Ovid., l. I *Fast.*, § 4, *v.* 65.)

Cur autem bifrontem eum dixerint, si postules, diversas tibi rationes reddent Plutarchus, Macrobius, Cyprianus, et Vossius (*Plutarch. quæst. Roman. pag.* 279; *Macrob. lib.* I *Saturnal. cap.* 7 *et* 9; *Cyprian. lib. de idol. Vanit. pag.* 12; *Voss. lib.* I *de Orig. et progr. idol., cap.* 18, *pag.* 71 *et seqq.*). Denique his adjiciemus hunc Janum, eodem Macrobio, atque etiam Augustino testibus, non solum bifrontem, sed etiam quatrifrontem, et quatriformem ab ethnicis prædicari (*Macrob. lib.* I *Satur. cap.* 9. *August. lib.* VII *de Civit. cap.* 4). Quis ergo non deplorabit horrendam illam ethnicorum cæcitatem, qui nos non tam homines, quam hominum monstra, deos esse arbitrabantur, eisque divinos honores reddebant? Non ibi tamen stetit insana illorum superstitio. Sed plures adhuc non minus infames colebant aliorum deorum figuras, quæ quidem quomodo ab auctore nostro explicentur et explodantur, jam investigandum est.

### ARTICULUS II.

*Quanta dementia ab ethnicis decantata sit Diana alte succincta, venatrix, mammis multis Ephesia, ac Trivia trinis capitibus, multisque manibus : Jupiter modo barbatus, modo imberbis : Ammon cum cornibus, Capitolinus fulmina gerens, Latiaris cruore perfusus, Feretrius non auditus, cujus tot monstra, quot nomina.*

Argumentum suum prosequitur Minucius, ac triplicem exagitat Dianæ formam : « Diana, inquit, alte succincta, venatrix, et Ephesia mammis multis, et uberibus (codex « veribus » ) exstructa, et trivia trinis capitibus, multis manibus horrifica. » Dianam venatricem fuisse quis nescit? Illius autem haud semel Pausanias (*lib.* VIII, *pag.* 230 *et* 234) aliique meminere. Eam itaque venando alte succinctam jure merito dici, ex his collige Ovidii versibus :

Per juga, per sylvas, dumosaque saxa vagatur
Nuda genu vestem ritu succincta Dianæ.
(Ovid., l. X *Metamorph.*, fab. 12.)

Et rursus alibi,

Talia pinguntur succinctæ crura Dianæ.
Cum sequitur fortes fortior ipsa feras.
(Lib. V *Amor. Eleg.*, 22.)

Nihil necesse est alia ejusdem Ovidii, Prudentii (*epist.* IV, *hymn. in Rom. v.* 257), aliorumque, seu carmina, seu testimonia de re satis omnibus nota citari.

Quibusdam vero corrupta videntur sequentia in codice nostro manuscripto verba : « Ephesia, mammis multis et veribus exstructa. » In animum enim vero suum inducere quidam non potuerunt Dianam, ut pote virginem, plures habuisse mammas. Putant itaque addendam esse vocem, « Ceres, » quæ mammosa vocabatur. Alii autem pro « veribus, » legendum autumant « uberibus, » aut « tuberibus. » Sed levissimæ vel potius falsæ sunt hæ conjecturæ, nec mutanda est veteris codicis nostri lectio. Hieronymus siquidem in suo in Pauli ad Ephesios Epistolam commentario hæc de utraque Diana, et alte succincta, et mammosa tradidit : « Scribebat ad Ephesios Dianam colentes, non hanc venatricem, quæ arcum tenet, et succincta est, sed illam multimammiam, quam Græci πολύμαστον vocant; ut scilicet ex ipsa quoque effigie mentirentur omnium bestiarum et viventium esse naturam » (*Hieronym. proem. ad Epist. Pauli ad Ephes.*).

Neque urgeas Hieronymum ibi sequi errantem Minucium nostrum, atque in eumdem impegisse erroris scopulum. Certum quippe est neutrum errasse; quandoquidem constat Dianam Ephesiam a multis memorari, cujus celeberrimum apud Ephesios templum fuisse nullus ignorat. Atqui ejus effigies multis cum mammis illic repræsentabatur, uti patet ex variis illius simulacris et imaginibus, quæ a Friderico Ubaldino in suo de symbolica Dianæ Ephesiæ statua exposita tractatu, exhibentur (*Tom.* VII, *Græc. Antiquit. pag.* 364).

Nec minus constat has Dianæ, sicut et alias deorum statuas rectis ac transversis sustentatas fuisse verubus, quæ sustentacula, et fulcra, seu virgæ ferreæ erant. Nam id disertissime probat Lucas Holstenius, in sua ad Franciscum Cardinalem Barberinum epistola, « de fulcris Dianæ Ephesiæ simulacro appositis » (*Ibid. pag.* 396). Ibi autem quasdam ejusdem Dianæ cum suis fulcris, pluribusque mammis imagines, in numismatibus sculptas exhibet. Ex his ergo evidenter colligitur textum auctoris nostri, et Hieronymi testimonium a nonnullis immerito vexari.

Dianam porro Triviam, trinis capitibus, ut ait Minucius, horrificam, his versibus canit Virgilius :

Tercentum tonat ore deos, ereabumque, chaosque,

Digitized by Google

Tergeminamque Hecatem, tria virginis ora Dianæ.
(Virgil., l. IV *Æneid.*, *v.* 518 et 511.)

Quos in versus observat Servius eam non modo Dianam, sed Lucinam quoque et Hecatem nuncupari, ac propter triplicem potestatem, fingi triplicem ac triformem, atque idcirco templa illius in triviis fuisse constructa. Varro autem ex Ennio animadvertit illam vocari Triviam, vel quia in trivio ponitur fere in oppidis græcis, vel quia luna dicitur, quæ in cœlo tribus viis in altitudinem, latitudinem, et longitudinem movetur (*Varr. lib.* VI *de Ling. lat. pag.* 74). Primam haud dubie propter rationem dixit Ovidius :

Ora vides Hecates in tres vergentia formas ;
Servet ut in ternas compita secta vias.

Quam sane ob causam ab illo vocatur « triceps Hecate, » et ab Horatio, et aliis « Diva triformis. » Videsis Orpheum, Pausaniam, et quæ ex Porphyrio Eusebius retulit, ac si velis etiam Prudentium (*Ovid. lib.* I *Fast.* §. 3, *et lib.* VII *Metamorp. fab.* 3; *Horat. lib.* II, *Ode* 22 ; *Orph. Argon. et voto ad Musæ tom.* I *Græc. poet. pag.* 494 *et* 501 ; *Pausan. lib.* II, *pag.* 72 ; *Euseb. lib.* IV *Præpar. Evang. cap.* 23, *pag.* 174; *Prudent. lib.* I *in Symmac.* § 174).

Non mirum itaque si triformis cum fuerit, plures quoque manus habuisse perhibeatur. Et certe Rigaltius in hunc Minucii locum testificatur se talem in numismate ærco apud Johan. Baptistam Altinum vidisse. Adi adhuc, si velis, Cælium Rhodinginum, Vossium, Verderium, Giraldum, et alios de eadem Diana disputantes (*Rhodig. lib.* XX *Antiq. lect. cap.* 6. *Vossius lib.* II *de Orig. et progr. idololatr. cap.* 25, *pag.* 216 *et seqq.*). Tales ergo deos quis cum Minucio nostro non rideat, ac detestetur?

Nec leviori ictu Ethnicos ille ferit, qui varios esse venditabant Jovis vultus, faciesque diversas. Quid enim « ipse, inquiebat, Jupiter vester? Modo imberbis statuitur, modo barbatus locatur. » Prius vero Cotta apud Ciceronem sic urgebat Velleium : « Isto modo dicere licebit Jovem semper barbatum » (*Cic. lib.* I *de Natur. deor. pag.* 207, *lin.* 26). Sed Lucianus petit ubinam ethnici hunc barbatum Jovem viderint (*Lucian. de Sacrific. pag.* 185)? Si tu quoque id postules, respondebit Prudentius :

Ars seminandis efficax erroribus,
Barbam rigentem dum Jovis circumplicat.
(Prudent., *de Roman. Martyr.*, *v.* 243.)

A Virgilio tamen Anxur dicitur :

Circæumque jugum, queis Jupiter Anxurus arvis
Præsidet.
(Virgil., l. VII *Æneid.*, *v.* 799.)

Nomen autem anxur idem ac imberbis significat, quemadmodum Servius in hos Virgilii versus nos admonuit : « Circa hunc, inquit, tractum Campaniæ, colebatur puer Jupiter, qui Anxurus dicebatur, quasi ἄνευ ξυρᾶς, id est, sine novacula, quia barbam numquam rasisset, » eratque imberbis. Neque in illo tantum Campaniæ tractu, sed alibi quoque hac juvenili forma repræsentabatur. Pausanias enimvero A duo ejusmodi Jovis simulacra juxta Pelopis templum ab Eleis posita memorat, quorum unum, « Jupiter est impuber, οὐκ ἔχον γένεια, inter Smicythi dona..... Paululum hinc recta progressis aliud est Jovis impuberis signum : dedicarunt Eleitæ (*Pausan. lib.* V *Eliacor. pag.* 173). Huc accedit et Naso, a quo Jupiter juvenis ita describitur :

Jupiter et juvenis, juveniles aspice vultus ;
Aspice deinde manus, fulmina nulla tenet.
(Ovid., l. III *Fas.*, § 6, *v.* 437.)

Posthæc Minucius alias recenset ridiculas ejusdem Jovis figuras, quas venerari ethnicos non pudebat : « Cum Ammon, inquit, dicitur, habet cornua, et cum Capitolinus, tunc gerit fulmina. » At Cicero antea dixerat : « et quidem alia (spe- B cies) nobis Capitolini, alia Afris Ammonis Jovis » (*Cicer. lib.* I *de Natur. deor.* pag. 207. lin. 23). Cur vero Jupiter Ammon cornua habere æstimabatur, his Herodotus edisserit verbis : « Thebani et quicumque propter illos ovibus parcunt, cum ab Hercule, cernere eum volente, cerni nollet, tandem exoratus, hoc commentus sit; ut, amputato arietis capite, pelleque villosa, quam ei detraxerat, induta sibi, ita sese Herculi ostenderet, et ob id Ægyptios instituisse Jovis simulacrum facere arietina facie, ἀπὸ τούτου κριοπρόσωπον τὸ ἄγαλμα τοῦ Διὸς ποιοῦσι, et ab Ægyptiis Ammonios accepisse, qui sunt Ægyptiorum, atque Æthiopum coloni, et linguam inter utrosque usurpantes. Qui etiam mihi videntur ideo se Ammonios cognomi- C nasse, quod Ægyptii Jovem Ammonem appellent » (*Herodot. lib.* II, § 42). Inde profecto a Græcis κερατοφόρος, et a Luciano κριοπρόσωπος, a Macrobio, et Arnobio, « arietinis cornibus, » atque a poetis Ovidio Claudiano aliisque corniger Ammon vocatur (*Lucian. de Sacrific.* pag. 186. *Macrob. lib.* I *Saturnal.* cap. 21. *Arnob. lib.* VI *adv. Gent.* pag. 197).

De eodem porro Ammone, atque etiam de Capitolino, hæc legimus Lucani carmina :

Ventum erat ad templum, Lybicis quod gentibus unum
Inculti Grammates habent, stat corniger illic
Jupiter, ut memorant, sed non ut fulmina vibrant.
Aut similis nostro, sed tortis cornibus Ammon.
(Lucan. l. IX, *v.* 517.)

D Frequentissima Jovis Capitolini apud varios et maxime Romanæ historiæ scriptores mentio. Eo autem nomine nuncupatus est, quia ædes ejus et imago in Capitolio collocata fuit. Illius meminere Titus Livius, Suetonius, Dion Cassius, Plutarchus, Plinius, Valerius Maximus. Denique simulacrum ejus visitur in pervetusto numismate Aureliæ Quirinæ Vestalis, in quo sedet superne nudus media corporis parte, inferne amictus, dextera fulmen, sinistra sceptrum gerens, ac circumscriptum nomen habet : *Jup. Opt. Max. Capitolinus* (*Liv. lib.* II, § 21; *Sueton. lib.* II, pag. 344; *Cass. lib.* LIV *Rom. hist.* pag. 598 *et seqq.*; *Plutarch. in Vita Publicol.* pag. 104; *Plin. lib.* III *Hist. natur.* cap.

Digitized by Google

2 et 8, pag. 91, et 125; *Valer. lib.* I, cap. 2, § 2; *Lesculop. in lib.* I *Cic. de Natur. deor.* § 83. pag. 118).

Duplex adhuc Jupiter ab auctore nostro memoratur: « Latiaris, inquit, cruore perfunditur; » quia nimirum humanæ hostiæ, uti ostendimus, illi immolabantur: « Et Feretrius non auditur. » Refert Plutarchus varias hujus cognominis rationes, easque his exponit verbis: Φερέτριος ζεὺς, ὡς μὲν ἔνιοι φασὶν, ἀπὸ τοῦ φερητρευομένου τροπαίου, κατὰ τὴν ἑλληνίδα γλῶσσαν ἔτι πολλὴν τοτὲ συμμεμιγμένην τῇ λατίνων. Ὡς δὲ ἕτεροι, Δίος ἐστὶ ἡ προσωνυμία κεραυνεβολοῦντος, τὸ γὰρ τύπτειν, φερίρε, οἱ Ρωμαῖοι καλοῦσιν· ἄλλοι δὲ παρὰ τὴν τοῦ πολέμου πληγὴν γεγονέναι τοὔνομα λέγουσι· καὶ γὰρ νῦν ἐν ταῖς μάχαις ὅταν διώκωσι τοὺς πολεμίους, πυκνὸν τὸ φέρι, τουτέστιν πᾶσι, πφεγγυῶσιν ἀλλήλοις. « Jupiter Feretrius vocatur a tropæo, quod feretro gestabatur, deducto nomine a græca lingua, quæ passim sermoni latino erat etiam confusa. Alii cognomen esse fulminantis affirmant, a feriendo dictum. Sunt qui deductum volunt ab ictibus, qui in bello inferuntur. Nam nunc etiam in conflictibus, cum hostibus instant ad feriendum, crebro adhortantur se mutuo » (*Plutarch. in Vita Marcelli*, pag. 302). Addit quorumdam esse opinionem Numam jussisse, ut prima et opima spolia Jovi Feretrio consecrarentur.

Testatum autem Titus Livius facit hoc cognomen illi datum a Romulo, qui victo et obtruncato Acrone, Cæninensium rege, spolia ejus « fabricato ad id apto ferculo, » Livii ipsa sunt verba, « gerens in Capitolium ascendit; ibique ea cum ad quercum pastoribus sacram deposuisset, simul cum dono designavit templo Jovis fines, cognomenque addidit Deo: Jupiter Feretri, inquit, hæc tibi victor Romulus rex regia arma fero, templumque iis regionibus, quas modo animo metatus sum, dedico sedem opimis spoliis, quæ regibus ducibusque hostium cæsis, me auctorem sequentes, posteri ferent » (*Liv. lib.* I, § 10). Eamdem historiam memoriæ commendarunt non solum Dionysius Halicarnassæus, Dion Cassius, Florus, Messala Corvinus, aliique (*Diony. Hal. lib.* II, pag. 182; *Dion Cass. lib.* XLIV *Hist. Rom.* pag. 271; *Florus, lib.* I, cap. 1; *Mess. Corv. lib. de August. prog.* pag. 551). At jam citatus a nobis ipsemet etiam Plutarchus, aperte significat inde manasse morem, ut opima occisorum ducum spolia eidem Jovi Feretrio ferrentur (*Plutarch. in Vita Romuli.* pag. 27). Hinc etiam Propertius canebat:

. . . . . Causa Feretri,
Omne quod certo dux ferit ense ducem.
Seu quia victa suis humeris hæc arma ferebant,
Hinc Feretri ducta est ara superba Jovis.
(Propert. l. IV.)

Quidam vero in hoc Minucii textu, « Feretrius non auditur, » corruptum esse putant ultimum verbum « auditur, » ac legendum « aditur. » Numa enim Pompilius post Romuli mortem jussit opima hostium spolia Marti, aut Quirino, non Jovi Feretrio deferri. Deinde vero quid significare potest verbum « non auditur. » Numquid Feretrium Jovem esse mutum? At nonne etiam mutus pariter erat Jupiter Latiaris? Alii tamen scriptum in codice nostro manuscripto, « non auditur, » retinendum censent, atque adverbium « non » ibi sumi pro voce « nomen » Perinde ac si Minucius dixisset, Feretrii nomen cujus nullum erat simulacrum, amplius « non auditur. » Quibusdam autem exemplis id probare nituntur, sed quæ non magni sunt momenti. Quid ergo, si hæc verba « non auditur, » suo nativo sensu accipias, pro relinquitur, spernitur, contemnitur? Nonne satis aperta claraque erit Minucii sententia, Jovem Latiarem suo adhuc tempore cruore perfundi, sed non amplius audiri Feretrium? Cæterum sive legas « auditur, » sive « aditur, » nec multum diversa eorum significatio, nec a Minucii mente valde aliena videbitur.

Denique « tot, inquit adhuc Minucius, Jovis monstra, quot nomina. » Et ideo certe Theophilus in suo ad Autolycum libro: « Te, aiebat, interrogare lubet, o homo, et quot tandem inveniantur Joves. Ζεὺς μὲν γὰρ ὁ πρώτοις προσαγορεύεται Ὀλύμπιος, καὶ Ζεὺς Λατεάριος, καὶ Ζεὺς Κάσσιος, καὶ Ζεὺς Κεραύνιος, καὶ Ζεὺς Προπάτωρ, καὶ Ζεὺς Πάνυσχιος, καὶ Ζεὺς Πολιοῦχος, καὶ Ζεὺς Καπιτωλίος: Jupiter primum Olympius, deinde Latiaris, Cassius, Fulminator, Propater, Pervigil, urbium Defensor, Capitolinus. Et quidem Jupiter, Saturni filius, Cretensium rex, in Creta sepultus est » (*Theophil. lib.* II *ad Autolych.* pag. 76). Cæteros autem Joves nulla sepultura dignos fuisse arbitratur.

Porro autem de infinita propemodum illorum, quos trecentos quidam fingebant, Jovium turba et multitudine, aut ut recte auctor noster dixit, monstris et portentis videsis Lilium Giraldum, ac si lubet et vacat, quæ alibi disputavimus (*Girald. Hist. deor. Syntag.* 2, pag. 72 *et seqq. Tom.* I *Apparat. lib.* III, *dissert* 1, cap. 9, pag. 752).

ARTICULUS III.

*Exponitur aliud ejusdem momenti argumentum, quod deprompsit Minucius ex indignis, et turpissimis deorum factis, quibus ferebatur Erigone laqueo suspensa, Castor et Pollux alternis ac morientes, Æsculapius fulmine percussus, Œteis ignibus crematus Hercules.*

Ab absurdissimis planeque ridiculis deorum formis transit Minucius ad turpissima nefandaque illorum facinora, quibus illos non modo deorum, sed hominum etiam ratione præditorum nomine prorsus indignos esse evidentissime demonstrat. Ad id autem probandum plura ex iis singillatim recenset, eumque in hac, quemadmodum in superiori argumentatione, sequemur.

Ab Erigone autem dicendi sumit initium: « Quæ suspensa, sicut ille ait, de laqueo est; ut virgo inter astra ignita sit. » Duplex vero est Scripto-

Digitized by Google

rum ethnicorum de illa Erigone opinio, seu potius fabula. A quibusdam enim dicitur filia Icari Atheniensis, quem cum rustici temulenti occidissent, illa paternæ necis a cane admonita, visoque illius cadavere, laqueo se suspendit. Post mortem vero ipsa virgo, ac canis monitor suo nomine sedem inter astra habere finguntur.

Fabulantur alii Erigonem fuisse Ægysti, et Clytemnestræ filiam, quæ ut Orestem accusaret, Athenas cum Tyndaro avo suo profecta ubi de illius absolutione certior facta est, laqueo vitam sibi ademit.

Minucius vero magis spectasse videtur ad primam opinionem, qua Erigonem canemque illum inter astra censeri garriebant, quemadmodum Statius cantaverat :

. . . . Vim cœptis indulgent astra, meæque
Æstifer Erigones spumat canis.
(Stat., l. IV *Thebaid.*, v. 538.)

Plura si desideres, Nonnium, Servium, aliosque adire licet (*Nonn. lib.* XLVII *Diony.* v. 600, *et seqq. Serv. in lib.* II *Georg. Virgil. v.* 388). Quamobrem Tatianus ethnicis objecerat : Κύων ὁ τῆς Ἠριγόνης ἐν οὐρανῷ δείκνυται, « Canis Erigones in cœlo ostenditur » (*Tatiat. Orat. cont. Græc.* pag. 149).

Observare porro hic juvat in nostro ms. codice legit, « ut in astra ignata sit » proculdubio librarii lapsu. Quapropter in editis scriptum est « ignita sit, » id est, ut Erigone inter astra iguea collocaretur. Nec plane rejicienda hæc emendatio, quæ citatis Statii et Tatiani verbis haud inepte stabiliri potest. Gronovio tamen non placuit, corrigique maluit « signata sit, » id est locata. Sed prius ostendere debebat ubinam Minucius hoc loquendi modo utatur. Cæterum quæcumque sit genuina illius lectio, apertissime significat absurdam omnino esse gentilium de diis suis opinionem, qui Erigonem posteaquam laqueo vitam finivit, et deam, et inter astra positam serio prædicabant.

Post hæc Minucius, et sequester ejus Cyprianus : « Castores, » hoc est, Castor et Pollux, « alternis moriuntur, ut vivant » (*Cyprian. lib. de Idol. Vanit.* pag. 11). Quæ quidem paulo uberius a Lactantio sic exponuntur : « Castor et Pollux dum alienas sponsas rapiunt, esse gemini desierunt. Nam dolore injuriæ concitatus Idas alterum gladio transverberavit, et eosdem poetæ alternis vivere, alternis mori narrant » ( *Lactant. lib.* I. cap. 10, pag. 150). Fingebant enim Castorem et Pollucem, Phœbes et Talaitæ filiarum Leucippi, quæ Lynceo et Idæ desponsatæ fuerant, amore captos. Quamobrem Castor a Lynceo, ut quidam autumant, vel ab Ida, vel a Meleagro, vel a Policine, ut alii opinantur, interfectus est. Pollux vero a Jove patre suo petiit, ut Castorem immortalitate donaret. Sed id impetrare cum non potuisset, obtinuit ut immortalitatis dimidium uni, et alteri dimidium impertiretur. Alternis itaque diebus vivere dicti sunt, vel, ut ait Plinius, « alternis diebus viventes morientesque » ( *Plin. lib.* II *Natur. Hist.* cap. 7, pag. 143 ). Eam autem in rem habemus citatos ab Origene hos Homeri versus :

Ἄλλοτε μὲν ζώουσ', ἑτερήμεροι, ἄλλοτε δ' αὖτε
Τεθνᾶσιν, τιμὴν δὲ λελόγχασιν ἶσα θεοῖσι.

« Interdum quidem vivunt alternis diebus, interdumque rursus moriuntur, honorem autem sortiti æqualem diis » ( *Origen., l.* III *contr. Cels.*, *p.* 123; *Homer., Odyss., l.* XI, *v.* 331 *et seqq*). Inde a Tatiano post eumdem Homerum vocantur ἑτερόμμειροι Διόσκουροι (*Tati. Orat. cont. Græc.* pag. 150 ). Denique, ut alios complures omittamus, de iis canit Virgilius :

Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque, reditque viam toties.
(Virgil., l. VI *Æneid.*, *v.* 121.)

Sed id omnibus persuasum non fuisse alibi videbimus.

Dehinc vero Minucius, atque etiam totidem verbis Cyprianus : « Æsculapius ut in Deum surgat, fulminatur » ( *Cypriun. lib. de Idol. Vanit.* pag. 11). Quis iste sit, si a Cicerone postulabis, responsum ab eo accipies : « Æsculapius secundus, secundi Mercurii frater : is fulmine percussus, dicitur humatus esse Cynosuris » (*Cicer. lib.* III *de Natur. deor.* pag. 248).

Cur autem fulmine percussus fuerit, si rursum scisciteris, respondet Diodorus Siculus : « Pluto querelam de Æsculapio, quod videlicet medicatione ejus mortuorum numerus subinde decresceret, apud Jovem instituit, eumque de diminuta regni inferni potentia accusavit. Hoc iratus Jupiter fulminis ictu Æsculapium necavit. Παραξυνθέντα, καὶ κεραυνώσαντα Ἀσκληπιὸν διαφθεῖραι » (*Diodor. Sicul. lib.* IV *Biblioth.* pag. 190). At Plato scribit illum ideo fulmine ictum, quia avaritia auroque corruptus, « opulentum quemdam virum lethali morbo laborantem, et animam agentem curaverit » (*Plato. lib.* III *de Repub. tom.* II. pag. 408). Aut sicuti Virgilius cecinit : Quia Hippolytum, novercæ suæ arte occisum, ad vitam revocaverit (*Virgil. lib.* VII *Æneid. v.* 765 *et seqq*). Eadem dixit Pindarus laudatus a Tertulliano, Arnobio, Athenagora, qui secundum testem Hesiodum accivit, a quo tamen hominis a mortuis excitatis nomen recitatur (*Tertullian. Apologet.* cap. 14, *et lib.* II *ad Nation.* cap. 14 ; *Arnob. lib.* IV, pag. 143; *Athenag. Legat. pro Christian.* pag. 33; *Pindar. Ode* 3). Legesis præterea Lucianum, Origenem, Arnobium, Lactantium, Theodoretum, ac si grave non sit, quæ a nobis in superiori tomo annotata sunt (*Lucian. Dial. deor.* pag. 78. *Orig. lib.* III *cont. Cels.* pag. 123; *Arnob. lib.* IV, pag. 143; *Lactant. lib.* I *Instit.* cap. 17, pag. 84; *Theodoret. Serm.* 8, *de Martyr.* pag. 595, *Tom.* I *Appar. lib.* III, *Dissertat.* I, cap. 9, *art.* 1. pag. 754). Recte igitur, Plato, Tertullianus, et Lactantius,

Digitized by Google

uti suo loco videbimus, inde cum auctore nostro concludunt Æsculapium dici non posse Dei filium.

Quid plura? « Hercules, » auctoris adhuc nostri, totidemque Cypriani verba sunt, « ut hominem exuat, Oeteis (ms. Reg. *Henneis*, sed male) ignibus concrematur. » Res tota, seu hæc fabula a Diodoro Siculo, quem Servius sequitur, hunc narratur in modum. Postquam Hercules interulam, a Dejanira philtro Centauri, ad perniciem comparato, perunctam induisset, in exitialem, vel ut narrat Arnobius, in comitialem morbum statim incidit. Dehinc morbo ingravescente, et omni recuperandæ salutis spe abjecta, pyram, ut Delphico oraculo obtemperaret, conscendit. Huic ignem subjecit Philoctetes, moxque fulminibus tacta in cineres cum Herculis corpore redacta est. Postea vero cum ossa illius frustra Iolaus conquisivisset, fama percrebuit illum ad deos convolasse. Augustinus vero indicat ubi, et quo tempore id factum, et quis ille Hercules fuerit. Tum inde et ad auctoris nostri mentem apposite, ita argumentatur : « Quomodo nunc quidem est, non video quo pacto ille Hercules, cui in monte Oetæo allatæ lampades fuerunt, ut ait Acius, in domum æternam patris, Jovis, ex illo ardore pervenerit. » Adisis Ovidium, lib. IX Metamorph. fabula 3; Sophoclem in Trachiniis, tom. II Poet. Græc.; Ciceronem lib. II Tusculan. pag. 138; Senecam in Hercule Oetæo; Justinum Martyrem, Apolog. I, pag. 76; Athenagoram, Legat. pro Christian. pag. 53; Theodoretum, Serm. 3, de Angel., pag. 510, et fusius Sermon. 8 de Martyr., pag. 594, et seqq.; Lactantium lib. I Institut. divin., cap. 9; atque Hyginum et Apollodorum, qui de his aliisque memoratis gentilium opinionibus plura scripto tradiderunt.

### ARTICULUS IV.

*Cur ac quomodo Minucius ostendat falsos esse Gentilium deos, lectitatis ab omnibus ad vitæ morumque institutionem libris Homeri, quibus decantantur Venus sauciata, Mars vinctus et vulneratus; Jupiter a Briareo liberatus, Sarpedonem deflens, illectusque Veneris loro, Hercules stercora egerens, Admeti pecus pascens Apollo, Neptunus muros reficiens Laomedontis, fulmen Jovis cum Æneæ armis fabricatum, Martis Venerisque adulterium, Ganymedes a Jove raptus, ac quam merito Homerus a Platone ex civitate sua ejectus sit.*

Deplorat Minucius miseram prorsus et infelicem ethnicorum conditionem, qui aniles de diis suis fabulas a parentibus edocti, pene cum lacte suxerant. Quin etiam grandiores facti, « ipsis studiis et disciplinis, » eas poetarum ac potissimum Homeri didicerant carminibus. In iis enim quæ jucunda sibi videbantur, venena bibentes, auditis deorum suorum flagitiis, mores suos corruperunt. Quid enim non fecissent, audientes Homerum illum, ut ait Minucius, « inclytum, laudatum, coronatum, » ab omnibus populis, qui « bello Troico deos, etsi ludos facit, tamen in hominum rebus et actibus miscuit? Hic eorum paria composuit, sauciavit Venerem, Martem vinxit, vulneravit, fugavit. Jovem narrat a Briareo liberatum, ne a diis cæteris ligaretur, et Sarpedonem filium, quoniam morti non poterat eripere, cruentis imbribus flevisse, et loro Veneris illectum, flagrantius quam in adulteras soleat, cum Junone uxore concumbere. » Eadem plane, sed aliis verbis scripserat Tertullianus : « Sed conversus ad litteras vestras, quibus informamini ad prudentiam, et liberalia officia, quanta invenio ludibria? Deos inter se propter Trojanos et Achivos, ut gladiatorum paria, congressos depugnasse : Venerem humana sagitta sauciatam; Martem tredecim mensibus in vinculis pene consumptum; Jovem ne eamdem vim a cæteris cœlitibus experiretur, opera cujusdam monstri liberatum; et nunc flentem Sarpedonis casum, nunc fœde subantem in sororem, sub commemoratione non ita dilectarum jampridem amicarum » (Tertul. *Apolog.*, cap. 14). Integra Minucii nostri ac Tertulliani loca simul retulimus; tum quia sibi invicem mutuo lucem afferunt; tum quia adeo similia sunt, ut sua Minucius a Tertulliano mutuatus videatur.

Quæ autem Tertullianus ex ethnicorum litteris generaliter tantum, hæc Minucius noster ex Homero deprompta esse declarat. Atque hinc intelligimus cur illi, aliique christianæ religionis defensores hasce absurdissimas, vixque ulli sanæ mentis homini credibiles fabulas, ethnicis omnibus ad falsas illorum religiones destruendas objecerint. Tanto enim in honore apud illos erat Homerus, ut pueros decantata ab illo deorum ludibria docerent, aliique illius carminibus « ad prudentiam, » ut ait Tertullianus, « et liberalia officia » informarentur. Itaque his a prima ætate imbuti, tantoque, uti putabant, viro fidem derogare nefas ducentes, facile crediderunt tales esse deos suos quales ab eo et aliis poetis ficti, in theatris postmodum, ac mysteriis, ut infra ostendemus, publice repræsentabantur. Quamobrem » his, ait Minucius, atque hujusmodi figmentis, et mendaciis dulcioribus corrumpuntur ingenia puerorum, et iisdem fabulis inhærentibus, ad usque summæ ætatis robur consenescunt, cum sit veritas obvia, sed requirentibus. » Ad hæc vero tametsi Homerus, aliique poetæ tam nefanda turpiaque de diis carmina fecerint, ipsi tamen, sicut ait Augustinus, ethnicorum theologi dicebantur (Augustin., lib. XVIII, *de Civit.*, cap. 14, pag. 498). Non mirum igitur, si Minucius noster, aliique vetustissimi Ecclesiæ Patres hanc Homeri cæterorumque poetarum auctoritatem, licet ridiculis adeo fabulis fundatam, serio sæpiusque profligaverint.

Quia vero Minucius et Tertullianus Homeri nec libros, nec loca, ubi hæc quæ narrant, scripta sint, citaverunt, nostri idcirco officii esse duximus, ea singillatim indicare, aliosque appellare, quibus, au similiter laudantur, aut confirmantur. De Venere autem sauciata, nimirum a Diomede, quod primum Minucius memorat, illud legimus in quinta Homeri Iliad. v. 335, et seqq. citatumque fuit a Platone, lib. IX Sympos. Quæst. 4, pag. 739; Virgilio, lib. II



Digitized by Google

Æneid. v. 277; Justino Martyre, Cohort. ad Græc. pag. 3; Athenagora, Legat. pro Christian., pag. 21; Clemente Alexandrino, Admonit. ad Græc., pag. 23; Athanasio, Orat. contr. Græc., § 12, pag. 112.

De Marte etiam vincto et vulnerato quod Minucius narravit, decantatum invenies eadem Homeri Iliade v. 385, et seqq. de quo etiam Clemens Alexandr. et Athanasius citatis locis, ac Gregorius Nazianzenus Orat. 3, contr. Julianum, pag. 258, et Orat. 4, pag. 308.

Cecinit adhuc Homerus, quem Minucius subinde notat, Jovem a Briareo liberatum, Iliade I, v. 399, et seqq.; de quo postea Justinus Martyr Cohort. ad Græc., pag. 3; et Servius in lib. VI Æneid. pag. 415.

Dehinc vero apud eumdem Homerum Iliade XVI, v. 667, et seqq. id reperies, quod de eodem Jove B et Sarpedone narrat non solum Minucius, verum etiam Athenagoras, Legat. pro Christian. pag. 21, et Clemens Alexandrinus, Cohort. ad Græc.; a quibus duo Homeri carmina transcripta sunt.

Denique de loro seu cingulo, quo Venus, sicut ait auctor noster, Jovem illexit, cantantem audies Homerum Iliad. XIV, v. 204 et seqq. Gregorius autem Nazianzenus illud in ethnicos, sicuti Minucius, vertit Orat. 3, adversus Julianum, pag. 258. Videsis ibi notas Billii, qui hujus poetæ carmina, de illo Veneris loro, latinis versibus reddidit.

Age vero, atque alia videamus non minus absurda, aliis pariter Homeri versibus haud dubie descripta, quæ Minucius non designavit : « Hercules, » inquit, « stercora egerit, et Apollo Admeto pecus pascit, C Laomedonti muros Neptunus instituit. » At quintus a Diodoro Siculo perhibetur Herculis labor, quo Augiæ regis stabulum stercoribus purgavit. Pluribus hæc ille explicat, non secus ac Pausanias, Natalis Comes et alii bene multi (Diodor. Sicul., lib. IV *Biblioth.*, pag. 154, et seqq.; Pausan., lib. V, pag. 148). Vide autem utrum auctor noster ad Homeri Iliad. II, v. 695, et seqq. collineare voluerit.

Longe autem clarius ille cecinit memoratos ab auctore nostro Apollinem, qui pecus pavit Admeti; et Neptunum, qui Trojano Laomedonti muros construxit. Primum enimvero occurrit Iliade secunda v. 780 et seqq.; secundum vero Iliade XXI, v. 443, quas Pausanias citasse legitur (Pausan., lib. VII, pag. 226). De utroque autem Apolline, et Neptuno Lucia- D nus, de Sacrificiis pag. 188. Arnobius lib. IV advers. Gent., pag. 144; Lactantius lib. I, cap. 10; Tertullianus Apolog., cap. 14; Cyprianus, lib. de idolorum Vanitate pag. 11; Augustinus, lib. III de Civit., cap. 2, et lib. XVIII, cap. 13; Servius in lib. III. Georg. Virgilii v. 2, atque in lib. I. Æneid., v. 554; Vossius lib. I de Orig. et progr. Idol., cap. 15, pag. 16, et lib. II, cap. 12, pag. 187. De Apolline tandem Callimachus Ode 2, in Apollinem; Euripides prologo in Alcestim; Nonnius lib. I. Dionys. v. 323; Ovidius, lib. II de Arte amandi, pag. 447; Athenagoras, Legat. pro Christian., pag. 22; Tatianus Orat. contr. Græc., pag. 159; Eusebius in Chron. lib. I, pag. 19. Atque A ex jam citato, et alio Augustini loco lux aliqua præferri potest his, quæ de eadem Apollinis servitute a Clemente Alexandrino scriptis tradita alibi annotavimus (Tom. I *Apparat.*, lib. III, dissert. 2, cap. 14, art. 1, pag. 1090).

Pergit Minucius, ethnicisque exprobrat : « Jovis fulmen cum Æneæ armis in incude fabricatum. » Vulcani de incude procul dubio loquitur. At Homerus narrat quomodo in illa idem Vulcanus, non Æneæ quidem, sed Achillis arma fabricaverit (Hom. *Iliad.* XVIII, v. 454 et seqq.). Expende igitur num auctor noster ibi non solum ad Homerum respexerit, sed etiam ad Virgilium, qui quidem cecinit Vulcanum Cyclopibus fulmina Jovi fabricantibus, præcepisse, ut iis relictis arma quæ Venus poscebat, B Æneæ conficerent (Virgil., lib. VIII. *Æneid.*, v. 422, et seqq.).

At deprehensum, sicuti adhuc Minucius noster loquitur, ab Vulcano, Martis et Veneris adulterium Homerus et Ovidius cantaverant (Homer. Odysse. 8, v. 267; Ovid., lib. II de Art. amand. ante fin.). Si Luciano autem credimus, saltator quidam per se sine strepitibus et tibiis, sed saltu tantum ac gestu illud nefarium deorum adulterium expressit (Lucian. de Saltat, pag. 515). Inde Porro Clemens Alexandrinus dicebat : Ἀφροδίτη ἐπ' Ἄρει κατηισχυμμένη, « Venus propter Martem est probro et dedecore affecta. » De eo Arnobius et Lactantius, uti nos infra notabimus (Clem. Alex. Admonit. ad gent. pag. 21. Dissertat. in Arnob., cap. 10, art. 1, et in Lactant., cap. 31, art. 1).

Postremo apud Homerum legitur, quod ait Minucius : « In Ganimedem, Jovis stuprum, cœlo consecratum. » Et certe Pausanias : Ἔστι δὲ Ὁμήρῳ ποιηθέν, ὡς ἁρπασθείητε ὑπὸ θεῶν Γανυμήδης οἰνοχοεῖν Διΐ. « Homerus carminibus mandavit suis raptum a diis Ganymedem, Jovi ut pocula ministraret, pro eo vero equos Troi, » ejus scilicet patri, « datos » (Minuc., pag. 208. Hom. Illiad. 20, v. 231 et seqq. et Hymn. in Venerem; Pausan., lib. V, pag. 173). Sed Græcum ipsummet apud poetam, si lubet, poteris loco a nobis citato adire, et Ovidium, lib. X Metam., fab. 5; Theocritum, Idyl. 12, v. 35, et seqq.; Apollonium, Argonaut. lib. III, v. 114 et seqq. ac Nonnum Dionys., lib. I, v. 316.

Ex tota porro illa auctoris nostri argumentatione, vides sane quam merito ipsi probetur sententia Platonis, qui Homerum, inclytum, ut diximus, « laudatum et coronatum, » quo etiam verbo Tertullianus usus est, propter illa exsecranda detestabiliaque commenta e civitate sua ejecit, tamquam licentiæ et impietatis magistrum, ut ait Theodoretus, vel tamquam juventutis pestem, sicut Origenes recte arguit. Sed ipse Plato omnesque omnino ethnici hosce decantatos ab Homero scelestos, aliosque Gentilium deos non una, sed omni civitate ac parte mundi ejicere debebant (Tertull., lib. II, ad Nat. cap. 7; Theodor., serm. 2 de Principio, pag. 486; Origen. lib. IV contr. Cels., pag. 186).

Digitized by Google

## CAPUT XVIII.

EXAMINATUR CÆCILII ARGUMENTUM QUO GENTILIUM DEOS EXSISTERE EO PROBARE NITITUR, QUIA ROMANI PIO EORUM CULTU IMPERIUM TOTIUS MUNDI MERUERINT.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Exponitur illud Cæcilii argumentum.*

Contendit Cæcilius Romanorum imperium ideo « ultra solis vias, et ipsius Oceani limites » propagatum, quia non aliquos tantum, sed omnes deos, universaque numina pio semper cultu ac vera religione coluerunt. Neque id solus ille Cæcilius asseruit venditavitque, sed alii etiam plerique omnes ethnici, atque imprimis Valerius Maximus. Hæc enim ipsa sunt illius verba : « Non mirum, si pro eo imperio augendo custodiendoque pertinax deorum indulgentia semper excubuit, quod tam scrupulosa cura, parvula quoque momenta religionis examinare videtur; quia numquam remotos ab exactissimo cultu cæremoniarum oculos habuisse nostra civitas existimanda est » (Valer. Max. *Exempl. memorab.*, cap. 1, § 8, pag. 8 ). Tantam autem Romani sua in deos pietate mercedem accipere non potuerunt, quin hi dii revera exstiterint, summaque fuerit eorum potestas.

Sed quid sibi, inquies, voluit Cæcilius, qui dum varia Romanæ illius pietatis officia insolentius prædicat, haud dubitanter asseverat eosdem Romanos non sola sua pietate, sed virtute etiam bellica maximum illud ab diis suis impetrasse beneficium? At mentem sensumque illius haud magna proculdubio difficultate intelliges, si prius observare velis : « In oppugnationibus » urbium, quemadmodum post Verrium Flaccum scribit Plinius, « solitum a Romanis sacerdotibus evocari deum, cujus in tutela oppidum esset, promittique illi eumdem, aut ampliorem apud Romanos cultum. Et durat, » pergit ille, « in pontificum disciplina id sacrum, constatque ideo occultatum, in cujus tutela Roma esset, ne qui hostium simili modo agerent » (Plin. lib. XXVIII *Natur. Hist.* cap. 2, pag. 559 ). Eadem narrat Macrobius, formulamque exhibet, qua Romani in urbium obsidionibus tutelares earum deos evocare, ipsisque templa ac ludos vovere consueverant (Macrob. lib. III *Saturnal.* cap. 9). Itaque hunc proculdubio ob bellicum morem asserit Cæcilius Romanos a diis obstinuisse totius mundi imperium. Quomodo autem id probare conatus sit, attendamus, si placet. Primum, « dum exercent, » inquit, « in armis virtutem religiosam », deorum scilicet pia, uti diximus, evocatione, factisque solemnibus votis, precibus, et sacrificiis. Secundo, « dum urbem, Romam, munium sacrorum religionibus, » tam suis, quam aliarum a se devictarum gentium. Nam iis debellatis, illarum cum deos, tum sacrum, seu potius prophanum nefandumque cultum Romam asportabant. Atque eamdem ob causam subjecit Cæcilius : « Dum undique hospites deos quærunt, et suos faciunt. »

Prosequitur ille, aitque Romanos non his tantummodo piis sacrisque ritibus urbem suam munivisse, verum etiam, « castis virginibus, nimirum Vestalibus, multisque honoribus ac nominibus sacerdotum », id est, stipendiis, reditibus, immunitatibus, ac privilegiis. Et hunc quidem esse auctoris nostri sensum, a quibusdam minime perceptum, confirmari potest Symmachi itidem gentilis, atque Ambrosii ei respondentis auctoritate. In sua enimvero Symmachus ad Valentinianum Imperatorem Relatione his eum compellat verbis : « Honoraverat lex parentum Vestales virgines, ac ministros deorum victu modico, justisque privilegiis » (Symmach. apud Ambr. *Relat.* § 14, pag. 831 ). Cui respondet Ambrosius : « Sacerdotibus suis et ministris queruntur alimenta publica non deberi..... Nemo tamen donaria delubris, et legata aruspicibus denegavit : sola sublata sunt prædia, quia non religiose utebantur iis, quæ religionis jure defenderent » (Ambros. Epist. 18, § 13-16).

Audacter adhuc Cæcilius contestatur deos tulisse certissimum Romanis auxilium, « dum obsessi, et citra Capitolium capti, colunt deos, quos alius jam sprevisset iratos, et per Gallorum acies, mirantium superstitionis audaciam, pergunt telis inermes, sed cultu religionis armati, dum captis hostilibus mœnibus, adhuc ferociente victoria, numina victa venerantur. » De Senonibus procul dubio loquitur, qui capta urbe Roma, Capitolium obsidebant. Nec dubitavit Symmachus hebes obtusumque illud telum in Christianos his paucioribus verbis adhuc torquere : « Hæc sacra Annibalem a mœnibus, a Capitolio Senonas repulerunt » (Symmach. *Relat.* § 9, pag. 830, et Ambros. Epist. 18, § 4, pag. 834).

At Gronovius post aliquos alios in auctoris nostri textu, ac contra manuscripti nostri codicis fidem pro « iratos », legendum ominatur, « iratus. » Non enim Romani, » inquit, « contempserunt deos iratos, a quibus se castigari sentiebant. Minucii itaque hunc opinatur esse sensum : Romani colunt deos suos, quos alius iis opem suam negantibus « iratus, » jam sprevisset. Verum melior proculdubio erit sensus, si legas : « Quos alius jam sprevisset iratos », sibique idcirco auxilium non ferentes. Quid namque, si ibi nomen « iratos » opponatur « diis propitiis, » de quibus plura apud Brissonium legi possunt? » (Brisson. lib. I de *Form.* pag. 120 et seqq.) Quæ porro Cæcilius de Capitolio a Senonibus obsesso, atque Romanorum in deos religione enarrat, hæc a Tito Livio, Valerio Maximo, Floro, aliisque explicata invenies (Liv. lib. V, § 46, et seqq. Valer. Max. lib. I, cap. 1, § 10, et 11; Flor. lib. I, cap. 13; ibid. pag. 51).

Ad hæc vero Cæcilius aliud religionis Romanorum certum esse putat argumentum, « dum aras extruunt ignotis numinibus et Manibus. » De primis hæc sunt Tertulliani verba : « Invenio plane ignotis diis aras prostitutas. Sed attica idololatria est. Item incertis diis, sed superstitio Romana est. Porro incerti dii minus noti, ut minus certi; et proinde ignoti, quia minus certi (Tertull. lib. *cont. Marc.* cap. 9). Quibus autem verbis ignoti illi dii invocarentur, si scire aveas, Gellius, Macrobius, ac Brissonius te docebunt (Gell.

Digitized by Google

lib. II, *Noct. Attic.* cap. 28; Macrob. lib. III, *Saturnal.* cap. 9; Brisson. lib. I, *de Formul.* pag. 120).

Miraberis forsitan in mentem quibusdam venisse adulteratum esse illud Cæcilii verbum, et « Manibus, » ac pro illo scribendum « inanibus. » Nihil quippe magis contra auctoritatem ms. codicis regii, et auctoris mentem fingi potuit. Quis enim nisi somniando suspicatus est Cæcilium, qui ibi ethnici hominis contra Christianum partes agit, serio dixisse a Romanis aras diis « inanibus » fuisse exstructas?

At quorsum, inquiunt, ibi « Manium » mentio, aut cui incogniti esse poterant? Quid ergo, si adjectivum « ignotis », ad solum substantivum « numinibus » referatur? Manium autem ibi Cæcilius idcirco meminit, quia ethnici sæpius eos invocabant, sacrificiaque illis faciebant. Neque etiam adeo erant, sicuti volunt, omnibus cogniti. Nam alii, quemadmodum observat Servius, illos cœlestes, alii infernos deos, alii nocturnos, atque inter cœlum et terram vagari arbitrabantur. De his plura Servius, et Lilius Gyraldus (Serv. in lib. III, *Æneid.* Virg. pag. 266, Gyrald. *Syntagm.* 7, *de Hist. deor.* pag. 205). Nihil igitur mutandum in auctoris nostri textu, sive cognitos, sive incognitos Manes dixeris.

Denique concludit Cæcilius : « Sic dum, Romani, universarum gentium sacra suscipiunt, etiam regna meruerunt. » Verum quidem est universa gentium sacra a Romanis suscepta fuisse. Nam Ovidius id unico hoc versu cecinit :

Dignus Roma locus, quo Deus omnis eat.
(Ovid., l. I, *Fast.*, § 3,

Sed de his alius nobis dicendi locus erit.

Cæcilius porro aliique gentiles ex hactenus dictis confici posse putabant deos suos revera existere, quia Romani, « dum universarum, » uti ille garriebat, « gentium sacra suscipiunt, etiam regna meruerunt. » Negari autem non potest, hanc argumentationem non minimi profecto esse ponderis, si tanta veritate, quanta falsitate niteretur. Vim illius plane sensit Tertullianus, eamque hisce nihil utique dissimulando proposuit verbis : « Non omittam congressionem, quam provocat illa præsumptio dicentium, Romanos pro merito religiositatis diligentissimæ in tantum sublimitatis elatos, ut orbem occuparint, et adeo dignos esse, ut præter cæteros floreant, qui illis officium præter cæteros faciunt (Tertull. *Apolog.* cap. 25). Sed hoc eruditissimus ille Africanus scriptor falso, sicut suo loco videbimus, falsius esse demonstrat. Nunc autem quomodo hoc ipsum argumentum a Minucio nostro refellatur, examinandum est.

## ARTICULUS II.

*Quomodo Minucius Cæcilii refellat argumentum, ac demonstret Romanorum imperium, nentiquam illorum in deos religione, sed impietate et sceleribus esse fundatum, nullumque iisdem Romanis ad propagandos regni fines auxilium deos tulisse, nec primo quidem peregrinos, et advenas, Martem Thracium, Jovem Creticum, Junonem Argivam, Samiam, et Pœnam, nec Dianam Tauricam, aut Idæam Matrem.*

Ridiculam Romanorum in deos suos pietatis jactantiam tanta facilitate Minucius reprimit, quanta temeritate venditabant se singulari castissimoque eorumdem deorum cultu meruisse totius mundi imperium. Nullius enim gentis sive ejus primordia, sive progressus spectes, major fuit, quam Romanorum impietas. Sciunt sane omnes primam illorum originem non aliunde ductam, quam a perditorum, facinorosorum, incestorum, sicariorum, et grassatorum multitudine, in asylum congregata, ac Romulum parricidio jecisse urbis suæ fundamenta (August. lib. III, *de Civit.* cap. 6, pag. 62. Livius et alii). Mox ille « alienas, » uti Minucius ait, « Virgines sine more », id est, sine ullo exemplo, aut bono more, « rapuit. » Quo loquendi modo ad illud Virgilianum alludit :

. . . Et raptas sine more Sabinas.
(Virgil., VIII *Æneid.*, v. 635.)

Tum deinde Romulus bellum intulit, « earum parentibus, id est, soceris suis. » Quæ quidem verba in regio codice leguntur. Cur ergo illa quidam præpostere textui inserta ariolentur, non videmus. Adde vero hæc confirmari Cypriani testimonio, qui ea omnia, hactenus memorata, ex hoc ipso auctoris loco delibavit (Cypr. lib. *de Idol. van.* pag. 16). Cum autem hæc nemine reclamante sint certissima, ex his recte Minucius contra Cæcilium concludit nihil esse his Romanorum initiis « irreligiosius », magisque sceleratum et impium.

Pergit ille, et ostendit Romanos eadem, qua cœperant, impietate imperium suum propagasse, proximas videlicet civitates, cum suis templis et altaribus evertendo, captos hostes cogendo suis sceleribus sociari, « templaque omnia de manubiis, id est, de ruinis urbium, » Minucii verba sunt, « de spoliis deorum, de cœdibus sacerdotum, construendo. » Quamobrem, « toties, » ut ille adhuc ait, « Romanis impiatum est, quoties triumphatum. Tot de diis spolia, quot de gentibus et tropæa. » Unde hanc meritissimo jure elicit conclusionem : « Igitur Romani non ideo tanti, quod religiosi, sed quod impune sacrilegi. »

Perpendas autem velim, utrum Minucius, cum hæc scriberet, ad Tertulliani Apologeticum non respexerit. Nam in hoc libro postquam eamdem ethnicorum jactationem exagitavit, atque oppressit, argumentum suum hac simili conclusione absolvit : « Ergo non ante religiosi Romani, quam magni, ideoque non ob hoc magni, quia religiosi. Atqui quomodo ob religionem magni, quibus magnitudo de irreligiositate provenit? Ni fallor enim, omne regnum vel imperium

Digitized by Google

bellis quæritur, et victoriis propagatur. Porro bella et victoriæ captis et eversis plurimum urbibus constant. Id negotium sine deorum injuria non est. Eædem strages mœnium et templorum, pares cædes civium et sacerdotum, nec dissimiles rapinæ sacrarum divitiarum et profanarum. Tot igitur sacrilegia Romanorum, quot tropæa : tot de diis, quot de gentibus triumphi : tot manubiæ, quot manent adhuc simulacra captivorum deorum » (Tertull. *Apol.* cap. 25, pag. 28).

Quod autem Minucius ex hostium urbiumque captarum manubiis templa deorum a Romanis victoribus constructa referi, id Flori testimonio luculenter confirmatur. De Tarquinio etenim Superbo hæc ab eo memoriæ mandata legimus : « De manubiis captarum urbium templum erexit » (Flor. lib. I *Rer. a Rom. gestar.* cap. 7). Tertullianum vero mox audivimus dicentem Romanorum manubias esse captivorum deorum simulacra At hoc quidem non minus aperte his Prudentii versibus asseritur :

Innumeros post deinde deos, virtute subactis
Urbibus, ex claris peperit sibi Roma triumphis,
Inter fumantes templorum armata ruinas
Dextera victoris, simulacra hostilia cepit,
Et captiva domum, venerans seu numina vexit.
. . . . . .
Roma triumphantis quoties ducis inclyta currum
Plausibus excepit, toties altaria divum
Addidit, et spoliis sibimet nova numina fecit.
(Prudent., l. II, *Symmach.*, § 2.)

At brevius Lactantius et templa, et simulacra significasse videtur. Ubi enim hostium urbes armis Romanorum subversas memorat, ibi continenter subjungit : « Consecrant diis manubias, et rapinas suas » (Lact. lib. I *Instit.* cap. 6, pag. 170. Dissert. in Lactant. cap. 33, art. 4). Ex manubiis siquidem, id est, pecuniis ex vendita hostium suorum, ut alibi explicabimus, præda coactis, nova deorum ædificabant templa ; ac rapta, secumque Romam asportata deorum simulacra, et in templis suis collocata denuo consecrabant ornabantque.

Testis quoque nobis est Cicero detractum a Dionysio tyranno amiculum, quo Jovem ornarat ex manubiis Carthaginensium tyrannus Gelo. Quadam insuper in Oratione : Qui cum Ætolis, ait, Ennio comite, bellavit Fulvius, non dubitavit manubias Musis consecrare (Cicer. lib. III *de Natur. deor.* pag. 252, lin. 87, et Orat. *pro Archia*, pag. 390, lin. 25).

Pergit Octavius, atque suo et Christianorum nomine ab adversario suo, aliisque ethnicis, petit quinam dii Romanis propitii, atque in bellis ad propagandos fines imperii sui adjutores venerint, num peregrini et advenæ, vel proprii ac vernaculi ? Atqui nulli ex iis opem Romanis ferre potuerunt. Non primi quidem. Nam quomodo Romanis propitii adjutoresque fuissent, qui numquam potuere clientes cultoresque suos contra hostium suorum impetus tueri : « Neque enim eos, » ait Minucius, « adversus suos homines, a quibus colebantur, vel Mars Thracius, vel Jupiter Creticus, vel Juno Argiva, nunc Pœna, nunc Diana Taurica, vel mater Idæa, vel Ægyptia, illa non numina, sed portenta, juverant. » Eos enimvero Romanorum armis victos, profligatosque fuisse nemo est qui nesciat. Quamobrem Cyprianus, qui eadem ex hoc auctore nostro repetit, continenter adjecit : « Quæ utique si quid potestatis habuissent, sua ac suorum regna servassent » (Cypr. lib. *de Idolor. Vanit.* pag. 13).

Scire autem si quis cupiat, qui sint illi, quos Minucius portenta numinum appellavit, dicemus Martem ideo Thracium cognominari, quia nonnulli eum ex Thracia oriundum putaverunt, uti a nobis alibi observatum est (Tom. I Apparat. lib. III, dissertat. I, cap. 9, art. I, pag. 753). Ad hæc vero Ammianus Marcellinus (Ammian. lib. XXVII, cap. 4, pag. 482) Martem Thracibus maximo honori cultuique fuisse testificatur.

De Jove autem Cretico, quem scilicet in Creta natum et sepultum ferebant, quemadmodum Junone, tum Argiva, cum Samia haud semel disputavimus (Tom. I Apparat. lib. III, cap. 7, art. 4, pag. 730, et cap. 8, art. I, pag. 735, et cap. 14, art. 5, pag. 827).

Huc accedat Cicero (Cicer. lib. I de Natur. deor. pag. 207), qui de prima Junone hæc posteris tradidit : « At non est talis, ac Sospita, Argiva, nec Romana Juno. Ergo alia species Junonis Argivis, alia Latinis. » De hac autem Junone illud Virgilii carmen legimus :

Junoni Argivæ justos adolemus honores.

Videsis Pausaniam (Pausan. lib. II, pag. 59, et lib. III, pag. 95), Lucianum (Lucian. de Sacrific. pag. 185), et Strabonem (Strab. lib. V, pag. 215, et lib. VI, pag. 252), qui mentionem illius haud semel fecerunt, sicut et alii recentiores bene multi.

De Junone vero Samia hæc narrat Æthlius apud Clementem Alexandrinum (Clemens Alexandr. Admonit. ad Gent. pag. 30) : Τῆς Σαμίας Ἥρας, ὡς φησιν Αἰθλιος, πρότερον μὲν ἦν σανὶς ὕστερον δὲ ἐπὶ Πρωκλέους ἄρχοντος, ἀνδριαντοειδὴς ἐμίνετο. « Samiæ Junonis prius quidem erat tabula, postea autem, Archonte Procleo, in formam statuæ efficta est. » Unde patet quam antiqua fuit illius apud ethnicos veneratio. Lege adhuc, si velis, Pausaniam (Pausan. lib. VII, pag. 209), et Origenem (Orig. lib. IV, contr. Cels. pag. 196). Utriusque porro illius Junonis, ac tertiæ, quæ *Pœna*, seu Carthaginensis vocabatur, his Virgilius carminibus meminit :

Urbs antiqua fuit (Tyrii tenuere coloni)
Carthago. . . . . .
. . . . . .
Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo : hic illius arma
Hic currus fuit : hoc regnum dea gentibus esse,
Si qua fata sinant, jam tum tenditque fovetque.
. . . . . .
Prima quòd ad Trojam pro charis gesserat Argis.
(Virg., l. I *Æneid.*, *v.* 16.)

Denique de Matre Idæa infra dicetur, sicut et de monstrosis Ægyptiorum numinibus superius disseruimus. Et hi quidem dii deæque sunt, quos sicut alium quemlibet, nullam omnino opem Romanis tulisse Minucius recte asseruit. Nec longe aliter adversus Symmachum Ambrosius postea argumentatus est : « Utrum volunt, eligant. Si in Romanis vicerunt sacra, in Carthaginensibus ergo superata sunt : si in

Digitized by Google

Carthaginensibus triumphata, nec Romanis utique profuerunt » (Ambros. Epist. 18, § 6, pag. 834).

Recte ergo Minucius ex dictis concludit nihil magis dictu absurdum, quam ab hujuscemodi diis et deabus desertos oppressosque cultores suos, ut Romani imperii fines dilatarentur. Eumdem plane in modum idem Ambrosius adversus Symmachum disputavit : « Nam de Senonibus, » supra a Minucio, sicut vidimus, tacito tamen nomine, designatis, « quid loquar, quos Capitolii secreta penetrantes Romanæ reliquiæ non tulissent, nisi eos pavido anser strepitu prodidisset? En quales templa Romana præsules habebant. Ubi tunc erat Jupiter? An in ansere loquebatur? » (Idem § 5, Supr. art. 1.) Ex Annibalis victoriis simili modo gentiles premebat : « Annibal diu sacris insultavit Romanis, et diis contra se dimicantibus, usque ad muros urbis vincendos pervenit. Cur se obsideri passi sunt, pro quibus deorum suorum arma pugnabant? » (Ambr. ibid. § 4.) Adi, si lubet et vacat, quæ ibidem annotavimus. Nullum igitur Romani subsidium, quo imperium suum augeretur, a peregrinis diis nec comparare, nec sperare potuerunt. Neque etiam ab vernaculis ac propriis, quod jam excutiendum est.

ARTICULUS III.

*Nulli a Romanis ad propagandos imperii fines auxilio fuisse vernaculos deos, Romulum, pejerante Proculo, diis adscriptum, Picum, Tiberinum, Pilumnum, Picumnum, Consum, Cloacinam, Pavorem, Pallorem, Febrem, Morbum, Accam Laurentiam, et Floram : ubi de sacris Larentialibus, et ludis Consualibus, atque Floralibus.*

Transit Minucius ad vernaculos Romanorum deos, planeque asseverat hos non ad majus, quam peregrinos, præsidium præsto iisdem Romanis fuisse. Tam certum vero illud esse putavit, ut nulla probatione indigeret, nec aliud agendum, quam deos illos suis appellare nominibus. Primi itaque ab illo, ac postea a Cypriano, non observato tamen temporis ordine, recensentur Romulus, Picus, Tiberinus, Consus, Pilumnus, et Picumnus (Cypr. lib. *de Idol. Vanit.* pag. 11).

Romulum autem Romanæ gentis et Urbis, uti nemo nescit, conditorem, deorum numero ascriptum Ennius apud Ciceronem uno hoc versu decantavit :

Romulus in cœlo cum diis agit ævum.
(Cic., l. I *Tuscul.*, p. 119, lin. 33.)

At non nisi « pejerante » Proculo, ut auctor noster antea dixerat, « Deus Romulus. » Rem sic narrat Titus Livius. Cum varii de Romuli morte rumores manarent, ac quidam illum senatorum manibus discerptum tacito murmure disseminarent : « Proculus, » uti ille ait, « Julius sollicita civitate desiderio regis, et infensa Patribus, gravis, ut traditur, quamvis magnæ rei auctor in concionem prodit : Romulus, inquit, Quirites, parens urbis hujus, prima hodierna luce, cœlo repente delapsus, se mihi obvium dedit. Cum perfusus horrore venerabundusque astitissem, petens precibus, ut contra intueri fas esset : Abi, nuntia, inquit, Romanis cœlites ita velle, ut mea Roma caput orbis terrarum sit. Proinde rem militarem colant, sciantque et ita posteris tradant, nullas opes humanas armis Romanis resistere posse. Hæc, inquit, locutus, sublimis abiit. Mirum quantum illi viro nuntianti hæc fides fuerit, quamque desiderium Romuli apud plebem exercitumque, facta fide immortalitatis, lenitum sit » (Liv. *Decad.* I, lib. 1, § 16). Sed hæc Ovidius (Ovid. lib. II *Fastor.* pag. 492, et seqq.), Dionysius Halicarnasseus (Dionys. lib. II *Antiquit. Rom.* pag. 118, et 124), Plutarchus (Plutarch. *in Vita Romul.* pag. 35) paulo fusius, brevius vero Florus (Florus lib. I, cap. 1), Lactantius (Lactan. lib. I, cap. 15, pag. 87), et Augustinus (August. lib. III, *de Civit.* cap. 15, pag. 70) retulerunt. Cyprianus (Cyprian. *de Idol. vanit*, pag. 13) pro more sequitur auctoris nostri vestigia. Quamobrem Tertullianus (Tertull. *Apolog.* cap. 21) de Christi in cœlum ascensu loquens : « Multo melius, » ait, « quam apud vos asseverare de Proculis solent. » Quapropter Tatianus (Tatian. Orat. *contr. Græc.* pag. 149) suppresso Romuli nomine dicebat : Τοὺς βασιλέας, μισθοῦ ἤ δι' ἐπωρχίας τις τοὺς θεοὺς καταγελῶν, εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνεληλυθέναι φησὰς, πεπίστευται. « Reges olim quosdam mercede nimirum conductus, et pejerans (eos in cœlum ascendisse) homines qui id crederent invenit. »

Ad alios autem Romanorum deos quod attinet, ab Augustino discimus in falsum fictumque eorum ordinem serio aggregatos Picum, et Tiberinum (August. lib. IV *de Civit.* cap. 23, pag. 104, lib. VI, cap. 10, pag. 159, lib. XVIII, cap. 15, pag. 499). Quod quidem ab illo postea his confirmatur Varronis verbis : « Picum, Tiberinumque Romulus consecravit. » Quis autem Picus, et quo tempore regnaverit, atque in deorum album relatus, ipse alio in libro hunc narrat in modum : « Laurentum Saturni filius Picus regnum primus accepit, judicante apud Hebræos femina Debora..... De hujus Pici patre Saturno viderint, quid sentiant talium deorum cultores, qui negant hominem fuisse; de quo alii scripserunt, quod ante Picum filium suum in Italia ipse regnaverit (Idem ibid.). » Monitos autem nos facit hanc secundam opinionem ab illius patronis, Virgilioque, a nobis mox citando, probari. Denique hæc addidit : « Picus Faunum genuit, Laurentum regem secundum : etiam iste deus illis est, vel fuit. Hos ante Trojanum bellum divinos honores mortuis hominibus detulerunt. »

Laudatus autem ab Augustino Virgilius de Pico hæc cecinit :

. . . Fauno Picus pater, isque parentem
Te, Saturne, refert.
(Virgil., *Æneid.*, l. VII, v. 48.)

Rursus vero :

Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat
Succinctus trabea, lævaque ancyle gerebat
Picus equum domitor, quem capta cupidine conjux
Aurea percussum virga, versumque venenis
Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.
(Idem, v. 187, et seqq.)

Plura de hac Pici in avem transmutatione Ovidius,

Digitized by Google

quem legere poteris, sicut et Servium in illa Virgilii carmina (Ovid. lib. XIV *Metam.* § 7, pag. 517, et seqq. Serv. in Virgil. pag. 457).

De Tiberino quoque idem poeta hos fecit versus :

Huic Deus ipse loci fluvius Tyberinus amæno
Populeas inter senior se attollere frondes.
(Virgil., l. VIII *Æneid.*, *v.* 31, *et seqq.*)

Qui de illo plura desiderabit, is consulat Dionysium Halicarnasseum lib. I Antiquitat. Rom. pag. 57; Livium lib. I, pag. 2; Auctorem lib. de Origene gent. Rom. et alios.

De Pilumno autem Virgilium adhuc audiamus, hæc canentem :

. . . . . Luco tum forte parentis
Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.
(Lib. IX *Æneid.*, *v.* 3 et 4.)

Atque iterum libro sequente :

Indignum est Italos Trojam circumdare flammis
Nascentem, et patria Turnum consistere terra,
Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater.
(Lib. X, *v.* 74, *et seqq.*)

Porro autem Servius in priores hos versus animadvertit Pilumnum, qui idem proculdubio est atque Picumnus, et ab auctore nostro parvula immutatione ita vocatur, fratrem fuisse Pithumni. Hic autem fertur, inquit idem Servius, usum invenisse agrorum stercorandorum, atque idcirco impositum illi Sterquilinii nomen. Primus quoque dicitur excogitasse « pinsendi frumenti » artem, ideoque a pistoribus coli. Adjecit tamen Servius utrumque Pithumnum et Pilumnum quibusdam eosdem censeri ac Castorem et Pollucem, ab aliis vero Laudum deos, quos etiam Varro conjugales deos esse suspicatur. In posteriores deinde poetæ versus, denuo Servius observat utrumque ab eodem Varrone dici infantium deos, eisque pro puerpera lectum sterni, dum exploretur, an utilis sit, qui natus est. Denique ille nos admonet quosdam opinari Pilumno nomen idcirco datum, quia mala infantiæ pellit : sed huic nomenclationi tam aperte refragatur, quam alteri libentius subscribit.

Ad Consum tandem Deum quod spectat, litteris a Plutarcho traditum legimus solemnes ludos, in quibus Sabinæ virgines raptæ sunt, indictos fuisse a Romulo, postquam invenisset defossam sub terra cujusdam dei aram, quem Consum vocabant. Eum autem esse putat sive consiliorum præsidem, a consilio, vel a consulibus sic cognominatum, sive Neptunum equestrem (Plutarch. *in Vita Romuli*, pag. 25). Et Livius quidem eosdem ludos, qui consualia appellantur, in Neptuni Equestris honorem a Romulo paratos declarat (Livius lib. I, § 9). Verumtamen Varro : « Consualia, inquit, dicta, a Conso, quod tum feriæ publicæ ei deo, et in circo ad aram ejus a sacerdotibus fiunt ludi illi, quibus virgines Sabinæ raptæ (Varr. *de Ling. lat.*, pag. 50). In animum tamen tuum non ita facile inducas magnam fuisse hos inter scriptores dissensionem. Testis siquidem nobis est Dionysius Halicarnasseus, quem Consum Romani vocabant, hunc a Græcis Ποσειδῶνα ἱππιάλχθονα, Neptunum terræ quassatorem nuncupari, eumque ipsum esse, in cujus honorem ludos supra memoratos Romulus instituit (Dionys. Halyc. lib. II *Antiquit. Rom.* pag. 100).

Magis autem Tertullianus eosdem scriptores his verbis inter se conciliat : « Exinde ludi Consualia dicti, qui initio Neptunum honorabant.... Consualia Romulo defendunt, quod ea Conso dicaverit deo, ut volunt, consilii, ejus scilicet, quo tunc Sabinarum virginum rapinam militibus suis in matrimonia excogitavit.... Et nunc ara Conso illi in circo defossa est ad primas metas sub terra, cum inscriptione hujus modi : Consus consilio, Mars Duello, Lares coillo potentes. Sacrificant apud eam Nonis Julii sacerdotes publici, 12 calend. septembres; flamen Quirinalis et virgines ( Tertul. lib. *De Spect.* cap. 5, pag. 92). » Lege adhuc, si lubeat, Arnobium lib. III adv. Gent. pag. 113; Hieronymum in Vita Hilarionis pag. 81; Augustinum lib. IV, de Civit. cap. 11, pag. 97; et Servium in lib. VIII. Æneid. Virgil. pag. 525.

Age vero, atque iterum prodeat Tertullianus, qui alios Romanorum deos a Minucio appellatos, Conso adjungit : « Sic, » inquit, « homo deum commentabitur, quomodo Romulus Consum, et Tatius Cloacinam, et Hostilius Pavorem » ( *Idem lib.* I *cont. Marcion. cap.* 18 ). Minucius siquidem dixit : « Cloacinam Tatius et invenit et coluit, Pavorem Hostilius, atque Pallorem : mox a nescio quo Febris dedicata. » Quæ quidem totidem verbis a Cypriano transcripta sunt ( *Cypr. lib. de Idolor. Vanit. pag.* 10 ). Horum autem ridiculorum numinum, atque etiam supradictorum Pici, et Tyberini, Varro ( *Varr. lib.* IV, *de Ling. lat. pag.* 18, *et seq.* ) apud Augustinum ( *lib.* IV *de Civit. cap.* 10, *pag.* 159 ) mentionem facit. At nominatim de Cloacina Lactantius : « Cloacinæ, » inquit, « simulacrum, in Cloaca maxima repertum, Tatius consecravit, et quia cujus esset effigies ignorabat, ex loco ille nomen imposuit » (*Lactant. lib.* I *de Fals. Relig. cap.* 20, *pag.* 104). Adi adhuc, si velis, Tertullianum loco proxime citato ( *Tertullian. loc cit. et lib. de Pall. cap.* 4), alioque in libro, et Augustinum ( *lib.* IV *de Civit. cap.* 8, *pag.* 93, *et cap.* 23, *pag.* 104 ), qui non solum de Cloacina, sed notatis insuper a Minucio nostro Pavore, Pallore, et Febre disputat.

Non desunt porro, qui existimant illam Cloacinam esse eamdem, quæ a Plinio Venus Cloacina his appellatur verbis : « Traditur myrtea verbena Romanos Sabinosque, cum propter raptas virgines dimicare voluissent, depositis armis purgatos in eo loco, quo nunc signa Veneris Cloacinæ habet. Cluere enim antiqui purgare dicebant ( *Plin. lib.* XV. *Natur. Hist. cap.* 29, *pag.* 212 ). Sed cum hæc Venus purgatrix fuerit, male cum ea, de qua agimus, Cloacina confundi videtur.

De aliis autem portentosis numinibus a Minucio et Lactantio ibidem memoratis, Pavore, Pallore, Febre et Morbo alibi disseruimus ( *Tom.* I *Apparat. lib.* III, *dissert.* I, *cap.* 9, *art.* 4, *pag.* 764 *et seq.* ), ostendimusque illa ab ethnicis in deorum Averrun-

Digitized by Google

corum, sive mali depulsorum grege non sine maxima insulsitate annumeratos.

Totum autem tam ridiculorum deorum agmen claudunt: « Acca Laurentia et Flora, meretrices, ut ait auctor noster, propudiosæ, inter morbos Romanorum et deos computandæ. » Quæ quidem ut intelligantur observandum est, aut memoria repetendum quod veteres tradiderunt Romulum et Remum adulterino Martis concubitu a Rhea Sylvia Vestali editos, atque, ut quidam aiunt, a lupa, aut sicuti alii verius narrant, a Laurentia educatos, quam, inquit Livius, vulgato corpore lupam inter pastores vocatam putaverunt (*Liv. Decad.* I, *lib.* 1, § 4). Quapropter publicum scortum a Tertulliano vocatur (*Tertullian. Apologet. cap.* 13, *pag.* 15). Sed id non prohibuit quominus in dearum aggregata fuerit numerum, atque in ejus honorem festum et sacra, quæ Laurentialia vocabantur, instituta sint. Horum omnium si testes produci postules, tibi præter Livium dabimus Dionysium Halicarnasseum lib. I Antiq. Roman. pag. 26, et 70; Plutarchum in Vita Romuli pag. 19, et Quæst. Roman. pag. 272; Ovidium lib. III Fastor. init.; Servium in lib. I Æneid. Virgil. v. 278, et seqq. et ipsum Virgilium lib. VIII Æneid. v. 630, et seqq.; Plinium lib. VIII, cap. 17, pag. 163; et lib. XV, cap. 18, pag. 197. Macrobium lib. I Saturn. cap. 10; A. Gellium, lib. VI Noct. Attic. cap. 7; Lactantium lib. II, cap. 20, pag. 101 et 102, sicuti suo loco ostendemus; Augustinum lib. XVIII de Civit. cap. 21, pag. 503; Aurelium Victorem seu Auctorem lib. de Orig. Gent. Rom. ante finem, et de Viris illustribus cap. 1.

Flora, inquit Minucius, altera fuit propudiosa meretrix, quæ teste apud Gellium, M. Catone, « palam corpore pecuniam » quæsivit (*Gell. lib.* IX. *Noct. Attic. cap.* 20, *pag.* 485). Turpissimo autem illo quæstu cum magnas, ait Lactantius, opes comparasset, earum hæredem populum Romanum ea conditione instituit, ut illarum reditu ipsa natalis dies sua quotannis ludorum, quos Florales, sive Floralia nuncupaverunt, editione celebraretur (*Lactant. lib.* I *Institut. cap.* 10, *pag.* 103). Sed quia temporis lapsu hæc ludorum origo turpissima, et infamis visa est, finxerunt illam esse deam, quæ floribus, velut ait Augustinus, florentibus frumentis præsidebat, ac mutato priori Chloridis nomine Floram appellaverunt (*August. lib.* IV *de Civit. cap.* 8, *pag.* 94). Meretriciæ vero illius artis memoriam cum penitus abolere non possent, commenti sunt eam non ab aliquo homine, sed a Zephyro deo fuisse constupratam. Quasi vero stuprum dei minus, quam hominis, probrosum dici queat? Ab Ovidio tamen hæc, non secus atque alia diis suis per quam dignissima decantantur:

Chloris eram, quæ Flora vocor, corrupta latino
Nominis est nostri littera græca sono.
Chloris eram Nymphe campi felicis, ubi audis
Rem fortunatis ante fuisse viris.
Quæ fuerit mihi forma, grave est narrare modestæ:
Sed generum matri repperit illa deum.
Ver erat: Errabam. Zephyrus conspexit: abibam:
Insequitur; fugio: fortior ille fuit.
(Ovid., l. V *Fastor. v.* 195, *et seqq.*)

Neque dubites famosam illam meretricem in dearum grege a Gentilibus annumeratam imploratamque ejus opem, ne fruges aliquando corrumperentur. Nam Varro hæc de se ipso litteris mandavit: « Quarto invoco Robigum, ac Floram, quibus propitiis, neque rubigo frumenta atque arbores corrumpit, neque non tempestive florent. Itaque publicæ Robigo feriæ Robigalia, Floræ ludi Floralia instituti » (*Varr lib.* I *de Re rustica, init.*). de quibus in sequenti dissertatione agendum. Denique Cornelius Tacitus memoriæ prodidit dedicatam a Tiberio Cæsare juxta circum maximum: « Floræ ædem, ab Lucio et Marco publicis ædilibus constitutam » (*Tacit. lib.* II, *post med.*).

Quis ergo, si quid sanæ mentis habeat, audita illa deorum ac dearum non ridicula prorsus et infami caterva, statim non fatebitur quam recte Minucius illorum enumerationem hac non ineleganti ironia concludat? « Isti scilicet adversus cæteros, qui in Gentibus colebantur, Romanum imperium protulerunt? » Sed age, et videamus quibus ille aliis rationum momentis hanc absurdam eorumdem Romanorum opinationem convellat et dissipet.

ARTICULUS IV.

*Quam falsum sit ob concessos Vestalibus et sacerdotibus honores, dataque privilegia, amplificatos a diis Romani imperii fines: quanta fuerint utrorumque incontinentia ac flagitia; atque in ipsis templis adulteria et sacrilegia.*

Non molliori brachio illud Minucius propulsat, quod venditatum a Cæcilio animadvertimus deos subsidio venisse Romanis, totiusque orbis terræ dedisse imperium ob concessos Vestalibus sacerdotibusque honores, dataque privilegia. Quo enim titulo, arguit Minucius, id Vestales aut sacerdotes meruerunt? Numquid apud illas major cæteris castitas, aut apud istos religio sanctior? Minime gentium. Plurimæ enimvero Vestales violatæ pudicitiæ dederunt pœnas, quas aliæ earum gregales non minus quidem, sed occultius impudicæ effugerunt.

Rhea siquidem Sylvia Vestalis, uti paulo ante observabamus, et scite Augustinus post alios memorat, turpi adulterio Remum atque Romulum edidisse ferebatur (*August. lib.* XVIII, *de Civit. cap.* 21, *pag.* 503). Quidni ergo et aliæ Vestales pravum illius exemplum impune se imitari posse crediderint? Suetonius vero narrat Domitianum incesta Vestalium, a patre suo et fratre neglecta varie, ac severe coercuisse, priora capitali supplicio, posteriora more veteri. « Nam cum Ocellatis, addit ille, sororibus, item Varonillæ liberum mortis permisisset arbitrium, corruptoresque earum relegasset, mox Corneliam virginem maximam, » id est, aliis Vestalibus præfectam, « absolutam olim, dehinc longo intervallo repetitam, atque convictam, defodi imperavit, strupratoresque virgis in comitio ad necem cædi » (*Sueton. lib.* VIII, *in Vita Domit.* § 8). Hinc Eusebius notat, Domi-

Digitized by Google

tiano imperante, « tres virgines Vestales ob stuprum damnatas » (*Euseb. Chron. ad ann.* 2099). De Cornelia autem Plinius ad Minucianum scribit: « Ad supplicium nescio an innocens, certe tamquam nocens ducta est » (*Plin. Epist. lib.* IV, *Epist.* 11). Sed de illius stupro, justaque condemnatione nullo plane modo Suetonius dubitavit. Tres alias Plutarchus Vestales memorat, videlicet Æmiliam, Liciniam, et Martiam, quæ incestus pœnas luisse perhibet, postquam nefariam cum viris consuetudinem jam diu habuissent » (*Plutarch. Quæst. Roman. pag.* 284). At Lipsium præterea, si vacat, adire poteris (*Lips. Synt. de Vesta et Vestal. cap.* III, *tom.* III, *pag.* 606).

Addamus, si lubet, Ambrosium, qui Symmacho, eodem modo atque Cæcilius, adversus Christianos, ac pro ethnicis argumentanti, respondet septem tantum suo tempore superfuisse Vestales, quarum « non est, » inquit, « virginitas, quæ pretio emitur, non virtutis studio possidetur » (*Ambros. Epist.* 18, *cont. Symmach pag.* 836).

Neque minorem asserit auctor noster fuisse ethnicorum sacerdotum, quam Vestalium impudicitiam: « Ubi enim, » inquit ille, « magis a sacerdotibus, quam inter aras et delubra conducuntur stupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur? Frequentius in ædituorum cellulis, quam in ipsis lupanaribus flagrans libido defungitur. » At expende, quæso, utrum ibi ad hæc non respexerit, quæ a Tertulliano dicta legimus: « In templis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipsis plerumque ædituorum et sacerdotum tabernaculis, sub iisdem vitiis, et apicibus, et purpuris thure flagrante, libidinem expungi » (*Tertull. Apolog. cap.* 15, *pag.* 16). Quapropter alio in libro ipsammet idololatriam ita loquentem induxit: « Ego quidem idololatria sæpissime mœchiæ occasionem subministro. Sciunt luci mei, et mei montes, et vivæ aquæ, ipsaque in urbibus templa, quantum evertendæ pudicitiæ procuremus » (*Tertull. lib. de Pudicit. cap.* 5, *pag.* 719). Quid, quod Phœnissæ mulieres, ut ait Athanasius, putabant vulgato ante idola corpore, deos fore sibi propitios (*Athanas. Orat. contr. Gent.* § 26, *pag.* 24). At de Tertulliano adhuc suo loco dicendum (*Dissert. in Tertull. Apologet. cap.* 24, *art.* 3).

Neque dixeris hæc fortasse a Christianis scriptoribus, implacabili ethnicorum odio ductis, aut gratis conficta, aut malitiose amplificata. Nam infinitis propemodum ipsorummet Gentilium testimoniis, quæ brevitatis causa omittimus, probari possunt. Quædam itaque huc retulisse sufficiat, ac primum quidem hæc Ovidii carmina:

Luminis exigui fuerat prope templa recessus,
Speluncæ similis, nativo pumice tectus,
Religione sacer priscâ, quo multa sacerdos
Lignea contulerat veterum simulacra deorum;
Hunc init, et vetito temerat sacraria probro.
(Ovid., l. x *Metamorp.*, § penult.)

Acrius vero Juvenalis in hæc turpissima flagitia, et sacrilegia, sicque invehitur:

Nuper enim, ut repeto, fanum Isidis, et Ganymedem,
Pacis et advecta secreta palatia Matris,
Et Cererem, nam quo non prostat femina templo?
Notior Aufidio mœchus celebrare solebas
Quod taceo, atque ipsos etiam inclinare maritos.
(Juvenal., *Satyr.* IX, *v.* 22 *et seqq.*)

Plura adhuc legere poteris in sexta illius Satyra, ubi præter alia bene multa dixit:

. . . . . Jamque expectatur in hortis
Aut apud Isiacæ potius sacraria lenæ.
(Idem, *Satyr.*, VI, *v.* 485.)

Neque poetæ tantum, sed alii etiam scriptores ethnici tantorum scelerum testes sunt certissimi. Nonne enim Cicero queritur Clodium esse « hominem illum, » qui pulvinaribus « Bonæ deæ stuprum intulerit, eaque sacra, quæ viri oculis, ne imprudentis quidem, aspici fas est, non solum aspectu virili, sed flagitio stuproque violarit? » (*Cicer. Orat.* 30, *de Aruspic. Respon. pag.* 429, *lin.* 34.) Nonne Suetonius hæc de Tiberio Imperatore litteris consignavit? « Fertur etiam in sacrificando quondam captus facie ministri, acerram præferentis, nequisse abstinere, quin pene vixdum re divina paracta, ibidem statim seductum constupraret, simulque fratrem ejus tibicinem: atque utrique mox, quod mutuo flagitium exprobrabant, crura fregisse » (*Sueton. lib.* III, *in Vita Tiber.* § 4). Dicendi finem certe non faceremus, si omnia describenda essent, quæ uterque et alii de his detestandis sceleribus sæpe sæpius tradiderunt.

At si ea omnia ab ipsismet sacerdotibus, uti ab illo, de quo infra disserendum, qui Herculis personam agebat, non perpetrabantur, ii certe plerique omnes illorum conscii erant. Vide ergo quam falso et impudenter ethnici venditarent propter concessos his sacerdotibus ac Vestalibus honores, dataque privilegia, Romanos totius terrarum orbis adeptos esse imperium.

### ARTICULUS V.

*Quomodo Minucius ostendat Romanorum imperium pietate in deos nec fundatum nec auctum, quia Assyrii, Medi, Persæ, Græci, Ægyptii regnaverunt ante illos, et ante eorum Pontifices, Arvales, Salios, Vestales, atque Augures.*

Pergit Minucius, alioque non minoris ponderis argumento ea omnia refellit, quæ Cæcilius ac gentiles Romani de tradito sibi propter summam in deos suos pietatem totius mundi imperio stulte jactitabant. Non hi enimvero dii, quos falsos esse ostendimus, aut regna suis cultoribus dederunt, aut propagaverunt eorum fines: sed hæc solus verus omnipotensque Deus quibus, ac quando vult, largitur. Neque id probatu difficile est. Nam quemadmodum recte arguit Minucius, omnesque noverunt: « Ante illos, Romanos, Deo dispensante, diu regna tenuerunt Assyrii, Medi, Persæ, Græci etiam, et Ægyptii, cum Pontifices, et Arvales, et Salios, et Vestales, et Augures non haberent. » Prius vero dixerat Tertullianus regna ab illo summo Deo dispensari, nec sua Romanos a fictitiis diis suis accepisse. Etenim « regnarunt Baby-

Digitized by Google

lonii,» inquit, «ante Pontifices, et Medi ante Quindecim viros, et Ægyptii ante Salios, et Assyrii ante Lupercos, et Amazones ante virgines Vestales» (*Tertullian. Apologet. cap.* 26, *pag.* 28; *et lib.* II, *ad Nation. cap.* 17, *pag.* 79).

Paulo tamen aliter Cyprianus: «Regna,» inquit, «non merito accidunt, sed sorte variantur. Cæterum imperium ante Romanos, tenuerunt et Assyrii, et Medi, et Persæ; et Græcos, et Ægyptios regnasse cognovimus. Ita vicibus potestatum Romanis quoque, ut cæteris, imperandi tempus obvenit» (*Cyprian. de Idolor. van. pag.* 13), id est, regna inconstantiam et vicissitudinem rerum humanarum sortita sunt, ac sicut principium, ita finem habuerunt. Romanum autem imperium longo post plura alia tempore cœpit, atque bellis, ut diximus, impietate, sceleribus, sacrilegiis fundatum ac propagatum est. At hæc Deus omnipotens et æquissimus justissimis de causis permittit, atque illo permittente, quibus, et quando vult, regna omnia dispensantur.

Cum nullus autem ne minimus quidem dubitandi locus sit, quin Assyrii, aliæque a scriptoribus nostris nominatæ gentes, ante Romanos regna sua habuerint, certum esse debet nec imperium Romanorum, nec aliorum populorum regna ab ipsorum diis donata unquam fuisse. Ut quid enim ea dedissent, quæ postmodum ablata sunt, aut in quæ Romani, et alii non sine summa impietate, maximoque deorum contemptu invaserunt? Plura si quis adhuc desideret, is adeat Ambrosium, et Prudentium, qui funditus evertunt eamdem Romanorum argumentationem, a Symmacho gentili absurde repetitam. Videsis etiam Augustinum, qui hæc fusius prosequitur, et insulsam eorumdem ethnicorum jactationem opprimit ac profligat (*Ambros. Epist.* 18, *pag.* 834, *et seqq. Prudent. lib.* II, *cont. Symmach.* § 4. *Aug. lib.* III, *de Civ. cap.* 8, 9 *et seqq*; *et lib.* IV, *cap.* 3 *et seqq.*).

Sed a nobis aliquis haud dubie sciscitabitur, qui sint illi Arvales et Salii, quorum mentionem Minucius noster fecit. Quamobrem huic respondebimus his totidemque Plinii verbis: «Arvorum sacerdotes Romulus in primis instituit, seque duodecimum fratrem appellavit inter illos, ab Acca Laurentia nutrice sua genitos, spicea corona, quæ vitta alba colligaretur, in sacerdotio eis pro religiosissimo insigni data, quæ prima apud Romanos corona fuit» (*Plin. lib.* XVIII *Hist. Nat. cap.* 2, *pag.* 433). Alium testem si postules, cito aderit Sabinus Massurius, cujus verba ab A. Gellio sic transcripta sunt: «Ea mulier ex duodecim filiis maribus unum morte amisit. In illius locum Romulus Accæ Laurentiæ sese filium dedit, seque et cæteros ejus filios fratres Arvales appellavit. Eo tempore collegium mansit fratrum Arvalium numero duodecim, cujus sacerdotii insigne est spicea corona, et albæ infulæ» (*Gell. lib.* I *Noct. Attic. cap.* 7, *pag.* 377). Varro autem illos Arvales fratres nuncupatos esse dixit, quia publica sacra faciebant, ut arva ferrent fruges, atque idcirco mactatæ ab illis hostiæ Ambarvales, ut ait Festus, appellabantur» (*Var. lib.* IV *de Ling. lat. pag.* 21. *Fest. cap.* 20 *de Verb. Signific. et in Fragm.*).

Qui autem fuerint Salii, docebit te Livius, ubi de Numa Pompilio hæc scripto tradidit: «Salios duodecim Marti Gradivo legit, tunicæque pictæ insigne dedit, et super tunicam æneum pectori tegumen, cœlestiaque arma, quæ ancilia appellantur, ferre, ac per urbem ire, canentes carmina cum tripudiis solemnique saltatu jussit» (*Liv. lib.* I, § 20). At longe plura de iis Servius, atque inter Græcos Plutarchus, et Dionysius Halicarnasseus, atque alii, quos adire cuilibet promptum est. Nobis vero alia postmodum occurret de his adhuc disserendi occasio (*Serv. in lib.* VII *Æneid. pag* 503. *Plutarch. in Vit. Numæ. pag.* 66. *Dionys. Halicar. lib.* II, *pag.* 29).

Ab iisdem porro scriptoribus litteris mandatum est, quomodo idem Numa Pompilius Pontifices et Vestales instituerit, ac quales fuerint, quemadmodum Augures, qui cibo, ut ait Cicero, pullorum ore aut sumpto, aut rejecto, vel in terram cadente, se futura præsagire ac prænuntiare mentiebantur. Sed id a nobis in sequenti capite enodatius explicandum est (*Cic. lib.* II *de Divinit. pag.* 289).

Satis autem inter omnes constat hanc fuisse primam illorum sacerdotum pontificumque Romanorum, ac proinde eorum religionis, et publici deorum cultus institutionem. At Minucius recte hinc concludit falsum esse Romanos sua in hosce deos pietate meruisse totius mundi imperium. Nam antequam eos colerent, regnabant Assyrii, aliæque gentes, superius nominatæ, quæ suos pariter deos venerabantur, et illorum cultui sacerdotes præfecerant. Atqui isti ab his diis suis regna non acceperunt, quibus eos adhuc colentibus ademptum est. Ergo nec Romani eorum sive suorum, sive alienorum favore, vel auxilio adepti sunt imperium, quod summis sceleribus fundatum ac propagatum ostendimus. Sed de his adhuc alia in dissertatione agendum nobis erit.

## CAPUT XIX.

EXPENDUNTUR ARGUMENTA, QUIBUS CÆCILIUS EX MIRACULIS, ORACULIS, AUSPICIIS, AUGURIIS, SOMNIIS, ATQUE ALIIS PRÆDICTIONIBUS DEOS EXSISTERE PROBARI POSSE ARBITRATUS EST.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Utrum Cæcilius deos exsistere probaverit ex miraculis Claudiæ Quintiæ, quæ navim, qua Idææ matris simulacrum vehebatur, solo suo cingulo traxisse ferebatur: Castoris et Pollucis, qui a Romanis reportatam de Perse rege victoriam annuntiarunt; Latinii somnio, quo ludi instaurati; Deciorum devotione, qua hostes fusi et victi; ac simili Curtii devotione, qua hiatus terræ mirabiliter completus narratur.*

Omnium argumentorum, quibus ethnici deos suos revera exsistere probandum susceperant, illud profecto videtur præcipuum, quod ex eorum miraculis, oraculis, auspiciis, auguriis, aliisque hujusmodi

Digitized by Google

prædictionibus elicere conabantur. Nemo enim jure umquam merito negabit hanc argumentationem, si veritate niteretur, et ea omnia, quæ ethnici venditare solebant, si creaturæ vires superassent, maximi esse ponderis ac momenti. Quamobrem illa sedulo et more nostro ita examinanda sunt, ut nihil quidquam ex iis dissimuletur, quæ vel gentilis Cæcilius profert, vel respondet christianus Octavius, ac singula, quoad fieri poterit, et augeantur, et majori perfundantur lumine.

Cum Cæcilio itaque a miraculis incipiamus. Quo majori, inquiebat, miraculo deos exsistere, et suis opem ferre probari potest, quam eo, quo Mater Idæa « adventu suo et probavit matronæ castitatem, et Urbem metu hostili liberavit? » Paucis his verbis, quæ nonnullis obscura esse possunt, designat celebre apud ethnicos scriptores Claudiæ Quintiæ factum. Narrant enimvero lapidem Idææ, seu deorum matris, hoc est, Cybeles, seu Cereris simulacrum Pessinunte Romam, ut Annibal Punico bello ex Italia pelleretur, quodam vate suadente, advectum. Ad ostia autem Tiberina cum navis, qua simulacrum ferebatur, appulisset, ita immotum permansit, ut nulla hominum vi potuerit loco suo dimoveri. Tum vero Claudia, cui hactenus dubia pudicitiæ fama fuerat, eam evidentissime probavit, cum post fusas ad deam, ut aiebant, preces simulacrum illius cum ipsa navi sola, suoque tantum cingulo, quo Romani volebant, in terram deduxit. Et hæc quidem posteris mandaverunt Livius, Ovidius, ac paulo obscurius Cicero; atque etiam Christiani scriptores, Arnobius, Lactantius, Augustinus et alii (*Liv. Decad.* 3, *lib.* IX, *post initium. Ovid. lib.* IV *Fast.* § 3. *Cicer. Orat.* 30, *pro Arusp. Respon. pag.* 438. *Tertullian. Apologet. cap.* 22. *Arnob. lib.* VII *adv. Gent. pag.* 253, *et seqq. Lactant. lib.* II, *cap.* 7. *Aug. lib.* II *de Civit. cap.* 7; *lib.* III, *cap.* 12; *et lib.* X, *cap.* 16).

Sed Arnobius respondet hoc si verum sit, Romanos frustra credidisse hujus simulacri, seu Pessinuntii lapidis, in quo nullam inerat numen, opera vel auxilio partam, uti venditabant ethnici, victoriam, decus Urbis restitutum, ac porrectos imperii Romani fines. Nam postea cæsis profligatisque tot tantisque Romanorum exercitibus, illa sane eximia deum mater maximos belli impetus nec fregit, nec repulit. Jam vero a nobis observatum est simili modo Minucium dixisse tutelares urbium et gentium deos nullam ipsis, aut Romanis adversus hostes suos opem tulisse. Nunc autem respondet hæc non vera, sed falsa esse miracula, utpote quæ non virtute aliqua divina, sed dæmonum artibus, potentia et præstigiis facta fuerint. Quod ab illo, ut paulo post ostendemus, copiose ac perspicue demonstratur.

Eadem quoque responsione id ab ipso exploditur, quod Cæcilius deinde sic objicit: « Testes Equestrium fratrum in lacu, sicut ostenderant, statuæ consecratæ, qui anheli, spumantibus equis atque fumantibus, de Perse victoriam ea die, qua fecerant nuntiaverunt. » Equestres autem fratres appellat Castorem et Pollucem, quos alii Tyndaridas vocant (*Cicer. lib.* II *de Natur. pag.* 214; *et Tuscul.* I, *pag.* 119, *lin.* 36). Audacter vero asseverat facta ab illis duo miracula, ac primo quidem eorum præsidio Persem regem a Romanis victum et captum; atque victoriam Romæ ipso die, quo reportata fuerat, senatui nuntiatam; denique in tanti miraculi memoriam erectas eorum statuas. Eadem narrant Valerius Maximus (*Valer. Max. lib.* I, *cap.* 8, § 1, *pag.* 62, *et seqq.*), Florus (*Florus lib.* I, *cap.* 11), Ammianus Marcellinus (*Marcell. lib.* XXVIII, *cap.* 4, *pag.* 528), Dionysius Halicarnasseus (*Dionys. Halic. lib.* VI, *Antiq. Rom. pag* 350), Plutarchus (*Plutarch. in Vit. Coriolan. pag.* 215), et alii plures. Verum ex illis aliqui illud nobis tradidere non tamquam omnino certum, sed rumore publico venditatum. Quin immo Cicero duos personatos homines induxit, Balbum Stoicum, qui hoc exemplo probare conatur deorum suorum præsentiam, deinde vero Cottam Academicum, hæc ad aniles fabulas rejicientem (*Cicer. lib.* II *de Natur. Deor. pag.* 214, *lin.* 28; *et lib.* III, *pag.* 241, *lin.* 30).

Aliud Cæcilius urget miraculum: « Testis ludorum, » inquit, « offensi Jovis, de somnio plebeii hominis iteratio. » Si cui vero hæc quo breviora, eo obscuriora videantur, explicata inveniet hisce Ciceronis verbis: « Cum bello latino ludi votivi maximi primum fierent, civitas repente ad arma est excitata. Itaque ludis intermissis, instaurativi constituti sunt. Qui antequam fierent, cumque jam populus consedisset, servus per circum cum virgis cæderetur, furcam ferens, ductus est. Exin cuidam rustico Romano dormienti visus est venire, qui diceret præsultorem sibi non placuisse ludis, idque ab eo jussum esse eum senatui nuntiare, illum autem non ausum; iterum esse idem jussum, et monitum, ne vim suam experiri vellet, ne tum quidem esse ausum; exin filium ejus esse mortuum; eamdem in somniis admonitionem fuisse tertiam: tum illum etiam debilem factum, rem ad amicos detulisse, quorum de sententia lecticula in curiam esse delatum, cumque senatui somnium enarravisset, pedibus suis domum revertisse. Itaque somnio comprobato a senatu, ludos illos iterum instauratos memoriæ proditum est » (*Cic. lib.* I *de Divin. pag.* 264, *lin.* 49).

Rem adhuc paulo uberius describit Livius (*Liv. lib.* II, *cap.* 36), et quem Orator, et Arnobius (*Arnob. lib.* VII, *adv. Gent. pag.* 244, *et seqq.*) rusticum dumtaxat vocant, ab illo, atque ab Augustino *T. Latinius* (*August. lib.* IV, *de Civit. cap.* 26, *pag.* 207) in quadam hujus editione *Tib. Atinius*, plebeius homo, qui a Dionysio Halicarnassæo (*Dionys. Halic. lib.* VII *Antiq. Rom. pag.* 472), et Plutarcho, Τίτος Λατίνιος (*Plutarch. in Vita Coriolan. tom.* I, *pag.* 225), satis dives, a Valerio autem Maximo (*Valer. Max. lib.* I, *cap.* 7, § 4), nisi in ejus editis ac manuscriptis erratum sit, *Ti. Atinius*, et a Lactantio *Tib. Atinius* (*Lactant. lib.* II, *cap.* 7, *pag.* 176), a Macrobio (*Macrob. lib.* I *Saturnal. cap.* 11), qui id anno

Digitized by Google

ab urbe condita 473 contigisse scribit, *Annius* appellatur.

Verum citati a nobis Lactantius et Augustinus, quemadmodum Minucius, contendunt, hæc dæmonum dolis ac præstigiis esse tribuenda : « De ipsis, » inquit Minucius, « illa quæ paulo ante dicta sunt, ut Jupiter ludos repeteret ex somnio, ut cum equis Castores viderentur, ut cingulum matronæ navicula sequeretur. Hæc omnia sciunt plerique pars vestrum ipsos dæmones de se ipsis confiteri, quoties a nobis tormentis verborum, et orationis incendiis de corporibus exiguntur. » Quæ quidem infra explicabimus clarius, et quam vera sint, demonstrabimus.

Quid deinde Cæcilius : « Et Deciorum, » inquit, « devotio rata. » His ille, nec pluribus verbis innuit Decios patrem et filium, quibus aliqui nepotem adjungunt, postquam se pro Romanis excercitibus devovissent, armatos irruisse medios in hostes, ac desperatam gloriosa morte victoriam fuisse consecutos. Atque hæc varii scriptores, ac in primis Cicero, Valerius Maximus, Florus, Plinius, et Livius narraverunt.

Verum Balbo Stoico hæc apud Ciceronem objicienti, Cotta tamquam cæteris omnibus ethnicis, adversus Christianos postea pugnaturis, obviam ire voluisset, his respondit verbis : « Tu autem Deciorum devotionibus placatos esse deos censes. Quæ fuit eorum tanta iniquitas ut placari populo Romano non possent, nisi viri tales occidissent? Consilium illud Imperatorum fuit, qui patriæ consulerent, vitæ non parcerent. Rebantur enim fore ut exercitus Imperatorem, equo incitato se in hostes immittentem persequerentur. Id quod evenit (Cicer. lib. II *de Finib.*, pag. 61 ; lib. I *Tuscul*, pag. 130; lib. III, pag. 146; *de Senect.*, pag. 416; *Parad.* 2, pag. 434. Valer. Max. lib. V, cap. 6, § 5 et 6. Florus lib. II, cap. 14 et 17. Plin. lib. XXII, *Hist. natur.*, pag. 180; cap. 2, pag. 557. Liv. Decad. I, lib. XVIII, pag. 121. Cic. lib. II *de Natur. Deor.*, pag. 215; et lib. III, pag. 242). » Tantum igitur abest, ut in hac victoria quidpiam miraculi, aut deorum præsentium auxilii fuisse putaverit; quin potius maximam illorum, si id fecissent, iniquitatem haud immerito coarguat. Docet itaque hanc Deciorum devotionem nihil aliud fuisse nisi Imperatorum στρατήγημα, consuetasque artes et dolos, quibus hostes fuderunt, ac de iis reportarunt victoriam. Cui quidem Cottæ, seu malis, Ciceronis sententiæ Zonaras subscripsisse visus est (Zonar. lib. VII *Annal.* §. 26, pag. 363).

Postremo addit Cæcilius : « Testis et Curtius, qui equitis sui vel mole, vel honore hiatum profundæ voraginis coæquavit. » Quidam putant ibi duplex esse librarii mendum, ac pro « equitis..... honore, » scribendum « equi..... onere. » Sed nequicquam. Etenim scribit Livius Curtium « equo quam maxime poterat ornato insedisse. » Observat autem Servius « equitem, » aliquando apud Virgilium idem atque equum significare (Liv. *Decad.* I, lib. VII, pag. 106. Virgil. lib. III *Georg.* v. 116).

Apud eumdem porro Livium legimus, cum repentinus medio in urbis foro hiatus terræ expleri a nemine potuisset, M. Curtium, bellicosum juvenem, sese diis devovisse, atque armatum, equo conscenso, eam in specum se dedisse præcipitem, ac continuo, ut loquitur Valerius Maximus (Valer. Max., lib. V, cap. 6, §. 2), terram injectis honoris gratia frugibus, pristinum recuperasse habitum. Quod Livio quemadmodum Cæcilio non mediocre prodigium videbatur. Sed Varro (Varr., lib. IV *de Ling. lat.*, pag. 36 et seqq.) triplicem ea de re historiam a Procilio, Pisone, et Ælio Stilone, diversa narrantibus, proditam perhibet. Quid vero, quod Zonaras (Zonar., lib. VII *Annal.*, §. 25, pag. 360) iis se minime refragaturum esse profitetur, qui hæc a fide veri aliena existimabunt. Orosius vero quoscumque sive deos, sive homines corripit, qui terræ hiatum, nisi vivus homo sorbeatur, compleri non posse opinati sunt (Oros., lib. III *Hist.*, cap. 5). Denique ne Hieronymum omnino prætereamus, observare juvat eum aperte docuisse his Curtii, Deciorum, aliorumque similium factis, quamvis vera esse probentur, fidem Christianorum non modo non minui, sed iis fieri certiorem : « Si historiis, » inquit, « gentilium credimus, quod Codrus, et Curtius, et Decii mures pestilentias urbium, et fames, et bella suis mortibus represserint, quanto magis hoc Dei filio possibile credendum est, quod cruore suo non urbem unam, sed totum purgaret orbem » (Hieronym. in cap. I Epist. *ad Ephes.* v. 7). Plura de his insolitis effectibus, quæ miracula ethnicis videbantur, disputat Augustinus, quem facile adire poteris (August. lib. X *de Civ.*, pag. 252; et lib. XXI, cap. 6 et seqq., pag. 624 et seqq).

Cæterum ea omnia Christianis objecta a Cæcilio aliisve gentilibus exempla, sive argumenta, jam Minucius invictissimis illis rationibus funditus subverterat, quibus unum tantummodo Deum, nec plures esse demonstravit. Verum hac responsione non contentus, palam cuilibet facit ea omnia, ut paulo ante diximus, ac sequenti capite ostendemus, facta fuisse dæmonum fraudulentis artibus et præstigiis.

### ARTICULUS II.

*Deorum præsentiam a Cæcilio non probari oraculis, vatumque responsis, quibus Minucius opponit Amphiarai, Tiresiæ, Apollinis Pythii exempla, atque oraculorum Amphibologiam, et defectum.*

Tametsi ad probandam deorum præsentiam non infimi momenti sint oracula, quibus res futuræ modo aliquo rerum creatarum vim superante prænuntiantur; Cæcilius nihilominus : « Prædicta, » inquit, « de oraculis fata transilio. » Rationem autem continenter reddit, cur tanti ponderis argumentum prætermittat : « Ne vobis, » ait ille, « antiquitas nimium fabulosa videatur : et recte quidem. Nam quanto validius ex veris sacrisque Prophetarum nostrorum oraculis, quæ effectum suum sortita sunt, ad asserendam christianæ religionis veritatem argumentum, ut alibi videbimus, eruitur, tanto levius et debilius est, si oracula fabu-

Digitized by Google

losa, dubia, et amphibologiæ plena sint. At talia fuisse ethnicorum oracula sic eventus probavit, ut id Cæcilius non potuerit inficiari.

Ad aliud itaque confugit propugnaculum, unde contra Christianorum impetus deos suos, eorumque superstitiosos cultus felicius se defensurum arbitratur. Urget ergo responsa, quæ vates in templis reddere solebant. Contendit enim illos in iisdem suis templis, ubi deos habitare opinabantur, divino eorum afflatu ac numine plenos futura prædixisse, ac dedisse cautelam periculis, morbis medelam, spem afflictis, et aliis solatium aut levamen. Verum quomodo dii illi hæc præstare potuissent, quos Minucius plane fictitios, nullosque esse perquam evidentissime demonstraverat?

Ne tamen petitam ex vaticiniis, illorum uti putabant ethnici, afflatu editis, argumentationem, quamvis jam eversam, declinari Cæcilius causaretur, plura idcirco atque celebriora vatum responsa singillatim confutat, ac Christianis perperam objici ostendit : « Quæ vero, et quanta de oraculis prosequar? Post mortem Amphiaraus ventura respondit, qui proditum iri se ob monile ab uxore nescivit. » Eriphylæ nomen huic fuit Amphiarai uxori, de qua Cicero : « Eriphylam accepimus in fabulis ea cupiditate, ut cum vidisset monile, ut opinor, ex auro et gemmis, » a Polynice oblatum, « pulchritudine ejus incensa, salutem viri proderet » (Cicer. lib. IX, *in Verrem.*, pag. 167, lin. 3). Sed de Amphiarao jam disputavimus (Tom. I *Apparat.* lib. III, dissert. 2, cap. 20, art. 2, pag. 1117). Citatis porro ibi scriptoribus adjungemus Hieronymum, qui Ciceronis, Minuciique nostri sententiam sic comprobat : « Eriphyle dicitur prodidisse Amphiaraum, et saluti viri monile aureum prætulisse » (Hieronym., lib. I *adv. Jovinian.* circ. fin.). Vide adhuc, si lubeat, in Odyss. Homeri lib. XI, v. 325 scholia; et in Virgilii lib. VI Æneid. v. 44 Servii annotationes.

Deinde vero « Tiresias, » ait auctor noster, « cæcus futura videbat, qui præsentia non videbat. » Prius autem Cicero, ex quo sua ille videtur delibasse, diserte affirmat : « Augurem Tiresiam, quem sapientem fingunt poetæ, numquam inducunt deplorantem cæcitatem suam » (Cic. lib. V *Tuscul.*, pag. 194, lin. 17). Poetarum autem nomine si græcos comprehendit, Homerum eorum principem haud dubie designat, qui Tiresiæ cæcitatem Odyss. X, v. 492 cecinit. Hujus in commentario duæ illius cæcitatis causæ proferuntur. Tertiam Ovidius suppeditat, quia cum sententiam de mulieris virique voluptate contra Junonis opinionem tulisset, ab ea excæcatus dicitur (Ovid. lib. III *Metamorp.*, § 4, pag. 106 et seqq.). Quartam alii, quod lavantem Minervam vidisset. De illo alibi disseruimus (Tom. I *Apparat.* lib. III, dissert. 2, cap. 20, art. 4, p. 1186). At hinc certe intelliges quo jure Minucius noster illum irrideat, qui gloriabatur futura prævidere, qui præsentia non videbat.

Magis serium, nec minus verum illud est, quod continenter adjecit : De Pyrrho « Ennius Apollinis Pythii responsa confinxit, cum jam Apollo versus facere desisset. » Quæ procul dubio desumpta sunt ex his Ciceronis verbis : « Herodotum an veraciorem ducam Ennio? Num minus ille potuit de Cræso, quam de Pyrrho fingere Ennius? Quis enim est, qui credat Apollinis ex oraculo hoc esse responsum :

Aio te, Æacida, Romanos vincere posse.

Primum latine numquam Apollo locutus est. Deinde ista sors inaudita Græcis est. Præterea Pyrrhi temporibus jam Apollo versus facere desierat. Postremo, quamquam semper fuit, ut apud Ennium est, stolidum Æacidarum genus..... tamen hanc amphibologiam versus intelligere potuisset, vincere te Romanos, nihilo magis in se, quam in Romanos valere.... Sed quod caput est, cur isto modo jam oracula Delphis non edantur, non modo nostra ætate, sed jam diu; jam ut nihil possit esse contemptius » (Cicer. lib. II *de Divin.*, pag. 296, lin. 21).

Intelligis sane quantum deducta ex ethnicorum oraculis in illorum religionis gratiam argumentatio ab ipsomet Cicerone infirmetur. Et certe præter rationes ab eo allatas, solus ille oraculorum ante et multo magis post Oratoris ætatem defectus, atque eorum amphibologia, manifeste demonstrat nihil ex illis in ethnicorum religionis gratiam posse confici. Recte igitur inde contra Cæcilium aliosque ethnicos non solum Minucius, sed alii etiam antiquissimi nostri scriptores argumentati sunt, uti alibi patefecimus. Consule adhuc, si lubet, atque attente, si vacat, lege quæ Eusebius de oraculis, eorumque amphibologia ex ipsismet ethnicis scriptoribus retulit (Tom. I *Apparat.*, pag. 770. Euseb. lib. V *Præpar. Evang.*, cap. 18, 19 et pag. 208 et seqq. lib VI, cap. 1, pag. 256 et seqq.).

Unum his adjicere nobis liceat, ex eodem adhuc Cicerone decerpta fuisse, quæ continuo dixit Minucius : Demosthenes quod sciret responsa simulata, φιλιππίζειν Pythiam querebatur. » Apud latinum enimvero Oratorem litteris mandatum legimus : « Demosthenes quidem, qui ab hinc annos prope CCC fuit, jam tum φιλιππίζειν Pythiam dicebat, id est, quasi cum Philippo facere. Hoc autem eo spectabat, ut eam a Philippo corruptam diceret (Cicer. lib. II *de Divin.*, pag. 296, lin. 38). Quid autem ad explicandam auctoris nostri mentem clarius, et ad refellendos Gentiles validius proferri potest?

### ARTICULUS III.

*Proponitur Cæcilii argumentum, quo probare nititur ob auspicia et auguria a Sulpitio, Claudio, Junio, Flaminio et Crasso contempta, Romanorum exercitus, diis vindicantibus, atque adeo exsistentibus, cæsos, ac profligatos.*

Instat adhuc Cæcilius, et argumento ex auspiciis et auguriis deducto, deos reapse exsistere evidenter probari posse opinatus, illud variis exemplis firmare ac stabilire molitur : « Frequentius » etenim, quemadmodum ille loquitur, « quam volebamus, deorum præsentiam contempta auspicia contestata sunt. Sic

Digitized by Google

Allia nomen infaustum. » Celeberrimam ibi notat Alliensem cladem, qua Romanus exercitus, cui Sulpitius tribunus militum præpositus fuerat, ad Alliam flumen, et lapidem undecimum, a Gallis, Brenno duce, cæsus fususque, et Urbs ab iis capta est. Quamobrem diem illum, de quo tamen non una scriptorum omnium est sententia, inter infaustos, atros, nefastosque deinceps habuerunt. Et certe Cicero ad Atticum scripsit : « Majores nostri funestiorem diem esse voluerunt Alliensis pugnæ, quam Urbis captæ; quia hoc malum ex alio. » Plura qui desiderabit, adeat Livium Decade 1, lib. v, pag. 85 et seq.; et lib. vi, init. pag. 92. Cornelium Tacitum lib. xv Annal. pag. 193, et lib. ii Hist., cap. 230. Gellium lib. v, cap. 17. Macrobium lib. i Saturnal. cap. 17. Plutarchum tom. ii in Vita Camilli pag. 137 et tom. ii Quæst. Rom. pag. 269.

Alia deinde funesta spretorum auspiciorum, atque auguriorum exempla proponit urgetque Cæcilius : « Claudii et Junii non prælium in Pœnos, sed ferale naufragium est : et ut Thrasymenus Romanorum sanguine major esset, et decolor, sprevit auguria Flaminius. » Quæ quidem omnia Cicero paulo explicatius ac dilucidius, ubi Balbum Stoicum eodem, ac Cæcilius, modo pro diis suis disputantem introducit : « Nihil nos P. Claudii, bello Punico primo, temeritas movebit, qui etiam per jocum deos irridens, cum cavea liberati pulli non pascerentur, mergi eos in aquam jussit, ut biberent quoniam esse nollent. Qui risus, classe devicta, multas ipsi lacrymas, magnam populo Romano cladem attulit. Quid collega ejus Junius eodem bello? Nonne tempestate classem amisit, cum auspiciis non paruisset? Itaque P. Claudius a populo condemnatus est; Junius necem ipse sibi conscivit. C. Flaminium Cæcilius, religione neglecta, cecidisse apud Thrasymenum scribit, cum magno reipublicæ vulnere. Quorum exitio intelligi potest eorum imperiis Rempublicam amplificatam, qui religionibus paruissent » (Cicer. lib. ii *de Nat. deor.* pag. 214, lin. 43). Numquid vero auditis his Tullii verbis, quibus omnia a Cæcilio dicta simul continentur, ei prorsus refragaberis, qui ad illa eumdem Cæcilium respexisse suspicabitur? Quod si tamen persuasum habeas eum ad alia spectasse ejusdem Ciceronis loca, ubi rursus de tribus illis ducibus, sed brevius retulit, vel ubi seorsum de Junio et Claudio, et alibi de Flaminio eadem copiosus narravit, tibi non omnino repugnabimus (Idem, lib. ii *de Divinat.*, pag. 281 et 289, ac lib. i, pag. 268). De illis autem agunt quoque Valerius Maximus, quemadmodum de Flaminio Livius, Plutarchus, Florus, atque in primis Ovidius, qui hanc in rem expresse cecinit :

Sint tibi Flaminius Thrasymenaque littora testes,
Per volucres æquos multa monere deos.
(Ovid., l. vi *Fast.* p. 685.)

Sed de hac historia adhuc in sequenti dissertatione, aliquid nobis dicendum.

Postremo Cæcilius : « Et ut Parthos signa repetamus, dirarum imprecationes Crassus et meruit et irrisit. » Quis horum verborum sensus sit, ut percipiatur, observandum est quod Suetonius in Vita Octavii Augusti tradidit : « Parthi, » inquit, « Armeniam vindicanti facile cesserunt, et signa militaria, quæ M. Crasso, et M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt » (Suet. *in Vita Octavia. Aug.* §. 21). Ex his quippe verbis colligi potest hunc esse auctoris nostri sensum : Et ut a Parthis signa militaria Augustus reposceret, ea Crassus, spretis dirarum imprecationibus, amiserat. Inde Cicero paucioribus verbis idem memoriæ mandaverat : « M. Crasso quid acciderit videmus, dirarum obnuntiatione neglecta » (Cic. lib. ii *de Divin.*, pag. 260, lin. 26). Sed fusius totam hanc historiam descripserunt Plutarchus in Vita Crassi tom. i, pag. 552 et seqq. Dion Cassius lib. xxxix Histor. Rom., pag. 121 et seqq. Florus lib. iv de Gestis Rom., cap. 11. Eutropius lib. vi Histor. Rom., ante finem. Velleius Paterculus lib. ii Hist. ante medium, atque alii quibus adjungendus est Valerius Maximus, qui eam sicuti Cæcilius his verbis absolvit : « Sic dii spreti excandescunt, sic humana consilia castigantur ubi se cœlestibus præferunt » (*Val. Max. lib.* i, *c.* § 11).

ARTICULUS IV.

*Quomodo Minucius superius Cæcilii argumentum aliis Reguli, Mancini, Pauli, ac Julii Cæsaris exemplis, funditus evertat, ubi de solistimo tripudio.*

Superius Cæcilii argumentum priusquam solvat Minucius, illud sic repetit : « Claudius et Flaminius, et Junius ideo exercitus perdiderunt, quod pullorum solistimum tripudium exspectandum non putaverunt. » Quid sit autem solistimum tripudium ex Ciceronе, qui illud divinandi genus repudiat, discere quivis poterit. Sic autem Orator : « Attulit in cavea pullos is, qui ex eo ipso nominatur pullarius. Hæ sunt igitur aves interpretiæ Jovis, quæ pascantur necne quid refert? Nihil ad auspicia. Sed quia cum pascuntur necesse est aliquid ex ore cadere, et terram pavire, terripavium primo, post terripudium dictum est; hoc quidem jam tripudium dicitur. Cum igitur offa jam cadit ex ore pulli, tum auspicanti tripudium solistimum nuntiavit » (Cicer. lib. ii *de Divin.*, pag. 289, lin. 33). Frustra igitur quidam in auctoris nostri textu, *solemnissimum* pro *solistimum*, corrigi voluerunt. Nam hoc nomine proprie illud significabant, quod ex ore pulli in solidum cadebat. Neque ibi tantum, sed prius Cicero dixerat : « Nostri quidem magistratus auspiciis utuntur coactis; necesse enim est, offa objecta, cadere frustum ex pulli ore, cum pascitur. Quod autem scriptum habetis, aut tripudium fieri, si ex ea quid in solidum ceciderit, hoc quoque quod dixi coactum, tripudium solistimum dicitis » (Ibidem, pag. 260, lin. 13). Sed de his plura Brissonius, quæ te legisse proculdubio non pœnitebit (Brisson. lib. i *Formul.*, pag. 137).

Posthæc Minucius objecta a Cæcilio exempla aliis plane oppositis, quæ a Cypriano totidem pene verbis pro more descripta sunt, infirmat penitusque destruit (Cyprian. lib. *de Idol. vanit.*, pag. 13). Nam

Digitized by Google

iis perspicue demonstrat sive servatis hujuscemodi auspiciis et auguriis, sive spretis ac neglectis, res non minus feliciter, aut infeliciter ducibus quibusdam cessisse. Recte ergo inde arguit ex iis non posse deorum præsentiam demonstrari. Ac primum quidem : « Quid, » inquit, « Regulus? Nonne auguria servavit, et captus est? » Jam vero ostendimus M. Atilium Regulum a Pœnis, quos haud semel vicerat, captum, crudelissimaque morte interemptum fuisse. Atqui ab illo ante hanc pugnam auguria more solito observata, ex hisce colligi potest Valerii Maximi verbis, quibus palam profitetur se nescire utrum ille « in his, quæ ad custodiam religionis pertinent, omnes non præcesserit » (Valer. Max., lib. I, cap. 1, § 14). Quocirca Augustinus inde cum auctore nostro concludit Regulum exemplo suo docuisse : « Nihil deos ad istam temporalem felicitatem suis prodesse cultoribus ; quandoquidem ille eorum deditus cultui, et victus, et captivus abductus : et qui noluit aliter, quam per eos juraverat, facere, novo ac prius inaudito, nimiumque horribili supplicii genere cruciatus, exstinctus est » (August. lib. I *de Civit.*, cap. 15, pag. 15).

Secundum Minucius exemplum statuit in Mancino : « Qui religionem, » ut ille loquitur, « tenait, et sub jugum missus est, et deditus. » At sane quo certius est Mancinum post infausta adversus Numantinos prælia, in eorum adductum fuisse servitutem, eo dictu difficilius, qua ratione religionem tenuisse dicatur. Ethnici siquidem scriptores haud obscure testificantur illum idcirco tantis calamitatibus afflictum, quia invitis ac reluctantibus auspiciis diisque suis, bellum susceperat. Audi, quæso, Titum Livium : « C. Hostilio Mancino consule sacrificante, pulli ex cavea evolaverunt; conscendenti in navem, ut in Hispaniam proficisceretur, accidit audiri : Mane, mane, Mancine ; quæ auspicia tristia fuisse eventu probatum est » (Liv. epit., lib. LV). Valerius autem Maximus hæc paulo uberius, hisque verbis enarrat, « Consuli Mancino, in Hispaniam ituro, hæc prodigia acciderunt. Cum Lavinii sacrificium facere vellet, pulli cavea emissi, in proximam sylvam fugerunt, summaque diligentia quæsiti, reperiri nequiverunt. Cumque ab Herculis portu, quo pedibus pervenerat, navem conscenderet, talis vox sine ullo auctore ad aures ejus pervenit : Mancine, mane. Qua territus cum itinere converso, Genuam petisset, et in scapham esset ingressus, anguis eximiæ magnitudinis visus, e conspectu abiit. Ergo numerum prodigiorum numero calamitatum æquavit, infelici pugna, turpi fœdere, deditione funesta » (Valer. Max., lib. I, cap. 6, § 7). Præcipitem itaque, addit ille, Flaminii, de quo paulo ante disseruimus, vesanamque perseverantiam subsecutus est.

Quomodo igitur religionem servavit, qui « adversum Numantinos, » sicut Aurelius Victor adhuc perhibet, « vetantibus avibus, et nescio qua voce revocante profectus.... in leges hostium fœdus percussit, quo per senatum improbato, Numantinis deditus est? » (Aurel. Vict. *de Viris illustr.*, cap. 59.) Etenim « senatus » teste etiam Paulo Orosio, « dissolvi fœdus, et Mancinum dedi Numantinis præcepit, qui nudato corpore, manibus post tergum revinctis, ante portas Numantinorum expositus, ibique usque in noctem manens, a suis desertus, ab hostibus autem non susceptus, lacrymabile utrisque spectaculum præbuit » (Oros. lib. V Hist., cap. 4). Nonne ergo tam miserabilis consulis exemplum magis facit pro Cæcilio, qui eo conficere poterat Mancinum tantis cæsum fuisse plagis, quia deorum auspicia et religionem spreverat?

Verum Orosius ibidem nos admonet hunc ex illis unum esse, a quibus « quantum in ipsis fuit, prodigia ex more curata sunt » (Ibid.), et tamen ab aruspicibus fallaciarum structoribus deceptus est. Quamobrem Augustinus ridet hæc ipsa auguria, petitque an alii pulli contra Numantiam processerant (Augustin. lib. III *de Civit.*, cap. 21, pag. 80). Perpende ergo an Mancinus eo sensu religionem tenuisse dicatur, quia more solito sacrificaverat, ac fallentibus auguribus, auspicia sibi propitia esse crediderit.

Certius itaque est propositum deinde a Minucio exemplum Pauli, qui sicut ille ait, « pullos edaces habuit, » atque ideo felicem exitum præsagientes, « tamen cum majore reipublicæ parte prostratus est. » De Cannensi pugna loquitur, quam omnes Romanæ historiæ, aliique scriptores et Paulo, et Romanis funestissimam fuisse fatentur, ac Livius Alliensi nobilitate parem esse asseverat (Liv. lib. XXII, §. 50). Rei igitur certæ neminique incognitæ plures dari testes nihil necesse est. Sed audiendus Cotta, qui apud Ciceronem inde arguit nullam esse deorum providentiam : Si enim « hominum, generi, » inquit, consulebant, « cur Paulum Cannæ sustulerunt? cur Pœnorum crudelitati Reguli, de quo mox loquebamur, corpus est præbitum? » (Cic. lib III *de Nat. Deor.*, pag. 252, lin. 7 et seqq.) Quin etiam ipsemet Cicero hinc concludit nulla esse deorum auspicia, quibus Paulus paruit, nec minus cecidit in Cannensi pugna cum exercitu (Idem, lib. II *de divinat.*, pag. 289, lin. 24).

Eodem adhuc modo ea ibidem confirmat, quæ ultimo loco de Julio Cæsare auctor memorat, eum renitentibus spretisque auguriis et auspiciis, ante brumam in Africam feliciter navigasse ac vicisse. Hanc enimvero in rem hæc ipsissima sunt illius Oratoris verba : « Quid ipse Cæsar? Cum a summo haruspice moneretur, ne in Africam ante brumam transmitteret, nonne transmisit? Quod ni fecisset, unum in locum omnes adversariorum copiæ convenissent » (Cicer. ibid., pag. 286, lin. 15 et seqq.). Tum ille continenter hæc, quæ ad auctoris nostri propositum maxime faciunt, adjecit : « Quid ego haruspicum responsa commemorem (possem equidem innumerabilia) quæ aut nullos habuerunt exitus aut contrarios? » Totus porro hic et alius describendus esset Ciceronis liber, si omnia referre vellemus, quibus hujusmodi auspiciorum, aliarumque divinationum

Digitized by Google

vanitatem demonstrat. Sed quia id longius foret, ad hunc librum, eamdemque ob causam ad Eusebium, et Augustinum, adversus illa similiter disputantes, mittendum te esse satius duximus (Euseb. lib. II *Præpar. Evang.*, cap. 1 et seqq., cap. 13 et seqq.; Augustin. lib. IV *de Civit.*, cap 29, pag. 109 et seqq. et lib. *de Div.*, tom. VI, pag. 505 et seqq.). Ex iis autem, atque ex hactenus disputatis, cito facileque perspicies quam infirma sit Cæcilii et aliorum gentilium ad probandam deorum suorum præsentiam deducta ex auguriis et auspiciis argumentatio.

## CAPUT XX.

EXPENDITUR GENERALIS MINUCII RESPONSIO, QUA MIRACULA, ORACULA, AUSPICIA, AUGURIA, SOMNIA, ET ALIA EXTRAORDINARIA APUD ETHNICOS FACTA, NON EX DEORUM SUORUM POTESTATE, SED DÆMONUM FRAUDIBUS AC PRÆSTIGIIS PROFECTA ESSE DEMONSTRAT.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Qualem Minucius putaverit esse dæmonum naturam, et quam recte dixit illos poetis, philosophis, ac in primis Platoni et Socrati, atque etiam Magis ac præcipue Holstani fuisse cognitos.*

Quas Minucius singillatim everterat Cæcilii cæterorumque gentilium argumentationes, has ipsas sive ex auspiciis et auguriis, sive ex oraculis et prædictionibus, sive ex somniis et aliis quibuscumque extraordinariis effectis, prodigiis, atque veris, uti putabant, miraculis desumptas, generali responsione dissolvit ac penitus conficit. Omissis autem bene multis, quæ etiamsi prorsus insolita videbantur, solo tamen casu facta fuerant, in ipsummet invadit erroris, totiusque pravitatis caput, vel ut ipse loquitur, ad illius fontem, unde omnis caligo manavit, aperiendum aggreditur. Docet itaque omnium, quæ extra consuetum rerum ordinem apud ethnicos facta perhibebantur, non ipsorum deos, sed malos dæmones esse revera auctores. Quidquid autem ibi ille refert, id Cyprianus (Cyprian. *de Idolor. vanit.*, pag. 13 et seqq.) suo, ut sæpe vidimus, more in suum « de Idolorum vanitate » librum transtulit. Lactantius (Lactan. lib. II, cap. 14 et seqq., pag. 216 et seqq.) quoque idem argumentum fusius prosecutus, plura etiam ex auctore nostro mutuatus est; quemadmodum, ipse Minucius ex Tertulliano (Tertull. *Apologet.*, cap. 22 et seqq.) sua desumpsisse haud immerito videtur. Nec desunt etiam alii illo adhuc antiquiores Ecclesiæ Patres, qui his similia scriptis tradidere, quos infra suo loco citabimus.

Quæ autem ab ipso dicenda erant, ut ab omnibus facilius intelligi possent, prius explicandum esse duxit quinam, cujusve naturæ sint dæmones, ac de illis sic statuit : « Spiritus sunt, » inquit, « insinceri, vagi, a cœlesti vigore terrenis labibus et cupiditatibus degravati. Isti igitur spiritus simplicitatem substantiæ suæ, onusti et immersi vitiis, perdiderunt. » Nonne autem his verbis bonorum angelorum, malorumque sive dæmonum naturam distinguit? Nonne satis aperte declarare videtur prioribus, qui in ea, qua creati fuerant, sanctitate et gratia perseverarunt, simplicem omnino fuisse, spiritualem, et ab omni prorsus re corporea secretam substantiam? Quæ enim alia a mali, qui ejusdem cum illis naturæ erant, nisi simplicitas sanctitatis amissa dici potest? Nam eos post peccatum vocat adhuc « spiritus, » sed terrenis labibus et cupiditatibus degravatos. Non plura ibi ille tradidit de illorum natura, de qua nos in priori Apparatus tomo, et in sequentibus dissertationibus (Tom. I *Apparat.*, pag. 491-535 et seqq. 988 et seqq.). Nec magis enucleate edisseruit, quæ sint illæ terrenæ labes, quibus pristinam substantiæ simplicitatem amiserunt. Nulli tamen mirum id esse debet, quandoquidem ad refellenda vana Ethnicorum argumenta sibi satis esse putavit indicare quantæ subtilitatis, agilitatis ac tenuitatis sit dæmonum natura, idque non modo philosophorum ac poetarum, verum etiam Magorum, quibus refragari non poterant, confirmare testimonio.

Plato autem, ait ille, « in Symposio naturam dæmonum exprimere conititur. Vult enim esse substantiam inter mortalem immortalemque, id est, inter corpus et spiritum mediam, terreni ponderis, et cœlestis levitatis admixtione concretam. » Et re quidem vera hæc sunt illius in citato Symposio verba : « Vides te eo devenisse, ut Amorem deum esse minime existimes? Quid ergo, inquam? Num mortalis est Amor? Nequaquam. Ecquidnam igitur? Sicuti in superioribus diximus, aliquid intermedium inter mortale et immortale. Quid ergo, Diotime Magnus, ὁ Socrates, dæmon : Πᾶν γὰρ τὸ δαιμόνιον μεταξύ ἐστι θεοῦ τε, καὶ θνητοῦ : Omnis enim dæmonum natura inter deum et mortalem intermedia (Plat. *Sympos.* tom. I, pag. 202). » Ab Augustino autem discimus dæmonia ab Apuleio Platonico definiri, « animalia animo passiva, mente rationalia, corpore aeria, tempore æterna, » post suam nempe creationem, si ibi ille Platonis magistri sui opinionem sequitur. (August. lib. IX *de Civit.* cap. 8, pag. 224.)

Non minus autem noti erant dæmones Socrati, « qui ad nutum, » ait Minucius, « et arbitrium, assidentis sibi dæmonis, vel declinabat negotia vel petebat, » aut sicut postea dixit Cyprianus, « instruisse et regi ad dæmonis arbitrium prædicabat » (Cyprian. *de Idol. Vanit.* pag. 13 et 14). Augustinus vero rursus narrat quid de illo Apuleius Platonicus scripserit (August. lib. VII *de Civit.* cap. 14, pag. 202). At de hoc bello tanti philosophi comite ac custode, vel sicut ait Tertullianus, pædagogo, alibi disseruimus. Alios porro philosophos auctor noster non citat, haud dubie quia nemini ethnico ignota erat illorum de dæmonibus opinio, nec ulla erat magna fusiusque explicanda contentio (Tom. I *Apparat.* pag. 1113 et 1115).

Idem sane dicendum de poetis, quos his tantum duobus verbis, « Poetæ sciunt, » nec ullius nomine designato, testes adhibet. Sed de poetarum, atque etiam philosophorum de natura dæmo-

Digitized by Google

num opinionibus, in superiori Apparatus tomo actum est, et in sequentibus adhuc agetur (Ibid. pag. 991 et seq. dissertat. *in Lactant.* cap. 20, art. 4; et *in Tertullian.* cap. 10, art. 3).

Denique Magis, uti Minucius noster, atque Tertullianus, et Lactantius aiunt. cogniti sunt dæmones. Ecquis vero eos melius cognoscere poterat, quam Magi, qui sicuti citati a nobis scriptores testificantur, eorumdem dæmonum impiis artibus ac præstigiis ea faciunt, quibus illudunt incautis hominibus, ac miracula se edere persuadent? Quin immo si Clementi Alexandrino credimus, Magi illi palam jactitabant ministros famulosque se habere dæmones, quos carminibus suis fecerant necessitate adactos. Vide, si lubet, quæ in hunc Clementis Alexandrini locum annotavimus, et citatum ibi B a nobis Eusebium, qui ex variis scriptoribus plurima de dæmonibus congessit. De Lactantio autem et Tertulliano nos suo loco disputabimus (Tertul. *Apolog.* cap. 22; Lactant. lib. II. *Institut.* cap. 14, pag. 216; Clemens Alexandr. *Admonit. ad gent.* pag. 39; Tom. 1. *Apparat.* pag. 1259).

Dæmones porro Magis cognitos fuisse probat Minucius noster, Ostanis, seu Hostanis illorum principis auctoritate. Hæc autem sunt ejus verba : « Eorum, videlicet dæmonum, Magorum eloquio et negotio primus Hostanes (*ms. reg.* Sostanes) et verum Deum merita majestate prosequitur; et Angelos, id est, ministros et nuntios Dei, sed veri, ejusque venerationi novit assistere, ut et nutu ipso, et vultu domini territi contremiscant. Idem etiam dæmones C prodidit terrenos, vagos, humanitatis inimicos. » Is ergo Hostanes dicitur Magorum primus « eloquio, » id est, doctrina, sive magiam docendi peritia; « et negotio, » hoc est, opere et artibus. At Plinius scripsit hunc Ostanem seu Hostanem, dum in Persarum bello Xerxem comitaretur, artis magicæ semina sparsisse quocumque commeabat, sed a quibusdam Zoroastrem, ab aliis Proconnesium illo paulo antiquiores censeri (Plin. lib. XXX *Natur. Hist.* cap. I, pag. 726.) Eusebius vero nobis exhibet citata a Porphyrio Apollinis carmina, quibus Ostanes appellatur : Μάγων ὄχ' ἄριστος, «Magorum maximus.» Prius vero ipse Eusebius dixerat scriptum ab Ostane Octateuchum volumen, in quo de Deo, uti annotat Minucius, ac de ipsis haud dubie dæmonibus dis- D putaverat, ac cujus de rerum natura doctrinam reliqui omnes secuti sunt (Euseb. lib. V, *Præpar. Evang.* cap. 14, pag. 202. Idem lib. I, cap. ultim. pag. 42). Et certe Augustinus hæc de eodem Hostane citat Cypriani verba : « Quorum (Magorum) præcipuus Hostanes, et formam veri Dei negat conspici posse, et Angelos veros sedi ejus dicit assistere. » Sed hæc Cyprianus ex Minucio nostro, uti assolet, proculdubio mutuatus fuerat. Ejusdem porro Hostanis mentionem faciunt Laertius, Apuleius et alii, nosque alibi de illo audivimus Tatianum disserentem (August. lib. VII *de Baptis.* cap. 44, pag. 185, tom. IX; Cypr., lib. *de Idol. Van.* pag. 14; A Laert. *Proc.* § 1, Apulei; *Apolog.* pag. 100, tom. I. *Apparat*, pag. 550.

Exposuimus hactenus quid Minucius noster de natura dæmonum, non tam ex sua, uti videtur, quam gentilium philosophorum, poetarum, et Magorum opinionibus traditum fuisse docuerit. Quomodo autem ex iis ille ostendat, non fictorum ab Ethnicis deorum opera, sed eorumdem dæmonum præstigiis ea facta esse, quæ extra naturæ ordinem contigisse ferebantur, jam examinandum est.

ARTICULUS II.

*Exponuntur Minucii argumenta, quibus demonstrat, cur et quomodo dæmonum artibus ac præstigiis ea omnia facta sint, quæ supra consuetas naturæ vires effecta videbantur; ubi plura de somniis, variis sortibus, ac vatum furore.*

Vidimus in superiori articulo qua ratione Minucius dixerit dæmones amisisse « substantiæ suæ simplicitatem », vel sicut mitiori verbo interpres ejus Lactantius effatur, « substantiæ cœlestis dignitatem, » id est, præstantiam et excellentiam, quam suis nimirum peccatis fœdaverunt (Lactant. lib. II. *Institut.* cap. 14, pag. 216). Cum igitur merito damnati eorum pœnas luunt, « ad solatium calamitatis suæ » ut ait Auctor noster, et nos infra explicabimus, « non desinunt perditi » jam homines perdere, eosque a veri Dei cultu avocant, ac præcipitant in omne erroris scelerisque genus (Dissert. *in Lactant.*, cap. 20, art. 6). Eadem iisdem pene verbis dixit Cyprianus, et uterque sequitur Tertullianum, iisque Lactantius, ac Prudentius suffragantur. Omnibus autem illis præiverat Tatianus, quem legere poteris, atque in primis Augustinum, qui hæc fusius prosequitur (Cyprian. lib. *de Idol. Vanit.* pag. 13; Tertull. *Apolog.* cap. 22; Lactan. lib. II *Institut.* cap. 14, pag. 218; Prudent. *hymn. in S. Vincent.* strop. 20 et 21; Tatian. *Orat. contr. Græc.* pag. 155; August. lib. II. *de Civit.* cap. 23, et seqq., pag. 55, et seqq.).

Quamvis autem dæmones amiserint substantiæ suæ simplicitatem et dignitatem, remanserunt tamen « spiritus insinceri, » ut loquitur Minucius, « et vagi, » quæ Cypriani quoque verba sunt, sed « tenues, » aut sicut ait Lactantius, « spiritus tenues et incomprehensibiles. » Sua autem tenuitate, subtilitate, atque agilitate « vitam turbant, » pergit Minucius noster, ac post eum Cyprianus, « somnos inquietant, irrepentes etiam corporibus occulte, morbos fingunt, terrent mentes, membra distorquent, ut ad sui cultum cogant, » et ab hominibus tamquam veri dii colantur et adorentur, atque sanasse eos videantur, quorum valetudinem vitiaverant. Eadem verbis paulo diversis Lactantius tradidit. Sed hi omnes præcursorem magistrumque habuerunt Tertullianum, qui illis facem his verbis prætulerat : « Suppetit illis, » dæmonibus, « ad utramque substantiam hominis, » hoc est, corpus et animum, « adeundam subtilitas, et tenuitas sua,



Digitized by Google

Multum spiritualibus viribus licet; ut invisibiles et insensibiles in effectu, potius quam in actu suo appareant » (Cypr. lib. *de Idolor. vanit.* pag. 13 et 14; Lactant. lib. II. *Institut.* cap. 14, pag. 218; Tertullian. *Apologet.* cap. 22, pag. 23). Ea igitur invisibili naturæ et virium subtilitate miracula edere videbantur, quæ minime miracula sunt.

Incauti enimvero ac creduli Gentiles « prodesse eos putant, ait Lactantius, cum nocere desinunt, qui nihil aliud possunt quam nocere. (Lactant., loc. cit. p. 219.) Nam uti mox diximus, atque Tertullianus, antea vero Tatianus, et postea Eusebius asseruerant, lædunt homines, morbis affligunt, ac cum desinunt lædere, ab ægris avolantes, remotisque maleficiis, curasse creduntur. Similibus quoque machinis, ac dolis alia prodigia et miracula facere credebantur, de quibus supra disseruimus (Tertullian. loc. cit.; Tatian. *Orat. contr. Græc.* pag. 157; Euseb. lib. v *Præpar. evang.*, cap. 2, pag. 181; Supr. cap. 19, art. 1 et seqq.).

Præterea « Magi, ait Minucius, quidquid miraculi ludunt, per dæmones faciunt; illis aspirantibus et infundentibus, præstigias edunt, vel quæ non sunt videri, vel quæ sunt non videri. » Nonne autem ad hunc illius locum tum respiciebat Lactantius, cum scripsit : « Magorum ars omnis ac potentia horum, *dæmonum*, aspirationibus constat, a quibus invocati, visus hominum præstigiis obcæcantibus fallunt, ut non videant ea quæ sunt, et videre se putent illa, quæ non sunt? (Lactant. lib. II, cap. 14, pag. 218). At utrumque his verbis anteverterat Tertullianus : « Magi multa circulationis præstigiis ludunt.... habentes semel invitatorum angelorum et dæmonum assistentem sibi potestatem. » (Tertull. *Apolog.* cap. 23, pag. 24). Jam vero Clementem Alexandrinum audivimus dicentem, Magos gloriari impietatis suæ ministros habere dæmonas, quos advocabant suis carminibus, sibique præsto esse compellebant, atque, ut ait adhuc Lactantius, suis ipsis ciebant nominibus, quibus scilicet in sacris Scripturis appellantur. Alios vero præter Christianos testes si desideras, adi Eusebium, ac plures tibi ille suppeditabit, ex quibus ostendit non alios, quam dæmones maleficæ artis ab initio fuisse magistros. (Lactant. lib. cit. cap. 16, pag. 223; Euseb. lib. v, *Præpar. evang.*, cap. 8, pag. 193 et seqq.; Ibid. cap. 10, pag. 199).

Satis jam ex his patet quam vana falsaque eloquentiæ pompa Cæcilius Christianis objecerit : « Per quietem deos videmus, audimus, agnoscimus quos impie per diem negamus, nolumus, pejeramus. » Quamobrem Octavius Minucii et cæterorum Christianorum nomine, ac postea Cyprianus simpliciter respondent, non deos, sed dæmonas esse, qui « somnos inquietant, » vel sicuti Lactantius loquitur, « somniis animos terrent, » et antea Tertullianus, « somnia immittunt » (Cyprian. *de Idolor. Vanit.* pag. 13: Lactant. lib. II. *Instit.* cap. 14, pag. 219; Tertull. *Apolog.* cap. 23, pag. 24). Quin etiam ipse Cicero ferre non potuit gentiles suos, somnia divinitus inspirata esse garrientes. Nam « multa sunt, inquit, ex historiis prolata somnia, matris Phalaridis, Cyri superioris, matris Dionysii, Pœni Amilcaris, Annibalis, P. Decii.... Sed hæc externa, ob eamque causam ignota nobis sunt, nonnulla etiam ficta fortasse. » Post longam vero de quibuslibet somniis disputationem, concludit nullum deum esse illorum effectorem, ac ductam ex iis divinationem cum cæteris prorsus explodendam esse pronuntiat. (Cic. lib. II, *de Divinat.*, pag. 299, lin. 25; Ibid. pag. 301, lin. 10 et seqq.) Nihil igitur Cæcilii ratione futilius, qua ex Ethnicorum somniis præsentiam deorum suorum probari posse ipse aliique gentiles somniaverant. Si quid enim in illis, de quibus disputant, extraordinarii fuerit, hoc Minucius, atque alii antiquissimi Ecclesiæ patres, dæmonum fraudibus ac fallaciis tribuendum esse haud dubitanter asseverant.

At iisdem dolis præstigiisque « sortes, » ait Minucius ac similiter Cyprianus, « regunt » (Cyprian. lib. *de Idol. Vanit.* pag. 13). Sed quæ sunt istæ sortes, si a nobis aliquis requirat, huic respondebimus ipsismet Ciceronis verbis, quibus sortes « idem propemodum esse docet, quod micare, quod talos jacere, quod tesseras. Quibus temeritas et casus, non ratio nec consilium valet. Tota res est inventa fallaciis, aut ad quæstum, aut ad superstitiones, aut ad errorem. » (Cicer. lib. cit. pag. 291, lin. 17.) Quæ igitur major amentia, quam effutire has sortes ab aliquo regi deo, qui si deus verus est, aut mentiri, aut fallere numquam potuit?

Eumdem vero Ciceronem ne sibi ipsi, quæso, opponas, qui prius dixerat sortem non contemnendam, « si et auctoritatem habet vetustatis, et eæ sunt sortes, quas e terra editas accepimus, quæ tamen ductæ, ut in rem apte cadant, fieri posse credo divinitus. » (Ibid. lib. I, pag. 291, lin. 21.) Priore siquidem de Divinatione in libro fratrem suum hæc proferentem inducit. At illum in posteriore confutat, contenditque nullam sortibus habendam fidem. Si quas vero divinitus ductas esse credidit, in hoc erroris arguitur cum suis gentilibus, qui falsis diis ea adscripsere, quæ dæmonum, uti dictum est, fallaciis facta erant. De his porro aliisque sortibus Danielem Classenium, et Cæsarem Bulengerum consulere poteris (Classen. lib. I, *Theolog. gent.*, cap. 5; Buleng. lib. *de Sortibus*, etc.).

Aliæ autem sunt sortes, « quæ, » sicut idem Cicero observat, « vaticinatione funduntur, quæ oracula verius dicimus (Cicer. loc. cit., pag. 291, lin. 12). » Eæ autem in primis esse videntur, quas dæmones, quemadmodum Minucius palam asseverat, ac Cyprianus totidem verbis repetit, vatibus inspirant, qui quidem dum navant auspiciis faciendis operam, « nonnumquam extorum fibras animant, avium volatus gubernant. » ac tandem eorumdem vatum ministerio « oracula efficiunt falsis pluribus involuta » (Cyprian. *de Idolor. Van.*, pag. 14). Plato autem docet a dæmonibus, quorum media inter Deum et res mor-

Digitized by Google

tales natura est, omnem divinationum artem profi- A cisci. Nam, θεός, inquit, ἀνθρώπῳ οὐ μίγνυται, ἀλλὰ διὰ τούτου πᾶσά ἐστιν ἡ ὁμιλία, καὶ διάλεκτος θεοῖς πρὸς ἀνθρώπους, καὶ ἐγρηγορόσι, καὶ καθεύδουσι, καὶ ὁ μὲν περὶ τὰ τοιαῦτα σοφὸς, δαιμόνιος ἀνήρ. « Deus cum homine non miscetur, sed per hanc dæmonum naturam commercium omne atque colloquium inter deos hominesque conficitur, et vigilantibus et dormientibus nobis. Quicumque harum rerum peritus est, dæmonius vocatur » (Plato *Sympos.*, tom. III, pag. 201 et seqq.). Nec ab hac opinione recedit Plutarchus, aliique scriptores citati ab Eusebio, qui tamen illos jure merito erroris eo convincit, quia bonis dæmonibus illud ascribunt, quod a pravis tantum atque sceleratis efficitur (Euseb., lib. v, *Præpar. Evang.*, cap. 4, pag. 184 et seqq.). Recte igitur Tertullianus asse- B ruit hæc ab illis facta substantiæ subtilitate, qua ubique momento adsunt, sciuntque ac renuntiant quid agatur, et « æmulantur divinitatem, dum furantur divinationem (Tertullian. *Apologet.*, cap. 23, pag. 23 et seqq.). Quam vero ipsimet Ethnici fidem auspiciis tribuerent, disces ex Cicerone, qui notat « leges Julias contra auspicia latas. » Et rursus alibi, « Consulibus sedentibus et inspectantibus, inquit, lata lex, ne auspicia valerent (Cicer. orat. XXX, *pro arusp. Respon.*, pag. 457, lin. 27; et orat. XXXII, *pro P. Sext.*, pag. 464, lin. 32). »

Vaticiniorum quoque vanitatem apertissime demonstrant ipsi vates « furentes, ait Minucius, quos in publicum videtis excurrere : vates et ipsi absque templo sic insaniunt, sic bacchantur, sic rotantur : C par et in illis instigatio dæmonis, sed argumentum dispar furoris. » At non placuerunt cuidam hæc tria manuscripti regii codicis verba, « ipsi absque templo, » emendarique volebat, « ipsi in ipso templo. » Sed id probandum illi erat codicis alicujus auctoritate. Quid vero, quod Minucius de iis loquitur, qui in publicum excurrentes fata prænuntiabant? Denique vates illo furore acti, aut agi se simulantes, etiam extra templa vaticinabantur. Ubi enim Apuleius de iis, qui deam Syriam per oppida ac compita circumferebant : « Unus, inquit, ex illis bacchatur effusius, ac de imis præcordiis anhelitus crebros referens, velut numinis divino spiritu repletus, simulabat sanciam vecordiam, prorsus quasi deum præsentia soleant homines non sui fieri meliores, sed debiles effici et ægroti (Apulei., lib. VIII *Metam.*, pag. 141). » Cur autem ille extra templum divino numinis spiritu se agi simulasset, nisi gentiles credidissent quoscumque quolibet in loco eodem furoris spiritu repleri. Virgilius vero hunc vaticinantium furorem, insaniam et vecordiam describit istis de Sibylla versibus :

> At Phœbi nondum patiens, immanis in antro
> Bacchatur vates, magnum si pectore possit
> Excussisse deum, tanto magis ille fatigat
> Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.
> (Virgil., l. VI *Æneid.*, *v.* 77, *et seqq.*)

Lucanus vero :

> . . . Bacchatur demens, aliena per antrum
> Colla ferens, vittasque dei, Phœbeaque serta
> Erectis discussa comis, per inania templi
> Ancipiti cervice rotat, spargitque vaganti
> Obstantes tripodas magnoque exæstuat igne.
> (Lucan., l. V, *v.* 166.)

Inutilis procul dubio operæ sit plura hanc in rem satis certam et cognitam huc congerere. Si cui tamen grave non est, audiat et tertium poetam Statium :

> Vates sanctior incipit, tacendum est.
> En et colla rotat, novisque late
> Bacchatur spatiis, viamque replet.
> (Stat., l. IV, *Thebaïd. de Vit. Domit.*, *v.* 80 *et seqq.*)

At si ex ipso Cicerone curiosius inquiras quis ille sit vaticinantium furor, tibi non tam suo quam aliorum, quos citat, nomine respondebit : « Inest igitur in animis præsagitio extrinsecus injecta, atque inclusa divinitus. Ea si exarsit acrius, furor appellatur, B cum a corpore animus abstractus divino instinctu concitatur (Cicer., lib. I *de Divin.*, pag. 266, lin. 44). » Neque ille infimos quosdam vates hoc furore correptos fuisse significat; verum illustriores Bacchidem, Boetium, Epimenidem Cretem, et Sibyllam Erythræam (Idem ibid., pag. 261, lin. 20). Sed ipse ibi, sicut mox laudatus Apuleius, aliique gentiles, falsis præjudiciis excæcati, hæc deorum suorum præsentiæ ac divino instinctui tribuebant, quæ solis dæmonum præstigiis atque artibus efficiebantur (Cap. super. art. 4). Verumtamen Cicero aliorum potius quam suam opinionem retulisse proculdubio videtur. Nam duobus suis de Divinatione libris hunc errorem abunde refellit, quemadmodum libris totidem illum, C et alium de gentilium oraculis convellunt Eusebius et Augustinus a nobis paulo ante citati. Nobis vero illum in subsequentibus nostris dissertationibus confutandi locus adhuc dabitur (Euseb. *Præpar. Evang.*, lib. IV et V, et *Demonst. evang.*, § 5, pag. 126. Dissertat. *in Lactant.*, cap 20, art. 7; cap. 32, art. 4; *in Tertulliani Apologet.*, cap. 8, art. 5 et seqq.).

### ARTICULUS III.

*Quam evidenter Minucius demonstraverit dæmones a Christianis adjuratos, atque ab obsessis hominum corporibus ejectos palam declaravisse extraordinariorum apud Ethnicos effectuum se fuisse auctores; atque ii refelluntur, qui hæc et vatum oracula solis sacerdotum Ethnicorum artificiis et fraudibus edita fuisse garriunt.*

D Alio Minucius argumento, eoque invictissimo adhuc demonstrat ea omnia, quæ hactenus recensuimus, facta extraordinaria, omnesque vatum, somniantium, aliorumque quoquomodo divinantium prædictiones, fraudibus ac præstigiis profecta esse dæmonum. Nam « hæc omnia, inquit ille, sciunt pars vestrum ipsos dæmones de se ipsis confiteri, quoties a nobis tormentis verborum, et orationis incendiis de corporibus exiguntur. » Nemo profecto statim non videt quanti ponderis sit istud argumentum, quod ex publico ipsorummet adversariorum, etiam invitorum, testimonio elicitur. Dæmones enim Christianorum verbis, tamquam gravioribus quæstionum tormentis excruciati, atque illorum precibus non secus

Digitized by Google

ac igne torti acriore, cogebantur ab obsessis corporibus excedere ac palam fateri se illorum effectuum insolitorum fuisse auctores.

Quæ vero sint ea Christianorum verba, et quæ preces, sic Minucius noster explicat. « Adjurati enim per Deum verum et solum, inviti, miseri corporibus inhorrescunt, et vel exsiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat, aut gratia curantis aspirat. » Sed hæc paulo fusius Cyprianus, qui et quædam illius verba mutuatus est. « Ili, inquit, adjurati per Deum verum a nobis, statim cedunt et fatentur, et de obsessis corporibus exire coguntur. Videas illos nostra voce, et operatione majestatis occultæ flagris cædi, igne torreri, incremento pœnæ propagantis extendi, ejulare, gemere, deprecari; unde veniant, et quando discedant, ipsis etiam qui se colunt audientibus confiteri, vel exsiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat, aut gratia curantis aspirat (Cypr. *de Idol. vanit.*, pag. 14). Eadem ille aliis in libris aliisque verbis repetit, quæ omnibus legere cum promptum sit, ea hic non transcribemus (Idem lib. *ad Donat.* pag. 4; et lib. *ad Demetrian.*, pag. 191).

Utriusque vestigiis insistit Lactantius, ac de iisdem dæmonibus dixit : « Justos, id est, cultores Dei metuunt, cujus nomine adjurati de corporibus excedunt, quorum verbis tamquam flagris verberati, non modo se dæmones esse confitentur, sed etiam nomina sua edunt, illa quæ in templis adorantur, et quod plerumque coram cultoribus suis faciunt, non utique in opprobrium religionis; quia nec Deo, per quem adjurantur; nec justis, quorum voce torquentur, mentiri possunt (Lactant., lib. II *Instit.*, cap. 14, pag. 218).

Antea vero ipsemet Minucius noster dixerat : « Ipse Saturnus et Serapis, et Jupiter, et quidquid dæmonum colitis, victi dolore, quod sunt eloquuntur, nec utique in turpitudinem sui, nonnullis vestrum assistentibus, mentiuntur. » At Tertullianus Ethnicos urget longe vehementius, eosque audacter provocat ut quodlibet hujusce rei periculum faciant, ac nisi dæmones a quovis Christiano adjurati, tum qui ipsi sint palam confiteantur, vult optatque hujusce Christiani protinus, et eodem in loco fundi sanguinem (Tertull. *Apolog.*, cap. 23, pag. 24). Neque in animum, quæso, induxeris hanc esse Africani scriptoris nimio ingenii ardentioris impetu abrepti exaggerationem, aut id casu tantum aliquo, aut ejus dumtaxat tempore accidisse. Nam postea Athanasius semel et iterum asseveranter affirmat crucis Christi signo omnem magicam artem, omniaque incantamenta evanescere, ac cunctas dæmonum fraudes repelli. Experientia autem id sic comprobatum esse contestatur, ut non minus audacter, quam Tertullianus, Ethnicos ad periculum illius faciendum provocet. Audias velim ejus verba : Ἤκέτω δὲ ὁ πᾶραν τῶν προλεχθέντων βουλόμενος λαβεῖν, καὶ ἐπ' αὐτῆς τῆς φαντασίας τῶν δαιμόνων, καὶ τῆς τῶν μαντείων ἀπάτης, καὶ τῶν τῆς μαγείας θαυμάτων, χρησάσθω τῷ σημείῳ τοῦ γελωμένου παρ' αὐτοῖς σταυροῦ, τὸν Χριστὸν ὀνομάσας μόνον, καὶ ὄψεται πῶς ὀι' αὐτοῦ δαίμονες μὲν φεύγουσι, μαντεία δὲ πάυεται, μαγεία δὲ πᾶσα καὶ φαρμακεία κατεργεῖται. « Veniat et quisquis ea quæ diximus experiri cupit, atque in mediis ipsis dæmonum præstigiis, et oraculorum fallaciis, ac magiæ prodigiis, signo crucis, quæ apud ipsos ludibrio est, utatur, solumque Christum nominet; mox videbit quam cito per ipsum fugentur dæmones, cessent oracula, ars omnis magica veneficaque evanescant » ( Athanas., lib. *de Incar. Verb.* , pag. 73 et 88. Ibid. pag. 89).

Minucius autem ac Tertullianus, aliique a nobis jam laudati constanter asseverant illud non solo crucis Christi signo fieri, sed Christianorum etiam adjurationibus. Quis autem, nisi qui se ipsum excæcare velit, aperte non videat, quam id certum sit, ac sæpius factum et testatum? Sed inde confirmari adhuc potest, quod ab auctore nostro, et Cypriano adjicitur, « prout fides patientis adjuvat, aut gratia curantis aspirat, » id est, prout major aut minor est fides dæmonem patientis, vel major aut minor gratia Christiani adjurantis, dæmon citius aut paulo tardius ejicitur. Verum sive illico, sive post brevem moram aliquam dæmon ejiceretur, tunc profecto cogebatur quis ipse esset publice confiteri. Quapropter Minucius argumentationem suam, ipsosmet Ethnicos alloquendo, sic absolvit : « Ipsis testibus, eos dæmonas de se confitentibus credite. » Antea vero Tertullianus pari modo adversus eosdem gentiles disputando, his eos compellaverat verbis : « Credite illis (dæmonibus), cum verum de se loquuntur, qui mentientibus creditis. Nemo ad suum dedecus mentitur, quin potius ad honorem. Magis fides proxima est adversus semetipsos confitentes, quam pro se ipsis negantes » (Tertull. *Apolog.*, cap. 23, pag. 23. Ibid. pag. 25). Tam certa autem, tam manifesta et publica erat hæc dæmonum confessio; ut ibidem Tertullianus constanter affirmet hac ipsa consuevisse novos fieri Christianos.

Quis ergo non mirabitur quosdam nostræ ætatis Christianos, immo etiam et catholicæ fidei sectatores, eo devenisse ut editis publicam in lucem libris asserere non dubitaverint non aliqua tantum, quod ipsis concedimus, sed ea omnia quæ recensuimus, oracula, prodigia, portenta, atque, ut aiebant, miracula omnesque vaticinandi modos nullis umquam dæmonum, sed solis sacerdotum ac ministrorum idolis servientium dolis, artibus, fraudibus, et præstigiis facta fuisse. Neque eos moratur antiquissimorum cæterorumque Ecclesiæ Patrum veneranda auctoritas, testificatio minime dubia, et communis omnium consensus (Euseb., lib. IX. *Histor. Eccl.*, cap. 11, pag. 367). Pro certo enim, inquiunt, et rato cum positum fuisset plures esse dæmones, tum creduli simplicesque illi viri in animum facile induxerunt dæmones illos horum omnium insolitorum effectuum fuisse auctores.

Quid ergo? Numquid antiquissimi Ecclesiæ Patres, cæterique scriptores christiani, per tot sæcula adeo tardi, hebetes, et cæci fuerunt, ut deprehendere non

Digitized by Google

potuerint neutiquam dæmonum, sed ethnicorum sacerdotum artificiis et fallaciis edita fuisse oracula, atque alia etiam, quæ supra communem naturæ ordinem fieri videbantur? Numquid ergo majoris erat operæ, gentilium sacerdotum fraudes retegere, quam tam operosis disputationibus explicare quæ fuerit dæmonum natura, quid de illa philosophi, poetæ, magi aliique gentiles censuerint et tradiderint, quæ fuerint eorum artificia, doli, artes, præstigiæ quibus tamdiu Ethnicis etiam oculatioribus, immo et Christianis, hæc omni studio investigantibus, illuserint? Sed dic, obsecro, qua fronte Tertullianus, Athanasius, aliique doctissimi cujuslibet ætatis viri ethnicos provocare audebant, ut experirentur utrum dæmones oracula fundentes, mira quædam edentes, corpora hominum obsidentes, a Christianis adjurati, aut protinus, aut paulo post, quinam ipsi vel quo appellati essent nomine, palam confiterentur? Si vero sacerdotes ethnici, non autem dæmones hæc fraudulenter agebant, cur sinebant se adjurari? cur adjurantes non irridebant, cur eos vel solo suo silentio ad pudendum non inducebant? cur non suo, sed dæmonum nomine se vocari mentiebantur? cur patiebantur imperatores suos Diocletianum, de quo nos alibi, et Julianum Apostatam, de quo nos infra, mysteriis suis turbatis, terreri et fugari? cur tandem hac falsa declaratione funditus evertebant deorum suorum cultum, omnesque suas religiones? (Dissertat. *in Luc. Cæcil.* cap. 5, art. 2. Dissert. *in Lactant.* cap. 9, art. 2). Nonne Christiani tunc divinum suum imitabantur præceptorem, qui dæmonem a corpore hominis expellendo, nomen suum renuntiare coegit (Marc., v, 9; Luc., viii, 56)? Quis respondere audeat hanc fuisse alicujus ethnici sacerdotis fraudem, ipsimet Christo incognitam? Nemo est, qui hominem christianum, ita loquentem, audire non perhorrescat? Bene ergo actum ab uno e societate Jesu viro clarissimo, qui absurdam illam opinionem, vel potius paradoxum, edito nuper libro plane penitusque subvertit. Jam vero a nobis confutatum est alia in dissertatione, ubi de mirabili signi dominicæ crucis potentia disputavimus, ac rursus his refelletur, quæ in sequentibus nostris dissertationibus dicenda sunt (Balth. *Respons. ad Hist. Orac.*; Dissert. *in Luc. Cæcil.* cap. 5, art. 2, pag. 180, et seqq.; Dissert. *in Lactant.* cap. 9, art. 2; et *in Tertullian.* cap. 11, art. 6).

## CAPUT XXI.

### DE DEORUM IMAGINIBUS ET SIMULACRIS, SUB QUIBUS DELITESCENTES DÆMONES CREDEBANTUR MIRA QUÆDAM OPERARI, AC QUÆ AB ETHNICIS IMPIE COLEBANTUR.

#### ARTICULUS PRIMUS.

*Quanta impietate Ethnici simulacra deorum suorum, sub quibus dæmones habitabant, colerent et adorarent, atque ab eis, hominum manibus aliquando ex vase sordidissimo factis, divinam opem peterent, ac exspectarent.*

Alio ad decipiendos homines artificio dæmones abutebantur. Etenim sub statuis et imaginibus, ait Minucius, « consecrati, » Cyprianus, « consecratis delitescunt (*Cyprian. lib. de Idol. Vanit.*, pag. 14). » Utriusque autem hujus lectionis idem plane sensus. Gentiles quippe illas deorum suorum imagines solemni dedicatione consecrabant. Testem si velis tibi locupletissimum proferri, citabimus Ciceronem, qui post multa de antiquo consecrandarum dedicandarumque ædium more et ritu disputata, narrat a Qu. Marcio censore factum concordiæ signum et collocatum in publico. Cum autem C. Cassius censor illud transtulisset in curiam, consuluit collegium pontificum numquid causæ videretur, quin illud dedicaret. Cui M. Æmilius pontifex maximus pro collegio respondit, « nisi eum populus Romanus nominatim præfecisset, atque ejus jussu faceret, non videri illud recte posse dedicari (*Cicer. orat.* XXIX, *pro Domo sua, ad Pontif.* pag. 424, *et seqq*). » Variis itaque cæremoniis cujuslibet dei simulacrum consecrabatur, et ita deus fiebat. Nam quemadmodum Auctor noster arguit: « Quando hic nascitur, ecce funditur, fabricatur, scalpitur; nondum deus est: ecce plumbatur, construitur, erigitur, nondum deus est: ecce ornatur, consecratur, oratur; tunc postremo deus est, cum homo illum voluit, et dedicavit. » Ita ille gentilium irridet cæcitatem, qui hæc simulacra, pro hominum arbitrio consecrata, aut deos suos esse, aut in eis habitare stulte opinabantur.

At dæmones sub his signis ac simulacris maxima, ut diximus, naturæ suæ subtilitate delitescentes, iis sua, sicut ait Athenagoras, nomina communicabant, aut veluti addidit Tertullianus, signis, miraculis, oraculis, quæ nimirum falsa aut subdola esse ostendimus, « fidem divinitatis operabantur (*Athenag. legat. pro Christian.* pag. 29; *Tertull. Apolog.* cap. 21, pag. 23). » Quam insulsus autem erat hic ethnicorum error, ostendit primo Minucius ex eorumdem simulacrorum origine. Majores enim nostri, ait, improvidi et creduli, colebant reges suos, atque ideo desiderabant « defunctos in imaginibus videre, » sive quemadmodum loquitur Cyprianus: « Inde ad defunctorum vultus per imaginem delinendos expressa sunt simulacra (*Cypr. lib de Idolor. Vanit.* pag. 11). » Quin etiam si Lactantio credimus, ipsimet dæmones docuerunt fingere imagines et simulacra, « et fictos mortuorum regum vultus, et ornatos, (ms. r. *ornatus*), exquisita pulchritudine statui consecrarique fecerunt » (*Lactant. lib.* II. *Institut.* cap. 16. pag. 228; *Tom.* I. *Apparat.* pag. 432 et 736). Sed de hac simulacrorum origine alibi disseruimus. Quæ ergo major amentia, quam mortuorum, sæpe sæpius sceleratorum hominum, aut plane fictitiorum deorum, imagines et simulacra colere et adorare tamquam veros deos, aut ipsorum sedem et domicilium?

Neque illud incompertum fuit peritioribus saltem quibusdam Ethnicis; quandoquidem Justinus Martyr (Justin., Cohort. ad gent., pag. 18), Clemens Alexandrinus (Clem. Alex., lib. v *Strom.*, pag. 603), et

Digitized by Google

Eusebius (Euseb., lib. XIII *Præp. Evang.*, pag. 680) contra absurdam illam gentilium plerorumque omnium opinionem citant hos Sophoclis versus :

Θνητοὶ δὲ πολλοὶ καρδίᾳ πλανώμενοι
Ἱδρυσάμεσθα, τημάτῶν παραφυγὴν·
Θεῶν ἀγάλματ' ἐκ λίθων τε καὶ ξύλων,
Ἢ χρυσοτεύκτων, ἢ ἐλεφαντίνων τύπους
Θυσίας τε τούτοις, καὶ καλὰς πανηγύρεις
Τεύχοντες, οὕτως εὐσεβεῖν νομίζομεν.

Plerique nostrum, mente sed capti, deum
Simulacra nobis, seu mali solatium,
Cum saxea atque lignea consecravimus;
Tum et aureas, eburneasque imagines.
Hos victimis placamus, his festos dies
Agimus, pios hoc esse nos rati modo.

Si qui itaque sagaciores Ethnici hæc opinionum monstra deriderent, nemo tamen dubitat, « horum, » inquit Minucius, « imagines consecratas vulgus orare, et publice colere, » tamquam deos, a quibus etiam miracula fieri, ac sibi subveniri existimabant.

Verum hi tam perniciosum errorem non tantum ex præfata simulacrorum origine, sed quo fingebantur modo agnoscere debuerunt. Etenim « si deus, » sive simulacrum « ligneus » est, inquit Minucius, « rogi fortasse vel infelicis stipitis portio, suspenditur, cæditur, dolatur, runcinatur, » hoc est, secatur majoribus serris, vel potius, ut aliis placet, complanatur ac politur : « Si lapideus, cæditur, scalpitur, et ab impurato homine levigatur. Denique si æreus vel argenteus est, conflatur, ac incudibus et malleis figuratur, « de immundo vasculo, ut sæpius factum Ægyptio regi, » videlicet Amasi. Narrat enim Herodotus ab illo factum ἄγαλμα δαίμονον, « dæmonis, » seu dei, « simulacrum, » ex pelvi aurea, in qua ipse atque alii convivæ, ἐνεμεῖν, καὶ ἐνουρεῖν, καὶ πόδας ἀπονίζεσθαι, « vomere, immingere, et pedes abluere solebant, » Ægyptii vero simulacrum illud summa veneratione coluerunt, vel, ut ait Herodotus, μεγάλως σέβεσθαι. (*Herodot. lib.* II. § 172.) Quamobrem Justinus martyr acriter corripit ethnicos, qui ἐξ ἀτίμων πολλάκις σκευῶν διὰ τέχνης, τὸ σχῆμα μόνον ἀλλάξαντες, καὶ μορφοποιήσαντες, θεοὺς ἐπονομάζουσι, « ex inhonestis sæpenumero vasis, figuram tantum mutantes et conformantes, atque exinde deos cognominantes » (*Justin. Apolog*, pag. 57).

Neque respondere poterant, Gentiles hujusmodi simulacra deos non esse, nisi post suam, de qua nos paulo ante diximus, consecrationem et dedicationem. Quid enim divinitati magis contumeliosum, quam Deum fieri ex turpissimo inhonestissimoque vase, quod impurati, vel ut Justinus mox citatus, ait, ὅτι οἱ τεύτων τεχνῖται ἀσελγεῖς, καὶ πᾶσαν κακίαν ἔχουσι « opifices impudici et omni pravitate contaminati simulacrum effinxerant (*Ibid*). »

Deinde vero qua ratione hæ imagines et statuæ post consecrationem dii aut, eorum domicilia fieri potuerunt? Quid eis ad divinitatem ea consecratio contulit? Cur postea ab araneis, hirundinibus, milvis, aliisque animalibus adhuc roduntur et coinquinantur? Cur hæc Jupiter omnipotens, aliique dii impune patiuntur? cur homines coguntur ea tergere, mundare, erodere? Sed ipsi ethnici, si plane excæcati non fuissent, ab illis avibus, atque animalibus discere debuerant hæc simulacra, sicut ait etiam Clemens Alexandrinus, omni sensu esse destituta, ac non sine summa impietate coli et adorari. Sed de his in superioribus nostris, de ejusdem Clementis Alexandrini, et rursus in sequentibus de Arnobii, Lactantii, et Tertulliani libris dissertationibus. Plura adhuc apud Philonem Judæum Athanasium, et Hieronymum legere poteris (*Clem. Alex. admonit. ad Gent.* pag. 34; *Tom. I. Apparat.* pag. 736 *et seq.*; *Philo de Decal.* pag. 753, *de Monarch.* pag. 813. *de Vita contempl.* pag. 890; *Athanas. contr. gent.* § 13. pag. 13; *Hieronym. lib.* XII. *in* cap. XLIV. *Isai.*). Nihil itaque nunc addemus, nisi ex tota hac Minucii nostri adversus Cæcilium et Ethnicos disputatione haud obscure colligi sive eumdem Minucium, sive alios, quotiescumque negaverunt ulla Christianis nota fuisse simulacra, non de aliis, sicuti supra a nobis observatum est, loqui, quam falsorum deorum simulacris, quæ a gentilibus colebantur.

### ARTICULUS II.

*De effigiato, uncto, et coronato Serapidis simulacro, quod Cæcilius adoravit, ubi de Gentilium vario simulacra adorandi ritu, et utrum illud Serapidis simulacrum Terminale fuerit.*

Unum procul dubio ex iis, de quibus egimus, deorum simulacris illud fuit Serapidis lapideum, effigiatum, unctum, et coronatum, quo, ut ait Minucius noster, « denotato, » Cæcilius, « manum ori admovens, osculum labiis pressit. » Quæ vero de simulacrorum consecratione, superiori articulo dicta sunt, hæc cuilibet facile persuadebunt illud simulacrum, quod Serapidem repræsentabat, ipso consecrationis ac dedicationis die, unctum fuisse et coronatum. Et certe uncta fuisse ejuscemodi simulacra testes haud incerti nobis sunt antiqui scriptores. Augustinus etenim post citata hæc libri Geneseos de Patriarcha Jacob verba : « Sumpsit lapidem, et superfudit oleum super cacumen ejus, » scripsit : Hoc ad prophetiam pertinet, nec more idololatriæ, lapidem perfudit oleo Jacob, velut faciens illum deum ; neque enim adoravit eumdem lapidem, vel ei sacrificavit (*Genes* XXVIII, 18; *August. lib.* XVI, *de Civ.* cap. 28, pag. 449, *et seqq.*).

Scriptum quoque a Clemente Alexandrino legimus : Οἱ αὐτοὶ δὲ οὗτοι πᾶν ξύλον, καὶ πάντα λίθον, τὸ δὴ λεγόμενον λιπαρὸν προσκυνοῦντες, « Ipsi autem omne lignum, et omnem lapidem, ut dicitur, unctum adorantes » (*Clem. Alex. lib.* XVII. *Strom.* pag. 713, D). Postea vero Arnobius de se ipso cum adhuc ethnicus esset, hunc loquitur in modum : « Picturas, veternosis in arboribus taenias si quando conspexeram, lubricatum lapidem, et ex olivi unguine sordidatum, tamquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, et beneficia poscebam, nihil sentiente de trunco » (*Arnob. lib.* I. *in Gent.* pag. 22).

Digitized by Google

Quid plura? Æmilianus ab Apuleio propterea corripitur, quod nullum plane habuerit lucum consecratum, nec ullum unctum lapidem : Nullum, inquit, in villa ejus delubrum situm, nullus lucus consecratus. Et quid ego de luco et delubro loquor? Negant vidisse se, qui fuere, unum saltem in finibus ejus aut lapidem unctum, aut ramum coronatum (*Apuleius, Apolog.* I. pag. 349). » Alio quoque in libro hæc, quæ ad auctoris nostri propositum non minus faciunt, litteris mandavit : « Neque justius religiosam moram viatori objecerit, aut ara floribus redimita, aut spelunca frondibus inumbrata, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata, vel etiam colliculus sepimine consecratus, vel truncus dolamine effigiatus, vel cespes libamine humigatus, vel lapis unguine delibutus (*Idem. lib.* I. *Floridorum, init.* pag. 217). »

Coronata quoque fuisse ejusmodi deorum simulacra jam ex citatis scriptoribus audivimus. Sed id insuper Clemens Alexandrinus, Sophoclis Saphusque auctoritate confirmat, ibidemque adjecit : « Qui a verbo instituuntur, » id est, Christiani, « a coronis arcentur... quod ea dicata sit simulacris. Ἀλλ' οὐδὲ τὴν εἰκόνα τοῦ θεοῦ τὴν ζῶσαν, δίκην εἰδώλων τῶν νεκρῶν, κατασκευτέον. Sed nec dei imago, mortuorum simulacrorum ritu est coronanda (*Clem. Alex. lib.* II. *Pædag.* cap. 8. pag. 181). » Prius autem Justinus martyr, nec minus perspicue : « Neque victimis multis, inquit, καὶ πλοκαῖς ἀνθῶν τιμῶμεν, et florum coronis colimus, quos homines effigiantes, et in templis collocantes deos cognominarunt, quandoquidem hæc anima carentia, mortua, et Dei formam non habentia simulacra novimus. (*Just. Apolog.* II, pag. 57 C.) « Quam ob causam Arnobius : « Etiamne dii sertis, coronis afficiuntur, et floribus? » Lactantius vero : « Alacres, inquit, ad deorum templa concurrunt, his libant, his sacrificant, hos coronant » (*Arnob. lib.* VII. *adv. gent.* pag. 237; *Lactant. lib.* II. *Institut.* cap. 1. pag. 138).

Huc rursum accedat ex Ethnicorum numero Apuleius, et audiemus dicentem : « Respicio pilæ mediæ, quæ stabuli trabes sustinebat, in ipso fere meditullio Eponæ deæ simulacrum, residens ædiculæ, quod accurate corollis roseis, et quidem recentibus fuerat coronatum. » Præterea Plinius : « Et jam tum coronæ, inquit, deorum honos erant, et Larium publicorum, privatorumque, ac sepulchrorum, et Manium (*Apuleius, lib.* III *Metamorph. paulo ante fin.; Plin. lib.* XVI *Natur. Hist. cap.* 4; *pag.* 227). » Denique ut Tertullianum, qui de Corona librum edidit, et alios complures missos faciamus ; Ovidius de deo Termino hæc cæcinit :

Te duo diversa domini de parte coronant,
Binaque serta tibi, binaque dona ferunt.
(Ovid., l. II, *Fast.*, § 17.)

Tale igitur erat Serapidis simulacrum, « quo denotato, » Cæcilius, uti ait Minucius, « manum ori admovens, osculum labiis pressit, » id est, Ethnicorum ritu veneratus est et adoravit. Verum ut hoc manifestius fiat, observandum est varium fuisse hunc deos adorandi modum. Quidam enim deorum suorum simulacra adorantes, his osculum dabant, quemadmodum Cicero hisce verbis diserte significat : « Herculis templum est apud Agrigentinos... ibi est ex ære simulacrum ipsius Herculis, quo non facile quidquam dixerim me vidisse pulchrius... usque eo, judices, ut rictus ejus, ac mentum paulo sit attritius, quod in precibus, et gratulationibus non solum id venerari, verum etiam osculari solent » (*Cicero, lib.* IV *in Verr. pag.* 177. *lin.* 22 *et seqq.*). Alii vero dexteram tantum manum suam deosculabantur. Ubi enim Lucianus de Ethnicorum sacrificiis et victimis disserit, hæc de pauperibus hominibus memorat : « At si quis pauper, is ita deo litat, ut dexteram dumtaxat suam ipsius deosculetur, » φιλήσας μόνον τὴν αὐτοῦ δεξίαν. Alio autem in libro : « Inde, inquit, posteaquam mane e strato surrexerunt, solem venerantur, οὐχ ὥσπερ ἡμεῖς τὴν χεῖρα κύσαντες, ἡγούμεθα ἀτελῆ ἡμῶν εἶναι τὴν εὐχήν. « Non quemadmodum nos deosculata manu perfectam precationem esse arbitramur » (*Lucian. de Sacrif. pag.* 186. *Idem de Saltat., pag.* 505). Quocirca Apuleius Æmiliano illud vitio vertit, quod : « Si fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admovere » (Apuleius, *Apolog.* I, pag. 349).

Quo autem modo manum ori admoverent, ille alibi sic explicat : « Multi civium, et advenæ copiosi, quos eximii spectaculi rumor studiosa celebritate congregabat, inacessæ formositatis admiratione stupidi, et admoventes oribus suis dexteram, primore digito in erectum pollicem residente, ut ipsam prorsus deam Venerem religiosis adorationibus venerarentur (Idem lib. IV *Metamor.* pag. 67). » Plinius autem : « In adorando, ait, dexteram ad osculum referimus, totumque corpus circumagimus, quod in lævam fecisse Galliæ religiosius credunt » (Plin., lib. XXVIII *Natur. Hist.*, cap. 2, pag. 564). Hieronymus etiam in hæc Oseæ verba : « Immolate homines, vitulos adorantes » (Hieronym. *in Oseæ* cap. XIII, 2), scripsit : « Pro eo quod juxta Symmachum et Theodotionem vertimus adorantes, Aquila interpretatus est, καταφιλοῦντες, id est, deosculantes. Qui enim adorant, solent deosculari manum suam, quod Job fecisse negat dicens : Si vidi solem... si osculatus sum, manum meam apponens ori meo, et hoc mihi ad iniquitatem reputetur » (Jobi cap. XXXI, 27; Hieronym., lib. I. *adv. Rufin.*, pag. 371). Alia his plane similia apud eum et alios sacræ Scripturæ interpretes in citata Jobi verba legere poteris.

His porro ita observatis, inquirendum est quis sit Auctoris nostri sensus, de quo non minima est inter celebres duos ætatis nostræ scriptores Lipsium et Salmasium disceptatio. Prior enimvero censet sic esse intelligenda citata a nobis illius verba ; ut Cæcilius manum versus Serapidis simulacrum prius extenderit, eamque deinde, tamquam ex simulacri contactu expiatam osculatus sit. Contra vero Salmasius contendit iisdem Minucii verbis significari Cæcilium

Digitized by Google

pro gentilium more antea osculatum esse manum suam, ac eam postea versus simulacrum, quod adorabat, porrexisse. Plures autem in Lipsii inclinant sententiam et explicationem. Quid vero, si dicatur his Minucii verbis declarari Cæcilium et manum admovisse ori suo, et Serapidis simulacro dedisse osculum? Solebant enim gentiles, uti ex paulo antea citato Cicerone vidimus, deorum suorum simulacra osculari. Expende tamen singula, et in eam, quam probabiliorem judicabis, abeas sententiam, per nos semper licebit. De hoc porro simulacra adorandi more multa Brissonius, ad quem te potius, quam plura in rem satis cognitam congerenda esse, mittendum duximus (Brisson. lib. II *de Form.* pag. 840 et seqq.).

Demum pro certo quidam ponunt notatum a Minucio Serapidis simulacrum fuisse terminale, sive pro deo Termino positum. Nonne autem eorum opinio his confirmari potest Tibulli versibus :

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florida serta lapis.
(Tibull., l. I, *Eleg.*, 1.)

Verumtamen, ut verum fateamur, nobis hi facile non persuadebunt illud tam certo posse ex Auctoris nostri verbis colligi. Ibi enim ille haud obscure significat hoc simulacrum non in agris, sed circa mediam collocatum fuisse urbis Ostiæ partem, quæ littus maris respiciebat. Quamvis ergo ibi trivium fuisset, Minucius tamen illud non Termini, sed Serapidis simulacrum nominatim appellavit. At de his aliorum esto judicium. De deo autem Termino alius adhuc agendi locus nobis dabitur (Dissert. in *Lactant.*, cap. 52, art. 2).

## CAPUT XXII.

EXPENDITUR MINUCII ARGUMENTUM, QUO EX SACRIS IPSIS, QUÆ ETHNICI IN DEORUM SUORUM HONOREM CELEBRABANT, MYSTERIIS ATQUE FESTIS, ILLOS NON EXISTERE ARGUIT.

### ARTICULUS PRIMUS.

*De Isidis sacris et mysteriis, quibus illa filium aut maritum suum perditum cum Cynocephalo quærere, et eo invento, gaudere fingebatur : quam ridicula horum mysteriorum ab Ægyptiis ad Romanos transmissorum pompa, et quam validum contra Gentilium deos argumentum inde deducatur.*

Quamvis celebrata ab Ethnicis deorum suorum festa et mysteria manifestam omnibus facere debuissent veram illorum divinitatem ; ex iis tamen ipsis Minucius demonstrat illam penitus falsam esse et commenticiam : « Considera, inquit, sacra ipsa, et ipsa mysteria, invenies exitus tristes, fata, et funera, et luctus, atque planctus miserorum deorum. » Qua ergo cæcitate perculsi fuerunt infelices Ethnici, ut eos pro diis haberent, colerent, et adorarent, quos ipsis hominibus miseriores singulis annis repræsentabant, fingebantque exitus suos, fata, ac funera lugere et lamentari ? Miraberis forsitan, ac vix tandem, et ne vix quidem tibi persuaderi sines tantam gentilium, quorum saltem multorum mens sana esse debebat, fuisse dementiam ; ut ea serio crederent quæ in hac mysteriorum celebratione de diis suis exhibere solebant. Verumtamen Minucius noster illud variis exemplis evidentissime ostendit.

Ab Isidis autem sacris sic ille incipit : « Isis perditum filium cum Cynocephalo suo, et calvis sacerdotibus luget, plangit, inquirit ; et Isiaci miseri cædunt pectora, et dolorem infelicissimæ matris imitantur. Mox invento, gaudet Isis, exultant sacerdotes, Cynocephalus inventor gloriatur. Nec desinunt annis omnibus vel perdere, quod inveniunt ; vel invenire, quod perdunt. » A Lactantio autem hæc sacra sic describuntur : « Isidis Ægyptia sacra sunt, quatenus filium parvulum vel perdiderit, vel invenerit. Nam primo sacerdotes, deglabrato corpore, sua pectora tundunt, lamentantur, sicut ipsa, cum perdidit, fecerat. Deinde puer producitur, quasi inventus ; et in lætitiam luctus ille mutatur. Ideo Lucanus :

. . . Numquamque satis quæsitus Osiris,

Semper enim perdunt, et semper inveniunt. Refertur ergo in sacris imago rei, quæ vere gesta est, quæ profecto, si quid sapimus, declarat mortalem mulierem fuisse, ac pene orbam, nisi unicum reperisset » (Lactant. lib. I, cap. 21, pag. 117. et seqq.). At ibi aut Lactantius aut librarius erravit. Non Lucani enim est citatus ab illo versus, sed Ovidii (*lib.* IX *Metam. fab.* 8) qui plura a Minucio nostro, et eodem Lactantio memorata decantavit. At Lucanum si citare voluisset Lactantius, poterat utique hæc, quæ non parum ad argumentum suum faciunt, in medium proferre illius carmina :

Nos in templa tuam Romana accepimus Isim,
Semideosque canes, et sistra jubentia luctus,
Et quem tu plangens, hominem testaris Osirim,
(Lucan., l. VIII *Pharsal.*, cit. fin.)

Confirmari autem hæc omnia possunt non solum Theophili Antiocheni, et Senecæ ab Augustino laudati testimonio, sed Julii etiam Firmici, qui eadem Isidis mysteria sic breviter explicat : « Hæc est Isiaci sacri summa. In adytis habent idolum Osiridis sepultum ; hoc annuis luctibus plangunt, radunt capita : ut miserandum casum regis sui, turpitudine dehonestati defleant capitis, tundunt pectus, lacerant lacertos, veterum vulnerum resecant cicatrices, ut annuis luctibus in animis eorum funestæ ac miserandæ necis exitium renascatur : et cum hæc certis diebus fecerint, tunc fingunt se lacerati corporis reliquias reperire, et cum invenerint, quasi sopitis luctibus gaudent » (Theophil. lib. I *ad Autolyc.*, pag. 75; August. lib. VI *de Civit.* cap. 10, pag. 159; Jul. Firmic., lib. *de Error. profan. relig.* init.).

Nonne autem hæc et Minucii nostri dictis optime congruunt, et iis etiam quæ supra de Osiridis corpore, membratim dilacerato, atque ab Iside postea reperto observavimus. Sed ab aliis ille et Lactantius eo dissident, quod Osirim Isidis filium appellent, qui ab aliis illius frater et maritus vocatur. Arnobius vero illum haud dubitanter vocat maritum et filium, nisi dixeris duos ab eo distingui hisce ipsius verbis : « Æthiopicis solibus Isis furva, mœrens perditum filium et

Digitized by Google

membratim conjugem lancinatum » (Arnob. lib. I *adv. Gent.* pag. 20).

Numquid ergo erraverunt Minucius noster atque Lactantius, cujus jam alium errorem citando Ovidium notavimus? Verum Diodorus Siculus, qui Osiridis necem eo, quo retulimus, modo narravit, hæc transcripta deinde ab Eusebio de Iside, et Oro ejus et Osiridis filio, verba fecit. « Invenit illa immortalitatis pharmacum, quo filium suum Orum, Titanum insidiis oppressum, et mortuum, in aquis inventum, non tantum reddita anima, in vitam reduxit, sed etiam immortalitatis participem fecit. » Præterea Herodotus, et Plutarchus Orum Osiridis, et Isidis filium fuisse testificantur : et Herodotus quidem illum Apollinem et Orum, Plutarchus vero Harpocratem cognominatum esse perhibent. Atqui in Isidis mysteriis, uti Tertullianus narrat, Ethnici Serapidem, Isidem et Harpocratem *cum Cynocephalo suo*, cujus etiam Augustinus meminit, impio plane cultu venerabantur (Diodor. lib. I, *Biblioth.* pag. 15; Euseb. lib. VII, *Præpar. Evang.* cap. 1, pag. 48; Herodot. lib. II, § 144; *Plutar. lib. de Isid. et Osir.* pag. 356 et seqq.; Tertull. *Apolog*, cap. 6, pag. 7; August. lib. III. *de Civit.* cap. 12, pag. 66). At certe hæc cum Minucii nostri et Lactantii dictis optime, sicuti vides, conveniunt. Non solum enim Orus idem atque Harpocrates, sed Serapis etiam, quemadmodum Lactantius paulo ante laudatus, atque alii observarunt, ipsemet erat Osiris, sicuti nos quoque alibi annotavimus. Si quis tamen Osirin ab Iside hisce in sacris quæsitum inventumque illius fratrem ac maritum fuisse contendat, et recte **probaverit,** quod is in sua maneat sententia, minime prohibemus. At meminisse semper debet non modo obscuram prorsus ac confusam esse hanc historiam, seu potius fabulam, sed Minucium quoque et Lactantium plures habuisse opinionis suæ assertores ac patronos.

Probatu longe faciliora hæc omnia sunt, quæ auctor noster in horumce impiorum mysteriorum celebratione peragi palam conqueritur : « Isis, inquit, perditum filium cum Cynocephalo suo, id est, Anubi, cujus figura publice circumferebatur, cum calvis sacerdotibus luget, plangit, inquirit. » Ridiculam vero prorsus harum cæremoniarum pompam graphice his Apuleius descripsit verbis : « Hi capillum derasi funditus, vertice prænitentes, magnæ religionis terrena sydera cereis et argenteis, immo vero aureis etiam sistris argutum tinnitum constrepentes.... Ille superum commeator et inferum, nunc atra, nunc aurea facie sublimis, attollens canis cervices arduas Anubis, læva caducæum gerens, dextra palmam virentem quatiens » (Apul. lib. II *Metamorph.* pag. 201). Unde Martialis cecinit :

Linigeri fugiunt sistrataque turba.
(Martial., l. XII *Epigramm.* 29.)

Expressius vero Juvenalis :

Ergo hic præcipuum summumque meretur honorem
Qui grege linigero circumdatus et grege calvo,
Plangentis populi currit derisor Anubis.
(Juvenal., *Satyr.* VI, ante fin.)

A Denique Ambrosius ad Sabinum scripsit : « Ipsi capita et supercilia sua radunt, si quando Isidis suscipiunt sacra » (Ambros. Epist. LVIII *ad Sabin.* pag. 1013). Vide, si lubeat, quæ in hunc locum annotavimus, et Hieronymum, Prudentium, atque alios (Hieronym. *in cap.* XLIV *Ezechiel.*; Prudent. lib. II. *cont. Symmach.*).

Nec minus constat Isiacos, sicut ait Auctor noster, his festis cædere pectora, et dolorem infelicissimæ matris imitari. Præter laudatos siquidem a nobis Lactantium et Julium Firmicum, Herodotus certe ubi de iis, qui Isidis festum agebant, disputat : « Verberantur, inquit, τύπτονται, post sacrificium cuncti et cunctæ, πάντες καὶ πᾶσαι, multa sane hominum millia. Quo autem verberantur non est mihi fas di-
B cere, sed ex omnibus præcipue hoc faciunt Cares, qui Ægyptum incolunt ; adeo quidem ut gladiis quoque frontes concidant, τὰ μέτωπα κόπτονται μαχαίρῃσι » (Herodot. lib. II, § 61 ). Descripta autem ab Athenagora hæc Herodoti verba invenies, ex quibus ille concludit deos immortales non esse, qui tam cruentum in modum verberati, in sacris suis exhibentur (Athenag. *Legat. pro Christian.*, pag. 32. Ibid. pag. 14). Quid enim magis absurdum, quam ab Ethnicis, ut paulo ante dixerat, deos plangi, pectusque propter illos tamquam mortuos crudeliter tundi, et ipsis tum sacrificari tamquam diis immortalibus. Sed de his ridiculis gentilium ritibus plura Dionysius Halicarnasseus, aliique a nobis mox citandi (Dionys. Halic., lib. II. *Antiquit. Rom.*, pag. 91).

C Pergit Minucius : « Hæc tamen Ægyptia quondam sacra et mysteria. » Optime quidem, ut patet ex proxime laudatis cum Herodoto, tum Athenagora, atque aliis : « Nunc et sacra, » ait adhuc Minucius, « Romana sunt. » Quod etiam citatis paulo ante Lucani versibus traditum assertumque vidimus. Testis quoque est Suetonius Othonem, Romanorum Imperatorem, sacra Isidis sæpe in lintea religiosaque veste propalam celebrasse (Sueton. lib. VII, § 12). Commodus autem Romanorum itidem Imperator, teste Lampridio, « sacra Isidis coluit, et ut caput raderet et Anubin portaret.... Isiacos vero pineis usque ad perniciem pectus tundere cogebat. Cum Anubin portaret, capita Isiacorum graviter obtundebat ore simulacri. » Postea vero illud adhuc repetit et confirmat
D (Lamprid., pag. 313 et 327).

Huc accedit, quod posteris prodidit Valerius Maximus, Isidis fana, a L. Æmilio Paulo consule, Romano senatu jubente, diruta et eversa fuisse : « L. Æmilius Paulus Consul, cum senatus Isidis, inquit, et Serapis fana diruenda censuisset, eaque nemo opificum attingere auderet, posita prætexta, securim arripuit templique ejus foribus inflexit » (Valer. Maxim., lib. I, c. 3, § ult. ). A Tertulliano quoque, ut suo loco videbimus, memoriæ traditum est Isidis aras a Romanis destructas, sacraque abrogata ac deinde restituta » (Tertull. *Apolog.*, cap. 6, pag. 9; et lib. II. ad *Nation.* cap. 10, pag. 54).

Recte ergo ex his Minucius concludit : « Nonne ri-

Digitized by Google

dieulum est lugere quod colas, vel colere quod lugeas? » Simili plane modo Plutarchus, quamvis ethnicus, Xenophanem Colophonium ejusque sectatores refellit : « Absurditas rei, ait ille, in conspectu fuit non modo Xenophani Colophonio, aut qui eum subsecuti, Ægyptios monuerunt, Εἰ θεοὺς νομίζουσι, μὴ θρηνεῖν, εἰ δὲ θρηνοῦσι, θεοὺς μὴ νομίζειν· aut ne lugerent eos, quos deos censerent esse; aut pro diis non haberent, si lugendos crederent » (Plutarch., lib. *de Isid. et Osirid.* pag. 379). Heraclitus etiam, narrante Clemente Alexandrino, ac postmodum Epiphanio, iisdem Ægyptiis objiciebat : « Si existimatis deos, ne ipsos lugeatis, neque plangatis : si autem lugetis, ne eos deos esse putetis » (Clem. Alex., *Admon. ad gent.*, pag. 15. Epiph. *Ancorat.* § 106, pag. 106). Denique ut alios gentiles et christianos prætermittamus, eadem prorsus ratione Athanasius, et Julius Firmicus hæc nefanda mysteria explodunt atque exsibilant, et in iis falsos deos ab ethnicis coli concludunt (Athanas., *orat. cont. gent.* § 10, pag. 11; Jul., Firmic., *de Error. profan. relig.* pag. 21).

A

B

ARTICULUS II.

***De Eleusiniis mysteriis festoque die in Cereris filiam suam Proserpinam a Plutone raptam inquirentis, memoriam celebratis; de Jovis sacris atque etiam Cybeles Dindimenæ seu Cereris, vel Rheæ, vel matris deum, et Atydis castrati, quæ a gallis seu exsectis hominibus peragebantur.***

Isidis sacris similia erant Eleusinia, quæ in Cereris filiam suam Proserpinam seu Liberam a Plutone raptam quærentis, honorem vel potius contumeliam quotannis ab ethnicis celebrari solebant. Minucius autem paucis quidem verbis, sed quæ sufficiebant, ridiculam horum mysteriorum impietatem demonstrat : « Ceres, inquit, facibus accensis et serpente circumdata, errore subreptam et corruptam Liberam, anxia et sollicita vestigat. » Sed hæc Cicero enodatius in quarta adversus Verrem oratione, hisce verbis enucleavit : « Hæc est opinio, ait, quæ constat ex antiquissimis Græcorum litteris atque monumentis, insulam Siciliam totam esse Cereri et Liberæ consecratam. Hoc cum cæteræ gentes sic arbitrantur, tum ipsis Siculis tam persuasum est, ut animis eorum insitum atque innatum esse videatur. Nam et natas esse has in his locis deas, et fruges in ea terra primum repertas arbitrantur; et raptam esse Liberam, quam eamdem Proserpinam vocant, ex Ennensium nemore, qui locus, qui in media est insula situs, umbilicus Siciliæ nominatur : quam cum investigare et conquirere Ceres vellet, dicitur inflammasse tædas iis ignibus qui ex Ætnæ vertice erumpunt, quas sibi cum ipsa præferret, orbem omnium peragrasse terrarum..... Etenim propter est spelunca quædam conversa ad Aquilonem infinita altitudine, qua Ditem patrem, » hoc est Plutonem, « ferunt repente cum curru extitisse, abreptamque ex eo loco virginem secum asportasse, et subito non longe a Syracusis penetrasse sub terras, lacumque in eo loco repente exstitisse ubi usque ad hoc tempus Syracusani festos dies anniversarios agunt celeberrimo virorum mulierumque conventu » (Cic. Orat. IV. *in Verr.* pag. 179. et seqq.). Et hæc sane iis plane consentanea sunt, quæ eadem de re narrat Diodorus Siculus; qui in sententiæ suæ confirmationem hos retulit Corcini poetæ græcos versus.

C

Λέγουσι Δήμητρός ποτ' ἀρρήτου κόρην
Πλούτωνα κρυφίοις ἁρπάσαι βουλεύμασι,
Δῦναί τε γαίας εἰς μελαμφαεῖς μυχούς.
Πόθῳ δὲ μητρὸς ἡφανισμένης κόρης
Μαστῆρ' ἐπελθεῖν πᾶσαν ἐν κύκλῳ χθόνα.
Καὶ τὴν μὲν Αἰτναίοισι Σικελίαν πάγοις
Πυρὸς γέμουσαν ῥεύμασι δυσεμβόλοις
Πᾶσαν στενάξαι· πένθεσι δὲ παρθένου,
Σίτων ἄμοιρον διοτρεφῆς φθίνειν γένος,
Ὅθεν θεὰς τιμῶσιν εἰς τὰ νῦν ἔτι.

Ferunt quod alma Cereris olim filia,
Sic fraudulentis rapta Ditis machinis,
Et nigricantes inierit terræ specus,
Materque perditam requirens anxie,
Totum vagata sit per orbis ambitum.
Tunc quæ sub Ætnæ collibus Trinacria
Igni scatet, globosque jactat flammeos,
Ingemuit omnis : dumque virgo plangitur,
Gens Jovis alumna, egena victus tabuit.
Hinc est, deas adhuc quod impense colunt.

(Diodor. Sicul., init. l. v *Bibliothec.*, p. 201 *et seqq.*)

Sed Ovidius hæc uberius stricta adhuc describit oratione. Duos autem tantum ex iis versus, quibus Cererem, cum ad Ætnam montem pervenisset, memoratas faces accendisse canit, nunc transcribemus :

Illic accendit geminas pro lampade pinus,
Hinc Cereris sacris, nunc quoque tæda datur.

(Ovid., l. IV *Fast.*, § 6.)

Statius quoque in silvis hos ad Julium Menecratem scripsit duos versus :

Tuque Actæa Ceres, cursu cui semper anhelo
Votivum taciti quassamus lampada mystæ.

(Stat., *l.* IV, *Sylv. Carm.*, penult.)

Ad hæc vero Claudianus tribus libris decantavit raptum Proserpinæ, atque ipso libri primi initio faces illas et serpentes sic memorat :

. . . . . Jam magnus ab imis
Auditur strepitus terris, templumque remugit
Cecropidum, sanctasque faces extollit Eleusis:
Angues Triptolemi strident, et squamea curvis
Colla levant astricta jugis, lapsuque sereno
Erecti roseas tendunt ad carmina cristas.

(Claudian., l. *de Rapt. Proserp.*)

D

De his porro Cereris mysteriis, diebusque festis verba quoque fecit Lactantius, nosque etiam de his alibi egimus, pluresque, quos adire et legere poteris, citavimus scriptores, qui de illis data opera disputaverunt (Lactant. lib. I. *div. Inst.*, cap. 21, pag. 119. tom. I. *Apparat.* lib. III. *dissert.* 1, cap. 9, art. 2, pag. 758; et Not. in lib. I Ambros. *de Virgin.* cap. 4. § 16).

Pergit Auctor noster : « Et quæ Jovis, inquit, sacra sunt? Nutrix capella est, et avido subtrahitur infans, ne voretur, et Corybantum cymbalis, ne pater audiat vagitus, tinnitus eliditur. » Sed hæc, quæ de Jove ac ethnicis prædicabantur, festisque ejus diebus, a nobis superius (Supr., cap. 14, art. 3.), atque insuper a mox laudato Ovidio satis explicata

Digitized by Google

sunt (Ovid. lib. v *Fastor.*, pag. 617 et seqq.). Quamobrem id tantum observavimus hæc non modo Jovis, sed ejus etiam matris Rheæ sacra fuisse, quæ ab eodem Ovidio et Lactantio, uti suo loco videbimus, perspicue describuntur (Idem lib. iv *Fastor.*, pag. 172 et seq. Lact., lib. i cap. 21, pag. 123).

Ad Dindymenæ tandem Cybeles sacra venit Minucius : Sed « pudet, inquit, dicere. Adulterum suum infeliciter placitum, quoniam et ipsa deformis vetula et multorum deorum mater, ad stuprum illicere non poterat, exsecavit, ut deum scilicet faceret eunuchum. Propter hanc fabulam galli eam et semiviri sui corporis supplicio colunt. » Quamvis autem hanc, ut recte auctor noster ait, fabulam aliter Diodorus Siculus, Pausanias, Servius, aliter vero Ovidius atque Arnobius, ut infra ostendemus, enarraverint, nec Luciano tamquam omnino vera videatur, ab isto tamen hunc, quem verisimiliorem censet, exponitur in modum : « Attes genere quidem Lydus fuit, primus autem sacrorum ritus, quibus Rhea coleretur, tradidit : ac quibus Phryges, et Lydi, et Samothraces in sacris utuntur, ea omnia ab Atte acceperunt. Postquam enim ipsum castravit Rhea, vitam quidem virilem agere desiit, formam autem femineam assumpsit, vestemque muliebrem induit... Dicebat autem et de gallis, qui in templo sunt, quod galli Junoni quidem haudquaquam, Rheæ autem castrari soleant, et Attem imitentur. » Tum deinde ille edisserit quomodo fierent galli, ac virilia eis amputarentur (Diodor., lib. III *Biblioth.* pag. 134; Pausan. lib. VII *Arcadic.* pag. 223; Serv., in lib. IX Æneid. Virg. v. 135; Ovid., lib. IV *Fast.* § 3; Arnob., lib. *adv. Gent.* pag. 157 et seq.; Dissert. *in Arnob.*, cap. 26, art. 1; Lucian. *de Dea Syr.* pag. 1501 et seqq. Ibid. pag. 1075). Ex his autem quæ audisti et ab eo alibi adhuc tradita sunt, Minucii nostri narratio plane confirmatur atque illustratur.

Præterea ut Lactantium, Prudentium, allosque quam plurimos mittamus, Augustinus qui hæc mysteria Carthagine, « usque in hesternum, inquit, diem, » id est, ad suum usque tempus celebrata fuisse testificatur, de iis eadem rursus, atque ipsemet auctor noster, litteris mandavit : « Sacra sunt, ait, Matris deum, ubi Atys pulcher adolescens, ab ea dilectus, et muliebri zelo abscissus, etiam hominum abscissorum, quos gallos vocant, infelicitate deploratur » (Lactant., lib. I, cap. 21; Prudent. hymn. *in S. Roman.* sub fin.; August. lib. VI *de Civitat.*, cap. 26, pag. 154). Addit porro hæc horrenda sacra, omni scenica obscœnitate turpiora, ab ipsis quoque observata fuisse Romanis (Ibid. pag. 182). Quapropter Tatianus antea illud ethnicis vitio verterat : « Rhea, inquiebat, quam in Phrygii montibus Cybelem vocant, puerorum exsectionem propter Atym amatum ei puerum, instituisse ferunt » (Tatian., *orat. cont. Græc.*, pag. 147). Nec minus diserte, immo et magis dilucide Hieronymus de iisdem, ac Minucius, Romanis hæc turpissima Cybeles mysteria suo adhuc tempore celebrantibus, sic loquitur : « Hi sunt quos hodie Romæ Matri non deorum, sed dæmoniorum servientes, gallos vocant, eo quod de hac gente Romani truncatos libidine, in honorem Atys, quem Eunuchum dea meretrix fecerat, sacerdotes illius manciparint. Propterea autem Gallorum gentis homines effeminantur ; ut qui urbem Romam ceperant, hac feriantur ignominia (Hieronym., in cap. IV *Oseæ*, v. 2).

Sed ab aliis ille arguitur quod hos castratos Matris deum seu Cybeles sacerdotes, natione Gallos fuisse putaverit. Vero etenim similius quibusdam videtur gallorum nomen illis impositum a viro nomine Gallo, qui, ut ait Stephanus, fuit primus forsitan Cybeles sacerdos. Alii sic nuncupatos putant a Gallo, Phrygiæ fluvio, qui ex Celænis montibus in Sangarium influit. Et hæc est non modo Herodiani (Herodian., lib. I, pag. 476), verum etiam Ovidii opinio, quam hisce versibus explicuit :

> Cur igitur gallos, qui se excidere vocamus,
> Cum tantum a Phrygia Gallica distet humus?
> Inter, ait, viridem Cybelen altasque Celenas,
> Amnis in iusana, nomine Gallus, aqua.
> Quilibet inde furit, procul hinc discedite queis est,
> Cura bonæ mentis : qui bibit inde, furit.
>
> (Ovid., l. IV *Fast.*, § 3.)

Fluminis autem illius meminit Plinius, quem videre poteris, quemadmodum et Vossium, ac Lilium Giraldum de illa Cybeles et Atys fabula, de eorum mysteriis, illisque gallis disputantes. De his nos quoque, ac potissimum de illorum mysteriorum auctore alibi disputavimus (*Plin. lib.* XXXI *Hist. Nat.* cap. 2, pag. 779; Voss. l. I *de Orig. et Progr. Idolol.* cap. 20. pag. 78 et seqq.; Girald. *syntag.* IV *Hist. deor.*; Tom. I *Apparat.* lib. III. dissert. II, cap. 9, art. 2, pag. 758 et seqq).

Cæterum tametsi eadem, uti jam annotavimus, diceretur Isis, Ceres, Cybele, Rhea, Dindymene, ac Deorum mater, aliisque adhuc, ut Plutarchus et Strabo observant, nominibus appellaretur ; constat nihilominus diversa fuisse sacra et festa, quæ agebantur in Cereris Proserpinam quærentis, ac Cybeles simul et Atydis memoriam (Plutarch. *in Vita Cæsar.* pag. 111. Strab. lib. X. *Geogr.* pag. 169). Sed quæcumque ea sint, evidentissime demonstrant falsam illorum divinitatem, atque gentilium eos colentium deplorandam cæcitatem et amentiam.

### ARTICULUS III.

*De aliis superstitiosis et absurdis Gentilium ritibus, quibus plures sanguine suo libabant, ac vulneribus viriliumque excisione supplicabant, deosque ducebant vicatim mendicantes ; de lupercis cruda hyeme nudis discurrentibus, obvios verberantibus ac pelles cædentibus ; de Saliis pileatis, et scuta vetera circumferentibus.*

Neminem esse putamus, qui ex hactenus disputatis facile non intelligat quid sibi Minucius velit, cum absurdos planeque superstitiosos Romanorum falsos deos adorantium ritus insectatur, ac quemlibet ex illis hominem merito corripit : « Qui sanguine suo

Digitized by Google

libat, et vulneribus suis supplicat . . . . . aut cui exta sunt obscena demessa, quomodo deum violat, qui hoc modo placat; cum si eunuchos Deus vellet, posset procreare, non facere.» Nonne enim ille ibi et de Cybeles, uti proxime dicebamus, atque etiam de Bellonæ, quemadmodum antea etiam animadvertimus (Supr. cap. 9, art. 2) insanis utique sacerdotibus disputat? Et certe Juvenalis de utrisque cecinit :

. . . . . Ecce furentis
Bellonæ, matrisque deum chorûs intrat, et ingens
Semiviri obsceno facies reverenda minori,
Mollia qui rupta secuit genitalia testa
Jam ¡ridem, cui rauca cohors, cui tympana cædunt
Plebeia, et Phrygia vestitur bucca tiara.
(Juvenal., *Satyr.*, v, circa med.)

Nonne etiam Athenagoras de iisdem, etsi tam obscure de secundis quam perspicue de primis, dixit : Οἱ μὲν ἀποτέμνουσι τὰ αἰδοῖα, οἱ περὶ τὴν Βέαν ... ἐὼ γὰρ τοὺς ταῖς μαχαίραις, καὶ τοῖς ἀστραγάλοις αἰκιζομένους αὐτοὺς λέγειν. «Alii pudenda exscindunt, qui conjuncti sunt Rheæ : ut nihil dicam de illis qui cultris et flagellis nodatis seipsos discruciant?» (Athenag., *Legat. pro Christian.*, pag. 29.) At, sicut ille soluto, ita Martialis stricto sermone dixit :

Alba minus sævis lacerantur brachia cultris,
Cum furit ad Phrygios enthea turba modos.
(Martial., l. II, *Epigramm.*, 85.)

De Matris vero deum mystis Seneca :

Non, si molles imitata viros,
Tristi laceret brachia tecum,
Quæ turritæ turba parentis
Pectore rauco concita, buxum
Ferit, ut Phrygium lugeat Atym.
(Senec., *Agamem.*, act., III, scen. 2.)

Concinit utrique Juvenalis duobus his carminibus :

Quid tamen exspectant, Phrygio quos tempus erat jam
More supervacuam cultris abrumpere carnem?
(Juvenal., *Satyr.*, II, circ. fin.)

Lucianus etiam, τὴν κεφαλὴν κάτωθεν ἐξ αὐχένος ἐλίσσοντες, τοῖς ξίφεσιν ἐτέμνοντο τοὺς πήχεις, καὶ τὴν γλῶτταν τῶν ὀδόντων ὑπερβάλλων ἕκαστος, ἔτεμνε καὶ ταύτην· ὥστε ἐν ἀκαρεῖ πάντα πεπλῆσθαι μαλακοῦ αἵματος. «Caput subtus guttur ligantes, ensibus lacertos feriunt, linguam insuper foris dentes extensam quisque incidit, ut brevi tempore omnia sanguine manarent.» (Lucian. in Luc. sive asin. pag. 660). Apuleius vero ferrum illud anceps vocat, quo sua quisque brachia dissecabat, et, ut ait Tertullianus, hi galli et eorum princeps archigallus sanguinem impurum, castrando lacertos, libabat. Quamobrem Seneca apud Augustinum inde gentilium suorum deos sic exagitat. «Ille viriles sibi partes amputat, ille lacertos secat. Ubi iratos deos timent, qui sic propitios merentur? Dii autem nullo debent coli genere, si et hoc volunt.» (Apul. lib. VIII *Metamorph.* ante fin. pag. 111. Tertull. *Apologet.* cap. 23 et 25, pag. 24 et 27. August. lib. VII *de Civit.* cap. 10, pag. 159). Recte ergo Minucius de his, atque Bellonæ etiam forsitan consecratis, similiter argumentatur.

Sed cæci gentiles tantæ deorum suorum contumeliæ aliam adjiciebant, qui «mendicantes,» sicut ille pergit, «vicatim deos ducunt,» Cybeles videlicet, sive Matris Deum simulacrum. Tum enim turpi prorsus mendicitate quaslibet stipes colligebant aureas et argenteas, inquit Apulcius (Apulei. loc. cit.), vel ὀβολοὺς καὶ δραγμάς, «obolos et dragmas, uti ait Lucianus, ac quidquid unusquisque illis affatim largiebatur (Lucian.) loc. cit. Uno autem verbo a Dionysio Halicarnasseo appellantur μητραγυρτοῦντες, (Dionys. Halic. lib. II *Antiq. Rom.* p. 91), ab aliis, ut alibi vidimus, μητραγύρτης, «sive stipem Matri deum colligentes.» Quamobrem a Tertulliano, sicut suo loco videbimus, nuncupatur «religio mendicans,» quæ cauponas circuibat (Tom. I *Apparat.* pag. 784). Quis autem non mirabitur hunc sordidissimum morem sacratioribus firmatum fuisse gentilium legibus? At Cicero tamen hanc, inter alias ad deorum cultum pertinentes, legem exhibet : «Præter Ideæ Matris famulos, eosque justis diebus, ne quis stipem cogito.» Eam sane ob causam non ausi sunt hunc ridiculum morem antiquare (Cic. lib. II *de Legib.* p. 335, lin. 14). Paulo enim postea idem Cicero : «Stipem sustulimus, inquit, nisi eam quæ ad paucos dies propria Ideæ Matris, excepimus» (Idem pag. 338, lin. 20). Idæa porro mater eadem est ac deum mater et Cybele.

De Lupercis deinde hæc proculdubio Minucius, nec plura scripsit : «Nudi cruda hyeme discurrunt.» Certis autem testibus si hoc tibi probari postules, ad manus nobis plures utique sunt. Primus siquidem obviam venit Livius, qui narrat institutum fuisse ab Evandro solemne ex Arcadia allatum, «ut nudi juvenes, Lyceum Pana venerantes, per lusum atque lasciviam currerent» (Liv. lib. I, § 5). Deinde Ælius Tubero, a Dionysio Halicarnasseo citatus, eamdem tradidit hujus solemnitatis originem, in qua solebant juvenes, περιελθεῖν δρόμῳ τὴν κώμην γυμνοὺς, «nudos circa vicum cursitare, pudendis tantum recens mactatarum pecudum exuviis succinctis» (Dionys. Halic. lib. I. *Antiq. Rom.* pag. 67). Huc etiam accedit Plutarchus, qui quidem opinatur hujus festi, quod Lupercalia vocabant, et juvenum cursus initium duci potuisse non tam ab Evandro, quam a Lupa, qua Romulus educatus fuerat. At fatetur juvenes nudos discurrisse, cæcidisse scuticis albis obvium quemque, nec mulieres declinasse illorum verbera. (Plutarch. *in Vita Romuli*, pag. 31, et *Quæstione Rom.* pag. 280). Alibi vero narrat M. Antonium unum ex his fuisse coram Cæsare hunc in modum discurrentibus (Et *in Vita Antonii*, pag. 921). Mulieres porro horum Lupercorum ictu ac verbere fœcundas se fieri posse credebant. Audi, si velis, Ovidium hæc decantantem :

Nupta quid exspectas? Non tu pollentibus herbis
Nec prece, nec magico carmine mater eris :
Excipe fecundæ patienter verbera dextræ,
Jam socer optatum nomen habebit avi.
(Ovid., l. II, *Fast.*, § 9.)

Sed hanc superstitionem ridet Juvenalis :

Nec prodest agili palmas præbere luperco.
(Juvenal., *Satyr.* II, *ante fin.*)

Digitized by Google

Acrius autem Prudentius in eam invehitur :

Quid illa turpis pompa? Nempe ignobiles
Vos esse monstrat, cum Luperci curritis.
Quem servulorum non reor vilissimum,
Nudus plateas si per omnes cursitans,
Pulset puellas verbere ictas lubrico.
(Prudent., *Hymn. in S. Roman.*)

Cur autem a Minucio « Cruda hieme » nudi discurrere dicantur, disces ex Plutarcho, qui locis jam citatis observat hæc festa peragi mense februario, ac ipsa tertia post idus die, quemadmodum Ovidius his etiam cecinit versibus :

Tertia post Idus nudos aurora lupercos
Aspicit, et Fauni sacra bicornis erunt.
(Ovid., lib. II, *Fast.* § 9.

Videsis adhuc Valerium Maximum et Morestellum (Valer. Max. lib. II, cap. 1, § 9; Morestel. dial. 6 *de Fer. Rom.*).

Tum deinde Minucius : « Alii, inquit, incedunt pileati, scuta vetera circumferunt. » Nullus autem dubitandi locus est quin hi Salii sint, quos a Numa Pompilio institutos his Livius docet verbis : « Salios duodecim Marti Gradivo legit, tunicæque pictæ insigne dedit, et super tunicam æreum pectori tegumen cœlestiaque arma, quæ ancilia appellantur, ferre, ac per Urbem ire, canentes carmina cum tripudiis solemnique saltatu, jussit » (Liv. lib I, § 20). De eodem etiam Numa Ovidius :

Jam dederat Saliis (a saltu nomina ducunt)
Arma, et ad certos verba canenda modos.
(Ovid., l. III *Fast.*, § 2.)

Ibi autem describit quomodo illa arma, quæ « ancilia » et auctor noster, « scuta vetera, nuncupat, e cœlo cecidisse ferantur. Unde Juvenalis canebat :

Arcano qui sacra ferens nutantia loro,
Sudavit clypeis ancilibus.
(Juvenal., *Satyr.* II, sub fin.)

At de his, atque etiam Lupercis mox dictis, Virgilius qui eos « pileatos, » ut ait Minucius, incessisse illis confirmat versibus :

Hic exultantes Salios nudosque Lupercos,
Lanigerosque apices, et lapsa ancilia cœlo
Extuderat.
(Virgil., l. VIII *Æneid.*, v. 663 *et seqq.*)

Videsis Servii in hos versus annotationes, ac plura apud Plutarchum, Dionysium Halicarnasseum, Valerium Maximum et alios (Plutarch. *in Vita Numæ* pag. 98 et seqq.; Dionys. Halicar. lib. II *Antiq. Rom.* pag. 129; Valer. Max. lib. I, cap. 1, § 9).

Denique Minucius hæc continenter adjecit : « Pelles cædunt, mendicantes vicatim deos ducunt. » At constat sane Matris deum sacerdotes, de quibus paulo ante egimus, his posterioribus verbis denotari. Verum in controversiam vocatur, ad quos illa priora, « Pelles cædunt, » referri debeant. Quidam enim suspicantur ea loco suo esse mota, ac post hæc, « hyeme discurrunt, » reponenda. Quasi vero soli discurrentes Luperci pelles cæderent? Quidni et Salii, aut « mendicantes, » qui teste Apulcio, cymbala et tympana pulsabant (Apul. lib. VIII *Metamorp.* pag. 143)? Nihil ergo in Minucii textu sine codicis alicujus auctoritate mutandum. At certe nemo sanæ mentis homo diffitebitur, quam recte ex dictis Auctor noster inferat falsam divinitatem eis ascribi, quos gentiles tam absurdis tamque indignis deorum nomine et dignitate superstitionibus venerabantur.

ARTICULUS IV.

*De templis, quorum aditus vel semel tantum in anno, vel nemini umquam, vel numquam viris patebat; de quibusdam sacris cæremoniis, quæ aut feminis aut servis interdicebantur, atque de aliis sacris, quæ vel univira, vel multivira coronabat.*

Auctorem nostrum alios absurdos eorumdem Gentilium ritus exagitantem sequamur. « Quædam, inquit, fana semel anno adire permittunt. » Tale proculdubio erat Eurimones fanum, de quo Pausanias. « Stato, ait, die Eurimones templum aperiunt; aperiri alio tempore mos patrius non est. Sacra eo die privatim ac publice fiunt. Mihi certe non contigit, ut eo tempore adessem, neque Eurymones simulacrum videre potui (Pausan. lib. VIII *Arcad.* pag. 271). Tale etiam, eodem teste, Dyndimenæ matris, de qua nos supra, sacrarium fuit. Nam ab ipso adhuc hæc memoriæ prodita legimus. « Die unico anniversario sacrarium Dyndimenæ matris aperire solemne habent. Eo ipso die mihi ut adessem contigit. » Superius denique de Cereris et Proserpinæ fano dixerat : « Huc feminis quovis tempore aditus patet, viris quotannis semel » (Sup. cap. 6, art. 2. Pausan. lib. VII, pag. 300. Idem Ibid. pag. 263).

Tum deinde auctor noster, « Quædam, inquit, fana, in totum nefas visere. » At idem Pausanias, hæc, quibus Minucii sententia corroboratur, de Æpyto Arcadum rege scriptum reliquit : « Cum in templum Neptuni, quod Mantineæ est, penetrare esset ausus, quo nulli cuiquam homini hac ipsa etiam ætate fas est accedere, oculis primum captus, deinde non ita multo post e vita excessit. » Addit postea cum idem templum jussu Adriani Imperatoris reædificaretur, omnes prorsus illius aditu prohibitos, ac memoratum Æpytum, qui illud ingrediendo religionem violaverat, marinæ aquæ vi subita obcæcatum, ac paulo post mortem obiisse. Nec prorsus omittendum, quod prius ab eodem Pausania litteris consignatum est : « Sunt Solis aræ, Necessitatis, et Violentiæ ædes, in quam ingredi fas esse negant. » (Pausan. lib. VIII. *Arcad.* pag. 240. Idem ibid. pag. 244. Idem lib. II, pag. 48.)

Pergit Minucius : « Est templum, quo viro non licet introire. « Unum proculdubio illius modi sacrarium, uti Ciceronis contra Verrem utamur verbis : « Cereris est apud Catinenses eadem religione, qua Romæ, qua in cæteris locis, qua prope in toto orbe terrarum. In eo sacrario intimo fuit signum Cereris perantiquum, quod viri non modo cujusmodi esset, sed ne esse quidem sciebant. Aditus enim in id sacrarium non est viris; sacra per mu-

Digitized by Google

lieres ac virgines confici solent » (Cic. orat. 4, *in Verr.* pag. 178, lin. 21.) Quapropter Lactantius citatis ejusdem Ciceronis verbis ostendit, quædam esse templa in quæ ingredi viris non licebat. (Lactant. lib. II, cap. 4, pag. 159; et lib. III, cap. 20, pag. 307).

De Cereris autem Mysiæ sacrario, ac festis diebus, isthæc memorat Pausanias, quæ ad Minucii nostri propositum nonnihil etiam facere possunt : « Festos, inquit, dies agitant septem, quorum tertio e templo viri omnes exeunt, mulieres vero intus relictæ; ritu a majoribus tradito, nocturnum peragunt sacrum. Neque vero viros tantum excludunt, sed canes etiam masculos ejiciunt. Postero die revisunt feminas in templo viri, multoque cum risu ultro citroque sales et dicta jaciuntur » (*Pausan. lib.* VII, *in fin. pag.* 236.)

Quid plura? Dionysius Halicarnasseus monitos nos fecit nefas viris fuisse in Vestæ fano pernoctare. Neque etiam illis in Bonæ deæ templum ullus, sicut Macrobius, Plutarchusque testantur, patebat aditus. Addit vero iste quotiescumque mulieres quacumque in domo festum illius agerent, ea omnibus viris, atque ipsius etiam domus domino plane cedendum. Quapropter Cicero tota eloquentiæ suæ vi in Clodium, cujus etiam Plutarchus loco citato meminit, invehitur, quod ea sacra aspexerit ac violaverit, quæ viri ne imprudentis quidem oculis conspici fas erat. (*Dionys. Halicar. lib.* II, *Antiq. Rom., pag.* 127; *Plutarch. Quæst. Roman. pag.* 268; *Macrob. lib.* I. *Saturnal. cap.* 12; *Plutarch. in Vita Cæsaris, pag.* 713; *Cicer. orat.* 30, *de Aruspic. respon., pag.* 435, *lin.* 6 *et seq. et orat.* 29, *pag.* 420, *lin.* 28.)

Scriptoribus autem Græcis ac Latinis concinunt poetæ, et Tibullus quidem hoc versu :

Sacra Bonæ maribus non adeunda deæ.
(Tibull., l. I, *Eleg.*, 6.)

Propertius quoque his duobus carminibus :

Femineæ loca clausa deæ, fontesque piandos,
Impune et nullis sacra retecta viris.
(Prop., l. IV, *Eleg.*, 10.)

Neque viros tantum, sed illorum etiam imagines inde exclusas fuisse auctor nobis est Seneca (*lib.* XVI, *epist.* 2, *pag.* 404), et Juvenalis his versibus :

. . . Ubi velari pictura jubetur,
Quæcumque alterius sexus imitata figuram est.
(Juven., *Satyr.* 6, *v.* 339.)

At vicissim feminis quædam virorum sacra adire non minus piaculum : « Nonnulla, ait rursum Minucius, absque feminis sacra sunt, » quia « Herculaneo, inquit A. Gellius, sacrificio abstinent » (*Gell. lib.* XI. *Noct. Attic., cap.* 6, *pag.* 586). Rationem hujus interdicti hanc Macrobius reddidit : « Herculi, cum boves Geryonis per Italiæ agros duceret, sitienti respondit mulier aquam se non posse præstare, quod feminarum deæ celebraretur dies, nec ex eo apparatu viris gustare fas esset. Propter quod Hercules facturus sacrum detestatus est præsentiam mulierum, et Potito ac Pinario, sacrorum custodibus, jussit ne mulierem interesse permitterent. » (*Macrob. lib.* I. *Saturnal. cap.* 12). Quamobrem canebat Propertius :

Maxima quæ gregibus devota est ara repertis,
Ara per has, inquit, maxima facta manus:
Hæc nullis umquam pateat veneranda puellis,
Herculis eximii ne sit inulta sitis.
(Prop. *l.* IV, *eleg.* 10.)

Juvenalis etiam :

. . . . . Sed more sinistro
Exagitata procul non intrat femina limen,
Solis ara deæ maribus patet.
(Juven., *Satyr*, II, *v.* 87.)

De ejusdem adhuc Herculis cæremoniis haud dubie intelligendus est Minucius, cum inceptum sermonem sic prosequitur. « Servo quibusdam cæremoniis interesse piaculare flagitium est. » Tantum autem fuit illud scelus, ac diis adeo, uti somniaverant gentiles, odiosum; ut Potitii omnes in duodecim familias divisi, qui auctore Appio, sacra Herculis ad humile servorum ministerium transtulerant, intra annum extincti fuerint; ipse vero Appius post aliquot annos luminibus orbatus. Quamvis autem hæc deorum vindicta falsa prorsus fictaque sanæ mentis hominibus merito videatur; eamtamen ab Ethnicis tamquam omnino veram certamque venditatam esse testes sunt Titus Livius, Valerius Maximus, Auctor libri de Origine gentis Romanæ, Aurelius Victor, Lactantius et alii (*Liv. lib.* I, § 8; *Valer. Max. lib.* I, *cap.* 1, § 17; *Auct. libr. gent. Rom. pag.* 504; *Aurel. Vict. de Viris illustr.* § 34; *Lactan. lib.* II. *Institut. cap.* 7, *pag.* 175).

Opinatur præterea Meursius (Meurs., l. IV, *Græc. feriatæ*, p. 800, tom. 7. *Antiq. græcar.*) servis ancillisque vetitum, ne ad thesmophoria, Cereris scilicet sacra accederent, atque in opinionis suæ confirmationem hos Aristophanis, nullo tamen indicato loco, citat versus :

. . . Σὺ δ' ἀκριβῶ Θρᾷττ' ἐκ τοδῶν,
Δούλοις γὰρ οὐκ ἔξεστ' ἀκούειν τῶν λόγων.
. . . Tu vero abi, o ancilla, e medio;
Servis enim non licet audire verba.
Aristoph., *concion.*, act. 3, *v.* 164.)

In illius autem comœdia, Concionantes inscripta, inveniuntur. Quis ergo ex hactenus dictis, plane non perspiciat quo jure Lactantius dixerit Romæ, et in plerisque aliis urbibus esse quædam sacra, quæ nefas erat a viris aspici, ac sceleratos haberi, qui Vestæ, aut Bonæ deæ, aut Cereris ædem, tametsi ab ipsis viris fabricatam intraverint? (*Lactant. lib.* III. *div. Inst., cap.* 10, *pag.* 307.)

Denique Minucius : « Alia sacra, inquit, coronat univira, alia multivira. » Recte quidem. Apud Tertullianum enim legimus : « Fortunæ Muliebri coronam non imponit nisi univira, sicut nec matri Matutæ, » id est, Ino filiæ Cadmi, et Athamantis uxori, quam Græci Λευκοθέαν vocabant. (*Tertullian. lib. de Monog., cap. ult., pag.* 688.) Scriptum quoque a Dionysio Halicarnasseo legimus ejusdem Muliebris Fortunæ simulacrum non coronari vel a bis nuptis,

Digitized by Google

vel a viduis, sed hunc honorem solis recens nuptis deferri. Servius quoque observat Fortunam illam Muliebrem, seu ejus simulacrum, non coronari a bis nuptis mulieribus (*Dionys. Halicar. lib.* VIII *Antiq. Rom. pag.* 526; *Serv. in lib.* IV. *Æneid. Virg. v.* 19).

Cæterum quis adeo hebes obtususque esse potest qui ex his, quæ hactenus exposuimus, non protinus intelligat quam impia, crudelia et absurda fuerint, sacra, festa, mysteria; quam superstitiosi, ridiculi, infames ritus, quibus Ethnici deos suos colere arbitrabantur? Qui enim nisi plane fictitii dii, et hominibus recta ratione præditis deteriores, pati poterant se tam impio absurdoque cultu honorari? Nullum itaque esse putamus, qui inde, atque ex omnibus, tota hac in dissertatione disputatis, apertissime non videat quam certo et evidenter Minucius demonstraverit nuntium his nefandis ritibus, totique gentilium religioni esse remittendum, ac christianam Religionem, quæ nihil nisi rectum, pium, et sanctum docet, ab omnibus suscipiendam esse et amplectendam.

## CAPUT XXIII.

### DE QUODAM LIBRO, QUEM MINUCIUS SE SCRIPTURUM PROMISISSE VIDETUR, AC DE QUIBUSDAM LOCIS OBSCURIS, NONNULLISQUE SCRIPTORIBUS ET ATHEIS AB ILLO MEMORATIS.

#### ARTICULUS PRIMUS.

*Utrum Minucius scripserit librum de Fato, aut eum se editurum promiserit? et obscura quædam explicantur Minucii loca, ubi de marinis ad Ostia Tiberina lavacris, de feriis forensibus et autumnitate; quid substrata navibus robora, quis puerilis testarum in mare jaculationibus ludus, sive ostracismus; quid soles alii atque alii, ac de nebulis, nubibus, fulgure, fulmine, et Lunæ laboribus.*

Gentilium de fato errorem ubi rejicit Minucius, ibi de illo se aliquando fusius disputaturum pollicetur? « Ac de fato, inquit, satis, vel si pauca pro tempore, disputaturi alias et uberius et plenius. » Utrum autem fidem liberaverit suam, dictu non facile est. Fatetur siquidem Hieronymus publicam in lucem prodiisse inscriptum ipsiusmet Minucii nomine de Fato librum, seu dialogum, sed qui ab Octavii stylo discrepare sibi videbatur. Quis igitur hunc esse, quem se scripturum auctor noster polliceri visus est, asserere audebit? Et id quidem ut planius fiat, audiendus est Hieronymus: « Alius, ait, liber sive potius dialogus, sub nomine ejus fertur de Fato, vel contra Mathematicos, qui cum sit et ipse diserti hominis, non mihi videtur cum superioris libri, » Octavii scilicet, « stylo convenire. » Neque id semel dixisse contentus, ad Magnum hæc rursus de eodem libro scripsit: « Minucius Felix, causidicus Romani fori, in libro cui titulus Octavius est, et in altero contra Mathematicos, si tamen inscriptio non mentitur auctorem, quid gentilium scripturarum dimisit intactum? » (*Hieronym. Catal. scrip. eccl.* § 68. *Idem Epist.* 83 *ad Mag. pag.* (65.) At si Hieronymus tam solers et perspicax librorum indagator, hunc quem legerat librum, Minucii nomen falso prætulisse censuit, qua ratione aliud de illo nos, quorum in manus non venit, feremus judicium?

Admirationem vero quibusdam is sane movebit, qui contendit Minucium Felicem, maxima argumenti hujus tractandi difficultate deterritum, non stetisse promissis, ne aliquid temere definire cogeretur. Ab hac enimvero insulsa ostentatione aut dissimulatione plane abhorrebat Minucius noster, cujus singularis, uti vidimus, modestia, candorque animi toto in Octavii libro emicat.

Alii autem opinantur citatis ejus verbis nihil promissum, sed suspensos tantum retineri auditorum animos. Nam Minucius haud plane absimili modo dixerat: « Multa ad hæc suppetunt, ni festinet oratio. » Quæ enim, inquiunt, plura Minucius uno, quam alio loco promisit? Sed dissimulare non possumus promissionem prioribus potius, quam posterioribus verbis exprimi. De hoc porro sive numquam edito, sive jam a longo tempore deperdito opere nihil nobis amplius succurrit.

Ad ea itaque veniamus Minucii verba, quæ obscuritatis aliquid habere videntur. Libri autem sui initio Octavium appellat fidelissimum suum conturbernalem, quia apud se, cum Romam veniebat, diversabatur, eratque ejus hospes. Cum eo autem ac Cæcilio marinas ad Ostia Tiberina balneas se petivisse testatur. At postea Augustinus ibi lavit, «quia» Græci βαλανεῖον, inquit, «dixerint, quod anxietatem pellat,» Minucius vero tradit eas siccandis corporis humoribus non parum esse utiles (*Augustin. lib.* IX. *Confess. cap.* 12). Nonne autem hoc confirmari inde potest, quod Suetonius memoriæ prodidit de Augusto Imperatore: « Quoties nervorum causa marinis Albulisque calidis utendum esset, hoc contentus erat » (*Sueton. lib.* II *August.* § 82). At si nervi laxati, et humoribus remissiores facti, aquis marinis curari possunt, nonne dici etiam potest Minucium, ejusque socios eamdem ob causam usos esse Ostiensibus? De balneis porro libros habemus a medicis recens editos, quos consulere cuivis promptum est.

Lavatum autem Minucius illuc ibat, « quo tempore ad vindemiam, inquit, feriæ judiciariam curam relaxaverant. Nam et id temporis post æstivam diem in temperiem semet autumnitas dirigebat. » De his forensibus feriis hæc canit Statius:

> Certe jam latiæ non miscent jurgia leges,
> Et pacem piger annus habet, messesque reversæ
> Dimisere forum, nec jam tibi turba reorum
> Vestibulo, querulique rogant exire clientes.
>
> (Stat., l. IV, *Sylvar. ad Marcel., v.* 56 *et seqq.*)

Post hæc Valentinianus Junior et Theodosius Magnus harumce feriarum spatium duobus mensibus circumscribi voluerunt, data anno 389 hac lege: « Illos tantum feriarum dies fas erit, quos geminis mensibus ad requiem laboris indulgentior annus

Digitized by Google

accepit æstivis fervoribus mitigandis et autumni fœ- A
tibus decerpendis. » Vide, si velis, Gothofredi in hanc legem ac Tiraquelli in Alexandri libros annotationes, et aliorum in l. 1 ff. de Feriis. Cæterum nomine, « autumnitas, » non solus Minucius noster, sed Cato etiam et Arnobius utuntur (*Cod. theodos., titul. de Feriis, leg.* 2, *tom.* 1, *p.* 121; *Alex., lib.* III *Genial. Dier., cap.* 20; *Cat., lib. de Re Rust.*, cap. 5 et 158). Scaliger vero alicubi animadvertit hoc nomine significari fructum autumnalem, eoque probat disticho:

Cape hanc caducam Liberi mollem dapem
De fronde Bromiæ autumnitatis uvidam.
(Scalig. *not. in Varr. lib.* V *de Ling. latin. p.* 79.)

Testatum deinde Minucius facit se ad id loci venisse, « ubi subductæ naviculæ, substratis roboribus, a terrena labe suspensæ quiescebant. » Quæ autem fuerint illa substrata robora, si quis nauticarum B
rerum scientia parum imbutus a nobis postulet, respondebimus fuisse quercea, longa, rotunda, ac durissima ligna, sive ut quidam loquuntur, fustes teretes, vel trabes, quibus naves ad littus aut portum tractæ elevabantur a terra, ne putrescerent, et iisdem in pelagus postea revehebantur. Ea porro robora a Græcis, uti a Polluce et Suida observatum, φάλαγγες, et φαλάγγες, vocabantur, a Latinis vero pulvini, sicut Isidorus his verbis significavit : « Pulvini sunt machinæ, quibus naves deducuntur, et subducuntur » (*Poll. Onomast. lib.* VII, *cap.* 33, § 9, *pag.* 371, *et lib.* X, *cap.* 31, *pag.* 492; *Suid. ad φάλαγγες, Isidor. lib.* XX, *cap.* 2). Unde Horatius canebat :

Solvitur acris hyems grata vice
Veris et favoni ;
Trahuntque siccas machinæ carinas
(Horat., l. I, *Ode*, 4.)

Si quis tamen substrata robora, quibus naves quiescebant, a machinis quibus trahebantur, distinguenda esse velit, id si ille probaverit, illico cedemus.

Eo porro loci Minucius nocte cum duobus sociis suis vidit « pueros certatim gestientes, testarum in mare jaculationibus ludere ». Puerilis ille ludus est, qui ab eo non minus brevi, quam eleganti narratione describitur. A Græcis vero appellatur, ἐποστρακισμὸς atque a P. Julio Polluce sic explicatur : ὁ δὲ ἐποστρακισμός. Ὄστρακον τῶν βαλλντίων κατὰ τοῦ ὕδατος ἐπιπολῆς ἀφιᾶσιν, ἀριθμοῦντες αὐτοῦ τὰ πρὸ τοῦ καταδῦναι πηδήματα ἐν τῇ ὑπὲρ τὸ ὕδωρ ἐπιδρομῇ. ἐκ γὰρ τοῦ πλήθους τῶν ἁλμάτων ἡ νίκη τῷ βάλλοντι. « Epostracismus. Testulam D
marinam in aquæ superficiem mittunt, numerantes ipsius saltus in aquæ superficie factos ante submersionem ; ex saltuum enim multitudine jacienti victoria ascribitur » (Poll. lib. IX. cap. 7, pag. 444). Brevius Suidas : ἐποστρακίζειν. παιδιά τις, ἣν παίζουσιν οἱ παῖδες, ὄστρακα ἀφιέντες εἰς θάλασσαν. « Ostracis seu testulis ludere. Ludus quidam, quem pueri ludunt, ostracam seu testulam in mare projicientes » (Suid. ad v. ἐποστρακίζειν). Videsis Eustathium in Homeri Iliadem Σ seu 18.

Postea Cæcilius, Academici de vero Deo ejusque providentia dubitantis personam indutus, pro certo ponere conatur omnia sine ullo Deo, in seipsa revolvi, ac « congregatis ignium seminibus Soles alios atque alios semper splendere, sic exhalatis terræ vaporibus, nebulas semper adolescere, quibus densatis coactisque, nubes altius surgere, iisdem labentibus, pluvias fluere, flare ventos, grandines increpare, vel nimbis collidentibus, tonitrua mugire, rutilare fulgura, fulmina præmicare. » Garriebat itaque absque ullius divinæ providentiæ motu hæc omnia naturalibus suis causis effici. Sol quippe congregatis ignium seminibus fovetur, semperque splendet. Soles autem alios atque alios dicere maluit, quia Sol novis semper ignium seminibus acceptis, novus alterque quotidie videtur renasci. Poetis autem insolens non est, ut soles plurali numero pro Sole dicant. Omnium instar nobis sit Virgilius, qui cecinit :

. . . . . Sæpe ego longos
Cantando puerum memini me condere soles.

Alio itidem in libro :

. . . . . Glebasque jacentes
Pulverulenta coquat matur solibus æstas.

(Virgil., *Ecl.*, IX, *v.* 51, et lib. I, *Georg.*, *v*, 65.)

Solis autem nomine si diem a Cæcilio, sicut ibi a Virgilio, significari velis, non multum quidem repugnabimus. Nam major vis inde argumento ejus accederet, quod tamen ab Octavio prorsus eversum esse supra ostendimus.

De nebulis porro, nubibus, aliisque meteoris ab eodem Cæcilio memoratis, legere poteris ex antiquis scriptoribus Aristotelem, Laertium, Plinium, Lucretium, Senecam ; ex recentioribus vero Cartesium, C
Gassendum, Antonium le Grand, et alios, qui de his data opera disputaverunt (Aristot. lib. I. *Meteor.* cap. 4. et seqq. ; Laert. lib. X. § 99 ; Plin. lib. II. *Hist. Natur.* cap. 42. et seq.; Lucret. lib. VI; Senec. lib. II. *Nat. Quæst.* cap. 12. et seqq.; Cart. lib. *de Meteor.*; Gass. *Syntag. vitæ Epic.* art. 2, § 4, cap. 9. et seqq.).

Octavius postea asserit divinam providentiam in eo emicare, quod luna « mensem auctu, senio, labore circumagat. » Varios siquidem Ethnici fingebant lunæ labores, atque eum in primis, cum incantationibus defectum pati stulte arbitrabantur. Quamobrem æris tinnitu, aliisque sonitibus, ac magnis clamoribus conabantur laboranti ita succurrere, ut incantationes non audiret. Unde Juvenalis de clamosa muliere canebat :

Una laboranti poterit succurrere lunæ.
(Juven., *Sat.* VI, *post med.*)

Statius vero illos æris sonitus sic describit et irridet :

. . . . . Attonitis quoties avellitur astris
Solis opaca soror, procul auxiliantia gentes
Æra crepant, frustraque timent.
(Stat., lib. VI *Thebaid.*, *post med.*)

Livius autem narrat cœptum ab Annibale prælium « æris crepitu, qualis in defectu lunæ silenti nocte cieri solet » (Liv. lib. XXVI. § 5). Denique ne in re aperta longiores simus, hos tantum adjiciemus Virgilii versus :

Digitized by Google

. . . Cœlique vias et sidera monstrat,
Defectus solis varios, lunæque labores.
(Virgil., l. II *Georg.*, v. 478.)

At contra hanc ridiculam superstitionem sæpius invehuntur sanctissimi Ecclesiæ Patres, ac præcipue Maximus Taurinensis, in quodam sermone *de Lunæ defectu*, quem ex Ambrosii ejecimus Operibus, ubi falso ejus nomine editus fuerat (*Ambros. Append.* pag. 377). Minucius vero hæc adversus Ethnicos urget, ut eorum errorem, simulque divinam Providentiam ex lunæ incrementis et decrementis ostendat.

ARTICULUS II.

*De citatis a Minucio quibusdam scriptoribus, Nepote, Cassio, Thallo, Diodoro, et atheis Theodoro, Diagora, ac Protagora.*

Tota Minucii disputatio tametsi variis potissimum, sicuti monuimus, rationum momentis nitatur, plurimos nihilominus, celebris apud Ethnicos nominis, scriptores, variis illorum opinionibus plane penitusque repugnantes, citavit. Quatuor autem in uno eodemque loco ab illo appellantur, Nepos, Cassius, Thallus, ac Diodorus haud dubie Siculus, a Justino Martyre non minimis laudibus exornatus ob Bibliothecæ historicæ libros, qui græce et latine editi omnium manibus teruntur (Justin., *Cohortat. ad Græc.* pag. 10).

Primus vero ex his scriptoribus nominatur Cornelius Nepos, qui sicut A. Gellius perhibet, scripsit Ciceronis amici sui Vitam, et libros *de Viris illustribus*, *Exemplorum*, atque *Chronicorum* (Gell. lib. XV *Noct. Attic.*, cap. 28; lib. I, cap. 18; lib. VII, cap. 18; et lib. XVII, cap. 21). Sæpe etiam laudatur a Plinio, ac Augusto imperante, obiisse, et in Chronico Eusebiano tunc floruisse dicitur. Ab eodem autem Plinio vocatur, « Padi incola » (Plin., l. IX, cap. 39, pag. 343; et lib. X, cap. 33, p. 411. Chron. Euseb., ad ann. 4 Augusti. Plin. l. VI, cap. 9, pag. 373). Quapropter a Catullo, « unus Italorum, » his appellatur versibus, quibus suum librum ei misit dedicavitque :

Cui dono lepidum novum libellum
Arido modo pumice expolitum
Corneli, tibi namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas,
Jam tu cum ausus es, unus Italorum
Omne ævum tribus explicare chartis
Doctis, Jupiter, et laboriosis.
(Catull., init. lib. I, pag. 1.)

Neque est quod te moveat Ausonius, qui hos Catulli versus citando, Nepotem Gallum ibidem nuncupavit :

Nec doctum minus, nec magis benignum
Quam quem Gallia præbuit Catullo.
(Auson., Edy. 7 *ad Drepan.*)

Non enim testi suo contradixit, sed Galliam indicat Togatam, quæ eadem ac Italia Transpadana est. Alibi vero citat ejusdem « Nepotis Chronica » (Idem epist. III *ad Probum. P. P.*). Denique Lactantius illius ad Ciceronem, et contra ejus de philosophia opinionem scribentis verba transcripsit. Videsis Suetonium, Vossium, et plura quæ ab illo post editam excellentium virorum vitam observata sunt (Lactant. lib. III *Instit.*, cap. 15, pag. 282. Suet. lib. I, § 56, et lib. II, § 77. Voss. *de Hist. latin.*, lib. I, cap. 14.

Cassius, cognomento Hemina, vixisse fertur C. Cornelio Lentulo, et L. Mummio Achaico Coss., anno V. C. 608, atque a Plinio appellatur « vetustissimus auctor Annalium. » Sed ibi quidam legi volunt « verissimus, » non vetustissimus, ut pote qui vix 70 annis Plinio antiquior fuerit; « Cassius » autem « Hemina » vocatur a Macrobio, qui secundum citat Historiarum ejus librum, atque a Solino Hemina simpliciter appellatur (Plin. lib. XIII *Hist. Natur.*, cap. 18, pag. 84; Macrob. lib. I *Saturnal.*, cap. 16, pag. 247; Solin. Polyhist., cap. 2, pag. 13). Difficile ergo dictu cur a Tertulliano cognominetur « Cassius Severus. » De eodem quippe, atque Minucius noster, proculdubio loqui videtur. Sed de hoc Tertulliani loco in nostra de ejus libris dissertatione agendum (Tertull. *Apolog.* cap. 10, pag. 12).

Thallus porro Græcus scriptor fuit, quem Africanus apud Eusebium res Syriacas scripsisse testificatur. Mentionem ejus fecerunt Justinus Martyr, Theophilus Antiochenus, ac post hunc Lactantius, et in Chronico græco Eusebius (Euseb. lib. X *Præpar. Evang.* cap. 10, pag. 489; Theophil. III, *ad Autol.* pag. 139; Lactant. lib. I *Instit.* cap. 23, pag. 132; Euseb. lib. I *Chron.* pag. 14).

Tres præterea impietate sua famosos citavit Cæcilius, Theodorum, Diagoram, et Protagoram. At « Theodorus, » uti ille ait, « Cyrenæus, » sive Cyrenaicus, « vel qui prior Diagoras Melius; qui uterque nullos deos » esse asseverabant. Nonne autem ibi more suo secutus est Ciceronem, qui de utroque dixerat : « Nullos deos esse omnino Diagoras Melius, et Theodorus Cyrenaicus putaverunt. » Rursum vero paulo post : « Diagoras atheos qui dictus est, posteaque Theodorus, nonne aperte deorum naturam sustulerunt? » (Cicer. lib. I *de Natur. Deor.*, pag. 195, lin. 40; ibid. pag. 204, lin. 32.) Videsne his latini Oratoris verbis colligi posse cur Minucius consulto addiderit : « Vel qui prior Diagoras? » Nam aperte Cicero hunc Theodoro antiquiorem fuisse significat. Et certe in Chronico Eusebiano ad annum 1535 legimus : « Diagoras agnoscitur, et sectatores ejus physici philosophi. » Et ad annum 1549 : « Diagoras atheus plurimo sermone celebratur. » Postea vero ad annum 1697, « Theodorus atheos cognoscitur. » Quamvis ergo annorum ordo non satis accurate in hoc Chronico notatus fuerit, inde tamen haud incerto colligitur Diagoram esse Theodoro antiquiorem.

De tertio autem ejusdem impietatis accusato Cæcilius sic loquitur : « Abderitem Protagoram Athenienses viri consulte potius quam profane de divinitate disputantem, et expulerunt suis finibus, et in concione ejus scripta deusserunt. » At hæc etiam proculdubio hausta sunt ex Cicerone, qui cum dixisset Protagoram palam asseruisse se nihil omnino de diis habere « quod liqueat an sint, vel non sint, qualesve sint, » hæc paulo post adjecit : « Abderites Protagoras cum in principio libri sui sic posuisset : De diis-


Digitized by Google

que ut sint, neque ut non sint, habeo dicere : Atheniensium jussu, urbe atque agro est exterminatus, libri ejus in concione combusti » (Cicer. lib. cit. pag. 200, lin. 3; ibid. pag. 204, lin. 33); vel ut ait Laertius, κατέκαυσαν ἐν τῇ ἀγορᾷ ὑπὸ κήρυκα, « cremati sunt in foro sub præconis voce. » Suidas vero simpliciter, ἐκαύθη, « cremati sunt » (Laert. lib. IX *in Vita Protag.* § 52; Suid. ad v. Πρωταγόρας.). Citata porro a nobis Ciceronis verba a Minucio transcripta legimus, ac similiter dictum incertam, ancipitem ac dubiam fuisse illius de diis opinionem. Verumtamen Epiphanius diserte asserit hunc Protagoram non modo dubitasse utrum dii essent, sed plane penitusque negasse : ἔφη μὴ θεοὺς εἶναι, μηδὲ ὅλως θεὸν ὑπάρχειν, « Deos negabat, ac divinitatem omnem funditus tollebat » (Epiphan. *Exposit. fid.* § 9, pag. 1088). Quid igitur, inquies ? Idemne est deos negare, ac de illis dubitare? At si non idem prorsus censes, huic certe quam proximum dixeris, necesse est. Nam de hoc ipso Protagora scriptum ab Eusebio legimus : Πρωταγόρας ἄθεον ἐκτήσατο δόξαν. Λέγεται γοῦν τοιᾶδε κεχρῆσθαι εἰσβολῇ, ἐν τῷ περὶ θεῶν ; οὐκ οἶδα οὔθ' ὡς εἰσιν, οὔθ' ὡς οὐκ εἰσιν, οὔθ' ὁποῖοί τινες ἰδέαν. « Protagoras athei opinione laborabat, cujus hic, in suo de diis opere, primus est in illam disputationem ingressus : Diine sint, an non, inquit, quave forma illi sint, equidem nescio » (Euseb. lib. XIV *Præpar. Evang.* cap. 2, pag. 720). Theodoretus vero ex citatis his ipsis Protagoræ verbis concludit : τοὺς ἀμφιβόλους περὶ τοῦ Θεοῦ, καὶ ἀπίστους λόγους, illius « ambiguos de Deo, infidosque » fuisse « sermones » (Theodoret. serm. 2. *de Princip.* pag. 505, et serm. 6 *de Provident.* pag. 561). Cæterum Cæcilio Academicorum sectatori placebat hæc intoleranda prorsus dubitatio. Quamobrem asserere non verebatur illum « consulte potius, » hoc est, de divinitate magis prudenter disputasse, « quam profane, » sive contra ipsam, uti putabant, religionem ac veritatem, atque idcirco injuste ab Atheniensibus condemnatum. Sed Minucius insanam prorsus ejus temeritatem acriter, sicut vidimus, ac pro merito repressit. Denique de illo Protagora, aliisque duobus atheis in superiori Apparatus nostri tomo aliquid, de aliis vero Scriptoribus, in isto Minucii nostri libro citatis, hac in dissertatione, ubi occasio sese obtulit, jam disputavimus (Tom. I *Apparat.* lib. III, dissert. I, cap. 11, art. 5, pag. 785, et seqq.).

## CIRCA CHRISTI ANNUM CCXXXVI.

# ANONYMUS AUCTOR

## CHRONICI,

## SUB ALEXANDRO SEVERO CONSCRIPTI.

PROLEGOMENA EX DISSERTATIONE FR. BLANCHINII DE CANONE PASCHALI S. HIPPOLYTI (*Apud Galland Bibl. vet. PP., t.* III).

SYNOPSIS.

I. *Varia virorum eruditorum placita de hujus Chronici auctore.*

II. *Illud Hippolyto episcopo et martyri tribuendum nonnulli existimarunt.*

III. *Sed ejus auctor, vel Heron ex philosopho christianus et martyr, vel potius Anonymus, qui sub Alexandro Severo vixerit, habendus videtur.*

IV. *Cangii sententia de Hippolyto Chronici auctore proponitur.*

V. *At in computis ab Hippolyto dissentit Chronici scriptor.*

VI. *Quod quidem allatis in medium exemplis evincitur.*

VII. *Demonstrationis hujus Blanchinianæ conclusio.*

VIII. *Variæ Chronici memorati editiones.*

I. Inter opera S. Hippolyti episcopi et martyris, quæ superiore volumine II collecta simul edidimus, nonnulli viri docti recensendum existimarunt et Chronicon illud, quod Anonymus, qui sub extremis Alexandri Severi imperatoris temporibus floruit, Africano coævus, circa Christi annum CCXXXVI scripsisse comperitur. Hanc sententiam præ cæteris est amplexus V. C. Cangius (1). Sed in aliam abierunt Pearsonius (2), et Dodwellus (3) : quorum posterior Anonymum quo de agimus, scripsisse statuit paucis post Hippolytum annis; quum alias sanctus ille martyr et episcopus primo ejusdem Alexandri Severi anno Cyclum suum inchoasse noscatur. Cæterum, inquit, multa

(1) Præfat. *ad Chron. Pasch.*, § XVIII et XXV.

(2) Dissert. I *de Success. prim. Rom. episc.* cap. X, § 1.

(3) Dissertat. sing. *de Rom. Pont. prim. success.*, cap. 14, § 19.

Digitized by Google

noster Anonymus habet, quæ cum hypothesibus Hippolyti chronologicis in ejusdem Paschali Canone observatis consentire videantur, quæque adeo Hippolyto Anonymum debuisse fas est ut suspicemur. Quorum quidem virorum eruditorum sententiæ illa in primis nos cogunt accedere, quæ hac de re præclare satis edisseruit illustris præsul Franciscus Blanchinius (1). Sic igitur ille :

II. « Dolebamus, quod liber ille interciderit, ubi digesserat Hippolytus Demonstrationem temporum Paschæ quemadmodum in Tabula. Opus enim illud, si ad nos integrum pervenisset, haberi deberet post sacras Litteras omnium pretiosissimum. Siquidem ante Hippolytum nemo digesserat in certam seriem, nec ad Cycli normam redegerat sacros annales : quod ille præstitit Christianorum scriptorum primus. Occurrebat dolori nostro vir doctissimus Dominus du Cange in postrema editione Paschalis Chronici : ubi de Hippolyti Canone, et Commentario Paschæ plurima cum disseruerit solidiori qua pollet eruditione in omni genere litterarum, visus est aliquam in spem nos adducere libri Hippolytei reperiundi vetusto illo in codice, quem Canisius Antiquarum lectionum tomo III, et Labbeus in primo Bibliothecæ Manuscriptorum publico bono in lucem protulerant. Adornavit vero etiam ipse V. C. tertiam ejusdem opusculi editionem, num. 4, in Selectis ad illustrandum Chronicon, quod parabat : cujus titulum in indiculo « Selectis » præfixo ex antiquis membranis cum redderet pag. 403, ita commendavit : IV. Liber generationis ab Adam usque ad ordinem quæ (*sic*) continentur in hoc libro. Opus quod Hippolyto Portuensi adscribi posse duximus in Præfatione : ex editione Henrici Canisii, et Philippi Labbei ad fidem codicis Collegii Paris. Soc. Jesu recognitum. » Et certe in præfatione plurimus est in conjecturis conquirendis, unde Hippolyto Martyri, quem Portuensem episcopum ex VII suburbicariis fuisse autumat, tribui præ cæteris debeat.

III. Verum, si ad Hippolytum episcopum et martyrem Canon iste marmoreus referendus est, ut omnium doctorum ipsiusque adeo Cangii suffragio refertur; demonstraturum me esse confido, ad eumdem Hippolytum non pertinere codicem illum Canisianum, et Labbeanum, cæteroqui spectabilem : sed esse potius referendum, vel ad Heronem illum ex philosopho christianum et martyrem : quem ipse a neocoratu templi Sarapidis in Portu Romano ad Christi fidem evocatum suspicatur ex Græca inscriptione apud Sponium, sect. X, num. 22, Severo Alexandro imperante, ipsique adeo Hippolyto æqualem; et de temporibus scripsisse docet ex veterum testimoniis, eumque adhuc neophytum explesse martyrium. Accedo itaque ad eam sententiam, quam secundo loco idem laudatus auctor in præfatione subtexuit, dicens vel Hippolyto episcopo, « vel auctori synchrono, qui vixerit sub Alexandro Augusto, » esse librum adjudicandum. Præstat ejus verba transscribere ex numero XVIII præfationis.

IV. « Cæterum Hippolyti Chronico de quo agimus, geminum prope est, nisi ipsummet exstiterit, Chronicon illud, quod edidit Henricus Canisius, tom. III Antiq. Lect., et Philippus Labbeus, tom. I Novæ Bibliothecæ ex ms. cod. Collegii Paris. Soc. Jesu, hocce titulo : *De divisionibus et generationibus gentium*. Quod quidem Chronicon ad Alexandri Severi annum XIII, eumque imperii postremum, quo imperante se vixisse non semel auctor innuit, perducitur. Is vero in præfatione descripturum se ait, *Gentium divisionem, et parentum dinumeratam generationem, inhabitationis quoque tempora, et bellorum commissiones, et Judicum tempora, qui et ex quibus Regibus nati sunt, qualesque captivitates populi, et quibus Judicibus contigerint, quique Sacerdotes, quibus temporibus fuerant, et quæ divisio, et quæ perditio facta sit, quonam modo generatio seminis Israel de Patribus in Christo completa sit, et quot quantique per quanta tempora dinumerentur anni a creatura sæculi usque in hunc diem*. Præfationi Index subjicitur, cujus caput hisce verbis conceptum legitur : *Declaratio Paschæ, et quis quando servavit ex temporibus Moysi in hunc diem*. Quæ quidem ad ea referuntur quæ habentur in ea sectione, ubi de Paschate subinde a Judæis exacto agitur. Tum additur : *A generatione autem Christi post* XXX *annos cum passus est Dominus, Pascha celebratur. Ipse enim erat justum Pascha. A Passione autem Domini usque in* XIII *annum imperii Alexandri Cæsaris anni* CCVI *servatum est Pascha, quod in commemorationem Domini nostri Jesu Christi servatur a nobis. Fiunt igitur omnes anni ab Adam usque in hunc diem anni* V, MDCCXXXVIII. Quæ quidem hic a nobis allata si quis cum iis, quæ de Hippolyti Chronico attigimus, ad amussim conferre velit; illud ipsum esse ejusdem Chronicon haud difficulter forte concedet, cui latterculum is præmiserit, vel subdiderit in Paschalis festi, de quo in illa, quam diximus, sectione egit, inveniendi Canonem seu regulam : ad quam præteritos et sequentes annos expendere lectorem voluerit. »

V. Recte quidem argumentatur ex hisce duobus numeris annorum a Passione Domini ad annum XIII Severi Alexandri, nec non ab eo, quem XXX vel XXXI ante Passionem ex veterum sententia Incarnationi Dominicæ tribuebat. Quin etiam, ut addam reliquas Epochas in marmoreo Canone recensitas, concedam plerasque earum cum numeris codicis Labbeani et Canisiani congruere. Verum cum discrepent ab eisdem reliquæ, eaque potissimum, quæ definit intervallum inter duo Paschata, Exodi et Ezechiæ, evidenter ostenditur, marmoreum Hippolyti Chronicon diversum esse a Scripto ipsi æquali incomputis dissentienti. Cum vero constet Hippolyti numeros tam prope accedere ad peritiorum Chronologorum sententias, uti ex comparatione ostensum fuit pag. 103 seq., contra vero vitiosa manifeste sit computatio Anonymi in definiendo præsertim intervallo a Paschate Josue ad Pa-

(1) Cap. 3, § 7, seqq. Et apud Fabric., tom. opp. I. p. 14 et seqq.

Digitized by Google

scha Ezechiæ; operæ pretium duco, rationes Hippolyti hoc in monumento superstites exhibere : ut hæc antiquissima omnium Chronologia Paschalis, maximæ Hippolyti peritiæ testis, in commendationem cedat sapientiæ Patrum, qui proximi ab Apostolis, et ab Apostolicis viris prima Ecclesiæ sæcula, ut sanguine pro Christo fuso, ita etiam scriptis clarissimis illustrarunt. Diversitatem igitur Chronici ita demonstro.

VI. In editionibus Canisiana, Labbeana et Fresnea dividitur opusculum Anonymi in varias sectiones juxta Labbeum, sive in Capita juxta Canisium : uterque quorum, ex diversis exemplaribus exscribebat. Capite igitur XVII juxta Canisium, sive sectione XII juxta Labbeum, hæc intervalla Paschatum adnotantur. Ipsius codicis verba ex Labbeo reddam, additis in margine Canisii, et Fresnei lectionibus diversis, ubi dissideant.

*Editio Labbei*, pag. 505.

| * *Editio Canisii.* | « *Ut autem et aliter ostendamus non tantum per tempora Regum, sed etiam a* « *quo Pascha servatum est, dinumerantes simul annos dicemus.* | *Editio Fresnei*, p. 419. |
|---|---|---|
| * II millia CCXLII. | « Ab Adam usque ad diluvium anni † * MMCCXLII. | † IIMCCXLII. |
| * MCXLIV. | « A diluvio usque ad exitum Abrahæ de terra sua, anni * MCXLV. | |
| | « Hinc usquequo exirent Israelitæ de Ægypto, educente eos † Mose, quando « et Pascha fecerunt, anni sunt CCCCXXX. | † Moyse. |
| | « Ab Exodo Ægypti usque in transitum Jordanis quando Jesus Pascha celebra- | |
| * XLII. | « vit, sunt anni * XLI. | |
| * CCCCLIV. | « Ezechias post annos * CCCCLXIV celebravit Pascha. | |
| * CXIV. | « Post Ezechiam Josias anno † * centesimo quartodecimo Pascha celebravit. | † CXIV. |
| * deest in c. Can. | « * Post Josiam † Esdras post annos CVIII Pascha celebravit. | † Heszras. |
| | « Post Esdram, Servatoris usque generationem Christi post annum DLXIII Pascha « fit. | Post Heszram *Servatoris usque* generationes Christi *post annos* DLXIII Pascha fit. |
| | *Cap.* XVIII *Canisii. Sequitur Sectio* XII *Labbei.* | |
| * tricesimu | « A generatione autem Christi post * XXX † annum, cum passus est Dominus, | † annos. |
| * Paschæ. | « Pascha celebratur : ipse enim erat justum * † Pascha. | † Pascha. |
| | « A Passione autem Domini usque in XIII annum † Imperatoris ALEXANDRI Cæ- | † imperii. |
| | « saris anni CCVI servatum est Pascha quod in commemorationem * † Christi | † Domini nostri |
| | « servatur a nobis. | JESU CHRISTI. |
| * omnium. | « Fiunt igitur * omnes anni ab Adam usque in hunc diem anni † quinquies mille « DCCXXXVIII. » | †*quinquies mille septingenti triginta octo.* |

Intervalla in codicibus Anonymi ita definita, non respondent ubique alteri annorum summæ, quæ colligitur ex singulis Regum, aut Judicum Epochis, quas eodem in opusculo legimus. Ut vero omnis discrepantia unico obtutu pateat, exhibebo in sequenti laterculo tam judicum quam Regum annos singillatim, ut in codice sunt digesti.

| | *Codex Canisii.* | *Codex Labbei et du Cange.* |
|---|---|---|
| Exodus anno | 1 | 1 |
| In deserto sub Mose | 40 | * *Cange* * 41 |
| Josue regit | 31 | 40 27 |
| Servitus Chursarsaton | 8 | 8 |
| Othoniel judicat | 33 | 31 |
| Servitus sub Eglon | 23 | 18 |
| Aod judicat | 80 | 80 |
| Jabin | 20 | 20 |
| Debbora | 40 | 40 |
| Servitus sub Madian | 7 | 7 |
| Gedeon judicat | 40 | 40 |
| Thola | 20 | 20 |
| Jair | 21 | 22 |
| Servitus sub Ammonitis | 18 | 18 |
| Jephte *Galaadites* judicat | 6 | 6 |
| *Aslon* (*Hic judex habetur tantum in cod. Canisii*). | 6 | 0 |
| Elon | 10 | 10 |
| Hebron | 8 | 8 |
| Servitus sub allophylis | 40 | 40 |
| Samson judicat | 20 | 20 |
| Heli | 20 | 20 |
| Samuel | 70 | 30 |
| Saul regnat | 30 | 30 |
| Ab Exodo ad init. David summa | 592 | 557 |
| Detrahe Exodi et 40 Moysi | 41 | 42 |
| Initium David distat a Paschate Josue | 551 | 495 |

| | *Codex Canisii.* | *Codex Labbei et du Cange.* |
|---|---|---|
| David regnat ann. | 40 1/2 | |
| Salomon | 40 | |
| Roboam | 18 | 14 |
| Abias | 17 | |
| Asaph | 44 | |
| Josaphat | 25 | |
| Joram | 20 | |
| Ochozias | 1 | |
| Godolia | 7 | 8 |
| Joas | 40 | |
| Amazias | 9 | |
| Ozias | 52 | |
| Joathan | 16 | 15 |
| Achaz | 16 | 15 |
| A David summa | 342 | 337 |
| Ad init. Ezechiæ adde ab Exodo ad David | 592 | 537 |
| Initium Ezechiæ post Exod. | 934 | 874 |
| Ezechias | 25 | |
| Manasses | 55 | |
| Amon | 2 | |
| Initium Josiæ | 82 | |
| XVIII annus Josiæ | 18 | |
| Annus XVIII Josiæ post initium Ezechiæ | 100 | |

Sunt igitur anni ab initio regni Ezechiæ ad XVIII Josiæ tantum centeni ex Epochis proxime allatis.

Idem intervallum juxta summam superiorem habetur annorum 114. Neutrum vero consentit cum marmore Hippolyti : in quo Epocha simplex disjungit eadem Paschata annis 112, et Epocha juxta Danielem eadem separat annis 113.

Multo evidentior est numerorum discordia, quæ apparet in scriptis exemplaribus, si conferatur intervallum Paschatis Josue a Paschate Ezechiæ. Ann

Digitized by Google

592 a Paschate Josue ad initium David additi annis 342 ab initio David ad initium Ezechiæ, constituunt summam 934.

At in summa capitis XVII Canisiani, et sectionis XII Labbeani codicis idem intervallum minuitur plusquam sæculis quatuor : nam constituitur intervallum ab Josue Paschate ad Pascha Ezechiæ annorum 464.

VII. His anachronismis, et antichronismis (si fas est dicere) non laborat marmor Hippolyti : in quo vidimus, intervalla ex duplici computo, tam « simplici, » quam « juxta Danielem, » optime consentire cum rationibus celebriorum Chronologorum, dum intervallum ab Exodo ad Pascha Ezechiæ ex cellularum dispositione deprehenditur annorum 793, juxta simplicem calculum, vel 791 « juxta Danielem : » adeoque haberi distantiam Ezechiæ a Paschate Josue 749 ex calculo simplici, et 750 ex calculo juxta Danielem. Neque enim aliter inciderent in cellulas lemmata illa, EXODUS, et JESUS, et EZECHIAS, nisi septem solidæ Periodi minores annorum 112, et præterea anni 9 supponantur numerari a Paschate Exodi ad Pascha Ezechiæ : et Periodi minores septem, imminutæ cellulis sive annis 32 juxta simplicem calculum, vel 33 « juxta Danielem » dicantur interesse a Paschate Josue ad Pascha Ezechiæ : cum unaquæque periodus minor, ubi solida sit, eamdem repetat cellulam : et unumquodque sæculum cellulis XII retrocedat in annorum consignatione. Necesse igitur est annos interpositos ab Exodo ad Ezechiam haberi ex hisce cellulis « juxta Danielem » vel 7, vel 119, vel 231, vel 243, vel 345, vel 457, vel 569, vel 681, quod nemo dixerit nulla idonea auctoritate permotus : vel demum 793 quod asserimus, cum et reliqua consentiant cum peritiorum Chronologorum rationibus, ex Bibliorum sacrorum numeris rite collectis. Quæ cum diligenter expensa fuerint, constabit, ut puto, facilius posse restitui ex marmoreo Chronico vitiatos numeros Anonymi Hippolyto æqualis, quam ut Hippolyti Chronicon in marmoreis cellulis sibi optime constans, ad vitiatos codicum numeros inter se dissidentes, et ab anonymis auctoribus acceptos, tum ab anonymis latine redditos inflectantur. Velim potius, ut ex fide hujus Canonis Hippolytei corrigantur menda scriptorum codicum. Facile enim intelligitur deesse numeros in scriptis Chronicis capite XVIII Canisiano inter Epochas Exodi et Ezechiæ. Fortasse intermedia aliqua jacebat Epocha ab Exodo ad initium David : tum illa subsequebatur ab initio David ad Ezechiam, quæ corruptis numeris non sibi constat. Omitto alios antichronismos recensere ex variatis lectionibus Canisiani et Labbeani codicis ; quas colligent Chronographi, qui conferant summas annorum a Mundi conditu putatorum ex Anonymo : unde apparebit distantia a Jesu Nave ad Davidis initium juxta Canisianum exemplar ann. 555, juxta Labbeanum 495, quarum neutra respondet annis in Judicum, et Regum numero recensitis. Commendat igitur maxime nostri marmoris fidem, et præstantiam operis Hippolytei, comparatio cum codicibus instituta : et desiderium vehementius intendit operum tanti Patris, et Martyris : quæ integra concidissent, nisi perennitatem aliquam ejusdem doctrinæ reliquiis præclarum hujusce monumenti vestigium comparasset. Hactenus V. C.

VIII. Hoc itaque Anonymi Chronicon Hippolyto synchroni, quod primum Canisius (1), dein de Labbeus (2), postremo Cangius (3) evulgarunt, heic edendum curavimus, velut appendicem operum Hippolyteorum, quæ superiore volumine II collecta simul ac digesta protulimus. Editionem nostram ad Labbeanam potissimum exegimus : collatis interim alicubi Canisii et Cangii exemplaribus, unde nonnullas descripsimus variantes lectiones, quæ alicujus pretii esse videbantur. Quis enim, ut cum Labbeo loquar, illud Augiæ stabulum purgare possit?

(1) *Canis.* Ant. Lect. t. II, edit. nov. tom. I, pag.
(2) *Labb.* Nov. Bibl. mss. libr. tom. I, pag. 298.
(3) *Cang.* in Select. ad Chron. Pasch. pag. 415.

# CHRONICON

## ANONYMI QUI SUB ALEXANDRO IMP. VIXISSE

### ANNO CHRISTI CCXXXVI PERHIBETUR.

LIBER GENERATIONIS AB ADAM USQUE AD ORDINEM [a] QUÆ CONTINETUR IN HOC LIBRO.

*Dinumeratio temporum et annorum. Generationes sæculi usque in hunc diem. Terræ divisio tribus filiis Noe.*

*Declaratio gentium, quæ ex quibus factæ sunt, et quas singuli terras et civitates sortiti sunt : quantæ insulæ claræ : qui, ex quibus gentibus transmigraverunt : quot flumina nominata : quot montes nominati.*

*Quot Judices : et quis quot annis populum judicavit.*

*Quot Reges in Tribu Juda : et quis quot annis regnavit.*

LECTIONES VARIANTES.

[a] Ad ordinem quæ continetur. *Sic ms. Edit. Canis.* ad... ordine quæ continentur in hujus volumine libri.

Digitized by Google

*Declaratio Paschæ, et quis quando servavit ex temporibus Moysi in hunc diem.*

*Reges Persarum a Cyro, et quis quot annis regnavit.*

*Reges Macedonum ab Alexandro, et quis quot annis regnavit.*

*Imperatores Romanorum ab Augusto, et quis quot annis imperavit.*

*Tempora Olympiadum ab Ifito, usque in præsentem Olympiadem.*

*Nomina Patriarcharum ac generationes.*

*Nomina Prophetarum. Mulieres Prophetissæ.*

*Nomina Regum Hebræorum et Regum qui in Samaria regnaverunt supra decem Tribus: et quis quot annis regnavit.*

*Nomina Sacerdotum.*

*Nomina Episcoporum Romæ, et quis quot annis præfuit.*

# PRÆFATIO.

QUANDOQUIDEM oportet [a] instructum esse veritate, necessarium existimavi, fratres charissimi, hunc in brevi de sanctis Scripturis facere sermonem ad corroborandam doctrinam, ut per paucas enarrationes, non sine causa inquisitas virtutes veritatis citius agnoscamus, abscindentes prius indoctorum generatam contentionem, [b] quæ obumbrat sensus, hujuscemodi indoctum edoceat. Summa autem cum industria prævidere cupientes juxta veritatem cognoscimus Gentium divisionem, et parentum dinumeratam generationem. [c] Inhabitatorum quoque tempora, bellorum commissiones, et Judicum [d] tempora, dispensationes, et Regum annos, et Prophetarum tempora qui et ex quibus regibus nati sunt, qualesque captivitates populi, quibus regibus, et quibus judicibus contigerint; quique sacerdotes, quibus temporibus fuerint, et quæ perditio facta sit. [e] Quo autem modo generatio seminis Israel de Patribus in CHRISTO completa sit, et quot quantique per quanta tempora dinumerentur anni a creatura sæculi usque in hunc diem.

Existimavimus autem incipientes a Genesi juxta verborum ostensionem, [f] sicut expetit, declarare, non ex nostra quadam parte, sed ex ipsis sanctis Scripturis testificari. Hinc ergo occasionem arripientes juxta ordinem de Genesi sermonem facimus.

## INCIPIT NARRATIO.

### SECTIO PRIMA.

*Liber generationis hominum*

Quo die fecit Deus Adam, ad imaginem Dei fecit eos.

Vixit autem Adam annis CCXXX et genuit Seth.

Vixit autem Seth annis CCV et genuit Enos.

Et vixit Enos annis CLXI et genuit Cainan.

Et vixit Cainan annis CLXX et genuit Malaleel.

[Malaleel vixit] annis CLXV et genuit Jared.

Et vixit Jared annis CLXII et genuit Enoch.

Et vixit Enoch annis CLXV et genuit Mathusalam.

Et vixit Mathusalam annis CLXVII et genuit Lamec.

Et vixit Lamec annis CLXXXVIII et genuit Noe.

Et erat Noe annorum D, et genuit tres filios Sem, Cham et Japhet.

Post annos autem C, postquam genuit Sem, fit diluvium, cum esset annorum sexcentorum Noe.

Fiunt ergo ab Adam usque ad Diluvium generationes XI, anni II, MCCXLII. Istæ sunt generationes Sem.

Sem cum esset annorum C genuit Arfaxat anno secundo post Diluvium.

Et vixit Arfaxat annis CXXXV et genuit Cainan.

Et vixit Cainan annis CXXX et genuit Sale.

Et vixit Sale annis CXXX et genuit Heber.

Et vixit Heber annis CXXXIV Phalec.

Usque ad hunc, generationes V, annis DXXIX; ab Adam autem, generationes XV, anni sunt II, MDCCLXXI.

### SECTIO II.

*Divisio terræ et de tribus filiis noe.*

Post diluvium autem, Sem, Cham et Japhet, trium fratrum, tribus divisæ sunt.

Et Sem quidem primogenito a Persida et Bactris usque in India longe et usque in Rhinocoruris est.

Cham autem secundo a Rhinocoruris usque Gadira.

Japhet autem tertio a Media usque Gadira ad [g] Buroam.

Habet autem Japhet flumen Tigridem, qui dividit Mediam et Babyloniam: Sem autem Euphratem, et Cham Geon, qui vocatur Nilus.

Confusæ sunt autem linguæ post diluvium. Erant autem quæ confusæ sunt linguæ LXXII, et qui Turrem ædificabant erant gentes LXXII, quæ etiam in linguis super faciem totius terræ divisæ sunt.

Nebrot autem gigas, filius Chus, Æthiops, in escam [h] inediis venando subministrabat bestias in cibum.

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Instructum esse veritate. *Edit., Labb.* instructum esse veritatis Diaconum. *Et mox*, frater carissime,— ad corroborandam doctrinam tuam.

[b] Quæ obumbrat sensus. *Edit. Labb.* quæ obumbrant. *Post* sensus, *edit. Canis. præfert* secundum: *forte* Scriptura enim, *inquit editor: quod minus placet.*

[c] Inhabitatorum — dispensationes. *Labb.* Inhabitationis quoque tempora, dispensationes; *intermediis omissis.*

[d] Judicum tempora, dispensationes. *Edit. Canis.* Judicum tempore dispensationes. *Recte, ut videtur.*

[e] Quo autem modo. *Ita Edit. Canis. et Labb. At Cang. et Fabric.* quæ nonnodo.

[f] Sicut expetit, declarare. *Canis.* sicut expedit declarare.

[g] Ad Buroam, *Labb.* Borram. *Al.* Borream.

[h] Inediis. *Sic et Cangius. Labb. tamen* mediis. *Canis.* Mediis.

Digitized by Google

Vocabula autem LXXII hæc sunt.

SECTIO III.

Filii Japhet [a], Gamer, ex quo Cappadoces...
Magog, de quo Celtæ et Galatæ.
Madæ, de quo Medi.
Van, de quo Græci et Jones.
Thobel, unde et Thalienses.
Mosoc, unde Illyrici.
Thiras, unde Thraces.
Cethyn [b], unde Macedones.
Et filii Gamer, Ascanaz, de quo Sarmatæ.
Rifan, de quo Sauromatæ.
Thogorma, de quo Armenii.
Et filii Van, Elisan, unde Siculi.
Tharsis, ex quo Hiberi, qui et Tyrreni.
Cithu [c], de quo Romani, qui et Latini, Rhodi: omnes XV.

De his exstiterunt Insulæ gentium; sunt autem Cyprii ex Citiensibus.

Ex Japhet siquidem invenimus, et eos qui sunt ad Borram ex ipsis de ea tribu Citiensium.

Sunt autem ex ipsis etiam gentes quæ sunt [d] in Ellada, præter eos qui postmodum advenerunt ibi: Reges qui habitaverunt civitatem, quæ apud Græcos honoratur, Athenas et Thebæorum: quoniam Sidoniorum sunt inhabitatores; et quicumque sunt alii similiter, posthæc apud Helladam transmigraverunt. Cognoscimus autem hæc ex lege et prophetis.

Erant ergo de Japhet ad confusionem Turris Tribus XV. Et hæ gentes Japhet a Media usque vesperum Oceani diffusæ sunt, attendentes usque ad Borram.

Medi, Albani, Gargani, Arrei, Armeni, Amazones, Culi, Corzieni, Benageni, Cappadoces, Paflagones, Mariandeni, Tibarenses, Chalibes, Mossynœcii, Colchi, Melanceni, Sarmatæ, Sauromatæ, Meotes, Scytes, Tauri, Thraces, Bastarni, Illuri, Macedones, Hellenes, Græci, Libyes, Istri, Vieni, Davni, [e] Dapnes, Calabri, Pici, Latini qui et Romani, Tyrreni, Galli qui et Celtæ, Libyestini, Celtiberi, Hiberi, Galli, Aquitani, Illuriani, Basanotes, Cyrtani, Lusitani, Vaccei, Cunienses, Brittones qui et in insulis habitant.

Qui autem eorum noverunt litteras, hi sunt: Hiberi, Latini qui vocantur Romani, Hispani, Græci, Armeni.

Sunt autem fines eorum ad Borram usque Gadiram, a Potameda fluvio usque [f] Mastusiadilion.

Terræ autem eorum hæ sunt: Media, Albania, Amazonis, Armenia minor, Armenia major, Cappadocia, Paflagonia, Galatia [g], Collis Indiæ, Bosphorma, Mediaerris, Sarmatia, Tauriana, Scythiæ, Bastarnia, Thracia, Macedonia, Dalmatia mollis, Thessalia, Locria, Bœotia, Ætolia, Attica, Acaia, Pellenia quæ appellatur Peloponnesus, [h] Arcanea, Epirotia, Illyria, Aodimus, Hadriace ex quâ pelagus Hadriaticum, Calatia, Lusitania, Italia, Thusgene, Massalia, Celtes, Gallia, [i] Hispania, Galli, Hiberia, Hispania major.

Huc usque desinit terra Japhet, usque ad Britannicas Insulas omnes ad Borram respicientes.

Sunt autem his et Insulæ istæ: Britannicæ, Sicilia, Euboea, Rhodus, Chius, Lesbus, Cithera, Jacentus, Cefalenia, Ithace, Corcyra, et Cyclades Insulæ, et pars quædam Asiæ, quæ appellatur Jonia.

Flumen autem est his Tygris dividens inter Mediam et Babyloniam. Hi sunt fines Japhet.

SECTIO IV.

Filii autem Cham: Chus, ex quo Æthiopes.
Mesraim, ex quo Ægyptii.
Phud, de quo Trogloditæ.
Chanaan, de quo Afri et Phenices.

Et filii Chus: Saba, Evilat, Sabat, Regma et Sagabacata.

Filii autem Regma, Saba et Dadan.

Et Chus genuit Nebroth.

Ægyptiorum patriæ, cum Mesraim patre ipsorum, VIII. Dicet enim, Et

Mesraim genuit Ludim, unde Lydii; Enemim de quo Pamphilii; Labain, de quo Laboez; Neptoïn et Patrosonin, unde Cretes; [j] Casluin unde Lycii, unde exierunt Philistim; et Capturim, unde Cilices.

Chananæorum sunt patriæ cum patre eorum XII. Dicit enim, Et

Chanaan genuit Sidona primogenitum, ex quo Sidonii, et Cheteum, et Jebyseum, et Amorreum, et Gersesseum, et Araceum, et Euveum, ex quo Tripolitæ, et Aseneum, et Aradium, unde Aradii, et Samareum, et Amathi, unde Amathusi.

Est autem habitatio eorum a Rinocoruris usque Gadiram.

Ex his autem nascuntur reges vel gentes: Æthiopes, Trogloditæ, Aggei, Isabini, Ictyofagi, Velanni, Ægyptii, Phœnices, Libyes, [k] Marmaredæ, Charisiitæ, Mysi, Mossynœci, Friges, Magones, Bithyni; Nomades, Lycinii, Mariandeni, Pamphyli, Minisci, Dipisideni, Lygallii, Cilices, Maurosii, Cretæ, Magartæ, Numidæ, Macrones, Nasamones.

Hi possident ab Ægypto usque ad Oceanum.

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Gamer. *Variæ circa nomina occurrunt lectiones, quas videre est apud Scaligerum in Thesauro temporum, p. 45.*
[b] Cethyn, unde Macedones. *Canis.* Chetim, unde Trojani, Phrygii, Macedones.
[c] Cithu. *Ita Labbei edit. Al.* Cithu. *Canis. autem sic:* Cethim, de quo Romani, qui et Latini: Dodanim, ex quo Priamii. *Omnes* XV.
[d] In Ellada. *Canis.* in Thebaide.
[e] Dapnes. *Canis.* Dapneri, *Cang.* Dapies.
[f] Mastusiadilion. *Canis.* Mastusi ad Ilion.
[g] Collis. *Labb. forte* Colchis. *Mox pro* Mediaernis, *Canis. habet* Media, Derris.
[h] Arcanea. *Labb.* Acarnia. *Canis.* Acarnanna. *Et mox post* Illyria *exhibet* Euchnites *pro* Aodimus.
Calatia. *Labb.* Calcetia, *forte* Galletia, *Canis.* Galitia.
[i] Hispania. Galli, *Canis.* Ypanogallia, *forte* Hispano-Gallia, *Leg.* Spanogall.
[j] Casluin. *Labbe* Castoin, Κασμωνιείμ (Gen., X, 14).
[k] Marmaredæ. *Labbe.* Marmaridæ.

Digitized by Google

Sunt autem Insulæ in his communes hæ : Corsola, Lupadus, Agaudius, Meletæ, Cerceuna, Menis, Cardinia, Galata, Corsuna, Creta, Gaulus, Rheda, Ethera, Carectus, Astypala, Chius, Lesbus, Tenedos, Imbrus, Jassus, Cobus, Chnidos, Nisurus, Megistæ, Cyprus.

Qui autem eorum sunt litterati, hi sunt ; Phenices, Ægyptii, Pamphyli, Phryges.

Sunt autem fines Cham a Rinocoryris, quæ dividit Syriam et Ægyptum, usque Garira in longum.

Nomina autem gentium, hæc sunt : Ægyptus et Æthiopia quæ tendit adversus Indiam, et altera Æthiopia, unde proficiscitur flumen Æthiopum, Erythrea, quod est rubrum attendens ad Orientem : Thebea Libyæ, quæ extendit usque Syrtes, habens gentes has : Nasamonas, Macas, Tautameos : Libya quæ a Lepti extendit usque minorem Syrtim : Numidia, Masseria, Mauritania quæ extendit usque Herculeas, quod est Heracleoticas stelas contra Gadiram.

Habet autem ad Borram maritimam Ciliciam, Pamphyliam, Pisidiam, Mysiam, Lycaoniam, Phrygiam, Camaliam, Lyciam, Cariam, Lydiam, Mysiam aliam, Troadem, Aolidem, Bityniam veterem, Phrygiam altiorem.

Habet etiam Insulas has : Sardiniam, Cretam, Cyprum, et flumen Geon qui appellatur Nilus. Dividit autem inter Cham et inter Japhet, et os vespertini maris. Hæc media Cham generatio.

SECTIO V.

De Sem autem seniore filio Noe, sunt tribus cognitæ XXV ; ad Orientem inhabitaverunt.

Filii Sem, Ælam, de quo Ælymei et Assyrii : Et Arfaxat, unde Chaldæi et Ludii, unde Lazones : Et Aram, unde Ethes : priores hos excidit Abraham : et filii Aram Oscevi, de quo Lidii ; et Gart, de quo Gaspheni ; et Mosoc, unde Mossyni : Et

Arfaxat genuit Sala, et Sala genuit Heber, unde Hebræi : et Heber nati sunt duo filii, Falec et Deboc, unde ducitur genus Abrahæ ; et Tactem, et Jectan. Jectan autem genuit Elmodal, de quo Indi ; et Salef, de quo Bactriani ; et Asarmot, de quo Arabes priores ; et Duran, de quo Camebi ; et Derra, de quo Mardi ; et Ezei, de quo Ariani ; et Declam, de quo Cedrusi ; et Gebal, de quo Scythii priores ; et Abimeel, de quo Hircani ; et Sabat, unde Arabi primi : et Ufir, de quo Armenii, et Œvilat, unde Gemmosofitæ. Hi omnes Bactriani.

Omnes autem de tribus filiis Noe sunt LXXII.

Omnium autem filiorum Sem habitatio est [a] a Bacris usque Rhinocoruris, quæ dividit Syriam et Ægyptum, et Rubrum mare ab ore Arsinoes, quæ est Indiæ.

Hæ sunt autem quæ sunt factæ ex his Gentes : Hebræi qui Judæi, Persæ, Medi, Pœnes, Arriani, Hircani, Assyrii, Indi, Macardi, Parthi, Germani, Helymei, Cessei, Arabes primi, Cedrusii, Scytæ, Arabes ultra, Sapientes qui dicuntur Gymnosofitæ, nudi sapientes.

Habitatio autem eorum usque Rinocorura et Cilicia.

Qui autem eorum noverunt litteras, hi sunt : Judæi, Persæ, Medi, Chaldei, Indi, Assyrii.

Est autem habitatio eorum, id est filiorum Sem, in longum quidem ab India usque Rinocorura : lata autem a Perside et Bactris usque Indiam.

Vocabula autem gentium hæc sunt : Persis, Bactrianæ, Hircania, Babylona, Corbulia, Assyria, Mesopotamia, Arabia vetus, Alimales, India, Arabia eudæmon, Cœlesyria, Commagena, et Fynicia, quæ est filiorum Sem.

SECTIO VI.

Gentes autem quæ linguas suas habent, hæ sunt : Hebræi qui et Judæi, Assyrii, Chaldæi, Persæ, Medi, Arabes, Madian, Adiabenici, Taleni, Alamosenni, Saraceni, Magi, Caspii, Albani, Indi, Æthiopes, Ægyptii, Libyes, Chetei, Cananæi, Ferezæi, Euvei, Gergesei, Jebusei, Idumei, Samaritæ, Fœnices, Syri, Cilices, Tharsenses, Cappadoces, Armenii, [b] Hibeni, Librani, Scytæ, Colchi, Sanni, Bosphorani, Asiani, Hisaurienses, Lycaones, Pysidæ, Galatæ, Paflagones, Fryges, Achai, Thessali, Machedones, Traces, Mysi, Bessi, Dardani, Sarmatæ, Germani, Pannoni, Peones, Norici, Dalmatæ, Romani qui et Latini, Ligures, Galli qui et Celtæ, Aquitani, Brittani, Hispani qui et Tyrreni, Mauri, Baccuates, et Massennes, Getuli, Afri qui et Barbares, Mazicei, Garamantes qui et Marmaredæ, qui usque Æthiopiam extenduntur.

SECTIO VII.

Necessarium autem putavi et inhabitationes Gentium et cognominationes declarari.

Incipiam autem ab Oriente : Persarum et Medorum inhabitatores Parthi et vicinæ gentes pacis usque Syriam cœle.

Arabum inhabitatores Arabes Eudæmones : hoc enim nomine appellantur.

Chaldæorum inhabitatores Mesopotameni.

Madianensium inhabitatores Cynedocolpitæ et Trogodytæ et Icthyofagi.

Græcorum autem gentes et vocabula v : Jones, Arcades, Bœoti, Æoli, Lacones.

Horum inhabitatores fuerunt Pontici, Bitini, Troes, Asiani, Cari, Legii, Pamyli, Cyrinei, et Insulæ plures, id est Cyclades quidem decem quæ Myrti pelagum continent. Hæc sunt autem nomina earum : Andrum, Tenœmteo, Naxus, Geos, Gyarus, Delos, Fynus, Renea, Cyrnos, Maraton. Sunt autem et aliæ Insulæ majores XII, quæ etiam civitates habent plurimas, quæ dicuntur Sporades, in quibus inhabitaverunt Græci. Hæc sunt autem nomina earum : Eubœa, Creta, Sicilia, Cyprus, Coos, Samus, Rho-

LECTIONES VARIANTES.

[a] A Bacris. *Labb.* ab Acris.

[b] Hibeni. *Labb.* Hiberi.

Digitized by Google

dus, Chius, Thapsus, Lemnus, Lesbus, Samotrace. Est autem a Bœotia Eubœa : sicuti ab Jone Jonides civitates XVI hæ : Cladiomena, Mitylene, Focæa, Priene, [a] Eryt, Samos, Teos, Colofon, Cius, Efesus, Smirna, Perinthus, Byzantium, Calcedon, Pontus et Amisos libera.

Romanorum, qui et Citiensium, gentes et inhabitationes hæ sunt : Tusci, Emilienses, Pincentes, Campani, Apulienses, Lucani.

Afrorum gentes et inhabitationes hæ sunt : Lebdeni, Cinti, Numidæ, Nasamones, Saci.

Insulæ autem hæ sunt, quæ habent civitates : Sardinia, Corsica, Girda quæ et Benigga, Cercyna, Galata.

Maurorum autem gentes et inhabitationes hæ sunt : Musulani, Tingitani, Cæsarienses.

Hispanorum autem gentes et inhabitationes hæ B sunt, Tyranni et Turrenorum, qui et Terraconenses, Lysitani, Beticii, Autryconi, Vascones, Calleci, qui et Astures.

Insulæ autem quæ pertinent ad Hispaniam Terraconensem tres sunt, quæ appellantur [b] Valliaricæ. Habent autem civitates V has : Ebuso, [c] Palme, Pollentia, quæ dicitur Majorica, Tomæne, Magone, quæ appellatur Minorica.

Harum inhabitatores fuerunt Cananei fugientes a facie Jesu filii Nave : nam et Sidona qui condiderunt et ipsi Cananei. Gadis autem Jebusæi condiderunt, et ipsi similiter profugi.

Gallorum autem Narbonensium gentes et inhabitationes : Amaxobii Græce, Sarmatæ.

Et hos autem necessarium fuit declarare tibi, ne C ignotarum gentium vocabula, et gentes, et manifesta flumina ignorares.

SECTIO VIII.

Incipiam ergo dicere de gentibus ab Oriente.

Adiabenici et Taleni contra Arabiam, Saraceni, Saraceni alii Atalenos contra Arabiam. Albani contra Pylas Caspias. Madianitæ majores, quos expugnavit Moyses, inter Mesopotamiam et mare Rubrum : Minor autem Madian est contra mare Rubrum juxta Ægyptum, ubi regnavit Ravel socer Moysi qui et Jothro.

Contra Cappadoces a parte dextra Armenii, Iliberii, [d] Birrani, Scytæ, Colchi, Bosphorani, Sani qui appellantur Sannices, usque Pontum extendentes ; ubi est Accessus, Absarus, et Sebastopolis, Ussilimen quod est portus, et Pasius flumen, usque Trapezunta extenduntur hæ gentes. D

Montes autem sunt nominati XII : Caucasus, Taurus, Atlas, [e] Parnaysus, Citeron, Helicon, Parthenius, Nysa, Lucabantus, Penius, Olympus, Libanus.

Flumina autem sunt magna et nominata XLI : Indos qui et Fison, Nilus qui et Geon, Tigris, Euphrates, Jordanis, Cefisos, Tanais, Menos, Erimanthus, Alys, Asopus, Thermodon, Erasinus, Rius, Borusthenes, Alfæus, Taurus, Eurota, Meander, Hermus, Axius, Pyramus, Bajus, Hebron, Sangarius, Achelous, Peneus, Ebenus, Sperchius, Cayster, Simois, Scamander, Strymon, Parthenius, Ister, Illarius qui et Danubius, Rhenus, Rhodanus, Betis, Heridanus, Thember qui nunc dicitur Tiberis.

Filiorum igitur trium Noe tripartitum sæculum divisorum.

Et quidem Sem primogenitus accepit Orientem ; Cham autem Mediterraneum ; Jafet Occidentem. Et ostensis gentibus, quæ de quo creatæ sint, necessario decurremus ad annos.

SECTIO IX.

Falec annorum CXXX genuit Ragau.

Ragau annorum CXXXII genuit Seruch.

Seruch annorum CXXX genuit Nachor.

Nachor annorum LXXIX genuit Tharam.

Thara annorum LXX genuit Abraham.

Abraham autem erat annorum LXXV, quo tempore edixit illi Deus, ut exiret de terra sua, et de domo patris sui, et veniret in terram Chanaam.

Fiunt igitur a divisione usquequo venit Abraham in terram Chanaam generationes quinque, anni DCXVI : ab Adam autem generationes XX, annis III, MCCCLXXXVII.

Conversatus est autem cum Chanaam annis XXV et genuit Isaac.

Isaac annorum LX genuit Jacob.

Jacob annorum LXXVI genuit Levi.

Levi annorum XL genuit Caath.

Caath annorum LX genuit Amram.

Amram annorum LXX genuit Aaron.

In octogesimo autem et tertio anno Aaron, egressi sunt filii Israel de Ægypto, ducente eos Moyse.

Fiunt igitur omnes anni CCCCXXX.

In deserto XL annos facit populus sub Moyse.

Jesus Nave transito Jordane facit in terra annos XXVII, bellum agit annis VII, et postquam possedit terram vixit annis XX.

Fiunt ergo, ex quo Abraham venit in terram Chanaam, usque ad mortem Jesu Nave, generationes numero VII, anni D ; ex Adam autem generationes XXVII, anni III, MCCCLXXXIV.

SECTIO X.

Post mortem vero Jesu peccans populus traditur Cusarsaton regi Mesopotamiæ, cui servit annos VIII, et cum clamasset ad Dominum, exsurrexit Gothoniel frater Caleb junior de Tribu Juda, qui denuntiavit ipsi Cusarsaton, et occidit illum, et gessit ducatum populi annis XXXI.

Et iterum dum peccaret, traditus est Eglon regi Moab, et servivit illi annis XVIII. Converso autem populo surrexit Aod, vir de Tribu Effrem, et occiso Eglon, principatus est populo annis LXXX.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Eryt. *Labb.* Erythra.
[b] Valliaricæ, *Labb.* Baleariceæ.
[c] Palme, *Labb. Palene.*
[d] Birrani. *Labbe.* Gircani.
[e] Parnaysus, Citeron. *Labbe.* Parnassus, Citharon.

Digitized by Google

Mortuo autem Aod, delinquens populus traditus A est Jabin regi Cananæorum, cui servivit annis xx. Sub eo prophetavit Deborra, uxor Lapidod, de Tribu Effrem : et per ipsam ducatum gessit Barac Aminoen, de tribu Neptalim. Hic denuntiavit Jabin regi, et occidit eum, et regnavit judicans cum Deborra annis xl.

Post cujus mortem peccavit populus, et traditus est Madiangis annis vii, super quos surrexit Gedeon de tribu Manasse, qui in ccc viris, cxx hostium M. perdidit. Hic rexit populum annis xl.

Hujus filius Abimelec.

Post hunc præfuit populo Thole filius Fale, filii Caram, de tribu Effrem annis xx.

Post hunc, judicavit Jair Galadites de tribu Manasse, et præfuit annis xxii.

Post hunc, peccans populus traditus est Ammanitis annis xviii, et cum clamasset ad Dominum, surrexit illis princeps Jepte Galaadita, de tribu Gad, de civitate Masefath ; et gessit ducatum annis vi.

Post hunc, judicavit Elon annis x.

Post hunc, judicavit Hebron filius Allelon Farathonoin, de tribu Effrem, annis viii.

Post hunc, peccans populus traditur Allofilis per annos xl.

Post hæc, conversis filiis Israel surrexit Samson, filius Manoe, de tribu Dan. Hic debellavit Allofilos, et gessit principatum annis xx.

Post hunc, Heli sacerdos judicavit annos xx.

Post, Samuel propheta unxit Saul in regem, et ipse judicavit populum annis xxx.

Post tempus, cum regnaret David, eduxit arcam de domo Aminadab, et divertit vitulos ; et cum reverteretur opposuit manus filius Aminadab, nomine Oza et percussus est : et timuit David, et induxit illam in domum Abeddarat Gethei, et fecit ibi menses tres.

Regnavit autem Saul annis xxx. Erat autem illi dux Abner, filius Ner. Ipse autem Samuel unxit David in regem.

Fiunt igitur ab Jesu usquequo conversus cepit David regnum in tribu Juda, generationes ix : annis CCCCLXXX ; ab Adam autem generationes XXXIV ; an. IV, MCCCCLXIV.

SECTIO XI.

Deinceps regnat David annis xl mensibus sex. D

In Ebron autem regnavit annis vii mensibus sex, et in Jerusalem annis xxxiii. Sub hoc sacerdos Abiathar, filius Abimelec, ex genere Heli, et ex alia patria Saddoc.

Prophetabant autem temporibus David, Gad et Nathan. Erat autem ipsi David dux Joad, filius Sarviæ [a], sororis David. Hic dinumeravit populum ; et erat numerus, quos numeravit filiorum Israel millies centies milleni : filii autem Juda quadringenties septies milleni. Levi autem et Benjamin non dinumeravit. Numerus autem eorum qui ceciderunt ex Israel, LXX millia.

Post David autem regnat Salomon filius ejus annis xl, et sub ipso adhuc Nathan prophetat : et Achias ex Selon, et inter eos sacerdos Saddoc.

Post Salomonem, regnat Roboam filius ejus annos xiv : sub hoc divisum est regnum et regnavit in Samaria Jeroboam servus Salomonis, de tribu Effrem, prophetat autem, et sub Jeroboam Achias Selonites, et Sameas filius Ælami.

Post Roboam, regnat Abias filius ejus annis xvii.

Post Abiam, regnat Asab filius ejus annis xli. Hic in tempore senectutis pedes doluit. Prophetabat autem sub eo Azarias.

Post Asab, regnat filius ejus Josaphat annis xxv. Sub hoc prophetat Helias, et Micheas filius Jemblas, et Abdias filius Ananiæ. Sub Michea autem erat B pseudopropheta Sedecias filius Cananæi.

Post Josaphat, regnat filius ejus Joram annis xx, et sub ipso prophetat Helias, et post hunc prophetat Heliseus sub filio Joram Ochozia, sub quo populus in Samaria filios suos, et stercus columbinum manducabat, regnante in Samaria Joram.

Post Joram regnavit filius ejus Ochozias anno uno : et sub hoc prophetat Gothol et Labdone.

Post hunc, regnat Gotholia, mater Ochoziæ, annis viii. Quæ exsurgens occidit natos filii sui : erat enim de genere Achab regis Israel : soror autem Ochoziæ, nomine Zosabaæ, cum esset Joiadæ Sacerdotis uxor, furata est Joas, filium Ochoziæ, cui Joiada sacerdos imposuit regimonium. Prophetat autem sub Gotholia Eliseus.

Post hanc, regnat Joas filius Ochoziæ annis xl. Hic C interfecit Zachariam filium Joiadæ sacerdotis.

Post Joas, regnat filius ejus Amasias annis viii.

Post Amasiam, regnavit filius ejus Ozias annis lii. Hic leprosus fuit usquequo moreretur. Judicabat autem sub eo Joatham filius ejus. Prophetabant sub Ozia, Amos et Esaias filius ejus, et Ozeæ filius Beheri, et Jonas filius Amathi ex Gofer.

Post Oziam, regnat filius ejus Joatham annis xvi. Sub hoc prophetæ Esaias, Osee, Micheas Morathita, et Joel filius Batuel.

Post Joatham, regnat filius ejus Achas annis xv, et sub hoc prophetæ Esaias, Osee et Micheas : sacerdos autem Urias. Sub hoc Salmanassar rex Assyriorum eos qui erant in Samaria transmigravit in Me- D diam et Babyloniam.

Post Achas, regnavit filius ejus Ezechias annis xxv. Sub hoc prophetæ Esaias, Micheas, et Osee.

Post Ezechiam, filius ejus Manasse ann. lv.

Post Manasse, regnat filius ejus Amos annis duobus.

Post Amos regnat filius ejus Josias annis xxxi. Hic Idola et altarium Samariæ dissipavit. Sub hoc Pascha celebratum est anno xviii regni ejus. Nam ex quo mortuus est Jesu Nave, non est servatum Pascha sicut tunc. Sub hoc Celcias sacerdos pater Jeremiæ prophetæ invenit in sacrario librum Legis in xviii anno regni Josiæ. Prophetant autem sub eo Oliba uxor

LECTIONES VARIANTES.

[a] Sororis. *Labbe, conjicit legendum,* sororii.

Digitized by Google

Sellim a veste sacerdotis, et Sofonias et Jeremias, A sub quo pseudopropheta Ananias.

Post Josiam, regnat Sofonias annis quinque, mensibus undecim.

Post Sofoniam, regnat Joachas filius ejus menses quatuor. Hunc ligavit Nechao rex Ægypti, et adduxit in Ægyptum, ordinato in loco ejus Eliachim, qui cognominatus est Joachim, regnat annis XI. Sub hoc prophetat Jeremias, et Buzi, et Urias filius Samace ex Cariathiarim. Hunc Nabuchodonosor ligavit catenis æreis Joachim regem Juda, et duxit in Babylonia.

Post Joachim, regnat filius ejus Joachim annis tribus; et hunc ducit ad eum compeditum Nabuchodonosor rex Babylonis, et alios cum eo.

Per ipsum, constituitur in loco ejus frater Joachim, B cujus nomen Sedecias, qui et Jechonias, qui regnavit annis XI.

In anno duodecimo transmigravit illum in Babyloniam, effossis oculis, et populum transduxit cum eo, præter paucos, qui postea in Ægyptum descenderunt. Prophetant autem sub Sedecia Jeremias et Ambacum, in anno autem IX regni ejus prophetavit in Babylonia Ezechiel. Post hunc prophetæ Nahum et Malachias, et Daniel, qui vidit de hebdomadis in primo anno Darii regis, filii Assueri, de semine Medorum, qui regnavit super regnum Chaldeorum.

In primo autem anno regni sui Cyrus dimisit populum redire in Jerusalem. Eo tempore, quo templum ædificavit, prophetant simul Aggeus et Zacharias: post quos Neemias filius Acheli de semine Israel fa- C bricavit civitatem Hierusalem, cum esset ab annis Artaxersis regis: et post hunc secundus Mardochæus.

SECTIO XII.

Fiunt igitur a David usque Sedechiæ, qui et Zeconiæ, transmigrationem, generationes XVIII, annis CCCCLXXVIII, menses IX; ab Adam autem usque in transmigrationem Babyloniæ sub Jechonia, generationes LI, anni IV, MDCCCXLII, menses IX.

Et post transmigrationem Babyloniæ, usque ad generationem Christi, generationes XIV, an. DCLX; et a generatione Christi usque ad Passionem, anni XXX; et a Passione usque ad hunc annum, qui est XIII imperii Alexandri annus, an. CCVI.

Fiunt igitur omnes anni ab Adam, usque ad tertium D decimum Alexandri imperatoris annum, anni V, MDCCXXXVIII.

Ut autem et aliter ostendamus non tantum per tempora regum, sed etiam a quo Pascha servatum est, dinumerantes simul annos dicemus.

Ab Adam usque diluvium an. II, MCCXLII.

A diluvio usque ad exitum Abraham de terra sua MCXLV.

Hinc usquequo exirent Israëlitæ de Ægypto, educente eos Moyse, quando et Pascha fecerunt, anni sunt CCCCXXX.

Ab Exodo Ægypti usque in transitum Jordanis, quando Jesus Pascha celebravit, sunt anni XLI.

Ezechias post annos CCCCLXIV celebravit Pascha.

Post Ezechiam Josias anno CXIV Pascha celebravit.

Post Josiam Heszras post annos CVIII Pascha celebravit.

Post Heszram [a] *Servatoris usque* generationes Christi *post annos* DLXIII Pascha fit.

A generatione *autem Christi* post XXX annos, cum *passus est Dominus*, Pascha celebratur, *ipse enim* erat justum Pascha.

*A passione* autem Domini usque in XIII annum imperii *Imperatoris Alexandri Cæsaris* anni CCVI *servatum est Pascha*, quod in *commemorationem* Domini nostri Jesu Christi *servatur a nobis*.

Fiunt igitur *omnes anni Adam* usque in *hunc diem anni quinquies mille septingenti triginta octo*.

SECTIO XIII.

*Reges Persarum ex tempore Cyri.*

Cyrus regnavit *Persis annis* XXX.
Post hunc, *Cambyses annis novem.*
Smerdius *Magus mensibus octo.*
*Darius* annis XXXVI.
*Xerxes* annis XXVI.
Artaxerxes *Longimanus annis* XXXVI.
Xerxes *dies sexaginta.*
*Sogdianus* menses septem.
*Darius* Nothus annis XVIII.
Artaxerxes, *Cyri junioris frater*, annis LXII.
*Ocor, qui et Artaxerxes* annis XXIII, *mensibus septem.*
*Arses* Nothus annis *tribus.*
*Darius annis* XII. *Hic est quem* Alexander Macedo deposuit in bello, quod fuit inenarrabile.
*Fiunt* omnes anni CCXLV.

*Post quos*, tempora jam apud Græcos ex constructione *Olympiadum* sunt clara; *nam usque ad* Alexandrum Macedonem fuerunt Olympiades CXIV, *quæ* faciunt annos CCCCLVI, *ab Iphito qui constituit* Olympiades.

*Ab Alexandro* usque ad Christum *Olympiades* LXXX, quod sunt anni CCCXX.

A *Christo autem usque* annum XIII *Imperii Alexandri* Olympiades LVIII, *quod sunt anni* CCXXXVI.

*Sunt ergo omnes Olympiades* usque *annum* XIII *Alexandri* Cæsaris *Olympiades* CCLIII, *quod sunt anni* MXII.

SECTIO XIV.

*Nomina creaturæ.*

Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared, Enoc, Matusalam, Lamech, Noe, Sem, Arfaxat, Sala, Heber, Faleg, sub quo divisa est terra, Ragau, Seruc, Nagor, Thara, Abraham, Isaac, Jacob, Juda, Fares, Esrum,

LECTIONES VARIANTES.

[a] Servatoris. *Italica supplentur ex edit. Labbeana.*

Digitized by Google

Aram, Aminadab, Naasson, Salmon, Boz, Obet, Jesse, David, Salomon, Roboam, Abiam, Asa, Josaphat, Joram, Ochozias, Joas, Amasias, Ozias, Joatham, Achaz, Ezechias, Manasses, Amos, Josias.

Josias autem genuit Jonaan et Joachim et fratres ejus, Eliachim qui et Joachim et Sedeciam qui et Jeconias dictus est Salum.

In transmigratione autem Babyloniæ Joachim genuit Jechoniam et Sedeciam. Jeconias autem genuit Salathiel, Fanneam et Sale, Saer et Jeconiam, Ortamno et Deebi et Filifania, Zorobabel et fratres ejus Abiut et Masolam et Ananias, et Saladi soror eorum, et Sedbel et Thoul, et Archia, et Asadia, et Sobesec.

Ædificatum est autem sanctuarium tempore Zorobabelis, cujus filius Abiud : dehinc Eliachim, Azor, Sadoc, Achim, Heliud, Eleazar, Mathan, Jacob, Joseph, cui desponsata fuit Virgo Maria, quæ genuit *Jesum Christum* ex Spiritu sancto.

SECTIO XV.

*Prophetarum nomina.*

Adam, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Moyses, Aaron, Jesus Nave, Heldad et Modat, Natan, David, Salomon, Elmodac, Achias Silonita, Sameas filius Elam, Ananias, Helias, Micheas filius Emblac, Abdiu, Heliseus, Abladan, Amos, Esaias, Osee filius Beeri, Joanas, Micheas, Raban, Johel filius Batuel, Jeremias filius Helciæ sacerdotis, Sophonias, Buz, Ezechiel, Urias, Sameas, Ambacuc, Naum, Daniel, Malachias, Aggæus, Zacharias, et sub Christo Simeon et Joannes Baptista.

Item Mulieres Prophetissæ, Sarra, Rebecca, Maria soror Moysi, Debbora, Oliba et sub Christo Anna, Elisabeth, *Maria* quæ genuit *Christum*.

SECTIO XVI.

*Nomina Regum.*

Saul de Tribu Benjamin.

Postquam autem translatum est regnum in Tribum Juda, David, Salomon, Roboam, Abia, Asa, Josaphat, Joram, Ochozias, Joatham, Achaz, Ezechias, Manasses, Amos, Josias, Joachim, Eliachim, Sedecias et Jeconias : sub hoc transmigratio facta est sub Nabuchodonosor.

Nomina regum, qui regnaverunt in Samaria super decem Tribus ex quo regnum divisum est.

Jeroboam filius Nabath annis XXII.

Nabath filius ejus annis duobus.

Saba filius Achiæ annis XXIV. Hic vindicavit domum Jeroboam.

Hela filius Base annis duobus.

Zambri annis XII.

Achab filius ejus annis XXII.

Ochosias, filius Achab, et Joram filius Jeconiæ, annis XII. Sub hoc filios suos et stercus columbinum hi qui erant in Samaria, manducaverunt.

Jehu, filius Namsi, annis XXVIII. Hic in initio pius fuit : fecit vindictam super domum Achab, occisis Joram et Jezabel, et Ochosia Rege Juda.

Joachaz annis XVII.

Joas filius ejus annis XVI. Hic Amasiam regem occidit, et destruxit de muro Jerusalem cubita CCCC.

Jeroboam, filius Joas, annis XV.

Azarias, filius Jeroboam, mensibus tribus.

Selem, filius Abia, mense uno.

Unornanc. filius Gadi, annis decem.

Falacias Manaæ annis duobus.

Facea, filius Romeliæ, annis decem. Hic obsedit Jerusalem, regnante Achaz, non possedit eam.

Osee, filius Dale, annis octo. Sub hoc decem Tribus transmigratæ sunt in regione Medorum a Salmanassar, qui et ipsum Osee colligatum habens abiit, regnante Achaz super duas Tribus in Jerusalem.

SECTIO XVII.

*Nomina Sacerdotum.*

Aaron genuit Eleazar, Finees, Achias, Razaza, Moriat, Arnaria, Amitob, Settis, Achivas; hujus filius Helias Propheta; et Salon, Joram, Amos Joadæ filius, Sedecias, Sedecia, Jehel, Uria, Tieem, Salon qui genuit Celciam, cujus filius Hieremias propheta et Azarias filius Azazæ, Sareu, Josedech qui genuit Jesum qui fuit sacerdos, cum instauraretur templum post captivitatem, Celicias, Joachim, Cædue.

Item alia patria, ex qua fuit Ezechiel propheta : Jode, Fatuea, Amorius, Zadiar, Samuhel, Evexia, Melchius, Salon, Comorius, Barracim, Soffonias, Maxses, Celcius, Buzi, Ezechiel.

Item alia patria, unde Heli Sacerdos, cujus filii Finees et Ofin rapiebant immolationem. Princeps patriæ de filiis Gaad, Achimelech, Habiathar, Urin, Nathan, Heli.

Item patria Leviticum, unde fuit Samuhel propheta: Chore qui restitit Mosi : filius hujus Helcana, Sufem et Abiar, Zeraam, Chelchanu, Samuel. Huic fuerunt duo filii munerum acceptatores, Johel et Habia.

Initium patriæ Levitarum, unde sunt Sacerdotes, ministri et Levitæ. Ambram filius Cahaad, filius Levi, filius Jacob. Levi genuit Gerson et Cahaad, et Merari. Filii autem Gerson, Semei et Emeher. Hi filii Levitæ et filii Cahaad, Ambram, Esaar Cefron, Odiel. Ambram genuit Moysen et Aaron, et Mariam. Aaron genuit ex Helisabet sorore Naasson, Nadab, et Abiud, et Eleazar, et Ithamar. Mortui sunt autem Nadab et Abiud offerentes ignem alienum. Post Aaron, Eleazar suscepit sacerdotium ; post Eleazarum, Finees. Ithamar autem et filius ejus : Isaar autem frater Ambram et ipse Levita. Hujus filii Chore et Nabith et Gazer : et filii Chore Air et Helcana et Abiasap. Hic Chore restitit adversus Moysen et Aaron, et Chao absorptus est in Viriseel. Cebron frater Amram, Aercius, filii ejus Misahel, Elisaphath, et Setis et Dile. Hi Levitæ traditi sunt. Omnes autem Aaron et filii ejus Arcæ Testamenti, ut ministrarent ei, et tollerent eam : et facta est eis pars decima sacerdotibus initiata, et primogenita, [a] et quæ in sacrificiis constituta, et primogenito, et destinata Levitis

[a] Et quæ ... primogenito. *Hæc desunt apud Labb.*

Digitized by Google

dicta est lex, ut quæcumque acciperent a populo ex decimis, decimas darent Sacerdotibus, ut existimarentur eis tamquam oblatio. Initio eorum traditæ sunt illis etiam civitates Refugiorum sex, et harum prata sementina in circuitu cujusque civitatis cubiti duo millia, et aliæ civitates XLII; sacerdotibus quidem decem, Levitis vero XIII.

Puto latius nos dixisse, quam speravimus, tamen necessaria pro his qui scrupulosius requirere volunt et multa legerunt : quos existimo facile percipere quæ scripta sunt : sed et illi qui pauca legerunt, facilius ad intellectum possunt pervenire ex illis, quæ a nobis per breviatam inquisitionem declarata sunt.

SECTIO XVIII.

*Macedonum Reges juxta Alexandrinos.*

Alexander filius Philippi, post Darium annis VII
Ptolemæus Lagi socer, annis LII.
Ptolemæus filius, Philadelfus, annis XXXVIII.
Ptolemæus filius, Evergetes, annis XXX.
Ptolemæus, Evergetæ filius, annis XXV.
Ptolemæus Philopator, annis XVII.
Ptolemæus frater, annis XXIII.
Ptolemæus Fuscus, annis II.
Evergetes annis XXVI.
Ptolemæus Alexas, annis XX.
Alexander frater Ptolemæi Alexæ, annis XVIII.
Ptolemæus Dionysius, annis XXIX.
Cleopatra filia, annis XXV.
Fiunt insimul anni CCCXLVI.
*Sequentia absunt a Canisio.*

SECTIO XIX.

*Imperatores Romanorum.*

Augustus annis LVII.
Tiberius annis XXII, mensibus VII, diebus XXIII.
Caius annis III mensibus novem.
Claudius annis XIII, mense uno, diebus XXVIII.
Nero annis XIII, mensibus octo, diebus XXVIII.
Galba mensibus quinque; diebus XXVI.
Otho mensibus octo, diebus septem.
Vitellius mensibus novem, diebus XV.
Titus annis tribus, mensibus duobus, diebus duobus.
Trajanus annis XVII, mensibus octo, diebus sex.
Hadrianus annis XX, mensibus decem, diebus XXVIII.
Antoninus Pius.... mensibus octo, diebus XXII.
Marcus annis XIX, mensibus quinque, diebus duodecim.
Commodus annis XII, mensibus octo, diebus XXIV.
Ælius Pertinax mensibus septem.
Julianus mensibus duobus, diebus septem.
Severus annis XIV.
Antoninus, cognomento Caracalla, Severi filius, annis sex, mensibus novem, diebus duobus.
Macrinus anno uno diebus sex.
Antoninus annis sex, mensibus octo, diebus XXVIII.
Alexander annis tredecim, diebus novem.

SECTIO XX.

*Regum Hebræorum.*

Saul annis XXX. David annis XL. Salomon annis XL. Roboam annis XVII. Abia annis tribus, Asa annis XLI. Josafat annis XXV. Joram annis novem, Ocosias anno uno, Gotholia mater annis octo, Joas annis XL. Amessias annis XXXVIII. Ozias annis LVIII. Jotham annis XVI. Achas annis XVII. Ezechias annis XXXIX. Manasses annis LV. Amos annis duobus, Josias annis XXXV. Joachim frater Joachaz annis XI. Joachim filius Hemeras, annis tribus captivitatis, Sedecias annis XI. Nabuchodonosor redux annis XV. Cymaroth filius annis XII. Baldasar frater annis XIV. Darius Assuerus annis XLIII. Cyrus anno primo.

*Cætera deerant in ms. exemplari.*

# ANNO DOMINI CCL.

## CELERINUS, LUCIANUS, CALDONIUS, MOYSES, MAXIMUS, NICOSTRATUS, RUFINUS ET CÆTERI CONFESSORES ECCLESIÆ ROMANÆ ET AFRICANÆ.

### EPISTOLA

CELERINI AD LUCIANUM.

(Pamel., Rigalt., Baluz., Paris., XX. Oxon., Lips., XXI.)

ARGUMENTUM hujus et sequentis Epistolæ habes istud in Epistola Cypriani XXII. *Exempla quoque, inquit, Epistolæ Celerini boni et robusti confessoris quam ad Lucianum eumdem confessorem, scripserit, item quid Lucianus ei rescripserit, misi vobis, ut sciretis et laborem circa omnia et diligentiam nostram, et veritatem ipsam disceretis : Celerinus confessor quam sit timoratus, et cautus et humilitate ac timore sectæ nostræ verecundus : Lucianus vero circa intelligentiam dominicæ lectionis, ut dixi, minus peritus, et circa invidiam verecundiæ nostræ relinquendam facilitate sua molestus. Nam cum Dominus dixerit, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti Gentes tingui, et in Baptismo peccata dimitti : hic præcepti et legis ignarus, mandat pacem dari et peccata dimitti in Pauli nomine, et hoc sibi dicit ab illo esse mandatum : sicut in litteris ejusdem Luciani ad Celerinum factis animadvertetis*, etc.

Hanc vero et sequentes epistolas, ne Baluzianum opus nimium discinderetur, inter Epistolas Cyprianicas ad tomum quartum rejectas, eo tamen loci, propter accuratam chronotaxim, revocavimus. Vid. infr., t. IV, col. 274.

### EPISTOLA

LUCIANI AD CELERINUM.

(Pamel., XXII. Rig., Baluz., Paris., XXI. Oxon., Lips., XXII.)

Vide præcedentis Epistolæ argumentum ex S. Cypriano acceptum, et notam qua alias hæc Epistola remittitur. Infr. t. IV, col. 279.

### EPISTOLA

OMNIUM CONFESSORUM AD CYPRIANUM.

(Pamel., XVII, Rigalt., Baluz., Paris. XVI. Oxon., Lips., XXIII.)

ARGUMENTUM. *Libellus Martyrum nomine a Luciano scriptus.* Vid. infra, tom. IV, col. 268.

Digitized by Google

### EPISTOLA I.

CALDONII AD CYPRIANUM ET COMPRESBYTEROS CARTHAGINI CONSISTENTES.

(Pamel. XIX., Rigalt. Baluz. Paris. XVIII., Oxon. Lips. XXIV.)

ARGUMENTUM.— *Cum lapsorum quidam, nova urgente persecutione, Christum confessi essent atque adeo antequam in exilium proficiscerentur, pacem peterent, consulit Cyprianum Caldonius an pax illis danda foret.*

(Vid. infra, tom. IV, col. 271.)

### EPISTOLA

MOYSIS ET MAXIMI PRESBYTERORUM, NICOSTRATI ET RUFINI DIACONORUM ET CÆTERORUM CONFESSORUM IN FIDE VERITATIS PERSEVERANTIUM AC ROMÆ CONSISTENTIUM AD CYPRIANUM.

(Pamel. Rigalt. Baluz. XXVI., Paris. XXV, Oxon. Lips. XXXI.)

ARGUMENTUM *hujus epistolæ recitat infra epistola Novatiani nomine cleri Romani scripta.* « *Quamquam, inquiunt, confessorum quoque quos hic adhuc in carcerem dignitas suæ confessionis inclusit et ad certamen Evangelicum sua fides in confessione gloriosa jam semel coronavit, litteras habeas conspirantes cum litteris nostris, quibus severitatem Evangelicæ disciplinæ protulerunt, et illicitas petitiones ab Ecclesiæ pudore rejecerunt.* » — *Solatia quæ ex Cyprianis litteris perceperunt Romani confessores, grati agnoscunt.*—*Martyrium non pœna sed felicitas.* —*Voces Evangelicæ, faces ad inflammandam fidem in lapsorum causa Cypriani sententiæ acceditur.*

Fit ejusdem mentio in Epistol. Cypriani XXXII, eamque integram habes infra tom. IV, col. 290.

### EPISTOLA

PRESBYTERORUM ET DIACONORUM ROMÆ CONSISTENTIUM AD CYPRIANUM.

(Pamel. Rigalt. Baluz. XXX., Paris. XXIX., Oxon. Lips. XXXVI.)

ARGUMENTUM. — *Ecclesia Romana sententiam suam de lapsis cum Carthaginensis decretis consentientem proponit. — Lapsis adhibita indulgentia ad Evangelii normam exigitur. — Pacem Confessoribus concessam gratia tantum et favoribus inniti inde constat quod lapsi ad episcopos remittantur. — Seditiosa pacis postulatio Felissimi factioni imputanda.*

(Vid. infra, tom. IV. col. 303.)

### EPISTOLA II

CALDONII CUM HERCULANO ET VICTORE AD CLERUM CARTHAGINENSEM.

(Pamel. Rigalt. Baluz. XXXIX., Paris. XXXVIII., Oxon. Lips. XLII.)

ARGUMENTUM.— *Quod jusserat illis Epistola sua XXXVII Cyprianus, perficiunt Caldonius, Herculanus, et cæteri, ac clero abstentum Felicissimum denuntiant, additis eorum nominibus qui se illi junxerant. Est autem vetus forma litterarum excommunicatoriarum.*

(Vid. infra, tom. IV. col. 331.)

## ANNO DOMINI CCLI.

## MAXIMUS, URBANUS, SIDONIUS, ET MACHARIUS CONFESSORES ROMANI.

### EPISTOLA

MAXIMI, URBANI, SIDONII ET MACHARII AD CYPRIANUM.

(Erasm. III, 13 [b]. Pamel. Rigalt. Baluz. L. Paris. XLIX., Oxon. Lips., LIII.)

ARGUMENTUM. — *Maximus et Confessores Romani Cyprianum certiorem reddunt se ad Ecclesiam rediisse.*

(Vid. infra, tom IV. col. 342.)

## ANNIS CHRISTI CCL-CLII.

# S. CORNELIUS,

## PAPA ET MARTYR.

S. HIERONYMUS, *lib. de Viris Illustribus*, cap. LXVI, p. 148.

*Cornelius* [a], Romanæ urbis Episcopus, ad quem octo [b] Cypriani exstant Epistolæ. Scripsit epistolam ad [c] Fabium, Antiochenæ ecclesiæ episcopum, de monuit Constantius ad *Rom. Pontif. Epist.* pag. 123. Nonnihil autem de Cornelii morte, sicca an cruenta fuerit, infra dicendum est ad Concil. Carthag. IV. ROUTH.

[a] Cornelius Fabiano, qui A. 250, 20 Jan. martyrium subiit, successor datus an. 251, 2 Jan. fuitque episcopus Romæ ad a. 252, 14 Sept. quo Centumcellis in exilio obiit. Vide Jo. Pearsonii Annales Cyprianicos ad illos annos. FABRICIUS. — Cornelium minime ante paschalem anni 251 diem ordinatum esse, pluribus argumentis colligit Tillemontius, uti

[b] Hæ universæ octo ad Cornelium Epistolæ adhuc hodie exstant et inter S. Cypriani Opera leguntur, quemadmodum duæ Cornelii ad Cyprianum. FABRICIUS.

[c] Nonnullæ editt. et mss. *Flavianum*. Rufin. *Fa-*

Digitized by Google

synodo Romana, Italica, Africana : [a] et aliam de A Novatiano, et de his qui lapsi sunt, [b] tertiam de gestis synodi, [c] quartam ad eumdem Fabium valde prolixam, et Novatianæ hæreseos causas et anathe-

*bianum*. Sed Eusebius VI. 43. et Nicephori Codices VI. 5. seq. successorem Babylæ iterum iterumque Φάβιον appellant, et Codices quamplurimi quos Suffridus Petri et Marcianæus inspexere, *Fabium* non tantum hoc loco, sed etiam infra, cap. 69. Euseb. Ἦλθον δ' οὖν εἰς ἡμᾶς ἐπιστολαὶ Κορνηλίου Ῥωμαίων ἐπισκόπου πρὸς τὸν τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας, Φάβιον, δηλοῦσαι τὰ περὶ τῆς Ῥωμαίων Συνόδου καὶ τὰ δόξαντα πᾶσι τοῖς κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ Ἀφρικὴν καὶ τὰς αὐτόθι χώρας. FABRICIUS.

[a] Hæc altera epistola Cornelii ab Eusebio non diserte commemoratur, sed illius loco Epistola Cypriani et episcoporum Africæ, Ῥωμαϊκὴ φωνὴ Κυπριανοῦ καὶ τῶν ἅμ' αὐτῷ κατὰ τὴν Ἀφρικὴν ἐπισκόπων. Pro *Novatiano* Novati nomen habent Codices Eusebii, Rufini, Nicephori, etsi Hieronymum plerisque in locis ubi Novatus hodie exstat Novatianum legisse haud dubitat Guil. Beveregius notis ad Synodicon magnum, p. 70. FABRICIUS. — De hujusce nominis scriptura fusius nos infra ad Cornelii Epistolam priorem ad Cyprianum. De Hieronymo autem verba Eusebii male intelligente videndus cl. Keil. ad Fabricii *Bibl. Gr.* ma continentem. Rexit Ecclesiam [d] annis duobus sub Gallo et Volusiano; cui ob Christum martyrio coronato successit Lucius.

tom. VII, p. 293 ed. novæ, qui insuper notat, nullam fecisse mentionem Hieronymum Cornelianæ epistolæ in causa Novati ad Dionysium Alex. scriptæ, quam commemorat Eusebius *H. E.* VI, 46. ROUTH.

[b] Euseb. Ἄλλη τις ἐπιστολὴ συνῆπτο Κορνηλίου περὶ τῶν κατὰ τὴν Σύνοδον ἀρεσάντων. Synodum intellige Romanam mense Octobri A. 251. in causa Novatiani habitam, cujus meminit S. Cyprianus Epist. 55. ad Antonianum p. 103. FABRICIUS.

[c] Ex hac epistola Cornelii prolixa fragmenta Eusebius nobis VI, 43. conservavit, qui eam laudat his verbis : καὶ πάλιν ἑτέρα ἐπιστολὴ περὶ τῶν κατὰ Νόουατον πραχθέντων. Iterum Novatum vides pro Novatiano. FABRICIUS.

[d] Non sane integris, ut ex iis quæ initio hujus B capitis dicta, apparet, licet Eusebius VII. 2, ubi Lucii etiam successoris meminit, ait Cornelium ad tres annos Romæ episcopatum tenuisse, illud tempus quo sedes a Fabiani martyrio vacavit, Cornelio ut videtur attribuens. Κατὰ δὲ τὴν Ῥωμαίων πόλιν Κορνηλίου ἔτεσιν ἀμφὶ τὰ τρία τὴν ἐπισκοπὴν διανύσαντος Λούκιος κατέσχε διάδοχος... Ita et alii veteres. Vide Schelstrateni Antiquitat. Ecclesiast., p. 196. seq. et 429. FABRICIUS.

# PROLEGOMENA.

## ARTICULUS PRIMUS.

### S. CORNELII VITÆ HISTORIA.

I. Decius, sacerdotibus Dei, ut Cyprianus loquitur (1), in primis infestus, cavit ne Romæ successor Fabiano sufficeretur : eoque prohibente factum est, ut ab ineunte anno 250 (quo 20 januarii seu 13 kal. februarii martyrio coronatus fuit Fabianus) ad annum 251 usque Romana sedes menses sexdecim et dies quatuordecim vacaret. Hoc durante interpontificio, penes Clerum Romanorum erat ejus Ecclesiæ regimen, qui etiam in causa lapsorum ad Cyprianum luculentam dedit epistolam (2).

Favente Decii absentia, die mercurii quarta junii 251, communi Romani Cleri consensu Cornelius electus est, de cujus ordinatione hæc Cyprianus ad D Antonianum, ex Novatiani epistolis aliquatenus de eadem anxium ac titubantem (3) : « Venio jam nunc, frater charissime, ad personam Cornelii collegæ nostri, ut Cornelium nobiscum verius noveris, non de malignorum et detrahentium mendacio, sed de Domini Dei judicio, qui episcopum fecit et coepiscoporum testimonio, quorum numerus universus per totum mundum concordi unanimitate consensit. Nam quod Cornelium charissimum nostrum Deo et Christo, et Ecclesiæ ejus, item consacerdotibus cunctis laudabili prædicatione commendat, non iste ad episcopatum subito pervenit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, et in divinis administrationibus Dominum sæpe promeritus, ad sacerdotii sublime fastigium cunctæ religionis gradibus ascendit. Tum deinde episcopatum nec ipse postulavit nec voluit, nec ut cæteri, quos arrogantiæ et superbiæ tumor inflat, invasit; sed quietus, et modestus, et quales esse consueverunt, qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, et pro humilitate ingenitæ sibi et custoditæ verecundiæ, non ut quidam vim fecit, ut episcopus fieret, sed ipse vim passus est, ut episcopatum coactus exciperet. Et factus est episcopus a plurimis collegis nostris, qui tunc in Urbe Roma aderant, qui ad nos litteras honorificas, et laudabiles, et testimonio suæ prædicationis illustres de ejus ordinatione miserunt. Factus est autem Cornelius episcopus de Dei, et Christi ejus judicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, et de sacerdotum antiquorum, et bonorum virorum collegio; cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, id est, locus Petri et gradus cathedræ sacerdotalis vacaret. » Hæc Cyprianus de Cornelii electione, cui una cum Romano clero episcopi sexdecim ex vicinioribus provinciis collecti, ac duo, qui ex Africa in Urbem venerant, Pompeius scilicet et Stephanus, consenserunt. Unde Cyprianus idem de episcoporum numero, qui Cornelii ordinationem probaverant, ad Antonianum : « Nisi si tibi episcopus videtur, qui episcopo in Ecclesia a

(1) Cyprian. Epist. LII, pag. 168. Edit. Venet. 1758.
(2) Vide Cypriani Epist. XXXI laudat. Edit.
(3) Cyprian. Epist. LII, pag. 165 et seqq.

Digitized by Google

sexdecim coepiscopis facto, adulter, atque extraneus fieri a desertoribus nititur, » id est a Novatiani fautoribus (1).

Egregiis eum meritis, virtutibusque exornatum fuisse, vel inde Cyprianus arguit, quod, Decio superstite, Romanam Ecclesiam gubernandam susceperit : « Etenim post episcopatum non exambitum, non extortum, sed de Dei, qui sacerdotes facit, voluntate susceptum, quanta in ipso suscepto episcopatu suo virtus! quantum robur animi! qualis firmitas fidei! quod nos simplici corde et perspicere penitus, et laudare debemus, sedisse intrepidum Romæ in sacerdotali cathedra, eo tempore, cum tyrannus infestus Dei sacerdotibus fanda atque nefanda comminaretur, cum multo patientius, et tolerabilius audiret, levari adversus se æmulum principem, quam constitui Romæ Dei sacerdotem : » quem ideo ante martyrium martyrem voluntate sua fuisse prædicat.

II. Cornelium natione Romanum, ex patre Castino natum esse scribit Anastasius bibliothecarius, vel quisquis illi præivit; cui etiam nonnulla Actorum apographa, et quoad Romanam patriam etiam Catalogus Romanorum Pontificum, e serenissimæ Reginæ Sueciæ bibliotheca ante tom. I aprilis ab Henschenio editus, consentiunt. Forte igitur fuerit e celeberrima illa inter Romanas familias gente Cornelia progenitus, ut Franciscus Blanchinus censuit (ex *Cornelii* arbitror vocabulo), in Notis historicis ad laudatum bibliothecarium.

Illum per omnes ecclesiasticos ordines, insigniaque in Ecclesiam merita ad supremi pontificatus apicem ascendisse, irrefragabilis testis est S. Cyprianus in sæpius jam laudata Epistola ad Antonianum. At ejusdem gesta a nemine recensita reperimus. Attamen cum e Romano Clero fuerit, haud dubie ad ipsum spectat pars, et fors non minima eorum, quæ Clerus ille. S. Petri Cathedra per Fabiani martyrium vacante, in calamitosa illa Ecclesiæ tempestate egregie præstitit. Exstant variæ inter Cyprianicas epistolæ ex quibus perspicuum est, quanto zelo Clerus ille non modo Romanam Diœcesin, sed et Carthaginensem, aliasque curarit (2).

Cornelium tamquam vitio creatum Episcopum Romanum calumniatus est Novatianus Romanus presbyter, instigante Novato, presbytero Carthaginensi, idque tam vafre, et malitiose, ut nonnullos ex confessoribus traheret in partes suas, ac per tres episcopos qua fraude, qua vi compulsos episcopus Romanus, clam ordinatus, primum in Ecclesia Romana schisma excitaret. Eam ob rem Cornelius sexaginta episcoporum concilio Romam anno 251 convocato, Novatianum, ejusque sectatores anathemate damnavit, et confessores, qui lapsi fuerant, ad reconciliationem et pœnitentiam admittendos esse decrevit. Hoc in Concilio lapsorum causa decretorio judicio finita est, statutumque ut lapsi ad communionem non admitterentur, nisi peracta pœnitentia diuturna, et integra : ita tamen ut ipsis in supremo vitæ discrimine subveniretur, neque absolutio et communio negaretur.

Eumdem pontificem e catacumbis transtulisse corpora sanctorum Petri et Pauli narrat auctor libri Pontificalis (3) : subditque ad extremum exsulasse Centumcellis, et plumbatis os ejus contusum Decii jussu (4). Sub Cornelii pontificatu non solum persecutionis procella, quæ Decii interitu extincta videbatur, a Gallo et Volusiano denuo excitata, Ecclesiam exagitavit; sed etiam duplex schisma; primum a Novato Carthaginensi et Novatiano Romano presbyteris, Romanam, præsertim Ecclesiam; alterum ab eodem quidem Novato olim incentore, sed duce Felicissimo, et Novatianis erroribus plane oppositum, Ecclesiam Dei in Africa perturbavit. Ut enim Novatiani detestabili severitate omnem spem veniæ lapsis penitus negandam contendebant, ita illi, damnabili pariter conniventia, a primo statim persecutionis die, cum recentia delinquentium facinora ferverent, et sacrificiis nefandis non tantum diaboli altaria, sed adhuc manus ipsæ lapsorum, atque ora fumarent, communicare cum lapsis, et pœnitentiæ agendæ intercedere non destiterunt, teste Cypriano, epistola LV ad Cornelium. Felicissimus, cum se ab Africanis episcopis in concilio congregatis damnatum videret, ut jus communionis quo exciderat, in Ecclesia Romana suffuraretur, Romam navigavit, et fucum facere sancto Cornelio Pontifici Maximo conatus est. Sed nihil obtinuit, nisi suæ damnationis confirmationem, ut ex supra laudata constat S. Cypriani epistola.

III. Ipso persecutionis exordio anni 252, Cornelius Romanus Pontifex Centumcellas (Civita Vecchia) a Gallo imperatore relegatus est, cujus in fide constantiam Cyprianus epistolis suis quam maxime commendat (5) : « Cognovimus, frater charissime, ait, fidei, ac virtutis vestræ testimonia gloriosa, et confessionis vestræ honorem sic exultanter accepimus, ut in meritis, ac laudibus vestris nos quoque participes, et socios computemus : » et post plurima : « Virtus illic Episcopi præcedentis publice comprobata est, adunatio sequentis fraternitatis ostensa est. Dum apud vos unus animus, et una vox est, Ecclesia omnis Romana confessa est. Claruit, fratres charissimi, fides, quam de vobis beatus Apostolus prædicavit. » Hæc aliaque plurima Cyprianus ad Cornelium, qui exilii ærumnis, laboribusque confectus, paulo post die decima quarta septembris martyr ibidem occubuit : « Post hoc, » ait Pontificale Damasi, « Centumcellas expulsus, ibi cum gloria dormitionem accepit. » Diem obitus Hieronymus docet, dum

(1) Cyprian. loc. cit.

(2) Vide Cypriani Epistolas, num. XXX, XXXI XXXII.

(3) Hæc translatio incerta est Baronio ad ann. 221, § 3. Pagio ad cumd. annum § 3 et Blanchino in notis *ad Anastasium bibliothecarium*, tom. II, pag. 205.

(4) Erat id genus tormentorum quasi flagellum ex funiculis, in quarum summitatibus glandes plumbeæ erant impactæ. Baron *ad Martyrolog. Roman.* die 6 junii. Gallonius *de Martyrum Cruciatibus*, pag. 204.

(5) Cyprian. Epist. LVI.

Digitized by Google

de Cypriano ait (1) : « Passus est sub Valeriano et Gallieno persecutione octava, eodem die, quo Romæ Cornelius, sed non eodem anno. » Nempe decimo octavo kal. octobris, qua die Cyprianum constat martyrio coronatum fuisse, et utriusque memoria celebratur.

IV. Quo autem mortis genere aut supplicio sanctus Pontifex obierit, plane incompertum est : nam quæ de illis in urbe Romana sub Decio martyrii Acta ejusdem referunt, nihil omnino probant, cum ab eruditis inter spuria rejiciantur. Vetustissimi catalogi Pontificum auctor tantum dicit, illum cum « gloria dormitionem » Centumcellis accepisse. Unde nonnulli existimarunt, eum naturali potius quam violenta morte defunctum esse; per exilii tamen, ac forte etiam carceris ærumnas accelerata, ideoque ab Ecclesia ut martyrem merito coli. Verumtamen non desunt testimonia gravia, quæ ambiguam illam phrasim, « cum gloria dormitionem accepit, » de martyrio per supremum supplicium consummato accipiendam suadent. Imprimis S. Cyprianus in Epistola LVIII ad S. Lucium, Cornelii successorem, illum *beatum martyrem* disserte appellat : Idem facit Epistola LVII ad S. Stephanum pariter Papam : « Servandus est, inquiens, antecessorum nostrorum, beatorum martyrum Cornelii et Lucii honor gloriosus.... Illi enim, pleni Spiritu Dei et in glorioso martyrio constituti, dandam esse lapsis pacem censuerunt : » Consonat Eusebius in *Chronico* dicens : « Romanæ Ecclesiæ episcopatum, post Fabiani gloriosam mortem, XX suscepit Cornelius annis duobus; qui et ipse martyrio coronatus est : » S. Pacianus in Epistola II ad Sympronianum, S. Cornelium occisum fuisse, non obscure insinuat. Adhuc clarius loquitur S. Hieronymus in Vita S. Pauli Eremitæ, tom. IV Opp., edit. Paris., part. 2, col. 69 : « Cornelius Romæ, Cyprianus Carthagine felici cruore martyrium pertulerunt. » Non obscure etiam loquitur Prosper in Chronico integro dicens : « Romanæ Ecclesiæ episcopatum, post Fabiani gloriosam mortem, XX suscipit Cornelius annis duobus, qui post biennium eodem martyrio coronatur. »

V. « Episcopatum tenuisse dicitur Cornelius ab Eusebio quidem (2) « annis circiter tribus, » in Chronico autem, cui Hieronymus concinit (3) « annis duobus. » In libro Pontificali, « annis tribus, diebus decem; » in exemplari Corbeiensi, ut in Bucheriano catalogo, « annis duobus, mensibus tribus, diebus decem; » in Fossatensi, nunc Colbertino, nec non apud Bollandum ex Codice olim Suecorum reginæ, nunc Vaticano, « anno uno, mensibus duobus, diebus tribus, » pontificatum gessisse dicitur. At nominatum Bucherianum catalogum, in quo Cornelium sedisse legimus « annos duos, menses tres, dies decem, a consulibus Decio IV, et Decio II, usque Gallo et Volusiano, » mendosum esse observat Antonius Pagius, cum in annis pontificatus Cornelii, tum in Deciorum consulatibus designandis. Nullus enim est aut Decii patris quartus, aut Decii filii secundus consulatus. Gallum autem Volusianum Decio Augusto secundo seu tertio, et Decio Cæsare primum consulibus successisse ex fastis certum est : adeoque in catalogo mox dicto non *annos duos*, sed *annum unum* Cornelio fuisse adscribendum. Quocirca eum sic corrigendum laudatus Pagius censet, ut « annum unum Decio III et Decio, » loco verborum *annos duos* Decio IV, et Decio II substituatur. Unde sequitur ut si Cornelius *annum unum*, quemadmodum illo in catalogo scribitur, et « menses tres, » ac « dies decem » sedit, cum eumdem, « Gallo et Volusiano consulibus » (hoc est anno Christi 252), die 14 septembris martyrio coronatum esse vera monimenta fidem faciant, anno Christi 251, junii 4 die pontificatum inierit. »

« Placuit etiam hæc opinio erudito Tillemontio (4) qui et præterea Cornelium minime ante paschalem anni 251 diem ordinatum esse pluribus argumentis colligit. Probabile est, non multo postquam Decius ex Urbe ad expeditionem contra Gothos discessisset quod circa verum tempus anni 251 contigit, clerum populumque Romanum, hac occasione oblata, convenisse, et in Cornelii electionem consensisse. Et hæc quidem Cypriani de Decio verba (5) : « Quod tolerabilius audiret levari adversus se æmulum principem, quam constitui Romæ Dei sacerdotem, » sic interpretari licet, ut Tyrannus ille nuntio eodem, et imperium a Julio Valente usurpatum, et Cornelium in Episcopum Urbis cooptatum didicerit. Porro Julius purpura circa mensem Maium anni 251 arrepta, nec multo post occisus est. Demum Eusebius et cum hac sententia et secum conciliari sic potest : ut cum Cornelium « annis circiter tribus » episcopatum tenuisse scribit, tempus a Fabiani obitu ad Cornelii mortem interjectum judicare voluerit; ubi autem eum « duobus annis » sedisse docet, unum completum, et alterum inchoatum pro duobus computarit. » Huc usque Constantius noster (6). Videsis etiam clarissimi inter Bollandistas Constantini Suyskeni commentarium historicum de S. Cornelio Papa et Martyre, § II, III et IV, et præsertim § XII, pag. 177 et seqq. Tomo IV. Septembris.

## ARTICULUS II.

### S. CORNELII P. ET M. SCRIPTA.

I. Complura sollicitudinis Apostolicæ monumenta litteris consignasse sanctus Pontifex perhibetur, quorum tamen pars maxima interiit (7). De his ita Eusebius (8) Ἤλθον δ' οὖν εἰς ἡμᾶς ἐπιστόλαι Κορνηλίου Ῥω-

(1) Hieronym. *de Script. Eccles. in Catalog.*, cap. 67.
(2) Eusch. H. E. lib. VII, cap. 2.
(3) Hieronym., *de Vir. illustr.*, cap. 66.
(4) Tillemont. *Mémoir. sur S. Corneille*, t. III, art. 13, pag. 351.
(5) Cyprian. L. c. n. 19.
(6) Constant. *Epist. Romanor. Pontific.*, pag. 123.
(7) Hæc et quæ sequuntur ex Galland. *Biblioth. Max. Vett. PP.* t. III, *Prolog.* p. 35, cap. VII, desumuntur.
(8) Euseb. H. E. lib. VI, cap. 48.


Digitized by Google

μαίων ἐπισκόπου πρὸς τὸν τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας Φαβίον. —Ταυταῖς ἄλλη τις ἐπιστολὴ συνῆπτο τοῦ Κορνηλίου περὶ τῶν κατὰ τὴν συνόδον ἀρεσάντων καὶ πάλιν ἑτέρα περὶ τῶν κατὰ Νοουάτον πραχθέντων. Hoc est, interprete Valesio : « Exstant adhuc epistolæ Cornelii Romanorum Episcopi ad Fabium Antiochensis Ecclesiæ præsulem missæ. » —His adjuncta erat alia ejusdem Cornelii epistola, de his quæ in Synodo decreta fuerant : et rursus alia de facinoribus Novati : Ad quem quidem locum observat eruditus Cotelerius (1). Eusebium verbis illis, ἐπιστόλαι Κορνηλίου, unam tantummodo Cornelianam epistolam significasse : quod sane perspexit et Hieronymus. Dum enim Eusebium affectatus, inter scriptores ecclesiasticos Cornelium recenset, hæc habet (2) : « Cornelius, Romanæ Urbis Episcopus, » —scripsit epistolam ad Fabium Antiochenæ ecclesiæ episcopum. Rem conficit V. C. aliquot ejusmodi locutionum exemplis in medium adductis. *Epistolas*, inquit, et de una epistola dici, observatum doctis Scripturarum interpretibus ad libros Macchabæorum. Sic Sanctus Polycarpus, alloquens Philippenses, ait ex vetere interprete (3). « Neque ego, neque similis alius mei, poterit sequi sapientiam beati et gloriosi Pauli. —Qui et absens scripsit vobis Epistolas : » ὃς καὶ ἀπὼν ὑμῖν ἔγραψεν ἐπιστόλας : Attamen, ex eodem interprete, sanctus ille Smyrnensis antistes paulo post unius tantum Paulinæ Philippensibus inscriptæ Epistolæ meminisse comperitur : *Qui estis*, inquit (4) in principio epistolæ ejus. Aliud præsto est exemplum ex ipso Eusebio, cujus hæc verba (5): Μνημονεύει γέτοι καὶ αὐτὸς ὁ Ἀλέξανδρος ἐν ἰδίαις ἐπιστόλαις ταῖς πρὸς Ἀντιοχείτας εἰς ἔτι νῦν παρ' ἡμῖν σωζομέναις τῆς Ναρκίσσου ἐν αὐτῷ προεδρίας, κατὰ ταῦτα λέξιν ἐπὶ τελεῖ γραφὼν τῆς αὐτῆς ἐπιστόλης. Quæ quidem sanctus Hieronymus paucis complectens sic reddit (6) : « Hic (Alexander) in fine cujusdam epistolæ, quam scribit ad Antinoitas super pace Ecclesiæ, etc. » Nimirum ut viri eruditi verba usurpem (7) frequenti apud omne genus auctores usu venit, quod de singulari epistola, dialogo, libroque loquentes, quandoque plurali numero utantur.

III. Ad hæc in allato textu Eusebiano cum docto ejus interprete observandum occurrit, Historicum Cæsariensem tres duntaxat Cornelii epistolas recensere : primam ad Fabium, Antiochensem episcopum, de Romana synodo, deque Italiæ et Africæ episcoporum consensu : secundam de decretis synodi : tertiam de facinoribus Novatiani ad eumdem Fabium Antiochenæ urbis episcopum ; ex qua luculentissimum Excerptum nobis Eusebius servavit. At Hieronymus quatuor enumerat (8) : « Cornelius, inquit, Romanæ urbis episcopus, ad quem octo Cypriani exstant epistolæ, scripsit epistolam ad Fabium Antiochenæ ecclesiæ episcopum de synodo Romana, Italica, Africana ; et aliam de Novatiano, et de his qui lapsi sunt ; A tertiam de gestis synodi ; quartam ad eumdem Fabium valde prolixam, et Novatianæ hæreseos causas, et anathema continentem. » Verum aliud egisse videtur doctor maximus, dum locum Eusebianum inspexit, ut post Valesium advertit Cotelerius (9). Eusebius enim, postquam primæ Cornelii epistolæ ad Fabium Antiochensem mentionem injecit, statim subdit : « Aliæ præterea latino sermone conscriptæ exstant epistolæ Cypriani, et aliorum antistitum, qui cum ipso in Africa congregati erant : ex quibus colligitur, ipsis etiam placuisse, ut subveniretur iis qui in tentationem inciderunt ; utque auctor nefariæ opinionis simul cum iis, qui ad partes ipsius desciverant, ab Ecclesiæ Catholicæ consortio merito abdicaretur. » Quibus relatis secundam memorat Cornelii epistolam B de his, quæ in synodo, Romana scilicet, decreta fuerunt. Quam ergo secundo loco laudat epistolam S. Hieronymus, non Cornelio, sed Cypriano adscribenda. Neque etiam Rufinus Eusebii verba probe accepisse comperitur : Siquidem quæ Cæsariensis episcopus de secunda Cornelii epistola tradit, interpretatur ipsemet de prima Fabio Antiochensi episcopo inscripta.

IV. Verum illud potius nostra interest, inquit doctissimus Gallandius (10) cum docto Eusebiano interprete advertere, ex Epistolis Cornelii primam ac tertiam fuisse a sancto illo pontifice græco sermone perscriptas. « Quum enim, inquit Valesius, Eusebius ex tertia epistola plurima adducat testimonia, nusquam dicit ea ex latino sermone in græcum fuisse C translata : quod tamen perpetuo monere consuevit, quoties latini scriptoris testimonium citat : exempli gratia, cum locos profert ex Tertulliani Apologetico ; aut cum epistolas Romanorum principum. » Deinde Eusebius ipse heic satis innuit, primam illam Cornelii ad Fabium epistolam scriptam fuisse græco sermone. Postquam enim de illa commemoravit, addit conjunctam ei fuisse aliam latino sermone scriptam epistolam Cypriani : quod quidem non adderet, nisi Cornelii epistola superius memorata diverso sermone scripta fuisset hæc illa satis apposite quæ quidem sentenia eruditissimis viris probatur(11).

V. Præter hasce epistolas græco sermone exaratas, scripsit etiam S. Cornelius aliquot litteras ad S. Cyprianum, inter cujus epistolas duæ etiamnum D leguntur, videlicet 46 et 48, cæteræ pariter perierunt.

Sub ejusdem nomine circumferuntur insuper duæ Decretales, ab Isidoro Mercatore productæ, et apud Labbeum (12) et Mansium (13) relatæ. Harum altera ad

(1) Coteler. ad cap. 3, Epistol. S. Polycarpi.
(2) Hieronym. *de Vir. illustr.*, cap. 66.
(3) Polycarp. epist. *ad Philipp.*, cap. 3.
(4) Id. ibid. cap. 11.
(5) Euseb. H. E. lib. VI, cap. 11.
(6) Hieronym. *de Vir. illustr.* cap. 62.
(7) Smith. *Schol. ad s. Polycarpi epistol.* pag. 110.
(8) Hieronym. *de Vir. illustr.* cap 66.
(9) Coteler. loc. cit.
(10) Galland. *Biblioth. Maxim. SS. PP.* tom. III, *in prolegom.* cap. 6, n. 4, pag. 23.
(11) Bolland. *Act. SS. Septembr.* Tom. IV. pag. 180. Coustant. *Epistol. Rom. Pontific.* pag. 145. Tom. I, not. a, et apud Mansi *Collect. Concil. Ampliss.* Tom. I, col. 817, not. 1.
(12) Labb. Tom. I *Concilior.* col. 668 et sqq.
(13) Mansi Tom. I. *Coll. Ampl. Conc.* Col. 811-817.

universam Ecclesiam dirigitur, agitque de translatione SS. Petri et Pauli, tamquam ab eo facta, ac de Novatiano, aliisque hæreticis; altera, Rufo vel Rustico episcopo Orientali inscripta, tractat de Sacramento, sive jurejurando episcoporum et eorum causis. Utraque ab eruditis, et ab ipso etiam Labbeo velut spuria rejicitur, suamque ipsamet falsitatem per adscriptos consulatus probat. Prior enim « data septimo (alibi octavo) idus septembris, Decio et Maximo, viris clarissimis, consulibus; » posterior « undecimo kalendas junii, » iisdem consulibus signata est; quorum ultimum nonnisi anno 253; id est secundo post Decii interitum anno, et aliquot post S. Cornelii martyrium mensibus consulatum iniisse et fastis constat. Si quis velit per « Maximum » ibi designari « Gratum, » cui id nomen etiam fuisse legitur, nihil tamen efficiet, cum hujus consulatum ad annum 250 spectet, quo Cornelius nondum pontifex ordinatus fuerat. Plura manifestæ suppositionis indicia adducit Natalis Alexander (1), inter quæ primum Scripturæ sacræ secundum versionem Vulgatam citatio; et sententiæ ex Actis concilii Carthaginensis, ex epistola de Vita clericorum, ad Oceanum sub nomine S. Hieronymi, ex concilio Romano v, sub Symmacho, ex sancto Ambrosio, Epistola 20, et aliunde corrogatæ.

Coustantius noster in Epistolis summorum Pontificum, col. 26, præterea observat decretum quo statuitur ut juramentum a jejunis præstetur, et ne pueri ante annum ætatis 14 jurare cogantur, quod exstat in compilatione Gratiani, 22, quæst. 5, c. 16, ab Ivone et Burchardo, sancto pontifici nostro pariter perperam abscrivit.

Commentitia etiam certe est ista epistola acris ac vehemens, quæ post Cyprianicas in editione Veneta, qua utimur, col. 303, inter dubias, recitatur, velut a Cornelio ad Cyprianum de non rebaptizandis Hæreticis data. Constat enim hanc controversiam sub Cornelio agitatam non fuisse, sed Cyprianum inter ac Stephanum, illius post Lucium successorem, primum ortam fuisse; constat quoque summam semper consensionem Cornelium inter et Cyprianum intercessisse (2).

XI. Eminentissimus Robertus Bellarminus, libro de Scriptoribus ecclesiasticis in S. Cornelio alterius perbrevis epistolæ ad *Lupicinum* Viennensem Episcopum meminit. Exstat ea tomo III Bibliothecæ Patrum editionis Parisiensis anni 1589, apud Labbeum tomo I. Conciliorum, col. 829 et Joannem a Bosco in Antiquitatibus bibliothecæ Floriacensis, ex qua primum erutam Baronius descripsit ad annum 225 n. 47, et Coustantius noster in appendice ad tom. I. Epistol. Rom. Pontif. pag. 25, suspectam habet.

Quamquam vero Labbeus de hac epistola nihil notet, nisi quod eam Baronius e Floriacensi Bibliotheca acceperit, mentem tamen suam satis manifestat, dum ad duas certe genuinas, quas ibidem subdit, sic notat: « Hæc et sequens Epistola cum iis quas Clerus Romanus scripsit, docent, quid distent æra lupinis, et subæratæ merces aureis veterum scriptis. » Eamdem Tillemontius (3), et citati Natalis Alexander ac Coustantius, aliique, inter suppositititias similiter reponunt: et certe ea magna præ se fert suppositionis indicia. Imprimis « Archiepiscopi » titulus ætate Cornelii in usu non erat; et si fuisset, sanctus Pontifex, seipsum tantummodo episcopum dicens, Lupicinum Viennensem eo nomine non compellasset. Baronius quidem in Annalibus ad annum 255, num. 47, ubi eam pro genuina refert, Archiepiscopi titulum omittit; sed et in laudata Bibliotheca Patrum, ac Labbei Collectione conciliorum, in hunc modum inscribitur: « Cornelius, Episcopus Romanus, fratri Lupicino Viennensi Episcopo salutem. » At præterquam quod incertum sit apud quos Floriacensi Autographo conformius legatur; nec hæc inscriptio Cornelii scribendi methodo congruit: hic enim epistolas suas ad Cyprianum datas quæ etiamque exstant, omisso utriusque episcopatus titulo, his verbis exorditur: « Cornelius Cypriano fratri salutem; » quod et Cyprianus in suis ad Cornelium pariter facitavit.

Secundo, dubium est an S. Lupicinus, superstite Cornelio, ecclesiæ Viennensi jam præsederit. Certe id in Baronii sententia rogandum est: is enim ad annum 262, num. 58, S. Florentium, Lupicini decessorem, sub Valeriano passum scribit; ad quod Eminentissimus Annalista non advertit, dum memoratam Epistolam admisit, vel contra, dum illius martyrium tam sero collocavit. Laudatus Joannes a Bosco de eodem S. Florentio sic ait: « Tempora Gordiani, Philippi, Decii, Galli, et Volusiani decurrit: » De Lupicino autem: « Ipsi successit B. Lupicinus martyr, qui Cathedram rexit, dum Valerianus et Gallienus in humanis debebant. » Eadem habet Joannes Chenu in episcopatibus Galliæ. Quinimmo Tillemontio (4) valde probabile visum est, Lupicinum non nisi post annum 374, illam sedem obtinuisse. Tertio vel ipsa epistola illa scripta est post Decium, ante, vel post inchoatam a Gallo persecutionem. Si primum, qua veritatis specie sit, « Christianos ubique tormentis variis affici, et jam plures martyrio coronatos fuisse? » Si secundum, cur de sua confessione aut exilio non meminit, cum ex dictis constet illum inter primos confessum, comprehensumque esse? Cætera, quæ in eadem epistola insuper nonnullis displicent, apud Tillemontium ac Coustantium videri possunt: nolim tamen cum posteriori asserere, vocem « Missas, » quæ in ea occurrit, Cornelii ævo certo recentiorem esse.

VII. Præterea notat Tillemontius, tractatum de Disciplina et Bono pudicitiæ, qui inter dubia S. Cy-

(1) Natal. Alexand. *Hist. Eccles. sæculo* III, cap. 4, art. 3; pag. 72.

(2) Vide Maran. *Vit. S. Cypriani* §. 35, pag. 115.

(3) Tillemont. *Mémoires, note* XV, *sur Corneille*, Tom. III, pag. 352

(4) Idem ibid.

Digitized by Google

priani Opuscula recensetur, Erasmo visum fuisse, S. Cornelio posse adscribi. Sed cum non alia ratio adducatur, quam quod is ab episcopo, qui a grege suo aberat, conscriptus sit; non video cur S. Cornelio, Centumcellis exulanti, potius quam cuilibet alteri episcopo a suis absenti attribuendus sit. Nec minus divinavit idem Erasmus, dum Tillemontio denuo teste (1) credidit, sermonem ad Novatianum hæreticum, Cypriano a nonnullis similiter adscriptum, Cornelii etiam opus esse. Quin immo non improbabile est, ut observat Tillemontius, eum post Galli persecutionem, in cujus exordio sanctus Pontifex relegatus et coronatus est, scriptum fuisse, in eoque de ejusdem confessione ac martyrio sub boni Pastoris typo memorari.

## ARTICULUS III.

### SYNOPSIS EPISTOLÆ CORNELII AD FABIUM ANTIOCHENUM.

Magnum fragmentum affert Eusebius (2), ex epistola tertia Cornelii ad Fabium, in qua Cornelius describit artificia quibus usus erat Novatianus, ut episcopus ordinaretur, abusus simplicitate et facilitate trium Episcoporum, quorum unus culpam agnovit, ac illius eum pœnituit. Postea observat hisce temporibus jam esse in Ecclesia Romana 46 presbyteros, septem diaconos, totidemque subdiaconos; quadraginta et duos acolythos, quinquaginta duos tum ostiarios, tum exorcistas, cum lectoribus, viduas cum thlibomenis, i. e. indigentibus, uti non male substituit Rufinus, plus mille quingentas: quibus universis Domini gratia et benignitas alimenta suppeditat. Ex hoc loco colligi potest, quot basilicas tunc Romæ habuerint Christiani. Cum enim singuli presbyteri suas regerent basilicas, si 46 fuerint presbyteri, totidem basilicas fuisse dicendum est. In hunc locum gravissime peccat Blondellus, cum eum ita perstringit, ut nullam subdiaconorum faciat mentionem, exindeque confici putet nullos tum Romæ subdiaconos fuisse institutos. Sed lectionis illius falsitatem tum Græcus Eusebii textus, tum Latina Rufini interpretatio demonstrant. Tradit et Optatus (3), quadraginta et amplius Basilicas Romæ exstitisse, quando illuc Victor Gabiensis proxime post exortum Donatistarum schisma ab his schismaticis missus est. « Ili quippe, inquit Optatus, ibi inter 40, et quod excurrit Basilicas, locum ubi colligerent, non habebant. » Quem locum dum Blondellus, Apolog. pag. 223, de ipsius Optati ætate interpretatur, ab eo male intellectum esse Valesius recte notat (5).

Addit Cornelius Novatianum non posse sperare se ad episcopatum venturum, siquidem in lecto baptizatus non receperat impositionem manuum episcopi, hoc est, sacramentum Confirmationis. Sed neque postquam liberatus est a morbo, reliqua percepit, quæ secundum regulam Ecclesiæ « percipienda sunt, neque ab episcopo consignatus est, τοῦ τε σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου. Hoc autem signaculo minime percepto, quomodo Spiritum sanctum potuit accipere (6)? » Postea scribit Cornelius, quod tantum rogatu Episcopi contra mandatum Ecclesiæ, quæ sic baptizatos ordinari prohibebat, presbyter Novatianus ordinatus fuerit (7). Dein exprobrat eidem, quod sacerdotium suum abnegaverit persecutionis tempore, cogatque suos corpus et sanguinem Christi eis præbendo, jurare, cum respondere deberent *Amen*, uti mos Ecclesiæ erat (8), se numquam ad Cornelium reversuros. Denique Fabium monet, Romanos confessores partes Novatiani deseruisse, multosque episcopos, quorum ad eum nomina mittit, in concilio eumdem damnasse.

Cornelii stilus, judice doctissimo Dupinio (9), quantum de eo judicari potest ex paucis, quæ exstant, ejus epistolis, non est valde sublimis, tamen iis, quæ dicit satis ponderis affert, res sibi accommodat, adversario suo nullo modo parcit.

(1) Tillemont. *Mémoire sur Corneille.* Tom. III. Art. XXII, pag. 208.

(2) Euseb. H. E. Lib. VI, cap. 43.

(3) Optat. Lib. II de Schismate Donatistarum.

(4) Vales. in hunc Eusebii locum.

(5) En Sacramentum Confirmationis! Rufinus Græca Cornelii verba ita latine expressit: *Nec reliqua in eo, quæ baptismum subsequi solent, solemniter adimpleta sunt, nec signaculo chrismatis consummatus est.*

(6) Vide Canon. XII Synodi Neocæsar. et Laodicenæ Canon. XLVII.

(7) Sancti Patres Ambrosius, Hieronymus, et Augustinus hujus consuetudinis mentionem faciunt. Hieronymus quidem adv. errores Joan. Hierosolymit. ad Pammachium: *Qua conscientia*, inquit, *ad Eucharistiam accedam, et respondebo: Amen, cum de charitate dubitem porrigentis?* Huc spectat illud Augustini Serm. 272, nov. edit. *Audis Corpus Christi, et respondes: Amen.* Et lib. XII, *contra Faustum*, cap. 10. *Habet enim magnam vocem Christi sanguis in terris, cum eo accepto ab omnibus respondetur: Amen.* Ritus ille apud Ambrosium lib. IV de Sacram., cap. 5, explicatur his verbis: *Ergo non otiose cum accipis, tu dicis: Amen, jam in spiritu confitens quod accipias Verum.* Cum his consentit et Cyrillus Jerosolym. *Cateches. ultima.*

(8) Dupin. *Bibliothec.*, tom. I, edit. Lat. Colon. pag. 280.

Digitized by Google

# NOTITIA

## EPISTOLARUM NON EXSTANTIUM QUÆ AD CORNELIUM ATTINENT,

AUCTORE D. COUSTANTIO O. S. B.

### I.

1. Cornelii ad Cyprianum aliosve Africæ episcopos litteræ, quibus se episcopum Romæ factum nuntiabat. Hæ modestiam et simplicitatem quamdam spirabant, quam minime præ se ferebant, quæ non multo post in Africam venerunt, Novatiani scripta conviciis et calumniis plena. Quapropter Cyprianus has Cornelii litteras plebi legi præcepit et respuit scripta Novatiani. Ipso autem Cypriano auctore, « divinæ traditionis et ecclesiasticæ institutionis sanctitas pariter ac veritas exigebat » ut statim atque Romanus episcopus Carthaginensi ordinationem suam litteris nuntiasset, ipse mutuas ad illum litteras dirigeret, ac notitia ordinationis ejus ad singulos provinciæ suæ collegas perlata, ab his fratres cum litteris ad episcopum recens creatum destinandos esse mendaret. Cui officio non defuisse se Cyprianus testificatur.

### II.

2. Cypriani ad Cornelium papam Epistola, per Caldonium et Fortunatum episcopos transmissa, qua rogabatur, ut quas ipse Cyprianus cum ad clerum tum ad plebem suam Carthaginensem de Felicissimi et quinque presbyterorum factione scripserat, hoc est edit. Pamel. XXXVIII et XL, Romæ fidelibus legeret. Quocirca earumdem litterarum exempla tunc per prædictos episcopos mittebat, quæ et postea denuo per Mettium et Nicephorum misit.

### III.

3. Synodicæ episcoporum Africæ ad Cornelium litteræ, ipsorum manu subscriptæ, ac per Mettium hypodiaconum et Nicephorum acolythum perlatæ, in quibus de Felicissimi et quinque presbyterorum ipsi cohærentium causa quid sensissent, quidve pronuntiassent, edocebant, illos nempe, ut supra in Epistola XII, anno sequente scripta, n. 9, memoratur, sententia sua abstentos esse. Conscriptæ forsitan fuerunt ex eo « plurimorum episcoporum concilio, » quod Cyprianus Epist. I ad Stephanum I, n. 2, recolit, in quo « Novatianus hostis Ecclesiæ judicatus est, » ac nemini cum eo communicare licere pronuntiatum fuit.

### IV.

*Ubi et de pœnitentia majorum clericorum, an tribus primis sæculis publicæ subjecti fuerint, disseritur.*

4. Ad initia pontificatus Cornelii referre licet tum gesta Romanæ synodi de Lapsorum causa, tum varias Cornelii epistolas, quas Hieronymus de Script. Eccl. c. 76, et Eusebius, lib. VI. Hist., c. 43, commemorant. Et Hieronymus quidem de his ita loquitur : « Cornelius, Romanæ urbis episcopus, ad quem octo Cypriani exstant epistolæ (totidem etiamnum habemus), scripsit Epistolam ad Fabium, Antiochenæ ecclesiæ episcopum, de synodo Romana, Italica, Africana ; et aliam de Novatiano et de his qui lapsi sunt ; tertiam de gestis synodi ; quartam ad eumdem Fabium valde prolixam, et Novatianæ hæreseos causas et anathema continentem. » E quatuor illis epistolis nihil ad nos pervenit, nisi postremæ insignia quædam fragmenta, quæ Eusebio debemus. Iste autem scriptor de iisdem gestis ac litteris hæc habet : « Cum Romæ congregata esset synodus, in qua sexaginta quidem episcopi, presbyteri vero ac diaconi multo plures convenerunt ; cumque in provinciis (uti probabile est, Italiæ) antistites seorsum consultassent, hujusmodi decretum cunctis promulgatum est (haud dubie a Cornelio) Novatum (leg. Novatianum) quidem et eos qui cum ipso sese insolentius extulerant, et quicumque inhumanissimæ et a fraterna charitate alienæ ejus opinioni consentire præsumpserant, alienos ab Ecclesia habendos esse ; fratres vero, qui casu ac tentatione lapsi fuerant, pœnitentiæ remediis curandos et confovendos esse. Exstant adhuc epistolæ Cornelii Romanorum episcopi ad Fabium Antiochensis ecclesiæ præsulem missæ, in quibus et Romanæ synodi gesta, et omnium per Italiam et Africam aliasque locorum illorum provincias sententiæ declarantur. His adjuncta erat alia ejusdem Cornelii epistola, de his quæ in synodo ( Romana ) decreta fuerant.

5. Quando autem habitum fuerit mox dictum de Lapsorum causa concilium, adeoque et quo tempore a Cornelio conscriptæ sint, ea de causa epistolæ, ex his cleri Romani ad Cyprianum, Epist. XXXI, colligitur : « Ante constitutionem episcopi nihil innovandum putavimus : sed Lapsorum curam mediocriter temperandam esse credimus ; ut interim dum episcopus dari a Deo nobis sustinentur, in suspenso eorum, qui moras possunt sustinere, causa teneatur. » Nemo enim non videt, dato a Deo Romæ pontifice Cornelio, nullam superfuisse causam cur ea res diutius in suspenso teneretur : immo cum Novatianus Lapsis veniam negaret, maxime necessarium fuisse, ut citius, habito concilio, finiretur. Quocirca inter prima Cornelii negotia computamus tum hoc concilium, tum litteras quibus ejusdem concilii decretum diversis provinciis notum fieri, et ab eis ratum haberi curavit.

6. Ad idem concilium pertinere videtur decretum de quo Cyprianus, Epist. LXVIII, ita loquitur : « Cumque alia multa sint et gravia delicta, quibus Basilides et Martialis implicati tenentur, frustra tales episcopatum sibi usurpare conantur ; cum manifestum sit ejusmodi homines nec Ecclesiæ posse præesse, nec Deo sacrificia offerre debere : maxime cum jam pridem nobiscum et cum omnibus omnino episcopis in toto

Digitized by Google

mundo constitutis etiam Cornelius, collega noster, sacerdos pacificus et justus, et martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreverit, ejusmodi homines ad pœnitentiam quidem posse admitti, ab ordinatione autem cleri atque sacerdotali honore prohiberi. » Quæ in decreto cum planum sit sacerdotes lapsos de sacerdotali dignitate atque functione dejici, iisque aditum ad pœnitentiam permitti, quæ ab illis pœnitentia exigenda esset, non satis perspicue declaratur.

7. Eruditi Morini, lib. IV. de Pœnit., c. 12, sententia est, cui et plurimi subscribunt, majores clericos tribus primis Ecclesiæ sæculis non secus atque laicos, pœnitentiæ publicæ fuisse obnoxios. Ille vero istud maxime in gratiam opinionis suæ profert, quod Cyprianus, Epist. LIX edit. Pamel., seu LXIV edit. Oxon., ad Fidum scribit : « Legimus litteras tuas, frater charissime, quibus significasti de Victore quondam presbytero, quod ei antequam pœnitentiam plenam egisset, et Domino Deo, in quem deliquerat, satisfecisset, temere Therapius collega noster immaturo tempore et præpropera festinatione pacem dederit. Quæ res non satis movit, secessum esse a decreti nostri auctoritate, ut ante legitimum et plenum tempus satisfactionis, et sine petitu et conscientia plebis, nulla infirmitate urgente ac necessitate cogente, pax ei concederetur. » Quo in loco decretum, a quo recessum esse Cyprianus docet, illud ipsum intelligere licet, quod idem antistes in Epistola LXVIII. mox dicta secum et cum omnibus omnino episcopis in toto mundo constitutis a Cornelio editum memorat. Unde sequitur, ut ejusdem decreti auctoritate presbyteris lapsis certum præscriptum sit satisfactionis ac pœnitentiæ tempus, eis minime remittendum, nisi aliud « petitu plebis, » vel « infirmitate urgente ac necessitate cogente » suaderetur. Sed pœnitentia illa, quæ ab illis « plena » exigebatur, an publica esset necne, etiam hic siletur. Neque id clarius enuntiat Cyprianus in Epistola LXIV, seu LXV, quam sic exorditur : « Graviter et dolenter motus sum, fratres charissimi, quod cognoverim Fortunatianum, quondam apud vos episcopum, post gravem lapsum ruinæ suæ, pro integro nunc agere velle, et episcopatum, sibi vindicare cœpisse. . . . . cum debeat satisfacere, et ad Dominum exorandum, diebus ac noctibus, lacrymis et orationibus et precibus incumbere; audet sibi adhuc sacerdotium quod prodidit vindicare, quasi post aras diaboli accedere ad altare Dei fas sit. »

8. Verum Cornelii atque episcoporum totius mundi quæ mens fuerit, ex ea ipsa Cypriani Epistola, in qua decretum illorum laudatur, colligere certius atque interpretari licet. In ea quippe repræsentatur Basilides, ut qui decreto illi parere ac morem gerere jam cœpisset : adeo ut « episcopatum pro conscientiæ suæ vulnere deponens, ad agendam pœnitentiam conversus sit, Deum deprecans, et satis gratulans si sibi vel laico communicare contingeret. » Si enim in his verbis quibus Basilides « ad agendam pœnitentiam conversus » narratur, nequaquam publica pœnitentia intelligenda sit; nulla subest ratio cur decretum, quo « hujusmodi homines ad agendam pœnitentiam posse admitti » Cornelius cum cæteris totius mundi episcopis constituit, de publica pœnitentia interpretemur. Atqui Basilides ad eam pœnitentiam agendam est conversus, cum qua episcopatus recipiendi spem non abjecit, immo et illum a Stephano per obreptionem impetravit; cum ea in Ecclesia lex semper obtinuerit, ut iis qui publicam egissent pœnitentiam, aut ad clerum adeundi, aut in eum redeundi spes nulla relinqueretur. Neque igitur publica illius pœnitentia fuit. Quod autem beneficii loco duxisse dicitur, « si sibi vel laico communicare contingeret, » illustrat idem Cyprianus, epist. 72, ubi de iis, qui adversus Ecclesiam rebellarant, ad Stephanum papam ita scribit : « Addimus plane et adjungimus, frater charissime, consensu et auctoritate communi, etiam si qui presbyteri aut diaconi, qui vel in Ecclesia prius ordinati fuerint, et posmodum perfidi et rebelles exstiterint..... eos quoque hac conditione suscipi cum revertuntur, ut communicent laici, et satis habeant quod admittantur ad pacem, qui hostes pacis exstiterint. » Ideo igitur illi indultam sibi redeuntibus communionem laicam beneficii loco ducere debuerant, quia et ipsis antea certum pœnitentiæ tempus præscribere, et quoad illud exegissent, communionem illam differre licuisset; non quia diaconos, presbyteros aut episcopos hujusmodi solemnibus publicæ pœnitentiæ ritibus subjacere usus volebat. Enimvero si ex iis, qui in libro II Gregorii Magni, Ind. X, epist. 6, de Demetrio, quondam Neapolitano episcopo, gravissimorum criminum reo legunt, « Pœnitentiæ reservatus, sacerdotii honore privatus est, » aut lib. VI, Ind. XIV, epist. 41, « Massæ, Nicoteranæ episcopus pro quibusdam culpis in pœnitentiam deputatus est, » Et alia his similia, nemo est qui locis illis « pœnitentiæ » nomine publicam ac solemnem pœnitentiam intelligat; quid vetat quominus idem nomen in decreto, quod Cornelius cum totius orbis Christiani episcopis sanxit, eadem ratione usurpatum intelligatur?

9. Istud porro me valde movet, quod hoc decretum non solius Cornelii et Italorum, sed et Africanorum, immo « omnium omnino episcoporum in toto orbe constitutorum » fuisse Cyprianus testatur. Decretum enim tanto tamque generali consensu firmatum, nonnisi solemni aliqua lege abrogari debuit : aut si per se antiquari atque in desuetudinem venire potuisse quis suspicetur; illud certe fatcatur necesse est, vix fieri potuisse, ut id tam cito in omnibus Ecclesiæ provinciis simul contingeret, nec ulla saltem in principibus viris superesset contrarii usus memoria. Atqui sæculo quarto clericis, ut publicam pœnitentiam agerent, Romana in Ecclesia concessum non esse testis est Siricius, Epist. I, n. 18, ubi illud velut antiquo aut etiam perpetuo usu receptum sic proponit : « Sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum, ita et post pœnitudinem ac reconciliationem nulli unquam laico liceat honorem

Digitized by Google

clericatus adipisci. » Hoc ipsum postea et Leo, a Rustico Narbonensi episcopo rogatus « de presbytero vel diacono, qui, cognito crimine suo, pœnitentiam petunt, utrum eis per manus impositionem danda sit, » epist. II, c. 2, luculenter firmavit his verbis: « Alienum est a consuetudine ecclesiastica, ut qui in presbyterali honore aut in diaconii gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi: quod sine dubio ex apostolica traditione descendit. » An vero tantus pontifex sacrorum canonum adeo rudis erat, ut consuetudinem ei legi contrariam quam sæculo tertio sanxissent totius orbis episcopi, pro apostolica traditione venditaret? Verum quo magis disciplinæ quarti aut quinti sæculi cum disciplina tertii consensio perspecta habeatur, eadem consuetudo prædictis clericis non omnimodam pœnitentiam, sed tantum publicam negat. Quocirca mox addit Leo: « Unde hujusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa. » Æquum enim erat iis, a quibus digna satisfactio expetebatur, pacem et communionem non prius reddi, quam plene satisfecissent: adeoque hæc Leonis responsio cum superioribus Cypriani verbis in Epistola ad Fidum componi facile potest.

10. Si autem mirum esset, decretum de re gravissimi momenti, quam clerus Romanus tertio sæculo, quoad pontificem sibi dedisset Deus, definire non ausus esset, postmodum ab eodem clero cum sancto pontifice sibi cœlitus præstito ac pluribus aliis episcopis sancitum, cujus frequens usus memoriam continue refricare debuisset, ita in oblivionem venire potuisse, ut sequenti sæculo in eadem Ecclesia penitus ignoraretur; non minus stupendum videretur, quomodo fieri potuisset, ut et apud Afros, qui idem decretum expetierant, laudarant, confirmarant, atque usu circa lapsos comprobarant, eodem tempore pariter fuisset ignotum: adeo ut Optato sub finem lib. II dicere licuerit, « Multis notum est et probatum, persecutionis tempore episcopos aliquos inertia a confessione Dei delapsos thurificasse; et tamen nullus eorum qui evaserunt, aut manum lapsis imposuit, aut ut genua figerent imperavit. » Qua enim vel inscitia vel temeritate Optatus hoc affirmare, ac Donatistas diaconis, presbyteris et episcopis manus imponentes velut impii et inaudita flagitii ibidem arguere ausus esset, si nihil hi egissent, nisi quod superiore sæculo Cyprianus aliique Africani præsules cum Cornelio ac cæteris totius orbis episcopis præcepissent, atque exemplo suo firmassent? Sed Optatum ab omni inscitiæ culpa liberum esse, et in unos Donatistas temeritatis crimen cadere docet nos Carthaginense concilium, in quo (haud dubie ne quis temerarios schismaticorum ausus et impias molitiones imitaretur), sæculo quarto labente, can. 11, « confirmatum est, ut si quando presbyteri vel diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, qua eos a ministerio necesse fuerit removeri, non eis manus tamquam pœnitentibus vel tamquam fidelibus laicis imponatur. » Præterea et Augustinus, Africanæ Ecclesiæ lumen, lib. I de Bapt. contra Donatist., c. 1, prædictis clericis « manus inter laicos non imponi » observat. In hac autem Augustini observatione, ac longe apertius in proximis Carthaginensis concilii verbis, apparet pœnitentiæ clericorum saltem majorum et pœnitentiæ laicorum distinctio.

11. Eadem non minus manifesta est in eo libello, quem Hilarius, Pictaviensis episcopus, anno 360 ineunte Constantinopoli constitutus Constantio Augusto obtulit. In eo quippe sic imperatorem illum de injusta exsilii sui causa, n. 2, alloquitur: « Circumventum te Augustum, illusumque Cæsarem tuum, ea confidens conscientiæ meæ conditione patefaciam, ut si indignum aliquid non modo episcopi sanctitate, sed etiam laici integritate gessisse docear, non jam sacerdotium per veniam exspectem, sed intra pœnitentiam laici consenescam. » Quod sane petiisset frustra, si eadem pœnitentiæ lege laicum clericumque promiscue constringi mos fuisset. Longe igitur falluntur, qui majores clericos non secus atque laicos publicæ pœnitentiæ aliquando obnoxios fuisse putant, dum hoc loco juvari se arbitrantur, quia episcopum permittere audiunt, ut « intra pœnitentiam laici consenescere » cogatur. Sed advertere debuerant ibi Hilarium ex certa integritatis et innocentiæ suæ conscientia non id quod fieri solet, sed quod insolitum prorsus atque inusitatum est, nec eventurum omnino confidit, concedere. Neque vero magis inde conficitur, episcopos ad laicorum pœnitentiam amandari consuevisse, quam ex eo quod Paulus Gal. I, 8, dicit, *Licet nos aut Angelus de cœlo evangelizaverit præter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*, conficere liceat Angelum cœlestem anathemati esse adhuc obnoxium. Illis igitur non parum adversatur iste Hilarii locus, dum aliam episcopi, aliam laici pœnitentiam tum fuisse diserte docet. Hoc autem loquebatur Hilarius cum ex more quem in Occidente, cujus erat episcopus, usitatum noverat, tum ex eo quem in Oriente, ubi degebat, videbat receptum; quique adeo et in Occidente simul et in Oriente pariter vigebat. Tanta vero totius Ecclesiæ consensio aliunde oriri non potest, nisi aut ex apostolica traditione, aut ex communi illa lege, quam cum « omnium omnino episcoporum per totum mundum constitutorum » consensu latam Cyprianus tradit. Tantum igitur tunc decretum est, ut episcopis aliisve majoribus clericis lapsis, sublato honoris sui gradu, post satisfactionem atque pœnitentiam ipsis congruentem, pax et communio redderetur.

12. Neque his repugnat quod de Natalii pœnitentia, temporibus Zephyrini papæ, ex Eusebii Historia descripsimus. Ibi enim quod episcopus ille, si tamen episcopus fuit, sponte ex vehementi pœnitentis animi affectu gessit, non quod ei ulla lex ecclesiastica imposuit, legimus. Hæc autem in Ecclesia circa delinquentes omnium temporum regula constans fuit, ut nulli cujusvis conditionis reo non pœnitenti venia

Digitized by Google

indulgeretur. Prius etiam quam hæc concederetur, A digna criminum satisfactio exigi semper consuevit, nisi hæc aliunde compensaretur. Quapropter ut tribus prioribus Ecclesiæ sæculis, ita et subsequentibus majores clerici gravissimorum criminum rei non modo ab honoris sui gradu dejecti, sed et dignis pœnis, quibus Deo læso satisfacerent, sunt multati. Hinc indigne tulit Cyprianus, quod Victori presbytero « ante legitimum et plenum satisfactionis tempus » data pax fuisset. Hinc et Leo presbyteris et diaconis lapsis expetendam esse judicavit « secessionem privatam, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa. » Hinc et Joannes II, Epist. ad Cæsarium ita contumeliosum ab episcopatu dejecit, ut eumdem in monasterium dirigi voluerit, « ubi delictorum memor in pœnitentia lacrymas effundere non omittat, ut.... a Jesu B Christo misericordiam valeat promereri. » Hinc Gregorius papa, lib. III, Epist. 50, præcipit : « Paulum quondam episcopum in monasterio, in quo est, in pœnitentia volumus permanere ; » et lib. v, Epist. 14 : « Statuimus diaconum et abbatem de portu Veneris, quem indicas cecidisse, ad sacrum ordinem non debere vel posse ullo modo revocari. Quem quidem sacro ordine privatum in pœnitentiam deputare te convenit. » Si autem hæc aliaque hujusmodi loca de publica pœnitentia nemo interpretetur : cur similia de majoribus trium priorum sæculorum clericis, præter sententiam summorum pontificum atque patrum, qui sæculis IV, et V, vixerunt, aliter intelligamus?

V.

13. Circa idem tempus Cyprianus, de omnium fra- C trum consilio, Cornelio misit nomina episcoporum in Africa constitutorum, « qui integri et sani in Ecclesia catholica fratribus præsunt : » ut sciret ipse, ejusque opera episcopi cæteri, « quibus scribere, et litteras mutuo a quibus eos accipere oporteret; » adeoque si quis scribere auderet, cujus nomen in hac Epistola reticeretur eum nossent « vel libello vel sacrificio esse maculatum, vel unum de hæreticis. » Simili cautione Cornelius scribens ad Fabium Antiochenum episcopum, nomina episcoporum qui Novatianum sive in synodo Romana, sive per litteras condemnaverant, ad calcem Epistolæ suæ adtexuerat, ut Eusebius, lib. VI Hist. c. 43, tradit.

VI.

14. Cornelii ad Cyprianum Epistola per Primitivum D presbyterum perlata, qua se motum significabat, quod cum de Adrumetina colonia Polycarpi ejusdem coloniæ episcopi nomine ad se litteræ dirigerentur, Cyprianus et Liberalis illuc venientes, ut non ad Cornelium, sed ad presbyteros ac diaconos Romanos dirigerentur, auctores fuissent, quasi anceps esset ipsius ordinatio. Cur autem id a se atque a Liberali factum sit, Cyprianus supra Epistola IV explicat.

VII.

15. Epistola Cornelii ad Cyprianum per Augendum confessorem missa, qua Nicostratum, Novatum, Evaristum, Primum et Dionysium Novatiani sectatores in Africam navigasse Cyprianus admonebatur.

VIII.

16. Cornelii ad Dionysium Alexandrinum episcopum, litteræ adversus Novatianum.

IX.

17. Dionysii Alexandrini Epistola ad prædictas litteras rescripta, de qua hæc Eusebius summatim perstringit : « Scribit Dionysius ad Cornelium Romanæ urbis episcopum, cujus litteras adversus Novatum (leg. Novatianum) acceperat. In qua quidem Epistola significat se ab Heleno Tarsi Ciliciæ episcopo et a cæteris qui cum illo convenerant, Firmiliano scilicet Cappadociæ et Theoctisto Palæstinæ provinciæ episcopis, invitatum fuisse, ut ad synodum Antiochenam occurreret, in qua quidam Novati schisma confirmare tentabant. Scribit etiam sibi nuntiatum fuisse, quod Fabius quidem diem extremum obiisset, Demetrianus vero in ejus locum episcopus Antiochenæ ecclesiæ esset constitutus. Sed et de Jerosolymorum episcopo mentionem facit his verbis : Quod enim ad Alexandrum spectat, is in carcerem conjectus, beato exitu defunctus est. » Quibus deinde subdit de eodem Dionysio Eusebius : « Sequitur deinde altera ejusdem Dionysio Epistola ad Fratres Romæ constitutos de diaconi officio per Hippolytum missa. Alteram item ad eosdem Epistolam scribit de Pace, necnon de Pœnitentia. Rursus aliam ad Confessores ibidem constitutos, qui Novati (leg. Novatiani) sententiæ etiam tum favebant. Duas quoque alias ad hos ipsos Epistolas misit postea quam ad Ecclesiam rediissent. » Quibus ex verbis conficitur primo quidem Dionysii ad Cornelium Epistolam, in qua ipsi Fabii obitum nuntiat, Cornelii scripto ad ipsummet Fabium esse posteriorem ; deinde vero Eusebium in mox dictis Dionysii litteris recensendis ordinem temporum minime servasse. Conjectura quippe est duas primas epistolas a Dionysio scriptas fuisse, cum a morte Fabiani Romæ sedes vacaret, tertiam cum confessores Macarium presbyterum, Urbanum, Sidonium et Celerinum Novatiano favere didicit, postremo quartam et quintam una cum ea, quam priore loco ad Cornelium misisse dicitur ; cum nimirum Confessores eosdem ad Ecclesiam regressos ipsis, ni fallimur, Cornelii litteris accepisset. Quemadmodum enim Cornelius confessorum ad Ecclesiam reditum in sua ad Fabium Antiochenum Epistola nuntiavit, ita et augurari licet eum id ipsum eodem tempore Dionysio Alexandrinæ ecclesiæ antistiti litteris datis significasse, hunc que non ita multo post ea quæ Eusebius memoriæ mandavit, ad Cornelium rescripsisse.

X.

18. Litteræ Fortunati pseudoepiscopi, per legatos ipsius, qui una cum Felicissimo Romam se contulerunt, ad Cornelium transmissæ. De legatis illis hæc scribit Cyprianus : « Post ista, adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab hæreticis constituto, navigare audent et ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras perferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante

Digitized by Google

laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum. » Rursum post pauca de iisdem ita loquitur : « De istis vero quid dicam, qui nunc ad te cum Felicissimo omnium criminum reo navigaverunt, legati a Fortunato pseudoepiscopo missi, tam falsas ad te litteras afferentes, quam est et ipse, cujus litteras ferunt, falsus? » Hanc autem litterarum illarum falsitatem in hoc positam notat, quod in eis Fortunatus viginti quinque episcopos ordinationi suæ affuisse jactitaret; cum eum « quinque solis convenientibus naufragis et absentis » ordinatum esse constaret, Privato scilicet vetere hæretico olim nonaginta episcoporum sententia condemnato, Felice quem Privatus extra Ecclesiam pseudoepiscopum constituerat, Jovino et Maximo primum sententia novem episcoporum damnatis, ac deinde iterato a pluribus in concilio absA tentis, et Reposto Suturnicensi, qui in persecutione non tantum ipse ceciderat, sed et maximam plebis suæ partem sacrilega persuasione dejecerat : « Hi quinque, inflt Cyprianus, cum paucis vel sacrificatis, vel male sibi conscii, Fortunatum sibi pseudoepiscopum cooptarunt. » Has Fortunati litteras accipere Cornelius aliquandiu recusavit, nec nisi post terrores ac minas accepit.

## XI.

19. Cypriani Epistola ad Cornelium de prædicto Fortunato eodem tempore, quo superior, scripta, et per Felicianum acolythum, quem Cornelius una cum Perseo episcopo in Africam miserat, est perlata : sed dum Felicianus vento retardatur, vel accipiendis aliis litteris detinetur, Felicissimo properante præventus est; C ita ut Cornelio prius, quam Romam ille adveniret Fortunati litteræ redderentur.

## XII.

20. Cornem litteræ « dilectionis fraternæ et ecclesiasticæ disciplinæ et sacerdotalis censuræ satis plenæ » Cypriano per Satyrum acolythum traditæ, quibus significabat Felicissimum hostem Christi non novum, sed jam pridem ob crimina sua plurima et gravissima abstentum, et non tantum ipsius Cypriani, sed plurimorum etiam episcoporum sententia condemnatum, rejectum a se esse ; et cum venisset stipatus caterva et factione desperatorum, vigore pleno, quo episcopos agere decet, pulsum ab Ecclesia esse. Has Cornelii litteras scriptas esse apertum est, D cum Felicissimus post Fortunati pseudoepiscopi ordinationem una cum ejusdem legatis in urbem venisset, ac necdum eo pervenisset Felicianus Carthagine cum proxime dictis Cypriani litteris rediens.

## XIII.

21. Aliæ Cornelii ad Cyprianum litteræ timidiores superioribus adjunctæ, simulque missæ, quibus indicabat se minis ac terroribus eorum, qui a Fortunato venerant, aliquantum esse commotum : « cum se aggressi essent cum summa desperatione comminantes, quod si litteras quas attulerant non accepisset, publice eas recitarent, et multa turpia ac probrosa et ore suo digna proferrent. » Tum igitur Cornelius his cedendum ratus est, nullo quidem ut mihi videtur imbellis aut pusilli animi vitio, sed majus quoddam incommodum veritus, idque amoliri cupiens. Hujusmodi sunt casus, in quibus sancti ac solliciti pastores quovis se vertant, pericula ac peccata metuunt, de quibus Augustinus tota epistola olim CCL; nunc CXCV, ad Paulinum ingemiscit, indeque num. 2 concludit : « Ecce unde vita humana super terram tota tentatio est, quando et ibi homo tentatur, ubi quantum potest vitæ cœlestis similitudini coaptatur. » Certe vitæ cœlestis institutis sese coaptare studebat Cornelius, cum scripta probrosa, quæ plebi scandalo et offensioni fore prævidebat, ne publice legerentur, ea ipse suscipiendo, cavit. Hoc tamen illius factum improbavit Cyprianus, et vehementer reprehendit : B neque eam reprehensionem iniquo animo tulit Cornelius, aut propter eam christiana amicitia, quæ inter sanctos illos præsules intercedebat, quidquam detrimenti passa est.

22. Iisdem litteris Cornelius expostulabat cum Cypriano, quod de nova Fortunati ordinatione non statim ad se scripsisset. Simulque, ut Fortunatus ille Romam ibi judicandus veniret, præcipiebat. Quod rursum non probans Cyprianus, a se atque ab omnibus collegis suis statutum esse rescribit, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum. Quæ autem Cornelium inter et Cyprianum ex occasione Fortunati et legatorum ejus nata est de cognitione causarum controversia, Zozimi papæ et Aurelii Carthaginensis episcopi temporibus ex causa Apiarii recruduit. Sed et tunc Africani præsules ad Cœlestinum papam rescribentes mox laudati concilii decreto steterunt.

## XIV.

23. Epistolam aliam perbrevem Cornelii nomine ad Lupicinum, Viennensem episcopum, inscriptam, quæ ex Floriacensi bibliotheca prodiit, in appendicem rejecimus. Alias autem duas, quas confinxit Isidorus Mercator, a reliquis ejus mercibus non separamus.

## XV.

24. In editionibus conciliorum, unicum hoc e Gratiani compilatione XXII, quæst. 5, c. 16, descriptum est decretum : « Honestum etiam videtur, ut qui in sanctis audet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honestate et timore Dei ; et ut pueri ante annos XIV, non cogantur jurare. » Idem decretum ab Ivone, par. XII, c. 69; et Burchardo lib. XII, c. 12, Cornelio tribuitur : sed ab eodem Ivone, p. XII, c. 33; et a Reginone lib. II, cap. 312, velut ex libro I Capitularium laudatur. Et re quidem ipsa ex Capitulari Aquisgranensi, ann. 789, cap. 63, excerptum est. Rursum postrema ejus pars de pueris ad jurandum non cogendis, juncta cum altera de puellis jurantibus, a Gratiano ibid. c. 15, ut ex concilio Eliberitano refertur. Item ex eodem concilio, Ivo, p. XII, c. 81, alteram illam partem de puellis jurantibus profert, quam quidem Burchardus, lib. XII, c. 26, non ex concilio Eliberitano, in quo re vera non exstat, sed ex concilio Hiberuensi, c. 3, laudat.

Digitized by Google

# EPISTOLÆ

# SANCTI CORNELII PAPÆ ET MARTYRIS,

## ET QUÆ AD EUM SCRIPTÆ SUNT.

ANNO CHR. CCLI.

### EPISTOLA PRIMA.

**S. CYPRIANI CARTHAGINENSIS EPISCOPI AD S. CORNELIUM PAPAM.**

(Erasm., II, 11; Pamel., Rigalt., Baluz., XLI; Paris. XL; Oxon., Lips., XLIV; Coustant, I, 125; Galland. III, 333.)

ARGUMENTUM. — *Legatorum Novatiani detegitur pravitas, et ideo a communione cohibentur. Petentibus publice audiri, hoc negatur. Quærentes undique schismatis atque hæresis socios sibi adsciscere, reprimuntur.*

A CYPRIANUS CORNELIO FRATRI SALUTEM.

I. Venerunt ad nos, frater charissime, missi a Novatiano, Maximus presbyter, et Augendus diaconus, et Machæus quidam, et Longinus. Sed enim cum ex litteris, quas secum ferebant, et ex eorum sermone atque asseveratione Novatianum episcopum factum comperissemus, illicitæ et contra Ecclesiam catholicam factæ ordinationis pravitate commoti, a communicatione eos nostra statim cohibendos esse censuimus: et [a], refutatis interim ac retusis, quæ obstinate ac pertinaciter asserere tentabant, jam ego [b] et

**LECTIONES VARIANTES.**

[a] *Ita optimæ notæ codex Colb. At in vulgatis hic desideratur particula* et, *moxque subjicitur*, Nam et ego... exspectavimus. *Lectione nostræ favet ms. Corb. in quo conjunctio* et *hic pariter exstat, favent et aliquot Anglic. in quibus infra habetur* Jam et ego.

[b] Nam ego. *Thu. Corb. Foss.* Jam et ego *Bod.* 1. *Lin.* Nam et ego *Oxon.*

**VARIORUM NOTÆ.**

EPIST. I. — Circa exitum mensis julii anni 251, opera Primitivi presbyteri missa. COUSTANT.

I. *Frater charissime.* In illa Christianorum simplicitate quæ primis Ecclesiæ sæculis vigebat, Christiani omnes, etiam episcopi, inter se se mutuo vocabant fratres, nullo discrimine inter episcopum Romanum et cæteros, uti notavit Erasmus ad *Epistolam* LII, et nos quoque diximus in notis ad *Epistolam* Gregorii Papæ IV, apud Agobardum. Sequentibus sæculis istud C mutatum est, et jamdiu invaluit ut Romanus episcopus cæteros appellet fratres, illum episcopi vocent patrem. Et tamen Joannes Launoius doctor theologus Parisiensis referens in *Historia collegii Navarræ* pag. 539, epistolam Gerardi Macheti, episcopi Castrensis, ad Ægidium Laqueatorem, vulgo *Le Lasseur*, referendarium papæ, quam is falso putavit scriptam fuisse ad papam, notat etiam per eas tempestates, id est, ævo Caroli VII, regis Francorum, episcopis liberum fuisse Romanum pontificem appellare fratrem, quia Gerardus in initio illius epistolæ ait: *Ingratus merito viderer, frater charissime*, et tamdiu id fore liberum quamdiu Romanus pontifex alios episcopos appellabit fratres, fratrem enim esse alicujus fratris fratrem. Viri optimi error ortus est ex eo quod nomina eorum ad quos Gerardus scribit non sunt posita in titulo epistolarum, ut vulgo fieri solet, sed post epistolam, quemadmodum Mabillonius in suo Itinere Italico, pag. 45, annotat D visos a se esse plurimos epistolarum codices in quibus inscriptio non ponitur in fronte epistolarum, sed in calce. Itaque quia post epistolam CX, Macheti, quæ scripta est ad papam, Launoius scriptum videbat: *Sanctissimo domino nostro papæ*, existimavit epistolam postquam sequebatur hæc inscriptio, scriptam esse ad papam, cum scripta sit, ut antea dixi, ad Ægidium Laqueatorem, referendarium papæ, ad quem etiam referenda est epistola CXII, in qua referendarium papæ episcopus pro more illorum temporum vocat fratrem. Ista ego, data occasione, putavi admoneri debere. Codex autem epistolarum Gerardi quo Launoius utebatur, si quis eum consulere velit, exstat nunc in bibliotheca Colbertina, in eam delatus beneficio canonicorum illustrissimæ ecclesiæ Sancti Martini Turonensis. De Ægidio interim illud quoque dicam per transennam, fuisse illum Narbonensis ecclesiæ canonicum et consiliarium regis Franciæ in sua suprema parlamenti Tolosæ curia, uti scriptum est in necrologio ecclesiæ Narbonensis, ubi sepultus est anno 1484, mense Martio. BALUZ.

*Missi a Novatiano.* Hujus legationis mentio habetur in epistola LV, pag. 83. BALUZ.

*Maximus presbyter.* Partis Novati, ut docet epistola papæ Cornelii ab Fabium Antiochenum apud Eusebium. Postea rediit ad Ecclesiam. Sic docent eadem epistola Cornelii et gesta pontificalia ex fastis Cuspiniani edita ab Ægidio Bucherio et ex codice Nicolai Fabri Peirescii laudato a Rigaltio in observationibus suis ad Epistolam LXVII sancti Cypriani. Ita enim illic scriptum est in Cornelio: *Sub episcopatu ejus Novatus extra Ecclesiam ordinavit Novatianum in urbe Roma et Nicostratum in Africa. Hoc facto, confessores qui se separaverant a Cornelio, cum Maximo presbytero, qui cum Moyse fuit; ad Ecclesiam sunt reversi.* Sic etiam in gestis pontificalibus quæ tribuuntur Anastasio bibliothecario. Ad eos videntur datæ epistolæ duæ Dionysii episcopi Alexandrini scriptæ ad quosdam confessores partis Novatiani, qui ad Ecclesiam redierant, apud Eusebium lib. VI, cap. 46. Sed quæ in gestis pontificalibus dicuntur de ordinatione Novatiani et Nicostrati habent aliquam difficultatem. Quomodo enim Novatus, qui non erat episcopus, potuit ordinare Novatianum et Nicostratum? Ordinavit eos nimirum eo modo quo Felicissimum factum fuisse ab eo diaconum scribit Cyprianus in Epistola XLIX, pag. 63; id est factione sua eum constituit diaconum. Vide annales Cyprianicos ad annum 250, § 21. BALUZ.

*Machæus.* Multum variant vetera exemplaria in nomine istius hominis. Et quamquam non sit magnum operæ pretium, admonebo illum alicubi nominari *Matthæum*, alibi *Macaheum*, *Macheum* et *Machæum*.

Digitized by Google

collegæ plurimi, qui ad me convenerant, exspectabamus adventum collegarum nostrorum Caldonii [a] et Fortunati, quos ad te nuper et coepiscopos nostros, qui ordinationi tuæ adfuerant, legatos miseramus, ut eis adventantibus et rei gestæ veritatem reportantibus, majore auctoritate et [b] lucida per eos probatione, partis adversæ improbitas frangeretur. Supervenerunt vero Pompeius ac Stephanus collegæ nostri, qui et ipsi quoque ad instruendos istinc nos manifesta secundum gravitatem ac fidem suam indicia ac testimonia protulerunt; ut nec necesse fuerit audiri ultra eos, qui a Novatiano venerant missi. Qui cum [c] in statione invidiosis quoque conviciis et clamoribus turbulentis prorueren, et flagitarent ut crimina, quæ se afferre ac probare dicebant, publice a nobis et plebe cognoscerentur; gravitati nostræ negavimus convenire, ut collegæ nostri jam delecti et ordinati, et laudabili multorum sententia comprobati,[d] ventilari ultra honorem maledica æmulantium voce pateremur. Et quia, quibus refutati et compressi sunt, et illicitis conatibus hæresim fecisse nudati sunt, in epistolam congerere longum fuit; ex Primitivo compresbytero nostro plenissime singula, quando ad vos venerit, audietis.

II. Ac ne eorum furens audacia umquam desisteret, hic quoque in schismatis [e] partes Christi membra distrahere, et catholicæ Ecclesiæ corpus [f] unum scindere ac laniare nituntur; ut ostiatim per multorum domos, vel oppidatim per quasdam civitates discurrentes, obstinationis suæ et erroris [g] scissis sibi quærant comites. Quibus semel responsum dedimus, nec mandare [h] desistimus, ut perniciosa dissensione [i] et concertatione deposita impietatem esse sciant, matrem deserere: et agnoscant atque intelligant, episcopo semel facto, et collegarum ac plebis testimonio et judicio [j] comprobato alium constitui nullo modo posse: proinde si pacifice [k] sibi ac fideliter consuluisse, si se assertores Evangelii [l] et Christi esse confitentur, prius ad Ecclesiam revertantur. Opto te, frater charissime, semper bene valere.

ANNO CHRISTI CCLI.

## EPISTOLA II.

S. CYPRIANI CARTHAGINENSIS EPISCOPI AD S. CORNELIUM PAPAM.

(Erasm., II, 10; Pamel., Rigalt., Baluz., Paris., XLI; Lips., Coustant, 127; Galland., III, 333.)

ARGUMENTUM. — *Quid ex divinæ traditionis et ecclesiasticæ institutionis usu fecerit Cyprianus, ubi de legitima Cornelii ordinatione certior factus est. Litte-*

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Calidonii *Foss. Mich. Vict.*

[b] Elucidata *Pamel. cum ms. edit. Corb.* Elucida *Oxon. Præferimus cum duobus mss. Colb.* lucida.

[c] Cum stationem *Corb. ms.* In stationem *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1, 2.

[d] Ad ventilandum *cod. S. Arnulf. Mel. edit. Manut. Rig. Oxon. Deinde apud Pam. Morell. Reinhart, ut in ms. Corb. et recentiori Colb.* Ultra famam ore maledico et æmul. *Vetustiorem Colb. sequimur Baluz. ex cod.* 13. Ad ventilandam famam ore maledico.

[e] Partem *Antiquior ms. Colb. et mox* Corpus scindere, *omisso* unum.

[f] Ecclesiæ corpus scindere *Pem. NC.* 2.

[g] Scissis *verbum quod ex vetere ms. Colb. exprimimus, in edit. Oxon. Decst. Ejus loco apud Pamel. ut in ms. Colb. habetur* scissi.

[h] Mandare desistemus *NC.* 2. Nunc dare *Bod.* 3.

[i] Discessione *Bod.* 3.

[j] In Dei judicio *Ver.*

[k] Proinde pacifice *Bod.* 1, 2. *Lin. Ebor. NC.* 1, 2. *Voss.* 2.

[l] *Ita nostri ms. At in edit.* Evangelii Christi.

## VARIORUM NOTÆ.

Retinui autem lectionem quæ nititur majori numero veterum exemplarium. BALUZ.

*Caldonii et Fortunati.* Episcoporum ecclesiæ Africanæ, qui Romam missi fuerant ut inquirerent quid actum fuisset in Ecclesia Romana, post mortem Fabiani, ut patet etiam ex duabus epistolis sequentibus. BALUZ.

*Lucida.* Hanc lectionem inveni in undecim libris antiquis. Alii septem antiqui præferunt *elucida.* Ego priorem lectionem puto esse meliorem, tum quia eam exhibent plerique libri veteres optimi, tum quia vox *elucida* non est admodum latina. Eam tamen habent editiones Spirensis, Veneta vetus, et Morelliana. Cæteræ usque ad Rigaltianam habent *elucidata.* Rigaltius et Angli post eum scripserunt *elucida.* Reinhartus maluit *elucidata.* BALUZ.

*Istic.* Restituimus ex fide sex veterum exemplarium, nam alii aut nihil habent, aut habent *istic.* Melior autem videtur esse lectio quam nos inducimus, ut sensus sit Pompeium et Stephanum *istinc*, id est ex urbe Romana, manifesta testimonia retulisse de legitima electione Cornelii et falsa ordinatione Novatiani. Quamquam vox *istic* habet in eo loco parem significationem, ut infra epist. XLIX. BALUZ.

*In statione.* Plerique libri veteres et veteres editiones non agnoscunt præpositionem. Primus eam adjecit Manutius. Hunc locum Lombertus vertit: *en pleine assemblée.* Alii viderint an recte. In codice Remensi sancti Dionysii legitur *infestatione*, errore, ut arbitror, librarii. Vide quæ notantur ad epistolam XLVI. BALUZ. — Nomine autem stationis cœtum et conventum intelligi Pamelius observavit. COUSTANT. — Quod hic *stationem*, epistola sequenti, ubi idipsum repetit latius, *cœtum* sive *conventum* dicit. Stationem autem, uti ex Tertull. colligere est, libr. *de Coron. milit.*, non quemlibet conventum ecclesiasticum, sed eum qui dominico die fiebat, vocabant veteres, unde dies stationum vocabatur metaphora sumpta a militibus, qui dum præsidium certo loco collocant stationem facere dicuntur. Ita et Christiani nunc in hac basilica, nunc in alia, nonnumquam et apud martyria, id est, uti recte annotavit Rhenanus, martyrum sepulcra diebus dominicis conveniebant, Deum stantes precabantur, Sacrificio intererant, et Corpus Domini, teste Tertull., *lib. de Orat.*, accipiebant. Si quid denique difficultatis occurrisset, in eo conventu tractabatur, unde fiebat, ut, eodem teste libr. *de Jejunio*, nonnumquam stationes in vesperum usque producerentur. PAMEL.

*Primitivo.* Presbytero Romano, ut opinor. Ex epistola quippe XLV, pag. 59, apparet illum missum fuisse in Africam a Cornelio. In actis passionis sancti Stephani Papæ Primitivus nominatur inter duodecim clericos Ecclesiæ Romanæ detentos jussu Valeriani imperatoris. Alterius Primitivi mentio est in martyrologio Adonis v kal. junii. Fuit is filius sanctæ Symphorosæ. Exstat apud Graterum vetus inscriptio Wormatiensis missa a Pithœo, in qua nominatur Victorina Primitiva. In collectione inscriptionum Ecclesiæ Sancti Pauli de Urbe, pag. 174, mentio est Primitivi, præfecti fabrorum, et alius ejusdem nominis, pag. 12, et Primitivæ, pag. 45, 55. BALUZ.

EPIST. II. — Per Mettium subdiaconum et Nice-

Digitized by Google

*ras Cornelii, non Novatiani, publice lectas esse. Cur præter Cornelii litteras, quibus ille se episcopum nuntiabat, eorum qui ipsius ordinationi interfuerant, testimonium desiderarit. Rogat Cornelium, ut litteras de Felicissimi et presbyterorum et addictorum causa, quas ipsi mittit, legat.*

CYPRIANUS CORNELIO FRATRI SALUTEM.

I. Quod servis Dei, et maxime sacerdotibus justis et pacificis congruebat, frater charissime, miseramus nuper collegas nostros Caldonium [a] et Fortunatum; ut non tantum persuasione litterarum nostrarum, sed præsentia [b] sua et consilio omnium vestrum enitterentur, quantum possent, et elaborarent, ut ad catholicæ Ecclesiæ unitatem scissi corporis membra componerent, et Christianæ charitatis vinculum copularent. Sed quoniam diversæ partis obstinata et inflexibilis pertinacia non tantum radicis [c] et matris sinum atque complexum recusavit; sed etiam gliscente [d] et in pejus recrudescente discordia episcopum sibi constituit, et contra sacramentum semel traditum divinæ dispositionis et catholicæ unitatis, adulterum et contrarium caput extra Ecclesiam fecit; acceptis litteris tam tuis, quam collegarum nostrorum, item adventantibus bonis viris et nobis charissimis collegis nostris Pompeio et Stephano, a quibus hæc omnia nobis cum lætitia [e] communi asseverata [f] sunt firmiter et probata [g], secundum quod divinæ traditionis et ecclesiasticæ institutionis sanctitas pariter ac veritas exigebat, litteras nostras ad te direximus. Sed et per provinciam nostram hæc eadem collegis singulis in notitiam perferentes, ab his quoque fratres nostros cum litteris dirigendos [h] esse mandavimus.

II. Quamquam mens nostra, et propositum jam

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Calidonium *Foss. Vict. Mich.*
[b] Tua *in vetustiore ms. Colb.*
[c] Nutricis *vetus cod. Baluz.*
[d] Gliscente in pejus ut crudescente *idem codex. Alter recentior cum edit. Oxon.* Gliscente et in pejus crudescente *Magis placet cum Pamel. et ms. Corb.* Gliscente et in pejus recrudescente.
[e] Hæc omnia cum tristitia *Oxon.*
[f] Asserta sunt firmiter *Oxon.*
[g] Probata quibus cognitis secundum *Ver.*
[h] Redigendos *Bod. 3. Lin. Ebor. NC. 1. Foss. Vict. Mich.*

## VARIORUM NOTÆ.

phorum acolytum aliquanto post superiorem epistolam transmissa est. Constant. — Hanc epistolam auctor gestorum pontificalium ait scriptam a Cypriano fuisse in carcere, ut mox dicam, et missam per Celerinum lectorem. At Pearsonius in *Annalibus Cyprianicis* putat hæc verba *gestorum pontificalium* intelligi de epistola LVII, falso, ut opinor. Nam in epistola missa per Celerinum agebatur de ordinatione Cornelii, de qua non agitur in epistola LVII. Recte observat idem vir clarissimus errorem esse in gestis pontificalibus eo loci ubi legitur epistolam illam conscriptam esse in carcere a sancto Cypriano. Verum non ideo existimandum est falsa prorsus esse et commentitia quæ istic tradit auctor horum gestorum. Error est, non falsitas. Emendatio facilis est. Quæ dicuntur de carcere referenda sunt ad Celerinum, quem constat in carcere tentum fuisse cum Moyse, Maximo, et Nicostrato, Urbano et Sidonio. Is ergo litteras Cypriani accepit in carcere, et hinc misit ad Cornelium. Sic videtur restituendus sermo qui turbatus est in gestis. Sed quod addit idem vir clarissimus ex Adone, quod numerat inter frivola et inania sequentium temporum commenta, nimirum in epistola illa Cyprianum scripsisse ad Cornelium quanta pro fide et confessione Christi sustinuerit Celerinus, id vero magnam habet difficultatem. Ado enim non scribit hujus Celerini laudes fuisse in epistola qua probabat electionem Cornelii. Hæc sunt verba Adonis ad diem XVIII kal. octobris: *Quo tempore beatus Cyprianus scribit ei de Celerino lectore, quanta pro fide et confessione Christi sustinuerit.* Ista ergo exstabant in alia quapiam epistola Cypriani qua caremus. Baluz.

I. *Miseramus nuper.* De hac Cypriani legatione ad Cornelium agens Marca, lib. V *de Concordia*, cap. 2, ait Caldonium et Fortunatum legatos Cypriani et concilii Carthaginensis missos esse ut quantum fieri posset enitterentur ad componendam consiliis suis Ecclesiæ unitatem, quæ factione Novatiani scissa erat, et ut de Cornelii ordinatione quæ sibi essent comperta referrent ad Africanos. Baluz.

*Obstinata pertinacia.* Honorii Aug. constitutio adversus Pelagium et Cœlestium: *Sed quia obstinatorum nimis pertinax malum ut constitutio geminaretur exegit.* Pertinacia sumitur, ut plurimum, in malam partem, ut monuimus in notis ad Capitularia, pag. 1110. Baluz.

*Gliscente.* Mox Cyprianus respiciens ad illud Pauli, Ephes. V, 32: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo et in Ecclesia*, episcopum ecclesiæ, cui legitime ordinatur, sponsum censet; adeoque *adulterum* haberi vult, qui in eamdem ecclesiam contra fas et sacramentum divinæ dispositionis inducitur. Hinc et episcopos ecclesiarum, quibus adstringuntur, sponsos censendi morem et antiquum esse, et ipsis Pauli verbis niti patet. Constant.

*Episcopum sibi.* Novatianum. Istud evenisse anno 251 scripsit Baronius, Pearsonius anno 251. Bal.

*Collegarum.* Hoc est episcoporum qui Cornelii ordinationi interfuerant. Ei autem interfuerunt sexdecim, inter quos duo Afri, Caldonius scilicet ac Fortunatus, recensentur. Ex his litteris quibus nuntiabatur Cornelii ordinatio nullæ exstant. Constant.

*Cum lætitia.* Ita omnia vetera exemplaria tam nostra quam Anglicana et omnes editiones ante Rigaltianam. Quare valde miror virum doctissimum auctoritatem codicis Beneventani, in quo scriptum esse ait *cum tristitia*, prætulisse consensui veterum exemplarium et editionum. Quamvis enim hæc lectio possit esse bona referendo eam ad pertinaciam schismaticorum, tamen quia nullum aliud exemplar ei suffragatur, reliqua omnia repugnant, non puto eam præferri debere lectioni quæ tot auctoritatibus nititur, præsertim cum ea quam ego cum Reinharto revoco habeat optimum sensum, referendo illam ad Maximum, Urbanum, et cæteros schismaticos, quos fama erat, quamvis non admodum certa, redisse ad Ecclesiam. Quo nuntio accepto per litteras Caldonii et Fortunati et per relationem Pompeii et Stephani, surrexerat in clero Carthaginensi lætitia, quamvis non integra propter incertam famam, ut patet etiam ex *Epistola* XLVI, pag. 60. Baluz.

*Provinciam nostram.* Infra Epist. XLV, pag. 59: *Sed quoniam latius fusa est nostra provincia. Habet enim Numidiam et Mauritaniam sibi cohærentes.* Hinc ergo collegerunt Angli per provinciam istic intelligi Africam. Numidiam et Mauritaniam, quæ sedi Carthaginensi subjectæ erant. Certe Aurelius episcopus Carthaginensis ait in codice canonum ecclesiæ Africanæ, cap. LV, se cunctarum Ecclesiarum sollicitudi-

Digitized by Google

tunc fratribus et plebi istic universæ [a] manifestatum fuisset, quando litteris nuper ab utraque parte susceptis, tuas litteras legimus, et episcopatus tui ordinationem singulorum auribus intimavimus : honoris etiam communis memores, et gravitatis sacerdotalis ac sanctitatis respectum tenentes, ea quæ ex diverso in librum ad nos transmissum congesta fuerant acerbationibus criminosis, respuimus ; considerantes pariter et ponderantes quod in tanto fratrum religiosoque conventu considentibus Dei sacerdotibus et altari posito nec legi debeant, nec audiri. Neque enim facile promenda sunt, et incaute ac temere publicanda, quæ discordioso [b] stylo audientibus scandalum moveant, et fratres longe positos ac trans mare constitutos incerta opinione confundant. Viderint qui vel furori suo, vel libidini servientes, et divinæ legis ac sanctitatis immemores, vel jactitare interim gestiunt quæ probare non possunt, et cum innocentiam destruere atque expugnare non valeant, satis habent fama mendaci et falso rumore maculas inspergere [c] Certe quod præpositis et sacerdotibus congruit, danda opera est, ut talia, cum a quibusdam scribuntur, per nos respuantur. Ubi enim erit quod discimus ac docemus scriptum esse, *Contine linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur insidiose* [d] (*Psal.* XXXIX 13); item alibi : *Os tuum abundavit malitia, et lingua tua complectebatur insidias, sedens adversus fratrem tuum detrahebas, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum* (*Ps.* XLIX, 20); item quod Apostolus dicit, *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat* [e], *sed bonus* [f] *ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus* (*Eph.* IV, 29). Porro hæc fieri debere ostendimus, si quando talia quorumdam calumniosa temeritate conscripta sunt, legi apud nos non patimur. Et idcirco, frater charissime, cum ad me talia adversum te et compresbyteri tecum considentis scripta venissent ; clero et plebi legi præcepi quæ religiosam simplicitatem sonabant, nec ullis maledictorum et conviciorum latratibus perstrepebant.

III. Quod autem scripta collegarum nostrorum, qui illic ordinationi tuæ adfuerant, desideravimus, non veteres mores obliti, novum aliquid quærebamus. Nam satis erat, ut tu te episcopum [g] factis litteris nuntiares ; nisi esset ex diverso discrepans factio, quæ criminosis et calumniosis commentis suis collegarum pariter ac fratrum plurimorum turbaret mentes, et corda confunderet [h]. Cui rei sopiendæ necessarium duximus, ut scribentium nobis inde collegarum nostrorum firma et solida auctoritas praeraretur : qui moribus ac vitæ [i] et disciplinæ tuæ

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Manifestum *Corb. Bod.* 3.
[b] *Ita vetus codex Colb. At recens, et codex Fux.* Discordiosis et inaudientibus *Colb. Corb.* Discordia sint et inobaudientibus, *forte pro* discordiosis et inobaudientibus *ceu* inobedientibus. *In vulgatis autem.* Discordioso stilo scripta audientibus. Quæ discordioso stylo scandalum *Bod.* 1, 2. *NC. Lin. Ebor. Thu. Foss. Mich. Vict.*
[c] Impingere *cod. Lamon.*
[d] Loquantur dolum *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1.
[e] Non exeat *Lin. NC.*
[f] Sed si quis bonus *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1.
[g] Te factis litteris episcopum. *Lam. NC.* 1. *Ebor. Lin.*
[h] Concuteret *NC.* 1. *Bod.* 1, 2. *Ebor.*
[i] Vitæ tuæ sine crimine *Lin.*

## VARIORUM NOTÆ.

nem sustinere. Hanc porro Anglorum interpretationem adjuvare posse videtur lectio codicis Remensis sancti Dionysii, in quo legitur *provincias nostras*. Salvianus lib. IV, cap. 4. *Sciunt Africæ*. BALUZ.

*Dirigendos esse*. Supple *ad te*, ut nimirum communionem ipsius probare ac tenere se profiterentur, ut infra epist. IV, explicatur. COUSTANT.

II. *Manifestatum*. Litteræ utriusque partis eæ intelligendæ sunt quæ cum Cornelii, tum Novatiani ordinationem significabant. COUSTANT.

*Librum transmissum*. Librum famosum missum adversus Cornelium. Vide quæ notantur ad epist. LII, in causa Cornelii. BALUZ.

*Altari posito*. Notandus mos in cœtu fidelium, qui ad sacram synaxim, *altari posito* in quo sacrificium esset celebrandum, convenerant, ea legendi scripta quæ ad ecclesiasticas causas pertinerent. Idem usus et Romanis pontificibus non insolens fuit. Anno 354, Liberius epist. IV, ad Constantium scribens, n. 2, cum Arianis expostulat, *qui confinxerunt*, inquit, *me litteras suppressisse, ne crimina ejus quem dicebantur condemnasse* (hoc est Athanasii), *omnibus paterent*..... *At satis omnibus clarum est, nec quisquam negat, nos Orientalium litteras intimasse*, LEGISSE ECCLESIÆ, *legisse concilio*. Hic cœtus in superiori epistola, n. 1, *statio* nuncupatur. COUSTANT.

*Discordioso stylo*. Sallustius in Jugurtha : *Nam vulgus, ut plerumque solet, et maxime Numidarum, ingenio mobili, seditiosum atque discordiosum*. Sidonius lib. VI, epist. 2 : *domum discordiosam* ; et lib. IX, epist. 3 : *per conditiones discordiosas*.

*Inspergere*. Codex Lamonii *impingere*. *Quare quod præpositis*. BALUZ.

*Adversum te*, Pamel. *et compresbyteros tecum considentes*. Oxon., *de te et compresbyteris tecum considentibus*. Magis placet cum nostris mss. *adversum te et compresbyteri tecum considentis*, hoc est Novatiani, qui sedis Romanæ, in qua legitime sedebat Cornelius, sese præsulem jactitabat. Et vero scripta illa, ut ex superiore epistola liquet, adversus unum Cornelium composita erant. COUSTANT. — Hæc est lectio omnium editionum quæ antecesserunt Rigaltianam. Eam præferunt etiam omnes libri veteres. Est autem optima. Et tamen ego editionem Rigaltii, quæ habet *de te et presbyteris tecum considentibus*, libenter præferrem, si tanta non esset veterum librorum et editionum repugnantia. Laudat autem istic Cyprianus adversarios Cornelii quod cum adversus eum ad se scripsissent, modeste tamen scripserant, nec conviciorum plaustra in eum jecerant. Hunc puto esse verum sensum verborum Cypriani. BALUZ.

III. *Collegarum nostrorum*. Non tantum Caldonii et Fortunati Afrorum episcoporum, sed et aliorum, qui Cornelii ordinationi interfuerant, testimonia exspectata esse ex subnexis docemur. COUSTANT.

*Factis litteris*. Ita veteres edit. cum nostris mss. Et infra quidem epist. 3. Cyprianum audituri sumus dicentem se *litteras breves facere* ; et epist. 4. n. 4. *Litteras inde fecerunt*. At Oxon. post Pamel. *factum :* quod neque a Cypriani stylo abhorrere ultro fatemur. Ex hoc loco unitatis et communionis fovendæ quanta semper ab incunabulis Ecclesiæ cura fuerit, intelligitur. Cum autem unitatis hujus centrum Christi instituto, esset apostolica sedes ; ut ejus præsul ignoraretur a nemine, aut ipsi cohærere se nemo non quam primum testaretur, plurimi intererat. COUST.

Digitized by Google

condigna litterarum suarum testimonia prædicantes, annalis quoque, et rerum vel novitate vel pravitate gaudentibus, omnem ambigendi et discrepandi scrupulum sustulerunt; et, secundum consilium nostrum salubri ratione [d] libratum, in hoc fluctu æstuantium fratrum mentes sincere ac firmiter tuum sacerdotium probaverunt. Hoc enim vel maxime, frater, et laboramus et laborare debemus, ut unitatem a Domino et per Apostolos nobis successoribus traditam, quantum possumus, obtinere curemus; et, quod in nobis est palabundas et errantes oves, quas quorumdam pervicax factio et hæretica tentatio a matre secernit, in Ecclesiam colligamus: illis solis foris remanentibus, qui obstinatione sua vel furore supersedere [b] et ad nos redire noluerunt; discretionis et separationis a se factæ, et Ecclesiæ derelictæ ipsi rationem Domino reddituri.

IV. Quantum vero hic ad presbyterium [c] quorumdam Felicissimi causam pertinet, quid hic actum sit ut scire posses, litteras ad te collegæ nostri manu sua subscriptas miserunt: qui auditis eis quid senserint, quid pronuntiaverint, ex eorum litteris disces. Melius autem, frater, facies, si etiam exempla litterarum, quæ ad te legenda pro dilectione communi per Caldonium et Fortunatum collegas nostros proxime miseram, quæ de eodem Felicissimo, et de presbyterio ejusdem ad clerum [d] istic necnon et ad plebem scripseram, legi illic fratribus jubeas, quæ et [e] ordinationem et rationem rei gestæ eloquantur; ut tam istic quam illic, circa omnia per nos fraternitas instruatur. Exemplaria autem eadem nunc quoque per Mettium hypodiaconum a me missum et Nicephorum acolythum transmisi. Opto te, frater charissime, semper bene valere.

ANNO CHRISTI CCLI.

## EPISTOLA III.

EJUSDEM AD EUNDEM.

(Erasm. II, 9; Pamel. Rigalt. Baluz. XLIII, Paris. XLII, Lips. Constant. p. 130, Galland. III, 335.)

ARGUMENTUM. — *De litteris quas ad confessores a Novatiano ac Novato seductos fecit.*

CYPRIANUS CORNELIO FRATRI SALUTEM.

Et religiosum vobis et necessarium existimavi,

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Libratæ. *Oxon. edit. secundum Pamel. Corb. ms.* liberatas. *Plures alii.* libratas. *Magis placet cum Manutio et vetustiore ms. Colb.* libratum. *Infra epist.* II, *n.* 4, *lecturi sumus*, librato de omnium collatione consilio; *et n.* 3, librata diu et ponderata ratione.

[b] Qui in obstinatione sua vel furore perseveraverunt, *aut* perseveraverint *Editi; corriguntur ope vetustiorum mss. in quibus exstat* supersederunt: *quod facile irrepsit pro* supersedere, *quia utrumque aliquando promiscue usurpatur. Verum hic* supersedere *ad verbum* noluerunt *refertur. Pamelius in duobus excusis offendisse se notat* supersederunt vel perseverarunt. *Unde istud*, vel perseverarunt, *scholiastis opera primum esse adjectum ac deinde* vel *cum verbo* supersederunt *rejecto, verbum* perseverarunt *obtinuisse colligitur.*

[c] Presbyterorum *Ver. NC.* 2.

[d] Ad clerum istic, non ad plebem. *Apud Manut. In edit. Pamel. et Oxon.* ad clerum istic nostrum et ad plebem. *In Corb. ms.* ad ecclesiam nostram et ad plebem *Præferimus cum Morel. et optimo codice Colb.* ad clerum istic necnon et plebem.

[e] De ordinatione et ratione rei gestæ; *Vetus Colb., Bod.* 1, *ac deinde* loquamur, *ubi in plerisque mss. ut in editis* loquantur. *Magis placet cum recenti Colb.* eloquantur. *Nempe prima verbi hujus littera facile excidit, quia et superior vox eadem desinebat.*

## VARIORUM NOTÆ.

*Palabundas.* Ita quidam libri veteres. Alii habent *balabundas*, *belabundas*, *volabundas*, *vagabundas*, *errabundas*, prout placuit veteribus librariis. BALUZ.

*Supersederunt.* Hanc lectionem prætulit editio Manutii. Morellius et Pamelius rejecerunt. Et tamen ea reperitur in viginti et tribus vetustis exemplaribus. Ea vero quæ habet *perseraverunt* inventa non est nisi in tribus. Sane duo et tres antiquiores editiones habent *supersederunt vel perseveraverunt.* Sed hic meminisse oportet observationis a me non uno loco factæ, veteres librarios, cum duas viderent varias lectiones, ambigerent autem utra earum retinenda esset, utramque posuisse, lectori judicium integrum relinquentes. Itaque verisimile est vocem *perseveraverunt*, quæ subsequitur vocem *supersederunt* in his duobus codicibus et in antiquis editionibus, esse ex glossemate cujusdam studiosi explicare volentis quid in hoc loco significaret vox *supersederunt.* Pamelius, qui putabat hanc vocem non posse æquivalere voci *perseveraverunt*, non dubitavit quin ex duabus lectionibus simul junctis in vetustis editionibus et in aliquot libris veteribus, cum una rejicienda esset, retineri deberet ea quæ perseverantiam significabat. Et tamen videre poterat apud Nonium Marcellum supersedere significare *manere*, *perseverare*, *quasi in voluntate et consilio sidere.* BALUZ.

*Litteris.* Periisse has litteras temporum injuria dolendum est. EDD.

IV. *Clerum istic.* Cypriano perinde est atque *clerum nostrum.* Quocirca superius initio num. 2, *plebi istic* non additur *nostræ.* Exempla similia referre supersedeo, unde in edit. Pamel. et Oxon. *nostrum* supervacanee adjici manifestum fiat. Etiamnum habentur duæ epistolæ hic memoratæ, scilicet edit. Pamel. 38 et 40. In illa nempe, quæ Caldonio et sociis missa est, ad calcem legitur: *Has litteras meas... Carthaginem ad clerum transmittite, additis nominibus eorum, quicumque se Felicissimo junxerunt.* Epistola autem 40. concepti verbis *ad plebem de quinque presbyteris factionis Felicissimi* inscribitur. CONSTANT.

*Mettium*, cujus etiam mentio est in epistola sequenti. Quamquam autem exigui momenti sit scire verum ejus nomen, admoneo tamen in libris veteribus vocari Mettium, Messium, Messionem, Missium et Mersium. Concordes enim non sunt in ejus nomine libri veteres. BALUZ.

EPIST. III.—Simul cum superiore missa, ac nominatim Mettio subdiacono, qui cum Nicephoro acolytho in Urbem destinatus erat, tradita. CONSTANT.—Angli monuerunt hanc epistolam non esse in editione Erasmi. Quod non est verum. Monuerunt præterea illam haberi lib. v, Epist. 9 editionis Manutianæ. Sed errorem illum imputandum esse typographo valde puto, cum illa edita sit, lib. II, Epist. 9 illius editionis, quæ secuta est Erasmicam. BALUZ.

*Vobis, nobis.* Reposui hanc lectionem, quia mihi visa est melius convenire sententiæ sancti Cypriani. Alioqui enim alia, quæ habet *vobis*, bona est. Utraque multos habet bonos assertores. Prior nititur auc-

Digitized by Google

frater charissime, ad confessores qui illic sunt, et Novatiani ac Novati obstinatione et pravitate seducti de Ecclesia recesserunt, litteras breves facere, quibus eos pro affectione mutua convenirem, ut ad matrem suam, id est Ecclesiam catholicam, revertantur. Quas litteras tibi a Mettio hypodiacono [a] legi prius mandavi, ne quis aliud me scripsisse fingeret, quam quod mêis litteris continetur. Mandavi tamen eidem Mettio a me ad vos misso, ut de tuo arbitrio rem gerat, et si easdem litteras confessoribus putaveris esse reddendas [b], tunc eas tradat. Opto te, frater charissime, semper bene valere.

ANN. CHR. CCLI.

## EPISTOLA IV.

EJUSDEM AD EUMDEM.

(Erasm. IV, 8; Pam. Rigalt. Baluz. Paris. XLIV; Lips. Coustant., p. 131; Galland. III, p. 335.)

ARGUMENTUM. — *Dum certum exspectabatur de Cornelii ordinatione testimonium, Adrumetinis clericis auctores fuerant Cyprianus et Liberalis, ut litteras suas presbyteris et diaconis Romanis, non Cornelio inscriberent. Quæ de re cum expostulasset Cornelius, expostulationis illius nunc Cyprianus satisfacit; additque episcopatus ejus veritatem apertissima luce fundatam et collegarum rescriptis comprobatam agnosci.*

CYPRIANUS CORNELIO FRATRI SALUTEM.

I. Legi litteras tuas, frater charissime, quas per Primitivum compresbyterum nostrum misisti, in quibus te comperi motum, quod cum de Adrumetina colonia Polycarpi nomine ad te litteræ dirigerentur, postea quam nos, ego et Liberalis, in eumdem locum venissemus, cœpissent illuc ad presbyteros et ad diaconos litteræ dirigi.

II. Quod scire te volumus et pro certo credere, nulla id levitate aut contumelia factum. Sed cum statuissemus collegæ complures, qui in unum conveneramus, ut, legatis ad vos coepiscopis nostris Caldonio et Fortunato missis, omnia interim integra suspenderentur, donec ad nos eidem collegæ nostri rebus illic aut ad pacem redactis, aut pro veritate compertis redirent; presbyteri et diaconi in Adrumetino consistentes, Polycarpo coepiscopo nostro absente, ignorabant quid nobis in commune placuisset. At ubi nos in præsentiam [c] venimus, comperto consilio nostro, ipsi quoque id, quod et cæteri, observare cœperunt, ut in nullo ecclesiarum istic consistentium consensio discreparet.

III. Quidam tamen mentes nonnumquam et animos sermonibus suis turbant, dum aliter quædam, quam se habet veritas, nuntiant. Nos enim singulis navigantibus, ne cum scandalo ullo navigarent rationem reddentes [d], scimus nos hortatos eos esse, ut Ecclesiæ catholicæ radicem et matricem agnoscerent ac tenerent. Sed quoniam latius fusa est nostra provincia, habet

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Ab Ethippo diacono. *Mich.*, *Foss.*, *Ar. NC.* 1., *Lam.*, *Bod.* 2,3, ita et eidem Ethippo, *Corb.*
[b] Credendas, *Foss. Mich. Vict.*
[c] In præsenti venimus, *Spir.*
[d] Rationem reddidisse nos scimus et hortatos esse, *Spir. Inmom.*

## VARIORUM NOTÆ.

toritate XV veterum exemplarium, et exstat in editione Spirensi, in veteri Veneta, in Erasmica, et in Manutiana. Altera reperitur in octo codicibus antiquis et in editionibus Rembolti, Morellii, et Pamelii. BAL.

*Confessores.* Moysem et Maximum. Vide quæ supra dicta sunt ad epistolam XLI.

*Mettio.* Varie admodum etiam hic scriptum est nomen istius hypodiaconi. Retinuimus vulgatam lectionem, ut in re parvi momenti. Alia frequenter in antiquis exemplaribus habet *Ethippo* vel *Ettio*. Vide quæ istic annotat Pamelius. De Mettia gente vide Joannem Tristanium a sancto Amantio in tomo II Commentariorum pag. 465, 504. BALUZ.

*Litteras breves.* Hoc est edit. Pam. epistolam XLIV, et Oxon. XLVI, quæ Maximo Nicostrato et cæteris confessoribus inscripta est. COUSTANT.

EPIST. IV. — Primitivo Carthaginensi presbytero, qui superiorem Cypriani epistolam i detulerat, tradidit Cornelius litteras, ad quas hunc Cyprianus rescribit. Hinc inter prædictam epistolam et hanc haud multo majus intervallum cogitandum est, quam quo opus fuit, ut Primitivus Romam iret, ac modicum refecto corpore Carthaginem rediret. COUSTANT. — Rarissima sunt epistolæ istius vetera exemplaria. Pamelius nullum habuit. Nihilo ditiores fuerunt Angli. Ego septem habui, Thuanum videlicet, Fossatense, Metense sancti Arnulphi, Beccense, Victorinum, Remense sancti Dionysii, et Fuxense. BALUZ.

*Polycarpi nomine.* Notat Oxoniensis editor olim in usu fuisse, ut quoties litteræ ab ecclesia aliqua mitterentur, episcopi illius nomine, etiamsi absens is fuisset, mitterentur. Hunc morem Adrumetini presbyteri ac diaconi, episcopo suo absente, sunt secuti. COUSTANT. — Episcopi Hadrumetini, cujus multa mentio apud Cyprianum. Interfuit concilio Carthaginensi de causa baptismi hæreticorum. BALUZ.

*Ad presbyteros.* Id etiam moris obtinebat, ut litteræ ad ecclesiam aliquam missæ, hujus episcopo inscriberentur, nisi sedes vacaret. Quem morem cum primum observassent Adrumetini presbyteri et diaconi ad Cornelium scribentes: postmodum Cypriano et Liberali auctoribus, litteras suas presbyteris et diaconis Romanis inscripserunt. Inde merito motus est Cornelius, quod Cyprianus et Liberalis episcopatum ejus in dubium vocare viderentur. COUSTANT.

II. *Istic.* Id est in Africa. COUSTANT.

III. *Latius fusa provincia.* Epiphanius, episcopus Salaminæ in Cypro, scribens ad Joannem Hierosolymitanum, loquens de sua provincia, ait: *Eo quod grandis esset et late patet provincia.* Ea epistola exstat inter Hieronymianas. BALUZ.

*Habet etiam.* Recens codex Colb. *habet enim.* Non displiceret, *habet enim etiam.* Deinde idem ms. cum pluribus aliis et edit. *Numidiam et duas Mauritanias sibi cohærentes.* Lectionem vetustioris Colb. quæ etiam est

etiam Numidiam et Mauritianam sibi cohærentes; ne in Urbe schisma factum absentium animos incerta opinione confunderet, placuit [a] per episcopos, retenta a nobis rei veritate, et ad comprobandam ordinationem tuam [b] facta auctoritate majore, tum demum scrupulo omni de singulorum pectoribus excusso [c], per omnes omnino istic positos litteræ fierent, sicut fiunt, ut te universi collegæ nostri et communicationem tuam, id est catholicæ Ecclesiæ unitatem pariter et charitatem, probarent firmiter ac tenerent. Quod divinitus evenisse, et consilium nostrum providenter [d] processisse gaudemus.

IV. Sic enim nunc episcopatus tui et veritas pariter et dignitas apertissima luce et manifestissima et firmissima comprobatione fundata est, ut ex rescriptis collegarum nostrorum, qui ad nos litteras inde fecerunt, et ex relatione ac testimoniis coepiscoporum Pompeii et Stephani et Caldonii ac Fortunati, ordinationis tuæ et origo necessaria, et ratio justa, et gloriosa quoque innocentia ab omnibus noscereturc. Quod ut simul cum cæteris quoque collegis [f] nostris stabiliter ac firmiter administremus, atque in catholicæ Ecclesiæ [g] concordi unanimitate teneamus, perficiet divina dignatio; ut Dominus, qui sacerdotes sibi in Ecclesia sua eligere et constituere dignatur, electos quoque et constitutos sua voluntate atque opitulatione tueatur [h] gubernantes inspirans, ac subministrans et ad improborum contumaciam frænandam viguorem, et ad lapsorum fovendam pœnitentiam lenitatem. Opto te, frater charissime, semper bene valere.

ANNO CHRISTI CCLI.

## EPISTOLA V.

(Erasm. III, 12, Pamel. Rigalt. Baluz. XLVIII. Oxon. Lips. L. Paris. XVII, Coustant. col. 133; Galland. III, p. 336. Routh. Relig. scr. III, p. 5 et 18.)

ARGUMENTUM. — *Quales sint quos Novatianus Carthaginem legatos denuo misit.*

CORNELIUS CYPRIANO FRATRI SALUTEM.

Ne quid minus ad pœnam futuram hujus scele-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Placuit per, *Ver.*
[b] Tua facta, *Spir.*
[c] Pectoribus excluso, *Ver.*
[d] *Sic vetustiores mss. At alii libri*, profecisse.
[e] *Sic Vet. Innom. Spir.* Noscetur *Rig.*
[f] Cum cæteris collegis. *Oxon.*
[g] Ecclesiæ concorditer unanimitatem teneamus. *Priscæ edit. cum duobus mss. Morel. Manut. Pamel. et Oxon.* Ecclesiæ pacem concordiæ unanimitate teneamus. *Recens ms. Colb.* Ecclesiæ pacem concordi unanimitate teneamus. *Vetustior, qui omisso verbo* pacem, *lectionem eamdem exhibet, cæteris visus est sincerior. Mox eodem codice,* perficiat divina protectio.
[h] *Vetus codex Colb.* gubernanter: *forsitan verius. Alioquin* gubernantibus *orationis series videtur postulare.*

## VARIORUM NOTÆ.

duorum Angl. probæ notæ, revocamus. Alterum e margine in textum irrepsisse Oxoniensis editor opinatur. Quamquam idem observat Mauritaniam, teste Plinio, l. v. c. 1. in duas partes, Cæsariensem et Tingitanam, per C. Cæsaris sævitiam fuisse divisam, iisque demum tertiam partem, Sitifensem nimirum, acccessisse.

COUST.— *Habet enim Numidiam.* Hæc est lectio veterum librorum, nisi quod aliqui habent *etiam* pro *enim*, vulgato veterum more in permutandis bisce conjunctionibus. Rigaltius ad epistolam XLII existimavit quæcumque istic dicuntur de Numidia et Mauritania esse insititia et ex margine in textum irrepsisse. Et tamen exstant in omnibus editionibus et in septem codicibus antiquis, id est in omnibus antiquis codicibus a me visis. Non video autem cur ista censeri debeant insititia. Certum quippe est Carthaginem, quæ erat æmula urbis Romæ, omnium intra Africam provinciarum obtinuisse principatum, uti scriptum est in l. XXII, *De tironibus* in codice Theodosiano, et episcopum Carthaginensem habuisse sollicitudinem omnium ecclesiarum Africæ, ut ait Aurelius, episcopus Carthaginensis, in codice canonum Ecclesiæ Africanæ, et omnes episcopos Afros, adeoque Numidas et Mauros, ad concilia episcopi Carthaginensis convenire solitos, ut patet etiam ex concilio sancti Cypriani. Ideo autem sanctus Cyprianus istic nominat Numidiam et Mauritaniam ut ostendat provinciam suam esse late diffusam, cum ea præter Africam proprie dictam haberet etiam Numidiam et Mauritaniam sibi cohærentes, quæ et ipsæ latæ et diffusæ provinciæ erant; Numidiam tamen esse angustiorem Mauritania scribit Mela.

BALUZ.

*Mauritaniam.* Ita libri veteres et veteres editiones. Primus Manutius posuit *Mauritanias duas.* Hinc orta vulgaris editio. At in concilio sancti Cypriani mentio est episcoporum Africæ, Numidiæ, et Mauritaniæ, non vero Mauritaniarum. Manutianam tamen lectionem adjuvat Plinius, qui lib. I, cap. 2, et lib. XIII, cap. 15, nominat duas Mauritanias, itemque Tacitus libro I *Historiarum*, ubi mentio est duarum Mauritaniarum, et Martianus Capella lib. VI, in descriptione Africæ. Recte. Nam Dio Cassius lib. VI, tradit Claudium Imperatorem Mauritaniam subjectam Romanis in duas partes divisisse, Tingitanam et Cæsariensem. Herodianus lib. XII, nominat Numidiam et Mauritaniam Romanis subjectam. Vide Marcam, cap. 87 libri *de Primatibus.* BALUZ.

IV. *Coepiscoporum Caldonii.* Festivi sunt qui illum ab Africa in Lusitaniam transiisse tradunt et illic episcopum Bracarensem fuisse. BALUZ.

EPIST. V.—*Cornelius Cypriano*, etc. Recentior codex Colb., ut priscæ Cypriani editiones, *Cyprianus Cornelio:* sed ed. Manutiana anni 1563 in hac et epistola proxime sequente titulum recte præstat: quod etiam Corbeiensis ms. primum præ se tulit, sed ab antiqua manu in eo restitutum est *Cornelius Cypriano.* Quin re ipsa Cornelii sit, Cyprianus infra Epist. 7 ambigere nos non sinit. Eam alii epistolæ fragmentum, alii schedam, alii litterulas appellare malunt. Ipse Cyprianus in laudata Epistola 7, *litteras* vocat. Iis vero, qui fragmentum putant, favere videtur primo, quod Novatianus, etiamsi nondum nominatus, *hujus sceleratihominis* vocabulis designetur; deinde quod Cyprianus epistolæ huic rescribens, nonnulla ad Evaristum et Nicostratum attinentia tum dudicisse se commemorat, quæ in illa non habentur. At Novatiani nomen in hac epistola consulto taceri, ejusque loco pronomen substitui, sequens, de cujus integritate nullus dubitat, fidem faciet, utpote in qua Cornelius ea-

Digitized by Google

rati hominis deesset; prostratus virtutibus Dei, cum Maximus et Longinus et Machæus inde fuissent expulsi, denuo resurrexit; et sicuti prioribus litteris tibi, quas per Augendum confessorem misi, significavi, puto Nicostratum et Novatum et Evaristum et Primum et Dionysium [a] illo jam pervenisse. Invigietur ergo ut omnibus coepiscopis nostris et fratribus innotescat [b], Nicostratum multorum criminum reum, et non solum patronæ suæ carnali, cujus rationes gessit, fraudes et rapinas fecisse, verum etiam quod est illi ad perpetuam pœnam reservatum, ecclesiæ deposita non modica abstulisse; Evaristum vero [c] aucto-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Zoticum *Bod.* 1.
[b] Innotescant *Corb.*
[c] Cum auctore *Corb.*

## VARIORUM NOTÆ.

dem ratione se gerit. Hoc et subinde imitati sunt alii pontifices, nominatimque Cælestinus erga Nestorium. Necnon et Patres : vel quod in hæreseon, ortu parcendum duxerint hæresiarcharum nominibus, vel quod ab iis appellandis abhorruerint. Neque certius Epistolam istam truncatam probant specialia quædam, quæ a Cypriano narrantur, nec in hac exprimuntur, de Nicostrato et Evaristo adjuncta : cum ea ille Nicephori ore potuerit ediscere. Huic porro in Africam festinanti primum sola tradita est hæc Epistola. Deinde cum in procinctu esset, ei et subsequens adjuncta est. Utramque vero simul pertulit. Coustant. Hæc epistola in omnibus fere codicibus antiquis dicitur esse Cypriani ad Cornelium. Ego esse Cornelii ad Cyprianum nuspiam reperi quam in Corbeiensi et in uno meo. In excerptis tamen ad me missis ex codice 199 bibliothecæ Vaticanæ lego eam scriptam esse a Cornelio ad Cyprianum hoc modo : « Epistola Cornelii ad Cyprianum de factione schismaticorum. Cornelius Cypriano salutem. Ne quid. » Itaque ambigi non potest quin vere sit Cornelii. Putavit autem Pamelius illam non esse integram et esse tantum fragmentum, Rigaltius esse sequelam vel additamentum potius alicujus ex præcedentibus. Baluzius.

*Hujus scelerati hominis.* De viro isto ita Hieronymus, *De Viris Ill.*, cap. 70. « Novatianus Romanæ urbis presbyter adversus Cornelium cathedram sacerdotalem conatus invadere, Novatianorum, quod Græce dicitur Καθάρων, dogma constituit, nolens apostatas suscipere pœnitentiales. » Plura videas in ea quæ mox sequitur, ad Fabium Cornelii Epistola ; atque in pluribus Dionysii Alex. apud Eusebium epistolis. Maxime vero notabile est tacere semper Cornelium adversarii sui Novatiani nomen in epistolis quæ restant ; de cujus quidem nominis varia scriptura aliquid hic dicam. Huic nimirum, pariter atque æquali ejus Novato Afro, verum nomen *Novatum* fuisse, fuse disputavit Cl. Lardnerus *De Fide Hist. Evang.* P. II, vol. v. Not. ad calcem, vol. III cap. 47, qui et nonnullos auctores etiam Latinos adduxit hanc scripturam præ se ferentes, sed fortasse ex imitatione Græcorum, qui fere semper Νοουάτον seu Ναυατὸν scripserunt. At Cyprianum nomine *Novatiani* hominem semper designasse notissimum est, ut posteriorum ætatum taceam scriptores. Immo vero apud historicum Græcum Eusebium lib. VII. cap. 8, ubi referuntur quædam ex Dionysii Alexandrini epistola ad Dionysium Romanum nomen Νοουατιανῷ scriptum habetur. Cumque in epistola Alexandrini præsulis ad ipsum Novatianum ab eodem Eusebio in lib. VI, cap. 45, servata, non tantum Hieronymus et in quibusdam editionibus Rufinus, sed etiam Syncellus Nicephorusque, similem scripturam exhibeant, fortasse statuendum est Eusebium revera scripsisse hoc quidem loco Ναυατιανῷ non, ut vulgo legitur, Νουάτῳ cum illud in Dionysii codicibus invenisset. Porro nil contrarium colligendum esse videtur ex derivativo *Novatiani*, quasi a nomine Novato ductum illud fuerit, quum aliter asseclæ isti *Novatianani* dicendi essent. Hoc enim Scaligerum haud induxit, ut crederet hominem *Novatum* dictum fuisse. Vid. *Animadv.* ejus in *Chronico Eusebii*, p. 236. Addendum quoque hic est Tatianos dictos esse a Tatiano apud Epiphanium in opere de Hæresibus, aliosque auctores similiter ac Novatianos a Novatiano, quos tamen *Novatianenses* appellat Cyprianus in *Epist. ad Jubaianum*, seu Ep. 73. sub init. Hoc denique lectorem monebo, nullam lucem hanc quæstionem mutuari sibi ex titulis duorum illorum operum *De Trinitate*, et *De Cibis Judaicis*, quæ Novatiano adscribi solent, quippe cum illa sic inscripta fuisse S. Hieronymi auctoritate, non ex fide ipsorum codicum manuscriptorum, videantur. Interea ductum est a nomine Novato Novatianus, quemadmodum a Fabio Fabianus, et a Basso Bassianus, immo vero Fabius Antiochenus episcopus Fabianus ab auctoribus sæpe nominatur. Routh.

*Prostratus virtutibus Dei.* Hoc est, ait Nathanielis Marshall Anglicus Cypriani interpres, sententiis adversus eum latis ecclesiasticis, quæ in cœlo ratæ esse habebantur. Routh.

*Inde fuissent expulsi.* Carthagine scilicet. Qua de re Cyprianus in superiore Epistola 1. sic præloquitur : « Venerunt ad nos, f. c. missi a Novatiano Maximus presbyter, et Augendus diaconus, et Machæus quidam et Longinus, etc. » Ibi autem eos non e civitate ejectos, sed *a communicatione cohibitos*, Cyprianus docet. Porro Maximus presbyter proxime memoratus, subinde a Novato Carthaginensis pseudoepiscopus creatus fuit : adeoque alius est a Maximo presbytero confessore, qui primum a Novatiano seductus, aliquanto post ad Ecclesiam rediit. (Vid. Ep. proxime sequentem.) Neque etiam prædictus Augendus cum eo est confundendus, qui Cornelii ad Cyprianum litteras detulit. Coustant. Simile notat de Augendo Baluzius, hunc esse diversum ab Augendo diacono partis Novatiani, cujus mentio in Epistola IV.

*Prioribus litteris.* Non exstant. Coustant.

*Dionysium.* In uno libro meo vetere scriptum est *Zoticum*. Quo enim modo legi in uno Bodleiano testatur editio Anglicana. Sic etiam editio Morellii. Baluzius.

*Illo jam pervenisse.* Hoc est Carthaginem. Nec falsa fuit Cornelii opinio, si eam de tempore, non quo scribebat, sed quo litteras suas Cypriano reddendas judicabat, interpretemur. Pridie enim quam hæ redderentur, illuc pervenerat secunda Novatiani legatio. Coustant.

*Patronæ suæ.* Hinc servum cum et mancipium exstitisse vir eruditus suspicatur : quod persuaderetur facilius, si Cornelius *dominæ* non *patronæ* vocabulo usus esset. Hujus vero diaconi crimina ut nota fierent, eo pluris intererat, quo ille amplius confessoris titulo gloriabatur, et inde vulgo imponebat. Coustant. Permittitur *Canone* 82 qui dicitur *Apostolorum*, etiam mancipiis cum dominorum consensu vel ad superiores ordines ecclesiasticos adsciscì ; et, ut significavit Constantius, libertus, non servus fuisse Nicostratus videtur, atque eo minus ab ecclesiastico ordine arcendus.

*Ecclesiæ deposita.* Seu ecclesiasticas pecunias, quæ *viduarum et pupillorum deposita* censebantur, quia eorum sublevandorum gratia servabantur, ut ex subsequenti Epistola VII, n. 1, colligere est (49, aliter



Digitized by Google

rem schismatis fuisse, et [a] successorem plebi, cui ante præfuerat, Zetum in locum ejus episcopum esse constitutum. Majora vero et graviora hic designavit [b] malitia et inexplebili pravitate sua [c], quam quæ illic apud suos semper exercuit, ut scias quales duces et protectores iste schismaticus et hæreticus lateri suo semper junctos habeat [d].

## EPISTOLA VI.

SANCTI CORNELII PAPÆ AD CYPRIANUM CARTHAGINENSEM EPISCOPUM.

(Erasm. III, 11., Pamel. Rigal. Baluz. XLVII, Paris. XLV, Oxon. Lips. XLIX, Coustant. I, col. 133-139, Galland. Biblioth. vett. PP. III, p. 337; Routh. Reliq. scr. III, p. 6 et 25.)

ARGUMENTUM. — *Qui confessores Maximus presbyter, Urbanus et Sidonius ejurarint schisma, et in Ecclesia catholica susceptí sint.*

CORNELIUS CYPRIANO FRATRI SALUTEM.

I. Quantam sollicitudinem et anxietatem sustinui-

### LECTIONES VARIANTES.

[a] *Oxon. edit.* succensorem; *et in notis*, successorem, Manut. Veron. forte succussorem. *Retinendum cum aliis libris* successorem: *quæ vox non ad Evaristum, sed ad Zetum huic suffectum refertur.*

[b] Novatus vero ea hic designavit *Bod.* 1.

[c] Inexplebili avaritia, qualia, *Bod.* 1.

[d] Sic Bod. 1. *semp.* Bene vale. frater charissime, *Ver. Bod.* 1.

### VARIORUM NOTÆ.

52. *Ep. Cypr.*)—« Nicostratum vero, diaconio sanctæ administrationis amisso, ecclesiasticis pecuniis sacrilega fraude subtractis, et viduarum ac pupillarum depositis postea denegatis, non tam in Africam, etc.» Nec difficile erat diacono, cui pecuniarum illarum dispensatio credebatur, hujusmodi deposita fraudare. COUSTANT.

*Auctorem schismatis.* Colb. Ms. *cum auctore schismatis.* Evaristus auctor schismatis dicitur, quatenus aliis auctor fuit ut illud sequerentur. Neque hac molitione, etiam postquam de episcopatu dejectus est, abstitit. Quocirca Cyprianus infra Epist. VII. (49) rescribit eum « veritatis ac fidei naufragum factum circa quosdam sui similes paria naufragia CONCITARE.» Præterea si Evaristus iste, ut valde probabile est, Novatiani ordinator fuit, *hæresis auctor* non immerito appellatur, qui hac ordinatione locum hæresi et auctoritatem præbuit. COUSTANT. Pacianus in epistola ad Symphronianum contra tractatus Novatianorum: « Ego nescio quid Novatianus egerit, quid Novatus admiserit, quid Evaristus tumuerit, quid Nicostratus, nuntiarit.» Et infra ait illos « qui Evaristum, qui Nicostratum receperunt, cæterosque ab Ecclesia recedentes, lingua, manu, moribus inquinatos.» Hunc porro Evaristum fuisse unum ex ordinatoribus Novatiani collegit ex epistola ista Henricus Valesius in annotationibus ad librum VI, cap. 43, Historiæ ecclesiasticæ Eusebii (h. e. Cornelii Epist. ad Fabium, quam infra collocavi.) BALUZIUS.

*Et successorem plebi.* Ita omnes libri veteres et editiones. Angli, nescio qua auctoritate, posuerunt *succensorem*, nullo, ut arbitror, sensu, monentes interim legendum forte esse *succursorem*. Sed ego nescio ubi invenerint vocem *succursorem* alioqui valde inutilem in hoc loco. Ait enim Cyprianus Zetum in locum Evaristi episcopum esse constitutum et successorem plebi datum cui is ante præfuerat. BALUZIUS. *Succussorem*, quod re ipsa conjecerat Fellus legendum, in sensum *concitoris*, seu *concitatoris*, videtur ab eo acceptum, nam *Glossæ Vet. Succusso*, καταστείω habent. Videsis Valesii Not. ad CONCIL. ANTIOCH. supra, vol. II, p. 502. ROUTH.

*Plebi, cui ante præfuerat*, in Corb. ms. *ante fuerat*, tum a I. manu *Zelum*, secundis curis *Zenum*; quod et Pamelius in Camberon. legisse se testatur. Præfert unus Anglic. *Zoticum*. (Errat hic Coustantius, nam *Zoticum* pro *Dionysium* legi ante ad lin. 11. Fellus notaverat.) Eorum, qui Evaristum ab episcopatu removerant, auctoritate successorem ipsi ordinatum fuisse hinc liquet. COUSTANT. *Zetum.* Hoc nomen deest in antiquis editionibus et in quibusdam veteribus libris. Habetur tamen in uno meo et in editione Manutiana. In Fuxensi scriptum est *Gestum*. Corbeiensis, in quo primo scriptum fuit *Zetum*, (confer Coustantium supra) habet ex emendatione *Zenum*. Quo etiam modo scriptum fuisse in Camberonensi testatur Pamelius. Zeti cujusdam, sed antiquioris, mentio est apud Propertium lib. III. eleg. 8. et apud Horatium lib. I. ep. 18. item in quadam tragœdia Senecæ BAL.

*Majora vero et graviora hic designavit.* Novatus vero ea hic designavit Bod. I. FELLUS. De Evaristo Novatiani socio et adjutore hic agi videtur, vel pejus, ait Cornelius, Romæ quam in sede sua se gerente. Idem sentit Coustantius, quem infra habes de Evaristo hoc interpretantem. ROUTH.

*Junctos habeat.* Codex Colb. *vinctos habeat*, ac deinde, *Bene valere semper, frater charissime;* alii duo, *Bene vale, frater charissime.* COUSTANT.

*Opto, frater charissime, semper bene valere*, etc. Istud addidimus ex fide codicis Remensis sancti Dionysii. In Fuxensi scriptum est *bene valere semper, frater charissime.* In uno meo simpliciter: *Bene vale, frater charissime.* BALUZIUS. Similiter hoc legi in *codd. Veron. et Bod.* I. notavit Fellus, qui tamen juxta atque priores *Cypriani* editores et post eum Coustantius, in textu clausulam haud exhibet. Exstant verba, *bene vale, frater charissime*, adhuc in epistolæ proxime sequentis; hæc vero ibi in *edd. vetustioribus* omissa erant.

EPIST. VI. — *Cornelius Cypriano.* Et hic in priscis Cypriani editionibus obtinuerat, *Cyprianus Cornelio*, ut etiamnum exstat ms. in Colb. Exstabat et hoc ipsum in Corb. sed secundis curis correctum fuit: quam recte, cum ipse contextus, tum subnexa Epistola VIII. (Ep. 47. al. 51.) probant. Superiori epistolæ, quæ Nicephoro tradita fuerat, ante quam is proficisceretur, hæc adjuncta est, et ab eodem acolytho perlata. Si quis tamen hanc primo scriptam, eique superiorem adjunctam malit, concedat saltem necesse est, utramque ipsa profectionis Nicephori hora conscriptam esse. Quocirca utra prior ponatur, vel parum vel nihil interest. COUSTANT. Hæc epistola ante editionem Manutianam dicebatur esse Cypriani ad Cornelium. Manutius emendavit. Manutium secutus est Pamelius. Itaque falsum est quod ait Rigaltius Pamelium ita scripsisse ex conjectura. Nam et ipse Pamelius admonet se lectionem illam invenisse in codice Camberonensi et in editione Manutiana. Eadem exstat in libro Corbeiensi, in quo post verba ex illo allata a Rigaltio sequitur: *Cornelius Cypriano fratri salutem.* Eadem exstat etiam in libro Gratianopolitano et in uno meo vetere, in quo, ut in Corbeiensi scriptum est: *Incipiunt rescripta Cornelii ad Cyprianum de schismaticis.* Octo illius vetera exemplaria habui. Angli unum tantum habuerunt ex bibliotheca Bodleiana. Cæterum nulla sancti martyris epistola gravius afflicta fuit per audaciam veterum li-

Digitized by Google

mus de iis confessoribus, qui dolo et malitia hominis callidi et veteratoris fuerant circumventi, et pene decepti, et ab Ecclesia alienati; tanta [a] lætitia affecti sumus, et Deo omnipotenti et Christo Domino nostro gratias [b] egimus, cum ii, cognito suo errore, et intellecta hominis maligni, velut serpentis, astutia venenata, ad Ecclesiam, unde exierant, sicuti ipsi ex suo corde profitentur, simplici voluntate venerunt. Et primo quidem fratres nostri probatæ fidei, amantes pacem, unitatem optantes, tumorem illum horum mollitum jam annuntiabant : fides tamen non idonea [c] ut facile nobis credere daretur, illos penitus esse mutatos. Postea vero Urbanus et Sidonius confessores ad presbyteros nostros venerunt, affirmantes Maximum confessorem et presbyterum [d] secum pariter cupere in Ecclesiam redire : sed quoniam multa

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Tantam lætitiam *Colb. ms. Tum idem ms.* abepti, *Corb* adepti.

[b] *Vetus codex Corb. cum recentiore Colb. et uno Anglic.* agimus, cum eos, *ac deinde solus Corb.* cognito suo errore intelligamus hominis maligni velut serpentis astutia venenata (*verbo* fugientes *hic secundis curis superadditio*) ad Ecclesiam... venisse. *Sanior est cæterorum codicum lectio, quam illustrat et confirmat subjicienda epistola* IX *ad Fabium n.* 1. *unde et hic* maligni hominis *nomine Novatianum designari manifestum est.*

[c] Fide tamen non idonea, haud facile nobis credere dabatur illos repente esse mutatos, *Ver.* illos repente, *Bod.* 1.

[d] *In mss. Corb. et Colb.* Presbyterum secundum : *quod non placet.*

## VARIORUM NOTÆ.

brariorum quam ista. Baluzius. Rigaltius ait, « Huic epistolæ consimilis illa videtur, quam ad Fabianum a Cornelio scriptam fuisse refert Euseb. Hist. VI. cap. 43. ubi et fortissimis confessoribus adnumerantur Urbanus et Sidonius et Maximus. Fellus. » Epistola est, cujus excerpta mox sequuntur.

I. *Sustinuimus.* Codex Remensis sancti Dionysii addit *vel pudorem.* Baluzius.

*De iis confessoribus.* Maximo, Nicostrato, cæteris, quorum mentio est in Epistolis 41 et 42. Hunc autem Nicostratum valde puto diversum esse ab eo qui nominatur in Epistola 48. (Hæc est Cornelii Epistola, quam statim ante adduxi; numeros autem Pamelianos Baluzius secutus est.) Baluzius.

Non deerunt forte, qui hæc de Novato interpretentur, ubi legerint 1° in subjecta Cypriani epistola 7. n. 4. eumdum *veteratorem* appellari, 2° in epistola 8. n. 2. dici confessores *illo incitante de Ecclesia recessisse*, 3° et istud in Bucheriano catalogo scribi : *Supervenit Novatus, et separavit de Ecclesia Novatianum et quosdam Confessores.* Verum licet prima mali labes etiam in Urbe a Novato ceperit, non is tamen hic, sed Novatianus notatur Romanæ Ecclesiæ presbyter, ut qui livore et ambitione percitus, Romæ schismatis dux et princeps exstiterit. Is certe est intelligendus, cujus causa Confessores peccasse se infra confitentur, quod *ei manus quasi in episcopum imponi* passi essent, et cum quo, eam ob causam, *quamdam communicationem habuisse videbantur.* Quocirca et Cyprianus epist. 44 seu 46 ad eosdem Confessores valde se contristatum scribit, *cum vos*, inquit, *illic* (id est Romæ) *comperissem contra ecclesiasticam disciplinam, contra evangelicam legem, contra institutionis catholicæ unitatem, alium episcopum fieri consensisse.* At Novatus ne a schismaticis quidem umquam in episcopum cooptatus est. De eo hic est sermo, cujus *perfidia et loquacitate captiosa circumventi* fuerunt Confessores. Atqui istud in Novatianum cadit, qui cum eloquentia polleret, ea ad seducendos pios viros abusus est; nec mendaciis ac perjuriis pepercit, ut eos falleret. Cum enim effrenata episcopatus cupiditate incenderetur, hanc intra se tegens, tremendis quibusdam sacramentis contestari non timuit, sese episcopatum nequaquam concupiscere, ut Cornelius epist. 9. n. 2. enarrat. Hinc *veterator* appellari meruit. Inde et in eadem epistola 9, Confessores ad Ecclesiam regressi esse dicuntur, *cum cognovissent illum, et fraudem ejus ac versutiam, nec non mendacia et perjuria.* Idcirco et Cornelius epistolam hanc claudens, eam ad ceteras ecclesias a Cypriano mittendam censet : *ut omnes sciant schismatici hujus et hæretici* (de quo ejus initio loquitur) dolum *et prævaricationem de die in diem evacuari.* Quocirca et Cyprianus, epist. 8. n. 2. rescribit, *Nec quisquam jam facile poterit schismatici furentis verbis loquacibus decipi.* Cum his tamen componi facile possunt quæ præmisimus; quia, ut Cyprianus in superiore epistola 3. loquitur, Confessores *Novatiani ac Novati obstinatione seducti de Ecclesia recesserunt.* Coustant.

*Tanta lætitia affecti sumus* Tantum lætitia adepti sumus. *Corb.* Fellus. Colb. ms. *tantam lætitiam.* Tum idem ms. *adepti*, Corb. *adepti.* Coustant. Ita idem codex Remensis et Fuxensis. In aliis sex et in vetustioribus editionibus scriptum est *tantam lætitiam adepti sumus.* Vide notas ad Epistolam 42. p. 432. Baluzius.

*Gratias egimus, cum ii.* Retinuimus hanc lectionem quia bonum sensum habet. Introducta est in editione Manutiana, habetur autem etiam in codice Fuxensi. At sex libri veteres et editio Morelliana, quæ subsecuta est Manutianam præferunt, « cum eos cognito suo errore intelligamus hominis maligni velut serpentis astutia venenata derelicta ad Ecclesiam unde exierant. » Sic etiam fere veteres editiones. Baluz.

*Tumorem illum horum mollitum jam annuntiabant.* Revocavimus veterem lectionem (*tumorem illorum, horum mollitiem nuntiabant*) quam Manutius eliminaverat, nescio quam ob causam. Est enim optima; eamque præferunt, non solum veteres editiones, sed etiam octo antiqua exemplaria quibus nos utimur et Veronense, ex quo excerptæ variæ lectiones ascriptæ sunt margini editionis Manutianæ in meo exemplari. Sensus autem horum verborum is mihi videtur esse : cum ageretur apud Cornelium de venia lapsorum, ille autem dubitaret an vere et ex animo rediissent ad Ecclesiam, stantium vero fidem propterea interpellaret, ii retulerunt quosdam ex lapsis tumore inflatos esse, quia nimirum tormenta passi erant pro nomine Christi, adeoque hinc superbiam capiabant, alios contra molles admodum esse, tristes, nimirum ob casum suum. Sunt enim molles in calamitate mortalium animi, ut scribit Tacitus. Hinc colligebat Cornelius testimonia non esse idonea ad probandum illos esse penitus mutatos. Itaque recte Rigaltius existimavit veram esse lectionem codicis Veronensis, in quo scriptum erat « fide tamen non idonea. » Baluzius. Constantius ex « ed. Manutiana, tumorem illum horum mollitum jam annuntiabant. » Ego cum *Editionem Oxon.* in qua multa huic loco apposita est lectionis varietas, tum alias vetustiores illa editiones secutus sum, relicto hic quidem Baluzio, cujus rationes mihi minus satisfecerant, Routh, qui scribit *tumorem illorum.*

*Fide tamen non idonea*, etc. Fide tamen non idonea haud facile nobis credere dabatur, illos repente esse mutatos. *Cod. Veron.* illos repente *Bod.* 1 Fellus, qui, ut Coustantius aliique, in textu suo habet *fides* pro *fide.*

*Maximum.* De quo pluribus actum est ad Epist. XLI.

Digitized by Google

præcesserant ab eis designata, quæ tu quoque a coepiscopis nostris et litteris meis cognovisti, ut non temere eis fides haberetur; ex ipsorum ore et confessione, ista, quæ per legationem mandaverant[a], placuit audiri. Qui cum venissent, et a presbyteris quæ gesserant exigerentur[b]; novissime quod per omnes ecclesias litteræ calumniis et maledictis plenæ eorum nomine frequentes missæ fuissent, et pene omnes ecclesias perturbassent; circumventos se esse affirmaverunt, neque in istis litteris quid inesset scisse: tantummodo circumductos[c] se commisisse quoque schismatica, et hæresis auctores fuisse; ut paterentur ei manus quasi in episcopum imponi. Qui, cum hæc et cætera fuissent exprobrata, ut abolerentur et de memoria tollerentur deprecati sunt.

II. Omni igitur actu ad me perlato placuit contrahi presbyterium (adfuerunt etiam episcopi quinque, qui et hodie præsentes fuerunt), ut firmato consilio, quid circa personam eorum observari deberet, consensu omnium statueretur. Et ut motum omnium et consilium singulorum dignosceres, etiam sententias nostras placuit in notitiam vestri perferri, quas et subjectas leges. Iis ita gestis in presbyterium venerunt Maximus, Urbanus, Sidonius[d], et plerique fratres qui eis se adjunxerant[d], summis precibus desiderantes, ut ea quæ ante fuerant gesta, in oblivionem cederent, nullaque eorum mentio haberetur; proinde atque si nihil esset vel commissum vel dictum, invicem omnibus remissis, cor mundum et purum jam Deo exhiberent, sequentes evangelicam vocem[e] dicentem, beatos esse puros corde, quoniam ipsi Deum videbunt

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *Idem codex cum Colb.* ex ipsius ore; *et mox*, mandaveram *pro* mandaverant.

[b] Ingererentur. *Bod.* 1. *Cod. Gratianopolitan.* interrogarentur.

[c] Tantummodo subscripsisse calliditate ejus circumducti, totos se commisisse quoque schismaticis, *Bod.* 1. *Vat.* neque in istis inesset utrumne scisse, tantummodo circumductos se, ut paterentur ei manum quasi in Episcopatum imponi, qui cum et ceteris hæreticis fuissent, et ne exprobrarentur, *Ver.* nec quidem in istis litteris inesset scisse; tantummodo circumductos commisisse se quoque schismati, et hæresis auctores fuisse: ut paterentur ei manum quasi in episcopatum imponi: qui cum hæc et cætera fuissent exprobrata, ut abolerentur et de medio tollerentur, deprecati sunt, *Benev.*

[d] Adjunxerunt *Corb.*

[e] *In mss. Colb. et Corb. vocem.* beatos esse puros corde, quod jam (*seu* quoniam) sperent Dominum. *In Cypriani libro ad Quirinum, c. 79, eumdem Matthæi locum sic legere est*: Beati (*in vetusto codice Colb.* Felices) mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

## VARIORUM NOTÆ.

Pamelius scripsit illum passum esse martyrium sub Maximino. At in martyrologiis scriptum est id evenisse sub Valeriano. Vide Baronium ad diem 19 novembris. BALUZ.

*Sed quoniam multa præcesserant ab eis designata.* Il est, patrata et confecta. Quo intellectu de Evaristo in superiori Epistola dictum est, « Majora vero et graviora hic designavit. Quocirca confessores mox a presbyteris rogati esse dicuntur de iis *quæ gesserant*. COUST.

*Coepiscopis nostris.* Corb. ms. *coepiscopo nostro.* Retinendum *coepiscopis nostris*, qui scil. conventibus aut conciliis ea de causa congregatis interfuerant. Quippe initio pontificatus Cornelii, teste Eusebio, l. VI, c. 43, sexaginta episcopi, et presbyteri ac diaconi multo plures, cum in unum convenissent, Novatianum eique adhærentes condemnarunt. Saltem vero hic notantur Pompeius ac Stephanus, Afri episcopi, qui Cornelii ordinationi interfuerant. Cornelii litteræ hic commemoratæ non exstant. COUST.

*Exigerentur.* Ingererentur *Bod.* 1. FELLUS. Codex Gratianopolitanus, *interrogarentur.* Quæ lectio videtur esse melior. Sed alii codices et editiones repugnant. BALUZ.

*Hæresis auctores fuisse.* Hic quoque relinquendum esse censui Baluzium, qui *hæreticis* pro *hæresis*, ratione nulla data, in textu quidem suo repræsentat. Certe lectionem alteram præstant *edd. Erasmi Manut. Rigalt. Oxon. Constantinusque.* « Hæresis sese jure « damnandos esse hos vide confitentes (ait quidem « Anglicus interpres), solum propterea quod sede « plena novum episcopum constituissent, haud nacti « causam ex deprivatione alterius. » Sed recte dubites, annon hic quoque opinio Novatiani de pœnitentia voce *hæresis* indicetur, sicut infra, ubi eumdem Novatianum confessores isti « schismaticum et hæreticum hominem » appellant, tum vero fortasse in isto de iisdem confessoribus Cypriani loco; « postcaquam vos de carcere prodeuntes schismaticus et hæreticus error excepit. » Ep. LI, al. 54. Confer Coustant. paulo infra ad p. 28, et ad init. Epist. Cornelii ad Fabium. ROUTH.

*Ut paterentur et manus quasi in episcopatum imponi*, particula *et* loco voculæ *ei* perperam substituta. Pergit quippe Cornelius, ut in superiore Epistola, ita in hac, Novatiani consulto tacere nomen. Hunc superius *hominis callidi et veteratoris*, et mox, *hominis maligni* vocabulis, nunc solo pronomine *ei*, ad calcem *schismatici hujus et hæretici* appellatione, nusquam eo nominato, designare satis habet.

II. *Contrahi presbyterium.* Tam Fellus quam Baluzius ait hunc fuisse presbyterorum ecclesiæ Carthaginiensis consessum; sed memoria utrorumque hoc excideRat, præ manibus se habere Cornelii Romani, non Cypriani Carthaginiensis epistolam. Ita et errat Baluzius infra ad pag. 29 et 32. ROUTH.

*Personam eorum.* Formam dicendi defendit Salmasius contra Miltonum solœcismi se accusantem. ROUTH.

*Sidonius.* Pamelius addidit *et Macarius*, ex conjectura tantum, ut ipsemet fatetur, quia illum cum ceteris rediisse ad Ecclesiam patet ex tribus sequentibus Epistolis. Nos expunximus, quia Macarii nomen in nullo eorum veterum exemplarium reperimus quibus usi sumus, neque in editionibus quæ Pamelianam antecesserunt. BALUZ. Ipsius tamen Baluzii textus, non totus ab eo quidem ipso curatus, et post mortem ejus in publicum editus, retinuit *et Macharius.* Ego cum Coustantio omisi.

*Adjunxerant.* In ms. Corb. *adjunxerunt.* Quamvis hic plerique, qui confessorum auctoritate ad schisma defecerant, cum iis ad Ecclesiam rediisse dicantur, infra tamen et redeuntium verba et populi de illorum reditu gratulantis voces ad unos confessores attinent. Ita et Cyprianus infra Epist. VIII, de solo confessorum reditu rescribens loquitur. Hic præterea observamus, celebrem adeo cleri conventum, cui et quinque interfuerant episcopi, de proposita causa nihil nisi cum populi notitia decernere voluisse. Qua ex re id a Cornelio factum colligere est, quod a Cypriano Epist. VI, seu XIV, ad presbyteros et diaconos suos sibi propositum legimus: « Quando, *inquit*, ab initio episcopatus mei statuerim, nihil sine consilio vestro, et sine consensu plebis, mea privatim sententia gerere. COUST.

Digitized by Google

(*Matth.*, v, 8). Quod erat consequens, omnis hic actus populo fuerat insinuandus, ut et ipsos viderent in Ecclesia constitutos, quos errantes et palabundos jam diu viderant et dolebant. Quorum voluntate cognita, magnus fraternitatis concursus factus est. Una vox erat omnium gratias Deo agentium, gaudium pectoris lacrymis exprimentes, complectentes eos quasi [a] hodie pœna carceris fuissent liberati. Et ut ipsorum propria verba designem : « Nos, inquiunt, Cornelium « episcopum sanctissimæ catholicæ Ecclesiæ electum « a Deo omnipotente et Christo Domino nostro scitus. Nos errorem nostrum confitemur : nos imposturam passi sumus, circumventi sumus perfidia et loquacitate [b] captiosa. Nam etsi videbamur quasi « quamdam communicationem cum schismatico « et hæretico homine habuisse; sincera tamen « mens nostra semper in Ecclesia fuit. Nec enim « ignoramus unum Deum esse, unum Christum esse « Dominum [c], quem confessi sumus, unum Spiritum « sanctum, unum episcopum in catholica Ecclesia

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Hoc die *Corb.*
[b] Factiosa *Idem Codex. Colb.* loquacitate capti, sensu amentes videbamur, quasi quamdam.
[c] Habuisse, certamen nostrum, *Bod.* 1.
[d] Dominum nostrum, *Bod.* 1.

## VARIORUM NOTÆ.

*Concursus factus est.* Ad Ecclesiam, in qua recepti confessores sunt, ut censet Cl. Marshall.

*Hodie.* Corb. ms. *hoc die.* Nil incommodi est in vocabulo *hodie :* quia Cornelius, ut infra testificatur, *eadem hora, eodem momento*, quo illa gesta sunt, hæc scripta ad Cyprianum transmitti curavit. Alia quadam ratione Cyprianus Epist. LI, seu LIV, iisdem confessoribus sic gratulatur : « Posteaquam vos de carcere prodeuntes schismaticus et hæreticus error excepit, sic res erat, quasi vestra gloria in carcere remansisset : illic enim resedisse vestri nominis dignitas videbatur, quando milites Christi non ad Ecclesiam de carcere redirent, in quem prius cum Ecclesiæ laude et gratulatione venissent. » Ubi Cornelio concinens Cyprianus, confessores non tantum schismatico, sed et hæretico errore captos prædicat. Unde colligere est Novatiani hæresim circa pœnitentiam, ipsius schismate nequaquam posteriorem originem habuisse. COUSTANT. Ex locis pluribus Epistolæ Cornelii ad Fabium, cujus fragmenta mox affero, hoc mihi persuasi, controversiam de pœnitentia extitisse, antequam de episcopatu Novatiani palam ageretur, quicquid ille de eo munere animo suo celaret; abditam enim fuisse eo tempore nec cognitam cupiditatem ejus, ipse quoque ait Cornelius, qui accusat.

*Episcopum sanctissimæ catholicæ Ecclesiæ.* Ecclesiam urbis Romæ hic signari extra dubium est. En verba ipsius Cornelii in epistola modo dicta. ὁ ἐκδικητὴς οὖν τοῦ εὐαγγελίου (Novatianus) οὐκ ἠπίστατο ἕνα ἐπίσκοπον δεῖν εἶναι ἐν καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἐν ᾗ οὐκ ἠγνόει, πῶς γάρ; πρεσβυτέρους εἶναι μ΄. διακόνους ἑπτά, etc., § 3.

*Electum a Deo*, h. e. Inspirante Deo Christoque ejus, et ad legum divinarum præscriptum. Ita de Cypriano suo scribit Pontius diaconus ejus, « judicio Dei et plebis favore ad officium sacerdotii et episcopatus gradum adhuc neophytus, et, ut putabatur, novellus electus est. » Et paulo post : « Non præteribo etiam illud eximium, quemadmodum cum in dilectionem ejus et honorem totus populus, aspirante Domino, prosiliret, humiliter ille secessit, antiquioribus cedens, et indignum se titulo tanti honoris existimans, ut dignus magis fieret. P. 3. *Vit. Cypriani.* » Ipse quoque Cyprianus in *Epist.* XL, al. XLIII, electionem suam vocat « suffragium plebis et Dei judicium. » Atque in *Epist.* LXVII, vel. LXVIII, modus præterea ordinationum celebrandarum ab Ecclesia receptus, « secundum divina magisteria (*quæ nimirum in divinis Scripturis exstant*) et secundum Dei voluntatem, non secundum humanam præsumptionem, » statutus esse ostenditur. Etenim relatio illa ad Deum et fratres in S. Matthiæ electione inter hæc præcipue spectari videtur. (*Act.* I, 29, seq.) ROUTH.

*Imposturam passi sumus.* Trebellius Pollio in Gallieno : « Idem cum quidam gemmas vitreas pro veris vendidisset, ejus uxori, atque illa, re prodita, vindicari vellet, surripi quasi ad leonem jussit. Deinde e cavea caponem emittit : mirantibusque cunctis rem ridiculam, per curionem dici jussit : Imposturam fecit et passus est. » Ælius Lampridius tradit Vetronium Turinum impostorem, qui multa fallendo promiserat, et pro vanis promissis ingentia præmia perceperat, Alexandri Severi jussu accusatum fuisse, et convictum, jussu illius alligatum ad stipitem, et fumo apposito, quem ex stipulis atque humidis lignis fieri jusserat, necavisse, præcone dicente : *Fumo punitur qui vendidit fumum.* D. Nero clementior fuit erga Cæsellium Bassum. Vide Tacitum lib. XVI *Annalium.* BALUZIUS.

*Perfidiæ loquacitate captiosa.* Ita veteres editiones et quinque vetera exemplaria. Manutius posuit, « perfidia et loquacitate captiosa » (sequentibus Rigaltio, Fello, Constantioque). Quatuor libri veteres pro *captiosa* habent *factiosa*, alii « facti sensu amentes videbamur. » Remensis sancti Dionysii, « loquacitate capti. Nam amentes videbamur. » BALUZIUS. Corb. *factiosa.* Colb. « loquacitate capti, sensu amentes videbamur, » COUSTANT. « perfidiæ loquacitate factiosa amentes. » Erasmi ed. anni 1520.

*Et hæretico.* Ista desunt in antiquioribus editionibus et in quatuor antiquis codicibus. Habentur tamen in editione Manutiana et in duobus codicibus manuscriptis. Retinenda autem esse liquet ex iis quæ sequuntur. In uno libro meo vetere legitur *hæresiarcha*, et in Gratianopolitano *hæresiarcho.* BALUZIUS.

*Unum episcopum in catholica Ecclesia.* Hinc Baronius collegit Romani tum episcopi titulum fuisse ut nominaretur sanctissimæ catholicæ Ecclesiæ episcopus, adeoque unum episcopum, id est Romanum, in Ecclesia esse debere. Verum hic non est verus sensus verborum Cypriani (Cornelii). Illud tantum vult, ut sicut credimus unum Christum, unum Spiritum sanctum, ita credere debemus unum episcopum tantum in unaquaque ecclesia, cum sit episcopatus unus et indivisus episcoporum multorum concordi numerositate diffusus, cujus a singulis in solidum pars tenetur, ut ille ait in Epistola LII, pag. 73, et in libro de Unitate Ecclesiæ, pag. 195. Vide notas nostras ad librum Agobardi de Privilegio et Jure sacerdotii, cap. 2. BALUZIUS. Porro optime verissimeque vir doctissimus Joan. Forbesius, *Instruct. Historico-Theol.*, lib. XVI, cap. 3, § 40, hæc scribit : « Non aliud dicere intendunt confessores, nisi hanc esse legem catholicæ Ecclesiæ, ut in una civitate non sit nisi unus episcopus. Veteres phrasi sæculis illis familiari, ecclesiam quamlibet peculiarem orthodoxam vocabant Ecclesiam catholicam, ejusque episcopum indigitabant, catholicæ Ecclesiæ Episcopum, ut exempla superius allata, et alia multa declarant. » Sic Forbesius. Unum autem illorum exemplorum sumpserat ille ex *Epistola Synodica*, quæ supra posita est, *Antiochenorum* apud Euseb. lib. VII. *Hist.* c. 37, ἠναγκάσθημεν οὖν, inquiunt,.... ἕτερον ἀντ' αὐτοῦ (h. e. loco Pauli Antiochiæ episcopi.) τῇ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ καταστῆναι ἐπίσκοπον.

*In catholica Ecclesia.* Id est Romana. Vox *Ecclesia* deest in tribus vetustis exemplaribus. Notum autem est veteres sæpe ita simpliciter locutos esse cum de

Digitized by Google

« esse debere. » Ista eorum professione non moveremur [a]; ut quod apud potestatem sæculi erant confessi, in Ecclesia constituti comprobarent? Quapropter Maximum presbyterum locum suum agnoscere [b] jussimus; cæteros cum ingenti populi suffragio recepimus. Omnia autem remisimus Deo omnipotenti, in cujus potestate sunt omnia reservata.

III. Hæc igitur, frater, eadem hora [c] eodem momento, ad te, scripta transmisimus, et Nicephorum acolytum descendere ad navigandum festinantem, de

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Quis non moveretur. *Corb. ms. secundis curis ut in uno Anglic.* Professione quis non moveretur, *Bod.* 1.

[b] *Sic Corb.* ignoscere, *Rig.*

[c] Eadem hora, eodemque momento, ad te scripta transmisimus, et Nicephorum Acoluthum, descendere navigandi destinatione, ad vos statim dimisimus, *Ver.* descendere ad navigandum destinatione ad vos statim dimissi, *Corb.*

## VARIORUM NOTÆ.

Ecclesia catholica loquerentur ut omitterent nomen Ecclesiæ, nimirum quia vox *catholica* importabat Ecclesiam. Ea quippe secta quæ non est catholica non est Ecclesia, cum sit foris, id est extra Ecclesiam, ut sæpe loqui amat sanctissimus auctor noster (Cyprianus). Vide Quesnellum ad Epistolam 26 sancti Leonis et notas nostras ad dissertationem Marcæ de Epistola Papæ Vigilii. Baluzius. Exemplar Colb. « in catholica esse, omisso verbo *Ecclesia*, quod et in Corb. nonnisi secundis curis adjectum est. Sed neque antiquis insolens est Ecclesiam catholicam solo *catholicæ* vocabulo enuntiare. Huic confessorum professioni similis est ista Cypriani Epist. 40, seu 43, ad plebem suam : « Deus unus est, et Christus unus et una Ecclesia, et una cathedra super Petrum voce Domini fundata. » Et id quidem scribit Cyprianus, ut eos qui Felicissimi factioni adhærebant, extra Ecclesiam esse probet. Coustant. Constantii quæstiunculam, quæ statim istic sequitur, omitto, ut iis omnis vitetur atque offensio ex facili ad eamdem responso. Cæterum exstat in fragmento De Canone Novi Test. quod mox editurus sum, hujus Hellenolexiæ exemplum, ubi alia prætereà non ex uno tantum Latino scriptore adduxi.

*Quis — non moveretur.* Sic ediderunt Benedictini; Baluzius tamen nihil de lectione istac notavit. Vulgo legitur, « Ista eorum professione non moveremur. » Verum ait Fellus, legi in *Bodl.* 1 : « Ista eorum professione quis non moveretur? » atque secundis curis eamdem exhiberi lectionem in *MS. Corb.* annotavit Constantius.

*Locum suum agnoscere.* Hoc est, presbyteri honore atque gradu servato receptus est. Hoc exemplo et Nicæni Patres Can. 8. Novatianis, et Afri in collatione Carthaginensi Donatistis ad Ecclesiam redeuntibus suos honores concesserunt. Coustant. Qua ratione Maximus in integrum fuerit restitutus, infra ad Epistolam lii, dicetur. (Scil. ad verba, « Evaristum de episcopo jam nec laicum remansisse, » hæc annotantur) Rigaltius ait « Episcopo semel ab episcopatu deposito, quamvis pœnitenti, non reddebatur locus neque dignitas episcopi. Pœnitentia completa, reddebatur ei communio Christiana, sed laica, ita ut laicus in Ecclesia maneret. At Evaristus de episcopatu depositus in Ecclesia non remansit. » Notandum Ecclesiam aliquando de clero schismaticos in integrum restituisse. Sic Novatianos restituerunt Nicæni Patres. Porro ipsos Arianos a Patribus Alexandrinis, salvis honoribus, receptos fuisse res satis nota est. Haud igitur mirum si Maximus ad Ecclesiam redux, locum suum agnocere jussus sit: præsertim cum verisimile fuerit ipsum et socios ejus, ob confessionis honorem, Ecclesiæ censuris atque anathematis fulmini nondum fuisse subjectos. Fell. Infra ad Concil. Carthag. iii, plura notabuntur sub finit. de Clero pœnitenti.

*Remisimus Deo omnipotenti.* Si quis ad communicationem reciperetur, externum hoc esset privilegium. Colligendum autem videtur sensisse veteres, nihil alio modo sibi rei fuisse cum *foro interno*, nisi ut peterent a Deo delinquentis absolutionem. Marshal, qui relegat lectorem ad notas suas in Cypriani Opuscula.

*Ad te, per scripta.* Sic *edit. Benedictin.* Vulgo abest *per*. Constantius hæc notat; « In MS. Corb. *ad te per « scripta.* In Colb. *ad te litteras perscriptas*; mox in « utroque, ut in uno Anglic., desideratur *festinantem* : « sed proximum verbum *descendere* istud necessario « postulat. Festinabat porro, quia superioris epi- « stolæ cura ei demandata jam fuerat. » Fellus autem hanc attulit varietatem, « Eadem hora eodem- « que momento ad te scripta transmisimus, et Ni- « cephorum acoluthum, descendere navigandi desti- « natione, ad vos statim dimisimus. *Ver.* descendere « ad navigandum destinatione ad vos statim dimissi, « *Corb.* » Routh.

III. *Destinantem.* Revocavimus lectionem veterum editionum, quæ sola bona est, quam præterea confirmant aliquot vetera exemplaria. Primus Erasmus eam tantisper mutavit, *festinantem* ponens pro *destinantem*. Sed tamen Erasmus non videtur fecisse absque auctoritate. Nam ita ego inveni scriptum in libro Corbeiensi, non eo modo quo refertur in editione Rigaltii et in Anglicana (vid. paulo supra. Hæ edit. in textu præstant, festinantem de statione ad vos. Ita etiam edidit Coustant.), sed eo modo quo legitur in illo veteri libro, in quo ipsissimis verbis legitur « descendere ad navigandum festinantem ad vos statim dimisi. » At Rigaltius ait in libro illo legi « ad navigandum destinatione ad vos statim dimissi. » Postea introducta est lectio quæ addit *de statione*. Duo illa vocabula non sunt sancti Cypriani (Cornelii), sed imperiti cujusdam librarii. Quod sic evenisse uti dicturus sum puto non posse ambigi. Primo observandum est illa non exstare in antiquis exemplaribus quæ habent vocem *festinantem*, neque in antiquioribus editionibus. Morellius illa primus induxit, haud dubie ex quodam veteri libro. Nam et ego tres vidi in quibus ea reperiuntur. Id vero vitium introductum est, ut antea monui, per imperitiam et oscitantiam cujusdam veteris librarii nescientis litteras: qui cum incidisset in exemplar male scriptum, non posset autem divinare quomodo scribendum esset vocabulum quod sequebatur post *navigandum*, eam vocem posuit quæ sibi venit in mentem, et ex *festinantem* seu potius *destinantem* fecit *detestationem*, uti scriptum est in uno codice Vaticano et in Veronensi, eo videlicet modo quo in veteri codice Remensi sancti Dionysii legitur in Epistola 41, *infestationem* pro *in statione*. Hujus modi errorum pleni sunt libri veteres. In codice igitur illo Vaticano et in Veronensi sic scriptus erat hic locus : « Nicephorum acolythum descendere ad navigandum destinationem ad vos statim dimisi. Deinde alius librarius nihilo peritior pro *destinationem* posuit *destinatione* unico vocabulo, quemadmodum legitur in alio codice Vaticano et in uno meo. Atque hæc est lectio quæ, quamvis falsa, hodie obtinet in vulgatis editionibus. Porro etiam prava lectio horum codicum ostendit legendum esse *destinantem* pro *festinantem*. Baluzius. Cum Baluzio quidem veterem revocante lectionem facio; si tamen scriptura *de statione* germana fuisset, tum vero recte ostenderet Coustantius ex Cypriani *Epp.* 4 et 42 (al. 44 et 45), *stationem* hoc loco perinde esse atque religiosum conventum in ecclesiis, in quibus soliti fideles ad sacra mysteria celebranda venire. In his porro stationi-

Digitized by Google

statione ad vos statim dimisi ; ut nulla procrastinatione habita, velut præsens in isto clero et in istó populi cœtu, Deo omnipotenti et Christo Domino nostro gratias ageres. Credimus autem fore, quin immo jam pro certo confidimus, cæteros quoque, qui in hoc errore sunt constituti, in Ecclesiam brevi reversuros, cum auctores suos viderint nobiscum agere. Has litteras puto te debere, frater, et ad cæteras ecclesias mittere : ut omnes sciant schismatici hujus et hæretici dolum et prævaricationem de die in diem evacuari. Bene vale, frater charissime [a].

## EPISTOLA VII.

### S. CYPRIANI, CARTHAGINENSIS EPISCOPI, AD CORNELIUM PAPAM.

(Erasm. II, 8, Pamel. Rigalt. Baluz. XLIX., Paris. XLVIII, Constant., I, col. 139, Galland., Bibl. vett. PP. III, pag. 338.)

ARGUMENTUM. — *Diligentiam ejus laudat, qua de perniciosis Novatiani machinis, ne novorum illius legatorum moribus opportune ipsum admonuit. Novati scelera pluribus persequitur, ac suam operam in revocandis iis, quos ille seduxerat, commendat.*

CYPRIANUS CORNELIO FRATRI SALUTEM.

1. Et cum diligentia et cum dilectione [b] fecisti, frater charissime, festinato ad nos mittendo Nicephorum acolythum, qui nobis et de confessoribus regressis gloriosam lætitiam nuntiaret, et adversus Novatiani et [c] Novati novas et perniciosas ad impugnandam Christi Ecclesiam machinas plenissime instrueret. Nam cum pridie istic venisset hæreticæ pravitatis nocens factio, ipsa jam perdita, et alios, qui sibi consenserint perditura, postero die Nicephorus cum vestris litteris supervenit. Quibus et didicimus, et docere atque instruere cæteros cœpimus, Evaristum de episcopo jam nec laicum remansisse, cathedræ et plebis extorrem, et de Ecclesia Christi exsulem, per alias longe provincias oberrare, et ipsum veritatis ac fidei naufragum factum, circa quosdam sui similes paria naufragia concitare [d] : Nicostratum vero [e], diaconio [f] sanctæ administrationis amisso [g], ecclesiasticis pecuniis sacrilega fraude subtractis, et viduarum ac pupillorum depositis denegatis, non tam in Africam venire voluisse, quam conscientia rapinarum [h] et criminum nefandorum illinc ab urbe fugisse. Et nunc Ecclesiæ desertor ac profugus, quasi mutasse sit hominem mutare regionem, confessorem se [i] ultra jactat et prædicat; cum Christi confessor nec dici nec esse jam possit, qui Ecclesiam Christi negavit. Nam cum Paulus apostolus dicat : *Propter hoc relinquet homo patrem et ma-*

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Bene valere semper f. c. *Codex Colb. Hæc autem precatio in Corb. omittitur.*
[b] Et dilectione, *Bod.* 3.
[c] *Sic Voss.* 2. *N. C.* 1, 2. *Lam. Lin. Ebor. Vet. Erasm. Manut.* novas perniciosas, *Rig.*
[d] Cogitare, *Bod.* 1.
[e] Nicostratum quoque, *Lamb.*
[f] *Sic Voss.* 2. *Lamb. Ebor. NC.* 1, 2. Diacono *Rig.*
[g] Admissum, *Bod.* 1, 3.
[h] Conscientiam, *Bod.* 3.
[i] Ultro *Comp.*

## VARIORUM NOTÆ.

bus post mysteria peracta, ut notat cl. Marshall, Anglicus interpres, eamdem *Epist.* Cypriani 44 laudans, res alias transigere consueverunt. ROUTH.

*Cœtu.* Codex Corbeiensis *conventu.* In uno codice Vaticano legitur : « In isto populi cœtu nobiscum pariter Deo omnipotenti et Christo Domino nostro gratias agere. BALUZIUS.—Hoc est, de prædicto cleri populique cœtu. Ita et Cyprianus supra Epist. 1 et 2, invidiosa legatorum Novatiani adversus Cornelium convicia notans, hæc Epist. 1, *in statione*, et Epist. 2, n. 2, « in religioso fratrum conventu, » in quo et sacerdotes considebant et altare positum erat, oblata esse scribit. Unde perspicuum est *stationem* perinde esse atque religiosum conventum in ecclesiis, in quibus fideles ad sacra mysteria celebranda convenichant.

*Cum auctores.* Id est, quorum potissimum auctoritate in schisma abducti fuerant, et in eo detinebantur.

EPIST. VII.— 1. *Et cum diligentia.* Statim ab epistolæ hujus exordio Cyprianus duas superiores Cornelii epistolas simul ab eodem Nicephoro acolytho accepisse se docet. Et hac quidem primæ, subsequente autem secundæ respondet.

*Novatiani et Novati.* Novatum hunc cum Novatiano dum confundunt Græci, eum hæresiarcham et Catharorum principem falso faciunt. Uterque tamen multis est nominibus distinctus. Nam Novatianus Romanus, Novatus Carthaginensis presbyter fuit. Novatianus Romanum sibi arrogavit pontificatum : Novatus a nullo unquam in episcopum est cooptatus. Novatianus quamdam puritatis speciem affectans, indeque Catharorum sectæ nomen et originem tribuens, lapsis etiam pœnitentibus veniæ spem sustulit : Novatus vero factionis Felicissimi presbyteris adhærebat, qui lapsis, etiam prætermissis pœnitentiæ canonicæ regulis, statim pacem et communionem dari volebant, ac nihilominus cum Novatiano copulari non destitit. Nempe gravium criminum sibi conscius, non id agebat ut disciplina ecclesiastica servaretur, sed ut turbas in Ecclesia concitando debitam sceleribus ultionem declinaret. Quocirca Novatianæ seu Catharorum hæresis princeps et auctor nequaquam dicendus est Novatus, licet Novatiani schismatis præcipuus adjutor merito censeatur.

*Istic.* Pro *illuc*, ut infra *illic* pro *illuc*. Sic enim scriptum est in veteribus libris et in editione Spirensi, tum etiam in Veneta veteri, et in Manutiana. Sic apud sanctum Gregorium, lib. VII, indict. 2, epist. 118, et lib. IX, epist. 10, ac fortassis alibi scriptum est in codice Floriacensi *illic* pro *illuc*.

*Factio.* Scilicet secunda Novatiani legatio, quam obierunt Nicostratus, Novatus, Evaristus, Primus et Dionysius ; ut in epistola sequenti declaratur, cum primam suscepissent Maximus, Longinus et Machæus.

*De episcopo.* Hoc est de episcopali dignitate ita dejectum, ut nec in eadem ecclesia cum laica communione permaneret, utpote *fidei naufragum factum.*

*Illic.* Id est in Africa. Quare falsa est lectio quæ habet *illinc*, tamquam si vox illa referenda esset ad urbem Romam, unde Evaristus et Nicostratus fugissent in Africam. Quod satis evincitur dum scribitur illos ab urbe fugisse, ut necessaria non sit vox *illinc*. Itaque vox *illic* refertur, ut dixi, ad Africam. Quamquam fatendum est quædam vetera exemplaria præferre *illinc*. Sed major numerus habet aliam lectionem. Vide quæ ad vocem *istinc* diximus ad epistolam 41, pag. 430.

Digitized by Google

*trem, et erunt duo in carnem unam; sacramentum istud magnum est* [a], *ego autem dico, in Christum et in Ecclesiam* [b] (*Ephes.* v, 31); cum hoc, inquam, beatus Apostolus dicat et Christi pariter [c] atque Ecclesiæ unitatem individuis nexibus cohærentem sancta sua voce testetur; quomodo potest esse cum Christo, qui cum sponsa Christi atque in ejus Ecclesia non est? aut quomodo assumit sibi regendæ aut gubernandæ Ecclesiæ curam, qui spoliavit et fraudavit Ecclesiam Christi?

II. Nam de Novato nihil inde ad nos fuerat nuntiandum, cum magis per nos vobis debeat Novatus ostendi; rerum novarum semper cupidus, avaritiæ inexplebili [d] rapacitate furibundus, arrogantia et stupore superbi tumoris inflatus [e], semper istic episcopis male cognitus, quasi hæreticus semper et perfidus omnium sacerdotum voce damnatus; curiosus semper ut prodat, ad hoc adulatur ut fallat, numquam fidelis ut diligat, fax et ignis [f] ad conflanda seditionis incendia, turbo et tempestas ad fidei facienda naufragia, hostis quietis, tranquillitatis adversarius, pacis inimicus. Denique, Novato illinc a vobis recedente, id est, procella et turbine recedente, ex parte illic quies facta est, et gloriosi ac boni confessores, qui [g] de Ecclesia, illo incitante, discesserant, postea quam ab Urbe ille discessit, ad Ecclesiam reverterunt. Idem est Novatus, qui apud nos primum discordiæ et schismatis incendium seminavit, qui quosdam istic ex fratribus ab episcopo segregavit, qui in ipsa persecutione ad evertendas [h] fratrum mentes alia quædam persecutio nostris fuit. Ipse est, qui Felicissimum satellitem suum diaconum, nec permittente me, nec sciente, sua factione et ambitione constituit; et cum sua tempestate Romam quoque ad evertendam Ecclesiam navigans, similia illic et paria molitus est, a clero portionem plebis avellens, fraternitatis bene sibi cohærentis et se invicem diligentis concordiam scindens. Plane quoniam pro magnitudine sua debeat Carthaginem Roma præcedere, illic majora et graviora commisit. Qui istic adversus Ecclesiam diaconum fecerat, illic episcopum fecit. Nec hoc quisquam miretur in talibus. FERUNTUR SEMPER mali suo furore [i] dementes, et posteaquam scelera fecerint, conscientia ipsa sceleratæ mentis agitantur. Nec remanere in

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Sacramentum hoc, *Bod.* 3.
[b] Dico in Christo et in Ecclesiam, *Lam. Bod.* 1.
[c] Et Christum pariter, *Ebor. NC.* 1, *Lin.*
[d] Inexplebilis, *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, 3. *NC.* 1, 2.
[e] Superbus, tumore, inflatus, *Bod.* 3.
[f] Pix et ignis, *Pem. Lam. Ebor. NC.* 1, *Bod.* 2.
[g] Qui hic, *Bod.* 2, 3. *Ebor. Lin. NC.* 1.
[h] *In eodem codice* ad vertendas, *et infra* ad vertendam Ecclesiam.
[i] Fraude et furore, *Bod.* 3.

## VARIORUM NOTÆ.

*Et adhærebit uxori suæ.* Hoc segmentum nos addidimus; non solum quia habetur in Epistola Pauli ad Ephesios, ex qua sumptus est hic locus, sed in primis quia ita scriptum vidi in quatuor antiquis codicibus et in libro Flori. Desunt tamen in tribus antiquis codicibus.

*Christi pariter.* Quidam codices præferunt *Christum.*

II. *Hostis quietis.* Ista non habentur in quatuor libris veteribus et in antiquis editionibus. Exstant tamen in decem codicibus antiquis.

*Persecutione.* Hic notatur Novatus ut dux et antesignanus factionis ejus, quam adversus Cyprianum concitarant presbyteri nonnulli, de quibus idem præsul Epist. x, seu xvi, ita loquitur; *Cum quorumdam immoderata et abrupta præsumptio temeritate sua et honorem martyrum, et confessorum pudorem, et plebis universæ tranquillitatem turbare conetur, tacere ultra non oportet... quando aliqui de presbyteris, nec Evangelii nec loci sui memores... cum contumelia præpositi totum sibi vindicent.* Nempe illi Cypriani ordinationi intercedentes et invidiæ beatos exponebant martyres, et *gloriosos servos Dei cum sacerdote*, hoc est cum ipsomet, *committebant*, ac plebem turbare non desistebant. Presbyteros illos Cyprianus Epist. vi seu xiv indicare videtur his verbis: *Ad id quod scripserunt mihi compresbyteri nostri Donatus et Fortunatus, Novatus et Gordius, solus rescribere nihil potui.* Hos enim a presbyteris ac diaconis suis, ad quos ista eloquitur, velut jam separatos distinguit. COUSTANT.

*Romam.* Plerique codices habent *Romæ.* Quam lectionem ego puto esse bonam. Nihil tamen mutare volui. Sufficit mihi ita monuisse.

*Carthaginem Roma.* Carthago æmula Romæ apud Plinium, Vellcium, Paterculum, et Florum, dives opum, ut ait Virgilius. Herodianus, lib. vii, ait illam opibus, populi frequentia, vel magnitudine tantum Romæ concedere. Transmarinis vicina regionibus apud A. Gellium, lib. x, cap. 27, et apud Augustinum in capite tertio prioris epistolæ ad Eleusium, Glorium et Felices. Vide Salvianum, lib. vii, cap. 16.

*Episcopum fecit.* Non quod ordinandi potestate præditus esset, sed quod per pravas molitiones effecit, ut Novatianus ordinaretur. Is quippe, ut ex epistola ix, n. 2, discimus, a tribus episcopis imperitis est ordinatus. Falluntur igitur graviter, qui Novatum episcopum exstitisse hinc sibi persuadent. Nec suspicio nobis deest, ad horumce Cypriani verborum imitationem expressa esse ista Bucheriani catalogi: *Sub episcopatu ejus* (Cornelii) *Novatus extra Ecclesiam ordinavit Novatianum in urbe Roma: et Nicostratum in Africa*, adeoque *Nicostratum* Felicissimi loco hunc in catalogum irrepsisse. Quod si ita est, nullum est fundamentum eorum, qui Nicostratum in Africa episcopum ordinatum esse arbitrantur. COUSTANT.—*Diaconum fecerat.* Hinc collegit Baronius Novatum fuisse episcopum in Africa. Quam opinionem amplexus est Petavius ad Epiphanium. Et tamen illa vera non est. Fuisse enim presbyterum tantum liquet ex Chronico Eusebii, ex libro Hieronymi de Viris illustribus, ex libro Gestorum pontificalium, et ex epistola III Paciani ad Symphronianum. Immo ex ista quoque Cypriani epistola colligitur illum fuisse tantum presbyterum. Fuit autem presbyter Ecclesiæ Africanæ. Quod autem ait Cyprianus illum sua factione et ambitione diaconum fecisse Felicissimum, istud non est ita intelligendum ut ordinatus diaconus censeatur a Novato, sed quia factione perditissimi hominis constitutus fuit in gradu diaconii, uti jam diximus ad epistolam xli, pag. 430.—Hippolytum martyrem invenio adjunxisse se Novato, sed postea ab eodem transiisse ad Ecclesiam. Sic enim de eo scribit Prudentius:

> Invenio Hippolytum, qui quondam schisma Novati
> Presbyter attigerat, nostra sequendo negans,
> Usque ad martyrii provectum insigne tulisse
> Lucida sanguinei præmia supplicii.

De Hippolyto vide Baronium ad diem 30 januarii et in Annalibus ecclesiasticis.

*Conscientia ipsa.* Seneca, Epist. xcvii. *Proprium no-*

Digitized by Google

Ecclesia Dei possunt, qui deificam et ecclesiasticam disciplinam nec actus sui conversatione [a], nec morum pace tenuerunt. Spoliati ab illo pupilli, fraudatæ viduæ, pecuniæ quoque ecclesiæ denegatæ, has de illo exigunt pœnas, quas in ejus furore conspicimus [b]. Pater etiam ejus in vico fame mortuus, et ab eo in morte postmodum nec sepultus. Uterus uxoris calce percussus, et abortione properante in parricidium partus expressus. Et damnare nunc audet [d] sacrificantium manus, cum sit ipse nocentior pedibus, quibus filius, qui nascebatur, occisus est?

III. Hanc conscientiam criminum jam pridem timebat: propter hoc se non de presbyterio excitari tantum, sed et communicatione prohiberi pro certo tenebat: et urgentibus fratribus imminebat cognitionis dies, quo apud nos causa ejus ageretur, nisi persecutio ante venisset. Quam iste voto quodam evadendæ et lucrandæ damnationis excipiens, hæc omnia commisit et miscuit: ut qui ejici de Ecclesia, et excludi habebat, judicium sacerdotum voluntaria discessione præcederet; quasi evasisse sit pœnam, prævenisse sententiam.

IV. Circa cæteros autem fratres elaboramus, quos ab eo circumventos dolemus, ut veteratoris perniciosum

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Conversationem, nec morum pacem, *Bod.* 1, 3.

[b] Perspicimus, *NC.* 2. *Lin.*

## VARIORUM NOTÆ.

*centium est trepidare.* Tacitus l. v *Annalium* scribit Neronem cunctos per artus trementem, seu numine exterrente, seu facinorum recordatione, numquam timore vacuum fuisse. Auctor Epistolæ *ad Demetriadem* inter opera Hieronymi: *Hinc est illud quod frequenter carnifice occulto in auctorem sceleris conscientiæ tormenta desæviunt et latentem reum secreta mentis pœna persequitur.* Rufinus in Psalmum XXV: *Qui culpam habet judicium timet.* Petronius: *Dii deæque, quam male est extra legem agentibus. Quicquid meruere semper exspectant.* Hildebertus Epist. XVI: *Consuetudinis enim est reos formidare supplicia quæ verentur.* Cicero in Oratione pro Milone: *Magna vis est conscientiæ in utramque partem, ut neque timeant qui nihil commiserunt, et pœnam semper ante oculos versari putent qui peccarint.* Muretus in librum primum Platonis de Republica: *Sed illud quoque nobis accurate notandum est quod hoc loco a Platone verissime dicitur, homines multorum sibi injuste factorum conscios numquam quiescere, sed horrore pœnarum quas se promeritos sciunt identidem concuti, ita ut etiam sæpe ex somno excitentur.* Vide scholia Jacobi Biblii in Orationem Gregorii Nazianzeni de Plaga grandinis.

*Uterus uxoris.* Prioribus Ecclesiæ sæculis, ut Hieronymus l. I, cont. Jovinian. notat, quia virgines aut non tanti erant quanti erant necessarii, aut opera virginitati congruentia non habebant, vel non existimabantur habere, sæpe in sacerdotium eligebantur mariti: sed ea lege ordinabantur, ut ab opera nuptiarum deinceps abstinerent. Ipse Jovinianus, quantumvis continentiæ adversarius, fateri compulsus est *non posse esse episcopum, qui in episcopatu filios faciat: alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.* Quocirca Hieronymus adversus Vigilantium affirmare non dubitat: *Orientis Ecclesiæ, Ægypti et Sedis apostolicæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes.* Ipsi adstipulantur Siricius, Epist. I ad Himerium, c. 7. Innocentius, epist. II ad Victricium, c. 10. Ambrosius, l. I Offic., c. 50, n. 257, et ep. LXI ad Vercell., n. 62. Epiphanius, hær. 59, n. 4, antiquissimus scriptor Quæst. ex utroque Testamento apud Augustinum append. tom. III, pag. 142. Notat et Augustinus ad calcem, l. II de adulter. Conjugiis, clericis etiam improvisa vi ad hunc honorem suscipiendum sæpius coactis, continentiæ necessitatem nihilominus imponi solere. Neque tamen cogebantur uxores a se dimittere. Unde inquit Leo epist. II ad Rusticum, c. 3: *Ut de carnali fiat spiritale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, et quasi non habeant sic habere; quo et salva sit charitas connubiorum, et cesset opera nuptiarum.* Hinc ut nonnulli ad pristinam consuetudinem redirent, aliquando contigit: sed hoc delictum non impune ferebatur, ut exemplo est Genebaldus Lauduncnsis episcopus, quem S. Remigius Remensis archipræsul hujus rei causa diu inclusum tenuit. In eamdem culpam lapsus hic notatur Novatus; nec inde censendus videtur Cyprianus rem velut licitam probare, quod parricidii horrore perculsus, ad hujus criminis immanitatem exponendam totus abripiatur. Si etiam uxorem ideo sic percussit Novatus, ut abortione properante delictum lateret: et hinc continentiæ legem presbyteris tum impositam esse probabitur. COUSTANT. — *Uterus uxoris.* Pacianus in epistola secunda ad Symphronianum: *Novatus, inquam, patre prodito, Ecclesia derelicta, partu uxoris effuso.* Idem in epistola III sive in tractatu adversus Novatianos: *Novatus ex Africa fraudatis in Carthaginensi ecclesia viduis, spoliatis pupillis, pecunia ecclesiæ denegata, projecto extra domum patre, et eodem fame mortuo nec sepulto, uxoris gravidæ utero calce percusso, partuque ejus effuso.* Habebat Novatus exemplum egregii viri D. Neronis, cujus uxor Poppæa, ut scribit Tacitus in libro XVI Annalium, mortem obiit, fortuita mariti iracundia, a quo gravi ictu calcis afflicta est.

*Nunc audet.* Hoc est eorum qui thura idolis obtulerant, qui et *sacrificati* a Cypriano nuncupari solent. Hæc autem Novato exprobrandi locus non fuisset, nisi Novatiani non modo schisma, sed et placita defendens, sacrificatis veniam negasset: quamvis simul et a partibus staret Felicissimi qui cum suis contraria sentiens, pacem lapsis, omissa pœnitentia, largiebatur. Sic ille in omnem vertebatur opinionem, quæ avertendæ criminum suorum vindictæ magis conducere videbatur. COUSTANT.

III. *Presbyterio excitari.* Id est dejici et deturbari. Idipsum clarius infra sic enuntiatur; *ut qui ejici de Ecclesia et excludi habebat.* Verbi *excito* eadem potestas est apud Tertullianum l. IV contra Marcion., c. 16, ubi dicitur iniquitas, si non per ultionem refrænaretur, *omnem oculum effossura, et omnem dentem excitatura præ impunitatis securitate.* COUSTANT.

*Communicatione prohiberi.* Id est ad communionem laicam redigi, vel pelli ab Ecclesia. Quod potius crediderim.

IV. *Veteratoris.* In superioris Epistolæ VI initio *veteratoris* nomine Novatianum a Cornelio designari observavimus. At hic eodem vocabulo Novatus, de quo totus est proximus sermo, a Cypriano intelligitur. Quemadmodum Cornelius epist. V de Novatiani asseclis ad Cyprianum scripserat: *Ut scias, quales duces et protectores iste schismaticus et hæreticus lateri suo semper junctos habeat,* ita et Cyprianus elaborare se rescribit, ut a Novato circumventi, *veteratoris perniciosum latus fugiant.* Unde *lateri junctos* dici liquet non modo qui comitantur aliquem corpore, sed et qui eum animo sequuntur, ejusque sententiis adhærent. COUSTANT.

Digitized by Google

*trem, et erunt duo in carnem unam; sacramentum istud magnum est* [a], *ego autem dico, in Christum et in Ecclesiam* [b] (*Ephes.* v, 31); cum hoc, inquam, beatus Apostolus dicat et Christi pariter [c] atque Ecclesiæ unitatem individuis nexibus cohærentem sancta sua voce testetur; quomodo potest esse cum Christo, qui cum sponsa Christi atque in ejus Ecclesia non est? aut quomodo assumit sibi regendæ aut gubernandæ Ecclesiæ curam, qui spoliavit et fraudavit Ecclesiam Christi?

II. Nam de Novato nihil inde ad nos fuerat nuntiandum, cum magis per nos vobis debeat Novatus ostendi; rerum novarum semper cupidus, avaritiæ inexplebili [d] rapacitate furibundus, arrogantia et stupore superbi tumoris inflatus [e], semper istic episcopis male cognitus, quasi hæreticus semper et perfidus omnium sacerdotum voce damnatus; curiosus semper ut prodat, ad hoc adulatur ut fallat, numquam fidelis ut diligat, fax et ignis [f] ad conflanda seditionis incendia, turbo et tempestas ad fidei facienda naufragia, hostis quietis, tranquillitatis adversarius, pacis inimicus. Denique, Novato illinc a vobis recedente, id est, procella et turbine recedente, ex parte illic quies facta est, et gloriosi ac boni confessores, qui [g] de Ecclesia, illo incitante, discesserant, postea quam ab Urbe ille discessit, ad Ecclesiam reverterunt. Idem est Novatus, qui apud nos primum discordiæ et schismatis incendium seminavit, qui quosdam istic ex fratribus ab episcopo segregavit, qui in ipsa persecutione ad evertendas [h] fratrum mentes alia quædam persecutio nostris fuit. Ipse est, qui Felicissimum satellitem suum diaconum, nec permittente me, nec sciente, sua factione et ambitione constituit; et cum sua tempestate Romam quoque ad evertendam Ecclesiam navigans, similia illic et paria molitus est, a clero portionem plebis avellens, fraternitatis bene sibi cohærentis et se invicem diligentis concordiam scindens. Plane quoniam pro magnitudine sua debeat Carthaginem Roma præcedere, illic majora et graviora commisit. Qui istic adversus Ecclesiam diaconum fecerat, illic episcopum fecit. Nec hoc quisquam miretur in talibus. FERUNTUR SEMPER mali suo furore [i] dementes, et posteaquam scelera fecerint, conscientia ipsa sceleratæ mentis agitantur. Nec remanere in

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Sacramentum hoc, *Bod.* 3.
[b] Dico in Christo et in Ecclesiam, *Lam. Bod.* 1.
[c] Et Christum pariter, *Ebor. NC.* 1, *Lin.*
[d] Inexplebilis, *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, 3. *NC.* 1, 2.
[e] Superbus, tumore, inflatus, *Bod.* 3.
[f] Pix et ignis, *Pem. Lam. Ebor. NC.* 1, *Bod.* 2.
[g] Qui hic, *Bod.* 2, 3. *Ebor. Lin. NC.* 1.
[h] *In eodem codice* ad vertendas, *et infra* ad vertendam Ecclesiam.
[i] Fraude et furore, *Bod.* 3.

## VARIORUM NOTÆ.

*Et adhærebit uxori suæ.* Hoc segmentum nos addidimus; non solum quia habetur in Epistola Pauli ad Ephesios, ex qua sumptus est hic locus, sed in primis quia ita scriptum vidi in quatuor antiquis codicibus et in libro Flori. Desunt tamen in tribus antiquis codicibus.

*Christi pariter.* Quidam codices præferunt *Christum.*

II. *Hostis quietis.* Ista non habentur in quatuor libris veteribus et in antiquis editionibus. Exstant tamen in decem codicibus antiquis.

*Persecutione.* Hic notatur Novatus ut dux et antesignanus factionis ejus, quam adversus Cyprianum concitarant presbyteri nonnulli, de quibus idem præsul Epist. x, seu xvi, ita loquitur; *Cum quorumdam immoderata et abrupta præsumptio temeritate sua et honorem martyrum, et confessorum pudorem, et plebis universæ tranquillitatem turbare conetur, tacere ultra non oportet... quando aliqui de presbyteris, nec Evangelii nec loci sui memores... cum contumelia præpositi totum sibi vindicent.* Nempe illi Cypriani ordinationi intercedentes et invidiæ beatos exponebant martyres, et *gloriosos servos Dei cum sacerdote*, hoc est cum ipsomet, *committebant*, ac plebem turbare non desistebant. Presbyteros illos Cyprianus Epist. vi seu xiv indicare videtur his verbis: *Ad id quod scripserunt mihi compresbyteri nostri Donatus et Fortunatus, Novatus et Gordius, solus rescribere nihil potui.* Hos enim a presbyteris ac diaconis suis, ad quos ista eloquitur, velut jam separatos distinguit. COUSTANT.

*Romam.* Plerique codices habent *Romæ.* Quam lectionem ego puto esse bonam. Nihil tamen mutare volui. Sufficit mihi ita monuisse.

*Carthaginem Roma.* Carthago æmula Romæ apud Plinium, Velleium, Paterculum, et Florum, dives opum, ut ait Virgilius. Herodianus, lib. vii, ait illam opibus, populi frequentia, vel magnitudine tantum Romæ concedere. Transmarinis vicina regionibus apud A. Gellium, lib. x, cap. 27, et apud Augustinum in capite tertio prioris epistolæ ad Eleusium, Glorium et Felices. Vide Salvianum, lib. vii, cap. 16.

*Episcopum fecit.* Non quod ordinandi potestate præditus esset, sed quod per pravas molitiones effecit, ut Novatianus ordinaretur. Is quippe, ut ex epistola ix, n. 2, discimus, a tribus episcopis imperitis est ordinatus. Falluntur igitur graviter, qui Novatum episcopum exstitisse hinc sibi persuadent. Nec suspicio nobis deest, ad horumce Cypriani verborum imitationem expressa esse ista Bucheriani catalogi: *Sub episcopatu ejus* (Cornelii) *Novatus extra Eccles am ordinavit Novatianum in urbe Roma: et Nicostratum in Africa*, adeoque *Nicostratum* Felicissimi loco hunc in catalogum irrepsisse. Quod si ita est, nullum est fundamentum eorum, qui Nicostratum in Africa episcopum ordinatum esse arbitrantur. COUSTANT.—*Diaconum fecerat.* Hinc collegit Baronius Novatum fuisse episcopum in Africa. Quam opinionem amplexus est Petavius ad Epiphanium. Et tamen illa vera non est. Fuisse enim presbyterum tantum liquet ex Chronico Eusebii, ex libro Hieronymi de Viris illustribus, ex libro Gestorum pontificalium, et ex epistola iii Paciani ad Symphronianum. Immo ex ista quoque Cypriani epistola colligitur illum fuisse tantum presbyterum. Fuit autem presbyter Ecclesiæ Africanæ. Quod autem ait Cyprianus illum sua factione et ambitione diaconum fecisse Felicissimum, istud non est ita intelligendum ut ordinatus diaconus censeatur a Novato, sed quia factione perditissimi hominis constitutus fuit in gradu diaconii, uti jam diximus ad epistolam xli, pag. 430.—Hippolytum martyrem invenio adjunxisse se Novato, sed postea ab eodem transiisse ad Ecclesiam. Sic enim de eo scribit Prudentius:

> Invenio Hippolytum, qui quondam schisma Novati
> Presbyter attigerat, nostra sequendo negans,
> Usque ad martyrii provectum insigne tulisse
> Lucida sanguinei præmia supplicii.

De Hippolyto vide Baronium ad diem 30 januarii et in Annalibus ecclesiasticis.

*Conscientia ipsa.* Seneca, Epist. xcvii. *Proprium no-*

Digitized by Google

Ecclesia Dei possunt, qui deificam et ecclesiasticam disciplinam nec actus sui conversatione [a], nec morum pace tenuerunt. Spoliati ab illo pupilli, fraudatæ viduæ, pecuniæ quoque ecclesiæ denegatæ, has de illo exigunt pœnas, quas in ejus furore conspicimus [b]. Pater etiam ejus in vico fame mortuus, et ab eo in morte postmodum nec sepultus. Uterus uxoris calce percussus, et abortione properante in parricidium partus expressus. Et damnare nunc audet [d] sacrificantium manus, cum sit ipse nocentior pedibus, quibus filius, qui nascebatur, occisus est?

III. Hanc conscientiam criminum jam pridem timebat: propter hoc se non de presbyterio excitari tantum, sed et communicatione prohiberi pro certo tenebat: et urgentibus fratribus imminebat cognitionis dies, quo apud nos causa ejus ageretur, nisi persecutio ante venisset. Quam iste voto quodam evadendæ et lucrandæ damnationis excipiens, hæc omnia commisit et miscuit: ut qui ejici de Ecclesia, et excludi habebat, judicium sacerdotum voluntaria discessione præcederet; quasi evasisse sit pœnam, prævenisse sententiam.

IV. Circa cæteros autem fratres elaboramus, quos ab eo circumventos dolemus, ut veteratoris perniciosum

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Conversationem, nec morum pacem, *Bod.* 1, 3.

[b] Perspicimus, *NC.* 2. *Lin.*

## VARIORUM NOTÆ.

*centium est trepidare.* Tacitus l. v *Annalium* scribit Neronem cunctos per artus trementem, seu numine exterrente, seu facinorum recordatione, numquam timore vacuum fuisse. Auctor Epistolæ *ad Demetriadem* inter opera Hieronymi: *Hinc est illud quod frequenter carnifice occulto in auctorem sceleris conscientiæ tormenta desæviunt et latentem reum secreta mentis pœna persequitur.* Rufinus in Psalmum xxv: *Qui culpam habet judicium timet.* Petronius: *Dii deæque, quam male est extra legem agentibus. Quicquid meruere semper exspectant.* Hildebertus Epist. xvi: *Consuetudinis enim est reos formidare supplicia quæ verentur.* Cicero in Oratione pro Milone: *Magna vis est conscientiæ in utramque partem, ut neque timeant qui nihil commiserunt, et pœnam semper ante oculos versari putent qui peccarint.* Muretus in librum primum Platonis de Republica: *Sed illud quoque nobis accurate notandum est quod hoc loco a Platone verissime dicitur, homines multorum sibi injuste factorum conscios numquam quiescere, sed horrore pœnarum quas se promeritos sciunt identidem concuti, ita ut etiam sæpe ex somno excitentur.* Vide scholia Jacobi Biblii in Orationem Gregorii Nazianzeni de Plaga grandinis.

*Uterus uxoris.* Prioribus Ecclesiæ sæculis, ut Hieronymus l. i, cont. Jovinian. notat, quia virgines aut non tanti erant quanti erant necessarii, aut opera virginitati congruentia non habebant, vel non existimabantur habere, sæpe in sacerdotium eligebantur mariti: sed ea lege ordinabantur, ut ab opera nuptiarum deinceps abstinerent. Ipse Jovinianus, quantumvis continentiæ adversarius, fateri compulsus est *non posse esse episcopum, qui in episcopatu filios faciat: alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.* Quocirca Hieronymus adversus Vigilantium affirmare non dubitat: *Orientis Ecclesiæ, Ægypti et Sedis apostolicæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes.* Ipsi adstipulantur Siricius, Epist. i ad Himerium, c. 7. Innocentius, epist. ii ad Victricium, c. 10. Ambrosius, l. i Offic., c. 50, n. 257, et ep. lxi ad Vercell., n. 62. Epiphanius, hær. 59, n. 4, antiquissimus scriptor Quæst. ex utroque Testamento apud Augustinum append. tom. iii, pag. 142. Notat et Augustinus ad calcem, l. ii de adulter. Conjugiis, clericis etiam improvisa vi ad hunc honorem suscipiendum sæpius coactis, continentiæ necessitatem nihilominus imponi solere. Neque tamen cogebantur uxores a se dimittere. Unde inquit Leo epist. ii ad Rusticum, c. 3: *Ut de carnali fiat spiritale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, et quasi non habeant sic habere; quo et salva sit charitas connubiorum, et cesset opera nuptiarum.* Hinc ut nonnulli ad pristinam consuetudinem redirent, aliquando contigit: sed hoc delictum non impune ferebatur, ut exemplo est Genebaldus Laudunensis episcopus, quem S. Remigius Remensis archipræsul hujus rei causa diu inclusum tenuit. In eamdem culpam lapsus hic notatur Novatus; nec inde censendus videtur Cyprianus rem velut licitam probare, quod parricidii horrore perculsus, ad hujus criminis immanitatem exponendam totus abripiatur. Si etiam uxorem ideo sic percussit Novatus, ut abortione properante delictum lateret: et hinc continentiæ legem presbyteris tum impositam esse probabitur. Constant. — *Uterus uxoris.* Pacianus in epistola secunda ad Symphronianum: *Novatus, inquam, patre prodito, Ecclesia derelicta, partu uxoris effuso.* Idem in epistola iii sive in tractatu adversus Novatianos: *Novatus ex Africa fraudatis in Carthaginensi ecclesia viduis, spoliatis pupillis, pecunia ecclesiæ denegata, projecto extra domum patre, et eodem fame mortuo nec sepulto, uxoris gravidæ utero calce percusso, partuque ejus effuso.* Habebat Novatus exemplum egregii viri D. Neronis, cujus uxor Poppæa, ut scribit Tacitus in libro xvi Annalium, mortem obiit, fortuita mariti iracundia, a quo gravi ictu calcis afflicta est.

*Nunc audet.* Hoc est eorum qui thura idolis obtulerant, qui et *sacrificati* a Cypriano nuncupari solent. Hæc autem Novato exprobrandi locus non fuisset, nisi Novatiani non modo schisma, sed et placita defendens, sacrificatis veniam negasset: quamvis simul et a partibus staret Felicissimi qui cum suis contraria sentiens, pacem lapsis, omissa pœnitentia, largiebatur. Sic ille in omnem vertebatur opinionem, quæ avertendæ criminum suorum vindictæ magis conducere videbatur. Constant.

III. *Presbyterio excitari.* Id est dejici et deturbari. Idipsum clarius infra sic enuntiatur; *ut qui ejici de Ecclesia et excludi habebat.* Verbi *excito* eadem potestas est apud Tertullianum l. iv contra Marcion., c. 16, ubi dicitur iniquitas, si non per ultionem refrænaretur, *omnem oculum effossura, et omnem dentem excitatura præ impunitatis securitate.* Constant.

*Communicatione prohiberi.* Id est ad communionem laicam redigi, vel pelli ab Ecclesia. Quod potius crediderim.

IV. *Veteratoris.* In superioris Epistolæ vi initio *veteratoris* nomine Novatianum a Cornelio designari observavimus. At hic eodem vocabulo Novatus, de quo totus est proximus sermo, a Cypriano intelligitur. Quemadmodum Cornelius epist. v de Novatiani asseclis ad Cyprianum scripserat: *Ut scias, quales duces et protectores iste schismaticus et hæreticus lateri suo semper junctos habeat,* ita et Cyprianus elaborare se rescribit, ut a Novato circumventi, *veteratoris perniciosum latus fugiant.* Unde *lateri junctos* dici liquet non modo qui comitantur aliquem corpore, sed et qui eum animo sequuntur, ejusque sententiis adhærent. Constant.

Digitized by Google

latus fugiant, ut lethales laqueos sollicitantis evadant, ut de qua ille pelli divinitus meruit, Ecclesiam repetant, quos quidem, Domino adjuvante, per ejus misericordiam regredi posse confidimus : neque enim potest perire, nisi quem constat esse periturum, cum Dominus in Evangelio suo dicat : *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur* (*Matth.*, xv, 13). Qui plantatus non est in præceptis Dei patris et monitis, solus poterit de Ecclesia illa discedere, solus episcopis derelictis cum schismaticis et hæreticis in furore remanere. Cæteros vero hobiscum adunabit Dei Patris misericordia, et Christi Domini nostri indulgentia, et nostra patientia. Opto te, frater charissime, semper bene valere.

## EPISTOLA VIII.

(Erasm. II, 12; Pamel. Rigalt. Baluz. XLVII, Oxon. Lips. LI. Paris. XLVI. Coustant. I, 143. Galland. III, 340.)

### S. CYPRIANI CARTHAGINENSIS EPISCOPI AD CORNELIUM PAPAM.

*De Confessorum ad Ecclesiam reditu gratulatur. Quantum is reditus Ecclesiæ catholicæ conferat.*

CYPRIANUS CORNELIO FRATRI SALUTEM.

I. Et egisse nos et agere, frater charissime, maximas gratias sine cessatione profitemur Deo Patri omnipotenti et Christo ejus Domino et Deo nostro salvatori [a], A quod sic Ecclesia divinitus protegatur, ut unitas ejus et sanctitas non [b] jugiter, nec in totum perfidiæ et hæreticæ pravitatis obstinatione vitietur [c]. Legimus enim litteras vestras, et voti communis amplissimum gaudium exsultanter excepimus, Maximum presbyterum et Urbanum confessores cum Sidonio et Macario ad Ecclesiam Catholicam regressos esse, id est errore deposito, et schismatico, immo hæretico furore deserto, unitatis ac veritatis domicilium fideli sanitate repetisse ; ut unde ad gloriam processerant, illuc gloriosi redirent; ne qui Christum confessi essent, Christi postmodum castra desererent, nec tentarent charitatis atque unitatis fidem, qui victi robore et virtute non fuerant. Ecce incolumis et immaculata laudis integritas, ecce incorrupta et solida confitentium dignitas, a desertoribus et profugis recessisse, proditores fidei et Ecclesiæ Catholicæ impugnatores reliquisse. Merito illos revertentes summo, ut scribitis, gaudio et clerus et plebs [d] et fraternitas omnis excepit : quoniam in confessoribus gloriam suam conservantibus, et ad unitatem revertentibus, nemo non socium se et participem eorum gloriæ computat. B

II. Hujus diei lætitiam de nostris possumus sensibus æstimare. Nam cum istic ad litteras vestras, quas de eorum confessione misistis, lætatus sit omnis fratrum numerus, et summâ alacritate hunc nuntium communis gratulationis exceperit; quid illic, ubi res ipsa

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic. Lam. NC. 1. Ebor. Bod. 2.* Salutari, *Imp.*
[b] Non disjungatur, *Bod. 1. Lin.*
[c] Violetur, *Pem. Ben. Lam. Ebor. NC. 1.*
[d] Plebs, fraternitas. *Comp.*

## VARIORUM NOTÆ.

EPIST. VIII.— I. *Salvatori.* Ita nos reposuimus, secuti auctoritatem quorumdam veterum exemplarium et editionis Anglicanæ, in qua adnotatum est quatuor quoque codices Anglicanos eam lectionem præferre. Alibi legitur *salutari.* BALUZ.

*Non jugiter.* Duo mss. Anglic. *non disjungatur.* Rectius alii libri, *non jugiter.* Nam unitatem aliqua ex parte disjunctam tunc fuisse negare nequit. Mox alii quinque mss. *violetur*, loco verbi *vitietur.* COUSTANT.

*Vitietur.* Fatendum est omnes fere libros veteres habere *videtur* vel *vitetur.* Editio Morellii, codex Gratianopolitanus, et unus meus præferunt *violetur.* Ita etiam se legisse in quinque codicibus antiquis testantur Angli.

*Fideli sanitate.* Antiquæ editiones et duo libri veteres habent *fide.* Sed omnes alii habent *fideli.* Quamvis ergo utraque lectio constituat eumdem sensum, ego tamen eam præfero quæ plurium veterum librorum auctoritate nititur.

*Ad gloriam.* Supple confessionis ; quod quidem exprimitur in his ejudem Cypriani epist. XLIV seu XLVI ad ipsosmet confessores : *Ad matrem revertamini unde prodiistis, unde ad confessionis gloriam cum ejusdem matris exsultatione venistis.*

*Nec tentarent.* Undecim libri nostri et septem Anglicani præferunt, *Nec tentarentur charitatis atque unitatis fide.* Liber meus vetus, *nec tentaretur in eis charitatis atque unitatis fide.* Quæ lectio videtur esse melior.

*Charitatis.* In Oxon. edit. *atque veritatis fidem :* simulque annotatur, octo mss. cum Manutio exhibere, *nec tentarentur charitatis atque unitatis fide.* Habet quidem compendiensis ms. *tentarentur*, sed retinet *fidem.* Utravis mss. illorum lectio barbara et Cypriani stylo C indigna. Nec dici potest bonos illos confessores circa fidem et unitatem solum tentatos, quos ab unitate abductos atque *hæresis auctores* exstitisse constat. Quam ob causam non placet, *nec teperent charitatis atque unitatis fide.* Quod Pamelius in ms. Cambron. offendisse se monet. Illorum quippe confessorum fides potius exstincta, quam tepida videbatur. Idem vir eruditus cum quatuor mss. et cæteris edit. præfert, *nec tentarent charitatis atque unitatis fidem ;* ibique verbum *tentare* pro *explorare* aut etiam pro *infesto animo aggredi* positum arbitratur. Lectionem servantes plurium codicum seu scriptorum seu excusorum auctoritate fultam, interpretationem ejus minime probamus : cum idcirco potius *tentarent* Cyprianus dixerit, quod fidei unitatis tentationi et offendiculo essent, quatenus eorum exemplo abuterentur schismatis duces, ut fideles abducerent ab unitate, ac seductos in schismate detinerent : quia nimirum in schismate, ut infra exponitur, *sibi communicationem confessorum sequi viderentur.* Quocirca Cyprianus epist. LI seu 54 gratulatur, quod *nec confessores Christi erroris duces fierent, qui virtutis et honoris auctores laudabiles exstitissent.* D

*Plebs et fraternitas.* Ipsi confessores epist. L seu LIII apud Cyprian. cum Cornelio et universo clero pacem fecisse se significant *cum gaudio etiam universæ Ecclesiæ, prona omnium charitate.*

II. *Hujus rei.* Quamvis Manutius et Morellius posuerint *diei*, quamvis eadem lectio reperiatur in plerisque vetustis exemplaribus, ego tamen præfero eam quam veteres editiones exhibent, quam deprehendi in tribus optimis codicibus antiquis, quia paulo post sanctus Martyr ait, *illic ubi res ipsa sub oculis omnium gerebatur.* Ubi pro *gerebatur* quinque libri veteres habent *celebratur.*

Digitized by Google

et præsens lætitia sub oculis omnium gerebatur? Cum enim Dominus in Evangelio suo dicat, esse summum gaudium in cœlo super [a] uno peccatore pœnitentiam agente (*Luc.*, xv, 7) ; quanto majus est gaudium et in terris pariter et in cœlo super Confessoribus ad Ecclesiam Dei cum gloria sua et cum laude redeuntibus, et redeundi viam cæteris exempli sui fide et probatione facientibus? Hic enim quosdam fratres nostros error induxerat, quod sibi communicationem A Confessorum sequi viderentur. Quo errore sublato, lux omnium pectoribus infusa est, et Ecclesia catholica una esse, nec scindi nec dividi posse monstrata est. Ne quisquam jam facile poterit schismatici furentis verbis loquacibus decipi ; quando probatum sit bonos et gloriosos Christi milites non potuisse diu aliena fallacia et perfidia extra Ecclesiam detineri. Opto te, frater charissime, semper bene valere.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Super peccatore.... quanti magis. *Comp.*

VARIORUM NOTÆ.

*In cœlo.* In eodem ms. desideratur *uno* : ac subinde exstat *quanto magis* (quod interpretari licet *quanto potiori ratione*) pro *quanto majus*.

*Opto te.* Optatum istud deest in ms. Compend.

# IX° EX EPISTOLA

## AD FABIUM ANTIOCHENUM EPISCOPUM FRAGMENTA.

*Lemma a Petro Coustantio in editione sua Rom. Pontificum Epistolar. præfixum.*

I. Quomodo confessores a Novatiano decepti fraudes ejus detexerint, et palam Ecclesiæ notas fecerint. II. Contra omnes leges ordinatus episcopatum sibi arrogat. III. Cleri Romani populique multitudine a schismate non deterretur. IV. Urgente infirmitate in B lecto perfusus seu baptizatus, minime consignatus est. V. Persecutionis tempore presbyterum se negare mavult, quam fratribus subvenire. VI. Præter leges, clero ac plurimis de populo intercedentibus, per gratiam episcopi ad presbyterium provectus fuit. VII. Qui corpus et sanguinem Christi porrigens, singulos sibi jurare cogat. VIII. Eum ab omnibus deseri.

Α'. Ἵνα δὲ γνῷς ὅτι πρόπαλαι ὀρεγόμενος τῆς ἐπισκο- I. Ut autem scias qualiter admirandus ille digni-

VARIORUM NOTÆ.

Α'. Ἵνα δὲ γνῷς, etc. De Novatianorum hæresi atque Cornelii epistolis Eusebius hæc præmisit, lib. vi. *Hist.* cap. 43. Ἐπειδὴ περ τῇ κατὰ τούτων (adversus lapsos) ἀρθεὶς ὑπερηφανίᾳ Νοουάτος τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας πρεσβύτερος, ὡς μηκέτ' οὔσης αὐτοῖς σωτηρίας ἐλπίδος, μὴ δ' εἰ πάντα τὰ εἰς ἐπιστροφὴν γνησίαν καὶ καθαρὰν ἐξομολόγησιν ἐπιτελοῖεν, ἰδίας αἱρέσεως τῶν κατὰ λογισμοῦ φυσίωσιν καθαροὺς ἑαυτοὺς ἀποφηνάντων, ἀρχηγὸς καθίσταται ἐφ' ᾧ συνόδου μεγίστης ἐπὶ Ῥώμης συγκροτηθείσης, ἑξήκοντα μὲν τὸν ἀριθμὸν ἐπισκόπων· πλειόνων δ' ἔτι μᾶλλον πρεσβυτέρων τε καὶ διακόνων, ἰδίως τε κατὰ τὰ λοιπὰς ἐπαρχίας τῶν κατὰ χώραν ποιμένων περὶ τοῦ πρακτέου διασκεψαμένων· δόγμα παρίσταται τοῖς πᾶσι· τὸν μὲν Νοουάτον ἅ τοῖς αὐτῷ συνεπαρθεῖσι, τοὺς τε συνευδοκεῖν τῇ μισαδέλφῳ καὶ ἀπανθρωποτάτῃ γνώμῃ τ' ἀνδρὸς προαιρουμένους, ἐν ἀλλοτρίοις τῆς ἐκκλησίας ἡγεῖσθαι· τοὺς δὲ τῇ συμφορᾷ περιπεπτωκότας τῶν ἀδελφῶν, ἰᾶσθαι θεραπεύειν τοῖς τῆς μετανοίας φαρμάκοις. ἦλθον δ' οὖν εἰς ἡμᾶς ἐπιστολαὶ Κορνηλίου Ῥωμαίων ἐπισκόπου πρὸς τὸν τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας Φάβιον, δηλοῦσαι τὰ περὶ τῆς Ῥωμαίων συνόδου, καὶ τὰ δόξαντα πᾶσι τοῖς κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ Ἀφρικὴν καὶ τὰς αὐτόθι χώρας· καὶ ἄλλαι πάλιν Ῥωμαϊκῇ φωνῇ συντεταγμέναι, Κυπριανοῦ καὶ τῶν ἅμ' αὐτῷ κατὰ τὴν Ἀφρικὴν ἐπισκόπων. δι' ὧν τὸ καὶ αὐτοὺς συνευδοκεῖν τῷ δεῖν τυγχάνειν ἐπικουρίας τοὺς πεπειρασμένους ἐνεφαίνετο· καὶ τῷ χρῆναι εὐλόγως τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐκκήρυκτον ποιήσασθαι τὸν τῆς αἱρέσεως ἀρχηγόν, πάντας τε ὁμοίως τοὺς συναπαγομένους αὐτῷ. ταύταις ἄλλη τις ἐπιστολὴ συνῆπτο τοῦ Κορνηλίου, περὶ τῶν κατὰ τὴν σύνοδον ἀρεσάντων· καὶ πάλιν ἑτέρα, περὶ τῶν κατὰ Νοουάτον πραχθέντων· ἀφ' ἧς καὶ μέρη παραθέσθαι οὐδὲν ἂν κωλύοι, ὅπως εἰδεῖεν τὰ κατ' αὐτὸν οἱ τῇδε ἐντυγχάνοντες τῇ γραφῇ· τὸν δὴ οὖν φάβιον ἀναδιδάσκων ὁποῖός τις ὁ Νοουάτος ἐγεγόνει τὸν τρόπον, αὐτὰ δὴ ταῦτα γράφει ὁ Κορνήλιος· ΙΝΑ δὲ γνῷς, etc.

I. « Etenim Novatus, Ecclesiæ Romanæ presbyter, arrogantia adversus eos elatus, quasi nulla spes salutis ipsis posthac superesset, tametsi omnia explerent quæ ad sinceram conversionem puramque confessionem pertinent, propriæ cujusdam sectæ eorum qui tumore mentis elati seipsos Catharos cognominarunt, auctor exstitit. Ob quam rem cum Romæ congregata esset Synodus, in qua sexaginta quidem episcopi, presbyteri vero ac diaconi multo plures convenerunt : cumque in provinciis antistites quid agendum esset seorsum consultassent, hujusmodi decretum cunctis promulgatum est. Novatum quidem et eos qui una cum ipso sese insolentius extulerant, et quicunque inhumanissimæ et a fraterna charitate alienæ ejus opinioni consentire præsumpserant, alienos ab Ecclesia habendos esse ; fratres vero qui in calamitatem inciderant, pœnitentiæ remediis curandos esse et confovendos. Exstant adhuc epistolæ Cornelii Romanorum episcopi ad Fabium Antiochensis ecclesiæ præsulem missæ : in quibus et Romanæ Synodi gesta, et omnium per Italiam et Africam aliasque locorum illorum provincias sententiæ declarantur. Aliæ præterea latino sermone conscriptæ exstant epistolæ Cypriani et aliorum antistitum qui cum ipso in Africa congregati sunt. Ex quibus colligitur, ipsis etiam placuisse ut subveniretur iis qui in tentationem inciderant : atque auctor nefariæ opinionis simul cum iis qui ad partes ipsius desciverant, ab Ecclesiæ catholicæ consortio merito abdicaretur. His adjuncta erat alia ejusdem Cornelii epistola, de his quæ in Synodo decreta fuerant : et rursus alia de facinoribus Novati; ex qua nihil obstat quominus hic aliqua inseramus, ut historiæ nostræ lectores, ea quæ ad Novatum pertinent perspicue cognoscant. Igitur Cornelius Fabium docens cujusmodi ingenio ac moribus fuisset Novatus, ita scribit. Atque ut scias, etc. » Ad Fabium

Digitized by Google

πῆς ὁ θυμάσιος αὖτος, καὶ κρύπτων ἐν ἑαυτῷ τὴν προπετῆ ταυτὴν αὐτοῦ ἐπιθυμίαν ἐλάνθανεν, ἐπικάλύμματι τῆς αὐτοῦ ἀπονοίας τῷ καταρχὰς σὺν αὐτῷ τοὺς ὁμολογητὰς ἐσχηκέναι χρώμενος, εἰπεῖν βούλομαι. Μάξιμος πρεσβύτερος τῶν παρ' ἡμῖν καὶ Οὐρβανὸς, δὶς τὴν ἐξ ὁμολογίας δόξαν ἀρίστην καρπωσάμενοι · Σιδόνιός τε καὶ Κελερῖνος, ἀνὴρ ὃς πάσας βασάνους διὰ τὸν τοῦ Θεοῦ ἔλεον καρτερικώτατα διενέγκας · καὶ τῇ ῥώμῃ τῆς αὐτοῦ πίστεως, τὸ ἀσθενὲς τῆς σαρκὸς ἐπιῤῥώσας, κατακράτος νενίκηκε τὸν ἀντικείμενον · οὗτοι δὲ οὖν οἱ ἄνδρες κατανοήσαντες αὐτὸν, καὶ καταφωράσαντες τὴν ἐν αὐτῷ πανουργίαν τε καὶ παλιμβολίαν, τάς τε ἐπιορκίας καὶ ψευδολογίας, καὶ τὴν ἀκοινωνησίαν αὐτοῦ καὶ λυκοφιλίαν · A tatis episcopalis cupiditate incensus, et temerariam atque effrenatam illam ambitionem suam intra se tegens latuit, dum hoc vesaniæ velamentum obtendit, quod Confessores ab initio secum habuisset, volo enarrare. Maximus nostræ ecclesiæ presbyter et Urbanus egregiam ex iterata confessione gloriam adepti, Sidonius quoque et Celerinus, vir qui cuncta tormentorum genera per Dei misericordiam fortissime sustinuit, et fortitudine fidei suæ infirmitatem carnis roborans, adversarium penitus devicit : hi igitur viri cum cognovissent illum, et fraudem ejus ac versutiam, necnon perjuria et mendacia, atque a societate et communione abhorrentem ejus animum et

## VARIORUM NOTÆ.

Antiochenum, qui Novatiani schismati, ut tradit Eusebius, cap. 44, aliquando favebat, hæc epistola de rebus gestis Novatiani, una cum illa saltem, quæ primo nominatur, movendi et convertendi animum ejus gratia missa est. Omnes vero, quippe cum de eadem re agerent, simul junctæ ad Eusebii manus pervenerant. Ait autem Petrus Coustantius, qui fragmenta sequentia in *Roman. Pontif. Epp.* ad p. 146, et seq. edidit : « Hieronymus lib. de Viris illustr. quatuor Cornelii « ad Fabium epistolas recensens hanc *valde prolixam* « fuisse testatur. Post damnatum in Italiæ atque « Africæ conciliis Novatianorum errorem, et post « confessorum, Maximi et sociorum, reditum ad « Ecclesiam, cum Novatianus jam *nudatus ac pene* « *solus remansisset*, fratribus quotidie eum deseren- « tibus et ad Ecclesiam redeuntibus (Vid. fin. horum « excerptorum), adeoque aliquanto post superiores « epistolas scripta fuit. » Hæc ille. Recte autem statuit Valesius, Eusebium tres duntaxat Cornelii recensere epistolas ; iisdem, ni fallor, rationibus inductus, quibus Cotelerius ad *Epist. Polycarpi*, § 3, ubi, pluribus exemplis adductis, ostendit vir eruditus de una epistola interpretanda esse Eusebii verba, ἐπιστολαὶ Κορνηλίου, ut vidit vertitque ipse Hieronymus, « Cornelius scripsit epistolam ad Fabium, » qui tamen in alia epistola Cornelio attribuenda eravit. Idem quod Valesius Fabricius statuit in notis ad aliud Hieronymi caput, hoc est LXXII. Sed aliter Tillemontius, in *Mem. Eccl.* Not. XII, in *Cornelium*, et Valesius ipse latine verterat, « Epistolæ Cornelii. » Simile tamen statuendum videtur de Cypriani atque Afrorum litteris, quam quidem epistolam vocat Rufinus « librum magnificentissime scriptum, » quamque imprudens Hieronymus Cornelio attribuit. Vid. supra not. ad Hieron. Dum vero ostendit Valesius, græco sermone scriptas videri Cornelii primam quidem ac tertiam epistolas, illud interea haud capio, quamobrem censeat ille epistolam alteram de Synodi decretis latine conscriptam fuisse, siquidem omnes ad Fabium hominem græce loquentem scriptæ esse videntur, et illa synodorum decreta tam in prima epistola quam in secunda isthac commemorabantur, nisi propterea ad alium quem præter Fabium hanc secundam missam fuisse putaveris. De Fabii autem favore erga partes Novatianas plus aliquid notandum esse duxi. Dionysius Alexandrinus ait Eusebius, lib. VI. *Hist.* c. 46. Κορνηλίῳ τῷ κατὰ Ῥώμην γράφει, δεξάμενος αὐτοῦ τὴν κατὰ τοῦ Νοουάτου ἐπιστολήν · ὥ καὶ σημαίνει δηλῶν ἑαυτὸν παρακεκλῆσθαι ὑπό τε Ἑλένου τοῦ ἐν Τάρσῳ τῆς Κιλικίας ἐπισκοποῦ, καὶ τῶν λοιπῶν τῶν σὺν αὐτῷ · Φιρμιλιάνου τε τοῦ ἐν Καππαδοκίᾳ, καὶ τοῦ κατὰ Παλαιστίνην Θεοκτίστου, ὡς ἂν ἐπὶ τὴν σύνοδον ἀπαντήσει τὴν κατὰ Ἀντιόχειαν, ἔνθα τοῦ Νοουάτου κρατύνειν τινες ἐπεχείρουν τὸ σχίσμα · πρὸς τούτοις ἐπιστέλλει μηνυθῆναι αὐτῷ Φάβιον μὲν κεκοιμῆσθαι · Δημητριανὸν δὲ διάδοχον ἐκείνου τῆς κατὰ Ἀντιόχειαν ἐπισκοπῆς καθεστάναι. Ad quæ verba, ἔνθα B τοῦ Νοουάτου κρατύνειν τινες ἐπεχείρουν τὸ σχίσμα, Georgius Syncellus ad pag. 365 *Chronographiæ suæ* Fabium ipsum Antiochenum episcopum cum fautoribus istis Novatiani conjunxit. Et Eusebius quidem ineunte capite 44, ejusd. lib. de Fabio ὑποκατακλινομένῳ πῶς τῷ σχίσματι locutus fuerat; hæc ipsa tamen verba propensionem in Novatianum plane exiguam notant, non acre schismatis confirmandi studium. Certe mortuo jam Fabio de Novatianistarum his motibus Cornelium certiorem fecit Dionysius, neque constat concilium Antiochenum indictum fuisse Fabio vivo, etsi, quod minus etiam probabile est, asserit Valesius ad lib. VII, c. 5, *Eusebianæ Hist.*, Fabium congregato concilio Novatianam sententiam stabilire conatum fuisse; hoc enim ipsum concilium ad quod invitatus erat ab episcopis Dionysius contra Novatianizantes, ut verisimilius videtur, indictum est. Cæterum post verba in contextu ἵνα δὲ γνῶς, interpungendum foret, si ὅτι ac verba sequentia pendere illis εἰπεῖν βούλομαι dixeris. C

ROUTH.

Θαυμάσιος οὗτος. Novatianus scilicet, quem vago pronomine designare Cornelius pro more satis habet.

COUSTANT.

Μάξιμος πρεσβύτερος. De hoc Maximo presbytero, Urbano et Sidonio confessoribus, qualiter relicto Novatiano ad Ecclesiam catholicam reversi sint, vide Epistolam Cornelii Papæ ad Cyprianum. (Quæ supra posita est.) Fuit etiam eodem tempore alter Maximus presbyter Ecclesiæ Rom. quem Novatianus legatum in Africam misit ad Cyprianum una cum Machæo et aliis : sed Cyprianus eos a communione sua removit. Postea schismatici Maximum hunc episcopum in Africa fecere, ut docet Cyprianus in Epistola ad Cornelium. VALESIUS. De his confessoribus vide Cypriani Epistolas 27, 54, ed. Oxon. Pam. 23. 51 et Cornelii ad Cyprianum 49. ed. Oxon. Pam. 46. READING.

Κελερῖνος. Cum Cyprianus, quoties eorumdem confessorum mentionem facit, ubique Macarium Celerini hujus loco memoret, existimat Tillemontius eumdem confessorem duplici, Macarii scilicet ac Celerini, nomine donatum : simulque monet hunc alium esse a Celerino Carthaginensis ecclesiæ lectore, sæpius apud Cyprianum commendato. COUST.

Διενέγκας. Διανύσας ed. R. Steph. sed in codice Mediceo scribitur Διενέγκας apud Georgium Syncellum Διενεγκών. Sed Mazarinus codex adstipulatur Mediceo ; item Fuketianus et Savilianus. VALESIUS. Addidit *Christoph. Lectt.* Strothius. *codicem Norfolc.* ego.

Καὶ ψευδολογίας. Καὶ τὰς ψ. « Ms. Savil. *seu* Bodl. *et* Georgius Syncell. » qui hæc in *Chronographia* sua attulit. ROUTH.

Τὴν ἀκοινωνησίαν. Ita loqui videtur Cornelius propter peculiarem Novatiani opinionem, quam Eusebius lib. VI, c. 43. Μισαδελφὴν καὶ ἀνικθρωποτάτην, « a fra-

Digitized by Google

ἐπανῆλθον εἰς τὴν ἁγίαν ἐκκλησίαν, καὶ ἅπαντα αὐτοῦ τὰ τεχνάσματα καὶ πονηρεύματα ἃ ἐκ πολλοῦ ἔχων ἐν ἑαυτῷ ὑπεστέλλετο, παρόντων ἱκανῶν τοῦτο μὲν ἐπισκόπων · τοῦτο δὲ πρεσβυτέρων καὶ λαϊκῶν ἀνδρῶν παμπόλλων, ἐξήγγειλαν ἀποδυρόμενοι καὶ μεταγινώσκοντες ἐφ' οἷς πεισθέντες τῷ δολερῷ καὶ κακοήθει θηρίῳ, πρὸς ὀλίγον χρόνον τῆς ἐκκλησίας ἀπελείφθησαν. A

lupinam consuetudinem deprehendissent, ad sanctam Ecclesiam reverterunt : cunctasque illius præstigias et flagitia, quæ jam pridem intra se occultans reprimebat, præsentibus aliquot episcopis, ac presbyteris et laicis quam pluribus evulgarunt, ingemiscentes et dolentes, quod a fraudulenta et maligna illa bestia inducti, ad modicum tempus ab Ecclesia defecissent.

Εἶτα μετὰ βραχέα φησίν.

Β'. Ἀμήχανον ὅσην ἀγαπητὲ ἀδελφὲ, τροπὴν καὶ μεταβολὴν ἐν βραχεῖ καιρῷ ἐθεασάμεθα ἐπ' αὐτοῦ γεγενημένην · ὁ γάρ τοι λαμπρότατος, καὶ δι' ὅρκων φοβερῶν τινῶν πιστούμενος τὸ μὴ δ' ὅλως ἐπισκοπῆς ὀρέγεσθαι. αἰφνίδιον ἐπίσκοπος ὥσπερ ἐκ μαγγάνου τινὸς εἰς τὸ μέσον ῥιφθεὶς ἀναφαίνεται · οὗτος γάρ τοι ὁ δογματιστὴς, ὁ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἐπιστήμης ὑπερασπιστὴς ὁπηνίκα παρασπᾶσθαί τε καὶ ὑφαρπάζειν τὴν μὴ δοθεῖσαν αὐτῷ ἄνωθεν ἐπισκοπὴν ἐπειχείρει, δύο ἑαυτῷ κοινωνοὺς ἀπεγνωκότας τῆς ἑαυτῶν σωτηρίας ἐπελέξατο · ὡς ἂν εἰς βραχύ τι μέρος, καὶ ἐλάχιστον τῆς Ἰταλίας ἀποστείλῃ · κἀκεῖθεν ἐπισκόπους τρεῖς, ἀνθρώπους ἀγροίκους καὶ ἀπλουστάτους, πλαστῇ τινὶ ἐπιχειρήσει ἐξαπατήσῃ. διαβεβαιούμενος καὶ διϊσχυριζόμενος δεῖν αὐτοὺς ἐν τάχει παραγενέσθαι εἰς Ῥώμην, ὡς δῆθεν πᾶσα ἥ τις δή ποτε οὖν διχοστασία γεγονυῖα, σὺν καὶ ἑτέροις ἐπισκόποις καὶ αὐτῶν μεσιτευόντων, διαλυθῇ · οὓς παραγενομέ- B

II. *Deinde post pauca ait :* Vix credibile est, frater charissime, quantam in eo varietatem ac mutationem brevi temporis spatio factam conspexerimus. Nam egregius ille, qui tremendis quibusdam sacramentis fidem fecerat, sese episcopatum nequaquam concupiscere, repente episcopus tamquam ex machina aliqua in medium projectus apparet. Nempe ille dogmatum conditor atque ecclesiasticæ disciplinæ propugnator, cum episcopatum sibi a Deo minime concessum præter fas arrogare atque subripere conaretur, duos sibi socios deploratæ salutis delegit, quos in exiguam atque vilissimam Italiæ partem destinaret : ut inde accitos episcopos tres, homines plane rudes ac simplices, fraudulenta quadam molitione deciperet, affirmans atque constanter asseverans, ipsos quam primum Romam proficisci oportere, ut omnis undecumque orta discordia, ipsorum una cum

## VARIORUM NOTÆ.

terna charitate abhorrentem et inhumanissimam » vocat : quia videlicet hæreticus iste lapsis communionis ac pacis spem omnem adimebat. Eadem hæresis et apud Cyprianum in Tractatu ad Novatianum, et ab Hieronymo initio epistolæ ad Oceanum, « Caina hæresis » appellatur, licet diversa quadam ratione. Sic nempe nuncupatur a prædicti tractatus scriptore, quia « nonnisi tantum occidere gestit; » ab Hieronymo autem, quia Caino similis desperanti ac dicenti, « Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear, » peccatis nonnullis veniæ spem prorsus negat, adeoque « dicit aliqua esse peccata quæ Christus non possit purgare sanguine suo. » Coustant. C

Τοῦτο μὲν ἐπισκόπων, etc. Quinque adfuisse Epist. VI, n. 2. (epist. superioris) dicuntur. Mirum est tantum hic presbyteros memorari, ac taceri diaconos aliosve clericos, præsertim cum laici etiam adfuerint. In epistola quidem VI, n. 2, dicitur *presbyterium* hac occasione contractum. Sed hoc vocabulo cleri cœtus a potiori ejus parte designari solebat. Forte etiam eadem ratione hic presbyterorum nomine totus clerus significatur. Coustant. D

Β'. Ἀγαπητὲ ἀδελφέ. Mutavi, si quid hoc refert, verborum ordinem ex « mss. Bodl. et Norfolc. Georgioque Syncell. Mox καιρῷ a Georgio abest. » Routh.

Δι' ὅρκων φοβερῶν τινῶν. Διὰ τούτων ἀνδρῶν φοβερῶ. *Ms. Norfolc.* Sed lectionem sanam, quæ recepta est, vetus interpres *Rufinus* invenisse videtur. Routh.

Τὸ omittit edit. Steph. Stroth. Editioni Steph. Syncell. addas. Routh.

Ὥσπερ ἐκ μαγγάνου τινὸς. Hoc loco ἐκ μαγγάνου idem est quod ἀπὸ μηχανῆς, quæ proverbialis locutio frequens est apud Græcos. Nam μάγγανον idem est ac machina. Quod miror nec a Musculo, nec a Christophorsono animadversum fuisse. Valesius. Μαγκάνου cum κ exhibet *Ms. Savil.* seu *Bodl.* Routh.

Οὗτος γάρ τοι ὁ δογματιστής, etc. Christophorsonus hoc latine ita convertit : « Iste novæ sectæ inventor, et doctrinæ ecclesiasticæ, si Deo placet, propugnator; » Valesius vero, « Is qui se doctorem et ecclesiasticæ disciplinæ propugnatorem ferebat. » Vox δογματιστὴς et aliquid amplius quam « doctorem, » et nonnihil minus quam « novæ sectæ inventorem » sonat. Palam est Novatianum hic « ecclesiasticæ disciplinæ propugnatorem, » et num. 3. « Evangelii vindicem » ironice prædicari; quia nimirum ipse præclarum hunc titulum affectabat. Quocirca Cyprianus supra epist. I, n. 2, de illo ejusque asseclis scribit : « Si se assertores Evangelii Christi confiteantur, prius ad Ecclesiam revertantur. » Nominatimque Novatianus, uti Valesius observat, suum de Cibis Judaicis librum « plebi in Evangelio persistenti » inscripsit. En quos imitantur ætatis nostræ novatores, qui cum ab avita fide discesserint, sese puri Evangelii vindices jactitare non verentur. Coustant. Sed similis est allocutio præmissa libro inter Pseudo-Cyprianicos *de Spectaculis*, quæ sic habet, « Plebi in Evangelio stanti, » nimirum, non lapsæ, « salutem. » Cæterum si Novatianus optimum illum libellum *de Trinitate*, sive *de Regula Fidei*, iis temporibus conscripsisset, quando hæc posuit Cornelius, haud utique malus ille exstitit δογματιστὴς seu *theologus*. Routh.

Τὴν μὴ δοθεῖσαν αὐτῷ ἄνωθεν ἐπισκοπήν. Confer not. supra ad Epist. II Cornelii ad Cyprianum. Divinitus, hoc est legitime, ordinatus est Cornelius, qui consentiente plebe a sexdecim episcopis episcopus factus est, narrante Cypriano in Epist. ad Antonianum. Routh.

Ὡς ἂν. Οὓς ἂν. « Gruteri *et* episcopi Castellani codicis Lectt. » (sed sine ἂν.) Stroth. Sed ὡς ἂν retinendum est propter ἐξαπατήσῃ, quod sequitur. Mox εἰς τὴν Ῥώμην pro εἰς Ῥώμην *MS. Norfolc.* Routh.

Ἤ τις δή ποτε οὖν. Ἠτισδηποτοῦν unico vocabulo *ed. Steph.* Stroth. Habet *Syncell.* ὡς δή τις πᾶσα pro ὡς δῆθεν πᾶσα ἥτις δήποτε οὖν. Routh.

Οὓς παραγενομένους. Theodoretus in libro III Hæreticarum Fabul., cap. 5, scribit Novatianum ipsum in Italiam profectum esse, ut episcopos illos Romam

Digitized by Google

κους ἅτε δὴ (ὡς ἔφθημεν λέγοντες) ἀνθρώπους ἁπλουστέρους περὶ τὰς τῶν πονηρῶν μηχανάς τε καὶ ῥαδιουργίαν, συγκλεισθέντας ὑπό τινων ὁμοίων αὐτῷ τεταγμένων ἀνθρώπων, ὥρᾳ δεκάτῃ μεθύοντας καὶ κραιπαλῶντας, μετά βίας ἠνάγκασεν εἰκονικῇ τινὶ καὶ ματαίᾳ χειριθεσίᾳ ἐπισκοπὴν αὐτῷ δοῦναι· ἣν ἐνέδρα καὶ πανουργία, μὴ ἐπιβάλλουσαν αὐτῷ ἐκδικεῖ· ἐξ ὧν εἷς μετ' οὐ πολὺ ἐπανῆλθεν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, ἀποδυρόμενος καὶ ἐξομολογούμενος τὸ ἑαυτοῦ ἁμάρτημα· ᾧ καὶ ἐκοινωνήσαμεν ὡς

A aliis episcopis interventu sedaretur. Qui cum advenissent, homines, ut jam diximus, simplicioris ingenii, nec in his perditorum artibus ac fallaciis satis triti, eos ille a quibusdam sui similibus, quos ad id comparaverat, inclusos, hora decima temulentos et crapula oppressos, imaginaria quadam et vana manuum impositione episcopatum sibi tradere per vim cogit : eumque, cum nullo sibi competat jure, per insidias atque fraudem vindicat. Nec multo post

## VARIORUM NOTÆ.

adduceret : deinde cum in vicum quemdam una cum tribus illis episcopis pervenisset, coegisse eos ut sibi manum imponerent : idque illos conquestos esse cum Romam venissent. Sed hanc narrationem refellit Cornelii epistola. VALES.

Ὡς ἔφθημεν. Ὡς ἔφημεν *ed. Steph.* Recepta lectio exstat in Christoph. Lectt. et ed. Valesii. STROTH. B Addas his *Ms. Bodl.* et *Syncell.* Habet προέφημεν *ms. Norfolc.* Mox τούτων πονηρῶν pro τῶν π. *idem mss.* ROUTH.

Ῥαδιουργίαν. Ῥαδιουργίας *ed. Steph.* STROTH. Adde *Syncell.* apud quem et *Ms. Norfolc.* statim post habes τεταραγμένων pro τεταγμένων et αὐτοῦ dat. *Syncell.* pro αὐτῷ.

Μεθύοντας καὶ κραιπαλῶντας. Hoc quasi ἓν διὰ δυοῖν cum altera locutione ὥρᾳ δεκάτῃ intelligendum est. Neque enim temere credendum est eos revera temulentos fuisse. Omnes enim ecclesiastici actus ante meridiem fieri debebant; pomeridiano tempore facile fieri potest, ut quis nimio vino usus officium suum non rite agat. Hostis a posse ad fieri concludere sibi permittit; hinc Cornelius idem quod jam dixerat ὥρᾳ δεκάτῃ, ὑπερβολικῶς repetit, addens μεθύοντας καὶ κραιπαλῶντας. STROTH. Probabiliter hæc ille; at μεθύοντας *ebrios* hic significare haud putem, homines C vero « vino usos solito liberius. » Quemadmodum in *Genes.* XLIII, 34, et *Joan.* II, 10, vocabulum μεθύειν potum paulo hilariorem significat; quod non solum ortum esse ex Hebraica verum etiam Græca loquendi consuetudine doctissimi viri ad locos ostendunt. ROUTH.

Εἰκονικῇ τινὶ καὶ ματαίᾳ χειριθεσίᾳ. Adumbratam et cassam illam Novatiani ordinationem vocat Cornelius, quod facta esset ab alterius provinciæ episcopis, non ab iis qui consecrandi Pontificis Romani jus habebant, cujusmodi erant Ostienses, Tiburtinus et alii : quod a temulentis facta; quod per vim; quod hora diei decima; quod non præsente populo nec clero; quod denique alio jam episcopo legitime ordinato. Porro cum Cornelius ipse tum hic tum in Epistola ad Cyprianum testetur, Novatianum a tribus episcopis consecratum fuisse, miror quod scribit Pacianus in Epistola 2 ad Sympronianum. « An Novatianus, quem absentem epistola episcopum finxit? quem conse- D crante nullo linteata sedes accepit. » Et paulo post de eodem ita loquitur, « sine consecratione legitima episcopum factum, ideoque nec factum, per epistolam eorum qui se confessores esse simularent. » Ex quibus Paciani verbis colligi videtur, Novatianum absentem fuisse ordinatum episcopum per epistolam quorumdam confessorum, eodem modo quo magistratus a principe mandari solebant per epistolam. Linteatam vero sedem appellat Pacianus pontificalem cathedram, eo quod linteis sterneretur. Quod etiam testatur Augustinus Epist. 203 : « In futuro Dei judicio, nec absides gradatæ, nec cathedræ velatæ. » Idem testatur epistola synodica episcoporum Ægypti quam refert Athanasius in Apologia πῶς δὲ οἱ τὸν θρόνον τὸν ἐστολισμένον ἐπισκοπικῶς ὀδυρόμενοι, etc. Cæterum Pacianus ita cum Cornelio conciliari potest, si dicamus Novatianum, primo quidem a confessoribus in carcere positis episcopum per epistolam designatum fuisse ; postea vero a tribus illis episcopis ordinatum. VALESIUS. — Εἰκονικῇ τινί, hoc est, quæ impositionis manuum quamdam potius imaginem præ se ferret, quam veritatem. Quapropter minus mirum est Pacianum hujusmodi ordinationem irritam et nullam censuisse, ac de ea sic epist. 2 scripsisse : « Novatianum absentem epistola episcopum finxit, » seu fecit : quia nimirum Confessorum epistola ad Novatianum absentem scripta, qua ei manus quasi in episcopum imponi consentiebant, ut episcopus fieret occasionem et auctoritatem præbuit. Perget Pacianus : « Eum consecrante nullo linteata (*id est episcopalis*) sedes accepit. Cur *consecrante nullo*, subinde explicat idipsum repetens bis verbis : « Novatianum cognosco SINE CONSECRATIONE LEGITIMA episcopum factum per epistolam eorum, qui se confessores esse simularent. » Ideo igitur *nullo consecrante* in episcopali sede collocatum dixit, quia eum « sine consecratione legitima episcopum factum, » nonnisi de imaginaria et vana ac prorsus nulla consecratione gloriari posse persuasum haberet. Ipsi certe Confessores, teste Cornelio epist. VI, n. 1, eo se abductos fatebantur, « ut paterentur ei manus quasi in episcopum imponi. » Neque Cyprianus epist. 44 seu 46 suum eis dolorem dissimulat, quod illos « alium (a Cornelio) episcopum fieri consensisse » comperisset. Hoc autem, quod Cornelius ac Cyprianus tacuerant, Pacianus nos docet, eos scilicet hunc assensum per epistolam significasse. Sane violentam hujusmodi ordinationem ab episcopis vino et crapula oppressis intempestiva hora factam, præsentibus piis confessoribus horrori non fuisse valde stupendum esset. Inde et illud sequitur, ut hac illustrium Confessorum epistola ad seducendos episcopos simplices abusus sit Novatianus, ne ab imponendis ipsi manibus abhorrerent. Cur vero de iis, quos pro fide carcerem passos esse Cornelii, Cypriani aliorumque testimoniis constat, Pacianus quod « se confessores esse simularent, » dixit ? Quia nimirum hanc confessionis gloriam ab Ecclesia discedendo obscurarant ac perdiderant, non secus atque homo in pluribus justitiæ exercitatus operibus, peccato admisso, justi titulum ac laudem amittit. COUSTANT.

ὯΙ καὶ ἐκοινωνήσαμεν ὡς λαϊκῷ. Optime Rufinus vertit hunc locum, « et in communionem laicam populo etiam pro hoc interveniente susceptus est » Quibus verbis innuit Cornelius, episcopum illum qui Novatianum cum aliis duobus collegis ordinaverat, a se depositum esse, et in laicorum ordinem redactum. Cum enim excommunicare illum vellet, utpote nefarii schismatis auctorem, a populo rogatus idem Cornelius, laicam ei communionem induisit, id est ut inter laicos communicaret, permisit. Reliqui vero episcopi qui Novatianum ordinaverant non solum depositi, verum etiam a communione totius Ecclesiæ separati sunt. Ita Cyprianus in Epistola ad Antonianum de Trophimo loquens episcopo, qui cum schisma fecisset in Ecclesia Romana, postea confessus errorem, et turbam fratrum quos abduxerat secum in Ecclesiam reducens, a Cornelio susceptus est. « Sic tamen, *inquit*, admissus est Trophimus, ut laicus communicet, non quasi locum sacerdotis usurpet. » Hunc Trophimum, illum ipsum esse existimo de quo in hac epi-

Digitized by Google

λαϊκῷ, ὑπὲρ αὐτοῦ δεηθέντος παντὸς τοῦ παρόντος λαοῦ. Καὶ τῶν λοιπῶν δὲ ἐπισκόπων διαδόχους εἰς τοὺς τόπους ἐν οἷς ἦσαν χειροτονήσαντες, ἀπεστάλκαμεν.

unus ex illis episcopis ad Ecclesiam rediit, cum lamentis et fletibus peccatum suum confitens. Quem nos, cum universus populus præsens deprecatus esset, ad communionem laicam suscepimus. Reliquis etiam (duobus) episcopis successores ordinavimus, eosque in loca illorum misimus.

Γ'. Ὁ ἐκδικητὴς οὖν τοῦ εὐαγγελίου, οὐκ ἠπίστατο ἕνα ἐπίσκοπον δεῖν εἶναι ἐν καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ· ἐν ᾗ οὐκ ἠγνόει· πῶς γάρ; πρεσβυτέρους εἶναι τεσσαράκοντα ἓξ·

III. Ille ergo Evangelii vindex ignorabat unum episcopum esse oportere in Ecclesia catholica? in qua non ei latebat (quomodo enim latere posset?)

## VARIORUM NOTÆ.

stola loquitur Cornelius, unum ex iis qui Novatianum ordinaverant. Nam Cyprianus illum sacerdotem, id est episcopum vocat; et fraternitatem prius ab Ecclesia abstraxisse testatur; deinde reversum cum humilitate veniam petiisse, et a Cornelio ad laicam communionem susceptum. Porro alter ex episcopis qui Novatianum ordinarunt, Evaristus fuisse videtur, ut colligo ex epistola Cornelii Papæ, quæ inter Cypriani Epistolas 48 habetur. In actis supposititiis martyrii Novatiani quæ citantur ab Eulogio in lib. VI Novatianus episcopus Romæ factus esse dicitur a duobus episcopis, Marcello Aquileiensi et Agamemnone Trevirensi. Cæterum in codice Maz. Med. Fuk. et Savilii legitur ἐκοινωνήσαμεν ὡς λαϊκῷ: quam scripturam amplexus est Christophorsonus. (Ab ed. R. Steph. particula ὡς aberat) VALESIUS. Episcopum illum existimat Valesius Trophimum, de quo Cyprianus in Epistola 10 sequente ad Antonianum plura scribit. Sed quæ ibi de hoc Trophimo Cyprianus eloquitur, ægerrime cum iis componantur, quæ nunc Cornelius de Novatiani ordinatore narrat. Quippe cum Antonianus, mendacibus Novatiani litteris commotus, a Cypriano scribi sibi petiisset, « Cornelius qua ratione Trophimo et thurificatis communicet »: rescribit is præsul n. 9, Cornelium « nulla libelli, ut quidam jactitant, labe maculatum esse; sed neque cum episcopis, qui sacrificaverunt, communicationem sacrilegam miscuisse. » Tum num. 19 subjicit, « Nam et de Trophimo, de quo tibi scribi desiderasti, non ita res est, ut ad te pertulit rumor et mendacium malignorum. » Tractatu illic cum collegis plurimis habito susceptus est Trophimus, pro quo satisfaciebat fratrum reditus et restituta multorum salus. Sic tamen susceptus est Trophimus, ut laicus communicet, non secundum quod ad te malignorum litteræ pertulerunt, quasi locum sacerdotii usurpet. » Hæc autem aliaque Cypriani de Trophimi receptione verba qui expenderint, deprehendent 1° Trophimum sacrificantium labe fuisse aspersum; 2° eum ad Ecclesiam rediisse cum maximo fratrum numero, « qui omnes regressuri ad Ecclesiam non essent, nisi cum Trophimo; » 3° eum a Cornelio susceptum esse tractatu ante habito non cum plebe sua, quemadmodum in ordinatoris Novatiani receptione actum est, sed *cum collegis plurimis*, hoc est in frequenti episcoporum concilio; indeque mendaciter divulgatum esse, Cornelium cum sacrificantibus communicare, et Trophimo hujus criminis reo pristinum sacerdotii locum reddidisse. Si etiam excutiamus qui fuerint illi *maligni*, quorum *litteris* et *rumoribus* hæc mendacia sata sunt, non alii forsitan invenientur a Novatiano, cujus litteris commotus Antonianus Cyprianum de hujusmodi mendaciis interrogavit. Horum certe vel Novatianus, vel socii ejus satores fuerunt. Nemo autem id Novatiano ejusve asseclis displicuisse et crimini versum esse sibi persuaserit, quod ordinator ipsius ab illo susceptus atque communione donatus esset. COUSTANT. perinde atque *ed. Steph.* omittunt *mss. Norfolc.* et *Syncell.* ROUTH.

Ἐκοινωνήσαμεν ὡς λαϊκῷ. Mos olim fuit, ut laici post Eucharistiam ab episcopo acceptam, ei osculum darent. Hieronymus in Epistola 62 adversus Joannem Hierosolymitanum. « Quisquam ne tibi invitus communicat? Quisquam ne extenta manu vertit faciem, et inter sacras epulas Judæ osculum porrigit. » Paulus diaconus de Vitis PP. Emeritensium cap. 7 de Fideli episcopo loquens. « Vade, *inquit*, communica, et da nobis osculum. Vale fac omnibus, quia iturus es tamen, et domui tuæ sub omni festinatione dispone; et si desideras remedium pœnitentiæ percipe. Qui mox accepta pœnitentia, dispositaque domo sua, valefaciens cunctis, sequenti nocte migravit e corpore. VALESIUS.

Παντὸς τοῦ παρόντος λαοῦ. Abest παρόντος ab ed. R. Steph. In codice Maz. Med. Fuk. et Sav. nec non apud Syncellum legitur πάντος τοῦ παρόντος λαοῦ. VALESIUS. Addit Strothius ex marg. ed. Genev. *Lectt. Gruteri*, quibus adjungo *ms. Norfolc.* ROUTH.

Καὶ τῶν λοιπῶν δέ, etc. Evaristum, in cujus locum Zetus episcopus constitutus fuisse in superiore Epistola 5 dicitur, ex his duobus episcopis unum exstitisse Valesius probabiliore conjectura putat. Hinc quippe facile intelligitur, quo pacto « Evaristum auctorem schismatis fuisse » Cornelius in laudata epistola scribat. Ita autem duobus illis episcopis successores ordinatos esse hic memoratur, ut et quodam modo innuatur loco ejus, qui ad communionem laicam susceptus est, neminem esse suffectum. Sed ex quo episcopus ad communionem laicam dejectus prædicatur, sedem illius vacare, eique prospiciendum esse satis intelligitur. COUSTANT. Τῶν δὲ λοιπῶν *Syncell.*

Γ'. Ὁ ἐκδικητὴς οὖν τοῦ Εὐαγγελίου. Hæc ironice dicuntur de Novatiano, qui se assertorem evangelii Christi esse jactabat, ut docet Cyprianus in Epistola prima ad Cornelium. Exstat hodie liber Novatiani de cibis judaicis, quem ille sic inscripsit, « plebi in Evangelio persistenti, » VALESIUS. Abest οὖν a ms. Norfolc. ὁ δὲ ἐκδικητὴς οὖν τ. Ε *Syncell.* ROUTH.

Ἕνα ἐπίσκοπον δεῖν εἶναι ἐν καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ. Eadem verba leguntur in Epistola Cornelii Papæ ad Cyprianum, ubi confessores relicto Novatiano ad Ecclesiam redeuntes, his verbis usi esse dicuntur. « Nec enim ignoramus unum Deum esse; unum Christum esse Dominum, quem confessi simus; unum Spiritum sanctum: unum episcopum in catholica Ecclesia esse debere. » Ubi Ecclesia catholica specialiter appellatur Romana, eo quod radix sit et matrix Ecclesiæ catholicæ; ut ait Cyprianus in Epistola ad Cornelium. Sic catholicam Ecclesiam idem Cyprianus in epistola ad Antonianum initio vocat Romanam, « ut jam sciret te secum, hoc est, cum catholica Ecclesia communicare. » VALESIUS. Ita probata ac pervulgata erat hæc regula, ut confessores ad Ecclesiam redeuntes in superiori Epistola VI. n. 2, illam tamquam rem omnibus notam, et quam nulli ignorare liceat, profiteantur. Sic et Cyprianus in sequente Epistola ad Antonianum n. 7, ubi Cornelium legitime ordinatum esse multis probavit, addit demum: « Cum post primum secundus esse non possit, quisquis post unum qui solus esse debeat factus est, non jam secundus ille, sed nullus est. COUSTANT.

Πρεσβυτέρους εἶναι μξ. Ex hoc loco colligi potest, quot basilicas tunc Romæ habuerint Christiani. Cum enim singuli presbyteri suas regerent basilicas, si 46 fuerunt presbyteri, totidem basilicas fuisse dicendum est. Certe Optatus in lib. II Romæ 40 et

Digitized by Google

διακόνους ἑπτά· ὑποδιακόνους ἑπτά, ἀκολούθους δύο καὶ τεσσαράκοντα· ἐξορκιστὰς δὲ καὶ ἀναγνώστας ἅμα πυλωροῖς δύο καὶ πεντήκοντα· χήρας σὺν θλιβομένοις, ὑπὲρ τὰς χιλίας πεντακοσίας· οὓς πάντας ἡ τοῦ Δεσπότου

A presbyteros esse quadraginta sex, diaconos septem, subdiaconos septem, acolythos duos et quadraginta, exorcistas autem et lectores cum ostiariis quinquaginta duos, viduas cum thlibomenis plus mille quin-

## VARIORUM NOTÆ.

amplius fuisse testatur basilicas sub tempora persecutionis Diocletiani. « Non enim, *inquit*, grex aut populus appellandi fuerant pauci, qui inter 40 et quod excurrit basilicas, locum ubi colligerent non habebant. » Ubi Optatus loquitur de basilicis, quæ Romæ erant tempore persecutionis Diocletiani, id est, annis circiter quinquaginta post epistolam Cornelii Papæ; non autem de basilicis quæ Romæ erant sua ætate, id est anno Christi 378, ut scripsit Blondellus in Apologia pro Hieronymo pag. 223. Vide Baronium ad annum Christi 57, quem frustra refellere conatur Blondellus in libro supra memorato. Valesius. Ex presbyterorum atque pauperum numero, qui hic memoratur, collegit sibi Gilbertus Burnetius, Salisburiensis episcopus, defendente Moylio, *Opp.* vol. II, pag. 152, haud plures quinquaginta mille Christianorum id temporis Romæ fuisse. Cæterum notat Coustantius, irrepsisse in latinam Valesii interpretationem *quatuor* et quadraginta ex mera oscitantia, monetque Strothius habere *Castellani exemplaris Lectt.* τεσς. μζ. Scriptum autem habetur apud *Syncell.* δύο, Sed consentit nostris Eusebii codicibus vetus interpres *Rufinus.* Routh. — Diu post hæc tempora numerum septem diaconorum ex imitatione antiqui Hierosolymitani usus in ecclesiis multis, præsertim Romana, retentum atque observatum fuisse, ostendit cl. Binghamus, *Antiquit. Eccles.* lib. II, cap. 20, §§ 19. Confer Moshemii *de Rebus Christianorum ante Constantin. M.* Sæc. I, § XXXVII, pag. 121. Vanslebiique *Hist. de l'Eglise d'Alexandr.* p. I, cap. 15. Ita in fine ipso sæculi quinti Symmachum constitutum fuisse Romæ episcopum invenio, ὡς ἕνα τῶν ἑπτὰ διακόνων ὄντα, narrante Photio in *Erotematibus* suis a Fr. Fontanio Florentiæ anno 1785 primum editis, Erot. VI., pag. 44. — In latinam Valesii interpretationem quatuor et quadraginta mera oscitantia irrepsisse certo argumento est ista illius in hæc verba annotatio: « Ex hoc loco colligi potest, quot basilicas tunc Romæ habuerint Christiani. Cum enim singuli presbyteri suas regerent basilicas, si 46 fuerint presbyteri, totidem basilicas fuisse dicendum est. » In hunc locum gravius peccat Blondellus, cum eum ita perstringit, ut nullam subdiaconorum faciat mentionem, exindeque confici putet nullos tum Romæ subdiaconos fuisse institutos. Sed lectionis illius falsitatem cum græcus Eusebii textus, tum latina Rufini interpretatio demonstrant. Tradit et Optatus lib. 2, quadraginta et amplius basilicas Romæ exstitisse, quando illuc Victor Gabiensis proxime post exortum Donatistarum schisma ab his schismaticis missus est. Hi quippe, inquit Optatus, « ibi inter 40 et quod excurrit basilicas, locum ubi colligerent non habebant. » Quem locum, dum Blondellus Apolog. pag. 223 de ipsius Optati ætate interpretatur, ab eo male intellectum esse Valesius recte notat. Coustant. — Cum omnes, quod sciam, lectionem receptam præstent, miror unde ortus sit Blondelli error, quem Pearsonius ante Coustantium reprehenderat, in *Annal Cyprian.* ad an. 252, § 111. Mox δὲ abest a ms. *Norfolc.* et δυσὶ pro δύο post πυλωροῖς habet *Syncell.*

Χήρας σὺν θλιβομένοις. Occurrit hæc vox in epistola cleri Romani ad clerum Carthaginiensem de secessu Cypriani. « Sive viduæ, sive thlibomeni qui se exhibere non possunt, sive hi qui in carceribus sunt, sive exclusi a sedibus suis, utique habere debent qui eis ministrent. » Male vulgo editum est *clydomeni*, pejusque ab aliis emendatum *clinomeni*. Scribendum enim procul dubio est thlibomeni, id est, *indigentes* ut vertit Rufinus, vel ii qui se exhibere non possunt, ut explicat clerus Romanus. Cyprianus in Epist. IV vocat pauperes et indigentes qui laborant. Possidius vero vocat, *in tribulatione positos.* Sic enim scribit in vita B. August. cap. 27. « In visitationibus vero modum ab Apostolo definitum tenebat, ut nonnisi pupillos et viduas, et in tribulationibus constitutos visitaret. » Sic enim legitur in manuscripto codice sanctæ Mariæ de regali monte. Joannes Chrysostomus in Homilia 67 in Matthæum, ait ecclesiam Antiochenam sua ætate, tametsi mediocres reditus possideret, plusquam tria millia viduarum et virginum aluisse quotidie, præter hospites, leprosos et vinctos: præter clericos, quibus vestem ac cibaria suppeditabat. Valesius. In loco Epist. Cleri Romani, qui intelligendi sint *thlibomeni*, statim explicatur adjunctis verbis « qui se exhibere non possunt, » hoc est qui sustentare se ac victui necessaria suppeditare sibi non valent, ut patet ex his Cypriani lib. Testimon. n. 61. « Habentes itaque *Exhibitionem* et tegumentum, his contenti simus. » Eodem exhibitionis verbo eodem intellectu utitur et Tertullianus lib. de Idolol. c. 5 et 8, ubi artifices qui idola confingere non desinebant arguens, solitam eorum vocem, « Non habeo aliud quo vivam, » sibi objicit, ac deinde sic refellit: « Si ita exhibitionis necessitas obtenditur, habent et alias species, quæ sine exorbitatione disciplinæ, id est sine idoli confictura, opem victus præstent. Hoc est igitur *exhibere*, quod *opem victus præstare.* Adeoque non male Rufinus pro *thlibomenis* substituit *indigentibus.* Coustant. Ad lectionem vero quod attinet *thlibomeni* in epistola Cyprianica positam, præstat *clinomeni* Benedictina editio. Ubi ait Baluzius, bene quidem emendari θλιβόμενοι, transferendum tamen id non fuisse in contextum sine majori auctoritate, nam reliquas lectiones posse etiam esse bonas. Præterea nos monet idem ille Baluzius, emendationem istam, quam Anglici editores videntur accepisse ex Valesio ad Eusebium, neque Valesii esse neque Anglorum, sed Francisci Bosqueti, qui eam primum protulit libro primo *Historiarum Ecclesiæ Gallicanæ.* Cæterum notat ad Eusebium Strothius θλιβομένους pro θλιβομένοις perperam exhibere *Gruteri* et *Castellani codicis Lectt.* Habet *Georgius Syncell.* συνθλιβομένας pro σὺν θλιβομένοις. Routh.

Οὓς πάντας. Verterat Christophors. « Nemo in tanta ministrorum multitudine... nemo ex tanto egentium numero Dei providentia locupletato... nemo denique ex maxima illa et innumerabili frequentia. » Qua in interpretatione istud non placet, quod præter Græci textus fidem sic ministros Ecclesiæ ab egenis distinxit, quasi non illi perinde atque hi divinæ providentiæ divitiis sustentarentur. Certe Rufinus hunc locum aliter intellexit, siquidem de presbyteris, diaconis ceterisque clericis non secus atque de viduis et indigentibus dicit, « Quos omnes Deus alit in Ecclesia sua. » Subinde ecclesiarum proventus sic distributi sunt in quatuor partes, ut una pars episcopo, altera clericis cæteris, tertia egenis, quarta fabricis cederet. Verum antea etiamsi par non erat eorum divisio, in alios tamen usus nequaquam impendebantur. Coustant. Quod ad vocem χάρις attinet, quæ statim sequitur, imitatus auctor est S. Paulum, qui eam alibi tum in « priori epistola ad Corinthios » eam pro beneficentia et eleemosyna frequenter dixit.

Routh.

Digitized by Google

χάρις καὶ φιλανθρωπία διατρέφει. ὃν οὐδὲ τοσοῦτο πλῆθος καὶ οὕτως ἀναγκαῖον ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, διὰ τῆς τοῦ Θεοῦ προνοίας πλούσιός τε καὶ πληθύων ἀριθμὸς μετὰ μεγίστου καὶ ἀναριθμήτου λαοῦ, ἀπὸ τῆς τοιαύτης ἀπογνώσεώς τε καὶ ἀπαγορεύσεως ἐνέτρεψε καὶ ἀνεκαλέσατο εἰς τὴν Ἐκκλησίαν.

A gentas. Quibus universis Domini gratia et benignitas alimenta suppeditat. Neque tamen tanta tamque necessaria in Ecclesia multitudo, tam ingens numerus divinæ providentiæ copiis opulentus et abundans, cum immenso atque innumerabili populo, ab hujus modi desperatione et audacia eum deterruit, et ad Ecclesiam revocavit.

Καὶ αὖθις, μεθ' ἕτερα, τούτοις προστίθησι ταῦτα.

Δ'. Φέρε δὴ ἐξῆς εἴπωμεν, τίσιν ἔργοις ἢ τίσι πολιτείαις τεθαρρήκως, ἀντεποιήθη τῆς ἐπισκοπῆς· ἆρα γε διὰ τὸ ἐξ ἀρχῆς ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ἀνεστράφθαι, καὶ πολλοὺς ἀγῶνας ὑπὲρ αὐτῆς ἀγωνίσασθαι, καὶ ἐν κινδύνοις πολλοῖς τε καὶ μεγάλοις ἕνεκα τῆς θεοσεβείας γεγονέναι; ἀλλ' οὐκ ἔστιν· ᾧ γε ἀφορμὴ τοῦ πιστεῦσαι γέγονεν ὁ Σατανᾶς, φοιτήσας εἰς αὐτὸν καὶ οἰκήσας ἐν αὐτῷ χρόνον ἱκανόν.

4. *Rursum et aliis interjectis hæc addit.* Agedum, exponamus deinceps, quibus operibus quibusve vitæ institutis episcopatum ambire ausus sit. Num propterea quod ab initio vitam in Ecclesia exegerit, et multa pro ipsa certamina subierit, atque in multis magnisque periculis religionis causa fuerit? Minime vero: quippe cui fidei suscipiendæ occasio fuit Satanas in illum ingressus, ac diu in ipso commemora-

## VARIORUM NOTÆ.

Ἐνέτρεψε. Apud Georgium Syncellum legitur ἐπέστρεψε, minus recte. Codex Fuc. habet ἀνέτρεψε. VALES.

Δ'. Διὰ τὸ ἐξ ἀρχῆς ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ, etc. Illud *in Ecclesia* perinde est atque in Ecclesiæ ministerio. Nec aliud sonare mihi videtur *ab initio*, atque ab ineunte ætate et ab infantia. Et ea quidem tum forte obtinebat disciplina, qua ii qui in clerum adsciscendi erant, *se*, ut loquitur Siricius Epist. 1, n. 13. « Ecclesiæ vovere obsequiis ab infantia sua, » vel ut idipsum Zosimus Epist. IX, n. 5, enuntiat, « ab infantia ecclesiasticis ministeriis nomen dare, » et ita per omnes cleri gradus episcopatum promereri solebant. Quocirca Cyprianus in Epistola sequenti n. 7, etiamsi Cornelium ecclesiasticis ministeriis *ab initio* seu ab infantia nomen dedisse non aperte dicat; hinc tamen eum commendat, quod « non ad episcopatum subito pervenit, sed per omnia ecclesiastica officia promotus, et in divinis administrationibus Deum promeritus, ad sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit. » Hic igitur quæritur, an similibus meritis ornatus sit Novatianus; et ea illi defuisse demonstratur. COUSTANT. Si ex ethnicis parentibus ortum habuerit Novatianus, quod quidem ex Cornelii verbis, ἀφορμὴ τοῦ πιστεῦσαι γέγονεν, magis colligendum videtur, illud, « ab initio in Ecclesia versari, » de educatione cujusvis a teneris usque in Ecclesiæ communione interpretari malim. Et, quamquam contraria, ut videbis, de voce πιστεῦσαι annotaverit statim post Coustantius, verbi tamen simplicior atque usitatior sensus mihi quidem magis arridet, ut ex auxilio ab exorcistis sibi dato occasionem fidei amplectendæ sumpsisse Novatianus statuatur. ROUTH.

Ὑπὲρ αὐτῆς ἀγωνίσασθαι. Περὶ αὐτῆς, ms. *Norfolc.* ἠγωνίσθαι, ms. *Bodl.* et ἠγωνίσαι, mendose, *Syncell.*, qui et paulo ante ἀνεστραφῆναι pro ἀνεστράφθαι habet, ubi ἀνατετράφθαι ed. *Genevensis Margo.* ROUTH.

Ἀφορμὴ τοῦ πιστεῦσαι. *Fidei suscipiendæ.* Ejus scilicet fidei, quæ suscipientem deinceps *fidelem* denominet. Hæc autem appellatio, si Jerosolymitanæ ecclesiæ, ac forte paucarum aliarum morem excipias, olim solis baptismo initiatis impertiebatur. Qui enim antea catechumeni, electi, competentes nuncupabantur, tum primum *fideles*, cum tincti fuerant, nuncupari solebant. Hinc in concilio Eliberitano *catechumenus*, immo et *Christianus*, a *fideli* distinguitur. In eo quippe, ut ex Can. 45 et 59 apparet, cum catechumeno simul et tincto commune est *Christiani* nomen; sed appellatio *fidelis* soli tincto competit. Cyrillus vero Jeros. licet hoc *fidelis* nomen etiam electis tribuat, quia videlicet hi jam baptismi solemniis initiari incipiebant, illud tamen pariter a catechumeni vocabulo sedulo distinguit. Unde Catech. 1. n. 4. ait, « Antea catechumenus eras, nunc fidelis vocabere. » et Catech. v. n. 1. « Quantum vobis dignitatem conferat Dominus, ab ordine catechumenorum ad ordinem fidelium vos transferens. » Quocirca non probatur interpretatio Valesii, locum hunc sic Latine reddentis, « Cui causam atque initium credendi præbuit Satanas, nisi post verbum *credendi* subaudiatur, ea fide quæ credentem fidelem denominet. Forsitan enim Novatianus jam tum inter catechumenos, adeoque non sine credendi initio, constitutus erat. Cornelius certe verbo τοῦ πιστεῦσαι baptismum intellexit: sed τοῦ βαπτισθῆναι consulto vitasse videtur, quia Novatianus per περίχυσιν hoc est per aspersionem seu perfusionem (utraque enim vox Cypriano in Epistola LXXVI, ad Magnum synonyma est), hoc sacramentum susceperat. COUSTANT. Nicephorus vero verba ita παραφράζει, lib. VI, cap. 3: ᾧ καὶ τὸ εἰς Χριστὸν πιστεῦσαι πρόφασις ὁ Σατανᾶς ἦν ἐνσκηνώσας αὐτῷ. Atque opponi videtur hæc sera et quasi coacta fides τῷ ἐξ ἀρχῆς ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ἀνεστράφθαι. ROUTH.

Christophorsonus hæc latine ita reddidit: « Qui quidem ubi exorcistarum præsidio, spiritu illo malo esset liberatus, et post in tam gravem morbum..... incidisset. » Sed si Novatianus ante hunc morbum a spiritu malo fuisset liberatus, nequaquam dicendus esset satanas ei baptismi suscipiendi causam præbuisse. Eadem Cornelii verba sic Rufinus perstringit: « Addit autem etiam hoc, quid idem ipse Novatus (*leg.* Novatianus) in juventute spiritu immundo vexatus sit; et cum tempus aliquod consumpsisset apud exorcistas, ægritudinem incurrerit gravem ita ut desperaretur. » Unde confirmatur quod superius conjectabamus, Novatiano scilicet, prius quam baptismum susciperet, aliquod saltem fidei initium non defuisse. Quid enim apud exorcistas ageret omni fide destitutus? Id ei forte contigit, quod Cyprianus ætate sua erga homines illi similes agi et contingere solere epist. LXXVI *ad Magnum* testatur, « ut per exorcistas voce humana et potestate divina flagelletur et uratur et torqueatur diabolus, et cum exire se et homines Dei dimittere sæpe dicat, in eo quod dixerit fallat; » ideoque vult ille præsul, « ut si aliquis in illo movetur, quod quidam de iis, qui ægri baptizantur, spiritibus adhuc immundis testantur; sciat diaboli nequitiam pertinacem usque ad aquam salutarem valere, in baptismo vero omne nequitiæ suæ virus amittere. » Moxque addit: « Hoc denique rebus ipsis experimur, ut necessitate urgente in ægritudine baptizati, et gratiam consecuti, careant immundo spiritu, quo antea movebantur. » Unde perspicuum est iis etiam, qui a spiritibus immundis vexabantur, baptismum fuisse collatum, nec opus fuisse ut ab iis prius libera-



Digitized by Google

ὃς βοηθούμενος ὑπὸ τῶν ἐπορκιστῶν, νόσῳ περιπεσὼν χαλεπῇ, καὶ ἀποθανεῖσθαι ὅσον οὐδέπω νομιζόμενος, ἐν αὐτῇ τῇ κλίνῃ ᾗ ἔκειτο, περιχυθεὶς ἔλαβεν· εἴ γε χρὴ λέγειν τὸν τοιοῦτον εἰληφέναι. οὐ μὴν οὐδὲ τῶν λοιπῶν ἔτυχε, διαφυγὼν τὴν νόσον, ὧν χρὴ μεταλαμβάνειν κατὰ τὸν

tus. Qui quidem, cum ei ab exorcistis subveniretur, in morbum gravissimum collapsus, ita ut jamjam moriturus existimaretur; in ipso lecto, in quo jacebat, perfusus fidem suscepit: si tamen homo hujuscemodi suscepisse dicendus est. Sed neque postquam li-

## VARIORUM NOTÆ.

rentur, quam hoc sacramentum perciperent. Hoc ipsum et Eliberitana synodus can. 37, constituit his verbis: « Eos qui ab immundis spiritibus vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet. » Neque aliud a concilio illo decretum esse, quam quod saltem in Novatiano jam factum erat, ex hoc Cornelii loco elicitur. Et ego quoque magis putarim, nec dissentit Valesius infra, Novatiani morbum cum dæmoniaca possessione simul adfuisse, etsi diversum quid sonet etiam Rufini interpretatio. Dum vero Constantius ex Rufini versione hoc confirmare studet, non defuisse Novatiano, prius quam baptismum susciperet, aliquod saltem fidei initium, « Quid enim, interrogat « ille, apud exorcistas ageret omni fide destitutus? » ex Tertulliano respondere est, quosdam extitisse olim *ethnicos*, qui agnoscerent in se collata esse hujusmodi *beneficia Christianorum*. Vid. Tertull. cum alibi, tum libello *ad Scapulam* cap. 4. Aliter vero de hac re sensisse, et rectius fortasse, Pearsonium fateor, qui hæc scribit *Annal. Cypr.* ad an. 231, sect. v. « Nam primo philosophus fuerat, et quidem Stoi- « cus; dein cum inter catechumenos erat, tamquam « dæmoniacus exorcizatus est, et non nisi in lecto « baptizatus. » Col. 745, supra ad lin. 14. εἰσφοιτήσας exstabat in ms. *Norfolc.* et ad *Syncelli* marg. pro φοιτήσας. ROUTH.

Ἐπορκιστῶν. Forsan quis legendum putet ἐξορκιστῶν, sed ἐπορκιστῶν, apud *Syncellum* quoque ac *Nicephorum* legitur. STROTH. Etsi revera apud *Syncellum* legitur ἐξορκιστῶν, nam Strothius ex silentio tantum Valesii aliud collegerat, nihil tamen propterea mutetur necesse est. Cum alii, tum auctor *Const. Apost.* ἐπορκιστὴς habet in lib. VIII, cap. 26. Cæterum hic exhibent ὡς pro ὃς *Syncell.* et ms. *Norfolc.* ROUTH.

Ἢ. Οὐ *Gruteri* et *Castellani codicis Lecti.* STROTH. Adde ms. *Norfolc.* et *Syncell.* ROUTH.

Ἐν αὐτῇ τῇ κλίνῃ. Hinc hujusmodi homines *Clinici* a verbo græco κλίνη, quod lectum sonat, sunt dicti. Quamvis autem Cyprianus κλινικοῦ vocabulum apud medicos et Evangelistas de paralyticis et ægrotis in lecto decumbentibus, vel etiam de medicis qui ægrotos hujusmodi curant, dictum esse non ignoraret; tamen unde ad quoddam baptizatorum genus translatum sit hoc nomen, epist. LXXVI, ad Magnum sibi incompertum esse significat his verbis: « Quod quidem eos salutari aqua et fide legitima Christi gratiam consecutos, non Christianos, sed Clinicos vocant, non invenio unde hoc nomen assumant. » Forte ab ipsius Novatiani baptismo cœpit hic usus, ejusque odio inventus statim invaluit. Sic vero Cyprianus in laudata epistola loquitur, ut eum quemadmodum schismaticus iste baptizatus esset, quod mirari subit, fugisse videatur. Etiamsi igitur catechumenos, imminente mortis periculo, in lecto perfundendi mos tum novus dici nequeat, eum tamen usum, quo illi *Clinici* appellari cœperunt, recentem fuisse Cyprianus innuit. CONST.

Περιχυθείς. Recte Rufinus *perfusum* vertit. Nam qui ægri in lecto baptizabantur, cum mergi a sacerdote non possent, aqua duntaxat perfundebantur. Itaque hujusmodi baptismus parum solemnis ac minus perfectus habebatur, quippe qui non sponte, sed mortis metu susceptus videretur ab hominibus delirio laborantibus, et nullo amplius sensu præditis. Accedit quod, cum baptismus proprie mersionem significet, ejusmodi perfusio vix baptismus dici poterat. Quamobrem Clinici (sic enim vocabantur qui ejusmodi baptismum acceperant) ad presbyterii gradum promoveri vetantur Canone 12. Concilii Neocæsariensis. Hujusmodi baptismum hominis in lecto decumbentis et animam agentis, luculente describit Joannes Chrysostomus in homilia 60, ad Catechumenos tomo II. Cyprianus tamen in Epistola LXXVI, baptismum hunc plenum ac legitimum esse censet, et Clinicos nihilo inferiores esse ait iis qui sani baptismum in Ecclesia susceperunt. VALESIUS. Sic quidem Cyprianus pro verecundia et modestia sua, *nemini*, ut loquitur ipse, *præjudicans*. Sed in Romana saltem Ecclesia his novatini temporibus, clinici ab omni cleri gradu prohibiti sunt, ut ex iis constat, quæ scribit infra Cornelius. Atqui diversam, verior an sit dubito, rationem affert Albaspinæus, repulsionis clinicorum ab ordinibus sacris, quod nimirum officia sacra implere ii non possent, quos mala valetudo prima fidei elementa non sivisset discere. *Notis in Canon. Neocæs.* 12, post *Observationes* ejus *De Vet. Eccl. Ritibus*, pag. 372. ed. Helmstad. ROUTH.

Ἔλαβεν. Τὸ βάπτισμα ἔλαβεν *Christoph.* Certe aut addendum τὸ βάπτισμα aut intelligendum est, quæ tamen dura foret ellipsis. Etiam Nicephorus hanc vocem legisse videtur, sic scribens: ὥστ' ἀποθανεῖσθαι προσδόκιμον ὄντα, τὸ ὕδωρ αἰτῆσαι λαβεῖν· ὃ καὶ ἐν αὐτῇ τῇ κλίνῃ ᾗ ἔκειτο, περιχυθὲν δῆθεν ἐβάπτιζεν. STROTH. In Græco nihil est quod *fidei* vocabulo respondeat. Ejus loco Valesius post Christophorsonium supplevit *baptismi* nomen. Hic potius subaudiendum videtur superius verbum τὸ πιστεῦσαι. CONSTANT. Non assentior, sed post verbum subaudiendum hoc loco baptismum puto, inque Dionysii Alex. apud Eusebium verbis, τοῦ γὰρ ἁγίου παρ' αὐτοῦ τετυχήκεσαν, *Epist. ad Philemon.* lib. VI, *Hist.* cap. 7, ubi a nullo omnino codice præter Medicæum vox πνεύματος post ἁγίου agnoscitur. Recte tamen ait Constantius infra, ex industria abstinere baptismi vocabulo Cornelium, ubicunque de ritu, quo initiatus Novatianus est, loquatur. Mendose ἔλεγεν pro ἔλαβεν ms. *Norfolc.* ROUTH.

Κατὰ τὸν τῆς Ἐκκλησίας κανόνα. Qui in lecto decumbentes baptismum acceperant; postquam ex morbo convaluissent, episcopum adire necesse habebant, ut ea quæ ipsorum baptismo defuerant suppleret. Vetus auctor de hæreticis non rebaptizandis, quem nuper una cum Cypriano edidit Nic. Rigaltius: « aut si a minore clero per necessitatem traditum fuerit baptisma, eventum exspectemus, ut aut suppleatur a nobis, aut a Domino supplendum reservetur. » Novatianus itaque hic arguitur a Cornelio quod cum urgente morbi necessitate in lecto baptizatus fuisset ab exorcistis qui illum curabant (hoc enim indicant verba ejus epistolæ) postea recuperata valetudine non adiisset episcopum, ut reliqua baptismi solemnia suppleret, quod ecclesiastica regula præcipiebat. Certe in Canone 47 Concilii Laodicensis id diserte præcipitur, et in capite tricesimo octavo Concilii Eliberitani. VALESIUS. De hujusmodi baptismo dubius postea Magnus Cyprianum consuluit, « quid ipsi de illis videretur, qui in infirmitate et languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi Christiani, eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi. » Notat et Cyprianus Epist. LXXVI, ipsi respondens hoc aliud de iisdem dubitationis genus, « An consecuti sunt quidem gratiam dominicam, sed breviore et minore mensura muneris divini ac Spiritus sancti: ut habeantur quidem Christiani, non sint tamen cæteris coæquandi. » Cyprianus autem ibid. *Christianum* judicare se rescribit « quisquis fuerit in Ecclesia lege et jure fidei divinam gratiam consecutus, « nec ambigendum esse quin legitimum sit baptisma per asper-

Digitized by Google

τῆς Ἐκκλησίας κανόνα· τοῦ τε σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου. Τούτου δὲ μὴ τυχών, πῶς ἂν τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἔτυχε;

A beratus est a morbo, reliqua percepit, quæ secundum regulam Ecclesiæ percipienda sunt, neque ab episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minime percepto, quomodo Spiritum sanctum potuit accipere?

## VARIORUM NOTÆ.

sionem seu infusionem susceptum, ac demum « in nullo mutilari et debilitari posse divina beneficia. » Sed neque Cornelius nunc an baptismalem gratiam consecutus esset Novatianus, ideo dubitat, quia ille non *lotus*, sed *perfusus* esset, hoc est quia baptismum per aspersionem, non per immersionem susceperit; sed eam ob causam, ob quam Neocæsariense concilium Can. 12, hujusmodi hominem presbyterii honore indignum judicat : « quia » videlicet « hujus fides non est ex libera voluntate, sed ex necessitate, οὐκ ἐκ προαιρέσεως γὰρ ἡ πίστις αὐτοῦ, ἀλλ' ἐξ ἀναγκῆς. Ubi et in transcursu observare licet vocem πίστις B pro baptismi vocabulo usurpari. Eo autem æquior fuit Cornelii dubitatio, quod Novatianus a morbo convalescens quæ sibi deerant supplere neglexit. Coust.

Τοῦ τε σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου. Rufinus hæc verba de signaculo chrismatis interpretatus est. Ego impositionem manuum intelligo, qua episcopi Spiritum sanctum baptizatis conferebant; quod sequentia manifeste declarant. Subdit enim Cornelius : τούτου δὲ μὴ ἔτυχών, πῶς ἂν τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἔτυχε; quamquam in manuscriptis codicibus Maz. Med. et Fuk. legitur τούτων δὲ μὴ τυχών. Interpretationem nostram confirmat Cyprianus ad Jubaianum his verbis : « Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem et manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo Dominico consummentur. » σφραγίζειν proprie est consignare. Consignare autem et manum imponere idem est, ut docet Epistola Innocentii ad Decentium cap. 3, et 6. Idem C confirmat Marcus in vita Porphyrii Gazensis episcopi, cujus locum inferius adducemus. Ambrosius, seu quis alius auctor est eorum librorum, in caput IV Epistolæ Pauli ad Ephesios. « Denique apud Ægyptum presbyteri consignant, si præsens non fuerit episcopus. » Eadem habet auctor Quæstionum veteris et novi Testamenti inter Augustini opera editus, Quæstione 101 : « Nam in Alexandria et per totam Ægyptum, si desit episcopus, consecrat presbyter. » Scribe *consignat presbyter*, ut in supra citato Ambrosii loco. Vetus inscriptio quam refert Baronius ad annum Christi 367. « Picentiæ legitimæ Neophytæ die 5 cal. Sept. consignatæ a Liberio Papa » etc. Porro hæc baptizatorum consignatio, interdum fiebat cum chrismate : quoties scilicet aliquis urgente morbi necessitate baptizatus fuerat a minoribus clericis, nec chrismatus. Tunc enim episcopus qui baptismi solemnia postmodum supplebat, chrismare simul et manus imponere necesse habebat. Qui vero perfectum baptismum acceperant, iis manus tantum D imponebatur ab episcopo sine chrismatione, ut docet canon Arausicanus. Quo pertinet vetus Epigramma apud Gruterum p. 1177, de Marca.

Tuque sacerdotes docuisti chrismate sancto
Tangere bis nullum judice posse Deo.

Porro ut ad Novatiani baptismum redeamus, hinc manasse mihi videtur mos Novatianorum, qui in baptismo sacrum chrisma non adhibebant teste Theodorito in lib. III. Hæret. Fab. eo quod scilicet auctor ipsorum Novatianus baptismum sine chrismatione accepisset. Vales. Rufinus hæc ita latine expressit : « Nec reliqua in eo, quæ baptismum subsequi solent, solemniter adimpleta sunt, nec signaculo chrismatis consummatus est. » Quæ Rufini verba Valesius annotationibus in hunc locum de signaculo chrismatis, quod in baptismo confertur, interpretatus, ipse Cornelium de signaculo, quod confirmationis sacramento percipimus, loqui non censet. Sed quid vetat, quominus etiam Rufini verba de hoc eodem sacramento interpretemur, eaque de signaculo illo dicta intelligamus, de quo Cyprianus Epist. LXXIII ad Jubaianum scribit : « Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ afferantur, et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo dominico consummentur. » Nam et ille signaculum ibi prædicat, cujus proprium est *consummare* suscipientem. Vitio quis verterit, quod Rufinus « chrismatis » vocem, quæ Græco in textu non enuntiatur, addiderit? Sed additamentum illius contra temporis hujus usum nihil peccat, immo illum apte explicat. Ut enim Cyprianus Epist. LXX, cum toto Africano concilio docet, « Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei et habere in se gratiam Christi possit. » Ibi enim unctionem a baptismi sacramento distinctam prædicari, et quæ proxime antecedunt, et particula *quoque* et verba « qui baptizatus sit, » non « qui baptizatur » aut « qui baptizandus est, » evincunt. Porro ex eo, quod Novatianus baptismum sine chrismatione accepisset, Valesius manasse putat morem, de quo Theodoretus, lib. III Hæret. Fab., cap. 5, ita loquitur : « Novatiani successores iis, quos baptizant, sanctissimum chrisma non præbent. Quapropter eos, qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur, laudatissimi Patres inungi præceperunt. » Sed Nicæni Patres, can. 8, tantum præcipiunt, ut Novatiani per manus impositionem suscipiantur. His concinentes Siricius, Epist. V, c. 8; et Innocentius, Epist. II, cap. 8, constituunt, « ut venientes a Novatianis vel Montensibus per manus (addit Innocentius *tantum*) impositionem suscipiantur, » nulla inunctionis facta mentione. Ibi autem Theodoretus etsi de Novatiano nonnulla tradit ad accuratam rerum fidem non satis exacta, ad Canonem 7 concilii CP. I, haud dubie respicit. Coustant. Bene ait cl. Weismannus in *Hist. Eccl. Nov. Test.* « Nunquam credam Cornelium, cui « objiciunt, quod negaverit accepisse Novatianum « Spiritum in baptismo suo sanctum, quia obsignatio « sive confirmatio episcopi ei non fuerit simul collata, « majorem confirmationi episcopali virtutem tribuisse, « quam ipsi baptismo. Ipsum Novatiani baptismum « nauseavit, quapropter, cum eumdem recitaret, ad- « didit : *Si tamen hunc illum accepisse dicendum est;* « nauseavit quoque et malæ absque dubio origini ad- « scripsit, quod Novatianus consuetum in Ecclesia « obsignationis ritum neglexerit atque contempserit. « In hoc impetu animi verba illa, hyperbolica utique, « effudit, e quibus formalem sententiam et hæresin « exculpere licet minime. » Sec. III, § 16, 4, p. 254. Cæterum dum super quæstione utrum consignatio seu confirmatio in ritibus baptismi tamquam pars ejus olim habita sit, disputarunt duo viri primarii, Hammondus, in libro *de Confirmatione* postumo negantis partes sustinens, et Dallæus *de Cultibus Latinorum*, qui illud affirmaverat; Hammondus, quia *Christophorsonii* lectt. habent οὐδὲ τοῦ σφραγισθῆναι pro τοῦ τε σφραγισθῆναι; istud οὐδέ, vel οὔτε, firmare vult cum ex verborum constructione, tum ex Nicephorianis istis : ὅ γε οὐδὲ τῶν λοιπῶν τῆς Ἐκκλησίας συμβόλων ἠξιοῦτο, ὧν χρεὼν τοὺς τοιούτους μεταλαμβάνειν κατὰ τὸν τῆς Ἐκκλησίας θεσμόν, ἀλλ' οὐδὲ ὑπὸ ἐπισκόπων (sic), τὴν νόσον διαφυγών, ἐσφραγίσθη ἐς ὕστερον. Vid. Hamm. *de Confirm.*, cap. IV, sect. 1. Sed, pace tanti viri dixerim, nihil necesse esse mihi videtur, ut in textu recepto quid moveas, propter illa enim, ὧν χρὴ μεταλαμβάνειν κατὰ τὸν τῆς Ἐκκλησίας κανόνα, sequitur illud, τοῦ τε σφρα-

Digitized by Google

Καὶ πάλιν μετὰ βραχέα φησίν.

Ε'. Ὁ διὰ δειλίαν καὶ φιλοζωΐαν ἐν τῷ καιρῷ τῆς διώξεως πρεσβύτερον εἶναι ἑαυτὸν ἀρνησάμενος. ἀξιούμενος γὰρ καὶ παρακαλούμενος ὑπὸ τῶν διακόνων, ἵν' ἐξελθὼν τοῦ οἰκίσκου ἐν ᾧ καθεῖρξεν ἑαυτὸν, βοηθήσῃ τοῖς ἀδελφοῖς, ὅσα θέμις καὶ ὅσα δυνατὸν πρεσβυτέρῳ κινδυνεύουσιν ἀδελφοῖς καὶ ἐπικουρίας δεομένοις βοηθεῖν· τοσοῦτον ἀπέσχε τοῦ πειθαρχῆσαι παρακαλοῦσι τοῖς διακόνοις, ὡς καὶ χαλεπαίνοντα ἀπιέναι καὶ ἀπαλλάττεσθαι· μὴ γὰρ ἔτι βούλεσθαι πρεσβύτερος εἶναι ἔφη· ἑτέρας γὰρ εἶναι φιλοσοφίας ἐραστής.

Τκιρδὰς δ' ὀλίγα, τούτοις πάλιν ἐπιφέρει λέγων.

ς'. Καταλιπὼν γὰρ ὁ λαμπρὸς οὗτος τὴν Ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, ἐν ᾗ πιστεύσας κατηξιώθη τοῦ πρεσβυτερίου

A

5. *Et iterum aliquanto post dicit.* Qui persecutionis tempore præ metu ac nimio vitæ amore presbyterum se esse negavit. Admonitus enim ac rogatus a diaconis, ut e cubiculo in quo se ipsum incluserat egressus, fratribus succurreret, quantum presbytero liceret ac fas esset fratribus in periculo constitutis et auxilio indigentibus subvenire : tantum abfuit ut rogantibus diaconis morem gereret, quin potius indignabundus abiit ac discessit. Neque enim presbyterum se amplius velle esse respondit : sed alterius philosophiæ amore ac studio teneri.

6. *Paucis autem transcursis, hæc rursum adjungit dicens.* Nam præclarus ille vir Ecclesiam Dei dere-

B

## VARIORUM NOTÆ.

γισθῆναι. Istaque exstat lectio in editione principe, seu Stephaniana, aliter atque sentiebat ipse Dallæus, qui de lectione agens tamquam a Valesio primum invecta ipsam comprobat. Tum vero incertioris originis sunt pleræque lectionum Christophorsoni vocatæ, quam ut absque alio codicum testimonio magni pendantur. Quod autem ad scripturam, τούτων δὲ μὴ τυχὼν pro τούτου δὲ μ. τ. a Valesio memoratam attinet, eamdem præstat ms. Savil. seu Bodl. atque invenit fortasse Nicephorus, qui habet : τούτων δὲ τῶν μυστικῶν μὴ τυχὼν, πῶς ἄν, etc. ROUTH.

Ε'. Βοηθήσῃ τοῖς ἀδελφοῖς. Post has voces in codicibus nostris Maz. Med. Fuk. et Saviliano, et apud Syncellum hæc adduntur (omiserat ea omnia præter illa ἐπικουρίας δεομένοις ed. R. Steph.) : ὅσα θέμις, καὶ ὅσα C δυνατὸν πρεσβυτέρῳ κινδυνεύουσιν ἀδελφοῖς καὶ ἐπικουρίας δεομένοις βοηθεῖν. Quæ Rufinus legisse videtur in suo codice, vertit enim : « Scribit etiam de ipso, quod persecutionis tempore, cum in cellula quadam lateret, et a diaconis, ut moris est, subvenire in exitu catechumenis rogaretur, etc. » Paulo ante ubi legebatur ἐξελθὼν τοῦ οἴκου, restituimus οἰσκίσκου, auctoribus iisdem codicibus et Georgio Syncello. Rufinus *cellulam* vertit. VALESIUS. In hac Rufini interpretatione, « cum subvenire in exitu catechumenis rogaretur, e cellula in qua latebat timens procedere, presbyterum se esse denegavit, » nimia deprehenditur interpretis licentia : cum verba Cornelii de omnibus auxilio presbyteri indigentibus dicta ad unos catechumenos, quibus et diaconi subvenire poterant, referat. Quocirca neque placet quod Theodoretus, lib. III Hæret. Fab. eamdem narrationem ita exponit : « Qui vero remedium (lapsus) adipisci postulabant, arguebant eum, quod sæpe rogatus ut ad ipsos properaret, et D verbis confirmaret qui tyranni machinis pulsabantur, occultans se ipse et latere studens, presbyterum etiam se esse denegarit. » Ex hoc autem loco liquet quam merito superius a Cornelio postulatum sit, an Novatianus « in multis magnisque periculis religionis causa fuerit? » COUST. Pro verbis, ὅσα θέμις κ. τ. λ. quibus orationem auxit Valesius, testis addendus est ms. Norfolc., sicut illæ, quas Strothius annumerat, Veneti codicis, Christophorsonique Lectiones Nicephorusque, dum lectionem οἰκίσκου firmat, idem codex Norfolc. Paulo supra idem codex, perinde ac Syncellus, πρεσβύτερον ἑαυτὸν εἶναι, verso tantum ordine verborum præstat. ROUTH.

Βοηθεῖν. Omittit ed. Steph. exhibent *iidem* qui paulo ante. STROTH. Adde ms. Norfolc. ROUTH.

Ἑτέρας γὰρ εἶναι φιλοσοφίας ἐραστής. Ait Cyprianus de eodem, « Jactet se licet, et *philosophiam* vel eloquentiam suam superbis vocibus prædicet; qui nec fraternam charitatem nec ecclesiasticam unitatem tenuit, etiam quod prius fuerat amisit. » Epist. ad Antonianum, p. 73, ed. Baluzii. Addo, depositionis pœnam meruisse Novatianum, *canone* 62, quem dicunt *Apostolicum*, contra clericum statuente, Εἰ μὲν τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ ἀρνήσηται, ἀποβαλλέσθω, εἰ δὲ τὸ ὄνομα τοῦ κληρικοῦ, καθαιρείσθω. ROUTH.

Καταλιπών. Κατέλιπε *Christoph. Lectt.* et *Interp.* STROTH.

ς'. Ἐν ᾗ πιστεύσας. Non displiceret alibi quod Valesius vertit, *post susceptum baptismum*; id enim hæc proprie sonant : in qua, baptismo suscepto, fidelis jam dici atque haberi cœpit. Sed litteræ hærendum duxi, cum Cornelium, ubi de ritu quo Novatianus initiatus est loquitur, baptismi vocabulo constanter abstinere observarim. Rufinus unum verbum πιστεύσας his duobus latinis, *gratiam consecutus*, reddidit. Quod eodem redit. Nam *gratiæ*, vel *gratiæ Dei*, seu *gratiæ Christi* vocabulis baptismus sæpe apud veteres designatur. Quid enim sibi vult illud Cypriani ep. LXXVI, ad Magnum, « Quæsisti quid mihi videatur de illis, qui in infirmitate et languore Dei gratiam consequuntur, » nisi istud, quid mihi videatur de iis qui in infirmitate baptizantur? Ita et in his Leonis epist. 18, n. 4, ubi sabbato Paschæ baptisma celebrandum tradit, « Ipsa igitur operis qualitas docet celebrandæ generaliter gratiæ legitimum diem, in quo, *etc.*, celebrandæ gratiæ » perinde esse liquet atque « celebrandi baptismi. » COUSTANT.

Κατηξιώθη τοῦ πρεσβυτερίου. Hinc apparet Novatianum prono gradu presbyterum fuisse ordinatum, omissis diaconatus et subdiaconatus ordinibus : qui mos tum fuit in Ecclesia, ut docet exemplum Origenis, Paulini Nolani et aliorum. Nota sunt etiam exempla Ambrosii Mediolanensis, et Nectarii Constantinopolitani, qui ex Neophytis ordinati sunt episcopi. VALESIUS. Forsitan solum derisus esse oportet archidiaconatum, quo Novatianus donatus est nonnullis post mortem ejus sæculis a Eulogio præsule Alexandrino, sæculi sexti scriptore apud Photium *Cod.* ult. col. 1622. Illud autem officium Cornelii favori, ut fert Eulogii fabula, Novatianus debuerat. Cæterum, ut obiter hoc moneam, recentioris memoriæ temporibus, ineunte sæculo decimo septimo, cum, ut episcopi fierent, venissent Angliam aliquot e gentis Scoticæ ecclesiasticis ministris, exempla illa Ambrosii atque Nectarii dubium tollebant, utrum isti nondum presbyteri facti ad episcoporum munera consecrari deberent. Vide Heylini, *Hist. Presbyterianorum*, lib. XI, c. 4, p. 382. Conf. vero Spotiswoodi *Hist. Eccl. Scotic.*, lib. VII, p. 514; et Skinneri *Hist. ejusd. Eccl.*, vol. II, c. 43, p. 252. Postea autem, cum, reddito ad avita regna Carolo secundo, rediisset cum eo pristinum Ecclesiæ regimen, duo saltem ex ministris Scoticis, qui non-

Digitized by Google

κατὰ χάριν τοῦ ἐπισκόπου τοῦ ἐπιθέντος αὐτῷ χεῖρας εἰς πρεσβυτερίου κλῆρον· ὃς διακωλυόμενος ὑπὸ παντὸς τοῦ κλήρου, ἀλλὰ καὶ λαϊκῶν πολλῶν· ἐπεὶ μὴ ἐξὸν ἦν τὸν ἐπὶ κλίνης διὰ νόσον περιχυθέντα, ὥσπερ καὶ οὗτος, εἰς κλῆρόν τινα γενέσθαι, ἠξίωσε συγχωρηθῆναι αὐτῷ τοῦτον μόνον χειροτονῆσαι.

liquit, in qua post susceptam fidem presbyterio cohonestatus est per gratiam et indulgentiam episcopi, qui imponens ei manum ad presbyterii ordinem eum provexit. Intercedebat omnis clerus, et multi ex laicis, eo quod non liceret eum, qui quemadmodum et ille in lectulo urgente morbo perfusus fuisset, in clerum aliquem assumi. Verum rogavit episcopus ut eum unum ordinare sibi permitteretur.

## VARIORUM NOTÆ.

dum episcopalem ordinationem susceperant, diaconi et presbyteri prius facti episcopi consecrati fuerunt. Vide *Jacobi Sharpii, archiepiscopi S. Andreæ Vitam*, anno 1723, editam, ad p. 55, cum Collierii *Hist. Eccl. Magnæ Britanniæ*, vol. II, p. 887, collatam. Mox ὡς pro ὃς Syncell. ROUTH.

Ὑπὸ παντὸς τοῦ κλήρου καὶ λαϊκῶν, etc. Presbyteri olim ab episcopo ordinari non poterant sine consensu cleri et populi. Ac de populi quidem suffragio in electione presbyterorum, testantur patres concilii Nicæni in epistola synodica ad episcopos Ægypti, ubi de clericis qui se a Meletii schismate puros atque integros servaverant, ita præcipiunt: Εἰ δέ τινά ποτε συμβαίη ἀναπαύσασθαι τῶν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ, τηνικαῦτα συναναβαίνειν εἰς τὴν τιμὴν τοῦ τετελευτηκότος τοὺς ἄρτι προσληφθέντας, μόνον εἰ ἄξιοι φαίνοιντο, καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο συνεπιψηφίζοντος αὐτοῖς καὶ ἐπισφραγίζοντος τοῦ τῆς Ἀλεξανδρείας ἐπισκόπου. Quæ verba Sozomenus de clericis intellexit, cum tamen de episcopis potius accipienda esse videantur. Nam cum patres synodi Nicænæ contemplatione pacis statuissent, ut episcopi a Meletio schismatico ordinati in suo gradu remanerent, sed sine ulla functione episcopalis officii: nunc præcipiunt, ut si forte catholicus episcopus ab Alexandrinæ urbis episcopo ordinatus obierit, tum Meletianus qui a synodo sub ea conditione quam dixi susceptus est, in locum mortui succedat, dummodo plebs eum elegerit, et episcopus Alexandrinus electionem ejus confirmaverit. Sed et ex aliis locis ejusdem epistolæ satis colligitur necessarium fuisse populi suffragium in ordinatione clericorum. Vetant enim eadem epistola sanctissimi patres, ne episcopis qui Meletio adhæserant, jus fasque sit proponendi nomina eorum qui ad ecclesiasticos ordines sunt promovendi: sed solis catholicæ Ecclesiæ episcopis qui ab omni schismate integri semper fuissent, illud competere pronuntiant. Pontifices quippe annuntiabant populo nomina eorum qui ordinandi essent presbyteri vel diaconi, ut si quis forte haberet quod ordinandis objiceret, illud palam testaretur, sicut legitur in Sacramentario Gregorii Magni. Quam in rem singularis est locus B. Chrysostomi in Homilia 18, in Epistolam II, ad Corinthios. Audi, inquit, quemadmodum, Apostolorum tempore, ipsi persæpe eos quibus præerant, consiliorum suorum socios adhibebant. Nam et cum septem diaconos crearent, ad plebem prius retulerunt: et cum Matthiam eligerent, de ea re cum omnibus qui tunc aderant tam viris quam mulieribus Petrus agitavit. Neque enim hoc imperium, in præsidentium fastu et arrogantia, nec in subjacentium servili quadam demissione consistit, sed spirituale est: hoc præcipue excellens, quod pro vestræ salutis cura plures labores suscipiat, non autem quod plus honoris requirat. Omnes enim tamquam domum unam, Ecclesiam habitare; omnes ut unum corpus affectos esse convenit. Denique adeo necessarium fuit plebis suffragium in electione presbyterorum, ut sæpenumero in ecclesia plebs tumultuosis vociferationibus presbyterum aliquem fieri postularet et cogeret. Quod quidem Barcinone sibi evenisse testatur Paulinus in Epistola sexta ad Severum. Idem de Piniano Albinæ filio refert Augustinus in Epist. 225 ad Albinam. Jam vero cleri quoque consensum ad hoc fuisse necessarium docet vetus auctor Quæstionum veteris et novi Testamenti, cap. 101, ubi scribit presbyterum qui ordinandus est, perduci a diacono et offerri episcopo et sub testimonio diaconi ordinari. « Sed testimonio, inquit, diaconi fit presbyter. » Et paulo post: « perducuntur enim qui ordinandi sunt, ut dum lateri eorum septi sunt, honore digni videantur. Fateor facti eorum esse, sed quasi officialis. Ab episcopo enim mittitur ut obsequium præbeat ordinando. » Totum vero hunc ritum optime descriptum habemus in Sacramentario Gregorii Magni, pag. 256, ad quem locum vide quæ notavit Hugo Menardus, vir doctissimus. VALESIUS.

Ἐπὶ κλίνης. Ἐν κλίνῃ ed. Steph. STROTH. Mox ἐπιχυθέντα ms. Norfolc. ROUTH.

Εἰς κλῆρόν τινα γενέσθαι. Κλῆρος ordinem seu gradum significat ministerii ecclesiastici. Ita κλῆρον πρεσβυτερίου paulo ante Cornelius dixit, et κλῆρον ἐπισκοπῆς non semel vocat Eusebius et Irenæus. Itaque hoc loco εἰς κλῆρόν τινα, id est in quocumque clero. Epiphanius in hæresi Meletianorum: Οἱ δὲ ἀπὸ κληρικῶν ὑπάρχοντες διαφόρου κλήρου, πρεσβυτερίου τε καὶ διακονίας καὶ ἄλλων. Tertullianus sortem vocat. Sic enim in libro de Virginibus velandis: « Non permittitur mulieri in ecclesia loqui, sed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii, sortem sibi vindicare. » Sic certe loquitur vetus auctor de hæreticis non rebaptizandis. « Quod cum nullum sanæ mentis fidelium tenere, vel maxime nullum omnino in quocumque clero constitutum, ac multo magis episcoporum audere deceat. » Rursus in eodem libro. « Immo magis hoc nomine etiam oneratur, licet fuerit antea fidelissimus, aut in clero aliquo constitutus. » Idem scriptor clerum distinguit in majorem et minorem. Et minorem quidem clerum appellat diaconos et reliquos inferiores ordines, ut cum dicit, pag. 129. « Aut si dicis hujusmodi hominem salvum non posse fieri, omnibus episcopis salutem adimimus, quos ita periculis quam certissimis adstringis, ut hominibus omnibus qui sub cura eorum agunt, et hac atque illac dispersis regionibus infirmantur, per semetipsos subvenire deberent; quia cæteri homines minoris cleri iis qui periclitantur, hoc idem præstare non possunt. » Et multo clarius pag. 134: « Et ideo cum salus nostra in baptismate spiritus, quod plerumque cum baptismate aquæ conjunctum est, sit constituta, si quidem per nos baptisma tradetur, integre et solemniter et per omnia quæ scripta sunt adsignetur, atque sine ulla ullius rei separatione tradatur: aut si a minore clero per necessitatem traditum fuerit, eventum exspectemus, etc., » ubi vides presbyteros ab hominibus minoris cleri aperte distingui. Ait enim minoris cleri homines ingruente tantum necessitate baptisma conferre: quod presbyteris nequaquam convenit. (Confer locum scriptoris a Coustantio ad fin. notæ in verba ποιήσας γὰρ allati.) VALESIUS. A littera Græca Valesius nonnihil recedit in hunc modum: « Nec quemquam ex iis, qui urgente vi morbi in lectulo perinde ac ille perfusi fuissent, in clerum assumi. » Plus enim illud, *quemquam ex iis*, unde exceptio omnis excluditur, quam particula τὸν sonat: sicut significantius aliquid præ se fert *in aliquem clerum*, quam simpliciter *in clerum*. Disciplinæ hujus severitatem aliquanto post Cornelii ævum

Εἶτ' ἄλλο τι τούτοις χείριστον προστίθησι τῶν τοῦ ἀνδρὸς ἀτοπημάτων, λέγων οὕτως. A

Ζ'. Ποιήσας γὰρ τὰς προσφορὰς, καὶ διανέμων ἑκάστῳ τὸ μέρος, καὶ ἐπιδιδοὺς τοῦτο ὀμνύειν ἀντὶ τοῦ εὐλογεῖν τοὺς ταλαιπώρους ἀνθρώπους ἀναγκάζει, κατέχων ἀμφοτέραις ταῖς χερσὶ τὰς τοῦ λαβόντος, καὶ μὴ ἀφεὶς ἕστ' ἂν ὀμνύοντες εἴπωσι ταῦτα· τοῖς γὰρ ἐκείνου χρήσομαι λόγοις. Ὅμοσόν μοι κατὰ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μηδέποτέ με καταλιπεῖν καὶ ἐπιστρέψαι πρὸς Κορνήλιον. καὶ ὁ ἄθλιος ἄνθρωπος οὐ πρότερον γεύεται, εἰ μὴ πρότερον αὐτῷ (ἑαυτῷ

7. *Deinde aliud adjungit facinus omnium, quæ ab illo commissa sunt, longe gravissimum, ita dicens.* Etenim oblationibus factis portionem singulis dividens, dum eam tradit, miseros homines benedictionis loco jurare cogit, manus ejus qui portionem accepit, ambabus manibus suis comprehensas retinens, nec prius dimittens, quam jurati ista dixerint (ipsis enim utar illius verbis) : Jura mihi per corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, te numquam

## VARIORUM NOTÆ.

temperavit Neocæsariense concilium, hominem in lecto perfusum non ab omni cleri gradu, sed a presbyterio dumtaxat excludens, immo cum etiam ad hunc gradum provehi permittens « propter consequens ejus studium et fidem, hominumque raritatem. » Præsenserat Fabianus, seu quivis alius Novatiani ordinator, hujusmodi exceptionem per ecclesiasticam regulam permitti. Nec temere divinat, qui episcopo huic maxime Novatiani ingenium et eloquentiam, quæ in illius scriptis ac nominatim in epistola apud Cyprianum 31, ab ipso scripta suspicitur, placuisse conjectat. Qui autem Novatiani ordinationi, cum ad presbyterii ordinem proveheretur, intercesserunt, ecclesiasticas objicientes regulas, quibus quempiam in lecto perfusum ad ullum cleri gradum assumi prohibebatur, simili ratione antea intercedere debuerant, si ullus ei gradus collatus fuisset. Quocirca presbyterii dignitatem ipsi per saltum, inferioribus aliis ordinibus prætermissis, collatam esse Valesius atque Tillemontius inde conjiciunt. Coustant.

Ζ'. Ποιήσας γὰρ τὰς προσφορὰς καὶ ἐπιδιδοὺς τοῦτο. Proprium erat presbyteri officium, Eucharistiam et calicem fidelibus in manus tradere : idque ἐπιδοῦναι proprie dicebatur. Chrysostomus, Homilia 46, in Matthæum : Οὐχ ὁρᾷς ὅτι τῷ ἱερεῖ μόνῳ θέμις τὸ τοῦ αἵματος ἐπιδιδόναι ποτήριον, id est : Non vides qualiter soli sacerdoti licet calicem Dominici sanguinis præbere. Ex quo ita argumentatur Chrysostomus. Tu ergo sacerdos es, cum panem et calicem præbes pauperi. In quibusdam tamen ecclesiis diaconi Eucharistiam populo dividebant. Idque innuere videtur auctor Quæstionum veteris et novi Testamenti, cap. 101, his verbis : « Diaconi ergo ordo est accipere a sacerdote, et sic dare plebi. » Hieronymus, seu quis alius, in libro de septem Gradibus Ecclesiæ : « Sicut in sacerdote consecratio, ita in ministro est Sacramenti dispensatio. » *Ille* oblata sanctificat, *ille sanctificata dispensat*. Et ante omnes Justinus Martyr in Apologia, cujus locum jam supra citavi. Cedrenus ad annum 18 Constantis : σκανδαλιζόμενος γὰρ εἰς αὐτὸν, ἔκειρε πρότερον αὐτὸν διὰ Παύλου πατριάρχου διάκονον, ὃς καὶ μετέδωκέ τῷ βασιλεῖ τῶν ἀχράντων μυστηρίων ἐν ἁγίῳ ποτηρίῳ. Tandem vero postquam diaconi laicis Eucharistiam præbere desierunt, concessum illis est, ut virum laicis post communionem præberent ; idque colligimus ex Vita Alcuini, de quo vetus scriptor ita tradit : « Necnon cum post communionem corporis Christi et sanguinis manu propria eis misceret idem Ludovicus, humilitate clarissimus præ omnibus, patri sancto se inclinans, ejus osculatus est manum. » Et in concilio Arelatensi 2, c. 15, cavetur ut diaconus, præsente presbytero, corpus Christi fidelibus tradere non præsumat. Vales. Apud Valesium, *oblatione facta*. Et hic hærentes græco retinemus *oblationibus factis*, hoc est, pane et vino consecratis. Novatianum per se, non diaconorum ministerio corpus Christi suis porrexisse plane hinc discimus. An vero dissimili ratione Servatoris nostri sanguinem iis tradiderit, dubitare licet propter subnexa verba, « Jura mihi per

corpus et sanguinem Domini nostri. » Negandum tamen non est, usu tum receptum esse, ut fideles diaconorum ministerio sanguinem vel etiam corpus Christi perciperent. Scribit quippe Justinus Apolog. 2, ad Antoninum : « Postquam antistes gratiarum actionem perfecit, et populus omnis apprecatus est, diaconi ex pane, vino et aqua consecratis partem dividunt unicuique præsentium. » In Africa saltem calicem, quo sanguis Christi continebatur, a diaconis porrigi consuevisse docet illud Cypriani lib. *de Lapsis* : « Ubi vero solemnibus adimpletis, calicem diaconus offerre præsentibus cœpit. » Eumdem morem Romæ usitatum innuit apud Ambrosium lib. I Offic., c. 4, pia expostulatio S. Laurentii, archidiaconi, S. Xystum, pontificem, sic interpellantis : « Cui commisisti dominici sanguinis consecrationem (hoc est consecrati sanguinis Domini dispensationem), cui consummandorum consortium sacramentorum, huic sanguinis tui consortium negas ? » Ad idem ministerium referri commode potest, quod de diaconis Romanæ Ecclesiæ loquens antiquus auctor Quæst. vet. et nov. Test. apud Augustinum Append., tom. III, c. 101, generaliter dicit : « Diaconi ergo ordo est accipere a sacerdote, et sic dare plebi. » Verum sacerdotibus id, quod diaconis committere consueverunt, per se præstare nusquam est prohibitum..... Immo, si Chrysostomum Homil. 46, in Matth. audiamus, « soli sacerdoti licet calicem sanguinis dominici præbere. » Sed cum sanctus ille doctor non addat *plebi*, ejus sententiam ex verbis Quæst. vet. ac nov. Testam. proxime allatis explicari nil vetat. Ut verbo dicam, corpus et sanguinem Christi populis tradere semper sacerdotibus ex officio, diaconis autem tamquam sacerdotum ministris ex quodam concessu, et necessitate postulante, olim licuit, seu, ut cum auctore Constit. Apost. lib. VIII, cap. 28, loquar, « Diaconus non offert : oblatione vero ab episcopo aut presbytero facta, dat populo, non tamquam sacerdos, sed tamquam qui ministrat sacerdotibus. » Hinc Carthaginense IV concilium, can. 37, hoc præmittit monituni : « Diaconus ita se presbyteri ut episcopi ministrum noverit : » ac deinde can. 38, istud adjungit, « Ut diaconus, præsente presbytero, Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget. » Porro, ut laudatus scriptor Quæst. veter. et nov. Testam. loco citato observat, « Major ordo intra se habet et minorem. Presbyter enim et diaconi agit officium et exorcistæ et lectoris. » Coustant.

Διανέμων... ἐπιδιδοὺς. Διανείμας Syncell. ἐπιδοὺς ms. Bodl. Verba τῆς αὐτῆς δυνάμεως post τὸ μέρος ms. Norfolc. addidit, annè τῆς αὐτῆς διανομῆς. Mox pro τοῦτο ὀμνύειν habet αὐτῷ ὀμ. Syncell. Routh.

Ἀμφοτέραις ταῖς χερσί. Omittit ταῖς edit. Stephan. Stroth.

Ἀφείς. Ἀφεὶς ed. Steph. Stroth. Statim post pro ἕστ' ἂν Syncell. ἕως ἄν. Apud Niceph. atque ms. Norfolc. ordo verborum κατὰ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵμ. mutatur. Routh.

Αὐτῷ. Hunc locum non intellexerunt interpretes.

Digitized by Google

Syncel.) καταράσαιτο· καὶ ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν λαμβάνοντα τὸν ἄρτον ἐκεῖνον τὸ Ἀμήν, Οὐκέτι ἀνήξω πρὸς Κορνήλιον, λέγει.

Καὶ μεθ' ἕτερα πάλιν ταῦτά φησιν.

Η'. Ἤδη δὲ ἴσθι γεγυμνῶσθαι καὶ ἔρημον γεγονέναι· καταλιμπανόντων αὐτὸν καθ' ἡμέραν ἑκάστην τῶν ἀδελφῶν, καὶ εἰς τὴν Ἐκκλησίαν ἐπανερχομένων. ὃν καὶ Μωσῆς, ὁ μακάριος μάρτυς, ὁ παρ' ἡμῖν ἔναγχος μαρτυρήσας καλήν τινα καὶ θαυμαστὴν μαρτυρίαν, ἔτι ὢν ἐν κόσμῳ, κατιδὼν αὐτοῦ τὴν θρασύτητα καὶ τὴν ἀπόνοιαν, ἀκοινώνητον ἐποιήσε σὺν τοῖς πέντε πρεσβυτέροις

A partes meas desertum, nec ad Cornelium amplius esse rediturum. Et miser homo non prius gustat, quam sibi ipse malum imprecatus sit. Et cum panem illum accipiens dicere debuisset, Amen; ejus loco dicit, Non revertar deinceps ad Cornelium.

8. *Et post alia rursum hæc dicit.* Jam vero scias illum nudatum ac desertum esse, fratribus eum quotidie derelinquentibus, et ad Ecclesiam redeuntibus. Quem etiam Moyses beatus martyr, egregio et admirando martyrio nuper apud nos perfunctus, dum adhuc superstes esset, audaciam et amentiam ejus perspectam habens, a communione sua separavit una

## VARIORUM NOTÆ.

Nam Musculus quidem ita vertit : « Et miser homo non degustavit, nisi primum se illi devovisset. » Christophorsonus vero quasi Musculi insistens vestigiis vertit hoc modo. « Atque infelix non ante degustavit, quam ita se illi devovisset. » Quasi vox αὐτῷ referretur ad Novatianum. Ego ἑαυτῷ malim legere cum Georgio Syncello : apud quem totus hic locus ita scribitur : Καὶ ὁ ἄθλιος ἄνθρωπος οὐ πρότερον γεύσται εἰ μὴ πρότερον ἑαυτῷ καταράσαιτο. Id est : « Atque ille miser non prius gustare sinitur, quam semetipse diris devoverit. » Quippe omne jusjurandum adjunctam habet imprecationem. Quæ licet in hoc sacramento quo Novatianus homines miseros adigebat, diserte expressa non sit, tacite tamen subintelligitur, ut notavi ad Amm. Marcellinum. Porro in quatuor nostris codicibus Maz. Med. Fuk. et Saviliano legitur etiam καταράσαιτο, perinde ac apud Syncell. ( καταράσσται ed. Steph. ) Valesius. ἑαυτῷ Syncell., quod probat Valesius, ac profecto nobis magis placet. Nicephorus habet ἐκείνῳ, ex quo tamen eum legisse αὐτῷ apparet. Stroth. καταράσαιτο habere Gruteri quoque *Lectt.* idem notavit Strothius, quibus addas ms. Norfolc. Interea αὐτῷ si mavis, cum spiritu aspero rescribas. Novatianum autem adegisse videtur, ut censet Constantius, quotidiana suorum defectio, ut jusjurandum hoc exigeret. Quod quidem interea jusjurandum profane exactum atque datum, schisma luctuosum Ecclesiæ auctoritatem excludendo perpetuum faciebat. Routh.

Ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν... τὸ Ἀμήν. Hoc est quod paulo ante dixit Cornelius ἀντὶ τοῦ εὐλογεῖν. Fideles enim cum Eucharistiam de manu sacerdotis acciperent, postquam presbyter inter tradendum dixerat *Corpus Domini*, respondere solebant *Amen*, ut testatur B. Ambrosius in lib. IV de Sacramentis, cap. 5. « Ergo non otiose cum accipis, tu dicis Amen, jam in spiritu confitens quod accipias corpus Christi. Dicit tibi sacerdos : Corpus Christi. Et tu dicis Amen, id est vertitur. » Hieronymus ad Pammachium adversus errores Joannis Hierosolymitani. « Qua conscientia ad Eucharistiam Christi accedam, et respondebo Amen, cum de charitate dubitem porrigentis ? » Cyrillus Hierosolymitanus in catechesi ultima : καὶ κοιλάνας τὴν παλάμην, δέχου τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, ἐπιλέγων τὸ, Ἀμήν. Augustinus in libro XII, contra Faustum cap. 10. « Habet enim magnam vocem Christi sanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus respondeatur Amen. » Sæpius autem fideles inter missarum solemnia dicebant. *Amen*. Nam et cum sacerdos panem et vinum consecraret, respondebant *Amen*, ut pluribus dicetur infra ad c. 9, l. VII, et post lectionem Evangelii et Prophetarum, Amen dicere seque ipsos signare consueverant, teste Augustino in Epistola 166, Valesius.—Statim post ἐπανήξω pro ἀνήξω *Syncell.* et *Nicephorus* invenerunt, et ἔφη pro λέγει *ms. Norfolc.* Routh.

Η'. Ὃν καὶ Μωσῆς ὁ μακάριος. De hoc Moyse Romanæ urbis presbytero Cyprianus in epistolis loquitur sæpius. Hic post passionem Fabiani Rom. urbis episcopi Decio 2, et Grato Coss. anno Christi 250, comprehensus est una cum Maximo presbytero et Nicostrato diacono; et conjectus in carcerem, ibi defunctus est, cum mansisset in carcere menses XI, dies XI, ut legitur in veteri libro de pontificibus Romanis. Quod confirmat etiam Cyprianus in Epistola XV, ad Moysem et Maximum presbyteros et cæteros confessores, ubi inter cætera hæc dicit. « Eant nunc magistratus, et consules sive proconsules annuæ dignitatis insignibus et duodecim fascibus glorientur. Ecce dignitas cœlestis in vobis honoris annui claritate signata est, et jam vertentis anni volubilem circulum victricis gloriæ diuturnitate transgressa est. Valesius. In Epistolis XVI et XXV. Cypriani ad hunc Moysen et socios confessores, necnon in Epistola XXVI, eorumdem confessorum ad Cyprianum, Moysis nomen in capite cæterorum constanter præponitur. Hunc in carcere defunctum Valesius existimat, nititurque his verbis Bucheriani catalogi in Fabiano : « Post mortem ejus (*Fabiani*) Moyses et Maximus presbyteri et Nicostratus diaconus comprehensi sunt, et in carcerem missi. Eo tempore supervenit Novatus ex Africa, et separavit Novatianum et quosdam confessores, postquam Moyses in carcere defunctus est, qui fuit ibi menses XI, dies XI. » Sed catalogum illic accuratum non esse vel hinc probatur, quod Novatiani schisma sic narrat ut Moysi morte posterius, cum ea anterius fuisse palam hic Cornelius testetur. Si vero Cyprianum consulamus, ad imitationem Cornelii titulos, quibus Moysen exornat, pro diversis temporibus mutat. Nam in Epistola X, sequenti n. 5, respiciens ad id tempus, quo Moyses celebri Novatiani Epistolæ de Lapsis subscripsit, illum *tunc adhuc confessorem*, pro tempore autem, quo ipse ad Antonianum scribebat, *nunc jam martyrem* appellat. Verum neque inde quidquam certi adversus Valesii sententiam conficitur : cum Cyprianus etiam eos, qui etsi non torti, in carcere tamen vitam finiunt, martyres habendos censeat. Quamvis igitur in id propendeam animo, ut qui ob *egregium et admirabile martyrium* commendatur, eum in diversis tormentorum generibus constanter perferendis mirabilem se exhibuisse credam : propter diuturnitatem tamen durissimi carceris, quo a Christi confessione ad mortem usque deterreri non valuit, egregium et admirabile dici potuit ejus martyrium. Moyses autem cum tantum esset presbyter, Novatianum communionis exsortem fecit, non potestate atque auctoritate judicis, sed ea cautione qua cuique fideli uti licet erga eos, quorum fides perversa vitaque pestilens manifeste deprehenditur. Constant. Usitatiori modo nomen scribitur Μωυσῆς in *ms. Norfolc.* Routh.

Ἀκοινώνητον ἐποίησε. Musculus vertit *excommunicavit*. Christophorsonus vero *fidelium societate et communione interdixit*, quod idem est. Ego vero hanc interpretationem probare non possum. Neque enim Moyses presby-

τοῖς ἅμα αὐτῷ ἀποσχίσασιν ἑαυτοὺς τῆς Ἐκκλησίας. A cum quinque presbyteris, qui se pariter cum illo ab Ecclesia segregarant.

Θ'. Καὶ ἐπὶ τέλει δὲ τῆς ἐπιστολῆς, τῶν ἐπὶ Ῥώμης παραγενομένων ἐπισκόπων, τῆς τε τοῦ Νοουάτου κατεγνωκότων ἀδελτηρίας, κατάλογον πεποίηται· ὁμοῦ τά τε ὀνόματα, καὶ ἧς ὁ καθεὶς αὐτῶν προηγεῖτο παροικίας, ἐπισημηνάμενος· τῶν τε μὴ παραγενομένων μὲν ἐπὶ τῆς Ῥώμης, συνευδοκησάντων δὲ διὰ γραμμάτων τῇ τῶν προσειρημένων ψήφῳ, τὰς προηγορίας ὁμοῦ καὶ τὰς πόλεις ὅθεν ἕκαστος ὁρμώμενος ἐπέστελλε μνημονεύει. ταῦτα μὲν ὁ Κορνήλιος Φαβίῳ Ἀντιοχείας

9. *De reliqua epistola Eusebius istud dumtaxat summatim subnectit:* Sub finem autem epistolæ catalogum texuit episcoporum, qui Romam convenientes, amentiam Novati (*leg.* Novatiani) condemnaverant, nomina quoque illorum et quam quisque regebat ecclesiam adscribens. Eorum item, qui Romæ quidem

## VARIORUM NOTÆ.

ter jus habuit excommunicandi presbyteros collegas suos: sed quod unum potuit, se a communione illorum separavit: cum scilicet illi videndi ejus causa venirent in carcerem. Solent porro antiqui scriptores ita loqui de sacerdotibus qui ab aliorum communicatione abstinent, quasi ipsi eos a communione sua separent. Paulinus presbyter in Vita B. Ambrosii. « Ipsum vero Maximum a communionis consortio segregavit, admonens ut effusi sanguinis Domini sui ageret pœnitentiam. » Qui Paulini locus ita intelligendus est ut dixi. Neque enim Ambrosius Maximum Imperatorem a communione totius Ecclesiæ sejunxit, cum nullum jus in eum haberet: sed tantum a Maximi et episcoporum ejus communione abstinuit, ut ipse testatur in relatione sua ad Valentinianum. Vide quæ supra notavi de privata communione et excommunicatione. Cæterum quod hic scribit Cornelius Novatiano Moysis præjudicio condemnato, id a Moyse paulo ante obitum mihi factum videtur. Nam initio quidem Moyses confessor cum Novatiano communicabat. Et cum clerus Romanus epistolam illam ad Cyprianum scripsit quæ inter Cypriani epistolas prima ac tricesima numeratur, adhuc Moyses pacem cum Novatiano servabat. Ambo enim illi epistolæ subscripserunt. Quinetiam Novatianus ipse epistolam eam composuerat, sicut testatur Cyprianus in epistola ad Antonianum. Ex qua ingenium et eloquentiam Novatiani obiter licet cognoscere. Est enim epistola illa, ut fatendum est, elegantissima. Scripta est autem, cum jam Moyses annum in carcere exegisset quod ex Cypriani Epistolis ad Moysem prius datis aperte colligitur. Valesius.

B

C

Σὺν τοῖς πέντε πρεσβυτέροις. Quinam fuerint quinque illi presbyteri qui cum Novatiano schisma fecerant, mihi quidem incompertum est. Neque enim puto esse Maximum presbyterum et confessorem, qui cum Urbano, Sidonio ac Nicostrato ac reliquis confessoribus a Novatiano deceptus, ejus partes aliquamdiu fovit. Quippe Maximus et reliqui confessores, mortuo demum Moyse Novatiani partibus sese adjunxerunt, ut testatur vetus auctor de Pontificibus Rom. « Eo tempore, inquit, supervenit Novatus ex Africa, et separavit ab Ecclesia Novatianum et quosdam confessores, postquam Moyses in carcere defunctus est. » Novatianus quidem ante Moysis obitum qui contigit mense Februario, Decio 3 et Etrusco Coss. se ab Ecclesia sejunxerat: sed confessores nonnisi Moyse mortuo ad Novatiani partes transierunt. Tanta vis atque auctoritas in Moyse erat. Idque certe innuit Cyprianus in epist. 51, his verbis. « Posteaquam vos de carcere prodeuntes schismaticus et hæreticus error excepit, sic res erat quasi gloria vestra in carcere remansisset. » Atqui constat confessores, nonnisi mortuo Moyse, ex carcere dimissos fuisse. Cur enim ipsi potius dimissi fuissent quam Moyses? Post mortem igitur Moysis Novatianum secuti sunt. Quare non assentior Baronio, qui ad annum Christi 254, numero 66, ait confessores adhuc in carcere positos, Novatiano adversus Cornelium favisse. Sed neque illud libens Baronio concesserim quod ibidem scribit Moysem scilicet presbyterum Cornelio favisse adversus Novatianum. Mihi enim videtur Moyses paulo ante ordinationem Cornelii e vivis abiisse. Quippe Cornelius anno Christi 251, Decio Augusto 3 et Decio Cæsare Coss. mense Aprili juxta Baronii sententiam, factus est episcopus: Moyses vero mense Februario ejusdem anni e vita discesserat, cum anni spatio in carcere permansisset ut supra observavi. Porro ex quinque illis presbyteris qui cum Novatiano ab Ecclesia se segregaverant, unus fuisse videtur Maximus presbyter, Maximo illi confessori cognominis; quem Novatianus legatum postea misit in Africam. Valesius. Qui sint illi quinque presbyteri Romani, qui cum Novatiano sese ab Ecclesia segregarunt, sibi incompertum Valesius fatetur. Maximum tamen presbyterum, Maximo confessori cognominem, quem Novatianus legatum postea misit in Africam, quique Carthagine episcopus ordinatus est, unum ex illis fuisse opinatur. Tillemontius. Hist. Eccl. tom. III, pag. 442, huic adjici posse putat Hippolytum, qui Prudentio teste, Novatiano primum addictus, ac postmodum schisma ejus detestatus, labem illam celebri martyrio abstersit. Hic cavendum, ne quinque presbyteri, quos Moyses martyr a communione sua segregavit cum iis confundantur quinque presbyteris factionis Novati, de quibus Cyprianus tum infra Epist. 12 ad Cornelium, tum Epist. 40 ad plebem suam plura edisserit. Hi quippe Afri, illi Romani hi Felicissimo, illi Novatiano addicti; pacem hi concedebant lapsis nulla exacta pœnitentia, illi etiam pœnitentibus negabant. Constant. Vix illud intelligerem, qua ratione dici posset a Valesio Moyses presbyter Cornelio haud favisse adversus Novatianum cum, ut Constantius supra monuit, Novatiani schisma Moysis morte prius fuisse Cornelius hoc loco testetur; nisi Valesius, sicut Pearsonius in *Annal. Cyprian.* ad an 251, § 1. Novatiani schisma propter lapsorum receptionem ante Cornelium episcopum factum contigisse statuisset; cui quidem opinioni sese opponit Tillemontius not. III, in *Cornelium*, *Mem.* vol. III, p. 347, ed Bruxel. Videtur tamen controversia saltem de iisdem recipiendis prius extitisse, quam factus esset Cornelius episcopus. vid. supra pag. 28. Cæterum abest vox πέντε a *Cod. Norfolc.* Routh.

Θ'. Ἐπὶ Ῥώμης. Ἐπὶ τῆς Ῥώμης, ut paulo infra, et τὸν κατάλογον ms. *Norfolc.* Routh.

D

Μνημονεύει. Ista Eusebii verba nonnulli conferentes cum iis, quibus Hieronymus de Script. Eccl. c. 66. Cornelium ad Fabium scripsisse tradit *de synodo Romana, Italica et Africana*, sanctum illum doctorem ibi ad hanc Cornelii epistolam respicere arbitrantur. Sed alias potius commemorare videtur ejusdem papæ ad eumdem Fabium litteras, in quibus teste Eusebio pag. 242 « et Romanæ synodi gesta, et omnium per Italiam et Africam aliasque locorum illorum provincias sententiæ declarantur. » Quorsum vero Cornelius ad Fabium scribens, sive episcoporum qui Romano concilio adfuerant, sive eorum qui ejusdem synodi decreta per litteras comprobaverant, nomina et Ecclesias tam accurate annotarit, e subjecta Cypriani epistola XII. n. 8. colligere licet, ubi cum idem præsul ad Cornelium proxime misisse se dixisset « nomina episcoporum, qui sani et integri in Ecclesia catholica fratribus præsunt, statim adjungit: Quod utique de omnium nostrorum, consilio placuit, ut

Digitized by Google

ἐπισκόπῳ δηλῶν ἐγγραφε. Cornelii hæc attulit Eusebius in lib. VI *Hist. Eccles.* cap. 43.

A minime adfuerant, superiorum tamen sententiam suffragio suo approbaverant, vocabula et civitates, unde singuli litteras dederant, accurate commemorat.

## VARIORUM NOTÆ.

erroris diluendi ac perspiciendæ veritatis compendium fieret, et scires tu et collegæ nostri, quibus scribere, et litteras mutuo a quibus vos accipere oporteret : » monetque cæteros, quos in epistola sua tacuit, vel sacrificio aut libello maculatos esse aut hæresi perversos. Idem igitur præstitit et Cornelius, ut communione qui episcopi essent digni, qui indigni, non lateret. Exinde, eademque de causa, Romanos pontifices operam dedisse conjectat Tillemontius, ut si qui episcoporum collegio recens sociati essent, cæteri ubique terrarum præsules ea de re certiores B fierent. Certe lecturi sumus Cyprianum a Stephano papa petiisse, ut quem substitueret in Marciani Arelatensis episcopi locum, sibi quam primum significaret. COUSTANT. Ad Marciani hujus substitutionem quod spectat, monuit Stephanum Cyprianus, ut adversus Marcianum Novatianistam, quocum communicare jam ante recusaverant Afri, litteras ad Arelatenses mitteret, « quibus abstento Marciano alius in locum ejus substitueretur, » hoc est, exponente Fello, « ibique hortaretur Arelatenses, ut ad episcopi electionem procederent. » *Ep.* LXVIII, al. LXVII ; vel, quod idem est, docente olim Richerio appendice ad vol. I. *Hist. Concil. Generalium*, « exauctorato Marciano alium ab illo omnium consensu in ejus locum substituerent, » p. 802. Aliquid vero auctoritati litterarum plus favens nobis suadere possit, non tantum verborum forma, sed etiam exemplum illud substitutionis nonnullorum episcoporum a Cornelio modo narratum . Certe hoc apparet, curam aliquam Arelatensium ad Romani C episcopi officium pertinuisse. Synodum autem illam Italicam, quam ex Eusebii verbis supra. Allatis sibi collegit Hieronymus, tuetur quidem contra Pearsonium de eadem dubitantem Basnagius ad ann. 252. sect. VI. p. 366. *Annalium*; an vero feliciter, judicent alii. Et nonnullos inveni viros doctos, post quam hæc exaraveram, cum Pearsonio adhuc sentientes.

Hic denique cum veritatis tum S. Cornelii causa verba Cypriani apponam, qui una cum cæteris episcopis Africanis hoc olim statuerat, omnia integra reservanda esse, donec legati sui, alii item episcopi, pace restituta aut veritate comperta Roma redirent ; hæc enim ad Cornelium postea scribit : « Quod divinitus evenisse et consilium nostrum providenter processisse gaudemus. Sic enim nunc episcopatus tui et veritas pariter et dignitas apertissima luce et manifestissima et firmissima comprobatione fundata est, ut ex rescriptis collegarum nostrorum, qui ad nos litteras inde fecerunt, et ex relatione ac testimoniis coepiscoporum Pompeii et Stephani et Caldonii ac Fortunati ordinationis tuæ et origo necessaria et ratio justa et gloriosa quoque innocentia ab omnibus nosceretur. *Ep.* XLV, seu XLVIII. Vid. et *Ep. ad Antonianum* p. 68. » His insuper, quid de Novatiano atque causa ejus senserit magnus Dionysius Alex. ostenditur fragmento epistolæ ejus ad Cognominem Romanum episcopum apud Euseb, l. VII, cap. 8 : Νοουατιανῷ μὲν γὰρ εὐλόγως ἀπεχθανόμεθα, inquit ille, διακόψαντι τὴν Ἐκκλησίαν, καί τινας τῶν ἀδελφῶν εἰς ἀσεβείας καὶ βλασφημίας ἑλκύσαντι, καὶ περὶ τοῦ Θεοῦ διδασκαλίαν ἀνοσιωτάτην ἐπεισκυκλήσαντι· καὶ τὸν χρηστότατον Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ὡς ἀνελεῆ συκοφαντοῦντι. Ita quoque allocutus est ipsum Novatianum idem vir Sanctus : Διονύσιος Νοουατῷ (Ναυατιανῷ aliter legitur) τῷ ἀδελφῷ χαίρειν. Εἰ ἄκων, ὡς φῄς, ἦχθης, δείξεις ἐὰν ἀναχωρήσῃς ἑκών· ἔδει μὲν γὰρ καὶ πᾶν ὁτιοῦν παθεῖν, ὑπὲρ τοῦ μὴ διακόψαι τὴν Ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ.—καὶ νῦν δέ εἰ πείσαιο ἢ βιάσαιο τοὺς ἀδελφοὺς εἰς ὁμόνοιαν ἐλθεῖν, μεῖζον ἔσται σοι τοῦ σφάλματος τὸ κατόρθωμα. Euseb. VI. 45. De Novatiano autem Cornelium criminante Pearsonius loco supra commemorato, sed ad §. VII. hæc scribit, « Interim Novatianus contra ordinationem Cornelii « aperte disputavit, eamque ut illegitimam publice « traduxit et abrogare conatus est. Quod ut perficeret, multa Cornelio ipsi nefanda objecit, librumque acerbationibus criminosis plenum evulgavit, « præcipue illi minime a quopiam communicandum « esse docens, quod cum lapsis communionem haberet. » ROUTH.

---

ANN. CHR. CCLII.

## EPISTOLA X.

SEU EPISTOLÆ S. CYPRIANI AD ANTONIANUM PRIMA PARS, IN QUA CYPRIANUS DE S. CORNELIO DISSERIT.

(Erasm. IV, 2. Pamel. Rigalt. Baluz. LII. Paris. LI, Oxon. Lips. LV. Pars prima tantum apud Coustant. I. col. 159; Galland. III, pag. 547.

PARTIS PRIORIS ARGUMENTUM. — *Cyprianus Antoniano falsas opiniones Novatiani litteris ipsi injectas levat. Ipse a levitatis suspicione circa lapsorum causam se purgat. Quam canonice Cornelius in locum Petri sit promotus, et quam fortiter in eo se gesserit, enarrat.*

CYPRIANUS ANTONIANO FRATRI SALUTEM.

I. Accepi primas litteras [a] tuas, frater charissime,

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Accepi litteras *Lam. Bod.* 3. *Ver. Corb.*

## VARIORUM NOTÆ.

EPIST. X. — In prima epistolæ hujus parte tam multa sunt quæ ad Cornelium attinent, ut inter epistolas aut ab ipso aut ad ipsum scriptas locum ei deberi censuerimus. Hinc sane quam abnormem et contra omnes Ecclesiæ leges factam Novatiani ordinationem in superiori epistola audivimus, tam legitime Cornelium in cathedra Petri constitutum fuisse idoneo teste percipiemus. Scripta fuit hæc epistola, postquam Decius, ut num. 8, indicatur, Gothorum bello et armis interiit. Anno autem 251 exeunte istud contigit : adeoque hæc epistola ad annum 252 non male refertur. COUSTANT.—Priori hujus Epistolæ parti et posteriorem subjungimus, ne una in hoc tomo, alteraque in sequente rejecta, manca ac velut utroque pede clauda Epistola prodeat. EDD.

I. *Accepi primas.* Ita plerique codices tam nostri quam Anglicani et Vaticani duo. Alii habent *Accepimus primas litteras.* Ita etiam antiquæ editiones.

Digitized by Google

concordiam collegii sacerdotalis firmiter obtinentes, et catholicæ Ecclesiæ cohærentes : quibus significasti eum Novatiano te tibi communicare, sed sequi consilium nostrum, et cum Cornelio coepiscopo nostro unum tenere consensum. Scripsisti etiam, ut exemplum earumdem litterarum ad Cornelium collegam nostrum transmitterem; ut, deposita omni sollicitudine jam sciret te secum, hoc est cum catholica Ecclesia, communicare.

II. Sed enim supervenerunt postmodum aliæ litteræ tuæ per Quintum compresbyterum [a] missæ, in quibus animadverti animum tuum Novatiani litteris motum nutare cœpisse. Nam cum [b] et consilium et consensum firmiter tuum ante fixisses, desiderasti in iis litteris [c], ut rescriberem tibi quam hæresim Novatianus introduxisset [d], vel Cornelius qua ratione Trophimo et thurificatis communicet. Quod quidem si pro sollicitudine fidei anxie curas, et rei [e] dubiæ veritatem solliciti exploras, reprehendenda non est, in timore divino æstuantis animi sollicitudo suspensa.

III. Quoniam tamen video, post primam sententiam Epistolæ tuæ, Novatiani litteris postmodum te ess commotum; illud, frater charissime [f], primo in *loco* pono, graves viros, et semel super petram [g] robustam solida stabilitate fundatos, non dico aura levi, sed nec vento aut turbine commoveri : ne animus dubius et incertus variis opinionibus, velut quibusdam ventorum incursantium flatibus, frequenter agitetur, et a proposito suo cum quadam [h] levitatis reprehensione mutetur. Quod ne vel apud te, vel apud quemquam Novatiani litteræ faciant, ut desiderasti, frater, rationem rei tibi breviter exponam. Et quidem primum, quoniam de meo quoque actu motus videris; mea apud te et persona et causa purganda est : ne me aliquis existimet a proposito meo leviter recessisse; et cum evangelicum primo vigorem et inter initia defenderim, postmodum videar animum meum a disciplina et censura priore flexisse : ut his, qui libellis conscientiam suam maculaverint, vel

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Compresbyterum nostrum, *Bod.* 3.
[b] Nam cum et id consilio et in consensu tuo, *Lam. Ebor. NC.* 1.
[c] Litteris rescribi tibi *Bod.* 1. *Lam. Ebor. NC.* 1.
[d] Novatianus introducat *Bod.* 2. *NC.* 1.
[e] Sollicitudine fidei, rei dubiæ veritatem *Lam. Ebor.*
[f] Frater charissime *Bod.* 2. *Lam. Ebor.*
[g] Et semper super petram *Lam. Ebor. NC.* 1.
[h] A quoque proposito, quadam *Corb.*

## VARIORUM NOTÆ.

Quidam libri veteres et editio Remboldi omittunt vocem *primas*, quæ etiam omissa est in codice 199 bibliothecæ Vaticanæ, quam tamen ego puto convenire huic loco. Baluz.

*Obtinentes.* Hæc est vera lectio, quam confirmant undecim libri veteres. *Obstringentes* tamen scriptum est in tribus antiquis codicibus et in editionibus quæ Pamelianam antecesserunt. Error ortus est ex insciția librariorum, qui nescientes legere scribebant pro libito suo quicquid eis in mentem veniebat. Religiosior fuit is qui scripsit codicem Turonensem. Scripsit enim *obstringentes vel obtinentes*, lectori judicium integrum relinquens. Baluz.

*Cornelium collegam.* Nescio quid magnum aut extraordinarium inveniant in hoc loco quidam ut hinc colligant æqualitatem esse inter episcopos et nihilo majorem esse Romanum quam cæteros. Certum quippe est episcopos omnes, cum sint in collegio, esse collegas et se per omnes tempestates vocasse collegas et fratres, uti etiamnum faciunt. Et tamen nemo catholicus dubitat quin episcopus Romanus habeat magnam prærogativam et auctoritatem. Baluz.

*Secum, hoc est, cum Ecclesia catholica communicare.* Certe vel hic locus confirmat Romani Pontificis auctoritatem; si enim verum sit, cum Ecclesia catholica illum communicare, qui cum Cornelio Romano Papa communicat, erit igitur Ecclesia illa catholica cui præsidet Cornelius; atque proinde signum per quod discernatur Ecclesia catholica ab hæreticorum conciliabulis, est successio Romanorum Pontificum. Pamel.

II. *Motum nutare cœpisse.* Ipsi etiam Cornelio simile quidpiam contigerat. Cum enim prius erga factionis Felicissimi legatos vigorem præ se tulisset plane sacerdotalem, eorum postmodum minis ac terroribus cedere nonnihil visus est. Qua de re cum eo Cyprianus epist. XII, n. 2, expostulat. Adeo captiosæ erant Novatiani litteræ, tantæ fautorum ejus artes! Constant.

*Trophimo.* Ita thurificatis jungitur, ut dubitare vix liceat, quin et ipse idolis thus obtulerit. Hujus crimen haud absimile videtur flagitio cujusdam Reposti; *qui non tantum in persecutione ipse cecidisse, sed et maximam partem plebis suæ sacrilega persuasione dejecisse* in epistola subsequente 12, n. 9, legitur. Constant. — Admittebatur is quidem, sed tantum ad laicam communionem : idque ex receptissimo Ecclesiæ more, cum contingeret aliquos de Clero lapsos fuisse; his enim depositio erat pro excommunicatione.

III. *Petram.* Octo libri veteres et omnes editiones ante Manutianam addunt *robustam.* In Fuxensi scriptum est, *robusta stabilitate*, ut in editione Manutii. Porro vox *robustam* deest in duodecim vetustis exemplaribus. Baluz.

*Et quidem primum quoniam de meo quoque actu*, etc. Quemadmodum satis constat ex libro et epistolis superioribus de Lapsis, erat initio, persecutione adhuc fervente, durior paulo erga lapsos Cyprianus, ut pote qui non nisi exacta pœnitentia ad pacem admittendos censeret, nisi forte ad preces Martyrum instante periculo mortis, idque non solum in sacrificatis sed et in libellaticis observari volebat. Pace autem jam Ecclesiæ data, cum primum convenire licuit, in episcoporum Africæ concilio nonnihil moderata est illa censura, et placuit illis (uti infra hac eadem epistola dicit) examinatis causis singulorum libellaticos interim admitti, sacrificatis vero in exitu subveniri. Culpabat itaque Cyprianum Antonianus, quod sententiam mutasset, ipse vero mutati consilii rationes adduci; neque sibi soli sed et clero Romano primum; et deinde episcopis compluribus placuisse hanc diffinitionem, immo vero et a Cornelio in synodo Romana confirmatum. Atque hæc ad loci hujus intellectum sufficiant Pamel.

*Conscientiam suam.* Horum, quos uno verbo *libellaticos* appellat Cyprianus, et eorum qui idolis sacrificaverunt, quos et *sacrificatos* vocat, longe imparem conditionem ac diversum peccatum idem præsul in

nefanda sacrificia commiserint, laxandam [a] pacem putaverim. Quod utrumque non sine librata diu et ponderata ratione a me factum est.

IV. Nam cum acies adhuc inter manus esset, et prælium gloriosi certaminis in persecutione ferveret, toto hortatu et pleno impetu militum vires fuerant excitandæ, et maxime lapsorum mentes classico quodam nostræ vocis animandæ; ut pœnitentiæ viam non solum precibus et lamentationibus sequerentur, sed quoniam repetendi certaminis et reparandæ salutis dabatur occasio, ad confessionis potius ardorem [b] et martyrii gloriam nostris increpiti [c] vocibus provocarentur. Denique cum de quibusdam ad me presbyteri et diacones scripsissent, eos immoderatos esse, et ad communicationem accipiendam festinanter urgere, rescribens eis in epistola [d] mea quæ exstat, et hoc addidi : « Qui si nimium properant, habent « in sua potestate quod postulant [e], tempore ipso « sibi plus quam postulant largiente. Acies adhuc « geritur, et [f] agon quotidie celebratur : si com- « missi vero et firmiter pœnitet, et fidei calor « prævalet, qui differri non potest, potest coronari. » De eo tamen quod statuendum esset circa causam lapsorum distuli : ut cum quies et tranquillitas data esset, et episcopis in unum convenire indulgentia divina permitteret, tunc communicato et librato [g] de omnium collatione consilio, statueremus quid fieri oporteret : si quis vero ante concilium nostrum et ante sententiam de omnium consilio statutam [h] lapsis temere communicare voluisset, ipse a communicatione abstineretur.

V. Quod etiam Romam [i] ad clerum tum adhuc sine episcopo agentem, et ad confessores Maximum, presbyterum, et cæteros in custodia constitutos, nunc in Ecclesia cum Cornelio junctos plenissime scripsi. Quod me scripsisse, de eorum rescripto poteris noscere [j] : nam in epistola sua ita posuerunt : « Quamquam nobis in tam ingenti negotio « placeat quod et tu ipse tractasti, prius esse Ec- « clesiæ pacem sustinendam, deinde sic collatione « consiliorum cum episcopis, presbyteris, diaconi- « bus [k], confessoribus pariter ac stantibus laicis « facta, lapsorum tractare rationem. » Additum est, etiam Novatiano tunc scribente, et quod scripserat sua voce recitante, et presbytero Moyse tunc adhuc confessore, nunc jam martyre, subscribente ut lapsis infirmis et in exitu constitutis pax daretur. Quæ litteræ per totum mundum missæ sunt, et in notitiam ecclesiis omnibus et universis fratribus perlatæ sunt.

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Laxandam a me *Bod.* 1.
[b] Confessionis ardorem *Lam.*
[c] Nostris increpitationibus *Bod.* 3.
[d] Epistola mea quæ expediant *Lin.*
[e] Quam quod postulant *Bod.* 1. *Neap. MR.*
[f] Et apud nos quotidie *Corb.*
[g] Deliberato *Lam. Ben. Bod.* 2. *Ebor.*
[h] Constitutam *Lam. Bod.* 3.
[i] Romanum ad clerum *Corb.*
[j] Potest nosci *Lam. Bod.* 2.
[k] Diaconis *Sup. Epist. Novat.* Diaconibus pariter *Lam. Bod.* 2.

## VARIORUM NOTÆ.

altera epistolæ hujus parte demonstrat. Nam qui libellatici ideo dicebantur, quia præmio magistratibus dato, quo tormenta redimerent, libellum ab ipsis accipiebant, ad magistratus vel venientes ipsi testificabantur, vel alio eunte mandabant, *se Christianos esse, sacrificare sibi non licere, ad aras diaboli se venire non posse; dare se ob hoc præmium, ne quod non licet faciant.* Et illi quidem, ut Cyprianus ibidem testis est, ita se bona fide gerebant, cum hoc licitum, nec prohibitum existimarent. Neque vero rei fuissent, si, pecunia oblata, libellos accepissent, quibus a persecutione liberarentur. Sed in hoc eorum erat crimen, quod ipsos ad aras accessisse, *et propositis adversus Evangelium vel edictis vel legibus satisfecisse*, ipsi libelli contestabantur, idque deinde publice legebatur, ut narrat clerus Romanus apud Cyprianum epist. XXXI. COUST.

IV. *Circa causam lapsorum.* Supple *decernere.* Vide dictam epistolam XIV. COUSTANT.

V. *De eorum rescripto.* Non displicet quod in edit. Oxon. ut in mss. Colb. et Corb. legitur, *rescriptis.* Nam etsi Cyprianus sola epistolæ XXXI, cleri Romani verba in medio ponat, laudare tamen simul videtur et sententiam Confessorum ipsi de eadem re, epist. XXVI, rescribentium : *Cum grande delictum, et per totum pene orbem incredibile vastatione grassatum, non oporteat nisi, ut ipse scribis, caute moderateque tractari, consultis omnibus episcopis, presbyteris, diaconis, confessoribus et ipsis stantibus laicis.* Cujus circumspectionis laudatus clerus in citata epistola XXXI, hanc reddit rationem : *Perquam enim nobis et invidiosum et onerosum videtur, non per multos examinare, quod per multos videatur commissum fuisse; et unum sententiam dicere, cum tam grande crimen per millos diffusum notetur exisse : quoniam nec firmum decretum potest esse, quod non plurimorum videbitur habuisse consensum.* COUSTANT.

*Quamquam nobis.* Sumptum est istud ex epistola XXXI. BALUZ.

*Additum est.* Hunc locum descripsit Pacianus in tractatu contra Novatianos ad Sympronianum. BALUZ.

*Ut lapsis.* Jam non ipsa cleri Romani verba Cyprianus refert, sed ejus sententiam pluribus explicatam paucis perstringit. Cleri hujus litteræ, non, ut Rigaltius scripsit, ipsius Cypriani, sede vacante, *per totum orbem missæ* hic dicuntur. Et sapientiam quidem spirant prima Ecclesiæ clero dignam. Is nempe nimio potestatis suæ studio minime percitus, episcopos vicinos, ac remotos qui Romæ aderant, secum vocare, eorumque consilio uti non dedignatur. Sibi *ante constitutionem episcopi nihil innovandum* decernit. Tantum lapsis, *si vere pœnitentis animi signa prodiderint*, ubi mortis imminet periculum, subveniendum putat. Nihil vero erat, cur Oxoniensis editor litterarum illarum auctoritatem inde elevare atque imminuere conaretur, quod a Novatiano scriptæ sint. Non enim ab eo qui scribit, sed ab eo cujus nomine scribuntur, necnon e subscribentium consensu pendet epistolarum auctoritas. Cyprianus vero cleri Romani litteras a Novatiano scriptas ac subscriptas esse non tacuit : ut id quod hæreticus ille de lapsis ad pœnitentiam non admittendis subinde docuit, ipsi non veritate persuadente, sed ambitione sensum pervertente, placuisse planum fieret. COUSTANT.

Digitized by Google

VI. Secundum quod tamen ante fuerat destinatum, persecutione sopita, cum data esset facultas conveniendi, copiosus episcoporum numerus, quos integros et incolumes fides sua et Domini tutela protexit [a], in unum convenimus, et Scripturis [b] diu ex utraque parte prolatis, temperamentum salubri moderatione [c] libravimus, ut nec in totum spes communicationis et pacis lapsis denegaretur; ne plus desperatione [d] deficerent, et eo quod sibi Ecclesia cluderetur [e], secuti sæculum gentiliter viverent; nec tamen rursus censura evangelica solveretur, ut ad communicationem temere prosilirent; sed traheretur diu pœnitentia, et rogaretur dolenter paterna clementia, et examinarentur causæ et voluntates et necessitates singulorum, secundum quod libello continetur, quem ad te pervenisse confido, ubi singula placitorum capita conscripta sunt. Ac si minus sufficiens episcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam super hac re scripsimus ad Cornelium collegam nostrum: qui et ipse cum plurimis coepiscopis habito concilio, in eamdem nobiscum sententiam pari gravitate et salubri moderatione consensit.

VII. De quo tibi necesse nunc fuit scribere: ut scias me nihil leviter egisse; sed secundum quod litteris meis fueram ante complexus, omnia ad commune concilii nostri consilium distulisse, et nemini quidem e lapsis prius communicasse, quando adhuc erat unde non tantum indulgentiam, sed et coronam lapsus acciperet: postea tamen, sicut collegii concordia et colligendæ fraternitatis ac medendi vulneris utilitas exigebat, necessitati temporum succubuisse, et saluti multorum providendum putasse; et nunc ab his non recedere, quæ semel in concilio nostro de communi collatione placuerunt, quamvis multa multorum vocibus ventilentur, et mendacia adversus sacerdotes Dei de diaboli ore prolata, ad rumpendam catholicæ unitatis concordiam ubique jactentur. Sed te oportet, ut bonum fratrem atque unanimem consacerdotem, non quid maligni atque apostatæ dicant facile suscipere; sed quid collegæ tui modesti et graves viri faciant de vitæ et disciplinæ nostræ exploratione perpendere [f].

VIII. Venio jam nunc, frater charissime, ad personam [g] Cornelii collegæ nostri: ut Cornelium nobiscum verius noveris, non de malignorum et detrahentium mendacio, sed de Dei judicio [h] qui episcopum fecit; et coepiscoporum testimonio, quorum numerus universus per totum mundum concordi unanimitate consensit. Nam quod Cornelium charissimum nostrum Deo et Christo et Ecclesiæ ejus, item consacerdotibus cunctis laudabili prædicatione commendat, non iste ad episcopatum subito pervenit; sed per omnia ecclesiastica officia promotus, et in divinis administrationibus Deum sæpe promeritus, ad sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit. Tum deinde episcopatum ipsum nec postulavit [i], nec voluit, nec, ut cæteri quos arrogantiæ et superbiæ suæ tumor inflat, invasit: sed quietus alias et modestus, et quales

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Tutela servavit *Bod.* 3.
[b] Scripturis divinis *Lam. Ebor. Ben. Bod.* 2. *NC.* 1.
[c] Salubri ratione *Bod.* 3.
[d] Nec potius desperatione deficerent ex eo *Bod.* 3.
[e] Cluderetur, et seculo *Bod.* 3. Clauderetur *Colb.* Adduceretur *Corb.*
[f] Exemplo ratione perpendere *Corb.* exhortatione *Colb.*
[g] Ad personam collegæ nostri *Lam. Bod.* 2.
[h] Sed Domini Dei judicio *Oxon. Baluz.*
[i] Nec ipse postulavit *Oxon.* Ipsum nec voluit *Lam. Ebor. NC.* 1.

## VARIORUM NOTÆ.

VI. *Placitorum capita.* Quæ mandatorum capita vocat Optatus in libro primo adversus Parmenianum. An vero hæc sit origo canonum pœnitentialium, ut censuit Baronius, aliis excutiendum relinquo. BALUZ.

*Videbitur.* Ita habent plures codices optimi et veteres editiones. Quæ lectio mihi videtur esse melior quam Manutiana, in qua scriptum est *videbatur*. BALUZ.

*Habito concilio.* Anno 251, ut ait Pearsonius in Annalibus Cyprianicis, ubi refertur ex Eusebio sexaginta episcopos ad hoc Romanum concilium convenisse. Habitum autem fuisse mense Septembri tradit idem auctor et Pagius post eum. BALUZ. — Nostri mss. *consilio*. Carthaginense concilium de lapsorum causa, Romano, quod eadem de causa Cornelius habuit, anterius fuisse hic diserte docemur. Quocirca cum apud Eusebium lib. VI, c. 43, Cornelius Romanæ synodi gesta cum Afrorum aliorumque sententiis ad Fabium misisse dicitur, de Afrorum sententiis quibus Afri Romanæ synodo præiverint, non quibus eidem synodo subscripserint, Eusebius ibi loqui censendus est. COUSTANT.

*Consensit.* Deest hoic aliquid, puta rite ad episcopatum pervenisse, aut aliquid simile. Sensus enim non est integer. BALUZ.

VII. *Exploratione.* In quinque libris antiquis et in vetustioribus editionibus legitur *exemplo*, eamque lectionem ego prima fronte probabam. Videbam enim insuperhabita editione Manutii, retentam fuisse a Morellio. Confirmabat hanc meam opinionem auctoritas horum quinque veterum librorum, in quibus scriptum est, *de vitæ et disciplinæ nostræ exemplo ratione perpendere.* Opinabar autem vocem *exploratione*, quam Manutius protulit, ortam esse ex emendatione cujusdam veteris librarii; qui cum existimaret has voces non cohærere, adeoque lectionem illam veterem esse mendosam, ex his duabus vocibus simul junctis fecisset *exploratione*, expungens priorem, retinens aliam. At nunc, cum videam in epistola LXVIII, in codice Fuxensi, scriptum esse *exemplo et ratione*, ut illic annotabitur, pro eo quod alii libri et editiones habent *exploratione*, non dubitavi quin hæc lectio sit melior. Supra quippe in epistola septima, legitur: *Persecutio ista examinatio est atque exploratio pectoris.* BALUZ.

VIII. *Quietus alias.* Ex octo mss. in Oxon. edit. recensitis vocem *alias* revocamus, faventibus Colb. et Corb. quorum in uno *alios*, in altero *aliis* legitur. Pluribus opus non est, ut Cyprianum in iis omnibus, in quibus Cornelii electionem commendat, ordinationem Novatiani ut iisdem conditionibus destitutam ex obliquo pulsare ac reprobare persuadeamus. Immo et nomine *quidam* non obscure designatur. Novatianus. Inde etiam cuique exploratum est, id prioribus sæculis circa electiones præsulum usu fuisse receptum, quod postea scriptis legibus mandatum est. COUSTANT.

Digitized by Google

esse consueverunt qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ [a] suæ et pro humilitate ingenitæ sibi et custoditæ verecundiæ, non, ut quidam, vim fecit ut episcopus fieret; sed ipse vim passus est [b] ut episcopatum coactus exciperet. Et factus est episcopus a plurimis collegis nostris, qui tunc in urbe Roma [c] aderant, qui ad nos litteras honorificas et laudabiles et testimonio suæ prædicationis illustres de ejus ordinatione miserunt. Factus est autem Cornelius episcopus de

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic. Ver. Benev. Bod.* 1, 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. *Lin.* Virginalis continentiæ *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3. *Pem. MR.*

[b] Vim fecit *Lam. Bod.* 2.

[c] Urbe Romana *Bod.* 1.

## VARIORUM NOTÆ.

*Virginalis conscientiæ.* Colb. ms. *virginitatis et continentiæ.* Septem Anglic. *virginalis continentiæ suæ.* Quamvis *virginalis conscientiæ* retineamus, his tamen verbis Cornelium non iis tantum virtutibus, quæ virgines decent, sed et virginitate ipsa ornatum prædicari censemus. Constant.—Reposui lectionem quam inveni in XIX libris nostris veteribus et in octo Anglicanis. Vocem *conscientiæ*, quam præferunt editiones, non inveni nisi in duobus antiquis. Infra in hac ipsa epistola scriptum est, *continentiæ propositum.* In libro *de Habitu Virginum*, pag. 174, legitur continentiam sequi Christum et virginitatem destinari regno Dei. Lactantius lib. VI, cap. 23, ait hoc continentiæ genus esse fastigium et consummationem omnium virtutum. Quintilianus lib. VIII, cap. 4, laudat invictam continentiam Socratis. Alia enim continentia significat abstinentiam in cibo et potu apud A. Gellium lib. IV, cap. 1, et lib. V, cap. 2. In *libello precum Marcellini et Faustini* laudatur mira continentia Macarii presbyteri Romani, quod nec vino stomachum relevaret, nec carnis esculentia corpus curaret, sed oleo solo escas asperiores mitigans, jejuniis et orationibus vacaret. Hieronymus in epistola *ad Lætam* de institutione filiæ : *In quadragesima continentiæ vela pandenda sunt.* Vide Cassianum *collat.* II, cap. 16 et 26. Julius Capitolinus in Ælio Pertinace : *Exemplo autem Imperatoris, cum ille parcius se ageret, ex communi continentia vilitas nata est.* Hieronymus in caput quintum epistolæ ad Galatas : *Non solum autem in desideriis et cupiditate continentia necessaria est, sed etiam in tribus reliquis perturbationibus, dolore scilicet, lætitia, et timore.* Item in caput secundum epistolæ ad Titum : *Sciendum quoque est quia continentia non solum in carnis opere et omni concupiscentia, sed in omnibus rebus necessaria sit, ne honores indebitos appetamus, ne accendatur avaritia, ne ulla passione superemur.* Vide Cyprianum in libro *de Habitu Virginum* pag. 174. *Continentia vero*, etc. Alibi continentia usurpatur pro alimonia, id est victu necessario, ut observat Franciscus Pythœus in glossario ad Julianum antecessorem. Baluz.

*Ipse vim passus.* Joannes Saresberiensis lib. VIII, cap. 23, Policratici : *Antiqui quondam trahebantur inviti, et proni ad martyrium, primas cathedras carcere pejus et cruce fugiebant.* Et Justinianus Imperator l. V. *Si quamquam* cod. *De episcopis et clericis* ait : *Profecto enim indignus est sacerdotio nisi fuerit ordinatus invitus.* Hieronymus in Epitaphio Nepotiani : *Querebatur se ferre non posse, et juvenilem ætatem incongruam sacerdotio causabatur. Sed quanto plus repugnabat, tanto magis in se studia omnium concitabat, et merebatur negando quod esse nolebat, eoque dignior erat quo se clamabat indignum.* Idem in Epitaphio Paulæ ad Eustochium : *Fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quæ virtutes quasi umbra sequitur, et appetitores sui deserens appetit contemptores.* Boetius in libro secundo, de Consolatione philosophiæ : *Ita fit ut non virtutibus ex dignitate sed ex virtute dignitatibus honor accedat.* Et illud de Sancto Honorato episcopo Arelatensi : *Et qui venire ad dignitatem detrectaverat, ad ipsum dignitas venit.* Sanctus Papa Gregorius, lib. IV, Epist. 45, ait ea inter alias ratione se ordinasse Marinianum episcopum quod refugeret episcopatum, *quem suscepit invitus.* Dignum est legi quod in Gregorii Nazianzeni oratione de funere patris scriptum est de Eusebio electo Cæsariensi archiepiscopo. Vide librum diurnum pontificum Romanorum, in quo ille dicitur dignior episcopatu qui se occultat ne fiat episcopus. Vide etiam Cresollium lib. III, cap. 1. Mystagogi. Verum hæc electorum episcoporum repugnantia rara postea fuit. Nam cum episcopi cœpissent in honore esse, crevissentque opes, episcopatus, ut Sulpitius Severus ait, pravis ambitionibus appeti cœperunt. Qua in causa videnda est elegans et diserta Isidori Pelusiotæ epistola XXI libri quinti. Gregorius Nazianzenus oratione in laudem Basilii : *Non enim virtute magis quam malitia et fraude sacerdotii dignitas paratur, nec meliores ac digniores sed potentiores thronis insident.*

At non solum in Ecclesia Christi viguit ista magnorum virorum modestia, sed etiam in republica, in imperio. Julius Capitolinus refert concionem Clodii Albini ad milites, cujus hoc initium est : *Invitum me, commilitones, ductum ad imperium et etiam illud probat quod Commodum donantem me Cæsareo nomine contempsi.* Ælius Lampridius in Alexandro Severo, qui factus est imperator invitus, scripsit : *Exponam causas quibus id et senatus coactus est facere et ille perpeti.* Apud Flavium Vopiscum Probus Imperator ait : *Imperium numquam optavi, et invitus accepi.* Claudianus in panegyrico in quartum consulatum Honorii Augusti :

> Digna legi virtus. Ultro se purpura supplex
> Obtulit, et solus meruit regnare rogans.

Vide quæ de electione Pertinacis notat Joannes Tristanus a Sancto Amantio in tomo secundo suorum Commentariorum. Baluz.

*Factus est episcopus a plurimis collegis.* Sexdecim videlicet episcopis, ut in hujus epistolæ secunda parte docemur, inter quos duo erant Afri, quos consulto, ut Romani pontificis electioni interessent, missos fuisse Cyprianicorum Annalium conditor scribit, sed nulla ratione probat. Eos, cum aliis de causis Romam missi fuissent, vel venissent ultro, ad prædictam electionem vocatos esse probabilius est. Constant. — Infra episcopos qui ordinationi Cornelii interfuerant, sexdecim fuisse dicit, inter quos, uti patet ex epist. supra XLII, fuerunt ex Africa, Caldonius, Fortunatus, Pompeius, et Stephanus. Apparet autem ex hoc loco episcopum sive papam Romanum ea ætate fieri solere a sacerdotum collegio, id est, ab episcopis, de clericorum testimonio, et plebis suffragio. Sæpe enim variatus est mos eligendi Romani pontificis. Primum D. Petrus suos successores designavit Linum, Cletum, et Clementem; Anacletus et cæteri usque ad secundum schisma inter Damasum et Ursicinum Cleri et populi suffragiis creati sunt, et ab episcopis, si qui forte præsentes essent, ut ex hoc loco colligere est. Tum autem in electione Damasi interponi cœpit Imperatorum auctoritas. Et primum quidem in schismate dumtaxat, ad sedandos tumultus, uti a Valentiniano res composita est inter Damasum et Ursicinum, ab Honorio inter Bonifacium et Eulalium, et a Theodorico rege inter Symmachum et Lau-

Digitized by Google

Dei et Christi ejus judicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis quæ tunc adfuit suffragio, et de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum

A collegio : cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, id est cum locus Petri et gradus ca-

## VARIORUM NOTÆ.

rentium. Deinde etiam extra schisma; ne forte tumultus contingeret. Immo eo res paulatim devenit, ut sine illorum assensu consecrationem suscipere non auderent. Duravit hic mos ad Imperat. Constantinum III usque, qui sanctitate Benedicti II, permotus, permisit liberam uti antea potestatem soli Clero et populo Romano eligendi et designandi Pontificis. Postea Adrianus papa convocata ad hoc synodo Lateran. episcoporum 153, quod antea nulli Imperatori concessum fuit, etiam eligendi pontificis jus, ob pulsos Italia Longobardos Carolo magno concessit. Illi tamen juri filius ejus paulo post renunciavit, ut patet LXIII *distinct. apud Grat.* cap. B *Ludovicus*. Sic libera denuo fuit Romanis electio et consecratio Papæ per multum temporis, usque ad Leonem VIII. Qui cum ab Othone primo vi, et armis in sede apostolica collocatus esset, denuo a clero et plebe ad imperatorem jus omne eligendi pontificis transtulit. Hoc privilegio usi sunt successores Othonis, immo abusi potius, ad Henricum IV usque. Quare justissimis de causis iterum revocatum est id jus ad Romanos a Gregorio VII, etiam paulo ante Pontificatum, occasione sumpta a schismate illo inter Benedictum, Silvestrum et Joannem, sub Henrico Imperatore III. Nam Stephanus IX, Nicolaus II, et Alexander secundus sine assensu Imperatoris creati sunt. Quod cum iterum surreptitie per insidias impetrasset a Pascali II, Henricus V, per ipsum Pascalem denuo revocatum est in synodo Lateran. Postremo ad solos Cardinales jus eligendi pontificis delatum est, quod quo tempore cœperit non perinde constat; nam et si a Nicolao II tale quoddam statutum promulgatum sit, postea tamen C adhuc aliquoties intercesserunt populi et cleri Romani suffragia. Porro constitutiones de electione in conclavi celebranda, editæ sunt in Concil. Lugdun. a Gregorio X, hæc partim ex Onuphrio Panvino, et Platina, partim ex hierarch. Alberti Piggii.

PAMEL.

*Christi ejus judicio.* Baronius Cornelium signo aliquo ac portento divino episcopum designatum esse hinc colligit. Sed nihil aliud sibi voluisse videtur Cyprianus, nisi ut omnia, quæ in eligendis episcopis Dei et Christi judicio atque præscripto servanda sunt, in electionem Cornelii convenisse significaret. Ipse Cyprianus infra epist. XII, n. 5, mentem suam explicat, dum Fortunatum sibi frustra subrogatum probat his verbis : *Nemo* POST DIVINUM JUDICIUM, *post populi suffragium, post coepiscoporum consensum, judicem se jam non episcopi, sed Dei faceret.* Et mox, *Nisi si ita est aliquis sacrilegæ temeritatis ac perditæ mentis, ut putet sine Dei judicio fieri sacerdotem.* D COUSTANT. — Hieronymus in caput primum epistolæ ad Galatas : *Nunc videmus plurimos non Dei judicio, sed redempto favore vulgi in sacerdotium subrogari.* BALUZ.

*De Clericorum testimonio.* Notat Annalium Cyprianic. conditor Baronium, mutatis Cypriani verbis, in electione sacerdotum clericis suffragium, ac plebi testimonium deferre. In superiore nota eumdem præsulem audivimus de sua ipsius ordinatione dicentem, *Post populi suffragium.* Quamquam Cyprianus supra, epist. I, n. 2, scribit, *episcopo semel facto, et collegarum ac plebis* TESTIMONIO *et judicio comprobato, alium constitui nullo modo posse.* Quæ autem sit pars plebis in episcoporum electione, idem præsul Epist. 68, edit. Pamel. pluribus enarrat. Ac primo præmittit, quod *ipsa* (plebs) *maxime habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi.* Tum proxime subjicit : *Videmus de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, et dignus atque idoneus publico judicio ac* TESTIMONIO *comprobetur.* Mox exponens qua ratione Deus sacerdotem sub Lege institui voluerit, *coram omni synagoga*, inquit, *jubet Deus constitui sacerdotem, id est, instruit et ostendit ordinationes sacerdotales nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, et sit ordinatio justa et legitima, quæ omnium suffragio et judicio fuerit examinata :* ubi *omnium suffragium et judicium* nihil aliud sonat, nisi quod in proxima sententia *publicum judicium ac testimonium*, et in superiori *collegarum ac plebis testimonium et judicium.* Subinde addit, *Propter quod diligenter de traditione divina et apostolica observatione observandum est et tenendum, quod apud nos quoque et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, et episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit.* Nihil quidem ibi de plebis suffragio : sed statim adjungit : *Quod et apud vos factum videmus in Sabini collegæ nostri ordinatione, ut de universæ fraternitatis suffragio, et de episcoporum qui in præsentia convenerant, quique de eo ad vos litteras fecerant, judicio, episcopatus ei deferretur.* Cœlestinus epist. 4, cap. 5, nullum invitis episcopum dari volens, ut *cleri, plebis et ordinis consensus ac desiderium requiratur*, præcipit. Decernit et Leo epist. 9, c. 6 : *Teneatur subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordinis* C *consensus et plebis : qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur.* Et epist. 12, c. 5. *Ille omnibus præponatur, quem cleri plebisque consensus postulaverit.... Tantum ut nullus invitis et non petentibus detur.* Vide Julii epistolam 1, n. 14. COUSTANT.

*De plebis suffragio.* Vide Petavii notas ad Synesium, pag. 56 secundæ editionis. Vide etiam Flori diaconi Lugdunensis librum de electionibus episcoporum in appendice Agobarbi. BALUZ.

*De sacerdotum antiquorum.... collegio.* Hoc est, ni fallor, de presbyterorum selectorum et antiquorum numero. Nam cum episcoporum, a quibus Cornelius ordinatus est, jam mentio facta sit, assentiri non possumus Annalium Cyprian. conditori, qui hoc ad eosdem refert. Vulgo quidem apud Cyprianum sacerdotum vocabulum episcopos sonat : sed interdum etiam presbyteri hoc nomine intelliguntur. Neque enim aliud sibi vult is præsul epist. XXXV, seu XL, ubi se admonitum præmittens, ut *Numidicus presbyter adscribatur presbyterorum Carthaginensium numero*, illum non sine causa gravissimis tormentis superstitem servatum esse notat; sed *ut eum*, inquit, *clero nostro Dominus adjungeret, et desolatam per lapsum quorumdam presbyterii nostri copiam gloriosis* SACERDOTIBUS *adornaret.* Scribit Julius I, epist. 1, n. 14, ex ecclesiastici canonis præscripto episcopum *in ipsa ecclesia, ex ipso* SACERDOTALI *ordine*, (ἀπ' αὐτοῦ τοῦ ἱερατείου) *ex ipso clero, ab episcopis provinciæ illius constitui oportere.* COUSTANT. Apud Ivonem parte 5, cap. 359 et apud Gratianum 7; q. 1, cap. 5; itemque in uno veteri libro meo legitur *consensu.* Eadem voce utitur Cyprianus ep. LV, pag. 82, de electione sua scribens ad Cornelium. Correctores Romani emendarunt Gratianum ex textu Cypriani, male, ut opinor. Nam cum glossa expeteret ut vox *consensu* retineretur in contextu Gratiani, non debuerant illam rejicere. BALUZ.

*Fabiani locus.* In Oxon. edit. hic subjicitur ista an-

Digitized by Google

thedræ [a] sacerdotalis vacaret. Quo occupato de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensione firmato, quisquis jam episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est, nec habeat ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet unitatem. Quisquis ille fuerit, multum de se licet jactans, et sibi plurimum vindicans, profanus est, alienus est, foris est. Et cum post primum secundus esse non possit, quisquis post unum qui solus esse debeat factus est, non jam secundus ille, sed nullus est.

IX. Tum deinde post episcopatum non ambitum, nec extortum [b], sed de Dei, qui sacerdotes facit, voluntate susceptum, quanta in ipso suscepto episcopatu suo virtus, quantum robur animi, qualis firmitas [c] fidei, quod nos simplici corde et perspicere penitus et laudare debemus, sedisse intrepidum Romæ in sacerdotali cathedra eo tempore, cum tyrannus [d] infestus sacerdotibus Dei sancta atque infanda comminaretur; cum multo patientius et tolerabilius audiret, levari adversus se æmulum principem, quam constitui Romæ Dei sacerdotem [e]? Nonne hic, frater charissime, summo virtutis et fidei testimonio

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Et cathedra *Ver.*
[b] Ambitu vel extortu, sed de Dei, *Lam. Bod.* 2. Ex sorte, *Fab.*
[c] Quanta firmitas fidei *Bod.* 3.
[d] Tempore quo tyrannus *Lam. Bod.* 2.
[e] *Sic Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *Lin. NC.* 1. *Spir. Vet. Innom. Eras. Manut.* Romæ æmulum *Pam.*

## VARIORUM NOTÆ.

notatio: ***Rigaltius ait, Conjiciet aliquis manum Cypriani tantum scripsisse, Cum Fabiani locus et cathedra sacerdotalis vacaret; nec sane aliud quidquam patitur sensus auctoris:*** nihilque adjungitur unde vel confirmetur Rigaltii conjectura, vel infirmetur. Hanc sane resputt summa omnium mss. consensio, qua qui Romana in cathedra sedet, Cypriani judicio, locum Petri tenere ostenditur. Hoc ipsum et in subjecta epistola XII, n. 13, idem præsul plane asserit. COUSTANT. Ita omnes editiones et libri veteres, Carnotensi excepto, in quo scriptum est *gradus*. Attamen Rigaltius existimavit istud non esse Cypriani, itaque esse ex glossemate. Nescio an hæc ejus opinio multos habitura sit sectatores. Optatus Milevitanus, lib. I, dixit cathedram Petri vel Cypriani, et lib. II, cathedram episcopalem esse collatam in urbe Roma. BALUZ.

*Ecclesiasticam ordinationem.* Corb. mss. *Ecclesiæ ordinationem.* Mox Cyprianus his verbis, ***multum de se licet jactans***, etc. Novatianum notat, eumque innuit nonnullis prædituum dotibus, quas ille vel per se, vel per suos plurimum venditaret. De eodem in secunda epistolæ hujus parte apertius ita loquitur: ***Jactet se licet et philosophiam vel eloquentiam suam superbis vocibus prædicet: qui nec fraternam charitatem nec ecclesiasticam unitatem tenuit, etiam quod prius fuerat amisit.*** COUSTANT.

*Alienus est.* — Optatus lib. II. ***Quicquid foris est alienum est.*** BALUZ.

*Foris est.* — Hieronymus in Apologia adversus Rufinum: ***Quid loquar de hæreticis, qui licet foris sint, se nominant christianos?*** Idem in epistola ad Oceanum: ***Alieni et extra Ecclesiam sunt Judæi, hæretici, atque gentiles.*** Ea est communis Catholicorum opinio. Et tamen Didacus Stunica lib. I, cap. 7, de vera religione disputans adversus Melchiorem Canum, qui, lib. IV, cap. 2, dixerat hæreticos homines ad Ecclesiam non pertinere neque in Ecclesiæ partibus esse numerandos, contendit hæreticos ad Ecclesiam pertinere. In uno veteri libro, pro eo quod istic apud Cyprianum legitur *foris est*, legitur ***hostis est.*** BALUZ.

*Secundus esse non possit.* — Hæc verba adversus Guibertum Ravennatem usurpavit Gerohus Reicherspergensis in libro *de Statu Ecclesiæ* sub Henrico IV Imperatore, cap. 14, sed Cypriano non nominato. Cypriani enim verba sua fecit. Istud a Cypriano scriptum est adversus Novatianum, qui se a factiosis quibusdam eligi procuravit adversus Cornelium, qui prior fuit electus. Cum ergo Cornelius sederet in cathedra Petri, qui eamdem cathedram occupaverat Novatianus non poterat esse Romanæ urbis episcopus, cum qui post unum, qui solus esse debet, factus est, non jam secundus sed nullus sit, cum cathedra una duos capere non possit. Hic est verus et genuinus sensus verborum Cypriani. Quare ferri non potest interpretatio Francisci Torrensis et aliorum quorumdam qui istic unum et solum episcopum interpretantur de Romano, tamquam si ille solus et unus episcopus esset in Ecclesia, cæteri vero non essent veri episcopi neque successores Apostolorum, sed istius unius vicarii. Quod est contra omnia testimonia antiquitatis. Exstat in *Vita sancti Anselmi* episcopi Lucensis ab auctore coætaneo et pœnitentiario ejus scripta locus citatus ex Cypriano. Sic autem scribit auctor ille scribens adversus Wibertum antipapam: ***Itaque, ut sanctissimi martyris Cypriani verbis utar, nullus vel iste vel nullus, quia nec successor nec antecessor cujusdam aut ille aut iste, ambo parricidæ, ambo sceleratissimi violatores suæ matris Ecclesiæ.*** Videtur autem locus iste conflatus ex duobus locis, ex isto nimirum et ex alio Epistolæ 76, pag. 152. ***Nemini succedens, a se ipso ortus.*** BALUZ.

IX. *Æmulum principem.* Scil. Julium Valentem, qui anno 251 Romæ imperium usurpavit, sed non diu tenuit, ut Aurelius Victor docet. Mox Pamelius, pro verbis *Dei sacerdotem*, ex ms. Affligen. perperam substituit *æmulum sacerdotem*: sed neque mentem assecutus est Cypriani, dum hunc locum ita interpretatur: *Cornelium patientius tolerasse æmulum principem, quam Novatianum æmulum sacerdotem.* Ibi enim verbum *audiret* de Decio tyranno, non de Cornelio prædicatur. COUSTANT. — Lucifer Calaritanus in libro ad Constantium de Moriendo pro Dei filio: *Adversum se æmulos surgere principes.* Non ait Cyprianus æmulum principem fuisse levatum adversus Decium, sed Decium patientius fuisse laturum levari adversum se æmulum principem quam constitui Romæ Dei sacerdotem, in quo quidem Cornelii mirauda constantia, qui sedebat *intrepidus, exspectans corporis sui carnifices et tyranni ferocientis ultores*, ut ait Cyprianus in Epistola LII ad Antonianum. Et tamen inventi sunt qui divinare conarentur quis tum princeps levatus sit adversus Decium; scripserunt autem Lucium Priscum fuisse qui levatus est adversus eum, quia Aurelius Victor in libro *de Cæsaribus* scribit delatum illi Gothorum concursu dominatum, postquam, direptis Thraciis plerique illo pervenerant; quam ob causam ait Decium cito quam potuit maturrime Roma digressum. Sed non possum discedere ab hoc loco quin annotem temeritatem Salmasii, qui capite sexto *de Primatu Papæ*, pag. 86, contra omnium veterum codicum et editionum fidem contendit istic legi debere *malum principem* pro *æmulum*; hancque suam conjecturam nititur probare testimoniis eorum veterum scriptorum qui loquuntur de malis principibus. Quantum ea observationes sint inutiles in hoc loco, nemo non videt. Nam præterea sensus constare non potest cum conjectura Salmasii. BALUZ.

*Dei sacerdotem.* Hanc lectionem inveni in XIX codicibus nostris, in sex Anglicanis, apud Thomam Wal-

Digitized by Google

prædicandus est? Nonne inter gloriosos confessores et martyres deputandus, qui tantum temporis sedit exspectans corporis sui carnifices et tyranni ferocientis ultores, qui Cornelium adversus edicta feralia resistentem et minas et cruciatus et tormenta fidei vigore calcantem, vel gladio invaderent, vel crucifigerent, vel igne torrerent, vel quolibet inaudito genere pœnarum viscera ejus et membra laniarent [a]? Etiamsi majestas Domini protegentis et bonitas sacerdotem, quem fieri voluit [b], factum quoque protexit: tamen Cornelius, quantum ad ejus devotionem pertinet et timorem, passus est quidquid pati potuit, et tyrannum, armis et bello postmodum victum, prior sacerdotio suo vicit.

X. Quod autem quædam de illo inhonesta et maligna jactantur, nolo mireris: cum scias hoc esse opus semper diaboli, ut servos Dei mendacio laceret, et opinionibus falsis gloriosum nomen infamet; ut qui conscientiæ suæ luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur. Explorasse autem collegas nostros scias, et verissime comperisse, nulla illum [c] libelli, ut quidam jactitant, labe maculatum esse: sed neque

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Lacerarent *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1.
[b] Pati voluit *Benev.*
[c] Nulla jam illum *Lam. Bod.* 2.

## VARIORUM NOTÆ.

densem tit. 14, de Sacramentalibus et cap. 123, in omnibus editionibus quæ Pamelianam antecesserunt. Aliam vero, quæ habet *æmulum sacerdotem*, quam Pamelius verissimam, Rigaltius vero proculdubio falsam esse asserit, in uno tantum codice Affligemensi reperisse se testatur idem Pamelius, sicut ego quoque eam non reperi nisi in uno codice qui fuit Francisci Pithœi. Et tamen illustrissimus cardinalis Perronius in republica adversus regem magnæ Britanniæ pag. 99, ait illam inveniri in antiquioribus et emendatioribus exemplaribus. Ad quam rem probandam laudat in margine codicem Affligemensem et editionem Pamelii, nullis aliis testimoniis. Miror autem Rigaltium retinuisse in editione sua lectionem quam ipse ait proculdubio falsam esse, uti re vera est. Sensus enim hujus loci est Decium, hostem videlicet sectæ nostræ, quam excindere cupiebat, ita exhorruisse sacerdotem Dei in urbe Roma principe imperii ut multo patientius et tolerabilius audiret levari adversus se æmulum principem quam constitui Romæ Dei sacerdotem, ut ista recte explicat Rigaltius; non quod timeret, ut quidam crediderunt, episcopum Romanum, hominem, quantum attinebat ad rempublicam, minime principi metuendum aut formidolosum, sed quia erat inimicus crucis Cbristi, ardens desiderio opprimendæ Christianitatis, ut ait vir clarissimus Henricus Dodwellus, valde cupiebat ne Fabiano papæ defuncto daretur successor, existimans religionem nostram interituram, si episcopum non haberet, timens præterea, ut opinor, ne in urbe rerum novarum avida augeretur numerus Christianorum, quorum nimius et copiosus, ut ait Cyprianus, erat populus. Baluz.

*Tantum temporis.* Hanc sane lectionem reperi in octo vetustis codicibus. Aliam, quæ habet *tantis temporibus*, exhibent veteres editiones ante Manutianam et sex libri veteres. Baluz.

*Exspectans.... carnifices.* Quippe, Paciano teste ep. 3, *crebras persecutiones irati principis sustinebat.* Unde calumniæ convincuntur ejus æmuli, qui eum libelli labe contaminatum dictitabant. Coustant.

*Et timorem.* Vide appendicem observationum Rigaltii ad Cyprianum, ubi recte interpretatur hunc timorem Cypriani. Baluz.

*Passus est.* Supra Epist. xxxvii, pag. 50: *Neque enim virtus eorum aut honor minor est quo minus ipsi quoque inter beatos martyres aggregentur. Quod in illis est, toleraverunt quicquid tolerare parati et prompti fuerunt. Qui se tormentis et morti sub oculis Dei obtulit, passus est quicquid pati voluit.* Ad hæc loca Cypriani respiciebat haud dubie Erasmus interpretans locum libri Josephi de imperio rationis, ubi sic legitur: *Et si fors percipiendi denegat facultatem, pertulit tamen cuncta quæ voluit pati.* Etenim martyres quoque censebantur qui tormenta passi, tamen occisi non fuerant. Commodianus instructione 48: *Multa sunt martyria quæ sunt sine sanguine fuso.* Sanctus Paulinus poemate 14, de sancto Felice:

> Cœlestem nactus sine sanguine martyr honorem.
> Nam confessor obit, pœnas non sponte lucratus,

Et paulo post:

> Martyrium sine cæde placet, si prompta ferendi
> Mensque fidesque Deo caleat. Passura voluntas
> Sufficit et summa est meriti testatio vocis.

Sulpitius Severus in epistola ad Aurelium de sancto Martino: *Nam licet ei ratio temporis non potuerit prætare martyrium, gloria tamen martyris non carebit, quia voto atque virtutibus et potuit esse martyr et voluit.* Hieronymus in epistola ad Rufinum, quæ incipit: *Plus Deum tribuere*, commemorat *Ægyptios confessores et voluntate jam martyres.* Arnulphus Lexoviensis in epistola scripta ad sanctum Thomam archiepiscopum Cantuariensem, quæ edita est in pagina 487, tomi secundi Spicilegii Dacheriani et inter epistolas sancti Thomæ lib. 1, Epist. 85: *Licet enim nondum usque ad sanguinis effusionem causa pervenerit, supplet tamen devotio meritum passionis.* Baluz.

*Tyrannum victum.* Rufinus in psal. xl: *Unde sancti martyres etiam in suis passionibus victores exstiterunt? Quia etsi potuerunt corporaliter occidi, nunquam tamen animo potuerunt frangi. Illi vero qui occiderunt victi sunt.* Baluz.

*Postmodum victum.* Decium imperatorem, qui anno 251 interiit cum filio in bello quod adversus Persas gerebat, ut scribit Pagius, qui Baronium redarguit scribentem id evenisse cum pugnaret adversum Gothos Mœsiam et Thraciam infestantes. Baluz.

[b] X. *Communicationem.* Tres mss. angl. *communionem.* Cypriano familiarius est *communicationis* verbum. Quæ de Cornelio *inhonesta et maligna* jactari mox dicebantur, in hac duplici videntur accusatione posita, quod nimirum et libelli labe maculatus esset, et cum iis qui sacrificaverant communicasset. Postremæ autem accusationi hinc data fuit occasio, quod cum nonnullis eorum qui sacrificasse dicebantur communicaret. Sed ab hoc eum crimine purgat Cyprianus, dum eum non communicare ostendit, nisi cum eo qui audita causa innocens fuisset comprobatus, aut Ecclesiæ judicio ad communionem admissus esset. Ita et quidquid pro fidei confessione passus est, eum a priori crimine alienum evidenter demonstrat. Coustant. — Quamvis sciam lectionem nunc receptam habere *communicationem* eamque lectionem esse bonam, illamque reperçrim in sex codicibus antiquis, prætuli tamen eam quam omnes editiones Manutiana antiquiores et duodecim vetera exemplaria exhibent. Baluzius.

X.—*Quædam de illo inhonesta.* Sic vulgo solet: semper in discordia una pars imputat inhonesta parti adversæ, ut patet etiam ex epistolis xlviii et xlix sancti Cypriani

Digitized by Google

cum episcopis, qui sacrificaverunt, [a] communicationem sacrilegam miscuisse; sed eos demum, quorum causa audita et innocentia comprobata sit, conjunxisse nobiscum.

XI. Nam et de Trophimo, de quo tibi scribi desiderasti, non ita res est ut ad te pertulit rumor et mendacium malignorum. Nam, sicut antecessores nostri sæpe fecerunt, colligendis fratribus nostris charissimus frater noster Cornelius necessitati succubuit. Et quoniam cum Trophimo, pars maxima plebis abscesserat, redeunte nunc ad Ecclesiam Trophimo, et satisfaciente et pœnitentia deprecationis errorem pristinum confitente, et fraternitatem, quam nuper abstraxerat, cum plena humilitate et satisfactione revocante, auditæ sunt ejus preces; et in Ecclesiam Domini non tam Trophimus, quam maximus [b] fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admissus est: qui omnes regressuri ad Ecclesiam non essent, nisi cum Trophimo comitante venissent. Tractatu ergo illic cum collegis plurimis habito, susceptus est Trophimus, pro quo satisfaciebat fratrum reditus et restituta multorum salus. Sic tamen admissus est Trophimus, ut laicus communicet, non, secundum quod ad te malignorum litteræ pertulerunt, quasi locum sacerdotis usurpet.

XII. Sed et quod passim communicare sacrificatis Cornelium [c] tibi nuntiatum est, hoc etiam de apostatarum fictis rumoribus nascitur. Neque enim possunt laudare nos qui recedunt [d] a nobis: aut exspectare debemus ut placeamus illis, qui nobis displicen-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Communionem sacrilegam *Lam. Ebor. NC.* 1.
[b] Sed et quam maximus *Bod.* 3.
[c] Cornelius tibi nuntiatus est *Lam. Bod.* 3. *Ebor. NC.* 1. *Lin.*
[d] *Sic Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. A nobis *deest in Oxon.*

## VARIORUM NOTÆ.

adversus Novatum et Novatianum et ex calce epistolæ Firmiliani, in qua annotatum est Cyprianum a papa Stephano vocatum fuisse pseudochristum et pseudoapostolum et dolosum operarium. Innumera sunt exempla istiusmodi in scriptoribus historiarum. Sic in *libello Precum Marcellini et Faustini* adversus papam Damasum et in epistola concilii Aquileiensis adversus Ursicinum, æmulum Damasi. Apud Optatum legimus causas conflictas esse contra Cæcilianum episcopum Carthaginensem ut vitiosa ejus ordinatio diceretur. Necesse non est ire per historias sequentium temporum. Vide tamen Notas nostras ad vitas paparum Avenionensium, pag. 702, 1239. BALUZ.

*Communionem.* Quamvis sciam lectionem nunc receptam habere *communicationem*, eamque lectionem esse bonam, illamque repererim in sex codicibus antiquis, prætuli tamen eam quam omnes editiones Manutiana antiquiores et duodecim vetera exemplaria exhibent. BALUZ.

XI. *De Trophimo.* Inter exempla quibus Novatiani satellites Cornelium cum iis, qui sacrificaverant, sacrilegam communicationem miscuisse persuaderent, illud proferebant Trophimi. Unde sequitur, ut stare non possit Valesii not. in Euseb., pag. 133, opinio, qua eum Novatiani ordinatorem, qui, pœnitentia motus, ad Cornelium rediit, et cum populi voluntate ad laicam communionem admissus est, hunc Trophimum fuisse putat. COUSTANT.

*Charissimus frater noster.* Editiones vulgatæ, quæ acceperunt ex Erasmica, addunt *Cornelius.* Sed cum Cornelii nomen non invenerim in antiquis editionibus, desit autem etiam in sexdecim codicibus antiquis, existimavi auctoritatem tot veterum exemplarium prævalere debere adversus errorem. Cornelii quippe nomen non inveni in ullo veteri libro quam in Eligiano. Itaque illud, cum non dubitem esse ex glossemate, sustuli. Fuisse autem Trophimum ex clero Romano liquet ex initio istius epistolæ. Ex quo necessario consequitur ista referenda esse ad Cornelium, quamvis nomen ejus non exprimatur. BALUZ. — Erravisse simul Valesium et Baluzium, cum tantorum virorum pace, dixerimus, dum in diversas abeuntes vias, in eo convenerint ut clero Romano Trophimum adscripserint. Attentis enim S. Cypriani epistolis tum ad Antonianum, tum ad Stephanum papam (*Epist.* LXVII, *ed. Baluz.*), asseruit ac probe docuit in recenti dissertatione eruditus quidam hodiernus, haud ultimi subsellii vir, duplicem distinguendum esse Trophimum Arelatensem, unum Apostolis, alterum S. Cypriano coævum, posterioremque eumdem ipsum esse de quo agitur sive in hac Cypriani Epist. LII, sive in LXVII, ad Stephanum papam. Cf. *Mémoires pour servir à l'hist. de l'introduc. du Christ. dans les Gaules*, par M. le marquis de Fortia d'Urban; Paris, 1838, pag. 31 et 36; — Gregor. Turon. *opp. edit. nova;* Paris, 1857, tom. IV, pag. 337; *Annales du Hainaut*, tom. VII, pag. 97; *Annales de philosophie chrétienne* tom. XVII, pag. 7.119. EDD.

*Necessitati succubuit.* In mss. Corb et Colb. ut in priscis edit. *necessitate.* Jam Cyprianus, supra n. 6, se ipse *necessitati temporum succubuisse* dixit. Utrobique autem *succubuit*, id est quod obsecundavit, nonnihil scil. a rigore disciplinæ remittendo, prout *colligendæ fraternitatis utilitas exigebat*, ut in laudato numero 6 declaratur. COUSTANT.

*Comitante venissent.* Verbum *venissent* a ms. Corb. abest, integra sententia. Nihil hac occasione egit Cornelius, nisi quod et antea in Ecclesia actum aut certe probatum est. Nam Tertulliano teste lib. de Præscript., c. 30, Marcioni, seu Cerdoni pœnitentiam confitenti pax ea conditione promissa est, *si cæteros, quos perditioni erudisset, Ecclesiæ restitueret.* Cujusmodi remissionis Augustinus epist. olim 50, nunc 185, c. 10, n. 45, hanc reddit rationem: *Cogunt multas invenire medicinas multorum experimenta morborum. Verum in hujusmodi causis, ubi per graves dissensionum scissuras non hujus aut illius hominis est periculum, sed populorum strages jacent, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis caritas sincera subveniat.* Nam pia mater Ecclesia, filiorum suorum salutem unice cupiens, ideo tantum severitate utitur erga nonnullos, ne venia facilitate perdat multos. Ubi igitur indulgentia plurimorum lucrum sibi offerri videt, hac eos ratione ad se allicere prorsus non dubitat. Quocirca iis qui multitudinem secum ad Ecclesiam reducunt, etiam honores suos servandos judicavit Africana Ecclesia. Ubi enim cod. can. Eccl. Afr., c. 68, statuit, *ut ordinati in parte Donati, si ad Catholicam correcti transire voluerint, non suscipiantur in honoribus suis*, statim adjecit, *sed exceptis his per quos catholicæ unitati consulitur*, hoc est *per quos vel omni modo perfici, vel adjuvari manifestis fraternarum animarum lucris catholica unitas in locis, in quibus degunt, visa fuerit.* Hæc igitur *unitatis compensatio*, ut eum eadem ecclesia ibid. loquar, una Cornelio causa fuit, cur Trophimo pacem et communionem concedere non differret. Ita unus diversis in sæculis cernitur Ecclesiæ Spiritus, quamvis aliis atque aliis pro temporum diversitate remediis utatur. Semper cujusque membri sanitati sic consuluit, ut totius corporis sui unitati, ex qua salus illius pendet, prospiceret. COUSTANT.



Digitized by Google

tes, [a] et contra Ecclesiam rebelles, sollicitandis de Ecclesia fratribus violenter insistunt. Quare et de A Cornelio et de nobis quæcumque jactantur, nec audias facile nec credas, frater charissime.

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Nobis displicent *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 3.

## VARIORUM NOTÆ.

*Frater carissime.* Plura his addit Cyprianus, quibus primum Ecclesiæ in concedenda lapsis pace sapientiam et caritatem commendat, tum Novatiani schisma atque hæresim exponit. Sed quia ad Cornelium per se non attinent, ea ut a nostro instituto aliena omittenda duximus. COUSTANT.

## S. CYPRIANI AD ANTONIANUM EPISTOLÆ PARS ALTERA.

ARGUMENTUM. — *Lapsis in exitu subveniendum, nec tamen par omnium conditio; favorabilia imprimis Libellaticorum causa; Novatianus Stoicorum placita Ecclesiæ invexit. — In re ancipiti lenior pars habeatur. — Nequaquam ob indulgentiam in lapsos Christiani a martyrio avertendi; qui pacem Lapsis denegant, S. Scripturis repugnant. De Novatiani philosophi et stoici caractere. — Ex admissis ad pœnitentiam mœchis sequitur et Lapsos admittendos. Qui ablata spe veniæ, ad pœnitentiam suadet, irridet.*

XIII. Si qui enim infirmitatibus occupantur, illis, sicut placuit, in periculo subvenitur. Postea tamen quam subventum est, et periclitantibus pax data est, offocari [b] a nobis non possunt aut opprimi, aut vi et B manu nostra in exitum mortis urgeri, ut quoniam morientibus pax datur, necesse sit mori eos qui acceperint pacem, cum magis in hoc indicium [c] divinæ pietatis [d] et paternæ lenitatis [e] appareat, quod qui pignus vitæ in data pace percipiunt, hic quoque [f] ad vitam percepta pace teneantur. Et idcirco si, accepta pace, commeatus a Deo datur, nemo hoc debet in sacerdotibus criminari, cum semel placuerit fratribus in periculo subveniri. Nec tu existimes, frater charissime, sicut quibusdam videtur, libellaticos cum sacrificatis æquari oportere, quando inter ipsos etiam qui sacrificaverunt et conditio frequenter et causa diversa sit. Neque enim æquandi sunt, ille qui ad sacrificium nefandum statim voluntate prosilivit, et qui luctatus et congressus diu ad hoc funestum opus necessitate [g] parvenit, ille qui et se et omnes suos prodidit, et qui ipse pro cunctis ad discrimen accedens uxorem et liC beros et domum totam periculi sui perfunctione [h]

## LECTIONES VARIANTES.

[b] *Sic Bod.* 1, 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. *Lin.*
[c] Judicium *Oxon.*
[d] Pietatis *Cod. S. Dyon. Rem.* Patientiæ.
[e] Lenitas *Fux.*
[f] Hi quoque *Neap.*
[g] Necessitate compulsus est nec ille qui *Cod. Gratianop.*
[h] Pactione *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *NC.* 1. *Ver.* Passione *Ben. Neap.*

## VARIORUM NOTÆ.

XIII.—*Offocari.* Quamvis non dubitem plurimos mutationem a me in hoc loco factam improbaturos, parum videlicet curantes an hoc aut alio modo legatur, modo sensus idem sit, præsertim si minus habeat molestiæ et difficultatis, feci tamen, et hinc sustuli vocem *suffocari* suppositam veræ lectioni ab imperitis librariis; quibus cum *offocari* vocabulum esset incognitum, ei pro sua audacia substituerunt lectionem quam crediderunt melius convenire. Porro istam restitutionem esse necessariam probatur auctoritate multorum veterum exemplarium. Reperi quippe scriptum *offocari* in quatuordecim libris veteribus, et idem de quinque Anglicanis testatur editio in eo regno facta. Tertullianus in calce libri de Idololatria: *Quicunque fluctus ejus offocant.* Hieronymus in epistola consolatoria ad Virginem: *Quod reprimit non offocat, sed includit.* Augustinus lib. v *Confess.* cap. 11: *Sed me maxime captum et offocatum quodam modo de primebant corporalia meditantem.* Seneca in libro de Brevitate vitæ cap. 2: *Aspice illos ad quorum felicitatem concurritur, bonis suis offocantur.* Festus: *Offucare, aquam in fauces mittere ad sorbendum.* Glossæ veteres in codice quorumdam Cyrilli scriptorum repertæ: ἀποπνίγω, *offoco, suffoco.* Onomasticon Græco-Latinum, olim quidem editum Basileæ, sed postea recusum a Bonaventura Vulcanio: *offoco*, ἀποπνίγω. Florus lib. II, cap. 11, loquens de Gallogræcis: *Sed alligati miraculo quidam fuere quum catenas morsibus et ore tentassent, quum offocandas invicem fauces præbuissent.* Sic quoque dicebant *obrogare*, ut apud T. Livium, Ciceronem, Florum, ac fortasse alibi. Apud sanctum Augustinum lib. VI, contra Donatistas, cap. 17, scriptum est, *damnationis ira et erroris offectura.* Ubi clarissimi auctores novæ editionis operum sancti Augustini monent editiones Amerbachii et Erasmi habere *offocatum*, plerosque vero codices mss. *offectura*, apud Cyprianum vero legi *offectura.* Nimirum D in sententia quam in causa baptismi hæreticorum protulit Munnulus a Girba in concilio Carthaginensi, ut illic dicemus. BALUZ.

*Æquandi sunt.* Sex libri veteres habent *æquatus est ille.* Quæ lectio potest esse bona. BALUZ.

*Luctatus.* Fatendum est hanc lectionem repertam a me fuisse in solo codice Fossatensi sane optimo et in vetustissimis editionibus. Alii libri, in majori sane numero, habent *reluctatus.* Ego tamen eam lectionem præfero quam posui, quia luctari est proprie pugilum, cujusmodi fuere martyres, quos certum est non fuisse reluctatos, sed tormenta et mortes lubenti animo pertulisse. Ipse Cyprianus in libro *ad Demetrianum*, pag. 221, ait: *Nemo vestrum quando apprehenditur reluctatur.* Et in libro *de Bono Patientiæ*, pag. 250, loquens de Abele, ait: *Adversus fratrem fratricidam non resistit nec reluctatur, sed humilis et mitis patienter occiditur.* BALUZ.

*Perfunctione.* In quinque libris veteribus scriptum est *passione.* Alii quinque et duo Anglicani et editio Morelliana *pactione.* Alii duo *passione vel patione.*

protexit, ille qui inquilinos [a] vel amicos suos ad facinus compulit, et qui inquilinis et colonis pepercit, fratres [b] etiam plurimos, qui extorres et profugi recedebant, in sua tecta et hospitia recepit [c], ostendens et offerens Domino multas animas viventes [d] et incolumes quæ pro una saucia deprecentur.

XIV. Cum ergo inter ipsos qui sacrificaverunt multa sit diversitas, quæ inclementia est et quam acerba duritia libellaticos cum iis qui sacrificaverunt jungere, quando is cui libellus acceptus est dicat : Ego prius legeram, et episcopo tractante, cognoveram non sacrificandum idolis, nec simulachra servum Dei adorare debere; et idcirco, ne hoc facerem quod non licebat, cum occasio libelli fuisset oblata, quem nec ipsum acciperem nisi ostensa fuisset occasio, ad magistratum vel veni, vel alio eunte mandavi, Christianum me esse, sacrificare mihi non licere [e], ad aras diaboli me venire non posse, dare me ob hoc præmium, ne quod non licet faciam. Nunc tamen etiam iste qui libello maculatus est, postea quam nobis admonentibus didicit nec hoc se facere debuisse, etsi manus pura sit, et os ejus feralis cibi contagia nulla polluerint, conscientiam tamen ejus esse pollutam, flet auditis nobis et lamentatur, et quod deliquerit nunc admonetur, et non tam crimine quam errore deceptus, quod jam de cætero instructus et paratus sit contestatur.

XV. Quorum si pœnitentiam respuamus habentium aliquam fiduciam tolerabilis conscientiæ, statim cum uxore, cum liberis, quos incolumes reservaverant, in hæresim vel schisma [f], diabolo invitante, rapiuntur; et adscribetur nobis in die judicii nec ovem sauciam curasse, et propter unam sauciam multas integras perdidisse, et cum Dominus, relictis nonaginta novem sanis, unam errantem et lassam quæsierit, et inventam humeris suis ipse portaverit (*Luc.* xv; *Matth.* xviii), nos non tantum non quæramus lapsos [g], sed et venientes arceamus, et cum pseudoprophetæ gregem Christi nunc vastare et lacerare non desinant, occasionem canibus et lupis demus [h] ut quos persecutio infesta non perdidit, eos nos duritia nostra et inhumanitate perdamus. Et ubi erit, frater charissime, quod Apostolus dicit : *Omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salventur. Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (I *Cor.* x, 33, xi, 1). Et iterum : *Factus sum infirmus infirmis, ut infirmos lucrarer* (I *Cor.* ix, 22). Et iterum : *Si patitur membrum unum, compatiuntur et cætera membra; et si lætatur unum membrum, collætantur et cætera membra* (*Ibid.* xii, 26).

XVI. Alia est philosophorum et Stoicorum ratio, frater charissime, qui dicunt omnia peccata paria esse et virum gravem non facile flecti oportere. Inter Christianos autem et philosophos plurimum distat. Et cum Apostolus dicat, *Videte ne quis vos deprædetur per philosophiam et inanem fallaciam* (*Coloss.* ii, 8, vitanda sunt a nobis quæ non [i] de Dei clementia veniunt, sed de philosophiæ durioris præsumptione descendunt. De Moyse autem legimus in Scripturis dictum : *Et fuit Moyses homo lenis nimis* i (*Num.* xii, 3). Et Dominus in Evangelio suo dicit : *Estote misericordes* [k], *sicut et Pater vester misertus est* [l] *vestri* (*Luc.* vi, 36). Et iterum : *Non est opus sanis medicus,*

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Ille qui intimos *Bod.* 1.
[b] Fratres, sed etiam plures *Gratianop.*
[c] Hospitatus cepit *Bod.* 3.
[d] Multa solventes *Corb.*
[e] Mihi omnino non *Vat.*
[f] In hæresin ut in schisma *MR.*
[g] Lassos *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. *Ver.*
[h] Lupis dabimus *Bod.* 3.
[i] *Sic Lam. Bod.* 3. *Ebor. Lin. NC.* 1. Vitanda quæ non *Oxon.*
[j] Lenissimus *Lam. Ebor. Bod* 2. *NC.* 1.
[k] Estote ergo misericordes *Bod.* 3. Quomodo et Pater *Ver.*
[l] Misericors est *Bod.* 3.

## VARIORUM NOTÆ.

*Multas viventes.* Ita libri decem veteres. Alii duo et editiones antiquiores habent *salvatas.* Codex Corbeiensis, *solventes*, manifesto errore. Baluz.

XIV. — *Episcopo tractante.* Optatus lib. v: *Restat ut dicitis eum cum populo communicasse. Et locutum eum esse aliquid in populo constat, sed insinuandi alicujus rei causa, non tamen tractandi, quod est episcoporum.* Vide notas nostras ad Lupum Ferrariensem, pag. 479. Baluz.

*Auditis nobis.* Emendatio supra lineam in codice Monasteriensi, *auditis nostris lamentationibus.* Ex glossemate nimirum. Baluz.

XV. — *Lassam.* Veteres editiones et plures libri veteres habent *lapsam.* Quæ lectio confirmari potest ex Evangelio secundum Matthæum ad quod respicit hic locus, ex quo constat ovem illam non fuisse simpliciter lassam, sed lapsam. Ego tamen præfero priorem lectionem. Nam ovis illa recte dicitur lassa quæ multum errando laboraverat, ut verbis utar Hieronymi in epistola *de Filio prodigo* ad Papam Damasum. Baluz.

XVI. — *Peccata paria.* Hieronymus in epistola ad Pammachium *de Dormitione Paulinæ*, in libro primo *adversus Pelagium*, et lib. II *adversus Jovinianum*, ait Stoicos contendisse peccata esse paria. Lactantius cap. 38 Epitomes, loquens de Zenone, Stoicorum magistro: *Nam quod dicit paria esse peccata ex eadem immunitate est qua misericordiam velut morbum insectatur.* Plutarchus in libro *de Stoicorum Repugnantiis* scribit neque peccatum peccato majus esse neque virtutem virtuti præstare. Cassianus, lib. v, cap. 11: *Cunctarum namque virtutum et una natura est, licet in multas dividi species et vocabula videatur.* Seneca Epist. 120: *Sunt enim virtutibus vitia confinia.* Et Hieronymus adversus Luciferianos: *Vicina sunt vitia virtutibus.* Sic etiam Quintilianus lib. III, cap. 7, et lib. VIII, cap. 3. Cicero, lib. III Officiorum: *A me ipso dissertatum est, qui unam habet omnes habere virtutes.* Vide etiam Paradoxa, ubi fusius ista tractantur. Et tamen idem in libro primo *de Oratore* scripsit spinosam et exilem orationem eorum esse qui dicunt qui virtutem habeat eum omnes habere. Sententiam illam videtur non approbasse Seneca. Ait enim in Epistola 66: *Quomodo possunt paria bona esse? Ergo virtutes inter se pares sunt.* Vide ibi Muretum. Vide etiam sancti Augustini responsionem ad epistolam Nectarii de negotio Calamensi. Baluz.

*Lenis nimis.* In sex libris nostris antiquis et in quatuor Anglicanis scriptum est *lenissimus.* Quod propius accedit ad editionem vulgatam libri *Numerorum*, quæ habet *mitissimus.* Baluz.

*Misertus est.* Ita primus scripsit Erasmus. Hanc

Digitized by Google

*sed male habentibus* (*Matth.* IX, 12). Quam potest exercere medicinam qui dicit : Ego solos sanos curo, quibus medicus necessarius non est. Opem nostram [a], medelam nostram vulneratis exhibere debemus. Nec putemus mortuos esse, sed magis semianimes jacere eos quos persecutione funesta sauciatos [b] videmus : qui si in totum mortui essent, numquam de eisdem [c] postmodum et confessores et martyres fierent.

XVII. Sed quoniam est in illis quod pœnitentia sequente [d] revalescat ad fidem, et ad virtutem de pœnitentia robur [e] armatur, quod armari non poterit, si quis desperatione deficiat, si ab Ecclesia dure et crudeliter segregatus ad gentiles se vias et sæcularia opera convertat, vel ad hæreticos et schismaticos rejectus ab Ecclesia transeat ; ubi, etsi occisus propter nomen [f] postmodum fuerit extra Ecclesiam constitutus et ab unitate atque a charitate divisus, coronari in morte non poterit. Et ideo placuit, frater charissime, examinatis causis singulorum, libellaticos interim admitti, sacrificatis in exitu subveniri : quia Exomologesis apud inferos non est, nec ad pœnitentiam quis a nobis compelli potest, si fructus pœnitentiæ subtrahatur. Si prælium [g] prius venerit, corroboratus a nobis invenietur armatus [h] ad prælium. Si vero ante prælium infirmitas urserit [i], cum solatio pacis et communicationis abscedit.

XVIII. Neque enim præjudicamus Domino judicaturo quo minus si pœnitentiam plenam et justam peccatoris invenerit, tunc ratum faciat quod a nobis fuerit hic statutum [j]. Si vero nos aliquis pœnitentiæ simulatione deluserit, Deus, qui non deridetur, (*Gal.* VI) et qui cor hominis intuetur (I *Reg.* XVI), de his quæ nos minus perspeximus judicet et servorum suorum sententiam Dominus emendet ; dum tamen nos meminisse, frater charissime, debeamus scriptum esse, *Frater fratrem adjuvans exaltabitur*, (*Prov.* XVIII 19) et Apostolum quoque dixisse : *In contemplatione habentes unusquisque, ne et vos tentemini, alterutrum onera* [k] *sustinete, et sic adimplebitis legem Christi* (*Gal.* VI, 1, 2), item quod superbos [l] redarguens et arrogantiam frangens, in epistola sua ponat ; *Et qui se putat stare, videat ne cadat* (I *Cor.* X, 12) ; et alio in loco dicat : *Tu quis es qui judicas alienum servum ? Domino suo stat aut cadit. Stabit autem. Potens est enim Deus statuere* [m] *eum* (*Rom.* XIV, 4). Joannes quoque Jesum Christum Dominum nostrum advocatum et deprecatorem pro peccatis nostris probat dicens : *Filioli mei, ista scribo vobis ne delinquatis ; et si quis deliquerit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum suffragatorem, et ipse est deprecatio* [n] *pro delictis nostris* (I *Joan.* II, 1, 2). Et Paulus quoque Apostolus in Epistola sua posuit : *Si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, multo magis nunc justificati in sanguine illius liberabimur* [o] *per illum ab ira* (*Rom.* V, 8, 9).

XIX. Cujus pietatem et clementiam cogitantes, non acerbi adeo nec duri, nec in fovendis fratribus [p] inhumani esse debemus, sed dolere cum dolentibus et flere cum flentibus, et eos quantum possumus auxilio et solatio nostræ dilectionis erigere, nec adeo immites et pertinaces [q] ad eorum pœnitentiam retundendam [r], nec iterum soluti et faciles ad communicationem temere laxandam [s]. Jacet ecce saucius frater ab adversario in acie vulneratus. Inde diabolus conatur occidere quem vulneravit, hinc Christus hortatur ne in totum pereat quem redemit [t]. Cui de duobus assistimus, in cujus partibus [u] stamus ? Utrumne diabolo [v] favemus ut

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Opem nostram et medelam vulneratis *Bod.* 1.
[b] Saucios *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1.
[c] Nunquam iidem *Bod.* 3.
[d] Pœnitentia frequenter *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2
[e] De pœnitentiæ robore *Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. Pœnitentiæ robur armatur *Vatic.*
[f] Nomen Christi *Bod.* 2.
[g] Si ergo prælium *Lam. Ebor. NC.* 1.
[h] Invenietur et armatus *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1.
[i] Infirmitas venerit *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[j] Fuerit statutum *Lam. Ebor. NC.* 1.
[k] Onera vestra *Lam. Ebor. NC.* 1.
[l] Item superbos *Lam.* Ponit *Lam.*
[m] Stabilire *Lam. Lin. Ebor. Bod.* 1, 2, 3. *NC.* 1.
[n] Ipse est suffragator et deprecator *Bod.* 3. Ipse deprecator *Lam.*
[o] Eliberabimur *Ver. Man.*
[p] *Sic Bod.* 1, 2. Sacerdotes *Oxon. Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. Et duri *Bod.* 3.
[q] Pertinaces atque contumaces *Cod. Gratianop.*
[r] *Sic Bod.* 1, 2. *Lam. Ebor. MR.* Refundendam *Imp.*
[s] Laxandum esse debemus *Lam. Ebor. Bod.* 2.
[t] Pereat quod *Bod.* 3.
[u] Cujus parte *Bod.* 1. *Neap.*
[v] Diabolo facimus *Lam.*

## VARIORUM NOTÆ.

autem lectionem deprehendi in novem codicibus antiquis. In tribus aliis et in antiquis editionibus legitur *misericors est*. Quæ est lectio vulgatæ editionis Evangelii secundum Lucam. BALUZ.

XVII. — *Cum solatio*. Ita septem libri veteres et editio Manutiana. Veteres itaque editiones et alii septem libri veteres habent *consolatio*. Negatio deest in quatuor antiquis. In uno meo scriptum est, *in consolatione pacis et communicationis abscedit*. BALUZ.

XVIII. — *Sustinete*. Codex Sorbonicus, *sustinentes*. Fuxensis, *portate*. Et hæc est lectio vulgatæ editionis epistolæ *ad Galatas*. BALUZ.

*Suffragatorem*. Lectio vulgata, quam plerique codices antiqui præferunt, habet *justum*. In quinque tamen æque antiquis scriptum est *suffragatorem*. Quo etiam modo legi in Affligemensi testatur Pamelius. Ego vero puto hanc lectionem esse meliorem, tum quia Angli testantur in codice Bodleiano legi *Ipse est suffragator et deprecator*, tum quia ea recedit ab editione vulgata epistolæ Joannis. Cyprianum autem constet usum non esse editione qua nos hodie utimur. Mox enim ipse scribit *delictis*, ut solet, pro eo quod in nostra vulgata legitur *peccatis*. Quamquam *peccatis* vidi scriptum in duobus antiquis exemplaribus, per audaciam, ut puto, eorum qui putabant loca sacræ Scripturæ allegata a Cypriano debere emendari secundum editionem nostram vulgatam. Porro arbitror eum qui scripsit codicem Bodleianum legisse *suffragator* in suo exemplari et istud explicare volen-

Digitized by Google

perimat, et semianimem fratrem jacentem, sicut in Evangelio sacerdos [a] et levites, præterimus? (*Luc.* x.) An vero ut sacerdotes Dei et Christi, quod Christus et docuit, et fecit imitantes, vulneratum de adversarii faucibus rapimus, ut curatum [b] Deo judici reservemus [c].

XX. Nec putes, frater charissime, hinc aut virtutem fratrum minui aut martyria deficere quod lapsis laxata sit pœnitentia, et quod pœnitentibus spes pacis oblata. Manet vere fidentium robur immobile, et apud timentes ac diligentes corde toto [d] Deum stabilis et fortis perseverat integritas. Nam et mœchis a nobis pœnitentiæ tempus conceditur et pax datur. Non tamen idcirco virginitas in Ecclesia defi- B cit, aut continentiæ propositum [e] gloriosum per aliena peccata languescit. Floret Ecclesia tot virginibus coronata, et castitas ac pudicitia tenorem gloriæ suæ servat, nec quia adultero pœnitentia et venia laxatur, continentiæ vigor frangitur. Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire, aliud missum in carcerem non exire inde donec solvat novissimum quadrantem (*Matt.* v), aliud statim fidei et virtutis accipere mercedem (I *Cor.* III), aliud pro peccatis longo dolore cruciatum [f] emundari et purgari diu igne [g], aliud peccata omnia passione purgasse, aliud denique pendere in diem judicii ad sententiam Domini, aliud statim a Domino coronari.

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1, 2.
[b] Nunc curatum *Bod.* 1. 3.
[c] Reservamus *Bod.* 1.
[d] Corde solo in Deum *Bod.* 1.
[e] Continentia, ac propositum *MR.*
[f] Doloris cruciatu *Lam.*
[g] Purgari divine *Bod.* 2, 3. *Lam. Ebor.*

## VARIORUM NOTÆ.

tem addidisse *et deprecator*. Certum enim est unum horum vocabulorum sufficere. BALUZ.

XX. — *Nam et mœchis*. In duobus antiquis exemplaribus additur *id est adulteris*. Sed istud est glossema. Decretum Papæ Zephyrini apud Tertullianum in libro de Pudicitia: *Ego et mœchiæ et fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto*. Ubi obiter admoneo Baronium et Rigaltium male existimasse edictum Zephyrini ita conceptum fuisse: *Episcopus episcoporum edicit. Ego et mœchiæ*, etc. Episcopi enim Romani numquam usi sunt ambitioso illo et invidioso loquendi modo, præsertim in illa antiquitate. Sua tantum nomina præferebant, ut videre est etiam in epistolis papæ Cornelii ad Cyprianum. BALUZ. C

*Aliud missum in carcerem non exire inde*, etc. Eadem sunt Cypriano: *ad veniam stare, missum in carcerem non exire inde donec solvat novissimum quadrantem, et pro peccatis longo dolore cruciatum emundari, et purgari diu igne*. Eadem etiam e contrario ad gloriam pervenire, statim fidei et virtutis accipere mercedem et peccata omnia passione purgasse. Per quæ distinguit haud dubie statum lapsorum post hanc vitam qui nondum pœnitentiam compleverant, a statu Martyrum. Atque adeo mire facit hic locus ad confirmandam Ecclesiæ traditionem de Purgatorio, quod etiam ante me animadvertit reverendiss. guidixiensis episcopus Martinus Peresius Ayala. Alludit autem ad Scripturas, Matth. v, et I Cor. III. Illam eodem modo interpretantur D. Hieronym. *in Matth.* et Ambr. *in Lucam*, c. 12. Hanc vero Origenes hom. 6 *in Exod.* et 8 *in Levit.* Ambr. Theodor. et Œcum. *in Comment.* August. *Enchyr.* c. 69, in Psalm. XXXVI, et XXI *de Civitate Dei* c. 26. Paulinus Nolanus paraphrasi Psalm. I, et Epistola ad Severum, ac Gregorius, lib. *Dial.* IV, c. 7. Ut autem de nomine non contendamus, suffragia defunctorum quæ in sacrificiis et precibus ecclesiasticis fiunt, jam inde ab ætate Apostolorum, indicant esse locum quempiam, in quo puniantur. Alioqui enim frustra oratio fieret, ut a pœnis solvantur. Non tamen tam recens est purgatorii nomen sive purgatoriarum pœnarum, ut meminerunt D. August. Enchir. c. cit., *de Civitate Dei* lib. XX, c. 25, et XXI, c. 13. Gregorius loco citato, *in* III *Psalm. pœnit.* et alibi frequenter, et Beda *in Psalm.* XXXVII, et serm. quodam ms. in illud Joannis I: *Joannes perhibet testimonium de ipso*. Ignis etiam purgantis, præter Cyprianum hoc loco et alios supra allegatos, meminerunt etiam D. Hieron. in fin. comment. *in Isaia*. Ambr. in Psalm. CXVIII, serm. 10. Maximus in Diadochum, de Perfectione spirit. c. 100. Damas. de iis qui dormierunt. Eustratius Constantino, lib. de Operatione animæ post mortem, et Gennadius scholarius lib. de Purgatorio contra Græcos: ubi multas veterum Græcorum sententias allegat. PAMEL.

*Pendere in diem*. Ita inveni scriptum in quinque codicibus antiquis et in editione Manutii. Sic etiam se scriptum vidisse in codice Germanensi optime notæ testatur vir optimus et doctissimus Domnus Petrus Constant in præfatione sua ad opera sancti Hilarii, § 229. Pamelius in annotatione sua ad hunc locum existimat heic per diem judicii intelligi diem particularis judicii uniuscujusque. Contra Nicolaus Faber in suo Cypriano impresso, qui nunc mens est, putat intelligi debere de extremo judicio ex opinione ea quæ fuit multorum et magnorum virorum tam Græcorum quam Latinorum in Ecclesia primitiva, qui solos martyres gloria divina perfrui ante illud extremum judicium, cæteros vero in illud differri voluerunt, et hanc etiam fuisse Tertulliani sententiam. Quem Nicolai Fabri locum descripsit Rigaltius in addendis ad observationes suas in Cyprianum. Nota est controversia quæ fuit ævo Joannis papæ XXII, circa visionem beatificam. Qua de re vide annotationes Erasmi in caput septimum Epistolæ primæ Pauli ad Corinthios et Notas nostras ad vitas paparum Avenionensium, pag. 788, et 798, itemque præfationem nostram ad historiam Tutelensem. Alii hunc Cypriani locum intelligunt de igne purgatorio. Illos vero vehementer exagitat Joannes Dallæus lib. IV, de pœnis et satisfactionibus humanis cap. 10. BALUZ. — Rigaltius ait: *Ad notam Pamelii, ubi dicitur locum esse intelligendum de die particularis judicii uniuscujusque, Nic. Faber notat: Immo potius de extremo judicio ex ea opinione quæ fuit multorum et magnorum virorum tam Græcorum quam Latinorum in Ecclesia primitiva, qui solos martyres gloria divina perfrui ante illud extremum judicium*, cæteros vero, in extremum judicium *differri voluerunt*. Quæ fuit etiam Tertulliani sententia. Sed illa non erat Cypriani nostri: qui passim in libro de Mortalitate docet, *ejus esse mortem timere qui ad Christum nolit ire. Et tunc esse servis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quoniam de istis mundi turbinibus extracti, sedis et æternæ tranquillitatis portum petimus, quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus*. Tunc, *ad refrigerium justi vocantur, ad supplicium rapiuntur injusti; datur velocius tutela fidentibus, perfidis pœna. Inde amplectamur diem qui assignat singulos domicilio suo, qui nos istic ereptos, et laqueis sæcularibus exsolutos, paradiso restituit et regno cœlesti*. Interim agnoscendum, veteres omnes sensisse diem judicii terrores, etiam sanctis formidandos, secum allaturum: unde forte

XXI. Et quidem apud antecessores nostros quidam de episcopis istic in provincia nostra dandam pacem mœchis non putaverunt et in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt. Non tamen a coepiscoporum suorum collegio recesserunt, aut catholicæ Ecclesiæ unitatem vel duritiæ vel censuræ suæ obstinatione ruperunt; ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat de Ecclesia separaretur. Manente concordiæ vinculo et perseverante catholicæ Ecclesiæ individuo sacramento, actum suum disponit et dirigit unusquisque episcopus rationem propositi sui Domino redditurus.

XXII. Miror autem quosdam sic obstinatos esse ut dandam non putent lapsis pœnitentiam, aut pœnitentibus existiment veniam denegandam, cum scriptum sit : *Memento unde cecideris, et age pœnitentiam, et fac priora opera.* (*Apoc.* II, 5.) Quod utique ei dicitur quem constat cecidisse et quem Dominus hortatur per opera rursus exurgere, quia scriptum est : *Eleemosyna a morte liberat* (*Tob.* IV, 10); et non utique ab illa morte quam semel Christi sanguis extinxit, et a qua nos salutaris Baptismi et Redemptoris nostri gratia liberavit, sed et ab ea quæ per delicta postmodum serpit. Alio item loco pœnitentiæ tempus datur, et pœnitentiam non agenti [a] Dominus comminatur : *Habeo*, inquit, *adversus te multa, quod uxorem tuam Jezabel, quæ se dicit propheten* [b], *sinis docere et seducere servos meos, fornicari et manducare de sacrificiis* [c], *et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, et pœnitere non vult a fornicatione sua. Ecce mitto eam in lectum, et qui cum ea fornicati sunt in maximam tribulationem, nisi pœnitentiam gesserint* [d] *ab operibus suis* (*Apoc.* II, 20, 22). Quos utique ad pœnitentiam Dominus non hortaretur, nisi quia pœnitentibus indulgentiam pollicetur. Et in Evangelio : *Dico*, inquit, *vobis, sic erit gaudium in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente quam super nonaginta novem justis, quibus non est opus pœnitentia* (*Luc.* XV, 7). Nam cum scriptum sit [e], *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione vivorum* (*Sap.* I, 13), utique qui neminem vult perire cupit peccatores pœnitentiam agere et per pœnitentiam denuo ad vitam redire. Ideo et per Johel prophetam clamat et dicit (*Johel* II, 12) : *Et nunc hæc dicit Dominus Deus vester : Revertimini* [f] *ad me ex toto corde vestro, simulque et jejunio et fletu et planctu, et discindite* [g] *corda vestra, et non vestimenta vestra et revertimini ad Dominum Deum vestrum, quia misericors et pius est et patiens et multæ miserationis, et qui sententiam flectat* [h], *adversus malitiam irrogatam* [i]. (*Joel.* II, 12, 13.) In Psal-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Non agentibus *Lam. Bod.* 2. *Ebor.*
[b] Prophetissam *Bod.* 3, Prophetin *Vulg.* Propheten *Bod.* 1, 2.
[c] De sacrificio *Lam. Ebor. NC.* 1. *Manut.*
[d] Pœnitentiam gesserint *Bod.* 1, 2, 3. *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. Fecerint *Oxon.*
[e] Scriptum sit, Dominus Deus *Lam.*
[f] Dominus Deus, venite convertimini *Lin.*
[g] Scindite *Bod.* 2.
[h] Sententiam vertat *Benev.*
[i] *Sic Bod.* 1. *Lam. Ebor. NC.* 1. Malitias irrogatas *Oxon.*

## VARIORUM NOTÆ.

preces etiam pro martyribus conceptæ. *Sacrificia pro eis semper* offerimus, inquit Cyprianus, Ep. 39, *quoties martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus.* Vid. quæ dicta ad Ep. II et XII. FELL.

XXI. — *Antecessores nostros.* Id est episcopos qui ecclesiam Africanam rexerant ante tempora Cypriani. Ait ergo Cyprianus quosdam episcopos Afros putasse pacem non esse dandam mœchis. Hanc opinionem fuisse in Africa ante tempora Cypriani liquet etiam ex testimonio Tertulliani, qui in libro mox laudato vehementer declamat adversus Papam Zephyrinum quod is mœchiæ et fornicationis delicta pœnitentia functis dimitteret. Manebat tamen interim concordiæ vinculum inter episcopos Afros, quamvis diverse nonnulli sentirent de reconciliatione lapsorum. BALUZ. — Satis inconsulte Albaspinæus asserit mœchis veniam non factam ante Novatiani tempora, quando contrarium hic aperte doceat Cyprianus. Verisimilior longe Morini sententia, qui statuit pœnas pœnitentiales usque ad Novati tempora fuisse leviores : quod ex censura Apostolica, I Cor. V, et Joannis praxi quam ex Clemente Alexand. refert Eusebius, Hist. lib. II, c. 17, et aliis veterum scriptis conficit. Certe ipse Tertullianus quando in Zepherinum tamquam impudicitiæ patronum invehitur; agnoscit Psychicos, hoc est, Catholicos, mœchos olim ad pœnitentiam admisisse. *Erit igitur*, inquit, *et hic adversus Psychicos titulus, adversus meæ quoque sententiæ retro penes illos societatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis objectent.* Porro, Zepherino antiquior Dionysius Corinthiorum Episcopus, cujusvis flagitii compertos per pœnitentiam suscipiendos decrevit. Ep. ad Amastrianos, apud Euseb. lib. IV, c. 23: Τοὺς ἐξ οἵας δ' οὖν ἀποπτώσεως ἡ πλημμελείας, εἴτε μὴν αἱρετικῆς πλάνης ἐπιστρέφοντας δεξιοῦσθαι προστάττει. Demum S. Ignatius, Epist. ad Philadelphenses in universum pronuntiat : Ὅσοι ἂν μετανοήσαντες ἔλθωσιν ἐπὶ τὴν ἑνότητα τῆς Ἐκκλησίας προσδέχεσθαι αὐτούς. FELL.

*Et quidem.* Refert hunc locum sanctus Augustinus in epistola ad Vincentium Rogatistam. BALUZ.

XXII. — *Lapsis pœnitentiam.* Codex Gratianopolitanus, *indulgentiam non putent lapsis.* Infra in calce hujus epistolæ legitur : *et veniam et indulgentiam pœnitentibus non denegari.* BALUZ.

*Gesserint.* Hanc lectionem inveni in decem codicibus antiquis. Angli viderunt sex in quibus etiam habetur. In quinque vero aliis a me visis scriptum est *egerint.* Quæ est lectio vulgatæ editionis Apocalypsis. BALUZ.

*Gaudium.* Codex Fuxensis, *gaudium coram angelis Dei in cœlo*, ex glossemate, ut opinor. BALUZ.

*Super uno peccatore.* Nihil volui mutare, quamvis sciam plurimos optimos codices præferre *super unum peccatorem.* Nam editio quam retineo nititur etiam auctoritate plurimorum veterum librorum. BALUZ.

*Delectatur.* Ita scriptum vidi in multis antiquis codicibus et in vetustioribus editionibus. Manutius mutavit et scripsit *lætatur.* Sane fateor lectionem Manutianam extare in multis codicibus antiquis et in editione vulgata sacræ Scripturæ. Sed illa usum non esse Cyprianum constat. Itaque prætuli lectionem veterum editionum. BALUZ.

*Malitiam.* Sic emendavi secutus auctoritatem veterum editionum et undecim veterum exemplarium nostrorum et trium Anglicanorum. Nam et textus pro-

mis etiam legimus censuram pariter et clementiam Dei comminantis simul atque parcentis, punientis ut corrigat, et cum correxerit reservantis. *Visitabo*, inquit, *in virga facinora eorum, et in flagellis delicta eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eis* (*Psal.* LXXXVIII, 33, 34).

XXIII. Dominus quoque in Evangelio suo pietatem Dei Patris ostendens ait: *Quis est ex vobis homo quem si petierit filius ejus panem, lapidem porrigat illi; aut si piscem postulaverit, serpentem illi porrigat? Si ergo vos, cum sitis nequam, scitis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis dabit bona poscentibus*[a] *eum* (*Matth.* VII. 9-11)? Comparat hic Dominus carnalem patrem et Dei Patris æternam largamque pietatem, quod si iste in terris nequam pater offensus graviter a filio peccatore et malo, si tamen eumdem postmodum viderit reformatum et depositis prioris [b] vitæ delictis ad sobrios et bonos mores et ad innocentiæ disciplinam pœnitentiæ dolore correctum [c], et gaudet et gratulatur, et susceptum, quem ante projecerat, cum voto paternæ exultationis amplectitur, quanto magis unus ille et verus Pater bonus, misericors, et pius, immo ipse bonitas [d] et misericordia et pietas, lætatur in pœnitentia filiorum suorum, nec jam pœnitentibus aut plangentibus et lamentantibus pœnam comminatur, sed veniam magis et indulgentiam pollicetur. Unde Dominus in Evangelio beatos dicit plangentes (*Matth.* V), quia qui plangit misericordiam provocat; qui pervicax et superbus est, iram sibi et pœnam judicii venientis exaggerat. Et idcirco, frater charissime, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde et manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communicationis et pacis, si in infirmitate atque in periculo cœperint deprecari; quia rogare illos non delicti pœnitentia sed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus est in morte accipere solatium qui se non cogitavit esse moriturum.

XXIV. Quod vero ad Novatiani personam pertinet, frater charissime, de quo desiderasti tibi scribi quam hæresim introduxisset, scias nos primo in loco nec curiosos esse debere quid ille doceat, cum foris doceat. Quisquis ille est et qualiscumque est, Christianus non est qui in Christi Ecclesia non est. Jactet se licet [e] et philosophiam vel eloquentiam suam superbis vocibus prædicet, qui nec fraternam charitatem nec Ecclesiasticam unitatem tenuit [f], etiam quod prius fuerat amisit. Nisi si episcopus tibi videtur qui episcopo in Ecclesia a sedecim [g] coepiscopis facto, adulter atque extraneus episcopus fieri a desertoribus per ambitum nititur, et cum sit a Christo una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa, item episcopatus unus episcoporum multorum concordi numerositate diffusus, ille post Dei traditionem, post connexam et ubique conjunctam catholicæ Ecclesiæ unitatem humanam conetur Ecclesiam facere, et per plurimas civitates novos Apostolos suos mittat, ut quædam recentia institutionis suæ fundamenta constituat, cumque jam pridem per omnes provincias et per urbes singulas ordinati sint episcopi in ætate antiqui, in fide integri, in pressura probati, in persecutione proscripti, ille super eos creare alios pseudoepiscopos audeat. Quasi possit aut totum orbem novi conatus obstinatione peragrare aut Ecclesiastici corporis [h] compaginem discordiæ suæ seminatione rescindere [i], nesciens schismaticos semper inter initia fervere, incrementa

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Poscentibus se *Oxon.*
[b] Prioribus *Bod.* 3.
[c] Ac pœnitentiam, ac dolore correctum *Man.*
[d] Ipsa bonitas *Oxon.* Bonitatis et misericordiæ et pietatis fons *Bod.* 3.
[e] Jactet se licet et ferat quomodo vult *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[f] Unitatem retinuit *Oxon.*
[g] A decem et septem *Bod.* 3.
[h] Ecclesiastici ordinis *Bod.* 3.
[i] Contaminatione conscindere *Lam. Bod.* 2.

## VARIORUM NOTÆ.

phetiæ Joel habet *præstabilis super malitia*. Manutius posuit *malitias*. Sed ego eam lectionem non reperi nisi in quinque libris veteribus. In Veronensi legebatur *injurias irrogatas*. Vide Frontonis Ducæi notas in homilias sancti Joannis Chrysostomi, pag. 14. BALUZ.

*Reservantis*. In uno vetere libro meo scriptum est *cum correxerit ut misereatur reservantis*, in Divionensi et in recentiore Remigiano *miserentis reservatis*. BALUZ.

*Virga*. Codex Gratianopolitanus et monasteriensis addunt *ferrea*. Infra in hac ipsa epistola, *fictilia ab eo cui data est ferrea virga frangentur*. Rufinus in Psal. II: *Virga ferrea accipitur inflexibilis justitia*. BALUZ.

XXIII. — *Bonitas*. Angli monuerunt in codice Bodleiano scriptum esse *bonitatis et misericordiæ et pietatis fons*. Ita etiam in Pithœano, nisi quod deest vox *fons*. BALUZ.

XXIV. — *A sexdecim*. Pacianus in tractatus contra Novatianos: *Cornelius jam Romæ episcopus a sedecim episcopis factus locum cathedræ vacantis acceperat*. BAL.

*Episcopatus unus*. Locus insignis, inquit Pamelius, pro episcopatu Romano. Sed non cepit sensum Cypriani, qui manifestus est. Sunt apud Cyprianum varia loca multo favorabiliora episcopo Romano, ut istud in epistola LV, pag. 86. *Post ista adhuc insuper, pseudoepiscopo sibi ab hæreticis constituto, navigare audent et ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre*. Etiam ea tempestate qua theologi scholastici libere disputabant, inventus est unus qui diceret omnes sacerdotes posse dici unum et eumdem sacerdotem, ut videre est apud Ægilium Romanum in capite 21 libri *de Renuntiatione papæ*. BALUZ.

*Schismaticos inter initia fervere*. Heic, data occasione, emendabo locum ex actis Alexandri papæ III valde corruptum et depravatum in Annalibus Baronii, anno videlicet 1159, § 74. Sic ergo restituendus est ex veteri codice ms. bibliothecæ regiæ. *Tunc vero non mediocriter est elevatum cor ipsius hæresiarchæ, extollens se super se tamquam insanus et cæcus, nesciens quod secundum beati Cypriani martyris dictum schismatici semper inter initia fervent, incrementa vero habere non possunt nec augmentare valent quod illicite cœpit, sed statim cum prava sua æmulatione deficiunt*. BALUZ.

Digitized by Google

vero habere non posse nec augere quod illicite cœperint, sed statim cum prava sua æmulatione deficere, episcopatum autem tenere non posset, etiam si episcopus prius factus a coepiscoporum suorum corpore et ab Ecclesiæ unitate descisceret [a], quando Apostolus admoneat ut invicem nosmetipsos sustineamus, ne ab unitate quam Deus constituit recedamus, et dicat : *Sustinentes invicem in dilectione, satis agentes servare unitatem spiritus in conjunctione pacis* (*Ephes.* XIV, 2, 3). Qui ergo nec unitatem spiritus nec conjunctionem pacis observat, et se ab Ecclesiæ vinculo atque a sacerdotum collegio separat, episcopi nec potestatem potest habere nec honorem qui episcopatus nec unitatem voluit tenere nec pacem.

XXV. Tum deinde quantus arrogantiæ tumor est, quanta humilitatis et lenitatis oblivio, arrogantiæ suæ quanta jactatio, ut quis aut audeat aut facere se posse credat quod nec Apostolis concessit Dominus, ut zizania a frumento putet se posse discernere (*Matth.* XIII), aut quasi ipsi palam ferre et aream purgare concessum sit, paleas conetur a tritico separare, cumque Apostolus dicat; *In domo autem magnanon solum vasa aurea sunt et argenta, sed et lignea et fictilia* (II *Tim.* II, 20), aurea et argentea vasa videatur eligere, lignea vero et fictilia contemnere, abjicere, damnare, quando non nisi die Domini vasa lignea divini ardoris incendio concrementur, et fictilia ab eo cui data est ferrea virga frangantur (*Psal.* II).

XXVI. Aut si se cordis et renis scrutatorem constituit et judicem, per omnia æqualiter judicet; et cum sciat scriptum esse, *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat* (*Joan.* V, 14), fraudatores et mœchos a latere atque a comitatu suo separet, quando multo et gravior et pejor sit mœchi quam libellatici causa, cum hic necessitate, ille voluntate peccaverit, hic existimans sibi satis esse quod non sacrificaverit, errore deceptus sit [b], ille matrimonii expugnator alieni, vel lupanar ingressus ad cloacam et cœnosam voraginem vulgi, sanctificatum corpus et Dei templum detestabili colluvione violaverit, sicut Apostolus [c] dicit : *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem mœchatur, in corpus suum peccat* (I *Cor.* VI, 18). Quibus tamen et ipsis pœnitentia conceditur et lamentandi ac satisfaciendi spes relinquitur secundum ipsum Apostolum dicentem : *Timeo ne forte veniens ad vos lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt et non egerunt pœnitentiam de immunditiis quas fecerunt et fornicationibus et libidinibus* (I *Cor.* XII, 20, 21).

XXVII. Nec sibi in hoc novi hæretici blandiantur quod se dicant idololatris non communicare, quando sint apud illos et adulteri et fraudatores, qui teneantur idololatriæ crimine, secundum Apostolum dicentem : *Hoc enim scitote intelligentes quia omnis fornicator aut immundus aut fraudator, quod est idololatria, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei* (*Ephes.* V, 5). Et iterum [d] : *Mortificate itaque membra vestra quæ in terra sunt, exponentes fornicationem, immunditiam et concupiscentiam malam, et cupiditatem, quæ sunt idolorum servitus, propter quæ venit ira Dei* (*Coloss.* III, 5, 6). Nam cum corpora nostra membra sint Christi, et singuli simus templum Dei, quis quis adulterio templum Dei violat, Deum violat; et qui in peccatis committendis voluntatem diaboli facit, dæmoniis et idolis servit. Neque enim mala facta de sancto Spiritu veniunt, sed de adversarii instinctu et de immundo spiritu natæ concupiscentiæ contra Deum facere et diabolo servire compellunt. Ita fit ut si peccato alterius inquinari alterum dicunt et

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Unitate discederet *Lam.*
[b] Errore deceptus, ille *Lam. Ebor. NC.* 1.
[c] Secundum Apostolum *Lam. Ebor. NC.* 1.
[d] Et iterum dicit *Lam. Ebor. NC.* 1.

## VARIORUM NOTÆ.

XXV.—*Quantus arrogantiæ tumor.* Hunc locum descripsit sanctus Augustinus lib. IV de *Baptismo contra Donatistas*, cap. 12, et Gratianus, sed non ita integrum ut apud Augustinum, 23, q. 4, cap. *Quamvis*, ubi citatur ex Augustino, non ex Cypriano. Salvianus, lib. IV, cap. 12 : *Maxima quippe accusatrix hominum noxiorum est usurpatrix innocentiæ arrogantia.* Idem in epistola ad Eucherium : *Pedissequa enim plerumque novi honoris est arrogantia.* Honores enim persæpe mutant mores. BALUZ.

XXVI.—*Fraudatores.* Id est idololatras. Nam dicet paulo post, *fraudator, quod est idololatria.* Hieronymus in epistola ad Heliodorum de Laude vitæ solitariæ : *Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, aut fraudator, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei.* Istud vero sumptum est ex Epistola Pauli *ad Ephesios.* BALUZ.

*Qui mœchatur.* Multa de hoc argumento dici possent, a quibus abstineo. Sed tamen illud silere non possum quod scio emendandum esse apud Commodianum instruct. 10, et sequenti, ubi reponendum est *mœchus* et *mœchia* pro eo quod Rigaltius posuit *Maius* et *Maia.* Sic etiam reponendum in instructione 12, ubi Rigaltius posuit *Maria* pro *mœcha.* Ego enim affero lectiones libri veteris. BALUZ.

*Libidinibus.* Codex Fuxensis *turpitudinibus.* In epistola *ad Donatum* pag. 4. *Tum delectat in minis, turpitudinem magisterio.* Salvianus lib. VI, cap. 8, *loca et habitacula turpitudinum.* BALUZ.

*Nec sibi.* Citat hunc locum S. Augustinus lib. IV *de Baptismo adversus Donatistas* cap. 5 ; itemque Hincmarus in opusculo LV *Capitulorum* cap. 47, pag. 563. BALUZ.

XXVII.—*Idololatris.* Omnes libri veteres et vetustiores editiones et heic paulo post habent scriptum *idolatris* et *idolatriæ;* nihil tamen mutare volui, quamvis sciam ita vulgo scriptum esse in antiquis codicibus veterum scriptorum latinorum, et quamvis exemplum ita scribendi habeam Antonii de Albone archiepiscopi Lugdunensis, qui ita scripsit in editione sua commentariorum Rufini in Psalmos. Habendus esse videbatur honos antiquitati. Sed etiam satisfaciendum erat delicatis ingeniis ævi nostri. BALUZ.

*Inquinari alterum.* Codex Fuxensis, *alterum inquinari dicunt.* In Sorbonico et in uno meo, *excusari alterum dicunt.* BALUZ.

Digitized by Google

idololatriam delinquentis ad non delinquentem transire sua asseveratione contendunt, excusari secundum suam vocem non possint ab idololatriæ crimine, cum constet de Apostolica probatione mœchos et fraudatores, quibus illi communicant, idololatras esse. Nobis autem secundum fidem nostram et divinæ prædicationis datam formam competit ratio veritatis, unumquemque in peccato suo ipsum teneri nec posse alterum pro altero reum fieri, cum Dominus præmoneat et dicat : *Justitia justi super eum erit, et scelus scelerati super eum erit* (*Ezech.* XVIII, 20). Et iterum : *Non morientur patres pro filiis, et filii non morientur pro patribus. Unusquique in peccato suo morietur* (*Deut.* XXIV, 16). Quod legentes scilicet et tenentes neminem putamus a fructu satisfactionis et spe pacis arcendum, cum sciamus juxta Scripturarum divinarum fidem, auctore et hortatore ipso Deo, et ad agendam pœnitentiam peccatores redigi, et veniam atque indulgentiam pœnitentibus non denegari.

XXVIII. Atque o frustrandæ fraternitatis irrisio! o miserorum lamentantium et amentium caduca deceptio! o hæreticæ institutionis inefficax et vana traditio! hortari ad satisfactionis [a] pœnitentiam et subtrahere de satisfactione medicinam, dicere fratribus nostris : « Plange et lacrymas funde, et diebus ac noctibus ingemisce, et pro abluendo et purgando delicto tuo largiter et frequenter operare, sed extra Ecclesiam post omnia ista morieris; quæcumque ad pacem pertinent facies, sed nullam pacem, quam quæris, accipies [b]. » Quis non statim pereat, quis non ipsa desperatione [c] deficiat, quis non animum suum a proposito lamentationis avertat? Operari tu putas rusticum posse, si dixeris : « Agrum peritia omni rusticitatis exerce, culturis diligenter insiste; sed nullam messem metes, nullam vindemiam premes, nullos oliveti tui fructus capies, nulla de arboribus poma decerpes. » Vel si ei cui dominium et usum navium [d] suadens dicas : « Materiam de excellentibus sylvis mercare, frater; carinam [e] prævalidis et electis roboribus intexe, clavo, funibus, velis, ut fabricetur atque armetur navis, operare : sed cum hæc feceris, fructum de actibus ejus et cursibus non videbis. »

XXIX. Præcludere est atque abscindere [f] iter doloris ac pœnitendi viam, ut cum in Scripturis omnibus Dominus Deus revertentibus ad se et pœnitentibus blandiatur, nostra duritia et crudelitate, dum fructus pœnitentiæ intercipitur [g], pœnitentia ipsa tollatur. Quod si invenimus a pœnitentia agenda neminem debere prohiberi, et deprecantibus atque exorantibus Domini misericordiam, secundum quod ille misericors et pius est, per sacerdotes ejus pacem posse concedi, admittendus est plangentium gemitus, et pœnitentiæ fructus dolentibus non negandus. Et quia apud inferos confessio non est, nec exomologesis illic fieri potest, qui ex toto corde pœnituerint et rogaverint in Ecclesiam debent interius suscipi et in ipsa Domino reservari, qui ad Ecclesiam suam [h] venturus de illis utique quos in ea intus invenerit judicabit. Apostatæ vero et desertores, vel adversarii et hostes et Christi Ecclesiam dissipantes, nec si occisi pro nomine foris fuerint, admitti, secundum Apostolum, possunt ad Ecclesiæ pacem, quando nec spiritus nec Ecclesiæ tenuerunt unitatem.

XXX. Hæc interim, frater charissime, pauca de

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Hortari ad satisfactionem *Bod.* 3.
[b] Quæris invenies *Lam. Ebor. NC.* 1.
[c] Ipsa statim desperatione *Lam. Ebor. NC.* 1.
[d] *Sic Lam. Ebor. Corb. NC.* 1. *Lin.* Est *Imp.* Vel si ei cui usum *Benev.* Cui dum *Vatic.*
[e] Fortem carinam *Bod.* 1, 2.
[f] Abscidere *Ver. Benev.*
[g] Fructus pœnitentiæ interdicitur *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[h] *Sic Lam. Bod.* 3. *Ebor. Lin.* Ecclesiam venturus *Oxon.*

## VARIORUM NOTÆ.

*Ipsum teneri.* Prætuli hanc lectionem, quia illam inveni in XV libris veteribus. Alioqui enim facile mutassem ut eam revocarem quæ exstat in antiquis editionibus, ubi legitur *reum teneri.* Nam eam quoque lectionem reperi in quatuor exemplaribus antiquis. BALUZ.

XXVIII. — *Lamentantium.* Duo libri veteres habent *amentium* tantum. BALUZ.

*Frequenter operare.* Id est, ut ego quidem arbitror, frequenter opera pietatis exerce in pauperes, da frequenter eleemosynam. Vide librum *de Opere et Eleemosynis.* Commodianus instruct. 55 : *Non opera facitis*, id est elemosynas. Vide etiam instruct 69. BALUZ.

*Dominum et.* Hanc lectionem inveni in quindecim exemplaribus antiquis et in editionibus Manutii et Morellii. Pamelius posuit *est* pro *et.* Hunc imitatus est Rigaltius. Angli reposuerunt veterem lectionem, quæ profecto melior est. In libro Fuxensi legitur, *dominium et jus est.* BALUZ.

XXIX. — *Interius.* Ego hanc lectionem, quam veteres editiones itemque Morelliana et tria vetera exemplaria habent, præfero, etiam ob eam causam quod paulo post Cyprianus ait Dominum, cum ad Ecclesiam suam venerit, de illis utique judicaturum *quos in ea intus invenerit.* Infra epist. 55. pag. 88, *plebis intus positæ.* Sunt etiam multa similia apud Cyprianum. Optatus lib. III, *nos, qui intus habitamus, et numquam de radice recessimus.* Hæretici, qui sunt foris, non habitant intus. Vide notas ad epistolam 76. BALUZ.

*Nec si occisi.* Ista sæpe repetit sanctus martyr præcipue in libro *de Unitate Ecclesiæ*, pag. 198. Hinc ortum vulgatum illud : *Martyrem non facit pœna, sed causa*, quod extat apud Rufinum in psal. XXXIV et XLIII, et sæpe citatur a sancto Augustino. Id vero sanctus papa Gregorius lib. II, Indict. 10, Epist. 37, laudat ex Cypriano. Videtur autem acceptum ex libro *de Duplici martyrio ad Fortunatum*, in quo ita scriptum est : *Neque enim statim martyr est qui occiditur. Occiduntur et sicarii et piratæ. Non supplicium facit martyrem, sed causa.* Sic Primasius in caput tertium epistolæ Pauli *ad Galatas* ait : *Reum non facit pœna, sed causa.* Et sanctus Hieronymus in libro secundo *adversus Rufinum*, loquens de charitate, quam ait esse

Digitized by Google

multis quantum potui breviter decucurri, quibus et desiderio tuo satisfacerem, et te magis ac magis collegii et corporis nostri societati conjungerem. Si autem tibi veniendi ad nos opportunitas et facultas fuerit, plura in commune conferre et uberius ac plenius quæ in salutarem concordiam faciant tractare poterimus. Opto te, frater charissime, semper bene valere.

## EPISTOLA XI.

(Erasm. I, 2; Pamel., Rigalt., Baluz., LIV; Paris. LIII; Constant. I, 167; Galland. III. 330; Routh., Reliq. sacr. III, 69 et 108.)

(Hanc synodicam concilii Carthaginensis sub S. Cypriano secundi epistolam infra habes inter acta conciliorum Carthaginensium tempore S. Cornelii celebratorum.)

ANNO CHRISTI CCLII.

## EPISTOLA XII.

### S. CYPRIANI CARTHAGINENSIS EPISCOPI AD S. CORNELIUM PAPAM.

(Erasm., 1, 3; Pamel., Rigalt, Baluz., LV; Paris. LIV, Lips., Oxon. LIX; Coustant. I, col. 172; Galland., III, p. 362.)

A DE QUINQUE PRESBYTERIS ET FORTUNATO PSEUDOEPISCOPO.

*De duplici Cornelii epistola, prima qua Felicissimum et eos qui cum ipso venerant repulsos nuntiavit; altera, qua se minis eorumdem motum litteras quas attulerant accepisse significabat. Episcopum malorum metu ab ecclesiastica disciplina tuenda deterreri non debere. Tum Cyprianus sese legitimum episcopum, Fortunatum vero a quinque episcopis, quorum tres damnati, quartus ab episcopo damnato, in hæresi ordinatus, postremus in persecutione lapsus fuerat, ac paucis sibi male conscIis in episcopum cooptatum esse enarrat. Hinc asseclarum Fortunati circa lapsos quæ doctrina sit, quo pacto cum iis communicare non desinant, ac* B *pœnitentiæ agendæ intercedant, graphice exponit. Frustra eos Romam, ut pseudoepiscopi a se creati confirmationem petant, contendere. Ibi causam audiendam esse decernunt Afri, ubi crimen admissum est. Quanta facilitate ac benignitate suscipiat Cyprianus ad Ecclesiam redeuntes.*

I. Legi litteras tuas, frater charissime, quas per

## VARIORUM NOTÆ.

majorem fide et spe, et quam Paulus optat potius quam præsumit, addit, *sine qua et martyrio sanguis effusus corpusque flammis traditum coronam non habet præmiorum.* Idem in caput quintum Epistolæ ad Galatas: *Vide quantum sit bonum charitatis. Si ita martyrium fecerimus ut nostras velimus ab hominibus reliquias honorari, si opinionem vulgi sectantes intrepidi* C *sanguinem fuderimus, et substantiam nostram usque ad mendicitatem propriam dederimus, huic operi non tam præmium quam pœna debetur, et perfidiæ magis tormenta sunt quam corona victoriæ.* Sanctus Augustinus in libro *de Correctione Donatistarum* cap. 2: *Non ergo qui propter iniquitatem et propter christianæ unitatis impiam divisionem, sed qui propter justitiam persecutionem patiuntur, hi martyres veri sunt.* Et paulo post: *Potest enim esse impiorum similis pœna, sed dissimilis est martyrum causa.* Plangendi igitur erant Donatistæ qui gravissima tormenta toleraverant pro nomine Christi in persecutione Diocletiani. Vide eorum acta in libro secundo miscellaneorum nostrorum. Guibertus de Novigento lib. I, cap. 3, de Pignoribus sanctorum: *Donatistæ non imparia martyribus passi sunt, et quia extorres a caritate fuerunt, frustra fuerunt.* Stephanus Tornacensis in epistola sua secunda, loquens de cæde Joannis decani Aurelianensis: *Joannem nostrum martyrem simul causa fecit et pœna.* Cæ- D sarius Heisterbachcensis lib. VIII, cap. 64: *Causa, non pœna, facit martyres.* Vide notas ad vitas paparum Avenionensium, pag. 1280. BALUZ.

EPIST. XII.—Cum hæc epistola inter Cyprianicas magni sit momenti, paucis dicendum quo tempore et qua occasione scripta sit. Imminebat persecutio anno 252 cum hæc scriberet Cyprianus, ac his ipsis diebus, quibus has ad Cornelium litteras faciebat, ob sacrificia quæ edicto proposito celebrare populus jubebatur, clamore popularium ad leonem denuo postulatus in circo fuerat. Sacrificia de quibus loquitur Cyprianus, videntur fuisse indicta ob pestem quæ tunc sæviebat sub Gallo et Volusiano. Hujus autem epistolæ scribendæ hæc fuit occasio. Pars Felicissimi episcopum Carthagine ausa est ordinare Fortunatum, unum ex quinque presbyteris jampridem de Ecclesia profugis, et episcorum sententia anno priore damnatis. Dictitaverant schismatici vigenti quinque episcopos ad hanc ordinationem peragendam venturos, sed quinque tantum adfuerunt, iique pluribus infamiæ notis insti. Sic ordinatus Fortunatus Romam misit Felicissimum cum litteris ad Cornelium, qui primo quidem rejecit Felicissimum, ut par erat; sed postea illius mendaciis et minis, ac ipsius etiam Cypriani, cujus litteræ nondum perlatæ fuerant, silentio commotus duas ad episcopum Carthaginensem litteras scripsit, quarum in prima pulsum a se fuisse nuntiabat Felicissimum; in altera autem ipse commotum se esse et exterritum significabat. His rebus adductus fuit Cyprianus ut Cornelio scriberet hanc epistolam LV, in qua demonstrat episcopum nullius prorsus periculi metu terreri debere: innocentiam suam adversus schismaticorum calumnias strenue defendit: eorumque mores et nefariam conjurationem egregie describit, ac tandem probat eos ad Ecclesiam principalem, unde sacerdotalis unitas exorta est, navigare non debuisse, cum statutum sit, et æquum sit pariter et justum, ut causa illic audiatur, ubi est crimen admissum. Non dubium est quin Cornelius his litteris acceptis æqua de Cypriano senserit, nec jam aures præbuerit improbis schismaticis. BALUZ.

I.—*Legi litteras tuas, frater charissime, quas per Saturum fratrem nostrum Acoluthum.* Saturi in lectorem ordinati fit supra mentio Epistola XXIV; quare non placet hoc loco Manut. lectio: Saturnum acolythum vero postea ordinatum; hinc perspicuum fit, atque adeo prius etiam exorcistam. Nam proximum Hypodiaconatui gradum fuisse acolythi, patet ex synodo Rom. Sylvestri, can. 7, ubi episcopo obsequi jubetur presbyter, diaconus presbytero, diacono hypodiaconus, huic vero acolythus, acolytho exorcista, cui lector. Quale quid habet Nicolaus I ad Michaelem Imperat. Et utroque vetustior Cornelius Epistola sæpe citata ad Fabium Antioch. *Nesciebat*, inquit de Novatiano loquens, *in Ecclesia unum episcopum esse debere, ubi videbat esse presbyteros* 46, *diaconos* 7, *subdiaconos* 7, *acolythos* 42, *exorcistas cum lectoribus et ostiariis* 52. Similia etiam Caius Papa ejus nominis primus, ubi gradus enumerat quibus ad episcopatum conscenditur. Psalmistæ sive Cantoris meminerunt Ignatius ad Antioch. et can. Apostol. 42. Omnium autem horum officia describuntur a Synodo 4. Carthag. cui D. Augustin. interfuit. Hæc paulo prolixius, propter eos qui VII dictos ordines Ecclesiasticos, tamquam recentes ca-

Satyrum fratrem nostrum acolythum misisti, et dilectionis fraternæ, et ecclesiasticæ disciplinæ, et sacerdotalis censuræ satis plenas, quibus significasti Felicissimum hostem Christi non novum, sed jam pridem ob crimina sua plurima et gravissima abstentum, et non tantum mea, sed et plurimorum coepiscoporum sententia condemnatum, rejectum a te [a] illic esse [b]; et cum venisset stipatus caterva et factione desperatorum, vigore pleno, quo [c] episcopos agere oportet, pulsum de Ecclesia [d] esse: de qua jam pridem cum sui similibus, Dei majestate et Christi Domini et judicis nostri severitate, depulsus est; ne schismatis et discidii auctor, ne pecuniæ commissæ sibi fraudator, ne stuprator virginum, ne matrimoniorum multorum depopulator atque corruptor ultra adhuc sponsam Christi incorruptam, sanctam, pudicam, præsentiæ suæ dedecore et impudica atque incesta contagione violaret.

II. Sed enim lecta alia epistola tua, frater, quam primis litteris subjunxisti, satis miratus sum: cum animadvertissem, te minis ac terroribus eorum, qui venerant, aliquantum esse commotum; cum te, secundum quod scripsisti, agressi essent, cum summa desperatione comminantes, quod si litteras quas attulerant, non accepisses, publice [e] eas recitarent, et multa turpia ac probrosa et ore suo digna proferrent. Quod si ita res est, frater charissime, ut nequissimorum timeatur audacia, et quod mali jure atque æquitate non possunt, temeritate ac desperatione perficiant, actum est de episcopatus vigore et de Ecclesiæ gubernandæ sublimi ac divina potestate: nec Christiani ultra aut durare aut esse jam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas atque insidias pertimescamus. Nam et Gentiles et Judæi minantur, et hæretici atque omnes, quorum pectora et mentes diabolus obsedit, venenatam rabiem suam quotidie furiosa voce testantur: non tamen idcirco cedendum est, quia minantur; aut [f] ideo adversarius inimicus major est Christo, quia tantum sibi vindicat et assumit in sæculo [g]. Manere apud nos debet, frater charissime, fidei robur immobile; et stabilis atque inconcussa virtus contra omnes incursus atque impetus oblatrantium fluctuum, velut petræ objacentis fortitudine et mole, debet obsistere. Nec interest unde episcopo aut terror aut periculum veniat; qui terroribus et periculis vivit obnoxius, et tamen fit de ipsis terroribus ac periculis gloriosus. Neque enim solas Gentilium vel Judæorum minas cogitare et spectare debemus; cum videamus, ipsum Dominum nostrum [h] a fratribus esse detentum (*Marc.* III, 21) et ab eo, quem inter

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Te *in duobus mss. Colb. et Anglic. Pem. Bod.* 3. A te *in aliis nonnullis hic additur: quod supervacaneum.*
[b] A te, et *Bod.* 1, 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. Rejectum et a se illic esse.
[c] Pleno quod *Bod.* 1.
[d] Ab Ecclesia prohibitum *Ver.*
[e] Ut publice *Bod.* 3.
[f] Quia minantur, nec inde *Lin. NC.* 2. Aut iude *Lam. NC.* 1. *Ebor. Colb.* 1.
[g] In isto sæculo *Bod.* 1.
[h] Nostrum *deest in Oxon.*

## VARIORUM NOTÆ.

lumniantur. Porro rectiusne inscribatur *acolythus* an *acoluthus*, nescio. Certe ms. cod. omnes et dicti veteres, synod. quoque Carthag. Græcum exemplar, priori modo legunt, Idque ἀπὸ τοῦ κωλύειν, quod est prohibere, ut dicatur non prohibitus sed solutus et liber, et cui jam initiato sacris se miscere liceat, utpote qui hypodiocono urceolum vacuum administret ad vinum suppeditandum. Alii qui *acoluthum* legunt, interpretantur ἀπὸ τοῦ ἀκολούθειν, id est a sequendo, ut sit quasi pedissequus et minister superiorum ordinum. PAMEL.

*Saturum*, antea lectorem constitutum a sancto Cypriano. Vide epist. XXIV, XXIX, XXXII. BALUZ.

*Acolythum*. Secutus sum vulgarem scribendi modum, quamvis sciam scriptum esse in omnibus antiquis exemplaribus et editionibus *acolytum* sine aspiratione, uti etiam scribunt viri doctissimi Jacobus Goar, Dominicus Macrus, et Cangius. Nondum autem convenit inter interpretes unde derivatum sit hoc vocabulum, ut istic etiam annotavit Pamelius. Vir doctissimus Joannes Morinus in opere de sacris ordinationibus ait acolythorum mentionem nuspiam fieri nisi post annum a Christo nato 250. BALUZ.

*Felicissimum*. Adversarium sancti Cypriani, uti pluribus ostendit Cyprianus in hac ipsa epistola. BALUZ.

*Abstentum*. Hæc est vera lectio, quam inveni in codicibus antiquis. Recentior Remigianus et Beccensis habent *ostentum*. Octo alii veteres et veteres editiones *ostensum*. Quamquam autem non dubitem quin hæ lectiones sint falsissimæ, eas tamen annotavi ut hinc colligi facile possit quonam modo introductæ sint falsæ lectiones in libros veterum scriptorum per inscitiam et audaciam librariorum. Utar autem hac occasione ut referam versum ex instructione 59 Commodiani, non cujusmodi editus est a Rigaltio, qui illum male emendavit, sed eo modo quo legitur in veteri codice monasterii sancti Albini Andegavensis; ex quo Sirmondus descripsit. Nam Rigaltius edidit ex apographo Sirmondi, et non vidit vetus exemplar. Sic ergo habet versus ille:

Indulte vestes quas oportet frigus ut ostent,

optimo sensu. Ostare frigus est auferre vel impedire frigus. Unde, inquit Cangius, Galli effecerunt *oster*. BALUZ.

*Episcopum*. Ita veteres editiones et undecim vetera exemplaria. Neque dubito quin ea lectio melior sit quam ea quæ habet *episcopos*, tametsi ea quoque reperiatur in quibusdam vetustis exemplaribus. Nam paulo post dicit: *Nec interest unde episcopo aut terror aut periculum veniat*. BALUZ.

II. — *Cum animadvertissem*. Hæc omitti poterant absque ullo dispendio. Desunt autem in quibusdam codicibus antiquis. Retinuimus tamen, quia exstant in antiquis editionibus et in quibusdam codicibus manuscriptis. BALUZ.

*Litteras quas*. A schismaticis nimirum et profanis, ut dicet infra. Scriptæ quippe erant adversus Cyprianum. Et ideo Cornelius eas accipere renuebat. BALUZ.

*Esse detentum*. Quamvis ita scriptum sit in veteribus libris et in editionibus, puto tamen errorem esse in hoc loco et legendum esse *desertum*. Nam certum est Christum non fuisse detentum a fratribus sive discipulis suis, sed a Judæis. Unde infra scriptum est Christum derelictum fuisse a discipulis suis. BALUZ.

Digitized by Google

Apostolos ipse delegerat, proditum (*Matth.* xxvi, 14); inter initia quoque mundi Abel justum nonnisi frater occiderit (*Gen.* iv, 8); et Jacob fugientem persecutus sit frater infestus (*Gen.* xxvii, 41); et Joseph [a] venumdatus sit a fratribus (*Gen.* xxxvii, 23); in Evangelio etiam legamus esse prædictum [b], magis domesticos inimicos futuros (*Matth.* x, 30) et qui prius copulati sacramento unanimitatis fuerint, ipsos invicem tradituros. Nihil interest quis tradat aut sæviat, cum Deus tradi [c] permittit et coronari. Neque nobis [d] ignominia est pati a fratribus quod passus est Christus: nec illis gloria est facere quod fecit Judas [e]. Quæ autem sui elatio est, quæ comminantium tumens et inflata et vana jactatio; illic absenti minari, cum hic me habeant in potestate præsentem? Convicia eorum, quibus se et vitam suam quotidie lacerant, non timemus; fustes et lapides et gladios, quos verbis parricidalibus jactitant, non perhorescimus. Quod in illis est, homicidæ sunt apud Deum tales: necare tamen non possunt, nisi eis Dominus necare permiserit. Et cum nobis semel moriendum sit, illi tamen odio et verbis et delictis suis quotidie perimunt.

III. Sed non idcirco, frater charissime, relinquenda est ecclesiastica disciplina, aut sacerdotalis solvenda censura, quoniam conviciis infestamur, aut terroribus quatimur; quando occurrat et moneat [f] Scriptura divina dicens: *Ille vero qui præsumit et contumax est* [g], *vir sui jactans, nihil omnino perficiet, qui dilatavit tamquam* [h] *infernus* [i] *animam suam* (*Habac.* ii, 5). Et iterum: *Et verba viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus in stercora* A *erit et in vermes* [j]. *Hodie extolletur, et cras non invenietur; quoniam conversus est in terram suam, et cogitatio ejus peribit* [k] (I *Machab.* ii, 62). Et iterum: *Vidi impium exaltatum, et extolli super cedros Libani; et transivi, et ecce non fuit; et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus* (*Psal.* xxxvi, 37). Exaltatio et inflatio, et arrogans ac superba jactatio non de Christi magisterio, qui humilitatem docet, sed de Antichristi spiritu nascitur, cui exprobrat [l] per Prophetam Dominus, et dicit: *Tu autem dixisti in animo tuo: In cœlum ascendam, super stellas Dei ponam sedem meam; sedebo in monte alto, super montes altos in aquilonem* [m] *ascendam super nubes, ero similis Altissimo* (*Isa.* xiv, 13 et 14). Et addidit dicens: *Tu vero ad inferos descendes in fundamenta terræ, et qui* B *videbunt te, mirabuntur super te* (*Ibid.* 15). Unde parem talibus pœnam Scriptura divina loco alio comminatur et dicit: *Dies enim Domini Sabaoth super omnem injuriosum et superbum, et super omnem elatum et excelsum* (*Isa.* ii, 29). De ore itaque ac de verbis suis unusquisque statim proditur, et utrum Christum in corde suo, an vero Antichristum habeat, loquendo detegitur: secundum quod Dominus in Evangelio suo dicit: *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis nequam? de abundantia enim cordis os emittit* [n]. *Bonus homo de bono thesauro* [o] *emittit bona, et nequam homo de nequam thesauro emittit nequam* (*Matt.* xii, 34). Unde et dives ille peccator, qui de Lazaro in sinu Abrahæ posito, atque in refrigerio constituto, implorat auxilium, C cum in tormentis cruciabundus flammæ cremantis

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Joseph puer venierit vendentibus fratribus: *Edit. castigantur ex vetustioribus mss.*
[b] Legamus, prædictum *Lam. Lin. NC.* 2.
[c] *In vulgatis* Permittat, quos disponit coronari. Neque enim. *Istud* enim, *sicut et antea* quos disponit, *in nullo nostrorum mss. exstat.* Tradit, permittit et coronari *Benev. Ver.* Ut et coronari *Voss.* 2. *Bod.* 1.
[d] Neque nobis *Lam. Ebor. NC.* 1. 2. *Lin.*
[e] Fecit Judas *Ver. Lam. Ebor. NC.* 1.
[f] *In vetere ms. Colb. desideratur* Scriptura divina.
[g] Contumax est, viribus suis *Bod.* 1. *Lin. NC.* 1.
[h] Tamquam inferi *Lam. Lin. Ebor. NC.* 1.
[i] *In eodem ms. exstat* inferus: *in altero, ut in Corb. et pluribus Anglic.* inferi.
[j] Ut vermes hodie *Bod.* 3.
[k] Cogitatio ejus peribit *Oxon.*
[l] Quem exprobrat *Bod.* 3.
[m] Montes aquilonis *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[n] Os loquitur *Lin.*
[o] Thesauro cordis *Lin.*

## VARIORUM NOTÆ.

*Frater occiderit.* Notanda est in hoc loco veterum librariorum audacia. Certum est hunc locum, uti jacet, sanum esse et nulla interpretatione indigere. Et tamen illi, qui sciebant Abelem a Caino occisum fuisse, istius nomen heic posuere in quibusdam codicibus. Nam Sorbonicus habet scriptum *Abel justum Cain nonnisi frater occiderit.* Unus meus vetus: *Abel justum non nisi Cain frater occiderit.* Reliqui codices non habent hoc additamentum, neque veteres editiones. De hoc fratricidio vide quæ dicuntur infra ad librum de Bono patientiæ. BALUZ.

*Joseph frater.* Et hic quoque locus subjacuit audaciæ librariorum. In codice Thuano et in uno Bodleiano scriptum est, *Joseph venundatus sit a fratribus.* In Sorbonico, *Joseph venerit vendentibus fratribus in Ægyptum.* In Michaelino, *Joseph Ægyptum venerit persequentibus fratribus.* In uno meo, *Joseph pervenerit vendentibus fratribus in Ægyptum.* BALUZ.

*Permittat quos.* Variant in hoc loco quidam libri veteres. In uno meo legitur, *permittat et coronare promiserit.* In alio autem meo, in Beneventano, in Veronensi, et in uno Bodleiano et Vossiano laudatis in editione Anglicana, et in aliis septem, *permittit et coronari.* In Burgundico, *permittit qui novit et coronare.* In Metensi sancti Arnulphi, *cum Deus tradi permittit et coronat.* BALUZ.

*Absenti minari.* Cypriano nimirum. Felicissimus et alii qui cum eo Romam profecti erant multa turpia et probrosa adversus eum protulerant apud Cornelium, minas etiam intentantes. Mirari se scribit Cyprianus quod illi, qui cum essent Carthagine, illic eum habebant præsentem, Romam adversus eum navigaverint et ad Petri sedem atque Ecclesiam principalem, uti postea dicet, a schismaticis et profanis litteras tulissent. Sic Rufinus in libro Apologiarum suarum adversus Hieronymum ait, *Elegisset absentem lacerare quem potuit gravius consulere præsentem.* BAL.

III. — *Conversus est in terram.* Codex Gratianopolitanus, *Conversus est in ærumnam et terram.* BALUZ.

*In stercora erit et in vermes.* Corb. ms. a secunda manu, *ut stercora, ut vermes.* Infra ex omnibus nostris mss. restituimus *peribit*, quod et lib. III Testimon. c. 5, ubi idem locus a Cypriano citatur, in plerisque mss. haberi Oxonienses notant, quamvis cum aliis editis *periit* utrobique retineant. COUST.

Digitized by Google

ardoribus aduratur [a] (*Luc.* XVI, 23), inter omnes corporis partes magis os ejus et lingua pœnas dat; quia plus scilicet lingua sua et ore peccaverat.

IV. Nam cum scriptum sit: *Neque maledici regnum Dei consequentur* [b] (I *Cor.* VI, 10), et iterum Dominus in Evangelio suo dicat: *Qui dixerit fratri suo, Fatue; et qui dixerit: Raca, reus erit in gehennam* [c] *ignis* (*Matth.* III, 22), quomodo possunt censuram Domini ultoris [d] evadere, qui talia ingerunt non solum fratribus, sed et sacerdotibus; quibus honor tantus de Dei dignatione conceditur, ut quisquis sacerdoti ejus et ad tempus hic judicanti non obtemperaret, statim necaretur? In Deuteronomio loquitur Dominus Deus dicens: *Et homo quicumque fecerit in superbia, ut non exaudiat sacerdotem aut judicem quicumque fuerit in diebus illis, morietur homo ille; et omnis populus cum audierit, timebit; et non agent impie etiam nunc* (*Deut.* XVII, 12). Item ad Samuelem, cum a Judæis sperneretur, Deus dicit: *Non te spreverunt, sed me spreverunt* (I *Reg.* VIII, 7). Et Dominus quoque in Evangelio: *Qui audit vos*, inquit, *me audit* [e] *et eum qui me misit: et qui rejicit vos, me rejicit, et eum qui me misit* (*Luc* X, 16). Et cum leprosum emundasset; *Vade*, inquit, *et demonstra te sacerdoti* (*Matth.* VIII, 4). Et cum postea tempore passionis [f] alapam accepisset a servo sacerdotis, cumque ei dixisset, *Sic respondes pontifici?* (*Joann.* XVIII, 22) adversus pontificem Dominus contumeliose nihil dixit, nec quidquam de sacerdotis honore detraxit; sed innocentiam suam magis asserens et ostendens, *Si male*, inquit, *locutus sum, exprobra de malo* [g]; *si autem bene, quid me cædis?* (*Ibid.* 23.) Item in Actis Apostolorum postmodum beatus apostolus Paulus, cum ei dictum esset, *Sic insilis in sacerdotem Dei maledicendo?* (*Act.* XXIII, 4) quamvis Domino jam crucifixo sacrilegi et impii et cruenti illi esse cœpissent, nec jam quidquam de sacerdotali honore et auctoritate retinerent: tamen ipsum quamvis inane nomen et umbram quamdam sacerdotis cogitans Paulus: *Nesciebam fratres* [h] (*Ibid.*, 5), inquit, *quia pontifex est, scriptum est enim, Principi plebis tuæ non maledices* [i] (*Exod.* XXII, 28).

V. Cum hæc tanta ac talia et multa alia exempla præcedant, quibus sacerdotalis auctoritas et potestas de divina dignitatione firmatur; quales putas esse eos, qui sacerdotum hostes, et contra Ecclesiam catholicam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione, nec futuri judicii ultione terrentur? Neque enim aliunde hæreses [j] obortæ sunt, aut nata sunt

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Ardoribus aduritur *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1. Adurebatur *Bod.* 1.
[b] Dei possidebunt *NC.* 2. *Lin.*
[c] Reus gehennæ *Voss.* 2. *Bod.* 3.
[d] Dominicæ ultionis *Bod.* 3.
[e] *Sic Lam. Lm. Bod.* 2. Audit et eum qui me misit *Rig.*
[f] *Sic Lam. Bod.* 1, 2, 3. *Ebor. Voss.* 2. *Pem. Lin. NC.* 1, 2. *MR. Spir. Vet. innom. et alii.* Eum qui me. Et cum postea tempore passionis *Rigalt.*
[g] Testificare de malo *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[h] *Sic Pem. NC.* 1, 2. *Voss.* 2. *Lam. Bod.* 1, 2. *Lin.* Fratres *omitt. Oxon.*
[i] Principem plebis *Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1, 2.
[j] Exortæ *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1.

## VARIORUM NOTÆ.

IV.—*Me audit.* In edit. Oxon. hic additur, *qui me audit*, et mox post verba *me rejicit*, cum aliis subjicitur, *qui me rejicit, rejicit.* Magis sibi cohærere visa est lectio, quam ex vetere ms. Colb. cui et Corb. favet, exprimimus. COUSTANT. — Angli sic hunc locum posuerunt in sua editione: *Qui audit vos, inquit, me audit; qui me audit et eum qui me misit.* Nescio autem ubi invenerint ab illis addita, *qui me audit*, quæ neque in Evangelio leguntur, neque in veteribus Cypriani codicibus et editionibus. Sane in editione Erasmi et in codice Sorbonico scriptum est: *Qui audit, inquit, vos me audit; et qui vos audit, audit et eum qui me misit.* Verum hæc valde diversa sunt ab editione Anglicana. In libro Turonensi et in uno meo scriptum est: *Qui audit vos, inquit, audit me auditus, et qui me audit eum qui me misit.* Vide epistolam LXIX *ad Florentium*, ubi ista repetuntur. BALUZ.

*Qui rejicit vos.* Ita etiam in eadem epistola ad Florentium. In editione vulgata legitur: *Qui vos spernit me spernit.* Erasmus in caput duodecimum Evangelii secundum Lucam admonet Hieronymum alicubi vertisse: *Qui vos reprobat me reprobat.* Et mox declamat intemperanter adversus episcopos tyrannidem exercentes et ventris negotium prosequentes. Addit autem: *Scio tamen etiam malis obtemperandum, ne dissidium excitetur, modo ne cogant ad impietatem.* BALUZ.

*Insilis.* Sic etiam scriptum est epistola 65, *ad Rogatianum.* Sed in hac quam nunc illustramus scriptum fuisse *incitas* in veteri codice annotavit in margine editionis Pamelianæ Nicolaus Faber. Nonius Marcellus: *Incitare est increpare vel improbare.* Allegat autem Nonius, ut id probet, auctoritates ex Accio, Pacuvio, et Lucilio. Poterat autem addere testimonia ex Lucretio et Plauto. Lectionem a Fabro notatam confirmare videtur Erasmi editio, in qua scriptum est *insimulas* pro *insilis.* Vide eumdem Erasmum in hunc locum *Actorum.* BALUZ.

*Principem populi.* Ita veteres editiones et plerique libri veteres. Erasmus scripsit *plebis tuæ;* eamque lectionem retinuerunt Manutius et Morellius. Pamelius mutavit. Vide epistolam LXV, et concilium Toletanum V, canone 5. BALUZ.

V. — *Neque enim aliunde obortæ sunt hæreses*, etc. Similes locos habes infra dictis Epistolis *ad Rogatianum episcopum* et *Florent. Pupianum*, libris item *de Unitate Ecclesiæ*, ac *de Zelo et Livore.* Et si autem aliis illis locis de se et episcopis omnibus loqui videatur, quod nempe omnes hæreses initium suum habuerint ex contemptu episcoporum, id est, ex ipso schismate; certe tum hoc loco, tum præsertim initio libri *de Unitate Ecclesiæ*, de Romano episcopo solo loquitur. Qui vel unicus locus, ut ibi latius, ita confirmat episcopi seu pontificis Romani primatum, ut non possit magis. Circumstantiæ textus hoc loco, quæ arguunt de Romano loqui et summo pontifice, sunt imprimis testimonia præmissa ex *Deuter. lib.* I. *Reg. Evang. Joannis* et *Actis Apostolorum*, quæ non nisi in summos pontifices Judæorum quadrare nemini dubium est, atque adeo aptius ad summum pontificem Romanum referuntur. Deinde, quod loquatur de judice qui vice Christi fungitur. Item, quod loquatur de uno sacerdote seu uno episcopo in Ecclesia; quam appellationem tum ex epistola Cornelii supra XLVIII, tum ex aliis ejus epistolis, et lib. *de Unitate Ecclesiæ* Cyprianum satis constat non solere usurpare, nisi de summo pontifice. Facit pro eodem quod dicit: *Nemo adversum sacerdotum collegium aliquid moveret;* nam si de se solo loqueretur,

Digitized by Google

schismata, quam [a] dum sacerdoti Dei non obtempe- A ratur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus judex vice Christi cogitatur. Cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversum sacerdotum collegium quidquam moveret; nemo post divinum judicium, post populi suffragium [b], post coepiscoporum consensum, judicem se jam non episcopi sed Dei faceret; nemo discidio unitatis, Christi Ecclesiam scinderet; nemo sibi placens ac tumens seorsum foris hæresim novam conderet, nisi si ita [c] est aliquis sacrilegæ temeritatis ac perditæ mentis, ut putet sine Dei judicio fieri sacerdotem: cum Dominus in Evangelio suo dicat: *Nonne duo passeres asse venerunt, et neuter eorum* [d] *cadit in terram sine Patris* [e] *voluntate?* (*Matth.* x, 29.) Cum ille nec minima fieri sine voluntate Dei dicat; existimat aliquis summa et magna, aut non sciente aut non permittente Deo, in Ecclesia Dei fieri, et sacerdotes, id est, dispensatores ejus, non de ejus sententia ordinari? Hoc est fidem non habere qua vivimus, hoc est Deo honorem non dare, cujus nutu et arbitrio regi [f] et gubernari omnia scimus et credimus.

Plane episcopi non de voluntate Dei fiunt; [g] sed qui extra Ecclesiam fiunt, sed qui contra [h] dispositionem et traditionem Evangelii fiunt: sicut ipse Dominus in duodecim Prophetis ponit et dicit: *Sibimetipsis* [i] *regem constituerunt, et non per me* (*Ose.* VIII, 4). Et iterum, *Sacrificia eorum tamquam panis luctus, omnes qui manducant ea, contaminabuntur* (*Ose.* IX, 4). Et per Esaiam quoque Spiritus sanctus clamat et dicit: *Væ vobis, filii desertores, hæc dicit Dominus, Habuistis consilium non per me* [j], *et fecistis conventionem non per spiritum meum, adjicere peccata super peccata* (*Isai.* XXX, 1).

VI. Cæterum (dico enim provocatus [k], dico dolens, dico compulsus,) quando episcopus in locum defuncti substituitur, quando populi universi suffragio in pace B deligitur, quando Dei auxilio in persecutione protegitur, collegis omnibus fideliter junctus, plebi suæ in episcopatu quadriennio jam probatus, in quiete serviens disciplinæ, in tempestate proscriptus applicito et adjunto episcopatus sui nomine, toties ad leonem petitus in circo, in amphitheatro Dominicæ dignationis testimonio honoratus: his ipsis etiam diebus, quibus

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ita nostri mss.; at editi* Quam inde quod sacerdoti.
[b] Populi sui *Lam. NC.* 1. *Ebor.*
[c] Nisi ita *Lam. Ebor. NC.* 1. *Lin.*
[d] Et unus ex illis non cadet *Lin. NC.* 2.
[e] Patris vestri *Vir.*
[f] Arbitrio geri *Bod.* 1.
[g] *Editi* Fiunt, qui extra Ecclesiam fiunt, sed contra: *refragantibus nostris mss. ac plerisque Anglic.*
[h] *Sic Pem. Bod.* 1. 3. *Lam. Ebor. NC.* 1. *Lin.*
[i] Sibimetipsi *Lam. Ebor. NC.* 1, 2.
C [j] *Sic Bod.* 1, 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. *Oxon.* Consilium et non per me *Oxon.*
[k] Cæterum dico, dico provocatus *Vir.*

## VARIORUM NOTÆ.

non statim qui illi non obtemperaret, aliquid moveret adversus reliquos episcopos. Eodem spectare videtur, quod pag. sequenti, de servorum præposito locutus, mox D. Petri super quem Christus ædificavit Ecclesiam mentionem injicit. Eodem pertinet quod D. Hieronymus contra Luciferianos; salutem Ecclesiæ pendere dicit a summi sacerdotis dignitate. *Cui si*, inquit, *non exsors quædam et ab omnibus eminens detur potestas; tot in Ecclesiis fient schismata quot sacerdotes.* Experientia certe ipsa nos docet, hæreses solere ex schismate, id est, separatione voluntaria ab Ecclesia, atque adeo ab Ecclesiæ capite D Romano, inquam, pontifice initium sumere. Exempla hujus rei apud Cyprianum habes de Novatianis apud August. de Donatistis. Unde ad hos epistola CLIV D. August.: *Neque enim vobis objicimus, nisi schismatis crimen, quam etiam hæresin male perseverando fecistis*, et ad Cresc. Grammat. lib. XXI, c. 7: *Inter schisma*, inquit, *et hæresin eam distinctionem magis approbo, qua dicitur schisma esse recens congregationis ex aliqua sententiarum diversitate dissensio; hæresis autem schisma inveteratum:* A quo non dissentit D. Hieron. exponens illud ad Tit. III qui est a semetipso damnatus: *Hæretici*, inquit, *in semetipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesia recedentes, quæ recessio propriæ conscientiæ videtur esse damnatio.* Et paulo post: *Nullum schisma non sibi aliquam confingit hæresin, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.* Plura reperiet exempla, qui exacte singularum hæreseon initia et prima seminaria perspexerit. PAMEL.

*Unus in Ecclesia.* In libro de Unitate Ecclesiæ: *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur.* Et in epistola LII ad Antonianum: *Actum suum disponit et dirigit unusquisque episcopus, rationem propositi sui Domino redditurus.* Vide notas nostras ad librum *Agobardi de Privilegio et jure sacerdotii.* BALUZ.

*Sine Patris vestri.* Ita scriptum vidi in antiquis editionibus et in novem codicibus manuscriptis. Manutius expunxit vocem *vestri*, quam ego non inveni in aliis novem veteribus libris. Ego tamen illam retinui, quia apud Matthæum, ex quo ista sumpta sunt, legitur, *Unus ex illis non cadit super terram sine Patre vestro.* Quod etiam habetur in Græco. Cæterum in epistola LXIX, *ad Florentium*, in qua refertur hic locus, vox *vestri* non habetur. BALUZ.

*Existimat aliquis.* Citat hunc locum, sed mutilum, Gerochus Reicherspergensis in tractatu adversus Simoniacos, cap. 27. BALUZ.

*Habuistis consilium.* Vide notas Frontonis Ducæi ad codicem *Homiliarum sancti Joannis Chrysostomi*, pag. 13. BALUZ.

VI.—*Dico enim.* Veteres editiones et tria vetera exemplaria habent: *Cæterum dico, dico enim provocatus.* Verum quindecim vetera exemplaria præferunt uti nos edidimus. BALUZ.

*Proscriptus.* Pontius diaconus in Vita Cypriani: *Statim denique pro talibus meritis proscriptionis gloriam consecutus est.* BALUZ.

*Ad leonem.* Idem Pontius, *maxime cum et suffragiis sæpe repetitis ad leonem postularetur.* Tertullianus in Apologetico: *Si Tyberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si cœlum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad leonem declamatur.* Ælius Spartianus in Commodo Antonino: *Speratum ad leonem.* Qui autem damnati erant ad leonem alligabantur ad stipitem, teste eodem Tertulliano in libro *de Pudicitia.* Flavius Vopiscus in D. Aureliano: *Sane Mnestheus postea surreptus ad stipitem bestiis objectus est.* Vide Joannem Tristanum a sancto Amantio in tomo primo commentariorum suorum pag. 713. BALUZ.

Digitized by Google

has ad te litteras feci, ob sacrificia quæ edicto proposito celebrare populus jubebatur, clamore popularium ad leonem denuo postulatus in circo : cum talis, frater charissime, a quibusdam desperatis et perditis et extra Ecclesiam constitutis impugnari videtur, apparet quis impugnet. Non scilicet Christus, qui sacerdotes aut constituit aut protegit; sed ille, qui [a] Christi adversarius, et Ecclesiæ ejus inimicus, ad hoc Ecclesiæ [b] præpositum sua infestatione persequitur, ut gubernatore sublato, atrocius atque violentius circa Ecclesiæ naufragia grassetur.

VII. Nec quemquam fidelem et Evangelii memorem, atque Apostoli prænonentis mandata retinentem, movere debet, frater charissime, si quidam in extremis temporibus superbi et contumaces et sacerdotum Dei A hostes aut de Ecclesia recedunt, aut contra Ecclesiam faciunt; quando tales nunc futuros [c] et Dominus et Apostoli ejus ante prædixerint. Nec præpositum servum deseri a quibusdam miretur aliquis; quando ipsum Dominum magnalia et mirabilia summa facientem, et virtutes Dei Patris factorum suorum testimonio comprobantem, discipuli sui reliquerint [d]. Et tamen ille non increpuit [e] recedentes, aut graviter comminatus est; sed magis conversus ad Apostolos suos dixit : *Nunquid et vos vultis ire* [f] (*Joan.* VI, 68)? servans scilicet legem, qua homo libertati suæ relictus, et in arbitrio proprio constitutus, sibimet ipse vel mortem appetit, vel salutem. Petrus tamen, super quem ædificata ab eodem Domino fuerat Ecclesia, unus pro omnibus loquens, et Ecclesiæ voce respon-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Christo adversarius *Bod.* 1.
[b] Ob hoc Ecclesiæ *Lam. NC.* 1. *Ebor. Bod.* 2.
[c] Jam nunc futuros *Bod.* 2.
[d] Dereliquerint *Ver.*
[e] Non increpavit *Voss.* 2. *Lam.*
B [f] Vultis abire *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1.

## VARIORUM NOTÆ.

*Ob sacrificia.* Observat Annalium Cyprianic. conditor ad ann. 252, n. 10, Gallum et Volusianum, cum pestis ingravesceret, quæ Hostilianum imperatorem cum ipso Gallo a senatu constitutum absumpserat, nummos *Apollini salutari* cudi curasse; eademque de causa, ut ex his Cypriani verbis colligitur, sacrificia ubique, edicto proposito, celebrari voluisse : et cum edicto huic parere Cyprianus renueret, populum hinc ansam arripuisse, ut eum velut imperatoribus rebellem ad leonem in circo postularet, quamvis nullum C esset Galli edictum, quo proconsules aut magistratus persequi Christianos juberentur. BALUZ.

*Edicto proposito.* Rescripta principum mittebantur ad præfectos prætorio, quorum cura erat illa facere nota populis. Id vero vocabatur proponere. Rescriptum Honorii et Theodosii adversus Pelagium, ut exempli causa istud sumamus, missum fuit ad Palladium præfectum prætorio. Is vero, proposito edicto, imperavit executionem rescripti. In calce vero ita scriptum est : *Propositum edictum.* Sunt multa exempla istius moris. BALUZ.

*Clamore popularium.* Id est acclamationibus plebis petentis ut damnaretur ad leonem. Rufinus, lib. v *Hist. Eccles.* cap. 1, referens epistolam ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis, ait in illa scriptum esse martyres tulisse fortiter *acclamationes adversum se*, et illos *pro solis acclamationibus populi* arreptos et in carcerem trusos esse. Idem, lib. IV, cap. 9, refert rescriptum Imperatoris Hadriani quo vetat ne provinciales *precibus solis et acclamationibus* sinantur accusare Christianos. Eodem modo Hieronymus in caput tertium Epistolæ *ad Titum* loquens de constantia martyrum in tormentis ait : *Vel cum quis inter equuleum laminasque distentus contemnit dolorem, et nec judicis comminationem nec circumstantis populi fremitum pertimescit, sed pro confessione martyrii universa supplicia contemnit et despicit.* BALUZ.

VII.—*Petrus tamen super quem ædificata est ab ipso Domino Ecclesia.* Iisdem pene verbis utitur infra sæpe dicta epistola ad *Flor. Pup.* Item *ad Jubaianum* et *ad Quintum*, et rursum libris *de Hab. Virginum*, *de Unitate Ecclesiæ*, ac *de Bono pudicitiæ*, haud dubie explicans locum illum Matth. XVII. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meum*, etc. Neque vero nova est hæc hujus loci expositio, sed quam habet etiam ipso antiquior Tertullianus, lib. *de Præscript. hæreticorum* et *de Pudicitia*; ac Origenes in *sexto cap. ad Rom.* et homil. 3 *in Exodum*; et alii quoque veteres plerique. Hilarius nempe *super Matth.*; Ambrosius, serm. 47; Hieronymus, lib. I *contra Jovinianum*, *contra Pelagian.*, lib. I *super Matth.*, Epistola *ad Marcellam*, et in Isai. II et XVI cap.; Chrysost. homil. 55 *in Matth.*; Cyril., lib. II *in Joan.*, c. 12; Epiph. in libro *Ancoratus*, et Leo papa I, *epistola* LXVII. Quæ loca prolixius citavimus, ob Erasmi in epistolam *ad Flor. Pup.* annotatiunculam, dum dicit : *Non semel Cyprianus facit Ecclesiæ fundamentum Petrum, nisi forte nomine Petri senserit populum, hoc profitentem, quod Petrus fuerat.* Tamquam absurdius sit, Petrum Ecclesiæ esse fundamentum, quam ipsum populum sive Christianos omnes, ut loquitur Adnot. in Matth. Quam expositionem si admittamus, erit igitur cuivis quoque christiano potestas solvendi et ligandi peccata : quod quam sit absurdum noverunt Catholici omnes. Hoc igitur potius est detorquere Scripturam, quam si ad Petrum cum veteribus tot Græcis et Latinis referatur; atque adeo Origene ipso, quem tamen pro sua sententia citat Erasmus : *Nihil enim obstat, cur Petrus petra sive fundamentum Ecclesiæ dici possit. Nam etiamsi petra est*, inquit Basilius, lib. de Pœnit., *non ut Christus petra est, sed ut Petrus petra est. Christus enim revera petra est immobilis et inconcussa. Petrus vero propter hanc petram. Largitur enim Deus suas dignitates non evacuans se, sed habens dat. Lux est*, Vos estis, *inquit*, lux mundi. *Sacerdos est, sacerdotem facit. Petra est, petram facit.* Similia Ambros. in *cap.* IX *Lucæ*, et Paulinus, epistola IV *ad Severum.* Neque vero est quod sibi blandiatur ille, de D. August. sententia. Quamquam enim ille et tract. ult. *in Joannem*, et sermo 15 *de Verb. Domini*, Petram Christum interpretetur, fatetur tamen ipse lib. *Retract.* I, c. 21, se etiam de Petro locum illum explicuisse lib. *contra epistolam Donati*, et tandem subjungit : Harum autem duarum sententiarum; quæ sit probabilior, eligat lector. Cæterum probabiliorem esse constat, quam tot veteres sequuntur. PAMEL. — Adversarii nostri multum se torquent ut ostendant Christum nihil concessisse Petro nisi ut esset ordine primus et cæteros apostolos aliqua honoris prærogativa antecederet. Id vero concessum ab illis esse multum est ad asserendam illorum quoque confessione prærogativam Romani episcopi supra cæteros episcopos. Nec novum tamen est adversarios nostros ita sentire. Certum est omnes illos qui se olim separaverunt ab Ecclesia catholica, ut ante me observavit Æneas Sylvius in epistola ad Martinum Mayerum cancellarium Moguntinum, semper se erexisse adversus episcopos Romanos, illos vero se semper opposuisse novis erroribus. Unde annotatum est Ecclesiam Romanam nullam unquam in fide maculam esse passam et perfidiam non posse ad eam habere accessum, ut istic legitur. BALUZ.

*Unus pro omnibus.* Ego in ea sum sententia ut exis-

Digitized by Google

dens ait: *Domine, ad quem ibimus* [a]? *verba vitæ æternæ habes; et nos credimus, et cognovimus quoniam tu es Filius Dei vivi* (*Joan.* VI, 69): significans scilicet et ostendens eos, qui a Christo recesserint, culpa sua perire; Ecclesiam tamen quæ in Christum credat, et quæ semel id quod cognoverit teneat, numquam ab eo omnino discedere [b]; et eos esse Ecclesiam, qui in domo Dei permanent; plantationem vero plantatam a Deo Patre non esse (*Matth.* XV, 13), quos videmus non frumenti stabilitate solidari, sed tamquam paleas dissipantis inimici spiritu ventilari, de quibus et Joannes in Epistola sua dicit: *Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis; si enim fuissent ex nobis, mansissent nobiscum* (I *Joan.* II, 19). Item Paulus monet nos, cum mali de Ecclesia pereunt [c], non moveri, nec recedentibus perfidis fidem minui: *Quid enim*, inquit, *si exciderunt a fide quidam eorum, numquid infidelitas illorum fidem Dei* [d] *evacuavit? Absit: est enim Deus verax, omnis autem homo mendax* (*Rom.* III, 4).

VIII. Quod ad nos attinet, conscientiæ nostræ [e] convenit, frater charissime, dare operam, ne quis culpa nostra de Ecclesia pereat. Si autem quis ultro et crimine suo perierit, et pœnitentiam agere atque ad Ecclesiam redire noluerit, nos in die judicii inculpatos futuros, qui consulimus sanitati, illos in pœnis remansuros, qui noluerint consilii nostri salubritate sanari. Nec movere nos debent convicia perditorum, A quominus a via recta et a certa regula non recedamus, quando et Apostolus instruat, dicens: *Si hominibus* [f] *placerem, Christi servus non essem* (*Gal.* I, 10). Interest utrum quis homines promereri, an Deum cupiat. Si hominibus placetur, Dominus offenditur: si vero id enitimur et elaboramus ut possimus Deo placere, et convicia et maledicta debemus humana contemnere.

IX. Quod autem tibi de Fortunato isto pseudoepiscopo, a paucis et inveteratis hæreticis constituto, non statim scripsi, frater charissime, non ea res erat, quæ in notitiam tuam deberet per nos festinato statim quasi magna aut metuenda perferri; maxime quando et Fortunati nomen jam satis nosses, qui est unus ex quinque presbyteris jam pridem de Ecclesia profugis, et B sententia [g] coepiscoporum nostrorum, multorum et gravissimorum virorum nuper abstentis; qui super hac re priore anno ad te litteras fecerunt: item Felicissimum signiferum seditionis recognosceres, qui et ipse in iisdem coepiscoporum nostrorum factis ad te pridem litteris continetur: qui non tantum ab iis istic abstentus, sed et abs te illic nuper de Ecclesia pulsus est. Cum hæc in notitia tua esse confiderem, et pro certo hærere memoriæ et disciplinæ tuæ scirem: necessarium non putavi, celeriter et urgenter hæreticorum tibi ineptias nuntiandas. Neque enim ad catholicæ Ecclesiæ majestatem pariter ac dignitatem pertinere debet, quid apud se hæreticorum et schismaticorum

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Ad quem imus *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1.
[b] Ab eo discedere *Lam. Ebor. NC.* 1.
[c] De Ecclesia exeunt *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1.
[d] *Corb. ms.* evacuit. *Vetus Colb.* evacuabit.
[e] Conscientiæ nostræ *Lam. NC.* 1. *Ebor. Bod.* 3.
C [f] Si hominibus, inquit *Lam. Ebor. NC.* 1. Placere vellem *Ver.*
[g] Sed et sententiis *Lam. Ebor. NC.* 1.

## VARIORUM NOTÆ.

stimem ista referri non posse ad formam celebrandi concilii, cum res acta non sit in concilio, sed in colloquio familiari. Cum Christus a discipulis suis expetiisset qui essent de illo sermones in populo, et responsum ab illis fuisset nonnullos dicere ipsum esse Joannem Baptistam, alios vero Hieremiam, aut unum ex Prophetis, Petrus, unus pro omnibus loquens voce Ecclesiæ, ut ait Cyprianus, respondit illum esse Filium Dei vivi. Nihil illic invenio quod indicet formam celebrandi concilii tum datam esse. Ex ea tamen responsione facta a solo Petro collegit illustrissimus Cardinalis Baronius Christum expressisse tum typum celebrandi concilii, quia cum Christus interrogavit D discipulos suos quem illi ipsum esse crederent, Petrus primus omnium dixit illum Filium esse Dei vivi, et sic talem tulit sententiam, et quid ab omnibus credendum esset erudiit atque decrevit, ac fidei canonem perpetuo mansurum constituit, ut nihil opus esset consulere cæteros Apostolos ac rogare quænam essent illorum de ea re sententiæ ac opiniones. Satis enim fuisse Christo Petrum fuisse locutum et quid de fide sentiendum esset clavum fixisse. Hæc diverticula et anfractus, ut ait Quintilianus, suffragia sunt infirmitatis. Explicatio enim illa longius arcessita est, et paraphrasis Baronii parum firmitatis habet in verbis Evangelistæ. Illud unum hinc colligi potest, Petrum recte locutum esse, cæteros Apostolos nihil propterea dixisse et taciturnitate sua probasse quæ a Petro bene dicta erant. Sed non inde sequitur non potuisse cæteros sententiam suam dicere, neque episcopis eorum successoribus ademptam esse facultatem promendi sensus suos in causa fidei. Itaque hinc salva est auctoritas episcoporum, cumoæ xə quod solus Petrus locutus sit, cæteri Apostoli tacuerint, colligi non possit inutilem futuram fuisse sententiam cæterorum Apostolorum et unicam Papæ sententiam sufficere in Ecclesia Dei et illius unius sententiam prævalere debere adversus concordem ac consentaneam aliorum episcoporum diverse sentientium sententiam. Alioqui inutilis esset celebratio conciliorum, si solius papæ auctoritas sufficeret pro finiendis controversiis quæ oriuntur in Ecclesia Dei. Non ita senserunt veteres, qui conciliorum celebrationem putarunt esse necessariam adversus hæreses emergentes. Istud negari non potest. BALUZ.

*Tu es Christus.* Vocem *Christus*, quæ deerat in aliis editionibus, nos addidimus, quia illam invenimus in aliquot vetustis codicibus, et quia reperitur in capite sexto Evangelii secundum Joannem, ex quo locus iste sumptus est, et in Evangelio secundum Matthæum. Et tamen deest etiam in epistola LXIX *ad Florentium.*

*Mansissent nobiscum.* Hæc verba sua Fecit Flavianus episcopus Constantinopolitanus scribens ad sanctum Papam Leonem: *Sunt quidam veste sua oves significantes, interius autem lupi rapaces, quos ex fructibus eorum debemus agnoscere. Isti prima fronte videntur esse de numero nostro, sed non sunt de numero nostro. Si enim de numero nostro fuissent, nobiscum mansissent.* BALUZ.

IX.—*Fortunato.* Vide quæ nos de homine isto notavimus ad caput 10 libri primi *de Concordia sacerdotii et imperii.* BALUZ.

*De Ecclesia profugis.* In ms. Corb. *profugus*; et

Digitized by Google

moliatur audacia. Nam et pars Novatiani [a] Maximum presbyterum, nuper ad nos a Novatiano legatum missum, atque a nostra communicatione rejectum, nunc istic sibi fecisse pseudoepiscopum dicitur. Nec tamen de hoc tibi scripseram; quando hæc omnia contemnantur a nobis, et miserim tibi proxime nomina episcoporum istic constitutorum, qui integri et sani in Ecclesia catholica fratribus præsunt. Quod utique ideo de omnium nostrorum consilio placuit tibi scribere [b] ut erroris diluendi ac perspiciendæ veritatis compendium fieret, et scires, tu et collegæ nostri, quibus scribere, et litteras mutuo a quibus vos accipere oporteret: si quis autem præter hos, quos epistola nostra (*Non exstat*) complexi sumus, scribere vobis auderet, sciretis eum vel sacrificio vel libello esse maculatum, vel unum de hæreticis, perversum scilicet et profanum. [c] Nanctus tamen occasionem familiarissimi hominis et clerici, per Felicianum acolythum, quem cum Perseo collega nostro miseras, inter cætera quæ in notitiam tuam perferenda hinc fuerant, etiam de Fortunato isto tibi scripsi. Sed dum istic [d] Felicianus frater noster vel vento retardatur, vel accipiendis aliis epistolis a nobis detinetur [e], Felicissimo ad vos properante, præventus est. Ita enim SEMPER SCELERA festinant, quasi contra innocentiam festinatione prævaleant.

X. Per Felicianum autem significavi tibi, frater, venisse Carthaginem Privatum veterem hæreticum, in Lambesitana colonia ante multos fere annos ob multa et gravia delicta nonaginta episcoporum sententia condemnatum, antecessorum etiam nostrorum, quod et vestram conscientiam non latet, Fabiani et Donati litteris severissime notatum: qui cum causam suam apud nos in concilio, quod habuimus Idibus Maiis [f] quæ proximæ fuerunt, agere velle se diceret, nec admissus esset, Fortunatum istum sibi pseudoepiscopum dignum collegio suo fecit. Venerat etiam cum illo et Felix quidam, quem ipse extra Ecclesiam in hæresi pseudoepiscopum olim constituerat. Sed et Jovinus et [g] Maximus comites cum Privato hæretico adfuerunt, ob nefanda sacrificia et crimina in se probata, sententia novem collegarum nostrorum condemnati, et iterato quoque a pluribus nobis anno priore in concilio absenti. Cum his autem quatuor junctus est et Repostus [h] Suturnicensis, qui non tantum in persecutione ipse cecidit, sed et ma-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Parem Novatiani *Ver.*
[b] *Sic Bod.* 1, 2, 3. *Voss.* 2. Tibi *deest in Oxon.*
[c] *Ita vetustior codex Colb. aliis faventibus. At editi* Nactus
[d] Sed dum iste *Ver.*
[e] A vobis detinetur *Bod.* 3.
[f] Idibus Martiis *Ver.*
[g] Maximosus *in duobus mss. Colb.*
[h] *Vetus codex Colb.* Sutunurcensis. *Recentior*, Eturgnensis. *Corb. cum Cambron*, Quoturnicensis. *Lambeth.* Uturnicensis. *Unde legendum putat Oxoniensis editor*, Utinunensis: *maxime cum in Collatione Carthagin. habeatur* Octavius episcopus plebis Utinunensis.

## VARIORUM NOTÆ.

mox a secunda manu *abstentus*, licet a prima præ se ferat *abstentis*. Ex quinque presbyteris illis quatuor a Cypriano epist. 6, nominari videntur, scilicet *Donatus et Fortunatus*, *Novatus et Gordius*, qui nimirum ordinationi ipsius intercesserant. Quibus si addatur *Gaius Diddensis* presbyter, quem Carthaginensis clerus, Cypriano epist. XXVIII, approbante, a communione submovit, horum quinque presbyterorum nomina habebuntur. COUSTANT.

*Perseo.* Puto illum fuisse episcopum alicubi in Italia. BALUZ.

*Scelera festinant.* Tacitus in libro primo Historiarum dicit scelera impetu valescere. Claudianus lib. II in Rufinum: *Neque enim patiuntur sæva quietem crimina.* Sanctus Hieronymus in dialogo *adversus Luciferianos*, et Florus, lib. III, cap. 1: *Diu scelera non latent.* Seneca Medea, *magna non latent mala.* BALUZ.

X. — *Fabiani et Donati.* Sic in calce epistolæ 67, *ad Stephanum Papam* ait, pag. 117: *Servandus est enim antecessorum nostrorum beatorum martyrum Cornelii et Lucii honor gloriosus.* Sic *apud Optatum*, lib. I, scriptum est Cæcilianum non recessisse *a Cathedra Petri vel Cypriani.* Vide Rigaltii observationem ad hunc locum. BALUZ. — Ex hoc loco, non improbabili conjectura, Baronius Cyprianum in Episcopatu Carthaginensi Donato successisse opinatur. Quia scilicet Cyprianus ad Cornelium Episcopum Romanum facta mentione nonaginta Episcoporum qui Privatum hæreticum in Lambesitana colonia ante annos tredecim damnaverant, eumdem quoque Privatum severissime notatum fuisse significat litteris Fabiani et Donati. Ut quemadmodum Cyprianus Fabianum Cornelii antecessorem nominat, sic etiam Donatum antecessorem suum nominaverit. Ideoque ad Cornelium scribens dixerit, antecessorum nostrorum, Fabiani tui, et Donati mei. Cæterum hanc loquendi formam non semper ad decessores in eodem episcopatu referri docebit Epistola LXVII. Cyprianus antecessores suos nuncupat Cornelium et Lucium Episcopos Romanos, etsi numquam præfuerint Ecclesiæ Carthaginensi, simpliciter antecessores suos vocat quasi majores suos, quia scilicet annis aliquot ante se vixerant eodem Episcopali officio, sed aliis in provinciis functi. RIGALT.

*Privato probato hæretico.* Editiones vulgatæ præferunt *privato hæretico.* Spirensis tamen, Veneta vetus, et Rembolius habent *Probatio.* Atque ego ita scriptum reperi in novem codicibus antiquis, et ita se reperisse in tribus etiam antiquis testatur Pamelius. In monasteriensi scriptum est *privatio probatio hæretico*, in Fossatensi *probatio* tantum, sed supra lineam scriptum est *vel privato.* Sic etiam in recentiore Victorino. In Gratianopolitano, *privato probato hæretico.* Atque ego puto eam esse sinceram veramque lectionem, quam probat etiam lectio recentioris codicis Remigiani et Divionensis, in quibus scriptum est *privato comprobato hæretico.* Alterutram enim lectionum illarum arbitror retineri debere. Nam paulo ante idem Privatus vocatur vetus hæreticus, hoc est probatus vel comprobatus hæreticus. Et sic tollitur difficultas quam sibi fecit Pamelius existimans delendum esse nomen Probatii, quod invenerat in tribus antiquis exemplaribus; quia, ut ille ait, si adderetur hoc nomen, essent sex episcopi damnati, quos tamen quinque tantum fuisse constat. BALUZ.

*Suturnicensis.* Retinui hanc lectionem, quia vulgo recepta est, et nondum inveni meliorem. Et tamen, præterquam quod nomen illud alibi non reperi, multum variant in hoc loco vetera exemplaria. Octo ex illis quæ ego vidi et editio Manutiana habent *Sutunurcensis*, aliud in editione Anglicana laudatum *Utur-*



Digitized by Google

ximam partem plebis suæ sacrilega [a] persuasione dejecit. Hi quinque cum paucis vel sacrificatis, vel male sibi consciis, Fortunatum sibi pseudoepiscopum cooptarunt; ut criminibus in unum [b] consentientibus talis esset scilicet rector, quales illi qui reguntur.

XI. Hinc jam et cætera mendacia, frater charissime, potes noscere, quæ illic [c] homines desperati et perditi ventilaverunt : ut cum de sacrificatis vel de hæreticis amplius, quam quinque pseudoepiscopi, non fuerint qui Carthaginem venerint, et Fortunatum sibi dementiæ suæ socium constituerint; illi tamen, quasi filii diaboli et mendacio pleni, ausi sint, ut scribis, jactitare [d] viginti quinque episcopos adfuisse : quod mendacium et istic prius apud fratres nostros jactitabant, dicentes viginti quinque episcopos de Numidia esse venturos, qui sibi episcopum facerent; quo in mendacio suo postea quam, quinque solis convenientibus naufragis et a nobis abstentis, detecti sunt, atque confusi; Romam cum mendaciorum suorum merce navigaverunt, quasi veritas post eos navigare non posset, quæ mendaces linguas rei certæ probatione convinceret. Atque hæc est, frater [e], vera dementia, non cogitare, nec scire quod mendacia non diu fallant, noctem tam diu esse quam diu illucescat [f] dies, clarificato autem die, et sole oborto, luci tenebras et caliginem cedere, et quæ grassabantur per noctem latrocinia cessare. Denique si nomina ab eis quæreres, non haberent vel quos [g] falso nominarent : tanta apud eos etiam malorum penuria est, ut ad illos nec de sacrificatis nec de hæreticis viginti quinque colligi possint. Et tamen ad decipiendas aures simplicium et absentium, mendacio numerus inflatur : quasi, et si verus esset hic numerus, aut ab hæreticis Ecclesia, aut ab injustis justitia vincatur.

XII. Nec me oportet, frater charissime, paria [h] nunc cum illis facere, et ea quæ commiserunt, atque huc usque committunt, meo sermone decurrere; cum considerandum sit nobis, quid proferre et scribere sacerdotes Dei oporteat, nec tam dolor apud nos debeat, quam pudor loqui : et ne videar provocatus maledicta potius, quam crimina et peccata congerere. Taceo itaque de fraudibus Ecclesiæ factis; conjurationes et adulteria, et varia delictorum genera prætereo : unum illud, in quo non mea, nec hominum, sed Dei causa est, de eorum facinore non puto esse reticendum; quod a primo statim persecutionis die, cum recentia delinquentium facinora ferverent, et sacrificiis nefandis non tantum diaboli altaria, sed adhuc manus ipsæ lapsorum atque ora fumarent, communicare cum lapsis et pœnitentiæ agendæ intercedere non destiterunt. Clamat Deus : *Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino soli* (*Exod.* XXII, 20). Et Dominus in Evangelio dicit : *Qui me negaverit, negabo illum* (*Matth.* X, 33). Et alio loco indignatio et ira divina non tacet, dicens : *Illis fudistis libamina, et illis imposuistis sacrificia : super hæc non indignabor? dicit Dominus* (*Isa.* LVII, 6) : Et intercedunt ne rogetur Deus, qui indignari se ipse testatur. Intercedunt ne exoretur precibus et satisfactionibus Christus; qui negantem se negare profitetur.

XIII. Nos in ipso persecutionis tempore de hoc ipso litteras misimus, nec auditi sumus, concilio frequenter acto, non consensione tantum nostra, sed et comminatione decrevimus, ut pœnitentiam fratres agerent, ut pœnitentiam non agentibus nemo temere pacem daret : et illi contra Deum sacrilegi, contra

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Persecutione ipse defecit *Lin. Colb.* 1, 2. *Compend.*
[b] *Sic Lam. Ebor. Pem. Bod.* 1,2,3, *NC.* 1,2. *Voss.* 2, *Foss. Vict. Sic ms. Colb. et plerique Anglic. Alii vero libri,* convenientibus. *Antea in ms. Compend.* computarunt, *loco verbi* cooptarunt.
[c] Quæ contra nos illic, *Bod.* 3.
[d] *In ms. Corb.* ut dixi, jactitare. *In vetustiore Colb.* ausi sint scriptis jactitare.
[e] Frater charissime, *Bod.* 3.
[f] Quandiu non illucescat, *Bod.* 3.
[g] Falsos *Compend.*
[h] Pariter *Thu.*

## VARIORUM NOTÆ.

*nicensis*, aliud *Urgonensis*, duo *Suturgensis*, duo *Quoturnicensis*, quorum unum est Corbeiense, in quo Angli aiunt scriptum esse *Quaturnicensis*, Erasmus admonet in margine se legisse alibi *Quaturnicensis*, ut de codice Camberonensi testatur Pamelius. Sic etiam ediderunt Crabbus et Surius in tomis conciliorum. Miror autem annotatum a Pamelio esse Manutium maluisse *Sutunnzensis*, cum certum sit in editione Manutiana legi *Sutunurcensis*. Porro cum nulla alibi reperiatur notitia episcopatus Suturnicensis, non absurda fortassis conjectura esset, si pro Suturnicensi reponeretur Septimunicensis. Vide notas nostras et Gratianum pag. 468. Auctor annalium Cyprianicorum ad annum 252, illum vocat episcopum Tuburbicensem, sed absque auctoritate. BALUZ.

*Sacrilega persuasione.* Quamvis non dubitem quin hæc lectio sit optima, monendum tamen existimavi undecim libros veteres præferre *persecutione.* Quo etiam modo legi in uno Anglicano testatur editio in eo regno facta. Emendabo autem, data occasione, Victorem Vitensem, apud quem lib. IX, in edicto Hunerici scriptum est in ultima editione *sub persecutione idonea*, cum antea legeretur *prosecutione.* Nam certum est hanc ultimam lectionem esse reponendam. BALUZ.

*Cooptarunt.* Codex sancti Michaelis *comitarunt*, et supra lineam, *id est comitem fecerunt.* Certe paulo ante legitur *Jovinus et Maximus comites.* BALUZ.

XI.—*Cum mendaciorum.* Sic Hieronymus in Epitaphio Marcellæ, *navem plenam blasphemiorum Romano intulit portui.* BALUZ.

XII.—*Adulteria.* In codice Fuxensi additur *et stupra.* Verum ego nolui addere, quia id in nullo alio exemplari reperi. BALUZ.

*Negabo illum.* Ita editio vulgata, quam confirmant sex vetera exemplaria. Alia tredecim habent *et ego eum negabo.* In editione vulgata Evangelii secundum Matthæum et in libro Gratianopolitano legitur *et ego negabo eum.* Sic etiam infra in libro *de Lapsis*, pag. 188. BALUZ.

*Communicatione decrevimus.* In vetustiore ms. Colb. *communicatione* : lectio non spernenda. Epistolas hac

Digitized by Google

sacerdotes Dei impio furore temerarii, de Ecclesia recedentes, et contra Ecclesiam parricidalia arma tollentes, elaborant ut opus suum diaboli malitia consummet, nec vulnerat a divina clementia in Ecclesia sua curet; miserorum pœnitentiam mendaciorum suorum fraude corrumpunt b, ne Deo indignanti satisfiat; ne Christum Dominum suum, qui Christianus esse vel erubuit ante, vel timuit, postmodum quærat; ne ad Ecclesiam qui de Ecclesia recesserat, redeat. Datur opera, ne satisfactionibus c et lamentationibus justis delicta redimantur, ne vulnera lacrymis abluantur. Pax vera falsæ pacis mendacio tollitur, salutaris sinus matris noverca intercedente d præcluditur, ne de pectore atque ore lapsorum fletus et gemitus audiatur. Compelluntur adhuc insuper lapsi, ut linguis, atque ore quo in capitolio ante deli-

## LECTIONES VARIANTES.

a Nec vulneratos, *Voss.* 2, *Bod.* 1, 2, *Lam. Ebor. NC.* 2.
b Corrumpunt *Pem. Lam. Voss.* 2. *Ebor. Lin. NC.* 1. 2.
c Ne satisfactionibus justis *Lam. Bod.* 2. *Lin. Ebor. NC.* 1.
d Intercedente clauditur, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Colbert.* 1.

## VARIORUM NOTÆ.

de re a Cypriano scriptas legere est, scil. a x ad xvi. De ipsa cum episcopis sibi agendum proponit Epist. xii et xv. Nominatim vero Epist. x, expostulationis suæ causam sic exponit : *Cum in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam justo tempore, et secundum disciplinæ ordinem ad exomologesim veniant, et per manus impositionem episcopi et cleri jus communicationis accipiant; nunc crudo tempore, persecutione adhuc perseverante, nondum restituta Ecclesiæ ipsius pace, ad communicationem admittuntur, et offertur nomen eorum, et nondum pœnitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab episcopo et clero imposita, Eucharistia illis datur.* Nimirum, ut idem præsul Epist. ii loquitur, lapsi a Martyribus libellos obtinentes, in quorum nonnullis scribebatur, *Communicet ille cum suis*, non solum sibi, sed et quotquot ipsorum esse quivis ratione asseverabantur, communionem illis impertiri exigebant. COUSTANT.

XIII. — *Contra sacerdotes.* Codex Fuxensis, *contra Ecclesiam et sacerdotes.* Sed hanc lectionem puto non esse veram et ortam esse ex temeritate cujusdam veteris librarii. BALUZ.

*Malitia consummet.* In vulgatis, *consummet, ne.* Magis placet cum mss. Colb. Corb. Vat. ac nonnullis aliis *consummet, nec :* ut hic inter diabolicæ malitiæ et divinæ clementiæ opus antithesis fiat. COUSTANT.

*Nec vulneratos.* Vide *Gronorium*, cap. 14 Observationum in scriptoribus ecclesiasticis. BALUZ.

*Erubuit ante vel timuit.* Ita octo libri veteres. Sed vox *ante* non habetur in antiquis editionibus, neque in tribus libris veteribus. Pamelius primam partem hujus sententiæ ait intelligi debere *de Lapsis*, aliam *de Libellaticis.* Quintilianus lib. ix, cap. 2 : *Validius bonos inhibet pudor quam metus.* BALUZ.

*Et lamentationibus.* Hæc videntur esse ex glossemate. Dicimus enim recte *satisfactionibus justis.* Idem de lamentationibus dici posse non puto. Certe hæc duæ voces desunt in quindecim vetustis exemplaribus nostris et in quatuor Anglicanis. Lamentatio, ut ait Cicero in libro quarto Tusculanarum quæstionum, est ægritudo cum ejulatu. Alibi epitheta *mœsta* et *lugubris* adjunguntur lamentationi. Fortassis igitur in hoc loco est transpositio, ita ut reponi debeat *lamentationibus et satisfactionibus justis*, ut paulo post legitur *deprecationibus et satisfactionibus.* BALUZ.

*Pax vera.* Infra in libro *de Lapsis*, pag. 186 : *Non est pax illa, sed bellum.* Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos : *Quod bellum servavit pax ficta non auferat.* Idem in epistola *ad Theophilum* adversus Joannem Hierosolymitanum : *Volumus et nos pacem, sed pacem in qua non sit bellum involutum.* Item in epistola *ad Heliodorum* de laude Vitæ Solitariæ : *Tranquillitas ista tempestas est.* Libellus precum Marcellini et Faustini : *Sub vocabulo pacis impietas tegitur.* Sanctus Leo Papa in sermone sexto in epiphania : *Habet pax nostra pericula sua.* Cassiodorus, lib. v, cap. 39 : *Sic mala pace quasi ludo corruunt quanti vix potuissent cadere sub necessitate bellorum.* Tacitus in Vita agricolæ : *Famam paci circumdedit, quæ vel incuria vel tolerantia priorum haud minus quam bellum timebatur.* Idem, lib. i Hist. : *Bellum ipsa etiam pace sævum;* et lib. iv : *In pace suspecta tutius bellum.* T. Livius, lib. iv : *Infelix bellum ignominiosæ paci præferebant.* Apud Demosthenem in oratione *de Corona* mentio est belli quod plures commoditates præstabat quam pax. BALUZ.

*Intercedente*, obstante, se opponente contra. Vocabulum juris. BALUZ.

*Præcluditur* Hanc lectionem intulit Erasmus. Eam non reperi nisi in tribus antiquis exemplaribus. In aliis et in antiquioribus editionibus scriptum est *clauditur* vel *cluditur*. BALUZ.

*In capitolio* Carthaginensi, ut recte monuit Baronius. Ne quis putare possit hoc agi de Romano, quod *deorum curiam* vocat Tertullianus in Apologetico *et dæmonum omnium templum* in libro *de Spectaculis*, Cicero vero in oratione pro Milone : *Templum sanctitatis, amplitudinis, mentis consilii publici, caput orbis, aram sociorum, portum omnium gentium.* Nam quamvis proprie capitolium sit in urbe Roma, amplitudinis tamen majestatisque Reipublicæ intererat ut postquam exteræ nationes et gentes sub populi Romani imperium ditionemque cecidissent, moribus ejus uterentur, in easque deductæ coloniæ ex Civitate quasi propagatæ, cujus illæ (ut A. Gellius ait lib. xvi, cap. 13), effigies parvæ simulachraque esse quædam videbantur, jura institutaque omnia populi Romani acciperent, capitolia, amphitheatra, thermas, et cætera oblectamenta et solatia servitutis. Itaque multæ erant in imperio civitates quæ capitolia habebant, quarum enumeratio exstat apud Rycquium in commentario *de Capitolio Romano* et in glossario latino Cangii. Cæterum, quia loca quædam sunt apud Hieronymum et alios veteres scriptores quæ dicere videntur capitolium et arcem esse rem eamdem, contra T. Livius et alii discrimen ponunt inter arcem et capitolium, præcipue vero A. Gellius, qui lib. v, cap. 12, ædem Vejovis locat inter arcem et capitolium, ego crederem istam quæ videtur repugnantiam commode posse tolli, dicendo ideo facile fuisse arcem confundere cum capitolio, quia arx et capitolium erant in eodem solo, in saxo Tarpeio, et arx erat vicina capitolio. Rursum quia sacrificia Gentilium fiebant in capitolio, quo ascendere jubebantur Christiani tamquam sacrificaturi diis Gentium, Christiani horrebant vocabulum capitolii tamquam scopulosum et infestum, velut dæmonum domicilium, arcem et synagogam Antichristi. Itaque apud Hieronymum in dialogo adversus *Luciferianos* videmus Orthodoxis objectum fuisse a Luciferianis quod illi, cum ab Arianis, quos aiebant esse gentiles, susciperent episcopos, *non tam episcopos recipere quam de capitolio sacerdotes videbantur*, adeoque Ecclesiam catholicam Antichristi magis synagogam quam Christi Ecclesiam debere nuncupari. Et paulo post Orthodoxus ait, *nisi forte homo edoctus in capitolio.* Unde

Digitized by Google

queramt, sacerdotibus convicium faciant; confessores, et virgines, et justos quoque fidei laude præcipuos atque in Ecclesia gloriosos, contumeliis et maledicis vocibus [a] prosequantur. A quibus quidem non tam nostrorum modestia et humilitas et pudor cæditur, quam illorum ipsorum spes et vita laceratur. Neque enim qui audit, sed qui facit convicium, miser est; nec qui a fratre vapulat, sed qui fratrem cædit, in lege peccator est; et cum nocentes innocentibus injuriam faciunt, illi patiuntur [b] injuriam, qui facere se credunt. Denique hinc illis percussa mens [c], et hebes animus, et sensus alienus est. Ira est Dei non intelligere delicta, ne sequatur pœnitentia [d], sicut scriptum est : *Et dedit illis Deus spiritum transpunctionis* (*Esai.* XXIX, 10); ne revertantur scilicet, et curentur, et deprecationibus ac satisfactionibus justis post peccata sanentur. Paulus apostolus in epistola sua ponit et dicit : *Dilectum* [e] *veritatis non habuerunt, ut salvi fierent; ac propterea mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio; ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati : sed sibi placent in injustitia* (II *Thess.*, II, 10). Primus felicitatis gradus est, non delinquere : secundus, delicta cognocere [f]. Illic currit innocentia integra et illibata quæ servet, hic succedit medela quæ sanet : quod utrumque isti offenso Deo perdiderunt, ut amissa sit gratia quæ de Baptismi sanctificatione percipitur, et non subsit pœnitentia [g] per quam culpa curatur. An putas, frater, levia esse adversus Deum facinora, parva et modica delicta, quod per illos non rogatur majestas indignantis Dei? quod non timetur ira et ignis et dies Domini? quod, imminente Antichristo, exarmatur fides militantis populi [h], dum tollitur vigor et timor Christi? Viderint laici hoc quomodo curent; sacerdotibus labor major incumbit in asserenda [i] et [j] procuranda Dei majestate, ne quid videamur in hac parte negligere, quando admoneat Dominus et dicat : *Et nunc præceptum hoc ad vos est, o sacerdotes : si non audieritis, et si non posueritis in corde vestro, ut detis honorem nomini meo, dicit Dominus; immittam in vos maledictionem, et maledicam benedictionem vestram* (*Malac.* II, 1). Honor ergo datur Deo, quando sic Dei majestas et censura contemnitur, ut cum se ille indignari et irasci sacrificantibus dicat, et cum pœnas æternas et supplicia perpetua comminetur, proponatur a sacrilegis atque dicatur; ne ira cogitetur Dei, ne timeatur judicium Domini, ne pulsetur ad Ecclesiam Christi :

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Prosequuntur *Corb. Colb.* 1, 2.
[b] Illi magis patiuntur injuriam *Lam. Ebor. NC.* 1.
[c] Perversa mens *Lam. NC.* 1. *Ebor. Bod.* 2.
[d] Ne sequantur pœnitentiam *Lin.*
[e] Delectum *Lam. Ebor. Lin. Voss.* 2.
[f] Tertius delicta diluere *Vet. Innom.*
[g] Et non subveniat pœnitentia *Oxon.* sumpta sit *Benev.*
[h] Populi Dei *Bod* 3.
[i] Major incurrit *Lin. NC.* 2.
[j] Et propitianda *Corb.*

## VARIORUM NOTÆ.

Cyprianus infra in hac ipsa epistola, pag. 88, ait : *Quid superest nisi ut Ecclesia capitolio cedat.* Tertullianus in libro de Spectaculis : *Proinde si capitolium, si serapeum sacrificator et adorator intravero, a Deo excidam.* In veteri glossario bibliothecæ Regiæ legitur : *Arx, capitolium.* Et mox : *Capitolium, summum caput regionis.* BALUZ.

*Convicium faciant.* Duo libri veteres habent *convitium et injuriam*, Monasteriensis *conviciorum injuriam.* BALUZ.

*Illorum ipsorum.* Hanc lectionem confirmant omnes veteres libri. Erasmus posuit *lapsorum.* BALUZ.

*Neque enim.* Citat hunc locum sanctus Hieronymus in epistola ad Marcum presbyterum Celedênsem : *Apud Christianos enim non qui patitur, ut ait quidam, sed qui facit contumeliam miser est.* Probat autem ista auctoritas recte istic a nobis positum esse *patitur* pro eo quod antea legebatur *audit.* Emendationem nobis subministravit optimus codex. Iterum Hieronymus in epistola *ad Pammachium* adversus Rufinum : *Quid est plus sustinere calumniam an facere?* et infra : *Aut facis injuriam vel pateris.* Idem in apologia adversus eumdem Rufinum : *Magis volui pati injuriam quam facere.* Cicero in libro de amicitia : *Illic honos veteri amicitiæ tribuendus est ut is in culpa sit qui facit non qui patiatur injuriam;* et lib. V quæstionum Tusculanarum : *Accipere quam facere præstat injuriam.* Et lib. I Officiorum : *Fortes igitur et magnanimi sunt habendi, non qui faciunt, sed qui propulsant injuriam.* Boetius, lib. IV de consolatione philosophiæ scribit *inferiores esse eos qui faciunt quam qui patiuntur injuriam.* A. Gellius, lib. IX, cap. 12 : *Injurias itidem dicimus tam illorum qui patiuntur quam qui faciunt.* Vide etiam, lib. XII, cap. 9. Vide etiam Cassianum collat. 12, cap. 13. P. Syrus : *Etiam qui faciunt odio habent injuriam.* Quintilianus, lib. VIII, cap. 5 : *In omni certamine qui opulentior est, etiamsi accipit injuriam, quia plus potest, facere videtur.* Seneca Thebaide : *Quoties necesse est fallere aut falli, patiaris potius ipse quam facias scelus.* BALUZ.

*Dilectum veritatis.* In aliquot mss. Anglic. *aelectum.* Retinendum cum aliis libris *dilectum*, hoc est *dilectionem*, seu, ut præfert Vulgata, *charitatem.* COUSTANT.

*Delicta cognoscere.* Codex Iuxensis, *bonis actibus et confessionibus delicta purgare.* Vetus codex a Nicolao Fabro citatus et vetus editio innominati addunt, *tertius commissa diluere.* At ego, cum hoc additamentum non invenerim in vetustis codicibus quibus usus sum, neque in Anglicanis, non sum ausus addere. BALUZ.

*Subsit.* Editi cum pluribus mss. *subveniat.* Verior visa est lectio ms. Veron. cui favet quod in vetusto Colb. *sumpsit.* Unde et in aliis duobus *sumpta sit* substitutum est. Nec displicet quod in recentiore Colb. *supersit*, præsertim cum superiori verbo *perdiderunt*, istud apte respondeat. COUSTANT.

*Exarmatur.* Tertullianus in libro de Pudicitia : *Exarmata sunt jura.* BALUZ.

*Asserenda et procuranda.* Hanc lectionem deprehendi in tribus antiquis codicibus, alii quinque habent *asserenda et propitianda.* Veteres editiones et tres libri veteres, *asserenda, propitianda, et procuranda.*

*Pax a presbyteris.* Hanc lectionem habere omnes libros manuscriptos a se visos testatur Pamelius. Ego, qui illam quoque reperi in undecim codicibus antiquis, non improbo tamen lectionem veterum editionum, quam etiam vidi confirmatam auctoritate novem librorum veterum. Ea habet : *Pax a non veris presbyteris.* Sentire enim potuit Cyprianus eos

sed sublata pœnitentia, nec ulla exomologesi criminis facta, despectis episcopis atque calcatis, pax a [a] non veris presbyteris verbis fallacibus prædicetur; et ne lapsi surgant, aut foris positi ad Ecclesiam redeant, communicatio [b] a non communicantibus offeratur?

XIV. Quibus etiam satis non fuit ab Evangelio recessisse, spem lapsis satisfactionis et pœnitentiæ sustulisse, fraudibus involutos, vel adulteriis commaculatos, vel sacrificiorum funesta contagione pollutos, ne Deum rogarent, ne in Ecclesia exomologesin criminum facerent, ab omni et sensu et fructu pœnitentiæ removisse; foris sibi extra Ecclesiam et contra Ecclesiam constituisse [c] conventiculum perditæ factionis, [d] quo male sibi consciorum et Deum rogare ac satisfacere nolentium caterva confluerel: post ista adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab hæreticis constituto, navigare audent, et ad Petri Cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde uni-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *Editi*, a presbyteris: *ope trium mss. resarciuntur.*

[b] *Sic Bod.* 1. *Thu.* communicatio non communicantibus, *Imp.*

[c] Removisse foris sibi extra Ecclesiam et contra Ecclesiam constituisse, *Voss.* 2. *Lam. Ebor. NC.* 1,2. *Bod.* 1,2, 3. *ms. Pamel. et Oxon. cum ms. Corb.* nisi foris constituissent. *Abest* nisi *a vetustioribus edit. ut a duobus mss. Colb. et octo Anglic. qui præterea* constituisse, *non* constituissent, *subjiciunt, et nostro quidem judicio sincerius. Constant.*

[d] *In vulgatis*, cum *rectius in ms. Corb. et uno Colb.* quo.

## VARIORUM NOTÆ.

non esse veros presbyteros quos paulo post accenset hæreticis, sicut in epistola LIX, pag. 97. Victorem vocat quondam presbyterum. BALUZ.

*Foris siti.* Antea legebatur, *nisi foris sibi extra Ecclesiam et contra Ecclesiam constituissent conventiculum.* Nos emendavimus, ex fide omnium veterum librorum nostrorum et septem Anglicanorum, tum etiam veterum editionum. Vocem *nisi* Pamelius addidit ex codice Camberonensi, coactus propterea scribere *constituissent* pro *constituisse*, ut sensus constaret, quem aliter constare non posse arbitrabatur. Ego vero, qui in ea epistola emendanda usus sum septemdecim libris veteribus, nuspiam inveni vocem *nisi* præterquam in Corbeiensi; qui tamen non habet *constituissent*, sed *constituisse*, ut alii. Itaque præfero cum ratione veterem lectionem, et puto sensum ita recte constare. Nam statim additur: *Post ista autem*, etc. BALUZ.

*A non communicantibus*, Ita edit. Oxon. cum nostris mss. At in cæteris omittitur præpositio *a*. Pergit Cyprianus per antithesim loqui: ut quomodo dixit proxime pacem *a non veris presbyteris* prædicari, ita nunc communicationem *a non communicantibus offerri* doceat. Eadem ratione de iisdem presbyteris factionis Felicissimi Epist. XL, ad plebem, loquitur: *Pacem nunc offerunt, qui ipsi non habent pacem. In Ecclesiam lapsos reducere et revocare promittunt, qui de Ecclesia recesserunt.* CONSTANT.

XIV.—*Exomologesin.* In codice Lætiensi scriptum est antiquius supra lineam, *id est confessionem.* Ex similibus annotationibus ortæ sunt tot discrepantiæ et tot vocabula synonyma in operibus sancti Cypriani. Vide Dallæum, lib. VII, cap. 4, 5 et 10, *de Pœnis et Satisfactionibus humanis.* BALUZ.

*Ab omnibus.* Restituenda mihi in hoc loco visa est lectio veterum editionum, quam confirmant novem exemplaria nostra et septem Anglicana. Manutius expunxit præpositionem. BALUZ.

*Fraudibus involutos.* Sumptum istud videtur ex libro XVI Annalium Taciti: *Dedit exemplum præcavendi quomodo fraudibus involutos aut flagitiis commaculatos*, etc. Innocentius Papa I, in epistola ad Agapetum, Macedonium et Maximum: *Modestum quemdam multis criminibus involutum.* Imperator constantinus in titulo Codicis Theodosiani de Repudiis: *Restat ut si graves causas atque involutam criminibus magnis conscientiam probaverit.* Cassiodorus, lib. IV, epist. 23: *Basilium atque Prætextatum magicis artibus involutos.*

*Pseudoepiscopo.* Fortunato. BALUZ.

*Ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem.... non possit accessum.* Mirum in modum hæc palmaria D. Cypriani verba distorquent commentatores quotquot hæretici vel neoterici ut ea in protervum quisque suum sensum dissipet. Audiantur ergo et suomet testimonio confundantur, priusquam os eorum peremptoriis catholicorum in hoc loco sententiis obtrudatur. Huic agmini hostium quorum imperitiam in promptu est confodere jam nec pigeat præmitti Nicol. Rigaltium, sublestæ sane, ne dicam perditæ omnino fidei hominem, eo interdum procacitatis obreptum, ut fronte licet catholicus, ab heterodoxis nonnumquam increpandus sit ac merito vapulet. Ilis ille ergo prædictam Cypriani sententiam arrodere nequicquam tentat: — Episcoporum Africæ concilio damnati provocaverant (schismatici). Itaque laudat (Cyprianus) Ecclesiam Romanam ad quam illi navigaverant cum libello appellationis. Subinde autem schismaticis perfidiæ crimen inurit, quo magis faciat invisos Romanis fide præstantibus. Nam et hunc sensum Paulinis verbis accommodat. Ad eos vero perfidiam accessum habere ullum non debere, nec posse, ait. Subjicit, appellantes minime esse audiendos, causa semel cognita, dictaque sententia. Mox et auctoritatem episcoporum in provincia sua tuetur. Statutum esse omnibus Episcopis; sed et æquum esse pariter et justum, ut causa non alibi disceptetur, quam ubi est crimen admissum. Singulis pastoribus Episcopis portionem gregis esse adscriptam, quam regat unusquisque, actus sui sive administrationis suæ rationem redditurus, non Romæ, sed in cœlis: non Cornelio, sed Christo. Pulchre igitur et prudenter laudato Cornelio, de prædicata Ecclesiæ principalis auctoritate, sive prærogativa, negat ullas ejus esse partes in causa Novatiani, peracta jam in Africa cognitione damnati. Hieronymus adversus Rufinum: Scito Romanam fidem, Apostolica voce laudatam, istiusmodi præstigias non recipere. Sic omnes fere Latini Patres Pauli ad Romanos verba acceperunt, quasi rectior et sincerior fuisset apud Romanos fides: cum hoc tantum dicat Apostolus, agere se gratias Deo, quod ubique passim fama sit, etiam Romanos, rerum Dominos, fidem Christianam suscepisse. Quod certe ob dignitatem Urbis, quæ totius orbis erat caput et gentium Domina, valde ad fidei Christianæ propagationem conducebat. Cæterum fidem Romanorum Paulo scribente non usquequaque fuisse probabilem, ostendunt ipsa Pauli verba. Quod etiam observavit Ambrosius prooemio *Commentarior. in Epistolam ad Rom.*, et in hæc ipsa quidem Pauli quæ citantur a Cypriano. Fidem Romanorum ait non fuisse tunc secundum regulam traditæ ab auctoribus veritatis. Tamen quia, quod ab uno Deo erat, interposito Christi nomine, cœperant venerari, gratulatur illis Apostolus, sciens illos posse proficere. Tum quia fama fidei illorum erat profectus multorum. Tum certe quia qui non crediderant, poterant credere horum exemplo. Facile enim, inquit, facit inferior, quod fieri viderit a po-

Digitized by Google

## VARIORUM NOTÆ.

tiore. Denique ipse Hieronymus, proœmio libri secundi ad Galatas, non aliam habuisse ait Romanos fidem, nisi hanc quam omnes Christi Ecclesiæ, sed quod in eis major esset devotio, et simplicitas ad credendum. Ubi alibi tanto studio et frequentia ad Ecclesias et Martyrum sepulchra concurritur? Ubi sic ad similitudinem cœlestis tonitrui Amen reboat, et vacua idolorum templa quatiuntur? RIGALTIUS. — Locus iste unde mirifica exsculpunt monarchiæ papalis propugnatores, si contextus ratio et scopus rite perpendatur, longe alio spectare deprehenderetur. Ait enim Cyprianus, factiosos istos homines Fortunatum et Felicissimum, licet ipsi imprimis schismatici essent, non in pari noxa Novatianum et illius sequaces adire; sed (pro summa sua impudentia) Cornelium legitimum Ecclesiæ Romanæ Episcopum, et S. Petri successorem adoriri; et ab Ecclesia divisos, non pariter ab ejusdem communione extorres, sed principalem sive matricem Ecclesiam (ubi fidelium corpus versatur, et stolonibus ἀποφυάσι perpetuo a Cypriano opponitur); cum legitimo pastore unitam, et proinde illam unde unitas sacerdotalis exorta est, sollicitare: minime cogitantes Romanos, neutiquam ab illis degeneres, quorum fides Apostolo prædicante laudata est; ad quos, magnis experimentis, nimirum Novatiani et deinde Fortunati repulsa, constat; perfidiam schismaticam non habere posse accessum. FELL. — *Ecclesiam principalem.... exorta est*, i. e. quæ in urbe principali est constituta atque prima (in occidente) episcopalis regiminis particeps fuit. GOLDHORN. — Hoc satis superque sit errantibus datum, quibus confidenter nostros Patrum catholicos explanatores occursare juvat.

*Petri cathedram atque Ecclesiam principalem.* Eodem modo infra epistola *ad Antonian.* Locum Fabiani, locum Petri et Cathedram ejus nuncupat; judicio igitur Cypriani Romanus Pontifex Petri in cathedra sacerdotali atque adeo in potestate ecclesiastica successor est, item ecclesia Romana *principalis* est, et, uti supra dixit, epistola XLV *matrix omnium ecclesiarum*, ut pote ad quam, quemadmodum ibi ex Irenæo diximus, referri, et a qua definiri soleant causæ fidei graviores. Testantur utrumque etiam sanctissimi pontifices, martyres, doctores qui fere omnes suam sententiam confirmant dicto illo ad Petrum: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Id ipsum loco citato Irenæus, Tertull. lib. *de Præscript. hæreticorum*; etiam Ambros. *de excessu* fratris sui Satyri, c. 7, et serm. 47. Hieron. epistola *ad Damas.* et lib. 1 *Apolog. contra Rufinum;* Cyrillus loco citato a D. Thoma contra errores Græcorum; Aug. epistola 106 et 162, tract. 56, *in Joan.*; *lib.* II *contra Pelagium, et Celest. contra Donat.* lib. II cap. 11; Concilia item generalia Nicen. can. 18 et 19, citatis a Julio in epistola *ad Syn. Antiochenam*; Concil. Chalced. loco a D. Thoma citato, eraso autem ab hæreticis, teste Gregor. lib. VII, epist. 14; item Act. 12 et 3. conc. Constantinop. in sententia contra Anthymum hæreticum; Synod. 6, act. 4, in professione fidei comprobata ab omnibus concilii Patribus, act. 8, 13 et 14; Synodus 7, act. 2; Synodus etiam 8, can. 2; Concilia denique Lateran. sub Innoc. 3, Florentinum et Trident. Sed hæc hactenus. PAMEL.— *Eos esse Romanos*, etc., *ad quos perfidia habere non possit accessum.* Elegans locus in ejus rei confirmationem, quod Ecclesia sive cathedra Romana in fide errare non possit. Affert autem in confirmationem, laudem fidei illorum ex Paulo. Similiter Hieron. Apolog 3. *contra Rufin. Scito*, inquit, *Romanam fidem Apostolica voce laudatam, hujusmodi præstigias non recipere, etiam si Angelus aliter annuntiet, quam semel prædicatum est, Pauli auctoritate munitam, non posse mutari.* Similia habes etiam in Epistola ad Pammach. et Oceanum, sic et Irenæus de hac Ecclesia loquens: *In qua semper*, inquit, *conservata est ea quæ ab Apostolis est traditio.* Sic et Lucius Papa I, ad quem Cypriani exstat epistola: hæc sancta et apostolica mater omnium ecclesiarum Christi Ecclesia, per omnipotentis Dei gratiam, a tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probatur, ne hæreticorum novitatibus depravata succubuit, sed ut in exordio normam fidei Apostolicæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata fine tenus manet, secundum ipsius Domini nostri divinam pollicitationem, qui discipulorum suorum principi in suis latus est Evangelius: *Petre*, inquiens, *ecce Satanas expetivit te ut cribraret sicut triticum Ego autem pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua:* et tu conversus confirma fratres tuos. Eadem Felix papa ad benignum, et Marcus ad Athanasium cæterosque Ægypti episcopos et similia qui hos præcessit Eusebius Epistola supra citata item Tarraconensis ecclesia ad Beatum Hilarium pontificem. Eodem pertinent reconciliationis formulæ, quas post schisma miserunt, Joannes Constantinopolit. Patriarcha successor Achatii ætate Justini Imperat., ad Hormisdam papam, et Eulalius Carthaginensis cum cæteris Africæ Episcopis ad Bonifacium pontificem. Usque adeo autem fides Romana semper fides Catholica est habita, ut et Gratianus imperator edictum fecerit, ut cuncti subditi eam fidem et religionem retinerent, quam vertex Apostolorum Petrus ac tum Damasus Romanus episcopus custodiret. Edictum habes, et in ecclesiastica historia et in cod. Justiniani tit. *de summa Trinit.* Habes etiam conformem Patrum de hac re sententiam locis supra citatis. Argumentorum vero solutionem quæ ab adversariis afferuntur in contrarium, et plura huc pertinentia, vide apud Albertum Pighium *Eccles. Hierar.* lib. IV, Cardinalem Hosium in *Antibrentio*, et Melchiorem Canum, lib. VI *Loc. Theologicorum.* PAMEL. — Cathedram, quam Petrus Romæ constituit, ac successoribus suis reliquit, unitatis totius Ecclesiæ centrum esse hic aperte docemur. Qui autem hæc Cypriani verba alio avocare tentant, simili loco libri de unitate Ecclesiæ revincuntur, ubi legere est: *Super illum unum* (Petrum Christus) *ædificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas.* Et mox: *Ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, et unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et Cathedra una monstretur.* Viderint igitur qui ab hac divulsi, hoc est ab unitatis fonte ac radice separati sunt, quo pacto intra Ecclesiam, quæ nonnisi una est, et extra quam nulla salus, permanere se confidant. COUSTANT.

*Ecclesiam principalem.* Hæc verba satis scio vellent adversarii nostri non exstare in Cypriano. Itaque omnes machinas movent ut ostendant nihil hic extraordinarium tribui Romanæ Ecclesiæ, principalem vocari dicentes pro magnitudine sua, ut in epistola XLIX, p. 64, ait Cyprianus, quia in principe Civitate constituta erat, quia prima est ordine. Et tamen sciebant Irenæum episcopum Lugdunensem Cypriano antiquiorem scripsisse lib. III, cap. 3, necesse esse omnem Ecclesiam concurrere ad Romanam *propter potentiorem* sive *potiorem*, ut alii scribunt, *principalitatem.* Hæc autem potentia principalis non potest referri ad potentiam Romani pontificis in imperio, quæ nulla prorsus erat, sed ad potentiam ejus in Ecclesia, quam oportet fuisse maximam, cum Irenæus eam vocet principalem, *ne quis*, ut Marca ait lib. I, cap. 3. §. 6. de Concordia: *Hic Romanum imperium somniet.* Adversus hunc Irenæi locum, utpote magnæ auctoritatis, vehementer disputant Irenæi interpres Nicolaus Gallasius, David Blondellus, et Joannes Clericus in sua historia Ecclesiastica, ubi contendit Irenæi interpretem debuisse scribere *potiorem antiquitatem*, id est, ut ille explicat, *majorem.*

Digitized by Google

tas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides. Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum. Quæ autem causa veniendi et pseudoepiscopum [a] contra episcopum factum nuntiandi? Aut enim placet illis quod fecerunt, et in suo scelere perseverant : aut si displicet et recedunt, sciunt quo revertantur. Nam cum statutum sit [b] ab omnibus nobis, et æquum sit pariter ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum : et singulis pastoribus portio gregis sit adscripta [c], quam regat unusquisque et gubernet, rationem sui actus Domino redditurus; oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec episcoporum concordiam cohærentem sua subdola et fallaci temeritate collidere; sed agere illic causam suam, ubi et accusatores [d] habere et testes sui criminis possint : nisi si, paucis desperatis et perditis minor videtur esse auctoritas episcoporum in Africa constitutorum, qui de illis jam judicaverunt, et eorum conscientiam multis delictorum laqueis vinctam judicii sui nuper gravitate damnarunt. Jam causa eorum cognita est : jam de eis dicta sententia est, nec censuræ congruit sacerdotum mobilis atque inconstantis animi levitate reprehendi, cum Dominus doceat et dicat : *Sit sermo vester, est est, non non* (*Matth.* v, 37).

XV. Si eorum, qui de illis priore anno judicave-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Pseudoepiscoporum *Lam. Bod.* 2.
[b] *Sic Voss* 2. *Lin. Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *NC.* 1, 2.
[c] Gregis sit commissa *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[d] Ut et accusatores *Lam. Ebor. Lin. Bod.* 3. *NC.* 1. *Mich.*

## VARIORUM NOTÆ.

Poterant tamen advertere Tertullianum dixisse in libro *de Præscriptionibus* adversus hæreticos *nobis auctoritatem præsto esse ex urbe Roma;* et Cyprianum non semel dixisse *Ecclesiam ædificatam esse super Petrum et exordium Unitatis ab ea proficisci*. Quæ verba magni momenti sunt in hac causa. Denique observandum est Cyprianum, cum conqueritur de audacia schismaticorum, qui post judicium episcoporum Africæ provocaverant ad Cathedram beati Petri atque ad Ecclesiam principalem, nullo modo respexisse ad magnitudinem urbis Romæ, cujus illi præsidium non implorabant, sed ad Cornelium. Erat enim causa Ecclesiastica. Itaque certum esse debet hic agi de auctoritate episcopi Romani, ad quem antiquitus confugere solebant episcopi qui se a collegis suis oppressos querebantur, ut isti schismatici. Confundit autem Cyprianus cathedram Petri cum Ecclesia principali, quia cathedra Petri est Ecclesia principalis, et Ecclesia principalis est cathedra Petri. Istud ego puto negari non posse. Auctor vitæ sancti Anselmi episcopi Lucensis, scribens adversus Hugonem Candidum, cardinalem, ait illum evacuasse *principalis Ecclesiæ privilegia*, id est Romanæ. Cæterum Augustinus, lib. II *de Baptismo* contra Donatistas cap. 1, agnoscit in Petro apostolatus principatum. Baluz.

*Unitas sacerdotalis*. Hanc doctrinam frequenter inculcat Cyprianus, præsertim in libro *de Unitate Ecclesiæ*. Sic etiam Optatus Milevitanus. Baluz.

*Quorum fides*. Id est Romanorum. Hieronymus in præmio libri secundi commentariorum in Epistolam ad Galatas : *Romanæ urbis laudatur fides. Non quod aliam habeant Romani fidem nisi hanc quam omnes Christi Ecclesiæ, sed quod devotio in eis major sit et simplicitas ad credendum.* Bachiarius in apologia sua seu Catholicæ fidei formula edita in tomo secundo analectorum Muratorii : *Si pro culpa unius totius provinciæ anathematizanda generatio est, damnetur et illa beatissima discipula, hoc est Roma, de qua nunc non una, sed duæ vel tres aut eo amplius hæreses pullularunt, et tamen nulla earum cathedram Petri hoc est Sedem fidei aut tenere potuit aut movere.* Baluz.

*Contra episcopum*. In vulgatis, *contra episcopos*, quæ verba absunt a Corb. In vetusto Colb. exstat *contra episcopo* Legendum[o]; inamur *contra episcopum*, scil. Cyprianum, qui se legitime institutum ac pro vero episcopo semper habitum supra num. 6, probavit, et eosdem presbyteros epist. XL, seu. 43, repræsentat, ut *antiqua contra episcopatum meum*, inquit, *venena retinentes*. Aut certe oratorum licentia *episcopos* hic dixerit, quomodo in mox laudata epistola ad plebem de iisdem scripsit : *Soli cum episcopis non sint, qui contra episcopos rebellarunt.* Sed tropicæ hujusmodi locutioni minus congruere videtur hic locus. Constant.

*Ab omnibus*. In vulgatis desideratur præpositio *ab*, quam nostri mss. cum octo Anglic. exhibent. Hic decretum communi Afrorum consensu constitutum notatur. Constant.—*Nam cum statutum*. Baronius, qui similem sententiam legebat in epistola tertia Fabiani Papæ ad Hilarium episcopum, non dubitabat quin ad hanc epistolam respiceret Cyprianus cum ista scribebat. In quo certe falsus est vir doctissimus. Certum quippe est epistolam illam Fabiani prorsus incognitam fuisse sancto martyri. Apud Gratianum 3, q. 6, cap. *Peregrina*, tribuitur Sixto Papæ in antiquis editionibus. Correctores Romani addiderunt sumptum esse ex epistola Sixti Papæ III, ad episcopos orientales. Baluz.

*Causa illic audiatur*. Quippe Afri censebant, uti postea ipsi scripsere ad Cælestinum Papam, quæcumque negotia in suis locis ubi orta sunt finienda, nec unicuique provinciæ gratiam sancti Spiritus defuturam. Imperatores Valentinianus et Valens, l. x. Cod. Theodos. de accusat, et inscriptionibus : *Ultra provinciæ terminos accusandi licentia non progrediatur. Oportet enim illic criminum judicia agitari ubi facinus dicitur admissum;* et l. XIII : *Extra provinciæ terminos accusatori non erit licentia progredi, quia oportet illic criminum judicia fieri ubi facinus dicitur admissum.* Vide Julianum antecessorem cap. 210. Baluz.

*Paucis desperatis et perditis*. Hoc est, Felicissimo et aliis qui cum illo Romam convolarant, postquam Fortunatum pseudoepiscopum constituissent, et de quibus Afri sententiam dixerant. A Cypriani igitur mente aberrat Oxoniensis editor, cui *beato illo Martyre judice pro* DESPERATIS ET PERDITIS *habendi sunt, quibus minor videtur auctoritas episcoporum in Africa; quam vel Cornelii ipsius in Petri cathedra Romæ sedentis*. Immo nec Felicissimus ac socii ideo quod Romam provocassent, sed propter schisma aliaque infanda crimina *desperati et perditi* appellantur. Cyprianus igitur cum Africanis episcopis non Cornelium, sed Privatum, Felicem, Jovinum et Maximum, adversus quos Africanorum judicia paulo ante recensuerat conferens ait : Nisi forte episcoporum in Africa constitutorum auctoritas paucorum illorum desperatorum auctoritate minor videatur. Constant.

*Vinctam*. Erasmus in margine suæ editionis monuit alibi legi *involutam*. Sic etiam habuisse scio codicem Veronensem. Eadem lectio reperitur in codice Corbeiensi et in Turonensi. Lactantius, lib. IV, c. 17, *involutum pectus*. Baluz.

Digitized by Google

runt, numerus cum presbyteris et diaconis computetur, plures tunc adfuerunt judicio et cognitioni, quam sunt iidem isti, qui cum Fortunato nunc videntur esse conjuncti. Scire enim debes, frater charissime, eum, postea quam pseudoepiscopus ab hæreticis factus est, jam pene ab omnibus esse desertum. Namque ii, quibus in præteritum præstigiæ obtendebantur, et dabantur verba fallacia, quod simul ad Ecclesiam regressuri dicerentur; postea quam viderunt illic pseudoepiscopum factum, frustratos et deceptos se esse didicerunt, et remeant quotidie, atque ad Ecclesiam pulsant : nobis tamen, a quibus ratio Domino reddenda est, anxie ponderantibus et sollicite examinantibus, qui recipi et admitti ad Ecclesiam debeant. Quibusdam enim ita aut crimina sua obsistunt, aut fratres [a] obstinate et firmiter reB nituntur, ut recipi omnino non possint [b] cum scandalo et periculo plurimorum. Neque enim sic putamina [c] quædam colligenda sunt, ut quæ integra et sana sunt vulnerentur : nec utilis aut consultus est pastor, qui ita morbidas et [d] contactas oves gregi admiscet, ut gregem totum mali cohærentis afflictatione contaminet [e]. O si posses, frater charissime, istic interesse nobiscum, cum pravi isti et perversi [f] de schismate revertuntur! videres quis mihi labor sit persuadere patientiam fratribus nostris, ut, animi dolore sopito, recipiendis malis curandisque consentiant. Namque ut gaudent et lætantur cum tolerabiles et minus culpabiles redeunt, ita contra fremunt et reluctantur, quoties incmendabiles et protervi, et vel adulteriis vel sacrificiis contaminati, C et post hæc adhuc insuper et superbi, sic ad Ecclesiam remeant, ut bona intus ingenia corrumpant. Vix plebi persuadeo, immo extorqueo, ut tales patiantur admitti : et justior factus est fraternitatis dolor ex eo, quod unus atque alius, obnitente plebe [g] et contradicente, mea tamen facilitate suscepti, pejores exstiterunt quam prius fuerant [h], nec fidem pœnitentiæ servare potuerunt, quia nec cum vera pœnitentia venerant.

XVI. De istis vero quid dicam, qui nunc ad te cum Felicissimo omnium criminum reo navigaverunt, legati a Fortunato pseudoepiscopo missi, tam falsas ad te litteras afferentes, quam est et ipse, cujus litteras ferunt, falsus; quam est ejus peccatorum [i] multiplex conscientia, quam execrabilis vita, quam turpis : ut et si in Ecclesia essent, ejici tales de Ecclesia debuissent? Denique quia conscientiam suam norunt, nec [j] audent venire, aut ad Ecclesiæ limen accedere; sed foris per provinciam circumveniendis fratribus et spoliandis pererrant : et omnibus jam satis noti, atque undique pro suis facinoribus exclusi, illuc etiam ad vos navigant. Neque enim illis potest frons esse ad nos accedendi, aut apud nos consistendi; cum sint acerbissima et gravissima crimina, quæ eis a fratribus ingerantur. Si judicium nostrum voluerint experiri, veniant. Denique si qua illis excusatio et defensio potest esse, videamus quem habeant satisfactionis suæ sensum, quem afferant pœnitentiæ fructum : nec Ecclesia istic cuiquam [k] cluditur, nec episcopus [l] alicui denegatur; patientia et facilitas et humanitas nostra venientibus præsto est. Opto omnes in Ecclesiam regredi, opto universos commilitones nostros intra Christi castra et Dei Patris domicilia concludi : Remitto omnia, multa dissimulo, studio et voto colligendæ fraternitatis, etiam quæ in Deum commissa sunt

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Aut fratribus *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1.
[b] Non possunt, nisi cum scandalo *Lam. Bod.* 1, 2, 3. *Ebor. NC.* 1.
[c] Putramina *Ver.* fragmina *Lam. Ben. Bod.* 1, 2, 3. *Lin. NC.* 2.
[d] Contractas. *Compend. ms. Idem habuit et Corb. sed subinde in eo littera* r *expuncta est.*
[e] Non attendas numerum illorum. Melior est enim unus timens, quam mille filii impii, sicut locutus est Dominus per Prophetam dicens : Fili, ne jocunderis in filiis impiis, si multiplicentur tibi, cum non fuerit timor Dei in ipsis *Foss.*
[f] Subversi *Benev.*
[g] Obtendente *Bod.* 3.
[h] Fuerunt, qui nec fidem *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1.
[i] Testis ejus peccatorum *Bod.* 2.
[j] *Ita nostri mss. At editi*, nec nos audent adire.
[k] *Editi* clauditur : *refragantibus mss. Deinde in recentiore Colb.* nec episcopo, *in quibusdam Anglic.* nec episcopatus.
[l] Episcopatus *Benev. Voss.* 2. *Bod.* 3.

## VARIORUM NOTÆ.

*Non possint.* In sex mss. Anglic. hic adjicitur *nisi* : quod abest a nostris mss. Mox totidem præferunt *fragmina* pro voce *putamina*, cujus loco mss. Veron. duo Colb. necnon Corb. a prima manu exhibent *putramina*. COUSTANT.

XV. — *Nisi cum scandalo.* Vocem *nisi*, quæ videbatur deesse in hoc loco, reposuimus secuti auctoritatem quatuor veterum exemplarium. BALUZ.

*Putramina.* Infra in libro *de Lapsis*, pag. 186, *putraminibus amputatis*. Quicquid alii sentiant, ego puto hanc lectionem esse retinendam, cum reperiatur in in omnibus antiquis exemplaribus et in antiquis editionibus. In codice Lamonii legitur, *vel fragmenta, vel sputamina*. BALUZ.

*Colligenda.* Illustrissimus episcopus Oxoniensis putabat scribi debere *colliganda*. Verum omnes libri veteres et omnes editiones repugnant. Reinhartus posuit *collidenda*, forte per errorem typographi. BALUZ.

*Non attendas.* Retinuimus hanc pericopen, quia illam invenimus in antiquis editionibus et in decem D libris veteribus. Præterea Rigaltius admonet se illam invenisse in uno exemplari editionis Manutianæ in quo ea addita fuerat ex quodam libro veteri. Et tamen eam non posuit in contextu, sed inter observationes. Manucius eam rejecerat, laudatus propterea a Pamelio, tum quia, ut ille ait, desideratur in manuscriptis omnibus, tum quod nihil hoc loco ad institutum facere videtur. Mutasset forte sententiam suam Pamelius, si scivisset illam exstare in decem antiquis codicibus et in eo quem citat Rigaltius. Morellius non probavit quod factum fuerat a Manutio. Et enim hoc segmentum retinuit in editione sua. Angli omiserunt. Cæterum silendum non est illud desiderari in tredecim libris veteribus. BALUZ.

XVI. — *Colligendæ fraternitatis.* Codex Gratianopolitanus *unitatis*. Sed alia lectio melior. Ista tamen non erat negligenda. BALUZ.

*Per prophetam* In uno libro meo vetere, *per Salomonem*. Recte. Nam ista sumpta sunt ex libro Ecclesiastici. BALUZ.

Digitized by Google

non pleno judicio religionis examino, delictis plus quam oportet remittendis pene ipse delinquo : amplector prompta et plena dilectione cum pœnitentia revertentes, peccatum suum satisfactione humili et simplici confitentes.

XVII. Si qui autem sunt, qui putant se ad Ecclesiam non precibus, sed minis regredi posse ; aut existimant aditum se sibi non lamentationibus et satisfactionibus, sed terroribus facere : pro certo habeant, contra tales clusam stare Ecclesiam Domini, nec castra Christi invicta et fortia, et Domino tuente munita, minis cedere. Sacerdos Dei Evangelium tenens, et Christi præcepta custodiens, occidi potest, non potest vinci. Suggerit et subministrat nobis exempla virtutis ac fidei Zacharias [a] antistes Dei, qui cum terreri minis et lapidatione [b] non posset, in templo Dei occisus est ; clamans et identidem dicens, quod nos quoque contra hæreticos clamamus et dicimus : *Hæc dicit Dominus* [c], *dereliquistis vias Domini, et Dominus derelinquet vos* [d] (II *Paral.* XXIV, 21). Neque enim, quia pauci temerarii et improbi, cœlestes [e] et salutares vias Domini derelinquunt [f], et sancta non agentes a sancto Spiritu deseruntur ; ideo et nos divinæ traditionis immemores esse debemus, ut majora esse furentium scelera, quam sacerdotum judicia censeamus ; aut plus existimemus ad impugnandum posse humana conamina, quam quod [g] ad protegendum prævalet divina tutela.

XVIII. An ad hoc, frater charissime, deponenda est catholicæ Ecclesiæ dignitas, et plebis intus positæ fidelis atque incorrupta majestas, et sacerdotalis quoque auctoritas ac potestas, ut judicare velle se dicant de Ecclesiæ præposito extra Ecclesiam constituti [h], de Christiano hæretici, de sano saucii, de integro vulnerati, de stante lapsi, de judice rei, de sacerdote sacrilegi ? Quid superest, quam ut Ecclesia Capitolio cedat et recedentibus sacerdotibus, ac Domini altare removentibus [i], in cleri nostri sacrum venerandumque consessum simulachra atque idola cum aris suis transeant, et Novatiano declamandi adversum nos atque increpandi largior et plenior materia præstetur ; si ii qui sacrificaverunt, et Christum publice negaverunt, non tantum rogari, et sine acta pœnitentia admitti, sed adhuc insuper cœperint terroris sui potestate dominari ?

XIX. Si pacem postulant, arma deponant : si satisfaciunt, quid minantur ? Aut si comminantur, sciant quia a sacerdotibus Dei non timentur. Neque enim et Antichristus cum venire cœperit, introibit in Ecclesiam, quia minatur ; aut armis ejus et violentiæ ceditur, quia resistentes perempturum se esse profitetur. Armant nos hæretici, dum nos putant sua comminatione terreri : nec in [j] pace nos de-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Virtutis acris Zacharias *Bod.* 3.
[b] Lapidationibus *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2, 3. *Ebor.*
[c] *Sic Bod.* 1, 2, 3. *Lam. Ebor. NC.* 1, 2. dixit *Impr.*
[d] *Sic Lam. Ebor. Lin.* relinquet *Oxon.*
[e] Cœlestes thesauros *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1.
[f] Dereliquerunt *Bod.* 3.
[g] Quam ad *Voss.* 2. *Lam. Ebor. NC.* 1, 2. quam quod, *Imp.*
[h] De episcopo hæretici *Corb. mss. cum recentiore Colb. et Ver.* — Constituti hæretici. *Voss.* 2.
[i] De altari Domini *Fab.*
[j] In faciem nos *Edit. Oxon. ex codd. Voss.* 2. *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *Lin. NC.* 1, 2. *Thu. Mic. Vict. Vetustior ms. Colb. cum aliis a Pamelio appellatis*, in facie. *Subnexa postulant* in pace : *quod et cæteri e nostris mss. exhibent.*

## VARIORUM NOTÆ.

*Cum vera pœnit.* Codex Fuxensis, *necdum veram ad pœnitentiam.* BALUZ.

XVII. — *Occidi potest.* Infra, epist. LVI, p. 91 : *Nec vereamur occidi, quos constat quando occidimur coronari ;* et epistola LVII, pag. 95 : *Intellexit milites Christi vinci non posse, mori posse.* Hieronymus in calce libri *de Vita Malchi* monachi ait : *Hominem Christo deditum posse mori, non posse superari.* Tertullianus in Apologetico : *Vincimus cum occidimur.* Prudentius in carmine de Romano martyre :

Si vos sinatis, incruente vivimus.
At si cruente puniamur, vincimus.

Sulpitius Severus in epistola *ad Eusebium* scribit justos, id est martyres, omnia tormenta patientes semper invictos, tanto fortius vicisse quanto gravius pertulissent. Idem lib. II Historiæ Sacræ : *Neque majore umquam triumpho vicimus quam cum decem annorum stragibus vinci non potuimus.* Agobardus in libro adversus legem Gundobadi, cap. 9 : *Quando erat publica contentio de veritate religionis, cum alii putarent colendam pro Deo creaturam quamlibet, alii dicerent solum Creatorem colendum, illi fuerunt victores qui occisi sunt, non qui occiderunt.* Seneca cap. 27, de Vita Beata : *Assilite, facite impetum. Ferendo vos vincam.* Idem in consolatione ad Polybium : *Intelligit lædi me posse, vinci non posse.* Vide infra pag. 463. BALUZ.

*Identidem.* In codice sancti Michaelis scriptum est antiquitus sup ra lineam, *id est similiter.* Lubenter interdum annoto ista levicula, quia ex iis aut similibus fontibus orti sunt plerique errores qui exstant in codicibus operum sancti Cypriani et aliorum veterum scriptorum. BALUZ.

XVIII. — *Auctoritas ac potestas.* Duo postrema vocabula desunt in uno codice regio. Fortassis igitur istud referendum est inter synonyma quibus abundant opera sancti Martyris. BALUZ.

*De Christiano.* Codex Veronensis, *de episcopo.* Ita etiam Fuxensis. *Vox christiano* non habetur in codice regio neque in Thuano. In Gratianopolitano est *catholico.* BALUZ.

*Ecclesia capitolio cedat.* Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos dixit : *Homo jam edoctus in capitolio.* BALUZ.

*Congestum.* Ego non dubito quin lectio vulgata, quæ habet *consessum*, multo melior videatur quam ista. Verum cum antiquæ editiones et octodecim vetera exemplaria habeant nostram, non absque ratione eam præfero. Facile autem fieri potuit ut ea vox, quæ aliam significationem habet in pura latinitate, deflexerit apud Afros, ut multa alia vocabula. Primus Erasmus posuit *concessum*, fortassis ex conjectura. BALUZ.

XIX. — *Antichristus minatur.* Multi multa et varia de Antichristo dixerunt. Sæpe creditum est illum adventare, immo natum esse. Fuere, uti diximus ad librum Lactantii *de Mortibus persecutorum*, qui crederent Neronem non esse mortuum, sed adhuc vivere, et venturum ante sæculi finem, et ipsum fore Antichristum. Vide Catechesim 15 Cyrilli Hierosolymitani. BALUZ.

*Perempturum.* Duo libri veteres, *perditurum.* BALUZ.

Digitized by Google

jiciunt, sed magis erigunt et accendunt, dum ipsam pacem persecutione pejorem fratribus faciunt. Et optamus quidem, ne quod loquuntur furore, impleant crimine; nec qui verbis perfidis [a] et crudelibus peccant, factis quoque delinquant. Oramus ac deprecamur Deum, quem provocare illi et exacerbare non desinunt, ut eorum corda mitescant, ut, furore deposito, ad sanitatem mentis [b] redeant, ut pectora operta [c] delictorum tenebris pœnitentiæ lumen agnoscant; et magis petant fundi pro se preces atque orationes antistitis, quam ipsi fundant sanguinem sacerdotis. Si autem in suo furore permanserint, atque in istis insidiis ac minis suis parricidalibus crudeliter perseveraverint, nullus Dei sacerdos sic infirmus est, sic jacens et abjectus, sic imbecillitate humanæ mediocritatis invalidus, qui non contra hostes et impugnatores Dei divinitus erigatur, cujus non humilitas et infirmitas vigore et robore Domini protegentis [d] animetur. Nostra nihil interest, aut a quo, aut quando perimamur [e], mortis et sanguinis præmium de Domino recepturi. Illorum flenda et lamentanda [f] conditio est, quos sic diabolus excæcat, ut æterna gehennæ supplicia non cogitantes, Antichristi jam propinquantis adventum conentur imitari.

XX. Et quamquam sciam, frater charissime, pro mutua dilectione quam debemus [g], et exhibemus invicem nobis, florentissimo illic clero [h] tecum præsidenti, et sanctissimæ atque amplissimæ plebi legere te semper litteras nostras, tamen nunc et admoneo et peto, ut quod alias sponte atque honorifice facis, etiam petente me faciaș, ut hac epistola mea lecta, si quod illic contagium venenati sermonis et pestiferæ seminationis irrepserat, id omne de fratrum auribus et pectoribus exuatur, et bonorum integra ac sincera dilectio [i] ab omnibus hæreticæ detractionis sordibus repurgetur.

XXI. Declinent autem de cætero fortiter, et evitent dilectissimi fratres nostri verba et colloquia eorum, quorum sermo ut cancer serpit: sicut Apostolus dicit: *Corrumpunt ingenia bona confabulationes pessimæ* (II *Tim.*, II, 17; I *Cor.*, XV, 33). Et iterum: *Hæreticum hominem post unam correptionem evita, sciens quia perversus est hujusmodi* [j], *et peccat, et est a semetipso damnatus* [k] (*Tim.*, III, 10 et 11). Et per Salomonem loquitur Spiritus sanctus: *Perversus*, inquit, *in ore suo portat perditionem* [l], *et in labiis suis ignem condit* (*Prov.*, XVI, 27). Item denuo monet dicens: *Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam*

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Et qui verbis perfidis *Lam. Bod.* 2.
[b] Ad sanitatem mentes *Ver.*
[c] Pectora obsessa *Bod.* 3. *Lin. Benev.* ut peccatorum et delictorum *Fab.* ut pectora a delictorum tenebris soluta *Bod.* 1.
[d] Domino protegente *Bod.* 3. *Voss.* 2.
[e] Quando pereamus *Pam. Bod.* 1. *Vetustior ms. cum duobus Anglic.* Pereamus.
[f] *Sic. Lam. Bod.* 1. *Voss.* 2. lamentanda consensio *Lin. NC.* 2. conditio, *Thu. Corb.* flenda potius et lamentanda *Benev.*
[g] Habemus *Ver.*
[h] Tecum præsenti *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[i] Sincera dilectione *Lam. Bod.* 2.
[j] Hujusmodi, cum sciens peccat *NC.* 2.
[k] Per semetipsum *Benev.*
[l] In ore suo portat perversa, perditionis suæ ignem condens *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. *Mic. Vict. Compend.* In ore suo portat verbum perditionis suæ *Fab.*

## VARIORUM NOTÆ.

*Sanitatem mentis.* Theodosius Imp. l. 1, de Judæis, Samaritanis, etc.: *Quos si ad sanitatem mentis egregiæ lege medica revocare conemur.* Julius Cæsar, lib. VII de bello Gallico: *Ad sanitatem reverti pudeat.* A. Hirtius in libro de bello Africo: *Aliqua ratione perduci ad sanitatem.* Lactantius cap. 34, de Mortibus persecutorum: *Ut etiam Christiani ad bonas mentes redirent.* Juvenalis: *Optandum est ut sit mens sana in corpore sano.* BALUZ.

*Pectora operta.* Ita Manutius, haud scio an ulla auctoritate. Eum tamen Pamelius et Oxon. editor secuti sunt. Morelius cum uno ms. Anglic.: *pectora a delictorum tenebris soluta.* Tres alii mss. Anglic., *pectora obsessa delictorum tenebris.* Notat Pamelius in aliis excusis et scriptis circumferri, *peccatores a delictorum tenebris.* His concinunt mss. Comp. recentior Colb. et Corb. nisi quod in hoc non exstat præpositio *a* ante vocem *delictorum.* In vetustiore Colb. legimus, *pectora delictorum tenebris.* Integra esset hæc lectio, si loco vocis *pectora*, restitueretur præpositio *pro.* CONSTANT. — *Operta.* Vetus codex regius habet *obruta*, unus Bodlejanus *obsessa.* Sic etiam editio Morellii. In codice sancti Arnulphi scriptum est, *pectora excussis delictorum tenebris*: in Beccensi, *ut recedentes a delictorum tenebris.* BALUZ.

*Domini protegentis.* Codex Corbeiensis, *Deo protegente.* Sic etiam in uno Bodleiano et in uno Vossiano scriptum esse testatur editio Anglicana. BALUZ.

*Conditio.* Ita Erasm. cum codice Cambron., quod et duo mss. Colb. et Corb. confirmant. In uno et altero Anglic. exstat *consensio*, in cæteris autem libris *concisio*: quam lectionem ideo sibi magis placere notat Pamelius, quia Cyprianum alludere putet ad illud Pauli Philip. III, 2: *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem.* Sed ibi *concisio* circumcisionem seu Judæos sonat: unde proxime sequitur, *Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo, et gloriamur in Christo Jesu, et non in carne*, etc. Hujusmodi autem intelligentia hic locum non habet. COUSTANT. — *Concisio.* Sic habent veteres editiones et omnia fere vetera exemplaria. In uno libro meo legitur *concisio* et supra lineam *vel conditio.* Hinc ergo, id est ex aliquo simili exemplari, prodiit scriptura quam præferunt quatuor libri veteres et editiones Erasmi, Manutii, et Morellii, in quibus scriptum est *conditio.* Duo vetera in editione Anglicana laudata habent *consensio.* Unus meus vetus et Gratianopolitanus *conscientia.* Sic variant libri veteres. Atque ut varia sunt hominum ingenia et diversæ opiniones, Pamelius meliorem putavit lectionem quæ habet *concisio*, Rigaltius eam quæ præfert *conditio.* Et tamen idem Rigaltius retinuit in editione sua lectionem Pamelii. Hieronymus in Epistola *ad Pammachium et Oceanum: Miro odio aversor concisionem.* BALUZ.

XX. — *Florentissimo.* Epithetum istud recte illustrat vir clarissimus Joannes Mabillonius in præfatione ad tomum II Musæi Italici, pag. 13. BALUZ.

*Detractionis.* Baluz.: *detrectationem.* Ita vidi scriptum in pluribus antiquis codicibus. Hanc ergo lectionem puto esse meliorem ea quæ habet *detractionis.* T. Livius lib. II: *Cæca invidia est, nec quicquam aliud scit quam detrectare virtutes, corrumpere honores ac præmia earum.* BALUZ.

XXI. — *Portat perditionem.* Duæ sunt istius loci lectiones in libris veteribus. Earum una hæc est: *Perversus,*

Digitized by Google

*nequam* (*Eccl.*, XXVIII, 28). Et iterum : *Malus obaudit linguæ iniquorum, justus autem non intendit labiis mendacibus* (*Prov.*, XVII, 4). Quod quamquam sciam illic fraternitatem nostram, vestra scilicet providentia munitam [a], sed et sua vigilantia satis cautam, nec capi hæreticorum venenis posse, nec decipi, tantumque apud illos prævalere magisteria et præcepta divina, quantus illis in Deum timor est : tamen ex abundanti vel sollicitudo nostra, vel charitas scribere ad vos ista persuasit, ut nulla cum talibus commercia copulentur, nulla cum malis convivia vel colloquia misceantur, simusque ab eis tam separati, quam sunt illi de Ecclesia profugi [b] ; quia scriptum est : *Si autem et Ecclesiam contempserit, sit tibi tamquam ethnicus et publicanus* (*Matth.* XVIII, 17) : et beatus Apostolus [c] non monet tantum, sed et jubet a talibus recedatur. *Præcipimus*, inquit, *vobis in nomine Domini Jesu Christi, ut recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinate, et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis.* Nulla societas fidei et perfidiæ potest esse. Qui cum Christo non est [d], qui adversarius Christi est, qui unitati et paci ejus inimicus est, nobiscum non potest cohærere. Si cum precibus et satisfactionibus veniunt, audiantur : si maledicta et minas ingerunt, respuantur. Opto te, frater charissime, semper bene valere.

ANNO CHRISTI CCLII.

## EPISTOLA XIII.

### SANCTI CYPRIANI AD S. CORNELIUM PAPAM.

(Erasm. I, 1; Pamel. Rigalt. Baluz. LVII; Paris. 56; Constant. I, col. 190; Galland. III, p. 360.)

ARGUMENTUM. *Cyprianus Cornelio gratulatus quod forti confessione populo suo ad confitendum sese ducem præbuerit, in Romanorum laudes excurrit. Tum adversam Novatiani sortem perstringit. Demum ad proximum agonem qui sese præparare mutuo debeant exponit.*

CYPRIANUS CORNELIO FRATRI SALUTEM.

I. Cognovimus, frater charissime, fidei ac virtutis vestræ testimonia gloriosa : et confessionis vestræ honorem sic exsultanter accepimus, ut in meritis ac laudibus vestris nos quoque participes et socios computemus. Nam cum nobis et Ecclesia una sit, et mens juncta, et individua concordia ; quis non [e] sacerdos in consacerdotis sui laudibus tamquam in suis propriis gratuletur ? aut quæ fraternitas non in fratrum gaudio ubique lætetur ? Exprimi satis non potest, quanta istic exsultatio fuerit et quanta lætitia, cum de vobis prospera et fortia comperissemus, ducem te illic confessionis fratribus exstitisse ; sed et confessionem ducis de fratrum confessione crevisse [f] : ut dum præcedis ad gloriam, multos feceris gloriæ comites, et confessorem populum suaseris fieri, dum primus paratus es pro omnibus confiteri : ut non inveniamus quid prius prædicare in vobis debeamus, utrumne tuam promptam et stabilem fidem, an inseparabilem fratrum charitatem. Virtus illic episcopi præcedentis publice comprobata est, adunatio sequentis fraternitatis ostensa est. Dum apud vos unus animus et una vox est, Ecclesia omnis Romana confessa est.

II. Claruit, [g] frater charissime, fides quam de vo-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic Pem. Bod.* 1. *Voss.* 2. *NC.* 2. *Lin. Thu. Foss.*
[b] Sunt isti ab Ecclesia profugi *Ver. Ben.*
[c] Apostolus Paulus *Lam. Ebor. NC.* 1.
[d] Non est, adversarius Christi est *Lam. Ebor. Bod.* 2. *Lin. NC.* 1.
[e] Quis non in *Pem. Voss.* 2.
[f] Et fratrum confessione crevisse *Lam. Bod.* 2. consensione *Colb. Comp. Thu Foss. Vict.*
[g] Claruit, frater carissime *Lam. Lin. NC.* 1, 2.

## VARIORUM NOTÆ.

*inquit, in ore suo portat perditionem, et in labiis suis ignem condit.* Alia vero sic : *Perversus, inquit, in ore suo perversa portat, et in labiis perditionis suæ ignem condit* vel *condens*. Utramque habet Fossatensis. Florus in suo codice legebat, *portat perversa, perditionis suæ ignem condens*. Sic etiam codex Berccnsis. Gratianopolitanus, *portat perditionis suæ ignem et condit.* In libro Proverbiorum cap. XVI, legitur : *Vir impius fodit malum, et in labiis ejus ignis ardescit.* BALUZ.

*Quod quamquam.* Non satis intelligo quid in hoc loco faciat vocabulum *quod*. Manutius addidit, Morellius expunxit. Pamelius reposuit. Scio illud reperiri in novem libris veteribus. Sed desideratur in omnibus aliis. Ego lubenter illud delerem. Non video enim cum quo vocabulo hujus periodi possit jungi, quo respiciat. Sic Hieronymus in Epistola ad Algasiam *de undecim quæstionibus Novi Testamenti* cap. X, referens locum ex capite III Epistolæ Pauli ad Colossenses, *quæ sunt* QUIDEM *rationem habentia sapientiæ*, ait : *Hoc loco quidem conjunctio superflua est, quod in plerisque locis propter imperitiam artis grammaticæ Apostolum fecisse reperimus.* BALUZ.

*Munitam.* Ita scriptum est in quinque codicibus nostris et in quatuor Anglicanis, tum etiam in antiquis editionibus. Manutius posuit *monitum*. Morellius revocavit veterem lectionem. Pamelius et cæteri maluerunt *monitum*. Quæ lectio, ne quid dissimulem, habetur in septem exemplaribus nostris. BALUZ.

EPIST. XIII. — 1. *Frater charissime.* Multum se heic frustra torquet is qui notas adjecit ad editionem Manutianam ut molliat asperitatem quam sibi visus est deprehendisse in his Cypriani verbis, tamquam ex iis colligi posset illum non posuisse discrimen inter episcopum Romanum et cæteros. Si notator ille ad mores veterum temporum respexisset, facile se ab ea difficultate explicavisset. Vide quæ de hoc argumento dicta a nobis sunt ad Epistolam XLI, pag. 429. BALUZ.

*Confessione*, at Baluzius, *consensione*. Cum editio Spirensis et Veneta vetus, inquit, ita scriptum habeant, eique consentiant, non solum Eramisca et Morelliana, sed etiam quindecim vetera exemplaria et excerpta Flori, putavi debere me ita reponere. Primus omnium Remboltus edidit *confessione*. Infra in libro *de Oratione Dominica* pag 206 : *Spiritus consensione conformes*, pro quo codex Moyssiacensis habet *confessione*. Item infra, Epist. LXVII, pag. 115, legitur *spiritus consensione concordes* ; ubi codex Corbeiensis habet *confessione*. Ut hinc appareat has duas voces interdum permutatas facile fuisse a veteribus librariis.

BALUZ.

II. *Frater charissime.* Ita in laudato codice Colb., ut in quatuor Anglic. In aliis autem, *fratres charissimi.*

Digitized by Google

bis beatus Apostolus prædicavit. Hanc laudem virtutis et roboris firmitatem jam tunc in spiritu prævidebat, et præconio futurorum merita vestra contestans, dum parentes laudat, filios provocabat [a]. Dum sic unanimes [b], dum sic fortes estis, magna et cæteris fratribus unanimitatis et fortitudinis exempla tribuistis. Docuistis granditer Deum timere, Christo firmiter adhærere, plebem sacerdotibus in periculo jungi, in persecutione fratres a fratribus non separari; concordiam simul junctam vinci omnino non posse; quidquid simul petitur a cunctis, Deum pacis pacificis exhibere. Prosilierat adversarius terrore violento Christi castra turbare; sed quo impetu venerat, eodem impetu pulsus est [c]; et quantum formidinis et terroris attulit, tantum fortitudinis invenit et roboris. Supplantare se iterum posse crediderat Dei servos, et velut tyrones et rudes, quasi minus paratos [d] et minus cautos, solito suo more concutere. Unum primo aggressus [e], ut lupus ovem secernere a grege, ut accipiter columbam ab agmine volantium A separare tentaverat [f]: nam cui non est adversus omnes satis virium, circumvenire quærit solitudinem singulorum. Sed retusus adunati exercitus fide pariter et vigore, intellexit milites Christi vigilare jam sobrios, et armatos ad prælium stare; vinci non posse, mori posse; et hoc ipso invictos esse, quia mori non timent; nec repugnare contra impugnantes, cum occidere innocentibus nec nocentes liceat [g], sed prompte et animas et sanguinem tradere: ut cum tanta in sæculo malitia et sævitia grassetur, a malis et sævis velocius recedatur. Quale illud fuit sub oculis Dei spectaculum gloriosum? quale, in conspectu Christi [h] ejus Ecclesiæ suæ gaudium, ad pugnam quam tentaverat hostis inferre, non singulos milites, B sed tota simul castra prodisse? Omnes enim constat venturos fuisse, si audire potuissent; quando accurrerit properanter [i] et venerit, quisquis audivit. Quot [j] illic lapsi gloriosa confessione sunt restituti? Steterunt fortes, et ipso dolore pœnitentiæ facti ad prælium fortiores; ut appareat nuper subitatos esse,

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Filios provocat *Vindel, Foss. Corb.*
[b] *Sic Foss. Mic. Vict.*
[c] Eodem turbatus et pulsus *Bod.* 3. Impetu repulsus *Lam Ebor. Bod.* 2.
[d] Et quasi minus paratos *Lam. Ebor. Bod.* 2.
[e] Nam primo agressu *Bod.* 3.
[f] Superare tentaverat *Bod.* 3.
[g] Innocenti *Lam. Bod.* 2.
[h] Et ejus Ecclesiæ gaudium summum *Corb. Bod.* 3. *Ebor. Lin. NC.* 1, 2. Christi et Ecclesiæ suæ *Foss. Mic.*
[i] *Sic Foss. Corb. Mic. Vict.* quando cucurrit *Bod.* 3. occurrerit *Imp.*
[j] Qui illic *In mss. Compend. quæ lectio potest admitti cum hac interpunctione,* sunt restituti, steterunt fortes.

## VARIORUM NOTÆ.

Tum in Corb. *fides quam vobis*, sine præpositione *de*. C Mox in Compend. *providebat*, non *prævidebat*. Eadem ratione Romani ex eo, quod eorum fides ab Apostolo laudata est, commendantur Epist. XII, n. 13 Ipse clerus Romanus his Apostoli laudibus stimulatus, ad Cyprianum Epist. XXXI rescribit: *Nec tantas de nobis laudes Apostolus protulisset dicendo, quia fides vestra prædicatur in toto mundo, nisi jam exinde vigor iste radices fidei de temporibus illis mutuatus fuisset; quarum laudum et gloriæ degenerem fuisse maximum crimen est.* COUSTANT.—*Fratres charissimi.* Decem libri nostri veteres, tres Anglicani, et excerpta Flori, tum etiam editio Manutii, præferunt *frater charissime*. Quod jam adnotavimus frequenter actitatum fuisse ab antiquis librariis in exemplaribus operum sancti Cypriani. Utraque lectio bona est. Nam quamvis epistola scripta sit *ad Cornelium*, tamen Cyprianus identidem sermonem suum convertit ad omnem Ecclesiam Romanam. Sic apud sanctum Gregorium, lib. I, Epist. XXV, scripta *ad Joannem Constantinopolitanum, Eulogium Alexandrinum, et* D *cæteros*, pro eo quod editiones habent *unde fratres charissimi* codex Moyssiacensis præfert *frater charissime*. Atque ita legendum esse hinc constat quod cum epistola illa scripta sit a paribus ad episcopos illos, necesse erat unumquemque eorum appellari in singulari. Obiter heic admoneo Epistolam Alexandri III pro monasterio Piscariensi sive Casauriensi editam in tomo quinto spicilegii Dacheriani pag. 525, ita emendari debere ut post *Firmano episcopo* legatur consequenter *salutem et apostolicam benedictionem. Quanto*, et ea quæ interjacent reponenda sunt statim post epistolam, prout, etiam a Joanne Berardi adnotatum est in *chronico*. Unde et in chartulario ex quo epistola illa edita est, vox *similiter* semper scripta est cum minio. BALUZ.

*Vinci omnino*. Hæc postrema vox, quæ mihi videtur superflua, deest in libro Beccensi et in editionibus Manutii et Morellii. BALUZ.

*Pulsus est et victus*. Addidimus istud auctoritate trium veterum exemplarium. Unum Bodleianum habet *turbatus et pulsus*. BALUZ.

*Accipiter*. Duo libri veteres habent *acceptor*. Quod idem est. Vide tom. II *Capitularium*, pag. 684, 750, 830. BALUZ.

*Nec repugnare*. Illud *nec repugnare*, non ad proximum verbum *timent*, sed ad superius *intellexit* refertur: hoc est, intellexit milites Christi nequaquam vim vi repellere. Subinde in vulgatis *nocentem*, in mss. Colb. *nocente*. Reliquæ orationi magis congruit quod in Corb. *nocentes*. Hæc Cypriani verba attendant, qui nocentes occidere Christianis leviori de causa permittunt. COUSTANT.

*In conspectu Christi*. Ex mss. Colb. et Corb. revocamus *ejus*, quod in vulgatis deerat. Huic tamen vocabulo in Corbeiensi secundis curis superaddita est particula *et*. Unde et in aliis quinque obtinere notat Oxoniensis editor *et ejus Ecclesiæ*, omisso *suæ*. Eadem loquendi ratione, hic dicitur *Christi ejus*, qua in superiori Epistola X, n. 7, dictum est, *Cornelius factus est episcopus de Dei et Christi ejus judicio.* COUSTANT.

*Christi Ecclesiæ*. Multum variant in hoc loco libri veteres et veteres editiones. Quædam editiones antiquæ et quidam libri veteres habent *Christi et Ecclesiæ suæ*. Alibi scriptum est *Christi et ejus Ecclesiæ, Christi sive Ecclesiæ ejus, Christi Ecclesiæ suæ*. Excerpta Flori *Christi Ecclesiæ suæ gaudium*. Ego reposui lectionem quam existimavi meliorem sensum facere et quæ mihi videtur melius convenire cum stylo sancti Martyris. BALUZ.

*Subitatos*, id est, ut statim explicat Cyprianus, novæ atque insuetæ rei pavore trepidantes, sicut sanctus Hieronymus in Epistola *ad sanctum Augustinum* de reprehensione Petri ait: *Fortissimos quosque milites subita bella conturbant*; et Tacitus, lib. XV An-

Digitized by Google

et novæ atque insuetæ rei pavore trepidasse; rediisse ad se postmodum fidem veram, et vires suas de Dei timore collectas ad omnem patientiam constanter et firmiter roborasse, nec jam stare ad criminis veniam, sed ad passionis coronam.

III. Quid ad hæc Novatianus, frater charissime? Utrumne jam deponit errorem? an vero, qui dementium mos est, ipsis bonis et prosperis nostris plus adactus est ad furorem [a]; et quo magis ac magis dilectionis ac fidei crescit hic gloria, illic dissensionis et zeli recrudescit insania; nec vulnus suum miser curat, sed adhuc gravius et se et suos vulnerat; in perniciem fratrum lingua sua perstrepens, et facundiæ venenatæ A jacula contorquens; magis durus [b] sæcularis philosophiæ pravitate, quam philosophiæ Dominicæ [c], lenitate pacificus; desertor Ecclesiæ, misericordiæ hostis, interfector pœnitentiæ [d], doctor superbiæ, veritatis corruptor, perditor charitatis [e]? Agnoscitne [f] jam qui sit sacerdos Dei, quæ sit Ecclesia et domus Christi, qui sint Dei servi quos diabolus infestet, qui sint Christiani quos Antichristus impugnet? Neque enim quærit illos quos jam subegit, aut gestit evertere quos jam suos fecit. Inimicus et hostis Ecclesiæ [g] quos alienavit ab Ecclesia et foras duxit, ut captivos et [h] vinctos [p] contemnit, et præterit eos, et

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Latius adauctus *NC.* 1. *Bod.* 2. *Ebor.*
[b] Magister durus *Lin.*
[c] Sophiæ Dominicæ *Ver. Benev. Manut.*
[d] Interceptor pœnitentiæ *Lin.*
[e] Proditor charitatis *Lin.* Perditor castitatis *NC.* 1 *Pem.* B *Lam. Bod.* 2.
[f] Agnoscis ne *Bop.* 3.
[g] Quos abalienavit *Lam. Bod.* 2.
[h] Victos *Thu. Foss. Vict.*

## VARIORUM NOTÆ.

nalium ait: *etiam fortes viros subitis terreri;* et lib. I Historiarum: *Subitus pavor exterruit.* Cæsar lib. I Commentariorum de bello Gallico: *Nemo est tam fortis qui non rei novitate perturbetur.* A. Hirtius de bello Alexandrino: *Cujus rei subita trepidatio magnum terrorem attulit nostris.* T. Livius lib. III. *Urbi quoque Romæ ingens præbitus terror, magis in re subita quam ad arcendam vim parum virium esset.* Virgilius, lib. VIII Æneidos:

> Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce
> Extulit et rauco strepuerunt cornua cantu,
> Utque acres concussit equos, atque impulit arma,
> Extemplo turbati animi.

Dio Cassius initio libri XLII, agens de miserо statu Pompeii post pugnam Pharsalicam, ait ea quæ hominibus præter exspectationem ac quam maxime inopinato accidunt, ea et animos eorum dejicere et rationem conturbare. Ennodius in Panegyrico: *Labascit fortium constantia quoties formidanda oculis ingeruntur.* Nonius Marcellus: *Subiti dictum pro repentini.* Rursum Cyprianus in libro *adversus Demetrianum*, pag. 224, et lib. III *Testimoniorum*, cap. 16, referens hunc locum ex capite quinto libri Sapientiæ: *Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis.* Ubi vide notas. BALUZ.

*Stare ad criminis.* Pœnitentiam hic notatur status seu situs, de quo rursum Cyprianus Epist. LII, seu LV *ad Antonianum* ita loquitur: *Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire.* COUSTANT.

III. — *Facundiæ venenatæ.* Supra, p. 416, adnotatum est Novatianum fuisse eloquentem. BALUZ.

*Sophiæ Dominicæ.* Id est Christianæ. Antea legebatur *philosophiæ.* Rigaltius admonet in codice Beneventano et in Veronensi, tum etiam in editione Romana, quæ est Manutiana, scripturn esse *sophiæ*, atque eam lectionem esse rectissimam. Vetus quoque Remigianus eam habet, itemque editio Morelliana. Pro quo scriptum est in codice Gratianopolitano *physicæ.* Sane vidi scriptum *philosophiæ* in tredecim codicibus antiquis. Et tamen præfero lectionem quam Rigaltius ait esse rectissimam, ea etiam de causa quod Tertullianus frequenter dicit sophiam, et quia Lactantius lib. III, cap. 16, ait: *Nos ab hac calumnia immunes ac liberi sumus, qui philosophiam tollimus, quia humanæ cogitationis inventio est; sophiam defendimus, quia divina traditio est, eamque ab omnibus suscipi oportere testamur.* Marius Victorinus in hymno *de Trinitate*, loquens de Christo:

> Seminatas sæclis animas inrigans scitis sophiæ
> Sophia autem cum sit Christus, idem Christus Filius docet.

Item Petrus Abælardus, lib. III Theologiæ christianæ, cap. 3: *Hoc enim docere rectæ sophiæ incarnandæ reservatum erat.* Tertullianus in capite IV libri I *ad Nationes*, primam sapientiam, ut explicat Jacobus Gothofredus, vocat Religionem christianam, quæ ad verum Deum, relictis idolis, convertitur.

Ad hanc fortassis a Lactantio commemoratam duplicem philosophiam respexit Joannes VIII papa in prologo concilii Romani, ubi, inter cæteras laudes quibus ornat Carolum Calvum imperatorem, ait illum honorare sacerdotes Domini et ad utramque philosophiam informare. Aliud est gemina scientia in narratione de electione Gregorii papæ VII, ubi C scribitur fuisse *geminæ scientiæ prudentia pollens;* et in chronico sancti Benigni Divionensis, ubi Halinardus archiepiscopus Lugdunensis dicitur *efficacissime claruisse gemina sententia*, itemque in chronico Besuensi, in quo Robertus episcopus Lingonensis dicitur *geminæ scientiæ eloquentia floruisse.* Denique in vetustissima scheda Ruthenensi, quæ videtur esse fragmentum Vitæ sancti Gausberti, abbatis Montis Salvii in finibus Ruthenorum et Arvernorum, Hugo, episcopus Diensis, qui diu fuit apostolicæ Sedis legatus in Gallia, vocatur *vir geminæ scientiæ et in litteris sacris non mediocriter eruditus.* Adde Maginoldum antipapam, quem Sigebertus ad annum 1105, ait fuisse *in utraque scientia* apprime eruditum. Per geminam ergo scientiam intelligendas esse theologiam et philosophiam docet hic locus ex Memoriali Historiarum Joannis Parisiensis: *Simon de Belloloco archiepiscopus Bituricensis, qui factus est episcopus Prænestinus. Cui successit in Bituricensem primatum frater Ægidius,* D *doctor egregius in theologia et philosophia, natione Romanus, de ordine Heremitarum sancti Augustini; qui gemina scientia efficacissime clarus, plurima volumina subtiliter et satis feliciter composuit.* Aliud rursum est gemina scientia in Epistola dedicatoria *Viæ Paradisi* Joannis Raulini, et in Epistola dedicatoria *Doctrinalis mortis* ejusdem Raulini, utraque dicata *consultissimo viro magistro Joanni de Bony jurium gemina scientia excellentissimo doctori.* Istic enim gemina scientia significat illum fuisse doctorem in utroque jure. BALUZ.

*Pacificus.* Corb. ms. *sacrificus.* Verius alii libri, *pacificus.* Hic Novatiano exprobratur duritia Stoicorum, qui misericordia commoveri nesciebant. COUSTANT.

*Vinctos.* In quatuor mss. *victos.* Rigaltius ex his ostendi observat, Novatianum immerito a suis pro martyre habitum. Hinc certe probatur, schismaticum illum nihil molestiæ pertulisse, cum Gallus adversus

Digitized by Google

pergit lacessere, in quibus Christum cernit habitare.

IV. Quamquam et si aliquis ex talibus fuerit apprehensus, non est quod sibi quasi in confessione nominis [a] blandiatur : cum constet, si occisi ejusmodi extra Ecclesiam fuerint, fidei coronam non esse, sed pœnam potius esse perfidiæ ; nec in domo Dei inter unanimes habitaturos esse, quos videmus de pacifica et divina domo furore discordiæ recessisse.

V. Hortamur plane, quantum possumus, frater charissime, pro charitate mutua qua nobis invicem cohæremus, ut quoniam providentia Domini monentis instruimur, et divinæ misericordiæ consiliis salubribus admonemur appropinquare jam certaminis [b] et agonis nostri diem, jejuniis, vigiliis, orationibus insistere cum omni plebe non desinamus. Incumbamus gemitibus assiduis et deprecationibus crebris. Hæc sunt enim nobis arma cœlestia, quæ stare et perseverare fortiter faciunt : hæc sunt munimenta spiritalia et tela divina, quæ protegunt. Memores nostri invicem simus, concordes atque unanimes, utrobique pro nobis semper oremus, pressuras et angustias mutua charitate relevemus. Et si quis istinc nostrum [c] prior divinæ dignationis celeritate

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Confessionis nomine *Lin. NC.* 2.

[b] Appropinquante jam certamiuis et agonis nostri die *Bod.* 2. *Ebor. Lin. NC.* 1. *Mic.*

[c] Et si quis *Pem. Ebor. Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3. Si quis hinc *Foss.*

## VARIORUM NOTÆ.

Cornelium et sanæ doctrinæ sectatores fureret. Cur vero ita cum illo actum sit, valde subtili ratione Cyprianus exponit. Unde non sinit vir sanctus, ut in turbulento tempore veritatem ab ea parte stare judicemus, quæ persecutionis expers pace flueretur. Sed ne quis perfidus inde sibi blandiatur, quod persecutionem sustineat, hanc interdum perfidiæ pœnam censeri debere statim docet. COUSTANT. — *Victos.* Ita scribendum esse existimavi pro eo quod posteriores editiones habent *vinctos.* Nam quamvis utraque lectio bona sit, standum esse videtur auctoritati veterum editionum et decem veterum exemplarium. Ita etiam habet editio Morelliana. BALUZ.

IV.— *Confessione nominis.* Duo mss. Anglic. *in confessionis nomine.* Retinendum *in confessione nominis,* subaudita voce *Domini*, quam Cyprianus reticere solet. Ita Epist. LII, seu LV, *ad Antonian.*, post med., *Etsi occisus*, inquit, PROPTER NOMEN *postmodum fuerit extra Ecclesiam constitutus, et ab unitate atque charitate divisus, coronari in morte non poterit.* Et sub finem ejusdem Epistolæ : *Christi Ecclesiam dissipantes, nec si occisi pro* NOMINE *foris fuerint, admitti secundum Apostolum possunt ad Ecclesiæ pacem, quando nec Spiritus nec Ecclesiæ tenuerunt unitatem.* Rursum supra, Epist. XI, n. 2, ad Cornelium scribit : *Quomodo docemus aut provocamus eos in* CONFESSIONE NOMINIS *sanguinem suum fundere?* et num 4 : *Quando autem dicat in traditis atque in* CONFESSIONE NOMINIS *constitutis Spiritum loqui*, etc. COUSTANT.

V.— *Appropinquare.* Codex Michaelinus et Gratianopolitanus et quatuor Anglicani habent *appropinquante jam certaminis et agonis vestri die.* Sic etiam editio Morelliana et codex Beccensis. BALUZ.

*Et si quis hinc nostrum prior*, etc. Patet ex hoc loco Cyprianum sensisse et credidisse, Sanctos etiam defunctos pro vivis orare, quod ipsum sed paulo obscurius indicat tom. II, lib. *de mortalit.*, cum dicit de futura vita agens : *Frequens nos illic turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, et adhuc de nostra incolumitate sollicita.* Similia habent Origenes Hom. 3 *in Cantica* et *in Gen.*; D. Potamiena apud Eusebium lib. VI. *Hist. eccles.* c. 5; D. Petrus Epistolæ suæ Canonicæ, cap. I, juxta expositionem Græcorum quorumdam, narrante Œcumenio, cum dicit : *Dabo autem operam et frequenter, habere vos post obitum meum ut horum memoriam faciatis.* Satis etiam ex hoc ipso loco colligitur, jam tum invocationem quoque Sanctorum in usu fuisse, immo infra, tom. II, lib. *Disc. et hab. Virg.* preces sanctarum Virginum post hanc vitam implorat, dicens : *Durate fortiter, spiritaliter pergite, pervenite feliciter, tantum tunc mementote nostri, cum incipiet in vobis virginitas honorari.* Quod de honore post hanc vitam intelligi, satis indicant præced. verba : *majore et meliore parte præceditis*, et illud : *pervenite feliciter.* Quare calumniari perspicum est illos, qui ante divi Gr. ætatem illam usitatam in Ecclesia negant, præsertim quum eam reperire sit etiam apud Syn. VII Can. 7, et sextam in fine; Victor. Africanum, lib. III *de Persecut. Vandal.*; D. Fulgentium, *serm. de Laudibus Mariæ in partu Salvat.*; Petrum Chrysolog., *Hom.* VII; Theodoret. de *G.... Affect.*, lib. VIII; Leonem Magnum, sermon. 2 et 6, *de jejun. in Oct. Apostolor.* Cæsarium in *homil. in litaniis;* Aug., lib. VII *de Bapt.*, cap. 2, serm. *de morte Cypriani, serm.* 27 *de verbis apostol.*, lib. XII *de civitate Dei*, cap. 8, et alibi frequenter. Virgil. trid. in vita divi Sisinnii... Paulinum *de sancto Claro ad severum*, in *Paneg. pueri Celsi*, et Car. *de sancto Felice;* Hieronym. *de Laudibus Paulæ* et in *vita Hilarionis;* Prud., frequentiss.; Ambros., lib. I *de viduis* et *orat. fun. Satyri fratris;* Gregor. Nazianz., *homil. in Basil. et Cyprian.*; Basil. *serm. de 40 Martyr.* et *in Mammentem martyrem;* Chrysostom. *in missa hom.* 49, *in Genes.* V, *in Matth.* I, *in Epistolam ad Philippens.*, et 66, *ad populum Antiochen.*; Nectarium *in Theodor. Martyrem;* et Ephrem., serm. *de martyr.*; Hilarium *in Psalm.* XXIV; Athanas. *orat. de Virg.* Deipara; divum Antonium, Epistola *ad Arsenoitas; virginem* Justinam apud Nazianz. *orat. in Cypri.*; Origen. *in ultimum c. lib. Job*, et *in lamento;* et D. Irenæum, lib. V *contra hæret.* ubi Mariam virginem Evæ virginis dicit advocatam ; quomodo et Ephrem Syrus jam dictus : *esto*, inquit in Threno Mariam alloquens, *nostra conciliatrix et advocata in hora judicii, libera nos a futuro igne et tenebris, tu namque es spes apud Deum Christianorum.* Quæ verba notatu digna, ob illos qui calumniantur Canticum illud Ecclesiæ in laudem D. Virgin. *Salve, Regina misericordiæ*, etc. Neque vero Mariam duntaxat, sed et alios sanctos appellare solent veteres, modo *advocatos*, sicut D. Maximus *in Nazar. et Celsum*, modo *patronos*, uti Ambr., lib. X *in Luc.* c. 21; D. Aug. *de cura pro mort.* c. 4; Prudentius *Hymn.* 1 et 2, *περὶ στεφάνων* ; Paulinus *Paneg.* 3, *in Felicem* et Epistola XIII, *ad Severum* et Anton. episcopus, epistola *ad Arcad. Imperat.*; modo *Protectores*, velut Chrys., *hom.* 66, *ad pop. Antioc.*; modo etiam *mediatores*, quemadmodum Cyrillus, lib. XII *Thesaur.*, c. 10; et Bernard., serm. ult. *de Assumpt. D. Virg.* Quæ omnes appellationes, mire confirmant ritum invocationis supradictum. Quin qui altius adhuc petendum censeat, reperiet hæc verba apud D. Jacobum in sua Liturg., quam Syn. VI, pro tali agnoscit, can. 32. *Commemorationem agamus sanctissimæ, immaculatæ, gloriosissimæ, benedictæ, Dominæ nostræ, matris Dei et semper virginis Mariæ, ac omnium Sanctorum et justorum, ut precibus atque intercessionibus eorum omnes misericordiam consequamur.* Quid enim, quæso,

præcesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio pro fratribus et sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio. Opto te, frater charissime, semper bene valere.

## VARIORUM NOTÆ.

aliud est, sanctorum commemorationem agere ut eorum intercessionibus misericordiam consequamur; quam Sanctos invocare ut pro nobis intercedant ad misericordiam consequendam? PAMEL. — *Et si quis.* In edit. Oxon. *Et quis*, expuncto *si*, quamvis illud octo mss. Anglic. non secus atque Corb. Colb. Foss. et pristinæ editiones exhibeant. Mox in ms. Compend. *apud Deum*, non *apud Dominum*. Ex hoc loco Pamelius Sanctos post exitum a nobis nostra curare, nosque suis apud Deum orationibus ac patrociniis adjuvare merito conficit. Violenta certe et aliena est Oxoniensium interpretatio hunc ita commentantium: *Alterutro ex nobis obeunte, sive ego qui Carthagini præsum, sive tu qui Romæ præsides, superstes fuerit, cui in vivis diutius esse contigerit, pro utraque Ecclesia perseveret et supersit apud Deum oratio.* Non enim ejus qui superstes fuerit sed ejus qui hinc migrans ad Deum præcesserit, oratio ibi commendatur. Porro Sanctorum in cœlo fraternam dilectionem integram perseverare nemo negaverit. Ipsi Oxonienses editores minime dubitare se aiunt, *animas in cœlo receptas precibus Deum sollicitare, ut in terris agentium misereatur.* Quod cum persuasum habeant, consequens videtur, ut et ipsis persuasum sit, preces ad eosdem fundi debere. Illi tamen his præmissis subjiciunt, *Sed non inde conficitur preces ad Sanctos fundi debere.* Quid vero istud vetat? Quia, inquiunt, *Deos qui rogat, facit.* An, quæso, Deos facere se existimabat Paulus fideles, quorum pro se flagitabat preces? An Deum faciebat Cyprianus Cornelium, cum eum rogabat, ut si prior ad Deum migraret ipsius pro fratribus apud Patris misericordiam non cessaret oratio? Si justorum in terris degentium preces exorare licet, cur non et eorum qui jam in cœlis Deo viciniores sunt? A Cypriani doctrina recedere se non existimavit Augustinus, cum lib. VII *de Baptismo cont. Donat.*, *c.* 1, ipsum invocans dixit: *Adjuvet itaque nos orationibus suis in istius carnis mortalitate, tamquam in caliginosa nube laborantes, ut donante Domino, quantum possumus, bona ejus imitemur.* Qui vero orationes nostras ad Sanctos pervenire posse desperant, quid sit Ecclesia, quid Christi corpus, quid illius Spiritus, quo justi omnes, sive in terris, sive in cœlis, in unum constringuntur, ignorant. Unius quippe Spiritus beneficio mutua est membrorum quantumvis distantium communicatio. *Neque enim*, inquit Augustinus, lib. XX *de Civ. Dei*, *c.* 9, *piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est regnum Christi. Alioquin nec eorum fieret memoria in communicatione corporis Christi... Cur enim fiunt ista, nisi quia fideles etiam defuncti membra ejus sunt?* Si autem ab Ecclesia non separantur, si Christi membra sunt, et ea quidem viva, quis absurdum aut non potius rectæ rationi consentaneum judicet, ut reliquorum membrorum motus affectusque, prout Deus voluerit, sentiant, Ecclesiæ voces audiant, ac propenso animo ad subveniendum ei inclinentur? Si etiam ita placet, oratio nostra quædam est Epistola, quæ, Angelorum ope in cœlum perlata, Sanctis, quorum patrocinia imploramus, innotescit, Deo sic ordinante et Ecclesiæ suæ inspirante, ut cum Sanctos invocamus, quæ pie viventibus pendenda sit merces, animis nostris altius imprimatur. BALUZ.

*Perseveret.* Nescio quibus rationibus adductus Rigaltius exagitat hanc sententiam, ac si Cyprianus sentire et credere non potuerit Sanctos etiam defunctos pro vivis orare, uti dixerat Pamelius in annotatione ad hunc locum. Nam quod ait vir doctissimus hæc verba Cypriani non esse accipienda de eo qui per martyrii coronam præcesserit, cum orandum non sit pro martyre, cujus sanguis, ut ait Tertullianus in *Apologetico*, tota paradisi clavis est; fallitur profecto, cum Cyprianus non petat ut vivus oret pro martyre, sed ut martyr pro vivo Dominum precetur. Illustrissimus Oxoniensis hunc istius loci sensum esse putavit, ut is Christianus qui alteri superstes fuerit, sive Cyprianus, sive Cornelius, perseveret in oratione pro utraque Ecclesia, neque dubitat animas cœlo receptas Deum opt. max. sollicitare ut in terris agentium misereatur. Hieronymus in libro adversus Vigilantium: *Si Apostoli et martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post coronas, victorias, et triumphos.* Ipse etiam Cyprianus in calce libri *de Mortalitate*, pag. 236, scribit animas cœlo receptas, de sua incolumitate securas, adhuc de nostra salute esse sollicitas. BALUZ.

*Apud Dominum.* Noli mutare hanc lectionem, quia bona est, et reperitur in duodecim vetustis exemplaribus. Illud tantum dicam, veteres editiones et octo libros veteres habere *Deum*. Manet autem idem sensus quomodocumque legas. BALUZ.

*Pro fratribus.* Hinc etiam colligi posse puto Cyprianum credidisse sanctos in cœlo orare pro vivis. BALUZ.

# APPENDIX PRIMA.

# EPISTOLÆ CORNELIO ADSCRIPTÆ.

### MONITUM IN EPISTOLAM SEQUENTEM.

Ex archivo Viennensis ecclesiæ eruta, et Johannis a Bosco opera in bibliotheca Floriacensi edita, postmodum a Baronio ad ann. 355, et inter concilia recusa est: sed nihilo majorem præ se fert sinceritatis speciem, quam superiores ex eodem archivo descriptæ. Primo quidem in ipsa salutatione Lupi-

Digitized by Google

cinus, contra morem hujus sæculi, *archiepiscopus* appellatur. Id quidem Baronius emendare curavit, et pro *archiepiscopo*, substituit *episcopo*: sed cum nullius veteris codicis auctoritate correctionem suam fulciverit, manet ipsa suppositionis nota. Neque magis eodem ævo usitatum est *Missæ* nomen, uti jam in supposititias Pii epistolas est observatum. Quis etiam ante persecutionem, qua interiit Cornelius, Missas *publice* agere Christianis licuisse largiatur? Hoc tamen sonant, quæ in subnexa epistola Cornelii nomine scribuntur. Præterea secundum Johannem a Bosco Florentius Lupicini decessor « tempora Gordiani, Philippi, Decii Galli et Volusiani decucurrit. » At qui Volusianus tantum anno 252 ante julii mensis exitum creatus est Augustus, et Cornelius medio mense septembre anni ejusdem vivendi finem fecit, cum aliquanto antea comprehensus, Deum confessus, ac relegatus fuisset; adeo ut Cypriano confessionem ejus rescire, et gratulatorias de illa litteras ad ipsum scribere licuerit. Quandonam igitur scribi hæc epistola potuit? aut cur Cornelius nihil in ea de comprehensione et confessione sua, nihil de recenti Lupicini ordinatione loquitur?

## EPISTOLA I.

### CORNELIUS EPISCOPUS FRATRI LUPICINO VIENNENSI ARCHIEPISCOPO [a] SALUTEM.

Scias, frater beatissime [b], aream Dominicam vento persecutionis acerrime commoveri, et edictis imperatorum Christianos ubique tormentis variis affici. Nam in urbe Roma præfectus [c] ad hoc constitutus est. Unde neque publice, neque in cryptis notioribus Missas agere Christianis licet. Exhortetur itaque Charitas vestra omnes credentes in Christum, ne timeant eos qui occidunt corpus, sed potius eum qui habet corpus et animam potestatem perdendi (*Matth.* x, 28). Jam plures fratrum martyrio coronati sunt. Ora ut perficiamus cursum nostrum nobis a Domino revelatum. Vale, frater in Domino, et saluta omnes qui nos amant in Christo.

## EPISTOLA II.

### CORNELII PAPÆ AD CYPRIANUM.

*In novissima Cypriani editione Steph. Baluzii studio adornata primum ex mss. Bohieriano et Remigiano prodiit. Mirum est eam ab erudito viro vel ut dubiam proponi potuisse, cum nullum veri characterem præ se ferat. Indigna est amicitia, quæ Cornelio cum Cypriano ad mortem usque fuit. Neque minus pugnat cum historica veritate, ex qua controversiam de Baptismo hæreticorum tantum post Cornelii mortem inter Romanum pontificem et Carthaginensem natam esse, atque ex epistolæ secundæ Cypriani ad Stephanum papam occasione fuisse excitatam, vel ex Cyprianicæ hujus epistolæ lectione liquet. Ubi igitur Rufinus, lib.* VII, *c.* 2, *controversiam de Baptismo hæreticorum sub Cornelii pontificatu cœpisse scribit, contra temporum accuratam notitiam, quod insolens ei non est, peccare dicendus est. Eum vero illic id quod Stephani est, Cornelio tribuere, sola verborum illius relatione omnibus palam fiet.* Cumque, *inquit*, id a Cypriano et cæteris pene omnibus per Africam sacerdotibus oportere fieri (*id est hæreticos rebaptizari*) decerneretur; Cornelius et cæteri omnes per Italiam sacerdotes hujusmodi decretum, manente concordia, refutarunt, statuentes antiquitus a patribus super hoc traditam regulam debere servari: quæ continebat, post abjectionem pravi et confessionem recti dogmatis, sola eos manus impositione purgandos. *Ibi enim si Cornelii loco substituatur Stephanus, cum Cypriani, Augustini, aliorumque Scriptorum dictis Rufinus prorsus concordabit.*

Dilectionis tuæ non delectabilia et contra fidei regulam scripta suscepi, in quibus nauseas recognovi, et venena sermonum adversus catholicam per totum orbem diffusam Ecclesiam horribilibus a te superseri zizaniis non laudavi. Quæ peto velociter tollas ac prædamnes. Quod prius quidem te facere oportebat, quam in mundo lethale virus adspersum simplicium et innocentium interficeret mentes. Non ergo dignum est rebaptizare. Ergo eradica et extrica, ut diximus, florulentis sermonibus atque dignis per posteriorem epistolam priora scripta, quæ contra catholicam fidem servare censuerunt genimina viperarum. Non enim decet tantæ urbis antistitem excellentissimumque doctorem, ut dum putas hæresis Baptisma prædamnandum, verum Baptisma sermonibus maculare [d] audias, quæ doles contra Apostolum scilicet repugnare dicentem: *Unus Deus, una fides, unum Baptisma.*

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Episcopo *Baron.*
[b] Carissime *Baron.*
[c] Imperator *Baron.*
[d] Audeas quæ vides *forte.*

Digitized by Google

# APPENDIX SECUNDA.

## DECRETALES EPISTOLÆ S. CORNELIO PAPÆ ADSCRIPTÆ.

### EPISTOLA PRIMA.

DE TRANSLATIONE CORPORUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI: ET DE NOVATO, ALIISQUE HÆRETICIS.

*Charissimis atque dilectissimis fratribus, sanctæ Dei Ecclesiæ filiis, et omnibus Domino recta fide famulantibus, Cornelius episcopus.*

Videns [a] charitatis vestræ benevolentiam, quia Apostolorum amatores estis, eorumque fidem et doctrinam tenetis, decrevi vobis scribere, Domino auctore, quædam ex his quæ nunc temporis necessaria sunt sciri, et quæ apud nos in Ecclesia Romana, auxiliante Domino, meritis Apostolorum nuper acta sunt sive geruntur: quoniam, patrocinante charitate, credo vos paterna gratia scripta sedis apostolicæ libenter suscipere, et mandata ejus peragere, atque de ejus profectibus gratulari: quia quisquis se in radice charitatis inserit, nec a viriditate deficit, nec a fructibus inanescit, nec amore fœcunditatis opus efficax amittit. Ipsa enim charitas exercet corda fidelium, sensus corroborat, ut nihil grave, nihil difficile, sed fiat totum dulce quod agitur, dum ejus proprium sit, nutrire concordiam, servare mandata, atque dissociata conjungere, prava dirigere, et cæteras virtutes perfectionis suæ munimine solidare.

Quapropter rogo vos nobis congratulari, quia rogatu cujusdam devotæ feminæ atque nobilissimæ matronæ Lucinæ levata sunt corpora Apostolorum Petri et Pauli de Catalumbis. Et primo quidem beati Pauli corpus, levatum silentio, positum est in prædio prædictæ matronæ, via Ostiensi ad latus ubi decollatus est. Postea vero beati Apostolorum principis Petri accepimus corpus, et condecenter posuimus illud juxta locum ubi crucifixus est, inter corpora sanctorum episcoporum in templo Apollinis, in monte Aureo, in Vaticano palatii Neroniani, tertio kalendarum juliarum die, orantes Deum et Dominum nostrum Jesum Christum, ut, intercedentibus suis sanctis Apostolis, maculas vestrorum purget peccatorum, et in sua vos conservet voluntate diebus vitæ vestræ, et in fructu boni operis vos perseverabiles reddat. Vos vero his congaudete, quia et ipsi sancti Apostoli de vestro congratulantur gaudio. Vos semper Deum laudate, et ipse glorificetur in vobis. Scriptum est enim: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* (*Psal.* CXV) (6). Tantum enim a nobis exigitur, quantum possumus famulatus nostri obsequio commendare [b]. Unde quidem tanto nos necesse est importunis prædicationibus insistere, quanto nobis perfectæ negotiationis creditur duplicata talentorum assignatio, atque dominicæ vocis ad suscipiendam ejus requiem suadet assertio.

Hæc invidens antiquus hostis suscitavit nobis adversarium Novatum, rectæ fidei et sanctæ doctrinæ

LECTIONES VARIANTES.

[a] Fidens charitatis vestræ benevolentia *Labb.*

[b] Commodare *Labb.*

VARIORUM NOTÆ.

*Epistola* I. *Cornelii papæ.* Baron. aliisque merito suspecta, cum sequenti, quæ non est majoris apud eruditos fidei. LABB. — Sanctum Cornelium plures epistolas scripsisse testatur Hieron. libro *de Scriptor eccles.* in Cornelio, verbis supra allatis. Primam, cujus meminit, cum ipsis Actis conciliorum excidisse refert Baronius anno 255, num. 3. Secundam, cujus ibidem mentionem facit, hanc esse ideoque immerito de fide et auctoritate taxari puto, quæ probatæ fidei testem Hieronymum adepta est, et cujus scripta cum rerum historia conveniunt. Quod vero sanctorum corporum Petri et Pauli e catacumbis translationem Cornelio attribuit, id ex *Libri pontificalis* erroribus in hanc epistolam mendose irrepsisse, probabile esse videtur: nam ea verius primo sæculo paulo post ipsorum passionem accedit, ut testimonio sancti Gregorii pontificis supra demonstratum est. SEVER. BINIUS. — Hoc falsum neque enim quisquilias istas umquam vidit Hieronymus. Translatio sanctorum corporum Petri et Pauli, quando? Novatus quis et qualis? LABB.

*Nec a fructibus.* Sanctus Gregorius Epist. 114, lib. VII. Vide et 49, lib. lib. VIII. LABB.

*Matronæ Lucinæ.* Ado in *Chronico* et in *Martyrologio* iis similia scribit, quæ refelluntur a sancto Gregorio Epist. 30, lib. III, ac Baronio. LABB.

*Levata sunt corpora.* Vide quæ annotavit Severin. Binius in notis ad vitam Cornelii, verbo, *hic temporibus*, etc.

*Tantum enim a nobis.* Sanctus Martinus I, in epist. ad sanctum Amandum. LABB.

*Suscitavit nobis adversarium Novatum.* Novatus fuit Africanæ Ecclesiæ episcopus, qui Felicissimum diaconum et schismaticum Montensium (sic dicti, quod sectarii illius in *monte* convenirent) auctorem, invito Cypriano ordinaverat, et ad schisma conflandum, ejusdem odio et invidia, antesignanus exstiterit: qualis autem fuerit, Cyprianus epist. XLIX his verbis declarat. *De Novato nihil ad nos fuerat nuntiandum, cum magis per nos vobis debeat Novatus ostendi, rerum novarum semper et cupidus, avaritiæ inexplebili rapacitate furibundus*, etc. Sed vacante ad evertendam Romanam Ecclesiam Romam veniens, Novatianum Romanum presbyterum, male in Cornelium vitio am-



Digitized by Google

æmulum, qui extra Ecclesiam ordinavit Novatianum, et in Africa Nicostratum, utrosque hæreticos, sicut ille erat. Hic vero conatibus quibus potuerunt, multos a recta et catholica fide suadentes recedere fecerunt, et post se in perversam et Deo odibilem doctrinam corruere persuaserunt. Sed sicut istorum tergiversationibus nimis sumus contristati, et de eorum perditione contriti, sic de aliorum conversatione, Domino auxiliante, summus lætificati. Deus autem omnipotens, qui tristibus miscet læta, oppido nos lætificavit, quod quidam confessores, qui dudum fuerunt fideles, a nobis et a recta fide, diabolo instigante, se separantes, cum Maximo presbytero ad Ecclesiam catholicam et fidem rectam sunt reversi, et denuo, sicut prius [a], facti sunt confessores fideles. Quapropter, charissimi, hortamur vos et deprecamur per Dominum nostrum Jesum Christum, prædictos hæreticos et omnes quos a recta fide et doctrina apostatare cognoveritis, exhortationibus et bonis studiis vestris ad catholicam fidem et rectam doctrinam convertere contendite, et in Dei voluntate persistere suadete. Et non solum hos, sed omnes qui nondum fidem rectam perceperunt, ad catholicam fidem perducere festinate. *Quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia*, Magistro Gentium docente, *poterit nos separare a charitate Domini nostri Jesu Christi* (*Rom.* VIII), et, quæ in ipso est, a recta fide. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim nobis necessaria est ad colluctationes adversariorum, quatenus fidem intemeratam usque in finem conservantes, repromissionem percipiamus, quam repromisit his qui legitime certare properant. *Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, et non tardabit* (*Abac.* II). *Ecce enim judex ante januam assistit* (*Jacob.* V), coronas hilariter promittens his qui pro eo passionibus submittuntur. *Quod si subtraxerit se quis, non placebit animæ meæ* (*Heb.* X), sed cadet de promissione propter negationem. *Nos autem non sumus subtractionis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ. Propter quod assumite* [b] *armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, adversus* [c] *omnes inimicos sanctæ ecclesiæ et vestros, et induite vos loricam justitiæ, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis, in omnibus assumentes scutum fidei, in quo possitis omnia jacula nequissimi* [d] *ignita exstinguere. Et galeam salutis assumite* [e], *et gladium Spiritus quod est verbum Dei, per omnem orationem et obsecrationem* (*Eph.*, VI), radicati et fundati in solatio fratrum pro Christo Jesu domino nostro. Sed *et nunc*, fratres, *commendamus vos Domino, et* [f] *omnes verbo gratiæ ejus, qui potest perficere, et dare hæreditatem nobis cum omnibus sanctis* (*Act.* XX). *Ipse autem Deus pacis et* [g] *consolationis det vobis idipsum sapere in alterutrum* (*Rom.* XV), ut vobis invicem succurratis, et non sitis divisi, *ut unanimes, uno ore et uno corde honorificetis eum*, in concordiam et consolationem fratrum, *qui potest confirmare vos secundum evangelium ejus, juxta revelationem æterni mysterii, temporibus scilicet perpetuis* (*Rom.* XVI), quibus vobis futurorum gaudiorum largienda sunt munera. Summopere consider re etiam debetis, quod illi qui fratribus invident, eosque damnare atque perdere cupiunt, per se [h] sua dogmata destruunt. Dicit enim Dominus: *Omne regnum in se divisum non stabit*; et omnis scientia et lex adversum se divisa, non stabit. Ideoque necesse est, ut concordialiter salubres suscipiatis hortatus, nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium devotionis unanimes, divinis et apostolicis constitutionibus pareatis. Data septimo [i] idus septembris, Decio et Maximo viris clarissimis consulibus.

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Fuerunt *Labb.*
[b] *Ms. Collegii Paris. Soc. Jesu teste Harduino legit* Arma Dei.
[c] *Id. ms.* Adversus inimicos.
[d] *Id. ms.* Ignea.
[e] *Id. ms.* Accipite.
[f] *In eodem ms. abest* Omnes.
[g] *Id. ms.* Solationis.
[h] *Id. ms.* Pro se.
[i] Octavo *Labb.*

## VARIORUM NOTÆ.

bitionis animatum, acrius in eum impellit, eo quod Cornelius, fratrum suorum consilio, pœnitentes lapsos in Ecclesiam reciperet: cum tamen in Africa Cypriano sacrosanctæ Ecclesiæ communionem a lapsis petitam, ille ad certum tempus differendam esse respondisset. Plura in notis sequentibus. Baronius, anno 254, numero 32. usque ad 41, item numero 59 et quibusdam sequentibus. SEVER. BIN.

*Qui extra Ecclesiam ordinavit Novatianum.* Novatus qui semel in Africa per suos cathedram contra cathedram diro schismate collocarat, ut infelicia germina ipse cum Felicissimo uno ac primo tot infelicium casuum auctore, in transmarinam quoque Ecclesiam propagaret, Romam se contulit, nactus occasionem sedis vacantis, per fraudem multorum animos sibi conciliavit, ut eorum favore, vel ipse, vel saltem aliquis ex sibi faventibus in sede pontificia collocetur, atque ita semel conflatum schisma contra Cyprianum rectius solidetur. Sed cum, Deo volente, Cornelius opinione citius pontifex crearetur, per fraudem ac dolum, gravibus calumniis in Cornelium sparsis, præter multos confessores gloria præclaros, tres episcopos in eumdem concitavit, qui Novatianum clandestine pontificem Romanum electum ordinarunt, et primum schisma Ecclesiæ Romanæ conflarunt. Res gesta describitur a Cypriano epist. XLIX *ad Cornelium*, et LII *ad Antonianum*, secundum editionem Pamel. et constat ex epistola Cornelii *ad Fabium Antiochenum*, quam ex Eusebio nunc primum in hoc tomo conciliorum imprimi curavimus. Baron. prædicto anno numero 65 et sequentibus. SEVER. BIN.

*Multos a recta fide recedere fecerunt.* Romanos clericos in errore adhuc detentos hosce, Maximum, Nicostratum, Urbanum, Sidonium, Macarium, Celerinum, et alios, uno Mose presbytero excepto, in suam sententiam per dolos ac fraudes pellexerunt, ut patet ex prædicta epistola. SEVER BIN.

*Nicostratum.* De eo Cypr. Ep. XLVIII et XLIX. LABB.

*Quia neque mors.* Hæc et sequentia sæpe repetiit Mercator in variis pontificum romanorum epistolis. LABB.

*Decio.* Anno 250 aut seq. LABB.

*Consulibus.* Non sunt in fastis hi consules. LABB.

Digitized by Google

## EPISTOLA II.

### AD RUFUM [a] COEPISCOPUM ORIENTALEM.

ARGUMENTUM. — *Ne sacerdotes Domini, sicut vulgus solet facere, præsumant jurare vel compellantur. 1. Si sacramentum ab episcopis fieri debeat. 2. De causis episcoporum, et ut quidquid adversus absentes agitur, vacuum habeatur.*

### CORNELIUS EPISCOPUS RUFO [b] COEPISCOPO [c] IN DOMINO SALUTEM.

Exigit dilectio tua, frater charissime, ut ex auctoritate Sedis apostolicæ tuis deberemus consultibus respondere. Quod licet non prolixe, sed succincte agere festinaremus, propter quasdam importunitates, quæ nostris præpedientibus peccatis, in nos supervenere, tuis tamen per reliqua sanctorum Patrum instituta studiis perquirere latius et investigare permittimus. Non enim potest mens attrita, et oneribus atque importunitatibus gravata, tantum boni peragere, quantum delectata et oppressionibus soluta. Non ergo ista ob id prætulimus, ut hæc et alia, quæ necessaria fore cognoverimus, tuæ sanctitati velimus denegare : sed quod hic minus invenitur, latius perquiratur.

I. Sacramentum autem hactenus a summis sacerdotibus vel Dei [d] ministris exigi, nisi pro fide recta, minime cognovimus, nec [e] spontaneos jurasse reperimus. Summopere ergo sanctus Jacobus apostolus prohibens sacramentum, loquitur, dicens : *Ante omnia, fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester, est, est, Non, non : ut non sub judicium decidatis* (*Jacob.* v). Et Dominus in Evangelio : *Audistis quia dictum est antiquis : Non pejerabis, reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est : neque per terram, quia scabellum est pedum ejus : neque per Hierosolymam, quia civitas magni regis est : neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester. Est, est, Non, non : quod autem his abundantius est, a malo est*, (*Matth.* v). Id est, ab exigente et a jurante. Hæc, frater charissime, ipse Dominus prohibet, id est, non debere jurare. Hæc Apostoli maxime omnes, hæc sancti viri prædecessores nostri, qui huic sanctæ universali apostolicæ Ecclesiæ præfuerunt ante nos, hæc Prophetæ et reliqui sancti doctores, per universum mundum dispersi ad prædicandum, juramenta fieri vetant. Quorum nos exempla [f] si cœperimus enumerare, aut in schedula hac inserere, ante deficiet hora diei, quam eorum exempla de hac causa prohibita. Quæ nos sequentes, sanctorum Apostolorum, eorumque successorum jura firmamus, et sacramenta incauta fieri prohibemus. Unde et ipse Dominus in tabulis lapideis, quas Mosi dedit, propria manu scripsit, dicens : *Vide ne assumas nomen Domini tui in vanum :* (*Exod.* xx). Et reliqua. Nos autem, ut paulo superius prælibavimus, sacramentum [g] episcopis nescimus oblatum, nec umquam fieri debet : quoniam, ut supra memoratum est, præceptum est a Domino *non jurandum, neque per cœlum, quia thronus Dei est : neque per terram, quia scabellum est pedum ejus : neque per caput suum, quia nullus potest unum capillum creare* (*Matth.* v; *Jacob.* v). Unusquisque enim sicut ante altare stans, Dei timorem habet præ oculis, et propriam conscientiam mundam servat Deo, quod in memoria retinet, nullatenus habet intermittere, quoniam, *os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* i). Et Apostolus ait : *Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra* (*Ephes.* iv). Et alibi : *Nolite mentiri invicem* (*Coloss.* iii).

Hæc sunt præcepta Salvatoris, hæc Prophetarum, hæc sanctorum Patrum instituta. Quæ si quis in vanum duxerit, hostis est animæ suæ : quia nemo contra Prophetas, nemo contra Apostolorum, nemo contra Evangelium facit aliquid absque periculo (*Conc. Carth.* i. *cap.* 13). Et summopere prævidendum est, ne pastorem suum oves, quæ ei commissæ fuerant, reprehendere (nisi a fide exorbitaverit) neque accusare præsumant : quoniam tales accusationes vim non habent, neque eis nocere possunt. *Unum vero, charissimi,* ut ait beatus apostolus Petrus, *Non lateat vos, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut unus dies. Non tardat Dominus promissis* [h], *sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. Adveniet autem dies Domini ut fur, in qua cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur* (II *Petri* iii). Cum hæc igitur

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Rusticum *Alias.*
[b] Rustico *Alias.*
[c] Episcopo *Alias.*
[d] *Ita etiam Gratianus : in cit. ms.* Vel reliquis exigi.
[e] *In cit. ms. et apud Gratianum* Nec sponte eos.
[f] Nos sanctorum sequentes *Alias.*
[g] Nos sacramentum *Alias.*
[h] *Sic ms. q. alia* Promissi, *ut et Græca vulgata Latina* Promissionem.

## VARIORUM NOTÆ.

*Auctoritate sedis.* Greg. *Epist.* 32, lib. xii.

I.—*Sacramentum autem hactenus.* Quando ab episcopis ac reliquis clericis juramentum licite præstetur, vel exigatur, vide canonistas 2. qu. 4, can. *sacramentum hactenus*, de quo prolixe Covarruvias, aliique plures. SEVER. BIN.

*Patrum instituta.* Ep. *ad Oceanum* de Vita clericorum, apud Hieronymum. LABB.

*Reprehendere.* Conc. Rom. V. sub. Symmach. LABB.

Digitized by Google

omnia dissolvenda sint, ex his potestis considerare, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Dei, per quem cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent. « Vos autem, charissimi, dixit Judas apostolus (*In Epistola sua canonica, vers.* 17) memores estote verborum quæ prædicta sunt ab apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum sua desideria ambulantes [a] impietatum. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. Vos autem charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in spiritu sancto orantes, ipsos vos in dilectione Dei servate, exspectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam. Et hos quidem arguite judicatos, illos vero salvate de igne rapientes. Aliis autem miseremini in timore, odientes et eam, quæ carnalis est maculatam tunicam. » Nullus enim sacerdotum causam suam alieno committat judicio, nisi ad Sedem apostolicam fuerit appellatum. Sed unusquisque comprovinciales judices, et notos habeat, nisi aliquam vim temerariæ multitudinis illic timuerit, aut infestos, aut suspectos inibi judices habuerit, pro quibus causis ad majoris auctoritatis judices, et ad alias provincias appellare et venire concessum est.

II. Omnia ergo quæ adversus [b] absentes in omni negotio aut loco aguntur aut judicantur, omnino evacuentur : quoniam absentem nullus addicit, nec ulla lex damnat. Facile ergo homo hominem fallere potest, non tamen Deum, cujus oculis omnia nuda sunt et aperta. Unde ait propheta : *Dominus novit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt* (*Psal.* XCIII). Sapiens ergo non est qui nocet. Nec quidquam mali vult, qui fidelis est, aut cuiquam insidias machinatur. Hortamur, frater, et monemus tuam dilectionem, ut omnes semper, prout melius potueris, adjuves, confortes et consoleris. Et sacramenta, super quibus hanc sanctam Romanam, ac universalem Ecclesiam consulere voluisti, fieri prohibeas, et neminem umquam infestes aut noceas. Hæc, frater, ad reliquorum fratrum notitiam tua faciat sanctitas pervenire, ut omnes hæc mala caveant. Et sicut generaliter tam ab ipso Domino, quam a sanctis et reliquis apostolicis viris, et cæteris Patribus, sunt prohibita, ita generaliter ab omnibus custodiantur. Bene valere beatitudinem tuam semper optamus, et sacris virtutibus proficere te desideramus, frater charissime atque amantissime. Data undecimo kalendas junii, Maximo et Decio viris clarissimis consulibus.

## DECRETUM.

Ex Gratiani (1) decreto desumptum, in prioribus Decretalibus non exstans.

*Ut a jejunis juramenta præstentur.*

Honestum etiam videtur ut qui in sanctis audet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honestate et timore Dei, et ut pueri ante annos quatordecim non cogantur jurare.

### LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic mss. q. editionis Vulgatæ, sic et Græca. Alia* In impietate. *Excusa habent* In impietatibus.

[b] 3 *q.* 6. *Omnia quæ adversus.*

### VARIORUM NOTÆ.

*Nullus.* Amb. Ep. 29 *in decret.* Ivo lib. IV.
*Judices.* Hadr. *coll.* 17. Item 5, 8, 30, 32, etc.
*Damnat.* Conc. Chalced. initio actionis X.
*Deum.* Sixti Sent. 176, et paulo post 292 et 203.
*Ergo non est.* 6. q. 1. *Sapiens non est.* Allegatur tamen ibi sub nomine Lucii papæ successoris Cornelii, ubi etiam habetur.
*Bene valere.* S. Bonif. ep. 8.
*Maximo.* Anno 250 aut. seq.
*Ex Gratiani.* Gratian. 16, 22, q. 5. Verius e *Capitular.* l. I, c. 63. HARDUINUS.

# MONITUM.

Etsi suam habeant propriam peculiaremque collectionem Concilia, nec per se ad nostram veterum Patrum Bibliothecam pertineant, utpote quæ eam jam satis mole sua grandiorem in immensum afferrent, nonnulla tamen obiter inter scripta Patrum inserere oportuit, quoties nempe, qualia sunt ea quæ sequuntur, necessariam habent ac individuam cum operibus Patrum connexionem. EDD.

Digitized by Google

# CONCILIA CARTHAGINENSIA TEMPORE CORNELII I PAPÆ

## IN CAUSA LAPSORUM SUB S. CYPRIANO CELEBRATA.

### ANNO DOMINI CCLI.

### CONCILIUM CARTHAGINENSE SUB CYPRIANO PRIMUM.

(Ex collectione Concilior. edit. Joh. Dominic. Mansi., t. I.)

Carthaginense concilium hoc habitum est Carthagine post Pascha, anno Domini 254 (1), estque Cypriano episcopo auctore convocatum. Initio illius legati, quos Novatianus cum litteris ad Africanam ecclesiam scriptis allegaverat, a Cypriano excommunicantur : Patres autem in synodo congregati litteras eorum, quas ipsi calumniis et mendaciis in sanctum Cornelium plenissimas publice in concilio legi urgebant, schismatis causa ex litteris Cornelii, relatione quorumdam ecclesiæ ejusdem episcoporum Roma revertentium plene cognita, rejiciunt, tamquam indignas quæ in tam sacro sacerdotum conventu legantur et audiantur (*Cyprianus, Epist.* 41, 42 et 55). Felicissimus, schismatis Africani infelix auctor, et quinque illi presbyteri Carthaginenses fidei desertores, ac schismatici sectarii, de quibus Cyprianus (*Epist.* XL), jam ante bis excommunicati, in hoc sacro episcoporum conventu, causam suam acturi adsunt, audiuntur, et demum tertio excommunicantur.

(1) Doctissimus Pagi qui Cornelium summum Pontificatum adeptum statuit an. 251, quarto die junii, hoc primum Carthaginense sub Cypriano concilium incœptum autumat mense maio ejusdem ann. 251, ante Cornelii P. ordinationem et ad mensem augustum usque prorogatum. COLETI.

Id aperte constat ex Epistola Cypriani 52 et 55, item ex litteris synodicis ad Cornelium scriptis, quarum quidem S. Cyprianus, Epist. 42, meminit, sed injuria temporum interciderunt. Decretum est in hoc concilio, ut lapsi pœnitentiam agentes in Ecclesiæ communionem quidem recipiantur ; sed non citra urgentem necessitatem ante satisfactionis tempus impletum admittantur. Hæc Cyprianus Epist. 52, ad Antonianum scribens his verbis significat : « Secundum quod tamen antea fuerat destinatum, persecutione sospita, cum data esset facultas in unum conveniendi, copiosus episcoporum numerus, quos integros et incolumes fides sua et Domini tutela protexit, in unum convenimus : et scripturis diu ex utraque parte prolatis, temperamentum salubri moderatione libravimus, ut nec in totum spes communicationis et pacis lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent, et eo quod sibi Ecclesia clauderetur, secuti sæculum, gentiliter viverent : nec tamen rursus censura evangelica solveretur ut ad communicationem temere prosilirent, sed traheretur diu pœnitentia, et rogaretur dolenter paterna clementia, et examinarentur causæ et voluntates et necessitates singulorum. » Vide Baron. anno Christi 254, num. 83, usque ad 90 exclusive. LABBÆUS.

### ANNO DOMINI CCLII.

### CONCILIUM CARTHAGINENSE SUB CYPRIANO SECUNDUM IN CAUSA SCHISMATICORUM FELICISSIMI ET NOVATIANI.

(Ex collect. Concil. edit. Mansi. t. I.)

Hoc concilium anno Domini 255. Idibus Maii Carthagine in Africa celebratum est, in causa duorum

#### VARIORUM NOTÆ.

*Anno Domini* 255. Anno potius 252, idibus maii, juxta exactiorem Pagi chronologiam, quem consule ad ann. 252, n. 8. COLETI.

*Carthaginense concilium*, etc. Carthaginense quidem, quod primum vocant, concilium sub initia hujus sæculi, dum episcopus Carthagine sedebat Agrippinus, ab Africæ et Numidiæ episcopis de rebaptizandis hæreticis antea fuerat celebratum. De primo autem sub Cypriano Concilio nonnulla exstat mentio mox infra ad initium sequentis epistolæ, quæ quidem epistola ad hoc Concilium, quod dicitur Secundum, pertinet. In qua Synodo secunda Cyprianica edenda, tum in quinque illis, quæ sequuntur, editionem *operum S. Cypriani* Benedictinam, seu Baluzianam, nisi ubi de variata lectione lectorem monui, semper secutus sum, quippe cum eadem a Baluzio post visam ab eo, ut ex notis ejus constat, J. Harduini Conciliorum editionem, adornata fuerit. Mortuus est autem Baluzius, ut supra ostendi ad CORNELII Fragmenta pag. 18. ante editum anno 1727 a Benedictinis monachis Cyprianum octo annos, atque interea prodiit Coustantii opus, qui anno 1721 *Epistolas Pontificum Romanorum* edidit, in quibus duas ex epistolis his Synodicis primam et quintam reposuit. Quod ad aliud quoddam concilium attinet præter septem ista Cyprianica, ad octavum istud duas epistolas Cyprianicas, scil. LXV et LXVI, sive III et I, pertinere censet post alios Emmanuel a Schelstrate, *Eccles. African. Dissert.* III, cap. 1, p. 121. Refragati autem fuerant huic sententiæ tam Pearsonius in *Annalibus Cypr.* quam Fellus ad *Cyprianum* ipsum, dum monent clarissimi præsules, verba, *Collegæ, qui præsentes aderant*, sacram synodum apud Cyprianum semper signare non solere; ac porro solenne fere esse Cypriano in epistolis Synodicis nomina episcoporum apponere, quæ quidem ibi non comparent. Itaque ea qui-

Digitized by Google

schismaticorum, Felicissimi nimirum, et Novatiani, quorum ille omnes omnino lapsos absque pœnitentia mox suscipi debere pertinaciter defendebat. Novatianus vero in alterum extremum minus declinans, neminem eorum qui lapsi essent in Ecclesiam recipiendum esse non minore pertinacia asserebat. Ad hanc ergo controversiam determinandam, auctoritate Cypriani episcopi, quadraginta duo episcopi Africanæ Ecclesiæ congregantur, qui, media via incedentes, definiverunt lapsis reditum ad Ecclesiam postulantibus, pacem et reconciliationem concedendam esse, si impositam sibi pœnitentiam adimplevissent : idque ordinarie observari constituerunt, nisi vel vitæ extremæ periculum imminens, vel instans tyrannorum persecutio, quam futuram esse Spiritus sanctus Cypriano revelaverat, pœnitentiarum injunctarum, aut etiam injungendarum, indulgentiam, relaxationem et dispensationem postularet. Privatus, veterator hæreticus, ut causam suam ageret, ad hanc synodum ipse cum suis introire tentavit quidem, sed quia antea sæpe damnatus fuisset, repulsus est : qua de causa ille, sociis quibusdam collectis, Fortunatum quemdam profugum et absentum, adversus Cyprianum, pseudo-episcopum creat, et postea statim per Felicissimum, et magnam schismaticorum catervam ad Cornelium papam ablegatam, ut schismatis et hæreseos suspicionem averterent, apostolicæ Sedis communionem sollicite admodum appetunt. Verum cum Romam advenissent, et a pontifice Cornelio aliquoties audiri et recipi postulassent, eique contra Cyprianum querelas offerre tentassent, ab eodem protinus rejecti sunt : quippe qui per litteras a Cypriano scriptas, hos schismatis atque hæreseos auctores et propugnatores, profugos et absentes, jam satis cognovisset. Vide Baronium anno 255, num. 5, sequentibus. Synodica epistola ad Cornelium transmissa exstat apud Cyprianum, inter suas 54, quam huc transtulimus commode.

CARTHAGINENSIS, CYPRIANI. (*Ex libello synodico.*)

Συνόδος θεία καὶ ἱερὰ τοπικὴ, καὶ Καρθαγένῃ τῇ Νεαπόλει τῆς Ἀφρικῆς καλουμένῃ, συναθροισθεῖσα ὑπὸ τοῦ ἱερομάρτυρος Κυπριανοῦ, γενομένου αὐτῆς ἐπισκόπου, καὶ ἑτέρων ὀγδοήκοντα τεσσάρων ἐπισκόπων, ἀπομηρύξασα Νάυατον, ὡς τὴν μετανοίαν τοῖς πταίουσι κλείοντα.

Synodus divina et sacra provincialis, Carthagine, nova Africæ civitate dicta, collecta a sacro martyre Cypriano, qui ejus erat episcopus, aliisque octoginta quatuor episcopis : quæ Novatum, utpote pœnitentiam lapsis negantem, abdicavit.

## EPISTOLA SYNODICA

S. CYPRIANI, CARTHAGINENSIS EPISCOPI, ET COLLEGARUM AD S. CORNELIUM PAPAM DE LAPSIS.

ARGUMENTUM. — *Persecutionem imminentem crebris ostensionibus a Deo præmonstrari : idcoque se iis, qui pœnitentiam agere non destiterunt, pacem non differendam censuisse Cornelio episcopi Afri exponunt.*

Cyprianus, Liberalis, Caldonius, Nicomedes, Cæcilius, Junius [a], Marrutius [b], Felix, Successus, Faustinus, Fortunatus, Victor, Saturninus, alius Saturninus, Rogatianus, Tertullus, Lucianus, Eutyches, Amplus, Sattius, Secundinus, alius Saturninus, Aurelius, Priscus, Herculanus, Victoricus, Quintus, Honoratus, Montanus, Hortensianus, Verianus, Iambus, Donatus, Pompeius [c], Polycarpus, Demetrius, alius Donatus, Privatianus, alius Fortunatus, Rogatus et Monulus [d] Cornelio fratri salutem.

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Junius. *Hæc et quæ sequuntur addita ex Pem. Voss. Corb. Lam. Ebor. Lin.*
[b] Marrusclus *Corb.*
[c] Pomponius *Colb.*
[d] Montulus *Colb.*

## VARIORUM NOTÆ.

dem de causa potiore jure inter Synodicas epistolas recensenda foret illa LXII, aliter, IV, *ad Pomponium* de virginibus synisactis, cujus fronti nomina episcoporum, qui aderant, inscripta sunt. Sed in eâ epistolâ contineri rite coactum concilium haud facile dicerem. ROUTH.

EPIST. SYNOD. E concilio scripta est; quod Carthagine anno 252, *idibus maiis*, ut ex epistola sequenti comperimus, habitum fuit. In mss. inscribitur *de lapsis*, quia in illa de decreto, quod in eorum gratiam mox dictum concilium sanxit, disseritur. Cum enim superiore anno in altero Carthaginensi concilio severius quid de lapsis constitutum esset, atque idem decretum Cornelius Romana in synodo firmasset : cur nunc cum iisdem mitius agendum duxerint Afri, Cornelio exponunt. COUSTANT.

*Cyprianus, Liberalis*, etc. Omnes fere libri veteres et omnes veteres editiones præferunt nomina omnium episcoporum. Quare valde miror Pamelium illa omisisse in sua et Rigaltium maluisse ea referre in suis observationibus tamquam rem novam, professus se ea addere ex codice Corbeiensi. Melius Angli, qui ea posuerunt in contextu. Porro inter se in illis scribendis variant vetera exemplaria et veteres editiones. Inutile esset referre varias lectiones. Itaque nos credidimus ea sufficere quæ in codice Thuano, quo Rigaltius quoque usus est, inveniuntur. Cæterum illud quoque admonemus, in uno codice regio desiderari nomina episcoporum et in titulo istius epistolæ scriptum esse simpliciter : *Cyprianus Cornelio fratri salutem.* At in codice sancti Arnulphi legitur : *Cyprianus cum fratribus numero* XLI, *Cornelio fratri salutem.* STEPH. BALUZIUS. Cum in hoc concilio scriptas fuisse sexaginta sex episcoporum ad Fidum litteras, quas, tamquam si concilii Cyprianici tertii fuerint, proxime post subjunxi, idcirco opinatus sit eruditus Cellier, *Hist. générale des auteurs sacrés*, quod eædem litteræ anno 252, non 255, collocari ex sententia sua deberent, hoc est, ante factum decretum de indulgentia lapsis supplicibus concedenda, ideo erratum esse in hoc numero XLI idem vir statuit, nisi pauciores pluresve præsules diversis adfuisse temporibus in concilio censendi sint. Vid. eum in vol. III, pag. 588, et Marani *Vit. Cypriani*, pag. 94. Certe in loco ab eodem Celliero ad pag. 108 excitato, numerum episcoporum, qui in litteris illis ad Fidum comparet, S. Augustinus his verbis confirmavit. *In Epistola autem quam scripsit* (Cyprianus) *ad episcopum Fidum cum*

I. Statueramus quidem pridem [a], frater charissime, participato invicem nobiscum consilio, ut qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario et lapsi fuissent, et sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu pœnitentiam plenam, et si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis [b] acciperent. Nec enim fas erat [c] aut permittebat paterna pietas et divina clementia, Ecclesiam pulsantibus cludi [d], et dolentibus ac deprecantibus spei salutaris subsidium denegari, ut de sæculo recedentes sine communicatione et pace ad Dominum dimitterentur;

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Jam pridem *Vulg. Impr.*
[b] Sub ictum *Corb.*
[c] Veritas erat *Corb.*
[d] Claudi *Impr.*

## VARIORUM NOTÆ.

***sexaginta sex coepiscopis suis a quo fuerat consultus propter circumcisionis legem***, etc. lib. IV, *ad Bonifac.*, cap. 8, tom. X, p. 481. ROUTH.

*Quidem.* In vulgatis, *jam pridem*, quod abest a mss. Corb. In Colbertino autem tantum exstat *pridem*. Hic memoratur quod anno superiore, statim atque *persecutione sopita* pax Ecclesiæ reddita est, ut in epistola XI, n. 6, exponitur, statutum fuerat. COUSTANT. — ***Statueramus quidem jampridem***, etc. Primi istius Concilii sub Cypriano, quod anno superiore, hoc est, anno 251, adversus Felicissimum schismaticum, et in causâ lapsorum fuerat habitum, notitiam colligendam ait Hardulnus in indice tomi I *Conciliorum* ex *Epistola* Cypriani II ad plebem, XLII ad Cornelium, LII ad Antonianum, et LIV et LV ad Cornelium. Numeri epistolarum sunt Pameliani. Porro memorat eamdem synodum his verbis auctor *Synodici* : Σύνοδος ὁσία καὶ ἱερὰ τοπική, ἐν Καρταγένῃ τῇ Νεαπόλει τῆς Ἀφρικῆς καλουμένῃ, συναθροισθεῖσα ὑπὸ τοῦ Κυπριάνου γενομένου αὐτῆς ἐπισκόπου, καὶ ἑτέρων ὀγδοήκοντα τεσσάρων ἐπισκόπων, ἀποκηρύξασα Ναύατον, ὡς τὴν μετανοίαν τοῖς πταίουσι κλείοντα. pag. 10 ed. Argentorat. ROUTH. — Mense maio, cum jam episcopi post paschæ solemnia, quibus apud se cum fratribus demorati sunt, Carthaginem se contulissent, habitum est concilium Carthaginense II et quidem idibus maiis, ut clare patet ex Epist. Cypriani quinquagesima nona, in qua et hujus meminit, et alterius etiam quod anno priore celebratum est. In hac autem synodo relaxatio quædam facta est decreti quod in superiori constitutum est; quod lapsi scilicet agerent diu pœnitentiam plenam, etsi periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent. Loco igitur illius decreti aliud in hunc modum condiderunt. *Eis qui de ecclesia Domini non recesserunt, sed pœnitentiam agere et lamentari, ac Dominum deprecari a primo lapsus sui die non destiterunt, pacem dandam esse.* Quod synodus tunc censuit, non tantum ut Ἐπιείκειαν Lapsis vere pœnitentibus præstarent, sed necessitate cogente; quia crebris atque assiduis ostentionibus admonebantur, diem alterius persecutionis jam appropinquare cœpisse : unde lapsos vere pœnitentes ad prælium, quod tum imminebat, armari et instrui oportere putabant. Facto hoc decreto, synodica epistola missa est ad S. Cornelium Romæ episcopum, quæ est LVII in qua et decretum ipsum ponitur, et rationibus multis asseritur atque defenditur. Scripsit etiam Cyprianus de omnium collegarum concilio, misitque Cornelio nomina episcoporum qui integri et sani in ecclesia catholica tunc fratribus præfuerunt, ut ipse et collegæ scirent quibus scribere, et litteras mutuo a quibus eos accipere oporteret. In *Annal. Cyprian.* ad an. 252, sect. VII. PEARSON.

*Agerent diu pœnitentiam plenam.* Non recipiendi ante tempus quod præscribebatur expletum, nisi sub ictu mortis. Sic Fellus quidem. Anglicus vero S. Cypriani interpres, cl. Marshallus, de transitu per omnes pœnitentiæ stationes *pœnitentiam plenam* exponit. Sed dubium videtur, an istæ stationes tum temporis ubique in ecclesia bene notæ ac distinctæ fuerint. Porro quid sit Cypriano aliisque auctoribus *plena pœnitentia* disputans Albaspinæus *de Vet. Eccles. Ritibus*, lib II, c. 30, ex hoc ipso loco recte fortasse colligit, non eam esse, quæ tempore definito, sed quæ indiciis, id est, lacrymis, fletibus, jejuniis, animi dolorem patefaciat. Et in Epist. XXVIII, al. XXXIII, Cyprianum video ita scribentem, *ut vera pœnitentia et gemitu et dolore pleno Dominum deprecentur.* Aliquod tamen tempus pœnitentiæ olim præfinitum fuisse, verba epistolæ, quam proxime post attuli, satis ostendunt; ut ante legitimum et plenum tempus satisfactionis... pax ei concederetur, p. 74. De alia autem re quadam haud pariter consentientem me habet doctus ille Albaspinæus. Statuit enim lib. II, cap. 12, et alibi, pœnitentiam istam ad vitæ etiam exitum fuisse productam, et non nisi ipso mortis obeundæ tempore absolutos fuisse lapsos, cum ante Cypriani atque Cornelii decretum in perpetuum excommunicationis vinculo lapsi constricti fuissent; ita ut ne ipsa quidem in morte expedirentur, aut absolutione fruerentur. At vero, an adeo severa fuerit ante istæc tempora universæ ecclesiæ praxis seu consuetudo, quidquid durius nonnulli tum statuerint, merito dubites; nec porro pœnitentiam lapsorum ad vitæ extremum usque diem etiam a Cypriano fuisse productam, argumenta Albaspinæi ad probandum idonea mihi videbantur, contra vero id satis confutari hac ipsa epistola, atque præclara illa ad Antonianum, existimabam. Etenim diu ante Cyprianum, ut supra ex verbis Lugdunensium et Viennensium vol. I, p. 330, ostendi, dissidia super communicatione lapsorum orta sunt, aliis severius, aliis lenius, in hac re agentibus. Immo, monente Pearsonio, *Vindic. Ignat.* part. II, cap. 8, quem vidi, postquam hæc et reliqua omnia huc pertinentia scripseram, contra Albaspinæum de hac ipsa re disputantem, constat, Dionysium Corinthiorum episcopum omnes per pœnitentiam vel gravissimo crimine oneratos suscipiendos esse docuisse. Nam in *Epistola ad Amastrianos*, teste Euseb. lib. IV, cap. 25, vel ad pag., vol. mei I, p. 171, Πολλὰ περὶ γάμου καὶ ἁγνείας τοῖς αὐτοῖς παραινεῖ, καὶ τοὺς ἐξ οἵας δ' οὖν ἀποπτωσίως, εἴτε πλημμελείας, εἴτε μὴν αἱρετικῆς πλάνης ἐπιστρέφοντας, δέξιοῦσθαι προστάττει. Porro, quis fuerit Ecclesiæ usus et consuetudo in lapsis tractandis, expositum est in Cypriani Epistola XI, al. XV, quam quidem, antequam ipse et collegæ ejus quidquam de hac re statuissent, scriptam esse novimus. *Audio*, inquit, *quosdam de presbyteris nec Evangelii memores, nec quid ad nos martyres scripserint, cogitantes, nec episcopo honorem sacerdotii sui et cathedræ reservantes, jam cum lapsis communicare cœpisse, et offerre pro illis, et eucharistiam dare*, quando oporteat ad hæc per ordinem perveniri. *Nam cum in minoribus delictis quæ non in Deum committuntur, pœnitentia agatur justo tempore et exomologesis fiat, inspecta vita ejus qui agit pœnitentiam, nec ad communicationem venire quis possit, nisi prius illi ab episcopo et clero manus fuerit imposita, quanto magis* in his gravissimis et extremis delictis *caute omnia et moderate secundum disciplinam Domini observari oportet?* Confer et Epist. X, al. XVI, ubi hæc sunt:.... *illi contra Evangelii legem.... ante actam pœnitentiam, ante exomologesin gravissimi atque extremi delicti* (solemnem et publicam, exponente Fello) *factam, ante manum ab episcopo et clero in pœnitentiam impositam, offerre pro illis et eucharistiam dare,*

Digitized by Google

quando permiserit ipse [a] et legem dederit [b], ut ligata in terris, et in cœlis ligata essent (*Matt.* XVI, 19), solvi autem possent illic, quæ prius in Ecclesia solverentur. Sed enim [c] cum videamus diem rursus alterius infestationis appropinquare cœpisse, et crebris atque assiduis ostentionibus admoneamur, ut ad certamen quod nobis hostis indicit [d], armati et parati simus; plebem etiam nobis de divina dignatione commissam exhortationibus nostris paremus [e], et omnes omnino milites Christi, qui arma desiderant, et prælium flagitant, intra castra dominica [f] colligamus: necessitate cogente censuimus, eis qui de Ecclesia Domini non recesserunt, et pœnitentiam [g] agere et lamentari ac Dominum deprecari a primo lapsus sui die non destiterunt, pacem dandam esse; et eos ad prælium, quod imminet, armari et instrui oportere.

II. Obtemperandum est namque ostensionibus atque admonitionibus justis, ut a pastoribus oves in periculo [h] non deserantur; sed grex omnis in unum congregetur, et exercitus Domini ad certamen militiæ cœlestis armetur. Merito enim trahebatur dolentium pœnitentia tempore longiore, ut infirmis in exitu subveniretur, quamdiu quies et tranquillitas aderat, quæ differre diu plangentium lacrymas, et subvenire sero morientibus in infirmitate pateretur. At vero nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est: nec morientibus, sed viventibus communicatio a nobis danda est: ut quos excitamus et hortamur ad prælium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione sanguinis et corporis Christi muniamus [i]: et cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela; quos tutos esse contra adversarium volumus [j], munimento dominicæ saturitatis armemus. Nam quomodo docemus aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus?

III. Interesse debet, frater charissime, inter eos qui vel apostataverunt, et ad sæculum cui renuntiaverant reversi, gentiliter vivunt; vel ad hæreticos transfugæ facti, contra Ecclesiam parricidalia quotidie arma suscipiunt: et inter eos qui ab Ecclesiæ

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Promiserit ipse et legem *Bod.* 1, 2. *NC.* 1, 2. *Ebor. Lin. Vict. Ver. Benev.*
[b] *Sic Bod.* 1, 2. *Ebor. Lin. NC.* 1, 2. *Ver.* Qui legem dedit *Oxon. Lips.*
[c] Sed cum *Foss. Vict.*
[d] Inducit *Bod.* 3.
[e] Præparamus *Bod.* 1. *Foss. Vict.*
[f] *Sic Pem. Ben. Voss.* 2. *Lam. Ebor. Bod.* 3. *Lin. NC.* 1, 2. *Thu. Foss. Vict. Mich.* Domini *Impr.*
[g] Sed pœnitentiam *Oxon.*
[h] In periculum *Thu.* Pastore oves in periculo *Bod.* 2. *Lam.*
[i] Nominis Christi *Lam. NC.* 2.
[j] *Sic Lam. Pem. Bod.* 1, 2. Voluimus *Oxon.*

## VARIORUM NOTÆ.

*id est, sanctum Domini corpus profanare* audent. Hæc profecto non solum demonstrant, in morte subvenire solitum esse lapsis ante Cypriani tempora, quod negat Albaspinæus, verum etiam probare videntur, moris fuisse eos absolvere pœnitentia completa. Palam autem est, ipso eodem judice viro docto, nihil durius a Cypriano postea cum lapsis actum fuisse, quam mos antea tulisset. ROUTH.

*Permiserit ipse qui legem dedit. Promiserit ipse et legem dederit*, plurimi mss. a Fello et Constantio memorati, quod etiam in textum recepit Constantius. Cæterum notat cl. Marshallus, Anglicus interpres, exponendum esse ex Cypriani saltem sententia de censuris ecclesiasticis ipsarumque relaxatione *S. Matthæi* locum. ROUTH.

*Diem rursus alterius infestationis.* Lapsis in persecutione Deciana, reditum in ecclesiam importune urgentibus, Ep. XIX respondit Cyprianus, *tempus ipsum plus quam peterent largiri*, quodque, *qui differri non potest, potest coronari*: quæ multum videntur distare ab iis quæ hic dicuntur de pace lapsis necessaria; frustra *doceri et provocari in confessione nominis sanguinem fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegemus.* Sed optime cohærent utrobique dicta. Primo aliter se habuit lapsorum status durante persecutione Deciana, et ipsa cessante. Nam qui in judicium vocatus mendacio se defendebat, erat fortasse obstrictus eo ipso in loco, coram iisdem judicibus, et circumstante populo crimen retractare, et publice verum proliteri: quod finita cognitione præstare minus tenebatur. Et ideo lapsus ad duras istas conditiones non erat etiamnum adigendus, ad quas dum prælium adhuc gerebatur cogi debebat. Secundo, in difficillimo lapsorum casu nihil erat ex privatis auspiciis innovandum; et ideo fas non fuit ex arbitrio singularis episcopi lapsos admittere; sed postquam ex concilii decreto pax iis erat concessa, nihil prohibebat temporis moram, interveniente utique concilii auctoritate, ob causam etiam *idoneam*, exspectatam scilicet persecutionem, aliquantum contrahi. Tertio, lapsi jam per idoneum temporis decursum in pœnitentia positi, sui specimina fecerunt, quod prius non fecissent. Porro notandum, quod lapsorum commoda cedere debebant utilitati ecclesiæ; et utcumque optandum fuerit illis dominica saturitate perfrui, et ita ad passionem armari; hæc in considerationem non veniebant donec disciplinæ ecclesiasticæ, per pœnas in delinquentes irrogatas, fuisset satisfactum. Immo lapsorum commodis tam crudo et importuno tempore non conduceret ut *mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam sceleris suum faucibus, et funesta contagia redolentibus, Domini corpus invaderent.* Verba sunt Cypriani lib. de Lapsis. Sed expectandum, et ut I Cor. XI, 28, jubet Apostolus, *homo se probet, et sic de pane edat et de calice bibat.* FELLUS.

*Crebris atque assiduis ostentionibus.* Sub finem Epistolæ: *Hoc nobis divinitus frequenter ostenditur.* Idem commemorat Epistola ad Thibaritanos, quos etiam de persecutione gravissima admonet. RIGALTIUS.

*Infirmis.* Erasmus addidit, *si qui essent.* Quod in nullo eorum veterum exemplarium quibus utor reperi, neque in aliis editionibus. BALUZIUS.

*Protectione sanguinis et corporis Christi.* In sequentibus docet, *Eucharistia recepta fideles erigi et accendi.* Jure id quidem. Nam a convivio Dominico, memores Dominici sanguinis, sumpto sacramento, quemadmodum suprema illa nocte præceperat Dominus, ut conjurati prodibant alacres, mortemque fortiter oppetebant quam Dominus pro ipsorum salute obierat. RIGALTIUS.

Si verum sanguinem pro Christo a Martyribus

Digitized by Google

limine non recedentes, et implorantes jugiter ac dolenter divina et paterna solatia, nunc se ad pugnam paratos esse, et pro Domini sui nomine, ac pro sua salute stare fortiter et pugnare profitentur. Hoc in tempore pacem nos non dormientibus, sed vigilantibus damus; pacem non deliciis, sed armis damus; pacem non ad quietem, sed ad aciem damus. Si, secundum quod eos audimus et optamus et credimus, fortiter steterint, et adversarium nobiscum in congressione prostraverint, non pœnitet pacem concessisse tam fortibus, immo episcopatus nostri honor grandis et gloria est, pacem dedisse martyribus, ut sacerdotes, qui sacrificia Dei [a] quotidie celebramus, hostias Deo et victimas præparemus. Si autem, quod Dominus avertat a fratribus nostris, aliquis lapsorum fefellerit, ut pacem subdole petat, et impendentis prælii tempore communicationem non præliaturus accipiat; se ipsum fallit et decipit, qui aliud corde occultat, et aliud voce pronuntiat. Nos, in quantum nobis et videre et judicare conceditur, faciem singulorum videmus; cor scrutari, et mentem perspicere non possumus. De his judicat occultorum scrutator et cognitor cito venturus, et de arcanis cordis atque abditis judicaturus. Obesse autem mali bonis non debent, sed magis mali a bonis adjuvari. Nec ideo martyrium facturis pax neganda est, quia sunt quidam negaturi; cum propter hoc pax danda [b] sit omnibus militaturis, ne per ignorantiam nostram ille incipiat præteriri, qui habet in prælio coronari.

IV. Nec quisquam dicat, qui martyrium tollit, sanguine suo baptizatur: nec pax illi ab episcopo necessaria est, habituro gloriæ suæ pacem, et accepturo majorem de Domini dignatione mercedem. Primo idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium: et mens deficit, quam non recepta [c] Eucharistia erigit et accendit [d]. Dominus enim in Evangelio suo dicit: *Cum autem vos tradiderint, nolite cogitare* [e] *quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* x, 19). Quando autem dicat in

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Sacrificia Deo *Corb.*
[b] Pax donata *Bod.* 3.
[c] Quam non accepta *Lam.*
[d] Erigit et accingit *Lin. NC.* 2.
[e] Nolite cogitare quomodo aut quid *Lam. Ebor. Bod.* 2.

## VARIORUM NOTÆ.

fundi nemo neget; verum Christi sanguinem iisdem Martyribus propinatum hic a Cypriano prædicari cur negetur? Constant.

*Ac dolenter.* Hæc desunt in quatuor antiquis exemplaribus. In meo legitur *dolentes*. Sic etiam codex sancti Arnulphi. Baluzius.

*Et optamus et credimus.* Hæc quidem habentur in septem codicibus antiquis. Sed desunt in aliis octo. Erasmus primus posuit. Nam desiderantur in antiquis editionibus. Baluzius. Primus *Morellius*, teste Pamelio, verba hæc addidit. Neque enim *Erasmus* neque etiam *Manutius* ea exhibuerant. *Editio Romana* anni 1471, cujus exemplar penes me est, habet, nec male, *audivimus* pro *audimus*. Routh.

*Sacrificia Dei. Sacrificium Deo ms.* noster. Harduin. *Sacrificia Dei;* ita certe habet codex Corbeiensis. Et tamen Rigaltius annotat in illo scriptum esse *Deo* Baluzius. Designatur ab Harduino ms. Bibliothecæ Jesuitarum Collegii Ludovici M. Parisiis. Routh. — *Quotidie celebramus.* In libro *de Oratione Dominica*, pag. 209: *Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus.* Tertullianus, lib. II ad Uxorem: *Nesciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes; et si sciverit panem, non illum credit esse qui dicitur.* Vide cap. *Quotidie* apud Gratianum dist. 2 de Consecratione. Baluzius.

*Qui martyrium tollit.* Sic Luc. IX, 23, ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ. Rigaltius ait, qui dignatione divina martyrium obtinet; martyrium tollit, ut infra, *arma tollentes*. Fellus.

*Sanguine suo baptizatur.* Cavendum ne istud inficiari Cyprianus putetur. Nam et postea epist. LXXIII, ad Jubianum scripsit, catechumenos fidei causa mortem subeuntes *nec privari Baptismi sacramento, utpote qui baptizentur gloriosimo et maximo sanguinis Baptismo... sanguine autem suo baptizatos et passione sanctificatos consummari, et divinæ pollicitationis gratiam consequi.* Antea *qui martyrium tollit*, id est qui martyrii palmam reportat. Ut autem subnexa cum his cohærere intelligatur, recolendum est Eucharistiæ perceptione non carnem nudam, sed carnem vivam ac spiritu Christi animatam recipi, adeoque corpus Christi percipientes, simul spiritum ejus recipere. Ita etsi caro per se non prodest quidquam, multum tamen prodest, quia secum habet spiritum qui vivificat. Constant. — *Sanguine suo baptizatur*, Rigaltius ait. *Tota paradisi clavis, sanguis tuus est*, inquit Tertull. vid. Epist. LVIII. (al. LVI). Fellus. Epist. LXXIII, pag. 136, *Utpote qui baptizentur gloriosissimo et maximo sanguinis Baptismo.* Et mox addit sanguine suo baptizatos et passione sanctificatos consummari et divinæ pollicitationis gratiam consequi. Vide Tertullianum in libro *de Baptismo* et in libro *de Pudicitia*. Passio sanctarum Perpetuæ et Felicitatis, *a sanguine ab obstretice ad retiarium latura post partum Baptismo secundo.* Vide dissertationem 13 Henrici Dodwelli, quæ est de secundo martyrii Baptismo. Baluzius.

*Idoneus esse non potest.* Ista in speciem pugnare videntur cum his quæ idem præsul, cum nonnullos præpropere et importune pacem et communionem postulare a presbyteris ac diaconis suis didicisset, Epist. XIV, rescripsit: *Qui si nimium properant, habent in sua potestate quod postulant, tempore quod postulant largiente. Acies adhuc geritur, et agon quotidie celebratur: si commissi vere et firmiter pœnitet, et fidei calor prævalet, qui differri non potest, potest coronari.* Verum hic non omnem iis, quibus Eucharistiæ perceptio non conceditur, martyrii subeundi potestatem, sed facilem tantum et expeditam qua paratiores fiant, negari inde conficitur. Neque etiam his in locis secum pugnare vigilantissimus pastor censendus est, sed diversa diversis temporibus remedia sapienter adhibere. Cum pœnitentibus communionem differri volebat, in id unum intendebat, ne lapsis omnino necessarium probatæ pœnitentiæ remedium cum multorum exitio sperneretur. Nunc vero ubi Eucharistiam concedit, eo spectat ut persecutione sævissima imminente, potentissimo ejus præsidio armati milites Christi fortiter certare et inimicis fidei invictis animis resistere tutius valeant. Denique ubi ait: *Habent in sua potestate quod postulant*, ibi *adjuvante Domino* supplendum esse manifestum est ex his libri ipsius de Mortalitate: *Non est in tua potestate, sed in Dei dignatione martyrium.* Imo etiam ubi de eo,

Digitized by Google

traditis atque in confessione nominis [a] constitutis Spiritum Patris loqui : quomodo potest ad confessionem paratus aut idoneus inveniri, qui non prius pace accepta receperit Spiritum Patris, qui corroboratis servos suos ipse loquitur et confitetur in nobis? Tunc deinde si relictis omnibus rebus suis fugerit, et in latebris atque in solitudine constitutus in latrones forte incurrerit, aut in febribus et in languore decesserit; nonne nobis imputabitur, quod tam bonus miles, qui omnia sua dereliquit, et contempta domo, et parentibus, aut liberis, sequi Dominum suum maluit, sine pace et sine communicatione decedit [b]? Nonne nobis vel negligentia segnis vel duritia crudelis adscribetur in die judicii; quod pastores creditas et commissas nobis oves nec curare in pace, nec in acie voluerimus armare? Nonne ingeretur nobis a Domino quod per Prophetam suum clamat et dicit: *Etce lac consumitis, et lanis vos tegitis, et quod crassum est interficitis, et oves meas non pascitis; quod infirmatum est* [c] *non confortastis, et quod malè habuit non corroborastis, et quod contribulatum est non consolati estis* (*Ezech.* XXXIV, 3, etc.), *et* [d] *quod errabat non revocastis, et quod periit non inquisistis, et quod forte fuit, confecistis labore: et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non sint pastores, et factæ sunt in comesturam* [e] *omnibus bestiis agri : et non fuit qui inquireret, neque qui revocaret. Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego super pastores, et inquiram oves meas de manibus eorum, et avertam eos ut non pascant* [f] *oves meas et jam non pascent eas, et extraham oves meas,* [g] *de ore eorum, et pascam eas cum judicio* (*Ibid.* 10, etc.).

V. Ne igitur ore nostro, quo pacem negamus, quo duritiam magis humanæ crudelitatis [h], quam divinæ et paternæ [i] pietatis opponimus, oves nobis commissæ a Domino reposcantur: placuit nobis, sancto Spiritu suggerente, et Domino per visiones multas et manifestas admonente, quia hostis nobis imminere [j] prænuntiatur et ostenditur, colligere intra castra milites Christi, et examinatis singulorum causis, pacem lapsis dare, immo pugnaturis arma suggerere : quod credimus vobis quoque paternæ misericordiæ contemplatione placiturum. Quod si de collegis aliquis exstiterit, qui urgente certamine, pacem fratribus et sororibus non putat dandam, reddet ille rationem in die judicii Domino vel importunæ censuræ, vel inhumanæ duritiæ suæ. Nos, quod fidei et charitati et sollicitudini congruebat, quæ erant in conscientia

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Confessione sui nominis *NC.* 2.
[b] Communicatione discedit *Lam.* Decidit *Foss. Vict.*
[c] *Sic Ver.* Quod contritum *Ben. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1.
[d] Consolidati *Oxon.*
[e] Comestionibus *Lamb.* In deprædatione *Corb.*
[f] Ut non pascam eas, et extraham oves *Lam.*
[g] De manibus *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[h] Inhumanæ crudelitatis *Pem.*
[i] Quam dulcedini divinæ *NC.* 2.
[j] Ut quia hostes *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *Lin. NC.* 1, 2.

## VARIORUM NOTÆ.

qui communionem differri sibi ægre patitur, ait: *Qui differri non potest, potest coronari*, caute præmittit, *si fidei calor prævalet*. COUSTANT.

*In confessione nominis*. Uno ms. hic additur *sui :* quod alienum non est a mente Cypriani, sed ab ejus usu. Ipsi nempe familiare est Dei seu Christi confessionem simpliciter *confessionem nominis* appellare, ut in epistolam XIII, nota penultima probaturi sumus. COUSTANT.

*Decedit*. Corb. ms. a secunda manu cum uno Anglic. *discedit*. Existimandus non est Cyprianus de horum salute dubius et anceps exstitisse. Mentem suam ea de re Epist. LVI, seu 58, aperit his verbis : *Etsi fugientem in solitudine ac montibus latro oppresserit, fera invaserit, fames aut sitis aut frigus afflixerit, vel per maria navigantem tempestas ac procella submerserit : spectat militem suum Christus ubicumque pugnantem, et persecutionis causa pro nominis sui honore morienti præmium reddit, quod daturum se in persecutione promisit. Nec minor est martyrii gloria non publice et inter multos perisse, cum pereundi causa sit propter Christum perire.* At quemadmodum culpandi essent fideles, si non omnem dedissent operam, ut hinc non sine viatico tam necessario migrarent; ita et pastores, si illi eorum negligentia tanto munere privati fuissent. COUSTANT.

*Consolati estis. Quod contribulatum est non consolidastis*. Librarii vocem hanc in vulgari tribulationis sive ærumnæ notatione intelligebant; et ideo consolationem melius respondere crediderunt; contra sacri textus mentem. LXX, legunt κατεδήσατε. Colligastis *Tertul.* FELLUS. Fellinam edit. secutus sum, in qua sic restitutum est ex *scriptis*, opinor, *codicibus* pro *non consolati estis*, quod habent *impressi*. Harduinus notavit, ms. Societatis suæ exhibere *non consolati estis*, sed memoravit Baluzius in *codice Sorbonico* scriptum esse *non consolidati estis*. Vulgata Interp. habet, *quod confractum est, non reduxistis*. ROUTH.

*Comesturam*. Codex Remigianus *comestionem*, Corbiensis *deprædatione*, Turonensis *de prædicatione*. BALUZIUS. Vulgata habet, *in devorationem*. ROUTH.

*Et jam non pascent eas*. Hæc desunt in antiquis editionibus et in novem libris antiquis. Defuisse etiam in tribus a se visis testatur Pamelius. BALUZIUS. Sed verba agnoscunt LXX. Vulgata habet post cod. Hebræum, *nec pascant amplius pastores semetipsos*. ROUTH.

*Pascam eas cum judicio*. Βοσκήσω αὐτὰ μετὰ κρίματος. Hæc desumpta sunt ex versu 16. Ipse Deus singulis ovibus, pascua sua designabit. FELLUS.

*Duritiam magis humanæ crudelitatis*. Ipse Epist. LX. *Magis philosophiæ secularis pravitate durus, quam philosophiæ Dominicæ lenitate pacificus*. Pacianus Epist. II, dixit, *Inobsecrabilem asperitatem, cui opponit gratuita Domini bona, et cœlestis clementiæ titulos*. RIGALTIUS.

*Paternæ pietatis*. Erasmus edidit, *paternæ pietatis dulcedinem opponimus*. Verum vocem *dulcedinem* ego nuspiam reperi in libris antiquis. BALUZIUS. Cum vero constet ex Var. Lectt. in edit. Oxon. positis habere *Codicem Coll. Nov.* 2, *quam dulcedini divinæ*, pro *quam divinæ*, vocem *dulcedinem* ante *divinæ* addendam esse censeo. ROUTH.

*Nobis imminere*. Pronomen *nobis* ex *edd.* ante Baluzianam, seu Benedictinam, revocavi; similiterque particulam *et* ante *examinatis*. ROUTH.

*Vobis quoque*. Cornelio Romanisque suis. ROUTH.

*Quod si de collegis aliquis*. Quamquam in synodo

Digitized by Google

nostra protulimus, diem certaminis appropinquasse, hostem violentum cito contra nos exsurgere, et pugnam [a] non talem qualis fuit, sed graviorem multo et acriorem venire; hoc nobis divinitus frequenter [b] ostendi; de hoc nos providentia et misericordia Domini sæpius admoneri [c]: de cujus ope et pietate, qui in eum confidimus, possumus esse securi, quia qui in pace militibus suis futuram prænuntiat pugnam, dabit militantibus in congressione victoriam. Optamus te, frater charissime, semper bene valere.

### LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic Bod.* 1. *Voss.* 2. Et *omiser. alii.*
[b] Hoc nobis scimus divinitus frequenter ostendi *Pelh. Bod.* 1, 2. *NC.* 1.
[c] *Sic Lin. Ebor. Lam. NC.* 1, 2. Admonemur *alii, impr.*

### VARIORUM NOTÆ.

convenerit lapsis ob ingruentem persecutionem pacem maturius dandam esse, tamen cum penes episcopum erat judicare de lapsi pœnitentia, res hæc in ejus arbitrio usque permansit. Aut fortassis respicit episcopos eos, ad quos provinciæ Africæ synodi decreta non pertinebant. FELLUS.

*Graviorem multo.* Certe Cypriano erat gravior; qui post exilii tædia, tandem hac persecutione capite plectebatur. Sed Prophetæ, visorum suorum non semper fidi interpretes. Donum prophetias interpretandi, prorsus erat distinctum a prophetiæ charismate. Vid. I Cor. 1, 10, FELLUS. Cornelio quidem gravior fuit hæc Galli vexatio, ut Fellum corrigens Anglicus ait interpres, non Cypriano, qui Valeriano Imp. nonnullis post annis martyrium passurus erat. ROUTH.

*Ostendi.... admoneri.* In aliquot mss. post *nobis* additur *scimus* opera librarii, qui verbum sequens *ostendi* ad superius *protulimus* referendum esse non animadvertit. In vulgatis autem mox obtinet *ostenditur*, pro *ostendi*, et subinde *admonent* pro *admoniti*. Optimæ notæ codex Colb. cui et Corb. alique favent, sinceram lectionem asservavit. COUSTANT. Quem quidem virum eruditum hoc loco secutus sum. *Edit. Benedictina* habet *ostenditur* et *admonemus*. *Edit. Oxon. ostenditur* et *admonent*. Sed diu ante Coustantium in *Manutiana edit.* duo isti infinitivi exstiterant *ostendi* et *admoneri*. ROUTH.

## CIRCA ANNOS CHRISTI CCL-CCLXX.

# NOVATIANUS

## PRESBYTER ROMANUS.

## DISSERTATIO PROŒMIALIS.

AUCTORE D. GOTHOFR. LUMPER O. S. B.

### CAPUT PRIMUM.

#### EJUS VITÆ HISTORIA.

#### ARTICULUS UNICUS.

Novatianorum hæresim Novatus et Novatianus condiderunt. Hos confundunt et in unum miscent Eusebius (1), sanctus Epiphanius (2), Socrates, Sozomenus (3), Theodoretus (4), Photius (5); aperte distinguunt sanctus Cornelius (6), S. Cyprianus (7), S. Pacianus (8), S. Hieronymus (9), et Auctor Ano-

(1) Euseb. H. E., lib. VI, cap. 33; libro VII, cap. 8, pag. 287, legitur Νοουατίανῳ.
(2) Epiphan. *Hæres.* 39.
(3) Sozomen., lib. II, H. E., cap. 8, pag. 96, scribit etiam Νοουατίανος.
(4) Theodoret., *Hæretic. Fabular.* lib. III, cap. 5, pag. 228, tom. IV.
(5) Phot. *cod.* 128 et 280.
(6) Cornel. in Ep. *ad Fab. Antioch.* et in Ep. *ad S. Cyprian.*
(7) S. Cyprian, passim.
(8) S. Pacian. Et *ad Sympronian.*
(9) S. Hieronym. *de Vir. Illustr.*, cap. 70.

Digitized by Google

nymus operis adversus Novatianum falso divo Cypriano adscripti in appendice operum D. Cypriani Baluzianæ editionis pag. 7, et seqq.

Hanc scriptorum apparentem contradictionem ut tollerent Eruditi duplicem hucusque iniverunt viam. Alii potiores tribuunt partes Latinis, atque exinde inferunt, Græcos hallucinatos fuisse. Ita censent Henricus Valesius (1), Petavius (2), Ruinartius (3), Caveus (4), et Fabricius (5), quibus omnes prope reliqui scriptores assentiunt. Aliis e contra e diametro opposita placet opinio, existimantque Græcos longe melius veriusque conservasse verum hujus viri nomen. Nemo autem doctius, operosiusque hoc demonstrare conatus est, quam Lardnerus in singulari dissertatione, quæ in *Credibility of the vol.* 9, G. H. part. II, pag. 365, impressa habetur. Cum vero hæc sententia Lardneri non solum criticis hactenus inaudita, sed exquisite quoque concepta, atque illustrandis veterum scriptis ut plurimum accommodata sit, haud ingratum nostris lectoribus fore arbitramur, si laudatæ dissertationis argumenta hic summatim cum Cl. Walchii subjunctis animadversionibus (6) adducamus.

II. Sunt autem hæc : 1° Omnes græci Scriptores illum *Novatum* nominant. Eo magis illis fides habenda est, quod Eusebius litteris authenticis Cornelii et Dionysii Alexandrini usus fuerit, partemque illarum posterorum memoriæ conservarit; Socrati vero et Sozomeno cum Novatianis indubia consuetudo fuerit.

2° Manifesto falsum est, omnes latinos Scriptores illum appellasse *Novatianum*. Certe Rufinus sua in versione Historiæ Ecclesiasticæ Eusebii eumdem constanter *Novatum* vocavit. In Romana operum D. Ambrosii editione, habetur, libr. I de Pœnitentia, cap. 3, nomen *Novati*, quod quidem Benedictini editores suis in notis, tom. II op. pag. 393, reprehendunt; sed enimvero haud verisimile est, editorem Romanum temere, nulliusque manuscripti auctoritate nixum, illam lectionem secutum fuisse. In Hilarii fragmentis, pag. 1320, editionis Maurinæ legitur *Novatus*. Hieronymus quoque comment. in Joel, tom. III opp., pag. 1358, in Amos, pag. 1407, Epistol. XXXVIII, tom. IV, pag. 307, Epist. LVI, pag. 586, Epist. LXXXIV, pag. 659, editionis Martianæi *Novatum* appellat, ubi manifeste de presbytero Romano sermonem instituit : Insuper Philastrius de Hæresibus cap. 84; Augustinus de hæresibus, cap. 38, de utilitate jejunii, cap. 9, § 11, Contra Cresconium, lib. II, cap. 1. Rufinus in Exposit. Symboli, in quinto Tomo opp. Hieronymi, p. 130; Pelagius ibid., p. 1015, eumdem *Novatum* nominant.

3° Nomen sectæ juxta grammaticam originem habet non a *Novatiano* : sed potius a *Novato*, quam observationem S. Augustinus in ultimo supra adducto loco confirmat; cui tamen alii in hoc, quemadmodum infra dicemus, contradicunt.

4° Nominis *Novati* frequens apud antiquos fit mentio, illudque notissimum; Novatiani vero prorsus non.

Ad objectionem, quod Cyprianus tamen ubique fere presbyterum romanum *Novatianum* nominet, respondet Lardnerus, quod, quia Carthaginensis hujus episcopi multum intererat, presbyterum Carthaginensem *Novatum* tamquam præcipuum schismatis auctorem designare, eo concilio Romanum *Novatianum* appellaverit; ut exinde ostenderet, eum sectatorem fuisse *Novati* Carthaginensis.

III. De hac Lardneriano opinione hæc *monenda* esse duximus. Primum, quod controversiæ caput spectat, videntur nobis Cl. Lardneri argumenta haud satis decretoria, et præponderantia esse; nam præterquam quod allata ratio, cur S. Cyprianus virum, qui alias dicebatur Novatus, continuo Novatianum appellarit, quin unquam suum permutati nominis consilium indigitarit, haud verisimilis sit, non solum Cyprianus, sed ipse quoque Cornelius, qui inter omnes sui adversarii, et rivalis nomen optime nosse debuerat, suis in epistolis latinis ipsum pariter Novatianum semper nominavit; ubi adhuc notatu dignum quod in græca epistola Cornelii ad Fabium Antiochenum, cujus luculentum fragmentum nobis conservavit Eusebius, nomen hujus viri numquam occurrat; adhæc potius accidere potuit, quod Græci vocabulum *Novatianus* pro aliquo, ab alias noto et proprio nomine *Novatus* dicto, atque e sectæ nomine derivato habuerint, ac exinde ad credendum inducti fuerint, virum illum *Novatum* appellatum fuisse, quin propterea de confusione duarum personarum tam diversarum accusandi sint. Unde recentiores latini scriptores, qui priorum operibus manifesto usi fuerant, illorum vestigia presserunt; quam ut Cornelius et Cyprianus in nomine errarint. Denique omnibus ex momentis Lardneri ea consecutio haud necessario infertur, quod latini hallucinati fuerint. Siquidem duo inter illa extrema tertium adhuc locum habet, quod alterius nostræ animadversionis objectum constituit. Si omnes observationes simul colligamus; ex iis non nisi hæc duplex conclusio inferri potest : prima est : aut una, aut altera pars, scilicet vel Latini, vel Græci in nomine errarunt. Jam vero, cum applicatio laudatæ conclusionis communiter in favorem Latinorum, et invidiam Græcorum fieri consueverit, nostra profecto opinione Cl. Lardnerus satis solide evicit, eam applicationem recta inverti posse; non vero, quod ita fieri debeat; altera conclusio hæc est : aut penes utramque partem est veritas.

Cæterum observatu dignum est, quod Cl. Lardnerus hic annotare neglexerit, pluries jam accidisse,

(1) Vales. *in Not. ad Euseb.* H. E., lib. VI, cap. 45.
(2) Petav. *in Not. in S. Epiphan.*, tom. II opp., pag. 226.
(3) Ruinart. *Act. Select. Martyr.*, pag. 180.
(4) Cave., *Hist. litterar. Scriptor. Eccles.*, tom. I, pag. 129.
(5) Alb. Fabric. *not. in Hieronym., in Bibliothec. Ecclesiast.*, pag. 158.
(6) Christ. Willh. Franz. Walck. *Kezergeschichte.* II part., pag. 188, et seqq.

Digitized by Google

quod nomen alicujus personæ diverso modo in scriptis antiquorum offendatur. (Sic ut aliqua hujus rei exempla adducamus) antecessor Cornelii non solum apud Latinos, sed Græcos, Eusebium scilicet (1) Fabianus; et apud alios Græcos Fabianus vocatur (2). Et jam ab antiquis temporibus auctor Manichæismi non solum Manes; sed Manichæus quoque nominatur. Notum etiam est omnibus, Lactantium modo Cælium, modo Cæcilium, auctorem vitæ S. Augustini nunc Possidium, nunc Possidonium vocari : aut ultima nomenclatura a Schœlgenio tamquam erronea reprehendatur (3). Fieri itaque facile potuit, quod circa homines aliunde haud illustri loco natos in usu fuerit utroque modo eorum nomen tum pronuntiandi, tum scribendi, atque quod Cornelius et Cyprianus integrum nomen eo lubentius retinuerint, quod facilius atque accuratius exinde ambæ personæ Novatus scilicet ac Novatianus discernerentur.

Tertio demum observamus, quod ex Lardneri animadversionibus evidenter patescat, neque Latinos discrimen inter Novatum et Novatianum semper observasse, utut a recentioribus latinis scriptoribus laudatum discrimen tam sedulo inculcetur, quod nimirum ex duobus illis presbyteris Novatiani schismatis antesignanis Carthaginensis Novatus, Romanus vero Novatianus dicendus sit. Hæc ultima observatio, quam ex Dissertatione Lardneri primum menti nostræ obvenit, magnam utilitatem ac momentum habet ad non paucas difficultates solvendas, inde emergentes, quod in latinis Patribus loca de Novato Carthaginensi exponantur a Scriptoribus, quæ revera tamen de Novatiano agunt. Cæterum hic vulgarem morem, suis etiam innixum rationum momentis sequimur, quo nomen Novatus de Africano duntaxat, et nomen Novatianus de Romano presbytero adhibetur.

IV. Novatianus ex Phrygum gente, si Philostorgio fides (4), sæculo III ineunte ortum duxisse existimatur. Antequam Christo nomen daret, philosophiam excoluisse perhibetur. Scribens enim ad Sympronianum S. Pacianus, hæc habet (5) : « Novatianum mihi ingeris? Philosophum sæculi fuisse audio. » Quod quidem jam antea docuerat S. Cyprianus (6) : ex quo etiam discimus, Stoicorum placitis ipsum fuisse addictum. Patria domo relicta Romam se contulit, e Porticu in Ecclesiam transiens. Adhuc Catechumenus gravi morbo correptus, Clinicus Baptismum suscepit. « Neque tamen, ut scribit S. Cornelius (7), sanitati restitutus reliqua percepit, quæ secundum Ecclesiæ regulam percipienda sunt; neque ab episcopo consignatus est. Deinceps subdit idem sanctus pontifex (8) presbyterio cohonestatus est per gratiam et indulgentiam Episcopi.... intercedebat enim omnis clerus, et multi ex laicis; eo quod non liceret eum qui, quemadmodum et ille, in lectulo urgente morbo perfusus fuisset, in clerum aliquem assumi. Verum rogavit episcopus, ut eum unum ordinare sibi permitteretur. »

V. Existimaverim quidem cum viris eruditis (9) haud mediocri sacrarum litterarum scientia atque eloquentia, quibus imbutus erat Novatianus, permotum fuisse pontificem, sive is demum fuerit S. Fabianus, sive potius aliquis ex ejus decessoribus, ut ipsum ad presbyterii gradum eveheret : ratus nimirum hactenus duntaxat a consueta ecclesiastica disciplina sibi fas esse recedere, ob operam, quam illum Ecclesiæ collaturum sperabat (10) : et primo quidem conceptæ existimationi eum satis respondisse, testis est locuples auctor Anonymus ipsi coævus, dum ait (11) : « Novatianum semper in domo una, id est, Christi Ecclesia, proximorum delicta ut propria flevisse; onera fratrum, sicut Apostolus hortatur, sustinuisse : lubricos in fide cœlesti allocutione corroborasse. » Verum deinde palam fecit, quam indignus sacerdotio esset, ad quod contra consuetam Ecclesiæ Disciplinam fuerat evectus. Exorta enim persecutione Deciana cum a Diaconis moneretur, ut cubiculo, quo se concluserat, egrederetur, atque Presbyteri officio inter fratres laborantes et oppressos fungeretur, negabat, se id facturum, immo aperte significabat, molestum sibi Presbyteri munus esse, seque ad Philosophiam suam reverti velle quemadmodum Cornelius

(1) Euseb. H. E. Lib. VI, cap. 29.

(2) Bolland. *Act. SS.*, tom II, Jan. pag. 252 et 256, Tillemont. *Mémoires sur S. Fabien*, tom. III H. E., pag, 362. Bower *Hist. Paparum*, part. I, pag. 83.

(3) Fabric. tom. VI *Biblioth. lat. med. et infim. ætat.*, pag. 24.

(4) Philostorg. H. E, lib. VIII, cap. XV. Hanc Philostorgii opinionem admodum verisimilem arbitratur Valesius ex eo, quod multos sectatores in Phrygia nactus fuerit Novatianus. Conf. Valesii not. f. ad lib. IV, H. E., cap 28. Socratis p. 212 edit. Taurinensis. E contra Cl. Jacksonig præfat. ad opp. Novatiani pag. 8 et Lardnerus *in credibil. of. the. G. H.* part. II, vol. IX, pag. 17, haud verisimilem censent.

(5) Pacian. Epist. II *ad Sympron.*, tom. II Bibl. PP. Paris. pag. 56, Hieronym. Ep. *ad Damasum.*

(6) S. Cyprian. Ep. L. II *ad Anton.* Conf. Suyskenii *Vita Cornelii* p. 84 in Act. Sanctor. tom. IV, Sept. pag. 155.

(7) Cornel. Epist. *ad Fabium Antioch.* §. 4.

(8) Id. ibid. §. 6.

(9) Bolland. *Act. SS. Sept.* tom. IV, pag. 156.

(10) Num præclara Novatiani merita, vel spes metusque episcopum induxerint, ut statim post susceptum Baptismum ad presbyterorum ordinem eum eveheret, ne sacris Christianis homo resiliret, et ad veteres sordes reverteretur : quam forte voluntatem non dissimulabat, uti Cl. Moshemius, p. 516 comment. *de rebus ante Constant.* M. loquitur, quare hoc eum honore alligare quodammodo Ecclesiæ, atque a defectione revocare volebat, judice Cl. Walchio *Historia Hæresum* pag. 197, parte II, definiri haud facile potest. Falsas Eulogii narrationes de Novatianis refutat Suyskenius loc. cit.

(11) Anonymus *ad Novatum.* § 13. inter Opp. Cypriani.

Digitized by Google

testatur (1). Ad extremum tam perditæ ambitionis æstu abreptus fuit, tamque dira flagrare cœpit amentia, ut eum non puduerit « adversus Cornelium Cathedram sacerdotalem invadere : » verbis utor Hieronymi (2). Quibus autem artibus Romanam invaserit sedem, quibusve calumniis Cornelium ex ea deturbare conatus fuerit, Cyprianus ad Antonianum hisce refert verbis (3) : « Quod autem quædam de illo, » id est Cornelio Papa, « inhonesta, et maligna jactantur, nolo mireris; cum scias, hoc esse opus semper Diaboli, ut servos Dei mendacio laceret, et opinionibus falsis gloriosum nomen infamet; ut qui conscientiæ suæ luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur. Explorasse autem collegas nostros scias, et verissime comperisse, nulla illum libelli, ut quidam jactant, labe maculatum esse; sed neque cum episcopis, qui sacrificaverunt, communicationem sacrilegam miscuisse; sed eo demum, quorum causa audita, et innocentia comprobata sit, conjunxisse nobiscum. » Trophimum autem quemdam ab eodem cum Ecclesia jure reconciliatum fuisse, pluribus persequitur : deinde, « quod passim communicare cum sacrificatis Cornelium tibi nunciatum est, hoc etiam de Apostatarum fictis rumoribus nascitur. Neque enim possunt laudare nos, qui recedunt, aut exspectare debemus, ut placeamus illis, qui nobis displicentes, et contra Ecclesiam rebelles, sollicitandis de Ecclesia fratribus violenter insistunt. Quare et de Cornelio, et de nobis quæcumque jactantur, nec audias facile, nec credas, Frater charissime. » Hoc Cyprianus de calumniis in Cornelium papam vulgatis, quarum ea præcipua erat, quod lapsos ad communionem indiscriminatim admitteret : Novatianus e contra, ejusque sectarii ad pacem; et Ecclesiæ communionem nuspiam admittendos esse censebant. Sed et Novatus Carthagine quidem ad captandam plebis auram lapsos sine discrimine ad communionem admiserat; ut narrat Cyprianus; at mutato Romæ consilio, una cum Novatiano, nullam reconciliationis, aut communionis spem lapsis relinquebat : Ecclesia vero Catholica mediam iniens viam (quæ tutissima est) singulorum examinata causa, post peractam pro criminum varietate pœnitentiam, lapsis pacem, et communionem dabat.

Interea cum de Cornelii, et Novatiani electione varii undique spargerentur rumores, ac fama veri falsique nuntia inter se contraria vulgaret; ut in re gravissima caute agerent Africani episcopi, legatos Romam, ut rem propius inspicerent, miserunt. Vix autem legati Romam advenerant, cum repente Novatianus Episcopus ordinatus est. Qua autem ratione Novatianus Romanam sedem invaserit, ac Episcopus fuerit ordinatus, Cornelius ad Fabium Antiochenum episcopum pluribus persequitur, cum scilicet episcopalis dignitatis cupiditate incensum suam aliquamdiu ambitionem affectata humilitate texisse, ut fidei confessores sibi sociaret; brevi tamen, quis fuerit, quantoque superbiæ spiritu duceretur, apparuisse. « Nam egregius ille vir, qui tremendis quibusdam sacramentis affirmaverat, se episcopatum non concupiscere, repente tamquam ex machina quadam in medium projectus episcopus apparuit. Et is, qui se doctorem, et ecclesiasticæ disciplinæ propugnatorem ferebat, cum episcopatum sibi a Deo minime concessum rapere, ac vindicare conaretur, duos deploratæ salutis homines sibi socios adjunxit, ut eos in exiguam, ac vilissimam Italiæ partem mitteret, atque illinc accitos tres episcopos, homines plane rudes, ac simplices, fraudulenta quadam molitione deciperet : Constantissime affirmans, ipsos quamprimum Romam proficisci oportere, ut omnis undecumque orta discordia ipsorum una cum aliis episcopis interventu, atque arbitrio sedaretur. Qui cum advenissent homines, ut jam diximus, simplicioris ingenii, nec in his perditorum hominum artibus, ac fallaciis satis triti, eos ille, a quibusdam sui simillimis, quos ad id comparaverat, inclusos hora decima, temulentos, et crapula oppressos, adumbrata quadam, et inani manuum impositione episcopatum sibi tradere per vim cogit; eumque nullo sibi jure competentem per fraudem, atque insidias vindicat. Nec multo post unus ex illis episcopis ad Ecclesiam rediit, delictum suum cum lamentis, ac fletibus confitens. Quem nos, cum universus populus pro illo intercessisset, ad communionem laicam suscepimus. »

VI. Quos vero seduxerat, ut in schismate confirmaret, sacrilegio Novatianus constringebat; nam Eucharistiam porrigens, ac manus ejus, qui eam, accipiebat, ambabus suis manibus comprehensas retinens, « jura mihi, dicebat, per corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, te numquam meas partes deserturum, nec ad Cornelium esse rediturum. » Et cum panem illum accipiens dicere debuisset « Amen, » ejus loco respondere cogebatur : « non revertar deinceps ad Cornelium. » Occupato in hunc modum pseudo-episcopatu, legatos suos quaquaversum transmisit, qui id nuntiarent; et si Socrati (4) credimus, simul edicerent, « uti eos, qui simulacris immolassent, minime ad mysteria admitterent, sed hortarentur ad pœnitentiam, remissionemque Deo permitterent. » Ne tamen apostolicam Cathedram turpiter invasisse videretur, simulavit veterator sese invitum ad eam evectum fuisse, ut ex Dionysii Alexandrini Epistola ab Eusebio (5) laudata constat, in qua eum inter cætera admonet, hortaturque, ut quam invitum

(1) Cornel. Epist. *ad Fabium Antioch.* apud Euseb.

(2) Hieronym. *de Vir. Illustr.* Cap. 70. Moshemius in comment. *de rebus Christianis ante Constant.* M., pag. 513, et Walchius part. II. *Hist. Hæretic.* pag. 231, ambitionis atque invidiæ crimen a Novatiano removere conantur, sed mea opinione irrito conatu.

(3) Cyprian. Ep. L. II.

(4) Socrat. H. E. Lib. IV, cap. 28, al. 23.

(5) Euseb. H. E. Lib. IV, cap. 45.

Digitized by Google

se ascendisse Romanam Cathedram scripserat, sponte reliqueret : « Siquidem invitus, asseris, eo adductus es, id nobis ostendes, tua sponte redeundo; » cum satius fuisset quidvis pati, quam Ecclesiam Dei tam funesto schismate discindere, ut pluribus eodem loco Dionysius persequitur. Dionysium Alexandrinum imitatus est Cyprianus, qui, coacto Carthagine concilio, legatos una cum epistolis Novatiani abjiciendos jussit (1). Anno 251, in concilio Romano a sexaginta episcopis ibidem congregatis denique extra Ecclesiam Novatianus omnino expulsus est. Cum tamen semper doceret, Ecclesiam nec posse nec debere apostatis pacem dare, hæc severitas multis placuit, duxque hæreseos, quæ diu in Ecclesia obtinuit, factus est (2).

Quæ fata viri hujus post expulsionem ex Ecclesia Romana fuerint, omnino ignoratur. Num vero egregio confessionis Martyrio vitam in persecutione Valeriani, quemadmodum Socrates refert (3) finierit, magna contentione inter Scriptores tum antiquioris, tum recentioris ætatis controvertitur, aliis quidem affirmantibus, aliis autem negantibus (4).

## CAPUT II.

### NOVATIANI SCRIPTA ET DOCTRINA.

### ARTICULUS PRIMUS.

*De libro Novatiani de Trinitate.*

I. Præter Epistolam ante ejus schisma nomine cleri Romani scriptam, Hieronymus testatur tractatus sequentes composuisse Novatianum, nimirum de Paschate, de Sabbato, de Circumcisione, de summo Sacerdote, de Oratione, de cibis Judaicis, de Attali constantia, multosque alios cum magno volumine de Trinitate (5). Quod est quasi compendium Tertulliani operis, quod multi Cypriano tribunt; non quod Tertullianus dedita opera de Trinitate librum scripsisset, sed, quia quidquid de Trinitate dicebat, ex libris Tertulliani desumpserat. Nullum horum operum sub Novatiani nomine exstat; sed admodum verisimile est, Tractatum de Trinitate, librumque de cibis Judaicis qui apud Tertullianum habentur, eosdem esse, quos Hieronymus Novatiano adscribit.

II. Principem itaque inter Novatiani scripta locum obtinet liber de Trinitate, de quo hæc sanctus Hieronymus (6) : « Novatianus Romanus Ecclesiæ Presbyter... scripsit... de Trinitate grande volumen. » quasi ἐπιτομὴν operis (7) Tertulliani faciens : quod plerique nescientes, Cypriani « existimant. » Hinc fortasse orta occasio Rufino scribendi (8), Macedonianos Tertulliani librum de Trinitate Constantinopoli sub nomine Cypriani evulgasse, quo hæresi suæ auctoritatem accerserent. Cui quidem Rufini sententiæ occurrens idem Hieronymus : « Transit, inquit (9), ad inclytum martyrem Cyprianum, et dicit Tertulliani librum, cui titulus est, de Trinitate, sub nomine ejus Constantinopoli a Macedonianæ partis hæreticis lectitari. In quo crimine mentitur duo. Nam nec Tertulliani Liber est, nec Cypriani dicitur, sed Novatiani, cujus et inscribitur titulo : et auctoris eloquium styli proprietas demonstrat. » Ad quem locum nolim equidem excidisse nupero Hieronymianorum operum editori Cl. Viro Dominico Vallarsio, cætera erudito, annotationem illam, qua monentur Lectores, « haud, exstare Novatiani Librum, Tertulliani operis ἐπιτομὴν » (10).

III. Cæterum, ut viri docti verba usurpem (11), nil sane mirum, hæreticos ad erroris defensionem veterum Testimoniis abuti; nec jam fere quidquam puri et intaminati superesset, si, quidquid isti ad causæ suæ præsidium arripuerunt, erroris nota signaretur. Sed minus considerate factum a Rufino, ut hunc librum de Spiritus sancti divinitate mirifice disserentem « Pneumatomachis » traderet. Siquidem auctor « fidem in Spiritum sanctum » itidem ut in Patrem et Filium necessariam esse docet (12) : Immutabilitatem, quam inter certissimas Divinitatis notas recenset, Spiritui sancto vindicat : ipsi quoque conceptis verbis « divinam æternitatem » tribuit : Spiritum item sanctum miracula edere; immortalitatem dare; ubique adesse præsentem, aliaque complura peragere, quæ solius Dei esse fides agnoscit, aperte profitetur. Quis ergo Novatiani Doctrinam de Spiritu sancto non probet, cui hæc omnia accuratissime adscribit? Reliqua porro, quæ Pamelius tamquam

(1) Cyprian. Epist. XLIV *ad Cornelium.*

(2) Num solum inter Schismaticos, an etiam inter hæreticos referendi sint Novatiani, apud Criticos controversum est, res tota mea opinione dependet a diversa notione hæretici. Videsis Cl. Walchii *Hæresiologiam* part. II, pag. 283 et seqq.

(3) Socrat. H. E. lib. IV, cap. 28.

(4) Videsis Tillemont. *Mémoir.* Tom. III, pag. 212 et seqq., art. 3.

(5) Hieronym. *de Vir. Illustr.* Cap. 70.

(6) Id. ibidem.

(7) Ἐπιτομὴν. Mihi etiamnum arridet, inquit Cl. Vallarsius in laudat. S. Hieronymi locum, conjectura Pamelii suspicantis ἐπίτασιν reponendum pro ἐπιτομὴν, cum nullus alius Tertulliani *de Trinitate* ex proposito agens liber sit, aut olim fuerit, quam qui *adversum Praxeam* inscribitur, hic vero Novatiani lucubratione multo sit brevior : eaque adeo Tertullianici operis ἐπιτομή, sive compendium dici nullo modo potuerit, sed e contrario ἐπίτασις, sive dilatatio argumenti. Nec infrequens Hieronymo est ἐπιτάσεως voce uti eo sensu, quo aliquid copiosius tractari significatur, sive cum rei cujuspiam accessione denotari. Denique cum ait de Rufino, contra eumdem scribens lib. II, num. 20, dicit : *Tertulliani librum, cui titulus est de Trinitate, sub nomine Cypriani Constantinopoli a Macedoniæ partis hæreticis lectitari. In quo crimine mentitur duo; nam nec Tertulliani liber est, nec Cypriani dicitur, sed Novatiani, cujus et inscribitur titulo*, nullo verbo innuit expressum eum librum ex Tertulliano, quod utique præcavere debuisset, ne quid adversarius reponeret.

(8) Ruf. *de adulterat. Lib. Origen.* pag. 53, ad calcem. Tom. IV opp. Origen. edit. Paris, 1759.

(9) Hieronym. Lib. II, *contra Rufin.* § 19.

(10) Vallars. Not. a. pag. 313; Tom. II, part. I, edit. Venet. in-4°. 1767.

(11) Maran. *de Divinit. Christ.* Lib. IV, cap. 19, § 3, pag. 519.

(12) Novat. *de Trinitat.* cap. 29.

Digitized by Google

minus recte pronuntiata reprehendit, et Rufino similiter displicuisse putat, paulo infra expendemus.

IV. Unum adhuc his addere liceat, ad locum illum pertinens, qui laudato Pamelio errandi ansam præbere visus est. Sub operis finem egregiam unitatis substantiæ in Patre et Filio asseverationem attexens Novatianus, hæc habet de Verbo Dei (1). « Omnia, inquit, post ipsum sunt, quia per ipsum sunt. Et merito ipse est ante omnia, sed post Patrem, quando per illum facta sunt omnia. Deus utique procedens ex Deo, secundam personam efficiens post Patrem qua Filius, sed non eripiens illud Patri, quod unus est Deus. » Cui quidem sententiæ simillima et maxime genuina sunt, quæ sanctus Methodius in Libro de Creatis; ubi de Verbi principatu apud Patrem agens sic inquit (2). Οὐκοῦν ἀρχὴ, μετὰ τὴν ἴδιαν ἄναρχον ἀρχὴν, τὸν Πάτερα, αὐτὸς τῶν ἁλλῶν γίνεται, δι' ἧς ἅπαντα δημιουργεῖται. « Post ergo singulare illud Principium absque Principio, qui est Pater, est ipsum » (Verbum) aliorum principium, « per quod omnia creantur. » Ubi sancti Martyris verba edisserens Combefisius; Patris, ait, illam ingeniti notionem ac auctoritatem insinuat Methodius, qua etiam emanationem ad intra, totiusque Trinitatis fons dicitur, et est unus ipse, ἀρχὴ ἄναρχος: non utique ad existentiæ prioris exclusionem; sic enim et Filius est ἄναρχος, ut bene Gregorius Orat. de Theolog. aliique passim Græci; sed per remotionem αἰτίας, ac velut causæ, principiique essendi: nam causam in Divinis non ita ferunt Latini, ut nec Græci ἀρχὴν; bono utrique sensu, aliisque et aliis verbis, quod sanum est, explicantes.

Eodem plane sensu et Novatiani verba accipienda, qui jure concludebat, duos fore Deos si Filius esset ingenitus: nam duæ forent substantiæ, cum neuter ab altero Divinitatem accepisset. Cum igitur Novatiano nihil aliud propositum sit, quam ut illud incommodum ex duobus ingenitis consequens fugiat: jam non lædit catholicam doctrinam, sed confirmat, sive dum Patrem unum esse Deum asserit, quia Filius ab eo Divinitatem accepit; sive dum Filium idcirco Patre minorem, idcirco Patri obsequentem facit, quia Pater fons et origo Divinitatis. Ad summam, ut demum concludamus, Novatianus ea Filio non tribuit (3), « quæcumque sunt Patris, » non vero negat, quæcumque sunt Dei (4).

V. Nunc vero inquirendum superest quo tempore hunc commentarium scripserit Novatianus. Existimavit quidem Baronius (5), commentarium de Trinitate fuisse ab auctore litteris consignatum circa Christi annum CCLXX. quo a Patribus Concilii Antiocheni damnatus est Paulus Samosatenus: propterea scilicet, quod viro magno visus fuerit scriptor ille Samosateni hæresim, licet suppresso nomine, fortiter impugnasse. Verum nihil obstat, quominus Novatianus dimicasse potius dicatur adversus Artemam, cujus hæreseos deinceps sectatorem propagatoremque Samosatenum fuisse constat. Sic enim Antiochenæ Synodi Patres (6) τῷ δὲ Ἀρτεμᾶ οὗτος ἐπιτίθεσθω καὶ οἱ τὰ Ἀρτέμα φρονοῦντες τοῦτῳ κοινωνείτωσαν. « Hic vero (Paulus Samosatenus) ad Artemam scribat, si lubet; et qui Artemam sectantur, cum eo communicent. » Alii autem, quos inter Tillemontius (7), et Caveus (8) ocius quidem, post schisma tamen, opus suum conscripsisse Novatianum conjiciunt: nam inquiunt, Sabelii meminit auctor (9), ejusque impietatem convellit; qui scilicet ex Dionysii Alexandrini litteris Sixto II inscriptis (10), post medium demum sæculi III, hæresim suam sparsisse comperitur. At vero sententia ejusmodi haud levibus difficultatibus invenitur implicita. Sabellius enim, ut liquet ex Philastrio (11), et Augustino (12) Noeti discipulus fuit, cujus proinde blasphemiarum exstitit propagator. Quid vero de Noeto memoriæ proditum? Nimirum, S. Hippolytus, qui circa Domini annum CCXX floruit, ut agnoscit ipsemet Tillemontius (13), adversus Noetum scribens testatur (14) « non multo ante, οὐ πρὸ πολλοῦ χρονοῦ, ipsum impietatem suam palam prodidisse; quia ab Ecclesiæ communione propterea ejectus, « paulo post moritur, » inquit Epiphanius (15), τελευτᾷ δὲ αὐτὸς ἔναρχος. Jam vero si quis Hippolytum cum Epiphanio conferat, colligat necesse est, Noetum, « qui non multo ante » annum CCXX contumeliosum in Deum Patrem Dogma evomuit, quippe paulo post mortem oppetiit, ineunte sæculo III, ut maxime, satanicam illam doctrinam discipulis suis disseminandam reliquisse. His autem positis, quis porro sibi persuadeat, Sabellium Noeti discipulum post quadraginta circiter annos ab obitu præceptoris sui, hæresin demum Noetianam instaurare ac promulgare cœpisse?

Nolim equidem inficiari, Dionysium anno Christi CCLVII ad istum scripsisse περὶ τοῦ νῦν κινηθέντος ἐν τῇ Πτολεμαΐδι δόγματος, hoc est, Valesio interprete, « de Dogmate illo, quod nuper, inquit, apud Ptolemaidem commotum est. » Verum non ait Dionysius, eam Doctrinam a Sabellio fuisse « nuper » apud Ptolemenses invectam: quin immo Eusebius, qui Dionysii Epistolam integram præ oculis habebat, fragmentum illud recitans diserte testatur, Episcopum Alexandrinum de Sabellianis hæreticis περὶ τῶν κατὰ Σαβέλλιον αἱρετικῶν, sermonem habuisse: ut propterea Dionysii

(1) Novat. *de Trinit.* cap. 31.
(2) Method. *de Creat.* § 8.
(3) Novatian. L. c. cap. 31.
(4) Vide Maran. L. c. pag. 518.
(5) Baron. ad ann. 272. § 15.
(6) Apud Euseb. H. E. lib. VII, cap. 30,
(7) Tillemont. *Mém.* Tom. III, art. 3, *sur les Novat.*
(8) Cave. *Hist. Litterar.* ad annum 251, tom. I.
(9) Novat. *de Trinit.* cap. 12.
(10) Dionys. Alexandr. *apud Euseb. H. E.* lib. VII, cap. 6.
(11) Philastr. *de Hæres.* cap. 54.
(12) August. *Hæres.* 41.
(13) Tillemont. L. c.
(14) Hippolyt. *adv. Noet.* § 1.
(15) Epiphan. *Hæres.* 57, § 1.

Digitized by Google

verba de Sabellii potius sectatoribus, qui tunc temporis increbrescebant, quam de ipso Sabellio sint accipienda. Hunc siquidem jam dudum pravis Noeti, magistri sui, erroribus imbutum, eos longe ante in vulgus sparsisse oportuit: adeoque ipsius hæresim ante annum CCL Novatianus impugnasse existimandus; quo tempore scilicet Ecclesiæ Romanæ presbyter, orthodoxam ejus doctrinam profitebatur propugnabatque. Atque hujusmodi quidem sententiam Pamelio primum arrisisse (1), deinde Jacksonum pluribus adstruxisse comperimus.

VI. *Analysis hujus Libri.* — Dividitur tractatus Novatiani *de Trinitate*, in triginta et unum caput. Primum de iis verbis « regulæ veritatis », seu « fidei » (quam Symbolum vocamus) commentatur, quæ nos credere jubent « in Deum Patrem et Dominum omnipotentem, rerum omnium perfectissimum creatorem, » a capite I, ad VIII usque; ubi inter alia etiam attributa divina, immensitatem, æternitatem, unitatem, bonitatem, immutabilitatem, immortalitatem, spiritualitatem partim ex ratione, partim ex SS. litteris adstruit; additque nec passiones, nec membra Deo attribui posse, hæcque in Scriptura solummodo ἀνθρωποπαθιτῶς de Deo enuntiari. A capite XI, usque ad XXVIII, ad ea Symboli nostri quoque verba late explicanda accedit, quæ nobis fidem commendant in « Filium Dei Jesum Christum, Dominum Deum nostrum. » Christum in Veteri Testamento promissum (2) verum hominem (3), verumque Deum esse (4), Scripturarum Veteris, Novique Fœderis auctoritate probat (5); capite XVIII errorem Sabellianorum refutat, et auctoritate SS. Litterarum distinctionem Patris et Filii confirmat, hujusque hæresiarchæ objectionibus aliorumque dein respondet (6). De fide in Spiritum sanctum agit capite vigesimo nono, inquiens: « Deinceps fidei auctoritatem admonere nos, post *Patrem* et *Filium*, credere etiam in Spiritum sanctum, » cujus operationes ex Scripturis recenset, et comprobat. Dein unitatem Dei cum ante disputatis conjungere studet (7), tandemque summam rerum expositarum exhibet (8).

ARTICULUS II.

*De Novatiani epistola de Cibis judaicis.*

I Epistolam *de Cibis Judaicis* S. Hieronymus memorat cum in Libro de Viris Illustribus, tum ad Damasum scribens (9), quo in loco declarat sanctus doctor, duas a se prætermitti quæstiunculas, quarum altera « de Mundis et immundis animalibus, » altera « de Circumcisione; quod, inquit, ab eloquentissimis viris, Tertulliano nostro scilicet, et Novatiano, latino sermone sint editæ. » Et posterius quidem Novatiani opus intercidit, prius vero superest inscriptum de Cibis Judaicis. Guilielmus Caveus (10) ambiguus est, an certo opus de Cibis Judaicis sit Novatiani: quod mihi certum videtur, inquit Oudinus (11), cum expressam illius mentionem faciat Hieronymus loco citato, atque interpres Græcus sive Sophronius, sive alius antiquus omnino, περὶ βρωμάτων Ἰουδαϊκῶν. Præterea auctor hujus operis sub initium inquit, scriptas a se fuisse duas Epistolas, quibus ostendit Judæos ignorasse « veram circumcisionem, et verum Sabbatum. » Atqui horum duorum opusculorum in Novatiano, nominatim citatus Hieronymus meminit: unde dubium nullum relinquitur, quin opus de Cibis Judaicis spectet ad eumdem. Denique ex hoc opusculo de Cibis Judaicis, asseritur quoque Novatiano epistola seu libellus *de vera Circumcisione* inter opera divi Hieronymi impressus: quippe cujus mentionem faciat Hieronymus tum de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 8 vel 7, tum Novatianus ipse sub initium operis de Cibis Judaicis, ubi ait Epistolam a se de vera Circumcisione conscriptam, quod huic opusculo apprime convenit. Nullum itaque de his Novatiani operibus dubium æquum esse potest; præsertim cum judice Dupinio similitudo styli idipsum persuadeat (12). « Patet autem, inquit, Pamelius (13), hanc Epistolam in secessu fuisse conscriptam (14), fortasis, si quid divinare licet, cum, ut scribit S. Cornelius (15), metu persecutionis in domo se conclusum occuleret. Quod cum in illo tandem reprehenderetur a diaconis Romanis, et rogaretur, ut egressus, quantum presbytero liceret, quantumque in ejus situm esset potestate, fratres in periculo constitutos juvaret: tantum abfuit, ut illis morem gereret, ut etiam non sine stomacho discederet, se nolle amplius esse presbyterum asserens. Hanc itaque primam occasionem illi fuisse schismatis, deinde et hæreseos, admonuisse sufficiat; sed quantum apparet, post scriptam hanc et similes Epistolas. » Hæc Vir doctus: cui accessit quoque Jacksonus (16) existimans hanc epistolam scripsisse Novatianum sub finem anni CCL, cum secessisset, persecutionem Decianam declinans; quæ anno CCXLIX exeunte Romæ exorta, demum deferbuit ineunte anno CCLI. In aliam abiit sententiam Tillemontius (17): sub ejus enim Epistolæ initium episcopum agentem schismaticum hominem perspexisse sibi persuasit. Quod ante ipsum jam observaverat Dupinius ita disserens (18): « Prima ejus (Novatiani) verba mihi suadent potius fuisse scriptam, postquam partium dux factus est Galli et Volusiani persecutionis tempore. »

(1) Pamel. *in Not. ad inscript.*
(2) Novatian. cap. 9.
(3) Idem, cap. 10.
(4) Idem, cap. 11.
(5) Idem, cap. 12 - 17.
(6) Idem a cap. 18 - 29.
(7) Idem, cap. 30.
(8) Idem, cap. 31.
(9) Hieronym. *Epist.* 36, *ad Damasum*, alias 125, § 1.
(10) Cave. *Histor. litter.* in sæculo Novatian.
(11) Oudin. comment. *de Scriptor. Eccles.* tom. I, sect. III, pag. 283.
(12) Dupin, *Bibliothèque des auteurs*, tom. I, p. 282, edit. latinæ Colonlensis.
(13) Pamel. not. 3, *ad Epist. de Cib. Jud.*
(14) Noval. Epist. *de cib. Jud.* cap. I.
(15) Cornel. Epist. *ad Fab. Antioch.* § 5.
(16) Jackson. L. c. pag. 10.
(17) Tillemont, *Mémoir.* Tom. III, art. 3, *sur Novatien.*
(18) Dupin, loc. cit. pag. 283.



Digitized by Google

II. *Analysis hujus Tractatus.* Hujus tractatus scopus est ostendere animalia quæ lex Mosis comedere prohibeat, non absolute esse immunda. Ad hoc probandum ait, arborum fructus primum hominum cibum fuisse; postea de carne animalium eos manducasse; venisse deinde legem, quæ distinctionem fecerat inter animalia, quæ manducare fas erat, et ea de quibus comedere non poterant, hæcque immunda appellasse, non quod revera talia essent, cum a Deo fuissent creata; sed primo ut homines discerent fugere vitia hisce animalibus figurata et repræsentata(1), et secundo ut remedium intemperantiæ essent; Christum, finem et complementum legis eam explicuisse, et hominibus libertatem omnibus carnibus vescendi dedisse, modo intra sobrietatis christianæ limites consistant; hinc autem arripit occasionem, nonnullos Christianos intemperanter viventes reprehendendi. Observat hoc esse prorsus indignum hominibus qui diu noctuque orare debent. Denique de numero carnium, quibus vesci fas est, idolis sacrificatas excipit, quibus primi Christiani sollicite abstinebant, hisque verbis, quæ totius ejus sermonis sunt compendium, absolvit: « Igitur carnium natura explicata, legis Mosis scopum exhibet, et ostendit quæ sit Evangelii libertas, modo tamen temperantiæ studeamus, et carnibus idolis sacrificatis abstineamus; gratias agamus Domino nostro Jesu Christo, ejus Filio, cui honos, laus, et gloria in omnia sæcula. Amen. »

ARTICULUS III.

*De Novatiani Epistola Cleri Romani nomine S. Cypriano inscripta.*

I. Alteram quoque Epistolam, quæ præcedenti subjicitur, Cleri Romani nomine sancto Cypriano inscriptam Novatiano vindicat ipsemet Cyprianus. Scribens enim ad Antonianum (2), locum recitat ex eadem Epistola sumptum (3) statimque subdit sanctus Martyr: « Additum est etiam, Novatiano tunc scribente, et quod scripserat, sua voce recitante, et presbytero Mose tunc adhuc confessore, nunc jam martyre, subscribente, ut lapsis infirmis, et in exitu constitutis pax daretur: quæ litteræ per totum mundum missæ sunt. »

Porro quæ heic Cyprianus, eadem confirmare perhibetur anonymus auctor Novatiano coævus, qui quidem de eo verba faciens (4): « Unde igitur, inquit, tam discordiæ furore vesanus exstiterit iste Novatianus, invenire non possum; qui semper in domo una, id est, Christi Ecclesia, proximorum delicta, ut propria flevérit; onera fratrum, sicut Apostolus hortatur, sustinuerit; lubricos in fide cœlesti allocutione corroboraverit. » His denique addendus S. Pacianus, qui sæculo insequente floruit. « Cur igitur, inquit, Sympronianum alloquens (5), Novatianus tuus, ne falso quidem adhuc episcopatu sacerdos, longe ante quam Cornelius Episcopus fieret, ante » quam sacerdotio illius inviderel, hæc suasit? (de lapsis recipiendis) « habes Cypriani testimonium... Nam quodam in loco scripsit: ADDITUM EST ETIAM, NOVATIANO TUNC SCRIBENTE. » Et cætera quæ modo ex Cypriano retulimus. Deinde subdit: « Quid ais, Symproniane frater? Novatianus hæc scripsit, et ut obsequium meræ voluntatis adjungeret, etiam scripta recitavit. Testis est ejus dextra; testis, quæ scripsit, manus; testis lingua, quæ legit. Adhuc Cornelius, pro quo omnis hæc vestra erupit invidia, episcopus non erat..... Si pœnitentiæ negandus est aditus, Novatianus in crimine est, qui hæc scripsit, suasit, et legit. Ubi tunc impatiens rigor? ubi ferox illa censura? Si nemo vobis Cornelium prætulisset, maneret illa scribentis auctoritas. » Hactenus sanctus ille præsul.

Ex quibus equidem arbitror satis esse compertum, incunctanter Novatiano hanc esse tribuendam Epistolam. Scripta fuit autem currente anno CCL, vel forte ineunte CCLI. Sic enim Auctor (6): Quamquam nobis differenda hujus rei necessitas major incumbat, quibus, post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani, nondum est episcopus propter rerum et temporum difficultates constitutus. » At Fabianus martyrio sublatus est anno CCL, 13. Kal. Febr. eique successit Cornelius ineunte Junio insequentis anni CCLI, uti suo loco annotavimus, licet paulo aliter Constantius (7).

ARTICULUS IV.

*De operibus Novatiani deperditis.*

Inter opera Novatiani deperdita numeramus primo eos omnes tractatus, quos S. Hieronymus hoc ordine recensuit (8): Nimirum *de Paschate*, *de Sabbato*, *de Circumcisione*, *de Sacerdote* (forte de Sacerdotio Veteris Testamenti) *de Oratione*, *de Instantia*, *de Altalo*. Circumfertur quidem tractatus quidam *de Circumcisione* inter opera divi Hieronymi (9) quem alii Novatiano adscripserunt; sed ob mentionem Arianorum, et Manichæorum, vix Novatiano dari potest, meritoque igitur inter deperditas illius lucubrationes Epistolam *de Circumcisione* numeramus. Quidam Epistolam S. Augustini *de Paschate* ordine LV juxta Benedictinos statuerunt habendam

(1) Exempli gratia, ait: *Præceptum de non comedendo porco ideo tantum datum esse, ut discerentur, vitam carnalem non esse agendam; cum mustelas comedere prohibemur, hoc significare, furtum esse prohibitum; corvis voluptates designari*, etc.

(2) Cyprian. *Epist.* LII, pag. 164, edit. Venetæ de anno 1758.

(3) Novatian. *Epist. ad Cyprian.* § 6, not. 1, apud Galland. Tom. III, pag. 325.

(4) Anonym. *Tractat. de lapsis*, § 13, apud Galland. Tom. III. pag. 374.

(5) Pacian., *Epist.* III, *ad Sympronian.* Bibl. PP. Tom. III, pag. 59, edit. Paris. 1644.

(6) Novatian. *Epist. ad S. Cyprian.* § 4, apud Galland. pag. 322.

(7) Galland. Bibl. PP. Tom. III. Prolegom. cap. IV, § 1.

(8) Hieronym. *de Vir. Illustr.* cap. 70.

(9) Opp. Hieronym. Tom. V, pag. 160, edit. Martian. et tom. XI, part. 2, edit. Venet. de anno 1771, pag. 230 et seqq.

Digitized by Google

esse pro Tractatu Novatiani de Paschate (1). Inscriptio lucubrationis Novatiani de *Instantia* videtur nobis admodum obscura; Græcus interpres reddit, περὶ ἐνστάσεων : forte legis de *Instantibus*. Nos interpretamur de instantia seu perseverantia in oratione (2).

Omnes quoque Novatiani litteras, quas, facto schismate, ad diversas exaravit Ecclesias, edax rerum tempus absumpsit. Meminit S. Cyprianus persæpe earum Epistolarum, quas Novatianus, postquam Cathedram Romanam occupavit, ad alios episcopos perscripsit. Sanctus etiam Hieronymus earumdem mentionem facit his verbis : *Simulque Epistolas Novatiani, ut dum Schismatici hominis venena cognoscimus, libentius sancti Martyris Cypriani bibamus antidotum* (3). Unde colligimus, quod hæ litteræ Hieronymi ætate adhuc exstiterint.

De stylo Novatiani hæc notat Cl. Dupinius (4) : « Hic Auctor ingenio, eloquentia, et scientia pollebat. Ejus stylus est purus, nitidus, et expolitus; phrases electæ, cogitationes naturales, et ratiocinia solida. Multa habet Scripturæ loca apposite citata : immo in Tractatibus, qui nunc exstant, ordo et methodus optima observatur, semperque placide et moderate loquitur. » Hujus crisi utroque pollice subscribit perdoctus Ceillier (5). Libellus *de Negatoribus recipiendis*, qui a Paciano (6) adscribitur nostro, potest esse XXXVI. Epistola inter Cyprianicas, Cleri Romani nomine scripta juxta Oxoniensem editionem.

ARTICULUS V.

*Editiones operum Novatiani.*

Ex iis autem operibus, quæ huc usque Novatiano asseruimus, librum *de Trinitate* cum Epistola *de Cibis Judaicis* primus ex antiquisimo codice in lucem extulit, Parisiis, anno 1545, Joannes Gagnæus. Deinde ad Mss. Britannicum in Masburensi Cœnobio repertum exegit Gelenius, vulgavitque Basileæ anno 1550, iterumque 1562. Pamelius præterea multis in locis recognovit ad Anglicum mss. exemplar Dn. Joannis Clementis, et quibusdam ex conjecturis Latini Latinii, atque operibus Tertulliani attexuit, Duaci primum editis anno 1579, sæpiusque deinceps recusis. Anno demum insequente 1580, recensuit, ediditque Parisiis Renatus Laurentius de la Barre. Atque hactenus inter opera Tertulliani latuit Novatianus.

Separatim vero primum prodiit Londini anno 1709, curante Wilhelmo Whistono, ad calcem operis Anglice inscripti, Sermons and Essays upon several subjects, pag. 327, deinde Oxonii anno 1724, notis illustratus per Eduardum Welchman. Denique rursus Londini anno 1728, Studio Joannis Jackson, Ecclesiæ Anglicanæ Presbyteri in-8°. Atque Whistonus quidem unum librum *de Trinitate* lectoribus exhibet. Welchmanus vero duas præterea Epistolas adjecit, alteram *de Cibis Judaicis*, alteram *Romani Cleri nomine* scriptam. Jackson autem tertiam insuper junxit Epistolam, quam Clerus Romanus Cypriano inscripsit : incertus tamen et ipse, utrum ejusmodi Epistola Novatianum agnoscat auctorem. Omnes hi tres editores Novatianum eruditissimis notis atque observationibus illustrarunt, hoc tamen discrimine, quod Welchmani notæ omnino orthodoxæ sint, reliquorum duorum quoad dogma de divinitate Filii purum putidumque Arianismum sapiant. Hucusque de editionibus antiquis.

Novissimam, quam Cl. Andreas Gallandius paravit, editionem exegit potissimum ad exemplar *Pamelianum*, illudque cum duobus postremis editionibus, Oxoniensi, et Londinensi contulit; neque negligendas omnino arbitratus est editiones magis antiquas. Illud vero maxime curavit, ut ad sua quæque loca reducerentur luxata membra, duce potissimum præeunte Cotelerio, qui capitum trajectiones in libro *de Trinitate* post Henricum Valesium acute advertit, annotavitque. Ex quibus est perspicuum, quantum debeat præferri recentissima hæc Novatiani editio cæteris præcedentibus. Anno 1782, typis Stahelianis Wirceburgi Novatiani opera recusa fuere volumine IV inter opera SS. Patrum latinorum, a pag. 453-544, in-8°. Analysin utriusque opusculi tum de Trinitate, tum de Cibis Judaicis confecit Cl. P. Dominicus Schram, tom. VI sui operis Patristici, a pag. 269-319, anno 1784. Jam anno 1777, Cl. Christianus Fridericus Roslerus, tomo III Bibliothecæ Patrum Lipsiæ impresso e Novatiani Tractatu de Trinitate excerpta in lingua nostra vernacula adjectis eruditissimis notis orbi erudito communicavit.

## CAPUT III.

### DOCTRINA NOVATIANI

ARTICULUS PRIMUS.

*Puncta dogmatica de Deo, divinisque ejus perfectionibus.*

Etsi pauca admodum, eaque brevissima vetusti hujus Romani presbyteri opera ad nos pervenerint, occurrunt nihilominus in ejus Tractatu de Trinitate, qui fusiori calamo exaratus est, innumera pene dixerim pretiosa fragmenta quoad præcipuas Christianæ doctrinæ veritates. Ibi siquidem deprehenditur, quid de Deo sentiendum sit, ejusque perfectionibus; quænam sit fides Ecclesiæ circa Mysterium sanctissimæ Trinitatis, et Jesu Christi divinitatem, ejusque incarnationem.

Novatianus initio Tractatus sui de Trinitate docet, teneri nos, prout præscribitur in Symbolo, quod regulam fidei, seu veritatis nuncupat, credere in Deum Patrem, et Dominum omnipotentem, universi conditorem. Deus iste non solum creavit cœlum et terram, sed insuper hæc omnia propriis et condignis instru-

(1) Lardner *in credibility of the G. H.* part. 2, p. 82.
(2) Idem. Ibid. pag. 21.
(3) Hieronym. *Epist.* X, *ad Paulum Concordiens.* Tom. IV Opp. edit. Bened. pag. 17, et tom. I, part. 1, pag. 24, edit. Venet. in-4°. 1766.
(4) Dupin, *Biblioth.* Tom. I, pag. 283, edit. lat. Colon. 1703.
(5) Ceillier, *Histoire générale des auteurs.* Tom. III, pag. 296.
(6) Pacian. *Epist.* III, *ad Sympronianum.*

Digitized by Google

mentis et ornata, et plena digessit. Creavit ille hominem ad imaginem suam, cui mentem et rationem indidit, et prudentiam, ut Deum posset imitari. Cujus etsi corporis terrena primordia, cœlestis tamen et divini halitus inspirata substantia : quæ cum omnia in servitutem illi dedisset, solum liberum esse voluit. Et ne in periculum caderet rursum soluta libertas, mandatum posuit (homini), quo tamen non inesse malum in fructu arboris diceretur, sed futurum, si forte ex voluntate hominis de contemptu datæ legis præmoneretur (1). Arbor itaque vetita juxta Novatianum non ex se erat venenata aut noxia. « Et liber esse debuerat, pergit Novatianus, ne incongruenter Dei imago serviret, et lex addenda, ne usque ad contemptum dantis libertas effrænata prorumperet, ut et præmia condigna, et merita pœnarum consequenter exciperet : ex quo mortalitas, invidia utique (2), in ipsum redit, qui cum illam de obedientia posset evadere, in eamdem incurrit, dum ex consilio perverso Deus esse festinat. Cujus tamen pœnam nihilominus indulgenter temperavit (Deus), dum non tam ipse, quam labores ejus maledicuntur super terram. Quod ne de ligno arboris vitæ contingat, arcetur, non de invidiæ maligno livore descendit, sed ne vivens in æternum, nisi peccata Christus ante donasset, circumferret secum in pœnam sui semper immortale delictum. » Irenæus adducit etiam antiquum scriptorem (3), qui asseruit quoque non tam hominem, quam terram maledicto subjectam fuisse. « Sicut enarrat Scriptura, inquit, non ipsum maledixit Adam, sed terram in operibus ejus, quemadmodum ex veteribus quidam ait : Quoniam quidem (hæc sententia veteris illius auctoris) transtulit Deus maledictum in terram, ut non perseveraret in homine. »

Tradit Novatianus, quod ea, quæ infra terram jacent, neque sint digestis et ordinatis potestatibus vacua. Locus enim est, quo piorum animæ, impiorumque ducuntur, futuri judicii præjudicia sentientes. Secundum mentem nostri auctoris is locus forte est ᾅδης (infernus) magnum illud e corporibus decedentium animarum receptaculum (4).

Circa simplicitatem Dei sequentia docet Novatianus (5) : « Est simplex (Deus) et sine ulla corporea concretione.... quandoquidem Spiritus sit dictus. » Et dum Scriptura Deo tribuit oculos, brachia, manus, pedes, aliaque humani corporis membra, non intendit Dei essentiam exprimere, ejusque veram nobis repræsentare naturam : sed solummodo eum sic proponere, qualem capere humana mens potest : *Non quomodo Deus erat, sed quomodo populus capere poterat* (6) ; ut igitur hæc sic de Deo dicantur, non Deo, sed populo potius imputetur : *Non igitur mediocris* Deus, sed populi mediocris est sensus. » Cui præclarissimæ observationi subjungit Novatianus, Scripturam per membra non corporalia lineamenta, sed diversas Dei operationes ostendere : efficaciæ igitur ibi divinæ per membra monstrantur. « Nam et cum oculi describuntur, » prosequitur idem Presbyter, « quod omnia videat, exprimitur. Et quando auris, quod omnia audiat, proponitur. Et cum digitus, significantia quædam voluntatis aperitur; et sic de reliquis. Neque enim sunt ei aut membra, aut membrorum officia sunt necessaria, ad cujus solum... arbitrium, et serviunt, et adsunt omnia. » Cur enim requirat oculos, qui lux est? Aut cur quærat pedes, qui ubique est? Aut cur manus expetat, cujus mens ad omnia instituenda artifex est, et silens voluntas? Nec auribus eget, qui tacitas etiam novit voluntates. Aut propter quam causam linguam quærat, « cui cogitare jussisse est? » Fateamur ingenue, omnes has ideas nobilissimas ac sublimes esse, hisque indigitari auctoris ingenium eximium omnino. Nec minus docte atque subtiliter exponit, quo pacto interpretari oporteat passiones, quas Scriptura Deo tribuere videtur ita disserens (7). « Quod si Dei iracundias legimus, et odia relata agnoscimus, non tamen hæc intelligimus ad humanorum relata esse exempla vitiorum; passiones enim istæ in hominibus merito dicentur, in Deo non merito judicabuntur; corrumpi enim per hæc homo potest, quia corrumpi potest, corrumpi per hæc Deus non potest, quia nec corrumpi potest; nam et quod irascitur Deus, non ex vitio ejus venit, sed ad remedium nostrum illud facit; indulgens enim est etiam tunc, cum minatur, dum per hæc homines ad recta vocantur; nam quibus ad honestam vitam deest ratio, metus est necessarius, ut, qui rationem reliquerunt, vel terrore moveantur; et ideo omnes istæ, vel iracundiæ Dei, vel odia Dei, vel quæcumque sunt hujusmodi, dum ad medicinam nostram proferuntur, ex consilio, non ex vitio, venerunt. *Hunc ergo Deum*, concludit Novatianus (8), novit, et veneratur Ecclesia, cui testimonium reddit tam invisibilium, quam etiam visibilium, et semper, et tota natura, quem Angeli adorant, mens humana sentit, qui protoplastis æternæ vitæ mundum quemdam Paradisum in Oriente constituit (9), *Arborem vitæ plantavit; scientiæ boni et mali* similiter alteram arborem collocavit; mandatum dedit, sententiam contra delictum statuit... Is (Deus) Prophetas Spiritu instruxit, et per hos omnes Filium suum Christum repromisit, et quando daturum se spoponderat, misit, per quem nobis in notitiam venire voluit, et in nos indulgentiæ suæ sinus largos profudit, egenis locupletem Spiritum con-

(1) Novat. *de Trinit.* cap. 1.
(2) *Invidia Diaboli intravit mors in orbem terrarum.* Sapient.
(3) Iren. Lib. III *adv. hæres.* cap. 23.
(4) Novat. *Tract. de Trinit.* cap. 1. In eamdem sententiam plerique Patrum concessere.
(5) Id. ibid. cap. 5.
(6) Id. ibid. cap. VI.
(7) Novat. ibid. cap. 5.
(8) Id. ibid. cap. 8.
(9) Sine controversia itaque Novatianus historiam de Eden et hominis lapsu tamquam veram admisit, sicut Theophilus Antiochenus, quocum in aliis etiam sententiis omnino conspirat.

Digitized by Google

ferendo. Et quia ultro et largus, et bonus est, ne totus hic orbis aversus gratiæ ejus fluminibus arescerет, Apostolos institutores in totum orbem mitti per Filium suum voluit, ut conditio generis humani agnosceret institutionem, et si sequi maluisset, haberet, quem pro Deo in suis jam postulationibus Patrem diceret. » Hanc Dei ejusque divinarum perfectionum ideam perhibet Novatianus. Videamus modo quæ tradat ipse circa Mysterium Sanctissimæ Trinitatis.

ARTICULUS II.

*Doctrina Novatiani de Mysterio SS. Trinitatis.*

« Regula exigit veritatis, inquit Novatianus (1) ut primo omnium credamus in Deum Patrem.... Eadem regula veritatis, » pergit ille (2), « docet nos credere post Patrem in Filium Dei Christum Jesum Dominum Deum nostrum. » Tandem prope finem ejusdem Tractatus, expresse tradit, debere nos credere in Spiritum sanctum, olim Ecclesiæ repromissum, sed statutis temporum opportunitatibus redditum (3) : « Sed enim ordo rationis et fidei Auctoritas digestis vocibus et litteris Domini admonet nos post hæc credere etiam in Spiritum sanctum. » Habes igitur tres divinas Personas perspicue a Novatiano distinctas, qui paulo infra hæc habet (4) : « Et hæc quidem de Patre, et de Filio, et de Spiritu sancto. » Ex quibus eruitur, per conjunctionem et, sicuti et per adverbium « etiam » textus supra recensiti, hoc loco sermonem esse de tribus personis distinctis, quarum una non est alia. Certum itaque, firmumque manet, Novatianum a nemine insimulari posse, quod errori Sabellii faverit aut præluserit. Sed quid de Arianismo ?

II. Novatianum de Trinitatis mysterio « non satis accurate esse locutum, immo absurde pleraque tradidisse, » dicit Petavius (5); et Sandius, Petavii judicio, ut solet, nimium confisus, ipsum accenset iis qui idem quod Arius, ante tradiderunt (6). Verum minus accurata et absurda illa vel ad Filii οἰκονομίαν, vel ad minoritatem istam Filii ad Patrem tamquam ad auctorem et principium suum collati, quam Catholici omnes etiam post synodum Nicænam agnoverunt, referenda sunt judice doctissimo Bullo(7). Novatianum autem cum Ario minime sensisse, paucis ex ipso, sed iis luculentissimis, adductis testimoniis demonstrat; cui demonstrationi (sunt verba Cl. Bulli) hoc unum præmittimus observandum, ipsum Petavium alibi (8) fateri disertis verbis, minus accurata, et absurda illa, quæ operi suo inseruit Novatianus, « aut solo loquendi modo, aut certe citra mysterii substantiam, ab Catholica Regula discrepare. » Hoc strictim notato, rem ipsam aggrediamur. In capite 23 auctor Christi divinitatem sic adstruit : « Si homo, inquit, tantummodo Christus, quomodo dicit: *Ego ex Deo prodii, et veni*, cum constet hominem a Deo factum esse, non ex Deo processisse. Ex Deo autem homo quomodo non processit sic Dei Verbum processit. » Mox addit : « Deus ergo processit ex Deo, dum qui processit Sermo, Deus est, qui processit ex Deo. »

III. Quid fere in ipso Nicæno Symbolo contra Arium expressius dicitur ? Nam hæc duo, « a Deo factum esse, et ex Deo procedere, » Novatianus diserte opponit : et Christum in excellentiori sua natura non factum sive minime creatum esse, sed ex ipso Deo processisse, proinde Deum ex Deo esse, haud minus diserte affirmat. Idem paulo post in eodem capite : « Si, inquit, homo tantummodo Christus, quid est, quod ait : *Ego et Pater unum sumus* ? Quomodo enim ego et Pater unum sumus, si non et Deus est et Filius, qui idcirco unum potest dici, dum ex ipso est, et dum Filius ejus est, et dum ex ipso nascitur, et dum ex ipso processisse reperitur, per quod et Deus est. » Ex quo loco clare refellitur Petavii calumnia in hujus libri Auctorem, dum ait, ipsum « verba illa Joannis decimo, *Ego et Pater unum sumus*, Ariano pene more declarasse ; » ad hanc censuram confirmandam citans ista ejus verba cap. XXXII : « Unum autem quod ait, ad concordiam et eamdem sententiam, et ipsam charitatis societatem pertinet ; ut merito unum sint Pater et Filius per concordiam, et per amorem, et per dilectionem. » Atqui, inquam, ex loco jam a nobis allato constat, auctorem verba illa Joannis non de sola concordia, sive consensu voluntatis (quod Ariani fecerunt), sed etiam, atque imprimis, de communione substantiæ, quæ inter Patrem et Filium intercedit, cum catholicis omnino intellexisse. Quod et eo ipso in loco, quem citat Petavius, auctor clare satis exprimit, dum hæc verba (a Petavio haud bona fide celata) ἀμέσως subjicit : « Et quoniam ex Patre est, quicquid illud est Filius est; manente tamen distinctione, ut non sit Pater ille qui Filius, quia nec Filius ille, qui Pater est. » Nimirum Sabellii hæresin ibi unice impugnat, quæ Patrem et Filium sic unum prædicat, ut distinctionem Personarum omnino tollat. Adversus hanc hæresin docet, Patrem et Filium unum quidem esse cum voluntatis consensu, tum etiam substantiæ unitate, siquidem Filius ex ipso paternæ essentiæ fonte derivetur ; sed tamen duos omnino esse subsistentia sive persona.

Præterea τὸ ὁμοούσιον Filii luculentissime confirmat locus ex capite 11, ubi de utraque Christi natura, divina et humana sic Novatianus loquitur : « Tam « enim Scriptura etiam Deum annuntiat Christum, quam etiam ipsum hominem annuntiat Deum. Tam hominem Jesum quam Deum quoque descripsit Christum Dominum. Quoniam nec Dei tantum illum Filium esse proponit, sed et hominis; nec hominis tantum

(1) Novatian. *lib. de Trinitat.* cap. 10.
(2) Id. ibid. cap. 1.
(3) Id. ibid. cap. 29.
(4) Id. ibid. cap. 30.
(5) Petav. *Theologic. Dogmat.* de Trinit. lib. I, cap. 5. n. 5.
(6) Sand. Nucl. H. E. Lib. I, pag. 110.
(7) Bull. *Defens. Fid. Nicæn.* pag. 134.
(8) Petav. L. c. Præfat. in tom. II, cap. 5, n. 3.

Digitized by Google

dicit, sed et Dei referre consuevit : ut dum ex utroque est, utrumque sit, ne, si alterum tantum sit, alterum esse non possit. Ut enim præscripsit ipsa natura hominem credendum, qui ex homine sit, ita eadem natura præscribit et Deum credendum esse, qui ex Deo sit : ne si non et Deus fuerit, cum ex Deo sit, jam nec homo sit, licet ex homine fuerit, et in alterutro utrumque periclitetur, dum alterum altero fidem perdidisse convincitur. » Certe mens illi tota caligat, qui non illico perspicit, hisce verbis apertissime doceri Christum perinde Deo Patri ὁμοούσιον esse, qua ex Deo est, atque ὁμοούσιος est nobis hominibus, qua ex homine est ; neque minus verum Deum, quam verum hominem esse. Cæterum haud injucundum erit observare, quod Novatianus, cap. 13, sicut et reliqui antiqui Patres, passim pro divinitate Jesu Christi demonstranda iis sint usi Novi Fœderis textibus, sc. Joan. I, 3 et 14; Joan. III, 13 et 17; Joan. X, 30; XX, 28; Rom. IX; ad Galat. I; Coloss. I, etc., quos etiamnum et nostri Theologi suis in institutionibus adhibent.

IV. In capitis 29 processu, Novatianus eas Spiritui sancto addicit virtutes et operationes, quæ in creaturam competere neutiquam possunt. Ac denique prope finem capitis eidem Spiritui sancto « divinam æternitatem » expresse tribuit. Spiritum sanctum, ubi capite XVI, al. XXIV, minorem esse Filio dicit, eodem plane modo intelligendum, quo Filii subordinationem, ad Patrem relati, Theologi interpretantur, ita scilicet, ut Spiritus sanctus dicatur Filio minor non naturæ, sed originis respectu, quia nempe a Patre per Filium deducitur, ut loquitur Tertullianus, adv. Praxeam, cap. 4, ac proinde sua omnia a Patre per Filium accipit, ut dicit Novatianus (1).

Levissima sunt, quæ Pamelius in Novatiano reprehendit, quod capite 7 scribat sequentia : « Denique si acceperis Spiritum substantiam Dei, creaturam feceris Deum, omnis enim Spiritus creatura est. » Hæc enim verba, « omnis spiritus creatura est, » minime Spiritum sanctum attingunt. Demonstrat Novatianus Deum ab hominibus nulla voce designari posse, quæ non plurimum aberret ab infinita illa Majestate. Quamobrem sive *lux*, sive *spiritus*, sive *ignis* dicatur, nihil horum apte de Deo, et commode pronuntiari ; propterea quod et spiritus, et ignis creaturæ sint. « Hæc, inquit, figurantur potius, quam ita sunt. Nam et in Veteri Testamento Deus *ignis* dicitur; ut peccatori populo metus incutiatur, dum Judex ostenditur ; et in Novo Testamento *spiritus* esse profertur, ut refector, et creator in delictis suis morituorum, per hanc bonitatem collatæ credentibus indulgentiæ, comprobetur. » Ubi vides, « ignis et spiritus » appellationes Novatiano a rebus materialibus translatas videri ; nec eum de Spiritu sancto dictum voluisse, quod « omnem spiritum » ait creaturam esse. Hæc Maranus (2).

Queritur deinde Pamelius, Novatianum, capite 30, Spiritum sanctum non appellare Deum, nec ullam mentionem ejus facere, cum Patrem et Filium unum esse Deum, hocce in capite auctor demonstrat. Sanctum quidem Spiritum nominatim non appellat Deum Novatianus : Sed de illius « divina æternitate » in capite præcedente non silet, et Deum esse multis argumentis probat. Quid enim ei propositum est, cum divina illius attributa defendit ; nisi ut probet quod se probaturum promiserat, nempe oportere, « credere etiam in Spiritum sanctum, » ac proinde eum unum esse eum Patre et Filio Deum ? Unde etiam postquam ea absolvit, quæ de Spiritu sancto dicere statuerat, sic initio hujus capitis tres Personas conjungit : « Et hæc quidem de Patre et Filio, et de Spiritu sancto breviter nobis sint dicta. » Quod si tacere de Spiritu sancto videtur Novatianus, dum Patrem et Filium non duos esse Deos, sed unum ostendit ; non aliunde quærenda hujus rei causa, nisi quod in evertenda Filii divinitate omnis hæreticorum conatus versabatur. Nam si semel probassent Filium non esse unum cum Patre Deum ; eadem opera Spiritum sanctum a divinæ naturæ consortio dissociassent. Sic etiam semel demonstrato, Patrem et Filium « per substantiæ communionem, » ut ait Novatianus, unum esse Deum ; non jam supererat dubitandi locus, quin Spiritus sancti divinitas nequaquam tres Deos efficeret (3).

(1) Ex Novatiani principiis, qui Filium quatenus a Patre genitus, Patri æqualem negat, aptum erat omnino et consequens, ut Spiritum sanctum, qui ex Patre Filioque procedit, utroque minorem esse statueret. Nec magis de Spiritus sancti divinitate detrahit, cum eum hoc sensu æqualem Filio negat, quam de Filii, cum eum Patri subjicit, ut originis principio, a quo totam divinitatis auctoritatem accepit. Quin etiam divinitas Spiritus sancti non leviter commendatur hoc loco. Nam si Spiritus sanctus creatura esset ; id non majus esset argumentum Divinitatis Christi, quam quod cæteræ res creatæ ab eodem accipere dicuntur. Deinde vero quod addit Novatianus, Christum a Spiritu sancto accepturum fuisse, si homo tantum esset, aut Angelus (Angelum enim esse fatebantur hæretici), nonne argumento est, res omnes creatas, si modo ratione utantur, ex Spiritu sancto, ut Auctore sanctitatis, pendere. Maranus, *Divinit. D. N. J. C.* lib. IV, cap. 19, § 3, pag. 520 et seqq.

(2) Maran. loc. cit.

(3) Maran. *Divinit. D. N. J. C.* lib. cit. pag. 521.

Digitized by Google

# NOVATIANI

# PRESBYTERI ROMANI

## OPERA

## QUÆ EXSTANT OMNIA.

# DE TRINITATE

## LIBER.

ARGUMENTUM. — *Dividitur tractatus Novatiani de Trinitate in triginta et unum caput. Primum de iis verbis regulæ veritatis, seu fidei (quam Symbolum vocamus) commentatur, quæ nos credere jubent in Deum Patrem et Dominum omnipotentem, rerum omnium perfectissimum creatorem, a capite* 1 *ad* 8 *usque, ubi, inter alia etiam attributa divina, immensitatem, æternitatem, unitatem, bonitatem, immutabilitatem, immortalitatem, spiritualitatem, partim ex ratione, partim ex SS. Litteris adstruit; additque nec passiones, nec membra Deo attribui posse, hæcque in Scriptura solummodo* ἀνθρωποπαθικῶς *de Deo enuntiari. A capite* 9 *usque ad* 28, *ad ea Symboli nostri quoque verba late explicanda accedit, quæ nobis fidem commendant in Filium Dei Jesum Christum, Dominum, Deum nostrum. Christum in Veteri Testamento promissum verum hominem, verumque Deum esse, Scripturam Veteris Novique Fœderis auctoritate probat; capite* 18 *errorem Sabellianorum refutat, et auctoritate SS. Litterarum distinctionem Patris et Filii confirmat, hujusque hæresiarchæ objectionibus aliorumque dein respondet. De fide in Spiritum sanctum agit capite* 18, *inquiens: Deinceps fidei auctoritatem admonere nos, post Patrem et Filium, credere etiam in Spiritum sanctum: cujus operationes ex Scripturis recenset, et comprobat. Dein unitatem Dei cum ante disputatis conjungere studet, tandemque summam rerum expositarum exhibet* (7).

### CAPUT PRIMUM.

DE TRINITATE *disputaturus Novatianus ex Regula fidei proponit, ut primo credamus in Deum Patrem et Dominum omnipotentem, rerum omnium perfectissimum conditorem. Creationis opera pulchre describuntur. Liberum hominis arbitrium asseritur. Misericordia Dei in pœna homini infligenda monstratur. Piorum impiorumque animarum post mortem locus statuitur.*

Regula exigit veritatis ut primo omnium credamus in Deum Patrem et Dominum omnipotentem, id est, rerum omnium perfectissimum conditorem, qui [1] cœlum alta sublimitate suspenderit, terram dejecta mole solidaverit, maria soluto liquore diffuderit, et hæc omnia propriis et condignis instrumentis et ornata et plena digesserit. Nam et in solidamento cœli luciferos solis ortus excitavit, lunæ candentem globum ad solatium noctis [2] mensurnis incrementis orbis implevit, astrorum etiam radios variis fulgoribus micantis lucis accendit: et hæc omnia [3] legitimis meatibus

### GALLANDII COMMENTARIUS.

[1] *Cœlum alta sublimitate suspenderit.* Hunc Novatiani locum imitatus fuisse videtur Minucius in *Octavio*, cap. 5, ubi hæc leguntur: *Cœlum licet sua materia suspenderit, licet terram fundaverint pondera, et mare licet influxerit e liquore.* Iis gemina item videas apud Lactantium *Divin. Instit.*, lib. II, cap. 9, sub init. Neque omittas velim Theophilum *ad Autolycum* lib. I, cap. 4.

[2] *Mensurnis.* Sic leginus ex ms. cod. Angl. pro *mensuris*; quod ea vox B. Cypriano etiam Afro usitata sit Epist. XXVIII, num. 11, et Epist. XXXIV, num. 23. Certe etiam sic legebat antea Gagnæus. PAMEL. — Neque aliter Whistonus, Welchmanus et Jacksonus.

[3] *Legitimis.* Scilicet, per legem divinam institutis. Eadem phrasi utitur Eusebius *Præp. Evang.* lib. VII, cap. 10. JACKSON.

Digitized by Google

circumire totum mundi ambitum voluit, humano generi (*Gen.* I, 14) dies, menses, annos, signa, tempora, utilitatesque factura. In terris quoque altissimos montes in verticem sustulit, valles in ima dejecit, campos æqualiter stravit, animalium greges ad varias hominum servitutes utiliter instituit. Silvarum quoque robora humanis usibus profutura solidavit, fruges in cibum elicuit, fontium ora reseravit, et lapsuris fluminibus infudit. Post quæ, [1] ne non etiam ipsis quoque deliciis procurasset oculorum, variis florum coloribus ad voluptatem spectantium cuncta vestivit. In ipso quoque mari, quamvis esset et magnitudine et utilitate mirabile, multimoda animalia, nunc mediocris, nunc vasti corporis finxit, ingenium artificis de institutionis varietate testantia. Quibus non contentus, ne forte fremitus et cursus aquarum, cum dispendio possessoris humani, alienum occuparet elementum, fines littoribus inclusit : quo cum fremens fluctus et ex alto sinu spumans unda venisset, rursum in se rediret, nec terminos concessos excederet, servans jura præscripta : ut divinas leges tanto magis homo custodiret, quanto illas etiam elementa servassent. Post quæ hominem quoque mundo præposuit, et quidem (*Gen.* I, 27) ad imaginem Dei factum : cui mentem et rationem indidit et prudentiam, ut Deum posset imitari : [2] cujus etsi corporis terrena primordia, cœlestis tamen et divini halitus inspirata substantia : [3] quem quum (*Gen.* I, 28) omnia in servitutem illi dedisset, solum liberum esse voluit. Et ne in periculum caderet rursum soluta libertas (*Gen.* II, 17), mandatum posuit, quo tamen non inesse malum in fructu arboris [4] doceretur, sed futurum, si forte ex voluntate hominis de contemptu datæ legis præmoneretur. Nam et liber esse debuerat, ne incongruenter Dei imago serviret : et lex addenda, ne usque ad contemptum dantis libertas effrænata prorumperet : [5] ut et præmia condigna et merita pœnarum consequenter exciperet, suum jam habens illud, quod motu mentis in alterutram partem agitare voluisset : ex quo [6] mortalitas, invidia utique, in ipsum redit; qui cum illam de obedientia posset evadere, in eamdem incurrit, dum ex consilio perverso (*Gen.* III, 5) Deus esse festinat : cujus tamen pœnam nihilominus indulgenter [7] temperavit, dum non tam ipse, quam labores ejus maledicuntur super terram. Nam et quod requiritur, non ex ignorantia venit, sed spem hominis futuræ in Christo et [8] inventionis et salutis ostendit : et quod (*Ibid.* 22, 23, 24) ne de ligno arboris vitæ contingat arcetur, non de invidiæ maligno livore descendit, sed ne vivens in æternum, nisi peccata Christus ante [9] donasset, circumferret secum in pœnam sui semper immortale delictum. Quamquam etiam superioribus, id est super ipsum quoque solidamentum partibus, quæ non sunt hodie nostris contemplabiles oculis, [10] Angelos prius instituerit, spiritales Virtutes digesserit, Thronos Potestatesque præfecerit, et alia multa cœlorum immensa spatia, et sacramentorum infinita opera condiderit, ut immensus hic licet mundus pœne novissimum magis Dei corporalium rerum appareat opus esse, quam solum. [11] Namque quæ infra terram jacent, neque ipsa sunt digestis et ordinatis potestatibus vacua. [12] Locus enim est quo piorum animæ impiorumque ducuntur, futuri judicii præjudicia sentientes : ut operum ipsius in omnibus partibus redundantes magnitudines non intra mundi hujus capacissimos licet, ut diximus, sinus

## GALLANDII COMMENTARIUS.

[1] *Ne non etiam ipsis quoque deliciis procurasset.* Est quidem hæc phrasis Tertullianica, quales infra aliæ quoque : ut *denotatur, edici* ac *viritior* cap. 2; *qua pater* cap. 12; *confibularet* cap. 18. Verum inde non sequi hunc librum Tertulliani esse vel ex eo patet, quod Afri scriptores omnes, etiam hoc posteriores, utpote B. Cyprianus, Minucius Felix, B. Pacianus et Arnobius, similibus uti solent. PAMEL. — Aliter Gagnæus, apud quem sic legimus : *Postea ut ipsis quoque delicias procuraret oculis.* Sed lectio Pameliana cum editis ex codice Anglicano cohæret. *Ventri procuratum est*, habet Noster infra, *de Cib. Judaic.* cap. 6, eadem constructione. JACKSON.

[2] *Cujus.* *Cui* legendum conjicit Welchmanus.

[3] *Quem.* Sic rescripsimus cum Jacksono, ut ad *hominem* referatur. Al. *quæ.*

[4] *Doceretur.* Ita reposui ex Lat. Latinio, quod meliorem fundit sensum quam edit. Pamelii *diceretur.* JACKSON.

[5] *Ut et.* Sic Pamelius cum cæteris editis. Jacksonus tamen mallet *et ut.*

[6] *Mortalitas.* Cum Jacksono Pamelium sequimur ita legentem. Al. *mortalitatis invidia*, locum istum minus recte assecuti.

[7] *Temperavit.* Addendam vocem *Deus* contextus postulare videtur, omissam fortasse a librario propter sequentis similitudinem *Dum :* quæ est conjectura Welchmani et Jacksoni. Mox vero sive legas cum Gagnæo *super terram*, sive cum Gelenio aliisque *super terra*, non refert.

[8] *Inventionis.* Vox importuna Jacksono, qui rescribendum censet *resurrectionis* vel *revelationis*, ex Rom. VIII, 20, 21, quo respexisse Novatianum existimat. Minus quidem apposite. Melius Welchmanus, *redemptionis.* Sed nihil mutandum videtur. Alluserit fortasse auctor ad illud Luc. XIX, 10 : *Venit enim Filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat.*

[9] *Donasset.* Maluissem *condonasset*, nisi vidissem Novatianum vocabulo *donavi* eodem sensu quo hoic, usum esse in Epistola romani cleri nomine scripta *ad Cyprianum.* Sic enim vertit Matth. XVIII, 32, : *Donavi* tibi omne debitum. JACKSON.

[10] *Angelos prius instituerit.* Fuit non modo Novatiani hæc sententia, sed etiam B. Hieronymi in cap. 1 *Epist. ad Tit.*, tum Græcorum omnium, quod *Angeli prius* (id est, ante omnem creaturam) *instituti fuerint.* Sed B. Augustinus, lib. XI *de Civ. Dei*, capp. 5, 6 et 7, et lib. XII, cap. 15, et alibi magis amplectendam censet eam sententiam quod juxta *Eccli.* XVIII, 1, creaverit *omnia simul Deus.* Quam etiam sequitur Magister Sententiarum, et post eum Doctores Scholastici : quæ præterea definita est in concilio Lateran. sub Innocentio III, et in Decretales recepta, cap. *Firmiter credimus*, tom. de summa Trinit. et Fide cathol. PAMEL.

[11] *Namque.... ipsa sunt.* Ita edidit Pamelius ex conjectura Latinii. Al. : *Nam neque quæ infra terram jacent, ipsa sunt.* Sed duobus editoribus Anglicanis, deleto *nam*, legendum videtur : *Neque quæ infra terram jacent, ipsa sunt*, etc.

[12] *Locus enim est.* In eamdem sententiam cum Novatiano, plerique Patrum, sive Græcorum, sive Latinorum. Consulatur præ cæteris Hippolytus *adversus Græcos*, tom. II nostræ Biblioth., pag. 451, seq.

Digitized by Google

conclusas videremus, sed etiam [1] infra ipsius mundi et profunda et altitudines cogitare possemus; et sic considerata operum magnitudine, tantæ molis digne mirari possemus artificem.

## CAPUT II.

*Deus super omnia, ipse continens omnia, immensus, æternus, mente hominis major, sermone inexplicabilis, sublimitate omni sublimior.*

Super quæ omnia ipse continens cuncta, nihil extra se vacuum deserens, nulli Deo superiori (ut [2] quidam putant) locum reliquit. Quandoquidem ipse universa sinu perfectæ magnitudinis et potestatis incluserit, intentus semper operi suo, et vadens per omnia, et movens cuncta, et vivificans universa, et conspiciens tota, et in concordiam elementorum omnium discordantes materias sic connectens, ut ex disparibus elementis ita sit unus mundus ista coagmentata conspiratione solidatus, ut nulla vi dissolvi possit, nisi quum illum solus ipse qui fecit (II *Pet.* III, 13), ad majora alia præstanda nobis, solvi jusserit. Hunc enim legimus omnia continere: et ideo nihil extra ipsum esse potuisse; quippe quum originem omnino non habeat, consequenter nec exitum sentiat: nisi forte, quod absit, aliquando esse cœperit, nec super omnia sit, sed dum post aliquid esse cœperit, [3] infra id sit quod ante ipsum fuerit, minor inventus potestate, dum posterior denotatur etiam ipso tempore. Ob hanc ergo causam semper immensus, quia nihil illo majus est; semper æternus, quia nihil illo antiquius. Id enim quod sine origine est, præcedi a nullo potest, dum non habet tempus. Ideo immortalis, non deficiens in consummationis exitu. Et quoniam sine lege est quidquid sine origine est, [4] modum temporis excludit, dum se debitorem nemini sentit. De hoc ergo, ac de eis quæ sunt ipsius et in eo sunt, nec mens hominis quæ sint, quanta sint, et qualia sint, digne concipere potest, nec eloquentia sermonis humani æquabilem majestati ejus virtutem sermonis expromit. Ad cogitandam enim et ad eloquendam illius majestatem, et eloquentia omnis merito muta est, et mens omnis exigua est: major est enim mente ipsa, nec cogitari possit quantus sit, [5] ne si potuerit cogitari, mente humana minor sit, qua A concipi possit. Major est quoque omni sermone, nec [6] edici possit: ne si potuerit edici, humano sermone minor sit, quo, quum edicitur, et circumiri et colligi possit. Quidquid enim de illo cogitatum fuerit, minus ipso erit: et quidquid enuntiatum fuerit, minus illo comparatum circum ipsum erit. Sentire enim illum taciti aliquatenus possumus; ut autem ipse est, sermone explicare non possumus. [7] Sive enim illum dixeris *Lucem*, creaturam ipsius magis quam ipsum dixeris; ipsum non expresseris: sive illum dixeris *Virtutem*, potentiam ipsius magis quam ipsum dixeris, et deprompseris: sive dixeris *Majestatem*, honorem ipsius magis quam illum ipsum descripseris. Et quid per singula quæque percurrens longum facio? semel totum explicabo. Quidquid omnino de illo retuleris, B rem aliquam ipsius magis et virtutem, quam ipsum explicaveris. Quid enim de eo condigne aut dicas, aut sentias, qui omnibus et sermonibus et sensibus major est? Nisi quod uno modo (et hoc ipsum quomodo possumus, quomodo capimus, quomodo intelligere licet) quid sit Deus mente capiemus, si cogitaverimus id illum esse, quod, quale, et quantum sit non possit intelligi, nec in ipsam quidem cogitationem possit venire. Nam si ad solis aspectum oculorum nostrorum acies hebescit, ne orbem ipsum obtutus inspiciat obviorum sibi superatus fulgore radiorum: hoc idem mentis acies patitur in cogitatione omni de Deo; et quanto ad considerandum Deum plus intenditur, tanto magis ipsa cogitationis suæ luce cæcatur. Quid enim de eo (ut iterum repetam) condigne dicas, C qui est sublimitate omni sublimior, et altitudine omni altior, et profundo omni profundior, et omni luce lucidior, et omni claritate clarior, omni splendore splendidior, omni robore robustior, omni virtute [8] viritior, omni pulchritudine pulchrior, veritate omni verior, et fortitudine omni fortior, et majestate omni major, et omni potentia potentior, et omnibus divitiis ditior, omni prudentia prudentior, et omni benignitate benignior, omni bonitate melior, omni justitia justior, omni clementia clementior? Minora enim sint necesse est [9] omnium genera virtutum, eo ipso, qui virtutum omnium et Deus et Pareus est: ut vere dici possit, [10] id Deus esse, quod ejusmodi est cui comparari nihil

## GALLANDII COMMENTARIUS.

[1] *Infra.* Sic ex ms. Woweri correxi vocem *intra*, quam habent omnes editi. JACKSON.

[2] *Ut quidam putant.* Valentiniani scilicet, qui supra *Demiurgum*, id est, opificem Deum, constituebant Deum superiorem *Bython*, cum tricenario *Æonum* numero. PAMEL.

[3] *Infra.* Hanc item vocem ex ms. Wowerii restituit Jacksonus, ubi vulgati habent *intra*. Atque ita legendum conjiciebat quoque Welchmanus.

[4] *Modum temporis excludit, dum*, etc. Sic Pamelius, quem sequitur Jacksonus. Placuit tamen Welchmano voculam *dum* ante *modum* transferre.

[5] *Ne si potuerit cogitari*, etc. Ita Pamelius et utraque Frobeniana editio. At Gagnæus et Barrensis: *Quia si poterit cogitari, mente humana minor sit oportet.*

[6] *Edici.* Vox Novatiano usitata: propterea jure a Pamelio et Jacksono retenta. Al. *dici.* Integrum autem locum Gagnæus et Barrensis ita efferunt: *Nec dici* D *possit: quia si potuerit edici, humano sermone minor sit oportet, quo quum edicitur, circumiri et colligi posset.*

[7] *Sive enim illum dixeris* LUCEM, etc. Novatianus hoc Theophilum Antiochenum exscripsisse videtur, qui lib. I, cap. 3, *ad Autolyc.* hæc habet: Εἰ γὰρ φῶς αὐτὸν εἴπω, ποίημα αὐτοῦ εἴπω, κ. τ. λ. « Si *lucem* enim dicam, opus ejus dico, etc. » Locum inspicias velim et conferas.

[8] *Viritior.* Vox ignota: quam tamen exhibent omnes editi. Legendum omnino puto *viriosior*, quod habet Tertullianus *de Anima*, cap. 19. Atque errat Pamelius, dum ait Tertullianum usum esse voce *viritior*. Vid. sup. not. 4, ad cap. 1. JACKSON.

[9] *Omnium.* Mallet *omnia* Welchmanus, ejusque conjectura probatur et Jacksono.

[10] *Id Deus esse.* Ita Pamelius, Gagnæus et Barrensis ms. Wow. *Id est Deus, quod ejusmodi est*, etc. Wel-

Digitized by Google

potest. Super omne est enim quod dici potest. Mens est enim quædam gignens et complens omnia, quæ sine ullo aut initio aut termino temporis, causas rerum naturaliter nexas ad utilitatem omnium summa et perfecta ratione moderetur.

## CAPUT III.

*Deum esse omnium conditorem, dominum et parentem, e sacris Scripturis probatur.*

Hunc igitur agnoscimus et scimus Deum, conditorem rerum omnium: Dominum, propter potestatem, [1] et parentem, propter institutionem: hunc inquam qui *dixit, et facta sunt omnia* (*Psal.* CXLVIII, 5); *præcepit, et processerunt universa;* de quo scriptum est (*Psal.* CIII, 24): *Omnia in sapientia fecisti;* de quo Moyses (*Deuteron.* IV, 39): *Deus in cœlo sursum et in terra deorsum;* qui secundum Isaiam (*Isa.* XL, 12), *mensus est cœlum palmo, terram pugillo: qui aspicit terram, et facit eam tremere* (*Psal.* CIII, 32); *qui continet gyrum terræ, et eos qui habitant in ipso quasi locustæ; qui* [2] *expendit montes in pondere, et nemora in statera* (*Isa.* XL, 22, 12); id est, certo divinæ dispositionis examine: ac, ne facile in ruinam procumberet magnitudo inæqualiter jacens, si non paribus fuisset librata ponderibus, onus hoc moderanter terrenæ molis æquavit. Qui dicit per Prophetam (*Isa.* XLV, 22): *Ego Deus, et non est præter me.* Qui per eumdem Prophetam refert (*Isa.* XLII, 8): *Quoniam majestatem meam non dabo alteri;* ut omnes cum suis figmentis ethnicos excludat et hæreticos, probans Deum non esse qui manu artificis factus sit, nec eum [3] qui ingenio hæretici fictus sit. Non est enim Deus, cui, ut sit, quærendus est artifex. Quique adhuc adjecit per Prophetam (*Isa.* LXVI, 1): *Cœlum mihi thronus est, terra autem scabellum pedum meorum: qualem mihi ædificabitis domum, aut quis locus requiei meæ?* ut ostendat quoniam multo magis illum templum non capit, [4] quem mundus non capit: et hæc non ad sui jactantiam, sed ad nostri scientiam refert. Neque enim ipse a nobis desiderat magnitudinis gloriam, sed nobis vult religiosam, qua pater, conferre sapientiam. Quique præterea ferinos nostros animos, et de agresti immanitate tumidos et abruptos ad lenitatem trahere volens, dicit (*Ibid. v.* 2): *Et super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem verba mea?* ut Deum aliquatenus quantus sit possit agnoscere, dum illum per Spiritum collatum discit timere. Qui similiter adhuc magis in notitiam nostri volens pervenire, ad culturam sui nostros excitans animos, aiebat (*Isa.* XLV, 7): *Ego sum Dominus, qui feci lucem et creavi tenebras;* ut vicissitudinum istarum quibus noctes diesque moderantur, [5] non Naturam, nescio quam, [6] putaremus artificem; sed Deum agnosceremus potius (quod erat verius) conditorem. Quem quoniam obtutu oculorum videre non possumus, de operum magnitudine et virtute et majestate condiscimus: *Invisibilia enim ipsius*, inquit apostolus Paulus, *a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas* (*Rom.* I, 20): ut animus humanus ex manifestis occulta condiscens, de operum magnitudine quæ videret, mentis oculis artificis magnitudinem cogitaret. De quo idem Apostolus (I *Tim.* I, 17): *Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria.* Evasit enim oculorum contemplationem, qui cogitationis vicit magnitudinem: *Quoniam*, inquit, *ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia* (*Rom.* XI, 33). Nam et imperio ejus omnia, ut *ex ipso* sint: et verbo ejus digesta, ut *per ipsum* sint: et in judicium ejus recidunt universa; ut dum *in ipso*, exspectant libertatem corruptione deposita (*Rom.* VIII, 21), in ipsum videantur esse revocata.

## CAPUT IV.

*Bonum quoque, semper sui similem, immutabilem, unum et solum, infinitum: cujus nec nomen proprium possit edici, et incorruptibilem, et immortalem.*

Quem *solum* merito *bonum* pronuntiat Dominus (*Luc.* XVIII, 19): cujus bonitatis totus testis est mundus, quem non instituisset, nisi bonus fuisset. Nam si *omnia bona valde* (*Gen.* I, 31); consequenter ac merito et quæ instituta sunt bona, bonum institutorem probaverunt: et quæ a bono institutore sunt, aliud quam bona esse non possunt: ex quo omne malum facessat a Deo. Nec enim potest fieri, ut sit initiator aut artifex ullius mali operis, qui nomen sibi perfecti vindicat et parentis et judicis: ma-

## COMMENTARIUS.

chmanus vero conjicit legendum *Deum*. At lectio vulgata ferri potest, si *Deus* accipiatur τεχνικῶς, sive mus, pro nomine proprio. JACKSON.

[1] *Et parentem.* Cum Pamelio voculam *et* retinui quam editi plerique omittunt.

[2] *Expendit.* Hunc locum citat infra Novatianus cap. 30, ubi habet *suspendit*: eamque lectionem inde huc transtulit Jacksonus.

[3] *Qui ingenio hæretici fictus sit.* Tertullianum imitatur auctor, qui, ut observat Pamelius, lib. *de Præscript.* in catalogo hæreticorum eos recenset, qui *alium Deum sibi hæretico fingebant ingenio.*

[4] *Quem.* Ita restitui ex Junio et Latinio pro vulg. edit. *quum.* JACKSON.

[5] *Non naturam nescio quam.* Auctor *Recognitionum*, lib. VIII, c. 34: *Qui naturam pro Deo nominant, et per Naturam facta esse cuncta testantur, latet eos appellationis suæ error. Si enim naturam irrationabilem putant, stultissimum est, rationabilem creaturam ab irrationabili factore progredi. Si vero ratio est, id est logos, per quam facta constat universa; superfluo nomen immutant, ubi de Conditoris ratione profitentur.* Hac de re item disputat idem auctor paulo superius, cap. 20.

[6] *Putaremus.* Hanc vocem in textum retuli ex mss. Woweri, pro edit. *putemus*, quod non tam bene convenit sequenti *agnosceremus*. JACKS.

Digitized by Google

xime quum omnis mali operis vindex sit et judex ; quoniam et non aliunde occurrit homini malum, nisi a bono Deo[1] recessisset. Hoc autem ipsum in homine denotatur : non quia necesse fuit, sed quia ipse sic voluit. Unde manifeste et quid malum esset apparuit, et, ne invidia in Deo esse videretur, a quo malum ortum esset, eluxit. Hic ergo semper sui est similis, nec se umquam in aliquas formas vertit aut mutat (*Jac.* I, 17) : ne per immutationem, etiam mortalis esse videatur. Immutatio enim conversionis, portio cujusdam comprehenditur mortis. Ideo nec adjectio in illo umquam ullius aut partis aut honoris accedit, ne quid umquam perfecto defuisse videatur : nec detrimentum in eo aliquod agitur, ne gradus mortalitatis receptus esse videatur : sed quod est, id semper est; et qui est, semper ipse est ; et qualis est, semper talis est. Nam et incrementa originem monstrant, et detrimenta mortem atque interitum probant, et ideo : *Ego*, ait, *sum Deus, et non sum mutatus* (*Malach.* III, 6), statum suum tenens semper, dum id quod natum non est, converti non potest. Hoc enim in ipso quidquid illud[2] potest quod est Deus, semper sit necesse est ; ut semper sit Deus, servans sese virtutibus suis. Et ideo dicit (*Exod.* III, 14) : *Ego sum qui sum.* Quod enim est, ideo hoc habet nomen, quoniam eamdem semper sui obtinet qualitatem. Immutatio enim tollit illud nomen *quod est* : quidquid enim aliquando vertitur, mortale ostenditur, hoc ipso quod convertitur. Desinit enim esse quod fuerat, et incipit consequenter esse quod non erat : idcirco et merito in Deo manet semper status suus, dum sine detrimento commutationis, semper sui et similis et æqualis est. Quod enim natum non est, nec mutari potest : ea enim sola in conversionem veniunt, quæcumque fiunt vel quæcumque gignuntur ; dum quæ aliquando non fuerant, discunt esse nascendo, atque ideo nascendo converti. At enim, illa quæ nec nativitatem habent nec artificem, excluserunt a se demutationem, dum in qua conversionis causa est, non habent originem : ideo et unus pronuntiatus est, dum parem non[3] habet : Deus enim, quidquid esse potest Deus est, summum sit necesse est. Summum autem quidquid est, ita demum summum esse oportet, dum extra comparem est. Et ideo solum et unum sit necesse est, cui conferri nihil potest, dum parem non habet. Quoniam nec duo infinita esse possunt; ut rerum dictat ipsa natura. Infinitum est autem, quidquid nec originem habet omnino, nec finem. Excludit enim alterius initium, quidquid occupaverit totum. Quoniam[4] si non omne id quod est, quidquid est continet ; dum intra id invenitur quo continetur, minus inventum eo quo continetur, Deus esse[5] desierit, in alterius potestatem redactus, cujus magnitudine, qua minor, fuerit inclusus :[6] et ideo quod continuit, Deus potius esse jam cœperit. Ex quo effectum est, ut nec nomen Dei proprium possit edici, quoniam non possit nec concipi. Id enim nomine continetur, quidquid etiam ex naturæ suæ conditione comprehenditur. Nomen enim significantia est ejus rei, quæ comprehendi potuit ex nomine. At quando id de quo agitur tale est, ut condigne nec ipsis intellectibus colligatur; quomodo appellationis digne vocabulo pronuntiabitur, quod dum extra intellectum est, etiam supra appellationis significantiam sit necesse est ? Ut merito quando nomen suum Deus, ex quibusdam rationibus et occasionibus adjicit[7] et præfert, non tam legitimam proprietatem appellationis sciamus esse depromptam, quam significantiam quamdam constitutam ; ad quam dum homines decurrunt, Dei misericordiam per ipsam impetrare posse videantur. Est ergo et immortalis et incorruptibilis, nec detrimenta sentiens omnino, nec finem. Nam et quia incorruptibilis, ideo et immortalis ; et quia immortalis, utique et incorruptibilis ; utroque invicem sibi et in se connexione mutua[8] perplexo, et ad statum æternitatis vicaria concatenatione producto, et immortalitate de incorruptione descendente, et incorruptione de immortalitate veniente.

## CAPUT V.

*Cujus si iracundias et indignationes quasdam, et odia descripta in sacris paginis teneamus ; non tamen hæc intelligi ad humanorum exempla vitiorum.*

Cujus etiam si iracundias[9] legimus, et indignationes quasdam descriptas tenemus, et odia relata cognoscimus, non tamen hæc intelligimus ad humanorum relata esse exempla vitiorum. Hæc enim omnia, et si hominem possunt corrumpere, divinam vim non possunt omnino vitiare. Passiones enim istæ in hominibus merito esse dicentur ; in Deo non merito judicabuntur. Corrumpi enim per hæc homo potest, quia corrumpi potest : corrumpi per hæc Deus non potest, quia nec corrumpi potest. Habent igitur ista vim suam quam exerceant ; sed ubi præcedit passibilis materia, non ubi præcedit impassibilis substantia. Nam et quod irascitur Deus, non ex vitio ejus venit ; sed ad remedium nostri illud facit. Indulgens est enim, etiam tunc cum minatur : dum per hæc homi-

## GALLANDII COMMENTARIUS.

[1] *Recessisset.* Latinius eleganter legit *recessisse.* Et vera videtur lectio, Græce loquendi formula. JACKS.

[2] *Potest.* Malim legi *esse potest* : et sic habet auctor ipse statim in hoc capite. ID.

[3] *Habet.* Ex Frobenio Welchmanus legit *habeat* ; et locum ita distinguit ; *Dum parem non habeat : Deus, quidem enim esse*, etc. Quod quidem magis probatur Jacksono.

[4] *Si non omne*, etc. Theophilum Antiochenum expressit haec Novatianus, lib. II, *ad Autolyc.*, c. 3.

[5] *Desierit.* Ita editi plerique : quæ quidem lectio apprime congruit cum sequentibus, *fuerit, cœperit.* At Gagnæus et Barrensis, quos sequitur Welchmanus, *desinet* : minus recte, ut videtur.

[6] *Ideo quod.* Welchmanus conjicit legendum *id quod.* Neque abnuit Jacksonus.

[7] *Et præfert.* Ms. Voweri *aut præfert.* JACKSON.

[8] *Perplexo.... producto.* Editi *perplexa producta*, contra leges grammaticas. Editiones Anglicanas secuti sumus.

[9] *Legimus.* Sic edit. Welchm. et Jackson. pro vulgata lectione *legitimas.*

Digitized by Google

nes ad recta revocantur. Nam quibus ad honestam vitam deest ratio, metus est necessarius, ut qui rationem reliquerunt, vel terrore moveantur. Et ideo omnes istæ vel iracundiæ Dei, vel odia, vel quæcumque sunt hujusmodi, dum ad medicinam nostram proferuntur (ut res docet), ex consilio, non ex vitio venerunt: nec ex fragilitate descendunt; propter quod etiam ad corrumpendum Deum valere non possunt. Materiarum enim in nobis ex quibus sumus, diversitas, ad iracundiæ consuevit corrumpentem nos excitare discordiam; quæ in Deo, vel ex natura vel ex vitio, non potest esse: dum non utique ex coagmentis corporalibus intelligitur esse constructus. Est enim simplex, et sine ulla corporea concretione, quidquid illud est totus, quod se solus scit esse; quandoquidem *Spiritus* sit dictus (*Joan.* IV, 24). Et ideo hæc quæ in hominibus vitiosa sunt et corrumpentia, dum ex corporis ipsius et materiæ corruptibilitate nascuntur, in Deo corruptibilitatis vim exercere non possunt: [1] quandoquidem, ut diximus, non ex vitio, sed ratione venerunt.

## CAPUT VI.

*Et licet Scriptura faciem divinam sæpe ad humanam formam convertat, non tamen intra hæc nostri corporis lineamenta modum divinæ majestatis includi.*

Et licet Scriptura cœlestis ad humanam formam faciem divinam sæpe convertat, dum dicit (*Psal.* XXXIII, 16): *Oculi Domini super justos:* aut dum (*Gen.* VIII, 21): *Odoratus est Dominus Deus odorem bonæ fragrantiæ:* aut dum traduntur Moysi tabulæ *scriptæ digito Dei* (*Exod.* XXXI, 18): aut dum populus filiorum Israel de terra Ægypti *manu valida et brachio excelso* (*Psal.* CXXXV, 12) liberatur: aut dum dicit (*Isa.* I, 20): *Os enim Domini locutum est hæc:* aut dum terra *scabellum pedum* Dei esse perhibetur (*Isa.* LXVI, 1): aut dum dicit: (IV *Reg.* XIX, 16): *Inclina aurem tuam, et audi:* [2] nos qui dicimus, quia Lex spiritalis est, non intra hæc nostri corporis lineamenta, modum aut figuram divinæ majestatis includimus, sed suis illam interminatæ magnitudinis (ut ita dixerim) campis sine ullo fine diffundimus. Scriptum est enim (*Psal.* CXXXVIII, 8, 9, 10): *Si ascendero in cœlum, tu ibi es: si descendero ad inferos, ades: et si assumpsero alas meas, et abiero trans mare, ibi manus tua apprehendet me, et dextera tua detinebit me.* Rationem enim divinæ Scripturæ de temperamento dispositionis cognoscimus. Parabolis enim adhuc, secundum fidei tempus, A de Deo Prophetes tunc loquebatur, non quomodo Deus erat, sed quomodo populus capere poterat. Ut igitur hæc sic de Deo dicantur, non Deo, sed populo potius imputetur. Sic (*Exod.* XXVI) et tabernaculum erigere populo permittitur; nec tamen Deus intra tabernaculum [3] clusus continetur; sic (III *Reg.* IV) et Templum exstruitur; nec tamen Deus intra templi angustias omnino sepitur. Non igitur mediocris est Deus, sed populi mediocris est sensus: nec angustus Deus, sed rationis populi angustus est intellectus habitus. Denique in Evangelio (*Joan.* IV, 21): *Veniet hora*, Dominus aiebat, *cum neque in monte isto, neque in Hierusalem adorabitis Patrem*, et causas reddidit dicens (*Ibid.* v. 24): *Spiritus est Deus; et eos ergo qui* [4] *adorant, in spiritu et veritate adorare oportet.* Efficaciæ igitur ibi divinæ per membra B monstrantur: non habitus Dei, nec corporalia lineamenta ponuntur. Nam et cum oculi describuntur, quod omnia videat exprimitur; et quando auris, quod [5] omnia audiat proponitur; et cum digitus, significantia quædam voluntatis aperitur; et cum nares, precum quasi odorum perceptio ostenditur; et cum manus, quod creaturæ sit omnis auctor probatur; et quando brachium, quod nulla natura contra robur ipsius repugnare possit edicitur; et quando pedes, quod impleat omnia, nec sit quidquam ubi non sit Deus, explicatur. Neque enim sunt ei aut membra aut membrorum officia necessaria, ad cujus solum etiam tacitum arbitrium et serviunt et adsunt omnia. Cur enim requirat oculos, qui Lux est? aut cur quæ- C rat pedes, qui ubique est? aut cur ingredi velit, cum non sit quo extra se progredi possit? aut cur manus expetat, cujus ad omnia instituenda artifex est et silens voluntas? [6] Nec auribus eget, qui etiam tacitas novit voluntates. Aut propter quam causam linguam quærat, cui cogitare jussisse est? Necessaria enim hæc membra hominibus fuerunt, non Deo: quia inefficax hominis consilium fuisset, nisi cogitamen corpus implesset; Deo autem non necessaria, cujus voluntatem non tantum sine aliqua molitione, opera subsequuntur, sed ipsa statim opera cum voluntate procedunt. Cæterum ipse totus oculus, quia totus videt; et totus auris, quia totus audit; et totus manus, quia totus operatur; et totus pes, quia totus ubique est. Idem enim quidquid illud est, totus æqua- D lis est, et totus ubique est. Non enim habet in se diversitatem sui, quidquid est simplex. Ea enim demum in diversitatem membrorum recidunt, quæ veniunt ex nativitate in dissolutionem. [7] Sed hæc quæ

## GALLANDII COMMENTARIUS.

[1] *Quandoquidem.* Cod. Anglicus ms. vetustiss. legit *quoniam quidem.* JACKSON.

[2] *Nos.* Al. *Sed nos.* Illud *sed* prætermisimus cum editoribus Anglicanis, ex verborum auctoris tenore.

[3] *Clusus.* Deest apud Welchmanum hæc vox, quam reliqui præ se ferunt.

[4] *Adorant.* Welch. *adorant eum*, juxta et Gr. Vulg. Al. omittunt. Et forte omisit ipse Novatianus.

[5] *Omnia.* Ita Pamelius aliique. Gelenius tamen, quem sequitur Welchmanus, *omnes.*

[6] *Nec auribus.... voluntates.* Excidit hæc pericope ab edito Welchmaniano. Ubi et paulo post legitur, *non tantum aliqua molitione*, dempta præpositione *sine*, quam alii exhibent.

[7] *Sed hæc.* Ita vulg. Welchmanus mallet, *quam hæc.* Jacksonus vero *sed hanc*, ut referatur ad *diversitatem membrorum.* Videtur tamen auctor *hæc* tum

Digitized by Google

concreta non sunt, sentire non possunt. Quod enim immortale est, quidquid est, illud ipsum unum et simplex et semper est. Et ideo quia unum est, dissolvi non potest; quoniam quidquid est illud ipsum extra jus dissolutionis positum, legibus est mortis solutum.

## CAPUT VII.

ARGUMENTUM. — *Spiritus quoque cum Deus dicitur, claritas et lux, non satis Deum illis appellationibus explicari.*

Sed illud quod dicit Dominus (*Joan.* IV, 24) Spiritum Deum,[1] puto ego sic locutum Christum de Patre, ut adhuc aliquid plus intelligi velit quam Spiritum Deum. Hominibus enim licet in Evangelio suo intelligendi incrementa[2] faciens disputet; sed tamen et[3] ipse sic adhuc de Deo loquitur hominibus, quomodo possunt adhuc audire vel capere; licet, ut diximus, in agnitionem Dei religiosa jam facere incrementa nitatur. Invenimus enim scriptum esse quod (I *Joan.* IV, 8) Deus *Charitas* dictus sit; nec ex hoc tamen Dei substantia *Charitas* expressa est: et quod (I *Joan.* I, 5) *Lux* dictus est; nec tamen in hoc substantia Dei est, sed totum hoc de Deo dictum est quantum dici potest; ut merito et quando Spiritus dictus est, non omne id quod est, dictus sit; sed ut dum mens hominum intelligendo usque ad ipsum proficit Spiritum, conversa jam ipsa in spiritu, aliud quid amplius per Spiritum conjicere Deum esse possit. Id enim quod *est*, secundum id quod est, nec humano sermone edici, nec humanis auribus percipi, nec humanis sensibus colligi potest. Nam si (I *Cor.* II, 9) *quæ præparavit Deus his qui diligunt illum, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis, aut mens ipsa percepit;* qualis et quantus est ille ipse qui hæc repromittit, ad quæ intelligenda et mens hominis et natura defecit? Denique si acceperis Spiritum substantiam Dei, creaturam feceris Deum.[4] Omnis enim spiritus creatura est. Erit ergo jam factus Deus. Quomodo et si secundum Moysen (*Deut.* IV, 24) *Ignem* acceperis Deum; creaturam illum esse dicendo, institutum expresseris, non institutorem docueris. Sed hæc figurantur potius quam ita sunt. Nam et in Veteri Testamento ideo Deus *Ignis* dicitur, ut peccatori populo metus incutiatur, dum judex ostenditur. Et in Novo Testamento Spiritus esse profertur, ut[5] refector et creator in delictis suis mortuorum, per hanc bonitatem collatæ credentibus indulgentiæ, comprobetur.

## CAPUT VIII.

ARGUMENTUM. — *Hunc ergo Deum novisse et venerari Ecclesiam; eique testimonium reddit tam invisibilium, quam etiam visibilium, et semper, et tota natura, quam ejus providentia regit ac moderatur.*

Hunc ergo, omissis hæreticorum fabulis atque figmentis, Deum novit et veneratur Ecclesia; cui testimonium reddit tam invisibilium quam etiam visibilium et semper et tota natura: quem Angeli adorant, astra mirantur, maria benedicunt, terræ verentur, inferna[6] quæque suspiciunt: quem mens omnis humana sentit, etiam si non exprimit: cujus imperio omnia[7] commoventur, fontes scaturiunt, amnes labuntur, fluctus assurgunt, fœtus suos cuncta parturiunt, venti spirare coguntur, imbres veniunt, maria commoventur, fœcunditates suas cuncta ubique diffundunt: qui peculiarem protoplastis æternæ vitæ mundum quemdam paradisum in oriente constituit; *arborem vitæ* plantavit (*Gen.* II, 9); *scientiæ boni et mali* similiter alteram arborem collocavit; mandatum dedit; sententiam contra delictum statuit (II *Pet.* II, 5); Noe justissimum de diluvii periculis pro merito innocentiæ fideique servavit (*Gen.* V, 24); Enoch transtulit (*Jac.* II, 23); in amicitiæ societatem Abraham allegit (*Gen.* XXII, 12); Isaac protexit (*Ibid.* v. 30, 43); Jacob auxit (*Exod.* III, 9, 10); Moysem ducem populo

## GALLANDII COMMENTARIUS.

ad *diversitatem membrorum*, tum ad *dissolutionem* retulisse.

[1] *Puto.* Cod. Anglic. ms. *putem*, quod malim. JACKSON.

[2] *Faciens.* Ita Welchmanus, cui adhæret Jacksonus, pro edit. *facientibus.* Quam quidem germanam esse lectionem, inquit posterior editor Anglicanus, attendenti facile patebit. Christus enim erat, qui in Evangelio suo hominibus intelligendi incrementa faciebat.

[3] *Ipse sic.* Ita Pamelius. Voculam *sic* omiserunt editores Anglicani: immerito, ut videtur: eam enim sequens *quomodo* postulare perhibetur.

[4] *Omnis enim spiritus creatura est.* Levissima sunt quæ Pamelius heic reprehendit, et Rufino similiter displicuisse putat. Hæc enim verba, *Omnis spiritus creatura est*, minime Spiritum sanctum attingunt. Demonstrat Novatianus Deum ab hominibus nulla voce designari posse, quæ non plurimum aberret ab infinita illa majestate. Quamobrem sive *lux*, sive *spiritus*, sive *ignis* dicatur, nihil horum apte de Deo et commode pronuntiari; propterea quod et spiritus et ignis creaturæ sint. « Hæc, inquit, figurantur « potius, quam ita sunt. Nam et in Veteri Testamento Deus *Ignis* dicitur; ut peccatori populo « metus incutiatur, dum judex ostenditur: et in « Novo Testamento *Spiritus* esse profertur, ut refector et creator in delictis suis mortuorum, per « hanc bonitatem collatæ credentibus indulgentiæ, « comprobetur. » Ubi vides *ignis* et *spiritus* appellationes Novatiano a rebus materialibus translatas videri; nec eum de Spiritu sancto dictum voluisse, quod *omne spiritum* ait *creaturam esse.* MARAN. *Divin. D. N. J. C.* lib. IV, cap. 19. §. 3, pag. 520.— Præiverat in eamdem sententiam Welchmanus: quem tamen locum, notatu sane dignissimum, transilit Jacksonus; qui alia cæteroquin vulgatissima fuse persequitur.

[5] *Refector et creator.* Sic Pamelius. Gelenius *refertor*, vitiose procul dubio: quam tamen lectionem in textu retinuit Welchmanus, alteram *refector* in notis subjiciens. Mox idem Welchm. *recreator* legendum putat: quod mallet quoque Jacksonus.

[6] *Quæque. Quoque* omnino legendum existimat Jacksonus, utpote magis emphaticum.

[7] *Commoventur.* Ita editi. Unus Welchmanus, *continentur.*

Digitized by Google

præfecit; ingemiscentes filios Israel e jugo servitutis eripuit; Legem scripsit; patrum sobolem in terram repromissionis induxit; Prophetas spiritu instruxit; et per hos omnes Filium suum Christum repromisit; et quando daturum se [1] spoponderat, misit. Per quem nobis in notitiam venire voluit; et in nos indulgentiæ suæ sinus largos profudit, egenis et abjectis locupletem Spiritum conferendo. Et quia ultro et largus et bonus est, ne totus hic orbis aversus gratiæ ejus fluminibus aresceret (*Marc.* XVI, 15), Apostolos institutores generis nostri in totum orbem mitti per Filium suum voluit : ut conditio generis humani agnosceret institutorem; et, si sequi maluisset, haberet quem pro Deo in suis jam postulationibus Patrem diceret (*Matth.* VI, 9). Cujus providentia non tantummodo singillatim per homines cucurrit aut currit; sed etiam per ipsas urbes et civitates, quarum exitus Prophetarum vocibus cecinit; immo etiam per ipsum totum orbem, cujus propter incredulitatem, exitus, plagas, deminutiones pœnasque descripsit. Et ne quis non etiam ad minima quæque Dei putaret istam infatigabilem providentiam pervenire, *Ex duobus*, inquit Dominus, *passeribus unus non cadet sine Patris voluntate; sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt* (*Matth.* X, 29, 30). Cujus etiam cura et providentia Israelitarum non sivit nec vestes consumi, nec vilissima in pedibus calceamenta deteri (*Deut.* VIII, 4), sed (*Dan.* III, 27;) nec [2] ipsorum postremum adolescentium captiva sarabara comburi; nec immerito : nam si hic omnia complexus est omnia continens, (omnia autem et totum ex singulis constant) pertinget consequenter ejus ad usque singula quæque cura, cujus ad totum, quidquid est, pervenit providentia. Hinc est quod et desuper Cherubim sedet (*Ezech.* I, 10; *Psal.* XCVIII, 1), id est, præest super operum suorum varietatem, subjectis throno ejus animalibus præ cæteris principatum tenentibus, cuncta desuper crystallo [3] contegente, id est, cœlo omnia operiente : quod (*Gen.* I, 6) in firmamentum de aquarum fluente materia fuerat Deo jubente solidatum, ut glacies robusta, aquarum terram pridem contegentium dividens medietatem, dorso quodam pondera aquæ superioris, corroboratis de gelu viribus, sustineret. Nam et (*Ezech.* X, 12) rotæ subjacent, tempora scilicet, quibus omnia semper mundi membra volvuntur (*Ezech.* I, 18) talibus pedibus adjectis quibus non in perpetuum stant ista, sed transeunt. Sed et per omnes [4] artus stellata sunt oculis : Dei enim opera pervigili obtutu contemplanda sunt, in quorum sinu carbonum medius est ignis; sive quoniam (II *Pet.* III) ad igneum diem judicii mundus iste festinat; sive quoniam omnia opera Dei ignea, nec sunt tenebrosa sed [5] vigent; sive etiam, ne, quia ex terrenis ista fuerant orta principiis, naturaliter de originis suæ rigore torperent, addita est omnibus interioris spiritus calida natura, quæ frigidis concreta corporibus, ad usuram vitæ æqualia omnibus libramenta [6] monstraret. Hic est igitur currus, secundum David, Dei, *Currus enim*, inquit, *Dei decies millies multiplicatus* (*Psal.* LXVII, 18), id est, [7] innumerus, infinitus, immensus. Sub jugo enim naturalis legis omnibus datæ, alia quasi frenis revocata retrahuntur, alia quasi effusis habenis excitata impelluntur. Mundum enim istum currum Dei, cum omnibus et ipsi Angeli ducunt et astra; quorum varios licet meatus, certis tamen legibus vinctos, inspicimus ad metas definiti sibi temporis ducere; ut merito nobis quoque cum Apostolo, et artificem et opera mirantibus exclamare jam libeat : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam inscrutabilia judicia ejus et investigabiles viæ ejus!* et reliqua (*Rom.* XI, 33).

## CAPUT IX.

*Porro eamdem regulam veritatis docere nos, credere post Patrem etiam in Filium Dei Jesum Christum Dominum Deum nostrum, eumdem in Veteri Testamento repromissum, et in Novo exhibitum.*

Eadem regula veritatis docet nos credere, post Patrem, etiam in Filium Dei, Christum Jesum Dominum Deum nostrum, sed Dei Filium; hujus Dei qui et unus et solus est, conditor scilicet rerum omnium, ut jam et superius expressum est. Hunc enim Jesum Christum, iterum dicam hujus Dei Filium, et in Veteri Testamento legimus esse repromissum et in Novo Testamento animadvertimus exhibitum, omnium sacramentorum umbras et figuras de præsentia corporatæ veritatis implentem. Hunc enim Abrahæ filium, hunc David, hunc non minus et vetera prædicta et Evangelia testantur. Hunc ipsa Genesis, cum dicit : *Tibi dabo et semini tuo* (*Gen.* XVII, 8). Hunc, quando luctatum ostendit hominem cum Jacob (*Gen.* XXXII, 24). Hunc, quando dicit (*Gen.* XLIX, 10) : *Non deficiet princeps de Juda, neque dux de femoribus ejus, donec veniat Is cui repromissum est, et ipse erit expectatio gentium* (*Gen.* XLIX, 10). Hunc Moyses, cum dicit : *Provide alium quem mittas* (*Exod.* IV, 13). Hunc idem,

### GALLANDII COMMENTARIUS.

[1] *Spoponderat.* Sic editores Anglicani Pamelius, *sponderat.*

[2] *Ipsorum.... captiva sarabara.* Ita editi, præter Welchmanianum, in quo absque mss. aut exemplarium auctoritate, reponere placuit editori, *ipsa captivorum sarabala.*

[3] *Contegente.* Apud Pamelium mendose, ut videtur, *contingente.*

[4] *Artus.* Sic recte, mea quidem sententia : emendavit Welchmanus præcedentes editiones, quæ habent *ortus.* Vox enim restituta refertur ad animalia quæ proxime præcedunt.

[5] *Vigent.* Latinius *lucent.* Welchmanus *luce vigent* legendum, existimat. At judice Jacksono, melius editi *vigent.* Nimirum innuere voluit fortasse auctor, quod Dei opera interiorem igneum *vigorem* seu spiritum habeant.

[6] *Monstraret.* Mallet Welchmanus *ministraret* : quod valde probatur Jacksono.

[7] *Innumerus.... immensus.* Minus recte, ut videtur, Gagnæus : *numerus infinitus et immensus.*

Digitized by Google

quando testatur, *Prophetem vobis*, dicendo, *suscitabit* A *Deus ex fratribus vestris : eum quasi me audite* (*Deut.* XVIII, 15). Hunc, quando dicit : *Videbitis vitam vestram pendentem nocte ac die, et non credetis ei* (*Deut.*, XXVIII, 66). Hunc Isaias : *Prodiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (*Isa.* XI, 1). Hunc eumdem, quando dicit : *Ecce Virgo concipiet et pariet filium* (*Isa.* VII, 13). Hunc, quando sanitates ab eo futuras collocat dicens : *Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum audient, tunc saliet claudus ut cervus, et diserta erit lingua mutorum* (*Ibid.* XXXV, 3, 6). Hunc, quando patientiæ virtutes expromit dicens : *Non audietur in plateis vox ejus; arundinem quassatam non conteret, et linum fumigans non extinguet* (*Ibid.* XLII, 2-3). Hunc, quando ejus Evangelia descripsit : *Et disponam vobis testamentum æternum, sancta David fidelia* (*Isa.* LV, 3). Hunc, quando B gentes in ipsum crediturras prophetat : *Ecce posui eum in principem et præcipientem gentibus. Gentes quæ te non noverunt invocabunt te, et populi qui te nesciunt ad te confugient* (*Ibid.* 4, 5). Hunc eumdem, quando ad passionem ejus exclamat dicens : *Sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum in humilitate* (*Isa.* LIII, 7). Hunc quando flagrorum ejus ictus plagasque descripsit : *Livore ejus nos sanati sumus* (*Ibid.* 5); aut humilitatem : *Et vidimus eum, et non erat ei species neque honor. Homo in plaga et sciens ferre infirmitatem* (*Ibid.* 2, 3). Aut quod populus non erat crediturus : *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem* (*Isai.* LXV, 2). Aut quod resurrecturus a mortuis : *Et erit in illa die radix Jesse, et qui surget imperare gentibus, in eum gentes* C *sperabunt; et erit requies ejus honor* (*Isai.* XI, 10). Aut cum tempus resurrectionis : *Quasi diluculo paratum inveniemus eum* (*Ose.* VI, 3). Aut quod sessurus ad dextram Patris : *Dixit Dominus Domino meo : Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Ps.* CIX, 1-2). Aut cum possessor omnium collocatur : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Ps.* II, 8). Aut quod judex omnium ostenditur : *Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis* (*Ps.* LXXI, 1). Nec hoc in loco plura persequar, quæ annuntiata de Christo, [1] omnibus hæreticis, sed et ipsis veritatem tenentibus magis nota sunt.

## CAPUT X.

*Jesum Christum Dei Filium esse, et vere hominem : contra hæreticos phantasiastas, qui veram carnem illum suscepisse negabant.*

Sed illud admoneo, non alterum in Evangelio Christum expectandum fuisse, quam hunc a Creatore Veteris Testamenti litteris ante promissum ; maxime cum et quæ de ipso prædicta sunt impleta sint, et quæ impleta sunt ante prædicta sint. Ut merito hæreticorum istorum Testamenti Veteris auctoritatem respuentium, nescio cui commentitio et ex fabulis anilibus ficto Christo atque fucato possim vere et constanter dicere : Quis es ? unde es ? a quo missus es? quare nunc venire voluisti ? quare talis ? vel qua venire potuisti? vel quare non ad tuos abisti ? nisi quod probasti tuos [2] non habere, dum ad alienos venis ? Quid tibi cum mundo creatoris ? quid tibi cum homine conditoris ? quid tibi cum figmento corporis, cui eripis spem resurrectionis ? quid ad alienum venis famulum, alienum sollicitare desideras filium ? quid me a Domino eripere conaris ? quid me in Patrem blasphemare atque impium esse compellis ? aut quid sum a te in resurrectione consecuturus, qui me ipsum non recipio dum corpus amitto ? Si salvare vis, fecisses hominem cui salutem dares. Si a delicto eripere cupis, ante mihi ne derelinquerem contulisses. Quod autem tecum suffragium circumfers legis ? Quod habes testimonium propheticæ vocis ? aut quid mihi possum de te solidum repromittere, cum te videam in phantasmate et non in soliditate venisse ? Quid ergo tibi cum figura corporis, si corpus odisti? immo revinceris corporis quod odisti circumferre substantiam, cujus suscipere voluisti etiam figuram. Odisse enim debueras corporis imitationem, si oderas veritatem. Quoniam si alter es, [3] aliter venire debueras : ne dicereris filius creatoris, si vel imaginem habuisses carnis et corporis. Certe si oderas nativitatem, quia creatoris oderas nuptiarum conjunctionem, recusare debueras etiam imitationem hominis, qui per nuptias nascitur creatoris. Neque igitur eum hæreticorum agnoscimus Christum, qui in imagine (ut dicitur) fuit et non in veritate : [4] nihil enim verum eorum quæ gessit fecerit, si ipse phantasma et non veritas fuit : neque eum, qui nihil in se nostri corporis gessit, dum ex Maria nihil accepit, [5] ne non nobis venerit ; dum non in nostra substantia visus apparuit. Neque illum, qui aetheream sive siderean, ut alii voluerunt hæretici, voluit carnem ; ne illam in illo [6] nostro intelligamus salutem, si non etiam nostri D corporis cognoscamus soliditatem : nec ullum omnino alterum qui quodvis aliud ex figmento [7] hæreticorum gesserit corpus fabularum. Omnes enim istos et nativitas Domini et mors ipsa confutat. Nam et (*Joan.* I,

## GALLANDII COMMENTARIUS.

[1] *Omnibus hæreticis, sed et ipsis veritatem tenentibus.* Recte conjecisse videtur Welchmanus, dum legendum autumat *ipsis hæreticis, sed et omnibus veritatem tenentibus.* At rectius fortasse, *omnibus veritatem tenentibus, sed et ipsis hæreticis.* Ejusmodi trajectiones librarii haud insuete.

[2] *Non habere.* Forte legendum cum Welchmano *te non habere.*

[3] *Aliter venire debueras.* Recte *aliter*, non *alter*, ut conjicit Welchmanus. Sensum explicat Tertullianus *adv. Marc.*, l. III, cap. 10 : *Cur enim non in aliqua alia digniore substantia venit, et in primis sua, ne et indigna et aliena videretur eguisse?* JACKSON.

[4] *Nihil enim verum.* Conjunctionem *enim* restitui ex mss. Woweri. ED.

[5] *Ne non nobis.* Pro *ne non* legit *neque* Latinius ; Jacksonus vero mallet *neque enim.*

[6] *Nostro.* Sic editi. *Nostram* reposuit Welchmanus. *Nostræ* rescribebat Jacksonus ; id est carni, de qua sermonem habet auctor : quod minus placet.

[7] *Hæreticorum..... corpus fabularum.* Alii legunt, notante Franc. Junio, *hæreticarum*, ut referatur ad *fa-*

Digitized by Google

14) *Verbum*, inquit Joannes, *caro factum est, et habitavit in nobis.* Ut merito corpus nostrum in illo fuerit quoniam quidem nostram carnem Sermo suscepit. Et sanguis idcirco de manibus ac pedibus, atque ipso latere demanavit, ut nostri consors corporis probaretur, dum occasus nostri legibus moritur. Qui dum in eadem substantia corporis in qua moritur, ressuscitatus ipsius corporis vulneribus comprobatur, etiam resurrectionis nostræ leges in sua carne monstravit, [1] qui corpus, quod ex nobis habuit, in sua resurrectione restituit. Lex enim resurrectionis ponitur, dum Christus ad exemplum cæterorum in substantia corporis suscitatur. Quoniam, cum (I *Cor.* XVI, 50) *caro et sanguis non obtinere regnum Dei* scribitur, non carnis substantia damnata est, quæ divinis manibus, ne periret, exstructa est; sed sola carnis culpa merito reprehensa est, quæ voluntaria hominis temeritate contra legis divinæ jura grassata est. Quia in Baptismate et in mortis dissolutione, sublata caro ad salutem revertitur: dum ad statum innocentiæ, deposita criminis mortalitate, revocatur.

## CAPUT XI.

*Et vero non hominem tantum Christum, sed et Deum: sicuti hominis filium, ita et Dei filium.*

Verum ne ex hoc quod Dominum nostrum Jesum Christum Dei Creatoris Filium in substantia veri corporis exhibitum asserimus, aliis hæreticis hoc in loco hominem tantum et solum defendentibus, atque ideo hominem illum nudum et solitarium probare cupientibus, aut manus dedisse, aut [2] loquendi materiam commodasse videamur: non sic de substantia corporis ipsius exprimimus, ut [3] solum tantum hominem illum esse dicamus; sed ut, divinitate sermonis in ipsa concretione permixta, etiam Deum illum secundum Scripturas esse teneamus. Est enim periculum grande, salvatorem generis humani, totius dominum et principem mundi, cui (*Matth.* XX, 21) a suo Patre omnia tradita sunt et cuncta concessa, per quem instituta sunt universa, creata sunt tota, digesta sunt cuncta, ævorum omnium et temporum regem, Angelorum omnium principem ante quem nihil præter Patrem, hominem tantummodo dicere, et auctoritatem illi divinam in his abnegare. Hæc enim contumelia hæreticorum ad ipsum quoque Deum Patrem redundabit, si Deus Pater Filium Deum generare non potuit. Sed enim veritati cæcitas hæreticorum nulla præscribet. Nec quoniam in Christo aliquid tenent, aliquid non tenent, alterum vident, alterum non vident, eripietur nobis illud quod non vident, per illud quod vident. Quasi hominis enim in illo fragilitates considerant, quasi Dei virtutes non computant; infirmitates carnis recolunt, potestates divinitatis excludunt. Quando si probatio hæc ex infirmitatibus Christi illuc proficit, ut homo ex infirmitatibus comprobetur; probatio divinitatis in illo collecta ex virtutibus illuc proficiet, ut etiam Deus ex operibus asseratur. Si enim passiones ostendunt in illo humanam fragilitatem, cur opera non asserant in illo divinam potestatem? ne si hoc non profecerit ut Deus ex virtutibus asseratur, nec passiones proficiant ut etiam homo ex ipsis esse monstretur. Quæcumque enim lex in alterutro fuerit posita, invenietur esse [4] suscepta. Periculum enim erit, nec hominem illum ex passionibus ostendi, si non potuerit etiam Deus ex virtutibus approbari. Non est ergo in unam partem inclinandum, et ab alia parte fugiendum, quoniam nec tenebit perfectam veritatem quisquis aliam veritatis excluserit portionem. Tam enim Scriptura etiam Deum annuntiat Christum, quam etiam hominem ipsum annuntiat Deum; tam hominem descripsit Jesum Christum, quam etiam Deum quoque descripsit Christum Dominum. Quoniam nec Dei tantum illum Filium esse proponit, sed et hominis; nec hominis tantum dicit, sed et Dei referre consuevit: ut dum ex utroque est, utrumque sit; ne si alterum tantum sit, alterum esse non possit. Ut enim præscripsit ipsa natura hominem credendum esse, qui ex homine sit; ita eadem natura præscribit et Deum credendum esse, qui ex Deo sit: ne si non et Deus fuerit, cum ex Deo sit; jam nec homo sit, licet ex homine fuerit. [5] Et sic in alterutro utrumque periclitetur, dum alterum altero fidem perdidisse convincitur. Qui legunt ergo (*Matth.* I, 1) [6] hominis filium hominem Christum Jesum, legant hunc eumdem et Deum et Dei Filium nuncupatum. Nam [7] quomodo est, qua homo, ex Abraham; sic est etiam, qua Deus (*Joan.* VIII, 58), ante ipsum Abraham. Et quomodo, qua homo, *filius David* (*Matth.* XXII, 42, 43, 44); ita *Dominus* David, qua Deus, nuncupatus est. Et quomodo, qua homo, *sub lege* factus est (*Gal.* IV, 4); ita, qua Deus, *sabbati Dominus* expressus est (*Luc.* VI, 5). Et quomodo, qua homo, sententiam patitur (*Matth.* XXVII, 26); sic omne, qua Deus, de vivis et mortuis judicium habere reperitur (*Joan.* V, 21, 22). Et quomodo post mundum, qua homo, nascitur: sic (*Joan.* XVII, 5) ante mundum, qua Deus, fuisse perhibetur. Et quomodo ex semine David (*Rom.* I, 3), qua homo, genitus est;

## GALLANDII COMMENTARIUS.

*bularum*. Sed hoc male. Legendum potius suspicatur idem Junius *corpus fabularium*, σῶμα μυθώδες: dicitur enim *fabularis* et *fabularius*, ut *ollaris* et *ollarius*. Hinc *hæreticorum* vox non est sollicitanda: quod probo. JACKSON. Welchmanus autem conjiciebat rescribendum *fabulare*.

[1] *Qui*. Welchmanus *quia*, non male. JACKSON.

[2] *Loquendi*. *Obloquendi* suspicatur legendum esse Welchmanus: sed idem, opinor, heic valet *loquendi*, ac *disputandi*. ID.

[3] *Solum tantum*. Forte *solum et tantum*, ut paulo superius. JACKSON.

[4] *Suscepta*. Editorum lectionem *suspecta*, ita castigavit Welchmanus, eumque sequitur Jacksonus.

[5] *Et sic in alter*. Ita cum Gagnæo et Barrensi edidit Welchmanus. Al. omittunt *sic*.

[6] *Hominis filium hominem C. J.* Proponit Welchmanus legendum, *hominem et hominis filium*: quod probo; et analogia sequentium, *Deum et Dei filium* videtur confirmari. JACKSON.

[7] *Quomodo*. Mallem divisim legi *quo modo*; et sic in sequentibus. ID.

Digitized by Google

sic item [1] per ipsum, qua Deum, mundus dicitur institutus (*Joan.* I, 10). Et quomodo, qua homo, post multos (*ib.* 15); sic, qua Deus, ante omnes. Et quomodo cæteris, qua homo, inferior (*Isa.* LV, 3); sic omnibus, qua Deus, major (*Act.* X, 36). Et quomodo in cœlum, qua homo, ascendit (*Joan.* VI, 62); sic inde, qua Deus, ante descendit. Et quomodo ad Patrem, qua homo, vadit, (*Joan.* XIV, 28) sic obediens Patri, qua Filius, inde descensurus est (*Act.* I, 11). Ita si mediocritates in illo approbant humanam fragilitatem; majestates in illo affirmant divinam potestatem. Periculum est enim, cum utrumque legis, non utrumque, sed alterum credidisse. Ex quo quoniam utrumque in Christo legitur, utrumque credatur; ut fides ita demum vera sit, si et perfecta fuerit. Nam si ex duobus, altero in fide cessante, unum, et quidem id quod est minus, ad credendum fuerit assumptum; perturbata regula veritatis, temeritas ista non salutem contulerit, sed in vicem salutis de jactura fidei, periculum mortis grande conflaverit.

## CAPUT XII.

*Deum enim Veteris Testamenti Scripturarum auctoritate probari.*

Cur ergo dubitemus dicere, quod Scriptura non dubitat exprimere? cur hæsitabit fidei veritas, in quo Scripturæ numquam hæsitavit auctoritas? Ecce enim Osee prophetes ait ex persona Patris: *Jam non salvabo eos in arcu, neque in equis, neque in equitibus; sed salvabo eos in Domino Deo* (*Osee*, I, 7) ipsorum. Si Deus salvare se dicit in Deo, non autem salvat nisi in Christo Deus: cur ergo homo dubitet Christum Deum dicere, quem Deum a Patre animadvertit positum per Scripturas esse? immo si non salvat nisi in Deo Pater Deus, salvari non poterit a Deo Patre quisquam, nisi confessus fuerit Christum Deum, [2] in quo se et per quem se repromittit Pater salutem daturum; ut merito quisquis illum agnoscit esse Deum, salutem inveniat in Deo Christo; quisquis non recognoscit esse Deum, salutem perdiderit, [3] quam alibi nisi in Christo Deo invenire non poterit. Quomodo enim Isaias: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitis nomen ejus Emmanuel* (*Isa.*, VII, 14); quod interpretatum est *nobiscum Deus*, sic Christus ipse dicit: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.*, XXVIII, 20). Est ergo *nobiscum Deus*, immo multo magis etiam in nobis est. Nobiscum est Christus: est ergo cujus nomen est, *nobiscum Deus*, quia et nobiscum est. Aut numquid non est nobiscum? quomodo ergo dicit se nobiscum esse? est ergo nobiscum. Sed quoniam nobiscum est; Emmanuel, id est, *nobiscum Deus*, dictus est. [4] Deus ergo quia nobiscum est, *nobiscum Deus* dictus est. Idem Prophetes: *Convalescite, manus dissolutæ, et genua debilia, consolamini pusillanimes sensu, convalescite, nolite timere: ecce Deus noster judicium retribuet; ipse veniet et salvabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum audient; tunc saliet claudus sicut cervus, et diserta erit lingua mutorum* (*Isa.*, XXXV, 3, 4, 5, 6). Si in adventu Dei dicit Prophetes hæc futura signa quæ facta sunt; aut Dei Filium agnoscant Christum, in cujus adventu, et a quo hæc sanitatum signa facta sunt; aut divinitatis Christi veritate superati, in alteram hæresim ruentes, Christum, dum Filium Dei et Deum confiteri nolunt, Patrem illum esse [5] confiteantur. Vocibus enim Prophetarum inclusi, jam Christum Deum negare non possunt. Quid ergo respondent, cum in adventu Dei hæc signa futura dicuntur, quæ in adventu Christi gesta sunt, Christum qualiter accipiunt Deum? Deum enim jam negare non possunt. Qua Patrem? aut qua Filium? Si qua Filium; cur Dei Filium Deum negant? Si qua Patrem; cur eos non sequuntur, qui ejusmodi blasphemias tenere videntur? nisi quoniam nobis in hoc adversus illos de [6] veritate certamine, hoc interim sufficit, ut quocumque genere convicti Christum confiteantur [7] et Deum, quem etiam Deum negare voluerunt. Per Abacuc prophetam ait: *Deus ab Africo veniet et sanctus de monte opaco et condenso* (*Abac.*, III, 3). Quem volunt isti ab Africo venire? Si venisse aiunt omnipotentem Deum Patrem, ergo de loco Deus Pater venit ex quo etiam [8] loco cluditur, et intra sedis alicujus angustias continetur; et jam per istos, ut diximus, Sabelliana hæresis sacrilega corporatur. Siquidem Christus non Filius, sed Pater creditur; et novo more, dum ab istis districte homo nudus asseritur, per eos rursum Christus Pater Deus omnipotens comprobatur. At si in Bethlehem, cujus metaturæ regio ad meridianam respicit plagam cœli, Christus nascitur, qui per Scripturas et Deus dicitur: merito Deus hic ab Africo venire describitur, quia a Bethlehem venturus esse prævidebatur. Eligant ergo ex duobus quid velint, hunc, qui ab Africo venit Filium esse, an Patrem: Deus enim dicitur ab Africo venturus. Si Filium, quid dubitant Christum et Deum dicere? Deum enim Scriptura dicit esse venturum: si Patrem, quid dubitant cum Sabellii temeri-

### GALLANDII COMMENTARIUS.

[1] *Sic item.* Hæc est lectio Welchmaniana, pro *sic ita* editt. Jacksonus tamen, post Fr. Junium, edidit *sic etiam*, eo quod eadem ratione paulo ante loquatur Novatianus.

[2] *In quo se.* Ita editi. Sed *se* expunxit Jacksonus, ut nihil habens quod agat.

[3] *Quam.* Sic Pamelius aliique. Uterque Frob. cum Welchm. *quoniam*. Nec displicet Jacksono.

[4] *Deus ergo.* Ita constanter editi. Primus Welchmanus existimavit hoc legendum *Christus*; arridetque Jacksono ejusmodi conjectura: quam tamen haud admittendam censeo; sublata enim distinctione post *ergo*, vis orationis elucet.

[5] *Confiteantur.* Sic uterque editor Anglic. pro *confitebuntur* editt. Restitutionem rite factam suadet præcedens *agnoscant*.

[6] *Veritate.* Gagnæus et Barrensis *veritatis*, quos importune secutus est Welchmanus.

[7] *Et Deum.* Sic omnes edit. Unus Welchmanus mutavit et in *esse*, nulla codicum auctoritate ductus; neque hujusce mutationis lectorem suum admonuit.

[8] *Cluditur.* Verbum *cludo* Afris scriptoribus frequenter usurpatum. Tertulliano in primis et Cypriano: eoque haud semel utitur et Novatianus, supra cap. 6, hoc et infra cap. 17, etc.



Digitized by Google

tate misceri, qui Christum Patrem dicit? nisi quoniam, sive illum Patrem, sive Filium dixerint, ab hæresi sua, inviti licet, desciscant necesse est, qui Christum hominem tantummodo solent dicere: dum illum, rebus ipsis coacti, Deum incipiunt promere, sive dum illum Patrem, sive dum illum Filium voluerint nuncupare.

## CAPUT XIII.

### *Eamdem veritatem evinci e sacris Novi Fœderis Litteris.*

[1] Ac sic et Joannes nativitatem Christi describens (*Joan.* I, 14), *Verbum*, inquit, *caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus claritatem ejus, claritatem tamquam unigeniti a Patre,* [2] *plenum gratia et veritate.* Nam et *vocatur nomen ejus Verbum Dei* (*Apoc.* XIX, 13): nec immerito. *Eructavit*, inquit, *cor meum verbum bonum* (*Psal.* XLIV, 2); quod Verbum Regis nomine consequenter appellat inferendo, *Dico ego opera mea Regi. Per ipsum* enim *omnia facta sunt opera, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 3). *Sive enim*, inquit Apostolus, *Throni, sive Dominationes, sive Virtutes, sive Potestates, visibilia et invisibilia, omnia per ipsum constant* (*Coloss.* I, 16). Verbum autem hoc illud est, quod *in sua venit, et sui eum non receperunt. Mundus enim per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit* (*Joan.* I, 10, 11). *Verbum* autem *hoc erat in principio apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Quis igitur dubitet, cum in extrema parte dicitur, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, Christum cujus est nativitas, et [3] quia caro factus est, esse hominem, et quia Verbum Dei, Deum incunctanter edicere esse; præsertim cum animadvertat Scripturam evangelicam, utramque istam substantiam in unam nativitatis Christi fœderasse concordiam? Hic est enim qui *sicut sponsus egreditur de thalamo suo; exultavit ut gigas ad currendam viam; a summo cœlo egressio ejus et usque ad summum regressio ejus* (*Psal.* XVIII, 6, 7). Quoniam usque ad summum, *nec quisquam in cœlum ascendit, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis qui est in cœlis* (*Joan.* III, 13). Repetens hoc ipsum dicit: *Pater, clarifica me eo honore quo fui apud te antequam mundus esset* (*Joan.* XVII, 5). Ac si de cœlo descendit Verbum hoc, tamquam spansus ad carnem, ut per carnis assumptionem Filius hominis illuc posset ascendere, unde Dei Filius Verbum descenderat, merito, dum per connexionem mutuam et caro Verbum Dei gerit, et Filius Dei fragilitatem carnis assumit; cum sponsa carne conscendens illuc, unde sine carne descenderat, recipit jam claritatem illam, quam dum ante mundi institutionem habuisse ostenditur, Deus manifestissime comprobatur. Et nihilominus, dum mundus ipse post illum institutus refertur, per ipsum creatus esse reperitur; quo ipso divinitatis in ipso, per quem factus est mundus, et claritas et auctoritas [4] comprobetur. Quod si, cum (III *Reg.* VIII, 39) nullius sit nisi Dei, cordis nosse secreta (*Matth.* IX, 4; *Apoc.* II, 23), Christus secreta conspicit cordis: quod si, cum (*Isa.* XLIII, 25) nullius sit nisi Dei, peccata dimittere; idem (*Marc.* II, 5) Christus peccata dimittit: quod si, cum nullius sit hominis de cœlo venire; de cœlo veniendo descendit: quod si, cum nullius hominis hæc vox esse possit, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30); hanc vocem de conscientia divinitatis Christus solus edicit: quod si postremo, omnibus divinitatis Christi probationibus et rebus instructus apostolus Thomas, respondens Christo, *Dominus meus et Deus meus* (*Joan.* XX, 28) dicit: quod si et apostolus Paulus, *quorum*, [5] inquit, *patres et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX, 5), in suis litteris scribit: quod si idem se *Apostolum non ab hominibus, aut per hominem, sed per Jesum Christum* (*Gal.* I, 1, 12) constitutum esse depromit: quod si idem, Evangelium non se *ab hominibus didicisse aut per hominem, sed per Jesum Christum* accepisse contendit: merito Deus est Christus. Itaque hoc in loco ex duobus alterum constare debebit. Cum enim manifestum sit omnia esse facta per Christum; aut ante omnia est, quoniam omnia per ipsum, et merito et Deus est: aut quia homo est, post omnia est, et merito per ipsum nihil factum est. Sed nihil per ipsum factum esse non possumus dicere, cum animadvertamus omnia per ipsum facta esse scriptum: non ergo post omnia est, id est non homo tantum est, qui post omnia est: sed et Deus; quoniam [6] Deus ante omnia est. Ante omnia est enim, quia per ipsum omnia; ne si homo tantum, nihil per ipsum; aut si omnia per ipsum, non homo tantum: quoniam si homo tantum; non omnia per ipsum, immo nihil per ipsum. Quid ergo respondent? nihil per ipsum, ut homo sit tantum? Quomodo ergo omnia per ipsum? Ergo non homo tantummodo est, sed et Deus; siquidem omnia sunt per ipsum: ut merito intelligere debeamus [7], nec hominem esse Christum tantummodo, qui est post omnia; sed et Deum, cum per ipsum facta sint omnia. Quomodo enim aut hominem tantummodo dicas, cum illum etiam in carne conspicias; nisi quoniam si utrumque animadvertitur, utrumque merito credatur?

## GALLANDII COMMENTARIUS.

[1] *Ac sic.* Pamelius *ac si.*

[2] *Plenum.* Ita Welchmanus post Gagnæum. Quæ est Vulgata lectio. Al. *plenus.*

[3] *Quia caro... quia Verbum.* Qua utrobique legit Latinius.

[4] *Comprobetur.* Suspicatur Welchmanus legendum *comprobatur.*

[5] *Inquit.* Hanc vocem redundare puto: et forte inserta erat studio librarii aut dictantis, non attendentis ad sequens verbum *scribit.* JACKSON.

[6] *Deus.* Hanc vocem quam præ se ferunt omnes editi, unus Jacksonus immerito expungendam censuit.

[7] *Nec. Non* vox aptior est, et ni fallor, vera. JACKSON.

Digitized by Google

## CAPUT XIV.

*Idem argumentum persequitur auctor.*

Et tamen adhuc dubitat hæreticus Christum dicere esse Deum : quem Deum tot et rebus [1] animadverti et vocibus approbatum. Si homo tantummodo Christus, quomodo veniens in hunc mundum in sua venit, cum homo nullum fecerit mundum? Si homo tantummodo Christus; quomodo mundus per ipsum factus esse refertur, cum non per hominem mundus, sed post mundum homo institutus referatur? Si homo tantummodo Christus, quomodo non ex semine tantum David Christus, sed Verbum caro factum est et habitavit in nobis? Nam etsi protoplastus non ex semine, sed tamen protoplastus non est ex Verbi et carnis conjunctione concretus : non est enim Verbum caro factum et habitavit in nobis. Si homo tantummodo Christus, quomodo *qui de cœlo venit, quæ vidit et* [2] *audiit testificatur* (*Joan.* III, 31, 32), cum constet hominem de cœlo, quia ibi nasci non possit, venire non posse? Si homo tantummodo Christus, quomodo (*Col.* I, 16) *visibilia et invisibilia, Throni, Virtutes et Dominationes* per ipsum et in ipso creata esse referuntur, cum Virtutes cœlestes per hominem fieri non potuerint, quæ ante hominem ipsum esse debuerint? Si homo tantummodo Christus, quomodo (*Matth.* XVIII, 20) adest ubique invocatus, cum hæc hominis natura non sit, sed Dei, ut adesse omni loco possit? Si homo tantummodo Christus, cur homo in orationibus Mediator invocatur, cum invocatio hominis ad præstandam salutem inefficax judicetur? Si homo tantummodo Christus, cur (I *Tim.* I, 1) spes in illum ponitur, cum (*Jer.* XVII, 5) spes in homine maledicta referatur? Si homo tantummodo Christus, cur (*Matth.* X, 33) non licet Christum sine exitio animæ [3] negari, cum in homi- A nem commissum delictum referatur posse dimitti? Si homo tantummodo Christus, quomodo Joannes Baptista testatur et dicit (*Joan.* I, 15) : *Qui post me venit, ante me factus est, quia prior me fuit;* cum, si homo tantummodo Christus, post Joannem natus, ante Joannem esse non possit, nisi quoniam illum, qua Deus est, ante præcessit? Si homo tantummodo Christus, quomodo (*Joan.* V, 19) *quæ Pater facit, et Filius facit similiter*, cum homo cœlestibus operibus Dei similia opera facere non possit? Si homo tantummodo Christus, quomodo *sicut Pater in se vitam habet, ita dedit Filio vitam habere in semetipso* (*Joan.* V, 26); cum exemplo Patris Dei, homo in se vitam habere non possit, cum non in æternitate sit gloriosus, sed in materia mortalitatis effectus? Si homo B tantummodo Christus; quomodo refert, *Ego sum panis vitæ æternæ qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 51); cum neque panis vitæ homo esse possit ipse mortalis, nec de cœlo descenderit, nulla in cœlo constituta materia fragilitatis? Si homo tantummodo Christus, quomodo dicit, *quia Patrem Deum nemo vidit umquam, nisi qui est a Deo, hic vidit Deum?* (*Ibid.* 46.) Quoniam, si homo tantummodo Christus, Deum videre non potuit, quia Deum nemo hominum vidit : si autem dum ex Deo est, Deum vidit, plus se quam hominem, dum Deum vidit, intelligi voluit. Si homo tantummodo Christus, cur dicit : *Quid, si videritis Filium hominis ascendentem illuc ubi ante erat?* (*Ibid.* 62.) Ascendit autem in cœlum : ibi ergo fuit, dum illuc redit ubi prius fuit [4]. Quod si C de cœlo missus a Patre est, non utique homo tantum est : homo enim, ut diximus, de cœlo venire non potuit. Non igitur ibi ante homo fuit, sed illuc ascendit ubi non fuit. Descendit autem Dei Verbum, quod ibi fuit. Verbum, inquam, Dei et Deus per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil

### GALLANDII COMMENTARIUS.

[1] *Animadvertit.* Gagnæus legit *Animadverterit*, quod tamen perinde est.

[2] *Audiit.* Ita exstare in uno cod. Pamelii, asserit Jacksonus : quam proinde lectionem restituimus, pro *audit* editi.

[3] *Negari.* Forte *negare :* sed nihil mutandum. Jacksonus.

[4] *Quod si de cœlo*, etc. In omnibus editis, post verba *ubi prius fuit*, continuo sequuntur ; *Ex quo manus ponere. figuram et formam futuram passionis ostendens. Nemo igitur Christum sicut Angelum non dubitat dicere*, etc. Ut primum hæc legerim, obstupui. Quorsum enim hæc, *Ex quo manus ponere*, etc., et quid nobis heic loci cum *Angelo Christo*, de quo hactenus actum sit? Actum est de omnibus exemplis, de quibus mox loquitur. At quum caput 23, edit. Pamelii attigeram, argumentum de Christo Deo simul et homine intempestive heic intermissum, intempestivius illic instauratum reperi. Ulterius porro pergenti, varia de Christo Angelo exempla occurrerunt usque ad finem capiti 27, ubi de Jacobo transversas manus Manassi et Ephraimo imponenti agitur : et caput demum clauditur sententia, ad quam hæc verba, *Ex quo manus ponere*, etc., maxime spectant : capitis vero initium 28 nequaquam. Ut vero hæc aliaque quæ recensere nimis longum esset, observarim; haud mediocriter gavisus sum, D quod istam libri partem quam quasi penitus amissam deploraveram, integram sane, et loco solum alieno positam, tandem invenerim. De causa autem tantæ hujus confusionis dein cogitanti, nulla mihi tam probabilis visa est, quam bibliopegi incuria; qui codicis istius ex quo omnia quæ nunc habemus, exemplaria manarunt, unum alterumve quaternionem extra ordinem suum conjecerit. Atque hæc eo probabilior visa est, quod paginarum versuumque in utraque parte sic male collocata, par fere sit numerus. Utcumque vero id sit, schedarum ordinem turbatum esse satis constat; et exinde difficilis et obscura facta est Disputatio, facilis alias et aperta, uti nunc iterum reddita est; schedis ad propria loca reductis. Welchman — In eamdem sententiam post Welchmanum Jacksonus. Ante utrumque vero ejusmodi confusionem in Novatiano probe noverat Cotelerius in *Monum. Eccl. Gr.*, tom. III, pag. 634, ubi et auctoris opus permixtum in ordinem redigere studuit. Porro ut clarius pateat mutationis ratio novique ordinis restitutio, tabellam subjicimus, qua editio nostra collata cum Pameliana exhibetur.

| *Edit. nov.* | *Edit. Pamelii.* |
|---|---|
| Caput XV. . . . est . . . | XXIII. |
| XVI. . . . . | XXIV. |
| XVII. . . . . | XXV. |
| XVIII. . . . . | XXVI. |

Digitized by Google

(*Joan.* I, 3). Non igitur homo inde [1] sic de cœlis venit; sed Dei Sermo, id est Deus, inde descendit.

## CAPUT XV. *al.* XXIII.

*Rursum ex Evangelio Christum Deum comprobat.*

Si homo tantummodo Christus, quomodo ait (*Joan.*, VIII, 14, 15) : *Etsi ego de me testificor, verum est testimonium meum; quia scio unde venerim, et quo eam* [2] : *vos ignoratis unde venerim, aut quo eam : vos secundum carnem judicatis.* Ecce et heic illuc se dicit rediturum, unde se testificatur ante venisse, missum scilicet de cœlo. Descendit ergo unde venit, quomodo illuc vadit unde descendit. Ex quo, si homo tantummodo Christus esset, non inde venisset; atque ideo nec illuc abiret, quoniam non inde venisset. Veniendo autem inde, unde homo venire non potest, Deum se ostendit venisse. Sed enim hujus ipsius descensionis ignari et imperiti Judæi, heredes sibi hæreticos istos reddiderunt, quibus dicitur : *Vos ignoratis unde veniam, et quo eam : vos secundum carnem judicatis* (*Ib.*). Tam isti quam Judæi carnalem [3] solam esse Christi nativitatem tenentes, nihil aliud Christum esse quam hominem crediderunt; non considerantes illud, quoniam cum de cœlo homo non potuerit venire, ut merito illuc posset redire, Deum esse qui inde descenderit, unde homo venire non potuerit. Si homo tantummodo Christus, quomodo dicit : *Vos ex inferioribus estis, ego de sursum sum; vos de hoc mundo estis, ego non sum de hoc mundo?* (*Joan.*, VIII, 23.) Ideo autem si omnis homo ex hoc mundo est, et ideo in hoc mundo est Christus, an homo tantummodo est? Absit. Sed considera quod ait : *Ego non sum de hoc mundo.* Numquid ergo mentitur, quum ex hoc mundo sit, si homo tantummodo sit? Aut si non mentitur; non est ex hoc mundo. Non ergo homo tantummodo est, quia ex hoc mundo non est. Sed ne lateret quis esset, expressit unde esset : *Ego,* inquit, *de sursum sum;* hoc est, de cœlo, unde homo venire non potest; non enim in cœlo factus est. Deus est ergo qui de sursum est, et idcirco de hoc mundo non est : quamquam etiam quodammodo ex hoc mundo est; unde non Deus tantum est Christus, sed et homo. Ut merito, quomodo non est ex hoc mundo secundum Verbi divinitatem; ita ex hoc mundo sit secundum suscepti corporis fragilitatem : Homo est enim cum Deo junctus, et Deus cum homine copulatus. Sed idcirco nunc heic Christus in unam partem solius divinitatis incubuit, quoniam cæcitas Judaica solam in Christo partem carnis aspexit, et inde in præsenti loco, silentio præterita corporis fragilitate quæ de mundo est, de sua sola divinitate locutus est quæ de mundo non est : ut in quantum illi inclinaverant, ut hominem illum tantummodo crederent, in tantum illos Christus posset ad divinitatem suam considerandam trahere, ut se Deum crederent; volens illorum incredulitatem circa divinitatem suam, omissa interim commemoratione sortis humanæ, solius divinitatis oppositione superare. Si homo tantummodo Christus, quomodo dicit : *Ego ex Deo prodii et veni* (*Joan.* VIII, 42; XVI, 28), cum constet hominem a Deo factum esse, non ex Deo processisse : ex Deo autem homo quomodo non processit, sic Dei Verbum processit; de quo dictum est : *Eructavit cor meum Verbum bonum* (*Ps.* XLIV, 2). Quod quoniam ex Deo est, merito et apud Deum est. Quodque, quia non otiose prolatum [4] est, merito omnia facit. *Omnia* enim *per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 3). Sed enim hoc Verbum per quod facta sunt omnia (Deus [5] est). *Et Deus*, inquit, *erat Verbum.* Deus ergo processit ex Deo, dum qui, processit Sermo, Deus est qui processit ex Deo. Si homo tantummodo Christus; quomodo ait : *Si quis verbum meum servaverit, mortem non videbit in æternum?* (*Joan.* VIII, 51.) Mortem in æternum non videre, quid aliud quam immortalitas est? Immortalitas autem divinitati socia est, quia et Divinitas immortalis est, et immortalitas divinitatis fructus est. Sed enim omnis homo mortalis est; immortalitas autem ex mortali non potest esse. Ergo ex Christo homine mortali, immortalitas non potest nasci. Sed *qui verbum custodierit,* inquit, *meum, mortem non videbit in æternum.* Ergo verbum Christi præstat immortalitatem [6], et per immortalitatem præstat divinitatem. Quod si non potest exhibere, ut immortalem alterum faciat ipse mortalis; hoc autem Christi verbum exhibet, pariter et præstat immorta-

## GALLANDII COMMENTARIUS.

| | |
|---|---|
| XIX . . . . . | XXVII. |
| XX . . . . . | XV. |
| XXI . . . . . | XVI. |
| XXII . . . . . | XVII. |
| XXIII . . . . . | XVIII. |
| XXIV . . . . . | XIX. |
| XXV . . . . . | XX. |
| XXVI . . . . . | XXI. |
| XXVII . . . . . | XXII. |

Cætera eodem procedunt ordine in utraque editione.

[1] *Sic.* Nescio quid vult heic vox *sic.* Legendum puto, *scilicet.* JACKSON.

[2] *Vos ignoratis unde venerim, aut quo eam.* Aliis deest hoc membrum textus (habet tamen Pamelius); sed neuria scribæ, ut ego puto, propter ὁμοιοτέλευτον. Qua etiam de causa deest in edit. Welchm., nisi ille emittendum judicaret. Certe habuit noster in codice, ut ex sequentibus manifestum est. JACKSON.

[3] *Solam.* Sic Pamelius aliique. Welchmanus *solum.*

[4] *Est.* Gagnæus, Frobenius et Barrensis omittunt *est.*

[5] *Deus est.* Argumentum auctoris addenda requirit hæc verba, *Deus est;* aliter deficit sensus : et propter sequens *Deus*, festinante tachygrapho videntur prætermissa. Sed ea uncis includenda putavi, ut nihil sine auctoritate exemplarium mutarem. JACKSON. — Hunc ipsum locum eadem ratione haud multo post restituit pluribusque defendit contra personatum Artemonium, Wesselingius *Probabil.*, cap. 26, pag. 318, seqq., neque tamen V. C. editionem Jacksonianam inspexisse videtur.

[6] *Per immortalitatem præstat divinitatem.* Hujus loci vim non assecutus Welchmanus, contra fidem om-

Digitized by Google

litatem : non utique homo tantum est, qui præstat immortalitatem; quam, si tantummodo homo esset, præstare non posset : præstando autem divinitatem per immortalitatem, Deum se probat divinitatem porrigendo, quam nisi Deus esset, præstare non posset. Si homo tantummodo Christus, quomodo inquit *Ante Abraham ego sum?* (*Joan.* VIII, 58.) Nemo enim hominum ante eum potest esse ex quo ipse est; nec potest fieri ut [1] quisquam prius fuerit ante illum ex quo ipse originem sumpsit. Sed enim Christus, cum ex Abraham sit, ante Abraham esse se dicit. Aut mentitur igitur et fallit si ante Abraham non fuit, qui ex Abraham fuit : aut non fallit si etiam Deus est, dum ante Abraham fuit. Quod nisi fuisset, consequenter cum ex Abraham fuisset, ante Abraham esse non posset. Si homo tantummodo Christus; quomodo ait : *Et ego* [2] *agnosco eas et sequuntur me meæ; et ego vitam æternam do illis, et numquam peribunt in perpetuum?* (*Joan.* X, 27, 28.) Sed enim cum omnis homo mortalitatis sit legibus alligatus, et idcirco in perpetuum se ipse servare non possit, multo magis in perpetuum alterum servare non poterit. At in perpetuum se Christus repromittit salutem daturum; quam si non dat, mendax est : si dat, Deus est. Sed non fallit; dat enim quod repromittit : Deus est ergo, qui salutem perpetuam porrigit; quam homo, qui se ipsum servare non potest, alteri præstare non poterit. Si homo tantummodo Christus, quid est, quod ait : *Ego et Pater unum sumus?* (*Ib. v.* 30.) Quomodo enim *Ego et Pater unum sumus*, si non et Deus est et Filius? qui idcirco unum potest dici dum ex ipso est, et dum Filius ejus est, et dum ex ipso nascitur [3], dum ex ipso processisse reperitur, per quod et Deus est. Quod cum invidiosum Judæi putassent, et blasphemum credidissent, eo quod se ostenderat his sermonibus [4] Christum esse Deum, ac propterea ad lapides concurrissent, et saxorum ictus injicere gestiissent; exemplo et testimonio Scripturarum adversarios suos fortiter refutavit. *Si illos*, inquit, *dixit deos ad quos* [5] *Dei verba facta sunt, et non potest solvi Scriptura; quem Pater sanctificavit et misit in hunc mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum ego* (*Joan.* X, 35, 36). Quibus vocibus neque se negavit Deum, quin immo Deum se esse firmavit. Nam quia sine dubitatione dii esse dicuntur, ad quos verba Dei facta sunt; multo magis hic Deus, qui melior illis omnibus invenitur. Et nihilominus calumniosam blasphemiam [6] dispositione legitima congruenter refutavit : Deum enim se sic intelligi vult, ut Filium Dei, et non ipsum Patrem [7] vellet intelligi. *Missum* enim se esse dixit (*Ib. v.* 32), et multa operase ex Patre ostendisse monstravit; ex quo non Patrem se, sed Filium esse intelligi voluit; et in ultima parte defensionis, Filii, non Patris, fecit mentionem dicendo : *Vos dicitis quia blasphemas, quia dixi : Filius Dei sum.* Ita quod ad crimen blasphemiæ pertinet, Filium se, non Patrem dicit : quod autem ad divinitatem [8] spectet ipsius, *Ego et Pater unum sumus dicendo*, Filium se esse et Deum probavit : Deus est ergo : Deus autem sic, ut Filius sit, non Pater.

## CAPUT XVI. *al.* XXIV.

*Iterum ex Evangelio Christum Deum comprobat.*

Si homo tantummodo Christus, quomodo ipse dicit : *Et omnis qui* [9] *vivit et credit in me, non morietur in æternum?* (*Joan.* XI, 26.) Sed enim qui in hominem solitarium credit et nudum, maledictus dicitur (*Jer.* XVII, 5) : hoc autem, qui credit in Christum non maledictus, sed in æternum non moriturus refertur. Ex quo, si aut homo est tantum, ut hæretici volunt, quomodo quisquis in eum credit, non morietur in æternum, cum maledictus esse teneatur qui confidit in homine? Aut si non maledictus, sed potius ad æternæ vitæ consecutionem, ut legitur, destinatus; [10] non homo tantummodo Christus, sed et Deus : in quem qui credit, et maledictionis periculum deponit, et ad fructum justitiæ accedit. Si homo tantummodo Christus, quomodo Paraclitum dicit *de suo esse sumpturum quæ nuntiaturus si?* (*Joan.* XVI,

## GALLANDII COMMENTARIUS.

nium præcedentium editionum et absque ullius ms. codicis auctoritate, verba hæc et sequentia sic invertit : *per divinitatem præstat immortalitatem — præstando autem immortalitatem per divinitatem — immortalitatem porrigendo*, etc. Quis porro non videat, ut cætera omittamus, hac verborum transpositione ταυτολογίαν in textum auctoris induci? Etenim, si hunc editorem Anglum audias, ita scripsisse Novatianus perhibetur : *Ergo verbum Christi præstat immortalitatem, et per divinitatem præstat immortalitatem.*

[1] *Quisquam.* Ita cum Jacksono rescripsimus pro *quidquam* editt. propter *illum* quod sequitur. Mox R. L. de la Barre editionem expressimus, qui legit *ipse* pro *ipsam* Pamelii. Al. *ipsum*. Utramque sane restitutionem contextus ratio suadere videtur.

[2] *Agnosco.* Ex ms. Woweri reposui *agnosco* pro editt. *agnoscam :* quod nec Græco textui convenit, nec Vulgatæ ubi est *cognosco.* JACKSON.

[3] *Dum. Et dum* scripsisse videtur auctor. ID.

[4] *Christum.* Forte *Christus.* Nimirum, *se ostenderat — Christus esse Deum.* ID.

[5] *Dei.* Vocem *Dei* omittit Pamelius. Illam tamen tum textus tum sensus auctoris requirunt; adeoque Novatiano restituimus, utrumque Anglicanum editorem secuti.

[6] *Dispositione.* Hanc vocem non intelligens Welchmanus, *depositione* rescripsit. At Novatianus respicit οἰκονομίαν; apud veteres notabilem; quam Tertullianus et interpres Irenæi passim, *dispositionem* verterunt. JACKSON.

[7] *Vellet.* Welchm. conjicit legendum *se velit.* Jackson vero *se vellet.*

[8] *Spectet.* Ita editi. Forte legendum *spectat :* quod sine exemplarium testimonio ultro edidit Welchmanus. JACKSON.

[9] *Vivit.* Hanc vocem cum Latinio ad textum reduxi, pro editt. *videt*, quod nec Græcis nec Latinis congruit : sed est *Joan.* VI, 40, atque inde memoriæ lapsu potuit exscribere Novatianus. JACKSON.

[10] *Non homo. Non est homo* edidit ex Gagnæo Welchmanus. ID.

Digitized by Google

14.) Neque enim Paraclitus ab homine quidquam accipit, sed hominî scientiam Paraclitus porrigit, nec futura ab homine Paraclitus discit, sed de futuris hominem Paraclitus instruit. Ergo aut non accepit Paraclitus a Christo homine quod nuntiet, quoniam Paraclito homo nihil poterit dare a quo ipse homo debet accipere; et fallit in præsenti loco Christus et decipit, cum Paraclitum a se homine accepturum quæ nuntiet dicit; aut non nos fallit, sicut nec fallit, et accepit Paraclitus a Christo quæ nuntiet. [1] Sed si a Christo accepit quæ nuntiet; major ergo jam Paraclito Christus est: quoniam nec Paraclitus a Christo acciperet, nisi minor Christo esset. Minor autem Christo Paraclitus Christum etiam Deum esse hoc ipso probat, a quo accepit quæ nuntiat; ut testimonium Christi divinitatis grande sit, dum minor Christo Paraclitus repertus, ab illo sumit quæ cæteris tradit. Quandoquidem si homo tantummodo Christus, a Paraclito Christus acciperet quæ diceret, non a Christo Paraclitus acciperet quæ nuntiaret. Si homo tantummodo Christus; quare credendi nobis talem regulam posuit quo diceret: *Hæc est autem vita æterna ut sciant te unum et verum Deum, et quem misisti Jesum Christum?* (*Joan.* xvii, 3.) Si noluisset se etiam Deum intelligi, cur addidit: *Et quem misisti Jesum Christum*, nisi quoniam et Deum accipi [2] voluit? Quoniam si se Deum nollet intelligi, addidisset: *Et quem misisti hominem Jesum Christum:* nunc autem neque addidit, nec se hominem nobis tantummodo Christus tradidit, sed [3] Deo junxit, ut et Deum per hanc conjunctionem, sicut est, intelligi vellet. Est ergo credendum, secundum præscriptam regulam, in Dominum, unum verum Deum, et in eum quem misit Jesum Christum consequenter, qui se nequaquam Patri, ut diximus, junxisset, nisi Deum quoque intelligi [4] vellet; separasset enim [5] ab eo, si Deum intelligi se noluisset: inter homines enim tantummodo se collocasset, si hominem se esse tantummodo sciret; nec cum Deo junxisset, si se non et Deum nosset: nunc et de homine tacet, quoniam hominem [6] illum nemo dubitat; et Deo se jungit merito, ut crediturus divinitatis suæ formulam poneret. Si homo tantummodo Christus; quomodo dicit: *Et nunc honorifica me gloria quam habebam apud te priusquam mundus esset?* (*Joan.* xvii, 5.) Si antequam mundus esset, gloriam habuit apud Deum, et claritatem tenuit apud Patrem, ante mundum fuit: nec enim habuisset gloriam, nisi ipse prius fuisset, qui gloriam posset tenere. Nemo enim habere aliquid poterit, nisi ante ipse fuerit, qui aliquid tenet. Sed enim Christus [7] habet gloriam ante mundi institutionem; ergo ante institutionem mundi fuit. Nisi enim ante institutionem mundi esset; ante mundi institutionem gloriam habere non posset, cum ipse non esset. Sed enim homo gloriam ante mundi institutionem habere non potuit, qui post mundum fuit: Christus autem habuit: ante mundum igitur fuit: non igitur homo tantummodo fuit, qui ante mundum fuit: Deus est igitur, quoniam ante mundum fuit, et gloriam ante mundum tenuit. Nec prædestinatio ista dicatur, quoniam nec posita est; aut addant hoc qui hoc putant: sed væ est adjicientibus, quomodo et detrahentibus, positum (*Apoc.* xxii, 18, 19): non potest ergo dici quod non potest adjici. Sublata ergo prædestinatione quæ non est posita, in substantia fuit Christus ante mundi institutionem. *Verbum est* enim *per quod facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil.* Quoniam et si in prædestinatione dicitur gloriosus, et ante mundi institutionem fuisse prædestinationem, ordo servetur, et ante hunc erit multus numerus hominum in gloriam destinatus. Minor enim per istam destinationem Christus cæteris [8] intelligetur, quibus posterior denotatur. Nam si hæc gloria in prædestinatione fuit, prædestinationem istam in gloriam novissimus Christus accepit: ante enim prædestinatus Adam esse cernetur, et Abel, et Enoch, et Noe, et Abraham, et reliqui cæteri. Nam cum apud Deum et personarum et rerum omnium ordo digestus sit, ante hanc prædestinationem Christi [9] in gloriam multi prædestinati fuisse dicentur. Et hoc

## GALLANDII COMMENTARIUS.

[1] *Sed si a Christo accepit*, etc. Reprehendit Pamelius, et caute legendum monet, quod hæc habet Novatianus de Spiritu sancto. Verum ex Novatiani principiis, qui Filium, quatenus a Patre genitus est, Patri æqualem negat, aptum erat omnino et consequens, ut Spiritum sanctum qui ex Patre Filioque procedit, utroque minorem esse statueret. Nec magis de Spiritus sancti divinitate detrahit, quum eum hoc sensu æqualem Filio negat, quam de Filii, quum eum Patri subjecit, ut originis principio, a quo totam divinitatis auctoritatem accepit. Quin etiam divinitas Spiritus sancti non leviter commendatur hoc loco. Nam si Spiritus sanctus creatura esset; id non majus esset argumentum divinitatis Christi, quam quod cæteræ res creatæ ab eodem accipere dicuntur. Deinde vero quod addit Novatianus, Christum a Spiritu sancto accepturum fuisse, si homo tantum esset aut Angelus (Angelum enim esse fatebantur hæretici): nonne argumento est, res omnes creatas, si modo ratione utantur, ex Spiritu sancto ut auctore sanctitatis pendere? Maran., *Divin. D. N. J. C.* lib. iv, cap. 19, § 3, pag. 520, seq.

[2] *Voluit. Se voluit* edidit auctoritate sua Welchmanus; et forsan recte; sed nihil muto sine exemplarium suffragio. Jackson.

[3] *Deo junxit.* Uterque editor Anglicanus, forte *se Deo junxit.* Mox Welchmanus, *intelligi se vellet* arbitrio suo excusit.

[4] *Vellet.* Heic iterum *se vellet* Welchmanus edidit: neque uspiam ejusmodi additi unum lectorem suum admonuit.

[5] *Ab eo. Se ab eo* existimat legendum Welchmanus: et paulo post *se junxisset.* Sed nihil mutandum cum Jacksono.

[6] *Illum. Illum esse* mallet Jacksonus. At nihil opus.

[7] *Habet.* Sic editi. Welchmanus restituit *habuit*, recte ut videtur: etsi *habet* stare potest. Jackson.

[8] *Intelligetur.* Sic Pamelius ex ms. Anglic. Al. *intelligitur*, quos secutus est Welchmanus. Male. Paulo ante legendum volo, *Minor etiam.* Ib.

[9] *In gloriam.* Ita paulo superius Novatianus. At-

Digitized by Google

pacto minor cæteris hominibus Christus esse [1] deprehenditur, qui melior et major et antiquior ipsis quoque Angelis invenitur. Aut hæc igitur omnia tollantur, ut Christo divinitas [2] auferatur : aut [3] si hæc tolli non possunt, Christo ab hæreticis Divinitas propria reddatur.

## CAPUT XVII. *al.* XXV.

*Item ex Moyse in principio sacrarum Litterarum.*

Quid si Moyses hanc eamdem regulam veritatis exequitur, et hoc in principio suarum nobis tradidit Litterarum, quo discamus omnia creata et condita esse per Dei Filium, hoc est per Dei Verbum? Id enim dicit quod Joannes, quod cæteri; immo et Joannes et cæteri ab hoc intelliguntur accepisse quod dixerunt. Si enim Joannes dicit : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 3); Prophetes autem refert : *Dico ego opera mea Regi* (*Psal.* XLIV, 2); Moyses autem introducit præcipientem Deum ut lux fiat in primis, cœlum firmetur, aquæ congregentur, arida ostendatur, fructus secundum semina [4] provocetur, animalia producantur, luminaria in cœlo atque astra ponantur (*Gen.* I) : non alium ostendit tunc adfuisse Deo cui præciperentur hæc opera ut fierent, nisi eum *per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil.* Ac si hic Verbum Dei est, nam *eructavit cor meum verbum bonum;* ostendit in principio Verbum fuisse, et Verbum hoc apud Patrem fuisse, Deum præterea Verbum fuisse, [5] omnia per ipsum facta esse. Sed enim hoc *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14), Christus scilicet Filius Dei; quem, dum et postmodum secundum carnem hominem accipimus, et ante mundi institutionem Dei Verbum et Deum videmus; merito secundum institutionem Veteris et Novi Testamenti, et Deum et hominem Christum Jesum et credimus et tenemus. Quid si idem Moyses introducit dicentem Deum : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26, 27) : et infra, *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum, masculum et feminam fecit eos?* Si, ut jam dotuimus, Dei Filius est per quem facta sunt omnia; utique Dei Filius est per quem etiam homo institutus est, propter quem facta sunt omnia. Sed enim Deo præcipiente ut homo fiat, Deus refertur esse qui hominem facit : facit autem hominem Dei Filius, Verbum scilicet Dei, *per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil.* Hoc autem Verbum caro factum est, et habitavit in nobis : ergo Christus est Deus. Per Christum igitur homo factus est, ut per Dei Filium. Sed Deus hominem ad imaginem Dei fecit; Deus est ergo qui fecit hominem ad imaginem Dei, Deus ergo Christus est : ut merito nec Veteris Testamenti circa personam Christi vacillet auctoritas, dum Novi Testamenti manifestatione fulcitur : nec Novi Testamenti intercepta sit potestas, dum radicibus veteris Testamenti ejusdem nititur veritas. Ex quo, qui Christum, Dei Filium et hominis, tantummodo præsumunt hominem, non et Deum, contra Testamentum et Vetus et Novum faciunt, dum et Veteris et Novi Testamenti auctoritatem veritatemque corrumpunt. Quid si idem Moyses ubique introducit Deum Patrem immensum atque sine fine, non qui loco cludatur, sed qui omnem locum cludat : nec eum qui in loco sit, sed potius in quo omnis locus sit : omnia continentem et cuncta complexum; ut merito nec descendat nec ascendat, quoniam ipse omnia et continet et implet : et tamen nihilominus introducit Deum descendentem ad turrem quam ædificabant filii hominum [6] considerare quærentem, et dicentem : *Venite;* et mox : *Descendamus, et confundamus illic ipsorum linguas, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui?* (*Gen.* XI, 7.) Quem volunt hoc Deum descendisse ad turrem illam, et homines tunc illos visitare quærentem? Deum Patrem? Ergo jam loco clauditur : et quomodo ipse omnia complectitur? Aut numquid Angelum cum Angelis dicit descendentem, et dicentem : *Venite;* et mox : *Descendamus et confundamus illic ipsorum linguas?* Sed enim in Deuteronomio animadvertimus retulisse Deum hæc, Deumque dixisse, ubi ponitur : *Cum disseminaret filios Adam, statuit fines gentium juxta numerum angelorum Dei* (*Deut.* XXXII, 8). Neque ergo Pater descendit, ut res indicat; neque Angelus ista præcipit, ut res probat. Superest ergo, ut ille descenderit, de quo apostolus Paulus : *Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia* (*Ephes.* IV, 10); hoc est Dei Filius, Dei Verbum. Verbum autem Dei caro factum est, et habitavit in nobis : hic [7] erit Christus : Deus ergo pronuntiabitur Christus.

## CAPUT XVIII. *al.* XXVI.

*Inde etiam, quod Abrahæ visus legatur Deus : quod de Patre nequeat intelligi, quem nemo vidit umquam; sed de Filio in Angeli imagine.*

Ecce idem Moyses refert alio in loco, quod *Abrahæ*

## GALLANDII COMMENTARIUS.

que hanc lectionem secutus est Jacksonus, quæ et probatur Welchmano Editi, *in gloria.*

[1] *Deprehenditur.* Legerim cum Jacksono *deprehendetur.*

[2] *Auferatur.* Editi *non auferatur*, sensu contrario argumento auctoris. JACKSON. et WELCHM.

[3] *Si hæc tolli non possunt. Si hæc in prædestinatione tantum dici non possunt*, legit Gagnæus ut et Frobenius, quos secutus est Welchmanus. Sed edita Pamelii ut aptiora Novatiano retinui : altera enim lectio videtur intrudi ex interpretatione verborum *tolli non possunt.* JACKSON.

[4] *Provocetur.* Forte *provocentur.* WELCHM.

[5] *Omnia.* Conjunctio *et* videtur deesse ante *omnia.* JACKSON.

[6] *Considerare.* Existimat Welchmanus legendum *considerate :* idque pro indubitato habet Jacksonus.

[7] *Erit.* Forte *erat*, quod notavit Welchmanus : *erit* tamen congruet sequenti *pronuntiabitur.* JACKSON.

Digitized by Google

*visus sit Deus* (*Gen.* XII, 7). Atquin idem Moyses audit a Deo, quod *nemo hominum Deum videat et vivat* (*Exod.* XXXIII, 20). Si videri non potest Deus, quomodo visus est Deus? Aut si visus est, quomodo videri non potest? Nam et Joannes, *Deum nemo* (inquit) *vidit umquam* (I *Joan.* IV, 12). Et apostolus Paulus : *Quem vidit hominum nemo, nec videre potest* (I *Tim.* VI, 16). Sed non utique Scriptura mentitur : ergo vere visus est Deus. Ex quo intelligi potest, quod non Pater visus sit, qui numquam visus est; sed Filius, qui et descendere solitus est, et videri quia descenderit. Imago est enim invisibilis Dei, ut mediocritas et fragilitas conditionis humanæ Deum Patrem videre aliquando jam tunc assuesceret in imagine Dei, hoc est, in Filio Dei. Gradatim enim et per incrementa fragilitas humana nutriri debuit per imaginem ad istam gloriam, ut Deum Patrem videre [1] possit aliquando. Periculosa sunt enim quæ magna sunt, si repentina sunt. Nam etiam lux solis subita post tenebras, splendore nimio insuetis oculis non ostendet diem, sed potius faciet cæcitatem.

Quod ne in damnum humanorum contingat oculorum, paulatim disruptis et dissipatis tenebris, ortus luminaris istius mediocribus incrementis fallenter assurgens oculos hominum sensim assuefacit ad totum orbem suum ferendum per incrementa radiorum. Sic ergo et Christus, id est, imago Dei et Filius Dei, ab hominibus inspicitur, qua poterat videri. Et ideo fragilitas et mediocritas sortis humanæ per ipsum alitur, producitur, educatur; ut aliquando Deum quoque ipsum Patrem, assueta Filium conspicere, possit, ut est, videre; ne majestatis ipsius repentino et intolerabili fulgore percussa intercipi possit, ut Deum Patrem quem semper optavit, videre non possit. Ex quo Filius est hic qui videtur; Dei autem Filius, Dei Verbum est; Dei autem Verbum caro factum est et habitavit in nobis : hic autem Christus est. Quæ, malum, ratio est ut dubitetur Deus dici, qui tot modis Deus intelligitur approbari? Ac si et Agar (*Gen.* XVI, 7), ancillam Saræ de domo ejectam pariter et fugatam Angelus convenit apud fontem aquæ in via Sur, fugæ causas interrogat atque accipit; et post hæc humilitatis consilia porrigit; spem præterea illi materni nominis facit, quodque ex utero ejus multum semen esset futurum spondet atque promittit, et quod Ismael ex illa nasci haberet, et cum cæteris aperit locum habitationis ipsius, actumque describit : hunc autem Angelum, et Dominum Scriptura proponit et Deum : (nam [2] nec benedictionem seminis promisisset, nisi Angelus et Deus fuisset) quærant quid in præsenti loco hæretici tractent. Pater fuit iste qui ab Agar visus est, an non? quia Deus positus est. Sed absit Deum Patrem Angelum dicere : ne alteri subditus sit, cujus Angelus fuerit. Sed Angelum dicent fuisse : quomodo ergo Deus erit, si Angelus fuit? cum non sit hoc nomen Angelis umquam concessum; nisi quoniam ex utroque latere nos veritas in istam concludit sententiam [3]; quia intelligere debeamus Dei Filium fuisse : qui quoniam ex Deo est, merito Deus, quia Dei Filius, dictus sit [4] : quoniam Patri subditus et annuntiator paternæ voluntatis est, magni consilii Angelus pronuntiatus est. Ergo [5] si hic locus neque personæ Patris congruit, ne Angelus dictus sit : neque personæ Angeli, ne Deus pronuntiatus sit : personæ autem Christi convenit ut et Deus sit, quia Dei Filius est; et Angelus sit, quoniam paternæ dispositionis annuntiator est; intelligere debent contra Scripturas se agere hæretici; qui Christum cum dicant se et Angelum credere, nolint illum etiam Deum pronuntiare, quem in Veteri Testamento ad visitationem generis humani legunt sæpe venisse. Adhuc adjecit Moyses (*Gen.* XVIII, 1), Abrahæ visum Deum apud quercum Mambre, sedente ipso ad ostium tabernaculi sui meridie : et nihilominus, cum tres conspexisset viros, unum ex illis Dominum nuncupasse; quorum cum pedes lavisset, cineritios panes cum butyro, et [6] ipsius copia lactis offert, et ut hospites retenti vescerentur, hortatur. Post quæ et quod pater futurus esset, audit : et quod Sara uxor ejus paritura ex ipso filium esset, ediscit : et de exitu Sodomitarum, quæ merebantur pati, recognoscit : et quod propter clamorem Sodomorum Deus descendisset, addiscit. Quo in loco si Patrem volunt videri tunc fuisse cum Angelis duobus hospitio receptum, Patrem visibilem hæretici crediderunt : si autem Angelum, cum ex Angelis tribus unus Dominus nuncupatur : cur, quod non solet, Angelus Deus dicitur? nisi quoniam, ut Deo Patri invisibilitas propria reddatur, et Angelo propria mediocritas remittatur, non nisi Dei Filius, qui et Deus est, Abrahæ visus, et hospitio receptus esse [7]. credetur. Quod enim erat futurus, meditabatur in sacramento, Abrahæ factus hospes apud Abrahæ filios futurus (*Joan.* XIII, 5); cujus filiorum pedes, ad probationem quod ipse esset, abluit; red-

## GALLANDII COMMENTARIUS.

[1] *Possit.* Ita cum Jacksono emendavimus editt. *posset.* Tempore namque præsenti semel iterumque in eamdem sententiam paulo post utitur auctor : *possit, ut est, videre — intercipi possit — videre non possit.*

[2] *Nam, nec,* etc. Hæc verba parenthesis forma posui cum Franc. Junio, et periodum desivi verbo *tractent,* aliter ac editi, sensu tamen suffragante, ut integram perpendenti periodum quæ incipit a verbis *Ac si et Agar* patebit. JACKSON.

[3] *Quia.* Suspicatur Welchmanus legendum *qua :* et hoc videtur aptius. ID.

[4] *Quoniam Patri subditus et.* Sensus requirit legi vel *et[quoniam,* vel *quoniam autem,* aut quid simile. Tres vero voces sequentes, *Patri subditus et,* exhibet editio Pamelii, argumento auctoris in id consentiente. Quod autem aliis absunt eædem voces, omittendi ansam arripuit Welchmanus. ID.

[5] *Si hic locus.* Ita Pamelius. In aliis codd. *si locus,* omisso *hic,* quos secutus est Welchmanus. Sed male : nam vocula illa demonstrativa apte indicat prædictum Scripturæ locum, quem auctor edisserit. ID.

[6] *Ipsius.* Conjicit Jacksonus legendum *ipsis.* Sed obstare videtur conjunctio præcedens.

[7] *Credetur.* Ita editi ad unum omnes, excepto Welchmaniano, ubi excusum studiose *credatur.*

Digitized by Google

dens in filiis jus hospitalitatis, quod aliquando illi feneraverat pater. Unde et ne qua esset dubitatio quin iste Abrahæ hospes fuisset, in Sodomitarum exitu ponitur (*Gen.* XIX, 24) : *Quoniam pluit Dominus super Sodomam, et Gomorrham ignem et sulphur a Domino de cœlo.* Sic enim et Prophetes ex persona Dei : *Subverti vos*, inquit, *sicut subvertit* [1]. *Dominus Sodomam et Gomorrham* (*Amos* IV, 11). Dominus ergo Sodomam subvertit, id est, Deus Sodomam subvertit : sed in subversione Sodomorum Dominus pluit ignem a Domino. Hic autem Dominus visus est Abrahæ Deus : Deus autem hic hospes est Abrahæ, visus utique quia tactus : sed cum Pater [2], quia invisibilis, nec tunc utique visus sit; visus est et [3] hospitio receptus et acceptus est [4], qui solitus est tangi, et videri : hic autem Filius Dei, *Dominus a Domino pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur atque ignem.* Hic autem Dei Verbum est : Verbum autem Dei caro factum est, et habitavit in nobis : hic autem Christus est. Non Pater igitur apud Abraham hospes, sed Christus fuit; nec tunc Pater visus est, sed Filius [5]; visus autem est Christus. Merito igitur Christus, et Dominus et Deus est, qui non aliter Abrahæ visus est, nisi quia ante ipsum Abraham, ex Patre Deo [6] Deus Sermo generatus est. Adhuc, inquit, idem Angelus et Deus eamdem Agar fugatam de domo Abrahæ cum puero, consolatur et visitat. Nam cum illa in solitudine exposuisset infantem, quia aqua defecisset ex utre, cumque puer ille clamasset, fletum et planctum levasset (*Gen.* XXI, 17, 18, 19) [7], *Et audivit*, inquit Scriptura, *Deus vocem pueri de loco ubi erat.* Cum Deum esse qui vocem infantis audivit, retulisset; adjecit : *Et vocavit Angelus Domini ipsam Agar de cœlo;* Angelum referens esse quem Deum dixerat, et Dominum pronuntians esse quem Angelum collocarat : quique Angelus et Deus adhuc ipsi Agar promittit majora solatia, dicendo : *Ne timueris; exaudivi enim vocem pueri de loco ubi erat. Surge, sume puerum, et tene : in gentem enim magnam faciam eum.* Hic Angelus, si Angelus tantum est, cur hoc sibi vindicat ut dicat : *In gentem enim magnam faciam eum*, cum hoc utique genus potentiæ Dei sit, Angeli esse non possit? Ex quo etiam [8] Deus confirmatur esse qui hoc potest facere : quoniam ut hoc ipsum comprobetur, adjicitur per Scripturam statim : *Et aperuit Deus oculos ejus, et vidit puteum aquæ vivæ, et abiit, et implevit utrem de puteo, et dedit puero, et erat Deus cum puero.* Si ergo hic Deus erat cum puero qui aperuit oculos Agar, ut videret puteum aquæ vivæ, et hauriret aquam propter urgentem sitis necessitatem; hic autem [9] Deus cœlo illam vocat Angelus dictus, cum superius vocem audiens clamantis pueri [10]. Deus esset potius, non alius intelligitur quam Angelus esse pariter et Deus. Quod cum Patri competens et conveniens esse non possit, qui tantummodo Deus est : competens autem esse possit Christo, qui non tantummodo Deus, sed et Angelus pronuntiatus est; manifeste apparet, non Patrem ibi tunc locutum fuisse ad Agar, sed Christum potius, cum Deus sit, cui etiam Angeli competit nomen; quippe cum *magni consilii Angelus* factus sit (*Isa.* IX, 6) : Angelus autem sit, dum exponit sinum Patris, sicut Joannes edicit (*Joan.* I, 18). [11] Si enim ipse Joannes hunc eumdem qui sinum exponit Patris, Verbum dicit carnem factum esse, ut sinum Patris posset exponere : merito Christus non solum homo est [12], sed et Angelus; nec Angelus tantum, sed et Deus per Scripturas ostenditur, et a nobis hoc esse creditur : ne, si non Christum tunc locutum ad Agar voluerimus accipere; aut Angelum Deum faciamus, aut Deum Patrem omnipotentem inter Angelos computemus.

## CAPUT XIX. *al.* XXVII.

*Quod etiam Jacob apparuerit Deus Angelus, nempe Dei Filius.*

Quid si et alio in loco similiter legimus Deum An-

## GALLANDII COMMENTARIUS.

[1] *Dominus.* Sic Pamelius, eamque lectionem ad mentem Novatiani qui eamdem paulo post repetit, tuetur Jacksonus. Al. *Deus.*

[2] *Quia.* Ita recte emendavit Welchmanus, pro editt. *qua.* JACKSON.

[3] *Hospitio.* Hanc etiam vocem recte restituit idem Welchmanus, pro impress. *hospitibus.* Sed male omisit verba *et acceptus*, quæ retinent omnes editi. ID.

[4] *Qui solitus est.* Ante hæc verba videtur deesse *Filius*, vel *Dei Filius.* ID.

[5] *Visus.* Aptior erit sensus si legerimus *Filius* pro *visus* : quam germanam esse lectionem vix dubito. IDEM.

[6] *Deus Sermo.* Ita editores Anglicani. Vox *Deus* deest apud Pamelium.

[7] *Et audivit.* Forte *exaudivit* : quam quidem vocem paucis interjectis repetit Novatianus. Mox mss. Woweri apud Jacksonum, *vocem audisset infantis.*

[8] *Deus confirmatur esse.* Ita Welchm. et Jackson. Al. *Deus confirmatur Deus esse* : minus recte, ut videtur.

[9] *Deus e cœlo... vocat.* Autumat Welchmanus legendum, *Deus qui e cœlo vocat.* Mallet Jacksonus, *Deus e cœlo illam vocans Angelus est dictus.* Sed lectio vulgata his emendationibus opus non habet.

[10] *Deus esset potius.* Sic editi ad unum omnes Jacksonus tamen textum emendandum putavit, ediditque, *Deus esset positus;* propterea scilicet, inquit, quod *potius* nullum habeat sensum in loco. Hanc vero emendationem vix admittendam censeo : vulgata enim lectio legitimum fundere sensum comperitur. Nimirum, auctor locum Geneseos XXI, 17 edisserens, ubi legitur : *Exaudivit autem* DEUS *vocem pueri, vocavitque* ANGELUS *Dei Agar de cœlo*, hæc habet : *Hic Deus*, — ANGELUS *dictus, quum superius* — DEUS *esset potius, non alius intelligitur*, etc. Perinde ac si dixisset : Qui dicitur Angelus Dei vocasse Agar de cœlo, hic antea Deus esse perhibetur qui exaudierit vocem pueri. Illud quoque accedit, emendatione Jacksoni admissa, vim orationis in Novatiani textu retundi; quum illud *Deus esset potius* plurimum valeat, contra vero frigore frigescat Jacksoniana restitutio *Deus esset positus.*

[11] *Si enim.* Vet. editt. *Sed en m* : quod castigavit recte Pamelius. JACKSON.

[12] *Sed et Angelus.* Vocem et ante *Angelus* reposuit Pamelius ex ms. Anglic. et geminam lectionem probat statim quod sequitur, *sed et Deus.* Omisit *et* cum vet. editt. Welchmanus male. ID.

Digitized by Google

gelum positum? Nam cum apud uxores suas Liam atque Rachel Jacob de patris illarum iniquitate quereretur, et cum referret quod jam in terram propriam remeare et reverti cuperet, somnii quoque sui interponebat auctoritatem, quo tempore refert sibi Angelum Dei per somnium dixisse (*Gen.* xxxi, 11-13) : *Jacob, Jacob. Et ego*, inquit, *dixi : Quid est? Aspice*, inquit, *oculis tuis, et vide hircos et arietes ascendentes super oves et capras variatos albos, et varios et cinericios et dispersos. Vidi enim quæcumque tibi Laban fecit. Ego sum Deus qui visus sum tibi in Loco Dei, ubi* [1] *unxisti mihi illic stantem lapidem, et vovisti mihi illic votum. Nunc ergo surge, et proficiscere de terra hac, et vade in terram nativitatis tuæ, et ero tecum.* Si Angelus Dei loquitur hæc ad Jacob, atque ipse Angelus infert, dicens : *Ego sum Deus qui visus sum tibi in Loco Dei :* non tantummodo hunc Angelum, sed et Deum positum sine ulla hæsitatione conspicimus, quique sibi votum refert ab Jacob destinatum esse in *Loco Dei*, et hoc dicit in *Loco meo*. Est ergo Locus Dei, est et hic Deus. Sed enim ibi simpliciter est in *Loco Dei* positum; neque enim dictum est in Loco Angeli et Dei, sed tantummodo Dei : hic autem qui ista promittit, Deus atque Angelus esse perhibetur; ut merito distinctio sit inter eum qui tantummodo Deus dicitur, et inter eum qui non Deus simpliciter, sed et Angelus pronuntiatur. Ex quo si nullius alterius Angeli potest hoc accipi tanta auctoritas, ut Deum quoque se esse fateatur, et votum sibi factum esse testetur, nisi tantummodo Christi; cui, non quia Angelo tantum, sed quia Deo, votum voveri potest : manifestum est non Patrem accipi posse, sed Filium, Deum et Angelum. Hic autem si Christus est, sicuti est; vehementer periclitatur, qui aut hominem Christum, aut Angelum tantummodo dicit, subtracta illi divini nominis potestate; quam ex Scripturarum cœlestium fide frequenter accepit, quæ illum et Angelum frequenter et Deum dicunt. His omnibus etiam illud accedit, ut quomodo illum et Angelum frequenter et Deum posuit Scriptura divina, sic illum et hominem ponat et Deum, exprimens eadem Scriptura divina quod erat futurus, et depingens jam tum in imagine quod habebat esse in substantiæ veritate. *Remansit enim*, inquit, *Jacob solus, et luctabatur homo cum eo usque in mane : et vidit quoniam non potest adversus eum, et tetigit latitudinem femoris Jacob, cum in eum luctaretur et ipse cum eo, et dixit ei : dimitte me, ascendit enim lucifer. Et ille dixit. Non te dimittam, nisi me benedixeris. Et dixit : Quod est nomen tuum? Et ille dixit, Jacob. Dixitque ei : Non vocabitur* [2] *jam nunc nomen tuum Jacob, sed Israel erit nomen tuum : quia invaluisti cum Deo, et cum hominibus potens es* (*Gen.* xxxii, 24-27). Et adhuc adjicit (*Gen.* xxxii, 30, 31) : *Et vocavit Jacob nomen loci illius, Visio Dei. Vidi enim Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. Ortusque est ei sol : mox* [3] *transivit Visionem Dei; ipse vero claudicabat femore suo.* Homo, inquit, luctabatur cum Jacob. Si homo solitarius, quis est iste? Unde est? Quare cum Jacob contendit atque luctatur? Quid intercesserat? Quid factum fuerat? Quæ ratio contentionis istius tantæ, tantique certaminis? Quare præterea Jacob, qui ad tenendum hominem cum quo luctabatur fortis invenitur, et benedictionem ab eo quem detinebat postulat [4] quia jam lucifer oritur, ideo postulasse reperitur; nisi quoniam præfigurabatur contentio hæc inter Christum et filios Jacob futura, quæ in Evangelio dicitur perfecta? Contra hunc enim hominem colluctatus est populus Jacob, in qua colluctatione potentior populus est Jacob repertus; quippe cum adversus Christum iniquitatis suæ victoriam sit consecutus, quo in tempore, propter facinus quod admisit, incessu fidei propriæ et salutis claudicare gravissime incertus et lubricus cœpit : qui, quamvis superior damnando Christum repertus, eget tamen ipsius misericordia, eget tamen ipsius benedictione. Sed enim hic homo qui cum Jacob luctatus est : *Non*, inquit, *vocabitur etiam nunc nomen tuum Jacob, sed Israel erit nomen tuum.* Ac si Israel est homo videns Deum; eleganter ostendebat Dominus quod non tantum homo esset qui colluctabatur tunc cum Jacob, sed et Deus. Videbat utique Deum Jacob cum quo colluctabatur, quamvis hominem ipsius in colluctatione retineret. Et ut nulla adhuc posset esse dubitatio, interpretationem ipse posuit dicendo : *Quia invaluisti cum Deo, et cum hominibus potens es.* Ob quam causam hic idem Jacob intelligens jam vim sacramenti, et pervidens auctoritatem ejus cum quo luctatus fuisset, nomen loci illius in quo colluctatus est, vocavit *Visionem Dei*. Superstruxit præterea causas ad interpretationem [5] *Visionis Dei* porrigendam. *Vidi enim*, inquit, *Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.* Vidit autem Deum cum quo colluctatus est quasi cum homine : sed et hominem quidem quasi victor tenuit; benedictionem autem quasi a Deo ut inferior, postulavit. Ita cum Deo et cum homine colluctatus fuit : ac sic colluctatio hæc ibi quidem præfigurata est; in Evangelio autem inter Christum et populum Jacob perfecta est : in qua quamvis

## GALLANDII COMMENTARIUS.

[1] *Unxisti*. Sic editi. Pamelii ex ms. Anglic. recte habent : quibus congruunt tum Græca tum Latina. Welchmanus edidit *erexisti*, corrupta exemplaria Gagnæi et Frobenii secutus, in quibus ita ponitur ex alieno loco, nimirum ex v. 45. ID.

[2] *Jam nunc*. Ita Pamelius aliique LXX. οὐ κληθήσεται ἔτι. At editores Anglicani, *etiam nunc* : quam quidem lectionem exhibet paulo post idem Pamelius.

[3] *Mox transivit*. Forte legendum *mox ut trans.* quod etiam suspicatur Welchmanus : et emendationi congruere videtur Vulgata, ubi legitur : *Ortusque est statim sol, postquam transgressus est Phanuel.* JACKSON.

[4] *Quia jam lucifer oritur*, etc. Welchmanus ex prava interpunctione locum luxatum ducit : ejusque conjectura probatur Jacksono. Hinc uterque alia demit, alia transponit. Immerito sane. Nos interim editionem Pamelianam expressimus, quæ utique lectori studioso integra et plana patebit.

[5] *Visionis*. Deest in editis hæc vox; et restituitur a Welchmano. JACKSON.

Digitized by Google

populus superior inventus sit, minor repertus est dum noceus comprobatus est. Quis dubitabit Christum in quo hæc colluctationis figura completa est, non hominem tantum, sed et Deum agnoscere; quandoquidem hominem illum et Deum etiam figura ipsa colluctationis videatur comprobasse? Et tamen etiam post hæc æque non cessat eadem Scriptura divina Angelum Deum dicere, et [1] Deum Angelum pronuntiare. Nam (*Gen.* XLVIII, 14, 15) cum Manassen atque Ephrem filios Joseph benedicturus esset hic ipse Jacob; transversis super capita puerorum manibus collocatis, *Deus*, inquit, *qui pavit me a juventute mea usque in hunc diem, Angelus qui liberavit me ex omnibus malis, benedicat pueros hos.* Usque adeo autem eumdem Angelum ponit quem Deum dixerat, ut singulariter in exitu sermonis sui posuerit personam de qua loquebatur, dicendo *benedicat pueros hos.* Si enim [2] alterum Deum, alterum Angelum voluisset intelligi, plurali numero duas personas complexus fuisset: nunc unius personæ singularem numerum in benedictione deposuit, ex quo eumdem Deum atque Angelum intelligi voluit. Sed enim Deus Pater accipi non potest: Deus autem et Angelus, Christus accipi potest. Quem ut hujus benedictionis auctorem etiam transversas super pueros manus Jacob ponendo significavit, quasi pater illorum esset Christus [3] ex quo manus ponere figuram et formam [4] futuram passionis ostendens. Nemo igitur Christum, sicut Angelum non dubitat dicere, ita etiam Deum hæsitet pronuntiare, cum hunc eumdem [5], et puerorum horum benedictionem, per Sacramentum passionis digestum in figura manuum, et Deum et Angelum intelligat invocatum fuisse.

## CAPUT XX, *al.* XV.

*Ex Scripturis probatur, Christum fuisse Angelum appellatum. Attamen et Deum esse, ex aliis sacræ Scripturæ locis ostenditur.*

At [6] si aliquis hæreticus, pertinaciter obluctans adversus veritatem, voluerit in his omnibus exemplis proprie Angelum aut intelligere, aut intelligendum esse contenderit, in hoc quoque viribus veritatis frangatur necesse est. [7] Nam si omnibus cœlestibus terrenis et infernis Christo subditis, etiam ipsi Angeli cum omnibus cæteris quæcumque subjecta sunt Christo dicuntur dii, jure et Deus Christus. Et si quivis Angelus subditus Christo deus potest dici; et hoc si dicitur et sine blasphemia [8] profertur: multo magis utique et hoc ipsi Dei Filio Christo competere potest, ut Deus pronuntietur. Si enim [9] qui subjectus Christo Angelus, Deus promitur; multo magis et constantius Christus, cui sunt omnes Angeli subjecti, Deus esse dicetur. Nec enim naturæ congruit, ut quæ minoribus concessa sunt, majoribus denegentur. Ita si Angelus Christo minor est, Angelus autem deus dicitur, magis consequenter Christus Deus esse [10] dicitur, qui non uno, sed omnibus Angelis et major et melior invenitur. Ac si *stetit Deus in synagoga deorum in medio autem* [11] *Deus deos discernit* (*Psal.* LXXXI, 1, 2); in synagoga autem aliquotiens Christus stetit; Christus ergo in synagoga Deus stetit, dijudicans scilicet deos quibus dicit: *Usquequo personas hominum accipitis?* accusans scilicet consequenter homines synagogæ non exercentes justa judicia. Porro si illi qui reprehenduntur atque culpantur, propter aliquam tamen causam hoc nomen adipisci sine blasphemia videntur, ut dii nuncupentur: multo magis utique hic Deus habebitur qui non tantum Deus [12] in synagoga deorum stetisse dicitur, sed etiam deos discernens et dijudicans; ex eadem lectionis auctoritate aperitur. At si illi, qui *tamquam unus de principibus* ceciderunt (*Ibid. vers.* 7), dii tamen nuncupantur; multo magis Deus esse dicetur, qui non tantum tamquam unus ex principibus non cadit; sed ipsum quoque malitiæ et auctorem et principem vincit. Quæ autem, malum, ratio est, ut cum legant hoc etiam Moysi nomen datum, dum dicitur, *Deum te posui Pharaoni* (*Exod.* VII, 1); Christo negetur, qui non Pharaoni Deus, sed universæ creaturæ et Dominus et

## GALLANDII COMMENTARIUS.

[1] *Et Deum.* Sic uterque Anglicanus editor. Al. omittunt copulam *et*.

[2] *Alterum Deum.* Has voces a librariis propter consuetam in ὁμοιοτέλευτος negligentiam omissas, recte restituisse videntur Welchmanus et Jacksonus.

[3] *Ex quo manus ponere. Poneret* rescribit Cotelerius *Monum. Eccl. Gr.* tom. III, p. 634, cui adhærent editores Anglicani. Cæcus porro est, inquit Welchmanus, qui non videat, hæc ad proxime antecedentia pertinere, et proinde in suo loco jam reponi: quum tamen in cæteris omnibus editis longe a se invicem separentur, his in initio cap. 15, positis, istis in fine cap. 27. Vide superius adnotata ad cap 15.

[4] *Futuram.* Mallet *futuræ* Welchmanus: sed nihil mutandum censet Jacksonus.

[5] *Et... benedictionem.* Editionem Pamelianam sequimur, quam emendandam existimavit Jacksonus, rescribens *ex... benedictione.* Welchmanus autem pro *et*, legendum *in* conjiciebat.

[6] *At si.* Ita veteres editi. Neque aliter Welchmanus et Jacksonus. Pamelius vero ex ms. Anglic. *Atsi.* Mox Jacksono Voweri ms. secuto, *contendere* pro *contenderit* reponere placuit.

[7] *Nam si omnibus... Et si quivis Angelus.* Sic prorsus legit et supplet Pamelius, partim ex editione Gagnæi priore. Locus tamen adhuc implexus videtur. Monuit vir doctus, voces *dii, jure et Deus Christus* visas esse Gagnæi additionem, et omissas a Gelenio, vindice ms. Britannico; cujus lectio, uno vocabulo *subjecti* vel *subditi* addito post verbum *dicuntur*, hunc sanum edit sensum: *Nam si omnibus cœlestibus terrenis et infernis Christo subditis, etiam ipsi Angeli cum omnibus cæteris quæcumque subjecta sunt, Christo dicuntur* (subjecti *vel* subditi); *et tamen quivis Angelus*, etc. Hæc, ut equidem puto, est germana lectio. JACKSON.

[8] *Profertur.* Omnes edit. Pamel. *proferetur.* Sed veteres editi. *profertur.* Recte. JACKSON et WELCHAM.

[9] *Qui subjectus.* Vel legendum *quivis subjectus*, ut paulo ante; vel *qui subjectus est.* Ita Jacksonus. Postremum conjecit quoque Welchmanus.

[10] *Dicitur.* Forte *dicetur*, ut paulo ante. JACKSON.

[11] *Deus Deos.* Vocem *Deus* expunxit Jacksonus inhærens Heb. LXX, et Vulg. quam tamen exhibent omnes editi.

[12] *In synagoga.* Hæc verba recte restituit Welchmanus, sensu auctoris vindice; qui et paulo post pro

Digitized by Google

Deus constitutus esse reperitur? Et in illo quidem hoc nomen temperate datum, in hoc profuse : in illo ad mensuram, in hoc supra omnem omnino mensuram. *Non enim ad mensuram*, inquit, *dat Filio Pater : Pater enim*, inquit, *diligit Filium* (*Joan.* III, 34, 35). In illo ad tempus, in hoc sine tempore; divini enim nominis potestatem et super omnia et in omne tempus accepit. Quod si qui unius hominis accepit potestatem, in hac exiguitate hujus datæ potestatis nomen tamen istud Dei incunctanter consequitur; quanto magis qui in ipsum quoque Moysen habet potestatem, nominis istius auctoritatem consecutus esse credetur ?

## CAPUT XXI, *al.* XVI.

### *Eamdem divinam majestatem in Christo aliis iterum Scripturis confirmari.*

Et poteram quidem omnium Scripturarum cœlestium eventilare tractatus, et ingentem circa istam speciem Christi divinitatis, ut ita dixerim, silvam commovere : nisi quoniam non tam mihi contra hanc hæresim propositum est dicere, quam breviter, circa personam Christi Regulam veritatis aperire. Quamvis tamen ad alia festinem, illud non arbitror prætermittendum, quod in Evangelio Dominus ad significantiam suæ majestatis expressit dicendo : *Solvite templum hoc, et ego in triduo suscitabo illud* (*Joan.* II, 19). Aut quando in alio loco, et alia parte pronuntiat : *Potestatem habeo animam meam ponendi et rursus* [1] *recipere eam : hoc enim mandatum accepi a Patre* (*Joan.* X, 18). Quis est enim qui dicit animam suam se posse ponere, aut animam suam posse se rursum recuperare, quia hoc mandatum acceperit a Patre? Aut quis dicit, destructum corporis sui templum resuscitare rursum et reædificare se posse : nisi quoniam Sermo ille, qui *ex Patre*, qui *apud Patrem*, *per quem facta sunt omnia*, *et sine quo factum est nihil* (*Joan.* I, 3), imitator paternorum operum atque virtutum, *imago invisibilis Dei* (*Coloss.* I, 15), qui *descendit de cœlo* (*Joan.* III, 31, 32), qui *quæ vidit et audivit testificatus est*, qui *non venit ut faceret suam voluntatem* (*Joan.* VI, 38), *sed* potius *ut faciat Patris voluntatem*, a quo missus ad hoc ipsum fuerat, ut *magni consilii Angelus* factus (*Isa.* IX, 6) arcanorum cœlestium nobis jura reseraret, quique *Verbum caro factus habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14), ex nobis hic Christus non homo tantum, quia hominis Filius; sed etiam Deus, quia Dei Filius, comprobatur? Quod si et *primogenitus omnis creaturæ* ab Apostolo dictus sit Christus (*Coloss.* I, 15); quomodo omnis creaturæ primogenitus esse potuit, nisi quoniam secundum divinitatem ante omnem creaturam ex Patre Deo Sermo processit? Quod nisi ita hæretici acceperint, Christum hominem primogenitum omnis creaturæ monstrare cogentur; quod facere non poterunt. Aut igitur ante omnem est creaturam ut primogenitus sit omnis creaturæ, et non homo est tantum, quia homo post omnem creaturam est; aut homo tantum est, et est post omnem creaturam. Et quomodo primogenitus est omnis creaturæ, nisi quoniam dum Verbum illud quod est ante omnem creaturam, et ideo primogenitus omnis creaturæ, caro fit et habitat in nobis, hoc est, assumit hunc hominem qui est post omnem creaturam, et sic cum illo et in illo habitat in nobis, ut neque homo Christo subtrahatur, neque divinitas negetur? Nam si [2] tantummodo ante omnem creaturam est, homo in illo subtractus est : si autem tantummodo homo est, divinitas quæ ante omnem creaturam est, intercepta est. Utrumque ergo in Christo confœderatum est, et utrumque conjunctum est, et utrumque connexum est. Et merito dum est in illo aliquid quod superat creaturam, pignerata in illo divinitatis et [3] humanitatis videtur esse concordia. Propter quam causam, qui *mediator Dei et hominum* effectus exprimitur (I *Tim.* II, 5), in se Deum et hominem sociasse reperitur. Ac si idem Apostolus de Christo refert, ut *exutus carnem potestates dehonestavit, palam triumphatis illis in semetipso* (*Coloss.* II, 15) : non utique otiose exutum carne proposuit, nisi quoniam [4] et in resurrectione rursum indutum voluit intelligi. Quis est ergo iste exutus et rursus indutus, requirant hæretici. Nos enim Sermonem Dei scimus indutum carnis substantiam, eumdemque rursum exutum eadem corporis materia, quam rursus in resurrectione suscepit et quasi indumentum resumpsit. Sed enim neque exutus neque indutus hominem Christus fuisset, si homo tantum fuisset. Nemo enim umquam se ipso aut spoliatur aut induitur. Sit enim necesse est aliud, quidquid aliunde aut spoliatur aut induitur. Ex quo merito Sermo Dei fuit, qui exutus est carnem et in resurrectione rursus indutus. Exutus autem, quoniam et in nativitate fuerat indutus. Itaque in Christo Deus est qui induitur, atque etiam exutus sit oportet : propterea is qui induitur, pariter et exuatur necesse est. Induitur autem et exuitur homo, quasi quadam contexti corporis tunica. Ac propterea consequenter Sermo fuit, ut diximus, Dei; qui modo indutus, modo exutus esse reperitur. Hoc enim etiam in benedictionibus ante prædixit : *Lavabit stolam suam in vino, et in sanguine uræ amictum suum* (*Gen.* XLIX, 11). Si stola in Christo caro

## GALLANDII COMMENTARIUS.

*aperitur*, legendum esse *reperitur* existimat, ut mox quidem ipsemet auctor. JACKSON.

[1] *Recipere.* Editores Anglicani legendum conjiciunt *recipiendi*. Vulg. sane *sumendi*. Sed Græcum λαβεῖν expressit auctor.

[2] *Tantummodo ante*, etc. Legendum putat Jacksonus *tantummodo Deus ante*, etc., ut respondeat sequenti *tantummodo homo* Verum, quamvis non legatur *Deus*, sensus integer manet.

[3] *Humanitatis* Editi, *humilitatis*, corrupte. Lego *humanitatis* cum Fr. Junio; quam vocem edidit etiam Welchmanus. JACKSON.

[4] *Et in resurrectione.* Editi, *et resurrectionem*, nullo sensu. Rescripsi *et in resurrectione* cum ipso Novatiano statim in sequentibus non semel : quod et conjectavit Latinius. ID.

Digitized by Google

est, et [1] amictum ipsum corpus est, requiratur [2] quisquis est ille cujus corpus amictum est, et stola caro. Nobis enim manifestum est carnem stolam et corpus amictum Verbi fuisse [3], quique sanguine, id est vino, lavit substantiam corporis, et materiam carnis abluens, ex parte suscepti hominis passione. Ex quo siquidem lavatur, homo est; quia amictum quod lavatur, caro est: qui autem lavat, Verbum Dei est; qui ut lavaret amictum, amicti susceptor effectus est. Merito ex ea substantia, quæ recepta est ut lavaretur, homo exprimitur [4]; sicut ex Verbi auctoritate qui lavit, Deus esse monstratur.

## CAPUT XXII, *al.* XVII.

*Eamdem divinam majestatem in Christo aliis iterum Scripturis confirmat.*

Cur autem, licet ad aliam partem disputandi festinare videamur, illum prætereamus apud Apostolum locum? *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est æqualem se Deo esse; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens,* [5] *in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo: humiliavit se obediens factus usque ad mortem, mortem autem crucis: propterea et Deus illum superexaltavit, et dedit illi nomen quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quoniam Dominus Jesus in gloria est Dei Patris* (*Philip.* II, 6-11). *Qui cum in forma Dei esset*, inquit. Si homo tantummodo Christus, in *imagine* Dei, non in *forma Dei* relatus fuisset. Hominem enim scimus *ad imaginem* (Gen. I, 27), non *ad formam* Dei factum. Quis ergo est iste, qui in *forma Dei*, ut diximus, factus est Angelus? Sed nec in Angelis formam Dei legimus, nisi quoniam hic præcipuus atque generosus præ omnibus, Dei Filius, Verbum Dei, imitator omnium paternorum operum, dum et ipse operatur sicut et Pater ejus (*Joan.* V, 19), in [6] *forma* (ut expressimus) est Dei Patris. Et merito in *forma* pronuntiatus est Dei, dum et ipse super omnia, et omnis creaturæ divinam obtinens potestatem, et Deus est exemplo Patris: hoc ipsum tamen a Patre proprio consecutus, ut omnium et Deus esset, et Dominus esset, et Deus ad *formam* Dei Patris ex ipso genitus atque prolatus. Hic ergo quamvis esset in *forma Dei*, *non est rapinam arbitratus æqualem se Deo esse.* Quamvis enim se ex Deo Patre Deum esse meminisset, numquam se Deo Patri aut comparavit aut contulit, memor se esse ex suo Patre, et hoc ipsum quod est habere se, quia Pater dedisset. Inde denique et ante carnis assumptionem, sed et post assumptionem corporis, post ipsam præterea resurrectionem, omnem Patri in omnibus rebus obedientiam præstitit, pariter ac præstat. Ex quo probatur numquam arbitratum illum esse rapinam quamdam divinitatem, ut æquaret se Patri Deo: quin immo contra, omni ipsius imperio et voluntati obediens atque subjectus, [7] etiam ut formam servi susciperet contentus fuit (hoc est, hominem illum fieri) et substantiam carnis et corporis, quam ex paternorum [8] et secundum hominem delictorum servitute venientem nascendo suscepit: quo tempore se etiam exinanivit, dum [9] humanam conditionis fragilitatem suscipere non recusavit. Quoniam si homo tantummodo natus fuisset, per hoc exinanitus non esset: homo enim nascens augetur, non exinanitur: nam dum incipit esse quod cum non esset habere non potuit, ut diximus, non exinanitur, sed potius augetur atque ditatur [10]. At si Christus exinanitur in eo quod nascitur, formam servi accipiendo, quomodo homo tantummodo est? de quo verius dictum fuisset, locupletatum illum esse tunc cum nasceretur, non exinanitum; nisi quoniam auctoritas divini Verbi, ad suscipiendum hominem interim conquiescens, nec se suis viribus [11] exercens, dejicit se ad tempus atque deponit, dum hominem fert quem suscepit. [12] Exinanit se, dum ad injurias contumeliasque descendit, dum audit infanda, experitur indigna: cujus tamen humilitatis adest statim egregius fructus. Accepit enim *nomen*,

## GALLANDII COMMENTARIUS.

[1] *Amictum ipsum.* Frobenius cum Gagnæo *Amictus ipse*: et sic edidit Welchmanus. Sed quum alia inusitata verba usurpaverit Novatianus, insolens verbum *amictum* neutrius generis in illius contextu reliqui. Habet etiam auctor paulo post *amictum* et *amicti*. JACKSON.

[2] *Quisquis.* Welchmanus mallet *quis*; atque hanc esse veram lectionem vix dubitat Jacksonus.

[3] *Quique sanguine*, etc. Locus hic obscurus, sive etiam mutilus et corruptus videtur Pamelio. Medelam exhibet Welchmanus ita legens: *Qui uvæ sanguine, id est vino, lavit substantiam corporis, materiam carnis abluens* (sive, *et materiam carnis abluit*) *ex parte suscepti hominis passione.* Paulo aliter legit distinguitque cum Fr. Junio Jacksonus: *Qui in sanguine, id est vino, lavit substantiam corporis et materiam carnis, abluens ex parte suscepti hominis passione.*

[4] *Sicut..... monstratur.* Al. *sic ut... monstretur.* Minus recte, ut videtur.

[5] *In similitudine.* Græcis ἐν ὁμοιώματι inhæret auctor. Sic et mox expressit ὑπερύψωσε *superexaltavit.*

[6] *In forma.* Editi omittunt *in* quam recte post Welchmanum restituit Jacksonus.

[7] *Etiam.* Hanc vocem omittit Pamelius, quam alii retinent.

[8] *Et.* Conjunctionem ejusmodi velut importunam delendam censet Welchmanus.

[9] *Humanam conditionis fragilitatem.* Frustra sunt Welchmanus et Jacksonus, qui hanc præcedentium editionum lectionem sollicitare tentant, rescribentes *humanæ conditionis fragilitatem.* Minucius in *Octav.* cap. XXXVI, eadem loquendi ratione usus comperitur, *Corporis humana vitia* pro *corporis humani vitia.* Ad quem locum complura profert ejusmodi locutionum exempla eruditus Davisius, inter quæ istud quoque Novatiani occurrit quo de agimus. Videsis tom. II nostræ Bibl. PP., pag. 402. not. 12.

[10] *At si.* Ita editores Anglicani ex Gagnæo, Frobenio, etc. Al. *Ac si.*

[11] *Exercens. Exserens* Latinius.

[12] *Exinanit.* Sic lego cum Gagnæo, Barrensi et edit. prima Frobenii. Lectionem confirmant præcedentia *dejicit, deponit, fert*, et sequentia *descendit, audit,*

Digitized by Google

*quod est super omne nomen*, quod utique non aliud intelligimus esse quam nomen Dei. Nam cum Dei sit solius esse super omnia, consequens est, ut nomen illud sit [1] super omne, quod est ejus, [2] qui super omnia est, Dei. Est ergo nomen illud quod super omne nomen est : quod nomen est ejus utique consequenter, qui cum in forma Dei fuisset, non rapinam arbitratus est æqualem se Deo esse. Neque enim si non est Deus esset Christus, omne se in nomine ejus genu flecteret, cœlestium et terrestrium et infernorum; nec visibilia aut invisibilia, aut rerum omnium omnis creatura homini esset subjecta sive substrata, quæ se ante hominem esse meminisset. Ex quo dum in *forma* Dei esse Christus dicitur, et dum in nativitatem secundum carnem se exinanisse monstratur, et dum id accepisse nomen a Patre quod sit super omne nomen exprimitur, et dum in [3] nomine ejus omne genu cœlestium, terrenorum et infernorum se flectere et curvare monstratur, et hoc ipsum in gloriam Dei Patris, [4] succurrere asseritur : consequenter non ex illo tantum homo est, quia obediens Patri factus est usque ad mortem, mortem autem crucis; sed ex his etiam rebus superioribus divinitatem Christi sonantibus, Dominus Christus Jesus et Deus, quod hæretici nolunt, esse monstratur.

A

B

## CAPUT XXIII, *al.* XVIII.

*Quod adeo manifestum est, ut quidam hæretici eum Deum Patrem putarint, alii Deum tantum sine carne fuisse.*

C

Hoc in loco licebit mihi argumenta etiam ex aliorum hæreticorum parte conquirere. Firmum est genus probationis, quod etiam ab adversario sumitur, ut veritas etiam ab ipsis inimicis veritatis probetur. Nam usque adeo hunc manifestum est in Scripturis [5] esse Deum tradi, ut plerique hæreticorum, divinitatis ipsius magnitudine et veritate commoti, ultra modum extendentes honores ejus, ausi sint [6] non Filium, sed ipsum Deum Patrem promere vel putare. Quod, etsi contra Scripturarum veritatem est, tamen divinitatis Christi argumentum grande atque præcipuum est; qui usque adeo [7] Deus, sed qua Filius Dei natus ex Deo, ut plerique illum (ut diximus) hæretici ita Deum acceperint, ut, non Filium, sed Patrem pronuntiandum putarint. Æstiment ergo an hic sit Deus, cujus auctoritas tantum movit quosdam, ut putarent illum ut diximus superius, [8] jam ipsum Patrem Deum; effrenatius et effusius in Christo divinitatem confiteri, ad hoc illos manifesta Christi divinitate cogente, ut quem Filium legerent quia Deum animadverterent, Patrem putarent. Alii quoque hæretici usque adeo Christi manifestam amplexati sunt divinitatem, ut dixerint illum fuisse sine carne, et totum illi susceptum detraxerint hominem, ne decoquerent in illo divini nominis potestatem, si humanam illi sociassent, ut arbitrabantur, nativitatem : quod tamen nos non probamus; sed argumentum afferimus usque adeo Christum esse Deum, ut quidam illum, subtracto homine, tantummodo putarint Deum; quidam autem ipsum crediderint Patrem Deum : cum ratio et temperamentum Scripturarum cœlestium, Christum ostendant Deum, sed qua Filium Dei, et assumpto a Deo etiam Filio hominis, credendum et hominem. Quoniam si ad hominem veniebat ut mediator Dei et hominum esse deberet, oportuit illum cum eo esse, et Verbum carnem fieri, ut in semet ipso concordiam confibularet terrenorum pariter atque cœlestium, dum utriusque partis in se connectens pignora, et Deum homini, et hominem Deo copularet; ut merito Filius Dei per assumptionem carnis Filius hominis, et Filius hominis per receptionem Dei Verbi Filius Dei effici possit. Hoc altissimum atque reconditum sacramentum ad salutem generis humani ante sæcula destinatum, in Domino Jesu Christo Deo et homine invenitur impleri, quo conditio generis humani ad fructum æternæ salutis posset adduci.

D

## CAPUT XXIV, *al.* XIX.

*Illos autem propterea errasse, quod nihil arbitrarentur interesse inter Filium Dei et filium hominis, ob Scripturam male intellectam.*

Sed erroris istius hæreticorum inde, ut opinor, nata materia est, quia inter Filium Dei et Filium hominis nihil arbitrantur interesse; ne facta distinctione, et Homo et Deus Jesus Christus facile comprobetur. Eumdem enim atque ipsum, id est hominem filium hominis, etiam Filium Dei volunt videri; ut homo et caro, et fragilis illa substantia eadem atque ipsa Filius Dei esse dicatur. Ex quo, dum distinctio filii hominis et Filii Dei nulla secernitur, sed ipse filius hominis Dei Filius vindicatur; homo tantummodo Christus idem atque Filius Dei asseratur. Per quod nituntur excludere : *Verbum caro*

## GALLANDII COMMENTARIUS.

*experitur*. Pamelius minus recte *exinanivit*. Jackson.

[1] *Super omne*. Ita edidit Pamelius : atque isthæc lectio congruit præcedenti *super omne* ex textu Paulino (*Philipp.* II, 9) et subsequenti *super omne* Novatiani. Editi Anglicani *super omnia*.

[2] *Qui super omnia est, Dei*. Existimat Jacksonus ita legendum esse : *Qui super omnia est. Deus est ergo nomen illud*, etc.

[3] *Nativitatem*. Welchmanus mallet *nativitate*. Neque abnuit Jacksonus. Mox uterque *sese exinan.*, cum veteribus editis. At *se* præbent editt. Pamel. quas item expressimus, rescribentes paulo ante *Ex quo dum*, ubi editi. Anglic. habent *Ex quo et dum*.

[4] *Succurrere*. *Sui currere* Latinius.

[5] *Esse*. Mallem *et*, cum Gelenio.

[6] *Non Filium*. Legit Welchmanus, *eum non Filium*.

[7] *Deus*. Legendum putat idem Welchm. *Deus est*. Consentit Jacksonus.

[8] *Jam*. Non dubitat Jacksonus, quin legendum sit *etiam*. Qui præterea integrum locum luxatum existimans, sic rescriberet : *Cujus auctoritas tantum*

Digitized by Google

*factum est et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14); *Et vocabitis nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus* (*Matth.* I, 23). Proponunt enim atque illa prætendunt, quæ in Evangelio Lucæ relata sunt, ex quibus asserere conantur, non quod est, sed tantum illud quod volunt esse: *Spiritus Sanctus veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; propterea et quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 35). Si ergo, inquiunt, Angelus Dei dicit ad Mariam, *quod ex te nascetur sanctum*, ex Maria est substantia carnis et corporis; hanc autem substantiam, id est sanctum hoc quod ex illa genitum est, Filium Dei esse proposuit: homo, inquiunt, ipse, et illa caro corporis, illud quod sanctum est dictum, ipsum est Filius Dei. Ut et cum dicit Scriptura *sanctum*, Christum filium hominis hominem intelligamus; et cum *Filium Dei* proponit, [1] non hominem, sed Deum percipere debeamus. Sed enim Scriptura divina, hæreticorum et fraudes et furta facile convincit et detegit. Si enim sic esset tantummodo, *Spiritus veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei;* fortasse alio esset nobis genere adversus illos reluctandum, et alia nobis essent argumenta quærenda et arma sumenda, quibus illorum et insidias et præstigias vinceremus: cum autem ipsa Scriptura cœlesti abundans plenitudine sese hæreticorum istorum calumniis exuat; facile ipso quod scriptum est nitimur, et errores istos sine ulla dubitatione superamus. Non enim dixit, ut jam expressimus, *propterea quod ex te nascetur sanctum;* sed adjecit conjunctionem: ait enim, *propterea et quod ex te nascetur sanctum;* ut illud ostenderet, non principaliter hoc sanctum quod ex illa nascitur, id est istam carnis corporisque substantiam Filium Dei esse, sed consequenter et in secundo loco: principaliter autem Filium Dei esse Verbum Dei incarnatum per illum Spiritum, de quo Angelus refert: *Spiritus veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Hic est enim legitimus Dei Filius qui ex ipso Deo est, qui dum *sanctum* istud assumit, et sibi Filium hominis annectit, et illum ad se rapit atque transducit, connexione sua et permixtione sociata præstat, et Filium illum Dei facit, quod ille naturaliter non fuit; ut principalitas nominis istius *Filius Dei* in Spiritu sit Domini, qui descendit et venit; ut sequela nominis [2] in Filio Dei et hominis sit, et merito consequenter hic Filius Dei factus sit, dum non principaliter Filius Dei est. Atque ideo dispositionem istam Angelus videns, et ordinem istum sacramenti expediens, non sic cuncta confundens ut nullum vestigium distinctionis collocarit, distinctionem posuit, dicendo: *Propterea et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei:* ne si distributionem istam cum libramentis suis non dispensasset, sed in confuso permixtam reliquisset, vere occasionem hæreticis contulisset, ut hominis Filium, qua homo est, eumdem et [3] Dei et hominis Filium pronuntiare deberent. Nunc autem particulatim exponens tam magni sacramenti ordinem atque rationem, evidenter expressit, ut diceret, *et quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei;* probans quoniam Filius Dei descendit: qui dum Filium hominis in se suscepit, consequenter illum Filium Dei fecit; quoniam illum [4] Filius sibi Dei sociavit et junxit. Ut dum Filius hominis adhæret in [5] nativitatem Filio Dei; ipsa permixtione feneratum et mutuatum teneret, quod ex natura propria possidere non posset. Ac sic facta est Angeli voce, quod nolunt hæretici, inter Filium Dei hominisque, cum sua tamen sociatione, distinctio; urgendo illos uti Christum, [6] hominis Filium, hominem intelligant quoque Dei Filium, et hominem Dei Filium, id est Dei Verbum (sicut scriptum est) Deum accipiant: atque ideo Christum Jesum Dominum, [7] ex utroque connexum (ut ita dixerim), ex utroque contextum atque concretum, et in eadem utriusque substantiæ concordia mutuo ad invicem fœderis confibulatione sociatum, hominem et Deum, Scripturæ hoc ipsum dicentis veritate, cognoscant.

## CAPUT XXV, *al.* XX.

*Neque inde sequi, quia Christus mortuus, etiam Deum mortuum accipi: non enim tantummodo Deum, sed et hominem Christum Scriptura proponit.*

Ergo, inquiunt, si Christus non homo est tantum, sed et Deus, Christum autem refert Scriptura mortuum pro nobis et ressuscitatum; jam docet nos Scriptura credere Deum mortuum: aut si Deus non

## GALLANDII COMMENTARIUS.

*movit quosdam effrenatius et effusius in Christo divinitatem confiteri, ut putarent,* etc.; nisi quis *confitentes* pro *confiteri* legere censeat.

[1] *Non hominem, sed Deum.* Ita Pamelius aliique. Welchmanus tamen eumque secutus Jacksonus, ordine inverso ediderunt, *non Deum sed hominem:* argumenti nimirum ratione, juquit posterior, hanc transpositionem postulante.

[2] *In Filio Dei et hominis.* Pamelianam editionem expressimus, præcedentibus congruentem. Has autem voces *Dei et* omisit Welchmanus: eique primum accesserat Jacksonus: sed postea mutata sententia, rescribendum existimabat, *Filius Dei in homine sit.*

[3] *Dei et hominis Filium.* Heic Pariter Pamelium sequimur. Delevit Welchmanus et *hominis.*

[4] *Filius sibi Dei.* Ordo verborum facilior erit si legerimus, *illum sibi Filius Dei,* vel *illum Filius Dei sibi,* etc. Jackson.

[5] *In nativitatem. In nativitate* omnino legendum putat Jacksonus: neque aliter conjiciebat Welchmanus.

[6] *Et hominem Dei Filium — Deum accipiant.* Sic Pamelius. Editio Frobeniana: *Et hominem Dei Filium, id est Verbum, sicut scriptum est, Deum accipiant.* Quam quidem lectionem secutus est Welchmanus. Luxatus locus videtur Jacksono, legendumque: *Et Dei Filium, id est Dei Verbum—Deum accipiant.* In eamdem sententiam Vessellugius *Probabil.* cap. 36, pag. 322.

[7] *Ex utroque contextum.* Has voces quas præ se ferunt omnes editi, omisit Jacksonus; quippe quæ nimirum ortæ videantur ex negligenti repetitione priorum *ex utroque connexum.* Easque pariter delendas jusserat Welchmanus.

Digitized by Google

moritur, Christus autem mortuus refertur; non erit Christus Deus, quoniam Deus non potest accipi mortuus. Si umquam intelligerint, aut intellexissent quod legunt, numquam tam periculose omnino loquerentur. Sed erroris semper est abrupta dementia; et non est novum si usque ad periculosa descendunt, qui fidem legitimam reliquerunt. Si enim Scriptura proponeret Christum tantummodo Deum, et nulla in illo fragilitatis humanæ sociatio esset permixta, merito illorum heic aliquid valuisset sermo contortus. Si Christus Deus, Christus autem mortuus, ergo mortuus est Deus. Sed cum non tantummodo illum, ut ostendimus jam frequenter, Deum, sed et hominem Scriptura constituat; consequens est, quod [1] immortale est, incorruptum mansisse teneatur. Quis enim non intelligat, quod impassibilis sit divinitas, passibilis vero sit humana fragilitas? Cum ergo tam ex eo quod Deus est, quam etiam ex illo quod homo est, Christus intelligatur esse permixtus et esse sociatus : *Verbum* enim *caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14), quis non sine ullo magistro atque interprete ex sese facile cognoscat, non illud in Christo mortuum esse quod Deus est, sed illud in illo mortuum esse quod homo est? Quid enim si divinitas in Christo non moritur, sed carnis solius substantia extinguitur; quando et in cæteris hominibus, qui non sunt caro tantummodo, sed caro et anima, caro quidem sola incursum interitus mortisque patitur, extra leges autem interitus et mortis anima incorrupta cernatur? Hoc enim et ipse Dominus hortans nos ad martyrium et ad contemptum omnis humanæ potestatis aiebat : *Ne timueritis eos qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt* (*Matth.* X, 28). Quod si anima immortalis occidi aut interfici non potest in quovis alio, licet [2] corpus et caro sola possit interfici, quanto magis utique Verbum Dei et Deus in Christo interfici omnino non potuit, cum caro sola et corpus occisum sit? Si enim hanc habet generositatem immortalitatis anima in quovis homine, ut non possit interfici, multo magis hanc habet potestatem generositas Verbi Dei, ut non possit occidi. Nam si potestas hominum ad interficiendam sacram Dei potestatem, et si crudelitas humana ad interficiendam animam deficit; multo magis ad Dei Verbum interficiendum deficere debebit. Nam cum ipsa anima, quæ per Dei Verbum facta est, ab hominibus non occiditur; multo magis utique Verbum Dei perimi non posse credetur. Et si plus non potest hominum cruenta sævitia adversus homines, quam ut tantummodo corpus occidat; quanto magis utique in Christo non valebit, quam ut idem [3] tantummodo corpus occidat : ut dum per hæc colligitur non nisi hominem in Christo interfectum, appareat ad mortalitatem Sermonem [4] in loco non esse deductum. Nam si Abraham, et Isaac, et Jacob quos homines tantummodo constat fuisse, manifestum est vivere (omnes enim, inquit, illi vivunt Deo (*Luc.* XX, 38), nec mors in illis animam perimit, quæ corpora ipsa dissolvit; jus enim suum exercere potuit in corpora, in animas exercere non valuit : aliud enim in illis mortale, et ideo mortuum; aliud in illis immortale, et ideo intelligitur non extinctum! ob quam causam vivere Deo pronuntiati, et dicti sunt); multo magis utique mors in Christo adversum solam materiam corporis potuit valere, adversus divinitatem sermonis non potuit se exercere [5]. Frangitur enim potestas mortis, ubi intercedit auctoritas immortalitatis.

## CAPUT XXVI, *al.* XXI.

### *Adversus autem Sabellianos Scripturis probat alium esse Filium, alium Patrem.*

Sed ex hac occasione quia Christus non homo tantum, sed et Deus, Divinarum Litterarum sacris auctoritatibus approbatur, alii hæretici erumpentes statum in Christo religionis concutere machinantur, hoc ipso Patrem Deum volentes ostendere Christum esse, dum non homo tantum asseritur, sed et Deus promitur. Sic enim, inquiunt : si unus esse Deus promitur, Christus autem Deus; ergo, inquiunt, si Pater et Christus est unus Deus, Christus Pater dicetur. In quo errare probantur Christum non noscentes, sed sonum nominis approbantes : nolunt enim illum secundam esse personam post Patrem, sed ipsum Patrem. Quibus quia facile respondetur, pauca dicentur. Quis enim non secundam Filii post Patrem agnoscat esse personam, cum legat dictum a Patre consequenter ad Filium : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26, 27); et post hæc relatum, *et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum?* Aut cum inter manus teneat : *Pluit Dominus super Sodomam et Gomorrham ignem et sulphur a Domino de cœlo?* (*Gen.* XIX, 24.) Aut cum ad Christum [6] : *Filius meus es tu, ego hodie genui te; postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ?* (*Psal.* II, 7, 8.) Aut cum etiam ille desideratus scriba ait : *Dixit Dominus*

## GALLANDII COMMENTARIUS.

[1] *Quod.* Nihil nos cogit ut cum editoribus Anglicanis legamus *ut quod.*

[2] *Licet.* Hanc vocem corruptam existimat Welchmanus, legitque *quum scilicet.* Consentit Jacksonus, quamvis de loci restitutione subdubitet. Uterque tamen absque sontica causa, ut videtur. Minus item mihi probatur ejusdem Jacksoni sententia, legentis paulo post, *immortalis anima.* Vox enim *immortalitatis* ad *generositatem* spectare nemo non videt : omnisque evanescit ambiguitas, si qua tamen est, ubi Novatiani oratio hac aut simili ratione conformetur : *Si enim anima in quovis homine hanc habet immortalitatis generositatem, ut non possit interfici,* etc.

[3] *Idem. Eadem* edidit Welchmanus, secutus Gagnæum. Cæteri cum Pamelio *idem.*

[4] *In loco.* Latinius vult legi *in illo* : apte satis. Quid si scripserit ipse auctor *inlico* pro *illico?* Jackson.

[5] *Exercere.* Cum Latinio forte legendum *exerere* : quam quidem conjecturam Welchmanus admittit, non item Jacksonus.

[6] *Ad Christum.* Si Jacksonum audias, addenda

Digitized by Google

*Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum?* (*Psal.* CIX, 1.) Aut cum Isaiæ prophetias explicans, invenit positum sic : *Hæc dicit Dominus Christo* [1] *meo Domino?* (*Isa.* XLV, 1.) Aut cum legit : *Non descendi de cœlo ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me?* (*Joan.* VI, 38.) Aut dum invenit positum : *Quoniam qui me misit, major me est?* (*Joan.* XIV, 28.) Aut cum considerat scriptum : *Eo ad patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum?* (*Joan.* XX, 17.) Aut quando habet cum cæteris [2] collocatum : *Sed in lege vestra scriptum est, quia duorum testimonium verum est; ego de me testificor, et testificatus est de me qui me misit Pater?* (*Joan.* VIII, 17, 18.) Aut quando vox de cœlo redditur : *Et honorificavi, et honorificabo?* (*Joan.* XII, 28.) Aut quando a Petro respondetur et dicitur : *Tu es Filius Dei vivi?* (*Matth.* XVI, 16.) Aut quando ab ipso Domino sacramentum hujus revelationis approbatur, et dicitur : *Beatus es, Simon Barjona : quoniam hoc tibi non revelavit caro et sanguis, sed Pater meus qui in cœlis est?* (*Ibid. v.* 17.) Aut quando ab ipso Christo exprimitur : *Pater, clarifica me eo honore quo fui apud te, antequam mundus fieret?* (*Joan.* XVII, 5.) Aut cum ab eodem dicitur : *Pater, sciebam quia semper me audis; verum propter circumstantes dixi, ut credant quia tu me misisti?* (*Joan.* XI, 42.) Aut cum definitio regulæ ab ipso Christo collocatur, et dicitur : *Hæc est autem vita æterna, ut sciant te unum et verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Ego te honorificavi super terram, opus perfeci quod dedisti mihi?* (*Joan.* XVII, 3, 4.) Aut cum item ab eodem asseritur et dicitur : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo?* (*Luc.* X, 22.) Aut cum sedere ad dexteram Patris (*Psal.* CIX, 1; *Marc.* XVI, 9; *Hebr.* I, 3), et a Prophetis et ab Apostolis approbatur? Et satis longum facio, si enisus fuero omnes omnino ad hanc partem voces congregare; quandoquidem non tam veteris quam etiam novi Testamenti Scriptura divina ubique ostendat, illum ex Patre natum, per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil, qui obedierit semper Patri et obediat, semper habentem rerum omnium potestatem, sed qua traditam, sed qua concessam, sed qua a Patre proprio sibi indultam. Quid eni n tam evidens potest esse, hunc non Patrem esse, sed Filium, quam quod obediens Patri Deo proponitur, ne si Pater esse credatur, alteri jam Deo Patri Christus subjectus esse dicatur.

## CAPUT XXVII. *al.* XXII.

*Pulchre respondet ad illud :* Ego et Pater unum *sumus, quod illi pro se intendebant.*

Sed quia frequenter intendunt illum nobis locum quo dictum sit : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30); et in hoc illos æque facile vincemus. Si enim erat, ut hæretici putant, Pater Christus, oportuit dicere [3] : *Ego et Pater unus sum* (*Joan.* X, 30). [4] At cum *Ego* dicit, deinde Patrem infert, dicendo, *Ego et Pater*, proprietatem personæ suæ, id est Filii, a paterna auctoritate discernit atque distinguit, non tantummodo de sono nominis, sed etiam de ordine dispositæ potestatis; qui potuisset dicere : *Ego Pater*, si Patrem se esse meminisset. Et quia dixit *unum*, intelligant hæretici quia non dixit *unus*. *Unum* enim neutraliter positum societatis concordiam, non unitatem personæ, sonat. *Unum* enim non *unus* esse dicitur, quoniam nec ad numerum refertur, sed ad societatem alterius expromitur [5]. Denique adjicit dicens, *sumus*, non *sum*; ut ostenderet per hoc quod dixit, *sumus* [6], *et Pater*, duas esse personas. *Unum* autem quod ait, ad concordiam et eamdem sententiam et ad ipsam charitatis societatem pertinet [7]; ut merito unum sit Pater et Filius, per concordiam, et per amorem, et per dilectionem. Et quoniam ex Patre est; quidquid illud est [8], Filius est : manente tamen distinctione, ut non sit Pater ille qui Filius; quia nec Filius ille qui Pater est. Nec enim, *sumus*, addidisset, si unum se et solitarium Patrem, Filium factum esse meminisset. Denique novit hanc concordiæ unitatem et Apostolus Paulus, cum personarum tamen distinctione. Nam cum ad Corinthios scriberet : *Ego*, in-

## GALLANDII COMMENTARIUS.

heic forte vox *dicatur*. Sed nihil necesse : paulo enim superius dixit : *quum* legat dictum — *ad Filium* : quæ quidem duæ voces hoc item loci subaudiendæ.

[1] *Christo meo Domino.* Quum LXX scripsissent κύρῳ, antiquarii existimantes Isaiam loqui de Christo Jesu, nec ad Cyrum attendentes, assumpta vicina voce κυρίῳ, locum Scripturæ jam olim corruperunt. Quapropter Tertullianus *adversus Judæos*, cap. 7, et *adversus Praxeam* cap. 11, et 28; Cyprianus *Testimon.* lib. I, cap. 21; Novatianus heic. cum plurimis tam Græcis quam Latinis apud Hieronymum ad hunc textum *Isa.* XLV, 1; et ad *Habac.* III, 13 : κυρίῳ legunt, ac de Christo Domino interpretantur. Ita Cotelerius ad cap. 12. Epist. S. Barnabæ. Videsis adnotata in hunc Isaiæ locum, tom. I nostræ hujus Bibliothecæ PP. pag. 132.

[2] *Collocatum.* Welchmanus sic emendavit vitiosam præcedentium editionum scripturam, *collocutum* : eique adhæsit Jacksonus. Congruenter sane prioribus *positum, scriptum*, etc. Paulo post præterea *collocatur* leginus.

Cap. XXVII.—[3] *Ego et Pater.* Sic editi. Frobenii et Pamelii. Gagnæus vero et Barrensis : *Ego Pater unum sum.* At editores Anglicani : *Ego Pater unus sum.* Quæ vera videtur lectio, ab ipsomet Novatiano paulo post repetita.

[4] *At cum.* Welchmanus ex Gagnæo, *Atqui quum.* Sed Gelenius ex ms. Britan. et post illum Pamelius substituit. *At cum.* Jackson.

[5] *Expromitur. Exprimitur* est aptior lectio : quod legendum suspicatur Welchmanus. Id.

[6] *Sumus, et Pater.* Sic editi. Welchmanus putat legendum, *Sumus ego et Pater.* Atque ita in textu rescripsit Jacksonus, vindice auctoris sensu, ut ipse ait.

[7] *Pertinet.* Ita Pamelius ex Latinio, pro *pertinere* vett. editt. quam emendationem secuti quoque sunt editores Anglicani.

[8] *Illud est.* Heic Pamelium sequimur, aliosque qui eum præcesserunt editores. Quam tamen lectionem ægre ferens Welchmanus, edidit *ille est.* Nihil enim heic loci est, inquit, ad quod *illud* referri potest. Alia



Digitized by Google

quit, *plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est quidquam, neque qui rigat : sed qui incrementum dat Deus. Qui autem plantat, et qui rigat unum sunt* (I Cor. III, 6, 7, 8). Quis autem non intelligat alterum esse Apollo, alterum Paulum, non eumdem atque ipsum Apollo pariter et Paulum? Denique et diversa uniuscujusque sunt officia prolata : alter enim *qui plantat*, et alter *qui rigat;* hos tamen duos, non quod *unus* sit, sed quod *unum* sint proposuit Apostolus Paulus; ut alter quidem sit Apollo, alter vero Paulus, quantum ad personarum distinctionem pertinet (quantum vero [1] ad concordiam pertinet); *unum* ambo sint. Nam quando duorum una sententia est, veritas una est, fides una est, una atque eadem religio est, unus etiam Dei timor est, unum sunt, etiam si duo sint; ipsum sunt, dum ipsum sapiunt. Etenim quos personæ ratio invicem dividit, eosdem rursus invicem religionis ratio conducit. Et quamvis idem atque ipsi non sint; dum idem sentiunt, ipsum sunt [2]; et cum duo sint, unum sunt, habentes in fide societatem, etiam si gerant in personis diversitatem. Denique cum ad has voces Domini imperitia fuisset Judaica commota, et temere ad usque saxa succensa, ita ut discurrerent, et dicerent : *Non te lapidamus propter bonum opus, sed propter blasphemiam, et quia tu cum homo sis, facis te Deum* (*Joan.* X, 33); distinctionem posuit Dominus in ratione reddenda, quomodo se Deum aut dixisset aut intelligi vellet. *Quem Pater sanctificavit*, inquit, *et misit in hunc mundum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?* (*Ibid. v.* 36.) Etiam hoc Patrem habere se dixit. Filius est ergo, non Pater; Patrem enim confessus se fuisset, si Patrem se esse memiuisset : et sanctificatum se a suo Patre esse proponit. Dum ergo accipit sanctificationem a Patre, minor Patre est : minor autem Patre consequenter est [3], sed Filius. Pater enim si fuisset, sanctificationem dedisset, non accepisset. Et nunc autem profitendo se accepisse sanctificationem a Patre; hoc ipso [4], quo Patre se minorem accipiendo ab ipso sanctificationem probat, Filium se esse, non Patrem monstravit. Missum præterea se esse dicit, ut per hanc obedientiam qua venit Dominus Christus, missus, non Pater, sed Filius probetur; qui misisset utique, si Pater fuisset : missus autem non fuit Pater, ne Pater subditus alteri Deo, dum mittitur, probaretur. Et tamen post hæc adjicit, quod omnem omnino ambiguitatem dissolveret, et totam controversiam erroris extingueret. Ait enim in ultima parte sermonis : *Vos dicitis quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum.* Ergo si evidenter Filium Dominus se, non Patrem esse testatur; magnæ temeritatis et ingentis est furoris exemplum, contra ipsius Christi Domini testimonium controversiam divinitatis et religionis agitare, et Christum Jesum Patrem esse dicere, cum animadvertat illum non Patrem se, sed Filium comprobasse.

## CAPUT XXVIII.

*Pro Sabellianis etiam nihil facere illud :* Qui videt me, videt et Patrem, *probat.*

Adhuc adjiciam illam quoque partem in qua dum hæreticus [5] quasi oculo quodam gaudet propriæ veritatis et luminis amisso, totam cæcitatem sui agnoscat erroris. Identidem enim et frequenter opponit quia dictum sit : *Tanto tempore vobiscum sum, et non agnoscitis me? Philippe, qui vidit me, vidit et Patrem.* (*Joan.* XIV, 9). Sed quod non intelligit, discat. Culpatur Philippus, et jure quidem meritoque, quia dixerit : *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* (*Ibid. v.* 8). Quando enim ex Christo aut audierat istud, aut didicerat quasi esset Pater Christus? cum contra magis quod Filius esset, non quia Pater, frequenter audisset, et sæpe didicisset. Quod enim dixit Dominus, *si me cognovistis, et Patrem meum cognovistis, et amodo nostis illum, et vidistis illum*, (*Joan.* XIV, 7), non sic dixerat ut se Patrem vellet intelligi; sed quoniam qui penitus et plene et cum tota fide et tota religione accessit ad Dei Filium, omnibus modis per ipsum Filium in quem sic credit, ad Patrem perventurus sit, eumdemque visurus. *Nemo enim*, inquit, *potest venire ad Patrem nisi per me.* (*Ibid. v.* 6). Et ideo ad Patrem Deum non tantum venturus est, et cogniturus ipsum Patrem; sed etiam sic tenere debet, atque ita animo ac mente præsumere, quasi jam noverit Patrem pariter et viderit. Sæpe enim Scriptura divina quæ nondum facta sunt pro factis annuntiat, quia sic futura sunt : et quæ omnibus modis fieri habent, non quasi futura sint prædicat, sed quasi facta sint narrat. Denique cum nondum temporibus Isaiæ prophetæ Christus natus fuisset, *quia puer*, aiebat, *natus est* [6] *nobis* (*Isa.* IX, 6); et cum nondum accessum esset ad Mariam

## GALLANDII COMMENTARIUS.

vero bene multa conjectat Jacksonus, quæ nobis minus probantur.

[1] *Quantum vero ad concordiam pertinet.* Ad supplendum locum uno membro mutilum additi verba uncis inclusa, tamquam maxime accommodata ad argumentum et sermonem præcedentem auctoris : et nullus dubito quin hæc aut similia verba, propter ὁμοιοτέλευτον *pertinet*, prætermiserit librarius. Latinius pluribus vocibus supplevit sic : *Quantum vero ad concordiam in una fide et sententia pertinet.* Jackson.

[2] *Ipsum sunt.* Ita ex ms. Anglic. castigavit Pamelius lectionem *ipsi sunt*, quam exhibent præcedentes editiones.

[3] *Consequenter est, sed Filius.* Sententiam plane mutilam ad hunc modum restituo : *Consequenter* non Pater *est, sed Filius.* Illud *ter* proxime recurrens festinantem forte librarium fefellit. Welchm. — Eadem restitutio arridet quoque Jacksono.

[4] *Hoc ipso, quo — probat.* Ista ex cod. ms. Anglic. supplevit Pamelius, cujus editionem hic expressit Jacksonus. Ea vero cum vett. editt. præteriit Welchmanus.

Cap. XXVIII. — [5] *Dum hæreticus*, etc. Mallet Welchmanus locum ita legere ac distinguere : *Dum hæreticus gaudet, quasi oculo quodam propriæ*, etc. Sic vero Jacksonus : *Dum hæreticus quasi oculo quodam gaudet, proprio* (*oculo* subintellecto) *veritatis et luminis amisso.*

[6] *Nobis.* Ita editores Anglicani, loco *vobis* præcedentium editt.

Digitized by Google

(*Isa.* VIII, 3), *et accessi ad* [1] *prophetissam*, dicebat, *et concepit et peperit filium*. Et cum nondum sinum Patris Christus exposuisset, referebat : *Et* [2] *vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus* (*Ibid.* IX, 6). Et cum nondum fuisset passus, *quasi ovis*, pronuntiabat, *ad jugulationem adductus est* (*Ibid.* LIII, 7). Et cum adhuc crux nusquam esset, aiebat : *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem* (*Ibid.* LXV, 2). Et cum nondum injuriose potatus fuisset ; *in siti*, ait, *mea potaverunt me aceto* (*Psal.* LXVIII, 22). Et cum spoliatus adhuc non fuisset, dicebat : *Super vestem meam miserunt sortem : et dinumeraverunt ossa mea : effoderunt manus meas, et pedes* (*Psal.* XXI, 19. 18. 17). Providens enim Scriptura divina pro factis dicit quæ futura scit, et pro perfectis dicit quæ futura habet, quæ sine dubitatione ventura sunt. Et ideo Dominus in præsenti loco dicebat : *Amodo nostis illum, et vidistis.* Dicebat enim visum iri ab eo Patrem, quisquis Filium secutus fuisset ; non quasi Filius ipse esset Pater visus, sed quod præmium consecuturus esset, quisquis illum sequi et discipulus ejus esse voluisset, ut videre Patrem posset : nam et imago est Dei Patris : ut his etiam illud accedat quoniam *sicut Pater operatur, ita operatur et Filius*, (*Joan.* V, 17). Et imitator est Filius omnium operum paternorum ; ut perinde habeat unusquisque, quasi jam viderit Patrem, dum eum videt qui invisibilem Patrem in omnibus operibus semper imitatur. Cæterum si ipse Pater est Christus, quomodo confestim adjicit et dicit, *Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet : et majora his faciet, quia ego ad Patrem vado ?* (*Joan.* XIV, 12.) Et adhuc subnectit : *Si diligitis me, præcepta mea servate : et ego rogabo Patrem, et alium advocatum dabit vobis* (*Ibid.* v. 15. 16). Post quæ etiam illud subnectit : *Si quis me diligit, sermonem meum custodiet : et Pater meus diliget illum, et ad eum veniemus, et mansionem apud illum faciemus* (*Ibid.* v. 23). Nec non etiam [3] subdidit illud quoque ; *Advocatus autem ille Spiritus sanctus quem missurus est Pater, ille vos docebit et commemorabit omnia quæcumque dixero* (*Ibid.* v. 26). [4] Præmittit adhuc istum locum, quo ostendat se esse Filium, et merito subdidit, et dicit : *Si me diligeretis, gauderetis, quia eo ad Patrem : quia Pater major* [5] *me est* (*Ibid.* v. 28). Quid autem cum etiam illa subnectit ; *Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola : omne sarmentum in me non afferens fructum tollit illud, et omne fructiferum purgat, ut fructum ampliorem ferat ?* (*Joan.* XV, 1, 2.) Instat adhuc et adjicit : *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos : manete in mea charitate. Si mandata mea servaveritis, manebitis in mea charitate ; sicut ego Patris mandata servavi, et maneo in ejus charitate* (*Joan.* XV, 9, 10). Adhuc ingerit, et dicit : *Dixi autem vos amicos, quia omnia quæ audivi a Patre meo, nota vobis feci* (*Ibid.* v. 15). Aggregat etiam hoc : *Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia ignorant eum qui me misit* (*Ibid.* v. 21). Hæc ergo numquam post illa evidenter illum non Patrem, sed Filium esse testantia, Dominus subdidisset ; si aut Patrem se esse meminisset, aut Patrem se vellet intelligi : nisi quoniam ut illud exprimeret, perinde unumquemque jam habere debere, dum imaginem Dei Patris per Filium videt, atque si viderit Patrem : quandoquidem unusquisque credens in Filium exerceatur in imaginis contemplatione, ut assuefactus ad divinitatem videndam in imagine, proficere possit et crescere usque ad Dei Patris omnipotentis perfectam contemplationem. Et quoniam qui hoc animo ac mente combiberit, et de omnibus sic futurum esse crediderit, Patrem quem visurus sit, quasi jam quodammodo viderit, et hic jam sic habeat, quasi teneat quod habiturum se pro certo sciat. Cæterum, si ipse Pater fuisset, quid quasi futurum præmium repromittebat quod jam præstiterat et dederat ? Nam quoniam dicit : *Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8) ; polliceri deprehenditur contemplationem et aspectum Patris ; ergo nondum dederat : cur enim repromitteret, si jam dedisset ? Dederat enim si Pater esset ; videbatur enim, et contingebatur. Quando autem dum contingitur ipse Christus et videtur, repromittit tamen et dicit, quoniam qui mundo fuerit corde, Deum videbit ; hoc ipso probat Patrem se non esse, qui tunc præsens cum videretur repromittebat, quod Patrem visurus esset quisquis mundo corde fuisset. Erat ergo repromittens hæc, non Pater, sed Filius : quia qui Filius erat, quod videri habebat repromittebat ; cujus repromissio supervacua fuisset, nisi Filius fuisset. Cur enim repromittebat mundis corde ut viderent Patrem, si jam tunc qui præsentes erant, Patrem Christum videbant ? Sed quia Filius erat, non Pater ; merito et Filius, quia Imago Dei, tunc videbatur ; et Pater, quia invisibilis, mundis corde, ut videretur, repromittitur et notatur. Hæc igitur satis sit, etiam adversus istum hæreticum dictasse, pauca de multis. Campus enim, et quidem latus ac fusus aperietur, plenius hæreticum istum si agitare voluerimus ; quandoquidem [6] duobus istis locis, quibusdam effossis lumi-

## GALLANDII COMMENTARIUS.

[1] *Prophetissam*. Sic veteres editi, ut habet Vulg. quam lectionem secutus est Welchmanus. Pamelius *Prophetam*. Jacksonus *Propheten*, apud quem Junius vult legi *Prophetin*.

[2] *Vocabitur*. Hæc est editionum Novatiani lectio. Sed, inquit, Jacksonus, quum ratio argumenti auctoris postulet legi *vocatur*, quin ita ipse scripserit non dubium. Idque jam antea conjecerat Welchmanus.

[3] *Subdidit*. Heic et paulo post, *subdit* legendum contendit Jacksonus, ut oratio prioribus et posterioribus cohæreat, *adjicit, dicit, subnectit*, etc.

[4] *Præmittit*. Sic editi : minus recte, ut videtur. Welchmanus rescripsit *promit* : atque ita fortasse scripsit Novatianus. Neque enim placet quod conjecit Jacksonus *promit et*, propter sequens *adhuc*.

[5] *Me*. Deest apud Pamelium pronomen istud, quod exhibent alii.

[6] *Duobus istis locis .. effossis luminibus*. Videlicet

Digitized by Google

nibus orbatus, totus sit in doctrinæ suæ cæcitate superatus.

## CAPUT XXIX.

*Deinceps fidei auctoritatem admonere nos docet, post Patrem et Filium, credere etiam* IN SPIRITUM SANCTUM : *cujus operationes ex Scripturis recenset.*

Sed enim ordo rationis et Fidei auctoritas digestis vocibus et Litteris Domini, admonet nos, post hæc credere etiam in Spiritum sanctum, olim Ecclesiæ repromissum, sed statutis temporum opportunitatibus redditum. Est enim per Joelem prophetam repromissus, sed per Christum redditus. *In novissimis*, inquit, *diebus effundam de Spiritu meo super servos et ancillas meas* (*Joel.* II, 28). Dominus autem : *Accipite Spiritum sanctum ; quorum remiseritis peccata, erunt remissa ; et quorum retinueritis, erunt retenta* (*Act.* II, 17. *Joan.* XX, 22, 23). Hunc autem Spiritum sanctum Dominus Christus modo (*Joan.* XIV, 16, 17) *Paraclitum* appellat, modo *Spiritum veritatis* esse pronuntiat ; qui non est in Evangelio novus, sed nec nove datus : nam hic ipse et in Prophetis populum accusavit, et in Apostolis advocationem Gentibus præstitit. Nam illi ut accusarentur merebantur, quia contempserant Legem : et qui ex Gentibus credunt, ut patrocinio Spiritus adjuventur merentur, quia ad Evangelicam pervenire gestiunt legem. Differentia sane in illo genera officiorum : quoniam in temporibus differens ratio causarum : nec ex hoc tamen ipse [1] diversus, qui hæc sic gerit ; nec alter est, dum sic agit : sed unus atque ipse est, dividens officia sua per tempora, et rerum occasiones atque momenta. Denique Apostolus Paulus : *Habentes*, inquit, *eumdem Spiritum, sicut scriptum est : Credidi propter quod locutus sum ; et nos credimus, ideo loquimur* (II *Cor.* IV, 13). Unus ergo et idem Spiritus, qui in Prophetis et Apostolis ; nisi quoniam ibi ad momentum, hic semper. Cæterum ibi, non ut semper in illis inesset : hic, ut in illis semper maneret : et ibi mediocriter distributus, hic totus effusus ; ibi parce datus, hic large commodatus ; nec tamen ante resurrectionem Domini exhibitus, sed [2] post resurrectionem Christi contributus. *Rogabo* enim, aiebat, *Patrem : et alium advocatum dabit vobis, ut vobiscum sit in æternum, Spiritum veritatis* (*Joan.* XIV, 16, 17). Et : *Cum venerit advocatus ille, quem ego missurus sum vobis a Patre meo, Spiritum veritatis, qui de Patre meo procedit* (*Joan.* XV, 26). Et : *Si non abiero ego, advocatus ille non veniet ad vos : si autem ego abiero, remittam illum ad vos* (*Joan.* XVI, 7). Et : *Cum venerit Spiritus veritatis, ille vos diriget in omnem veritatem* (*Joan.* XVI, 13). Et quoniam Dominus in cœlos esset abiturus, Paraclitum discipulis necessario dabat, ne illos quodammodo pupillos, quod minime decebat, relinqueret, et sine advocato et quodam tutore desereret. Hic est enim qui ipsorum animos mentesque firmavit, qui Evangelica Sacramenta distinxit, qui in ipsis illuminator rerum Divinarum fuit, qui confirmati pro nomine Domini nec carceres nec vincula timuerunt ; quin immo ipsas sæculi potestates et tormenta calcaverunt, armati jam scilicet per ipsum atque firmati, habentes in se dona, quæ hic idem Spiritus Ecclesiæ Christi sponsæ quasi quædam ornamenta distribuit et dirigit. Hic est enim qui Prophetas in Ecclesia constituit, Magistros erudit, linguas dirigit, virtutes et sanitates facit, opera mirabilia gerit, discretiones spirituum porrigit, gubernationes contribuit, consilia suggerit, quæque alia sunt charismatum dona componit et digerit ; et ideo Ecclesiam Domini undique, et in omnibus perfectam et consummatam facit. Hic est qui in modum columbæ, posteaquam Dominus baptizatus est, super eum venit et mansit (*Matth.* III, 16), habitans in solo Christo plenus et totus, nec in aliqua mensura aut portione mutilatus, sed cum tota sua redundantia [3] cumulate distributus et missus ; ut ex illo delibationem quamdam gratiarum cæteri consequi possint ; totius sancti Spiritus in Christo fonte remanente, ut ex illo donorum atque operum venæ ducerentur, Spiritu sancto in Christo affluenter habitante. Hoc etenim jam prophetans Isaias aiebat : *Et* [4] *requiescet*, inquit, *super eum Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et virtutis, Spiritus scientiæ et pietatis, et implebit eum Spiritus timoris Dei* (*Isa.* XI, 2, 3). Hoc idem atque ipsum et alio in loco ex persona ipsius Domini : *Spiritus Domini super me propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me* (*Isa.* LXI, 1). Similiter David : *Propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ a consortibus tuis* (*Psal.* XLIV, 8). De hoc apostolus Paulus : *Qui enim Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* VIII, 9). Et : *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas* (II *Cor.* III, 17). Hic est qui operatur ex aquis secundam nativitatem, semen quoddam divini generis, et consecrator cœlestis nativitatis, pignus promissæ hæreditatis (*Ephes.* I, 14), et quasi chirographum quoddam æternæ salutis ; qui nos Dei faciat templum (I *Cor.* VI, 19), et nos ejus efficiat domum ; qui interpellat divinas aures pro nobis gemitibus ineloquacibus (*Rom.* VIII, 26), advocationis implens officia, et defensionis exhibens mune-

## GALLANDII COMMENTARIUS.

*Joan.* X, 30, et XIV, 9, de quibus, inquit auctor, quasi de duobus oculis gavisus est hæreticus : at quorum unus ei hoc capite effossus est, alter proxime antecedente. WELCHM. — Quæ quidem sententia quum serio attendenti satis aperta noscatur, haud proinde recipiendum videtur quod placuit Jacksono ; statuenti nimirum veram esse lectionem *effusis luminibus*, quam exhibet ms. Woweri.

CAP. XXIX. — [1] *Diversus. Dividitur*, Gagnæus et Frobenius, quos secutus est Welchmanus. Fluxit *diversus* ex ms. Anglic. et non mutandum. JACKSON.

[2] *Post.* Hanc vocem requirit loci ratio, et restituit Latinius pro editt. *per.* ID.

[3] *Cumulate distributus et missus.* Ita Pamelius ex ms. Cod. Anglic. quæ genuina lectio videtur. *Cumulate admissus*, Gagnæus et Gelenius, quos secutus est Welchmanus.

[4] *Requiescet... implebit.* Editi *requiescit... implevit.* Ubi mendum suspicatur Pamelius. Atque ita textum restituerunt editores Anglicani.

Digitized by Google

ra; inhabitator corporibus nostris datus, et sanctitatis effector: qui id agens in nobis ad æternitatem, et ad resurrectionem immortalitatis corpora nostra producat, dum illa in se assuefacit cum cœlesti virtute misceri, et cum Spiritus sancti divina æternitate sociari. Erudiuntur enim in illo, et per ipsum corpora nostra ad immortalitatem proficere, dum ad decreta ipsius discunt se moderanter temperare. Hic est enim qui *contra carnem desiderat*, quia *caro contra ipsum repugnat* (*Gal.* v, 17). Hic est qui inexplebiles cupiditates coercet, immoderatas libidines frangit, illicitos ardores extinguit, flagrantes impetus vincit, ebrietates rejicit, avaritias repellit, luxuriosas comessationes [1] fugat, charitates nectit, affectiones constringit, sectas repellit, regulam veritatis expedit, hæreticos revincit, improbos foras expuit, Evangelia custodit. De hoc [2] idem Apostolus: *Non enim spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui ex eo est* (I *Cor.* II, 12). De hoc exultat, et dicit: *Puto autem quia et ego Spiritum Dei habeo* (I *Cor.* VII, 40). De hoc dicit: *Et* [3] *Spiritus Prophetarum prophetis subjectus est* (I *Cor.* XIV, 32). De hoc refert: *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus recedent quidam a fide, attendentes spiritibus seductoribus, doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi mendacia loquentium, cauteriatam habentium conscientiam suam* (I *Tim.* IV, 1). In hoc Spiritu positus *nemo umquam dicit anathema Jesu* (I *Cor.* XII, 3): nemo negavit Christum Dei Filium, aut repudiavit creatorem Deum: nemo contra Scripturas ulla sua verba depromit: nemo alia et sacrilega decreta constituit: nemo diversa jura conscribit. In hunc quisquis blasphemaverit, *remissionem non habet, non tantum in isto sæculo, verum etiam nec in futuro* (*Matth.* XII, 32). Hic in Apostolis Christo testimonium reddit, in Martyribus constantem fidem religionis ostendit, in Virginibus admirabilem continentiam signatæ [4] castitatis includit, in cæteris incorrupta et incontaminata doctrinæ Dominicæ jura custodit, hæreticos destruit, perversos corrigit, infideles arguit, simulatores ostendit, improbos quoque corrigit, Ecclesiam incorruptam et inviolatam, perpetuæ virginitatis et veritatis sanctitate custodit.

## CAPUT XXX.

*Denique quantum dicti hæretici erroris sui originem inde rapuerint, quod animadverterent scriptum:* unus Deus: *etsi Christum Deum et Patrem Deum dicamus, non magis tamen duos Deos Scripturam proponere, quam duos Dominos aut duos Magistros.*

Et [5] hæc quidem de Patre et de Filio et de Spiritu sancto breviter sint nobis dicta, et strictim posita, et non longa disputatione porrecta. Latius enim potuerunt porrigi, et [6] propensiore disputatione produci; quandoquidem ad testimonium, quod ita se habeat fides vera, totum et Vetus et Novum Testamentum possit adduci. Sed quia obluctantes adversus veritatem semper hæretici, sinceræ traditionis et Catholicæ fidei controversiam solent trahere, scandalizati in Christum quod etiam Deus et per Scripturas asseratur, et a nobis hoc esse credatur; merito a nobis (ut omnis a fide nostra auferri possit hæretica calumnia) de eo quod et Deus sit Christus sic est disputandum, ut non impediat Scripturæ veritatem; sed nec nostram fidem, qua unus Deus et per Scripturas [7] promitur, et a nobis tenetur et creditur. Tam enim illi qui Jesum Christum ipsum Deum Patrem dicunt, quam etiam illi qui hominem illum tantummodo esse voluerunt, erroris sui et perversitatis origines et causas inde rapuerunt: quia cum animadverterent scriptum esse quod *unus sit Deus*, non aliter putaverunt istam tenere se posse sententiam, nisi aut hominem tantum Christum, aut certe Deum Patrem putarent esse credendum. Sic enim calumnias suas colligere consueverunt, ut errorem proprium approbare nitantur. Et quidem illi qui Jesum Christum Patrem dicunt, ista prætendunt: Si [8] unus Deus; Christus autem

## GALLANDII COMMENTARIUS.

[1] *Fugat.* Sic recte emendavit editt. *fugit* Welchmanus. JACKSON.

[2] *Idem.* Ita Pamelius. Al. *item.*

[3] *Spiritus Proph.* Consentit auctor cum vulgato Latino interprete, quantumvis hodie Græce legatur πνευματα. PAMEL.

[4] *Castitatis.* Ita recte correxit *charitatis* edit. Welchmanus. JACKSON.

CAP. XXX. — [5] *Et hæc quidem*, etc. Queritur heic Pamelius Spiritum sanctum a Novatiano Deum non appellari, nec ullam ejus mentionem fieri, quum Patrem et Filium unum esse Deum hocce in capite auctor demonstrat. Sanctum quidem Spiritum nominatim non appellat Deum Novatianus: sed de illius *divina æternitate* in cap. præcedente non silet, et Deum esse multis argumentis probat. Quid enim ei propositum est, quum divina illius attributa defendit: nisi ut probet, quod se probaturum promiserat, nempe oportere *credere etiam in Spiritum sanctum*, ac proinde eum unum esse cum Patre et Filio Deum? Unde etiam postquam ea absolvit quæ de Spiritu sancto dicere statuerat, sic initio hujus capitis tres personas conjungit: *Et hæc quidem de Patre, et de Filio, et de Spiritu sancto breviter nobis sint dicta.* Quod si tacere de Spiritu videtur Novatianus, dum Patrem et Filium non duos esse Deos, sed unum ostendit; non aliunde quærenda hujus rei causa, nisi quod in evertenda Filii divinitate omnis hæreticorum conatus versabatur. Nam si semel probassent Filium non esse unum cum Patre Deum; eadem opera Spiritum sanctum a Divinæ naturæ consortio dissociassent. Sic etiam semel demonstrato, Patrem et Filium *per substantiæ communionem*, ut ait Novatianus, unum esse Deum; non jam superaret dubitandi locus, quin Spiritus sancti divinitas nequaquam tres Deos efficeret. MARAN. *Divin. D. N. J. C.* lib. IV, cap. 19, § III, pag. 521.

[6] *Propensiore.* Prius certo habet Jacksonus auctorem scripsisse *propansiore.* Sed fallitur vir eruditus, unam hujus vocis significationem frequentiorem attendens. *Propensus* enim quandoque sumitur pro *extenso*: quo sensu heic sumitur a Novatiano. Pers. sat. I, vers. 57.

Cum tibi, calve
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet.

Id est: Cum abundantia ciborum pinguis sis, et ventrem habeas ultra sex pedes extensum.

[7] *Promitur.* Ita recte Welchmanus, quem sequitur et Jacksonus, pro editt. *promittitur.*

[8] *Si unus Deus.* Sic se habet editio Pamelii, quam

Digitized by Google

Deus : Pater est Christus, quia unus Deus; si non Pater sit Christus, dum et Deus Filius Christus, duo Dii contra Scripturas introducti esse videantur. Qui autem hominem tantummodo Christum esse contendunt, ex diverso sic colligunt : Si alter Pater, alter [1] est Filius : Pater autem Deus, et Christus Deus : non ergo unus Deus, sed duo dii introducuntur pariter, Pater et Filius ; ac si unus Deus, consequenter homo Christus, ut merito Pater sit Deus unus. Re vera quasi inter duos latrones crucifigitur Dominus, quomodo fixus aliquando est : et ita excipit hæreticorum istorum ex utroque latere sacrilega convicia. Sed neque Scripturæ sanctæ, neque nos causas illis perditionis et excitatis afferimus, si qua in medio Divinarum Litterarum evidenter posita aut videre nolunt, aut videre non possunt. Nos enim et scimus et legimus et credimus et tenemus unum esse Deum, qui fecit cœlum pariter ac terram, quoniam nec alterum novimus, aut nosse (cum nullus sit) aliquando poterimus. *Ego sum*, inquit, *Deus : et non est præter me justus et salvans* (*Isa.* XLIII, 11). Et alio in loco : *Ego primus* [2] *et novissimus, et præter me non est Deus. Quis sicut ego* (*Ibid.* XLIV, 6, 7)? Et : *Quis mensus est palmo cœlum, et terram pugillo? quis suspendit montes in pondere, et nemora in statera* (*Ibid.* XL, 12)? Et Ezechias : *Ut sciant omnes quia tu es Deus solus* (*Isa.* XXXVII, 20). Ipse præterea Dominus : *Quid me interrogas de bono? unus Deus bonus* (*Matth.* XIX, 17). Apostolus quoque Paulus : *Qui solus*, inquit, *habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem : quem vidit hominum nemo, nec videre potest* (I *Tim.* VI 16). Et alio in loco : *Mediator autem unius non est ; Deus autem unus est* (*Gal.* III, 20). Sed quomodo hoc tenemus et legimus et credimus, [3] sic Scripturarum cœlestium nullam partem præterire debemus : quippe cum etiam illa quæ in Scripturis sunt posita Christi divinitatis insignia, nullo modo debemus recusare, ne Scripturarum auctoritatem corrumpendo, integritatem fidei sanctæ corrupisse teneamur. Et hoc ergo credamus, [4] siquidem fidelissimum, Dei Filium Jesum Christum A Dominum et Deum nostrum : quoniam, *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud* [5] *Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum* (*Joan.* I, 1, 2). Et : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Ibid.* 14). Et : *Dominus meus et Deus meus* (*Joan.* XX, 28). Et : *Quorum Patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX, 5). Quid ergo dicemus? Numquid duos Deos Scriptura proponit? Quomodo ergo dicit, quia *Deus unus est?* Aut numquid non et Christus Deus est? Quomodo ergo, *Dominus meus et Deus meus*, Christo dictum est? Totum igitur hoc nisi cum propria veneratione et legitima [6] disputatione teneamus, merito scandalum hæreticis præbuisse credemur ; non utique ex Sripturarum cœlestium vitio B quæ numquam fallunt, sed humani erroris præsumptione, qua hæretici esse voluerunt [7]. Et in primis illud retorquendum in istos qui duorum nobis Deorum controversiam facere præsumunt. Scriptum est quod negare non possunt, quoniam *unus est Dominus* (*Deut.* VI, 4; *Ephes.* IV, 5). De Christo ergo quid sentiunt? Dominum esse, aut illum omnino non esse [8]? Sed Dominum illum omnino non dubitant : ergo si vera est illorum ratiocinatio, jam duo sunt Domini. Quomodo igitur jam secundum Scripturas, unus est Dominus [9]? Et *Magister unus* (*Matth.* XXIII, 8, 10) Christus est dictus, at tamen legimus, quod Magister sit etiam apostolus Paulus (II *Tim.* I, 11). Non ergo jam unus Magister : duos enim Magistros secundum ista colligimus. Quomodo igitur secundum Scripturas C *unus Magister Christus? Unus* in Scripturis *bonus* dictus est *Deus* (*Matth.* XIX, 17; *Marc.* X, 18; *Luc.* XVIII, 19) ; sed [10] iisdem in Scripturis bonus etiam Christus positus est. Non igitur, si recte colligunt, unus bonus, sed etiam duo boni. Quomodo igitur secundum Scripturarum fidem, unus bonus esse refertur? At si non putant [11] aliqua ratione offici posse ei quod unus Dominus est, per id quod est Dominus et Christus ; neque ei quod unus est Magister, per illud quod est Magister et Paulus; aut [12] illi quod unus

## GALLANDII COMMENTARIUS.

exscribit Jacksonus. Veteres editi : *Si unus Christus, Christus autem*, etc., atque istam lectionem retinuit Welchmanus.

[1] *Est Filius.* Pro *est* legendum omnino puto *et*, ut bene procedat argumentum. Paulo post pro *ac si* mallem *at si* : sed nihil muto. JACKSON.

[2] *Et novissimus.* Excidisse videtur *ego*, legendumque cum Jacksono, *et ego novissimus* : ut habent Heb. LXX, et Vulg.

[3] *Sic Scripturarum.* Ita Pamelius aliique. Unus Welchmanus hunc locum sic legit ac distinguit : *Si Scripturarum cœlestium nullam partem præterire debemus?* Minus recte, ut videtur.

[4] *Siquidem.* Legit Latinius *scilicet.* Sed frustra. Nam vox *siquidem* idem est interdum, quod *quandoquidem* : quo sensu optime congruit huic loco. Cicero I Tusc. 1 : *Antiquissimum e doctis genus est poetarum : siquidem Homerus fuit et Hesiodus, ante Romam conditam.* Idem lib. IX, Epist. 12 : *Gratulor Baiis nostris; siquidem, ut scribis, salubres repente factæ sunt.*

[5] *Apud Deum.* Ita rescripsimus cum Jacksono. Editi pro *apud Deum* habent *Deus;* atque hanc lectionem expressit Welchmanus.

[6] *Disputatione.* Legendum putat Jacksonus *dispositione.* Sic enim loquitur ipsemet Novatianus superiore cap. 15, sub finem, ubi legimus in eamdem sententiam *dispositione legitima.* Paulo post idem editor Anglicanus rescripsit *credetur* pro *credemur* præcedentium editionum. D

[7] *Qua.* Vet. codd. legunt *quia*, quos sequitur Welchmanus. Sed *qua* est lectio ms. Anglicani a Pamelio restituta, et bene congruit cum *præsumptione*, ut rite advertit Jacksonus.

[8] *Dominum.* Existimat Welchmanus legendum, Dominum *esse illum*, *aut omnino non esse;* quod quidem probatur etiam Jacksono.

[9] *Dominus? Et Magister unus Christus est dictus.* Ita legunt ac distinguunt editores Anglicani. Al. *Dominus et Magister unus Christus dictus.*

[10] *Iisdem.* Sic recte Welchmanus cum Jacksono. Al. *idem.*

[11] *At si.* Ita veteres editi, quibus accedunt Welchmanus et Jacksonus.

[12] *Aut illi.* Hæc est lectio Gelenii et Pamelii ex

Digitized by Google

est bonus, per illud quod bonus sit nuncupatus et Christus : eadem ratione intelligant offici non posse [1] ab illo quod unus est Deus, et quod Deus pronuntiatus est et Christus.

## CAPUT XXXI.

*Sed Dei Filium Deum, ex Deo Patre ab æterno natum, qui semper in Patre fuerit, secundam personam esse a Patre, qui nihil agat sine Patris arbitrio; eumdem et Dominum, et Angelum magni Dei consilii; in quem Patris divinitas per substantiæ communionem sit tradita.*

Est ergo Deus Pater omnium institutor et creator, solus originem nesciens, invisibilis, immensus, immortalis, æternus, unus Deus ; cujus neque magnitudini, neque majestati, neque virtuti quidquam non dixerim præferri, sed nec comparari potest [2]. Ex quo, quando ipse voluit, Sermo Filius natus est : qui non in sono percussi aeris, aut tono coactæ de visceribus vocis accipitur ; sed in substantia prolatæ a Deo virtutis agnoscitur : cujus sacræ et divinæ nativitatis arcana nec Apostolus didicit, nec Prophetes comperit, nec Angelus scivit, nec creatura cognovit ; Filio soli nota sunt qui Patris secreta cognovit. Hic ergo, cum sit genitus a Patre, semper est in Patre. Semper autem sic dico, ut non innatum, sed natum probem. Sed qui ante omne tempus est, semper in Patre fuisse dicendus est : nec enim tempus illi assignari potest, qui ante tempus est. Semper enim in Patre ; ne Pater non semper sit Pater : [3] quin et [4] Pater illum etiam (quadam ratione) præcedit, quod necesse est (quodammodo) prior sit qua Pater sit. Quoniam (aliquo pacto) antecedat necesse est eum qui habet originem, ille qui originem nescit. Simul [5] ut hic minor sit, dum in illo esse se scit, habens originem, quia nascitur ; et per Patrem quodammodo (quamvis A originem habet qua nascitur) [6] vicinus in nativitate, dum ex eo Patre qui originem solus non habet, nascitur. Hic ergo quando Pater voluit, processit ex Patre : et qui in Patre fuit, processit ex Patre : et qui in Patre fuit, quia ex Patre fuit, cum Patre postmodum fuit, quia ex Patre processit : substantia scilicet illa divina, cujus nomen est Verbum, per quod facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil. Omnia enim post ipsum sunt, quia per ipsum sunt. Et merito ipse est ante omnia, [7] sed post Patrem, quando per illum facta sunt omnia, qui processit ex eo, ex cujus voluntate facta sunt omnia. Deus utique procedens ex Deo, secundam personam efficiens post Patrem qua Filius ; sed non eripiens illud Patri, quod unus est Deus. Si enim natus non fuisset ; in- B natus comparatus cum eo qui [8] esset innatus, æquatione in utroque ostensa, duos faceret innatos, et ideo duos faceret Deos. Si non genitus esset ; collatus cum eo qui genitus non esset, et æquales inventi, duos Deos merito reddidissent non geniti ; atque ideo duos Christus reddidisset Deos. Si sine origine esset ut Pater, inventus, et ipse principium omnium ut Pater, duo faciens principia ; duos ostendisset nobis consequenter et Deos. Aut si et ipse Filius non esset, sed Pater generans de se alterum Filium ; merito collatus cum Patre et tantus denotatus, duos Patres effecisset : et ideo duos approbasset etiam Deos. [9] Si invisibilis fuisset, cum invisibili collatus par expressus, duos invisibiles ostendisset ; et ideo duos comprobasset et Deos. Si incomprehensibilis, C si et cætera quæcumque sunt Patris ; merito, dicimus, duorum Deorum quam isti confingunt, controversiam suscitasset. Nunc autem quidquid est, non ex se est, quia nec innatus est ; sed ex Patre est, quia genitus est : sive dum Verbum est, sive dum Virtus

## GALLANDII COMMENTARIUS.

ms. Britann. quam sequitur Jacksonus. At Welchmanus ex Gagnæo, *neque illi*. Paulo post Jacksonus legere mallet *est nuncupatum*, ut in reliquis habet Novatianus.

[1] *Ab illo quod unus est Deus.* Sic omnes editi, præter unum Welchmanianum ; ubi legitur, *ei quod unus est Deus, per hoc quod Deus.*

Cap. XXXI. — [2] *Ex quo, quando ipse voluit.* Hunc locum plenius edisserit S. Hippolytus *contra Noetum*, c. 11, unde forte ista mutuatus est Novatianus. Videsis tom. II nostræ Biblioth. PP. pag. 460, A, et quæ ibi fuere annotata. D

[3] *Quin.* Ita legunt vett. editt. eamque lectionem expressit uterque editor Anglicanus. Pamelius ex ms. cod. Britann. rescripsit *quia*.

[4] *Pater..... antecedat necesse est.* Quæ uncis inclusimus, testatur Pamelius abfuisse a cod. ms. Anglic. illaque primum addidisse Gagnæum explicationis causa, ne Arianis videretur favere auctor. Eadem etiam habentur in editione Frobenii, fortasse ex Gagnæo. Quapropter ea quoque retinuit Welchmanus. Neque aliter Maranus *Divin. D. N. J. C.* lib. IV, cap. 19, § 2, pag. 518. At Bullus *Defens. fid. Nic.* sec. III, § 7, pag. 222, et Jacksonus illa omnia omisere.

[5] *Simul..... qui originem solus non habet, nascitur.* Non potuimus non supplere ex ms. Anglic. hanc periodum antea desideratam : quæ tamen caute legenda. Pamel. — Eamdem periodum omisit Welkmanus, restituit Jacksonus Pamelium secutus.

[6] *Vicinus.* Sic Pamelius ex corrupta voce *vicinis*, quam exhibet ms. Anglic. Minus placet conjectura viri docti apud Jacksonum, legentis *divinus*.

[7] *Sed post Patrem.* Hæc et quæ mox post vocem *efficiens* sequuntur, *post Patrem qua Filius*, in ms. Anglic. exstare testatur Pamelius. « Verum, inquit, malumus in contextu relinquere, ut nemo hinc errandi ansam sumat. Quamquam interim contra Arianos sufficiat illud : *Semper enim in Patre, ne Pater non semper sit Pater ;* et quod haud procul a fine hujus capitis habet : *Principium nativitatis ante omne tempus accepit.* Ex quo constat, quum dicit : *Patrem præcedere, priorem esse et antecedere ;* id solum se intelligere, uti subjungit, *qua Pater sit.* Eodem itaque modo intelligenda quæ iterum dicit, *cum Patre postmodum fuit,..... sed post Patrem... post Patrem qua Filius.* »

[8] *Esset.* Heic, et paulo post ubi legimus *genitus non esset*, conjiciebat Welchmanus legendum *est*. Atque ita edidit Jacksonus.

[9] *Si invisibilis... quia nec innatus est.* Has duas periodos et dimidiam quæ in præcedentibus editis desiderabantur, ex laudato codice Anglicano supplevimus, omittentes illud excusorum, *Christus autem non innatus est*, atque illa ex iisdem excusis addentes, *sed ex Patre est, quia genitus est.* Pamel. — Nimirum editiones quæ Pamelianam præcesserunt, post voces et *ideo duos approbasset etiam Deos*, sic se

Digitized by Google

est, sive dum Sapientia est, sive dum Lux est, sive dum Filius est, et quidquid horum est, dum non aliunde est, quam, sicut diximus jam superius, ex Patre; Patri suo originem suam debens, discordiam divinitatis de numero duorum Deorum facere non potuit, qui ex illo qui est unus Deus, originem nascendo contraxit. Quo genere dum et unigenitus est, et primogenitus ex illo est qui originem non habet, unus [1] est omnium rerum et principium et caput. Idcirco [2] unum Deum asseruit, quem non sub ullo principio aut initio, sed initium potius et principium rerum omnium comprobavit. [3] Filius autem nihil ex arbitrio suo gerit, nec ex consilio suo facit, nec a se venit, sed imperiis paternis omnibus et præceptis obedit : ut quamvis probet illum nativitas Filium (*Hebr.* v, 8); tamen morigera obedientia asserat illum paternæ voluntatis, ex quo est, ministrum : ita dum se Patri in omnibus obtemperantem reddit, quamvis sit et Deus; unum tamen Deum Patrem de obedientia sua ostendit, ex quo et originem traxit. Et ideo duos [4] Deos facere non potuit, quia nec duas origines fecit, qui ex eo qui originem non habet, principium nativitatis ante omne tempus accepit. [5] Nam cum id sit principium cæteris quod innatum est (quod Deus solus Pater est qui extra originem est; ex quo hic est qui natus est), dum qui ex illo nascitur, merito ex eo venit qui originem non habet, principium probans illud esse ex quo ipse est; etiamsi Deus est qui natus est, unum tamen Deum ostendit, quem hic qui natus est, esse sine origine comprobavit. Est ergo Deus, sed in hoc ipsum genitus, ut esset Deus. Est et Dominus, sed in hoc ipsum [6] natus ex Patre, ut esset Dominus. Est et (*Isa.* IX, 6) Angelus, sed ad annuntiandum magnum Dei consilium, ex Patre suo Angelus destinatus. [7] Cujus sic divinitas traditur, [8] ut non aut dissonantia aut inæqualitate divinitatis duos Deos reddidisse videatur. Subjectis enim ei quasi Filio omnibus rebus a Patre, dum (I *Cor.* XV, 28) ipse cum his quæ illi subjecta sunt, Patri suo subjicitur, Patris quidem sui Filius probatur; cæterorum autem et Dominus et Deus esse reperitur. Ex quo dum huic qui est Deus omnia substrata traduntur, et cuncta sibi subjecta Filius accepta refert Patri; totam divinitatis auctoritatem rursus [9] Patri remittit; unus Deus ostenditur verus et æternus Pater; a quo solo hæc vis divinitatis emissa, etiam in Filium tradita et directa, rursum per substantiæ communionem ad Patrem revolvitur. Deus quidem ostenditur Filius, cui divinitas tradita et porrecta conspicitur; et tamen nihilominus unus Deus Pater probatur, dum gradatim reciproco meatu illa majestas atque divinitas ad Patrem qui dederat eam, rursum ab illo ipso Filio missa revertitur et retorquetur; ut merito Deus Pater omnium Deus sit, [10] et principium ipsius quoque Filii sui, quem Dominum genuit : Filius autem cæterorum omnium Deus sit, quoniam omnibus illum Deus Pater præposuit quem genuit (I *Tim.* II, 5): ita *Mediator Dei et hominum Christus Jesus* omnis creaturæ subjectam sibi habens a Patre proprio po testatem qua Deus est; eum tota creatura subdita sibi, concors Patri suo Deo inventus, unum et solum et verum Deum Patrem suum, [11] manente in illo quod etiam *auditus est* (*Hebr.*, v, 7), breviter approbavit.

## GALLANDII COMMENTARIUS.

habebant : *Christus autem non innatus est; sed ex Patre est, quia genitus est.* Cæterum vetera exemplaria expressit Welchmanus: Pamelianum vero Jacksonus.

[1] *Unus.* Legendum *unum* putat Welchmanus.

[2] *Idcirco.* Cum Gagnæo supplemus : *Idcirco unum Deum asseruit* (nempe Scriptura) et ex ms. cod. Anglic. *initium potius et principium.* PAMEL.

[3] *Filius.* Legimus iterum cum Gagnæo : *Filius autem nihil ex arbitrio suo gerit*, pro eo quod substituerat Gelenius : *Idem est denique quod nihil.* ID.

[4] *Deos.* Hanc vocem ab editis omissam, restituit primus Welchmanus, eumque secutus Jacksonus.

[5] *Nam... dum qui ex illo nascitur.* Hæc iterum supplemus ex ms. cod. Anglic. parenthesi interjecta PAMEL.

[6] *Natus.* Deest hæc vox apud Pamelium, ex typothetæ fortasse incuria : eam enim exhibent al.

[7] *Cujus... inæqualitate divinitatis.* Hæc restituit ex ms. Anglicano Pamelius. Gagnæus et Frobenius edidere, *ut non dissonantia divinitatis :* atque hanc lectionem retinuit Welchmanus.

[8] *Ut non aut dissonantia, aut inæqualitate.* Fatebor ingenue in his verbis legendum mihi videri *æqualitate.* Utrumque enim pari studio removet auctor a sanctissima Trinitate, et in natura et substantia discrepantiam, et in originis ordine æqualitatem. Quare substantiæ communionem inter Patrem et Filium admittit, eamque in hoc positam putat, quod tota divinitatis auctoritas Filio tradita, eadem in Patre esse non desinat. Sed illud semper arctissime tenet Filium ut a Patre genitum non esse origine æqualem Patri. Quare illud Pauli *Philipp.* II, 6 : *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, sic interpretatur : « Quamvis se ex Deo Patre Deum esse meminisset, numquam se Deo Patri *aut comparavit* aut contulit, memor se esse ex suo Patre, et hoc ipsum quod est, habere se, quia Pater dedisset. » MARAN. *Divin. D. N. J. C.* lib. IV, cap. 19, § 2, pag. 519.

[9] *Patri remittit; unus.* Sic Pamelius. Veteres editi quos secutus est Welchmanus, *illi remittit : unde unus.*

[10] *Et principium ipsius quoque Filii sui.* Hæc ex ms. Anglic. supplevit Pamelius. Mox *Deum genuit* legendum existimat Welchmanus, consentiente Jacksono. Paulo post *Dominus sit* legit Latinius.

[11] *Manente in illo.* Locus valde obscurus visus est Pamelio, et quantum apparet, mutilus aut corruptus. Grignæus legebat *manentem in se quod audivit ab illo.* Welchmanus, unius litterulæ adjectione legendo *manentem* pro *manente*, recte procedere sententiam, auctoremque alludere ad *Heb.* v, 7, in verbis *auditus est*, existimavit. Apud Jacksonum vero vir doctus rescribendum conjecit, *manens et in illo, cui etiam subditus est :* quæ tamen lectio ab exemplaris scriptura nimium recedere videtur.

Digitized by Google

# DE CIBIS JUDAICIS

## EPISTOLA.

### CAPUT PRIMUM.

*Novatianus presbyter Romanus in secessu suo, tempore persecutionis Decianæ, variis fratrum litteris provocatus, adversus Judæos post superiores duas Epistolas de Circumcisione et de Sabbato, etiam hanc de Cibis Judaicis edidit.*

Et si mihi, fratres sanctissimi, exoptatissimus dies ille et inter præcipuos beatosque referendus est quo litteras vestras et scripta suscipio; (quid enim me aliud nunc faciat [1] liberiorem?) tamen non minus egregium diem et inter eximios arbitror computandum, [2] quo similes vobis affectu debitæ charitatis remittens, et ego ad vos compari voto litteras scribo. Nihil enim me, fratres sanctissimi, tantis constrictum vinculis tenet, nihil tantis curarum ac sollicitudinum stimulis excitat et exagitat, quam ne jacturam vobis quamdam per absentiam meam putetis illatam, cui remedium connitor dare, dum elaboro vobis me præsentem frequentibus litteris exhibere. Quamquam ergo et officium debitum, et cura suscepta, et ipsa ministerii imposita persona hanc a me litterarum scribendarum exposcant necessitatem, tamen vos illam plus exaggeratis, dum me ad scribendum frequentioribus litteris provocatis, et pronum me licet ad ista charitatis solemnia magis impellitis, dum sine cessatione in Evangelio vos perstare monstratis: ex quo efficitur, ut et ego vos litteris meis non tam instruam jam eruditos, quam incitem paratos. Nam qui sincerum Evangelium et exceptum ab omni perversæ labe doctrinæ non tantum tenetis, verum etiam animose docetis, magistrum hominem non quæritis; qui rebus ipsis vos doctores esse monstratis. Currentes igitur vos exhortor et vigilantes excito, et *adversus spiritalia nequitiæ* (*Ephes.* VI, 12) dimicantes alloquor, et *ad* [3] *brabium cursu vocationis in Christo* (*Phil.* III, 14) tendentes impello: ut tam hæreticorum sacrilegis calumniis, quam etiam Judæorum otiosis fabulis calcatis et rejectis, traditionem solam Christi doctrinamque teneatis, ut condigne auctoritatem vobis ejus nominis vindicare possitis. Quam vero sint perversi Judæi, et ab intellectu suæ Legis alieni, [4] duabus epistolis superioribus, ut arbitror, plene ostendi, in quibus probatum est prorsus ignorare illos quæ sit vera Circumcisio, et quid verum Sabbatum; quorum adhuc magis ac magis cæcitas revincitur in hac epistola, in qua aliquid de Cibis ipsorum breviter disseritur: hinc etenim se solos sanctos, et cæteros omnes æstimant inquinatos.

### CAPUT II.

*In primis Legem spiritalem esse tradit; et proinde cum cibus primus hominibus, solus arborum fructus fuerit, et usus carnis accesserit: Legem postmodum subsecutam, quæ cibos discernens, quædam quasi munda concessit animalia, quædam interdixit quasi non munda, spiritaliter esse intelligendam: præsertim cum pronuntiata sint omnia* valde bona, *et etiam immunda animalia ad sobolem in arca Noe reservata sint; quæ alioqui possent auferri, si propter inquinamentum suum aboleri debuissent.*

Itaque in primis illud collocandum est, *Legem spiritalem esse* (*Rom.* VII, 14); quam si spiritalem negant, utique blasphemant: si [5] devitantes blasphemiam, spiritalem confitentur; spiritaliter legant. Divina enim divine sunt recipienda, et sancta utique asserenda. Cæterum culpa gravis inuritur, si terrestris et humana sacris et spiritalibus Litteris doctrina præstatur; quod ut ne fiat cavendum est. Caveri autem potest, si quæ a Deo præcepta sunt sic tractentur, ne auctoritatem ejus imminuant assumpta; [6] ne dum quædam impura et non munda dicuntur, institutio illorum infamem reddiderit institutorem. Videbitur enim, reprobando quæ fecit, opera propria damnasse, quæ quasi bona probaverat: et in utroque inconstans, quod hæretici quidem volunt, [7] videri

### GALLANDII COMMENTARIUS.

CAP. I. — [1] *Liberiorem.* Sic Pamelius. Mallet Latinius *hilariorem.*

[2] *Quo.* Hæc est lectio Geleniii et Pamelii. Welchmanus *quod*, minus recte. Mox Jacksonus edidit *affectus.* Sensus enim, inquit, videtur esse, *similes affectus vobis remittens.* Sed lectio vulgata planior. Vocem enim *similes* respicere putarim *litteras*, quarum paulo ante mentio.

[3] *Brabium.* Editio Pamelii 1655, *bravium.* At Frobeniana et reliquæ Pameliance *bravium.* Sic etiam uterque editor Anglic. Statim vero *sursum* pro *cursu* edidit Jacksonus, Græca respiciens *Philipp.* III, 14. τῆς ἄνω κλήσεως, ubi Vulg. *supernæ vocationis.* Paulo post idem Jacksonus legendum suspicatur *et condigne.*

[4] *Duabus epistolis superioribus.* Altera nimirum *de Sabbato*, altera *de Circumcisione*, quarum meminit Hieronymus *de Vir. Illustr.* cap. 70. Sed hæ jamdiu interciderunt.

CAP. II. — [5] *Devitantes.* Sic recte legit Pamelius cum Gelenio. Corruptam vocem *denotantes* edidit Welchmanus ex Gagnæo. JACKSON.

[6] *Ne dum.* Ita Pamelius aliique. Welchmanus ex Gagnæo, *sed dum.*

[7] *Volunt, videri denotabitur.* Sic distinguimus cum

Digitized by Google

denotabitur; dum aut quæ non erant munda benedixit, aut quæ benedixerat, quia et munda et bona, postea reprobavit quasi non bona, quippe quia non munda; cujus consequenter enormitas perpetua manebit et controversia, si perseverat ista Judaica doctrina, quæ omnibus viribus amputanda est: [1] ut, dum quid enormiter ab ipsis traditur, a nobis tollatur; et operum suorum competens dispositio, et divinæ [2] Legis congruens et spiritalis illatio remittatur. Sed ut ab exordio rerum, et unde oportet incipiam; cibus [3] primis hominibus solus arborum fuit fœtus et fructus (*Gen.* I, 29). Nam a pomis usum postea ad fruges contulit culpa, conditionem conscientiæ ipso [4] situ corporis approbante. Nam et innocentia decerpturos alimenta ex arboribus, adhuc sibi bene conscios homines ad superna subrexit, et commissum delictum ad conquirenda frumenta homines terræ soloque dejecit. Postea etiam (*Ibid.* IX, 3) usus carnis accessit, divina gratia humanis necessitatibus competentia ciborum genera [5] prorsus opportunis temporibus porrigente. Nam et teneros et rudes homines alere debebat mollior, cibus, [6] et non sine labore confectus, ad emendationem scilicet; ne iterum liberet delinquere, si innocentiam impositus labor non admoneret. Et quia jam non paradisus custodiendus, sed mundus totus fuerat excolendus, robustior cibus carnis offertur, ut ad emolumenta culturæ plus aliquid humanorum corporum viribus adderetur. Hæc omnia gratia (ut dixi) et dispositione divina, ne aut minus redderetur robustior cibus quo referti ad opera marcescerent, aut amplius tenerior, quo pro modo virium oppressi ferre non possent. Lex autem postmodum subsecuta cibos carnis cum discretione disposuit: quædam enim ad [7] usum, quasi munda contribuit et concessit animalia; quædam interdixit, quasi non munda, et ipsos edentes inquinatura. Et mundorum quidem hanc formam dedit, ut quæ ruminatione ruminent et ungulas findant, munda; immunda, quæ neutrum horum vel alterum faciant (*Levit.* XI, 3, 4). Sic in piscibus quoque [8] ea demum munda essent quæ cooperta squamis et amata remigiis (*Levit.* IX, 10); at quæ contra, hæc esse non munda. Alitum quoque discrimen induxit (*Ib. v.* 13), [9] quidque aut reprobum judicaretur, aut mundum. Ita Lex solertiam maximam faciendæ animalium separationis instituit, quæ in unam benedictionis formam constitutio antiqua contraxit. Quid igitur dicemus? immunda [10] ne ergo animalia? Quid est enim aliud, non munda, quam quæ Lex a ciborum usibus separavit? Quid enim et illud quod jam diximus? Ergo institutor non mundorum Deus, et culpa factorum in artificem redundabit, qui non munda produxit: quod utique dicere extremæ summæque dementiæ est, Deum accusare quasi instituerit immunda, et divinæ majestati crimen inferre, quasi fecerit reproba: præsertim cum et pronuntiata sint *valde bona* (*Gen.* I, 31), et quæ bona ut *crescerent et multiplicarentur*, benedictionem ab ipso Deo sint consecuta. Insuper etiam (*Ibid.* VII, 2) in arca Noe præcepto Creatoris ipsorum ad sobolem reservata: ut et necessaria probarentur, dum custodiuntur; et bona, dum necessaria, probarentur: licet ibi quoque sit [11] discrimen adjectum. Sed tamen vel tunc institutio istorum non mundorum funditus potuisset auferri, si propter inquinamentum suum [12] debuisset aboleri.

## CAPUT III.

*Non culpanda itaque immunda animalia, ne in Auctorem culpa revocetur: sed quando irrationale animal ob aliquid rejicitur, magis illud ipsum in eo qui rationalis est homine damnari: In animalibus proinde mores humanos actus et voluntates depingi.*

Quatenus ergo (ut Apostolo auctore monstravimus) spiritalis Lex ista spiritaliter recipienda est, ut Legis ratio divina et certa præstetur? Primo credendum est quidquid est a Deo institutum, mundum esse, et ipsa institutionis auctoritate purgatum: neque culpandum, ne in Auctorem culpa revocetur. Deinde Legem ad hoc filiis Israel datam, ut per illam proficerent et redirent ad mores bonos, quos [13] cum a Patribus accepissent, in Ægypto propter consuetudinem barbaræ gentis corruperant. Denique et decem Sermones illi in tabulis nihil novum docent,

## GALLANDII COMMENTARIUS.

Jacksono; quod conjiciebat etiam Welchmanus. Al. *volunt videri, denotabitur.*

[1] *Ut, dum quid.* Existimat Welchmanus legendum, *ut quod enormiter*, Jacksonus vero, *ut quidquid.*

[2] *Legis.* Sic Pamelii editio 1635. Aliis placet *legi.* Mox pro *remittatur* rescribit Latinius *retinentur*: quæ lectio probatur Jacksono.

[3] *Primis.* Ita editiones Pamelianæ 1617, 1635, 1662; quæ vera videtur lectio. Al. *primus.*

[4] *Situ corporis.* Quoniam versus terram declive est corpus in serendis et metendis frugibus. JACKSON.

[5] *Prorsus opportunis.* Sic Pamelius aliique. Alii vero *prorsus* omittunt.

[6] *Et non sine labore confectus.* Hæc est lectio Pameliana. Sed aliquid deesse videtur, quo sensus constet; sic forte supplendum, *et provectiores* (subaudi *alere debebat cibus*) *non sine...*

[7] *Usum. Esum* legit Isidorus Hispalensis qui multa ex hoc Novatiani opere exscripsit, cap. IX. *Comment. in Levit.* Sic etiam bis legit Beda nostras Venerabilis: et germana videtur lectio. Mox Isidorus Hispal. *quædam vero interdixit.* JACKSON.

[8] *Ea demum.* Secuti sumus Jacksonum ita rescribentis ex ms. Woweri. Al. *eadem.*

[9] *Quidque.* Legendum censent editores Anglic. *ut*, vel *quo quidque.*

[10] *Immunda ne.* Ita ex Latinio Pamelius et Jacksonus. At Welchmanus edito Frobeniano adhærens: *Immunda ne ergo animalia (quid est enim aliud non munda?) Quæ Lex a ciborum usibus separavit?* Paulo post idem Welchmanus edidit *ex præcepto*, Gagnæum exscribens. Sed ex Pamelio aliisque præpositionem omisimus.

[11] *Discrimen adjectum.* Ita rescripsimus cum editoribus Anglicanis. Al. *crimen adjunctum.*

[12] *Debuisset.* Censet Welchmanus legendum *debuissent.* Consentit Jacksonus.

CAP. III. — [13] *Cum a Patribus.* Isidorus, *cum ante a Patribus.* JACKSON.

Digitized by Google

sed quod obliteratum fuerat admonent : ut justitia in illis, ignium more, quasi afflatu quodam Legis, sopita recalesceret. Proficere autem poterant intellecto plus in hominibus vitia fugienda, quæ Lex damnasset etiam in pecoribus. Nam quando irrationale animal ob aliquid rejicitur, magis illud ipsum in eo qui rationalis est homine damnatur [1]. Et si in eo aliquid quod ex natura habet quasi inquinamentum notatur; plus culpabile, cum illud contra naturam in homine comperitur. Ergo, ut homines [2] mundarentur, pecora culpata sunt ; scilicet ut et homines qui eadem vitia haberent, æquales pecoribus æstimarentur. Quo pacto factum est, ut nec animalia damnarentur ab Institutore, sui culpa ; et homines in pecoribus eruditi ad immaculatam institutionis suæ possent redire naturam. Considerandum enim quomodo Lex munda et non munda discernit : *Munda*, inquit, *et ruminant et ungulam findunt ; immunda* neutrum faciunt, aut ex duobus unum aliquid. Omnia ista unus artifex fecit ; et qui fecit ipse benedixit. Institutionem igitur mundam utriusque conspicio; quia et qui instituit sanctus est, et quæ instituta sunt culpam non habent, dum hoc sunt quod facta sunt. Crimen enim numquam natura, sed voluntas perversa excipere consuevit. Quid ergo est ? In animalibus mores depinguntur humani, et actus, et [3] voluntates. Mundi, si ruminent, id est in ore semper habeant [4] quasi cibum præcepta divina. Ungulam findunt, si firmo gradu innocentiæ, justitiæ omnisque virtutis vitæ itinera conficiant. Eorum enim quæ in duas ungulas pedem dividunt, robustus semper incessus : dum lubricum partis alterius ungulæ firmamento fulcitur, et in vestigii soliditate retinetur. Sic qui neutrum faciunt, immundi sunt : quorum nec in virtutibus firmus [5] ingressus est, nec divinorum præceptorum [7], more illius ruminationis, teritur cibus. Nam et qui alterum faciunt, nec ipsi mundi, dum sunt ex altero debiles, nec in utroque perfecti. Hi autem sunt aut utrumque facientes, ut Fideles, qui mundi ; aut alterum, ut Judæi et Hæretici, qui sunt inquinati; aut neutrum, ut ethnici, qui sunt consequenter immundi. Ita in animalibus, per Legem quasi quoddam humanæ vitæ speculum constitutum est, in quo imagines sanctionum considerent, ut plus vitiosa quæque hominibus contra naturam commissa damnarentur, dum etiam naturaliter in pecoribus constituta culpantur. Nam quod in piscibus [7] squamis aspera pro mundis habentur; asperi et hispidi et hirti et firmi et graves mores hominum probantur : quæ autem sine his sunt, immunda ; [8] quia leves et lubrici et infidi et effeminati mores improbantur. Quid enim vult sibi Lex cum dicit (*Levit.* xi, 4) *Camelum non* [9] *manducabis ?* Nisi quoniam de exemplo animalis vitam damnat [10] enervem et criminibus tortuosam. Aut cum (*Ibid.* 7) *suem* [11] cibo prohibet assumi? Reprehendit utique cœnosam et luteam et gaudentem vitiorum sordibus vitam, bonum suum non in animi generositate, sed in sola carne ponentem. Aut cum (*Ibid.* 6 ) *leporem?* Accusat deformatos [12] in feminam viros. Quis autem (*Ibid.* 29, 30) *mustelæ* corpus cibum faciat? Sed furta reprehendit. Quis *lacertam?* Sed odit vitæ incertam varietatem. [13] Quis *stellionem ?* Sed maculas mentium execratur. Quis (*Ibid.* 13, 14, 16 ) *accipitrem*, quis *milvum*, quis *aquilam?* Sed odit raptores ac violentos, scelere viventes. Quis *vulturem?* Sed execratur prædam de aliena morte quærentes. Aut quis (*Ibid.* 15) *corvum ?* Sed versutas exsecratur voluntates. *Passerem* quoque cum interdicit, intemperantiam coarguit : quando (*Levit.* xi, 16) *noctuam*, odit lucifugas veritatis : quando (*Ibid.* 18) *cygnum* cervicis altæ superbos : quando (*Ibid.* 10) *charadrium*,

## GALLANDII COMMENTARIUS.

[1] *Et si in eo... comperitur.* Hanc periodum in omnibus eruditis corruptam, in sanitatem reduxi ex ms. Woweri. Editt. habuerunt : *Et si in eo quod ex natura aliquid habet, quasi inquinamentum notatur ; plus culpabile, cum illud contra naturam in hominem conqueritur.* JACKSON.

[2] *Mundarentur... æstimarentur.* Isidorus *emundarentur... scilicet, ut omnes qui eadem vitia habebant, æquales pecoribus existimentur.* ID.

[3] *Voluntates.* Sic Pamelius : Quam quidem lectionem confirmant Isidorus *Comment. in Levit.* cap. IX, Beda opp. tom. IV, *Exposit. in Levit.* cap. XI, et in *Levit. Quæst.* cap. IX; et Rabanus Maurus, tom. II, in *Levit. Comment.* ut monuit Jacksonus. Gagnæus vero et Frobenius *voluptates :* atque hanc lectionem retinuit Welchmanus.

[4] *Quasi cibum præcepta divina.* Ita legunt cum Pamelio Isidorus, Beda et Rabanus Maurus. Al. *quasi cibum quemdam.* Al. *q. c. quædam p. d.* JACKSON.

[5] *Ingressus.* Malim *incessus*, ut paulo superius. ID.

[6] *More illius ruminat.* Hæc posui ex ms. Woweri : atque ita legendum sagaciter auguratus est Welchmanus. Editi : *In ore illius ruminat.* ID.

[7] *Squamis aspera.* Isidorus et Beda, *squamosa et aspera.* Mox pro *hirti*, Beda *hirsuti* : et *firmi in fide*, Isidorus. ID.

[8] *Quia..... Quid enim*, Beda, *quibus.... Quid autem.* JACKSON.

[9] *Manducabis.* Sic Isidorus et Beda, atque editt. Gagnæi et Gelenii. Sed Heb. Vulg. et vers. omnes *manducabitis.* (Sic item edidit Pamelius.) ID.

[10] *Enervem.* Isidorus in citatione legit *informem.* Sic etiam citant ex auctore Beda et Rabanus Maurus. Neque dubito quin hæc sit vera lectio : non enim *enerve* est animal camelus : sed est *informe.* ID.

[11] *Suem cibo. In cibum suem*, Beda et Rabanus. ID.

[12] *Deformatos.* Hoc vocabulum reduxi ex Latinio, et habet Isidorus. Editi *reformatos.* Beda *Exposit. in Levit.* legit *deformatos in feminas.* ID.

[13] *Quis stellionem?... morte quærentes.* Editi luxatum hunc locum et sensu deficientem ita exhibent : *Quis stellionem? Sed maculas execratur prædam de aliena morte quærentes.* Quænam porro illæ maculæ, *prædam ex aliena morte quærentes?* Nimirum fraudi fuit librario verbum *execratur*, semel iterumque positum : inquit cl. Wesselingius *Probabil.* cap. 56, pag. 320. Præeuntibus itaque viris eruditis, Jacksono hoc et Wesselingio l. c. locum restituimus ex Isidoro, qui Novatiani verbis usus est *Comment. in Levit.* cap. 9. Sic etiam ex auctore citant verba Beda et Rabanus Maurus, nisi quod habent *violento* pro *ac violentos.* Hoc tamen haud præterire licet, eumdem Novatiani

Digitized by Google

garrulam [1] nimis linguæ intemperantiam : Quando *vespertilionem*, quærentes tenebras noctis simul et erroris. Hæc ergo et his paria Lex in animalibus execratur : quæ in illis quidem non criminosa, quia in hoc nata sunt ; in homine culpata, quia contra naturam, non ex institutione, sed ex errore quæsita sunt.

## CAPUT IV.

*His accessisse et aliam causam, cur multa a Judæis ciborum genera tollerentur ; ad coercendam nimirum intemperantiam populi, uni Deo servituri.*

Illis igitur ita se habentibus accesserunt et aliæ causæ, quibus multa a Judæis ciborum genera tollerentur : quod ut fieret, immunda multa sunt dicta, non ut illa damnarentur, sed ut isti coercerentur servituri uni Deo : quia ad hoc assumptos frugalitas decebat et gulæ temperantia, quæ semper religioni deprehenditur esse vicina, immo (ut ita dixerim) consanguinea potius atque cognata : sanctitati enim inimica luxuria est. Quomodo enim per illam parcetur religioni, cum non parcatur pudori? Non recipit luxuria Dei timorem, dum præcipitantibus illam voluptatibus, in solam fertur cupiditatum temeritatem : effusis enim habenis, sine [2] more admotis sumptibus quasi pabulis crescit excedens patrimonium cum pudore ; aut ut torrens aliquis ; e montium jugis cadens, non tantum opposita transcendit, sed illa ipsa in aliorum ruinam secum rapit. Ad coercendam ergo intemperantiam populi, remedia sunt ista quæsita ; ut quantum luxuriæ demeretur, tantum bonis moribus adderetur. Nam quid aliud merebantur, quam ut ne omnibus escarum voluptatibus uterentur, qui divinis manna epulis vilissimos Ægyptiorum cibos præferre ausi sunt, carnes jurulentas inimicorum atque dominorum [3] ante libertatem ponentes? Digni sane quos optata servitus saginaret, quibus male displicuerit et melior et liber cibus.

## CAPUT V.

*Et vero fuerit tempus aliquod, quo istæ umbræ vel figuræ exercendæ : postquam autem finis legis Christus supervenit, omnia jam dici ab Apostolo munda mundis ; et cibum verum et sanctum esse fidem rectam et immaculatam conscientiam.*

[4] Fuerit ergo tempus aliquod antiquum, quo istæ umbræ vel figuræ exercendæ, ut abstinendum esset a cibis, quos institutio quidem commendaverat, sed Lex interdixerat. Verum jam (*Rom.* x, 4) *finis legis Christus* supervenit, cuncta legis obscura reserans, [5] omnia quæ sacramentorum nebulis antiquitas texerat. Magister enim venit insignis, et Doctor cœlestis, et Institutor consummatæ veritatis, sub quo merito jam dicitur : (*Tit.* I, 15) : *Omnia munda mundis, inquinatis autem et infidelibus nihil mundum, sed polluta sunt eorum et mens et conscientia.* Item alio loco (I *Tim.* IV, 4, 5) : *Quia omnis creatura Dei bona, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur : sanctificatur enim per verbum Dei et orationem.* Rursum alibi (I *Tim.* IV, 1, 2, 3) : *Spiritus manifeste dicit, quod in novissimis diebus recedent quidam a fide attendentes spiritibus seductoribus, doctrinis dæmoniorum in hypocrisi mendaciloquorum cauteriatam habentium conscientiam suam, prohibentium nubere, et abstinere a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et his qui cognoverunt Deum.* Adhuc in altera parte (I *Cor.* x, 25), *Omne quod in macello* [6] *venit, manducate, nihil requirentes.* Ex quibus constat omnia ista suis benedictionibus reddita, jam Lege finita : nec ad solemnitates ciborum esse redeundum, quas et certa imperaverat causa, et jam sustulit libertas Evangelica manumissione revocata. Clamat Apostolus (*Rom.* XIV, 17) : *Non est regnum Dei potus et cibus, sed justitia et pax et gaudium.* Item alio loco (I *Cor.* VI, 13) : *Esca ventri et venter escis ; Deus autem et hunc et hanc evacuabit : corpus autem non fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori.* Deus ventre non colitur, nec cibis (*Matth.* XV, 17 ; *Marc.* VII, 19), quos Dominus dicit perire, et in secessu naturali lege purgari. Nam qui per escas Dominum colit, prope est, ut Dominum habeat ventrem suum. Cibus, inquam, verus et sanctus, et mundus est fides recta, immaculata conscientia, et innocens anima : quisquis sic pascitur, Christo convescitur ; talis epulator conviva est Dei : istæ sunt epulæ quæ Angelos pascunt ; istæ sunt mensæ quæ Martyres faciunt. Hinc est vox illa Legis (*Deut.* VIII, 3) : *Non in pane tantum vivit homo, sed in omni verbo quod proficiscitur ex ore Dei.* Hinc illa Christi : (*Joan.* IV, 34) : *Mea esca est, ut faciam voluntatem ejus qui me misit, et ut consummem opus ejus.* Hinc

## GALLANDII COMMENTARIUS.

locum ex Isidoro restituendum, ut et alia complura superius annotata, multo ante pervidisse doctissimum Menardum ad S. Barnabæ Epist. cap. 10, ex quo etiam vix dubito quin sua de mystica ciborum Judaicorum interpretatione hauserit Novatianus.

[1] *Nimis linguæ.* Isidorus et Beda, *nimiæ linguæ.* Mox vero iidem, *sed in homine :* quod probo. Paulo ante pro *superbos* legunt *superbiam* Beda et Rabanus Maurus. JACKSON.

CAP. IV. — [2] *Sine more.* Legendum putat Welchmanus *sine mora.* Jacksonus *sine modo.*

[3] *Ante libertatem.* Sic Pamelii omnes editi, Woweri ms. parile habet *libertati anteponentes.* Sed Welchmanus edidit *post libertatem ponentes ;* quæ est corrupta Frobenii lectio, sensui auctoris contraria. Paulo post idem Welchmanus ex Frobenio vitiose *signaret,* pro *saginaret,* quod exhibent editiones Pamelianæ. JACKSON.

CAP. V. — [4] *Fuerit.* Isidorus et Beda : *Sed fuit tempus aliquando.* Mox iidem : *Exercendæ erant a populo vel gerendæ, ut abstinendum.* ID.

[5] *Omnia quæ sacramentorum nebulis.* Isidorus : *Atque omnia sacramenta quæ nobis.* Sensus auctoris heic videtur imperfectus ; et possumus aliter legere ex citatione Bedæ hoc modo : *Verum jam finis Legis Christus supervenit, aperiens cuncta Legis et obscura reserans : atque omnia quæ sacramentorum nebulis antiquitas texerat, Magister insignis et Doctor cœlestis et Institutor consummatæ veritatis patefacit : sub quo merito.* ID.

[6] *Venit.* Ita Frobenius et Pamelii editio 1635, nec non Welchmanus. Al. *vænit.* Minus recte.

Digitized by Google

(*Joan.* VI, 26, 27) : *Quæritis me, non quia signa vidistis, sed quia manducastis de panibus meis, et saturati estis. Operamini autem non eam escam quæ perit, sed escam permanentem in vitam æternam, quam Filius hominis vobis dabit : hunc enim Pater signavit Deus.* Justitia, inquam, et continentia et reliquis Deus virtutibus colitur. [1] Nam et Zacharias refert (*Zach.*, VII, 6) : *Si manducetis*, inquit, *aut bibatis, nonne* [2] *vos manducatis aut bibitis?* Exprimens cibos aut potus, non ad Deum pervenire, sed ad hominem : nec enim carneus Deus est, ut carne placetur ; nec in has voluptates [3] attonitus, ut nostris gaudeat cibis. Deus sola gaudet fide nostra, sola innocentia, sola veritate, solis virtutibus nostris, quæ habitant non in ventre, sed in animo : quasque nobis acquirit divinus timor et cœlestis metus, non terrenus cibus. Ex quibus congruenter insectatus est Apostolus (*Coloss.* II, 18, 19) *superstitionibus Angelorum servientes, inflatos a sensu carnis suæ, caput Christum non tenentes ; ex quo omne corpus per nexum concatenatum, et fibula charitatis membris mutuis innexum atque concretum crescit in Deum :* sed illa servantes (*Ibid.* 21, 23) : *Ne tetigeritis*, [4] *neque gustaveritis, neque contrectaveritis; quæ imaginem quidem videantur habere religionis, dum corpori non parcitur ;* nullum tamen emolumentum omnino justitiæ, dum ad elementa quibus per Baptisma mortui sumus, voluntaria servitute revocamur.

## CAPUT VI.

*Sed non ex hoc quia libertas ciborum concessa, luxuriam permissam esse, aut continentiam sublatam et jejunia : hæc enim vel maxime decere Fideles, oraturos scilicet Deum, et acturos gratias non diebus tantum, sed et noctibus.*

Sed non ex hoc statim quia libertas ciborum concessa, luxuria permissa est : nec quia liberalius nobiscum Evangelium [5] gessit, continentiam sustulit. Non, inquam, ex hoc ventri procuratum est, sed ciborum forma monstrata est : ostensum est quid juris esset, non quo in gurgitem cupiditatis iretur, sed quo Legis ratio redderetur. Cæterum nihil ita intemperantiam coercuit quam Evangelium : nec ita constrictas quisquam gulæ leges [6] dedit, quam Christus : qui (*Matth.* V, 3, 6) beatos legitur pronuntiasse, [7] sed egenos ; et felices esurientes atque sitientes (*Luc.* VI, 24) ; miseros divites, quibus ad imperium ventris et gulæ servientibus voluptatum numquam posset [8] materia deficere, ne desinere servitus posset ; argumentum felicitatis putantes, concupiscere quantum possint, nisi quod et sic minus possint, quam concupiscunt. Nam et (*Ibid.* XVI, 19) [9] Lazarum in ipsa fame ipsisque ulceribus et canibus divitis præferens, carnifices salutis ventrem et gulam coercebat exemplis (I *Tim.* VI, 8). Apostolus quoque *habentes*, dicendo, *victum et vestitum, his contenti sumus*, frugalitatis et continentiæ legem dabat ; parum existimans profuturum esse quod scripserat, etiam exemplum se scriptorum suorum dabat, subjiciens non immerito esse (*Ibid.* 10) *omnium malorum avaritiam radicem*, sequitur enim præcurrentem luxuriam. Quidquid hæc per vitia consumpserit, illa per scelera restituit, [10] orbe criminum recurso, ut rursum luxuria eximat, quidquid avaritia congesserat. Nec tamen desunt inter ista qui, cum sibi nominis Christiani vocem induerint, exempla præbeant intemperantiæ et magisteria : quorum usque eo vitia venerunt, ut et [11] jejuni matutino tempore bibant, non putantes Christianum esse potare post cibum, nisi in vacuas et inanes adhuc venas infusa statim post somnum vina descenderint : minus enim [12] quæ bibunt sapere videntur, si inter vina cibi permisceantur. Videas ergo tales novo genere adhuc jejunos et jam ebrios, non ad popinam currentes, sed popinam secum circumferentes : quorum [13] quisquis salutat, non osculum dat, sed propinat. Quid isti post cibum faciant, quos ebrios invenit cibus? aut quales istos sol in occasu relinquit, quos jam marcidos vino oriens aspicit? Sed quæ detestanda sunt, non sunt nobis exempla ducenda. Sumenda sunt enim ea sola quibus animus noster melior reddatur : et licet in Evangelio per omnia ciborum redditus nobis usus sit ; tamen intelligitur redditus, sed cum lege frugalitatis et continentiæ. Hæc enim vel maxime decent Fideles, oraturos scilicet Deum, et acturos ei quidem gratias, non diebus tantum, sed et ipsis noctibus : quod fieri non poterit, si somnum gravem et molem pectori impositam mens cibo vinoque sopita non valuerit excutere.

## GALLANDII COMMENTARIUS.

[1] *Nam et. Nam ut* legendum suspicatur uterque editor Anglic.

[2] *Vos.* Sic habent LXX, Syr. et Arab. *Vobis* Heb. et Vulg. ut apparet ex Hieronymi Comment. in locum. JACKSON.

[3] *Attonitus.* Ex conjectura utriusque Anglicani editoris legendum *attentus*, vel *intentus*.

[4] *Neque gustaveritis.* Hæc Novatiano restituerunt editoris Anglicani, e cujus textu propter *neque* repetitum librariorum incuria excidisse videntur.

CAP. VI. — [5] *Gessit.* Existimat Welchmanus legendum *egit*.

[6] *Dedit.* Vox ista deest in editis Pamelii : sed eam agnoscunt Gagnæus et Frobenius ; et sensus eam postulare videtur. JACKSON.

[7] *Sed egenos.* Particulam *sed* expunxit Jacksonus. Quid vero, si ἐμφατικῶς eam scripserit auctor?

[8] *Materia.* Hanc vocem restitui ex Ursino et Wowero. Editi corrupte *mater*. JACKSON.

[9] *Lazarum.... præferens.* Hæc posui ex ms. Woweri. Editi vitiose, *Lazarus... perferens ;* omittuntque intermedia, *et divitiis*. Al. vero pro *canibus* legunt *carnibus*. ID.

[10] *Orbe.... ut rursum.* Uterque editor Anglic. mallet, *ut orbe... rursum*.

[11] *Jejuni.* Hæc vox est genuina, ut monstrat mox sequens *jejunos*. Et sic legit Latinius. Male Pamelius *jejunii ;* apud quem male iterum *per somnum*. JACKSON.

[12] *Quæ bibunt.* Sic reposui ex ms. Woweri. Mox Pamelium sequor rescribens, *si inter vina cibi*. Gagnæus et Frobenius, *si intestina cum cibis :* quam corruptam lectionem recudit Welchmanus. ID.

[13] *Quorum quisquis.* Hæc est lectio Frobeniana quam expressit Welchmanus, pro Pameliana *quorum*

Digitized by Google

## CAPUT VII.

*Cavendum etiam esse ne quis licentiam istam in tantum putet profusam, ut ad immolata idolis possit accedere.*

Sed quod in [1] usu ciborum vel maxime custodiendum sit, cavendum est ne quis licentiam istam putet in tantum [2] profusam, ut et ad immolata simulachris possit accedere. Quantum enim ad creaturam Dei pertineat, omnis munda est: sed (I *Cor.* x, 20, 21) cum dæmoniis immolata fuerit, inquinata est tamdiu, quamdiu simulachris offeratur: quod mox atque factum est, non est jam Dei, sed idoli; quæ dum in cibum sumitur, sumentem dæmonio nutrit, non Deo, convivam illum simulachro reddendo, non Christo: [3] ut merito faciunt et Judæi: quorum ciborum ratione perspecta, et consilio Legis considerato, et Evangelicæ gratiæ beneficio cognito, et temperantiæ rigore servato, et simulachris immolatorum inquinamento repulso, regulam veritatis per omnia custodientes, Deo gratias agere debemus per Jesum Christum Filium ejus Dominum nostrum; cui laus et honor et claritas in sæcula sæculorum. Amen

## COMMENTARIUS.

*quisque.* Nimis enim dura esse illa videtur, quam in textum intulit Jacksonus ex ms. Woweri, *quorum quos quisquis.*

[1] *Usu.* Sic ex ms. Woweri editorum lectionem *usum* emendavit Jacksonus: atque ita legendum conjecerat Welchmanus.

Cap. VII.—[2] *Profusam. Permissam* Isidorus, qui et mox legit *pertinet.* Jackson.

[3] *Ut merito faciunt et Judæi.* Si nihil desit, quod tamen suspicor, sensus est: ut Judæi etiam a cibis abstinent, qui idolis immolati sunt. Welchm. — Neque aliter Jacksonus.

# NOVATIANI
# AD S. CYPRIANUM EPISTOLA,
## CLERI ROMANI NOMINE SCRIPTA,
# CYPRIANO PAPÆ
### PRESBYTERI ET DIACONI [4] ROMÆ CONSISTENTES, SALUTEM.

Argumentum.— *Deo se primum commendat, deinde et fratribus. Romanorum fides ab Apostolo laudata. Libellaticorum scelus negantium sceleri suppar. Lenitate nimia lapsos excipere summa crudelitas. Confessorum litteræ ad disciplinam ecclesiasticam conservandam plurimum conducebant. Cypriani etiam litteræ confessoribus utiles. Exspectanda Ecclesiæ pax et constitutus Episcopus, antequam lapsis pax detur. Pulsent Ecclesiæ fores lapsi, sed non confringant.*

I. Quamquam bene sibi conscius animus, et Evangelicæ disciplinæ vigore subnixus, et verus sibi in [5] decretis cœlestibus testis effectus, soleat solo Deo judice esse contentus, nec alterius aut laudes petere aut accusationes pertimescere, tamen geminata sunt laude condigni, qui cum conscientiam sciant [6] Deo soli debere se judici, actus tamen suos desiderant etiam ab ipsis suis fratribus comprobari. Quod te, frater Cypriane, facere non mirum est; qui pro tua verecundia et [7] ingenita industria, consiliorum tuorum nos non tam judices voluisti quam participes inveniri: ut in tuis rebus gestis laudem tecum, dum illas probamus, inveniremus, et tuorum consiliorum bonorum coheredes, [8] quia et affirmatores, esse possimus. Idem enim omnes credimur operati, in quo deprehendimur eadem omnes censuræ et disciplinæ consensione sociati. Quid enim magis aut in pace tam aptum, aut in bellis persecutionis tam necessarium, quam debitam severitatem divini vigoris tenere? quam qui remiserit, instabili rerum cursu erret semper necesse est, et huc atque illuc variis et in-

## VARIORUM NOTÆ.

[4] *Diaconi. Diacones* edit. Spirensis 1471 et vetus innominata. Et sic inscribitur (epistola XXX, edit. Baluz.) apud Cyprianum. Utroque modo scripserunt auctores ecclesiastici: et vox *diaconibus* frequenter occurrit in epistolis Cyprianicis. Jackson.

I.—[5] *Decretis cœlestibus.* Hanc lectionem reperi in octo codicibus antiquis. Angli monent in codice Vaticano legi *castris cœlestibus.* Quam lectionem merito ait Rigaltius sibi non placere. Baluz.

[6] *Deo soli debere se judici.* Cod. Vern. apud Fellum, *Dei solius debere se judicio.* Conjicit Jacksonus legendum, *Deo soli debere subjici* Sed lectionem vulgatam comprobare videtur ipsemet auctor, qui paulo ante dixit, *solo Deo judice esse contentus.* Coustant. Galland.

[7] *Ingenita.* Deest hæc vox in cod. Lincol Paulo post deest item in eodem cod. et in edit. Spir. vox *bonorum.* Utrumque recte omissum, ut videtur. Galland.

[8] *Quia.* Cod. Vat. *qui.* Mox Lincol. *operari.* Sed recte

Digitized by Google

certis negotiorum tempestatibus dissipetur, et quasi extorto de manibus consiliorum gubernaculo, [1] navim ecclesiasticæ salutis illidat in scopulos : ut appareat non aliter saluti ecclesiasticæ consuli posse, nisi si qui et contra ipsam [2] faciunt quasi quidam adversi fluctus, repellantur; et disciplinæ ipsius semper custodita ratio, quasi salutare aliquod gubernaculum in tempestate, servètur.

II. Nec hoc nobis [3] nunc nuper consilium cogitatum est, nec hæc apud nos adversus improbos modo supervenerunt repentina subsidia, sed [4] antiqua hæc apud nos severitas, antiqua fides, disciplina legitur antiqua. Quoniam nec tantas de nobis laudes Apostolus protulisset dicendo : *Quia fides vestra prædicatur in toto mundo* (*Rom.* I, 8), nisi jam exinde vigor iste radicos fidei de temporibus illis mutuatus fuisset, quarum laudum et gloriæ [5] degenerem fuisse, maximum crimen est. Minus est enim dedecoris numquam ad præconium laudis accessisse, quam de fastigio laudis ruisse. Minus est criminis honoratum bono testimonio non fuisse, quam honorem bonorum testimoniorum perdidisse. Minus est, sine prædicatione virtutum ignobilem sine laude jacuisse, quam exhæredem fidei factum laudes proprias perdidisse : ea enim quæ in alicujus gloriam proferuntur, nisi anxio et sollicito labore serventur, in invidiam maximi criminis intumescunt.

III. Hoc nos non falso dicere [6] superiores nostræ litteræ probaverunt, in quibus vobis sententiam nostram dilucida expositione protulimus adversus eos qui se ipsos infideles illicita nefariorum libellorum professione prodiderant, quasi evasuri [7] irretientes illos diaboli laqueos viderentur, [8] quo non minus quam si ad nefarias aras accessissent, hoc ipso quod ipsum contestati fuerant, tenerentur ; sed etiam adversus illos qui [9] accepta fecissent, licet præsentes cum fierent non adfuissent, cum præsentiam suam utique, ut sic scriberentur [10] mandando, fecissent. Non est enim immunis a scelere, qui ut fieret [11] imperavit ; nec est alienus a crimine, cujus consensu, licet non a se admissum crimen, tamen publice legitur ; et cum totum fidei sacramentum in confessione Christi nominis intelligatur esse digestum, qui fallaces in excusatione præstigias quærit, negavit : et qui vult videri propositis adversus Evangelium vel edictis vel legibus satisfecisse, hoc ipso jam paruit quod videri paruisse se voluit. Nec non etiam contra illos quoque qui illicitis sacrificiis manus suas atque ora polluerant, pollutis ante mentibus propriis, unde etiam sunt ipsæ manus atque ora polluta, fidem nostram consensumque monstravimus. Absit enim ab Ecclesia Romana vigorem suum tam profana facilitate dimittere, et nervos severitatis eversa fidei majestate dissolvere ; ut cum adhuc non tantum jaceant, sed et cadant eversorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum, utique non profutura, præstentur, et nova per misericordiam falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur, ut miseris ad aversionem majorem eripiatur et pœnitentia. Ubi enim poterit indulgentiæ medicina [12] proficere, si etiam ipse medicus intercepta pœnitentia indulget periculis, si tantummodo operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia obducere cicatricem ? Hoc non est curare, sed, si dicere verum volumus, occidere.

IV. Quamquam Confessorum quoque, quos hic ad-

## VARIORUM NOTÆ.

*operati* propter sequens *sociati* eadem constructione. JACKSON.

[1] *Navim*, etc. Cod. sancti Remigii Remensis (et Lincol.) *navem ecclesiasticæ disciplinæ illidat*. Divionensis et recentior Victorinus. *navem Ecclesiæ falsos illidat in scopulos*. BALUZ. — Magis placet posterior lectio propter sequentia *saluti ecclesiasticæ*, ne inconcinna videatur oratio. GALLAND.

[2] *Faciunt quasi quidam adversi fluctus, repellantur*. Sic distinguimus cum Jacksono. Al. *faciunt, quasi quidam adversi fluctus repellantur*. GALLAND.

II. — [3] *Nunc nuper*. Omittit *nunc* cod. Lincol. GALL.

[4] *Antiqua... severitas*. Ista, quæ addita sunt in editione Manutiana, desunt in antiquis editionibus et in duobus antiquis codd. Habentur autem in aliis. BALUZ.

[5] *Degenerem*. Cod. Lincol. *degeneres*. Sed sequentia *honoratum, ignobilem, exhæredem*, lectionem vulgatam confirmant. JACKSON.

III. — [6] *Superiores nostræ litteræ*. Hæ intercidisse videntur. GALLAND.

[7] *Irretientes*. In uno libro meo veteri, *retinentes*. In Remensi sancti Dionysii, *in retinendis illis diaboli laqueis*. BALUZ. — Cod. Lincol. *quasi hoc evasuri in retinendis illos diaboli laqueos viderentur, quod*. Bodl. 1. Fossat. et edit. vetus innominata, *quasi hoc evasuri*. FELL.

[8] *Quo*. Al. *quod*. Latinius *quando*. GALLAND.

[9] *Accepta fecissent*. Ita codd. Lincol. Bodl. 1. Benevent. editt. Manut. Fell. Welch. et Jackson. At Pamelius quem secutus est Baluzius, *acta fecissent*. Lectionem priorem confirmat Rigaltius : « Rectissime, inquit, in Beneventano exemplari et in editione Romana legitur, *qui accepta fecissent* : hoc est, qui submissos libellos accepissent ; sic enim accepto et rato habuerant quidquid illis continebatur. Continebatur autem illum (Libellaticum) illo die in Capitolium ascendisse, ac dedisse thura Jovi : quod etsi ille non fecerat, attamen fecerat, ut se fecisse publice legeretur : lecto scilicet libello, quo videri voluit propositis adversus Evangelium edictis satisfecisse ; quod erat, fidem Christo datam desernisse. » GALLAND.

[10] *Mandando*. Sic Natalis ab Oea sententiam dixit in concilio Carthaginensi sub Cypriano pro se et pro Pompeio Sabratensi et Dioga Leptimagnensi, *qui mihi mandaverunt*. BALUZ.

[11] *Imperavit*. Hæc lectio videtur optima. Et tamen illam non inveni nisi in uno veteri libro. Cæteri et editiones Pameliana vetustiores habent *impetravit*. Pamelius autem mutavit secutus conjecturam Costerii, quamvis fateatur se ubique legisse *impetravit*. Sic in epistola XLIV codicis encyclii scriptum est in codice Bellovacensi *quibus impetrare divino judicio* pro *imperare*. Facilis error, qui admissus est etiam in alio veteri codice ejusdem Ecclesiæ, in breviario nimirum Liberati cap. 18, ubi pro *nihil impetrantes dimisit*, uti habent editiones et tres libri veteres, codex Ecclesiæ Bellovacensis habet *imperantes*. Sic apud Fulgentium Placiadem lib II *Mythol.* ubi agit de Vulcano et Minerva, legendum est *Jupiter imperavit* pro eo quod ibi legitur *impetravit*. BALUZ.

[12] *Proficere*. Ita emendandum esse existimavi secutus auctoritatem veterum exemplarium et editionum,

Digitized by Google

huc in carcerem dignitas suæ confessionis inclusit et ad certamen evangelicum sua fides in confessione jam gloriosa semel coronavit, litteras habeas conspirantes cum litteris nostris, quibus severitatem evangelicæ disciplinæ protulerunt, et illicitas petitiones ab Ecclesiæ pudore revocarunt. Nisi hoc fecissent, disciplinæ evangelicæ [1] ruina non facile sarciretur, præsertim cum nulli magis tam congruum esset tenorem evangelici vigoris [2] illibatum dignitatemque servare, quam qui se excruciandos et excarnificandos pro Evangelio furentibus tradidissent, ne martyrii honorem [3] merito perderent, si in occasione martyrii, prævaricatores Evangelii esse voluissent : nam qui quod habet, non custodit in eo ex quo illud possidet, dum id ex quo possidet violat, amittit illud quod possidebat.

V. In quo loco maximas tibi atque uberes gratias referre debemus et reddimus, quod illorum carceris tenebras litteris tuis illuminasti, quod ad illos venisti quomodo introire potuisti, quod illorum animos sua fide et confessione robustos tuis allocutionibus litterisque recreasti, quod felicitates eorum condignis laudibus [4] persecutus accendisti ad multo ardentiorem cœlestis gloriæ cupiditatem, quod pronos impulisti, quod, ut credimus et optamus, victores futuros viribus tui sermonis [5] animasti : ut quamquam hoc totum de fide confitentium et de divina indulgentia venire videatur, tamen in martyrio suo tibi ex aliquo debitores facti esse videantur. Sed ut ad id unde digressus sermo videbatur esse, rursus revertatur, quales [6] litteras in Siciliam quoque miserimus, subjectas habebis.

VI. Quamquam nobis differendæ hujus rei necessitas major incumbat, quibus, post excessum nobilissimæ memoriæ viri [7] Fabiani, nondum est episcopus propter rerum et temporum difficultates constitutus, qui omnia ista moderetur, et eorum qui lapsi sunt possit cum auctoritate et consilio habere rationem. [8] Quamquam nobis in tam ingenti negotio placeat quod et tu ipse tractasti ; [9] prius Ecclesiæ pacem sustinendam, deinde sic collatione consiliorum cum episcopis, presbyteris, diaconis, confessoribus pariter ac stantibus laicis facta, lapsorum tractare rationem. Perquam enim nobis et invidiosum et onerosum videtur, non per multos examinare quod per multos commissum videatur fuisse, et unum sententiam dicere cum tam grande crimen per multos diffusum notetur exisse ; quoniam nec firmum decretum potest esse, quod non plurimorum videbitur habuisse consensum. Aspice totum orbem pene vastatum, et ubique jacere dejectorum reliquias [10] et ruinas, et idcirco tam grande expeti consilium quam late propagatum videtur esse delictum. Non sit minor medicina quam vulnus est, non sint minora remedia quam [11] funera : ut quo modo qui ruerunt, ob hoc ruerunt quod cæca temeritate nimis incauti fuerunt ; ita qui hoc disponere nituntur, omni consiliorum moderamine utantur, ne quid, non ut oportet factum, tamquam irritum ab omnibus judicetur. Uno igitur eodemque consilio, iisdem precibus et fletibus, tam nos qui usque adhuc videmur temporis istius ruinas subterfugisse, quam illi qui in has temporis videntur clades incidisse, divinam majestatem deprecantes pacem [12] ecclesiastico nomini postulemus : mutuis votis nos invicem foveamus, custodiamus, armemus : oremus pro lapsis, ut erigantur : oremus pro stantibus, ut non ad ruinas usque tententur : oremus ut qui cecidisse referuntur, delicti sui magnitudinem agnoscentes, intelligant non momentaneam neque præproperam [13] desiderare medicinam : oremus ut effectus indulgentiæ lapsorum subsequatur et [14] pœnitentia, ut intellecto suo crimine velint nobis interim præstare patientiam, nec adhuc fluctuantem turbent Ecclesiæ statum ; ne interiorem nobis persecutionem

## VARIORUM NOTÆ.

pro eo quod posteriores editiones præferunt *procedere*. Sed hanc tamen ultimam lectionem ego me reperisse fateor in duobus libris meis veteribus, in Gratianopolitano et in uno Victorino, tum etiam in editione Manutiana, codex Remensis sancti Dionysii et Lamonianus habent *prodesse*, eodem sensu. Balu.

IV.—[1] *Ruina... sarciretur*. Unus Baluzius edidit, *ruinæ... sarcirentur* : qua vero auctoritate, silet. Mox apud eumdem *congruens*, ut habet editio Oxoniensis. Al. *congruum*. Galland.

[2] *Illibatum dignitatemque servare*. Cod. Vat. *illibata dignitate servare*. Quam lectionem retinuit Welchmanus : sed male apud ipsum, excusum *servari*. Statim vero suspicatur idem editor legendum *quam iis qui*. Gall.

[3] *Merito*. Deest hæc vox in ms. Lincol. Mox idem codex *occisione martyrii* : mendose, ut quidem puto. Gall.

V. — [4] *Persecutus*. Cod. Bodl. 1 *prosecutus* : atque hanc lectionem in textum intulit Baluzius Gall.

[5] *Animasti*. Bodl. 1, et Vat. *armasti*. Gall.

[6] *Litteras... subjectas habebis*. Hujusmodi Novatiani litteræ nusquam apparent. Gall.

VI.—[7] *Fabiani*. Martyrio sublatus est Fabianus anno Christi CCL, 13 kal. febr., eique successit Cornelius ineunte junio anni CCLI, ut ex Pagio erudimur. Gall.

[8] *Quamquam... tractare rationem*. Hunc locum recitat Cyprianus in epist. LII edit. Baluz. ad Antonianum. Eam habes infra inter Cornelianas. Subditque sanctus Martyr : *Additum est etiam Novatiano tunc scribente, et quod scripserat sua voce recitante*, etc. Quæ Cypriani verba descripsit Pacianus in epistola II ad Sympronianum. Gall.

[9] *Prius Ecclesiæ*. Cyprianus, l. c. *prius esse Ecclesiæ*. Et mox, *diaconibus*. Gall.

[10] *Et ruinas*. Editio Spirensis et tres libri veteres non habent hæc duo vocabula. Veneta vetus habet. Duo alii libri veteres præferunt *laqueos* pro *ruinas*. Baluz.

[11] *Funera*. Codex sancti Arnulphi habet *vulnera*. Quæ lectio mihi videtur esse melior : eam que posuissem in contextu, si tum cum hic locus cudebatur, habuissem codicem illum. At si quis retinendam putat vocem *funera*, intelligere oportet mortes, seu potius cadavera mortuorum. Baluz.

[12] *Ecclesiastico nomini*. Ita nos reposuimus, editionem Anglicanam et auctoritatem quorumdam veterum librorum secuti. Si quis tamen legere malit *nomine*, non repugno. Baluz.

[13] *Desiderare*. Duo libri veteres habent, *desiderare debere medicinam*. Baluz.

[14] *Pœnitentia*. Antea legebatur *pœnitentiam* : eamque

Digitized by Google

ipsi incendisse videantur, et accedat ad criminum cumulum quod etiam inquieti fuerunt. Maxime enim illis congruit verecundia, quorum in delictis damnatur mens inverecunda.

VII. Pulsent sane fores, sed non utique confringant. Adeant ad limen Ecclesiæ, sed non utique transiliant. Castrorum cœlestium excubent portis, sed armati modestia, qua intelligant se desertores fuisse. Resumant precum suarum tubam, sed qua non bellicum clangant. Arment se quidem modestiæ telis, et quem negando mortis metu fidei dimiserant clypeum resumant; sed ut contra hostem diabolum vel nunc armati, non contra Ecclesiam quæ illorum dolet casus, armatos esse se credant. Multum illis proficiet petitio modesta, postulatio verecunda, humilitas necessaria, patientia [1] non otiosa. Mittant legatos pro suis doloribus lacrymas; advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commissi criminis et pudorem. Immo si dedecoris admissi magnitudinem perhorrescunt, si pectoris et conscientiæ suæ lethalem plagam et sinuosi vulneris altos recessus vere medica manu tractant, erubescant et petere; nisi quia majoris est rursum et periculi et pudoris, auxilium pacis non petiisse. Sed hoc totum in sacramento, sed in ipsius postulationis lege temporis facto temperamento, sed postulatione demissa, sed prece subdita: quoniam et qui petitur flecti debet, non incitari; et sicut respici debet divina clementia, sic respici debet et divina censura; et sicut scriptum est (*Matth.* XVIII,32): *Donavi tibi omne debitum, quia me rogasti;* sic scriptum est (*Luc.* XII,9): *Qui me negaverit coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo et coram Angelis ejus.* Deus enim ut est indulgens, ita est præceptorum suorum exactor, et quidem diligens; et sicut (*Matth.* XXII, 3) ad convivium vocat, sic habitum nuptiarum non habentem, ligatis manibus et pedibus extra sanctorum cœtum foras jactat. Paravit cœlum, sed paravit et tartarum. Paravit refrigeria, sed paravit etiam æterna supplicia. Paravit inaccessibilem lucem, sed paravit etiam perpetuæ noctis vastam [2] æternamque caliginem. Cujus temperamenti moderamen nos heic tenere quærentes diu, et quidem multi, et quidem cum quibusdam episcopis [3] vicinis nobis et appropinquantibus, et quos [4] ex aliis provinciis longe positis persecutionis istius ardor ejecerat, ante constitutionem episcopi nihil innovandum putavimus, sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse [5] credidimus; ut interim, dum episcopus dari a Deo nobis sustinetur, in suspenso [6] eorum qui moras possunt dilationis sustinere, causa teneatur; eorum autem quorum vitæ suæ finem urgens exitus dilationem non potest ferre, acta pœnitentia et professa frequenter suorum detestatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac vere pœnitentis animi signa prodiderint, cum spes vivendi secundum hominem nulla substiterit, ita demum caute et sollicite subveniri, Deo ipso sciente quid de talibus faciat, et qualiter judicii sui examinet pondera; nobis tamen anxie curantibus, ut nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem, nec vere pœnitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem. Optamus te, beatissime ac gloriosissime papa, in Domino semper bene valere et nostri meminisse.

### VARIORUM NOTÆ.

lectionem confirmant veteres editiones et septem vetera exemplaria. Nostram quæ videtur esse melior, confirmant tres antiqui codices. BALUZ.

VII. — [1] *Patientia. Pœnitentia.* Cod. Lincoln.

[2] *Æternamque.* Sic editi ferme omnes. Cod. Vatic. *et tetram:* quam lectionem in textum inferre non dubitarunt editores Anglicani. GALL.

[3] *Vicinis nobis.* Ita Fellus et Baluzius. Omittunt *nobis* Welchmanus et Jacksonus.

[4] *Et quos.* Conjunctionem *et* redundare putat Welchmanus. Jaksono autem sensus videtur *et cum quibusdam quos.* Mox deest *positis* in cod. Lincoln. GALL.

[5] *Credidimus.* Ita ex cod. Bodl. 1. Fellus, Welchmanus et Jaksonus. Al. *credimus.* GALL.

[6] *In suspenso.... moras.... sustinere. In suspenso* emendavit Morellius pro eo quod antea legebatur *in suspendio.* Unus liber meus habet *voto suspenso.* Mox cod. Gratianopolitanus, *qui foris possunt dilectionem sustinere.* Vetustiores editiones, *foris possunt dilatione sustineri.* BALUZ.

ANNO DOMINI CCLII–CCLIII.

# S. LUCIUS, I, PAPA ET MARTYR.

## NOTITIA HISTORICA.

*Lucius Pontifex ordinatur, ann.* 252, *mense Septembri vel Octobri.* — Post Cornelii martyrium, Lucius in ejus locum ordinatus 25 septembris, uti Pagius et Maurini arbitrantur (1), vel 28 octobris juxta Bianchini; Romanam sedem vix adeptus, jussus est exsulare. Hinc cum Cyprianus eodem tempore ordinationem ejus, ac exsilium audisset, communicatorias ac gratulatorias, suo collegarumque suorum nomine, epistolas ad eum misit, quæ etsi perierint, ex altera tamen, quæ adhuc exstat, ad eumdem post reditum data, id totum constat: « Nuper quidem », scribit Cyprianus (2) « tibi, frater charissime, gratulati sumus, cum te honore geminato in Ecclesia suæ administratione confessorem pariter et sacerdotem constituit divina dignatio, sed et nunc non minus tibi et comitibus tuis, atque universæ Fraternitati gratulamur, quod cum eadem gloria, et laudibus vestris reduces vos denuo ad suos fecerit benigna Domini et larga protectio, ut pascendo gregi pastor, et gubernandæ navi gubernator, et regendæ plebi rector red-

(1) Pag., ad ann. 252, § 14; *l'Art de Vérifier*, loc. cit.

(2) Cyprian., Ep. 61, *ad Lucium*, al. 58.



Digitized by Google

derctur, et appareret relegationem vestram sic divinitus esse dispositam, non ut episcopus relegatus, et pulsus Ecclesiæ deesset, sed ut ad Ecclesiam major rediret. » Hæc de exilio et reditu Lucii pontificis Cyprianus : quem anno sequenti rediisse verosimile est, quo et martyrium subiit die quarta vel quinta martii. Violenta morte occubuisse ex LVII S. Cypriani ad Stephanum epistola eruere licet : « Illi (verba divi sunt (1) pleni Spiritu Dei et in glorioso martyrio constituti, » Servandus est « antecessorum nostrorum, beatorum martyrum Cornelii et Lucii honor gloriosus, etc. »

De tempore quidem, quo Lucius pontificatum tenuit, dissident eruditi. Biennio sedisse aliqui tradunt : longo tamen breviori tempore eum Romanæ Ecclesiæ præfuisse, Bucherii catalogus indicat, dum Volusiano III, et Maximo coss. Stephanum ejus loco ordinatum refert : quod clarius testatur Eusebius (2), qui menses octo eidem adscribit. Nicephorus vix septem menses pontificatum tenuisse affirmat (3) : Henschenius vero in Conatu Chronologico historico (4), anno 253, quidem ordinatum fuisse tradit Stephanum, sed per biennium tamquam Lucii vicarium, Romanam administrasse Ecclesiam : quare biennium quoque Lucii, martyrium differt. At cum pontificum Romanorum vicarii, judice Pagio (5), antiquis scriptoribus ignoti fuerint, et eorumdem pontificum Chronotaxim difficultatibus sæpe, tenebrisque obvolutam, obscuriorem ac intricatiorem reddant, idcirco ab eruditis vix probantur ; unde septem aut octo menses Romanam rexisse Ecclesiam, cum Eusebio annotasse contenti sumus (6). Cæterum in errore versantur martyrologia auctoresque, quibus placet Lucium extinctum esse imperante Valeriano, quorum sententiam refellit Dionysius Alexandrinus, qui de Valeriano illud memoriæ prodit (7) : « Nullus superiorum Principum, ne illi quidem ipsi, qui palam Christiani fuisse dicuntur, tanta humanitate, et benevolentia nostros complexus est, quantam ille præ se ferebat initio principatus sui (8). »

*Lucii Decretalis subdita.* — Una decretalis Lucio adscribitur epistola, quæ multa complectitur : 1° Ut episcopus semper testes secum presbyteros ac diaconos habeat. 2° De criminationibus episcoporum, sive majorum natu, et ut audientia ad majores personas appellantibus non negetur. 3° Ut metropolitanus sine consilio episcoporum nihil agat, nec ipsi sine illius, nisi quod ad proprias ecclesias pertinet. 4° Ut metropolitanus sine episcopis causam eorum non audiat. 5° Ne posteriores episcopi prioribus se præferant, nec eis inconsultis aliquid agant. 6° De iis, qui res Ecclesiæ vel oblationes fidelium auferunt, et auferentibus consentiunt. Missa est epistola ad Galliæ atque Hispaniæ episcopos : *Data calendis aprilis, Gallo et Volusiano Coss. Viris clarissimis.* Quæ subscriptio impostorem satis prodit. Vitam enim adhuc retinebat Cornelius calendis aprilis, Gallo et Volusiano coss. Neque tam hardus, aut imperitus fuit Lucius, ut Imperatores Romanos titulo *Virorum clarissimorum* induerit. Verba hæc capitis 6 : « Hortor dilectionem vestram, obtestor et moneo, ut qua debetis et potestis sollicitudine vigiletis ad investigandos hæreticos, » Leonis I ex epistola secunda desumpta sunt. Psalmum LXXXIII laudat ex versione Hieronymi : ex Gregorii Magni libro XII, epistola 32, petitas adhibet sententias. Ejus sub pontificatu sævissima pestis in autumno cœpit, et quindecim annos grassata, permultas Romani imperii provincias depopulata est.

(1) Cyprian., Ep. 68, *ad Stephanum*, al. 67.
(2) Euseb., *Hist. eccles.*, lib. VII, cap. 2.
(3) Nicephor., *Hist. eccles.*, lib. VI, cap. 7.
(4) Prœpylæum, ad *Acta Sanctor.* mali.
(5) Pag., not. ad ann. 253, 2, 3 ; Pearson., *Annal. Cyprian.*, ann. 253.
(6) Cum Cyprianus Stephanum Lucii vicarium, successoremque dicit, alio plane sensu *vicarii* phrasin adhibuit ab eo, quæ vulgo solet usurpari, ut nempe illum significet, qui alterius vices gerit : nam vicarius et successor idem est apud Cyprianum, ideoque Stephanum non solum Lucii vicarium dicit, sed et Cornelii, cujus sane vicarius dici non potest.
(7) Euseb., *Hist. eccl.*, lib. VII, cap. 10.
(8) Vid. Petr. Constant., *Epistolar. romanor. pontificum*, pag. 206 et 207, ubi ostendit, quam immaniter lapsus sit in Lucio Bucherianus Catalogus et libri Pontificalis auctor.

# EPISTOLA UNICA

## S. CYPRIANI CARTHAGINENSIS EPISCOPI AD LUCIUM PAPAM DE EXSILIO REVERSUM.

*De reditu illius ab exsilio gratulatur. Nil immiuutum gloriæ ejus etiamsi martyrio vitam non finierit. Non sine Dei consilio factum, ut ipsum, decessorem, et Ecclesiam ejus exagitarit persecutio, ac Novatianos non attigerit. Lætitiam Ecclesiæ Romanæ in adventu ejus graphice repræsentat.*

CYPRIANUS CUM COLLEGIS LUCIO FRATRI SALUTEM.

I. Et nuper quidem tibi, frater charissime, gratulatu

## VARIORUM NOTÆ.

Lucius papa Cornelio successit anno Christi 255, et mox pulsus est in exsilium, sed brevi postea rediit in Urbem, anno nimirum sequente. Tum vero sanctus Cyprianus tam suo quam collegarum suorum nomine hanc ad eum epistolam dedit, in ea faciens mentionem alterius epistolæ quam ad illum scripserat in initiis suscepti ab eo episcopatus. Istud patet esse extra difficultatem. Et tamen Joannes Launoius sibi persuasit ex ipsis epistolæ istius verbis colligi non posse alias antea litteras datas esse ad Lucium, quia, ut ille ait : *Cyprianus se quidem gratulatum fuisse ait, sed gratulatum se per litteras non ait.* Quod argumentum est sane levissimum, ut ante me censuit auctor Annalium Cyprianicorum. Porro Lucius martyrio coronatus sepultus est in cœmeterio Callisti, via Appia. BALUZ.

I.—*Gratulati sumus.* Litteris videlicet, quas ad pontificem Romanum statim, ut ille se episcopum factum nuntiarat, miti divina traditio et ecclesiastica institutio volebat, ut ipse Cyprianus Epist. XLII docet. Hinc merito respuitur Launoii opinio, qua hoc ita intelligi posse censet, ut Cyprianus quidem *secum et collegis de gemino Lucii honore gratulatus sit* ; sed hanc gratulationem minime Lucio per litteras significarit. CONSTANT.

Digitized by Google

sumus, cum te honore geminato in Ecclesiæ suæ administratione confessorem pariter et sacerdotem constituit divina dignatio : sed et nunc non minus tibi et comitibus tuis atque universæ fraternitati gratulamur, quod cum eadem gloria et laudibus vestris reduces vos denuo [a] ad suos fecerit benigna Domini et larga protectio, ut pascendo gregi pastor, et gubernandæ navi gubernator, et plebi regendæ rector redderetur; et appareret relegationem vestram sic divinitus esse dispositam, non ut episcopus relegatus et pulsus Ecclesiæ deesset, sed ut ad Ecclesiam major rediret.

II. Neque enim in tribus pueris minor fuit martyrii dignitas (*Dan.* III), quia mortem frustrata de camino ignis incolumes exierunt : aut non consummatus Daniel exstitit in suis laudibus, quia qui leonibus missus fuerat ad prædam, protectus a Domino, vixit ad gloriam [b] (*Dan.* VI). In confessoribus Christi dilata martyria non meritum confessionis minuunt, sed magnalia divinæ protectionis ostendunt. Repræsentatum videmus in vobis, quod apud regem fortes atque illustres pueri prædicaverunt, ipsos quidem paratos esse ardere flammis, ne diis ejus servirent, aut imaginem quam fecerat adorarent ; Deum tamen quem colebant, quemque et nos colimus, potentem esse ut eos de camino illis eximeret, et de regis manibus ac de pœnis præsentibus liberaret (*Dan.* III, 16). Quod invenimus in confessionis vestræ fide, et in Domini circa vos protectione nunc gestum; ut cum vos parati fueritis et prompti omne [c] subire supplicium, Dominus tamen vos pœnæ subtraheret, et Ecclesiæ reservaret. Regredientibus vobis breviata non est in episcopo confessionis suæ dignitas, sed magis crevit sacerdotalis auctoritas : ut altari Dei assistat antistes, qui ad confessionis arma sumenda et facienda martyria non verbis plebem, sed factis cohortetur ; et imminente Antichristo paret ad prælium [d] milites non solo sermonis [e] et vocis incitamento, sed fidei et virtutis exemplo.

III. Intelligimus, frater charissime, et tota cordis [f] nostri luce perspicimus divinæ majestatis salutaria et sancta consilia; unde illic repentina persecutio [g] nuper exorta sit [h], unde contra Ecclesiam Christi, et episcopum Cornelium beatum martyrem [i] vosque omnes sæcularis potestas subito proruperit : ut ad confundendos hæreticos et retundendos ostenderet Dominus quæ esset Ecclesia, quis episcopus ejus unus divina ordinatione delectus, qui cum episcopo presbyteri [j] sacerdotali honore conjuncti, quis adunatus et verus Christi populus dominici gregis charitate connexus ; qui essent quos inimicus lacesseret [k], qui e contra quibus diabolus ut suis parceret. Neque enim persequitur et impugnat Christi adversarius nisi castra et milites Christi. Hæreticos prostratos semel [l], et ipsos suos factos, contemnit et præterit : eos quærit dejicere, quos videt stare.

IV. Atque utinam nunc facultas daretur, frater charissime, ut interesse illic vobis regredientibus [m] possemus, qui vos mutua charitate diligimus, ut adventus vestri lætissimum fructum præsentes cum cæteris ipsi quoque caperemus! Quæ illic exsultatio omnium fratrum ! qui concursus atque complexus occurrentium singulorum [n] ! Vix osculis [o] adhærentium potest satisfieri, vix vultus ipsi

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Vos denuo fecit *Voss.* 2.
[b] Gloriam. Confessoribus Christi *Lam. Ebor. NC.* 1.
[c] Prompti omnes *Bod.* 2.
[d] Prælium milites Christi *Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1.
[e] Non solo sermonis *Bod.* 1.
[f] Et certa cordis *Pem.*
[g] Repentina tempestas *NC.* 2.
[h] Exorta fuit *Pem.*
[i] Martyrem in quem omnis *NC.* 2. Reliquosque, omnis *Bod.* 1.
[j] Qui cum Episcopis et Presbyteris *Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. Lin. NC.* 1.
[k] Lacesseret qui contra *Bod.* 1, 2. Contra quibus *Pem. Voss.* 2. *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1, 2.
[l] Semel suos factos *Pem. Ebor. Lam. Voss.* 2. *Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2.
[m] Vobiscum regredientibus *Lin. NC.* 2.
[n] Occursantium singulorum *Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1, 2.
[o] *Sic Bod.* 1. Oculis *Imp. NC.* 2.

## VARIORUM NOTÆ.

*Administratione confessorem.* Qui Lucium cum Cornelio prius, quam in Romanum pontificem cooptaretur, relegatum fuisse putant, niti videntur hoc loco, quem nimirum sic interpretantur, quasi Lucius jam confessor pridem factus, postmodum constitutus sit : cum hoc potius dicat Cyprianus, eum simul atque Ecclesiæ regimen suscepit, exsilio confessionis laudem meruisse. Quippe Gallus Cornelii morte nihil profecisse se audiens, si Lucium ejus successorem in Urbe manere sineret, eum statim exsilio multavit. Neque vero hæc, *reduces vos denuo*, duplex exsilium aut duplicem reditum, sed pontificis semel suis ablati, qui de integro iisdem redditus sit, simplicem reditum sonant, de quo nunc Cyprianus gratulatur. Constant.

*Divinitus esse dispositam.* His concinit illud Bucheriani catalogi : *Hic exsul fuit : et postea nutu Dei incolumis ad Ecclesiam reversus est.* Constant.

II. — *Imminente Antichristo.* Rigaltius ait, *Persecutione.* Tertulliano in Apocal. c. 33. Describente, hic status rerum dicitur *vis maxima universo orbi imminens, Clausula sæculi quæ acerbitates horrendas comminatur.* Fell.

*Solum sermonis.* Octo libri veteres habent *solo sermonis*, alii duo *solo sermone*, alius *solum sermone.* Baluz.

III. — *Repentina persecutio.* Sub Gallo et Valeriano, ut censet illustrissimus episcopus Oxoniensis. Hi enim ut numinum suorum iram lenirent, et pestem in republica grassantem averterent, cujus uti et aliorum malorum causam rejiciebant in Christianos, persecutionem repente adversus eos moverunt. Contra apud Hieronymum in Epistola *ad Pammachium et Marcellam* pax repentina : *Belli rationem pax repentina commutat.* Et apud Petronium *repentina tranquillitas.* Baluz.

*Et Episcopum.* Particula *et* in ms. Corb. deest, nulla sensus mutatione. Constant.

*Cum episcopo.* Idem ms. et alii sex Anglic. *cum episcopis.* Rectius cæteri libri, *cum episcopo*, quem unum in una Ecclesia esse debere Cyprianus proxime docuit, et alibi constanter prædicat. Constant.

*Diabolus ut suis parceret.* Decuisset Novatianum et ejus sequaces ad Martyria subeunda fuisse promptissimos, qui ab Ecclesiæ communione eo nomine recesserunt, quia illa cum lapsis communicaret : et exinde Orthodoxos appellabant, Paciano teste, *Apostaticos, Capitolinos, et Synedrios.* Dicit quidem Socrates quod Novatianus, ἐπὶ οὐαλεριανοῦ τοῦ βασιλέως διωγμὸν κατὰ χριστιανῶν κινήσαντος ἐμαρτύρησεν. Hist. lib. IV, c. 28, et libellus circumferebatur cui titulus erat *Martyrium Novatiani*, quem confutavit Eulogius Episcopus Alexandrinus, lib. sexto contra Novatianos; cujus excerpta habentur in Photii Bibliotheca. Narratio ista dicit Novatianum, Martyrem sive Confessorem fuisse, antequam ad Episcopatum promoveretur; quod quidem apertissime falsum. Certe Pacianus disertissimis verbis ait, quod *Novatianus numquam Martyrium tulit.* Addit porro, *ideo ab Ecclesia recesserat, ne illum labor confessionis urgeret.* Nec puduit illum, teste Cypriano, affirmare ingruente persecutione, quod ad philosophiam redire vellet, potius quam capitis periculum adire. Fell.

*Semel et suos.* Editio Rigaltii *semel et ipsos et suos factos.* Nescio autem unde acceperit hanc lectionem. Ego quippe illam nusquam reperi quam in illius editione. Et tamen vidi omnes libros veteres quibus ille usus est. Itaque delevi *et ipsos*, putans non debere me ponere in mea editione quod illic et in Anglicana scriptum est absque auctoritate. Nam et ipsimet Angli laudant novem libros veteres in quibus ea desunt quæ a me prætermissa sunt. Confirmant meam emendationem hæc verba Tertulliani ex libro ad martyras : *Non ergo dicat* [diabolus] *in mea sunt, tentabo illos vilibus scidiis aut inter se dissensionibus.* Et in libro *de spectaculis* ait diabolum, cum oneraretur in exorcismo quod mulierem fidelem quæ adierat theatrum aggredi ausus esset, respondisse : *Justissime quidem feci, in meo eum inveni.* Baluz.

*Et ipsos suos.* Edit Oxon., minus concinne. Horum loco

atque oculi plebis possunt videndo satiari. De adventus vestri gaudio cognoscere illic fraternitas cœpit, qualis et quanta sit secutura Christo veniente lætitia, cujus quia cito appropinquabit adventus, imago jam quædam præcessit in vobis : ut quomodo Joannes præcursor ejus et prævius veniens prædicavit Christum venisse, sic nunc episcopo confessore Domini et sacerdote redeunte appareat et Dominum jam redire. Vicarias vero pro nobis ego [a] et collegæ et fraternitas omnis has ad vos litteras mittimus, frater charissime, et repræsentantes vobis per epistolam gaudium nostrum [b], fida obsequia charitatis expromimus, hic quoque in sacrificiis atque in orationibus nostris non cessantes Deo patri et Christo filio ejus Domino nostro gratias agere, et orare pariter ac petere, ut qui perfectus est atque perficiens, custodiat et perficiat in vobis confessionis vestræ gloriosam coronam : qui et ad hoc vos fortasse revocavit, ne gloria esset occulta, si foris essent confessionis vestræ consummata martyria. Nam victima, quæ fraternitati præbet exemplum virtutis et fidei, præsentibus debet fratribus immolari. Optamus te, frater charissime, semper bene valere.

### LECTIONES VARIANTES.

[a] Et ego et *Bod.* 2.

[b] Gaudium nostrum, nostræ fidei *Lam.*

### VARIORUM NOTÆ.

in novem mss. exstat tantum *suos*, in Corb. *et suos*. Diabolum in Dei servos sævire, ac sibi addictos minime fatigare solere Cyprianus, supra, Epist. 13, n. 3, *ad Cornelium* fusius edisserit. COUSTANT.

IV.— *De adventus vestri*. Lectionem veterem, quam nos revocamus, quam omnes fere libri veteres et editiones confirmant, Pamelius pronuntiavit non esse bonam, asserens pravam distinctionem a Rembolto inductam, id est eam lectionem quam nos revocamus, obscurare sensum. At si erratum illic est, culpandus non erat Remboltus. Quippe eadem distinctio exstat in editione Spirensi et in veteri Veneta, quæ eam antecesserunt quam Rembultus emisit. Cæterum Pamelius ait se ita distinxisse, uti distinxit secundum scripturam duorum veterum librorum quos laudat, sicuti nos eamdem distinctionem reperimus etiam in duobus codicibus manuscriptis. BALUZ.

*Vix oculis*. Error certissimus, qui exstat in omnibus fere libris veteribus et editionibus, cum scribendum fuisset *osculis*. Angli recte emendarunt ex ingenio, non auctoritate. Nullum enim veterem codicem laudant auctorem hujus emendationis. Ego illam nuspiam inveni quam in Metensi sancti Arnulphi, quem tardiuscule accepi. Infra in libro de Lapsis, pag. 181 : *Sanctis osculis adhærentes*. Miror autem me non animadvertisse bonam lectionem in editione Anglicana. BALUZ.

*Præsentibus*. Codex Sorbonicus, *præsente plebe*. Alii tres, *præsente plebe possit celebrari* vel *poscit*. BALUZ.

*Immolari*. In ms. Corb. *immorari* : mendose. Quod hic docet Cyprianus, suo ipse exemplo firmavit, cum missis qui eum Uticam perducerent coram judice sistendum, consilio charissimorum ex hortis suis in abditiora loca eo secessit libentius, *quod congruat*, inquit Epist. 81, seu 83, *episcopum in ea civitate, in qua ecclesiæ dominicæ præest, illic Dominum confiteri, et plebem universam præpositi præsentis confessione clarificari*. Quod quidem luculenter eum præstitisse Pontius in ipsius vita fidem facit. COUST.

# APPENDIX UNICA.

## EPISTOLÆ ET DECRETA S. LUCIO ADSCRIPTA.

### EPISTOLA LUCII PAPÆ I
#### AD GALLIÆ ATQUE HISPANIÆ EPISCOPOS.

ARGUMENTUM. — *Ut duo presbyteri et tres diaconi in omni loco episcopo adhæreant propter testimonium ecclesiasticum : et de accusatione episcoporum ; et de unanimitatis concordia inter metropolitanum cæterosque episcopos, et ut raptores atque ecclesiasticarum rerum ablatores, invasores, alienatores, ut fures et sacrilegi anathematizentur.*

I. Ut episcopus semper testes secum presbyteros ac diaconos habeat.

II. De criminationibus episcoporum, sive majorum natu, et ut audientia ad majores personas appellantibus non negetur.

III. Ut metropolitanus sine consilio episcoporum nihil agat, nec ipsi sine illius, nisi quod ad proprias ecclesias pertinet.

IV. Ut metropolitanus sine episcopis causam eorum non audiat.

#### BINII SEVERINI NOTÆ.

*Epistola* suspecta eodem jure cum aliis Isidori mercibus.—*Epistola*. Non unam hanc dumtaxat, sed plures decretales epistolas Lucium pontificem scripsisse, testis est Cyprianus epistola LXVII his verbis : *illi enim*, loquitur de Cornelio et Lucio pontificibus, *pleni spiritu Dei, et in glorioso martyrio constituti, dandam esse lapsis pacem censuerunt, et pœnitentia acta fructum communicationis et pacis negandum non esse, litteris suis signaverunt*. Quas hac de re Lucius scripsit epistolas non exstant. Quæ apud Cyprianum LXX, reperitur hoc nomine Lucii insignita, a quibusdam hujus pontificis esse creditum fuit, sed ignorantes fuisse episcopum eodem nomine appellatum, decepti sunt ; perperam eam, quæ alterius est, Lucio pontifici adscribentes. Baronius, anno 257, num. 4.

V. Ne posteriores episcopi prioribus se præferant, nec eis inconsultis aliquid agant.

VI. De iis qui res Ecclesiæ vel oblationes fidelium auferunt, et qui eis consentiunt.

DILECTISSIMIS FRATRIBUS OMNIBUS IN PARTIBUS OCCIDENTALIBUS, TAM IN GALLIIS QUAM IN HISPANIIS CONSISTENTIBUS, LUCIUS EPISCOPUS, IN DOMINO SALUTEM :

Litteras dilectionis vestræ (*S. Leo Epist.* XXVIII), quas ad beati Petri apostoli Sedem pro vestra causa negotii misistis, libenter suscepimus ; sed de vestris afflictionibus nonmodice contristati sumus. Significastis enim vos tam a quibusdam, non rectam fidem tenentibus, sed erroribus implicitis, quam et ab aliis eos imitantibus, persequi et infamari, atque vestras ecclesias suis dotibus et fidelium oblationibus spoliari, vestrosque ministros nimis vexari ; et ideo multos a vobis et a recta fide discedere, quoniam eis non potestis defensionem impendere, nec ea quæ necessaria sunt ministrare. Nolite mirari, fratres, si vos malevoli et impii persequuntur, quum ipsum Christum, caput nostrum, sint persecuti. Unde et consolatricem ipsam habetis Veritatem, quæ ait : *Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?* (*Matth.* X.) Ipsa iterum consolans nos loquitur, dicens : *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret ; sed quia non estis de mundo, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus* (*Joan.* XVI).

I. Propter tales, fratres, hortamur vos, sicut et

Digitized by Google

in hac sancta Ecclesia constitutum habemus (*De Consec. dist.* I. *Jubemus apostolica auctoritate*), ut semper testes vobiscum sacerdotes et diaconos habeatis. Et licet conscientia sufficere possit propria, tamen propter malevolos, juxta Apostolum, etiam *testimonium vos oportet habere bonum ab his qui foris sunt* (I *Tim.* III). Quoniam et in hac sancta Sede constitutum habemus, ut duo presbyteri, vel tres diaconi in omni loco episcopum non deserant, propter testimonium ecclesiasticum.

II. Episcopi ergo non sunt leviter accusandi vel detrahendi, quia injuria eorum (*Greg. Epist.* 32, *lib.* XII) ad Christum pertinet, cujus vice et legatione funguntur in Ecclesia. Unde nobis et omnibus qui nobiscum sunt in nostro solatio, sicut et olim factum invenimus, constitui placuit ut criminationes majorum natu per alios non fiant (2, *q.* 7), nisi per ipsos qui crimina intendunt (*Anianus, cap.* 25, *tit.* I, *libri* IX, *Cod. Theod.*), si tamen ipsi digni et irreprehensibiles apparuerint, et actis docuerint publicis (*Conc. Arelat. c.* 13) omni se carere suspicione atque inimicitia, et irreprehensibilem fidem ac conversationem ducere (*Hadr. Coll. cap.* 9). Unde placuit ut a quibuscumque judicibus ecclesiasticis (*Conc. Carthag.* III, *cap.* 10) ad alios judices ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, si fuerit provocatum, audientia non negetur.

III. Item constituimus (3, *q.* 3; *nullus autem primas sub nomine Callisti ponitur ibi*), sicut et a sanctis Apostolis eorumque successoribus decretum reperimus, si quis metropolitanus episcopus, nisi quod solummodo ad propriam pertinet parochiam, sine consilio et voluntate omnium comprovincialium episcoporum (*Hadr. coll. c.* 46), extra aliquid agere tentaverit, gradus sui periculo subjacebit; et quod egerit irritum habeatur et vacuum. Sed quicquid de comprovincialium coepiscoporum causis, eorumque ecclesiarum et clericorum atque sæcularium necessitatibus, aut de quibuscumque communibus causis agere, aut disponere necesse fuerit, hoc cum omnium consensu comprovincialium agatur pontificum, non aliquo dominationis fastu, sed concordi et humillima administratione, sicut Dominus ait: *Non veni ministrari, sed ministrare* (*Matth.* XX; *Marc.* X). Et alibi: *Qui major est vestrum, erit minister vester* (*Matth.* XXIII), et reliqua. Similiter ipsi comprovinciales episcopi cuncta cum ejus consilio, nisi quantum ad proprias pertinet parochias, agant, juxta sanctorum constituta Patrum, ut uno animo, uno ore concorditer sancta glorificetur Trinitas in

IV. Similiter (*Hadr. coll. c.* 14), auctoritate fulti apostolica, præcipimus ut nullus metropolitanus episcopus, absque cæterorum omnium comprovincialium episcoporum instantia, aliquorum audiat causas eorum; quia irrita erunt, et ipse causam pro facto dabit.

V. Episcopi vero per singulas provincias observent ne posteriores se prioribus suis præferant; nec eis inconsultis (*Concil. Milev. cap.* 13; *Codex Afric. cap.* 86), nisi quantum ad propriam pertinet parochiam, aliquid agant: sed omnes de communibus eorum causis consonam sententiam proferant et determinent, quoniam aliter acta nullas vires habebant, nec ecclesiastica reputabuntur (*Hadr. Coll. cap.* 3). Bonum esset, fratres, et valde Deum timentibus et pie vivere volentibus necessarium, si intra catholicam Ecclesiam nullius mali, aut infestationis alicujus, erga Domini sacerdotes, aut juste et pie volentes vivere, germen exsurgeret. Sed quia, prævalente invidia, quod deterius est surgit et crescit, atque nimis se in omnes partes extendit, idcirco necesse est illud ecclesiastico et apostolico abscindi mucrone, ne [a] servis Dei ac Domini [b] sacerdotibus valeat nocere aut perdere. *Exhonoravit enim Dominus*, ut in Ecclesiastico legitur libro, *conventus malorum, et destruxit Deus eos usque in finem. Sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis. Radices gentium superbarum arefecit Deus, et plantavit humiles ex ipsis gentibus. Terras gentium evertit Dominus, et perdidit eas usque ad fundamentum. Arefecit ex ipsis, et disperdidit eos, et cessare fecit memoriam eorum de terra. Perdidit Deus memoriam superborum, et reliquit memoriam humilium sensu. Non est creata hominibus superbia, neque iracundia nationi mulierum. Semen hominum honorabitur hoc quod timet Deum; semen autem hoc exhonorabitur hominum quod præterit mandata Domini. In medio fratrum, rector illorum in honore: et qui timent Dominum, erunt in oculis illius. Gloria divitum, honoratorum et pauperum, timor Dei est. Noli despicere hominem justum pauperem, et noli magnificare virum peccatorem divitem. Magnus, et judex, et potens est in honore: et non est major illo qui timet Deum. Servo sensato liberi servient, et vir prudens et disciplinatus non murmurabit correptus, et inscius non honorabitur. Noli te extollere in faciendo* [c] *opera tua, et noli cunctari in tempore angustiæ. Melior est qui operatur et abundat in omnibus, quam qui gloriatur et eget pane. Fili, in mansuetudine serva animam tuam, et da illi honorem secundum meritum suum. Peccantem in animam suam quis justificabit? Et quis honorificabit exhonorantem animam suam? Pauper gloriatur per disciplinam et timorem suum: et est homo qui honorificatur propter substantiam suam. Qui autem gloriatur in paupertate, quanto magis in substantia? Et qui gloriatur in substantia, paupertatem vereatur. Sapientia humiliati exaltabit caput illius, et in medio magnatorum considere illum faciet. Non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo. Brevis in vo-*

I.—*Duo presbyteri vel tres diaconi in omni loco episcopum non deserant.* Decernitur ut ad evitanda detractionis et infamiæ pericula propter testimonium Ecclesiæ nusquam ëant, nisi duorum presbyterorum et trium diaconorum comitatu stipati. Decreti hujus sanciendi calumniæ in Cornelium a Novatione confictæ, de quibus supra, causam dedisse videntur. *Baronius*, anno 257, num. 5.

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Alias* Servos.
[b] *Alias* Sacerdotes.
[c] *Alias* opere tuo *vel* opus tuum.

Digitized by Google

*latilibus apis, et initium dulcoris habet fructus illius. In vestitu ne glorieris umquam, nec in die honoris tui extollaris; quoniam mirabilia opera Altissimi solius, et gloriosa, et absconsa, et invita opera illius. Multi tyranni sederunt in throno, et insuspicabilis portavit diadema. Multi potentes oppressi sunt valde, et gloriosi traditi sunt in manus alterorum. Priusquam interroges, ne vituperes quemquam : et cum interrogaveris, corripe juste. Priusquam audias, nec respondeas verbum, et in medio seniorum ne adjicias loqui. De ea re quæ te non molestat, ne certeris, et in judicio peccantium ne consistas. Fili mi, ne in multis sint actus tui, et si dives fueris, non eris immunis a delicto. Si enim secutus fueris, non apprehendes; et non effugies, si præcurreris. Est homo laborans et festinans, et dolens impietate; et tanto magis non abundabit. Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, et abundans paupertate; et oculus Dei respexit illum in bono, et erexit eum ab humilitate ipsius, et exaltabit caput ejus : et mirati sunt in illo multi, et honoraverunt Deum. Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt. Datio Dei permanet justis; et profectus illius successus habebit in æternum. Est qui locupletatur parce agendo, et hæc pars mercedis illius in eo quod dicit : Inveni requiem mihi, et, Nunc manducabo de bonis meis solus. Et nescit quod tempus prætereat illum, et reliquet omnia aliis, et morietur. Sta in testamento tuo, et in illo colloquere, et in* [a] *opera mandatorum tuorum veterasce. Ne manseris in operibus peccatorum. Confide autem in Deo, et mane in loco tuo. Facile est enim in oculis Dei subito honestari* [b] *paupertatem. Benedictio Dei in mercedem justi festinat, et in honore veloci processus illius* [c] *justificat. Ne dicas : Quid est mihi opus? et quæ erunt mihi ex hoc bona? Ne dicas : Sufficiens mihi sum, et quid ex hoc pessimabor? In die bonorum, ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum; quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas. Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ : et in fine hominis, denudatio operum illius. Ante mortem ne laudes hominem quemquam, quoniam in filiis suis agnoscitur vir. Non omnem hominem inducas in domum tuam; multæ enim insidiæ sunt dolosi. Sicut enim eructant præcordia* [d] *fetantium, et sicut perdix inducitur in caveam, et ut caprea in laqueum; sic et cor superborum, et sicut perspector videns casum proximi sui. Bona in* [e] *malum convertit insidiator, et in electis ponet maculam. A scintilla una augetur ignis, et ab uno doloso augetur sanguis. Homo vero peccator sanguini insidiatur. Attende tibi a pestifero, fabricat enim mala, ne forte inducat super te subsannationem in perpetuum. Admitte ad te alienigenam, et subvertet in turbine, et abalienabit te a* [f] *tuis propriis* (*Eccl.* x, xi). Tales, charissimi, valde sunt cavendi, usquedum aut convertantur aut abscindantur verbo divino. *Beatus autem est ille qui non est lapsus in verbo ex ore suo, et non est stimulatus in tristitia delicti. Felix qui non habet animi sui tristitiam, et non* [g] *abscedit a spe sua* (*Eccle.* xiv). Scriptum *est enim : Melior est unus timens Deum, quam mille impii* (*Ib.* xvi). Sapiens vero non (*Sixti Sent.* 292; 6, *q.* 1, *Sapiens non est*; *et supra in Decret. Cornelii* 6) est omnis qui nocet.

VI. Res quoque ecclesiarum vestrarum (*Sixti Sent.* 292) et oblationem fidelium; quas significastis a quibusdam irruentibus vexari, vobisque et ecclesiis vestris auferri, indubitanter maximum est peccatum; testante (*S. Bonif. Epist.* 19) ipsa Scriptura, quæ ait : *Qui abstulerit* (12, *q.* 2, *Qui abstulerit*), *aliquid patri vel matri, et dicit hoc non esse peccatum, homicidæ particeps est* (*Prov.* xxviii). Pater ergo noster sine dubio Deus est, qui nos creavit; et mater nostra Ecclesia, quæ nos in Baptismo spiritualiter generavit. Et ideo, qui Christi pecunias et Ecclesiæ aufert, fraudat et rapit (17, *q.* 4, *Qui rapit*) homicida in conspectu (*S. Greg. epist.* 36, *lib.* II) justi judicis esse deputabitur. Unde scriptum est : *Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem facit* (*Joan.* xiii) qui autem pecunias vel res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit (*Hier. epist.* 2). Unde et Judas, qui pecuniam fraudavit, quæ usibus Ecclesiæ, id est pauperibus, quos Ecclesia pascere debet, distribuebatur jussu Salvatoris (cujus vicem episcopi tenent), non solum fur, sed fur et (*S. Aug. Tract.* L, *in Joannem*,) sacrilegus factus est. De talibus enim, id est qui facultates Ecclesiæ rapiunt, fraudant vel auferunt, Dominus, comminans omnibus, per Prophetam loquitur, dicens : *Deus, ne taceas tibi, ne sileas, et non quiescas, Deus : Quia ecce inimici tui tumultuati sunt, et qui oderunt te levaverunt caput. Contra populum tuum nequiter tractaverunt, et inierunt consilium adversum arcanum tuum. Dixerunt : Venite* [h] *et Conterumus eos de gente, et non sit memoria nominis Israel ultra : quoniam tacuerunt corde, pariter* [i] *contra te fœdus pepigerunt tabernacula idumææ et Ismaelitarum, Moab et Agareni, Gebal et Ammon, et Amalec. Palestina cum habitatoribus* [j] *Tyri. Sed et Assur junxit se cum eis, facti sunt brachium filiorum Loth. Fac illis sicut Madian, sicut Sisaræ, sicut Jabin in torrente Cisson* [k]. *Contriti sunt in Endor, fuerunt quasi sterquilinium terræ. Pone duces eorum sicut Oreb et Zeb, sicut Zebee et Salmana. Omnes principes eorum qui dixerunt : Possideamus nobis pulchritudinem Dei : Deus meus, pone illos ut rotam, quasi stipulam ante faciem venti. Quomodo ignis comburit sylvam et sicut flamma devorat montes, sic persequeris eos in tempestate tua et in tuo turbine turbabis eos. Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine. Confundan-*

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *Alias* opere.
[b] *Alias* honestare.
[c] *Alias* fructificat.
[d] *Alias* fœtantium.
[e] *Alias* mala convertens insidiatur. *Ms. collegii Paris. Societate Jesu, teste Harduino*, bona enim in malum.
[f] *Alias* viis.
[g] *Alias* Excidit.
[h] *Id. ms.* dispergamus.
[i] *Id. ms.* contra eos.
[j] *Id. ms.* habitantibus.
[k] *Alias* Cison.

Digitized by Google

*tur et conturbentur usque in æternum, et erubescant et pereant : et sciant quia nomen tuum Dominus : solus tu excelsus super omnem terram* (*Psalm.* LXXXII, *ex interpr. S. Hieronymi diversa a Vulgata*). Hæc fieri Prophetæ, hæc Apostoli, hæc successores eorum et omnium catholicorum Patrum vetant decreta : et tales præsumptiones, sacrilegium [a] esse dijudicant. Quorum nos sequentes exempla, omnes tales præsumptores, et Ecclesiæ (17, *q.* 4, *Omnes raptores*) raptores, (*Hincm. epist.* VIII, *editt. Mog. Concil. Carisiacense in epist. ad episcopos Galliæ*) atque suarum facultatum alienatores, una vobiscum a liminibus sanctæ matris Ecclesiæ anathematizatos, apostolica auctoritate pellimus, et damnamus, atque sacrilegos esse judicamus. Et non solum eos, sed omnes consentientes eis ; *Quia non solum qui faciunt rei judicantur, sed etiam qui consentiunt facientibus* (*Rom.* I). Par enim pœna et agentes et consentientes comprehendit. *Vos ergo, fratres, vigilate et orate. Viriliter agite, et confortamini in Domino, et omnia vestra*, juxta Apostolum, *in charitate fiant* (I *Cor.* XVI.) A recta ergo (14, *q.* 1, *A recta ergo; et in decret. Felicis papæ*) fide et apostolico tramite propter ullam persecutionem nolite recedere, scientes quia, juxta Salvatoris sententiam, *beati sunt qui persecutionem* [b] *patiuntur propter justitiam* (*Matth.* V). Hæc est Apostolorum viva traditio (*Agatho ad imperat. Const. act.* VI, *concilii CP. adversus Monothelitas*), hæc vera charitas quæ, prædicanda est, et præcipue diligenda ac fovenda, atque fiducialiter ab omnibus tenenda. Hæc sancta et apostolica mater omnium ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam a tramite apostolicæ traditionis numquam errasse probatur, nec hæreticis novitatibus depravanda [c] succubuit : sed, ut in exordio normam fidei apostolicæ percepit ab auctoribus suis, Apostolorum Christi principibus, illibata fine tenus manet, secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, qui discipulorum suorum principi in suis fatus est Evangeliis: *Petre*, inquiens, *ecce Satanas expetivit ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum. Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua ; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII). Consideret itaque vestra excellens prudentia quam bonum sit persistere in dispensatione vobis credita et in fide recta, atque hæreticis et æmulis Christi repugnare, et numquam a veritatis tramite declinare ; quoniam Dominus et Salvator omnium, cujus fides est, qui pro nobis mori non dubitavit, et proprio nos suo redemit sanguine, fidem beati Petri non defecturam promisit, et confirmare eum fratres suos admonuit : quod apostolicos Pontifices, meæ exiguitatis prædecessores, confidenter fecisse semper cunctis est cognitum. Quorum et pusillitas mea, licet impar et minima, pro suscepto tamen, divina dignatione, ministerio, pedissequa cupit existere. Væ enim erit nobis, qui hujus ministerii onus susceptum habemus, si veritatem Salvatoris nostri Jesu Christi, quam Apostoli prædicaverunt, prædicare neglexerimus (1 *Cor.* IX). Væ erit nobis, si silentio veritatem oppresserimus, quam erogare nummulariis jubemur, id est Christianos populos imbuere et docere (*Math.* XXV). Quid in ipsius Christi futuro dicturi sumus examine, si sermonum ejus veritatem confundimur prædicare? Quid erit de nobis cum de commissis nobis animabus et de officio suscepto rationem justus judex Christus Dominus noster districtam exegerit (*Luc.* XVI)? Ideo, fratres, hortor (*S. Leo, Epist.* I *adversus Manich.*) dilectionem vestram, obstestor et moneo ut qua debetis et potestis sollicitudine, vigiletis ad investigandos hæreticos et inimicos sanctæ Dei Ecclesiæ et a sanis mentibus, ne pestis hæc latius divulgetur, severitate qua potestis pro viribus extirpetis ; quoniam, ut habebit a Deo dignæ renumerationis præmium qui diligentius, quod ad salutem commissæ sibi plebis proficiat, fuerit executus, ita ante tribunal Domini de reatu negligentiæ se non poterit excusare quicumque plebem suam contra sacrilegæ persuasionis auctores noluerit custodire. Data kalendis aprilis anno 252, adhuc vivente Cornelio, Gallo et Volusiano viris clarissimis consulibus.

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Alias* Sacrilegium judicant.
[b] *Alias* Perturbationem.
[c] *Alias* depravata.

# DECRETA LUCII PAPÆ,

## EX GRATIANO DESUMPTA.

I. *Officio et beneficio privetur episcopus, presbyter vel diaconus, uxorem suscipiens, vel susceptam retinens.*

Ministri (*Dist.* 81) altaris, presbyteri sive diaconi, ad dominica tales eligantur officia, qui continentiam servent. Si vero post ordinationem suam ministros contigerit propriæ uxoris invadere cubile, sacrarii non intrent limina, neque sacrarii portitores fiant, neque altare contingant, neque ab offerentibus holocausti oblationem suscipiant, neque ad Dominici corporis portionem accedant, neque propinquent, neque sine majoris natu auctoritate majora gerant officia, turceum sane ad altare vel calicem non sufferant.

EX EISDEM DECRETIS.

II. *Clericus matronarum domicilia frequentans deponatur.*

Clericus (*Dist.* 81) solus ad feminæ tabernaculum non accedat, neque frequenter properet sine majoris natu sacerdotis jussione. Nec solus presbyter cum sola femina fabulas misceat. Nec archidiaconus, sub prætextu humilitatis aut officii, frequenter intret domicilia matronarum, aut forte per clericos aut domesticos matronæ mandet aliquid secrete. Si quid agnitum fuerit, et ille deponatur, et illa liminibus ecclesiæ arceatur.

Digitized by Google

EX EISDEM DECRETIS.

III. *De eodem titulo.*

Sed si forte (*Distinct.* 81, *Sed si forte*) aliqua intercessio fuerit (1) episcopo, suggeratur. Et si talis est ad quam ire debeant, ipse per interventum pergat. Sin autem, de latere suo dirigat cum duobus aut tribus testibus, nemo tamen cum extranea habitet femina, nisi soror aut proxima fuerit, et hoc cum magna sollicitudine fiat. Non enim ignoramus malitias Satanæ (II *Cor.* II.)

EX EISDEM DECRETIS.

(Ex vet. Pœnitentiali, apud Canisium, vett. lect. t. II, part. II, p. 131, edit. Basnagii; ex nov. supplem. Mansi., t. I, p. 14.)

IV. *Quod sit simoniacus quicumque reconciliationem pro munere vel dignis negaverit, vel indignis con-*

Ut nemo presbyterorum xenium vel quodcumque emolumentum temporale, immo detrimentum spirituale a quocumque publice peccante vel incestuoso accipiat, ut episcopo vel ministris peccatum illius reticeat; nec, prò respectu cujusque personæ, aut consanguinitatis vel familiaritatis, alienis communicans peccatis, hoc episcopo innotescere detrectet; nec a quoquam pœnitente aut gratiam, aut favorem, aut munus suscipere præsumat; aut minus digne pœnitentem ad reconciliationem adducat, et testimonium reconciliationis ferat; vel quocumque livore alium quemlibet dignius pœnitentem a reconciliatione removeat; quia hoc simoniacum, et Deo et hominibus contrarium est.

(1) Hoc est Clementis epist. 2, ad Jacobum, fratrem Domini. HARDUINUS.

ANNIS DOMINI CCLIII-CCLVII.

# S. STEPHANUS I, PAPA ET MARTYR, VITA, EPISTOLÆ ET DECRETA.

## PROŒMIUM.

*Ex libro pontificali Damasi papæ.*

Stephanus natione Romanus, ex patre Julio [a], sedit annos septem, menses quinque, dies duos. Martyrio coronatur. Fuit temporibus Valeriani et Gallicani et Maximi, usque ad Valerianum quarto, et Gallicanum tertio [b]. Hic constituit, sacerdotes et Le-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Jobio quinque.

[b] Gallieni Coss.

VARIORUM NOTÆ.

*Stephanus.* Stephanus patria Romanus, postquam 35 diebus Sedes pontificia pastore destituta fuisset, nona Aprilis, anno Christi 257, qui est quartus Galli et Volusiani, Valeriani et Gallieni tertius, in sede pontificia collocatur. Initio hujus pontificatus, duobus prædictis imperatoribus Gallo et Volusiano, prout a Cypriano prædictum fuerat, occisis, Ecclesia pace et quadam tranquillitate fruitur, usque ad annum Valeriani imperatoris quintum, et Christi 259, quo imperator Valerianus principio imperii sui erga Christianos benevolentissimus, optime affectus, a quodam mago Ægyptio in eosdem vicissim concitatur, atque ad resumendum contra eos arma inducitur. Dionysius Alexand. apud Euseb. lib. VII, cap. 9; Baron. anno 257, numero 6 et 7. Cum igitur pax reddita diuturna non esset futura, Cyprianus ac reliqui Africanæ Ecclesiæ episcopi, multis conciliis in Africa habitis convenientes, summo conatu laborarunt, ut id, quod a fide catholica et bonis moribus alienum in Ecclesiam irrepserat, emendarent, hæreses extirparent, vitia corrigerent, ac demum orthodoxæ fidei dogmata confirmarent. Aquariorum hæresin, aquam duntaxat in sacrificio offerentium, Cyprianus epistola 63, ad Cælium scripta, refutat, dicens, hos persecutione vigente suimmo mane, seu potius nocturno tempore, ad sacram synaxin convenientes, loco vini aquam obtulisse, ne scilicet Christi sanguinem in specie vini bibentes, odore vini, velut quodam Christianitatis indicio, proderentur. Baron. anno 257, num. 9, 10 et 11. Cum Martianus Arelatensis episcopus in Gallia hoc tempore Novatiano plurimum studeret, multos etiam in ejusdem errorem induxisset, Faustinus Lugdunensis episcopus cum Cypriano et reliquis coepiscopis Galliæ, per litteras ad Stephanum scriptas (Cypriani infra exstant) sollicite petivit, ut is ex officio et munere Martianum Novatiani sectarium e sede deponat, et alium in ejus locum substituat. Baron. anno 258, num. 8, 9 et 10. Sub hoc pontifice apud catholicæ Ecclesiæ episcopos et doctores gravissima controversia moveri ac disputari cœpta est, hæc: *An Baptismus quem minister hæreticus secundum legitimam Ecclesiæ catholicæ formam, ac debitam ministri intentionem, scilicet, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, contulisset, invalidus sit, ideoque iterandus, quod a ministro hæretico administratus sit?* Cyprianus cum Firmiliano Asiæ, aliisque plurimis orientalibus episcopis, id non modo affirmavit, verum etiam habitis hac de re plurimis in Africa conciliis idem aliquoties confirmavit, unum esse Baptismum, qui extra unam Ecclesiam catholicam non inveniatur. Stephanus vero Romanæ Ecclesiæ pontifex, docens antiquam apostolicam traditionem esse, qua baptizati ab hæreticis, sola manuum impositione recipiebantur, ideoque, ut inquit Vincentius Lirinensis, contra hæres. cap. 9, nihil hac in re innovandum, sed omnino id quod ab Apostolis traditum est tenendum esse docens, Apostolicam traditionem velut quemdam murum inexpugnabilem, eorum sententiis opposuit, eaque fere sola fretus, illum Baptismum ratum, validum, et nequaquam reiterandum esse definivit, quem minister hæreticus juxta formam a Christo præscriptam, et ab Ecclesia usurpatam, contulisset. Ad hanc sententiam Stephani pontificis non modo omnes fere patres Africani, verum etiam ii qui propugnatores erant contrarii dogmatis Firmilianus, Dionysius, et Cyprianus accesserunt, quod ex Augustino, epist. 48, ad Vincent. et de Baptism. contra Donat. 6, cap. 2, item ex Hieronymo contra Luciferianos, aliisque rationibus probat Baronius anno Christi 258, num. 49, 50, 51. De hac controversia legantur Cypriani epistolæ 70, cum septem sequentibus. Augustinus de Baptism. contra Donatistas. Hieronymus contra Luciferianos, Baronius, præd. anno numero 2, et sequentibus. Notetur etiam quanta vis traditionum Apostolicarum, quantaque Petri successori insit auctoritas, qui nullis aliis ferme armis, quam majorum traditione vallatus, omnem orientalium et occidentalium episcoporum impetum sustinuerit, eorumque tela, ex divinis Scripturis confertim petita, unico traditionum clypeo excepta retorserit.

SEVER. BINIUS.

Stephano, ut Eusebius, lib. VII, c. 2, loquitur, Lucius moriens episcopale officium dereliquit, et quidem prout ejusdem Eusebii *Chronicon* et Bucherianus catalogus docent, *Volusiano et Maximino*, seu potius

Digitized by Google

vitas vestibus sacratis in usu quotidiano non uti, et nisi in Ecclesia tantum. Hic fecit ordinationes duas per mensem decembrem, presbyteros sex, diaconos A 5, episcopos per diversa loca tres. Sepultus est in cœmeterio Callisti via Appia, quarto nonas Augusti. Et cessavit episcopatus dies 22.

## VARIORUM NOTÆ.

Maximo, *consulibus*, hoc est anno Christi 253. Ille laudato Eusebio teste lib. VII, c. 5. cui et Hieronymus concinit in *Chronico*, Ecclesiam biennio administravit. Bucherianus catalogus, licet ei sedis annos IV, menses II, dies XXI, attribuat, ad Eusebianum tamen calculum accedit, quatenus ejus obitum *Valeriano III et Gallieno II consulibus*, hoc est anno Christi 255, consignat. In fronte *kalendarii*, quod prædictus Bucherius vulgavit, S. Stephani depositio IV *Nonas augusti in Callisti* cœmeterio notatur. Eodem die festivitatem ejus, ut nunc, ita et olim celebratam esse vetera monumenta fidem faciunt. Si tamen concilium Carthaginense III, de iis, qui ab hæresi ad Ecclesiam B veniunt, quod epistolam Stephani ad Cyprianum proxime excepit, anno 256, ut vulgo eruditi putant, habitum est, Stephani mors non *Valeriano III et Gallieno II*, uti Bucherianus catalogus præ se fert, sed *Valeriano IV et Gallieno III*, ut in pontificali libro exstat, hoc est anno 257 consignanda erit. Et cum hac quidem epocha facilius componuntur tum qui Papæ huic Bucheriano in catalogo tribuuntur quatuor pontificatus anni, tum quod de illius martyrio traditur. Anno quippe 255, Ecclesia, ut Dionysius Alexandrinus auctor est, summa pace fruebatur. Quocirca Antonius Pagius, Tillemontius aliique Stephani mortem in annum 257 differunt. COUSTANT.

*Sedit annos septem, menses quinque, dies duos.* Annos tres, menses tres, dies 22, sub quarto, consulatu Valeriani, qui in fastis apponitur anno Christi 260, martyrio coronatum esse Stephanum, liber pontificalis et acta Stephani testantur. Itaque repetito sedis ejus exordio, dicto temporis spatio, cum sedisse oportuit. Baron. anno 260, num. 2. SEVER BINIUS.

*Valerianum quarto*, etc. Eodem quarto consulatu Valeriani, acta sancti Stephani emendatiora consignata sunt. Quod autem in quibusdam ponatur Valeriani consulatus tertius, Gallieni secundus, mendosum esse probat Baronius anno Christi 260, num. 2. SEVER. BINIUS.

# NOTITIA
## EPISTOLARUM NON EXSTANTIUM QUÆ AD STEPHANUM ATTINENT.

AUCTORE D. COUSTANTIO O. S. B.

### I.

1. Faustini Lugdunensis episcopi ac cæterorum ejusdem provinciæ episcoporum ad Stephanum papam litteræ, quibus Marcianum Arelatensem episcopum Novatiano sese conjunxisse, ac durissimam hæresis illius tenere pravitatem, atque ab episcoporum consensione discessisse nuntiabant. Eo autem C audaciæ proruperat Marcianus, ut de collegio sacerdotum, qui lapsis, post debitam pœnitentiam, pacem dandam censebant, judicare eosque a se segregare non timeret, cum ab his ipse necdum abstentus videretur. De eadem re Faustinus idem semel et iterum ad Cyprianum scripsit (*Epist.* I, *ad Steph.*, *n.* 1). Quod ideo factum suspicantur nonnulli, ut cum Faustinus ac socii nihil a Stephano obtinuissent, ejus opera vel monitis suppetias Catholicis episcopis impetrarent. Nempe qui summis rebus præsident, ubi nonnullas vel præ nimia occupatione vel prudentia differre compelluntur, sæpe culpantur ut segnes, ubi vero diligentiam adhibent, vix vitare queunt præcipitis animi suspicionem. Ad Cyprianum quod attinet, adeo non dubitavit, quin Stephanus ipsius consilio et hortatu litteras ad provinciam et plebem Arelatensem mitteret, quibus et Marcianum abstineri, et alium episcopum in ejus locum substitui præciperet, ut et quis fuerit substitutus sibi signi- D ficari simul roget (*Ibid. n.* 3, *et* 5). Hujusmodi autem litteras a Stephano missas fuisse hoc indicio est, quod in Arelatensibus diptychis, uti jam observavimus, Marciani nomen non comparet. Quod in negotio Cyprianus suum ipse pro omnibus Ecclesiis studium ac sollicitudinem comprobans, Romani pontificis tum ad dimovendum de sede sua Arelatensem episcopum, tum ad alium ei subrogandum auctoritatem haud dubio testimonio agnovit. Neque enim audiendus videtur recens annalium Cyprianicorum scriptor, cujus sententia nihil « nihil a Stephano postulabat Cyprianus » (cum illi auctor erat ut litteras ad provinciam mitteret), « quod ipse præstare paratus non erat, » nisi subaudiatur, « si in eadem sede ac loco fuisset. »

2. Faustini ad Stephanum litteras ad primum hujus pontificis annum referri nihil vetat. Eas certe ante obortam de Baptismo hæreticorum controversiam scriptas esse liquet. Ambiguum enim non est quin hæc ipsa controversia posterior sit epistola, quam postmodum Cyprianus ad Stephanum de Marciani causa scripsit. Hanc autem causam ad secundum Stephani annum jam adultum pertinere prædictus *Annalium Cyprianic.* scriptor probat. Unde sequitur, ut si quas suadebat Cyprianus litteras Stephanus ad Arelatenses miserit, hæ non citius anno 254 exeunte conscriptæ sint.

### II.

3. Basilides, Legionis et Asturicæ episcopus, cum ob idololatriæ scelus aliaque crimina ab episcopatu depulsus esset, ejusque loco Sabinus fuisset suffectus, sese Romam ad Stephanum contulit, a quo ut in sedem suam restitueretur obtinuit. De hac re quid sentiret Cyprianus ita aperuit (*Ex Cypriano, epist.* 68): « Nec rescindere ordinationem jure perfectam (*id.*) potest, quod Basilides post crimina sua detecta, et conscientiam etiam propria confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum collegam nostrum longe positum, et gestæ rei ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, ut exambiret reponi se injuste in episcopatum, de quo fuerat juste depositus. Hoc eo pertinet, ut Basilidis non tam abolita sint, quam cumulata delicta, ut ad superiora peccata ejus, etiam fallaciæ et circumventionis scelus accesserit. Neque enim tam culpandus est ille cui negligenter obreptum est, quam hic execrandus qui fraudulenter obrepsit : » ut scilicet litteras obtineret, quibus et communio et sedes ipsi redderentur. Neutrum enim ipsi sine litteris, quæ et judicii Stephani, et sibi ab eo indultæ communionis testes essent, sperandum fuerat. Eum autem non tantum Stephani communionem, sed et episcopatum, et eum quidem quo dejectus fuerat, exambiisse proxime relata Cypriani verba persuadent. Quorsum enim Sabini in ipsius locum subrogati ordinationem rescindere, rei gestæ tacita veritate, tentasset, nisi ut ad eam sedem rediret, unde se injuste dejectum mentiebatur ?

4. Observat Pamelius « hunc locum pro Romani pontificis auctoritate facere, utpote quo constet, episcopos sede dejectos in Hispaniis solere ad illum recurrere. » Cui observationi novum pondus accederet : si et Martialem Emeritensem episcopum eodem tempore ab episcopatu submotum, quem Cy-

Digitized by Google

prianus fallacia pariter usum esse notat, ut abrogatam sibi dignitatem usurparet, hanc ipsius Stephani auctoritate vindicare sibi voluisse constaret. His præiverat exemplum Privati Lambesitani episcopi, qui « ob multa gravia delicta nonaginta episcoporum sententia condemnatus (*Cypr Epist.* XII, *n.* 10), » Romam legatum miserat, ut, Sede vacante, vel a clero ejus furto et fraudulenter litteras elicere curaret. Unde Ecclesiæ hujus auctoritas magis ac magis commendatur. Et hanc quidem licet non neget Cyprianus, hujusmodi tamen provocationum incommoda non silet, dum Stephanum velut longe positum et rei gestæ ignarum, ideoque deceptum repræsentat (*Cypr. Epist.* XXX). Quocirca superius, Epist. XII, n. 14, ad Cornelium scripsit, ab omnibus qui secum sunt statutum esse, « ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, ubi et accusatores habere et testes criminis sui possint. » Sensit et postea æquissimus pontifex Gregorius idem incommodum : ideoque Petri cujusdam episcopi Numidæ, qui damnatus ad ipsum confugerat, ad ejusdem provinciæ præsules causam detulit. Sic ea de re ad Columbum Numidiæ episcopum loquitur : « Indicamus itaque Sanctitati Vestræ, venisse ad nos quemdam Petrum nomine, qui se asserit fuisse episcopum, atque causæ suæ a nobis remedium postulasse. Et prius quidem retulit quæ digna esse miseratione potuissent : sed requirentes, postea multo aliter quam indicavit invenimus, et vehementer ejus actio nos contristavit. Sed quia causæ ipsius interna subtiliter nequaquam addiscere, tam longo itineris intervallo disjuncti, potuimus; eam, incerti quippe, definire nequivimus, etc.(*Lib.* VI. *Ind.* 14. *Epist.* 37, *n.* 2). » Alia hujusmodi prætereo. Ad Basilidis autem negotium quod attinet, hanc in eo toto præ se fert Cyprianus agendi rationem, ut sententiæ eorum, qui illud celebrem de hæreticorum Baptismo controversiam præcessisse censent, haud illibenter accedam.

III.

5. Nil etiam vetat, quominus ad id tempus, quod prædictam controversiam præcessit, litteras illas referamus, quas a Stephano ad Syrias et Arabiam scriptas esse Dionysius Alexandrinus in superiori fragmento memorat. Ille quidem quid in eis tractaretur silet : verum valde probabile est, Stephanum provinciarum illarum penuriam, necessaria eis suppeditando, sublevare non contentum, etiam fidelium animos benignis ac salubribus scriptis solari et ad pietatem excitare studuisse. Præterea loquendi ei ampla erat materia ex occasione schismatis Novatiani, quod in provincias illas pervaserat, et cujus labem in illis prorsus emaculatam esse postmodum Dionysius nuntiavit.

IV.

6. Vix Helenus Tarsi episcopus cum tota Cilicia, et Firmilianus cum Cappadocia universa ac finitimis regionibus, Novatiani novitatem detestantes, ad unitatem Ecclesiæ regressi erant, cum in novum dissidium abierunt, non enim ab ea altera opinione divelli se sciverunt, quæ hæreticos ad Ecclesiam redeuntes baptizari præfracte volebat. Quapropter Stephanus, inquit Eusebius, « litteras scripsit de Heleno et de Firmiliano, de omnibus denique sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, cunctasque finitimas provincias constitutis, quibus denuntiabat sese ob eam causam ab illorum communione discessurum, quod hæreticos rebaptizarent » (*Euseb. lib.* VII *Hist., c.* 5). Quas litteras sugillans Firmilianus, de illis ad Cyprianum ita loquitur : « Quid enim humilius aut lenius, quam cum tot episcopis per totum mundum dissensisse, pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpentem, modo cum Orientalibus, quod nec vos latere confidimus, modo vobiscum, qui in meridie estis? » (*Apud Cypr. sub. fin. Ep.* LXXV.)

V.

7. Similes re ipsa tunc Cyprianus ab eodem Papa eadem de causa litteras acceperat, de quibus ille a Pompeio Sabratensi episcopo interrogatus, istud inter alia exscribit : « Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam; cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum » (*Cypr. Epist.* LXXIV). Hæc autem verba non unicæ quæstioni occasionem dederunt. Verum ut controversiæ illæ certius dirimantur, operæ pretium fuerit et alia collegisse, quæ sive in iisdem litteris, sive in aliis ad Orientales, a Stephano scripta esse Firmilianus atque Cyprianus commemorant.

8. Ad alterutrius epistolæ exordium haud temere referatur quod Firmilianus notat his verbis : « Stephanus de episcopatus sui loco gloriatur, et se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiæ collata sunt. » Adeo ut Stephanus a sedis suæ dignitate commendanda, quod et in hujusmodi negotiis successores illius imitati sunt, sermonis sui initium fecerit. At licet hæc carpere videatur Firmilianus, procul tamen abest ut Ecclesiam a Christo super Petrum solidatam ac fundatam inficietur. Ipse etiam primum eidem Apostolo, ac deinde cæteris, peccatorum remittendorum potestatem datam esse agnoscit. Quo posito, exinde concludit : « Potestas ergo peccatorum remittendorum Apostolis data est, ecclesiis quas illi a Christo missi constituerunt, et episcopis qui eis ordinatione vicaria successerunt; » adeoque privilegium Petri ad successores ejus manasse profitetur.

9. Præterea Stephanus, eodem Firmiliano teste, in litteris suis sic loquebatur. « Quasi Apostoli eos, qui ab hæresi veniant, baptizari prohibuerint, et hoc custodiendum posteris tradiderint. » Eidem Firmiliano displicet, « quod Stephanus et qui illi consentiunt, contendunt dimissionem peccatorum et secundam nativitatem in hæreticorum Baptisma procedere, apud quos etiam ipsi confitentur Spiritum sanctum non esse; simulque unum nobis atque hæreticis Baptisma esse *volunt : item*, quod non putant quærendum esse quis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizaverit, gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris et Filii et Spiritus sancti. » Tum pluribus interjectis, Stephanum non pudere ait : « hoc asserere, ut per eos, qui cum ipsi in omnibus peccatis sint constituti, dicat posse remissionem peccatorum dari. » Notat et Stephanum cum sociis exemplo se Pauli defendere, non prohibentis quominus « sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur » (*Phil.* I, 18); illudque rebaptizantibus objicere, «Quid ergo fiet de his, qui ab hæreticis venientes sine Ecclesiæ Baptismo admissi sunt? » Et hoc Firmilianus improbat, « quod vult Stephanus his, qui apud hæreticos baptizantur, adesse præsentiam et sanctimoniam Christi; » aut quod idem Papa litteris mandarat : « Multum proficit nomen Christi, ut quicumque et ubicumque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi; » necnon istud ejusdem pontificis effatum. « Hæresis quidem parit et exponit, expositos autem Ecclesia suscipit » Demum si prædicti Cæsariensis episcopi verbis hærendum, « non puduit Stephanum fraternitatem scindere; insuper et Cyprianum pseudochristum et pseudoapostolum et dolosum operarium dicere. » Hinc idem præsul illum inducit « rumpentem pacem modo cum Orientalibus, » per epistolam videlicet quam in Orientem misit, modo cum Afris, nimirum per epistolam quam Cypriano rescripsit. Qua de re Cyprianus scribens ad Pompeium ita loquitur : « Dat honorem Deo, qui hæreticorum amicus, et inimicus Christianorum, sacerdotes Dei, veritatem Christi et Ecclesiæ unitatem tuentes ABSTINENDOS putat? » (*Epist.* LXXIV.) Augustinus quoque lib. *de Unico Capit. cont. Petil.* eadem de re sermonem habens verbum *abstinendos* retinet.

10. Ea ipsa, quæ Firmilianus perstringit, aut certe

Digitized by Google

pleraque, in ea erant Epistola, quam Jubaianus ad Cyprianum miserat, quamque iste præsul Epistola LXXIII ad Jubaianum rescripta confutare aggreditur. In hac Cyprianus offendisse se testatur, « quod quærendum non sit quis baptizaverit, quando is qui baptizatus sit, accipere remissam peccatorum potuerit secundum quod credidit. » Quod et supra Firmilianus reprehendit. Addit Cyprianus et in eadem epistola. « Marcionis fieri mentionem, ut nec ab ipso venientes dicat baptizari, quod jam in nomine Jesu baptizati esse videantur. » Ac deinde tacito Stephani nomine plures ejus sententias in hunc modum refert : « Frustra quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt ; » et mox, « Nec quisquam dicat, Quod accepimus ab Apostolis, hoc sequimur; » et post pauca, « Quod enim quidam dicunt, quasi ad hæreticorum suffragium pertineat quod dixerit apostolus Paulus, Verumtamen omni modo, sive per occasionem sive per veritatem, Christus annuntietur; » ac subinde, « Non est autem quod aliquis ad circumveniendam Christianam veritatem Christi, nomen opponat, ut dicat, In nomine Jesu Christi ubicumque et quomodocumque baptizati, gratiam Baptismi sunt consecuti ; » et sub finem, « Sed dicit aliquis, Quid ergo fiet de his qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes, sine Baptismo admissi sunt? »

11. Unde vero eorum, quæ Stephano ac sociis ejus Firmilianus Cyprianusque tribuunt, tanta consensio : nisi aut Stephanus ea quæ ad Orientales scripserat, in Epistola ad Cyprianum repetierit, aut easdem litteras ambo penes se habuerint? Et vero non levia sunt indicia, quibus epistolam a Jubaiano ad Cyprianum missam, eam ipsam esse suspicemur, quæ a Stephano ad Orientales destinata fuerat. Quod si ita est, Stephani tum ad Orientales tum ad Cyprianum litteras concilio Carthaginensi III, sub Cypriano anteriores esse conficitur : siquidem in hoc concilio prælectæ sunt « et litteræ Jubaiani ad Cyprianum factæ, et Cypriani ad Jubaianum, itemque ad Stephanum rescriptæ, quidque postmodum Jubaianus idem Cypriano rescripserit » Præterea Stephanum circa idem tempus et ad Orientales et ad Cyprianum scripsisse id argumento est, quod cum Cyprianus Epistolæ, quam Stephano rescribebat, exemplum Firmiliano transmitti curasset, ei Firmilianus litteras, quibus Stephanus Orientales a se abstinendos esse denuntiabat, ante accepisse se, quam ipsius exemplum, significavit. Atqui mox memoratum Carthaginense concilium Kalendis Septembris consignatur, idque anno 256 habitum esse plerique eruditi consentiunt. Unde et prædictas Stephani litteras ad ejusdem anni 256 initium, aut circiter, referri nil vetat. Is enim ardor quo Cyprianus hac in causa se gessit, multam inter scripta rescriptaque aut ea quæ tum gesta sunt, moram intermitti non patitur. Ut ut est, quæ a Firmiliano ac Cypriano scriptis mandatæ sunt Stephani sententiæ, sive ex ipsius ad Orientales, seu ex ejusdem ad Cyprianum litteris, aut etiam ex utrisque excerptæ fuerint, idoneæ certe sunt, quibus multæ de Baptismo concertationumque plenæ disputationes finiantur. Hujus rei experimentum faciamus.

# EPISTOLÆ
## QUÆ AD S. STEPHANUM I PAPAM ATTINENT.

### EPISTOLA
#### S. CYPRIANI CARTHAGINENSIS EPISCOPI AD STEPHANUM PAPAM.

(Erasm., III, 13; Pamel. Rigalt. Baluz., LXVII; Paris., LXVI; Oxon. Lips., LXVIII; Coustant. Epist. Rom. Pontif., t. I, col. 211.)

ARGUMENTUM. — *Ut litteris ad episcopos Galliarum missis curet, ne Marcianus Arelatensis episcopus, Novatiano addictus, necdum se abstentum esse amplius glorietur ; simulque operam det, aliis litteris in Provinciam et ad plebem Arelatensem scriptis, alium episcopum ejus loco subrogari.*

CYPRIANUS STEPHANO FRATRI SALUTEM.

I. Faustinus collega noster, Lugduni consistens, frater charissime, semel atque iterum mihi scripsit, significans ea, quæ etiam [a] vobis scio utique nuntiata

LECTIONES VARIANTES.

[a] Quæ etiam *Ver. Man.*

VARIORUM NOTÆ.

EPISTOLA. — Clarissimus editor Oxoniensis, tametsi veteres Cypriani codices circiter viginti a se evolutos dicit, in nullum incidisse se fatetur, qui epistolam hanc contineret. Verum hoc etiam aliis, quarum fidem nemo in dubium vocavit, contigisse non tacet. Ipsius judicio Augustinum in lib. V (leg. VI) *de Bapt. cont. Donat.* c. 15, ubi epistolæ Cypriani ad Stephanum meminit, *omnino hanc respexisse dicendum est.* Porro Augustinus loco citato Crescentis a Cirta sententiam profert, dicentis : *In tanto cœtu sanctissimorum consacerdotum lectis litteris Cypriani dilectissimi nostri ad Jubaianum, itemque ad Stephanum.* Ac subinde subjicit : *Aliquis forsitan quærat, quid de hac B. Cypriani epistola ad Stephanum dixerit, cujus in hac sententia commemoratio facta est, cum in exordio concilii non sit commemorata, credo quia non putatum est necessarium.* Cur vero necessarium non putet, mox ita explicat : *Nam prorsus ad quæstionem præsentem non pertinet; et magis miror cur eam iste* (Crescens a Cirta) *commemorare voluerit, quam cur in exordio concilii commemoratio ejus prætermissa sit.* Ac demum addit : *Prorsus enim illa epistola de Baptismo apud hæreticos vel schismaticos data, unde nunc agimus, nihil habet.* Quod sane in hanc epistolam prorsus convenit, non in sequentem, de qua Crescentem loqui Augustinus ne suspicabatur quidem : quia nihil antea de illa vel viderat quidquam, vel audierat. Et quidem cum duæ tantum notæ sint Cypriani ad Stephanum epistolæ, ista nimirum, quæ re ipsa de Baptismo apud hæreticos vel schismaticos dato nihil prorsus habet, et sequens, quæ tota de hac re est; consequens videtur, ut hæc prima sola Augustino nota, sequens ignota fuerit. Si autem Cypriani de Baptismo hæreticorum tam celebris epistola in Augustini libro tum deerat, quid mirum si tanto post tempore pluribus in codicibus hæc desit. Nempe litteræ quoddam est scripti genus, quod diversis temporibus varia in loca emissum vix in unum valeat colligi, et ob tenuitatem antiquariorum diligentiam facile fugiat. Unde rarum est veteres nancisci codices, qui omnes omnino scriptoris ejusdem epistolas exhibeant, et sæpe accidit, ut nonnullæ in perpaucis asserventur. Non sunt tamen pauci, qui hanc asservant. Exstat enim in Fossatensi, Corbeiensi, Fuxensi, nunc Colbertino, Veronensi, Turonensi, scil. S. Martini, S. Petri Monasteriensis, Victorino et Cambronensi. Præterea stili ejus cum cæteris summa consensio, ut etiam Nic. Rigaltius atque Oxoniensis editor observarunt, et verborum ac sententiarum Cypriano familiarium usus de vero ejus parente dubitare nos non sinit. Hinc moveri nullus debet conjecturis, quibus Johannes Launoius epistolam tot

Digitized by Google

tam ab eo quam a cæteris coepiscopis nostris in eadem provincia constitutis, quod Marcianus Arelate consistens Novatiano se conjunxerit, et a catholicæ Ecclesiæ unitate atque a corporis nostri et sacerdotum consensione discesserit [b], tenens hæreticæ præsumptionis durissimam pravitatem; ut servis Dei pœnitentibus [c] et dolentibus, et Ecclesiam lacrymis et gemitu et dolore pulsantibus, divinæ pietatis et lenitatis paternæ solatia et subsidia claudantur, nec ad fovenda vulnera admittantur vulnerati, sed sine spe pacis et communicationis relicti, ad luporum rapinam et prædam diaboli projiciantur. Cui rei nostrum est consulere et subvenire, frater charissime, qui divinam clementiam cogitantes, et gubernandæ Ecclesiæ libram tenentes, sic censuram vigoris peccatoribus exhibemus, ut tamen lapsis erigendis, et curandis vulneratis, bonitatis et misericordiæ divinæ medicinam non denegemus.

## LECTIONES VARIANTES.

[b] Disjunxerit *Corb. Remb. Erasm.* Se diviserit *Tur.*

[c] Dolentibus Ecclesiam lacrymis *Ver. Man.*

## VARIORUM NOTÆ.

momentis fultam Cypriano abjudicare nititur. Inde potius clarissimi hujus viri opinio, qua Trophimum Atelatensi ecclesiæ Stephani temporibus præfuisse censet, corrigenda est. Certe anno 450, adeoque longe ante Gregorium Turonensem, cujus in primis auctoritate nititur Launoius, episcopi Provinciæ ad Leonem papam scribentes, Trophimum a B. Petro Arelaten missum esse pro certo habebant; eorumque opinioni Zosimus papa epist. 1 et 5 favet. Ad tempus quod attinet, si ab initiis pontificatus Stephani ita removeatur hæc epistola, ut ante exortam de Baptismo hæreticorum controversiam ponatur, reliqua quæ objiciuntur adversus illius sinceritatem, facile solventur. In mss. Corbeiensi et Colbertino inscribitur, *De Marciano Arelatense, qui et hæreticos recepit.* Non displiceret, *qui Novatiani hæresim suscepit.* COUSTANT. —*Quæ etiam vobis.* Edit. Oxon. *quæ jam vobis :* renitentibus mss. Corb. Colb. Veron., etc., necnon edit. Pamel. et Manut. Iis, qui malum aliquod sanari ardenti studio cupiunt, semper tarda videntur remedia; sed is cujus est mederi, sæpe cogitur differre vel præ occupationum multitudine, vel ut tempus opportunum exspectet. Non temere igitur hic segnitiæ arguendus Stephanus, quem forte etiam tempora minus pacata Marcianum e sede sua dejicere non sinebant. COUSTANT. — *Quæ etiam.* Non admonerem me istic posuisse *etiam* pro *jam*, quæ est editio Rigaltii, nisi putassem occurendum esse criminationi quorumdam qui possent existimare me ita scripsisse prurigine contradicendi, a qua valde alienus sum. Feci ergo, quia mihi constat omnes libros veteres et omnes editiones Rigaltiana antiquiores præferre hanc lectionem. Quare assequi non possum cur Angli, quibus illa veterum editionum consensio nota erat, qui sciebant præterea codicem Veronensem eam lectionem habere, maluerint sequi errorem Rigaltianæ editionis, qui potuit accidisse vitio typographi, quam bonam scripturam veterum editionum. BALUZ.

1.—*In eadem provincia.* Id est in eadem provincia in qua Faustinus erat episcopus, in Narbonensi nimirum solida, quæ tum complectebatur etiam Lugdunensem et Viennensem. Ammianus Marcellinus, lib. XV : *Regebantur autem Galliæ omnes, potestate in partes divisa quatuor, quarum Narbonensis una Viennensem intra se continebat et Lugdunensem.* Hinc quoque sumi conjectura potest Lugdunum pertinuisse ad provinciam Narbonensem quod cum ea civitas condita est, uti jusserat senatus Romanus, condita est pro iis qui Vienna ab Allobrogibus expulsi erant. Viennam porro Dio Cassius, lib. XLVI, scribit fuisse provinciæ Narbonensis oppidum. Itaque urbs nova vicina Viennæ contributa haud dubie est ei provinciæ in qua sita erat Vienna, præsertim cum ea condita sit pro Viennensibus expulsis qui consederant eo loco ubi nunc Lugdunum est. Mirum itaque videri non debet Faustinum fuisse sollicitum de statu ecclesiæ quæ sita erat in ea provincia in qua ipse episcopus erat. Perseverasse diu hunc ordinem ut Lugdunum censeretur esse in provincia Narbonensi solida hinc quoque colligi posse videtur quod Eucherius episcopus Lugdunensis interfuit concilio quod Hilarius Arelatensis, qui tum duarum Narbonensium metropolitanus erat, ut fidem faciunt etiam epistolæ papæ Zosimi, celebravit apud Arausicam cum episcopis civitatum solidæ Narbonensis, in quo concilio delegata cura est Hilario, utpote metropolitano eorum episcoporum qui ei conventui intererant, uti episcopos qui defuerant commoneret ne deinceps detrectarent adesse in synodis, ut patet ex canone 29, ejusdem concilii. Itaque male scripsi in notis ad Agobardum Marcianum non fuisse episcopum in eadem provincia *in* qua Faustinus erat episcopus. BALUZ.

*Marcianus.* Vetus auctor *altercationis Synagogæ et Ecclesiæ*, c. 20, Marcianum quemdam memorat inter veteres hæreticos. Sed non puto eum respexisse ad Arelatensem. Legendum esse *Marcionem* probant veteres editiones epistolæ *ad Jubaianum*, in quibus scriptum est, *maxime cum in eodem animadverterim etiam Marciani fieri mentionem.* Pro quo certum est reponi debere *Marcionis*, ut habent posteriores editiones. Et tamen cujusdam Marciani veteris hæretici mentionem facit Eusebius l. VI, c. 12. BALUZ.

*Ecclesiæ unitate.*— Corb. ms. *veritate;* et mox, *sacerdotis confessione*, ubi in vulgatis, *sacerdotii consensione.* Magis placet cum Corb. *sacerdotum consensione;* maxime cum infra legamus : *Copiosum corpus est sacerdotum;* et inferius, *de collegio sacerdotum*, non *sacerdotii.* COUSTANT.

*Ecclesiæ unitate.* Hanc lectionem, quæ bona est, non inveni nisi in editionibus Manutii et Morellii, in codice Fuxensi et in Carnotensi. Reliqui libri veteres et veteres editiones habent *veritate.* BALUZ. Oxon. editor habet eamdem lectionem, nulla varietate al-

*Discesserit.* Ita idem liber Fuxensis et editio Manutii. Codex Corbeiensis, Remboltus, et Erasmus præferunt *disjunxerit.* Deest autem utraque lectio in duobus antiquis exemplaribus et in editione Spirensi. In codice Turonensi legitur *se diviserit.* Ut vel hinc appareat non posse constitui certam lectionem. BALUZ.

*Hæreticæ præsumptionis durissimam pravitatem.* Hic proprie stringit in Novatianos, qui lapsorum pœnitentiam respuebant. Quæ secta, sive disciplina, solam duritiem continebat. Propterea que homines istos epistola proxime sequente durissimos dicet. Hæc vero forma loquendi clarissime testatur ejusdem esse auctoris utramque epistolam. Sed et ista quæ hic passim occurrunt, Marcianum pervicacem et superbum, fraternæ salutis inimicum, et, fratres nostros crudeliter despici, et Marcianus pietatis et misericordiæ adversarius, ab Cypriani manu et genio proculdubio sunt. Ipse Epist. LVII, sub finem, Novatiani disciplinam ait esse duritiam humanæ crudelitatis.

*Pœnitentibus.* Hanc vocem non inveni nisi in editione Manutii et in libro Fuxensi. Puto autem illam non pertinere ad hunc locum. Melius, ut arbitror, reliqui codices, quamvis mendosi in hoc loco, *servis Dei pro eo dolentibus.* Quo etiam modo scriptum est ab Erasmo. In codice Corbeiensi et in Turonensi legitur *facientibus* pro *dolentibus*, manifesto errore, nisi legatur *satisfacientibus.* Sane versiculus positus sub hoc vocabulo in Corbeiensi indicare videtur esse delendum. BALUZ. Iterum edit. Oxon. cum eo consentientem neglexit. Baluz. EDD.

*Peccatoribus.* Codex Fuxensis, *peccatoribus incre-*

Digitized by Google

II. Quapropter facere te oportet plenissimas litteras ad coepiscopos nostros in Galliis [a] constitutos, ne ultra Marcianum pervicacem et superbum, et divinæ pietatis ac fraternæ salutis inimicum, collegio nostro insultare patiantur, quod necdum a nobis videatur abstentus, qui jam pridem jactat et prædicat [b], quod Novatiano studens et ejus pervicaciam sequens, a communicatione se nostra [c] segregaverit: cum Novatianus ipse, quem sequitur, olim abstentus et hostis Ecclesiæ judicatus sit; et cum ad nos in Africam legatos misisset, optans ad communionem nostram admitti, hinc a concilio plurimorum sacerdotum, qui præsentes eramus sententiam retulerit, se foris [d] esse cœpisse, nec posse a quoquam nostrum sibi communicari, qui episcopo Cornelio in A catholica Ecclesia de Dei judicio, et cleri ac plebis suffragio ordinato, profanum altare erigere, et adulteram cathedram collocare, et sacrilega contra verum sacerdotem sacrificia offerre tentaverit. Proinde si resipiscere, et ad sanæ mentis consilium redire vellet, ageret pœnitentiam, et ad Ecclesiam supplex rediret. Quam vanum est, frater charissime, ut Novatiano nuper retuso, et refutato, et per totum orbem a sacerdotibus Dei abstento, nunc adulatores adhuc nobis patiamur illudere et de majestate ac dignitate Ecclesiæ judicare.

III. Dirigantur in Provinciam et ad plebem Arelate consistentem a te litteræ, quibus abstento Marciano alius in locum ejus substituatur, et grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus et vulne- B

LECTIONES VARIANTES.

[a] In Gallia *Ver.*
[b] Jactat et prædicat, hostis *Corb.*
[c] Se sancta *Ver.*
[d] Se foras *Baluz.*

VARIORUM NOTÆ.

*pandis exhibemus.* Ubi puto vocem *increpandis* esse ex glossemate. BALUZ.

II.—*Plenissimas litteras.* Non quæ rerum capita summatim perstringunt, et *breves* dicuntur; sed quæ quæstionis totius de lapsis, statum accurate tractant. Ita in Honorii et Theod. lege *de Naviculariis per Africam*, opponuntur: per *libellum aditio*, *et plenaria interpellatio*. COUSTANT.

*Qui jampridem.* Hæc et sequentia usque ad *hostis Ecclesiæ judicatus* non exstare in codice Corbeiensi notat Rigaltius. Ego miror ejus indiligentiam in hoc loco, cum certum sit ea omnia exstare in codice Corbeiensi. BALUZ.

*Legatos misisset.* Maximum scilicet, Augendum, Longinum et Machæum, quos primum Afri a communicatione sua cohibendos censuerunt, uti Epist. I, C ad Cornelium n. I. testatur Cyprianus, quique paulo post, Cornelio, Epist. V, teste, Carthagine pulsi sunt. Unde concilium, quod hic memoratur, ante anni 251 exitum habitum fuisse colligimus. Primam illam Novatiani legationem ad Afros brevi altera secuta est, de qua Cornelius, Epist. V, Cyprianum monet. COUSTANT.

*A concilio plurimorum sacerdotum.* De his Euseb. l. VI, c. 43, agit; synodum sexaginta Episcoporum fuisse scribens. Et ex Cornelii litteris ad Fabium Antiochenum postquam meminit τῆς Ρωμαίων συνοδου, illis subjungit, τὰ δόξαντα πᾶσι τοῖς κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ Ἀφρικὴν καὶ τὰς αὐτόθι χώρας. FELL.

*Adulteram cathedram.* Novatianus supra ep. II ad Cornelium, n. 1, *adulterum et contrarium caput* nuncupatur, quippe *qui*, ut loquitur Cyprianus sub finem ep. LII ad Antonianum, *episcopo in Ecclesia a sexdecim episcopis facto, adulter atque extraneus episcopus fieri a desertoribus per ambitum nititur.* COUSTANT.

*Novatiano nuper retuso.* Ante triennium, quando missi in Africam, ut Epistola XLI, dicitur, *a Novatiano Maximus presbyter, et Augendus diaconus, et Macheus quidam et Longinus.* FELL. D

*Per totum orbem.* Istud maxime dicere licuit postquam contigit quod de totius Orientis ad unitatem regressi concordia Dionysius Alexandrinus in ep. III subsequente scribit. FELL.

*Adulatores, Fautores Novatiani, sequaces, asseclas, qualis erat Marcianus.* RIGALT.

III.—*Dirigantur in provinciam.* Vere adnotatum est a Cicerone omnem conjecturam ingeniis hominum in contrarias partes sæpe deduci. *Liberæ enim sunt*, ut alibi ait idem Cicero, *cogitationes nostræ, et quæ volunt sic intuemur, ut ea cernimus quæ videmus.* Quod istic evenit. Pamelius enim hinc colleg.t licuisse jam olim episcopis Romanis episcopos justis de causis excommunicare, immo destituere, et novos in eorum loco substituere. Quam consequentiam secutus esse videtur cardinalis Perronius in pagina 99 suæ replicæ adversus regem magnæ Britanniæ. Baronius ista paulo magnificentius disseruit, aiens ex his Cypriani verbis cerni tum ab ipso Cypriano tum ab aliis episcopis cognitam fuisse Romani Pontificis autoritatem, dum in eo suam quinque et in communicatione cæteri omnes episcopi suam ipsorum potestatem limitibus coactatam intellexere, quandoquidem Gallicani episcopi haud tantum virum aut facultatis in se esse cognoscerent ut hominibus invisum hæreticum hominem, quod adeo optarent, deponerent, et alium in ejus locum subrogarent, sed tum illi tum Cyprianus ad id peragendum Romani episcopi appellarent auctoritatem, qua Marcianus episcopus Novatianus deponeretur a sede et alius catholicus in ejus locum subrogaretur antistes. Contra adversarii nostri invenisse se putant in his Cypriani verbis quamdam æqualitatem inter episcopum Romanum et Carthaginensem, quia sicut Roma, sic et Carthago, sic tamen ut Roma pro sui magnitudine præcedere debeat Carthaginem, neque agnoscere Cyprianum in papa Stephano jus et auctoritatem deponendi Marcianum, sed tantum facultatem declarandi illum esse deponendum. Verum Marca ait hanc responsionem esse futilem, uti re vera est, conceptis enim verbis Cyprianum exigere a Stephano ut suis litteris Marcianum damnet atque adeo alium substituendum decernat. Atque ut videas, lector, quam diversa sint hominum judicia, quamque diversæ sint eorum cogitationes et opiniones, cum Marca ex his Cypriani verbis collegisset magnum jam tum fuisse Romani pontificis auctoritatem, iis contra in perniciem suam abuti Romanenses eaque jugulum ipsorum petere censuit editionis Anglicanæ auctor illustrissimus episcopus Oxoniensis, scribens ex iis contrario sensu elici posse Romanum episcopum fuisse subjectum Carthaginensi, quandoquidem is Stephanum papam jubet dirigere litteras in provinciam ut, abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur, adeoque nihil fecisse censendus sit Stephanus quam quod jussus erat a Cypriano. Sic enim nos explicamus quæ heic valde obscure et intricate scripta sunt nec vere ab episcopo protestante. Quamvis enim unus sit episcopatus cujus pars a singulis in solidum tenetur, quamvis cæteri episcopi subvenire debeant, *si quis ex* eorum *collegio hæresim facere et gregem Christi lacerare et vastare tentaverit;* ut ait in hac epistola Cyprianus, inde tamen non sequitur Romanum episcopum præcipuas partes ejusmodi rerum pro suo primatu non sustinuisse. Cur enim Stephanum rogat Cyprianus, ut Gallos episcopos plenissimis litteris ad deponendum Marcianum et alium ei substituendum excitet, nisi quia sciebat defensionem canonum Romano episcopo præcipue commissam esse? BALUZ.

Digitized by Google

ratus contemnitur, colligatur. Sufficiat, multos illic ex fratribus nostris annis istis superioribus, excessisse sine pace; vel cæteris subveniatur qui supersunt, et diebus [a] ac noctibus ingemiscunt, et divinam ac paternam misericordiam deprecantes, solatium nostræ opitulationis exposcunt. Ideirco enim, frater charissime, copiosum corpus est sacerdotum, concordiæ mutuæ glutino atque unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex collegio nostro hæresim facere, et gregem Christi lacerare et vastare tentaverit, subveniant cæteri, et quasi pastores utiles [b] et misericordes, oves dominicas in gregem colligant. Quid enim si in mari portus aliquis, munitionibus suis ruptis infestus, et periculosus esse navibus [c] cœperit; nonne navigantes ad alios proximos portus naves suas dirigunt, ubi sit tutus et salutaris introitus et statio secura? aut si in via stabulum aliquod obsideri et teneri a latronibus cœperit, ut quisquis ingressus fuerit, insidiantium illic infestatione capiatur; nonne commeantes, hac opinione comperta, stabula alia in itinere appetunt tutiora, ubi sint fida hospitia et receptacula commeantibus tuta? Quod nunc esse apud nos debet, frater charissime, ut fratres nostros, qui vitatis Marciani scopulis petunt Ecclesiæ portus salutares, suspicianus ad nos prompta et benigna humanitate, et stabulum commeantibus præbeamus tale quale est in Evangelio, quo a latronibus sauciati et vulnerati suscipi et foveri et tutari ab stabulario possint (*Lucæ* x).

IV. Quæ est enim major aut melior cura præpositorum [d], quam diligenti sollicitudine et medela salubri fovendis et conservandis ovibus providere? cum Dominus loquatur et dicat: *Quod infirmatum est non confortastis, et quod male habuit non corroborastis, et quod contribulatum est non consolidastis, et quod erravit non revocastis, et quod periit non inquisistis: et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non sint pastores; et factæ sunt in comesturam omnibus bestiis agri et non fuit qui inquireret, neque qui revocaret. Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego super pastores, et inquiram oves meas de manibus eorum et avertam eos ut non pascant oves meas: et jam non pascent eas, et extraham eas de ore eorum, et pascant eas cum judicio* (*Ezech.* XXXIV, 4). Cum ergo pastoribus talibus, per quos Dominicæ oves negliguntur et pereunt, sic Dominus comminetur; quid nos aliud facere oportet, frater charissime, quam colligendis et refovendis Christi ovibus exhibere diligentiam plenam, et curandis lapsorum vulneribus paternæ pietatis adhibere medicinam, quando Dominus in Evangelio moneat et dicat: *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus* (*Matth.* IX, 12)? Nam et si pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus, et oves universas, quas Christus sanguine suo et passione quæsivit, colligere et fovere debemus, nec pati supplices et dolentes fratres nostros erudeliter despici, et superba quorumdam præsumptione calcari, cum scriptum sit: *Ille autem, qui contumax est, vir sui jactans, nihil omnino perficiet: qui dilatavit tamquam inferi animam suam* (*Habacuc* II, V): et ejusmodi homines Dominus in Evanglio suo culpet et damnet dicens: *Vos estis qui justificatis vos in conspectu hominum. Deus autem dignoscit corda vestra: quoniam quod excelsum est in hominibus, execratio est in conspectu Dei* (*Lucæ* XVI, 15). Execrabiles et detestabiles dicit esse qui sibi placeant, qui tumidi et inflati aliquid sibi arroganter assumant. Ex quibus cum Marcianus esse cœperit, et se Novatiano conjungens, adversarius misericordiæ et pietatis exstiterit; sententiam non dicat, sed accipiat: nec sic agat quasi ipse judicaverit de collegio sacerdotum, quando ipse sit ab universis sacerdotibus judicatus.

V. Servandus est enim antecessorum nostrorum beatorum martyrum Cornelii et Lucii honor gloriosus: quorum memoriam cum nos honoremus, multo magis tu, frater charissime, honorificare et servare gravitate et auctoritate tua debes, qui vicarius et

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Supersuntque et diebus *Oxon.*
[b] Qua pastores utiles *Ver.*
[c] Navigantibus *Ver.*
[d] Major pastorum *Ver. Fux.*

## VARIORUM NOTÆ.

*Annis istis superioribus.* Hæc loquendi ratio Marcianum non ab uno tantum anno Novatiani hæresi addictum fuisse indicat. Sed ut eum ante duos superiores hanc sectari cœpisse sentiamus, nihil cogit. Cum autem Novatiani schisma mense Junio anni 251 nondum exortum ponatur, sequitur ut Marcianus Novatiani hæresi non longe post initia ejus adhæserit. COUSTANT.

*Glutino.* Quidam libri veteres et antiquæ editiones habent *glutine.* Sic etiam legebat Venericus episcopus Vercellensis in libro *de Unitate Ecclesiæ.* Utraque lectio bona est. Atque ob eam causam mutare noluimus. BALUZ.

*Obsideri et teneri.* In vulgatis, si edit. Oxon. excipias, *obtineri et teneri:* mera tautologia. Ex ms. Corb. in edit. Oxon. restitutum est *obsideri et teneri.* In Colb. legimus *obtineri et obsideri.* COUSTANT.

*Vitatis.* Aliter Baluz. *Jactati.* Ita nos reposuimus pro eo quod Manutius et alii post eum ediderunt *vitatis.* Emendationem nostram confirmant veteres editiones et quatuor libri veteres. BALUZ.

IV. — *Refovendis.* Manut. *reponendis.* Pamel. *revocandis*: quod deinde retentum. Conciunius mss. Colb. Corb. etc. *refovendis.* Sic infra, *Oves universas... colligere et fovere debemus.* COUSTANT. — *Refovendis.* Ita habent omnes editiones Pameliana antiquiores. Pamelius igitur mutavit et auctoritatem libri Camberonensis secutus scripsit *revocandis*, aiens se hanc lectionem præferre excusis omnibus, in quibus ait legi *reponendis.* In quo lapsus haud dubie memoriæ fuit in Pamelio. Nam omnes excusi veteres habent *refovendis*, eamque etiam lectionem exhibent sex exemplaria vetera. Ut minime dubitari possit quin hæc sit vera lectio. Codex Fuxensis habet *reformandis.* Lectionem porro quam nos revocavimus confirmant ea quæ mox sequuntur, *oves universas quas Christus sanguine suo et passione quæsivit colligere et fovere.* BALUZ.

*Perficiet.* Codex Colb. cum Corb. *proficiet.* Supra tamen Ep. XI, ad Cornel. n. 3, exstat *perficiet.* COUST.

*Exsecratio.* Idem codex Fuxensis, *execrabile.* Quam lectionem confirmare videntur sequentia, *execrabiles et detestabiles dicit esse.* BALUZ.

V. — *Vicarius.* Ita passim vocatur Romanus pontifex

Digitized by Google

successor eorum [a] factus es. Illi enim pleni Spiritu Dei, et in glorioso martyrio constituti, dandam esse lapsis pacem censuerunt, et Pœnitentiæ acta fructum communicationis et pacis negandum non esse litteris suis signaverunt; quam rem omnes omnino ubique censuimus. Neque enim poterat esse apud nos sensus diversus, in quibus unus esset spiritus [b]: et ideo manifestum est eum Spiritus sancti veritatem cum cæteris non tenere, quem videmus diversa sentire. Significa plane nobis quis in locum Marciani Arelate fuerit substitutus, ut sciamus ad quem fratres nostros dirigere et cui scribere debeamus. Opto te, frater charissime, semper bene valere.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Successor eis *Ver.*

[b] Unus est Spiritus *Ver.*

VARIORUM NOTÆ.

ab antiquis scriptoribus ecclesiasticis, et ipsi quoque Romani pontifices se vocarunt vicarios apostolorum Petri et Pauli et vicarios apostolicæ Sedis. Vide notas nostras *ad Agobardum*, pag. 115, et *ad Lupum Ferrariensem*, pag. 425, et tom. II *Capitularium*, pag. 1283. BALUZ.

*Neque poterat sensus diversus.* Et tamen postea diversus inter Cyprianum et Stephanum sensus fuit in causa Baptismi hæreticorum. Hieronymus in Epistola *ad Ctesiphontem* adversus Pelagianos: *Nec fieri potest ut diversus sit eorum exitus quorum est una sententia.* Cicero in II Philippica: *Te miror, Antoni, eorum exitum non pertimescere quorum facta imitere.* BALUZ.

*Marciani.* Hunc et communione privatum et a sede sua dejectum fuisse colligitur e veteribus Arelatensis ecclesiæ diptychis a Mabillonio nostro *Annal.* tom. III, pag. 452, editis. In his certe nomen ejus, non secus atque Saturnini Arianorum antesignani, cujus fraude ac nequitia Hilarius Pictavensis episcopus in exilium actus est, minime comparet. COUSTANT.

# APPENDIX.

## EPISTOLÆ DECRETALES S. STEPHANO ADSCRIPTÆ.

### EPISTOLA I STEPHANI PAPÆ I AD HILARIUM EPISCOPUM.

ARGUMENTUM. — *Qui sint infames, et qui ad gradus ecclesiasticos vel ad accusationem non sint admittendi; et de vestimentis ministrorum, ut sacrata sint.*

I. Qui sint infames, vel qui ad gradus ecclesiasticos, sive ad accusationem non sunt admittendi.

II. De reverentia præpositis exhibenda.

III. De vestimentis ecclesiasticis.

DILECTISSIMO FRATRI ATQUE FAMILIARI AMICO HILARIO, STEPHANUS EPISCOPUS, INTIMÆ CHARITATIS SALUTEM.

Quamquam sperem (S. *Leo*, *epist.* 46) dilectionem tuam ad omne opus bonum esse devotam, tamen pro familiaritate, qua nobis conjunctus esse cognoscerie, ut tua efficacior fiat industria, congruum nobis visum est has fraternitatis litteras tuæ dilectioni debere dirigere. Monemus te, frater charissime, semper in bonis manere, et a malis cavere; cum bonis et rectæ fidei ac sanctæ conversationis hominibus assidue esse, et a perversis, ac fratrum insidiatoribus, nisi ut eos convertas, et ad concordiam reduceas, separari; quoniam, ut ait Apostolus, *corrumpunt bonos mores colloquia mala* (I *Cor.* XV). Et ipsa per se Veritas dicit: *Si oculus tuus scandalizaverit te, erue eum et projice abs te. Et si manus tua scandalizaverit te, abscinde eam, et projice abs te. Similiter et de pede agendum est, quia melius est tibi, luscum aut claudum introire in regnum cœlorum, quam duos oculos, aut duas manus, aut duos pedes habentem mitti in gehennam ignis* (*Matth.* XVIII; *Marc.*, IX). Et in Ecclesiastico invenitur libro: *In bonis viri inimici illius: In tristitia vero et in malitia illius amicus agnitus est. In labiis suis indulcat inimicus, et in corde suo insidiatur, ut subvertat te in fovea. Et qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Et qui communicaverit superbo,* [c] *induetur superbia. Pondus super se tollit, qui honestiori se communicat. Ditiori te ne feceris socius. Quid communicabit cacabus ad ollam? Quando se colliserint, confringetur. Dives injuste aget et fremet, pauper autem læsus tacebit. Si largitus fueris, assumet te; et si non habueris, derelinquet te. Si habes, convivet tecum, et evacuabit te, et ipse non dolebit super te; si necessarius illi fueris, supplantabit te, et subridens spem dabit, narrans tibi bona, et dicet: Quid opus est tibi? Et confundet te in cibis suis, donec te exinaniat bis et ter; et in novissimo deridebit te. Postea videns, derelinquet te, et caput suum movebit ad te. Humiliare Deo, et expecta manus ejus. Attende, ne seductus* [d] *in stultitia humilieris. Noli esse humilis in sapientia tua, ne, humiliatus, in stultitiam seducaris. Advocatus a potentiore, discede: ex hoc enim magis te advocabit. Ne improbus sis, ne impingaris, et ne longe sis ab eo,* [e] *et eas in oblivionem. Ne retineas ex* [f] *æquo loqui cum illo, et ne credas multis verbis illius. Ex multa enim loquela tentabit te, et subridens interrogabit te de absconditis tuis. Immitis animus illius conservabit verba tua, et non parcet de malitia et de vinculis. Cave tibi, et attende diligenter auditui tuo, quoniam cum subversione tua ambulas. Audiens vero illa quasi in somnis, vide et vigilabis. Omni vita tua dilige Deum, et invoca illum in salute tua. Omne animal diligit simile sibi, sic et omnis homo proximum sibi. Omnis caro ad similem*

LECTIONES VARIANTES.

[c] *Al.* induet superbiam.

[d] *Al.* stultitiam.

[e] *Al. ne.*

[f] *Fort.* æquo, *ut in vulgata vers.*

VARIORUM NOTÆ.

[ EPISTOLA. Hæc et sequens, non] secus ac præcedentes, adulterinæ viris cruditis consentur.

Digitized by Google

*sibi* [a] *conjungitur, et omnis homo simili sibi* [b] *sociatur.* [c] *Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator justo. Quæ communicatio sancto homini ad carnem? Aut quæ pax bona diviti ad pauperem? Venatio leonis, onager in eremo; sic pascua divitum sunt pauperes. Et sicut abominatio est superbo humilitas, sic execratio diviti pauper. Dives commotus confirmatur ab amicis; humilis autem cum ciderit, expelletur et a notis. Diviti decepto multi recuperatores; locutus est superba, et justificaverunt illum: humilis deceptus est, insuper et arguitur. Locutus est sensate, et non est datus ei locus. Dives locutus est, et omnes tacuerunt, et verbum illius usque ad nubes perducent. Pauper locutus est, et dicunt: Quis est hic? Et si offenderit, subvertent illum. Bona est substantia cui non est peccatum in conscientia, et nequissima paupertas in ore impii. Cor hominis immutat faciem illius, sive in bona, sive in mala. Vestigium boni cordis et faciem bonam difficile invenies, et cum labore* (*Eccli.*, XII, XIII). Hoc, frater, cave tibi, *et post concupiscentias tuas non vadas* (*Eccli.*, XXIII, 30).

I. Quod vero consuluisti Sedem apostolicam, qui sunt infames, aut qui ad gradus ecclesiasticos non sunt admittendi, et nosse te credimus, et pro auctoritate Sedis apostolicæ te informare non denegamus. Infames autem esse eas personas dicimus quæ pro aliqua culpa notantur infamia (6, *q.* 1; *et in Decret. Ivo. lib.* IV), id est omnes qui christianæ legis normam abjiciunt, et statuta ecclesiastica contemnunt; similiter fures, sacrilegos, et omnes capitalibus criminibus irretitos; sepulchrorum quoque violatores, et Apostolorum atque successorum eorum, reliquorumque patrum statuta libenter violantes, et omnes qui adversus patres (*Anianus in sent. Pauli libri* I, *tit.* II, *const.* II, *tit.* XXXIX. *Cod. Theod.*) armantur, qui in omni mundo infamia notantur. Similiter et incestuosos, homicidas perjuros, raptores (*Proclus ad Domnum Hadr. coll. cap.* XVII), maleficos, veneficos, adulteros, de bellis fugientes, et qui indigna sibi petunt loca tenere, aut facultates Ecclesiæ abstrahunt injuste, et qui (*Anianus in const.* VIII, *tit.* XXXIX, *libri* IX. *Cod. Theod.*) fratres calumniantur aut accusant, et non probant; vel qui contra innocentes principum animos ad iracundiam (*Cod. Theod. lib.* IX, *tit.* I, *cap.* XI. *Hadr. coll.* XLVIII) provocant; et omnes anathematizatos, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsos, et omnes quos ecclesiasticæ (*Anianus, const.* III, *tit.* XXXIX, *libri* IX, *Cod. Theod.*) vel sæculi leges infames pronuntiant. Hos vero non (*Hadr. coll.* CXIX) ad sacros Ordines licet promovere, nec servos [d] ante legitimam libertatem, nec pœnitentes, nec bigamos, nec eos qui curiæ deserviunt, vel qui non sunt integri corpore, aut sanam non habent mentem vel intellectum, aut inobedientes sanctorum decretis existunt, aut furiosi manifestantur: hi omnes nec ad sacros gradus debent provehi nec isti, nec liberti, neque suspecti; nec rectam fidem vel dignam conversationem non habentes, summos sacerdotes possunt accusare.

II. Sed et qualiter obedientia (*S. Greg. Epist.* X, *lib.* IV) vel reverentia sit præpositis exhibenda, ex tuis quoque subjectis ipse non ambigis. In qua re valde et utile, si id, quod disciplinæ vigor imponit, nullo cogente, humilitas laudanda servaverit (*Idem epist.* XXXIV, *ejusdem libri*). Omnipotens Deus, in cujus manu sunt omnia, de quo scriptum est: *Non est sapientia, non est consilium contra Dominum* (*Prov.* XXVIII), ipse te, tuosque, et divina et apostolicæ Sedis instituta illibata servare, et nos atque omnes fideles ad potiora semper conscendere, et de die *in* diem deteriora cavere, et meliora ac Deo placita sectari atque perficere concedat.

III. Vestimenta vero ecclesiastica, quibus Domino ministratur, cultusque divinus omni cum ho-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *Al.* conjungetu
[b] *Al.* sociabitur.
[c] *Al.* sicut.
[d] *Alias* non ordines nec servos.

## VARIORUM NOTÆ.

I. — *Quod vero consuluisti Sedem.* Qui hic a Stephano ob infamiam, bigamiam, defectum corporis aut animi, irregulares esse declarantur, hos ad suscipiendos ordines sacros inhabiles et incapaces esse debere, *Apostolorum Constitutionibus et Canonibus*, jam diu ante hunc Pontificem constitutum fuit, ut patet *Canonibus Apostolorum* XVII et quibusdam sequentibus. Vide quæ ibi diximus. SEVER BIN.

III. — *Vestimenta... sacrata esse debent.* Circa vestimenta quibus utuntur ministri sacri, plura constituuntur. Primum, ut vestes quibus sacerdotes, diaconi, reliquique Ecclesiæ ministri sacri in ministeriis sacris utuntur, ab illis quibus communiter induuntur, sint distinctæ. Alterum, ne quis iisdem extra sacrum ministerium utatur vel induatur. Tertium, ut ordinarie per episcopalem, vel saltem sacerdotis alicujus super hac re privilegium habentis, benedictionem sint consecratæ, juxta ritum ab Ecclesia præscriptum. Quartum, ne a laicis hominibus contingantur. Horum quædam ab antecessoribus pontificibus constituta, hoc decreto dumtaxat confirmantur. Nam Anacletus papa, Clementis successor, prima decretali epistola hæc ait: *Episcopus ministros secum habeat sacris indutos vestimentis.* Soter, ne a laicis, etiamsi sacratæ virgines sint, contingantur, constituit. Vide quæ diximus in notis ad Vitam Sixti et Soteris. Hæc autem bene et recte constituta esse probatur exemplo Veteris Testamenti, in quo Deus propria et sancta vestimenta instituit, quibus sacerdotes et ministri Dei in templo et sacrificiis Domini uterentur, ut constat Exodi cap. XXVIII. Multo magis igitur, ut recte colligit Ivo Carnotensis, epist. CXXIV, in lege nova sacerdotes ad divinum cultum ac ministerium recte peragendum, et præsertim ad corpus et sanguinem Domini consecrandum sacris vestibus uti oportuit. Quæ vero primorum sæculorum Pontificibus auctoribus recte constituta sunt, non modo posterioribus hisce, sed etiam anterioribus sæculis, recepta fuisse testatur Hieronymus in capite LIV Ezech., ubi dicit: *Religio divina alterum habitum habet in ministerio, alterum in usu vitaque communi.* Item epistola III *ad Heliodorum*, refert Nepotianum, morti vicinum, avunculo dixisse: *Hanc tunicam, qua utebar in ministerio Christi, mitte dilectissimo mihi ætate patri, fratri, collegæ*, etc., ubi Marian. Victorius vestem illam casulam vel planetam fuisse interpretatur. Similiter Chrysostomus, homil. LXXXIII *in Matth.*, vestium sacrarum mentionem facit; et in liturgia ponit ora-

Digitized by Google

norificentia et honestate a sacerdotibus reliquisque Ecclesiæ ministris celebratur, et sacrata debent esse et honesta. Quibus aliis in usibus, cum Deo, ejusque servitio consecrata et dedicata sint, nemo debet frui, quam ecclesiasticis et Deo dignis officiis. Quæ nec ab aliis debent contingi aut ferri nisi a sacratis hominibus, ne ultio quæ Balthazar regem percussit, super hæc transgredientes et talia præsumentes veniet divina, et corruere eos faciat divinæ ultionis justum flagellum ad ima. Hæc illis partibus, quibus moraris, et in omnibus quibus potueris, cunctis nota facito, et observare apostolica mandato auctoritate; quia et nostri nobisque commissi in sancta apostolica et universali Ecclesia, omnes hæc observare, nunc et futuris temporibus professi sunt. His breveter tuis, frater, magnifice respondi litteris. Quibus tua dilectio ita societur, ut nihil in his quæ ad universalis Ecclesiæ statum pertinent, aut dubie agatur aut segniter (*S. Leo. epist.* XLVI). Et cum tali moderatione agantur cuncta, ut nec benevolentiæ partes, nec justitiæ negligantur, sed absque personarum acceptione divinum in omnibus judicium cogitetur. Quod ut recta observantia valeat custodiri, catholicæ primitus servetur fidei integritas. Et quia per omnia angusta et arcta via quæ ducit ad vitam, neque in sinistram neque in dextram ab ejus tramite devictur.

Data quinto nonas maii, Valeriano et Gallicano, viris clarissimis, consulibus (*Annis* 254, 255 *et* 257).

## EPISTOLA II

### STEPHANI PAPÆ I.

ARGUMENTUM. — *De expulsione episcoporum, et ut quidquid in sacratis Deo rebus et episcopis injuste agitur, pro sacrilegio reputabitur; et ut per scripta nullius accusatio suscipiatur, et de aliis pluribus atque utilibus causis.*

I. *De accusationibus sacerdotum.*

II. *De episcopis rebus suis expoliatis, aut a sede pulsis.*

III. *Si quis episcopos vel actores sive defensores Ecclesiæ, antequam eos charitative conveniat, accusare præsumpserit, ut sit puniendus.*

IV. *Qui non debeant admitti ad accusationem.*

V. *Accusationem per scripta non suscipiendam, nec absentem posse accusari vel accusare, nec debere priusquam locum accipiat deferendi.*

VI. *De primatibus et metropolitanis, et de negotiis episcoporum ad ipsos referendis.*

VII. *Ut episcopus accusatus, ab omnibus comprovincialibus episcopis audiatur.*

VIII. *Ut omnis accusatio intra provinciam terminetur, nisi ad Sedem apostolicam fuerit appellatum; et de accusationibus criminalibus implicatis, vel sponte confessis, aut olim inimicis.*

IX. *Si clericus episcopum accusaverit, aut insidiatus fuerit.*

X. *Si laici res ecclesiasticas dispensare debeant.*

XI. *De personis accusatorum.*

XII. *De criminationibus doctorum, vel quod divinis vocibus damnati episcopos non possunt accusare vel in eos testificari.*

STEPHANUS, SANCTÆ APOSTOLICÆ ET UNIVERSALIS ROMANÆ ECCLESIÆ EPISCOPUS, OMNIBUS PER DIVERSAS PROVINCIAS CONSTITUTIS EPISCOPIS, IN DOMINO SALUTEM.

Plurimum gaudemus in Domino (*S. Leo. epist.* XL), et in dono gratiæ ipsius gloriamur, quod fides vestra per bona opera crescit magnifice, et dilatatur amplissime, sed nimis affligimur et tribulamur de vestra oppressione, super qua crebrior commeantium usque ad nos fratrum sermo perlatus est (*Idem, epist.* LXXXVII *et seq.*). Non oportuerat quidem ab illis a quibus sustentare et portari atque honorari debueratis tantis vos oppressionibus concuti. Quapropter necessarium est ut, remotis talium tergiversationibus, quibus venenosa malitia revelari, atque, obscurari bonitas et veritas solet (*Idem, epist.* XXXV), adminiculum non modicum vobis a fidelibus impendatur, atque ab hac apostolica Sede suffragetur, quos per divinam gratiam Christi auxilio dignum est adjuvari, ne in totius Ecclesiæ perturbationem imprudens procedat intentio, et ea quæ a sanctis prædecessoribus nostris, et reliquis sanctis Patribus dudum fuerant prohibita, denuo reviviscant. Loci namque nostri (*S. Greg. epist.* XI, *lib.* XII) considerationе compellimur, ea quæ ad notitiam nostram emendanda pervenerunt, propter Dominum non derelinquere, sed digna emendatione corrigere. Et si sæcularibus officiis ordo suus, et tradita a majoribus disciplina servanda est, quis ferat ecclesiasticos ordines temeraria præsumptione confundi, audita negligere, et emendanda, non opem ferendo, postponere.

I. Audivimus enim vos a quibusdam accusari, non tam pro vestra culpa, quam pro eorum libitu, ut vestra rapere possint: et ideo vos nimis affligi et concuti in tantum, ut etiam a sedibus propriis pellamini, et tali occasione Ecclesiæ facultatesque vestræ vastantur ac deprædentur. Ista, charissimi, non oportet fieri, nec denuo replicari. Tamen necesse est ut quæ toties usurpantur, sæpius replicentur et prohibeantur. Nam quidquid in sacratis Deo rebus et episcopis injuste agitur, pro sacrilegio reputabitur,

## VARIORUM NOTÆ.

tiones, quas dicit sacerdos cum sacras vestes induit. Joannes Diaconus, lib. II *Vitæ Gregorii*, cap. 57, refert Gregorium papam, inter alia dona, misisse in Angliam vestimenta sacerdotalia et clericalia. Theodoretus, lib. II *Hist.*, cap. 27, meminit cujusdam vestis sacræ quam Constantinus Macario episcopo misit. Adde quod, libro I *contra Pelagium*, scribit Hieronymus, episcopos, presbyteros atque omnem clerum in sacrificii administratione candidis vestibus uti solitos fuisse. Itaque hoc de sacris vestimentis Stephani decretum, non tantum ab ipso ipsisque quibusdam antecessoribus bene ac convenienter promulgatum est, sed etiam toto pene terrarum orbe omnibus sæculis receptum fuit, ac proinde eorumdem usus, quasi qui indifferens sit non nisi ab hæreticis rejicitur, vel plane negligitur. SEVERIN. BIN.



Digitized by Google

quia sacrata sunt, et violari a quoquam non debent. A

II. Nullus enim episcoporum (2, *q.* 2. *Nullus episcoporum*), dum suis fuerit rebus expoliatus, aut a sede propria qualibet occasione pulsus, debet accusari, aut a quoquam ei potest crimen objici, prius quam integerrime restauretur (*Concil. Rom.* III *et* V, *sub Symmac.; Hadr.*) : et omnia quæ illi ablata quocumque ingenio fuerant, legibus redintegrentur, et ipse propriæ sedi et pristino statui regulariter reddatur, ita ut omnes possessiones et cuncta sibi injuste ablata, atque fructus omnes, ante captam accusationem, primates et synodus episcopo de quo agitur, funditus restituant; quia hoc non solum ecclesiasticæ, sed etiam sæculi leges fieri prohibent.

III. Neque aliquis eorum, aut ecclesiarum actorum vel defensorum (*Hadr. coll. cap.* 2, *ex can.* 17, B *conc.* V *Aurelianensis*) ad aliquos prius accusari debet, quam ipsi charitative bis aut ter ab eis qui se læsos æstimant, vel eos pro aliquibus erratibus corripere cupiunt, conveniantur, ut ab eis aut familiarem emendationem, aut justam percipiant excusationem. Quod qui præsumpserit, liminibus arceatur Ecclesiæ usque ad condignam satisfactionem.

IV. Accusatores (3, *q.* 5, *Accusatores; et supra in Decr. Telesophori et Julii*) vero et accusationes quas sæculi leges non recipiunt, et antecessores nostri prohibuerunt, et nos submovemus. Nullus enim alienigena aut accusator eorum fiat aut judex. Unde et de Loth scriptum est : *Ingressus es ut advena, numquid ut judices* (*Gen.* XIX)? Accusator autem vestrorum nullus sit servus (*Hadr. coll. variis cap.*) aut li- C bertus, nullaque suspecta persona aut infamis. Repellantur etiam cohabitantes inimicis, et omnes laici; quia infestationem blasphemiæ affectio amicitiæ incitare solet. Nec illi in vestra sunt suscipiendi accusatione qui vos in sua volunt recipere infamatione [a] Nullus [b] anathema suscipiatur (2 *q.* 2. *Nullus anathematizatorum*), nec a quoquam credentur quæ ab eis vel dicuntur, vel conscribuntur.

V. Eos quoque dico anathematizatos esse quos episcopi suis scriptis anathematizaverunt, aut eorum statuta anathematizant. Per scripta (2. *q.* 8) enim nullus [c] accusatio suscipiatur, sed propria voce, si legitima et condigna accusatoris persona fuerit, præsente videlicet eo, quem accusare desiderat; quia nullus absens aut accusari potest aut accusare. Nullus tamen præfati ordinis vir accusari potest (*Hincm. cap.* 15, *lib.* LV), aut respondere suis accusatoribus debet priusquam regulariter a suo primate vocatus sit, locumque defendendi et [d] inquirendi accipiat ad abluenda crimina.

VI. Nulli (*Idem supra in Decr. Aniceti papæ*) enim metropolitani aut alii episcopi appellentur primates, nisi hi quis primas sedes tenent (*Hadr. coll.* 25) et quorum civitates antiqui primates esse censuerunt. Reliqui vero, qui cæteras metropolitanas civitates adepti sunt, non primates, sed aut archiepiscopi, aut metropolitani vocentur. Urbes (*Dist.* 90, *Urbes, sed sub nomine Lucii, non Stephani*) enim et loca quibus primates præsidere debent nona modernis, [e] sed etiam multis ante adventum, Christi sunt statutæ temporibus, quorum primates, etiam gentiles, pro majoribus etiam negotiis appellabant. In ipsis vero urbibus post Christi adventum, Apostoli et successores eorum patriarchas vel primates posuerunt, ad quos episcoporum negotia, salva in omnibus apostolica auctoritate, et majores causæ, post apostolicam Sedem sunt referendæ. Et licet, Apostolo prohibente (1 *Cor.* VI), inter Christianos non debeant accusationes exerceri, sed si prohiberi non poterint, accusationes episcoporum ad memoratos primates debent ab accusatoribus deferri studendum est tamen episcopis, ut dissidentes fratres magis ad pacem, quam ad judicium [f] coerceantur (*Conc. Carth.* IV, *cap.* 26).

VII. Episcopus (*Hadr. coll.* 25, 27) autem aliter non debet audiri aut judicari, nisi in præsentia omnium comprovincialium, et ab omnibus comprovin-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *Ms.* Nullus enim. *Hard.*
[b] *Al.* anathematizatorum.
[c] *Al.* Accusatio.
[d] *Al.* abluendi.
[e] *Latinius legit* sed jam. *Hard.*
[f] *Al.* cohortentur.

## VARIORUM NOTÆ.

III. — *Actorum vel.* Episcopi dicuntur actores Ec- D clesiæ; quia ipsis lege apostolica rerum ecclesiasticarum administratio, cura et dispensatio commissa est. Vide quæ diximus in notis ad primam epistolam Alexandri, verbis, *quam ad sacerdotes.* SEVER BIN.

IV. — *Nullus alienigena aut accusator eorum fiat aut Judex.* Vide notas epistolæ primæ Anacleti, verbis, *peregrina judicia*, etc., item verbis *quoniam Apostoli*, etc. SEVER. BIN.

VI. — *Appellentur primates*, etc. Hoc loco ea quæ de numero et origine patriarchalium sedium diximus in notis ad III epistolam Anacleti confirmantur : itaque vide quæ ibidem diximus. SEVER. BIN.

*Quorum primates etiam gentiles.* Sicut alia multa, ita etiam antiquissimum hoc nomen atque primatum et patriarcharum feliciter in Ecclesiam translatum est. Non tantum enim Judæi sed etiam Ægyptii utebantur eo nomine atque primaria dignitate. Nam Herodotus cum agit de sacris Ægyptiorum, (1) patriarchas illos nominat qui principem locum in sacris tenent. Insuper usus est eo nomine Hadrianus imperator, Trajani successor, in epistola ad Servium consulem de Ægyptiorum inconstantia, ubi, teste Flavio Vospico in Saturnino, hæc verba ait : *Ille ipse patriarcha cum in Ægyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Christum.* Quod an imperator vere dixerit, et de quibus id intelligendum sit, vide Baronium anno Christi 132 num. 13 et 14. SEVER. BIN.

(1) Ista non leguntur apud Herodotum, et Baronio fucum aliquis fecit. LABB.

Digitized by Google

cialibus episcopis, quia, ipsis absentibus, nec debet nec potest. Quæ vero personæ ad accusationem eorum non sunt admittendæ, et superius ex parte jam dictum est, et latius tam hi quam et infames personæ, in epistola quam dudum Hilario [a] misimus, sunt annumeratæ.

VIII. Ultra provinciæ (3, *q.* 6, *Ultra provinciæ; et in Decr. Joan. lib.* IV) vero terminos accusandi licentia non progrediatur, sed omnis accusatio inter provinciam audiatur, et a comprovincialibus terminetur, nisi ad apostolicam Sedem fuerit tantum appellatum. Et neganda (3, *q.* 11, *Neganda est; et in Decret. Joan. lib.* IV) est accusatis licentia criminandi, prius quam se crimine, quo premuntur, exuerint (*Vide Cod. Theod. lib.* IX, *const.* 10, 11, 12, *Arianum interpretem; Hadr. coll.*); quia non est credendum contra alios eorum confessioni, qui criminibus implicati sunt, nisi se prius probaverint innocentes, quoniam periculosa est, et admitti non debet rei adversus quemcumque professio. Familiares vero et sponte confessi atque sceleribus irretiti, non debent admitti, nec hi qui (S. *Ambr. epist.* LXIV) hesterna die, aut pridie, aut ante fuerunt inimici.

IX. Clericus ergo qui episcopum (3, *q.* 4, *Clericus qui episcopum*) suum accusaverit, aut ei insidiator extiterit, non est recipiendus, quia infamis effectus est, et a gradu debet recedere, aut curiæ tradi serviturus.

X. Laicis quoque, quamvis religiosi sint (*Idem in epist. Fabiani papæ*), nulli tamen de ecclesiasticis facultatibus aliquid [b] respondendi legitur umquam attributa facultas. Scimus [c] dilectissimi, quia semper carnales spirituales, solent persequi, et malevoli benevolos infamare et lacerare. Ideoque Apostoli et successores eorum, ac reliqui sancti Patres noluerunt fieri facilem episcoporum accusationem; quoniam, si facilis esset, aut nullus aut vix aliquis modo inveniretur. Throni enim Dei vocantur (*Conc. Tol.* XI, *cap.* 5): ideo non debent moveri, aut affligi, vel perturbari. De ipsis ergo ait Propheta: *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum* (*Psal.* XVIII).

XI. Hi vero qui non sunt bonæ conversationis et quorum vita est accusabilis, aut quorum fides, vita et libertas nescitur, non possunt eos accusare. Primo semper accusatorum personæ, fides vita et conversatio est enucleatim inquirenda; et postea, quæ objiciunt, fideliter sunt pertractanda quia nihil prius fieri debet quam impetitorum personæ, fides, vitaque et conversatio diligenter discutiantur, ne alicujus invidia aut inimicitia vel intentione mala quisquam vexetur (2, *q.* 7, *Quærendum est;* 1, *q.* 8, *Accusatorum personæ; et in Decret. Callisti papæ*).

XII. Criminationes (*Hadr. coll.* 67) adversus doctorem nemo suspiciat, quia magis sunt doctores portandi, quam lædendi, aut infamandi. Unde ait Apostolus: *Alter alterius onera portate, et sic implebitis legem Christi* (*Galat.* VI). *Charitas autem non est ambitiosa, non inflatur, non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi* (I *Cor.* 13). *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* (I *Joan.* IV). Et qui in Deo manet, nulli vult nocere sed omnes desiderat adjuvare et sustentare, sicut ipse Dominus *omnes venit salvare et animam suam dare in redemptionem pro nobis* (*Matth.* XX). Eorum (*Hadr. coll.* 29) autem accusandi sacerdotes, vel testificandi in eos vocem obstruimus quos humanis et divinis vocibus damnatos vel mortuos esse agnoscimus. Prævidere ergo summopere debent omnes qui sacerdotes Domini persequuntur, tam occulte quam manifeste, ne subjectis Domini damnentur præceptis. Per Jeremiam autem prophetam, talibus commi nando Dominus, loquitur dicens: *Iniquitates vestræ declinaverunt* [d] *omnia, et peccata vestra amoveruut bona a vobis, quia inventi sunt in populo meo impii et loquentes vana; statuerunt ad disperdendos viros, et comprehenderunt, ut laqueus venantis plenus volatilibus, sic domus eorum plenæ dolo* (*Jerem.* V). Et per David ait: *Qui cogitaverunt malitias in corde, tota die versati sunt in prœliis: exacuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum* (*Psal.* CXXXIX). Et paulo post: *Cadent super eos carbones in igne, dejecies eos in foveas, ut non consurgant. Vir linguosus non dirigetur in terra, virum injustum mala capient in interitu. Scio quia faciet Dominus causam inopis, judicia pauperum* (*Ibid.*). Item idem: *Muta fiant labia dolosa* (*Psal.* XXX). Et iterum per Michæam inquit: *Omnes in sanguine* [e] *judicantur, unusquisque proximum suum tribulat, omnes in malum manus suas præparant* (*Mich.* VII. *ex vers.* LXX). Hos Dominus prævidens, Apostolis præcepit ne facile servi sui lacerarentur, ne forte perderentur, aut in talem tentationem inciderent, quam ferre minime possent. Idcirco sancti Apostoli et successores eorum decretorum normas statuerunt, ne talium vox (quæ magis perdere nititur innocentes et simplices, quam salvare) facile reciperetur, sed ipsi his jaculis pellerentur procul, et Domini discipulos, juxta voluntates et versutias eorum, minime perdere possent. Unde et ipse Dominus ait: *Excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis* (*Marc.* VI). Et alibi ipsa per se Veritas de talibus dicit: *Melius est illi ut suspendatur mola asinaria in collo ejus et demergatur in profundum maris, quam scandalizet unum de pusillis istis* (*Matth.* XVIII). Et Jacobus apostolus inquit: *Judicium sine misericordia fiet illi qui non fecerit misericordiam* (*Jac.* II.) Qua enim fronte quis peccatorum suorum veniam sperat a Deo se impetraturum, qui

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Al. add.* episcopo.
[b] *Forte* disponendi. *Labb.*
[c] *Ita legitur in ms. Just.*
[d] Hæc *add. al.*
[e] *Al.* insidiantur

Digitized by Google

delinquenti fratri nihil per pietatis et clementiæ officium vult condonare? Profecto necesse est ut æstimet se talem in judicio Deum experturum, cum ante justi judicis tribunal fuerit constitutus, qualem se fratri suo exhibuerit: *Nam qua mensura mensi fuerimus, eadem remetietur nobis* (*Matth.* VII). Et Joannes apostolus et evangelista ait: *Qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quia omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem* (*I Joan.* IV). Vos tamen, filii charissimi, hortamur ut patienter mala vobis illata Domini adminiculo portetis, et his apostolicis præceptis tales procul pellite, ne more canino vos lacerare aut mordere valeant. Mementote, etiam quia, juxta Psalmographi vocem (*S. Bonif. ep.* XXVI) *Homo sicut fœnum dies ejus, et ut flos agri ita florebit* (*Psal.* CII). Et Apostolus ait: *Totus mundus in maligno positus est* (*I Joan.* V). Unde precamur ne tales multum timeatis, quia infames sunt, et non multum vobis nocere possunt, quia eorum vox exstincta est; quoniam sic odit Deus eos (*Proclus ad Domnum. Hadr. coll.* 71) qui adversus patrum invasores, qui in mundo patres armantur, ut infamia sunt notati. Armamini ergo his apostolicis adminiculis contra eos, et spiritu principali roborate corda vestra, ut Deus qui vos pastores in populo suo vocari voluit, non negligentes aut tepidos, aut lupis supervenientibus, fugientes inveniat, sed exemplo boni pastoris, agnos pariter cum matribus et filiis ac filiabus viriliter defensantes, atque sanctam matrem Ecclesiam fideliter reportantes, semper inveniat. Et quamquam (*S. Bonif. ep.* XXV) *dies mali sint, vos tamen nolite esse imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei* (*Ephes.* V). Quamobrem *confortamini, et state in fide, viriliter agentes, ac omnia vestra in charitate fiant* (*I Cor.* XVI), et secundum sanctum Evangelium, *in patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc* XII). Recordamini quoque sanctorum Apostolorum et Prophetarum; et quia multum laboraverunt in Domino, ideo adepti sunt præmia sempiterna. Scitote etiam quoniam juxta Psalmistæ vocem, *multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus* (*Psal.* XXXIII). Quapropter, filii charissimi, hortamur vos et deprecamur ut crebris orationum vestrarum precibus Deum exoretis, ut (*S. Bonif., ibid.*) liberemur nos et vos, juxta dictum Apostoli, *ab importunis et malis hominibus, quia non omnium est fides* (*II Thess.* III). Flagitate etiam ut Deus et Dominus noster qui est refugium pauperum, et spes humilium, sanctam suam Ecclesiam, pretioso videlicet sanguine suo redemptam, et nos, qui eamdem sanctam Ecclesiam docere, regere, portare et tueri debemus, de prædictis oppressionibus et tentationibus hujus sæculi nequam, atque de omnibus necessitatibus nostris misericorditer eruat, *ut sermo Dei currat* (*I Cor.* XV) et glorificetur gloriosum Evangelium Domini nostri Jesu Christi; et gratia ejus in nobis vacua non fiat, ne sine fructu Evangelii, quod absit! steriles in conspectu Dei appareamus, et vacui filiorum filiarumque numero revertamur, nec de abscondito talento, Domino veniente, rei esse judicemur. Ista enim semper invidet Satan. Et idcirco tales adversum nos suscitat qui nos premant et suffocent, ut Domini oves absque nobis rapiat, [et in ima, non existentibus pastoribus qui eos custodiant et defendant, ruere faciat. Vos igitur pro viribus laborate, et orate atque vigilate ne hæc fiant, scientes nos semper paratos esse in omnibus quibuscumque Dominus posse dederit modis, vobis opem ferre, licet nos ab ipsis æmulis sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris non simus excepti; et tribulationes cordis nostri pro nostra et vestra tribulatione, sive ovium nobis commissarum, admodum sint dilatata. Vos quoque obsecramus ut injunctum vobis a Domino famulatum non negligatis, et omnes oppressos et cunctos Dei servos, atque generaliter omnes Christianos, prout Dominus posse dederit, adjuvare, studeatis (*S. Bonif. ep.* XXVI) ut ante tribunal Christi mercedem, habeatis perpetuam. Et scitote quod memoria vestra coram Deo est assidue. Nam, quemadmodum dolentes cognoscimus vos ab iniquis et scelestis hominibus obturbari, ita continuo vobis compatimur, Deum orantes pro liberatione ac sublevatione vestræ afflictionis, quæ vobis (unde graviter angimur) ab iniquis in dies irrogatur. Et ante corpora Apostolorum pro vobis preces fiunt quotidie, ut et vos liberemini ab importunis et malis hominibus Domini auxilio, et oves vobis commissæ ad pascua æternæ vitæ una vobiscum perveniant sempiterna. Unitatem et communionem (*S. Bonif. ep.* VI) dilectionis vestræ, valentem atque proficientem in salutem omnium populorum, Creator omnium populorum, Creator omnium Deus omnipotens memorem nostri æternaliter custodiat. Amen.

Data nonis aprilis, Valeriano et Gallieno, viris clarissimis, consulibus (*Anno Christi* 255).

Digitized by Google

# ACTA ET MONUMENTA

## CELEBERRIMÆ DE HÆRETICORUM BAPTISMATE DISPUTATIONIS,

## PARS PRIMA.

### PRÆCIPUA VETERUM MONUMENTA QUÆ SUPERSUNT

### DE BAPTISMATE HÆRETICORUM.

## S. STEPHANI PAPÆ ET MARTYRIS

### DECRETORIÆ SENTENTIÆ.

#### PROŒMIUM.

Dolendum sane est ad nos usque non devenisse quascumque in his rerum tempestatibus beatissimus Stephanus papa I scripsit epistolas, sive ad Africanos, sive ad Orientales episcopos; quinimmo et mirandum nullam omnino, exceptis tantum pauculis sententiis, superfuisse; cum interea nec oblivii injuria, nec edacitate temporum exciderint nonnulli quorumdam anonymorum libelli longe humiliores, multoque exilioris tenoris, ac momenti; cumque aliunde tota ab imis sedibus ob gravissimam hanc litem commota Ecclesia fuerit, indeque in sanctam Petri Sedem intenta, quæcumque pontificalia placita, decretave arrectis auribus accipere debuerit. Eo ergo diligentius colligenda sunt, quotquot emerserint, Stephani Papæ sententiæ ex epistolis Cypriani et Firmiliani excerptæ; palmares porro ac merito dictæ decretoriæ, quippe quæ, licet hinc et hinc renitentibus maximæ ac meritissimæ auctoritatis viris, ingentem demum litem diremerint ac paulo post fuerint ab omni quaque patet Ecclesia acceptæ, amplexæ firmiter ac perpetuo servatæ. Hæc vero sancti Pontificis effata dum e Firmiliani litteris potissimum eruimus, neutiquam in animo est ipsam Firmiliani epistolam authenticam aut ratam habere. Esto sub judice lis integra, tantumque velimus liceat, ex hoc fonte vel dubio vel disturbato exhaurire sententias illas quæ venerandam sapiunt vetustatem, quasque vafer interpollator ex antiquis instrumentis in novella νοθείων farragine intrudere potuit.

A

B

C

#### I.

*Unus ac necessarius controversiarum fidei finis.*

Stephanus de episcopatus sui loco gloriatur et se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta ecclesiæ collata sunt (*Firmil. Epist.*).

#### II.

*Palmare juris principium.*

Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos, NIHIL INNOVETUR, NISI QUOD TRADITUM EST, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicet tantum (*Cypr. Epist.* LXXIV).

#### III.

*Traditionis Apostolicæ testimonium de hæreticorum baptismate.*

...Quasi Apostoli eos qui ab hæresi veniant baptizari prohibuerint et hoc custodiendum posteris tradiderint (*Firmil. Epist.*).

#### IV.

*Testimonii intrinseca argumenta.*

Stephanus et qui illi consentiunt, contendunt dimissionem peccatorum et secundam nativitatem in hæreticorum baptismo procedere, apud quos etiam ipsi confitentur Spiritum sanctum non esse, *simulque* unum nobis atque hæreticis baptisma esse.... Non putant quærendum esse quis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizaverit, gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris et Filii et Spiritus sancti... Vult Stephanus his qui apud hæreticos baptizantur, adesse præsentiam et sanctimoniam Christi... Multum proficit nomen Christi, ut quicumque et ubicumque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi (*Firmil. Epist. passim.*).

#### V.

*Clausula.*

HÆRESIS QUIDEM PARIT ET EXPONIT; EXPOSITOS AUTEM ECCLESIA SUSCIPIT (*Firmil. Epist.*). EDD.

Digitized by Google

# CONCILIUM ROMANUM SUB S. STEPHANO CELEBRATUM.

## EX LIBELLO SYNOD.

Σύνοδος θεία καὶ ἱερὰ τοπική; ἐν Ῥώμῃ συναθροισθεῖσα, ὑπὸ Στεφάνου τοῦ ἱερομάρτυρος πάπα· ἀπωκηρύξασα τοὺς ἐν τῇ Ἀφρικῇ συνόδῳ παραλόγως ἐπικεχειρήκοτας ἀναβαπτίζειν τοὺς ἐκ πάσης αἱρέσεως προσερχομένους τῇ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ.

A Synodus divina et sacra provincialis, Romæ collecta a Stephano sancto martyre et papa; quæ eos qui in Africana synodo sine ratione concesserant eos rebaptizari qui ex quacumque hæresi ad catholicam accederent Ecclesiam, abdicavit.

### STEPH. BALUZII NOTA.

*Duo erant*, inquit Augustinus in libro *de unico Baptismo*, cap. 14, *eminentissimarum ecclesiarum, Romanæ scilicet et Carthaginensis, episcopi, Stephanus et Cyprianus, ambo in unitate catholica constituti*. Erat ea tempestate magnum schisma in Ecclesia propter doctrinam de rebaptizatione, quam olim Afri acceperant ab Agrippino, Carthaginensi episcopo, et quam S. Cyprianus admodum perveraciter defendebat. Tunc papa Stephanus Romæ synodum provincialem collegit, ut ait auctor *Synodici*; ubi *cum cæteris quidem collegis suis*, ut loquitur Vincentius Lirinensis, *sed tamen præ cæteris* in eam doctrinam invectus est. Denique, ex ea synodo, ut apparet, celebrem epistolam ad Africam misit; quæ sane nunc non exstat integra, sed tantum definitio, quam in Epistola LXXIV *ad Pompeium* nobis conservavit S. Cyprianus :

« Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam; cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum. »

Istius Stephani epistolæ meminerunt Eusebius, *lib.* VII, cap. 3, et Vincentius Lirinensis in suo Commonitorio.

# CONCILIA CARTHAGINENSIA [1].

## CARTHAGINENSE CONCILIUM SUB CYPRIANO TERTIUM

### ANNO POST CHRISTUM NATUM CCLIII HABITUM.

### DE INFANTIBUS BAPTIZANDIS.

### PROŒMIUM.

(Erasm., III, 3. Pamel., Rigalt., Baluz., LIX. Paris., LVIII. Oxon., Lips., LXIV. Routh. Rell. Scrip. p. 74 et 116.)

Anno Christi 257 (2), persecutione cessante, ad quassatam Ecclesiam componendam, Cyprianus ejusque collegæ episcopi Africanæ ecclesiæ, ex more convenerunt; partim ut rectam fidem et catholicam unitatem conservarent, partim etiam ut collapsam ecclesiasticam disciplinam restituerent, ac bonos mores fidelium informarent. In hac synodo constitutum est primo, ut diaconus ille, quem Rogatianus de protervia et conviciis sibi illatis coram Patribus concilii denuntiaverat, aut abstineatur, aut, nisi peccatum emendet, omnino deponatur. Idem de reliquis protervis et contumeliosis clericis constitutum esse volens : quia contumacia in clericis subjectis periculosa sit, ex qua ut plurimum in hæresim prolabi consueverunt. Verba Cypriani responsoria ad Rogatianum hac de re scribentis hæc sunt : « Hæc sunt initia hæreticorum et ortus atque conatus schismaticorum male cogitantium, ut sibi placeant, ut præpositum superbo tumore contemnant. Sic de Ecclesia receditur : sic altare profanum foris collocatur, sic contra pacem Christi et ordinationem atque unitatem Dei rebellatur. Quod si ultra te contumeliis suis exacerbaverit et provocaverit, fungeris circa eum potestate honoris tui, ut eum vel deponas vel abstineas. » Secundo hac eadem synodo patres concilii intelligentes quod Geminius Victor Christianus ex hac vita discedens Fortunatum quemdam presbyterum testamento suorum filiorum tutorem nominasset, atque ita, juxta decretum concilii alicujus, olim hac de re in Africa sub antecessoribus celebrati, pœnam excommunicationis incurrisset; ipsum Geminium defunctum, eo quod presbyterum a cultu Dei ad sæcularia avocasset, excommunicatum esse denuntiant; ideoque pro defuncto sacrificium offerri, nomen apud altare nominari severe admodum interdicunt; ipsumque antecessorum suorum decretum hac synodali constitutione confirmant. Hæc constant ex Cypriani epistola 66, qua sic ait : *Graviter commoti sumus, ego et collegæ mei, qui presentes aderant, et compresbyteri nostri qui nobis assi debant*, etc. Baron. anno 257, numero 15 et 14. Il e

(1) Etsi quæ eo loci colligimus concilia Carthaginensia non eamdem rebaptismatis quæstionem agitaverint, cuncta tamen quasi in unum corpus edenda esse autumavimus, ut pote iisdem fere temporibus, sub eodem summo Pontifice, ab eodem Cypriano, ex iisdem propemodum episcopis habita. EDD.

(2) Est hoc concilium Carthaginense III sub Cypriano ut admonet Harduinus, celebratum anno Christi CCLIII; fictitium autem illud putat Pagius ad ann. Chr. 254, n. 5; quem consule.

Digitized by Google

eodem concilio Baptismum infantulorum in casu necessitatis ante octavum diem accelerandum esse, ad quorumdam dubitationem responsum esse videtur: maxime, quia concilium illud tempore Ecclesiæ pacato celebratum, non sub Lucio, ut Veneta editio habet, sed potius circa initium Valeriani habitum fuisse, certo colligere liceat. Qualis illa de Baptismo infantulorum controversia fuerit, ex LIX epistola Cypriani ad Fidum presbyterum hic subjecta cognoscere licet.

CYPRIANUS ET CÆTERI COLLEGÆ QUI IN CONCILIO AFFUERUNT NUMERO LXVI, FIDO FRATRIS SALUTEM.

ARGUMENTUM. — *Patres africani pacem a Therapio temere concessam, ratam esse statuunt. — Infantium modo natorum Baptismus ab iisdem stabilitur.— Superstitiosus mos infantes ad osculum non admittere ante diem octavum notatur.— Nemo a Baptismo impediendus.*

I. Legimus litteras tuas, frater charissime, quibus significasti de Victore, [a] quondam presbytero, quod ei, antequam pœnitentiam plenam egisset, et Domino Deo, in quem deliquerat, satisfecisset, temere Therapius, collega noster, immaturo tempore et præpropera festinatione pacem dederit. Quæ res nos satis movit, recessum esse a decreti nostri auctoritate, ut ante legitimum et plenum tempus satisfactionis, et sine petitu et conscientia plebis, nulla infirmitate urgente ac necessitate cogente, pax ei concederetur, sed librato apud nos diu consilio, [b] satis fuit objurgare Therapium collegam nostrum quod temere hoc fecerit et instruxisse ne quid tale de cætero faciat. Pacem tamen quomodocumque a sacerdote Dei semel datam non putavimus auferendam, ac per hoc Victori communicationem sibi concessam usurpare permisimus.

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. NC.* 1, 2. *Ver. Benev.* Victore quodam *Impr. nup.*

[b] Consilio objurgare Therapium collegam nostrum decrevimus *NC.* 2.

## VARIORUM NOTÆ.

*Synodica hæc Epistola.* Hujus epistolæ mentio extat apud sanctum Augustinum in libro de Gestis Pelagii, cap. 11, et in libro quarto contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 8, et in sermone 294 novæ editionis. Meminit ejusdem etiam Hieronymus in Calce Dialogorum adversus Pelagianos. Vide librum Georgii Cassandri adversus Anabaptistas. BALUZ.

*Numero* LXVI. Videsis quod ante annotatum est ad Concil. II, p. 109. ROUTH.

*Fido.* Pamelius ait non potuisse se reperire quo in loco Fidus fuerit episcopus, verisimile tamen esse fuisse vicinum Therapii, qui in synodo sancti Cypriani cognominatur a Bulla. (Vid. supra *Concill.* VII. p. 103) Morellius putavit fuisse tantum presbyterum. BALUZ. — Ait Pearsonius in *Annal.* : « Dum illi in concilio erant, allatæ sunt a Fido episcopo, ut videtur, scriptæ litteræ, » ad an. 253, sect. IX. ROUTH.

1. — *Victore quondam presbytero.* Rigaltius ait: *Iste Victor quondam in Ecclesia presbyter, male servata fide, Ecclesiam amiserat, et pacem. Itaque etsi pacem quomodocumque, hoc est præpropera Therapii festinatione recepisset, minime tamen locum in Ecclesia, hoc est presbyteri honorem receperat. Bene igitur, atque ex disciplina veteri, scripsit Cyprianus, de Victore quondam presbytero, qui nunc inter laicos communicabat Ecclesiæ. Idem ergo Victor de laico presbyter, de presbytero lapsus, de lapso pœnitens, de pœnitente laicus.* Supra observavimus non semper in Ecclesia obtinuisse, ut in clericos delinquentes, solum per depositionem ad communionem laicam animadverteretur. Constat Victorem Ecclesia pulsum ad pœnitentiam eamque diutinam admissum. Licet vero synodo post reditum Cypriani secunda, lapsis ob persecutionem ingruentem indultum; tamen non ea mens patrum erat ut, pace restituta *et nulla necessitate cogente*, episcopus omnia pro arbitrio laxaret. Pacem nunc ecclesiæ redditam frequens synodus indicat. Fortunatianus lapsus *quondam episcopus* dicitur, statim Ep. LXV (al. LXIV). FELLUS. — Quamquam Pamelius agnoscat editiones Manutii et Morellii istic habere *quondam*, magis tamen ei placuit lectio veterum editionum, in quibus scriptum est *quodam*, eam videlicet ob causam, ut ille ait, quod satis constet ex sequentibus adhuc vixisse Victorem presbyterum cum Cyprianus hanc epistolam scriberet. Quod est certissimum. Verum vox *quondam* non accipienda est in hoc loco tamquam intelligi deberet de homine defuncto, sed de eo qui cum pœnitentiam accepisset post lapsum, dejectus erat de gradu presbyteri, sicut infra Epist. LXIV, *pag.* 110, legitur *Fortunatianum quondam apud vos episcopum.* Lectionem porro quam nos revocamus exhibent libri veteres et vetustissima hujus epistolæ versio Syriaca quam servat bibliotheca serenissimi Ducis Florentiæ, uti ego accepi a viro istius linguæ et bonarum litterarum peritissimo Eusebio Renaudotio. Sic in epistola Felicis Papæ III, ad Acacium, *quondam episcopos*, *nunc vero honore et communione privatos.* Possunt reperiri plurima exempla similia. BALUZ. — Clericis haud licuisse qui pœnitentiam egissent, recipere locum suum in Ecclesia, satis ostendit Basilidis exemplum in litteris Synodicis proxime post has sequentibus commemoratum. Idemque nobis inculcant cum Rigaltius etiam alibi in *Notis ad Cyprianum*, tum Albaspinæus *Observatt. de Veteribus Eccles. Rit.* lib. II. cap. 34. et Binghamus *Antiquit. Eccles. Christ.* lib. II, c. 2, §§ 2 et 4. ROUTH.

*Temere Therapius collega noster.* Baluzius quidem duorum librorum veterum fide nixus, a quibus aberat vox *temere*, eamdem ut a sciolo quodam ex sequentibus adjectam neglexit; quæ vero, ipso fatente viro clarissimo, in pluribus veteribus exemplaribus lectio inventa est, hanc ego minime eliminandam putavi, præsertim cum bene conveniret loco vocabulum. ROUTH. —

*Therapius.* Episcopus Bullensis in provincia proconsulari. Duplex autem fuit, ut alibi diximus, Bulla in ea provincia, una dicta simpliciter Bulla, cujus iste Therapius erat episcopus, alia Bulla regia. Concilio Carthaginensi sub Genetlio interfuit Epigonius, episcopus Bullensium regionum, collationi vero Carthaginensi inter catholicos et donatistas Dominicus episcopus Bullensium regionum catholicus, et Felix Donatista, qui in gestis vocatur simpliciter episcopus Bullensis. BALUZIUS.

*Decreti nostri.* Cons. prioris Epistolæ LIV. init. ROUTH.

*Sine petitu et conscientia plebis.* Hoc sæpissime dicit, *communicato etiam cum plebe concilio.* RIGALT.

*Nulla infirmitate urgente ac necessitate cogente.* Significari hoc loco Anglicus monet interpres duo pœnitentiæ laxamenta, quæ in duabus synodis concessa fuerant, quorum alterum permittebat absolutionem, quam clinicam vocat, de vita periclitantibus, alterum ignoscebat pœnitentibus, ingruente persecutione et minitantibus iniquis temporibus. ROUTH.

Digitized by Google

II. Quantum vero ad causam infantium pertinet, quos dixisti intra secundum vel tertium diem quo nati sint [a] constitutos baptizari non oportere, et considerandam esse legem (*Gen.* XVII, 12) circumcisionis antiquæ, ut intra octavum diem eum qui natus est baptizandum et sanctificandum non putares, longe aliud in concilio nostro omnibus visum est. In hoc enim quod tu putabas esse faciendum nemo consensit, sed universi potius judicavimus nulli homini nato misericordiam Dei [b] et gratiam denegandam.

Nam cum Dominus in Evangelio suo dicat (*Luc.* IX, 56) : *Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed salvare*, quantum in nobis est, si fieri potest, nulla anima perdenda est. Quid enim ei deest qui semel in utero Dei manibus formatus est ?

Nobis enim atque oculis nostris secundum dierum B sæcularium cursum accipere qui nati sunt incrementum videntur. Cæterum quæcumque a Deo fiunt Dei factoris majestate et opere perfecta sunt.

III. Esse denique apud omnes, sive infantes, sive majores natu, unam divini muneris æqualitatem A declarat nobis divinæ Scripturæ fides Helisæus [c] super infantem viduæ filium qui mortuus jacebat ita se Deum deprecans superstravit, ut capiti caput et faciei facies applicaretur, et superfusi Helisæi membra singulis parvuli membris et pedes pedibus jungerentur (IV *Reg.* IV, 34). Quæ res si secundum nativitatis nostræ et corporis inæqualitatem cogitetur, adulto et provecto infans non posset æquari, nec cohærere et sufficere possent parva membra majoribus. Sed illic æqualitas divina et spiritalis exprimitur, quod pares atque æquales sint omnes homines, quando a Deo semel facti sunt, et possit ætas nostra in [d] incrementis corporis secundum sæculum, non secundum Deum habere discrimen; nisi si et gratia ipsa, quæ baptizatis datur, pro ætate accipientium vel minor vel major tribuitur, cum Spiritus sanctus non de mensura, sed de pietate atque indulgentia paterna æqualis omnibus præbeatur. Nam (*Gal.* II, 6) Deus ut personam non accipit, sic nec ætatem cum se omnibus ad cœlestis gratiæ consecutionem æqualitate librata præbeat patrem.

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Quam nati sunt *Bod.* 1, 2. *NC.* 1, 2. *Ebor. Lin. Ben. Ver.*

[b] Misericordis Dei gratiam *August.*

[c] Fides, eum Helisæus *Lam. NC.* 1, 2.

[d] Nostræ in incrementis *Lam. Bod.* 2.

## VARIORUM NOTÆ.

*Baptizari non oportere.* De Baptismo infantium vide Josephum Vicecomitem, lib. II, cap. 1, *de antiquis Baptismi Ritibus*, et scripta Anglicana Buceri pag. 655, 667, 781. Vide etiam tractatum Florentii Conrii *de Statu parvulorum sine Baptismo decedentium*. BALUZ.

II. — *Quantum vero ad causam infantium pertinet.* Locus insignis de Baptismo parvulorum contra Anabaptistas, cujus meminit etiam tom. II, lib. *de Lapsis*. Eumdem agnoscunt D. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi mistag.* I. Greg Naz. *Orat.* II, *in sanctum Lavacrum* : Chrys. hom. *ad Neophytos*, hom. IX, *in Gen.* et *in Psal.* XIV, ac Ambros. *in Lucam*. Eumdem D. Aug. ab universa Ecclesia observatum fuisse testatur frequenter, præsertim autem Ep. 28, jam dicta et lib. III, *de peccat. Merit. et remiss.*, c. 6, 7, 8, 9, ubi totam fere hanc citat epistolam, quomodo etiam lib. IV, *contra duas epistolas Pelag.*, c. 8, et lib. II, *contra Julian*, c. 3. Confirmat eumdem Baptismum hac sententia Cypriani et Collegarum D. Hieron., sub finem lib. III, *dialog. contra Pelagianos*. Immo Concil. Milevit. can. 2, anathemate eum damnat, qui negat baptizandos parvulos recentes ab uteris matrum. Ante vero D. Cyprianum ejusdem mentionem disertis verbis reperire est, apud Origenem *in Levit.* hom. 8, *in Luc.* et *in Epist. ad Rom.*, cap. 6; Tertullianum lib. *de Anima*, Irenæum *contra Hær.* lib. II, cap. 39; Justinum mart. quæst. 56. Clementem Romanum lib. VI, *Constitut. Apost.*, cap. 11, et Dionys. Areop. ult. cap. *Eccles. Hierarchiæ*. Qui Dion. ad traditionem Apostolorum eum refert, ad quam eumdem etiam refert Orig. *in Epist. ad Rom.* et D. Aug. lib. X *de Gen. ad litt.*, c. 23; et lib. IX, *de Bapt. contra Donat.* c. 24. PAMEL.

*Sanctificandum.* Ita omnes editiones ante Pamelianam et plerique libri veteres. Pamelius scripsit *sacrificandum*. Ita etiam Rigaltius, quamvis Goulartius, repudiata lectione Pamelii, scripsisset *sanctificandum*. Hanc lectionem maluerunt Angli. Recte quidem. Est enim optima. Vide Epistolam 76, ad Magnum, pag. 152. 155. BALUZIUS.

*In concilio nostro omnibus visum est.* Augustinus lib. IV *de Bapt. contra Donatistas, cap.* 23, 24, infantium Baptismum traditioni apostolicæ adscribit, hanc regulam proponens : *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.* Licet in concilio hoc Carthaginensi 66 episcoporum, *omnibus visum sit nulli hominum nato misericordiam Dei et gratiam denegandam* ; hæc non ad pædobaptismum statuendum adducta qui olim obtinuit; sed ad Afrorum hac in re judaizantium errorem refellendum vibrata, qui ad diem octavum, circumcisioni olim præstitutum, ritum illum differendum censebant. FELLUS. — Notat Baluzius vocem deesse *omnibus*, quam valde superfluam appellat, in septem codicibus antiquis, exstare tamen ait apud *Augustinum*. Sed de inutilitate ejus nihil adhuc non constat. ROUTH.

*Nulla anima perdenda est.* Citat hunc locum sanctus Augustinus in epistola ad Hyeronimum *de Origine Animarum*. BALUZ.

*Secundum dierum sæcularium cursum.* Sic infra : *Secundum sæculum, non secundum Deum.* Nam apud Deum non est tempus. Dies agitur dicit sæculares, uti ab hominibus in sæculo numerantur. RIGALTIUS.

III. — *Viduæ filium.* Ita veteres editiones et omnes fere libri veteres. Pamelius edidit *viduæ Sunamitis filium* ex unico codice Anglicano, fassus vocem *Sunamitis* desiderari in cæteris antiquis codicibus. Angli scripserunt *Sunamitidis*. Ego sustuli hanc vocem, quam non dubito esse ex glossemate. Admoneo tamen me illam reperisse in quinque libris veteribus. BALUZ.

*Inæqualitatem.* Cæteræ editt. quas vidi omnes præter Benedictinam vel *æqualitatem* vel *qualitatem* habent, sed fortasse lectionem receptam in codicibus suis invenit Baluzius. Cæterum ænigmata isthæc ab insania illa prope absunt Origenis et aliorum quæ fidem historiarum sacrarum subvertere ausa est, ut mysticum adstrueret sensum libris sacris ROUTH.

*Discrimen.* Tres libri veteres habent *differentiam vel discrimen*, alius *discrimen*. Ex similibus fontibus, ut sæpe monuimus, orta sunt tot vocabula synonyma apud Cyprianum. BALUZ.

*Præbeat patrem.* Ita omnes fere libri veteres et omnes editiones. Atque ea lectio est optima. Nam

Digitized by Google

IV. Nam et quod vestigium infantis in primis partus sui diebus constituti mundum non esse dixisti, quod unusquisque nostrum adhuc horreat exosculari, nec hoc putamus ad cœlestem gratiam dandam impedimento esse oportere. Scriptum est enim (*Tit.* 1, 15) : *Omnia munda sunt mundis.* Nec aliquis nostrum id debet horrere quod Deus dignatus est facere. Nam etsi adhuc infans a partu novus est, non ita est tamen ut quisdam illum in gratia danda atque in pace facienda horrere debeat osculari, quando in osculo infantis unusquisque nostrum pro sua religione ipsas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare, quas in homine modo formato [a] et recens quodam modo exosculamur quando id quod Deus fecit amplectimur. Nam quod [b] in judaica circumcisione carnali octavus [c] dies observabatur, sacramentum est in umbra atque in imagine ante præmissum, sed veniente Christo veritate completum. Nam qui octavus dies, id est, post sabbatum primus dies, futurus erat [d] quo Dominus resurgeret, et nos vivificaret et circumcisionem nobis spiritalem daret; hic dies octavus, id est, post sabbatum primus et dominicus, præcessit in imagine. Quæ imago cessavit superveniente postmodum veritate et data nobis spiritali circumcisione.

V. Propter quod neminem putamus a gratia consequenda impediendum esse ea lege quæ jam statuta est, nec spiritalem circumcisionem impediri carnali circumcisione debere, sed omnem omnino hominem admittendum esse ad gratiam Christi, quando et Petrus in Actis apostolorum loquatur et dicat (*Act.* x, 28) : *Dominus mihi dixit neminem hominem* [e] *communem dicendum et immundum.* Cæterum si homines impedire aliquid ad consecutionem gratiæ posset, magis adultos et provectos et majores natu possent impedire peccata graviora. Porro autem si etiam gravissimis [f] delictoribus, et in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, et a baptismo atque a gratia nemo prohibetur, quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Recenter nato *August.* Recens nato quodammodo *Oxon*
[b] Quando *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Ebor.*
[c] Circumcisione octavus *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1.
[d] Primus futurus *Lam. Bod.* 1.
[e] Neminem communem *Bod.* 2.
[f] Delictorum *Thu. Corb.*

## VARIORUM NOTÆ.

certum est Deum se omnibus hominibus æqualiter præstare patrem. Est enim pater noster, in primis vero eorum qui credunt in eum, eorum qui per eum sanctificati et gratiæ spiritalis nativitate reparati, filii ejus esse cœperunt, ut ait sanctus martyr libro *de Oratione Dominica*, pag. 206. Et tamen Pamelius magis probat conjecturam Costerii existimantis legendum esse *parem* ; eamque conjecturam Pamelius, ut ipse ait, in sua editione posuisset, nisi contradicentes habuisset omnes libros manuscriptos et omnes editiones. Ego tamen vocem *parem* reperi in duobus codicibus antiquis. BALUZ.

IV. — *Adhuc horreat exosculari.* Rigaltius ait : Fidus, ad quem est hæc epistola Cypriani, horrebat osculari recens natos infantes, cum suis impedimentis profusos utique et oblitos, indeque in octavum a partu diem differri Baptismum volebat. Horrorem discutit Cyprianus iisdem argumentis quibus Tertullianus Marcionis hæresin confutavit exhorrentis fidei christianæ articulum quo Christum, Filium Dei, de Mariæ Virginis utero vere hominem natum asserimus. *Christus dilexit hominem illum in immunditiis, in utero coagulatum, illum perpudenda prolatum, illum per ludibria nutritum. Propter eum descendit, propter eum prædicavit. Tu hæc erubescenda illi facis quæ redemit? Tu exhorrescis in infante recentes adhuc Dei manus? Natura veneranda est, non erubescenda.* Hæc Rigalt. Totus hic apparatus ex Ethnica superstitione originem sumpsit. Macrobius, lib. I, cap. 16 : *Est*, inquit, *Nundinum Romanorum Dea, a nono die nascentium nuncupata qui lustricus dicitur. Est autem dies lustricus quo infantes lustrantur et nomen accipiunt. sed is maribus nonus, octavus est feminis.* Dato infantes non ad osculum admittendos ante diem octavum, sequebatur utique non baptizandos ; quilibet enim Christianus, fraternitatis jure ad pacis osculum admissus. FELLUS.

*Sacramentum est.* Pariter hujus typi meminit D. Augustinus contra Faustum Manich. lib. XVI, c. 29 : *Tertio die resurgens, quem dominicum dicimus, qui post sabbatum numeratur octavus, etiam circumcisionem octavi diei ad se prophetandum pertinere declarat.* Et paulo post : *Quia ista resurrectio quæ credita est nos justificat, illa octavæ diei circumcisione figurata est.* FELLUS.

*Veritate completum.* Quidam libri veteres et editio Morellii habent *in veritate.* Quod potest esse melius. — BALUZ. Adde *editionem principem.* ROUTH.

*Post sabbatum primus et dominicus.* Magnum ante hos ducentos annos bellum cum maxima utrinque acerbitate gestum et pugnatum est inter Paulum de Middelburgo, qui postea fuit episcopus Forosemproniensis, Petrum de Rivo sacræ paginæ professorem in academia Lovaniensi, et Thomam Bazin, episcopum Lexoviensem et dein archiepiscopum Cæsariensem, an die octava sabbati, id est die dominica, Christus resurrexisset. Tractatus Petri de Rivo editus fuit anno 1492, in urbe Lovaniensi, et Pauli adversus Petrum in libro sexto de Recta Paschæ celebratione. At tractatus Thomæ nondum editus habetur in bibliotheca regia. BALUZ.

V. — *Propter quod*, etc. Refert hunc locum sanctus Augustinus sermone 294, pag. 1195 novæ editionis. BALUZIUS. — Ibi S. Augustinus, vel alius quis, adduxit locum, hæc quidem præfatus : *Sanctus Cyprianus est, quem in manus sumpsi, antiquus episcopus sedis hujus quid senserit de baptismo parvulorum, immo quid semper Ecclesiam sensisse monstraverit, paululum accipite.* ROUTH.

*A gratia consequenda* Tres libri veteres præferunt *ad gratiam consequendam.* BALUZ.

*Porro autem*, etc. Totum hunc locum descripsit sanctus Hieronymus in fine libri tertii *adversus Pelegianos.* Sed apud Hieronymum legitur *remissio* pro *remissa* ; et pro eo quod apud Cyprianum recte scriptum est *de ope nostra ac divina misericordia*, in Hieronymo habet *de ope nostra ad divinam misericordiam.* BALUZ.

*Gravissimis delictoribus.* Negatoribus, sacrificatis, libellatis. Delictores dicit eos qui fidem Christo datam deseruerunt, dereliquerunt. Observavimus supra ad Epist. LV (al. LII) RIGALT. — At vero magis suadet illud, *si postea crediderint*, isthæc verba de hominibus christianam fidem amplexis, atque idcirco Baptismum petentibus, exponere, per quem quidem Baptismi ritum in nomine Divino celebratum peccata omnia remittit ac deleri credebat antiquitas. ROUTH.

*Nisi quod secundum Adam.* Vix alibi reperitur,

Digitized by Google

antiquæ prima nativitate contraxit, qui ad remissam peccatorum [a] accipiendam hoc ipso facilius accedit quod illi remittuntur, non propria, sed aliena peccata.

VI. Et idcirco, frater charissime, hæc fuit in concilio nostra sententia, a Baptismo atque a gratia Dei, qui omnibus misericors et benignus et pius est, neminem per nos debere prohiberi. Quod cum circa universos observandum sit atque retinendum, tum magis circa infantes ipsos et recens natos [b] observandum putamus, qui hoc ipso de ope nostra ac de divina misericordia plus merentur quod in primo statim nativitatis suæ ortu plorantes ac flentes [c] nihil aliud faciunt quam deprecantur. Optamus te, frater charissime, semper bene valere.

## CARTHAGINENSE CONCILIUM SUB CYPRIANO QUARTUM.

ANNO POST CHRISTUM NATUM CCLIV HABITUM.

## DE BASILIDE ET MARTIALE HISPANIÆ EPISCOPIS LIBELLATICIS.

(Erasm., I, 4. Pamel., Rigalt., Baluz., LXVII. Paris., LXVII. Oxon., Lips., LXVII. Routh. Reli. Scr., p. 77 et 122.)

### PROŒMIUM.

Hoc concilium habitum est in Africa, anno Christi 258 ad instantiam Hispaniæ episcoporum, eo fine, ut de causa Basilidis et Martialis, Africanæ ecclesiæ judicium cognoscerent. Causa talis erat : Basilides Legionensis et Martialis Asturicensis ecclesiæ episcopi, eo quod in persecutione fuissent lapsi, libellatici, qui nimirum privatim fidem abnegantes, publicum idolorum cultum pecunia redimissent, episcopali honore ad denuntiationem fidelium Hispanorum spoliantur, et in eorum locum Sabinus ac Felix substituuntur. Cessante persecutione, illi, sicut antea Felicissimus in Africa lapsus, absque ullo gradus et honoris dispendio ab Ecclesia recipi temerario ausu contenderunt : quo conatu cum frustrarentur, Felicemque cum Sabino in locum suum substitutos viderent, Basilides livore tabescens ad apostolicam sedem Romam se contulit ; ibique se injuste sede privatum conquerens, Stephano Romano Pontifici supplicationem plurimis mendaciis refertam exhibet, ac per eam sedi ac honori pristino restitui suppliciter rogat. Quod cum episcopi Hispaniæ audissent, ipsi duo suffecti episcopi, Sabinus ac Felix, ad Africanam Ecclesiam ablegantur, et utrique litteræ ad Cyprianum reliquosque ejus ecclesiæ episcopos scriptæ communicantur, ut scilicet iidem episcopi libellaticorum duorum causam cognoscant ac dijudicent. Cyprianus igitur cum legatos una cum litteris prædictis excepisset, collegas antistites convocat, et in eorum sacro concessu litteras ad se suosque collegas scriptas legi ac recitari, et ab iisdem legatis in concilium introductis suam ipsorum causam enarrari procurat. Quæ cum facta essent, hoc quod ab episcopis Hispaniæ de Basilidis et Martialis libellaticorum episcoporum depositione, et Sabini cum Felici suffectione constitutum fuerat, per Africanæ ecclesiæ episcopos illos, qui huic concilio interfuerant, confirmatum est ; nimirum libellaticos omnes ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti, verum ab ordinatione clericali, atque sacerdotali dignitate recte prohiberi : hosce duos etiam sua episcopali dignitate recte spoliatos, Sabinum ac Felicem in locum ipsorum recte suffectos esse. Quo testimonio habito, ipse Sabinus ac Felix, litteris Cypriani aliorumque episcoporum ad Stephanum et episcopos Hispaniæ scriptis communiti, Romam adnavigant, tum ut mendacia Basilidis

### LECTIONES VARIANTES.

[a] Accipiendum *Oxon.*
[b] Recenter natos *Bod.* 2. *Lam*
[c] Ortu flentes *Lam. Bod.* 2. *Lin. NC.* 1, 2.

### VARIORUM NOTÆ.

apud antiquos scriptores, locus ad confirmandum dogma de originali peccato, magis appositus, et expressus. De veterum hac in causa placitis consulatur auctor *Historiæ Pelagianæ*, lib. II, qui tamen immerito sugillat Clementem Alexandrinum, quasi doctrinam de originali peccato non satis intellexisset, siquidem quæ *Stromat.* lib. III, ab ipso disputata sunt, adversus Enceratitas intentabantur, qui ferebant τὴν γένεσιν ἁπλῶς ἐπικατάρατον, ut ait Epiph. Porro asserebant Adamum damnatum. Iren. lib. I c. 30. FELL.—Hieronymus lib. III *adv. Pelag.* p. 515. et pluribus locis Augustinus auctoritatem harum litterarum Pelagianis, ut notavit Cellier, *Histoire Générale*, etc., vol. III, pag. 590, objecerunt. Extant autem præter hunc alios que Cypriani locos insignia quædam de peccato originis in libro *De Habitu Virginum*, p. 180 ; atque adjicio auctoribus illis veteribus, quos dogmatis hujus adduxit vindices eruditissimus Vossius in *Hist. Pelagiana*, lib. II, pag. 1, thes. 5, Theophilum Antiochenum, Tertullianum, (cujus tamen testimonium quoddam commemoratur in *Thesibus Theol. et Histor.* Disput. II ab eod. Vossio), Firmilianum, Hippolytumque, vetustissimos scriptores ; nec dubito, quin horum dictis addi mereatur Clementis Romani illud in *Epistola ad Corinthios*, cap. XXXVIII. Cæterum in *Epist.* 66, pag. 593, tom. II, ed. Benedictinæ Augustinus hæc scribit : *Beatus quidem Cyprianus non aliquod decretum condens novum, sed Ecclesiæ fidem firmissimam servans ad corrigendum eos, qui putabant ante octavum diem nativitatis non esse parvulum baptizandum, non carnem, sed animam dixit esse non perdendam, et mox natum rite baptizari posse, cum suis quibusdam coepiscopis censuit.* ROUTH.

VI. — *Nativitatis suæ ortu plorantes.* Scriptores Ethnici infantium modo natorum fletum, miseriarum sequentis vitæ omen putabant : Cyprianus pietati ascribit, et ceu precum inarticulatam formulam commendat. FELL.— Quidam ex patribus Antenicænis, cujus tamen nomen mea excidit memoria, recens, natorum vagitus ad deplorationem peccati pœnæque originis suæ detorquet. ROUTH.

DE BASILIDE ET MARTIALE. Hæc epistola tot et tantas tamque inter se dissimiles habet variantes lectiones in antiquis exemplaribus et editionibus, ut mihi in illis colligendis et disponendis recte magnus labor insumendus fuerit, multum tædii devoratum. Annotandas enim arbitratus sum ut etiam multa et magna exempla darem audaciæ librariorum veterum, qui omnia licita et illicita ausi sunt in describendis sancti martyris operibus. Atque ut inde initium sumam ubi sunt scripta nomina episcoporum, sunt aliqui codices antiqui, sunt etiam aliquot editiones, in quibus ea desunt. In tribus antiquis codicibus, in quibus illa prætermissa, sunt legitur : *Cyprianus et cæteri episcopi presbyteris et diaconibus et plebibus in Hispania consistentibus.* In uno regio hæctan-

Digitized by Google

coram refellant, tum etiam ut auctoritate sedis apostolicæ contumaces episcoporum Hispaniæ contemptores compescant. Vide Baron., anno 258, num. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7.

CYPRIANUS, CÆCILIUS, PRIMUS, POLYCARPUS, NICOMEDES, LUCILIANUS, SUCCESSUS, SEDATUS, FORTUNATUS, JANUARIUS, SECUNDINUS, POMPONIUS, HONORATUS, VICTOR, AURELIUS, SATIUS, PETRUS, ALIUS JANUARIUS, SATURNINUS, ALIUS AURELIUS, VENANTIUS, QUIETUS, ROGATIANUS, TENAX, FELIX, FAUSTUS, QUINTUS, ALIUS SATURNINUS, LUCIUS, VINCENTIUS, LIBOSUS, GEMINIUS, MARCELLUS, JAMBUS, ADELPHIUS, VICTORICUS, ET PAULUS, FELICI PRESBYTERO ET PLEBIBUS CONSISTENTIBUS AD LEGIONEM, ET ASTURICÆ ITEM LÆLIO DIACONO ET PLEBI EMERITÆ CONSISTENTIBUS FRATRIBUS IN DOMINO SALUTEM.

I. Cum in unum convenissemus, legimus litteras vestras, fratres dilectissimi [a], quas ad nos per Felicem et Sabinum coepiscopos nostros pro fidei vestræ integritate et pro Dei timore fecistis, significantes Basilidem et Martialem libellis idololatriæ commaculatos et nefandorum facinorum conscientia vinctos episcopatum gerere et sacerdotium Dei administrare non oportere; et desiderastis rescribi ad hæc vobis, et justam pariter ac necessariam sollicitudinem vestram vel solatio vel auxilio nostræ sententiæ sublevari. Sed enim desiderio huic vestro non tam nostra consilia quam divina præcepta respondent, quibus jampridem mandatur voce cœlesti, et Dei lege præscribitur quos et quales oporteat deservire altari et sacrificia divina celebrare. In Exodo namque ad Moysem Deus loquitur et monet dicens: *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum Deum sanctificentur, ne forte derelinquat illos Dominus* (*Exod.* XIX, 22). Et iterum: *Et cum accedunt ministrare ad altare sancti, non adducent in se delictum, ne moriantur* (*Exod.* XXVIII, 43). Item in Levitico præcipit Dominus et dicit: *Homo in quo fuerit macula et vitium non accedet offerre dona Deo* (*Levit.* XXI, 17).

II. Quæ cum prædicta et manifesta [b] sint nobis, præceptis divinis necesse est obsequia nostra deserviant; nec personam in ejusmodi rebus accipere aut aliquid cuiquam largiri potest humana indulgentia ubi intercedit et legem tribuit divina præscriptio. Neque enim immemores esse debemus quid ad Judæos per Esaiam prophetam locutus sit Dominus increpans et indignans quod, contemptis divinis præceptis, humanas doctrinas sequerentur. *Populus iste*, inquit, *labiis suis* [c] *honorificat me, cor vero eorum* [d] *longe separatum est a me. Sine causa autem colunt me, mandata et doctrinas hominum docentes* (*Esai.* XXIX, 13). Quod item Dominus in Evangelio repetit et dicit: *Rejicitis mandatum Dei ut traditionem vestram statuatis* (*Marc.* VII, 13). Quæ ante oculos habentes et sollicite ac religiose considerantes, in ordinationi-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Carissimi *Ver.*

[b] Prædicta et mandata *Ver.* Vel mandata *Foss.*

[c] Sanctificant *Ver.*

[d] Longe est a me *Lam. Ebor. Bod.* 2 *NC.* 1.

VARIORUM NOTÆ.

tum: *Cyprianus Cæcilio et aliis fratribus salutem.* Vetustiores editiones habent nomina episcoporum Pamelio et Rigaltio placuit ea omittere, quia existimabant haud dubie illa esse superflua. Reinhartus et Anglire posuerunt.

Certum est hanc epistolam esse responsionem ad epistolam quam episcopi Hispani scripserant ad Afros in causa Basilidis et Martialis. Nulla illic mentio epistolæ ab illis scriptæ ad Romanos. Et tamen Baronius, qui vult omnia ecclesiarum negotia vetustis illis temporibus relata fuisse ad Papam, verisimili et vehementi se duci conjectura ait ut existimet Felicem et Sabinum episcopos Hispanos, qui missi fuerant in Africam, ut sic Cypriani quoque suffragio sua ipsorum electione probata, inde tum ipsius, tum aliorum ipsius collegarum litteris pariter communiti Romam ad refellenda Basilidis mendacia adnavigarent, Sedisque apostolicæ auctoritate compescerent contumaces qui Hispaniæ episcopos contempsissent. At quia levis conjectura, ut Cicero ait, non penditur, ista inter leves numerabitur. BALUZ.

*Nicomedes*, etc. In nonnullis libris scriptis et in editt. Pamelii et Rigaltii omissa sunt nomina episcoporum, quæ post *Polycarpum* hic sequuntur. Aliis autem mss. nullum præter Cypriani nomen adest, in plerisque tamen codicibus, cum scriptis, tum antiquius impressis, omnia hæc nomina signantur. ROUTH.

*Lucilianus.* Ita undecim libri nostri veteres et tres a Pamelio laudati. Alibi scriptum et editum est *Lucius* vel *Lucianus.* BALUZ.

*Legionem.* Urbs est Hispaniæ Tarraconensis in finibus Asturum a Nerva Imperatore condita, qui et Asturicam instauravit; unde ex vicinia non minus quam querela recte hic conjunguntur civitates istæ ut et Emerita, urbs adjacens ab Augusto condita. Quibus additur Cæsar-Augusta (vid. pag. 81). iisdem auspiciis structa, quibus pessimi exempli attentatum Martialis et Basilidis grave periculum induxerat. FELL.— Quæ urbes hodie *Leon*, *Astorga*, *Merida*, *Zaragosa*, appellantur. ROUTH.

I.— *Coepiscopos.* Ita libri veteres et editiones. In Rigaltiana tamen et in ea quam Reinhartus procuravit scriptum est *episcopos.* Angli emendaverunt. Sic etiam apud Victorem Vitensem lib. 1, cap. 13, scribendum est *coepiscopis* pro eo quod ibi scriptum est *universis episcopis tuis.* Nam et in capite sequenti et alibi scriptum est *coepiscopis.* BALUZ.

*Libellis idololatriæ commaculatos.* De libellaticis, sive illis, qui libellum seu judicis testimonium sibi comparabant, in quo scriptum erat, ipsos legibus satisfecisse, id est, Diis sacrificasse, tametsi nihil ejusmodi fecissent, vide cl. Moshemium more suo, hoc est et docte et fuse, in Opere *De Rebus Christianorum ante Constant. M.* disputantem. Sæc. III. § 9, pag. 482—489. ROUTH.

*Nefandorum facinorum.* Codex Eligianus, *ob nefandorum facinorum conscientiam vinctos.* Vide supra pag. 392, et sequenti. BALUZ.

II. — *Prædicta et manifestata.* Ita duodecim libri nostri veteres et quinque laudati a Pamelio. Alii duo nostri habent *cum prædicta et mandata.* Quatuor alii et veteres editiones, *prædicta vel mandata et manifesta*, nisi quod *et manifesta* deest in uno eorum. Addit Pamelius superflue additum fuisse in excusis *vel mandata*, cum non extent in libris manuscriptis. Ego cum Pamelio sentio istud superflue additum fuisse. Est enim unum ex synonymis quibus abundant vetera exemplaria operum sancti martyris. BALUZ. — Prædicta et manifesta edd. Pamelii Rigalt. Fellique. Illud *vel mandata* edd. ante Pamelium. ROUTH.

*Sine causa.* Sic reddidit Cyprianus quæ Septuaginta dixere, μάτην σέβονταί με. *Sine causa*, *vane perperam.* RIGALT.

Digitized by Google

bus sacerdotum non nisi immaculatos et integros antistites eligere debemus, qui sancte et digne sacrificia Deo offerentes audiri in precibus possint quas faciunt pro plebis dominicæ incolumitate, cum scriptum sit: *Deus peccatorem* [a] *non audit; sed si quis Deum coluerit et voluntatem ejus fecerit, illum audit* (*Joan.* IX, 31). Propter quod plena diligentia et exploratione [b] sincera oportet eos ad sacerdotium Dei deligi quos a Deo constet audiri.

III. Nec sibi plebs blandiatur quasi immunis esse a contagio [c] delicti possit cum sacerdote peccatore communicans et ad injustum atque illicitum præpositi sui episcopatum consensum suum commodans, quando per Osee prophetam commineter et dicat censura divina: *Sacrificia eorum tamquam panis luctus, omnes qui manducant ea contaminabuntur* (*Ose.* IX, 4), docens scilicet et ostendens omnes omnino ad peccatum constringi qui fuerint [d] profani et injusti sacerdotis sacrificio contaminati. Quot item in Numeris manifestari invenimus, quando Chore et Dathan et Abiron contra Aaron sacerdotem sacrificandi sibi licentiam vindicaverunt. Illic quoque per Moysem præcepit Dominus ut ab eis populus separetur, ne facinorosis conjunctus eodem facinore et ipse perstringatur. *Separamini*, inquit, *a tabernaculis horum hominum durissimorum, et nolite tangere*

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Peccatores *Lam. Ebor. NC.* 1.
[b] Plena diligentia Dei, et exploratione *Bod.* 1, 2. *Lin. Lam. Ebor. NC.* 1.
[c] Contagione *Lam. Lin.*
[d] Quique fuerint *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1, 2.

## VARIORUM NOTÆ.

*Sancte et digne.* Multum variant in hoc loco libri veteres et editiones. Quidam enim habent *sancte et digne*, alii *digne et sancte*. Duo veteres, *sancta et digna sacrificia*. BALUZ.

*Audiri in precibus.* Annotat Erasmus videri Cyprianum sensisse sacrificio sacerdotis impii nihil effici, immo magis inquinari populum. Joannes Gerson in sermone de Cœna Domini: *Dic consequenter cur Cyprianus et alii doctores plurimi, quorum dicta recitantur in decretis, posuerunt nihil fieri in sacramentis nihilque conferri a schismaticis.* Vide 1, q. 1 in decreto Gratiani. Apud Etherium et Beatum in libro primo adversus Elipandum Toletanum scriptum est sacrificium altaris offerri non posse per quemlibet sacerdotem, sed per sacerdotem sanctum et justum. Albertus Stadensis describens historiam quorumdam hæreticorum qui anno 1248 cœperunt pullulare in Ecclesia Dei, ait illos dixisse sacerdotes in peccatis mortalibus constitutos non posse conficere eucharistiam. In articulis Wiclefli damnatis in concilio Constantiensi legitur: *Si episcopus vel sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat.* Joanni de Varennis pastori sancti Læti in diœcesi Remensi objectum est eadem tempestate quod *publice prædicavit quod presbyteri concubinarii non conficiebant corpus Christi*, ut videre est in tomo primo operum Gersonii, p. 915 postremæ editionis. Apud Odoricum Raynaldum, anno 1420, § 17, exstat bulla Martini Papæ V, adversus Nicolaum Serurarium prædicantem quod orationes et preces missales presbyterorum publice concubinariorum erant nullius valoris et presbyteros publice concubinarios esse pejores Juda. Vide Gregorium VII, lib. IV, Epist. 10, 11, 20, et notas nostras ad Agobardum, pag 66. Contra apud Gratianum 1, q. 1, cap. *Intra catholicam* refertur locus ex Augustino, in quo scriptum est intra catholicam Ecclesiam in mysterio corporis et sanguinis Domini nihil a bono magis, nihil a malo minus perfici sacerdote. Vide Hugonem archiepiscopum Rothomagensem, lib. V Dialogorum, cap. II, et Epistolam ejus Apologeticam ad Matthæum Albanensem. Vide etiam M. Antonium Marsilium in tractatu de Aqua benedicta, p. 206. BALUZ.— De solis sacerdotibus Cyprianus atque collegæ loqui videntur, qui peccatis illis contaminentur, propter quæ ex lege ecclesiæ sacerdotii fungi officiis desinerent. Adde quod jam *depositus de munere jure fuerat* Basilides. ROUTH.

*Peccatorem.* Codices aliquot recensuit Fellus, in quibus scriptum est *peccatores*, quemadmodum legitur in *Evangelio*, sed et istic ἁμάρτωλον codices nonnulli. ROUTH

*Diligentia et exploratione.* Ita reponendum esse arbitratus sum, quamvis conjunctio desit in octo libris veteribus et in editione Manutii. Lectionem enim illam præferunt veteres editiones et duodecim libri veteres. In Sorbonico legitur: *Propter quod et plena indulgentia, exploratione sincera.* Ubi nemo non videt transpositam esse conjunctionem et legendum esse *plena indulgentia et exploratione*, eo modo quo posita est conjunctio in libris qui illam habent. Codex Fuxensis: *Propter quod plena indulgentia et exemplo et ratione.* Hinc formata est vox *exploratione*, ut in simili loco notavimus supra ad Epistolam LII, pag. 442. BALUZ.

III. —*Nec sibi plebs blandiatur.* Hunc locum alicubi mutatum et interpolatum retulit Algerus scholasticus Leodiensis in libro *de Misericordia et Justitia*, cap. 81, et post *sacrificio contaminati* nonnulla addidit quæ neque in vulgatis editionibus extant neque in codicibus manuscriptis. Ea sic habent: *Nonne enim quia Jonas cum inobedientia esset in navi, navis periclitabatur conteri, quia Achaz cum anathemate laminæ aureæ erat in Israel, exercitus percussus et fugatus est ab urbe Hai. Si ergo ita punitum est in culpæ ignaros, quid fiet in conscios et consentientes?* BALUZ.

*Contagio.* Hæc lectio bona est. Admonendus est tamen lector aliam, quæ habet *contagione*, esse etiam optimam, ut agnovit etiam Pamelius. Itaque cum alterutra earum lectionum retinenda esset, alia rejicienda, eam retinuimus quæ recepta est. BALUZ.

*Licentiam.* Id est jus, auctoritatem, potestatem. Unde in uno codice regio scriptum est: *sacrificándi sibi jus illicite vindicaverunt.* Istic itaque licentia usurpatur optime pro audacia, ut apud Ciceronem in Oratione pro Q. Ligario: *Videe quid licentiæ Cæsar nobis det, vel potius quid audaciæ.* Nazarius in panegyrico quem dixit Constantino Augusto: *quod qui tueri nequeunt, faciunt licentiam de potestate.* BALUZ.

*Vindicaverunt.* In codice Fuxensi legitur *usurpaverunt vel vindicaverunt.* Haud dubie utraque lectio extabat in libro vetustiore ex quo descriptus est Fuxensis, una in contextu, alia supra lineam, ut olim sæpe fieri solebat. BALUZ.

*Horum hominum durissimorum. Horum hominum injustorum durissimorum.* Ita coegit me auctoritas sedecim veterum exemplarium et vetustissimarum editionum ut mutarem editionem jam inde ab Erasmo receptam. Omnia enim vetera exemplaria habent *horum hominum injustorum, durissimorum.* Sane in Fuxensi legitur tantum *hominum durissimorum*, per incuriam videlicet librarii, qui aliquid omisit. In capite XVI Numerorum, ex quo locus iste descriptus est, legitur: *Recedite a tabernaculis hominum impiorum.* In Epistola tamen 76 (al. 77) pag. 155. ubi idem locus refertur legitur *hominum istorum durissimmorum*, Baluzius. Exhibent ni hoc quoque loco de quo agimus, eamdem prorsus lectionem, *hominum istorum durissimorum* editiones penes me Manutiana et Pamelii, et Regaltii, Fellinaque; ed. vero Romana anni 1471 vocalem *istorum* haud agnoscit. Sed et Hie-

Digitized by Google

*ea quæ ad eos pertinent* [a] *ne simul pereatis in peccato eorum* (*Num.* XVI, 26). Propter quod plebs obsequens præceptis dominicis et Deum metuens a peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere, quando ipsa maxime habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes vel indignos recusandi.

IV. Quod et ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe præsente [b] sub omnium oculis deligatur et dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur, sicut in Numeris Dominus Moysi præcepit dicens : *Apprehende Aaron fratrem tuum et Eleazarum filium ejus, et imponens eos in montem coram omni synagoga, et exue Aaron stolam ejus, et indue Eleazarum filium ejus, et Aaron appositus moriatur illic* (*Num.* XX, 25, B 26). Coram omni synagoga jubet Deus constitui sacerdotem, id est, instruit et ostendit ordinationes sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente vel detegantur malorum crimina vel bonorum merita prædicentur, et sit ordinatio justa et legitima quæ omnium suffragio et judicio fuerit examinata. Quod postea secundum divina magisteria observatur in Actis apostolorum, quando de ordinando in locum Judæ [c] apostolo Petrus ad plebem loquitur. *Surrexit*, inquit, *Petrus in medio discentium, fuit autem turba in uno* (*Act.* I, 15). Nec hoc in episcoporum tantum et sacerdotum, sed et in [d] diaconorum [e] ordinationibus observasse apostolos animadvertimus, de quo et ipso in actis eorum scriptum est : *Et convocaverunt*, inquit, *illi duodecim totam plebem discipulorum et*

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Quæ sunt eis *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *Lin. NC.* 2. *Thu. Foss. Corb. Mich. Vict.*

[b] Episcopus plebe præsente *Benev.*

[c] *Sic Bod.* 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. Episcopo *Rig.*

[d] Sed in *Oxon.*

[e] Etiam diaconorum *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1.

## VARIORUM NOTÆ.

ronymus *adv. Luciferianos* p. 128 ed. Froben. affert ex S. Scriptura, *istorum hominum durissimorum*. Itaque lectionem consimilem, *horum hominum durissimorum*, quam Harduinus in *Conciliorum* editione alii que præstant, reposui, nam vocem *injustorum* eo negligendam putavi, quod lectio duplex tantum sit, cum σκληρῶν vocabulum τῶν Ο', alii alio modo vertunt. Multæ porro apud *Cyprianum* hujusmodi sunt lectiones. Quod autem censent cum in notis suis Rigaltius tum Anglicus interpres, per vocem *durissimorum* significari a Cypriano Novatianos, qui lapsis pœnitentiam C negabant, id mihi minus certum atque evidens videtur. ROUTH.

*Tangere ea quæ ad eos pertinent.* Veteres editiones et undecim libri veteres habent, *Nolite tangere ab omnibus quæ sunt eis*. Quod mutatum videtur a posterioribus librariis studio revocandæ lectionis quæ exstat in editione vulgata sacræ Scripturæ. BALUZ.— A Fello adducti fuerunt undecim illi libri veteres quos memorat Baluzius; ii vero τοὺς Ο'. ad litteram exprimunt, ita enim Græca horum se habent, καὶ μὴ ἅπτεσθε ἀπὸ πάντων ὅσα ἐστιν αὐτοῖς ROUTH.

*Plebs obsequens.* Sermo de vexatione Donatistarum editus in appendice Optati a viro doctissimo Ludovico Ellies Du Pin pag. 299, § 5 : *Ante plebem nimis sibi semper obsecutam.* BALUZ

*A peccatore præposito* Magna istic auctoritas datur plebi, ut de vita et moribus episcopi sui judicet, et si constiterit illum errare in fide, ab ejus communione abstineat. *Nam cum ideo episcopus*, ut ait sanctus Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, *in Ecclesia constituatur ut populum coerceat ab errore, quantus error erit in populo cum errat ille qui docet.* Item in epistola ad Pammachium contra Joannem Hierosolymitanum : *Sanctiores enim sunt aures populi quam sacerdotis animus.* Vide notas nostras ad Agobardum pag. 61 et viri doctissimi nobisque amicissimi Domni Bernardi de Montefalcone præfationem ad opuscula sancti Athanasii, § 6. Vide etiam itinerarium Adriani Papæ VI, editum in libro tertio Miscellaneorum nostrorum, pag. 451. Exemplum plebis recedere volentis ab episcopo suo refert sanctus Augustinus in epistola ad Nancilionem, quamvis non ageretur de fide, sed de nova translatione unius vocabuli in capite quarto libri Jonæ. Nos homines Romanæ communionis putamus recedendum esse a Papa si sit hæreticus. BALUZ. — At velim attendas nemini prorsus licere sua ipsius auctoritate privata a legitimo pastore episcopo, quanto magis summo Pontifice discedere, quamdiu nulla in eum lata sit canonica sententia. EDD.

*Ipsa maxime habeat potestatem*, etc. Non proprio motu impulsa, sed admonita per justam ac necessariam sollicitudinem aliorum præpositorum, per aliarum ecclesiarum episcopos, quorum consilia divinis præceptis respondent RIGALT.

IV.—*Et Aaron appositus.* LXX προστεθεὶς ἀποθανέτω ἐκεῖ. Vulgata, *Colligetur et morietur ibi*, h. e. *colligetur* ad patres suos. Ita codex Fuxensis a Baluzio memoratus habet *et Aaron appositus ad patres suos moriatur.* Anglica Bibliorum versio, *ad populum suum.* ROUTH.

*Ordinationes sacerdotales non nisi*, etc. Hoc exemplo Christianorum Alexander Severus dispositiones suas publicabat, ubi aliquos volebat vel rectores provinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores, id est rationales, ordinare : nomina eorum proponebat, dicebatque grave esse quum id Christiani et Judæi facerent in ordinandis sacerdotibus, non fieri in provinciarum rectoribus, etc., quæ apud Lampridium. RIGALT.

*Apostolo.* Antea legebatur *episcopo.* Veram lectionem nobis subministrarunt tria vetera exemplaria. BALUZ. — Sed prius restituta a Fello fuerat vox *apostolo* ex quatuor codicibus. ROUTH.

*In medio discentium.* Ait, Act. I, ἐν μέσῳ τῶν μαθητῶν. Vulg. discipulorum. RIGALT. a Fello allatus.— Tres libri veteres, *discipulorum*, eodem sensu. Paulo post quoque scriptum est *discipulorum.* Apud Tertullianum in libro de Pœnitentia, *Ad unius quidem* D *discentis gladium.* Vide notas Pamelii. BALUZ.

*Fuit autem turba in uno*, ἐπὶ τὸ αὐτό. Ipse Cyprianus principio hujus Epist. *Cum in unum convenissemus.* Psal. CXXI : Ἧς ἡ μετοχὴ αὐτῆς ἐπὶ τὸ αὐτό. RIGALT. a Fello allatus.— (Vulgata habet, *Erat autem hominum turba simul fere centum viginti.* Atque audi Baluzium, qui reposuit, *Fuit autem turba hominum fere centum viginti.*) Antea ibi scriptum erat *turba in uno* vel *in unum.* Nos emendavimus et supplevimus ex fide quatuor veterum exemplarium. Recte sane. Nam in Actibus apostolorum, unde acceptus est hic locus, legitur *fere centum viginti.* BALUZ — Sic vir cl. Quum vero hæc lectio ex Vulgata interp. Cypriano post advecta esse mihi videretur, prout ipse quoque Baluzius de alio loco Cyprianico a libraris mutato ad pag. 79, judicaverat, veterem lectionem revocandam esse censui. Confer et notam proxime sequentem. ROUTH.

*Totam plebem.* Act. VI, 2, Προσκαλεσάμενοι δὲ οἱ

Digitized by Google

*dixerunt eis* (*Act.*, VI, 2). Quod utique idcirco tam diligenter et caute convocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet. Ordinari enim nonnumquam indignos non secundum Dei voluntatem, sed secundum humanam præsumptionem, et hæc Deo displicere quæ non veniant ex legitima et justa ordinatione, Deus ipse manifestat per Osee prophetam dicens : *Sibimetipsis constituerunt regem, et non per me* (*Ose.* VIII, 4).

V. Propter quod diligenter de traditione divina et apostolica observatione servandum [a] est et tenendum quod apud nos quoque et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem cui præpositus ordinatur, episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, et episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. Quod et apud vos factum videmus in Sabini collegæ nostri ordinatione, ut de universæ fraternitatis suffragio et de episcoporum qui in præsentia convenerant, quique de eo ad vos litteras fecerant, judicio episcopatus ei deferretur et manus ei in locum Basilidis imponeretur. Nec rescindere ordinationem jure perfectam potest quod Basilides post crimina sua detecta et conscientiam etiam propria confessione nudatam [b] Romam pergens Stephanum collegam nostrum longe positum et gestæ rei ac veritatis ignarum fefellit, ut exambiret reponi se injuste in episcopatum de quo fuerat jure [c] depositus. Hoc eo pertinet ut Basilidis non tam abolita sint quam cumulata delicta, ut ad superiora peccata ejus etiam fallaciæ et circumventionis crimen accesserit. Neque enim tam culpandus est ille cui negligenter obreptum est quam hic execrandus qui fraudulenter obrepsit. Obrepere autem si hominibus Basilides potuit, Deo non potest, cum scriptum sit : *Deus non deridetur* (*Gal.* VI, 7). Sed nec Martiali potest profuisse fallacia quo minus ipse quoque delictis gravibus involutus episcopatum tenere non debeat, quando et Apostolus moneat et dicat : *Episcopum oportet esse sine crimine quasi Dei dispensatorem* (*Tit.* I, 7).

VI Quapropter cum, sicut scripsistis, fratres dilectissimi, et ut Felix et Sabinus collegæ nostri asseverant, utque alius Felix de Cæsaraugusta [d] fidei cultor

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic Lam. Bod.* 1, 2. Observandum *Imp.*

[b] Et conscientiæ etiam propriæ confessione nudata *Bod.* 1, 2. *Lam. Ebor. NC.* 1, 2. *Lin. Corb.*

[c] *Sic Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. Lin. NC.* 1, 2. *Neap.* Juste *Oxon.*

[d] Cæsarea Augusta *Lam. Lin.*

## VARIORUM NOTÆ.

δώδεκα τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν, et 6, ἐνώπιον παντὸς τοῦ πλήθους Pacianus Epistola III, *cujus partes in unum.* RIGALT.— a Fello allatus.— Duo libri veteres, *totam multitudinem.* BALUZ.— Vulgata hoc loco habet, *convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum.* ROUTH.

*Et non per me.* Καὶ οὐ δι' ἐμοῦ ἤρξαν. Os. VIII. RIGAL.— a Fello allatus.— Mox in verbis, *et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit*, præpositione *de ex* significatur. ROUTH.

V.—*Nec rescindere .....*, *quod Basilides Romam pergens.* Etiam hic locus pro Romani Pontificis auctoritate facit; utpote quo constet episcopos sede ejectos in Hispaniis, solere ad illum excurrere : quamquam hoc factum Basilidis ideo non probet, quod Stephanum papam fefellerit, et illi fraudulenter obrepserit. Idipsum fecere in Oriente D. Athanasius Alexandrinus, Paulus Constantinopolitanus Marcellus Ancyræ et Asclepas Gazæ Episcopi, ab Arianis expulsi, teste Zozomeno, apud Julium Pontificem, ab eodem sedibus suis restituti. Hoc ipsum Stephanus, Carthaginensis antistes, cum concilio Mauritaniæ egit apud Damasum, dum conqueritur de sede ejectis episcopis; et antiquis regulis sancitum esse dicit, tale quid tum prius tractandum esse, prius quam ad notitiam Almæ Sedis ductum esset, etc. Apud Innoc. primum D. Chrysost. Constan. apud Leonem Theodoretus Cyri. et Flavianus Constant. Ignatius denique Constantinop. Episcopus, apud Nicolaum primum. Eodem pertinet tragœdia Anthemii etiam Constantinop. Episcopi qui ab Agapito sede dejectus est, et in locum ejus substitutus Menas; ac preces et minæ Theodoræ Augustæ apud Silverium et Virgilium Pontifices pro restitutione Anthemii. Postremo Canon ille Nicæni concilii, de quo tanta inter Africanos et Romanos Episcopos fuit controversia; quem tamen genuinum esse constat ex epistolis Felicis, Julii et Zozimi Romanorum Pontificum; et quæ pene ad unum omnes primi illi Romani Pontifices martyres habent, de appellatione episcoporum ad sedem Romanam. BALUZ.

*Reponi in episcopatum.* Recte ex hoc loco collegit Baronius, antiquissimum in Ecclesia usum esse, ut ex remotissimis orbis partibus episcopi, qui se injusta perpessos esse a collegis suis crederent, provocarent ad Romanum tamquam primarium Ecclesiæ universalis antistitem. Vide Marcam lib. I *de Concordia*, cap. 10, et Pamelium in annotationibus ad hanc Cypriani Epistolam. Futilia sunt quæ heic adversus Pamelium scripsit Goulartius. BALUZ.

*Jure depositus.* Antea legebatur *juste.* Quæ sane lectio optima est. Verum cum *jure* scriptum sit in codice Veronensi, in quidecim vetustis exemplaribus nostris, et in septem Anglicanis, et Morellius ita quoque posuerit, non credidi rejicere *mi debere* lectionem quæ tot auctoritatibus nititur. Videtur autem differentia inter hæc duo vocabula posuisse auctor panegyrici Flaviensium Constantino dicti. Ait enim : *Fecisti ut quod poteramus jure petere juste obstinuisse videamur.* BALUZ.

*Delictis gravibus involutus.* Principio Epistolæ dixit : *Nefandorum facinorum conscientia vinctos.* Mox dicet, *Gravibus delictis implicatos.* Et alibi, *Conscientiam multis delictorum laqueis vinctam.* RIGALT. a Fello allatus.— Ita quatuordecim libri veteres et editiones Erasmi et Morellii. At antiquiores editiones et sex libri veteres habent *gravique involutus crimine.* BALUZ.

VI.—*Et ut Felix.* Non sane improbanda est interpretis Anglici conjectura, existimat enim ille in locum Martialis successorem fuisse hunc Felicem, qui missus cum Sabino Basilidis successore episcopus hic dicitur. ROUTH.

*Felix de Cæsaraugusta.* Hinc Baronius collegit il-

Digitized by Google

ac defensor veritatis litteris suis significat [a], Basilides et Martialis nefando idololatriæ libello contaminati sint, Basilides adhuc insuper, præter libelli maculam, cum in infirmitate decumberet, in Deum blasphemaverit et se blasphemasse confessus sit, et episcopatum pro conscientiæ suæ vulnere sponte deponens ad agendam pœnitentiam conversus sit, A Deum deprecans, et satis grátulans si sibi vel laico communicare contingeret. Martialis quoque præter gentilium turpia et lutulenta convivia [b] in collegio diu frequentata et filios in eodem collegio exterarum gentium more apud profana sepulchra depositos et alienigenis consepultos, actis etiam publice habitis apud procuratorem ducenarium obtemperasse se ido-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Significant *Bod.* 2. Significavit *Lam. Ebor. Bod.* 1. *NC.* 1.

[b] Temulenta convivia *Lam. Ben. Ebor. Bod.* 2. *Lin. NC.* 1.

## VARIORUM NOTÆ.

lum fuisse episcopum Cæsaraugustanum; ejusque sententiam amplexi sunt scriptores rerum Arragonensium. Sed illam graviter exagitat Franciscus Bivarius in commentariis suis ad chronicon Dextri, et contendit hunc Felicem non fuisse episcopum, sed presbyterum Vallatæ Urbicuæ in Vaccæis, argumento sumpto ex eo chronico. Sane certum est Felicem non vocari episcopum a Cypriano. Sed ex modo scribendi Cyprianico facile et proclive est existimare illum ea dignitate decoratum fuisse. Nam episcoporum qui concilium cum Cypriano celebrarunt apud Carthaginem dignitates non recenset notarius qui acta conscripsit, sed tantum nomina eorum et urbium quibus illi præsidebant, hoc modo (pag. 92.): *Cæcilius a Bilta, Primus a Misgirpa, Polycarpus ab Adrumeto*, et sic de cæteris. Itaque licet Cyprianus scripserit tantum *Felix de Cæsaraugusta*, silentium ejus non probat Felicem non fuisse episcopum. Una res difficultatem mihi videtur habere, quomodo episcopus Cæsaraugustanus potuerit scribere ad Cyprianum de causa Basilidis et Martialis, cum vicinus eorum non esset, quippe longo intervallo ab eis sejunctus, neque probabile sit Sabinum et Felicem, qui brevi compendio poterant trajicere in Africam, profectos esse ad ultimos Hispaniarum fines, ut per montes Pyrenæos irent ad Cyprianum. Si verum esset quod in sermone de sancto Laurentio dixit sanctus Vincentius Ferrarii sanctum Xystum Papam vadentem ad celebrandum concilium Toletanum, transisse per Cæsaraugustam, istud confirmare fortassis posset iter Sabini et Felicis per Cæsaraugustam. Sed istud non aliunde constat quam ex sermone sancti Vincentii. Jam quod de Vallata Urbicua istic ex Dextro refert Bivarius, id vero vanum est, uti et illud quod ait apud Cyprianum pro *Cæsaraugusta* legi debere *Vallata Urbicua*, quam locat non longe ab Asturica. Nimia miseria est audacem esse hominem nimis.

BALUZ.

*Lutulenta convivia.* Ubi de Idolothytis vesci oportebat, nec sine libatione ad profana numina bibere licuit. FELL. — Ex canone Ancyrani concilii septimo punichantur etiam Christiani illi, qui ejusmodi convivia publica obierint, quamvis cibos suos, quibus ipsi vescerentur domi, attulissent. ROUTH.

*In collegio.* Ita omnes libri veteres et editiones omnes Pameliana antiquiores. Pamelius ergo mutavit ex unico codice Anglicano et posuit *et collegia*. Quod miror retentum fuisse in posterioribus editionibus. BALUZ. — Præter pontificum, Fratrum arvalium, Potitiorum, Augurum collegia, et alia id genus, quæ Ethnicam idololatriam proxime spectabant, plurima fuerunt quæ ad reipub. administrationem, ad negotiationes et artificia pertinuere, quæ quidem omnia sub tutela alicujus profani numinis collocabantur; et proinde, fieri non potuit, ut quis illis interesset quin cultus istius fieret particeps. FELL.

*Apud profana sepulchra.* Rigaltius ait: « In iis vero sepulchris erant plurima quæ ad ritus ethnicos pertinebant, quibus communicare et contaminari videbantur, qui mortuos suos illic deponebant: et hoc solo B participes idololatriæ fuisse dicebantur. Sed et minime conveniebat christianæ charitati unitatique ecclesiasticæ, fratrum defunctorum corpora sepulchris inferre hostium nominis Christiani; quasi ipsi defuncti, tum maxime cum morerentur, extra Ecclesiam fuissent. Jure igitur christiana fraternitas Ethnicorum collegia despuebat, ut pestifera; eorumque sepulchra ut conditoria mortuorum. Etenim fideles habuere sua κοιμητήρια, dormientium videlicet, in spem resurrectionis ac beatitatis æternæ. Hujusce autem spei pignus illis fuit Christus, qui depositus in sepulchro revixit surrexitque. Ac mulieribus Dominum in sepulchro quærentibus obviam factus angelus dixit, Οὐκ ἔστιν ὧδε, *Non est hic.* Qui sane titulus tanto magnificus et gloriosus, quanto dispar vulgatis illis tumulorum inscriptionibus, HIC SITUS EST, HIC JACET. » Hæc Rigaltius. Porro, quemadmodum a pluribus observatum, quod omnis fere gentium religio, mortuorum fuit cultus, ita vix aliqua ex parte magis ethnica superstitio se exercebat, quam in cura pro mortuis, hinc sacrificiis, iisque non raro humanis, C Dii inferi sollicitandi, et placandi Manes; hinc tonsi crines, quæsita calvities, et incisa corpora mortuorum causa, de quibus agitur Deut. XIV, 1. FELL.— Verba illa *exterarum gentium more*, et *alienigenis*, de gentilibus vulgo ita nominatis, extra Ecclesiam positis, alienisque a sacris Christianis, interpretanda videntur. ROUTH.

*Apud procuratorem ducenarium.* Extra curas exercitus et negotia belli, circa Principem Romanum fuit militia duplex: litterata, quæ scriniis operam dabat; actuosa, quæ rebus agendis erat occupatissima. Illi magistriani dicebantur, et ex eorum schola Ducenarii et Centenarii, sive Sexagenarii, qui fiscales pecunias exigebant, a numero pecuniarum quas in stipendium accipiebant, nuncupati, Dio lib. LIII, ubi de procur. Cæs.: καὶ τοῖς γε ἐπιτρόποις καὶ αὐτὸ τὸ ὄνομα ἀπὸ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν δεδομένων αὐτοῖς χρημάτων. Capitolinus in pertinace: *Ad ducenum sestertiorum stipendium translatus in Daciam.* Vetus inscriptio: D PROCURATOR AUGUSTI PROVINCIÆ BÆTICÆ AD DUCENA ACCIPIENDA. Apuleius, Milesiavii: *Procurator Principis ducenaria perfunctus.* Natio valde infesta Christianis. Etenim per occasionem officii sui omnia minima maxima quæ in provinciis agerentur renuntiabant. Itaque ab iis sæpe vexati confessores Christiani nominis, nisi pactione turpi vexationem redimerent, sicut ab isto Martiali factum innuit Cyprianus. Titulus est lib. X Cod., de exactionibus tributorum, ubi Constantinus Imp. vetat Ducenarios aliquem ex debitoribus convenire prinsquam a tabulario civitatis nominatim breves accipiant debitorum, et l. seq. *Nemo carcerem*, inquit, *plumbatarumque verbera, aut pondera, aliaque ab insolentia judicum reperta supplicia in debitorum solutionibus expavescat.* Et apud Eusebium legitur Epistola Synodi Antiochenæ ad Dionysium Romæ, et Maximum Alexandriæ episcopos, qua patres Antiocheni tantam in Paulo Samosateno fuisse superbiam notant, ut Ducenarius aliquis haberi debuerit magis quam episcopus, adeo prave et

Digitized by Google

Iolatriæ et Christum negasse contestatus sit, cumque alia multa sint et gravia delicta quibus Basilides et Martialis implicati tenentur [a], frustra tales episcopatum sibi usurpare conantur, cum manifestum sit [b] ejusmodi homines nec Ecclesiæ Christi posse præesse nec Deo sacrificia offerre debere; maxime cum jampridem nobiscum et cum omnibus omnino episcopis in toto mundo constitutis etiam Cornelius collega noster sacerdos pacificus ac justus, et martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreverit ejusmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem cleri atque sacerdotali honore prohiberi.

VII. Nec vos moveat, fratres dilectissimi, si apud quosdam in novissimis temporibus aut lubrica fides nutat, aut Dei timor [c] irreligiosus vacillat aut pacifica concordia non perseverat. Prænuntiata sunt hæc futura in sæculi fine, et Domini voce atque Apostolorum contestatione prædictum est deficiente jam mundo, atque appropinquante antichristo, bona quæque deficere, mala vero et adversa proficere.

VIII. Non sic tamen, quamvis novissimis temporibus, in Ecclesia Dei aut evangelicus vigor cecidit, aut Christianæ virtutis [d] aut fidei robur elanguit [e], ut non supersit portio sacerdotum quæ minime ad has rerum ruinas et fidei naufragia succumbat, sed fortis et stabilis honorem divinæ majestatis et sacerdotalem dignitatem plena timoris observatione tueatur. Meminimus et tenemus, succumbentibus licet et cedentibus cæteris Mathathiam (I *Mach.* II, 19, 20), legem Dei vindicasse fortiter. Heliam (III *Reg.* XIX, 10), Judæis deficientibus [f] atque a religione divina recedentibus, stetisse et certasse sublimiter; Danielem (*Dan.* VI, 10, 21, 22.) nec solitudine [g] regionis alienæ nec persecutionis assiduæ infestatione deterritum frequenter ac fortiter gloriosa [h] dedisse martyria tres item pueros nec annis nec minis fractos contra

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Implicati teneantur *Lam. Ebor. NC.* 1.
[b] Manifestius sit *Bod.* 1, 2. *Ebor. Lam. Lin. NC.* 1, 2.
[c] *Sic Imp.* Apud irreligiosos *Foss. Oxon.*
[d] Christiana virtus *Lin. NC.* 2.
[e] Vigor languet *Ver.* Timor *Corb.*
[f] Deficientibus stetisse *Lam. Lin. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1.
[g] Solitudine *Bod.* 1, 2. *Lam. NC.* 1. *Lin. Ebor.*
[h] Gloriose *Lam. Lin. Ebor. NC.* 1, 2. *Foss. Vict. Corb.*

## VARIORUM NOTÆ.

insolenter circa omnem fraternitatem satagebat. Verba Synodi, Historiæ Ecclesiasticæ lib. VII, cap. 30, sic habent: Καὶ οὕτως ὑψηλοφρονεῖ καὶ ὑπερῆται κόσμικα ἀξιώματα ὑποδυόμενος, καὶ δουκηνάριος μᾶλλον ἢ ἐπίσκοπος θέλων καλεῖσθαι, καὶ σοβῶν κατὰ τὰς ἀγορὰς. καὶ ἐπιστολὰς ἀναγινώσκων καὶ ὑπαγορεύων, ἅμα βαδίζων δημοσίᾳ, καὶ δορυφορούμενος, etc. Horce igitur hominum genus valde molestum, adeoque odiosum passim et invisum plerisque, ut etiam Circitorum et Curiosorum, sed præsertim Christianis, qui sæpissime talium officiorum crudelitate comprehensi ad potestates rapiebantur. Eulogius archiepiscopus Alexandrinus libro *de Disciplina Ecclesiastica adversus Novatum*, mentionem facit commentarii cujusdam Novatiani, cujus hanc fuisse hypothesin referi, Ὅτι βασιλεύοντος Ῥωμαίων Δεκίου καὶ Οὐαλεριανοῦ, Περέννιος Δουκηνάριος πρόσταγμα λαβὼν παρ' αὐτῶν, πάντας τοὺς ἀνὰ τὴν Ῥώμην καὶ τὰς πέριξ ἐπαρχίας χριστιανοὺς βαουτάταις βασάνοις καὶ πικραῖς τιμωρίαις εἰδωλολατρεῖν ἐβιάζετο, καὶ πολλοὶ μέν καὶ ἄλλοι ἐνεδίδουν τῇ βίᾳ, etc. Videantur quæ de Beneficiariis et Curiosis ad Tertullianum observavimus, et quæ ad ultimam Cypriani Epistolam, de Frumentariis, sed imprimis quæ ad Capitolini Pertinacem, Salmasius. Rigalt. a Fello allatus. — Plura de ducenariis erudite dicta reperies in observationibus Rigaltii. Vide etiam notam marginalem Beati Rhenani ad epistolam synodi Antiochenæ apud Rufinum lib. VII, cap. 26, et Josephum Scaligerum ad Manilium. Joannes Calvinus in lexico juridico, in verbo *Ducenarii*, citat epistolam quartam libri primi sancti Cypriani, quæ est hæc nostra, in qua ait extare hæc verba: *Neque ut ille superbierit, sublatusque fuerit mundanis dignitatibus, ducenarius potius quam episcopus vocari volens.* At ego ista neque in editionibus inveni neque in libris veteribus. Baluz.— Verba spectant ad locum modo adductum a Rigaltio ex *epistola Antiochenorum* a Baluzio item commemorata, et cujus pars extat in vol. II supra ad pag. 479, ubi notam videsis. Routh.

*Et martyrio quoque dignatione Domini honoratus* Finge, sicca morte, non cruenta, affectum fuisse Cornelium, postquam Dominum confessus esset, prout censet Pearsonius in *Annall. Cypr.* ad an. 252, § 13, vetustissimi *Catalogi* auctore allato, cujus verba sunt in *Cornelio: Post hoc Centumcellis expulsus, ibi cum gloria dormitionem accepit;* tamen vir magnus minus recte hoc quidem innuisse videtur, Cornelio mortem cruentam adscripsisse posteriores magis quam Hieronymum, in libro *De Viris Ill.* dicentem, *ob Christum martyrio coronatum fuisse Cornelium;* nam in *Vita Pauli Eremitæ* ab eodem Hieronymo conscripta hæc verba exstant ad pag. 240 ed Froben.: *Cornelius Romæ, Cyprianus Carthagine, felici cruore damnati sunt.* Porro, quamquam, ut verum proferam, in *Epist.* sua LXVII vel LXVIII Cyprianus Lucium Cornelii successorem, qui similiter in exilium actus non in *Martyrum Catalogo*, sed in *Depositione* seu sepulchra *Episcoporum* invenitur, *beatum martyrem* commemorato simul Cornelio appellaverit, eorum tamen sententiam magis amplectendam puto, propter Hieronymi testimonium, qui gladio imperatorio occisum esse Cornelium statuerint. Cornelii itidem *venerandum cruorem* memorat Maximus episcopus sæculo quinto Taurinensis, in *Sermonibus* suis, quos primus edidit Muratorius. Vide Serm. 4 p. 46 tomi quarti *Anecdott. Ambrosianæ Bibliothecæ.* Et *decollatus est Cornelius*, ait quidem Anastasius Bibliothecarius in *Vitis Pontif. Rom.* p. 10. ed. Mogunt. sed, quod vetera fecerunt Martyrologia, ex actis quæ adulterina videntur. Routh.

VII.—*Dei timor irreligiosus.* Ex uno tantum codice scripto posuit Fellus, *Dei timor apud irreligiosos*, dum impressos habere ait, quod vides esse receptum. Sed in *veteri* quoque *Romana* atque Erasmi editionibus *apud irreligiosos* extare invenio. Silet Baluzius altera lectione retenta. Cum vero ad finem epistolæ habeas, *religioso timore*, qui locus huic ipsi lucem affundit, nonne ergo legendum est: *Dei timor religiosus?* Routh.

VIII —*Nec annis.* Duo libri veteres et antiquæ editiones præferunt *armis.* Sed hanc lectionem rejecit Pamelius, quia ipsi constabat regem Nabuchodonosorem nullis armis aggressum esse tres pueros, et posuit *annis* ex fide quinque veterum exemplarium, quam lectionem ego quoque reperi in viginti ex nostris. Unus meus vetus habet *caminis.* Atque ego eam

Digitized by Google

ignes Babylonios fideliter obstitisse et victorem [a] regem in ipsa sua captivitate vicisse. Viderit vel prævaricatorum numerus vel proditorum qui nunc in Ecclesia contra Ecclesiam surgere et fidem pariter ac veritatem labefactare cœperunt. Permanet apud plurimos sincera mens et religio integra, et non nisi Domino et Deo suo anima devota, nec christianam fidem aliena perfidia deprimit ad ruinam, sed magis excitat et exaltat ad gloriam, secundum quod beatus apostolus Paulus hortatur et dicit (*Rom.* III, 3, 4) : *Quid enim si exciderunt a fide quidam eorum, numquid infidelitas illorum fidem Dei evacuavit? Absit. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax.* Si autem omnis homo mendax est et solus Deus verax, quid aliud servi, et maxime sacerdotes Dei, facere debemus nisi ut humanos errores et mendacia relinquamus, et præcepta dominica custodientes in Dei veritate maneamus?

IX. Quare [b] etsi aliqui de collegis nostris extiterint, fratres dilectissimi, qui deificam disciplinam negligendam putant et cum Basilide et Martiale temere communicant, conturbare fidem nostram resista non debet, cum Spiritus sanctus in psalmis talibus comminetur dicens (*Psal.* XLIX, 17, 18) : *Tu autem odisti disciplinam, et abjecisti sermones meos retro. Si videbas* [c] *furem, concurrebas ei, et cum adulteris portionem* [d] *tuam ponebas.* Consortes et participes ostendit eos alienorum delictorum fieri qui fuerint delinquentibus copulati. Sed et hoc idem Paulus apostolus scribit et dicit : *Susurratores, detractores, abhorrentes Deo, injuriosi, superbi, jactantes sui, adinventores malorum, qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt morte sunt digni, non tantum qui faciunt ea* [e], *sed et qui consentiunt eis qui hæc agunt : quoniam qui talia*, inquit, *agunt, morte sunt digni* (*Rom.* I, 30, 31, 32). Manifestat et comprobat morte dignos esse et ad pœnam venire, non tantum illos qui mala faciunt, sed etiam eos qui talia agentibus consentiunt, qui dum malis et peccatoribus et pœnitentiam non agentibus illicita communicatione miscentur, nocentium contractibus polluuntur, et dum junguntur in culpa, sic nec in pœna separantur. Propter quod integritatis et fidei vestræ religiosam sollicitudinem, fratres dilectissimi, et laudamus pariter et probamus; et quantum possumus adhortamur litteris nostris, ne vos cum profanis et maculatis sacerdotibus communicatione sacrilega misceatis, sed integram et sinceram fidei vestræ firmitatem religioso timore servetis. Opto vos, fratres charissimi, semper bene valere.

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Victores *Lin. NC.* 2.
[b] Qua in re *Lam. Ebor. NC.* 1.
[c] Si videris *Bod.* 1.
[d] Adulteris partem *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *Lin. NC.* 1, 2, *Thu.*
[e] Faciunt mala, sed et consentiunt eis *Lam. Ebor. Lin. Thu. Vict. Corb.*

## VARIORUM NOTÆ.

lectionem facile credo esse meliorem, cum dici non possit de pueris aut adolescentibus eos esse senio et annis fractos, et quia vox *caminis* melius congruit cum historia. Quippe certum est Nabuchodonosorem, ut pueros istos commoveret et terreret, multiplicis pœnæ comminatione, minas jactasse, pericula intentasse, denique parari jussisse fornacem sive, ut Sulpitii Severi verbo utar, caminum ignis ardentis in quem conjicerentur. Confirmant hanc meam opinionem verba Cypriani ex epistola LVI, pag. 91, in qua tres pueri non dicuntur annis fracti, sed ætate territi, et minis regis et flammis fortiores extitisse. Itaque retinui eam lectionem, quam puto esse meliorem. Commodius autem erectiusque de hac mea emendatione existimabit judiciumque faciet qui varias istas lectiones sine ullo præjudicio examinaverit. Ita enim me sincerius exploratiusque vel corrigere poterit vel probare. Recte autem dixit Cyprianus *pueros nec caminis nec minis fractos.* Nam Cicero in libro primo Officiorum dixit frangi metu; et Statius, IX Thebaidos, minis frangi. Sunt etiam alia exempla. BALUZIUS. — Ante Pamelium, referente Pamelio ipso, exstabat illud *nec annis* in *editione Manutii*; immo in *editione* Cypriani vere principe, seu *Romana.* Porro in *edit. Oxon.* nulla memoratur lectionis varietas. Baluzio tamen istud *nec caminis* editioni suæ reponenti, quæ quidem vox *caminus* in *Oratione Puerorum* ad regem apud Danielem invenitur, forsitan consensissem, nisi obstarent res duæ, primum ordo præposterus verborum, *nec caminis nec minis fractos*, deinde verba ipsa Cypriani, quæ a viro cl. adducta sunt : *Imitemur pueros, Ananiam, Azarium, et Misahelem, qui nec ætate territi, nec captivitate fracti, Judæa devicta et Hierosolymis captis, in ipso regno suo regem fidei virtute vicerunt, et minis regis et flammis fortiores extiterunt.* Et alibi quoque, si bene memini, apud Cyprianum ex tenera horum confessorum ætate ducitur ad fortitudinem adhortativum argumentum. Itaque lectionem prius receptam *nec annis*, h. e. juvenilibus annis, revocavi, quam quidem lectionem nixus fide unius tantum codicis cum altera *nec caminis* idem Baluzius mutaverat. ROUTH.

IX. — *Adulteris portionem tuam.* Codex Fuxensis, *mœchis.* Supra, epist. LXIII, pag. 110 : *Et inter mœchos particulam tuam ponebas.* BALUZIUS. — *Particulam* hoc quoque loco *editio* habet *Manutii. Partem* pro *portionem* octo codd. scripti in *edit. Oxon.* nominati. ROUTH.

*Non intellexerunt.* Consentit Cyprianus lectioni illorum codicum qui habent οὐκ ἐνόησαν; et deinceps οἱ αὐτὰ ποιοῦσι, et οἱ συνευδοκοῦσι. FELLUS. — Ea quæ istic Pamelius ait non reperiri in veteribus manuscriptis ego reperi in quindecim. BALUZIUS. — Vulgo legitur ἐπίγνοντες; sine particula negativa apud *Apostolum* verba repetentem. ROUTH.

*Nocentium contractibus polluuntur.* Pacianus, epist. III : *Rejicere nocentes, attactus peccantium fugere.* RIGALTIUS.

*Opto vos.* Duo libri veteres et editio Morellii habent *Optamus.* Utraque lectio bona est propter rationes alibi allatas in simili occasione, pag. 595. BALUZIUS. Scil. ad *Epist. Cypriani* VI, ubi ad lectiones *opto vos*, et *opto te*, ab eo hæc sunt adnotata : « Tametsi epistola scripta sit ad plures, præcipue tamen et nominatim scripta est ad Rogatianum personam illustrem. Et ideo Cyprianus finem ei opponens, clausulam valedictoriam, ut solet, ad eum dirigere potuit. » Ante Morellium exhibebat *optamus vos* Erasmus. Sed in *epistola Synodali* proxime sequente, ubi legitur *optamus*, vetus *Romana edit.* sicut hic, habet *opto.* Nimirum ita interdum ponitur clausula per compendia, Op. V. F. CH. S. B. V.



Digitized by Google

ANNO CHRISTI CCLV. S. STEPHANI III.

## CARTHAGINENSE CONCILIUM SUB CYPRIANO QUINTUM, DE BAPTISMO PRIMUM.

(Erasm. 1, 12; Pamel. Rigalt. Baluz. LXX; Oxon. Lips. LXX; Paris. LXIX; Routh. Rell. Scr. p. 84 et 155.)

### PROŒMIUM.

Postquam in Africana ecclesia Agrippino, vel etiam Tertulliano auctore, usus rebaptizandi eos qui ab hæreticis baptizati erant, jam diu antehac frequentatus fuisset, eamque Novatianus, ut saltem hoc modo lapsos, quos immundos esse docebat, per Baptismum ab omni sua immunditia ablutos in Ecclesiam reciperet, æmulatus fuisset; Magnus, homo laicus, occasione Novatianorum, eamdem tunc temporis baptizandi formam ac ritum cum Catholicis observantium, dubitavit primus, an ad Ecclesiam revertentes rebaptizari deberent, quos a Novatianis baptizatos esse scirent. Ex episcopis primi reperiuntur fuisse Numidæ, qui de iterando hæreticorum Baptismate ad Cyprianum aliosque episcopos, ad synodum hanc Carthagine coactos, litteras conscripserunt. Prima igitur synodica hac de re consultatio, anno 258 [a], Valeriani et Gallieni imperatorum 4, habita hæc est, ut Cypriani Epistola 73. ad Jubaianum ostendit, in qua cum ex Africanis alii, juxta Apostolicam traditionem sentirent non esse rebaptizandos eos qui legitime ab hæreticis baptizati sunt: alii vero contra existimarent, unum Baptismum dumtaxat esse unius Ecclesiæ, ideoque apud hæreticos qui extra Ecclesiam sunt, Baptismum A verum et catholicum esse non posse; hac inquisitione prævia, tandem definitum est, cum unum sit in sancta Ecclesia Baptisma, neminem foris extra Ecclesiam baptizari posse: traditionem Apostolorum male interpretantes, male etiam loquentes universaliter constringentes, addiderunt, ut ex epistola 71 Cypriani ad Quintum constat, illos qui a Catholicis rite baptizari ad hæreticos defecissent, non per Baptismum, sed per solam manuum impositionem recipiendos esse, si ad Ecclesiam redire contendant. Baron. anno Christi 258, num. 17 usque ad 26 inclusive. Quibus omnibus ita constitutis, Januario cæterisque Numidiæ episcopis sententiam ac definitionem hujus synodi, prout ipsi per litteras ad synodum scriptas expetiverant, hac synodica epistola, quam infra ex Cypriano B hic subjecimus, significarunt.

CYPRIANUS, LIBERALIS, CALDONIUS, [b] JUNIUS, PRIMUS, CÆCILIUS, POLYCARPUS, NICOMEDES, FELIX, MARRUTIUS, SUCCESSUS, LUCIANUS, HONORATUS, FORTUNATUS, VICTOR, DONATUS, LUCIUS, HERCULANUS, POMPONIUS, DEMETRIUS, QUINTUS, SATURNINUS, MARCUS, ALIUS SATURNINUS, ALIUS DONATUS, ROGATIANUS, SEDATUS, TERTULLUS, HORTENSIANUS, ITEM ALIUS SATURNIUS, SATTIUS, [c] JANUARIO, SATURNINO, MAXIMO, VICTORI, ALIO VICTORI, CASSIO, PROCULO, MODIANO, CITTINO, GARGILIO, EUTYCIANO, ALIO GARGILIO, ALIO SATURNINO, NEMESIANO, NAMPULO, ANTONIANO, ROGATIANO, HONORATO FRATRIBUS SALUTEM.

C I. Cum simul in concilio essemus, fratres charissimi,

### LECTIONES VARIANTES.

[a] *Al.* 256.
[b] *Sic Bod.* 1. *Ebor. Lin. NC.* 1, 2. *Benev. Vet. Impr. Erasm. Morel. Desunt in Rig.*
[c] Jubaiano *Ebor. Lin. NC.* 1. *Ben.*

### VARIORUM NOTÆ.

CONCIL. CARTHAG. V.—*Anno* CCLV. Hoc Concilium, præeunte Pearsonio in *Annal. Cyprian.* anno 255 post Christum apposui. Variatur enim de tempore hujus atque cæterarum Cyprianicarum synodorum in *Conciliis impressis.* Cæterum de synodo ipsa ita scribit Cyprianus in initio *Epistolæ ad Quintum. Retulit ad me, frater charissime, Lucianus compresbyter noster te desiderasse, ut significaremus tibi quid sentiamus de his qui apud hæreticos et schismaticos baptizati videntur. De qua re quid nuper in Concilio plurimi coepiscopi cum compresbyteris qui aderant censuerimus ut scires, ejusdem Epistolæ exemplum tibi misi.* Hæc ille. Postea vero ad Stephanum quoque Romanum et ad Jubaianum D easdem hasce synodales misit litteras Cyprianus, una cum ipsa illa ad Quintum epistola, quod quidem constat ex epistolis ad eumdem Stephanum et Jubaianum. ROUTH.

*Januario.* Multum hic inter se discrepant libri veteres. Inquibusdam enim hic homo vocatur Jubaianus, Juvaianus, Jubianus, Juvianus, Jovianus, ut apud Zonaram et Balsamonem. Julianus, Januarius. Ego, cum hæc discrepantia nullus nunc sit momenti, retinui lectionem vulgo receptam. Interim admonendum est inscriptionem hanc esse in codice Thuano: *Incipit ad Jubaianum liber secundus.* In uno meo veteri: *Incipit ad Jubaianum epistola tertia de his ipsis*, id est de lapsis. BALUZ.

I. — *Cum simul in concilio.* Græculus interpres, ἐν κοινοβουλίῳ Epistola hæc in Codice synodico Græcæ Ecclesiæ, concilio Carthaginiensi sub Cypriano habito præfigitur, et quasi illius canon perhibetur; quem episcoporum suffragia, quæ eum tanquam ἐνθυμήματα sive ἐπιχειρήματα, ut ait Zonaras, varie illustrarunt, sequebantur. Balsamo et Zonaras, litteris istis Jubaiano responsum fuisse redditum asserunt, eo quod illius mentionem factam in Cypriani proloquio observassent; quamquam et codices mss. latini plurimi, suffragia hac in re perhibent. Sed perpetui hospites in occidentalium rebus fuerunt orientales, nec quidem rectius epistolam ipsam in Græcum sermonem transtulere, quam de scripti occasione et origine senserunt. Interea vero dicendum, quod siquidem hæc epistola erat synodica, et hæreticorum Baptisma damnabat pariter cum illa synodo quæ sequebatur LXXXVII episcoporum, merito in pandectas conciliorum recipiebatur; et ita ad Orientales, qui diversarum synodorum diversis temporibus habitarum decreta pro ejusdem placitis accipiebant, errore non admodum damnoso, fuerat transmissa. Porro notandum omnes synodos Africanas sub Cypriano, a concilio sexto Generali in Trullo fuisse confirmatas can. 2. FELLUS.

Quod ad canonem attinet concilii Sexti Generalis, verba Patrum sunt, ἐπισφραγίζομεν δὲ καὶ τοὺς λοιποὺς πάντας ἱεροὺς κανόνας τοὺς ὑπὸ τῶν ἁγίων καὶ μακαρίων πατέρων ἡμῶν ἐκτεθέντας, τοῦτ' ἔστιν τῶν τε ἐν Νικαίᾳ, etc. Deinde post nominata reliquorum conciliorum et Patrum decreta pergunt, sed caute, scribere, ἔτι μὴν καὶ τὸν ὑπὸ Κυπριανοῦ τοῦ γενομένου Ἀρχιεπισκόπου τῆς Ἀφρων χώρας καὶ μάρτυρος, καὶ τὸς κατ' αὐτὸν Συνόδου ἐκτεθέντα κανόνα, ὃς ἐν τοῖς τῶν προειρημένων προέδρων τόποις, καὶ μόνον, κατὰ τὸ παραδοθὲν αὐτοῖς ἔθος ἐκράτησεν. Can. II. *Canonibus* quoque, qui *Apostolici* vocantur, 46 et 47, hæreticos denuo bap-

Digitized by Google

legimus litteras vestras quas ad nos fecistis [a] de iis qui apud hæreticos et schismaticos baptizati videntur, an ad Ecclesiam catholicam, quæ una et vera est, venientes baptizari debeant. De qua re quamquam et ipsi illic veritatem et firmitatem catholicæ regulæ teneatis, tamen quoniam consulendos nos pro communi dilectione existimastis, sententiam A nostram non novam promimus, sed jampridem ab antecessoribus nostris statutam et a nobis observatam vobiscum pari consensione [b] conjungimus (*vid. not.*), censentes scilicet et pro certo tenentes neminem foris baptizari extra Ecclesiam posse, cum sit Baptisma unum in sancta Ecclesia constitutum, et scriptum sit, Domino dicente (*Hier.* II, 13) : *Me derelinquerunt*

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Quas fecistis *Bod. 1. Lam. Thu. Fost. Corb. Vict.*

[b] Pari confessione *Corb.*

## VARIORUM NOTÆ.

tizandos esse jussum est. Sed rursus tingendi illos quidem hæreticos disciplina, qui in nomine sacræ Triadis baptizati essent, neque ante neque post tempus conciliorum horum Africanorum majori parti Ecclesiarum placuit. Testes sunt temporum paulo his conciliis vetustiorum ipse quoque Cyprianus et coepiscopi ejus, qui tot locis consuetudini se adversari fatentur. Ait ipse etiam Firmilianus in *Epistola ad Cyprianum* suum : ... *Quod quidem adversus Stephanum vos dicere Afri potestis, cognita veritate, errorem vos consuetudinis reliquisse*, p. 149. Hoc præsul Cæsareæ Cappadocum ; qui statim post gloriatur se suosque Asiaticos *veritati et consuetudinem jungere, et consuetudini Romanorum consuetudinem, sed veritatis, opponere ; ab initio quidem hoc tenentes quod a Christo et ab Apostolis traditum est.* Sed tamen Harduino haud assentiendum videtur, qui S. Hieronymi auctoritate fretus concilium in Africa his Cyprianicis in indice suo conciliorum superinduxit, in quo *illi ipsi episcopi* (verba Hieronymi sunt *adversus Luciferianos*, p. 117 ed. Froben.) *qui rebaptizandos hæreticos cum eo* (Cypriano) *statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti novum emisere decretum.* Nam, et recte, monuerunt contra Hieronymum cum multi alii tum Basnagius, *Annal.* vol. II, p. 386, ad Arelatense concilium usque, regnante Constantino M. Afrorum viguisse disciplinam, testem esse ipsam illam synodum, can. VIII : *De Afris, quod propria lege sua utuntur ut rebaptisent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum; et si perviderint eum in Patre et Filio et Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum.* Porro, si tale unquam concilium exstitisset, certo certius Augustinus in Responso suo, in lib. VI et VII, *contra Donatistas*, post singulas, quas affert, sententias Patrum, qui in concilio Africano tertio de Baptismo interfuerant, de retractata ipsorum opinione ad omnem versum nonnihil ingereret perstitisset. ROUTH.

*Ad nos.* Mirum est has voces, quæ propagatæ sunt ex editione Erasmi, desunt enim in aliis editionibus, non reperiri nisi in tribus antiquis exemplaribus, quamvis hanc epistolam contulerim cum viginti sex. Desunt ergo in Turonensi, in uno Remigiano, et in Beccensi. BALUZIUS. — Voluit dicere Baluzius : *Exstant ergo*, non *desunt ergo*. In pluribus autem scriptis hæc Fellus invenit. ROUTH.

*Quæ una et vera est.* Ita restituimus hanc locum ex fide quatuor veterum librorum. BALUZIUS. — Vulgo, *quæ una est.* ROUTH.

*Antecessoribus nostris.* Agrippino videlicet et aliis, quos septuaginta fuisse scribit sanctus Augustinus, uti monuimus ad epistolam nonam pag. 396 Vide etiam notas ad Epistolam LXXIII. BALUZIUS. — Nihil habet ibi Baluzius de Agrippini tempore, quod quidem plerisque videtur ignotius esse, quam ut certi aliquid de eo a se statuatur. Nam qui Cypriano sunt in *Epistola* sua LXXIII, sive *ad Jubaianum, multi anni et longa ætas*, eos, *paucos ante Cyprianum annos* appellat Augustinus lib. IV *Contra Donatist.* cap. 6. Attamen jam diu apud Afros invaluisse opinionem de validitate Baptismi hæreticorum, ostendit Tertullianus, adhuc catholicus, in libro suo *De Baptismo*, ubi iisdem fultus rationibus quas nobis inculcat Cyprianus, B improbat eum, atque pro irrito habet. Vid. cap. 15. Immo vero in Geographia Africæ Sacra *S. Optato* a cl. Dupinio præfixa post verba Tertulliani ad p. XXX allata, *Circa hæreticos sane quid custodiendum, digne quis retractet? ad nos enim editum est;* per eadem verba designari ait se haud dubitare vir doctissimus decretum Agrippini contra hæreticorum Baptisma ; indeque et ex Cypriani verbis colligit, videri Agrippinum, non tertio, ut vulgo putant, sed sub finem secundi Ecclesiæ sæculi Carthagine sedisse. Neque ætatem Agrippini diverse constituerat Fellus ad locum illum *Epistolæ ad Jubaianum*, p. 199. Cæterum in *Epistola ad Quintum*, quæ est de hæreticis baptizandis, Cypriani hæc sunt ad Agrippini aliorumque decretum pertinentia : *Quod quidem et Agrippinus bonæ memoriæ vir cum cæteris coepiscopis suis, qui illo in tempore in provincia Africa et Numidia Ecclesiam Domini gubernabant, statuit et librato consilii communis examine firmavit.* P. 127, ed. Benedictin. ROUTH.

*Pari consensione conjungimus.* Fortasse vel legendum C est *conjuncti* pro *conjungimus*, claudicat enim oratio, vel posita finali distinctione post voces illas, *et a nobis observatam, conjungimur* est reponendum. ROUTH.

*Extra Ecclesiam.* Vetus interpretatio in recentiore codice Victorino, *id est extra formam Ecclesiæ. Tamen baptizatur qui a Judæo vel a gentili vel ab hæretico baptizatur, si secundum formam Ecclesiæ baptizet.* Sumptum est istud ex capite *A quodam Judæo* apud Gratianum, dist. 4, de consecratione, ubi Nicolaus Papa I, respondens ad consulta Bulgarorum ait Baptismum esse bonum, quamvis sit collatus ab eo quem non constabat esse Christianum, si collatus sit in nomine sanctæ Trinitatis vel tantum in Christi nomine. Contra Gregorius III, scribens ad Bonifacium archiepiscopum præcipit ut illi denuo baptizentur quos a paganis baptizatos esse constiterit. Refertur illa constitutio lib. VII Capitularium cap. 101, et apud Gratianum cap. *Quos a paganis* eadem distinctione. Vide etiam bullam Eugenii IV, apud Odoricum Raynaldum an. 1439, § 15. D Vide Gerochum Reicherspergensem in tractatu adversus Simoniacos cap. 22, et Algerum scholasticum Leodiensem cap. 52, *de Misericordia et Justitia.* BAL.

*Baptisma unum.* Non tantum eo nomine quod repeti non debet ; sed quia ab Ecclesia proficiscitur quæ nisi una superesse non potest. FELLUS. — Certum est magnam ea tempestate fuisse controversiam inter episcopos ecclesiæ Romanæ et Carthaginensis an hæretici venientes ad Ecclesiam debeant rebaptizari. Initia hujus controversiæ vulgo referuntur ad pontificatum Papæ Stephani. At Rufinus, lib. VII, cap. 2, scribit eam cœpisse sub pontificatu Cornelii. Quod Baronius contendit esse falsum. Sed Baronii sententiam quidam viri docti putarunt non esse veram. Profecto auctoritas Rufini veteris et docti scriptoris non debet rejici absque bonis testimoniis. Potest autem illa confirmari auctoritate epistolæ Cornelii ad Cyprianum, quam descripsi ex duobus antiquis codicibus manuscriptis, quorum unus est in bibliotheca

Digitized by Google

*fontem aquæ vivæ* [a], *et effoderunt sibi lacus detritos qui non possunt aquam portare.* Et iterum divina Scriptura moneat et dicat (*Prov.* IX, 18, *sec.* LXX): *Ab aqua aliena abstine te, et fonte aquæ alienæ* [b] *ne biberis.* Oportet ergo mundari et sanctificari aquam prius a sacerdote, ut possit Baptismo suo peccata hominis qui baptizatur abluere, quia per Ezechielem prophetam Dominus dicit (*Ezech.* XXXVI, 25, 26): *Et aspergam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus immunditiis vestris, et ab omnibus simulacrhis vestris emundabo vos, et dabo vobis* [c] *cor novum et spiritum novum dabo in vobis.* Quomodo autem mundare et sanctificare aquam potest qui ipse immundus est et apud quem Spiritus sanctus non est cum Dominus dicat in Numeris (*Num.* XIX, 22): *Et omnia quæcumque tetigerit immundus immunda erant.* A Aut quomodo baptizans dare alteri remissam peccatorum potest qui ipse sua peccata deponere extra Ecclesiam non potest?

II. Sed et ipsa interrogatio quæ fit in Baptismo testis est veritatis. Nam cum dicimus: *Credis in vitam æternam et remissionem peccatorum per sanctam Ecclesiam?* intelligimus remissionem peccatorum nonnisi in Ecclesia dari, apud hæreticos autem, ubi Ecclesia non sit, non posse peccata dimitti. Itaque qui hæreticos baptizare posse asserunt, aut interrogationem mutent, aut vindicent veritatem, nisi si eis et Ecclesiam tribuunt quos Baptisma habere contendunt. Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate, id est, Unctione, esse unctus Dei et habere in se gratiam Christi possit. Porro autem Eucharistia est unde baptizati unguntur oleo in altari B

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Aquæ vivæ gratis *Bod.* 1 *Foss. Vict. Corb.*
[b] Fonte alieno *Lam. Ebor. NC.* 1.
[c] Dabo in vobis *Bod.* 1. *Thu. Foss. Vict. Mich.*

## VARIORUM NOTÆ.

monasterii sancti Remigii Remensis, alius in bibliotheca illustrissimi et doctissimi viri Joannis Bohierii, præsidis infulati in parlamento Burgundiæ. Edita est autem supra pag. 167. Ubi vero Raphael Volaterranus invenerit Cornelium cessisse Cypriano nondum invenire potui. Cæterum istic annotari potest Armenos, ut tradit Guido de Perpiniano, dixisse quod verum Baptisma solum erat in ecclesia majoris Armeniæ, et non in aliis, propter quod alios ad se venientes C rebaptizabant. BALUZIUS. — Haud germanam esse, sed omnino rejici debere, epistolam istam Cornelii ad Cyprianum a Baluzio primum editam, alibi ostendi ad finem Cornelii Fragment. p 65. ROUTH.

*Lacus detritos.* Λάκκους συντετριμμένους. Vulg. *cisternas dissipatas*, hoc est, rimarum plenas, hac illacque perfluentes. Pacianus, epist. III: *Non consecrata sede contentus, detritum lacum adulterini fontis adamavit.* Hieronymus adversus Luciferianos: *Conatus est et beatus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena, et idcirco hæreticorum Baptisma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ urbis episcopum, qui a beato Petro vigesimus sextus fuit, super hac re Africanam synodum direxit: sed conatus ejus frustra fuit.* RIGALT.

*Aquam portare.* Septuaginta dixerant: ὕδωρ συνίχειν. Apud Balsam. et Zonaram legitur, σύσχειν. Apud Tertull.: *Foderunt sibi lacus contritos, qui non poterant aquam continere.* RIGALT.

*Ab aqua aliena.* Hæc frustra alibi quam in Græcis D exemplaribus quæruntur. FELLUS. — Additamentum est τῶν Ὁ. ad finem capitis noni *Proverb.* et quamquam ad edit. Oxon. oram locus alius aliquanto similis in cap. VI, 24 (verius esset V, 15) *Proverb.* signatus est, diversum postea sensisse de loco videtur doctissimus editor, qui nullum Scripturæ locum apposuit ad hæc eadem verba in Suffragio V concilii VII, quod mox sequitur. Posuit interea ad verba in *Proverbiis* antecedentia, Οὔτε γὰρ διαβήσῃ ὕδωρ ἀλλότριον, Clemens Alex. in *Strom.* lib. I, c. 19, ... τὸ βάπτισμα τὸ αἱρετικὸν οὐκ οἰκεῖον καὶ γνήσιον λογιζομένη. Hic bene nota Clementis fine sæculi secundi et in Ægypto scribentis opinionem de hæretico Baptismo. ROUTH.

*Mundari et santificari aquam.* Formulæ illæ liturgicæ quibus elementa Sacramentorum ad usus divinorum mysteriorum separantur; hinc et aliunde apparent non tam nuperæ esse, quam Novatores sibi et aliis persuadere satagunt. FELL.

II. — *Sed et ipsa interrogatio. Dum mergitamur*, inquit Tertullianus, *amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit, sub antistitis manu contestamur.* RIGALT.

*Remissionem peccatorum per sanctam Ecclesiam.* Apostolorum Symbolum quamquam in omnibus Ecclesiis obtinuit, in singulis fere, quemadmodum a Rufino olim observatum, aliquatenus variabat: Africanam ecclesiam hoc modo articulos hosce concepisse, ex Cypriani verbis satis videtur constare. *Ipsa,* inquit, *interrogatio quæ fit in Baptismo testis est veritatis. Nam cum dicimus: Credis in vitam æternam, et remissionem?* etc. Patet hanc fuisse interrogationem quæ fit in Baptismo; et verba ipsa quibus sacerdos interrogando præivit, et quæ catechumenus respondens repetebat. Epistola *ad Magnum* eadem occurrunt verba, ordine aliquantum mutato. *Credis remissionem peccatorum, et vitam æternam per sanctam Ecclesiam?* Certe articulus de communione Sanctorum, in occidentali Ecclesia serius obtinuit. Neque enim in Aquileiana reperiebatur tempore Ruffini, nec agnoscit D. Augustinus in lib. *de Fide et Symbolo;* nec in fidei formula comparet quam tradidit Maximus Taurinensis, aut quam exposuit Chrysologus; non etiam occurrit in vetere codice ms. regis Æthelstani in bibliolh. Cottoniana, ubi ad Psalterii calcem Symbolum græce habetur. Nec in codice Bodleiano Actorum Apostolicorum, ubi litteris Saxonicis habetur Symbolum græce descriptum, quod constat mille abhinc annis fuisse exaratum. Immo non a Græcis agnoscebatur Eusebii tempore, nec Epiphanii, Cyrilli Hierosolymitani, aut concilii Ephesini. Immo quidem articulus de vita æterna desideratur in exemplaribus nostris supra memoratis; sic enim extrema Symboli se habent: ἐκκλησίαν ἁγίαν, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, σαρκὸς ἀνάστασιν. ἀμήν. FELLUS.

*Baptizare posse.* Adjecimus hæc duo vocabula ex fide quatuor veterum exemplarium; quorum unum est Corbeiense, in quo epistola ista bis habetur. BALUZIUS. — Non agnoscit vocabula *Interpretatio* epistolæ *Græca*, in qua οἱ αἱρετικῶν συνήγοροι positum est. ROUTH.

*Gratiam Christi.* Suavitatem, quæ unctione significatur. *Christianus*, inquit Septimius, *quantum interpretatio est, ab unctione deducitur. Sed et cum perperam Chrestianus pronunciatur, de suavitate vel benignitate impositum est.* RIGALT.

*Eucharistia est unde baptizati unguntur oleo in altari sanctificato. — Oleum in altari santificatum* Oxoniensis

Digitized by Google

sanctificato [a]. Sanctificare autem non potuit olei creaturam qui nec altare habuit nec Ecclesiam. Unde nec unctio spiritalis apud hæreticos potest esse, quando constet oleum sanctificari et Eucharistiam fieri apud illos omnino non posse. Scire autem et meminisse A debemus scriptum esse (*Psal.* CXL, 6) : *Oleum peccatoris non ungat caput meum*, quod ante in psalmis prænonuit [b] Spiritus sanctus, ne quis exorbitans et a via veritatis exerrans apud hæreticos [c] et Christi adver-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Oleum..... sanctificatum *Bod.* 1. *Lam. Ebor. NC.* 1, 2, *Lin. Thu. Foss. Vict. Mich. Corb. Vet. Imp. Rem. Manut. Morel. Oxon. Routh.* Et unde *Eras. Pam. Rig. Lips.* Sanctificatur *Eras. Pam. Rig.*

[b] Admonuit *Lam. Ebor. NC.* 1.

[c] Hæreticos Christi *Lam.*

## VARIORUM NOTÆ.

editor legit et ait : Veram esse arbitramur scripturam quam edidit Manutius : *Porro autem Eucharistia est unde baptizati unguntur, oleum in altari sanctificatum.* Sic persuadent exemplaria. Nam in Corbeiensi legitur: *Porro autem Eucharistia est unde baptizati unguntur oleo in altari sanctificato:* In Veronensi et Thuaneo, sicut in M nutiana editione. Perperam Græci apud Zon. et Bals. ἀγιάζεσθαι ἔλαιον εἰς εὐχαριστίαν. At præclare Cyprianus dixerat *Eucharistiam esse oleum in altari sanctificatum.* Oleum scilicet per ἔντευξιν, hoc est interpellationem sive invocationem divini numinis, per laudes et gratias Deo fusas et nuncupatas benedictum. Sic Matthæus et Marcus et Joannes Eucharistiam dixerunt eulogiam, nec tantum in cœnæ Dominicæ institutione, verum etiam in panum multiplicatione. Quod Evangelistarum verbis accurate collatis facile deprehenditur. RIGALTIUS. — Porro observare operæ pretium fuerit, quod Erasmus et Pamelius considerantes in hujus loci conclusione Cyprianum distincte loqui de Oleo et Eucharistia, ut et Augustinum argumenta ejus solventem *de Bapt. cont. Donat.* lib. v, cap. 20, nihilque debere esse in conclusione quod non erat in præmissis, post *unguntur* reposuerunt *et* pro *est*; et *sanctificatur* pro *sanctificatum.* Non absurde id quidem, si id jus haberent editores ut quod ipsis non placebat, emendare licuisset; aut si in argumenti conclusione, Oleum et Eucharistia disparate sint intelligenda. Verum Albaspinæus, *de Eucharist.* lib. I, c. 14, eos insimulat audaciæ, ac contendit veterem lectionem retinendam esse, in qua magnum mysterium sibi visus est deprehendisse, siquidem Oleum quo baptizati ungebantur, coram Eucharistia consecrari solitum. Sed nihil opus istis mysteriis, vera ratio propter quam Cyprianus Eucharistiam apud hæreticos fieri, et unctionem spiritalem conferri negat, ea est; quod censuerit in Eucharistia sicut et in Oleo, et in Baptismo, non ungi spiritualiter sanguine Christi, Eucharistiamque perficere et complere quod Baptismus et Oleum hoc respectu inchoassent. Hoc autem sic intellecto, quis eum in unctionis spiritalis quæstione, Eucharistiæ mysterium adducere mirabitur? Certe participationem sanguinis Christi in Eucharistia Veteres unctionem dicebant. Clem. Alex. in Pædag. lib. II, c. 2 : Διττὸν τὸ αἷμα τοῦ Κυρίου. τὸ μὲν γάρ ἐστιν αὐτοῦ σαρκικόν, ᾧ τῆς φθορᾶς λελυτρώμεθα· τὸ δὲ πνευματικόν, τουτέστιν ᾧ κεχρίσμεθα. Nazianzen. Orat. 41, μυστήριον ἔχρισέ με. Chrysost. in Epist. ad Heb. Rom. XVII, μύρῳ χρίεις, καὶ πάλιν δυσωδίας πληροῖς; Revera, quemadmodum Dominus testatur (*Matt.* XXIII, 19), altare sanctificat munus quod superimponitur, ita qui non habent altare aut Eucharistiam, nec Unctionem spiritualem habere possunt. Et quidem argumenti hujus vim admisisse videntur adversariorum partium patroni, siquidem apud hæreticos baptizatos, per manuum impositionem recipiendos statuebant. Ad unctionem spiritualem hæc omnino revocat D. Augustin., lib. XV de Trinit., c. 26: *Manifestius de illo*, scil. Christo, *scriptum est in Actibus Apostolorum*, X, 38: *Quoniam unxit eum Deus Spiritu sancto. Non utique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur, unguento quo baptizatos ungit Ecclesia.* FELL. — In emendando hoc loco secuti sumus in primis scripturam libri Corbeiensis. Sex libri manuscripti et veteres editiones habent *oleum in altari sanctificatum.* Manutius posuit: *Porro autem Eucharistia est unde baptizati unguntur, oleum in altari sanctificatum.* Hieronymus in Dialogo *adversus Luciferianos* ait Baptismum B non esse tradendum sine Eucharistia. Quod diu duravit in Ecclesia Dei, ut osteusum a nobis est in notis ad Reginonem, pag. 551, 657, et in notis ad Capitularia, pag. 1256. In concilio Pragensi Husitarum apud Cochlæum, lib. V Historiæ Hussitarum, decretum est ut Eucharistiæ communio detur infantibus. Hæc tantum. Et tamen Odoricus Raynaldus, an. 1421, § 12, scribit illud ab illis statutum esse circa infantes Baptismo perluendos. Quod verum non est. Hæc enim additio Raynaldi non exstat in decreto synodi. Æneas Sylvius in Dialogo *contra Bohemos et Taboritas*, qui editus est inter illius epistolas, ait: *Vetus hæc Armenorum insania fuit, qui natos ut in lucem veniebant, mox baptizatos, mox altaris sacramento reficiebant, quod et vos aiunt facere, qui dementes atque infantes ad Eucharistiæ libamenta vocatis.* In responsionibus Armenorum ad objecta Latinorum missis ad Papam Benedictum XII, an. 1342, legitur quod illi postquam puerum baptizarunt, *baptizatum communicant sic : cum corpore Christi sicco tangunt labia pueri, et reponunt, et si sacerdos celebret, et in tempore illo baptizetur puer, bene modicum sacerdos digitum suum tingit in sanguine, et inde tangit labia pueri.* BALUZ. Quamvis ita suaserint tum decem codices scripti, tum veteres impressi, qui in *edit. Oxon.* testes citantur lectionis, *oleum in altari sanctificatum*, fateor me male revocasse hanc scripturam. Præferenda cæteris videtur Erasmiana lectio, *Eucharistia, et unde baptizati unguntur oleum, in altari sanctificatur*, quæ perspicua est et apprime convenit cum argumentis atque proposito scriptoris probare volentis, chrisma apud hæreticos non posse exstare, neque signum ipsum, nec rem signatam. Etenim affirmat Harduinus ad *Concilia*, in quorum edd. hæc exstat lectio, eamdem in ms. Societatis suæ aliisque optimæ notæ præstari. Quod fortasse cl. Maranum quoque fugerat, qui, cum Baluzius ex Corbeiensi verba, *oleo in altari sanctificato*, subdidisset, hæc scripsit in Præf. ad Cypriani ed. Benedict. p. XIX. « Optime hunc locum emendavit Baluzius, pro eo « quod legebatur in antiquis editionibus, *oleum in* « *altari sanctificatum*, vel apud Erasmum et Pamelium « liberiori conjectura, *Eucharistia et unde baptizati* « *unguntur oleum in altari sanctificatur.* Porro id non « dicit Cyprianus quod ab eo per metaphoram dictum « existimant Rigaltius et Fellus, Eucharistiam esse « oleum, quo unguntur, sed potius Eucharistiam esse « id unde oleum, quo baptizati unguntur, sanctifica- « tionem deducit, quia videlicet oleum in altari san- « ctificabatur inter ipsas sacrificii preces. » ROUTH. Erasmi lectionem restituit editor Lips. EDD.

*Olei creaturam.* Irenæus, *creaturam panis eucharistici et calicis*, lib. IV, cap. 32. Iterum lib. V, cap. 2. MARSHALL.

*Non ungat.* Quatuor libri veteres, *non impinguet.* Pamelius ait sanctum Augustinum, qui sæpe citat hunc locum, aliquando scribere *ungat*, quandoque *impinguet.* Duæ itaque etiam ævo Augustini erant hujus loci lectiones. BALUZIUS. Vulgata, *non impinguet.* ROUTH.

Digitized by Google

sarios ungeretur. Sed et pro baptizato [a] quam precem facere potest sacerdos sacrilegus et peccator, cum scriptum sit (*Joan.* IX, 31): *Deus peccatorem non audit; sed qui eum coluerit* [b], *et voluntatem ejus fecerit, illum audit.* Quis autem potest dare quod ipse non habeat, aut quomodo potest spiritalia agere [c] qui ipse amiserit Spiritum sanctum? Et idcirco baptizandus est et innovandus qui ad Ecclesiam rudis venit, ut intus per Sanctos sanctificetur, quia scriptum est: (*Levit.* XIX, 2, *et* XX, 26): *Sancti estote, quia et ego sanctus sum, dicit Dominus:* ut qui in errorem [d] seductus est et foris tinctus in Baptismo vero et ecclesiastico etiam hoc ipsum deponat quod homo ad Deum veniens, dum sacerdotem quærit, in sacrilegum fraude erroris incurrit.

III. Cæterum probare est hæreticorum et schismaticorum baptisma consentire in id quod illi baptizaverint. Neque enim potest pars illic inanis esse et pars prævalere. Si Baptizare potuit, potuit et Spiritum sanctum dare. Si autem Spiritum sanctum dare non potest, quia foris constitutus cum sancto Spiritu non est, nec baptizare venientem potest, quando et Baptisma unum sit, et Spiritus sanctus unus, et una Ecclesia a Christo Domino [e] super Petrum [f] origine unitatis et ratione [g] fundata. Ita fit ut cum omnia apud illos inania et falsa sint, nihil eorum quæ illi gesserint probari a nobis debeat. Quid enim potest ratum et firmum esse apud Deum quod illi faciunt quos Dominus hostes et adversarios suos dicit in Evangelio suo ponens (*Luc.* XI, 23.): *Qui non est mecum adversum me est; et qui non mecum colligit, spargit.* Et beatus quoque apostolus Joannes mandata Domini et præcepta custodiens in epistola sua posuerit [h], dicens (1 *Joan.* II, 18, 19): *Audistis quia antichristus venit. Nunc autem antichristi multi facti sunt. Unde cognoscimus quia novissima hora est. Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* Unde nos quoque colligere [i] et considerare debemus an qui adversarii sunt Domini, et appellati sunt antichristi, possint dare gratiam Christi. Quare qui cum Domino sumus, et unitatem Domini tenemus et secundum ejus dignationem sacerdotium ejus in Ecclesia administramus, quæcumque adversarii ejus et antichristi faciunt repudiare et rejicere et pro profanis habere [j] debemus, et eis qui [k] de errore et pravitate venientes agnoscunt unius Ecclesiæ veram fidem, dare illis per omnia divinæ gratiæ sacramenta et unitatis et fidei [l] veritatem. Optamus vos, fratres charissimi, semper bene valere.

ANNO CHRISTI CCLVI, PONTIFICATUS S. STEPHANI III.

## CARTHAGINENSE CONCILIUM SUB CYPRIANO SEXTUM.

EX AFRICA PROVINCIA ET NUMIDIA, QUOD DE BAPTISMO SECUNDUM EST.

(Erasm. II, 1; Pamel. Rigalt. Baluz. LXXII; Oxon. Lips. LXXII; Paris. LXXI; Coustant. p. 216; Routh. Rell. scr. III, pp. 88 et 144.)

### PROŒMIUM.

Significat se in concilio decrevisse, ut qui apud hæreticos aut schismaticos tincti sunt, redeuntes ad Ecclesiam baptizarentur; et qui in Ecclesia presbyteri vel diaconi ordinati, in schisma delapsi sint, aut qui ab hæreticis promoti sint, revertentes ut laici communicarent: salvo tamen concordiæ vinculo cum episcopis qui aliter sentirent.

Ut ea quæ præcedente concilio constituta sunt pleniore sententia confirmentur, Cyprianus in eadem causa Baptismi ab hæreticis collati, hoc eodem anno 258 [m] pleniorem conventum episcoporum convocavit, et ex Africa et Numidia 70 episcopos et unum ad hanc synodum coegit, eo fine, ut quod singuli sentiunt de traditionibus majorum sancte et inviolabiliter servandis, deponant. Postquam omnes prædicti convenissent, idem, quod supra præcedentibus conciliis Africanis in hac et Basilidis causa habitis defi-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Pro baptizato *Lam. Ebor. NC.* 1.
[b] Deum coluerit *Bod.* 1.
[c] Spiritalia gerere *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1.
[d] In errore *Lam. NC.* 1, 2. *Lin.*
[e] Christo Domino nostro *Bod.* 1. *Lin. Ebor. NC.* 1, 2, *Thu. Foss. Vict. Corb.*
[f] Super petram *Vict.*
[g] Ex ratione *Bod.* 1.
[h] Ponit *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1.
[i] Colligere debemus *Ver.*
[j] Et profana habere *Lam. NC.* 1. *Ebor. Veron.*
[k] Et si qui *Ver.* Et si quidem errorem et pravitatem rejicientes *Corb.*
[l] Et unitatis et fidei *Ver. Benev.* ἑνότητός τε καὶ πιστεως καὶ ἀληθειας, Græc.
[m] *Alias* 256.

## VARIORUM NOTÆ.

III. — *Super Petrum.* Versio Græca tantum habet: ἐπάνω Πέτρου τοῦ Ἀποστόλου ἀρχῆθεν ἑνότητος τεθεμελιωμένης. Ipse Cyprianus l. de Unitate Eccles.: *Super unum ædificat Ecclesiam.* Et paulo post: *Ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit,* Pacianus epist. III: *Ad Petrum locutus est Dominus: ad unum ideo, ut unitatem fundaret ex uno. Mox idipsum in commune præcipiens,* RIGALTIUS. — Ita omnino XXI libri veteres et duo laudati a Pamelio. Veteres editiones habent *petram.* Ita etiam editio Morelliana et tres libri veteres. Vide quæ in simili causa notata sunt supra ad epistolam XL, p. 428. BALUZIUS.

*Posuerit.* Fortasse legend. *posuit.* In *quatuor codicibus scriptis,* qui in ed. Oxon. memorantur, exstat *ponit.* ROUTH.

*Colligere et considerare.* Græca versio, συνιέναι καὶ νοεῖν. FELLUS.

*Quæcumque adversarii ejus et antichristi faciunt repudiare.* Non id vult ut nihil facerent orthodoxi quod hæretici faciunt. In epistola enim ad Jubaianum cum objiceretur *Novatianenses ad se venientes baptizare* solitos, respondet, *ad nos non pertinere quid hostes Ecclesiæ faciant.* Hoc ipsi propositum est ut conficiat; nihil ratum esse, aut ex jure valere quod illi fecissent, qui extra Ecclesiam positi. Mox, *per omnia divinæ gratiæ Sacramenta.* Non tantum per confirmationis ritum, aut Eucharistiæ administrationem, sed etiam Baptismi, qui ad Ecclesiam ipsam aditum facit. FELLUS.

Digitized by Google

nitum est, duplici decreto desuper lato, confirmarunt. Quorum primum est, ut ii, qui in Ecclesia ordinati a fide defecerunt, revertentes ad Ecclesiam, non nisi ad laicam communionem recipiantur. Alterum, ut Baptismus hæreticorum ab ipsis collatus, non tantum pro invalido, sed etiam pro nullo habeatur; adeo ut si ad Ecclesiam revertentes baptizentur, non secundo Baptismo rebaptizentur, sed tantum primum iis Baptisma conferatur, quia ab hæreticis non vere baptizari, sed aqua tantum hæreticorum amplius sordidati fuerint. Ita Cyprianus, Epist. 73, ad Jubaianum. Unde qui illum anabaptismo patrocinatum fuisse sentiunt, graviter errant. Hæc cum episcoporum prædictorum 71 sententia constituta essent, ad Stephanum Romanum epistola quadam, quam infra ex Cypriano hic subjici curavimus, præscribuntur. Ille vero, synodica epistola accepta, per litteras redditas concilium hoc reprobavit, et simul etiam sanctissime mandavit, ne a traditione apostolica, de non iterando Baptismate hæreticorum eorum, qui eadem forma, qua utitur Ecclesia, baptizassent, vel latum unguem recedant, ipsosque ab ipsis baptizatos, si ad Ecclesiam redire petant, non aliter quam per solam manuum impositionem recipiant. Hæc ex Cypriani epistola, quam ad Pompeium Sabratensem in Africa episcopum scripsit, probantur. Vide Baron. anno 258, a num. 27 usque ad 38 inclusive.

CYPRIANUS ET CÆTERI STEPHANO FRATRI SALUTEM.

1. Ad quædam disponenda et consilii [a] communis examinatione limanda necesse habuimus, frater charissime, convenientibus in unum pluribus sacerdotibus, cogere et celebrare concilium. In quo multa quidem prolata atque transacta [b] sunt: sed de eo vel maxime tibi scribendum, et cum tua gravitate [c] ac sapientia conferendum fuit, quod magis pertineat et ad sacerdotalem auctoritatem, et ad Ecclesiæ catholicæ unitatem pariter ac dignitatem de divinæ dispositionis ordinatione venientem, eos qui sunt foris extra Ecclesiam tincti, et apud hæreticos et schismaticos profanæ aquæ labe maculati, quando ad nos atque ad Ecclesiam, quæ una est, venerint, baptizari oportere; eo quod parum sit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum sanctum, nisi accipiant et Ecclesiæ Baptismum. Tunc enim demum plene sanctificari [d] et esse filii Dei possunt, si Sacramento utroque nascan-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Et ex concilii *Bod.* 1. Ad concilii *Bod. Lam. NC.* 1. *Ebor.*

[b] Prolata atque tractata *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1.

[c] Tua reverentia *Lam. Ebor.*

[d] Plane sanctificari *Lin.*

## VARIORUM NOTÆ.

Concil. Carthag. VI.—*Cyprianus.* Cum propter illam cui nunc incumbo emendationem et illustrationem operum sancti Cypriani legendam suscepissem prolixam nimis epistolam Joannis Launoii ad Jacobum Bevilaquam de discordia papæ Stephani cum Cypriano, miratus sum tam multa ab eo dici potuisse ut nihil diceretur. Quæcumque enim affert argumenta et testimonia adversus Stephanum nullius momenti sunt in hac causa et quamdam habent insulsitatem. Quid enim ad causam Baptismi facit Cypriani famam esse celebriorem quam famam Stephani, Cyprianum non cedere Stephano, Cyprianum congregasse concilium in causa Baptismi, Stephanum non congregasse, Ecclesias orientis et occidentis non suscepisse propugnandam sententiam Stephani, et multa alia hujusmodi quæ ad causam non pertinent, quorum etiam plurima falsa sunt? Nemo autem, ut ait Hieronymus in epistola ad Pammachium contra Joannem Hierosolymitanum, falso verum probat. Itaque ista facile possent refutari. Sed tanti non sunt. Verissimum igitur est quod ait Optatus in libro quinto, veritatem studiis impediri. Vide Facundum in libro *contra Mocianum* pag. 577. primæ editionis. Baluzius.

1. — *Celebrare concilium.* Celebratum fuisse an. 255. recte, ut opinor, probat Pearsonius in annalibus Cyprianicis. Baluzius. — Ante pascha anni sequentis 256 celebratum hoc concilium fuisse, docet Pearsonius in opere memorato ad an. illum, § 1. De eodem hoc concilio ita Cyprianus in *Epist. ad Jubaianum*, quæ est 73: *Et nunc quoque cum in unum convenissemus, tam provinciæ Africæ quam Numidiæ episcopi numero septuaginta et unus.* Routh.

*Transacta.* Ita duodecim libri veteres. Alii quatuor habent *tractata.* Veteres editiones et tres libri veteres, *translata.* Baluz.

*Cum tua gravitate.* Hunc ipsum Stephanum idem Cyprianus appellabit *superbum, imperitum atque improvidum, ineptum, obstinatum.* Epist. ad Pompeium. Rigaltius.

*Plene sanctificari.* Colb. ms. *plane*: quod etiam in uno e suis Oxoniensis editor offendit. Concinnior est lectio cæterorum librorum. Hoc enim istic *plene sanctificari* sonat, quod *consummari* in his ejusdem Cypriani epist. LXXIII, *ut per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequentur, et signaculo Dominico* CONSUMMENTUR. Porro Cyprianum his verbis, *si utroque Sacramento nascantur*, ut hæretici ad Ecclesiam venientes Confirmationis sacramentum una cum Baptismo suscipiant, postulare, ex subjecta dissertatione nostra, num. 17 et 18, planum fiet. Constant.

*Sacramento utroque.* Baptismo et sancti Spiritus infusione, id est, ut dicet paulo post, aqua et Spiritu. Quod sæpe repetit alibi. Tertullianus in libro de Virginibus velandis: *Una nobis et illis fides, unus Deus, idem Christus, eadem spes, eadem lavacri Sacramenta.* Siricius in epistola ad Himerium: *Quibus solis per annum diebus*, id est Paschatis et Pentecostes, *ad fidem confluentibus generalia Baptismatis tradi convenit sacramenta.* Vide Sirmondum capite quinto secundi *Antirrhetici*, ubi explicat hunc Cypriani locum. Vide etiam to. II Capitularium, pag. 1256. Cæterum pro *utroque* quinque vetera exemplaria habent *utrumque.* Baluzius. — De Baptismo manuumque Impositione post baptismum, Cyprianum interpretandum esse, satis ostendit suffragium quintum *concilii* proxime sequentis, cum Canone 17 *Concil. Arelat.* II collatum. En verba Suffragii: *Male ergo sibi quidam interpretantur* (easdem designat Joannis voces episcopus), *ut dicant, quod per manus impositionem Spiritum sanctum accipiant et sic recipiantur; cum manifestum sit* utroque Sacramento *debere eos renasci in Ecclesia catholica.* Canon autem Arelatensis concilii ita se habet: *Donosiacos autem ex eodem errore venientes, quos sicut Arianos baptizari in Trinitate manifestum est, dum interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint,* CHRISMATE ET MANUS IMPOSITIONE *in Ecclesia recipi sufficit.* Hinc, ni fallor, constat, sicut ex Cypriani verbis a Constantio supra allatis, qui interea canonem illum concilii secundi Arelatensis, nusquam, quod

Digitized by Google

tur, cum scriptum sit, *Nisi quis renatus fuerit* [a] *ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei* (*Joan.* III, 5). Invenimus enim etiam in Actis Apostolorum (*Act.* X, 48), hoc esse ab Apostolis custoditum, et salutaris fidei veritate servatum, ut cum in domo Cornelii centurionis super ethnicos qui illic aderant fidei calore ferventes, et in Dominum toto corde credentes descendisset Spiritus sanctus, quo adimpleti variis linguis Deum benedicerent; nihilominus tamen beatum apostolum Petrum, divini præcepti atque Evangelii memorem, præcepisse ut baptizarentur iidem illi, qui jam fuerant sancto Spiritu pleni: ut nihil prætermissum videretur, quominus per omnia divini præcepti atque Evangelii legem [b] apostolica magisteria servarent. Baptismum autem non esse quo hæretici utuntur, nec quemquam apud eos, qui Christo adversantur, per gratiam Christi posse proficere, diligenter nuper expressum est in epistola, quæ ad Quintum collegam nostrum in Mauritania constitutum super ea re scripta est, item in litteris quas collegæ nostri ad episcopos [c] in Numidia præsidentes ante fecerunt: cujus utriusque epistolæ exempla subdidi.

II. Addimus plane et adjungimus, frater charissime, consensu et auctoritate communi, ut etiam si qui presbyteri aut diaconi, qui vel in Ecclesia catholica prius ordinati fuerint, et postmodum perfidi ac re-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Natus fuerit *Lam. Ebor. NC.* 1.
[b] Evangelii lege *Lam. Ebor. NC.* 1.
[c] Coepiscopos in Numidia *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, *NC.* 1, 2, *Lin.*

## VARIORUM NOTÆ.

meminerim, adduxit, intelligendam esse verbis, *utroque Sacramento*, non aquam Baptismi et Spiritus Sancti gratiam in eo collatam, neque Baptismum manusque impositionem *in pœnitentiam*, multo minus Baptismum atque Eucharistiam, sed Baptismi et Confirmationis sacramenta. Neque aliter exponentem hunc et consimiles locos etiam Maranum video in *Præfatione ad S. Cypriani Op.* p. XVII et XVIII, et si existimet is quidem, patrem illum non nescivisse Stephanum, et qui ab illo stabant, de manuum impositione in pœnitentiam, hæreticis omnino necessaria ad Spiritum sanctum accipiendum, non de sacramento Confirmationis, locutos; haud enim repugnare, ut Cyprianus ansa ab adversariis accepta sacramentum Confirmationis iterandum esse statueret, quamvis illud ab iisdem iterari minime suspicaretur, sed eos sciret manus impositionem in pœnitentiam tantum intellexisse, quam ad Spiritum conferendum necessariam putaverint. Videsis tamen quæ infra ad modo dictum Nemesiani suffragium in concil. VII. p. 93, annotabo. Et conferas quæ ad suffragium octavum ejusdem concilii mox dicuntur. Hic vero maxime idcirco monenda hæc duxi, quod de Baptismo et Eucharistia locum minus recte exposuerat Anglicus interpres. ROUTH.

*Renatus.* Quatuor antiqui codices habent *denuo natus.* Quæ lectio non displicet, cum vox *denuo* exstet in capite tertio Evangelii secundum Joannem, ex quo locus iste petitus est. Sed puto Cyprianum, qui alia versione utebatur quam vulgata nostra, scripsisse *renatus.* BALUZIUS. — *Natus* tres scripti in *ed. Oxon.* memorati, et *editio* Cypriani princeps, *Romana.* ROUTH.

*Et spiritu.* In ms. Colb. hic additur *sancto*: quod abesse debere Pamelius recte probat. Eo autem Actuum apostolicorum exemplo, quo nunc Cyprianus sententiam suam fulcire nititur, Anonymus a Rigaltio ad calcem operum Tertulliani editus apposite utitur ad eam confutandam. Inde enim ostendit Spiritum Sanctum percipi potuisse sine Baptismo, sicut Baptismum sine Confirmationis sacramento collatum fuisse aliis eorumdem Actuum exemplis demonstrat COUSTANT.

*Ad Quintum.* Epist. LXXI. BALUZ.

*Ad Episcopos in Numidia.* Est ea epistola synodica, quæ statim ante posita est. ROUTH.

Porro epistola LXX scripta est nomine Cypriani, Liberalis, Caldonii aliorumque qui in concilio congregati litteras legerant ab octodecim Numidiæ episcopis missas, quibus Cyprianus ac socii consulebantur *de iis qui apud hæreticos et schismaticos baptizati videntur, an ad Ecclesiam catholicam, quæ una est, venientes baptizari debeant.* Rescripsit concilium, cui Cyprianus præerat, eos baptizandos esse. Haud multo post eumdem Cyprianum Quintus, Mauritaniæ episcopus, eadem de re consuluit, notavitque eos, qui redeuntes hæreticos non baptizabant, morem suum hac duplici ratione fulcire, *quod* nimirum *dicunt unum Baptisma esse*, et *sese in hoc veterem consuetudinem sequi.* Tum Cyprianus ad Quintum misit epistolam ad Numidas scriptam, eique novam adjecit. Utramque vero Stephano mittendam esse concilio visum est, quod habitum fuit cum Cyprianus *nuper* ad Quintum scripsisset. Desiderabant certe Afri, ut Stephanus celebre illud decretum firmaret quod epistolæ ad Numidas inseruerunt: *Baptizandus est et innovandus qui ad Ecclesiam rudis venit, ut intus per sanctos sanctificetur.* At probare non potuit is pontifex, quod apostolicæ traditioni contrarium certo sciebat. Quapropter concilio congregato et litteras sibi missas confutavit, et decreto illis inserto hanc opposuit definitionem: *Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* Ex hac brevi expositione intelligitur quid sibi velit Stephanus his verbis: *nihil innovetur.* Dixerant quippe Afri: *Baptizandus est et innovandus.* Cum igitur Stephanus his contrariam edicens sententiam ait, *nihil innovetur*, subaudiendum est, *circa Baptismum*, sed teneatur ac servetur *quod traditum est.* Inde etiam percipitur, disputationem de Baptismo hæreticorum in Numidia excitatam primum Cypriani ac sociorum statuto, atque hoc statutum deinde controversiæ, quæ tantopere Stephanum inter ac Cyprianum exarsit, causam et originem dedisse COUSTANT.

II. — *Aut etiam si qui*, etc. Nitidior fieret oratio, si hic particula *ut* expuncta, legeretur *etiam si qui presbyteri aut diaconi vel in Ecclesia*, suppresso postremo *qui.* In uno ms. recentiore Colb. habetur *aut diaconi vel clerici in Ecclesia*: sed hujus codicis plura loca, alibi aperte vitiata, ei detrahunt auctoritatem. Ejus tamen lectioni favet Innocentius I, epist. XVI ad Macedonas, n. 8, ubi de iis, qui ab hæreticis baptizati ordinatique ad Ecclesiam transeunt, ait, *Nostræ lex est Ecclesiæ his per manus impositionem, laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogare.* Eos autem qui *a Catholica ad hæresim transierunt*, præterea docet *non aliter oportere nisi per pœnitentiam suscipi.* Tum num. 9 utrumque ponit inter *regulas veteres, quas ab Apostolis vel Apostolicis viris traditas Ecclesia Romana custodit.* Quibus cum consentaneum sit subnexum Africani concilii decretum, mirum non est illud a Stephano minime fuisse contradictum. Non ideo tamen hoc in Ecclesia obtinuit, quia hæreticorum ordinatio nulla censeretur; sed quia Dei ministros a reprehensione alienos esse atque immaculatos deceret. Quocirca si quando a communi lege excepti sunt

Digitized by Google

belles contra Ecclesiam steterint, vel apud hæreticos a pseudoepiscopis et antichristis contra Christi dispositionem profana ordinatione promoti sint, et contra altare unum atque divinum sacrificia foris falsa ac sacrilega offerre conati sint, eos quoque hac conditione [a] suscipi cum revertuntur, ut communicent laici, et satis habeant, quod admittuntur ad pacem, qui hostes pacis exstiterint; nec debere eos revertententes ea apud nos ordinationis et honoris arma retinere, quibus contra nos rebellaverint. Oportet enim sacerdotes et ministros, qui altari et sacrificiis deserviunt, integros atque immaculatos esse : cum Dominus Deus in Levitico loquatur et dicat : *Homo in quo fuerit macula et vitium, non accedet offerre dona Deo* (*Levit.* XXI, 21); item in Exodo eadem præcipiat et dicat : *Et sacerdotes qui accedunt ad Dominum Deum, sanctificentur, ne forte derelinquat illos Dominus Deus* (*Exod.* XIX, 22); et iterum : *Et cum accedunt ministrare ad altare Sancti, non adducent in se delictum, ne moriantur* (*Exod.* XXVIII, 43). Quod autem majus potest esse delictum, aut quæ macula deformior, quam adversus Christum stetisse, quam Ecclesiam ejus, quam ille sanguine suo paravit et condidit, dissipasse, quam evangelicæ pacis ac dilectionis oblitum, contra unanimem et concordem A Dei populum hostilis discordiæ furore pugnasse? Qui etsi ipsi postmodum ad Ecclesiam redeunt, restituere tamen eos et secum revocare non possunt, qui ab eis seducti et foris morte prævenit extra Ecclesiam sine communicatione et pace perierunt : quorum animæ in die judicii de ipsorum manibus expetentur, qui perditionis auctores et duces exstiterunt. Et idcirco satis est talibus revertentibus veniam dari : Non tamen debet in domo fidei perfidia promoveri. Nam quid bonis et innocentibus atque ab Ecclesia non recedentibus reservamus, si eos qui a nobis recesserint, et contra Ecclesiam steterint, honoramus?

III. Hæc ad conscientiam tuam, frater charissime, et pro honore communi et pro simplici dilectione pertulimus, credentes etiam tibi pro religionis tuæ [b] B et fidei veritate placere, quæ et religiosa pariter et vera sunt. Cæterum scimus quosdam quod semel imbiberint nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter collegas pacis et concordiæ vinculo, quædam propria quæ apud se semel sint usurpata retinere. Qua in re [c] nec nos vim cuiquam facimus aut legem damus, cum habeat [d] in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unus quisque [e] præpositus, rationem actus sui Domino redditurus. [f] Optamus te, frater charissime, semper bene valere.

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Confessione et conditione *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1.
[b] Religione tua *Lam. Ebor. Bod.* 2.
[c] Qua in re non vim *Hieron.*
[d] Quin habeat *Hieron.*
[e] Unusquisque tibi *Hieron.*
[f] Opto *Aliquot mss.*

## VARIORUM NOTÆ.

nonnulli, puta Novatiani Nicæno canone 8, ut Innocentius in laudata epistola, n. 10, fatetur, ac subinde Donatistæ aut alii : ut post reditum ordinarentur, nusquam est præceptum. Immo Cod. can. eccl. Afric. c. 48, *reordinationes* non secus atque *rebaptizationes* prohibentur. COUSTANT Et si vitiosa est oratio, *ut... eos quoque*, ipsam sollicitandam tamen haud puto. Ponitur interea *siqui* pro *quique*. ROUTH.

*Divinum.* Tres libri veteres habent *individuum*. BALUZIUS.

*Ordinationis et honoris arma. Arma sunt instrumenta cujuslibet rei*, inquit Servius ad II Æneid. Hic vero sunt insignia sive ornamenta. Quemadmodum et Homerus dixit, ὅπλισθεν δὲ γυναῖκες, et in clipeis illustrium virorum descripti vultus expresso thorace. *Arma lucis*, ὅπλα φωτός, ad Rom. XIII, 12. Suid. ὅπλα φωτός. ὁ ἀπόστολος· αἱ τῶν ἀρετῶν ἐργασίαι. RIGALT. — At conferas quæ habes ad (lin. 6, pag. sequentis). *Quod autem majus potest esse delictum....* furore pugnasse? ROUTH.

*In domo fidei.* In Ecclesia Dei, quæ est fidelium mater. Unde et *domestici fidei*, οἰκεῖοι τῆς πίστεως, ad Gal. VI, qui sunt de familia fidei. RIGALT. — Porro notat interpres Anglicus, perfidiam ideirco appellare Cyprianum hæreticorum et schismaticorum scelus solere, quod iidem homines, maxime sacerdotes, commissam rem sibi ab Ecclesia prodidissent.

*Et contra Ecclesiam steterint.* Ista imitatus est Anselmus episcopus Havelbergensis in tomo XIII Spicilegii Dacheriani, pag. 202. BALUZ.

III. — *Hæc ad conscientiam tuam.* Ex his verbis Hieronymus *ad Luciferianos* observavit, beatum Cyprianum hæc non cum anathemate eorum, qui se sequi noluerant, edidisse : siquidem in communione, inquit, eorum permansit, qui sententiæ suæ contraierant, sed hortatum potius fuisse, propter Novatum, et alias tunc hæreses multas enascentes, ne quisquam ab eo, sine damnatione erroris sui, reciperetur. RIGALTIUS.

C *Quod semel imbiberint.* Epist. ad Quint. *Debere unumquemque, non pro eo quod semel imbiberat et tenebat, pertinaciter congredi; sed si quid melius et utilius exstiterit, libenter amplecti.* RIGALTIUS. — Pertinent hæc ad sententiam illam contrariæ partis de hæreticorum Baptismo; conferas etiam quæ in actis synodi proxime sequentis ponuntur. Porro colligit ex verbis, quæ mox sequuntur, Anglicus interpres, censuisse omnes præter Stephanum episcopos fidelibus licere de re illa controversa inter se dissentire, quæ ad disciplinam magis quam ad fidem pertinere videretur. Fortasse autem de Afris quibusdam, non de alienigenis, hæc dixerunt præsules, nonnullos enim Afros de re aliter judicasse quam Cyprianum suosque, Cyprianum certiorem fecerat Quintus in Mauritania episcopus, ut ex epistola ipsius Cypriani ad eumdem Quintum constat. ROUTH. — *Quod semel imbiberint.* Cicero lib. IV academicarum Quæstionum, cap. 3 : *Sed nescio quomodo plerique errare malunt eamque sententiam quam adamaverunt* D *pugnacissime defendere quam sine pertinacia quid constantissime dicatur exquirere.* Lactantius, lib. III, cap. 24 : *Quid dicam de iis nescio qui cum semel aberraverint, constanter in stultitia perseverant et vanis vana defendunt, nisi quod eos interdum puto aut joci causa philosophari aut prudentes et scios mendacia defendenda suscipere, quasi ut ingenia sua in malis rebus exerceant vel ostentent.* Cælius Calcaguinus, in libro de libero Arbitrio, pag. 596 : *nisi tantum esset quibusdam male auspicatis ingeniis impudentiæ ut non erubescant explosas ac damnatas etiam opiniones revocare atque asserere, non amore quidem veritatis, sed ostentandi ingenii et captandæ auræ popularis gratia.* Congruenter ad hæc Origenes, lib. I contra Celsum, ait molestam rem esse contentionem obstinatamque voluntatem resistendi etiam manifestis, pudore discedendi a consuetis opinionibus quibus jam imbuta est anima, nec ab ullis consuetudinibus hominem diffi-

Digitized by Google

ANNO CHRISTI CCLVI, PONTIFICATUS S. STEPHANI III.

## CARTHAGINIENSE CONCILIUM SUB CYPRIANO SEPTIMUM,

### EX TRIBUS AFRICÆ PROVINCIIS,

### QUOD DE BAPTISMO TERTIUM EST.

(Oxon., 158. Baluz., p. 329. Routh., Rell. Scr. p. 101, 107, 148, et 174. Ed., Lips., p. 365.)

### PROŒMIUM.

Cum Stephanus papa ea quæ præcedente Africano concilio de Baptismate hæreticorum statuta erant per litteras redditas, ut supra diximus, reprobasset, non cunctatus est Cyprianus, majore numero episcoporum Carthagine aliud concilium celebrare. Convocatis igitur ex Africa, Numidia et Mauritania, episcopis LXXXVII, iisdemque Carthagini coeuntibus kalendis septembris, anno 258, hoc tertium in eadem Baptismi causa concilium celebrat. Cujus initio, recitatis hinc inde litteris scriptis, Stephanum tacito ejus nomine suggilat. Acta hujus concilii plura non exstant quam ea quæ ex Cypriano et S. Augustino *de Baptismo contra Donatistas*, lib. III, capp. 4, 5, 6, et lib. VII, cap. 1, huc translata sunt, quibus, præter LXXXVII episcoporum de nullitate Baptismatis ab hæretico collati sententias; aliud nihil continetur. Earum impugnationem quisquis petit, Augustinus prædicto loco consulat. Canonem XIX. Nicæni et VIII, Laodiceni, his episcoporum Africanorum sententiis nihil patrocinari infra patebit. Annotationes autem de singulorum episcoporum hic subscriptorum vita, patria et moribus, Pamelius suppeditabit; Plura etiam Baronius anno 258, num. 42 et sequentibus.

SEVER. BINIUS.

### SENTENTIÆ EPISCOPORUM LXXXVII, DE HÆRETICIS BAPTIZANDIS.

Cum in unum Carthagini convenissent Kalendis Septembris episcopi plurimi ex provincia Africa, Numidia, Mauritania, cum presbyteris et diaconibus, præsente etiam plebis maxima parte, et lectæ essent litteræ Jubaiani ad Cyprianum factæ, item Cypriani ad Jubaianum rescriptæ, de hæreticis baptizandis, quidque postmodum Cypriano Jubaianus idem rescripserit, Cyprianus dixit : Audistis, collegæ dilectissimi, quid mihi Jubaianus, coepiscopus noster, scripse-

## VARIORUM NOTÆ.

cilius avelli quam ab iis quæ ad opiniones pertinent. Claudianus Mamertus, in proœmio librorum de Statu animæ : *Magnum in genere humano multorum vitium est arrogans imperitia et pervicax in defendendis perpere præsumptis opinionibus pertinacia.* Angelus Politianus, cap. 9 Miscellaneorum, tradit Domitium Calderinum pro sententia cui semel adhæserat etiam contra verum contumacem et refractarium fuisse. BALUZ.

CONCIL. CARTHAG. VII. — *Cum in unum.* Gesta hujus concilii primus omnium edidit Erasmus cum titulis gloriæ, id est, cum vocabulis confessorum et martyrum, quæ præfixa sunt nominibus quorumdam episcoporum. Hos titulos Græca versio non habet, neque editio Morelliana : eos vero satis constat non scriptos fuisse in gestis, sed additos postea a quodam studioso. Quare valde mirum est illos fuisse retentos in editione R. P. Harduini. Respondit autem sanctus Augustinus in libro sexto *de Baptismo adversus Donatistas* ad ea quæ episcopi in eo concilio congregati attulerunt pro confirmanda opinione sua de Baptismo hæreticorum. Viderat hoc concilium Humbertus episcopus Sylvæ Candidæ, qui lib. I adversus Simoniacos, cap. IX, ait : *Sed et gloriosus martyr et pontifex Cyprianus quid de hæreticorum Baptismate sanxerit, ex concilio ipsius evidenter cognosci poterit. Eadem enim contra illud cum suis coepiscopis sanxit quod et præfati canones Apostolici.* Canones enim Apostolici, quos refert Humbertus, damnant hæreticorum Baptisma. Vide notitiam Ecclesiasticam Cabassutii, pag. 7, ubi agit de canonibus Apostolorum. BALUZIUS. — Ait in *Annalibus* suis *Cyprianicis* Pearsonius : « Sententia in tanta synodo licet vera non sit, et a S. Augustino postea propter Donatistas refutata, insigne tamen hoc est venerandæ antiquitatis monumentum. » Ad an. 156, § IX, Hæc acta, cum ab Augustino in lib. VI et VII *De Baptismo contra Donatistas* nobis conservata essent, inde inserta fuisse operibus S. Cypriani ab eorumdem editoribus, ait Matthias Danneumayr in *Institutionibus Hist. Eccl.* N. T. Per. I, cap. IV, § 8. p. 115. Verisimilius dixisset, a Cypriani librariis; nam in edit. Erasmiana, quæ Basileæ anno 1520 excusa est, indicantur hæc acta cum tribus Cypriani epistolis ex vetustis codicibus addita fuisse ab Erasmo. Immo in pluribus Cypriani manuscriptis inventa sunt. Eadem habent vetustæ conciliorum Collectiones; et ex Latina in linguam Græcam versa exstant in Zonaræ *Commentariis in Canones*, etc., ad pag. 271, ed. Paris, anni 1618. Ipsa porro causæ fuisse Jacobitis Orientalibus opinatus est Renaudotius tom. II *Liturg. Oriental. Collect.* pag. 299, ut hæreticorum Baptismum reprobarent; nam cum canones conciliorum veterum in Græcam linguam transferrent, quod factum est, ait Renaudotius, « paulo post occupatam a Muhamedanis Syriam, hæc decreta reliquis conjunxerunt; tantique martyris nomen illis fraudi fuit, dum homines veteris historiæ haud satis periti, quæ ab illis octoginta septem episcopis de rebaptizandis hæreticis constituta fuerunt, eodem loco habuerunt ac reliqua conciliorum decreta. » Hæc ille. Cæterum de Veneta Cypriani editione, quam Spirensem Fellus aliique appellant, quæ vero a Vindelino Spirensi anno 1471, Venetiis impressa est, hoc obiter notabo; adornatam fuisse illam ad formam editionis revera, ni fallor, principis, quæ eodem anno Romæ excusa fuerat, foliorum id ordine atque numero commonstrante, dum omissa est in Veneta editione epistola ad Paulum II, P. R. ab episcopo Aleriensi præfixa, qui ex vetusto exemplari Parisiensi Cypriani manu sua descripserat. Denique ad calcem libri Veneti hic colophon exstat : *Loquitur lector ad Vindelinum spirensem artificem, qui epistolas Beati Cypriani reddit in lucem* MCCCCLXXI. ROUTH.

*Provincia Africa.* Plinio *Zeugitana regio, et quæ propriæ vocetur Africa*, lib. V, c. 4. Quæ nimirum, capta Carthagine, in Romanam ditionem primo pervenerat, et in provinciæ formam redigebatur : quæque Romæ ad Africum proxime adjacebat. FELLUS. — Mirum est Tripolim, quæ una erat provinciarum Africanarum, non fuisse nominatam in hoc concilio, cum constet in eo tamquam præsentes nominari Munnulum Girbitanum, Natalem Ocensem, Pompeium Sabratensem, et Drogam Leptimagnensem, qui certe erant episcopi provinciæ Tripolitanæ, præsertim cum constet Tripolim fuisse numeratam inter provincias Africæ in concilio Cabarsussitano. BALUZIUS. — Monuerat Fellus, ut paulo post videbis, septem quidem fuisse partitiones Africæ respectu regiminis civilis; sed tres tantum fuisse ecclesiasticas ex Synodi hujus initio colligendum esse. Septenaria quidem, prius senaria, extitit provinciarum divisio; sed iisdem temporibus sub Africa provincia interdum comprehensa civili ratione fuisse Tripolis videtur, simul memoratis Numidia et Mauritania, quæ olim sub regibus fuerant. ROUTH.

*Cyprianus dixit.* Sententiam is suam ultimus tulit; hæc autem non per modum suffragii afferebantur, sed præfationis, et ut consultationi futuræ aditus pande-

Digitized by Google

rit consulens mediocritatem nostram de illicito et profano hæreticorum Baptismo, et quid ego ei rescripserim, censens scilicet, quod semel atque iterum et sæpe censuimus, hæreticos ad Ecclesiam venientes Ecclesiæ Baptismo baptizari et sanctificari oportere. Item lectæ sunt vobis et aliæ Jubaiani litteræ, quibus pro sua sincera et religiosa devotione ad epistolam nostram rescribens, non tantum consensit sed etiam instructum se esse confessus gratias egit. Superest ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus proferamus, neminem judicantes, aut a jure communicationis aliquem, si diversum senserit, amoventes.

A Neque enim quisquam nostrum episcopum se episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habeat omnis episcopus pro licentia libertatis et potestatis suæ arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit quam nec ipse potest alterum judicare. Sed expectemus universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus et solus habet potestatem et præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione et de actu nostro judicandi.

Cæcilius a Bilta dixit: Ego unum Baptisma in Ecclesia solum scio, et extra Ecclesiam nullum. Hic erit

## VARIORUM NOTÆ.

retur. *Primum sermonem* vocat Augustinus, lib. II *de Bapt. cont. Donat.* Is, libris VI et VII, concilium hoc verbatim descripsit, redargutionibus singulis episcoporum sententiis appositis. FELLUS. — Ad morem quod attinet referendi in acta concilii singulorum sententias, Cornelius Romanus episcopus in *Epistola ad Cyprianum*, quam ad pag. 7, supra attuli, postquam de presbyterio convocato, in quo aderant etiam episcopi quinque, fecerit mentionem, hæc scribit: *Et ut motum omnium et consilium singulorum dignosceres, etiam sententias nostras placuit in notitiam vestram proferre: quas et subjectas leges.* Interea illud notatu dignum est, solos episcopos in vetustissimo hoc Africano concilio suffragia tulisse, ut ex actis patet. ROUTH.

*Confessus.* Solius, quod sciam, Baluzianæ editionis fide nititur hoc verbum, *confessus*, sine admonitu receptum. Versio Actorum Græca tantum habet, ἀλλὰ καὶ τῇ ἐπιγνώσει τῆς ἀληθείας χάριν ὡμολόγησεν. Majus vero est, quod loci exstant alii in hoc concilio circiter novem, quorum immutandorum Baluzius præter morem suum nullam reddidit rationem. Quum vero vir doctissimus codices scriptos ad triginta minus in subsidium habuerit in Cypriano suo edendo, mihi erat religio eliminare bonas aliquin lectiones, de quarum causa in absentia testium prudenter judicare non licuerit. Sola ergo delatione istarum contentus fui. Sed aliæ præterea paucæ lectiones sunt a Baluzio item (nam textum Cyprianicum ante mortem ejus typis impressum fuisse Præfatio ostendit) cum silentio similiter introductæ, quas quidem, cum haud æque bonæ viderentur, ratione de iis reddita, dimittendas esse a textu putavi. Conf., supra, pag. 27, sed ibi dixi, Cypriani textum non totum a Baluzio curatum fuisse, ubi melius posuissem, illum aliquando ab editoribus Benedictinis post mortem Baluzii mutatum esse; quod in celebri loco *Libri de Unitate Ecclesiæ* a se factum ipsi profitentur, eos vero ut istud ibi quidem facerent, causæ extraneæ impulerunt, ROUTH.

*Aut a jure communicationis.... amoventes.* Id quod saltem ad tempus fecerat Stephanus Romanus præsul; unde merito suo hæc audivit ex ore prolata Firmiliani Cappadocis: *Lites et dissentiones quantas parasti per Ecclesias totius mundi! Peccatum vero quam magnum tibi exaggerasti, quando te a tot gregibus scidisti. Excidisti enim te ipsum. Noli te fallere. Siquidem ille est vere schismaticus, qui se a communione Ecclesiasticæ unitatis apostatam fecerit. Dum enim putas omnes a te abstineri posse, solum te ab omnibus abstinuisti*, p. 150, ed. Bened. Cypriani sub finem epistolæ. Has autem litteras accepisse post celebratum hoc Concilium Cyprianum, ostendit Pearsonius *annal.* ad an. 256, §§ 8, 9, 10, 11. BALUZ.

*Episcopum se episcoporum constituit. In vet. episcoporum constituit.* (Vulgo habetur *episcopum se esse episcoporum constituit*). Eo titulo olim ornati quoque sunt plures episcopi qui non erant papæ Romani. Sidonius, lib. VI, epist. I. Lupum episcopum Tricassinum vocat *patrem patrum et episcopum episcoporum.* Ennodius, lib. I, carm. 15, sanctum Ambrosium vocat *episcopum episcoporum.* Matthæus Parisius in anno 1254 loquens de morte Hugonis, episcopi Eliensis, ait: *Qui sicut abbas abbatum in Anglia, ita et episcopus episcoporum coruscavit*; etiam principibus aliquando is honos habitus est, ut vocarentur episcopi episcoporum. Ariani, ut testatur Lucifer Calaritanus in libro *de moriendo pro Dei Filio*, Constantium imperatorem vocabant *episcopum episcoporum.* Monachus Sangallensis in libro *de Ecclesiastica cura Caroli M.*, cap. 27, eum vocat *episcopum episcoporum.* Adgarus, rex Angliæ, ut legitur in epistola Isaaci Casauboni ad Jacobum regem, et apud Joannem Seldenum in notis ad Eadmerum, vocatur *pastor pastorum* in synodo Anglicana sub Dunstano celebrata. Notum est Constantinum M. vocari communem *episcopum* apud Eusebium. Vide Cotelerii notas in epistolam Clementis ad Jacobum, et Franciscum Bernardinum Ferrarium, lib. III, c. 1, *de Antiquo Ecclesiasticarum epistolarum genere.* BALUZ. — Fellus, quem ego hic secutus sum, verbum *esse* deleverat, quod abfuisse a ms. societatis suæ Jesuitarum Harduinus *Conciliorum* editor testatur; neque comparet istud *esse* apud Augustinum, lib. II *contra Donatist.*, ubi Cypriani verba primum adducuntur, nam omnia hæc synodica bis ibi ponuntur. ROUTH.

Libertatis et potestatis suæ arbitrium proprium. Hoc est, ut ait Marshallus, qui tamen pluribus contra cujusvis episcopi in aliena ditione potestatem argumentatus erat, in rebus ad disciplinam ecclesiasticam pertinentibus, de quibus nihil prius fuerat in synodo aliqua decretum. Veruntamen aliquam in his quoque rebus libertatem relictam fuisse suspicor etiam post synodum peractam judicio uniusquisque episcopi. Ita in *epist. ad Antonianum*, p. 72, hæc posuit Cyprianus: *Et quidem apud antecessores nostros quidam de episcopis, istic in provincia nostra dandam pacem mœchis non putaverunt, et in totum pœnitentiæ locum contra adulteros clauserunt. Non tamen a coepiscoporum suorum collegio recesserunt, aut catholicæ Ecclesiæ unitatem vel duritiæ vel censuræ suæ obstinatione ruperunt; ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat de Ecclesia separaretur. Manente concordiæ vinculo et perseverante catholicæ Ecclesiæ individuo sacramento, actum suum disponit et dirigit unusquisque episcopus rationem propositi sui Domino reddituras.* Confer vero egregias litteras Petri Gunning episcopi Eliensis ad Sheldonum archiepiscopum Cantuariensem de istis in hoc concilio Cypriani verbis, aliisque locis similibus, quos ad solos episcopos alienæ ditionis pertinere vir doctissimus statuit. Editæ sunt in *Bibliotheca litteraria*, num. XI, quæ cl. viris Jebbio et Wassio adscripta est. Et conveniens huic est verborum Cypriani interpretatio, cujus auctor est S. Augustinus...: *Utique in his quæstionibus, quæ nondum eliquatissima perspectione discussæ sunt*, lib. III *de Bapt.*, c. 5, *donec*, ut alibi Augustinus dixerat, *plenario totius orbis consilio, quod saluberrime sentiebatur etiam remotis dubitationibus firmaretur.* ROUTH.

*Cæcilius a Bilta.* Hunc eumdem esse atque Cæ-

unum ubi spes vera est et fides certa. Sic enim scriptum est : *Una fides, una spes, unum Baptisma* (*Ephes.* IV, 5), non apud hæreticos, ubi spes nulla est et fides falsa, ubi omnia per mendacium geruntur, ubi exorcizat dæmoniacus, sacramentum interrogat, cujus os et verba cancer emittunt, fidem dat infidelis, veniam delictorum tribuit sceleratus, et in nomine Christi tingit antichristus, benedicit a Deo maledictus, vitam pollicetur mortuus, pacem dat impacificus, Deum invocat blasphemus, sacerdotium administrat profanus, ponit altare sacrilegus. Ad hæc omnia accedit et illud malum, ut antistites diaboli audeant Eucharistiam facere; aut qui illis assistunt dicant hæc omnia falsa esse de hæreticis. Ecce ad qualia cogitur Ecclesia consentire, et sine Baptismo ac venia delictorum communicare compellitur. Quam rem, fratres, fugere ac vitare debemus et a tanto scelere nos separare, et unum Baptisma tenere, quod soli Ecclesiæ a Domino concessum est.

Primus a Misgirpa dixit : Censeo omnem hominem ab hæresi venientem baptizandum. Frustra enim illic putat se esse baptizatum, cum non sit Baptisma nisi in Ecclesia unum et verum : quia et Deus unus, et fides una, et Ecclesia una est, in qua stat unum Baptisma et sanctitas, et cætera. Nam quæ foris excerA centur nullum habent salutis effectum.

Polycarpus ab Adrumeto dixit : Qui hæreticorum Baptisma probant nostrum evacuant.

Novatus a Thamugade dixit : Licet sciamus omnes Scripturas testimonium reddere de salutari Baptismo, debemus tamen fidem nostram exprimere, hæreticos et schismaticos ad Ecclesiam venientes, qui pseudobaptizati videntur, debere eos in fonte perenni baptizari, et ideo secundum testimonium Scripturarum et secundum decretum collegarum nostrorum sanctissimæ memoriæ virorum omnes schismaticos et hæreticos qui ad Ecclesiam conversi sunt baptizari, sed et eos qui ordinati videbantur, inter laicos recipi.

Nemesianus a Thubunis dixit : Baptisma quod dant hæretici et schismatici non esse verum ubique in B Scripturis sanctis declaratum est : quoniam ipsi præpositi eorum falsi christi sunt et falsi prophetæ, dicente Domino per Salomonem : *Qui fidens est in falsis, hic pascit ventos, idem autem ipse sequitur aves volantes. Deserit enim vias vineæ suæ, a semitis vero agelli sui erravit. Ingreditur autem per avia loca atque arida et terram destinatam in sitim, contrahit autem manibus infructuosa* (*Prov.* IX, 12, 18, *sec.* LXX). Et iterum : *Ab aqua aliena abstine te, et de fonte extraneo ne bibe-*

## VARIORUM NOTÆ.

cilium illum, ad quem mittit Tractatum suum *de Cœna Domini* Cyprianus, judicat Ceillier. in *Histoire générale des Auteurs sacrés et ecclés.*, vol. III, c. 31, § 7. p. 570. ROUTH.

*Exorcizat.* In codd. Veronensi et Fox. *exorcidiat*, quod ex vitiosa pronuntiatione venit, *cizat* ut *cidjat*, C unde alii, *cidiat*. RIGALTIUS. — Ita in Commodiani *Instruct.*, numero 37 ad p. 230, ed. Davis, titulus est, *Qui judæidiant fanatici* pro *judaizant*, ubi hic Cypriani locus cum Commodiano confertur. ROUTH.

*Sacramentum interrogat.* Additur vox *sacrilegus* in edit. Baluzii, fortasse ex mss. nescientibus tamen vocabulum *editis*, ni fallor, omnibus, *Interpretationeque Græca* et *Augustino*. Delevi eam, cum mihi quidem haud placeret repetita vox in statim post sequentibus, *ponit altare sacrilegus*. Servandum autem id censui, quod paulo ante a Baluzio in textu positum est *geruntur* pro veteri lectione *aguntur*, et mox ad finem hujus suffragii *Domino* pro *Deo*. ROUTH.

*Primus a Misgirpa.* Urbs Zeugitanæ. Augustinus habet, *primus Felix a Misgirpa*. Idque nomen sæpius, et designato repetit. Cum vero constet plures hic subsequi Felices ; et solemne sit ejusdem nominis episcopos, adjecta aliqua notata reliquis distinguere : subest non levis suspicio, illum qui hoc loco sen- D tentiam tulit Felicem fuisse appellatum, et quia ante reliquos dixerat, primum vocari, ut a Felice a Bagai, alio Felice ab Uthina, a Marozani, a Buslacenis, et a Gurgitibus distingueretur ; et ita, lapsu satis proclivi, *primi* vocem quæ numerum solummodo designabat, vero nomine, tamquam supervacaneo, omisso in nomen transiisse. Civitatis hujus episcopi mentionem faciunt inter alios Collat. Carthag. et Vict. Vit. Porro notandum, in Africa Primates, non ab urbium opibus aut prærogativa *sed secundum tempus suæ ordinationis*, ut Leonis IX verbis utar, censeri solitos : atque ideo *senes* appellabantur. Insuper in suffragiis ferendis is fuit mos perpetuus, ut ii qui primi ad episcopatum promoti, ante alios sententiam dicerent. Quare illos qui hic ordinem ducunt, provinciarum primates fuisse existimo. Septem quidem fuerunt partitiones Africæ, respectu regiminis civilis ; sed tres tantum fuisse ecclesiasticas, ex synodi hujus initio datur intelligi. FELLUS. — Vid. supra, p. 151. Notaverat ante Pamelius, « Omisi cum ms. et Manutio quod interserebatur Felix, tum in excusis tum apud D. Augustinum, eo quod primus episcopus supra tomo primo cum aliis epistolam LXVIII scripserit. » Epistola hæc est concilii superius numerati IV. Scribitur urbs *Migirpa* in *edd. Erasmi, Manutiique, Augustino* et *conciliis editis*, et rectius, nam Migirpa cum in *Notitia* tum in *Collat. Carthag.* memorata, in provincia proconsulari sita est. Vid. Dupinii Geograph. sacram Africæ *S. Optato* præfixam, p. 32 Etsi notat Harduinus legi in ms. suo *Miscirpa*. ROUTH.

*Polycarpus ab Adrumeto.* Is est ille de quo mentio facta in epist. XLVI ad Pamel. num. 45 et fortasse ep. LXXXVI ad Pam., num. 68. FELL.

*Testimonium reddere.* Vulgo *sibi testimonium reddere*, quod mutavi fide nixus *edit. Erasmianæ, Augustini, interpretisque Græci* et *conciliorum*. ROUTH.

*Inter laicos recipi.* Sic (Cyprian.) epist. ad Antonianum : *Sic tamen admissus est Trophimus, ut laicus communicet*. RIGALT. — Adde quod supra dictum est in *epist. concilii Carthag.* 4, p. 82, et not., p. 17. ROUTH.

*Falsi christi.* Falsi christiani. Ita restituimus ex fide veterum librorum. Confirmant autem hanc restitutionem verba Secundiani a Carpis, p. 335 actorum concilii : *Si christiani non sunt, quomodo christianos faciunt !* Non displicet tamen lectio quæ habet *falsi christi*. BALUZ. — Pamelius quoque quatuor memoraverat codices, in quibus legebatur *falsi christiani*. Sed alteram revocavi locutionem, quæ cum petita esset ex *Matth.* XXIV, 24, et *Marc.* XIII, 22, tum a Firmiliano in celebri adhibetur epistola. *Et tamen non pudet Stephanum*, inquit ille, *Cyprianum* pseudochristum *et, pseudoapostolum et dolosum operarium dicere*. ROUTH.

*Qui fidens est in falsis*, etc. Omnia hæc, quæ ex capite nono *Proverbiorum* secundum LXX desumpta sunt, respuunt exemplaria Hebr. et Vulgata Interp. ROUTH.

*Extraneo.* Quamvis alia lectio, quæ habet *alieno*, bona sit, coactus sum mutare propter auctoritatem veterum exemplarium ; etenim *extraneo* scriptum inveni in septemdecim libris nostris et in duobus Anglicanis ; immo monasteriensis, in quo legitur *externo*, probat hanc mutationem esse legitimam :

Digitized by Google

*ris, ut longum vivas tempus, adjiciantur etiam tibi anni vitæ.* Et in Evangelio divina sua voce Dominus noster Jesus Christus locutus est dicens : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu non potest introire in regnum Dei* (*Joan.* III, 5). Hic est Spiritus qui ab initio ferebatur super aquas. Neque enim Spiritus sine aqua operari potest, neque aqua sine Spiritu. Male ergo sibi quidam interpretantur ut dicant quod per manus impositionem Spiritum sanctum accipiant et sic recipiantur, cum manifestum sit utroque Sacramento debere eos renasci in Ecclesia catholica. Tunc quippe poterunt filii Dei esse, dicente Apostolo : *Curantes servare unitatem Spiritus in conjunctione pacis, unum corpus, et unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ, unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus* (*Ephes.*, IV, 3, 4). Hæc omnia Ecclesia catholica loquitur. Et iterum in Evangelio dicit Dominus : *Quod natum est de carne caro est, et quod natum est de Spiritu spiritus est ; quia Deus Spiritus est, et de Deo natus est* (*Joan.*, III, 6). Ergo omnes hæretici et schismatici omnia quæcumque faciunt carnalia sunt, dicente Apostolo : *Manifesta enim sunt opera carnis, quæ sunt, fornicationes, immunditiæ, incestum, idololatriæ, veneficia, inimicitiæ, certamina, zelus, ira, divisiones, hæreses, et his similia ; de quibus prædixi vobis, sicut prædico, quoniam quicumque faciunt regnum Dei non hæreditabunt* (*Gal.*, V, 19, 20, 21). Condemnat itaque Apostolus cum omnibus malis et eos qui divisionem faciunt, hoc est schismaticos et hæreticos. Nisi ergo acceperint Baptisma salutare in Ecclesia catholica, quæ una est, salvi esse non possunt, sed cum carnalibus in judicio Domini Christi damnabuntur.

Januarius a Lambese dixit : Secundum Scripturarum sanctarum auctoritatem decerno hæreticos omnes baptizandos, et sic in Ecclesiam sanctam admittendos.

Lucius a Castra Galbæ dixit : Cum Dominus in Evangelio suo dixerit : *Vos estis sal terræ, si autem sal infatuatum fuerit, in quo salietur? Ex eo ad nihilum valebit nisi ut projiciatur foras et conculcetur ab hominibus* (*Matth.*, V, 13) ; et iterum post resurrectionem suam mittens Apostolos suos, mandaverit dicens : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Ite, et docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.*, XXVIII, 18, 19). Cum ergo manifestum sit hæreticos, id est hostes Christi, non integram Sacramenti confessionem habere, item schismaticos non posse condire sapientia spiritali, cum ipsi ab Ecclesia, quæ una est, recedendo infatuati contrarii facti sint, fiat sicut scriptum est, *Domus contrariorum legis debet emundationem*, et consequens est eos qui a contrariis baptizati inquinati sunt primo purgari et tunc demum baptizari.

Crescens a Cirta dixit : In tanto cœtu sanctissimorum consacerdotum, lectis litteris Cypriani dilectissimi nostri ad Jubaianum, itemque ad Stephanum,

## VARIORUM NOTÆ.

infra in allocutione Sedati a Tuburbo, p. 332, pro *alienus* codex Gratianopolitanus habet *extraneus*. BAL. — Augustini quoque redargutio, quæ sæpe jam memorata est, vocem *extraneo* agnoscit, quamquam in ipso suffragio alterum vocabulum positum habes apud eumdem Patrem. Mox *aquas* pro *aquam*, quæ cæterorum est scriptura, Baluzius posuit. ROUTH.

*Quia Deus Spiritus*, etc. Vide librum domni Petri Coustant. in quo confirmantur vindiciæ veterum codicum, p. 57 (52, 53). BAL. — Agit Millius quoque in *Appendice ad Notas in Test. Nov*, p. 31 ed. Oxon., de hoc Latinorum additamento, *quia Deus Spiritus est, et de Deo natus est* ; quæ quidem clausula, *et ex Deo natus est*, in antiquissimo cod. Evangelii Latino, qui biblioth. Bodleianæ est, additur. Cæterum Fellus istud *et de Deo natus est* exponit, *et natus de Spiritu, de Deo natus est*. De quo tamen interpretamento hæc adnotat Maranus *in Præfatione ad Cyprianum*, p. 56. « Minus commode editor Oxoniensis illud, *de Deo natus est*, sic explicat, natus de Spiritu de Deo natus est. At dicere debuisset Nemesianus, *de Deo natum est*. Qui mediocriter attendet, hanc hujus loci videbit esse sententiam, quod ex Spiritu natum est, Spiritum esse, quia Spiritus sanctus, cum Deus sit et ex Deo natus sit sive processerit (hæc enim interdum idem sonant), pro summa sua potestate spiritus eos efficit quos regenerat. » ROUTH.

*Idololatriæ*. Addidit vocem *servitus* forsitan ex codicibus suis Baluzius, quam agnoscit Vulgata interpretatio vertens *idolorum servitus*, quæ ipsa, ut videtur, Cypr anicæ lectionis est origo. Ergo vocem omisi. ROUTH.

*Lambese*. Λαμαίσα sive Λαμβαίτα Ptol. Numidiæ urbs, de qua supra ex Anton. insuper Cypr. epist. LIX ad Pam. numero 55 Lambesitanam coloniam appellat. FELL.

*Ite, et docete*. Cæteri præter Baluzium habent : *Ite ergo, et docete*. Et vulgo sic legitur in *Nov. Test.* nam addita est particula οὖν in exemplaribus Græcis impressis, remitentibus tamen plurimis codicibus manuscriptis. Mox in suffragiis 10 et 29 et 35 ubi affertur locus, *ergo* abest ; sicut apud auctorem *de Rebaptism.* ad p. 338. ROUTH.

*Domus contrariorum legis*. LXX habent οἰκίαι παρανόμων ὀφειλήσουσι καθαρισμόν. Hebræa toto cœlo videntur distare. אוהלים ליץ אשם Nec facile est conjectura assequi quid præ oculis haberent Græci interpretes, nisi forte per errorem legerant לץ אוהלי אשם habitacula derisoris in piamentum. FELLUS.

*Primo purgari*. Anglicus ait interpres... « per pœnitentiam quæ agenda est ante admissionem ad Ecclesiam per Baptismum. » Sed forsitan intelligendus est exorcismus, qui in suffragiis VIII, et XXXI, et XXXVII, hominibus conversis commendari et injungi videtur. Porro in canone septimo *Concilii œcumenici secundi* mos exorcizandi tam illos hæreticos, qui in eo nominantur, quam ethnicos, ante Baptismum, firmatur ac stabilitur. ROUTH.

*Itemque ad Stephanum*. Ita scriptum est in editionibus, et in omnibus fere libris veteribus. Quæ verba desunt in Fuxensi, recte autem omissa in illo fuisse et de eri debere hinc colligitur quod certum sit nullam antea litterarum Cypriani ad Stephanum mentionem fieri in hac synodo, uti recte observavit sanctus Augustinus, lib. VI *de Baptismo contra Donatistas*, cap. 15, ubi etiam scribit se epistolam illam Cypriani ad Stephanum non vidisse. Verum id probat istud additamentum esse vetus. Vid. supra, p. 502. BALUZ. — Ibi constat aliter sensisse olim de hac re Baluzium ; hanc enim ipsam epistolam appellat, quam Crescens episcopus Cirtensis commemorat scriptam a Cypriano ad Stephanum, eamque nunc non exstare putat, et diversam fuisse a Cypriani illa ad Stephanum de

Digitized by Google

quæ tantum in se sanctorum testimoniorum descendentium ex Scripturis deificis continent ut merito omnes per Dei gratiam adunati consentire debeamus, censeo omnes hæreticos et schismaticos qui ad catholicam Ecclesiam voluerint venire non ante ingredi nisi exorcizati et baptizati prius fuerint, exceptis his sane qui in Ecclesia catholica fuerint ante baptizati, ita tamen ut per manus impositionem in pœnitentiam Ecclesiæ reconcilientur.

Nicomedes a Segermis dixit : Mea sententia hæc est, ut hæretici ad Ecclesiam venientes baptizentur, eo quod nullam foris apud peccatores remissionem peccatorum consequantur.

Munnulus a Girba dixit : Ecclesiæ catholicæ matris nostræ veritas semper apud nos, fratres, et mansit et manet, et vel maxime in Baptismatis trinitate, Domino nostro dicente : *Ite et baptizate Gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.*, XXVIII, 19). Cum ergo manifeste sciamus hæreticos non habere nec Patrem nec Filium nec Spiritum sanctum, debent venientes ad Ecclesiam matrem nostram vere renasci et baptizari, ut cancer quod habebant et damnationis ira et erroris offectura per sanctum et cœleste Lavacrum sanctificetur.

Secundinus a Cedias dixit : Cum Dominus noster Christus dicat : *Qui non est mecum adversus me est*

## VARIORUM NOTÆ.

Baptismo hæreticorum, quæ num. LXXII notatur. Pearsonius in *Annalibus Cypr.* ad an. 256. « Lecta est etiam epistola Cypriani ad Stephanum, quod quidem ipse omisit (initio *Actorum*), sed Crescens a Cirta episcopus notavit. » (§ 9). ROUTH.

*Sanctorum testimoniorum.* Octo libri veteres, et in his Seguierianus habent *sanctimoniorum*. Alii sex *sanctissimorum*, omissa voce *testimoniorum*, quæ deest etiam apud Augustinum; pro quo Lætiensis habet *decretorum*. Vide notas Benedictinorum nostrorum ad librum sextum Augustini *de Baptismo contra Donatistas*. c. 15. Vid. *supra*, p. 407. BAL.

*Per manus impositionem.* Pœnitentes ad pœnitentiæ stationem suam per manuum impositionem admitti soliti sunt ; quæ quidem impositio manuum sæpius repetebatur. Hoc autem significatur in Cypriani epist. XV, al. 11. Item canone XV *concilii Agathensis* sancitum est debere omnes ad episcopum accedere pœnitentiæ causa, ut manus sibi imponantur secundum morem ubique receptum. Hæc Marshallus interp. Anglicus. Tria saltem impositionum manus genera in hujus concilii actis invenio ; unum *ad accipiendum Spiritum sanctum* in suffragiis V et XXIV et in epistola synodi superioris commemoratum ; alterum hoc *in pœnitentiam* super illos qui baptizati prius in Ecclesia fuissent, postea *per manus impositionem restituendos*, hoc est, absolutionem dum accipiunt, de quo agit suffragium XXII tertium denique *in exorcismo* adhibitum, quod in suffragium XXXVII nominatur, quodque itidem indicari videtur in VII et XXXI. ROUTH.

Romani quidem episcopi verba quæ a Cypriano in *epist. ad Pompeium*, sub init. adducuntur, ita se habent : *Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam.* Et postquam superiora scripseram, vidi Petrum Constantium in *Dissertatione* supra ad p. 149 commemorata, quæ *de Stephani sententia* agit *circa Receptionem hæreticorum*, docentem sect. V, p. 238 246, nihil esse in verbis Stephani, quod *Confirmationis* sacramentum significet, nihil quo aliam ab eo manus impositionem, quam istam, quæ *pœnitentiæ* indicium esset, desiderari opinemur. Fatetur tamen idem vir cl. Firmilianum et Cyprianum eorumque socios aliquos, Stephani istæc verba interpretantes, ritus Confirmationis ab hæreticis celebrati iterationem ab eo admitti sibimet persuasisse ; hoc vero Cypriano non vere persuasum esse statuit, ut dixi supra ad p. 146, cl. Maranus. Immo insuper concedit idem Constantius, antiquum scriptorem *de Baptismo hæreticorum* inter Cyprianica opuscula collocatum, impositionem manus, quæ venientibus ab hæresi injuncta est, ad Confirmationem spectare censuisse. Aliis vero veterum auctorum locis et formulis quibusdam ritualibus se induci Constantius ait, ut existimet duplicem fuisse manus impositionem super venientes *ab hæresi*, a Confirmationis ritu utramque distinctam ; unam, quæ per invocationem sancti Spiritus Catholicorum conventui statim societ, alteram, qua differatur sanctæ communionis restitutio, ut per plurimos pœnitentiæ fructus acquiratur. Attamen haud æque fortasse certum est, quicquid dixerit aut Constantius, aut Maranus, Stephani verba Confirmationis, seu consignationis, ritum, quo datur Spiritus sanctus, exclusisse, ac clarum est quandoque statuisse Ecclesiam veterem, oportere hæreticos, qui ad Ecclesiam numquam pertinuissent, per ritum istum Confirmationis, collato in illos Spiritu sancto, ad communionem admitti. Videsis quæ ad *Concil.* VI supra dicuntur, p. 145, ac præsertim canonem illum *concilii Arelat.* cum suffragio quinto horum præsulum collatum. Cons. et Can. VII Concilii Ctpol. I, apud Zonaram infra ad p. 173.

*Munnulus.* In cod. Veronensi ab hoc episcopo omnes fere deinceps episcopi sententiis suis hanc formulam præmittunt, in pace, quæ in Foxiensi nullibi legitur (Cons. Rigalt. infra, p. 163, qui ait idem factum in *ms. Corbeiensi* a Satio episcopo in suffrag. fere omnibus usque ad finem). RIGALT. De Monnulo mentio habetur ep. ad Cornelium concilii nomine, de pace lapsis danda (supra ad p. 69). FELL. Munnulus pro Monnulo in *ed. Baluziana* exstat, et Harduinus in *ed.* sua *Conciliorum* ait, « recte *ms. noster* Munnulus (sic) a Girba. » ROUTH.

*Baptismatis trinitate.* Quia trina immersione expediebatur, nomine Patris, Filii et sancti Spiritus. Tertull. de Corona ait : *Ter mergitamur.* Basilius de Spiritu sancto, c. 27, vocat, τρὶς βαπτίζεσθαι. De hac re videantur Cyrill. Hierosol., Athan., Ambros. et Hieronym, et alii e veteribus passim. FELL.

*Vere renasci.* Mala non est lectio quorumdam veterum librorum in quibus scriptum est *venire, nasci et baptizari.* Unus meus multum confirmat hanc lectionem ; habet enim *venire et nasci et baptizari* : eam quoque confirmare videntur verba Cassii a Macomodibus, p. 332 *cum ad Ecclesiam venire cæperent.* Vide quæ dicta sunt a nobis ad epistolam *ad Donatum*, p. 373. BALUZ.

*Cancer quod habebant.* Confert cum *suffragio primo* Anglicus interpres, ubi hæc sunt, *Sacramentum interrogat cujus os et verba cancer emittunt.* ROUTH.

*Offectura.* Hanc lectionem inveni in eodem libro meo veteri et in pluribus aliis, tum etiam apud Augustinum, lib. VI *de Baptismo contra Donatistas*, c. 17. Codex Seguierianus et quidam a ii præferunt *damnationis iram et erroris effecturam.* BAL. Vulgo *effectura.* Alteram vero lectionem jam receperat Pamelius, dixeratque Rigaltius, in codice Foxiensi legi *offectura*, pro eo quod officit, et hanc esse verissimam lectionem. ROUTH.

*A Cedias.* Urbem istam non eamdem esse atque illam *Quidias* seu *Quida* appellatam, quod sentiebant quidem Fellus et Harduinus, ostendit Dupinius in Geo

Digitized by Google

(*Matth.*, xii, 30), et Joannes apostolus (I *Joan.* ii, 18, 19) eos qui ab Ecclesia exeunt antichristos dicat, indubitanter hostes Christi, quique antichristi nominati sunt, gratiam Baptismi salutaris ministrare non possunt. Et ideo censeo eos qui de insidiis hæreticorum confugiunt ad Ecclesiam baptizandos esse a nobis, qui amici appellati sumus Dei de ejus dignatione (*Joan.*, xv, 15).

Felix a Bagai dixit: Sicut cæcus cæcum ducens simul in foveam cadunt (*Matth.* xv, 14), ita hæreticus hæreticum baptizans simul in mortem cadunt. Et ideo hæreticus baptizandus est, et vivificandus, ne nos vivi mortuis communicemus.

Polianus a Mileo dixit: Justum est hæreticum baptizari in Ecclesia sancta.

Theogenes ab Hippone regio dixit: secundum Sacramentum Dei gratiæ cœlestis, quod accepimus, unum Baptisma quod est in Ecclesia sancta credimus.

Dativus a Badis dixit: Nos quantum in nobis est hæreticis non communicamus, nisi baptizati in Ecclesia fuerint, et remissionem peccatorum acceperint.

Successus ab Abbir Germaniciana dixit: Hæreticis aut nihil licet aut totum licet. Si possunt baptizare, possunt dare et Spiritum sanctum. Si autem Spiritum sanctum dare non possunt, quia non habent Spiritum sanctum, nec baptizare spiritaliter possunt. Propterea censemus hæreticos baptizandos esse.

Fortunatus a Tuchabori dixit: Jesus Christus Dominus et Deus noster Dei Patris et creatoris Filius (*Matth.*, xvi, 18) super petram ædificavit Ecclesiam suam, non super hæresim, et potestatem baptizandi episcopis dedit, non hæreticis. Quare qui extra Ecclesiam sunt, et contra Christum stantes oves ejus et A gregem spargunt, baptizare foris non possunt.

Sedatus a Tuburbo dixit. In quantum aqua sacerdotis prece in Ecclesia sanctificata abluit delicta, in tantum hæretico sermone velut cancere infecta cumulat peccata. Quare omnibus pacificis quidem viribus nitendum est ne quis hæretico errore infectus et tinctus singulare et verum Ecclesiæ Baptismum detrectet accipere; quo quisquis non fuerit baptizatus regno cœlorum fiet alienus.

Privatianus a Sufetula dixit: Qui hæreticos potestatem baptizandi habere dicit, dicat prius quis hæresim condiderit. Si enim hæresis a Deo est, habere et indulgentiam divinam potest. Si vero a Deo non est, quomodo gratiam Dei aut habere aut conferre alicui potest?

B Privatus a Sufibus dixit: Qui hæreticorum Baptismum probat, quid aliud quam hæreticis communicat?

Hortensianus a Laribus dixit: Quot sint Baptismi viderint aut præsumptores aut fautores hæreticorum. Nos unum Baptisma, quod non nisi in Ecclesia novimus, Ecclesiæ vindicamus. Aut quomodo possunt in nomine Christi aliquem baptizare quos ipse Christus dicit adversarios suos esse?

Cassius a Macomadibus dixit: Cum baptismata duo esse non possint, qui hæreticis Baptisma concedit sibi tollit. Censeo itaque flebiles et tabidos hæreticos baptizandos esse cum ad Ecclesiam venire cœperint, et sacra et divina lavatione lotos, et lumine vitæ illuminatos, non hostes, sed pacificos, non alienos, sed fidei Domini domesticos, non adulteros, sed Dei filios, non erroris sed salutis effectos, in Ecclesiam recipi, absque his qui de Ecclesia fideles supplantati ad hæresis tenebras transierant, sed eos per manus impositionem restituendos.

Alius Januarius a Vico Cæsaris dixit: Si non ob-

## VARIORUM NOTÆ.

graphia sacra Africæ, quam S. *Optato* præfixit. ROUTH.

*Vivificandus.* Ita restituimus ex fide veterum manuscriptorum. Vide notas ad librum de Oratione Dominica. BAL. Ibi nimirum *vivificato* pro *justificato* ex libris vir doctissimus similiter restituit; cum enim hoc loco pleræque editiones ante Fellum impressæ habuissent *justificandus*, posuit præsul ille ex uno codice Bodleiano *innovandus*. Sed et *Conciliorum editiones*, sicut *Augustinus*, immo etiam *Erasmiana Cypriani editio*, in qua primum posita hæc acta, *vivificandus* præstant, quod ex fide *veterum manuscriptorum* se restituisse addit Baluzius. ROUTH.

*Hippone regio.* Urbs Numidiæ, Augustini sedes episcopalis. A Carthagine distat Antonino supputante 218 M. P., ab Hippone diarrhyto 160 M. P. Nunc temporis appellatur *Bona*. FEL.

*Quantum in nobis est.* Ait respondens sanctus Augustinus: *Vidit plures huic sententiæ consentire, a quorum tamen consortio, ne violaretur unitas, se isti* (hi sunt suffragatoris οἱ ὁμοψῆφοι) *separare non possent.* In *Sententia* xviii, Sedatus epi-copus dixit: *Quare omnibus pacificis quidem viribus nitendum est, ne quis hæretico errore infectus et tinctus singulare* (sic) *et verum Ecclesiæ Baptismum detrectet accipere.* Confer et ipsius Cypriani proœmium. ROUTH.

*Super Petram.* Ita sanctus Augustinus in loco paulo ante laudato. Ita etiam scripsit Erasmus, ita quoque ego reperi in quinque codicibus antiquis. Aliam lectionem quæ habet *super Petrum*, legi in codice Seguerianо et in aliis tredecim; et sic quoque scriptum esse in codicibus manuscriptis operum sancti Augustini monent eruditissimi monachi Benedictini qui postremam operum ejus editionem curarunt. Atque ego sane, qui scio sanctum Cyprianum frequenter scribere Ecclesiam esse fundatam super Petrum, facile eam lectionem prætulissem, quæ nititur auctoritate plurimorum veterum librorum, nisi animadvertissem comparationem hic instituі inter Ecclesiam et hæresim, adeoque retinendam esse vocem *petram*, in qua ædificatur Ecclesia, ut ait Augustinus; infra in allocutione Januarii Muzulensis, p. 334, legitur: *Ecclesia et hæresis duæ diversæ res sunt.* BAL. — Quamquam de hac re sæpius monuimus; quod importuni librarii ubi petræ occurrebat mentio, statim ad Petrum id pertrahebant: tamen cum Rigaltio hic observare par erit, *Augustinum exemplaris sui fidem secutum hic legisse: Ædificavit Ecclesiam suam Christus super petram, non super arenam.* FELL.

*Velut cancere.* Vox recte se habet; quantumvis reclament quidam grammatici. Lucretius, lib. v, dicit, *Canceris ut vertat metas ad solstitialeis*; et neutrum esse, prout hic usurpatur, diserte affirmat Priscianus. FELLUS.

*Præsumptores.* Conferas *Suffrag.* Secundini a Thambeis quod octogesimum est. ROUTH.

*Flebiles et tabidos.* In Foxiensi, *flebiles et habiles*, perperam; Tabidos hæreticos dicit, quasi tabescentes.

Digitized by Google

temperat error veritati, multo magis veritas non consentit errori. Et ideo nos Ecclesiæ assistimus, in qua præsidemus, ut baptismum ejus ipsi soli vindicantes, eos quos Ecclesia non Baptizavit baptizemus.

Alius Secundinus a Carpis dixit: Hæretici christiani sunt, an non? Si christiani sunt, cur in Ecclesia Dei non sunt? Si christiani non sunt, quomodo christianos faciunt? Aut quo pertinebit sermo Domini dicentis (*Matth.* XII, 30): *Qui non est mecum, adversus me est, et qui non mecum colligit spargit.* Unde constat super filios alienos et soboles antichristi Spiritum sanctum per manus impositionem tantummodo non posse descendere, cum manifestum sit hæreticos Baptisma non habere.

Victoricus a Thabraca dixit: Si licet hæreticis baptizare et remissam peccatorum dare, quid illos infamamus et hæreticos appellamus?

Alius Felix ab Uthina dixit: Nemini dubium est, sanctissimi consacerdotes, non tantum posse humanam præsumptionem quantum Domini nostri Jesu Christi adorandam et venerabilem majestatem. Memores ergo periculi, hoc quoque non tantum observare debemus, verum etiam ab omnibus nobis confirmari oportet ut omnes hæretici qui ad sinum matris Ecclesiæ accurrunt baptizentur, ut mens hæretica, quæ diuturna tabe polluta est, sanctificatione Lavacri purgata in melius reformetur.

Quietus a Baruch dixit: Qui fide vivimus, obsequi iis quæ instruendis nobis ante prædicta sunt credula observatione debemus. Nam scriptum est apud Salomonem (*Eccles.* XXXIV, 25): *Qui baptizatur a mortuo, quid proficit lavatio ejus?* Quod utique de his qui ab hæreticis tinguntur et de tingentibus loquitur. Si enim qui apud illos baptizantur per remissionem peccatorum vitam æternam consequuntur, cur ad Ecclesiam veniunt? Si vero a mortuo salutis nihil accipitur, ac proptera agnito errore pristino ad veritatem cum pœnitentia revertuntur, uno vitali Baptismate, quod in Ecclesia catholica est, sanctificari debebunt.

Castus a Sicca dixit: Qui, contempta veritate, præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres invidus est et malignus, quibus veritas revelatur, aut circa Deum ingratus est, cujus inspiratione Ecclesia ejus instruitur.

Euchratius a Thenis dixit: Fidem nostram et Baptismatis gratiam et legis ecclesiasticæ regulam Deus et Dominus noster Jesus Christus suo ore Apostolos docens perimplevit dicens: *Ite, et docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). Falsum ergo hæreticorum Baptisma et iniquum a nobis pellendum est et omni detestatione refutandum, de quorum ore virus, non vita, nec gratia cœlestis, sed blasphemia Trinitatis exprimitur. Et ideo venientes ad Ecclesiam hæreticos integro et catholico Baptismate baptizari debere manifestum est, ut a blasphemia suæ præsumptionis purificati possint Spiritus sancti gratia reformari.

Libosus a Vaga dixit: In Evangelio Dominus, (*Joan.* XIV, 6) *Ego sum*, inquit, *veritas.* Non dixit: Ego sum consuetudo. Itaque, veritate manifestata, cedat consuetudo veritati, ut etsi in præteritum quis in Ecclesia hæreticos non baptizabat nunc baptizare incipiat.

Lucius a Thebeste dixit: Hæreticos blasphemos

## VARIORUM NOTÆ.

mœrore et squalore pœnitentiæ. RIGALT. — Dubium an intelligat Cassius ex pœnitentia squalidos et lacrymis diffluentes; an malis moribus corruptos et deploratos. Infra dicitur: *Mens hæretica, quæ diuturna tabe polluta est:* quod ad posteriorem sensum inclinat. FELLUS.

*Ecclesiæ assistimus.* Græca Interp. συνιστάμεθα τῇ ἐκκλησίᾳ. ROUTH.

*Quomodo Christianos faciunt.* Ista desunt in quinque antiquis codicibus et apud Augustinum, et pro iis legitur simpliciter *fiunt*, ut scribendum videatur, *si Christiani non sunt, fiant*, quomodo post hæc edita scriptum vidimus in codice sancti Arnulphi. Fiunt enim, non nascuntur Christiani, uti observatum est supra pag. 373, BALUZIUS. — Apud *Augustinum* quidem et, auctore Fello, M. *Ebor.* et *Bodl.* 2 Zonaramque γενίσθωσαν qui habet, legitur *fiant*, ipsum illud, quod nobis vir doctus commendat. Sed mihi tamen ampliandum videtur. ROUTH.

*Confirmari oportet.* Sic emendate edidit Baluzius forta se ex scriptis suis: dum alii aut omittunt verbum *oportet*, *confirmari* tamen vel *confirmare* legentes, aut verbum *debemus* post *confirmare*, non post *observare*, præstant. ROUTH.

*Quietus a Baruch.* In Veronensi *Confessor Quietus a Burug.* RIGALT. — De titulis istis Baluzius supra sub initium notarum. ROUTH.

*Baptizatur a mortuo.* Sequitur istud, *et iterum tangit mortuum*, in *edd. Erasmi* atque *Felli.* In harum editionum posteriore testis lectionis citatur *Augustinus*, quæ tamen in Augustini sicut *Cypriani* Benedictinis editionibus, merito rejecta est. Neque addit verba Cyprianus in *Epistola ad Quintum*; immo ita vel ineptius adduceretur Siracidæ istud, si id fieri possit, quam ante. Additamentum tamen exstat in *Edit. Harduina Conciliorum.*

*Blasphemia Trinitatis.* Observet lector, hic et alibi, *Trinitatis* vocem Personas divinas designare. Sic Tert. adv. Prax., c. 3: *Numerum et dispositionem Trinitatis, divisionem præsumunt Unitatis; quando Unitas ex semetipsa derivans Trinitatem, non destruatur ab illa, sed administretur. Itaque duos et tres jam jactitant a nobis prædicari, se vero unius Dei cultores præsumunt: quasi non et Unitas irrationaliter collecta, hæresin faciat; et Trinitas rationaliter expensa, veritatem constituat.* FEL. Cum Theophilus episcopus Antiochenus jam ante Tertullianum Τριάδος vocem de tribus Personis Divinis in lib. II *Adv. Autolycum*, c. 23, adhibuisset, *Trinitatem* postea dixerunt Latine loquentes Tertullianus, Cyprianusque, qui hac voce usus est non uno loco, et homo ejusdem ætatis hic ipse Eucratius. ROUTH.

*A blasphemia.* Ut ita scriberem me compulit auctoritas quindecim veterum exemplarium. Antea legebatur *a blasphemiæ suæ præsumptione.* Quæ sane lectio habetur in quibusdam codicibus antiquis. BALUZIUS. — Augustinus quoque habet, *a blasphemia suæ præsumptionis.* ROUTH.

*Libosus a Vaga.* In Veronensi *Confess. et Mart. in novis areis positus Libosus a Vaga.* RIGALT.

*Lucius a Thebeste.* In Ver. *Confess. et Mart. in Fausti positus Leucius a Theueste.* RIGALT.

Digitized by Google

atque iniquos verbis variis decerpentes sancta et adorabilia Scripturarum verba execrandos censeo, et ideo exorcizandos et baptizandos esse.

Eugenius ab Ammedera dixit : Et ego hoc idem censeo, hæreticos baptizandos esse.

Item alius Felix ab Amaccora dixit : Et ego ipse secutus divinarum Scripturarum auctoritatem baptizandos hæreticos esse censeo, sed et eos qui apud schismaticos baptizatos se esse contendunt. Si enim secundum cautum Christi privatus fons noster est, intelligant cuncti Ecclesiæ nostræ adversarii quia alienus esse non potest nec duobus populis salutarem aquam tribuere potest ille qui unius gregis pastor est. Et ideo manifestum est nec hæreticos nec schismaticos aliquid cœleste posse suscipere, qui a peccatoribus hominibus et ab Ecclesia extraneis audeant accipere. Quando danti locus non est, utique nec accipienti prodest.

Item alius Januarius Muzulensis dixit : Miror quod cum omnes confiteantur unum esse baptisma, non omnes intelligant ejusdem baptismatis unitatem. Ecclesia enim et hæresis duæ et diversæ res sunt. Si hæretici habent baptisma, nos non habemus. Si autem nos habemus, hæretici habere non possunt. Dubium autem non est Ecclesiam solam baptismum Christi possidere, quæ sola possideat et gratiam Christi et veritatem.

Adelphius a Thasvalte dixit : Sine causa quidam falso et invidioso verbo impugnant veritatem ut rebaptizare nos dicant, quando Ecclesia hæreticos non rebaptizet, sed baptizet.

Demetrius a Leptiminus dixit : Unum baptisma nos custodimus, quia Ecclesiæ catholicæ soli rem suam vindicamus. Qui autem dicunt quia hæretici vere et legitime baptizant, ipsi sunt qui non unum sed multa baptismata faciunt. Nam cum hæreses multæ sint, A pro earum numero et baptismata computabuntur.

Vincentius a Thibari dixit : Hæreticos scimus esse pejores quam ethnicos. Si ergo conversi ad Dominum venire voluerint, habemus utique regulam veritatis, quam Dominus præcepto divino mandavit Apostolis dicens (*Matth.* x, 8.) : *Ite, in nomine meo manum imponite, dæmonia expellite.* Et alio loco (*Matth.* xxviii, 19) : *Ite, et docete gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Ergo primo per manus impositionem in exorcismo, secundo per baptismi regenerationem, tunc possunt ad Christi pollicitationem venire. Alias autem fieri censeo non debere.

Marcus a Mactari dixit : Mirandum non est si hæretici hostes atque impugnatores veritatis rem sibi vindicant potestatis et dignationis alienæ. Sed illud mirandum est quod quidam nostri prævaricatores veritatis hæreticis suffragantur et christianis adversantur. Propterea decernimus hæreticos baptizandos esse. B

Sattius a Sicilibba dixit : Si hæreticis in baptismo sua peccata donantur, sine causa ad Ecclesiam veniunt. Nam cum in die judicii peccata sint quæ puniuntur, nihil est quod timere possint hæretici de judicio Christi, si sunt remissionem peccatorum consecuti.

Victor a Gor dixit : Cum peccata non nisi in Ecclesiæ baptismo remittantur, qui hæreticum ad communicationem sine baptismo admittit, utrumque contra rationem facit, nec hæreticos purgat, et christianos inquinat.

Aurelius ab Utica dixit : Cum dicat (1 *Tim.* v, 22). Apostolus non communicandum peccatis alienis, quid aliud quam peccatis alienis, communicat qui hæreticis sine Ecclesiæ baptismo communicat? Et ideo censeo baptizandos esse hæreticos, ut accipiant remissam peccatorum, et sic illis communicetur. C

## VARIORUM NOTÆ.

*Ab Amaccora.* Nescio quomodo accidit, ut ita scriberem (*ab* Amaccora) ut patet ex iis quæ a me annotata sunt in notis ad collationem Carthaginensem inter Catholicos et Donatistas, pag. 236. Cum autem propterea editionem meam istius collationis consulerem, forte evenit ut inciderem in paginam 122, ubi monui virum summe doctum et mihi numquam sine laude nominandum Jacobum Sirmondum erravisse cum scripsit illam factam esse altero anno post consulatum Varanis, eo in primis argumento quod ex Augustino colligatur, eractum esse jejunium Pentecostes, paulo ante collationem. Cum hæc mea observatio certa sit et nihil ad eam destruendam afferri possit, miror R. P. Joannem Harduinum virum multæ lectionis et eruditionis, insinuare voluisse in tomo primo editionis suæ Conciliorum, pag. 1048, standum esse opinioni Sirmondi. Quod ideo istic annoto, ne quis deinceps in hoc fallatur. Utinam Harduinus voluisset sequi editionem meam gestorum, quæ certe, absit verbo invidia, multo melior est ea quam ille dedit. BALUZ.

*Et ego ipse secutus.* Addidit Baluzius pronomen *ego*, forsitan ex scriptis suis, et mox infra edidit, *quia alienus esse non potest*, ubi Rigaltius *alienis* pro *alienus* habet; cæteri autem, *quia alieni sunt, nobiscum esse non possunt.* ROUTH.

*Privatus fons noster est.* Notanda est, ait Anglicus interpres, vetustissima accommodatio libri Canticorum ad Christum et Ecclesiam. ROUTH.

*Leptiminus.* Λέπτις μικρά Ptolem. Urbs Bysacenæ, cum Leptis Magna ad Tripolitanam pertineat. A Carthagine secundum Antoninum 106. M. P. distat. De hac mentio habetur in collat. Carthagin. et Notit. Afric. FELL.

*Non unum. Non duo* Augustinus habet. ROUTH. D

*Pejores quam ethnicos.* Confer *Suffrag.* Saturnini a Thucca, seu LII. ad pag. 102. ROUTH.

*Sattius.* In Corbeiensi, ab hoc episcopo omnes fere nominibus suis præmittunt, IN PACE : qua formula significare videntur, nolle se sententia sua quemquam a communione, et si diversum senserit, amovere. Quæ lex dicta per Cyprianum fuerat in præfatione Synodi. RIGALT.

*Et Christianos inquinat.* Augustinus respondens ait : *Illud sane quod in ultimo posuit dicens : « Utrumque contra, rationem,* etc.» *respuit primitus ac maxime Cyprianus ipse cum sibi consentientibus collegis suis. Neque enim inquinari se credidit, quando talibus propter vinculum pacis communicandum esse decrevit dicens : «Neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem si diversum senserit, amoventes.»* Vid. supra ipsum initium Concilii. ROUTH.

*Utica.* Urbs Zeugitanæ, *civium Romanorum; morte Catonis nobilis*, ut ait Plinius. Ἰτύκη Polybio et Ptolem. Nunc *Byzerta* appellata. FELL.



Digitized by Google

Jambus a Germaniciana dixit: Qui hæreticorum baptisma probant, nostrum improbant, ut extra Ecclesiam, non dicam lotos, sed sordidatos, negent in Ecclesia baptizari oportere.

Lucianus a Rucuma dixit: Scriptum est (*Gen.* I. 4): *Et vidit Deus lucem quia bona est, et divisit inter lucem et tenebras.* Si potest luci et tenebris convenire, potest nobis et hæreticis aliquid esse commune. Propterea censeo hæreticos baptizandos esse.

Pelagianus a Luperciana dixit: Scriptum est (III *Reg.* XVIII, 21): *Aut enim Dominus Deus est, aut Baal Deus est.* Ita et nunc, aut Ecclesia Ecclesia est, aut Hæresis Ecclesia est. Porro si Hæresis Ecclesia non est, quomodo esse apud hæreticos baptisma Ecclesiæ potest?

Jader a Midila dixit: Scimus non esse nisi unum baptisma in Ecclesia catholica. Et ideo non debemus admittere hæreticum nisi baptizatus apud nos fuerit, ne se putet extra Ecclesiam catholicam baptizatum esse.

Item alius Felix a Marazana dixit: Una fides, unum baptisma, sed Ecclesiæ catholicæ, cui soli licet baptizare.

Paulus ab Obba dixit: Me non movet si aliquis Ecclesiæ fidem et veritatem non vindicat, quando Apostolus dicat (*Rom.* III, 3): *Quid enim si exciderunt a fide quidam illorum? Numquid infidelitas eorum fidem Dei evacuavit? Absit. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax.* Si autem Deus verax est, quomodo esse apud hæreticos baptismi veritas potest, apud quos Deus non est?

Pomponius a Dionysiana dixit: Manifestum est hæreticos non posse baptizare et remissionem peccatorum dare, qui potestatem non habent ut aut solvere aut ligare aliquid in terris possint.

Venantius a Timisa dixit: Si maritus peregre proficiscens amico suo commendasset uxorem suam custodiendam, commendatam sibi ille quanta posset diligentia conservaret, ne ab aliquo castitas ejus et sanctitas adulteraretur. Christus Dominus et Deus noster ad Patrem proficiscens sponsam suam nobis commendavit. Utrumne eam incorruptam et inviolatam custodiemus, an integritatem ejus et castitatem mœchis et corruptoribus prodemus? Qui enim baptisma Ecclesiæ commune cum hæreticis facit, sponsam Christi adulteris prodit.

Abymnus ab Ausvaga dixit: Nos unum baptisma accepimus, et ipsum tenemus et exercemus. Qui autem dicit quia et hæreticis licet baptizare, ipse duo baptismata facit.

Saturninus a Victoriana dixit: Si licet hæreticis baptizare, excusati sunt et defensi illicita (*for.* licita *Marshal.*) facientes. Nec video quare eos aut Christus adversarios suos aut Apostolus antichristos appellaverit.

Saturninus a Thucca dixit: Gentiles quamvis idola colant, tamen summum Deum patrem creatorem cognoscunt et confitentur. In hunc Marcion blasphemat, et quidam non erubescunt Marcionis baptismum probare. Quomodo tales sacerdotes sacerdotium Dei aut servant aut vindicant qui hostes Dei non baptizant, et sic illis communicant?

Marcellus a Zama dixit: Cum peccata nonnisi Ecclesiæ baptismo remittantur, qui hæreticum non baptizat, peccatori communicat.

Irenæus ab Ululis dixit: Si ideo Ecclesia hæreti-

## VARIORUM NOTÆ.

*Jambus.* In Foxiensi neque hic neque in aliis episcoporum nominibus non leguntur appellationes confessorum neque martyrum. RIGALT. — Referas te ad Baluzii notam initio hujus Concilii positam. Porro *editio Oxoniensis* titulos conservavit, quos quidem ad singula nomina in his notis indicaturus sum. ROUTH.

*Germaniciana.* Nova nimirum, ut ab Abbiritana distingueretur. Urbis hujus episcopus tempore collat. Carthaginensis erat Innocentius. Ad Byzacenam pertinet, a Germanicarum cohortium veteranis habitata. De hac, ut et aliis plerisque, illud obtinet quod Plinius lib. IV, c. 4, refert, quod *non civitates tantum, sed etiam nationes jure dici possunt.* FELLUS.

*Ut.... negent.* Nova loquendi ratio, cujus tamen sensus apertus.

*Aut enim Dominus Deus est. Aut enim Dominus tuus Deus est.* Ita vulgo editum. Sed Augustin. habet, *Aut Dominus Deus est.* Fortasse ex antecedente voce istud *tuus* vitiose ortum est. Cumque in Erasmi edit. locum se ita habentem viderim, *Aut enim Deus* (sic) *Deus est* voculam *tuus* delendam putavi. ROUTH.

*Jader.* Editionem Erasmianam, in qua primum omnium Acta hujus synodi comparuerant, cæterœ excepta illa Baluzii imitatæ titulo *Confessoris et Martyris* hunc episcopum auxerunt. Sed neque huic, neque cuiquam patrum subsequentium, hujusmodi titulos contulit aut Augustinus, aut libri quos nominat initio hujus Concilii Baluzius. ROUTH.

*Paulus.* Vox *Confessor* nomini huic, et duobus, quæ proxime sequuntur, præmissa est in editionibus ante Baluzium. ROUTH.

*Ab Obba. Bobba.* Urbs Mauritaniæ. Obba dicta in Not. Afric. et collat. Carthag., sed codices plurimi habent Bobba, cui nomenclaturæ favet Plinius, qui in Mauritania *a Lixa* 40 *M. P. in Mediterraneo Augusti coloniam Bobbam* collocat. FELL.

*Et ipsum tenemus et exercemus.* Antea legebatur *tenemus et exercemus.* Sed *tenemus et* non exstat in codice Seguieriano neque in aliis veteribus. Anonymus in libro de Rebaptismate, p. 354, *baptismate quod interim exercebat.* BALUZIUS.—Cum Baluzius sine idonea, opinor, causa, hoc eliminasset, revocandum esse censui, quod in editis et in Augustini quoque nonnullis editionibus retentum esset. ROUTH.

*Saturninus.* Præmissum est in libris, quos ante dixi, *Alius Confessor.* ROUTH.

*Illicita facientes.* Mihi quidem probata est cl. Marshalli conjectura, reponentis *licita* facientes. ROUTH.

*Gentiles...summum Deum*, etc. Hoc certe probat ipsius animæ quamvis non christianæ testimonio Tertullianus lib. de Testimon. Animi. RIGALT.—*Summum Deum.* Jovem nimirum, qui pater hominum et deorum audit. FELL.

*Zama.* Urbs Numidiæ. *Azama* Ptolem. A Strabone, Plinio, aliisque memorata. Hic loci Hannibal a Scipione magna strage victus. FELL.

*Irenæus.* Is in libris quos memoravi, *confessor* audit. ROUTH.

Digitized by Google

cum non baptizat quod dicatur jam baptizatus esse A Hæresis major est.

Donatus a Cibaliana dixit : Ego unam Ecclesiam et unum baptisma ejus novi. Si est qui dicat esse apud hæreticos baptismi gratiam, ante est ut ostendat et probet esse illic Ecclesiam.

Zosimus a Tharassa dixit : Revelatione facta veritatis, cedat error veritati ; quia et Petrus qui prius circumcidebat, cessit Paulo veritatem prædicanti (*Gal.* III).

Julianus a Telepte dixit : Scriptum est (*Joan.* III, 29) : *Nemo potest aliquid accipere, nisi datum fuerit illi de cœlo.* Si Hæresis de cœlo est, potest et baptisma dare.

Faustus a Timida regia dixit : Non sibi, blandiantur qui hæreticis patrocinantur. Qui pro hæreticis ecclesiastico baptismati intercedit, illos christianos B et nos hæreticos facit.

Geminius a Furnis dixit : Quidam de collegis hæreticos præponere sibi possunt, nobis non possunt. Et ideo quod semel decrevimus tenemus, ut ab hæreticis venientes baptizemus.

Rogatianus a Nova dixit : Ecclesiam Christus instituit, Hæresim diabolus. Quomodo potest habere baptismum Christi synagoga Satanæ ?

Therapius a Bulla dixit : Qui hæreticis Ecclesiæ baptisma concedit et prodit, quid aliud quam Judas sponsæ Christi existit ?

Item alius Lucius a Membresa dixit : Scriptum est : *Deus peccatorum non audit* (*Joan.*, IX, 31). Hæreticus, qui peccator est, quomodo audiri in baptismo potest, ?

Item alius Felix a Bussacensis dixit : In hæreticis sine Ecclesiæ baptismo admittendis nemo consuetudinem rationi et veritati præponat, quia consuetudinem ratio et veritas semper excludit.

Alius Saturninus ab Avitinis dixit ; Si potest antichristus dare alicui gratiam Christi, possunt et hæretici baptizare, qui appellati sunt antichristi.

Quintus ab Aggya dixit : Ille potest dare aliquid qui aliquid habuerit, Hæretici autem quid possunt dare, quos constat nihil habere ?

Alius Julianus a Marcelliana dixit : Si potest homo duobus dominis servire, Deo et mammonæ, potest et baptisma duobus servire, christiano et hæretico (*Matth.* VI 24).

Tenax ab Horreis Cæliæ dixit : Baptisma unum est, sed Ecclesiæ. Ubi Ecclesia non est, baptisma illic esse non potest.

Alius Victor ab Assuras dixit : Scriptum est quia Deus unus est, et Christus unus, et Ecclesia una, et B baptisma unum (*Ephes.* IV, 5, 6) : quomodo ergo illic baptizari aliquis potest ubi Deus et Christus et Ecclesia non est ?

Donatulus a Capse dixit : Et ego semper hoc sensi, ut hæretici, qui nihil foris consequi possunt, quando ad Ecclesiam convertuntur baptizentur.

Verulus a Rusicade dixit : Homo hæreticus dare non potest quod non habet ; multo magis schismaticus, qui quod habuit amisit.

Pudentianus a Cuiculi dixit : Novitas episcopatus effecit, fratres dilectissimi, ut sustinerem quid majores judicarent. Nam hæreses nihil habere nec posse manifestum est. Atque ita si qui ex eis venerint baptizari æquissime statutum est.

Petrus ab Hippone Diarrhytorum dixit : Cum baptisma unum sit in catholica Ecclesia, manifestum C est non posse extra Ecclesiam baptizari. Et ideo in Hæresi tinctos sive in schismate venientes ad Ecclesiam censeo baptizari oportere.

Item alius Lucius ab Ausafa dixit : Secundum mo-

## VARIORUM NOTÆ.

*Hæresis major est.* Hoc est, major quam Ecclesia. Augustinus : *Respondetur. Hoc modo dici potest, si ideo avarum Ecclesia non baptizat, quod dicatur jam baptizatus esse, avaritia major est. Hoc autem falsum est : ita ergo et illud.* Lib. VII *contra Donatist.* ubi supra. An vero allato argumento satisfecerit, hoc responsum, viderit vir sanctus. ROUTH.

*Faustus.* Is quoque confessor appellatur in editt. ante Benedictinam secutis Erasmum qui primus hæc Acta edidit. ROUTH.

*Therapius.* Hic et pater alter post eum confessores in iisdem edd. vocantur. ROUTH.

*Bussacensis.* Reponendum credideram *Byzacens.* Byzacium enim Βυζάκιον appellat Ptolemæus ; cujus regionis fertilitatem miris modis effert Plinius non uno in loco. De hujus urbis episcopo mentio habetur in collat. Carthag. FELLUS. — In provincia est sita, quæ Byzacena dicta est. ROUTH.

*Ab Aggya.* Videtur esse Aggiva, de qua habetur mentio in collat. Carthag. FELLUS. — Ms. noster Abachia, unde incertum an a Bachia, an ab Achia, legendum sit. HARDUINUS.

*Alius Victor.* Confessoris titulo ornatus, ubi supra. Cæterum notat Harduinus, hunc esse Tenacis, qui præcessit sententiam in ms. societatis suæ, illamque vicissim esse hujus Victoris. ROUTH.

*Ecclesia non est.* Ut in superiori suffragio. Quapropter verulam *una post Ecclesia*, quam nescit Augustinus, hinc ejiciendam censui. ROUTH.

*Verulus. Martyr de schismaticis Verulus* (sic Fellf aliorumque edd.). Eo, ut videtur, loquendi genere positum, quo dicitur Ep. XLII, *Repostus de extorribus* ; Verulus scil. martyrio nobilis, licet olim schismaticus, supra annotatum elogia hæc omnia in plerisque exemplaribus omitti. FELLUS. — At potest fieri ut verba *de schismaticis* non nisi suffragii index marginalis fuerit. ROUTH.

*Multo magis schismaticus*, etc. Ita respondet Au- D gustinus : *Jam ostendimus eos habere, quia non amittunt cum recedunt ; non enim recipiunt cum redeunt.* Probatio est ex ipsorum Africanorum praxi, dum non rebaptizabant redeuntes ab hæresi, qui in Ecclesia fuissent prius baptizati. ROUTH.

*Ut sustinerem. Expectarem.* Pariter Victor ab Octavo infra dicit : *Expectabam præcessorum concilium.* FELLUS. — An Pudentiani verba *novitas episcopatus* lucem afferant illis S. Ignatii in *Epist. ad Magnesios*, τὴν φανερωμένην νεωτερικὴν τάξιν aliis disquirendum relinquo. ROUTH.

*Petrus. Martyris titulo*, ornatus in libris editis quos dixi. ROUTH.

*Hyppone Diarrhytorum.* (*Hyppo Diarrhito* Fell. et alii.) Plinius lib V, cap. 4, *ab oppido quod Hypomen dilutum vocant, Diarrhytum a Græcis dictum propter aquarum irrigua*, situm fuisse, in littore Africano docent Plinius et Mela. Vide notas nostras ad collationem Carthaginensem, pag 222. BALUZ.

Digitized by Google

tum animi mei et Spiritus sancti, cum sit unus Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, et unus Christus, et una spes, et unus spiritus, et una Ecclesia, unum debet esse et baptisma. Et ideo dico, si quid ab hæreticis motum aut factum fuerit, rescindi debere, et eos qui inde veniunt in Ecclesia baptizandos esse.

Item alius Felix a Gurgitibus dixit. Ego censeo ut secundum sanctarum Scripturarum præcepta baptizatus ab hæreticis illicite extra Ecclesiam, cum ad Ecclesiam confugere voluerit, gratiam baptismi ubi licite datur consequatur.

Pusillus a Lamasba dixit: Ego credo baptisma salutare non esse nisi Ecclesia catholica, Quidquid absque catholica fuerit simulatio est.

Salvianus a Gazaufala dixit: Hæreticos nihil habere constat: et ideo ad nos veniunt ut possint accipere quod non habent.

Honoratus a Thucca dixit: Cum Christus veritas sit, magis veritatem quam consuetudinem sequi debemus, ut hæreticos, qui ideo ad nos veniunt quia foris nihil accipere potuerunt, Ecclesiæ baptismo sanctificemus.

Victor ab Octavo dixit: Quod et ipsi scitis, non olim sum episcopus constitutus, et ideo expectabam præcessorum consilium. Hoc itaque existimo, ut quicumque ex Hæresi venerint sine dubio baptizentur.

Clarus a Mascula dixit: Manifesta est sententia Domini nostri Jesu Christi Apostolos suos mittentis et ipsis solis potestatem a Patre sibi datam permittentis, quibus nos successimus eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes et credentium fidem baptizantes. Et ideo hæretici, qui nec potestatem foris nec Ecclesiam Christi habent, neminem baptizare baptismo ejus possunt.

Secundianus a Thambeis dixit. Non debemus hæreticos nostra præsumptione decipere ut in Ecclesia Domini nostri Jesu Christi non baptizati, ac per hoc remissionem peccatorum non consecuti, cum judicii dies venerit nobis imputetur quod per nos non sint baptizati et indulgentiam divinæ gratiæ non sint consecuti. Propter quod, cum sit una Ecclesia et unum baptisma, quando ad nos convertuntur, simul cum Ecclesia et Ecclesiæ baptismum consequantur.

Item alius Aurelianus a Chullabi dixit: Joannes apostolus in epistola sua posuit dicens: *Si quis ad nos venit, et doctrinam Christi non habet, nolite eum admittere in domum vestram, et ave illi ne dixeritis. Qui enim dixerit illi ave communicat factis ejus malis* (II *Joan.* I, 10, 11). Quomodo admitti tales temere in Domum Dei possunt qui in domum nostram privatam admitti prohibentur? Aut quomodo cum eis sine Ecclesiæ baptismo communicare possumus quibus si ave tantum dixerimus, factis eorum malis communicamus?

Litteus a Gemellis dixit: *Cæcus si cæcum ducat, ambo in foveam cadunt* (*Matth.* XV, 14). Cum ergo hæreticos constet non posse illuminare quemquam, utpote cæcos, baptisma eorum non valet.

Natalis ab Oea dixit: Tam ego præsens quam

## VARIORUM NOTÆ.

*Lamasba.* Fellus quidem imprimendum curavit *Lambesa*, et ad suffragium VI occurrit Januarius a Lambase, ubi notavit vir cl. Ptolemæum habere urbem Λαμαισα, sive Λαμβαισα. Sin vero *Lambase* hic quoque reciperetur, tum vero aut duplex unius civitatis, præter morem, episcopus efficeretur, aut urbs cognominis fuisse statuenda foret. Quod quidem haud raro fit. Ita cum in suffragio LII, urbs *Thucca* vel *Tucca* nominata esset, hæc scripsit ad suffragium ab hoc tertium Fellus; « Tucca urbs Mauritaniæ Sitif. De qua Plinius lib. v, cap. 2, et notitia Afric., alia a Tucca Terebenthina, et tertia Numidiæ. » Attamen fortasse *Lamasuensis* Pusillus episcopus fuit, nam in *Notitia* 112, et in *Collat. Carthag.* monente Dupinio in *Geographia Africæ sacra*, episcopatus iste provinciæ Numidiæ memoratur. ROUTH.

*Salvianus. Martyr* appellatur, ubi supra. ROUTH.

*Clarus. Confessor* Clarus et *Martyr* Secundianus audiunt in iisdem edd. Singularis interea in hoc suffragio locutio est, *credentium fidem baptizantes.* ROUTH.

*Non sint consecuti.* Hæc una est ex lectionibus, quas tacitus induxit Baluzius. Certe nesciunt *non sint*, quotquot vidi Cypriani editiones Augustinusque. ROUTH.

*Johannes apostolus in Epistola sua.* Ante Africanum hunc episcopum Aurelium a Chullabi extiterunt, qui secundum hanc Joannis epistolam adduxerint, Irenæus lib. I, cap. 16, al. 13, Origenesque item, hic autem dubitantius, in *Comment.* suo *in S. Joan Evan.* pag. 83 ed. Huetii; tum vero eamdem receperunt epistolam Auctor *Fragmenti de canone S Scripturæ*, Clemensque Alex. ut ad idem *Fragmentum* ostendo. Sed contrarium fecisse Cyprianum, etsi collegæ ejus Aurelii testimonio multum in hac retribuit cl. Lardnerus, neque illud immerito, in Op. *De Fide Hist. Evang.*, p. II, vol. IV, lib. I, c. 44, § 7, 5; inde fortasse suspiceris, quod hunc ipsum versiculum non attulit vir sanctus vel in lib. III *Testimoniorum ad Quirinum*, c. 78, ubi ostendere vult ex S. Scriptura, *cum hæreticis non esse loquendum*, vel in aliis locis quamplurimis, ubi id facturum illum jure speraremus, si quidem epistolam recepisset. Porro, postquam hæc annotaveram, vidi hoc monentem Anglicum interpretem cl. Marshallum, Joannis primam Epistolam sine ulla numeri distinctione ubique laudari a Cypriano, tamquam si secundam istam ignoraverit. At vero similiter excitat idem ille Cyprianus S. Pauli *Epistolam ad Thessalonicenses posteriorem* in Epist. sua LV, al. LIX; immo sic quoque in hoc ipso suffragio Joannis secunda Epistola ab Aurelio affertur. Errat quoque interpres idem, dum ait, Tertullianum in *Præscript. Hæret.* bis testimonium dedisse secundæ Joannis, quum id ne semel quidem ab eo factum sit neque in capp. 12 et 33, quæ ab eodem Marshallo signantur; neque etiam alibi, ni fallor. ROUTH

*Gemellis.* Urbs Numidiæ Antonin. Colonia Romana sub Hadriano Imp. deducta, ut Ligorius ex ejus nummo docet: ÆLIA HADRIANA GEMILLINA. De hoc Litteo videtur mentio habita Epist. Cyp. LXXVI. FELLUS. — *Confessoris* titulus huic episcopo adjectus est in Cypriani a quas dixi, editionibus. ROUTH.

*Illuminare.* Notat vir doctiss. Anglicus interpres, ἐμφατικῶς hoc dici, quia baptismus φωτισμὸς *illuminatio* sæpe appelletur. ROUTH.

*Ab Oea.* In provincia Tripolitana, uti diximus, sitam illam fuisse inter duas Syrtes docet Plinius, lib. V, cap. 4. Et tamen Ptolemæus Sabratam, Oeam et Leptim magnam, quæ certe sunt civitates provinciæ Tripolitanæ, locat in parva Syrte, nimirum, ut opinor, quod viciniores sint minori quam majori. Nescio autem an non Virgilius, qui libro quinto

Digitized by Google

Pompeius Sabratensis, quam etiam Dioga Leptimagnensis, qui mihi mandaverunt, corpore quidem absentes, spiritu præsentes, censemus quod et collegæ nostri, quod hæretici communicationem habere nobiscum non possunt, nisi ecclesiastico Baptismo A baptizati fuerint.

Julius a Neapoli dixit: Ab eo quod semel censuimus non recedo, ut hæreticos venientes ad Ecclesiam baptizemus.

Cyprianus a Carthagine dixit: Meam sententiam ple-

## VARIORUM NOTÆ.

Æneidos post inhospitam Syrtim locat desertam siti regionem, per desertam siti regionem intellexerit Tripolitanos vicinos inhospitæ Syrti. Civitas *Oeensis* legendum est apud Martianum Capellam, lib. VI, non *Oeensis*. Ex Oea porro uxorem accepisse Apuleium docet sanctus Augustinus in epistola *ad Marcellinum*; et Apuleius ipse scribit se fuisse factum civem Oeensem. Vid. Cujacium lib. VIII Observat. cap. 27. BALUZIUS.

*Sabratensis.* Urbs Tripolitanæ. *Sabrata* Plinio. De hac mentio habetur in Collat. Carthag. August. B lib. III contra Crescon., c. 53, et Vict. Vit. Pompeius urbis hujus episcopus, ille ipse videtur ad quem celebrem epistolam scripsit Cyprianus in causa Baptismi hæreticorum, contra Stephanum. Observari poterit, ab ultima antiquitate absentibus episcopis jus suffragii non periisse, si modo alicui collegarum vices suas obeundi potestatem fecerint. Et quidem fortassis hinc non prorsus abludit illud quod dicitur (I *Cor.* v, 4), ut scil. episcopi Achaiæ congregati synodice, in Corinthium incestum animadverterent per Ecclesiæ censuras; *cum* absentis Apostoli *spiritu*. FELLUS.

*Leptimagnensis* Urbs Tripolitanæ, ex tribus urbibus, Taphri, Abrotono, et Lepti magna conflata. Hanc memorant Plinius, Solinus, Antonius et Ptolem. De Lepti minore superius actum. FELLUS.

*Cyprianus. Confessor et Martyr* in editt. quas dixi præfixum est. Idemque titulus adversario Cypriani Stephano in veteribus Bedæ aliorumque martyrologiis attribuitur. ROUTH.

*Meam sententiam.* Quamquam dogmatis hujus invidia in Cyprianum nostrum imprimis rejiciatur, illud tamen non tantum 87 episcoporum Africæ, Numidiæ et Mauritaniæ suffragiis fultum, sed longe dissitarum Ecclesiarum per Ægyptum, Asiam, et Europam sparsarum, contessseratione erat firmatum. Canon Apost. 46 dicit: Ἐπίσκοπον ἢ πρεσβύτερον αἱρετικῶν δεξαμένους βάπτισμα ἢ θυσίαν, καθαιρεῖσθαι προστάσσομεν, τίς γὰρ συμφώνησις Χριστῷ πρὸς βελιάρ. ἢ τις μερὶς πιστῷ μετὰ ἀπίστου. Ita etiam diu ante motam cum Stephano litem decreverant synodi Iconiensis, et etiam Synadensis patres, quemadmodum discimus a Dionysio Alexandrino apud Euseb. lib. VII, c. 7: Μεμάθηκα καὶ τοῦτο ὅτι μὴ νῦν οἱ ἐν Ἀφρικῇ μόνον τοῦτο παρεισήγαγον, ἀλλὰ καὶ πρὸ πολλοῦ μετὰ τοὺς πρὸ ἡμῶν ἐπισκόπους, ἐν ταῖς πολυανθρωποτάταις ἐκκλησίαις, καὶ ταῖς συνόδοις τῶν ἀδελφῶν, ἐν Ἰκονίῳ καὶ Συνάδοις, καὶ παρὰ πολλοῖς τοῦτο ἔδοξεν, ὧν τὰς βουλὰς ἀνατρέπων, εἰς ἔριν καὶ φιλονεικίαν αὐτοὺς D ἐμβαλεῖν οὐκ ὑπομένω. οὐ γὰρ μετακινήσεις, φησὶν, ὅρια τοῦ πλησίον σου ἃ ἔθεντο οἱ πατέρες σου. De Iconiensi synodo, eadem fere testatur Firmilianus. *Totum nos jampridem in Iconio, qui Phrygiæ locus est, collecti in unum convenientibus ex Galatia et Cilicia, et cæteris proximis regionibus, confirmavimus.* Addit porro: *Nos, veritati et consuetudinem jungimus, et consuetudini Romanorum, consuetudinem, sed veritatis opponimus: ab initio hoc tenentes quod a Christo et Apostolis traditum est, nec meminimus hoc apud nos aliquando cæpisse, cum semper illic observatum sit, ut non nisi unum Deum nossemus, et sanctum Baptismo non nisi Ecclesiæ computaremus.* Cyprianus Epist. ad Jubaianum ait *multos jam annos et longam transitisse ætatem ex quo sub Agrippino, bonæ memoriæ viro, convenientes in unum episcopi plurimi hoc statuerint.* Et epistola ad Quintum, non a decessore, sed *Antecessoribus* suis statutum affirmat. Insuper Tertullianus lib. de Baptismo, c. 15: *Unus omnino Baptismus est nobis tam ex Domini Evangelio, quam ex Apostoli litteris: quoniam unus Dominus, et unum Baptisma, et una Ecclesia in cœlis. Sed circa hæreticos sane quid custodiendum sit digne quis retractet? Ad nos enim editum est: hæretici autem nullum habent consortium nostræ disciplinæ, quos extraneos utique testatur ipsa ademptio communicationis. Non debeo in illis cognoscere quod mihi est præceptum, quid non idem Deus est nobis et illis; nec unus Christus, id est, idem. Ideoque* B *nec Baptismus unus, quia non idem; quem cum rite non habeant, sine dubio non habent; nec capit numerari quod non habetur. Ita nec possunt accipere, quia non habent.* Pariter in lib. de Præscript.: *Nemo inde strui potest, unde destruitur: nemo ab eo illuminatur, a quo contenebratur.* Si ad concilii Nicæni tempora descendamus, apparebit, synodi istius Patres, contra quod plurimi contendunt, litem hanc minime diremisse. Dicit quidem Hieronymus, in Dialogo contra Luciferianos, quod *Nicæna synodus omnes hæreticos susceperit, exceptis Pauli Samosateni discipulis.* Magis tamen caute agit Augustin. qui, licet suam de Baptismo sententiam, *plenario totius orbis concilio, remotis dubitationibus, firmatam*, ac *plenarii concilii sincerum et eliquatum esse placitum, totiusque orbis catholici consensum*, porro *jam in ipsa totius mundi unitate discussum, consideratum, perfectum atque firmatum*: tamen, quod annotant Lovanienses, *nusquam neque nomen, neque locum concilii Augustinus expressit.* Credetne aliquis Nicænos patres statuisse ut a C quacumque hæresi ad Ecclesiam venientes, exceptis Pauli Samosateni asseclis, sine iterato Baptismo admitterentur? Nimirum Marcionitas, Valentinianos, Ebionitas, Carpocratianos, Manichæos, et reliquam lernam potiore loco habitos, præ Samosateni sequacibus. Pace Balsamonis inducor ut credam, non perinde esse si Παυλιανισταὶ aut Παυλικιανοὶ, aut Παυλιανίσαντες, dicantur; sed ultimam hanc vocem prædictos Patres elegisse, ut omnes hæreticos, Pauli in morem ab orthodoxa fide quoquo modo errantes, comprehenderent. Περὶ τῶν Παυλιανισάντων εἶτα προσφυγόντων τῇ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ ὅρος ἐκτέθειται, ἀναβαπτίζεσθαι αὐτοὺς ἐξάπαντος. Quibus verbis diserte dicitur, qui sint per Ecclesiæ repetitum Baptisma admitte di; sed ut alii sine Baptismo admitterentur, altum est silentium. Zonaras de concilio nostro Carthaginensi hoc unum annotat, quod ejus sententiæ ex parte sit derogatum; siquidem οὔτε ἐπὶ αἱρετικοῖς ἐκράτησαν πάσιν, οὔτε ἐπὶ τοῖς σχισματικοῖς. Et in hujus assertionis probationem affert, non concilium Nicænum, sed Constantinopolitanum primum. Certe qui post concilium Nicænum variis in locis scripserunt Patres, quique venerandi istius concessus decreta, nec ignorasse censendi sunt, nec contempsisse; placitum hoc minime *eliquatum, discussum, consideratum, perfectum atque firmatum* credidere. Optatus Milevitanus, Parmeniano Donatistæ, orthodoxos quasi omnium hæreticorum Sacramenta ratificantes ridenti, respondens diserte, ait apud ipsos *non esse Sacramenta aquam illis esse mendacem*; et lib. IV et V docet generatim apud hæreticos *nulla esse Sacramenta.* Unde Albaspinæus hoc scholion apponit: *Ego ex hoc et aliis multis locis conjicio, quod Optatus non existimat hæreticos posse baptizare.* In hac ipsa sententia fuit Magnus Basilius, qui can. 1, de hæreticis in genere dicit, Τούτοις δὲ δῆλον ὅτι ἄνευ βαπτίσματος ἡ Ἐκκλησία οὐ παραδέχεται, et can. 20, Encratitas, Saccophoros, et Apotactitas recensens, summatim ait, Ἡμεῖς μέν τοι ἐνὶ λόγῳ ἀνα-

Digitized by Google

nissime exprimit epistola quæ ad Jubaianum collegam A nostrum scripta est, hæreticos secundum Evangeli-

## VARIORUM NOTÆ.

βαπτίζομεν τοὺς τοιούτους : et can. 47, Οὐ δεχόμεθα οὖν αὐτοὺς εἰς τὴν Ἐκκλησίαν, ἐὰν μὴ βαπτισθῶσιν εἰς τὸ ἡμέτερον βάπτισμα. Succenturiatur istis Cyrillus Hierosolymitanus, qui in præfatione ait, Εἷς Κύριος, καὶ μία πίστις, καὶ ἓν βάπτισμα, μόνον γὰρ οἱ αἱρετικοὶ ἀναβαπτίζονται, ἐπειδὴ τὸ πρότερον οὐκ ἦν βάπτισμα. Athanas. Orat. 3 contra Arianos, de eorum Baptismo dicit : Πῶς οὐ παντελῶς κενὸν καὶ ἀλυσιτελὲς τὸ παρ' αὐτοῖς δεδόμενόν ἐστι, προσποίησιν μὲν ἔχον, τῇ δὲ ἀληθείᾳ μηδὲν ἔχον πρὸς εὐσέβειαν βοήθημα; Et si prætexatur eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizare, reponit : Ὥσπερ δὲ ἄλλο ἐστὶ κτίσμα παρὰ τὸν Υἱὸν, οὕτως ἄλλο ὢν εἴη τῆς ἀληθείας τὸ παρ' αὐτῶν νομιζόμενον δίδοσθαι, κἂν τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, διὰ τὸ γεγραμμένον, ὀνομάζειν προσποιῶνται. Ait porro : Πολλαὶ γοῦν καὶ ἄλλαι αἱρέσεις λέγουσι τὰ ὀνόματα μόνον, μὴ B φρονοῦσαι δὲ ὀρθῶς, ὡς εἴρηται, μηδὲ τὴν πίστιν ὑγαίνουσαν ἔχουσαι, ἀλυσιτελὲς ἔχουσι καὶ παρ' αὐτῶν διδόμενον ὕδωρ λειπόμενον εὐσεβείᾳ, ὥστε καὶ τὸν ῥαντιζόμενον παρ' αὐτῶν ῥυπαίνεσθαι μᾶλλον ἐν ἀσεβείᾳ, ἢ λυτροῦσθαι. Et inter eos qui integram Baptismatis formulam servant, recenset Manichæos, Phrygas, ac Paulianistas. Adeo nondum invaluit concilii Arelatensis I decretum, cui Augustinus se addixit : *Si quis ab hæresi venerit, interrogent eum Symbolum ; et si perviderint eum in Patre et Filio et Sp. sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur*, etc. Concilium quidem Constantinopolitanum canone 7, hac ex parte Arianis gratiam fecit, nec non Macedonianis, Sabbatianis, Novatianis, Quartadecimanis et Apollinaristis ; ut Chrismate solum adhibito in Ecclesiam admitterentur : sed ex adverso, ab iis decretum, quod Eunomianos, Montanistas, Sabellianos, καὶ τὰς ἄλλας πάσας αἱρέσεις, πάντας τοὺς ὑπ' αὐτῶν θέλοντας προστίθεσθαι τῇ ὀρθοδοξίᾳ, ὡς Ἕλληνας δεχόμεθα, καὶ τὴν πρώτην ἡμέραν ποιοῦμεν αὐτοὺς χριστιανούς, τὴν δὲ δευτέραν C κατηχουμένους, εἶτε τῇ τρίτῃ ἐξορκίζομεν μὲν αὐτοὺς, μετὰ τοῦ ἐμφυσᾶν τρίτον εἰς τὸ πρόσωπον, καὶ εἰς τὰ ὦτα, καὶ οὕτως κατηχοῦμεν αὐτοὺς, καὶ ποιοῦμεν χρονίζειν εἰς τὴν Ἐκκλησίαν, καὶ ἀκροᾶσθαι τῶν γραφῶν, καὶ τότε αὐτοὺς βαπτίζομεν. Utrum ex paritatis ratione, qui non gravius errarunt Arianis, Macedonianis, reliquisque enumeratis hæreticis, canonis hujus virtute per Chrisma in Ecclesiam sint admittendi, non obstantibus verbis illis generatim perstringentibus τὰς ἄλλας πάσας αἱρέσεις, minime dixerim : certe Balsamon in locum, credidit ὅτι πάντες οἱ βαπτιζόμενοι εἰς μίαν κατάδυσιν, πάλιν βαπτίζονται. Quamquam non ita multo post, Gregorius M. trinam mersionem ex Hispania proscripsit, dicens lib. I Epist. 41 : *Ne dum quod faciebant, faciunt, nostrum se morem vicisse glorientur.* Quæ ejus sententia, a quarta Toletana synodo confirmata erat. Ubi decretum, *Simplam teneamus Baptismi mersionem.* Agnosco gravem et diuturnam de hæreticorum Baptismo controversiam, egregiis D. Augustini scriptis feliciter tandem aliquando discussam, et, ut ejus verbo utar, *eliquatam* ; cujus invictis rationibus cessit, qua patet Christianus orbis; et unam fidem saltem de Baptismo habuit, quod et unicum agnovit semper, donec hoc nostro sæculo Anabaptistarum furores ; non ecclesiarum modo, sed etiam gravissimo rerum publicarum damno recruduerunt. Promptum est dicere, Canone 8 concilii Nicæni decretum : Περὶ τῶν ὀνομαζόντων μὲν αὐτοὺς καθαρούς ποτε, προσερχομένων δὲ τῇ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ Ἐκκλησίᾳ ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς, μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ. Nimirum ut Novatiani non tantum pro Christianis, sed etiam, si ad clerum admissi, pro clericis habeantur. Novatianis quidem eo promptior venia, quia, ut ait Balsamon, περὶ τὴν πίστιν μὴ σφαλλόμενοι, ἀλλ' ὡς ἀσυμπαθεῖς κατακρινόμενοι. Sed si perpendantur quæ canonibus sequentibus, scil. nono et decimo habentur, scil. quod graviorum criminum rei, aut etiam lapsi, si ad sacros ordines promoveri contingat, τούτους ὁ κανὼν οὐ προσίεται, et γνωσθέντες καθαιροῦνται, suspicabitur hos tres canones, non de admissione in Ecclesiam quidquam statuere ; sed de gradu ecclesiastico suscepto, aut retinendo, aut amittendo præscribere ; nimirum ut ordines, sive per surreptionem, sive alias collati hominibus olim Novatianorum partium, καθαροῖς ποτέ, rari habeantur : criminum vero graviorum, aut apostasiæ compertis concessi, prorsus irriti æstimentur. Sed nihil statuo. Unum observare liceat. D. Augustinum qui in Baptismi negotio Cypriani auctoritate plurimum premebatur, causæ suæ adversus tam grave præjudicium, unicum fore præsidium petivisse, quod diceret, nihil ab Ecclesia eo usque definitum, et proinde Cypriani errorem qui decessorum placitis et decretis mordicus insistebat, extra noxam fuisse : præsertim cum neminem condemnaret qui alibi gentium agens, ubi canones isti non obtinuerant, ecclesiæ suæ moribus uteretur. Fell.—Post locta egregia ista, addas ea utiliter, quæ Pearsonius de Afris eadem sententia perstantibus posuit in *Annal. Cyprian.* ad an 257, sect. II et III. De hæreticorum autem Baptismo aliquot alia præterea supra, cum ad initium *Concil. Carthag.* V, et hujus ipsius synodi, tum alibi, annotata sunt.

Cæterum cl. Marshallus, Cypriani interpres, qui de septimo hoc Cyprianico concilio eruditam *Dissertationem Cypriano suo* adjecit, inter alia multa hæc duo probare pluribus argumentis aggressus est. Primum ab eo hoc monitum est, quod et cl. Maranus in *Præfatione ad S. Cypriani Op.* ostendit p. XIII et XVI, inter omnes utcumque de veritate Baptismi hæreticorum disputantes consensum fuisse, Baptismum illum nullum habere salutis effectum, donec confirmatus fuerit auctoritate Ecclesiæ atque episcopi super revertentes ad Ecclesiam. Deinde, Cyprianum et C demum omnes judicavisse, disciplinæ magis quam fidei rem controversam esse ; atque ita Ecclesiæ licitum esse ex dispensandi jure suo Baptismos istiusmodi vel irritos vel firmatos habere : quamquam multum inter se discrepaverint veteres illi de eo quod ab Ecclesia fieri oporteret. Ad posterius hoc quod attinet, an istæc quæstio ad disciplinam magis quam ad fidem pertinere olim censeretur, alii viri doctissimi recte dubitarunt; etsi non ita a se invicem violari fidem alterutra pars putaverit, ut hæreticos esse adversarios judicaret. Vide inter alios Joannem Placette V. D. in *Observatt. Historico-Eccles.* p. 102—114. Disertim quidem ait Augustinus lib. V *de Baptismo*, cap. 25, *vicisse pacem Christi in cordibus eorum* (Stephani et Cypriani), *ut in tali disceptatione nullum inter eos malum schismatis oriretur.* At interea Placettio visum est Stephanum re ipsa excommunicasse dissentientes ; quod quidem verisimile facit locus Firmiliani supra adductus ad pag. 152. D Tempore tamen Xysti, successoris Stephani, quem *bonum et pacificum sacerdotem* Pontius Cypriani diaconus in *Vita* magistri sui appellat, et cujus martyrium ipse commemorat in epistola LXXXII, al. LXXX, Cyprianus, lites istæ consopitæ fuisse videntur. Sed hæc haetenus. Constat utique patrocinatum esse præsulem Romanum veteri saltem Occidentalium consuetudini, non modo traditionis quam apostolicam esse credidit, conservandæ causa, sed etiam metu rebaptizandi seu frustra iterandi Baptismum, quem οἱ ὁμόφρονες Stephano *unum* esse aiebant secundum sacras Litteras, quod refert Cyprianus in *Epistola ad Quintum*, p. 126, aliique nonnulli loci ostendunt. At utinam Stephanus in re, ut cum Augustino loquar, a tota Ecclesia nondum decisa, similiter atque eadem de re agere secum statuit S. Dionysius Alexandrinus in epistola, quam supra ad, p. 173, affert Fellus, ad Philemonem Romanum scripta, magnas et frequentissimas Ecclesias εἰς ἔριν καὶ φιλονεικίαν ἐμβαλεῖν non sustinuisset. Routh.

*Epistola quæ ad Jubaianum.* Græci pro epistola ad

Digitized by Google

cam et apostolicam contestationem adversarios Christi et antichristos appellatos, quando ad Ecclesiam venerint, unico Ecclesiæ baptismo Baptizandos esse, ut possint fieri de adversariis amici et de antichristis Christiani. *Exstat hoc concilium ad* p. 329, *edit. Benedictinæ S. Cypriani.*

## VARIORUM NOTÆ.

**Jubaianum**, illam ad Januarium supposuere, et tamquam canonem concilii hujus, eam totam inserebant suis codicibus. Ita dicunt, synodum hanc πασῶν τῶν συνόδων προγενεστέραν, et celebratam ἐπὶ Δεκίου βασιλέως, porro Novatum presbyterum Romanum, Novatianæ hæresi originem atque nomen dedisse. Ita errorem errori cumulant, inter alios, Balsamon et Zonaras; et solemne est Orientalibus fere universis, in rebus Occidentalium perpetuo hallucinari. FELL.—De nomine quidem hæresiarchæ Romani, nam Novatum presbyterum Carthaginensem Græci haud cogitabant, utrum fuerit *Novatus*, an potius *Novatianus*, diotum supra est ad S. Cornelii epistolas, p. 19. Cæterum epistola illa ad Januarium ad Concil v Carthaginiense pertinet, quæ, cum nomine concilii scripta fuerit, a me supra allata est. ROUTH.

*Adversarios Christi.* Addidit particulam *et ei ea adversarios* ex suis fortasse sumptam codicibus Baluzius, sed cæteras editiones, Augustinum, Græcamque Interpretationem, hic quidem magis sequendas esse duxi. ROUTH.

*Christiani.* Zonaræ Scholium ad Græcam Concilii Interpretationem: Αὗται μὲν οὖν αἱ γνῶμαι τῶν ἐν τῇ συνόδῳ ταύτῃ συνελθόντων πατέρων τῷ μεγάλῳ Κυπριανῷ· ἀλλ' οὔτε ἐπὶ τοῖς αἱρετικοῖς ἐκράτησαν πᾶσιν, οὔτε ἐπὶ τοῖς σχισματικοῖς· ἡ γὰρ δευτέρα οἰκουμενικὴ σύνοδος, (Augustini *plenarium illud*, ut videtur, *totius orbis concilium*.) ὡς ἤδη εἴρηται, ὑπεξεῖλε τινας τῶν αἱρετικῶν, καὶ ἄνευ βαπτίσματος δέχεσθαι τούτους θεσπίσασα, χριομένους μόνον τῷ θείῳ μύρῳ, καὶ ἀναθεματίζοντας τὴν οἰκείαν αἵρεσιν ἕκαστον, καὶ πάσας ἁπλῶς. καὶ διὰ τοῦτο οὐδὲ ἐγγράφησαν αἱ γνῶμαι αὗται, ὡς μὴ ἀναγκαίως, οὐδὲν ἐνεργοῦσαι, ἀλλὰ κατὰ σύνοψιν ἐγράφησαν.

# BOLLANDISTARUM ANIMADVERSIONES

IN HÆC CONCILII CARTHAGINENSIS VERBA: *Neque enim quisquam nostrum episcopum se esse episcoporum constituit*, etc.

(Acta SS. ad diem XIV Sept., t. IV, pag. 300, 315.)

Quæ S. Cyprianum de Episcopo Episcoporum ac tyrannici erroris ad obsequendi necessitatem usu memorat,... hæc eadem absque ullo commoti animi vitio ac Pontificiæ Auctoritatis injuria dicta accipi possunt. Volebat scilicet S. Pontifex Primas, congregatos episcopos de sua quemque sententia libere dicenda admonere. Hunc in finem, quod ad libertatem illam maxime conducere rebatur, observavit sese omnes collegas esse; et licet ipse primatum Africæ teneret, nec se tamen, nec quemquam aliorum qui aderant, episcopum episcoporum esse, aut eam potestatem sibi tyrannice arrogari, ut cæteros terrore suo ad sua sensa adigat..... Quæ vero ibidem addit de cujusque episcopi arbitrio, ac potestate, videlicet nullum ab alio judicari posse, nec illum pariter judicare, hæc ad eosdem illos congregatos, et quidem sano sensu referenda sunt, aut ipsis S. Cypriani gestis manifeste repugnant. Certe S. Augustinus, num. 686, a nobis relatus, ea verba sic excepit: *Opinor utique in his quæstionibus, quæ nondum eliquatissima perfectione discussæ sunt.* Verissimum autem erat, quæstionem illam de hæreticorum Baptismate, quam nullum ad id usque tempus Concilium generale... definiverat, quæque sola consuetudine nitebatur, verissimum, inquam, est, hanc quæstionem ab ullo ex episcopis cum S. Cypriano congregatis sic decidi non potuisse, ut ob illius auctoritatem cæteri ab opinione sua cogerentur recedere. Contra si quis Sancti dicta generaliter accipienda esse contendat, is igitur dicat, necesse est, quo jure, quave injuria idem Sanctus Fortunatum Assuritanum in provincia proconsulari Episcopum in Epist. 64, et Basilidem ac Martialem, Hispaniarum Episcopos in Epist. 68, ob scelus idololatriæ recte exauctoratos, pronuntiaverit, et a sedibus suis arcendos curaverit? Quo idem jure Epistolam 67 ad Stephanum Romanum Pontificem dedit, ut Marcianum Arelatensem in Galliis Episcopum, sede sua dejici, allumque in eam sufficiri juberet, si *habent omnis Episcopus pro licentia libertatis et potestatis suæ arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum judicare*, et si propterea exspectandum sit *judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus et solus habet potestatem et præponendi eos in Ecclesiæ suæ gubernatione, et de actu eorum judicandi?* Negari igitur non potest, objecta S. Cypriani verba sano sensu restringenda esse, aut dicendum, eum ex contentionis ardore aliquid humani hic passum esse.

Adversus eumdem Romani Pontificis primatum nihil pariter probat causa Fortunati, de quo S. Cyprianus in epistola 55 queritur, quod per Felicissimum, aliosque schismatis socios, Romam ad S. Cornelium navigasset, ut mendaciis ac calumniis suis communionem ab eo extorqueret; postulatusque, ut, si quid ad latam in eos sententiam reponere vellit, ad suum tribunal se sistat. Advertendum enim est, Fortunatum illum e quinque Presbyteris Carthaginensibus schismaticis unum fuisse, quem ob excitatum cum Felicissimo schisma jam ante de ecclesia profugum et ab Africanis episcopis damnatum, ac deinde ab hæreticis schismaticisque pseudo-episcopum in Africa ordinatum fuisse, supra docuimus; adeoque hic pro episcopo haberi non poterat. Testatur autem S. Augustinus in epistola 43, alias 162, suo etiam tempore Presbyteris, cæterisque inferioris ordinis clericis permissum non fuisse ad apostolicam Sedem appellare; quod tamen episcopis licuisse, tum ibi, tum alibi affirmat. Convenerat itaque inter Africanos antistites, ut clerici episcopis inferiores in sua quique provincia judicarentur, idque haud dubie assentiente romano Pontifice, ne appellationes ad Sedem Apostolicam nimium frequentes essent, et injustis criminationibus occasionem darent. Ut vero hæc prohibito tempore S. Augustini non obstabat, quo minus hic tum alibi sæpius, tum loco citato, *romanæ Ecclesiæ, in qua semper*, ut ibidem loquitur, *apostolicæ cathedræ vigui primatus*, potestatem in cæteros Episcopos primatumque agnoscerent; ita nec ex simili S. Cypriani facto contra eumdem primatum potest concludi. Falsum autem est, quod Fellus heterodoxus in Anglia episcopus (et post eum Cl. Boysen) sanctissimo præsuli impudenter affingit: scilicet, *beato martyre illo judice, pro desperatis et perditis* habendos esse, *quibus minor videtur auctoritas episcoporum in Africa, quam vel Cornelii ipsius, in Petri cathedra Romæ sedentis.* Etenim, si quis totum locum, attente consideret, fatebitur, *Episcoporum in Africa* auctoritatem non S. Cornelio, sed paucis desperatis et perditis, Fortunati scilicet ac Felicissimi asseclis, a S. Cypriano opponi. Subdit enim: *Jam causa eorum cognita est, jam de eis dicta sententia est, nec censuræ congruit sacerdotum mobilis atque inconstantis animi levitate reprehendi... Si eorum, qui de illis prior anno judicaverunt, numerus cum presbyteris et diaconibus computetur, plures tunc affuerunt judicio, et cognitioni, quam sint iidem isti, qui cum Fortunato nunc videntur esse conjuncti. Scire enim debes, frater charissime, eum post-*

Digitized by Google

*euquam pseudoepiscopus ab hæreticis factus est, jam pene ab omnibus esse desertum.* Itaque S. Cyprianus ibidem sic fere argumentatus est : statutum est ut episcopali ordine inferiores clerici in diœcesi sua causam agerent : atqui Fortunati, Felicissimique ac cæterorum causa apud nos discussa, de eaque jam dicta sententia est, atque adeo audiendi illi Romæ non sunt, nisi forte quis paucis illis desperatis et perditis magis credendum existimaverit, quam tanto episcoporum in Africa, aliorumque clericorum numero, qui priori anno de iis judicarunt, multoque plures fuerunt, quam qui nunc Fortunato adhærentes, ad sedem apostolicam appellarunt. Hanc ego genuinam verborum sententiam esse existimo : at si quis voces istas *paucis desperatis et perditis* non in auferendi, sed dandi casu accipiendas esse contenderit, nec sic tamen Felli commentum extundet, aut Afrorum præsulum auctoritatem pontificiæ hic æquiparatam probabit, cum sensus tum esse possit : nisi forte pauci isti schismatici existiment, auctoritatem Afrorum antistitum majorem esse, quam ut eorum sententiæ secundum ea, quæ de appellationibus decreta fuerunt, se subjicere debeant. Istud certum est, ibidem nullam Africanorum sedium cum romana cathedra comparationem institui, Fortunatumque et ejus sectatores, desperatos et perditos dici propter hæresim ac scelera sua, non quia ad Pontificem appellaverant.

## MONITUM.

Concilio Carthaginensi VII, ab Ecclesia catholica reprobato, epistolam S. Cypriani *ad Jubaianum* græce et latine hic subjungimus ex *Collectione Canonica* Joannis Zonaræ, monachi, qui fuerat magnus Drungarius Bigla et primus a secretis imperatoris. Theodorus Balsamon epistolam Cypriani retulit quidem in suam quoque collectionem, sed episcoporum sententias prætermisit et concilii acta. LABB.

*Synodus* (1) *Carthagine habita, cui præfuit magnus Cyprianus, et sanctus martyr, cum esset episcopus Carthaginensis.*

### JOANNIS ZONARÆ PRÆFATIO.

*Est hæc synodus ex omnibus antiquissima. Nam aliis quidem antiquior est quæ Antiochiæ in Syria contra Paulum Samosatenum, Aureliano Romanorum imperatore, celebrata fuit ; hæc vero vetustate illam quoque antecedit. Magnus siquidem Cyprianus* (2) *Decio imperatore martyrii cursum confecit : at vero longo intervallo post Decium Aurelianus fuit. Multi siquidem, Decio extincto, regnavere imperatores, quibus demum Aurelianus in imperio suffectus est, itaque longe hæc synodus ex omnibus antiquissima. In ea porro quatuor supra octoginta episcopi congregati sunt, ac de iis qui, abdicata hæresi, resipiscunt, ac schismaticis qui ad Ecclesiam revertuntur, an baptizandi forent quæsitum. Jovianus siquidem episcopus nescio quis, et cum eo episcopi alii, ea de re an scilicet ejusmodi homines baptizare oporteret, Cyprianum per epistolam consuluerant. Tunc enim Navatus* (3) *quoque eorum sectæ qui Cathari, hoc est puri, dicebantur, se principem profitebatur, Romanæ Ecclesiæ presbyter, schismaticus proprie, non hæreticus. Nec enim in iis quæ ad dogmata pertinent, ullo pacto a Catholicis dissentiebat, sed qui adversis Christianæ reipublicæ temporibus, malo victi, succubuissent, diisque immolassent, ad pœnitentiam non admittebat. Cum vero Ecclesiæ Romanorum præfactus eo tempore Cornelius, cum sibi subjectis episcopis, agitata quæstione eos quoque qui immolaverant ad pœnitentiam admittendos esse decrevissent ; neque tamen Navatus aliquid de pertinacia remitteret, illum ab Ecclesiæ corpore excisum, quippe fratrum osorem, decreto promulgavere. Alios vero ille sectatores nactus, seorsim conventus peragere, schismate que hinc inde suis gregalibus Ecclesiam lacerare adortus est. Cum ergo de schismaticis et hæreticis esset a Joviano quæsitum, ad eum ejusque coepiscopos magnus Cyprianus, cum sua synodo rescribens, subjectam epistolam exaravit.*

(1) Ex editione GL. Parisiensi in-fol. an. 1618, curante Frontone Ducæo S. J.
(2) Errat hic Zonaras.
(3) Novatianus.

ΣΥΝΟΔΟΣ

Πλήνομένη ἐπὶ Κυπριανοῦ τοῦ ἁγιωτάτου ἐπισκόπου Καρχηδόνος καὶ μάρτυρος.

### ΙΩΑΝΝΗΣ ΖΩΝΑΡΑΣ.

Αὕτη ἡ σύνοδος, πασῶν τῶν συνόδων προγενεστέρα ἐστί. Προτερεύει μὲν γὰρ τῶν ἄλλων, ἡ ἐν Αντιοχείᾳ τῆς Συρίας γεγονυῖα σύνοδος κατὰ Παύλου τοῦ Σαμοσαθέως, ἥτις ἐπὶ Αυρηλιανοῦ βασιλέως ἠθροίσθη αὕτη δὲ κἀκείνης ἀρχαιοτέρα ἐστίν. Ὁ γὰρ μέγας Κυπριανὸς, ἐπὶ Δεκίου βασιλέως τὸν τῆς μαρτυρίας, ἤνυσε δρόμον, πολλοστὸς δ' ἔστιν ὁ Αὐρηλιανὸς πρὸς τὸν Δέκιον Πολλοὶ γὰρ μετὰ τὸν Δέκιον ἐκράτησαν αὐτοκράτορες, μεθ' οὓς ὁ Αὐρηλιανὸς τῆς βασιλείας ἠξιώτο. Οὕτω μὲν οὖν προγενεστέρα πασῶν ἐστίν. Ἠθροίσθησαν δὲ ἐν αὐτῇ ἐπίσκοποι πρὸς τέσσαρσιν ὀγδοήκοντα, ζητήσεως γενομένης, εἰ τοὺς ἐξ αἱρέσεως ἐπιστρέφοντας, καὶ τοὺς σχισματικοὺς βαπτίζεσθαι δεῖ προσερχομένους τῇ καθολικῇ Ἐκκλεσία. Ἰοβιανὸς γάρ τις ἐπίσκοπος ἀπέστειλε περὶ τούτου τῷ θείῳ Κυπριανῷ, ἐρωτῶν, εἰ δεῖ τοὺς τοιούτους βαπτίζεσθαι. Τότε γὰρ καὶ ὁ Ναυάτος τῆς τῶν λεγομένων Καθαρῶν αἱρέσεως ἦρξε, πρεσβύτερος γεγονὼς τῆς ἐκκλησίας Ρωμαίων, σχισματικὸς ὢν κυρίως, ἀλλ' οὐχ αἱρετικός. οὐ γὰρ πρὸς δόγματι τοῖς ὀρθόφροσι διεφέρετο, ἀλλὰ τοῖς ἐν διωγμοῖς ὑποκύφασί τε καὶ θυσασιν ἀπηγόρευε τὴν μετάνοιαν. Ἐπειδὴ ὁ τότε τῆς Ρωμαίων ἐκκλεσίας προεστηκὼς Κορνήλιος μετὰ τῶν ὑπ' αὐτὸν ἐπισκόπων ζητήσαντες περὶ τοῦ εἰσαγομένου, ἐψηφίσαντο δέχεσθαι εἰς μετάνοιαν, καὶ τοὺς ἐπιθύσαντας· ὁ δὲ Ναυάτος τῆς οἰκείας ἐνστάσεως οὐ μεθίετο, ἐξέκοψαν τῆς ἐκκλεσίας ἐκεῖνον, καὶ ἀπεκήρυξαν ὡς μισάδελφον. Ὁ δὲ καὶ ἄλλους ὁμόφρονας ἐσχηκὼς, καθ' ἑαυτὸν ἐποιεῖτο παρασυνάζεις, καὶ σχίσμα παρὰ τῇ Ἐκκλησίᾳ ὑπ' ἐκείνου καὶ τῶν αὐτῷ συγκοινωνούντων ἐγένετο Περὶ σκισματικῶν τοίνυν καὶ αἱρετικῶν ἐρωτήσαντος Ἰοβιανοῦ ἀντεπίστειλεν αὐτῷ τε καὶ τοῖς συνεπισκόποις αὐτοῦ ὁ μέγας Κυπριανὸς, καὶ ἡ σὺν αὐτῷ σύνοδος τὴν ἐπιστολὴν ταύτην.

Digitized by Google

## EPISTOLA MAGNI CYPRIANI

### *Ad* (1) *Jovianum ejusque episcopos.*

Cum in communi concilio essemus, dilecti fratres, legimus litteras a vobis missas, de iis qui ab hæreticis vel schismaticis baptizari visi sunt, venientibus ad catholicam Ecclesiam, quæ una est, in qua baptizamur et regeneramur. De quibus confidimus, vos quoque qui in illa agetis, catholicæ Ecclesiæ canonis firmitatem tenere : tamen quoniam nobiscum estis communionis participes, et propter communem dilectionem de eo quærere voluistis, non novam sententiam neque nunc fundatam afferimus ; sed quæ olim ab antiquioribus accuratissime et diligentissime fuit examinata, eam a vobis observandam vobis communicavimus, et conjungimus, id quoque nunc statuentes, quod semper fortiter B stabiliterque tenuimus, ut nemo possit baptizari extra Ecclesiæ catholicæ Baptismum, qui unus est, et in sola catholica Ecclesia reperitur. Scriptum est enim : *Me reliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi lacus perforatos, qui aquam continere nequeunt.* Et rursus sacra Scriptura hoc præsignificans dicit : *Ab aqua aliena abstinete, et ex fonte alieno ne bibite.* Oportet autem aquam primum purgari et sanctificari a sacerdote, ut possit proprio Baptismate hominis qui baptizatur peccata eluere. Nam et per Ezechielem prophetam dicit Dominus : *Et aspergam vos aqua pura, et mundabo vobis cor novum, et spiritum novum dabo vobis;* et cum dicat Dominus in Numeris : *Et omnia quæ tanget immundus, immunda erunt* · quomodo potest baptizans dare alii C remissionem peccatorum, qui non potest propria peccata extra Ecclesiam dimittere? Sed et ipsa interrogatio quæ fit in Baptismate, est testis veritatis; dicentes enim ei qui examinatur : Credis vitam æternam et remissionem peccatorum accipere? nihil aliud dicimus, quam quod in catholica Ecclesia hæc dari possunt. Apud hæreticos autem, ubi Ecclesia non est, haberi non potest peccatorum remissio : et ideo qui hæreticorum patrocinium suscipiunt, vel debent interrogationem mutare, vel veritatem intueri. Necesse est etiam eum qui baptizatus est, inungi, ut accepta unctione, fiat Christi particeps. Sanctificare autem oleum non potest hæreticus, qui nec altare habet, nec Ecclesiam. Non potest autem omnino Chrisma esse apud hæreticos. Nobis enim clarum est, nullo D modo apud illos sanctificari posse oleum ad gratiarum actionem. Scire enim, et non ignorare debemus quod scriptum est : *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Quod quidem etiam olim significavit sanctus Spiritus in Psalmis, ne forte abductus aliquis, et a recta via aberrans, apud hæreticos, Christi adversarios, inungatur. Quomodo autem pro eo qui baptizatus est peccabitur, non sacerdos, sed sacrilegus, et peccator? dicente Scriptura, quod *Deus peccatores non audit, sed si quis est pius ac religiosus, et ejus voluntatem*

(1) Jubaianum. At in edit. Pamel. et Rig. inscribitur ad Januarium et cæteros episcopos Numidas de baptizandis hæreticis. LABBE.

## ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ

### Κυπριανοῦ πρὸς τὸν Ἰοβιανὸν καὶ ἐκείνου συνεπισκόπους.

Ἐν κοινοβουλίῳ ὄντες ἀγαπητοὶ ἀδελφοὶ ἀνέγνωμεν γράμματα ἀφ' ὑμῶν στάλεντα παρὰ τῶν τοῖς αἱρετικοῖς ἢ σχισματικοῖς δοκούντων βαπτίζεσθαι ἐρχομένων πρὸς τὴν καθολικὴν Ἐκκλησίαν, ἥτις ἐστὶ μία, ἐν ᾗ βαπτιζόμεθα καὶ ἀναγεννώμεθα. Περὶ ὧν καὶ πεποίθαμεν, καὶ ὑμᾶς αὐτοὺς ἐκεῖνα ποαττόντας τὴν στερρότητα τῆς καθολικῆς Ἐκκλεσίας κατακρατεῖν· ὅμως ἐπεὶ συγκοινωνοί ἡμῶν ἐστε, καὶ ζητῆσαι περὶ τούτου διὰ τὴν κοινὴν ἀγάπην ἠθελήσατε, οὐ πρόσφατον γνώμην, οὐδὲ νῦν ἠδρασμένην προσφέρομεν, ἀλλὰ τὴν πάλαι ὑπὸ τῶν προγενεστέρων ἡμῶν μετὰ πάσης ἀκριβείας καὶ ἐπιμελείας δεδοκιμασμένην, καὶ ὑφ' ὑμῶν παρατηρηθεῖσαν. κοινοῦμεθα ὑμῖν καὶ συζεύγνυμεν, τοῦτο B καὶ νῦν χειροτονοῦντες, ὅπως διὰ παντὸς ἰσχυρῶς καὶ ἀσφαλῶς κρατοῦντες μηδένα βαπτίζεσθαι δύνασθαι ἔξω τῆς καθολικῆς Ἐκκλεσίας ἑνὸς ὄντος βαπτίσματος, καὶ ἐν μόνῃ καθολικῇ Ἐκκλεσίᾳ ὑπάρχοντος Γέγραπται γάρ Ἐμὲ ἐγκατέλιπον πηγὴν ὕδατος ζῶντος, καὶ ὤρυξαν ἑαυτοῖς λάκκους συντετριμμένους, καὶ μὴ δυναμένους ὕδωρ συσχεῖν. Καὶ πάλιν ἡ ἁγία Γραφὴ προμηνυούσα λέγει· Ἀπὸ ὕδατος ἀλλοτρίου ἀπόσχεσθε, καὶ ἀπὸ πηγῆς αλλοτρίας μὴ πίητε. Δεῖ δὲ καθαρίζεσθαι, καὶ ἁγιάζεσθαι τὸ ὕδωρ πρῶτον ἀπὸ τοῦ ἱερέως, ἵνα δυνηθῇ τῷ ἰδίῳ βαπτίσματι τὰς ἁμαρτίας τοῦ βαπτιζομένου ἀνθρώπου ἀποσμῦξαι. Διά τε Ἰεζεκιὴλ τοῦ προφήτου λέγει Κύριος· Καὶ ῥαντίσω ὑμᾶς καθαρῷ ὕδατι, καὶ καθαριῶ ὑμᾶς, καὶ δώσω ὑμῖν καρδίαν καινὴν· καὶ πνεῦμα καινὸν δώσω ἐν ὑμῖν. (Πῶς δὲ δύναται καθαρίσαι καὶ ἁγιάσαι ὕδωρ ὁ ἀκάθαρτος ὢν C αὐτὸς. καὶ παρ' ᾧ πνεῦμα ἅγιον οὐκ ἐστί;) Λέγοντος τοῦ Κυρίου ἐν τοῖς Ἀριθμοῖς· Καὶ πάντων ὧν ἅψεται ὁ ἀκάθαρτος, ἀκάθαρτα ἔσται, πῶς βαπτίζων δύναται ἄλλο δοῦναι ἄεσιν ἁμαρτιῶν ὁ μὴ δυνηθεὶς τὰ ἴδια ἁμαρτήματα ἔξω τῆς Ἐκκλεσίας ἀποθέσθαι; Ἀλλὰ καὶ αὐτὴ ἡ ἐρώτησις ἡ ἐν τῷ βαπτίσματι γινομένη, μάρτυς ἐστὶ τῆς ἀληθείας. Λέγοντες γὰρ τῷ ἐξεταζομένῳ, πιστεύεις αἰώνιον ζωὴν καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν λαμβάνειν, οὐκ ἄλλο τι λέγομεν, εἰ μὴ ὅτι ἐν τῇ καθολικῇ Ἐκκλεσίᾳ δοθῆναι δύναται. Παρὰ δὲ τοῖς αἱρετικοῖς ὅπου Ἐκκλησία οὐκ ἔστιν ἀδύνατον ἁμαρτημάτων ἄφεσιν λαβεῖν, καὶ διὰ τοῦτο οἱ τῶν αἱρετικῶν συνήγοροι ἢ τὴν ἐπερώτησιν ἀλλάξαι ὀφείλουσιν, ἢ τὴν ἀλήθειαν ἐκδικῆσαι. εἰ μή τι αὐτοῖς καὶ τὴν Ἐκκλησίαν προσνέμουσιν, οὓς βάπτισμα ἔχειν διαβεβαιοῦνται. Ἀνάγκη δέ ἐστι καὶ χρίεσθαι τὸν βεβαπτισμένον, ἵνα λαβὼν χρίσμα, μέτοχος γένηται Χριστοῦ. Ἁγιάσαι δὲ ἔλαιον οὐ δύναται ὁ αἱρετικὸς ὁ μήτε θυσιαστήριον ἔχων, μήτε ἐκκλεσίαν, ὅθεν οὐ δύναται χρίσμα τὸ παράπαν παρὰ τοῖς αἱρετικοῖς εἶναι. Πρόδηλον γάρ ἐστιν ἡμῖν μηδαμῶς δύνασθαι ἁγιάζεσθαι παρ' ἐκείνοις ἔλαιον εἰς εὐχαριστίαν. Εἰδέναι γὰρ καὶ μὴ ἀγνοεῖν ὀφείλομεν, ὅτι γέγραπται· Ἔλαιον ἁμαρτωλοῦ τὴν κεφαλήν μοῦ μὴ λιπανάτω. Ὁ δὴ καὶ πάλαι εμηνύσε τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν Ψαλμοῖς, μή πῶς ἐξιχνιασθείς τις, καὶ ἀπὸ τῆς εὐθείας ὁδοῦ πλανηθεὶς παρὰ τοῖς αἱρετικοῖς τοῖς τοῦ Χριστοῦ ἀντιπάλοις χρισθῇ. Πῶς δὲ εὔξεται ὑπὲρ τοῦ βάπτιστεντος οὐχὶ ἱερεύς, ἀλλ' ἱερόσυλος καὶ ἁμαρτωλὸς, λεγούσης τῆς Γραφῆς· ὅτι ὁ Θεὸς ἁμαρτωλῶν οὐκ ἀκούει, ἀλλ' ἐάν τις θεοσεβὴς ᾖ, καὶ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιῇ, τούτου

Digitized by Google

*facit, eum audit.* Per sanctam Ecclesiam peccatorum remissionem intelligimus : *Quis autem dare potest id quod ipse non habet? vel quomodo potest operari spiritalia, qui Spiritum sanctum abjecit?* Et ideo etiam renovari debet qui ad Ecclesiam accedit, ut intus per sanctos sanctificetur. Scriptum est enim : *Sancti eritis, sicut et ego sanctus sum*, dicit Dominus, ut qui in errorem seductus est, in vero et ecclesiastico Baptismate, ipse quoque hoc exuat, qui homo ad Deum accedens et sacerdotem quærens, in errore inventus in sacrilegium incidit. Est enim hæreticorum et schismaticorum hæresim probare, eos qui ab illis baptizati sunt comprobare. Non enim potest in parte valere; si enim non potuit is qui est extra habere spiritum, non potest venientem baptizare, cum sit unus Baptismus, et unus sanctus Spiritus, et una Ecclesia, a Christo Domino nostro dicente, ab initio supra Petrum apostolum fundata unitate. Et ideo quæ ab eis facta sunt, cum sint falsa et vana, omnia sunt reprobata. Neque enim potest esse Deo gratum et acceptum quod fit ab illis, quos Dominus hostes et adversarios dicit in Evangelils : *Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, dispergit.* Quin etiam beatus apostolus Joannes præcepta Domini servans, in Epistola præscripsit : *Audivistis quod antichristus venit, et nunc etiam multi antichristi facti sunt. Unde cognoscimus quod extrema hora est. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.* Unde et nos intelligere et cogitare debemus, si Dei inimici, et qui antichristi sunt nominati, Domini gratiam dare non possunt, ideo nos qui sumus cum Domino, et Domini unitatem tenemus, ut pro ejus dignitate suppeditantes, sacerdotium ejus in Ecclesia gerimus, quæcumque adversarii et ipsius generis hostes, et antichristi faciunt, reprobare, removere, et abjicere, et pro profanis habere debemus : iisque qui ab errore et perversitate veniunt, veræ et ecclesiasticæ fidei omnino cognitionem dare, divinæ potentiæ mysterium, et unitatis, et fidei, et veritatis.

ZONARAS. *Epistola hæc, quoscumque ab hæreticis, aut schismaticis baptizatos, si ad Ecclesiam catholicam se recipiant, iterum baptizari jubet, eamque sententiam variis epichiremathibus ac enthymemathibus, Scripturæque testimoniis confirmat. At vero secunda œcumenica synodus canone septimo, non omnes qui ex hæresi demigrant, Baptismo iterum expiandos, sed alios quidem si datis libellis suam præterea quisque hæresim omnemque a catholica et apostolica Dei Ecclesia alienum errorem execrentur, charactere notatos, hoc est sancto Chrismate inunctos admitti oportere decernit; alios vero omnes, ex quibus nonnullos nominatim designat, baptisari, atque ut* (1) *Græcos admitti jubet. Qui quidem etiam canon suo loco explicatus est : proindeque ejus canonis constitutionem a sanctis postea Patribus receptam haud fuisse facile apparet. Cum igitur de eadem re duo synodi contraria inter se decreta protulerint, po-*

(1) Ethnicos.

A ἀκούεις; Διὰ τῆς ἁγίας Ἐκκλησίας νοοῦμεν ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· Τίς δὲ δύναται δοῦναι ὅπερ αὐτὸς οὐκ ἔχει, ἢ πῶς δύναται πνεῦματικὰ ἐργάζεσθαι, ὁ ἀποβαλὼν Πνεῦμα ἅγιον; Διὰ τοῦτο καὶ ἀνανεοῦσθαι ὀφείλει ὁ πρὸς τὴν Ἐκκλεσίαν ἐρχόμενος, ἵνα ἔσω διὰ τῶν ἁγίων ἁγιασθῇ· γέγραπται γάρ, ὅτι ἅγιοι ἔσεσθε, καθὼς ἐγὼ ἅγιος εἰμι, λέγει Κύριος. Ἵνα καὶ ὁ ἐπὶ πλάνης βουκοληθεὶς ἐν τῷ ἀληθεῖ καὶ ἐκκλησιαστικῷ βαπτίσματι καὶ αὐτὸ τοῦτο ἀποδύσηται, ὃς τις πρὸς Θεὸν ἐρχόμενος ἄνθρωπος καὶ ἱερέα ἐπιζητῶν ἐν πλάνῃ εὑρεθεὶς ἱεροσύλῳ προσέπεσε. Δοκιμάζειν γάρ ἐστι τὸ τῶν αἱρετικῶν καὶ σχισματικῶν βάπτισμα, τὸ συνευδοκεῖν τοῖς ὑπ' ἐκείνων βεβαπτισμένοις. Οὐ γὰρ δύναται ἐν μέρει ὑπερισχύειν· εἰ ἠδυνήθη βαπτίσαι, ἴσχυσε καὶ ἅγιον Πνεῦμα δοῦναι· εἰ οὐκ ἠδυνήθη, ὅτι ἔξω ὢν Πνεῦμα ἅγιον οὐκ ἔχει, οὐ δύναται τὸ ἐρχόμενον βαπτίσαι ἑνὸς B ὄντος τοῦ βαπτίσματος, καὶ ἑνὸς ὄντος τοῦ ἁγίου Πνεύματος, καὶ μιᾶς Ἐκκλεσίας ὑπὸ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν ἐπάνω Πέτρου τοῦ ἀποστόλου ἀρχῆθεν λέγοντος ἑνότητος τεθεμελιωμένης. Καὶ διὰ τοῦτο τὰ ὑπ' αὐτῶν γινομένα ψευδῆ καὶ κενὰ ὑπάρχοντα πάντα ἐστὶν ἀδόκιμα. Οὐδὲ γὰρ δύναται δεκτὸν καὶ αἰνετὸν εἶναι παρὰ Θεῷ τῶν ὑπ' ἐκείνων γινομένην, οὓς ὁ Κύριος πολεμίους καὶ ἀντιπάλους αὐτοῦ λέγει ἐν τοῖς Εὐαγγελίοις· Ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ κατ' ἐμοῦ ἐστι, καὶ ὁ μὴ συνάγων μετ' ἐμοῦ σκορπίζει. Καὶ ὁ μακάριος ἀπόστολος Ἰωάννης ἐντολὰς Κυρίου τηρῶν, ἐν τῇ Ἐπιστολῇ προέγραψεν· Ἠκούσατε ὅτι ὁ Ἀντίχριστος ἔρχεται, καὶ νῦν δὲ Ἀντίχριστοι πολλοὶ γεγόνασιν, ὅθεν γινώσκομεν ὅτι ἐσχάτη ὥρα ἐστίν. Ἐξ ἡμῶν ἦλθον, ἀλλ' οὐκ ἦσαν μεθ' ἡμῶν. Ὅθεν καὶ ἡμεῖς συνιέναι ὀφείλομεν καὶ νοεῖν ὡς οἱ ἐχθροὶ Κυρίου καὶ οἱ Ἀντίχριστοι ὠνομα- C σμένοι δυνατοὶ οὐκ εἶεν χάριν δοῦναι τοῦ Κυρίου καὶ διὰ τοῦτο ἡμεῖς τῷ Κυρίῳ ὄντες, καὶ ἑνότητα Κυρίου πρατοῦντες, καὶ κατὰ τὴν ἀξίαν αὐτοῦ χορηγούμενοι, τὴν ἱερατείαν αὐτοῦ ἐν τῇ Ἐκκλεσίᾳ λειτουργοῦντες, ὅσα οἱ ἀντικείμενοι αὐτῷ, τουτέστι πολέμιοι καὶ Ἀντίχριστοι ποιοῦσιν, ἀποδοκιμάσαι, καὶ ἀποποιῆσαι καὶ ἀπορῥίψαι, καὶ ὡς βέβηλα ἔχειν ὀφείλομεν, καὶ τοῖς ἀπὸ πλάνης καὶ στρεβλότητος ἐρχομένοις ἐπὶ γνώσει τῆς ἀληθινῆς καὶ ἐκκλησιαστικῆς πίστεως δοῦναι καθόλουθείας δυνάμεως μυστήριον, ἑνότητός τε καὶ πίστεως καὶ ἀληθείας.

ΖΩΝΑΡΑΣ. Αὕτη ἡ ἐπιστολή, καθάπαξ τοὺς ὑπὸ αἱρετικῶν ἢ σχισματικῶν βαπτιστέντας προσερχομένους τῇ καθολικῇ Ἐκκλεσίᾳ βαπτίζεσθαι διατάττεται καὶ ἐν διαφόρων ἐνθυμημάτων, καὶ ἐπιχειρημάτων καὶ ῥητῶν γραφικῶν τὸν οἰκεῖον λόγον κατωσκευάζει. Ἡδὲ δευτέρα οἰκου- D μενικὴ σύνοδος ἐν κανόνι αὐτῆς ἑβδόμῳ οὐ παντας ἐξ αἱρέσεων ἐπιστρέφοντας, ἀνωθεν κελεύει βαπτίζεσθαι, ἀλλ' ἀπαριθμεῖ τινας μὲν δεῖν δέχεσθαι διδόντας λιβέλλους, καὶ ἀναθεματίζοντας τίνα τε οἰκείαν αἵρεσιν ἕκαστον, καὶ πᾶσαν μὴ φρονοῦσαν, ὡς ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ καθολικὴ καὶ ἀποσολικὴ Ἐκκλεσία φρονεῖ. σφρανιζομένους ἤτοι χριομένους τῷ ἁγίῳ μύρῳ· τοὺς δὲ λοιποὺς πάντας, ὧν τινας καὶ ὀνομαστὶ καταλέγει, βαπτίζεσθαι ὁρίζεται, δεχομένους ὡς Ἕλληνας. Ὅς δῆτα κανὼν καὶ ἐν τῷ ἰδίῳ τόπῳ ἐξήγηται· Ὅθεν φαίνεται, ὅτι οὐκ ἐδέχθη παρὰ τῶν μετέπειτα πατέρων ἁγίων ἡ διαταγὴ αὕτη. Ἐναντία τοίνυν ἐν τούτῳ τῷ κεφαλαίῳ τῶν δύο συνόδων εἰσαγουσῶν τὰ τῆς δευτέρας κρατεῖ συνόδου, ὅτι τε μεταγενεστέρα ἐστί, καὶ ὅτι οἰκουμενικὴ, ἐν ᾗ πάντως ἐκ πάντων τῶν πατριαρχικῶν θρόνων

Digitized by Google

*tior habenda est secundæ synodi constitutio, quippe quæ et posterior fuit et œcumenica, in qua omnes scilicet quicumque patriarcham sedem obtinent, aut ipsimet patriarchæ, aut ipsorum legati affuerunt. Porro hunc canonem nequaquam a sanctis Patribus universis receptum fuisse, vel ex secundo canone synodi in Trullo habitæ, quæ sexta dicitur, intelligi licet. Ibi namque sancti Patres eis canonibus quorum rata auctoritas esse debet sigillatim enumeratis, de hoc canone totidem omnino verbis ita pronuntiant. Præterea vero, inquiunt, et a Cypriano, qui Afrorum regionis fuit archiepiscopus, et martyr, et a synodo quæ sub eo fuit editum canonem, qui in illorum præsulum locis tantummodo juxta traditam ab eis consuetudinem servatus est. Ex hoc loco igitur, primis quoque temporibus canonem hunc nequaquam apud omnes valuisse facile apparet. Hic igitur est textus epistolæ : Quæ vero in communi disceptatione dictæ sunt a singulis, qui in synodo convenerant, ita se habent :*

συνῆσαν, ἢ οἱ πατριάρχαι αὐτοί, ἢ τοπηρήται, ὅτι δὲ οὐκ ἐδέχθη ὁ παρὼν κανὼν παρὰ πάντων τῶν ἁγίων πατέρων, δηλοῦται καὶ ἐκ τοῦ δευτέρου κανόνος τῆς ἐν τῷ Τρούλλῳ γενομένης συνόδου λεγομένης ἕκτης· ἀπορίθμησιν γὰρ ἐν αὐτῷ οἱ συνόδου ἅγιοι πατέρες ἐκείνης ποιούμενοι τῶν ὀφειλόντων κρατεῖν κανόνων, ταῦτα περὶ τοῦ κανόνος τούτου ῥήμασιν αὐτοῖς διεξιᾶσιν. Ἔτι μὴν καὶ τὸν ὑπὸ Κυπριανοῦ τοῦ γενομένου ἀρχιεπισκόπου τῆς Ἀφρῶν χώρας, καὶ μάρτυρος, καὶ τῆς κατ' αὐτὸν συνόδου ἐκτεθέντα κανόνα, ὃς ἐν τοῖς τῶν προεδρων τόποις καὶ μόνοις κατὰ τὸ παραδοθὲν αὐτοῖς ἔθος ἐκράτησεν. Ἐντεῦθεν οὖν δέικνυται, ὅτι καὶ ἀρχῆθεν, οὐ παρὰ πᾶσιν ἦν ἐνεργῶν ὁ κανών. Ταῦτα μὲν οὖν τὰ τῆς ἐπιστολῆς· Αἱ δὲ ἐν τῇ κοινῇ διασκέψει δοθεῖσαι γνῶμαι παρ' ἑκάστου τῶν ἐν τῇ συνόδῳ συνειλεγμένων, ἔχουσιν οὕτως κατ' ἐπιτομήν.

Cyprianus dixit :

Audistis, collega dilectissimi, quid mihi Jubaianus, coepiscopus noster, scripserit consulens mediocritatem nostram de illicito et profano hæreticorum baptismo, et quid ego ei rescripserim, censens licet, quod semel atque iterum et sæpe consulimus hæreticos ad Ecclesiam venientes Baptismo (*Ecclesiæ*) baptizari et sanctificari oportere. Item lectæ sunt vobis et aliæ litteræ Jubaiani, quibus pro sua sincera et religiosa devotione ad epistolam nostram rescribens, non tantum consensit, sed etiam instructum se esse gratias confessus egit. Superest ut de hac ipsa re quid singuli sentiamus, proferamus, neminem judicantes, ut a jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrum episcopum se (*esse episcoporum*) constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habeat omnis episcopus pro licentia libertates et potestatis, suæ arbitrium proprium, tamquam judicari ab alio non possit cum nec ipse possit alterum judicare : sed exspectemus universi judicium Domini Nostri Jesu Christi, qui unus et solus habet potestatem et præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, et de actu nostro judicandi.

Κυπριανὸς εἶπεν·

Ἠκούσατε, ἀγαπητοὶ συνεπίσκοποι, τί μοι ἔγραψεν Ἰοβιανὸς, ὁ συνεπίσκοπος ἡμῶν, συμβουλὴν παρὰ τῆς μετριότητός μου βουλόμενος λαβεῖν περὶ τοῦ ἀνοσίου καὶ ἀνόμου βαπτίσματος τῶν αἱρετικῶν, καὶ τί ἐγὼ αὐτῷ ἀντέγραψα δογματίζων, ὃ ἅπαξ καὶ δεύτερον καὶ πολλάκις ἐκρίναμεν, τοὺς αἱρετικοὺς προσερχομένους τῇ Ἐκκλησίᾳ βαπτίσματι βαπτίζεσθαι δεῖν, καὶ ἁγιάζεσθαι. Ἔπειτα δὲ ἀνεγνώσθη ὑμῖν καὶ ἄλλα γράμματα Ἰοβιανοῦ, δι' ὧν κατὰ τὸ αὐτοῦ εὐσεβὲς ἀντίγραμμα οὐ μόνον ἡμῖν συνευδόκησεν, ἀλλὰ καὶ τῇ ἐπιγνώσει τῆς ἀληθείας χάριν ὡμολόγησεν. Ὑπόλοιπον οὖν περὶ αὐτοῦ ἕκαστος ὑμῶν φρονεῖ, εἰπεῖν μηδενὸς ἀφ' ὑμῶν ἐν τούτῳ κρινομένου, μηδὲ εἰ ἐναντία φρονοίη, καὶ ἀκοινωνήτου γινομένου. Οὔτε γάρ τις ἐπίσκοπον ἑαυτὸν καθίστησιν, οὐδὲ τυραννικῇ ἀνθαδείᾳ εἰς ἀνάγκην τοῦ ἕπεσθαι αὐτῷ τοὺς συνεπισκόπους βιάζεται, ὁπότε εἷς ἕκαστος ἐπίσκοπος ἐξουσίαν ἔχει πράττειν ἐλευθερίως, ἃ φρονεῖ· ὡς γὰρ αὐτὸς ἄλλον κρῖναι οὐ δύναται, οὕτως οὐδὲ ὑπὸ ἄλλου κριθῆναι. Περιμένομεν γὰρ πάντες τὴν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ κρίσιν, ὃς μόνος ἐξουσίαν ἔχει ἐπίσκοπον καθιστᾶν ἐν τῇ αὐτοῦ Ἐκκλησίᾳ, καὶ ἑνὸς ἑκάστου τὴν πρᾶξιν ἐξετάζειν καὶ δοκιμάζειν.

1. Cæcilius a Bilta dixit :

Ego unum Baptismo in Ecclesia sola scio, et extra Ecclesiam nullum. Hoc erit unum, ubi spes vera est, et fides certa. Sic enim scriptum est : *Una fides* (una (1) *spes*) *unum Baptisma* (*Ephes.* IV, 5). Non apud hæreticos, ubi spes nulla est, et fides falsi, ubi omnia per mendacium aguntur, ubi exorcizat dæmoniacus : sacramentum interrogat, cujus os et verba cancer emittunt : fidem dat infidelis, veniam delictorum tribuit sceleratus, et in nomine Christi tingit Antichristus : *Benedicit a Deo maledictus* : vitam pellicetus mortuus, pacem dat impacificus, Deum invocat blasphemus, sacerdotium administrat profanus, ponit altare sacri-

Καικίλλιος Λιβερέριος εἶπεν·

Ἓν βάπτισμα ἐν μόνῃ τῇ Ἐκκλησίᾳ οἶδα, καὶ ἐκτὸς τῆς Ἐκκλησίας, οὐδαμοῦ. Ἔνθα γὰρ ἐστὶ τὸ ἓν βάπτισμα, ὄντως καὶ ἐλπὶς ἀληθείας ἐστὶ, καὶ πίστις. Οὕτω γὰρ γέγραπται, μία πίστις, ἓν βάπτισμα. Οὐ γὰρ τοῖς αἱρετικοῖς, παρ' οἷς οὐδεμία πίστις καὶ ἐλπὶς, ὅπου πάντα ψευδῆ, ὅπου ἐξορκίζει δαιμονιζόμενος, μυστήριον ἐρωτᾷ, οὗ τὸ στόμα λοιμώδη καὶ ἰώδη φτέγγεται· πίστιν δὲ δίδωσιν ἄπιστος, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν παρέχει ἁμαρτωλὸς, καὶ εἰς ὄνομα Χριστοῦ βαπτίζει Ἀντίχριστος, ὑπισχνεῖται ζωὴν νεκρὸς, εἰρήνην δίδωσιν εἰρήνης ἀλλότριος, Θεὸν ἐπικαλεῖται βλάσφημος, ἱερατεῖα κέχρηται ἀσεβὴς, θυσιαστήριον πρωτίθησιν ἱερόσυλος, Θεῷ θυσίαν προσφέρει ὁ διαβόλου ὑπηρετῶν. Οἱ αὐτοῖς συνηγορεῦντες εἰπάτωσαν ταῦτα πάντα ψευδῆ εἶναι περὶ τῶν αἱρετικῶν. Ἰδοὺ νῦν ἀναγκάζεται ἡ Ἐκκλεσία συνευδοκεῖν, ἵνα χωρὶς βαπτι-

(1) Absunt hæc et nonnulla alia a græco contextu ad quem exacta fuit Latina versio a Gentiano Hervetо. LABBE.

Digitized by Google

legus, Deo sacrificium offert qui diabolo servit. Dicant, qui illis assistunt, hæc omnia falsa esse de hæreticis. Ecce ad qualia Ecclesia consentire cogitur, ut sine Baptismo ac venia delictorum communicare compellatur, quam rem fratres fugere ac vitare debemus, et a tanto scelere nos separare, et unum baptisma tenere, quod soli Ecclesiæ a Deo concessum est.

2. Primus Felix a Migirpa dixit:

Censeo omnem hominem ab hæresi venientem Baptizandum. Frustra enim illic putat se esse baptizatum, cum non sit Baptisma, nisi in Ecclesia unum et verum, quia et Deus unus et Ecclesia una, in qua stat unum Baptisma et sanctificatio, et quæcumque alia ad salutem et vitam æternam spectant, perficiuntur. Nam quæ extra Ecclesiam exercentur, nullum habent salutis effectum.

3. Polycarpus ab Adrumeto dixit:

Qui hæreticorum Baptisma probant nostrum reprobum efficiunt.

4. Novatus a Tamugade dixit:

Licet sciamus omnem Scripturam testimonium reddere de salutari Baptismo, debemus tamen fidem nostram exprimere, ut hæreticos et schismaticos ad Ecclesiam venientes, qui pseudobaptizati videntur, vero Baptismo baptizemus. Et ideo omnes qui ad Ecclesiam conversi sunt, omnes baptizavi, et quicumque ex clero ordinati videbantur inter laicos recepi.

5. Nemesianus a Thubunis dixit:

Baptisma quod dat hæreticus et schismaticus non esse verum, ubique in Scripturis sanctis declaratum est: quoniam ipsi præpositi eorum falsi Christi sunt et falsi prophetæ.

6. Januarius a Lambese dixit:

Secundum Scripturarum sanctarum auctoritatem decerno hæreticos omnes baptizandos, et sic in Ecclesiam sanctam admittendos.

7. Lucius a Castragalba dixit:

Cum Dominus in Evangelio dixerit: *Vos estis sal terræ; si autem sal infatuatum fuerit in quo salietur?* et manifestum sit hæreticos, id est hostes Dei, non posse quemquam spiritali confessione vivificare, quod infatuati sint, et extra Ecclesiam, accedentes eos sancto Baptismate baptizare debemus.

8. Crescens a Cirta dixit:

Censeo et ipse hæreticos et schismaticos qui ad catholicam Ecclesiam voluerint venire, non ante recipiendos quam exorcizati et baptizati fuerint, exceptis iis qui in Ecclesia catholica fuerint ante baptizati et ab ea defecerint: ita tamen ut per manus impositionem in pœnitentiam Ecclesiæ reconcilientur.

9. Nicomedes a Segermis dixit:

Mea sententia hæc est, ut hæretici ad Ecclesiam venientes baptizentur, eo quod nullam foris peccatorum remissionem consecuti sint ad hæreticis baptizati.

A σματος καὶ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν τοιούτοις συγκοινωνήσῃ. Ὅθεν, ἀδελφοί, φεύγειν, καὶ ἐκκλίνειν ὀφείλομεν, καὶ χωρίζειν ἑαυτοὺς ἀπὸ τοιούτων πλημμελημάτων, καὶ ἓν βάπτισμα κατέχειν τὸ μόνον ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ δεδωρημένον.

Πρίαμος ἀπὸ Μαστρίπης εἶπε·

Δογματίζω πάντα ἄνθρωπον ἀπὸ αἱρέσεως ἐρχόμενον, δεῖν βαπτίζεσθαι. Μάτην γὰρ αὐτὸν ἐκεῖ βεβαπτίσθαι, μὴ ὄντος, εἰ μὴ ἑνὸς βαπτίσματος, ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ μόνῃ, ἐπεὶ καὶ ὁ Θεὸς εἷς, καὶ βάπτισμα ἓν, καὶ ἐκκλησία μία, ἐν ᾗ τὸ βάπτισμα καὶ ὁ ἁγιασμὸς καὶ ὅσα ἄλλα εἰς σωτηρίαν καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον ἐπιτελεῖται. Τὰ γὰρ ἔξω τῆς Ἐκκλησίας γενόμενα, εἰς οὐδὲν τούτων ἀφεικνεῖται.

Πολύκαρπος Ἀδραμέντου εἶπεν·

Οἱ τὸ τῶν αἱρετικῶν βάπτισμα δοκιμάζοντες, τὸ ἡμέτερον ἀδόκιμον ποιοῦσι.

B

Νουσάτος (1) ἀπὸ Θαννού βασιλέως εἶπε·

Πᾶσαι (2) αἱ γραφαὶ μαρτυροῦσι περὶ ἑνὸς καὶ μόνου τοῦ ἐν τῇ Ἐκκλεσίᾳ βαπτίσματος σωτηρίου. ὀφείλομεν τὴν ἡμετέραν πίστιν ὁμολογῆσαι ἵνα τοὺς αἱρετικοὺς καὶ σχισματικοὺς προσερχομένους τῇ Ἐκκλησίᾳ μετὰ τὸ ψευδὲς ἐκείνων βάπτισμα τῷ ἀληθεῖ βαπτίσωμεν. Καὶ διὰ τοῦτο ἐγὼ τοὺς ἐκεῖθεν ἐλθόντας πάντας ἐβάπτισα, καὶ τοὺς ἀπὸ κλήρου αὐτῶν λαϊκοὺς ἔστησα.

Νεμεσιανὸς ἀπὸ Θουβούνων εἶπε·

Βάπτισμα ὃ δίδωσιν αἱρετικὸς καὶ σχισματικὸς μὴ εἶναι ἀληθὲς πᾶσαι αἱ γραφαὶ μαρτυροῦσιν, ἐπεὶ αὐτοὶ προεστῶτες αὐτῶν ψευδόχριστοί εἰσι καὶ ψευδοπροφῆται.

Ἰανουάριος ἀπὸ Λαβῆς εἶπε·

Κατὰ τὰ προστάγματα τῶν ἁγίων Γραφῶν κρίνω δεῖν πάντας τοὺς αἱρετικοὺς βαπτίζεσθαι, καὶ οὕτως εἰς τὴν ἁγίαν Ἐκκλησίαν προσδέχεσθαι.

Λούκιος ἀπὸ Γαστρογαλβῆς εἶπεν·

C Ὁ Κύριος ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ φησὶν, Ὑμεῖς ἐστε τὸ ἅλας τῆς γῆς, ἐὰν δὲ τὸ ἅλας μωρανθῇ, ἐν τίνι ἁλισθήσεται; ὁπότε οὖν σαφές ἐστι τοὺς αἱρετικοὺς τουτέστιν ἐχθροὺς τοῦ Θεοῦ, μὴ δεῖν δύνασθαι ζοποιῆσαί τινα πνευματικῇ ὁμολογίᾳ μωραθέντας αὐτοὺς καὶ ἔξω ὄντας τῆς Ἐκκλησίας, ἁγίῳ βαπτίσματι βαπτίζειν αὐτοὺς ἐρχομένους ὀφείλομεν.

Κρίσης ἀπὸ (3) Κρήτης εἶπε·

Καὶ αὐτὸς τοὺς αἱρετικοὺς καὶ σχισματικοὺς, ὁπόταν εἰς τὴν Ἐκκλησίαν τὴν καθολικὴν ἔλθωσι, μὴ πρότερον δεχθῆναι πρὶν ἐξορκισθῶσι καὶ βαπτισθῶσι, χωρὶς ἐκείνων τῶν (4) τῇ Ἐκκλησίᾳ βαπτισθέντων καὶ ἀποστάντων. Οὗτοι γὰρ ὀφείλουσι μετανοήσαντες χειροθεσίας μόνης τυχεῖν.

D

Νικομήδης ἀπὸ (5) Σεργομέων εἶπεν·

Ἡ ἐμὴ ἀπόφασις αὕτη ἐστίν· ἵνα οἱ αἱρετικοὶ τῇ Ἐκκλη-

(1) Forte Νουβάτος.
(2) Lege Ἐκεῖ πᾶσαι.
(3) Lege Ἀπὸ Κίφτης.
(4) Lege Τῶν ἐν τῇ.
(5) Forte pro Σιτεμμέων.

Digitized by Google

10. Secundianus a Carindia dixit:

Cum Dominus noster Jesus Christus dicat: *Qui non est mecum contra me est*, et Joannes apostolus eos qui ab Ecclesia exeunt, antichristos dicat. Impossibile enim est ut ipsi gratiæ Dei et salutari baptismo inserviant; et ideo censeo eos qui ad Ecclesiam confugiunt et a nobis esse baptizandos.

11. Felix a Bagai dixit:

Sicut cæcus cæcum ducens simul in foveam cadunt, ita hæreticus hæreticum baptizans simul cum eo in mortem cadit: et ideo baptizandus est apud nos hæreticus, ne nos vivi mortuis communicemus.

12. Successus ab Abbir Germaniceana dixit:

Hæreticis aut nihil licet, aut totum licet: si possunt baptizare, possunt et dare Spiritum sanctum; si autem non habent, nec baptizare spiritaliter possunt: propterea censeo hæreticos baptizandos esse.

13. Fortunatus a Thucabori dixit:

Qui extra Ecclesiam sunt, et contra Christum stantes, ut qui oves ejus et gregem spargunt, baptizare foris non possunt.

14. Sedatus a Tuburbo dixit:

Omnibus viribus nitendum est, ne quis hæretico errore infectus et tinctus singulare et verum Ecclesiæ baptisma detrectet accipere, quo quisquis non fuerit baptizatus, a regno cœlorum fit alienus.

15. Privatianus a Sufetula dixit:

Si hæresis a Deo est, habebit hæreticus et indulgentiam divinam. Si vero a Deo non est, quomodo gratiam Dei aut habere, aut conferre alicui potest?

16. Munnulus a Girba dixit:

Domino dicente: *Baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, manifeste scimus hæreticos non habere nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum. Debent igitur venientes ad Ecclesiam baptizari, ut renascantur.

17. Politianus a Mileo dixit:

Justum est in Ecclesia baptizari eum, qui ab hæresi venit.

18. Theognis ab Hippone Regio dicit:

Secundum sacramentum Dei gratiæ cœlestis, quam accepimus, baptisma quod est in Ecclesia sancta novimus.

19. Dativus a Badis dixit:

Nos quantum in nobis est, hæreticis non communicamus, nisi baptizari in Ecclesia fuerint, et remissionem peccatorum acceperint.

20. Privatus a Susibus dixit:

Qui hæreticorum baptismum probat, quid aliud quam hæreticis communicat?

21. Hortensianus a Laribus dixit:

Nos unum baptisma, quod nonnisi in Ecclesia novimus, Ecclesiæ vindicamus.

A σία προσερχόμενοι βαπτισθῶσιν, ἐπεὶ μηδεμίαν ἔξω ἄφεσιν ἁμαρτιῶν εἰλήφασιν ὑπὸ τῶν ἱαίρετικῶν βαπτισθέντες.

Σεκουνδιανὸς ἀπὸ Καρινδίας εἶπεν·

Ὅτι ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς λέγει· Ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ, κατ' ἐμοῦ ἐστι. Καὶ Ἰωάννης ὁ ἀπόστολος τοὺς ἐξερχομένους τῆς Ἐκκλησίας Ἀντιχρίστους ὀνομάζει. Ἀδύνατον γὰρ ἐστιν αὐτοὺς ὑπηρετῆσαι χάριτι Θεοῦ, καὶ σωτηρίῳ βαπτίσματι· καὶ διὰ τοῦτο κρίνω τοὺς τῇ Ἐκκλησίᾳ προσελθόντας βαπτισθῆναι παρ' ἡμῶν.

Φίλιξ ἀπὸ Γαμετῶν εἶπεν·

Ὡς τυφλὸς τυφλὸν ὁδηγῶν ἅμα εἰς βόθρον ἐμπίπτουσιν, οὕτω καὶ αἱρετικὸς αἱρετικὸν βαπτίζων τῷ βαπτισμένῳ συναποθνῄσκει. Καὶ διὰ τοῦτο παρ' ἡμῖν τὸν αἱρετικὸν B βαπτισθῆναι δεῖ, ἵνα μὴ ἡμεῖς οἱ ζῶντες νεκροῖς κοινωνήσωμεν.

Σουκέντιος ἀπὸ Ἀβιργεμανικιανῆς εἶπεν·

Αἱρετικοῖς ἢ οὐδὲν ἔξεστιν, ἢ πάντα· εἰ δύνανται βαπτίσαι, δύνανται καὶ Πνεῦμα ἅγιον δοῦναι· ἐπεὶ δὲ μὴ ἔχουσιν, οὐδὲ πνευματικῶς βαπτίζουσι· καὶ διὰ τοῦτο κρίνω δεῖν τοὺς αἱρετικοὺς βαπτίζεσθαι.

Φουρτουνάτος ἀπὸ Θουκχαβὼρ εἶπεν·

Οἱ ἔξω τῆς Ἐκκλησίας ὄντες, καὶ ἐναντίοι τῷ Χριστῷ, ὡς τὰ πρόβατα, καὶ τὴν ἀγέλην αὐτοῦ σκορπίζοντες, βαπτίζειν ἔξω οὐ δύνανται.

Θήδατος ἀπὸ Θουρβῶν εἶπε·

Πάσῃ δυνάμει ἀγωνιστέον, ἵνα μὴ ὁ τὴν τῶν αἱρετικῶν πλάνην ἀφεὶς, τὸ μόνον τῆς Ἐκκλησίας βάπτισμα διστάσῃ C λαβεῖν, ᾧ τις μὴ βαπτισθείς, ἀλλοτριοῦται τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας.

Προβατιανὸς ἀπὸ Σοφετίνης εἶπεν·

Εἰ ἀπὸ Θεοῦ ἡ αἵρεσίς ἐστιν, ἔξει αἱρετικὸς καὶ δωρεὰν Θεοῦ. Εἰ δὲ μὴ ἐστιν ἀπὸ Θεοῦ, πῶς δύναται αὐτὸς ἔχειν τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ καὶ ἄλλῳ διδόναι;

Μανούαλος ἀπὸ Γέρβης εἶπε·

Τοῦ Κυρίου λέγοντος, Βαπτίσατε πάντα τὰ ἔθνη εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, οἴδαμεν σαφῶς τοὺς αἱρετικοὺς, μήτε Πατέρα ἔχειν, μήτε Υἱὸν, μήτε ἅγιον Πνεῦμα· δεῖ οὖν ἐρχομένους εἰς τὴν Ἐκκλησίαν βαπτίζειν, ἵνα ἀναγεννηθῶσιν.

Πολιτιανὸς ἀπὸ Μίλεως εἶπεν·

Ὀρθὸν ἐστι τὸν ἀπὸ αἱρέσεως ἐρχόμενον ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ D βαπτίζεσθαι.

Θέογνις ἀπὸ Ἱππῶνος ῥηγίου εἶπεν·

Ἀκολούθως τῷ μυστηρίῳ τοῦ Θεοῦ, καὶ τῆς οὐρανίου χάριτος, ἣν εἰλήφαμεν, βάπτισμα, ὃ ἐστιν ἐν τῇ ἁγίᾳ Ἐκκλησίᾳ, οἴδαμεν.

Διατίους ὁ Σιάδης εἶπεν·

Ἡμεῖς ὃ ἐφ' ἡμῖν ἐστιν, αἱρετικοῖς οὐ κοινωνοῦμεν, ἐὰν μὴ ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ βαπτισθῇ, καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν λάβῃ.

Προβάτος ἀπὸ Ζοφιστοῦ εἶπεν·

Ὁ δοκιμάζων παρὰ τοῖς αἱρετικοῖς βάπτισμα εἶναι, τί ἄλλο, ἢ τοῖς αἱρετικοῖς κοινωνεῖ;

Ὀρτησιανὸς ἀπὸ Λαβούρνης εἶπε.

Καὶ ἡμεῖς ἓν βάπτισμα, ὅπερ ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ οἴδαμεν, τοῦτο τῇ Ἐκκλησίᾳ ἐκδικοῦμεν.

Digitized by Google

22. Cassius a Macomadibus dixit:

Cum baptismata duo esse non possint, qui hæreticis baptisma concedit, baptisma sibi ipsi tollit. Censeo itaque baptizandos esse hæreticos, cum ad Ecclesiam venerint, absque his qui ab Ecclesiæ fidelibus separati, ab hæresis tenebras transierant quos redeuntes oportet per manus impositionem restitui.

23. Januarius a Vico Cæsaris dixit:

Si non obtemperat error veritati, multo magis veritas non consentit errori. Et ideo nos Ecclesiæ assistimus, in qua præsidemus, ut quos Ecclesia non baptizavit baptizemus.

24. Secundinus a Carpis dixit:

Si christiani sunt hæretici, cur in Ecclesia Dei non sunt? Sin autem christiani non sunt, fiant. Unde constat super filios alienos et sobolem Antichristi Spiritum sanctum per manus compositionem tantummodo non posse descendere.

25. Victoricus a Thebraca dixit:

Si licet hæreticis baptizare et Spiritum sanctum ac remissam peccatorum dare, quid adversus illos mentimur, ut hæreticos illos appellemus?

26. Alius Felix ab Uthina dixit:

Confirmare debemus ut omnes hæretici qui ad Ecclesiam accurrunt, baptizentur, ut omnis externa perversitas purgata et sanctificata in melius reformetur.

27. Quietus a Baruch dixit:

Si illi qui apud hæreticos baptizantur remissionem peccatorum et vitam æternam consequuntur, cur ad Ecclesiam veniant? Sin autem ad pœnitentiam veniant, in qua baptismate vivificantur, quod est in Ecclesia catholica, baptizari et sanctificari debent.

28. Castus a Sicca dixit:

Qui, contempta veritate, præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres invisus est, quibus veritas revelata est, aut circa Deum ingratus est, qui revelavit.

29. Encratius a Themis dixit:

Venientes ad Ecclesiam hæretici integro et catholico baptismate baptizari debent, ut a peccatis purificati sanctificentur.

30. Liberus Vagentis dixit:

Dominus dixit: *Ego sum veritas;* itaque veritate manifestata cedat consuetudo veritati, ut etsi in præteritum quis in Ecclesia hæreticos non baptizabat, nunc baptizare incipiat.

31. Lucius a Thebeste dixit:

Hæreticos blasphemos et iniquos verbis variis Scripturas sacras adulterantes anathemate percuti oportet atque idirco tales exorcizare ac baptizare debemus.

32. Eugenius ab Amedera dixit:

Et ego hoc idem censeo; hæreticos baptizandos esse.

A Κάσιος ἀπὸ (1) Κομαζῶν εἶπεν·

Ἐπεὶ δύο βαπτίσματα εἶναι οὐ δύναται, ὁ συγχωρῶν τοῖς αἱρετικοῖς βάπτισμα, ἑαυτὸν τοῦ βαπτίσματος ἀποστρεῖ· διὸ ἐπικυρῶ αἱρετικοὺς βαπτίζειν δεῖν, ὅταν πρὸς τὴν Ἐκκλησίαν ἔρχωνται, χωρὶς τῶν τῆς Ἐκκλησίας τῶν πιστῶν χωρισθέντων, καὶ ἑαυτοὺς τῷ σκότει τῆς αἱρέσεως προδόντων, οὓς δεῖ ἐπανελθόντας, μόνῃ τῇ χειροθεσίᾳ προσλαβέσθαι.

Ἰανουάριος ἀπὸ Οὐβικοῦ εἶπεν·

Εἰ μὴ συγκατατίθεται ἡ πλάνη τῇ ἀληθείᾳ, πολὺ μᾶλλον ἡ ἀλήθεια οὐ συγκατατίθεται τῇ πλάνῃ. Διὸ καὶ ἡμεῖς συνιστάμεθα τῇ Ἐκκλησίᾳ, ἐν ᾗ καὶ (2) προσεδρεύομεν, ἵνα τοὺς ἐν αὐτῇ μὴ βαπτισθέντας βαπτίσωμεν.

Σεκουνδῖνος ὁ ἀπὸ (3) Καλπῶν εἶπεν·

B Εἰ χριστιανοί εἰσιν οἱ αἱρετικοί, διὰ τί ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ οὐκ εἰσίν; εἰ δὲ μὴ χριστιανοί εἰσι, γενέσθωσαν. Δῆλον οὖν ἐπάνω υἱῶν ἀλλοτρίων καὶ σπορᾶς Ἀντιχρίστου, διὰ μόνης Χειροπιθεσίας, μὴ δύνασθαι ἅγιον Πνεῦμα κατελθεῖν.

Οὐικτερίνος ἀπὸ Θαβάκων εἶπεν·

Εἰ ἔξεστι τοῖς αἱρετικοῖς βαπτίσαι, καὶ ἄφεσιν Πνεύματος δοῦναι καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, τί αὐτῶν καταψευδόμεθα, ἵνα αὐτοὺς αἱρετικοὺς ὀνομάσωμεν;

Ἄλλος Φῆλιξ ἀπὸ Θυίνης εἶπεν·

Ὀφείλομεν διαβεβαιῶσαι ἵνα πάντες οἱ αἱρετικοὶ οἳ προσερχόμενοι τῇ Ἐκκλησίᾳ βαπτισθῶσιν, ὅπως ἡ ἔξω γενομένη διαστροφὴ ἐπανορθωθῇ καὶ ἁγιασθῇ.

Κρύντος ἀπὸ Οὐρσὼν εἶπεν·

C Εἰ οἱ παρὰ τοῖς αἱρετικοῖς βαπτιζόμενοι ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ αἰωνίου ζωῆς τυγχάνουσι, τί πρὸς τὴν Ἐκκλησίαν ἔρχονται; εἰ δὲ εἰς μετάνοιαν ἔρχονται, ἐν ᾗ καὶ ζωοποιοῦνται βαπτίσματι, ὅπερ ἐν τῇ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ ἐστί, βαπτισθῆναι καὶ ἁγιασθῆναι ὀφείλουσιν.

Κάστος ἀπὸ Δίκης εἶπεν·

Ὁ παραπεμπόμενος τὴν ἀλήθειαν, καὶ τῇ συνηθείᾳ ἐπόμενος, ἢ περὶ τοὺς ἀδελφοὺς φθονερὸς, οἷς ἡ ἀλήθεια ἀπεκαλύφθη, ἢ πρὸς Θεὸν τὸν ἀποκαλύψαντα ἀχάριστος.

Εὐχράτιος ἀπὸ Θενῶν εἶπε.

Τοὺς αἱρετικοὺς ἐρχομένους εἰς τὴν Ἐκκλησίαν ὀρθῷ καὶ καθολικῷ βαπτίσματι βαπτίζεσθαι δεῖ, ἵνα ἀποκαθαρθέντες τὰς ἁμαρτίας ἁγιασθῶσιν.

D Λίβυσσος ἀπὸ Οὐργάσης εἶπεν·

Ὁ Κύριός φησιν· Ἐγώ εἰμι ἡ ἀλήθεια, ὥστε ἀποκαλυφθείσης τῆς ἀληθείας παραχωρείτω ἡ συνήθεια, ἵνα εἰ καὶ τὸ πρότερόν τις ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ τοὺς αἱρετικοὺς μὴ ἐβάπτισε, νῦν βαπτίσῃ.

(4) Λευκῖνος ἀπὸ Θιουΐσου εἶπε·

Τοὺς γὰρ αἱρετικοὺς ὡς βλασφήμους καὶ ἀνοσίους, πλάνοις λόγοις τὰς θείας Γραφὰς παραχαράσσοντας, ἀναθεματίζειν δεῖ· καὶ διὰ τοῦτο τοὺς τοιούτους ἐξορκίζειν καὶ βαπτίζειν ὀφείλομεν.

Εὐγένιος Ἀμμεδάρων εἶπε·

Ἐγὼ τοῦτο κρίνω, δεῖν τοὺς αἱρετικοὺς βαπτίζεσθαι.

(1) In græco lege Μακομάδων.
(2) Al. προσεδρεύσομεν.
(3) Lege Καρπῶν.
(4) Ex Mss. Reg. et ex Beveregii editione hunc titulum supplevimus, qui deerat.

Digitized by Google

33. Alius Felix ab Amacura dixit:

Et ipse secutus divinarum Scripturarum auctoritatem, hæreticos et schismaticos baptizandos esse pronuntio.

34. Januarius Muzulensis dixit:

Si hæretici habent baptisma, nos non habemus; si nos habemus, hæretici habere non possunt. Dubium autem non est Ecclesiam catholicam baptismo Christi uti, quæ sola Christi gratiam et charitatem et veritatem possideat.

35. Adelphius a Thasualto dixit:

Sine causa quidem impugnant veritatem, ut rebaptizare nos dicant. Siquidem Ecclesia hæreticos non rebaptizat, sed baptizat.

36. Demetrius a Leptiminori dixit:

Qui dicunt quia hæretici vere et legitime baptizant, ipsi sunt qui non solum duo, sed et multa baptismata introducunt. Nam cum hæreses multæ sint, pro earum numero et baptismata computabuntur.

37. Vincentius a Thibari dixit:

Hæreticos scimus esse pejores quam (1) ethnicos: si ergo pœnitentiam agentes ad regulam veritatis venire voluerint, prius exorcizari deinde baptizari eos oportet. Tunc enim possunt ad Christi pollicitationem venire.

38. Marius a Mactari dixit:

Judico hæreticos, ut qui nihil habeant, esse baptizandos.

39. Satius a Siciibba dixit:

Si hæreticis in baptismo ipsorum peccata donantur, sine causa ad Ecclesiam veniunt. Nihil enim est, quod timere possunt, in judicio Christi, si sunt remissionem peccatorum consecuti.

40. Aurelius ab Utica dixit:

Cum dicat Apostolus (I *Tim.* VI) *Non communicandum peccatis alienis*, censeo baptizandos esse hæreticos, ut prius accipiant remissam peccatorum, et sic illis communicemus.

41. Jamnus a Germanica dixit:

Qui hæreticorum baptisma probant, nostram improbant.

42. Lucianus a Rucuma dixit:

Si potest luci et tenebris convenire, potest nobis et hæreticis aliquid esse commune. Propterea censeo hæreticos baptizandos esse.

43. Pelagianus a Luperciana dixit:

Si hæresis in Ecclesia non est, quomodo esse apud hæreticos baptisma Ecclesiæ potest?

44. Jader a Midila dixit:

Una fides, unum baptisma: sed Ecclesiæ Catholicæ, licet baptizare.

45. Alius Felix a Marrazana dixit:

Eadem.

46. Paulus a Bobba dixit:

Si Deus verax est quomodo esse apud hæreticos baptismi veritas potest, apud quos Deus non est?

(1) Schismaticos.

A Ἄλλος Φῆλιξ ἀπὸ Μεκκόρας εἶπε·

Καὶ αὐτὸς ἑπόμενος τῷ κανόνι τῶν θείων Γραφῶν, τοὺς αἱρετικοὺς καὶ σχισματικοὺς, βαπτίζεσθαι ἀποφαίνομαι.

Ἰανουάριος ἀπὸ Μουκούζης εἶπεν·

Αἱρετικοὶ (1) ἔχουσι βάπτισμα; ἡμεῖς οὐκ ἔχομεν· εἰ ἡμεῖς ἔχομεν, αἱρετικοὶ ἔχειν οὐ δύνανται. Ἀμφισβητούμενον δὲ οὐκ ἔστι τὴν Ἐκκλησίαν τὴν καθολικὴν τῷ τοῦ Χριστοῦ βαπτίσματι κεχρῆσθαι, τὴν μόνην κεκτημένην χάριν καὶ ἀγάπην καὶ ἀλήθειαν τοῦ Χριστοῦ.

Ἀδέλφιος ἀπὸ Θασβέλθης εἶπε·

Μάτην τινὲς τῇ ἀληθείᾳ πολεμοῦσι, λέγοντες ἡμᾶς ἀναβαπτίζειν· ἡ γὰρ Ἐκκλησία τοὺς αἱρετικοὺς οὐχ ἀναβαπτίζει, ἀλλὰ βαπτίζει.

B Δημήτριος ἀπὸ Πολεμώνου εἶπεν·

Οἱ λέγοντες, ὅτι οἱ αἱρετικοὶ ἀληθῶς καὶ νομίμως βαπτίζουσιν, οὗτοι οὐ μόνον δύο, ἀλλὰ καὶ πολλὰ βαπτίσματα εἰσάγουσιν· ὁπόσαι γὰρ διαφοραὶ καὶ πολλαὶ αἱρέσεις εἰσὶ, κατὰ τὸν ἀριθμὸν αὐτῶν, καὶ τὰ βαπτίσματα ἀριθμεῖται.

Οὐικέντιος ἀπὸ Θιβάρης εἶπε·

Τοὺς αἱρετικοὺς οἴδαμεν χείρονας τῶν σχισματικῶν· ἐὰν δὲ μετανοήσαντες θελήσωσιν ἐλθεῖν εἰς κανόνα τῆς ἀληθείας, πρότερον ἐξορκίζειν, ἔπειτα βαπτίζειν αὐτοὺς δεῖ, τότε γὰρ δύνανται τῆς Χριστοῦ ἐπαγγελίας τυγχεῖν.

Μάρκος ἀπὸ Μαθάρων εἶπε·

Κρίνω ὡς μηδὲν ἔχοντας τοὺς αἱρετικοὺς βαπτίζεσθαι.

Σάτιος ἀπὸ Σακιλιβύης εἶπεν·

C Εἰ τοῖς αἱρετικοῖς ἐν τῷ βαπτίσματι αὐτῶν ἄφεσις ἁμαρτιῶν γίνεται, μάτην τῇ Ἐκκλησίᾳ προσέρχονται, οὐδὲν γὰρ ἐστι τὸ δυνάμενον φοβῆσαι αὐτοὺς, ἐν τῇ κρίσει τοῦ Χριστοῦ, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν εἰληφότας.

Αὐρήλιανος ἀπὸ (2) Ἀττικῆς εἶπε·

Λέγοντος τοῦ Ἀποστόλου ἀλλοτρίαις ἁμαρτίαις μὴ κοινωνεῖν, βαπτίζεσθαι τοὺς αἱρετικοὺς, ἵνα λάβωσι πρότερον ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ οὕτω αὐτοῖς κοινωνήσωμεν.

Ἰαμβὸς ἀπὸ Γερμονικείας εἶπεν·

Οἱ τὸ τῶν αἱρετικῶν δοκιμάζοντες βάπτισμα, τὸ ἡμέτερον ἀποδοκιμάζουσιν.

Λουκιανὸς ἀπὸ Ῥουκούμης εἶπεν·

D Εἰ δυνατὸν φῶς καὶ σκότος κοινωνεῖν, δύναται καὶ ἡμῖν καὶ τοῖς αἱρετικοῖς εἶναί τι κοινόν· κρίνω οὖν τοὺς αἱρετικοὺς βαπτίζεσθαι.

Πελάγιος ἀπὸ Λουπερκιανῆς εἶπεν·

Εἰ αἵρεσις οὐκ ἔστιν ἐν Ἐκκλησίᾳ, πῶς δύναται παρὰ τοῖς αἱρετικοῖς εἶναι τὸ τῆς Ἐκκλησίας βάπτισμα;

Ἰάδερ ἀπὸ Μυδείας εἶπε·

Μία πίστις ἓν βάπτισμα, ἀλλὰ τῇ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ ἔξεστι βαπτίζειν.

Ἄλλος Φῆλιξ ἀπὸ Μαρδιανῆς εἶπε·

Τὰ αὐτά.

Παῦλος ἀπὸ (3) Σαβᾶς εἶπεν·

Εἰ ὁ Θεὸς ἀληθής ἐστι, πῶς ἔστι παρὰ τοῖς αἱρετικοῖς ἀληθὲς βάπτισμα, παρ' οἷς οὐκ ἔστι Θεός;

(1) Εἰ αἱρετικοί.
(2) Lege Οὐτικῆς.
(3) Lege Ossæ.

Digitized by Google

47. Pomponius a Dionysiana dixit:

Hæretici baptizare non possunt, neque remissionem peccatorum dare, qui potestatem non habent, ut aut solvere aut ligare aliquid in terris possint.

48. Venantius a Thumisa dixit:

Qui baptisma Ecclesiæ commune cum hæriticis facit, sponsam Christi adulteris prodit.

49. Aymonius ab Ausvaga dixit:

Nos unum baptisma accepimus, et ipsum tenemus, et exercemus. Qui autem dicit quia et hæreticis licet baptizare, ipse duo baptismata facit.

50. Saturninus a Victoriana dixit:

Si licet hæreticis baptizare, excusati sunt, et defensi illicita facientes; nec invenies, quare eos Christus adversarios suos, aut Apostolus antichristos appellaverit.

51. Alius Saturninus a Thueca dixit:

Gentiles quamvis idola colant, tamen Deum patrem et creatorem cognoscunt et confitentur Dominum: in hunc Marcion blasphemat, et quomodo non erubescunt, qui Marcionis baptismum probant?

52. Marcellus a Zama dixit:

Cum peccata non nisi in Ecclesiæ baptismo remittantur, qui hæreticum non baptizat, peccatori communicat.

53. Irenæus ab Usulis dixit:

Si ideo Ecclesia hæreticum non baptizat, quod dicatur jam baptizatus esse, antefertur hæresis, et major fit.

54. Donatus a Cybalina dixit:

Si est qui dicat esse apud hæreticos baptismi gratiam, ante est ut ostendat et probet esse illic Ecclesiam.

55. Zosimus a Tharassa dixit:

Revelatione facta veritatis, cedat error veritati.

56. Julianus a Telepte dixit:

Scriptum est: *Nemo potest aliquid accipere, nisi datum fuerit illi de cœlo* (*Joan.* III). Si hæresis de cœlo est, potest et cœleste baptisma dare.

57. Faustus a Timida dixit:

Qui pro hæreticis ecclesiastico baptismate intercedunt, illos christianos, et nos hæreticos faciunt.

58. Geminus a Furnis dixit:

Quod semel decrevimus, hoc et tenemus, ut ab hæreticis venientes baptizemus.

59. Rogatianus a Nova dixit:

Ecclesiam Christus instituit, hæresim diabolus: quomodo ergo potest habere baptismum Christi synagoga diaboli?

60. Therapius a Bulla dixit:

Qui hæreticis Ecclesiæ baptisma concedit, quid aliud quam sponsæ Christi proditor existit?

61. Lucius a Membresa dixit:

Scriptum est: *Deus peccatores non audit*; hæreticus, qui peccator est, quomodo audiri in baptismo potest?

A Πομπώνιος ἀπὸ Διονυσιανῆς εἶπεν·

Οἱ αἱρετικοὶ οὐ δύνανται βαπτίζειν, οὐδὲ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν δοῦναι, οἱ μὴ ἔχοντες ἐξουσίαν λῦσαί τι ἐπὶ τῆς γῆς ἢ δῆσαι.

Οὐινάτος ἀπὸ (1) Θηνίσης εἶπεν·

Ὁ τὸ βάπτισμα τῆς Ἐκκλησίας τοῖς αἱρετικοῖς κοινῶν, τὴν νύμφην τοῦ Χριστοῦ μοιχοῖς παραδίδωσιν.

Λυμμος (2) ἀπὸ Ασυάγης εἶπεν·

Ἡμεῖς ἓν βάπτισμα εἰλήφαμεν, καὶ τούτο ἐξακολουθοῦμεν· ὁ δὲ λέγων καὶ τοῖς αἱρετικοῖς ἔξεστι βαπτίζειν, δύο βαπτίσματα εἰσάγει.

Σατορνῖλος ἀπὸ Ιουκτορνιανῆς εἶπεν·

Εἰ ἔξεστι τοῖς αἱρετικοῖς βαπτίζειν ἀνέγκλητοί εἰστν ἄνομα ποιοῦντες οὐδὲ εὑρήσεις διὰ τι αὐτοὺς ὁ Χριστὸς B ἐναντίους, ἢ ὁ Ἀπόστολος Αντιχρίστους ὀνομάζει.

Σατορνῖλλος ἄλλος ἀπὸ Συκῆς εἶπεν·

Οἱ ἐθνικοὶ εἰ καὶ εἴδωλα σέβονται, ὅμως τὸν Θεὸν πατέρα καὶ κτίστην ἐπεγινώσκουσι καὶ ὁμολογοῦσι δεσπότην· εἰς τοῦτων Μαρκίων βλασφημεῖ, καὶ πῶς οὐκ αισχύνονται οἱ τὸ Μαρκίωνος βάπτισμα δοκιμάζοντες;

Μάρκελλος ἀπὸ Ζάμης εἶπεν·

Ὁπότε ἄφεσις ἁμαρτιῶν οὐδαμοῦ, εἰ μὴ ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ δίδοται, ὁ αἱρετικοὺς μὴ βαπτίζων, ἁμάρτωλῷ κοινωνεῖ.

Εἰρηναῖος ἀπὸ Ουλῶν εἶπεν·

Εἰ διὰ τοῦτο ἡ Ἐκκλησία τὸν αἱρετικὸν οὐ βαπτίζει, ὅτι ἤδη λέγεται βεβαπτίσθαι, προκρίνει ἡ αἵρεσις καὶ C μείζων γίνεται.

Δονάτος ἀπὸ Κιβαλινῆς εἶπεν·

Ο λέγων παρὰ τοῖς αἱρετικοῖς χάριν βαπτίσματος εἶναι, πρότερον ἀποδειξάτο Ἐκεῖ ἐκκλησίαν.

Ζώσιμος ἀπὸ Θαραζοῦ εἶπεν·

Ἀποκαλυφθείσης τῆς ἀληθείας, παραχωρείτω ἡ πλάνη τῇ ἀληθείᾳ.

Ιουλιανὸς ἀπὸ Φιλίππου εἶπε·

Γέγραπται, Οὐ δύναται ἄνθρωπος λαμβάνειν οὐδὲν. ἐὰν μὴ ᾖ δεδομένον αὐτῷ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ· εἰ ἡ αἵρεσις ἐξ οὐρανοῦ ἐστι. δύναται καὶ οὐράνιον βάπτισμα δοῦναι.

Φαῦστος ἀπὸ Θημίδης εἶπεν·

Οἱ τὸ τῶν αἱρετικῶν πρὸς τὸ τῆς ἐκκλησίας βάπτισμα ἐνιστάμενοι, ἐκείνους μὲν χριστιανοὺς, ἡμᾶς ταὶ αἱρε- D τικοὺς ποιοῦσιν.

Γεμῖνος ἀπὸ Φόρμης εἶπεν·

Ο ἅπαξ ἐκρίναμεν, τοῦτο καὶ κατέχομεν· ἵνα τοὺς ἀπὸ αἱρίσεων ἐρχομένους βαπτίζωμεν.

Ρογατιανὸς ἀπὸ Οὔσης εἶπεν·

Τὴν Ἐκκλησιαν ὁ Χριστὸς ὠκοδομησε, τὴν αἵρεσιν ὁ διάβολος· πῶς οὖν δύναται ἔχειν βάπτισμα Χριστοῦ ἡ συναγωγὴ διάβολοῦ;

Θῆράπιος ἀπὸ Βουλισμίου εἶπεν·

Ο τοῖς αἱρετικοῖς τὸ βάπτισμα τῆς Ἐκκλησίας προδιδοὺς, τί ἄλλο ἢ τῆς νύμφης τοῦ Χριστοῦ προδότης γίνεται;

Λούκιος ἀπὸ Μεμερίσης εἶπε.

Γέγραπται, ὅτι ὁ Θεὸς ἁμαρτωλῶν οὐκ ἀκούει· ὁ δὲ αἱρετικὸς ὢν ἁμαρτωλὸς, πῶς ἀκούεται ἐν τῷ βαπτίζειν;

(1) Al. Θουνίσης.
(2) Lege Αθηνιος.

Digitized by Google

62. Alius Felix ab Uslaccenis dixit :

In hæreticis sine Ecclesiæ baptismo recipiendis, nemo consuetudinem rationi et veritati præponat.

63. Alius Saturninus ab Avitinis dixit :

Si potest Antichristus dare alicui gratiam Christi, possunt et hæretici baptizare qui appellati antichristi.

64. Quintus ab Aggiva dixit :

Deus unus est, et Ecclesia una, et baptisma unum. quomodo ergo illic baptizari aliquis potest, ubi Deus et Christus et Ecclesia non est.

65. Julianus a Marciliana dixit :

Si potest homo duobus dominis servire, Deo et mammonæ, potest et baptisma duobus inservire.

66. Tenax ab horreis Cœliæ dixit :

Baptisma unum est, sed Ecclesiæ, cujus est verum baptisma.

67. Alius Victor ab Assuris dixit similiter :

68. Donatulus a Caspe dixit :

Et ego semper hoc sensi, ut hæretici, qui nihil foris consequi possunt, quando ad Ecclesiam veniunt, baptizentur.

69. Verulus a Rusiccade dixit :

Homo hæreticus dare (1) potest quod non habet; multo magis schismaticus, qui quod habebat amisit.

70. Pudentianus a Cuiculi dixit :

Si quis ex hæresi venerit, baptizari eum recte ac juste statutum est.

71. Petrus ab Hippone diarrytho dixit : Cum baptisma unum sit in sola catholica Ecclesia, idcirco eos qui ab hæreticis et schismaticis veniunt, ut qui nihil inde acceperint, in Ecclesia censeo baptizari oportere.

72. Alius Lucius ab Ausafa dixit :

Cum sit unus Deus et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, et una spes, et una Ecclesia, quæ apud hæreticos facta sunt, rescindi debere dico, et eos qui inde veniunt, in Ecclesia baptizandos esse.

73. Alius Felix a Gurgitibus dixit :

Ego censeo, ut secundum sanctarum Scripturarum præcepta iniqui apud hæreticos baptizati, si ad Ecclesiam confugerint, Ecclesiæ baptismate, ubi potestas omnis a Deo data est, baptizentur.

74. Pusillus a Lamasba dixit :

Ego credo baptisma salutare non esse, nisi in Ecclesia catholica, et quando extra Ecclesiam fit, simulationem esse.

75. Salvianus a Ganzafala dixit :

Hæreticos nihil habere constat, et ideo ad nos veniunt. ut possint accipere quod non habent.

76. Honoratus a Tucca dixit :

Cum Christus veritas sit, magis veritatem quam consuetudinem sequi debemus : ut hæreticos, qui ideo ad nos veniunt, quia foris nihil accipere potuerunt, Ecclesiæ baptismo sanctificemus.

77. Victor ab Octava dixit :

(1) Non.

A Ἀλλὸς Φιλιξ ἀπὸ Οὐαγλακκηνῆς εἶπεν·

Ἐν τῷ προδέχεσθαι τοὺς αἱρετικοὺς ἄνευ τοῦ τῆς Ἐκκλησίας βαπτίσματος, μηδεὶς τὴν συνήθειαν λόγου καὶ τῆς ἀληθείας προκρινέτω.

Ἄλλος Σατορνῖλος ἀπὸ Πλουτίμνης εἶπεν·

Εἰ δύναται Ἀντίχριστος δοῦναι τὴν χάριν τοῦ Χριστοῦ, δύνανται καὶ οἱ αἱρετικοὶ βαπτίζειν, οἱ ὀνομασθέντες ἀντίχριστοι.

Κοίντος ἀπὸ Οὐγβᾶς εἶπεν·

Ὁ Θεὸς εἷς ἐστι, καὶ Ἐκκλησία μία καὶ ἓν βάπτισμα καὶ πῶς δύναταί τις βαπτισθῆναι ἐκεῖ, ὅπου οὔτε Θεὸς, οὔτε Χριστὸς, οὔτε Ἐκκλησία ἐστί ;

Ἰουλιανὸς ἀπὸ Μαρκελλιανῆς εἶπεν·

Εἰ δύναται ἄνθρωπος δυσὶ κυρίοις δουλεύειν, Θεῷ καὶ B μαμωνᾷ, δύναται καὶ βάπτισμα δυσὶν ὑπηρετεῖν.

Τέναξ ἀπὸ Ὁρίων Κελλίων εἶπεν·

Βάπτισμα ἓν ἐστιν, ἀλλὰ τῆς Ἐκκλησίας, ἧς τὸ βαπτισμα ἀληθές.

Ἄλλος Οὐίκτωρ ἀπὸ Ἀσούρας εἶπεν ὁμοίως·

Δουνατοῦλος ἀπὸ Κάμφης εἶπεν·

Ἀεὶ τοῦτο ἐγὼ ἐφρόνησα, ἵνα οἱ αἱρετικοὶ, μηδὲν ἔξω λαβεῖν δυνάμενοι, ὅταν πρὸς τὴν Ἐκκλησίαν ἔλθωσι, βαπτισθῶσιν.

Οὐήρουλος ἀπὸ Ῥουσιοκάδας εἶπεν·

Ἄνθρωπος αἱρετικὸς (1) δύναται δοῦναι ὃ μὴ ἔχει, πολὺ μᾶλλον σχισματικὸς, ὅπερ εἶχεν ἀπολέσας.

Πουδεντιανὸς ἀπὸ Κουικούλης εἶπεν·

Ἐάν τις ἀπὸ αἱρέσεως ἔλθῃ, βαπτισθῆναι αὐτὸν ὀρθῶς C καὶ δικαίως κέκριται.

Πέτρος ἀπὸ Ἱππῶνος Διαρρύτου εἶπεν·

Ἐπεὶ ἓν βάπτισμά ἐστιν ἐν μόνῃ τῇ Ἐκκλησίᾳ, διὰ τοῦτο τοὺς ἀπὸ τῶν αἱρετικῶν καὶ σχισματικῶν ἐλθόντας. ὡς μηδὲν ἐκεῖθεν εἰληφότας, ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ βαπτίζεσθαι κρίνω.

Ἄλλος Λούκιος ἀπὸ Αὐσάφης εἶπεν·

Ἑνὸς ὄντος Θεοῦ καὶ πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος, καὶ μιᾶς ἐλπίδος καὶ μιᾶς Ἐκκλησίας. τὰ παρὰ τοῖς αἱρετικοῖς πραττόμενα λύεσθαι δεῖν φημι, καὶ τοὺς ἀπ' αὐτῶν ἐρχομένους ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ βαπτίζειν.

Ἄλλος Φίλιξ ἀπὸ Τουριτῶν εἶπεν·

Ἐγὼ κρίνω ἵνα, ἀκολούθως ταῖς θείαις γραφαῖς, ἄνομοι παρὰ τοῖς αἱρετικοῖς βαπτισθέντες, ἂν πρὸς τὴν Ἐκκλησίαν καταφύγωσι, τῷ τῆς Ἐκκλησίας βαπτίσματι, ἔνθα πᾶσα ἐξουσία παρὰ τοῦ Θεοῦ δέδοται, βαπτισθῶσιν.

D Πλουτιανὸς ἀπὸ Λαβάνης εἶπεν·

Ἐγὼ πιστεύω βαπτίσματι σωτηρίαν μὴ εἶναι, εἰ μὴ ἐν μόνῃ τῇ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ, καὶ ὅταν ἔξω τῆς Ἐκκλησίας γένηται, πιθηκισμὸν εἶναι.

Σαλουιανὸς ἀπὸ Ζυφάλης εἶπεν·

Τοὺς αἱρετικοὺς μηδὲν ἔχειν συνέστηκε, καὶ διὰ τοῦτο πρὸς ἡμᾶς ἔρχονται, ἵνα λάβωσιν ὃ μὴ ἔχουσιν.

Ὀνωράτος ἀπὸ Λούγκης εἶπεν·

Ὁπότε ὁ Χριστὸς ἀληθής ἐστι, μᾶλλον τῇ ἀληθείᾳ, ἢ τῇ συνηθείᾳ ἕπεσθαι ὀφείλομεν, ἵνα τοὺς αἱρετικοὺς, διὰ τοῦτο πρὸς ἡμᾶς ἐρχομένους, ὅτι ἔξω μηδὲν λαβεῖν ἠδυνήθησαν, τῷ τῆς Ἐκκλησίας βαπτίσματι ἁγίασωμεν.

Οὐίκτωρ ἀπὸ Ὀκτύβου εἶπεν·

(1) Sic etiam mss. et Bevereg. sed interrogandi nota addenda est, aut legendum οὐ δύναται.



Digitized by Google

Sic et ipse sentio, ut qui ab hæresi veniunt, sine dubio baptizentur.

Clarius a Masculâ dixit :

78. Manifesta est sententia Domini nostri Jesu Christi Apostolos suos mittentis, et ipsis solis potestatem permittentis, quibus nos successimus, eadem potestate Ecclesiam Dei gubernantes, et eos qui credunt baptizantes, et ideo hæretici qui nec potestatem, nec Ecclesiam habent, neque baptizare Ecclesiæ baptismo possunt.

79. Secundianus a Tambeis dixit :

Non debemus hæreticos nostra præsumptione decipere, ut in Ecclesia Domini nostri Jesu Christi non baptizati, cum judicii dies venerit, nobis imputent, quod per nos non sint baptizati, et indulgentiam ac remissionem peccatorum consecuti. Propter quod cum una Ecclesia et sit unum baptisma, quando ad nos convertuntur, simul cum Ecclesia baptismum etiam consequi debent.

80. Aurelius a Chullabi dixit :

Joannes apostolus in epistola sua dixit : Si quis ad vos venit, et doctrinam Christi non habet, nolite eum admittere in domum, et ave illi ne dixeritis. Qui enim dixerit illi : Ave, communicat verbis et factis ejus malis. Quomodo igitur admitti in domum Dei possunt, aut quomodo cum eis sine Ecclesiæ baptismo communicare possumus, quin simul et malis eorum factis communicemus?

81. Licteus a Genetlis dixit :

Cæcus si cæcum ducat, ambo in foveam cadunt. Cum ergo hæreticos constet non posse illuminare quemquam, cum ipsi cæci sint, talium baptisma non valet.

82. Natalis ab Œa dixit :

Tam ergo præsens, quam Pompeius Sabratensis, quam etiam Dioga Septimagnensis, qui mihi mandaverunt, corpore quidem absentes, sed spiritu præsentes, censemus, quod et multi coepiscopi nostri, quod hæretici communicationem habere nobiscum non possunt, nisi a nobis fuerint baptizati.

83. Junius a Neapoli dixit :

Ab eo quod semel censuimus, non recedo, ut hæreticos venientes ad Ecclesiam baptizemus.

84. Cyprianus a Carthagine dixit :

Meam sententiam plenissime exprimit epistola quæ ad Jubaianum collegam nostrum scripta est, hæreticos secundum evangelicam et apostolicam contestationem adversarios Christi et antichristos appellatos, quando ad Ecclesiam venerint, unico Ecclesiæ baptismo baptizandos esse, ut possint fieri de adversariis amici et de antichristis Christiani.

Zonaras. *Hæ sunt igitur Patrum sententiæ, qui cum magno Cypriano in concilio isto convenerant ; sed nec apud omnes hæreticos, nec apud schismaticos valuerunt. Nam secunda synodus œcumenica, ut jam dictum est, hæreticos nonnullos excepit, ac sine baptismo recipiendos illos sanxit, sancto chrismate tantum unctos et pro-*

Τοῦτο καὶ αὐτὸς φρονῶ, ἵνα οἱ ἀπὸ αἱρέσεως ἐρχόμενοι, ἀδιστάκτως βαπτισθῶσι.

Κλάριος ἀπὸ Μασκούλης εἶπεν·

Πρόδηλός ἐστιν ἡ τοῦ Κύριου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἀπόφασις ἀποστέλλοντος τοὺς ἑαυτοῦ ἀποστόλους, καὶ αὐτοῖς μόνοις τὴν ἐξουσίαν ἐπιτρέποντος, οἷς ἡμεῖς ἐξακολουθοῦμεν, τῇ αὐτῶν ἐξουσίᾳ τὴν Ἐκκλησίαν Θεοῦ κυβερνῶντες, καὶ τοὺς πιστεύοντας βαπτίζοντες· καὶ διὰ τοῦτο οἱ αἱρετικοὶ οἱ μήτε τὴν ἐξουσίαν ἔχοντες, μήτε τὴν Ἐκκλησίαν, οὐδὲ βαπτίζειν τῷ τῆς Ἐκκλησίας βαπτίσματι δύνανται.

Σεκονδιανὸς ἀπὸ Θάμβης εἶπεν·

Οὐδαμῶς ὀφείλομεν τοὺς αἱρετικοὺς τῇ ἡμετέρᾳ φιλονεικίᾳ ἐνεδρεύειν, ἵνα οἱ ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μὴ βαπτισθέντες, ὁπόταν ἡ ἡμέρα τῆς κρίσεως ἔλθῃ, ἡμᾶς αἰτιάσωνται, ὅτι δι' ἡμᾶς οὐκ ἐβαπτίσθησαν, οὐδὲ τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν ἔλαβον· διόπερ, μιᾶς οὔσης τῆς Ἐκκλησίας καὶ τοῦ βαπτίσματος, ὅταν πρὸς ἡμᾶς ἔλθωσι, μετὰ τῆς Ἐκκλησίας καὶ τοῦ βαπτίσματος τυχεῖν ὀφείλουσιν.

Αὐρήλιος ἀπὸ Χολλαβῆς εἶπεν·

Ἰωάννης ὁ ἀπόστολος ἐν ἐπιστολῇ αὐτοῦ ἔφη· Εἴ τις ἔρχεται πρὸς ὑμᾶς, καὶ τὴν διαδοχὴν τοῦ Θεοῦ οὐ φέρει, μὴ λαμβάνετε αὐτὸν εἰς οἰκίαν, καὶ χαίρειν αὐτῷ μὴ λέγετε· ὁ λέγων αὐτῷ χαίρειν, κοινωνεῖ τοῖς λόγοις αὐτοῦ, καὶ τοῖς ἔργοις πονηροῖς· πῶς οὖν τοι εἰσδεχθῆναι εἰς οἰκίαν τοῦ Θεοῦ δύνανται, ἢ πῶς αὐτοῖς χωρὶς τοῦ τῆς Ἐκκλησίας βαπτίσματος κοινωνῆσαι δύναμθα, εἰ μὴ τοῖς πονηροῖς αὐτῶν ἔργοις κοινωνοῦμεν ;

Βίκτωρ ἀπὸ Γεμέλλων εἶπεν·

Τυφλὸς τυφλὸν ἐὰν ὁδηγῇ, ἀμφότεροι εἰς βόθυνον πεσοῦνται· ἐπεὶ οὖν σαφές ἐστι, μὴ δύνασθαι αἱρετικόν τινα φωτίσαι, ἅτε δὴ τυφλῶν αὐτῶν ὄντων, τῶν τοιούτων τὸ βάπτισμα οὐδέν ἐστι.

(1) Ματόλιος ἀπὸ Οἴας εἶπεν·

Κἀγὼ παρὼν καὶ Πόμπηϊος ἀπὸ Σαβράτων, καὶ Δισγὰς ἀπὸ Λεπτιμάγνης, οἵπερ ἐνετείλαντό μοι, σώματι μὲν ἀπόντες, τῷ δὲ πνεύματι παρόντες κρίνομεν, ὅπερ καὶ πολλοὶ συνεπίσκοποι ἡμῶν, τοὺς αἱρετικοὺς κοινωνεῖν ἡμῖν μὴ δύνασθαι, ἐὰν μὴ παρ' ἡμῶν βαπτισθῶσιν.

Ἰούνιος ἀπὸ Νεαπόλεως εἶπεν·

Ἀπ' ἐκείνου οὗ ἅπαξ ἐκρίναμεν, οὐ χωρίζομαι· ἵνα τοὺς αἱρετικοὺς τοὺς ἐρχομένους εἰς τὴν Ἐκκλησίαν βαπτίζωμεν.

Κυπριανὸς ἀπὸ Καρχηδόνος εἶπεν·

Τὴν ἐμὴν ἀπόφασιν ὁλόκληρος δείκνυσιν ἐπιστολὴ πρὸς Ἰοβιανὸν συνεπίσκοπον ἡμῶν γραφεῖσα, τοὺς αἱρετικοὺς κατὰ τὴν εὐαγγελικὴν καὶ ἀποστολικὴν μαρτυρίαν ἐναντίους τοῦ Χριστοῦ καὶ Ἀντιχρίστους ὀνομασθέντας, ὁπόταν τῇ Ἐκκλησίᾳ προσέλθωσι, τῷ ἑνὶ τῆς Ἐκκλησίας βαπτίσματι, βαπτίζεσθαι δεῖν, ἵνα δυνηθῶσι γένεσθαι ἄντι ἐχθρῶν φίλοι, καὶ ἐξ Ἀντιχρίστων χριστιανοί.

ΖΩΝΑΡΑΣ. Αὗται μὲν οὖν αἱ γνῶμαι τῶν ἐν τῇ συνόδῳ ταύτῃ συνελθόντων πατέρων τῷ μεγάλῳ Κυπριανῷ· ἀλλ' οὔτε ἐπὶ τοῖς αἱρετικοῖς ἐκράτησαν πᾶσιν, οὔτε ἐπὶ τοῖς σχισματικοῖς· ἡ γὰρ δευτέρα οἰκουμενικὴ σύνοδος, ὡς

(1) Lege Natalis.

Digitized by Google

*priam hæresim singulos anathematizantes, et omnes simul. Atque hac de causa neque expositæ sunt hæ sententiæ, utpote minus necessariæ, et quæ non promoverent, sed et compendiose perscriptæ.*

ἤδη εἴρηται, ὑπεξελέ τινας τῶν αἱρετικῶν, καὶ ἄνευ βαπτίσματος δέχεσθαι τούτους θεσπίσασα, χριομένους μόνον τῷ θείῳ μύρῳ, καὶ ἀναθεματίζοντας τὴν οἰκείαν αἵρεσιν ἕκαστον, καὶ πάσας ἁπλῶς· καὶ διὰ τοῦτο οὐδὲ ἐξηγήθησαν αἱ γνῶμαι αὗται, ὡς μὴ ἀναγκαῖαι, οὐδὲ μηδὲ ἐνεργοῦσαι, ἀλλὰ καὶ κατὰ σύνοψιν ἐγράφησαν.

# CONCILIUM VIII

## HABITUM CIRCA ANNUM CCLVII.

Quamvis persuasum omnino habeam S. Hieronymum lapsum fuisse quum scripsit eosdem episcopos Africanos qui rebaptizationem cum S. Cypriano sanciverant, rursum convenientes, novum emisisse decretum, ac sententiam de Baptismo suam mutasse, putavi tamen dandum esse in hac vestra collectione locum huic episcoporum conventui, quemadmodum nonnulla concilia referuntur in vulgatis editionibus conciliorum, quæ tamen constat habita non fuisse, tantum ne quid istius argumenti prætermittatur, sive verum illud, sive falsum sit. Ait ergo Hieronymus in *Dialogo advers. Lucifer.*, illos ipsos episcopos qui cum beato Cypriano statuerant hæreticos esse rebaptizandos, ad antiquam consuetudinem revolutos, novum emisisse decretum, quo videlicet damnabatur superioris concilii doctrina de baptismo hæreticorum.

Huic Hieronymi opinioni multa repugnare videntur. Primum enim, constat auctoritate concilii Arelatensis, viguisse per multa tempora post Cyprianum doctrinam de rebaptizatione apud Afros. Deinde, istud ipsum probatur etiam ex concilio Carthagine habito apud Gratum episcopum; quod licet constiterit ex episcopis quorum animus abhorrens erat a rebaptizatione, evincit tamen eam doctrinam nondum abolitam fuisse apud Afros, tametsi plerique contra sentirent. Præterea, concilium Cypriani adhuc ævo Vincentii Lirinensis in auctoritate fuisse constat, probat exemplum Donatistarum, qui, ut ait idem Vincentius, et constat ex gestis collationis Carthaginensis et ex pluribus Augustini locis, illius auctoritate concilii rebaptizare se jactitabant. Denique, nullum novi istius decreti testimonium alibi exstat in tota antiquitate. Quod tamen si fuisset, haud dubie eo usi frequenter essent adversarii Donatistarum. Contra, Augustinus in *Epistola* XLVIII annotat non inveniri Cyprianum sententiam de rebaptizandis hæreticis suam correxisse; quod etiam colligi abunde potest ex cap. VIII, lib. II, *contra Gaudentium*. Itaque fieri potest ut Hieronymus, cum videret rebaptizationem a Catholicis Afris rejici, fortassis odio adversus Donatistas, putaverit Afros ad antiquam consuetudinem revolutos esse statim post concilium habitum sub Cypriano, quemadmodum Augustinus in lib. III *de Baptismo*, cap. 2, ait illos ad pristinam consuetudinem rediisse post Agrippinum. STEPH. BALUZIUS. (*Nova Collectio.*)

---

## EPISTOLÆ DIONYSII ALEXANDRINI EPISCOPI AD STEPHANUM PAPAM FRAGMENTUM.

### PROOEMIUM.

*Subnexo fragmento Eusebius præmittit* : Ad Stephanum Dionysius primam earum, quæ de Baptismo conscriptæ sunt, epistolam exaravit : cum non mediocris controversia exorta esset, utrum eos, qui ex qualibet hæresi convertuntur, Baptismo purgari oporteret. Quippe antiqua consuetudo invaluerat, ut in ejusmodi suscipiendis sola manuum impositio cum precationibus adhiberetur. Primus Cyprianus qui Carthaginensem tunc regebat ecclesiam, nonnisi per baptismum prius ab errore mundatos admittendos esse censuit. Verum Stephanus nihil adversus traditionem, quæ jam inde ab initio obtinuerat, innovandum ratus, gravissime id tulit. Ad hunc igitur cum de hoc argumento multa Dionysius per litteras scripsisset, illi sub finem significat omnes ubique ecclesias, mollito jam persecutionis furore, Novati turbulentam novitatem detestantes, inter se pacem iniisse. Sic autem scribit (*Euseb.*, *lib.* VIII, *c.* 2, 3 *et* 4).

Scias autem, frater, cunctas per Orientem et ulterius positas Ecclesias, quæ prius erant discissæ, nunc

Ἴσθι δὲ νῦν, ἀδελφέ, ὅτι ἥνωνται πᾶσαι αἱ πρότερον διεσχισμέναι κατά τε τὴν ἀνατολὴν ἐκκλησίαι, καὶ ἔτι

### VARIORUM NOTÆ.

*Primam.* Ideo primam Eusebius vocat, quia idem Dionysius exinde quatuor alias tum ad Xystum, tum ad Dionysium Stephani successores, pariter de Baptismo hæreticorum conscripsit. COUSTANT.

*Primus.* Ipse Cyprianus epist. 71, *ad Quintum* et alibi Agrippinum, decessorem suum, sequi se profitetur. Firmilianus autem sententiam, quam Cyprianus propugnabat, ante ab Iconiensi concilio firmatam docet. Non igitur sententiæ de baptizandis hæreticis, sed controversiæ ea de re inter Afros ac Romanos Pontifices natæ primus auctor Cyprianus censendus est. COUSTANT.

*Novati.* More suo Eusebius hic *Novati*, loco *Novatiani*, nomen substituit. In eo, quod antecedit, virtù

tandem ad unitatem reversas esse, et omnes ubicumque ecclesiarum antistites unum idemque sentire, et ob redditam insperato pacem incredibili gaudio exsultare, Demetrianum scilicet episcopum Antiochiæ, Theoctistum Cæsareæ, Mazabenem Æliæ post mortem Alexandri, Marinum Tyri, Laodiceæ Heliodorum post obitum Thelymidris, Helenum Tharsi et omnes Ciliciæ ecclesias, Firmilianum cum omni Cappadocia. Solos enim illustriores episcopos nominavi, ne forte epistola nostra prolixior, et oratio molestior redderetur. Syriæ quidem totæ et Arabia, quibus identidem necessaria suppeditatis, et quibus litteras nunc scripsistis, Mesopotamia quoque et Pontus ac Bithynia, et ut uno verbo absolvam, omnes ubique terrarum lætitia gestiunt ob hanc concordiam fraternamque charitatem laudantes Deum.

A προσωτέρω, καὶ πάντες εἰσὶν ὁμόφρονες οἱ πανταχοῦ προεστῶτες, χαίροντες καθ' ὑπερβολὴν ἐπὶ τῇ παρὰ προσδοκίαν εἰρήνῃ γενομένῃ· Δημητριανὸς ἐν Ἀντιοχείᾳ, Θεόκτιστος ἐν Καισαρείᾳ. Μαζαβάνης ἐν Αἰλίᾳ κοιμηθέντος Ἀλεξάνδρου, Μαρῖνος ἐν Τύρῳ Ἡλιόδωρος ἐν Λαοδικείᾳ ἀναπαυσαμένου Θηλυμίδρου, Ἕλενος ἐν Ταρσῷ καὶ πᾶσαι αἱ τῆς Κιλικίας ἐκκλησίαι, Φιρμιλιανὸς καὶ πᾶσα Καππαδοκία. Τοὺς γὰρ περιφανεστέρους μόνους τῶν ἐπισκόπων ὠνόμασα, ἵνα μήτε μῆκος τῇ ἐπιστολῇ, μήτε βάρος προσάψω τῷ λόγῳ. αἱ μέν τοι Συρίαι ὅλαι καὶ ἡ Ἀραβία οἷς ἐπαρκεῖτε ἑκάστοτε, καὶ οἷς νῦν ἐπεστείλατε, ἥ τε Μεσοποταμία, Πόντος τε καὶ Βιθυνία, καὶ συνελόντι εἰπεῖν. ἀγαλλιῶνται πάντες πανταχοῦ τῇ ὁμονοίᾳ καὶ φιλαδελφίᾳ δοξάζοντες τὸν Θεόν.

B

## VARIORUM NOTÆ.

erudito non videtur Eusebius Dionysii mentem satis feliciter assecutus: cum pro *mollito jam persecutionis furore*, melius *sedata jam schismatis procella* dixisset. Ex hoc autem loco intelligere est, in fragmento subnexo non eas narrari turbas sedatas, quas in Oriente novissime excitarat baptismi hæreticorum causa, sed eas, quas aliquanto ante Novatiani factio invexerat. Non male tamen Eusebius epistolam ipsam *de Baptismo hæreticorum* scriptam notavit: quia nimirum in prima et præcipua ejus parte de hoc argumento, ut ipse Dionysius in epistola ad Xystum meminit, *multa* edisseruerat, *rogans et obtestans Stephanum*, haud dubie ne tam difficili in causa quidquam præpropere ageret, aut pacem cum tot tamque præclaris episcopis rumperet. COUSTANT.

*Mazabenem Æliæ*. Græci textus series postularet *Mazabenem Æliæ*, *Marinum Tyri*: quod mendum esse, olim a Rufino correctum, Valesius monuit. Alexandrum enim, cujus beatum exitum Dionysius apud Eusebium lib. VI, c. 46, Cornelio papæ nuntiat, Æliæ, seu, ut citato loco loquitur Eusebius, Jerosolymorum, non Tyri episcopum, fuisse constat. COUST.

*Suppeditatis*. Servato scilicet Romanorum pio more, quem Eusebius lib. IV, c. 23, uti jam observavimus, ab ipso religionis exordio ad suam usque ætatem custoditum testatur, ut ecclesiis quam plurimis, etiam remotis, necessaria vitæ subsidia transmittant. Eamdem ob causam supra, pag. 78, Soter a Dionysio Corinthiorum episcopo laudatur. COUSTANT.

*Deum*. Exstant et alia fragmenta litterarum quas S. Dionysius tum ad S. Dionysium papam, I, Philemonem, presbyteros, tum ad S. Xystum papam de Baptismo hæreticorum et de hæresi Sabelliana scripsit. Vid. infr., tom. V hujusce bibliothecæ. EDD.

---

## EPISTOLA S. CYPRIANI AD QUINTUM.

### DE HÆRETICIS BAPTIZANDIS.

(Erasm. p. 397. Pamel. Rigalt. Baluz. Oxon. Lips. LXXI.)

I. *Cyprianus* [a] *Quinto fratri salutem.* — Retulit ad me, frater charissime, Lucianus compresbyter noster, te desiderasse ut significaremus tibi [b] quid sentiamus de his qui apud hæreticos et schismaticos baptizati videntur. De qua re quid nuper in concilio plurimi coepiscopi cum compresbyteris qui aderant censuerimus, ut scires, ejusdem epistolæ exemplum tibi misi. Nescio etenim qua præsumptione ducuntur quidam de collegis nostris, ut putent eos qui apud hæreticos [c] tincti sunt, quando ad nos venerint, baptizari non oportere, eo quod dicant unum baptisma esse, quod unum scilicet in Ecclesia catholica est. Quæ Ecclesia [d], si una est, esse baptisma extra Ecclesiam non potest, cum duo baptismata esse non possint, si hæretici vere baptizant, ipsi habent baptisma; et qui hoc illis patrocinium de auctoritate sua præstat, cedit illis et consentit, ut [e] hostes et adversarii Christi habere videantur abluendi et purificandi et sanctificandi hominis potestatem. Nos autem dicimus eos qui inde veniunt, non rebaptizari apud nos, sed baptizari. Neque enim accipiunt illic aliquid ubi nihil est; sed veniunt ad nos ut hic accipiant ubi et gratia et veritas omnis est, quia et gratia et veritas una est. Porro autem quidam de collegis nostris malunt hæreticis honorem dare quam nobis consentire; et, dum unius baptismi asseveratione baptizare venientes nolunt, sic, aut duo baptismata ipsi faciunt, dum et apud hæreticos baptisma esse dicunt, aut certe, quod est gravius, hæreticorum sordidam et profanam tinctionem, vero et unico et legitimo Ecclesiæ catholicæ baptismo præponere et præ-

C D

### LECTIONES VARIANTES.

[a] Quintino fratri *Erasm.*
[b] Quid nos sentiamus *Lam. Bod.* 2.
[c] Et schismaticos *Lam. Ebor NC.* 1. *Bod.* 2.
[d] Quæ Ecclesia quia una est *Bod.* 1, 2. *Lin. NC.* 1. *Ebor.* Si est una, et esse *Corb.* Quod unum scilicet in Ecclesia una est, et esse baptisma præter Ecclesiam non potest *MR.* Præter Ecclesiam *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2.
[e] Hostis et adversarius Christi habere videatur *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1, 2. *Lin.*

### VARIORUM NOTÆ.

EPIST. AD QUINTUM. I. — *Quinto Fratri.* Hunc et collegam suum vocat, et in Mauritania constitutum fuisse testatur epistola sequenti, ubi etiam meminit hujus epistolæ. RIGALT.

*Dum et apud hæreticos baptisma esse dicunt.* Atque inter canones qui dicuntur Apostolorum, di-

Digitized by Google

ferre contendunt : non considerantes scriptum esse : *Qui baptizatur a mortuo, quid proficit* [a] *lavatio ejus* (*Eccles.* XXXIV, 30)? Manifestum est autem eos qui non sunt in Ecclesia Christi, inter mortuos computari, nec posse ab eo vivificari alterum qui ipse non vivat; quando una sit Ecclesia, quæ, vitæ æternæ gratiam consecuta, et vivit in æternum et vivificat Dei populum.

II. Et dicunt se in hoc veterem consuetudinem sequi, quando apud veteres hæreseos et schismatum prima adhuc fuerint initia, [b] ut hi illic essent qui de Ecclesia recedebant, et hic [c] baptizati prius fuerant; quos tunc tamen ad Ecclesiam revertentes, et pœnitentiam agentes, necesse non erat baptizare. Quod nos quoque hodie observamus, ut quos constet hic baptizatos esse, et a nobis ad hæreticos transisse, si postmodum peccato suo cognito, et errore digesto, ad veritatem et matricem redeat satis sit in pœnitentiam manum imponere; ut, quia [d] ovis fuerat, hanc ovem [e] abalienatam et errabundam in ovile suum pastor recipiat. Si autem qui ab hæreticis venit, baptizatus in Ecclesia prius non fuit, sed alienus in totum et profanus venit, baptizandus est, ut ovis fiat, quia una est aqua in Ecclesia sancta quæ oves faciat. Et idcirco, quia nihil potest esse commune mendacio et veritati, tenebris et luci, morti et immortalitati, antichristo et Christo, per omnia debemus Ecclesiæ catholicæ unitatem tenere, nec in aliquo fidei et veritatis hostibus cedere. Non est autem de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum. Nam

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Lavatione *Bod.* 1. *Lin.*
[b] Ut illic essent *Lam. Bod.* 2.
[c] Illi baptizati *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Ebor.*
[d] Ovis jam *Lam. Bod.* 1, 2.
[e] Ovem abjectam *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2. Abigeatam *Ver. Thu.*

## VARIORUM NOTÆ.

sertissime habetur, τοὺς παρὰ τῶν αἱρετικῶν βαπτισθέντας ἢ χειροτονηθέντας, οὔτε πιστοὺς οὔτε κληρικοὺς εἶναι δυνατόν. Can. 68. RIGALT.

*Qui baptizatur a mortuo, quid proficit lavatio ejus?* Sæpenumero quidem noster Cyprianus et alii patres arripiunt de Scripturis quidquid vel solo verborum sono facere ad propositum videtur, etsi longe alio sit audiendum sensu : cujusmodi aliqua notavimus in præcedentibus. Quod vero hic de tricesimo Ecclesiastici capite citatum plerique putant, omnino abludit ab Sapientia Siracidis Rectissime autem Cyprianus ait hæreticos et schismaticos, qui extra Ecclesiam sunt, inter mortuos computari, nempe mortuos spiritaliter. At nihil tale sibi voluit Siracides, qui hoc tantum dixit : *Eum qui a mortuo*, ἀπὸ νεκροῦ, hoc est a contactu mortui lavit, et abluit quod immundi contraxerat ex contage cadaveris, si postea revertatur ad cadaveris contactum, jam illam suam lavationem perdidisse, quia novo mortui contactu sese contaminavit. Quæ sententia nihil omnino facit ad mentem Cypriani. Ergo quisquis auctor fuit istius dicti, *Qui a mortuo baptizatur, quid proficit lavatio ejus?* (hoc enim primitus a Cypriano usurpatum fuisse numquam crediderim), appellatione mortui aliquem intellexit ex diis gentium, qui homines quondam fuerant, et jam cum inter deos censeri incipiebant, erant mortui; aut, si non aliquem ex talibus diis, saltem aliquem ex ejusmodi deorum sacerdotibus sive cultoribus, qui etiam a Christianis inter mortuos sæculi computabantur. Itaque auctor istius dicti, ut verba Siracidis ad suum de extra Ecclesiam baptizatis sensum transferret, omisit quod apud Siracidem sequitur : *et iterum tangit eum;* quo certe omisso, tota mens Siracidis eliditur : ex eoque quod a Siracide dictum fuerat, qui a mortuo baptizatur et iterum tangit eum, non proficit lavatio ejus, dictum prorsus aliud expressit : *Qui baptizatur a mortuo, non proficit lavatio ejus.* Quod idiotis Christianorum, ob eam quæ fuit ipsis notissima, mortuorum appellationem, cum mire placuisset, neglecto jam Siracidis sensu, in proverbium abiit. Hoc igitur Cyprianum, non ex Siracide, sed ex vulgi proverbio sumpsisse malim equidem arbitrari, quam dicere virum tantum non legisse, aut non intellexisse Siracidem. Enimvero, sic etiam opinatum esse Augustinum, ex eo colligitur quod in prolixa adversus Cresconium disputatione, qua Cypriani sententiam satis acriter refellit, hæc ipsa verba a Cypriano prolata non ad Siracidis mentem retrahit, sed ex ore vulgi uti tum ferebantur, excepta sic interpretatur, ut definiat baptismum a mortuo, hoc est hæretico sive schismatico, extra Ecclesiam datum, tunc incipere baptizato proficere cum taliter baptizatus transit ad corpus Christi, quod est Ecclesia Dei vivi. Hoc ita citatur etiam a Quieto, episcopo Buruchensi, in concil. Carthag., et ab Augustino, lib. I, contra Petilianum, c. 9 : *Item cum audierit, qui baptizatur a mortuo, non ei prodest lavatio ejus, respondebit : Vivit Christus*, etc. Baptizantur autem a mortuis, qui baptizantur in idolorum templis; non enim et ipsi a sacerdotibus suis se accipere arbitrantur sanctificationem quam putant; sed a diis, qui quoniam homines fuerunt et ita mortui sunt. RIG.— Non vulgatum omnino proverbium, sed textum Scripturæ, hic laudatum constat ex verbis Cypriani dicentis, scriptum esse : *Qui baptizantur a mortuo*, etc. Huic conjecturæ firmandæ accedit observatio Josephi Scaligeri *Elenct.*, c. XI, 8, solere homines notissimas sententias dimidiatas citare. Et pro instantia affert illud Matt. XV, 5 : Δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. Simile quid apud Suidam videmus in usu proverbii : ἀπὸ καταδυομένης, quod revera, si totum efferatur, erit, ἀπὸ νεὼς καταδυομένης ὅ τι ἂν λάβῃς, κέρδος. Receptæ huic loquendi formulæ fortasse D. Paulus videri potest allusisse, I *Cor.*, XV, 29 : Τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν ; *quid conficient aut lucrabuntur baptizati seu loti pro mortuis?* Quo sensu D. Lucas dixit : Ἐποίησε ἄλλα πέντε τάλαντα. Mortui si possint polluere, saltem aliquid possunt. Et vivi qui ab impuro contactu se lustrandos procurant, agnoscunt pœnas manere inexpiatos, et proinde animam esse post fata superstitem. Ad diversissimos sensus eadem proverbialia dicta adhiberi res notissima est. FELL.

II. — *Ovem abalienatam et errabundam.* Non jam de Christi, sed Novati grege. Licet verior videatur lectio quæ habet *abigeatum.* Glossæ veteres, *abigator, abactor, abigens*, ἀπελάτης. Et juris auctores dixere, *crimen abigeatus.* ID.

*Non est autem de consuetudine præscribendum.* Et tamen post multas disceptationes consuetudo vicit. Hoc testatur Hieronymus apertissime adversus Lucifer. : *Denique illi ipsi episcopi*, inquit, *qui rebaptizandos hæreticos cum Cypriano statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, norum emisere decretum. Quid facimus? ita et nobis majores nostri, et illis sui tradidere majores.* Augustinus, lib. III, contra Cresc., c. 33 : *Hæc consuetudo Ecclesiæ fuit ante concilium Cypriani. Hæc superari et auferri non potuit nec concilio Cypriani.* Bonam istius consuetudinis rationem ex Au-

Digitized by Google

nec Petrus, quem primum Dominus elegit, et super quem ædificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret se primatum tenere, et obtemperari a novellis et posteris sibi potius oportere. Nec despexit Paulum, quod Ecclesiæ prius persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit, et rationi legitimæ quam Paulus vindicabat, facile consensit; documentum scilicet nobis et concordiæ et patientiæ tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando a fratribus et collegis nostris utiliter et salubriter suggeruntur, si sint vera et legitima, [a] ipsa potius nostra ducamus. Cui rei Paulus quoque prospiciens et concordiæ et paci fideliter consulens, in Epistola sua posuit, dicens: *Prophetæ autem duo aut tres loquantur, et cæteri examinent. Si autem alii* [b] *revelatum fuerit sedenti, ille prior taceat* (I *Cor.*, XIV, 29). Qua in parte docuit et ostendit multa singulis in melius revelari, et debere unumquemque, non pro eo quod semel imbiberat et tenebat, pertinaciter congredi, sed, si quid melius et utilius exstiterit, licenter amplecti. Non enim vincimur quando offeruntur nobis meliora, sed instruimur, maxime in his quæ ad Ecclesiæ unitatem pertinent, et spei et fidei nostræ veritatem; [c] ut nos sacerdotes Dei et

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Ipsa potius amplectamur *Tku.* Ista potius *Fosa.*
[b] Si alii *Lam. Bod.* 1.
[c] Ut sacerdotes *Bod.* 1, 2. *Lin. NC.* 1, 2.

## VARIORUM NOTÆ.

gustino supra observavimus. Et generaliter hoc definiri posse videtur, in istis fidei christianæ mysteriis, ubi res ipsa constat, et fides in tuto est collocata, non esse cur ab alterutra parte unitatis catholicæ, tranquillitas turbetur. Communem hunc locum de vi et effectu consuetudinis varie tractant Patres Ecclesiæ, prout ad propositum conducit. Ipse Cyprianus adversus consuetudinem dicit, non solum hic, sed etiam epist. LXIII: *Neque enim hominis consuetudidem sequi oportet, sed Dei veritatem.* Et epist. LXXIV: *Nec consuetudo quæ apud quosdam obrepserit, impedire debet quominus veritas prævaleat et vincat. Nam consuetudo sine veritate vetustas erroris est.* Pro consuetudine dixit Tertullianus, lib. de Corona: *Quam et idoneam testem esse ait probatæ traditionis, ex perseverantia observationis.* Idem adversus consuetudinem perorat, lib. de Virg. velandis: *Veritati*, inquit, *nemo præscribere potest. Non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum. Ex his enim fere consuetudo initium ab aliqua ignorantia vel simplicitate sortita, in usum per successionem corroboratur, et ita adversus veritatem vindicatur. Sed Dominus noster Christus* VERITATEM *se, non* CONSUETUDINEM *cognominavit.* Atque his consimilia passim apud Hieronymum et Augustinum. RIG.

*Petrus quem primum Dominus elegit.* Petrus πρωτόκλητος, vocatus ante alios omnes. Matthæus, c. X: Τῶν δὲ δώδεκα ἀποστόλων τὰ ὀνόματά ἐστι ταῦτα· πρῶτος Σίμων ὁ λεγόμενος Πέτρος. Princeps haud dubie collegii, inquit Grotius, a Christo designatus ad retinendam corporis compagem... hoc præclare Cyprianus ostendit libro *de Unitate Ecclesiæ*, ad illa verba Christi: «Tibi dabo claves» *Super unum*, inquit, *ædificat Ecclesiam, et quamvis apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat et dicat, «Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum: si cui remiseritis peccata, remittentur illi, et si cui tenueritis, tenebuntur;» tamen, ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.* Sic enim legitur in antiquis exemplaribus, ut suo loco monstrabimus. Optatus Milevitanus, lib. VII: *Stant toti innocentes, et peccator accipit claves, ut unitatis negotium formaretur; provisum est ut peccator aperiret innocentibus; ne innocentes clauderent contra peccatores, ei quæ necessaria est unitas esse non posset.* RIG.

*Super quem ædificavit Ecclesiam.* Super petram, unde nomen inditum Petro: Qua de re diximus supra. Hieronymus ad Domini verba, Matth., XVI, 18: *Secundum metaphoram petræ, recte dicitur Petro, Ædificabo Ecclesiam meam super te.* RIG.

*Ut diceret se primatum tenere.* Locus hic procul abest ut infirmet, quin potius confirmat Petri atque adeo Romanorum pontificum primatum. Cum enim in hac ipsa sententia dicat Petrum primum electum a Domino, et repetat quod sæpe dixit, super illum ædificatam esse Ecclesiam, sibi ipsi contradiceret si primatum ejus negaret. Non itaque aliud quam humilitatem ejus commendans, illius exemplo cæteros suos collegas ad concordiam invitat; ut, quemadmodum ipse, cum primus esset, non tamen primatum insolenter jactitavit, sic nec ipsi suam sententiam ita mordicus tenerent, ut alios præ se contemnerent. Et certe de Stephano ipsi non esse sermonem, vel inde colligere est quod nondum de hac sententia ad illum scripserat; utpote cum ex epistola ad illum proxime sequenti, hanc prius scriptam constet. Atque adeo de iisdem mihi loqui videtur quos insinuat in synodo Carthag. cum ait: *Nemo se episcopum episcoporum constituat*, quod de collegis illius intelligunt disertis verbis dict. lib. VI, c. 2, D. Aug. et D. Hier. contra Lucifer. Quin immo dict., l. I, D. Aug. hinc potius confirmat Petri et apostolicæ Sedis primatum. PAMEL. —Matth., l. c.: Πρῶτος Σίμων ὁ λεγόμενος Πέτρος. Epist. Pauli ad Galatas, ut vulgo legitur, inter Jacobum et Joannem medium posuit Petrum. Ἰάκωβος καὶ Κηφᾶς καὶ Ἰωάννης, οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι. Evangelium Marci, c. 16, facta universim mentione Apostolorum, subdidit Petrum separatim: Εἴπατε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ καὶ τῷ Πέτρῳ. Sed nec ordo ille medius, neque iste postremus, quicquam detrahunt de primatu. Etenim viri fide dignissimi testantur in antiquissimo Pauli exemplari nomen Cephæ inter Jacobum et Joannem non apparere, quasi fuerit satis quod præcedens comma Cephæ sive Petri nomen exhibeat; adeoque veterum scriptorum in illam ad Galatas commentaria Petrum primo loco recenseant. Illa vero Angeli apud Marcum verba: *Dicite discipulis ejus, et Petro*, discipulos quidem collectivo nomine commendant, sed præsertim et eximie Petrum nominatim designant, si non honoris, at singularis misericordiæ divinæ gratia, qua certe plus cæteris discipulis indigebat, quia ter Christum negaverat. Alias dici posset Angelum, comprehensis appellatione communi discipulis, separatim nominasse Petrum, qua forma dixit Homerus: Τρῶας καὶ Ἕκτορα, et juris auctores, titulum scripsere *de Servitutibus et Aqua.* Et Lucas, in *Act.* I, 14: Σὺν γυναιξὶ καὶ Μαρίᾳ τῇ μητρί. Denique utatur aliquis illa solutione Hieronymi *ad Hedibiam*, dicatque non recipiendum hac in re testimonium Marci, quod in raris fertur Evangeliis, omnibus Græciæ libris pene hoc capitulum in fine non habentibus. Nam et hoc etiam se observasse refert Gregorius Nyssenus, ἀκριβεστέροις ἀντιγράφοις, *Orat.* 11, in Christi resurrectionem. Quam certe solutionem viri prudentes et docti non esse admittendam merito censuerunt. RIG.

Digitized by Google

Ecclesiæ ejus, de ipsius dignatione, præpositi, sciamus remissam peccatorum non nisi in Ecclesia dari posse, nec posse adversarios Christi quicquam sibi circa ejus gratiam vindicare. Quod quidem et Agrippinus, bonæ memoriæ vir, cum cæteris coepiscopis suis, qui illo tempore in provincia Africa et Numidia Ecclesiam Domini gubernabant, statuit et, librato consilii communis examine, firmavit. Quorum sententiam et religiosam et legitimam et salutarem, fidei et Ecclesiæ catholicæ congruentem, nos etiam secuti sumus. Et quales super hac re litteras fecerimus ut scires, exemplum earum ad [a] notitiam tam tuam quam coepiscoporum nostrorum qui illic sunt, pro communi dilectione, transmisimus. Opto te, frater charissime, semper bene valere.

ANNO CHRISTI CCLVI.

## EPISTOLA S. CYPRIANI AD JUBAIANUM,

### DE HÆRETICIS BAPTIZANDIS.

(Erasm. p. 322. Pamel. Rigalt. Baluz. Oxon. Lips. LXXIII.)

ARGUMENTUM. — *Anno Christi* CCLVI, *paulo post concilium Carthaginense* VII, *longam scripsit epistolam Cyprianus ad episcopum Jubaianum; is consuluerat Cyprianum de Baptismo, simulque miserat epistolam, non a se, sed ab alio scriptam, adversus sententiam Cypriani. Refellit hanc epistolam Cyprianus et summo studio colligit quidquid ad causæ suæ defensionem valere existimabat. Mittit etiam Jubaiano exemplum epistolæ ad Numidas et ad Quintum ac forte proximæ synodi decreta.*

I. Cyprianus Jubaiano fratri salutem. Scripsisti mihi, frater charissime, desiderans [b] significari tibi motum animi nostri quid nobis videatur de hæreticorum Baptismo, qui, foris positi et extra Ecclesiam constituti, vindicant sibi rem nec juris nec potestatis. Quod nos nec ratum possumus nec legitimum computare [c], quando hoc apud eos esse constet illicitum. Et quoniam jam super hac re quid sentiremus litteris nostris expressimus, ut compendium facerem, exemplum earumdem litterarum tibi misi, quid in concilio, cum complures adessemus, decreverimus, quid item postea Quinto, collegæ nostro, de eadem re quærenti rescripserim. Et nunc quoque cum in unum convenissemus tam provinciæ Africæ quam Numidiæ episcopi, numero septuaginta et unus, hoc idem denuo sententia nostra firmavimus, statuentes unum baptisma esse quod sit in Ecclesia catholica constitutum, ac per hoc non rebaptizari, sed baptizari a nobis quicumque [d] ab adultera et profana aqua veniunt abluendi et sanctificandi salutaris aquæ veritate.

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Notitiam tuam tamquam *Bod.* 2.
[b] Designari tibi *Bod.* 2.
[c] Judicare *Oxon. et alii.*
[d] A nobis quicumque ab adultera et profana aqua venientes *Lam. Lin. Ebor. Bod.* 1, 2. *NC.* 1, 2.

## STEPH. BALUZII NOTÆ.

*Africa et Numidia.* Omittit Mauritaniæ mentionem Cyprianus, quæ etiam sedi Carthaginensi subjecta, licet ad Mauritaniæ episcopum scribens : unde conjicere licet Agrippini synodum ex Africæ provinciæ et Numidiæ episcopis conflatam.

EPIST. LXXIII. — Hanc epistolam esse Cypriani puto non posse ambigi. Et tamen sanctus Augustinus lib. II, *contra Cresconium*, cap. 35, videtur dubitasse an esset Cypriani. Quæ autem ratio eum movere potuerit ut ita putaret difficile dictu est, præsertim cum Cyprianus eam agnoscat ut suam in præfatione concilii Carthaginensis, et ipse Augustinus illam frequenter alibi citra difficultatem tribuat sanctissimo martyri ; ut libro *de Anima*, cap. 9; lib. III *de Baptismo* contra Donatistas, cap. 2; lib. IV, cap. 12; lib. V, cap. 1; lib. VI, cap. 7 ; et lib. VII contra Cresconium, cap. 32. Hieronymus quoque in extremo dialogo *adversus Luciferianos* eam laudat ut Cypriapicam. Simon Goulartius contendit illam esse purum paralogismum, eam videlicet ob rationem quia Cyprianus Novatianenses nominat inter hostes Ecclesiæ, quia eos cum Marcionitis, Patripassianis et aliis hæreticis baptismi institutionem et essentiam evertentibus confundit. Quod tamen verum non est. Sane Cyprianus damnat opinionem Novatiani censentis baptisma Marcionis esse verum baptisma, quia qui sectæ ejus addicti erant baptizati fuerant in nomine Jesu Christi : itaque propterea disputat adversus baptismum Marcionis et aliorum hæreticorum. Illis autem accenset etiam Novatianum, quia putabat ejus baptismum non valere : qui contra Ecclesiam, in qua est verus et unicus Baptismus, rebellis erat et hostis Ecclesiæ. Itaque vere dici posset ea quæ istic edisserit Goulartius esse purum paralogismum.

I. — *Scripsisti mihi.* Si vera est inscriptio Epistolæ LXX, quam extare monui in codice Thuano, apparet istam fuisse primam earum quæ ab Jubaianum scriptæ sunt. Si vero tertia est, ut in uno veteri libro meo legitur, constat desiderari unam ex tribus epistolis a Cypriano scriptis ad Jubaianum. Ex initio porro istius, si ista sunt vera, facile est colligere primam desiderari et synodicam scriptam ad Numidas esse secundam. Sane synodicam scriptam esse ante istam docet ipse Cyprianus in initio istius epistolæ.

*Foris positi.* Hieronymus in *Apologia* adversus Rufinum : *Quid loquar de hæreticis, qui licet foris sint, se nominant christianos?*

*Computare.* Antea legebatur *judicare.* Nos mutavimus, quia nobis constat omnia vetera exemplaria nostra, præter unum tantummodo, et quinque Anglicana habere lectionem quam nos constituimus. Quæ lectio confirmari potest ex nonnullis aliis Cypriani locis, imprimis vero ex postrema parte istius Epistolæ, p. 137, ubi ait : *Baptisma justum et legitimum computetur ;* et ex Epistola Firmiliani, pag. 149 : *Cum istic semper observatum sit ut non nisi unam Dei Ecclesiam nossemus et sanctum baptisma non nisi sanctæ Ecclesiæ computaremus.* Ea auctoritas major est quam ut obsisti ei possit.

*Quinto.* Supra Epist. LXXI. Ex epistola porro LXXII, in qua ejusdem Quinti mentio habetur apparet illum fuisse episcopum in Mauritania.

*Episcopi* LXXI. Augustinus in libro *de unico Baptismo contra Petilianum*, cap. 13, septuaginta tantum ponit. Vide etiam quæ de hoc concilio idem ait lib. II, *de Baptismo contra Donatistas*, capp. 7, 8, 9, et lib. III, c. 2, 12.

*Baptizari a nob quicumque.* Ita emendavimus ex fide quatuordecim librorum nostrorum veterum et

Digitized by Google

II. Nec nos movet, frater charissime, quod in litteris tuis complexus es, Novatianenses rebaptizare eos quos a nobis sollicitant, quando ad nos omnino non pertineat quid hostes Ecclesiæ faciant, dummodo teneamus ipsi potestatis nostræ honorem et rationis [a] ac veritatis firmitatem. Nam Novatianus, simiarum more, quæ cum homines non sint, humana [b] tamen imitantur, vult Ecclesiæ catholicæ auctoritatem sibi et veritatem vindicare, quando ipse in Ecclesia non sit, immo adhuc insuper contra Ecclesiam rebellis et hostis extiterit. Sciens etenim unum esse baptisma, hoc unum sibi vindicat ut apud se esse Ecclesiam dicat et nos hæreticos faciat. Nos autem, qui Ecclesiæ unius caput et radicem tenemus, pro certo scimus et fidimus nihil illi extra Ecclesiam licere, et Baptisma [c] quod est unum, apud nos esse, ubi et ipse baptizatus prius fuerat, quando divinæ unitatis et rationem et veritatem tenebat. Quod si in Ecclesia baptizatos rebaptizandos foris extra Ecclesiam Novatianus existimat, a se incipere debuerat, ut prior extraneo et hæretico baptismo rebaptizaretur, qui post Ecclesiam immo et contra Ecclesiam baptizandos foris opinatur. Quale est autem ut, quia hoc Novatianus facere audet, nos putemus non esse faciendum? Quid ergo? quia et honorem cathedræ sacerdotalis Novatianus usurpat, num idcirco nos cathedræ renuntiare debemus? Aut quia Novatianus altare collocare et sacrificia offerre contra fas nititur, ab altari et sacrificiis cessare nos oportet, ne paria et similia cum illo celebrare videamur? Vanum prorsus et stultum est ut, quia Novatianus extra Ecclesiam vindicat sibi veritatis imaginem, relinquamus Ecclesiæ [d] veritatem.

III. Apud nos autem non nova aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos qui ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sint et longa ætas ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum episcopi plurimi hoc statuerint, atque exinde in hodiernum tot millia hæreticorum in provinciis nostri ad Ecclesiam conversi, [e] non aspernati sint neque cunctati, immo et rationabiliter et libenter amplexi sint ut lavacri vitalis et salutaris Baptismi gratiam consequerentur. Neque enim difficile est doctori vera et legitima insinuare [f] ei qui hæretica pravitate damnata, et ecclesiastica veritate comperta, ad hoc venit [g] ut discat, ad hoc discit ut vivat. Nos non debemus stuporem [h] hæreticis patrocinio consensus nostri augere, cum libenter ac prompte obtemperant veritati.

IV. Plane, quoniam inveni in epistola cujus exemplum ad me transmisisti, scriptum esse quod quærendum non sit quis baptizaverit, quando is qui baptizatus sit accipere remissam peccatorum potuerit secundum quod credidit, prætereundum hunc locum non putavi, maxime cum in eadem epistola animadverterim etiam Marcionis fieri mentionem, ut nec ab ipso venientes dicat baptizari oportere, quod jam in nomine Jesu Christi baptizati esse videantur. Considerare itaque debemus fidem eorum qui foris credunt, an secundum eamdem fidem possint aliquid gratiæ consequi. Nam si fides una est nobis et hæreticis, potest esse et gratia una. Si eumdem patrem, eumdem filium, eumdem Spiritum sanctum, eamdem Ecclesiam confitentur nobiscum Patripassiani, Anthropiani, Valentiniani, Appelletiani, Ophitæ, Marcionitæ, et cæteræ hæreticorum pestes et gladii [i] ac venena subvertendæ veritatis, potest illic et Baptisma unum esse, si est et fides una.

V. Ac, ne longum sit per hæreses universas decurrere et singularum vel [j] ineptias vel insanias

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Rationem *Lam. Ebor. NC.* 1.
[b] *Sic Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *Lin. NC.* 1, 2. Homines *Oxon.*
[c] *Sic Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *NC.* 1, 2. Et baptismatis, quod est unum *Oxon.*
[d] Relinquat Ecclesiæ *Lam. Bod.* 1, 2. *NC.* 1, 2. *Lin. Ebor.*
[e] Conversorum *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1.
[f] *Sic Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. Lin. NC.* 1. 2. Eis *Oxon. et alii.*
[g] *Sic Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *Lin. NC.* 1, 2. Veniunt ut discant an *Oxon.*
[h] Nos non demus stuporem hæreticis patrocinio consensus nostri, cum *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *NC.* 1, 2.
[i] *Sic Lam. Ebor. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2. *Fab.* Gladiis ac venenis *Oxon.*
[j] *Sic Ebor. Bod.* 1, 2. *Lin. NC.* 1, 2. Singulorum *Oxon.*

## STEPH. BALUZII NOTÆ.

septem Anglicanorum. Antea legebatur *baptizari a nobis. Quicumque ergo ab adultera et profana aqua veniunt abluendi sunt et sanctificandi.* Ita etiam in codice sancti Arnulphi, nisi quod ibi legitur *venientes.*

II.—*Humana.* Hanc lectionem habent quatuordecim exemplaria nostra et septem Anglica. Vox autem *tamen*, quæ sequitur, deest in pluribus eorumdem exemplarium. In Corbeiensi pro *humana* legitur *humanitatem.*

*Extraneo.* Codex S. Arnulphi *extrario.*

*Relinquamus Ecclesiæ.* Idem codex, *relinquat ecclesia.*

III. — *Longa ætas.* Vide observationes Rigaltii ad hunc locum. Vide etiam Sirmondi notas ad librum x Facundi.

*Ad hoc venit ut discat.* Ita XVII libri nostri veteres et septem Anglicani. Neque dubitari potest quin hæc lectio sit optima.

*Debemus stuporem.* Duo libri veteres, *debemus stupore hæreticis patrocinari hæreticos et consensus nostri*, etc. Sex Anglicani, *non debemus stuporem hæreticis patrocinio consensus nostri, cum*, etc. Ita etiam in uno ex nostris. *Stuporem gentilitatis* dixit Pontius diaconus in Vita Cypriani.

*Patrocinio consensus.* Codex S. Arnulphi, *patrocinii et consensus.*

IV.— *Quærendum non sit.* Vide librum anonymi *de Rebaptismate*, infra p. 353.

*Anthropiani.* Vide doctissimi viri Joannis Baptistæ Cotelerii notas ad librum sextum *Constitutionum apostolicarum*, cap. 10.

*Gladii ac venena* Ita reponendum esse censuimus, quia ita scriptum invenimus in tredecim libris nostris veteribus et in septem Anglicanis. Gladii autem illi et venena referuntur ad hæreticos illos tamquam epitheta, ut sæpe apud oratores et historicos.

Digitized by Google

recensere, quia nec delectat id dicere quod aut horret aut pudet nosse, de Marcione interim solo, cujus mentio in epistola a te ad nos transmissa facta est, examinemus an possit baptismatis ejus ratio constare. Dominus enim post resurrectionem discipulos suos mittens, quemadmodum baptizare deberent instruxit et docuit [a] dicens: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra, Ite ergo et docete gentes omnes baptizantes* [b] *eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* xxviii, 18, 19). Insinuat Trinitatem, cujus sacramento Gentes baptizarentur. Numquid hanc Trinitatem Marcion tenet? numquid eumdem asserit [c] quem et nos patrem creatorem? Numquid eumdem novit filium [d] Christum de Maria virgine natum, qui sermo caro factus sit, qui peccata nostra portaverit, qui mortem moriendo vicerit, qui resurrectionem carnis per semetipsum primus initiaverit, et discipulis suis quod in eadem carne resurrexisset ostenderit? Longe alia est apud Marcionem, sed et apud cæteros hæreticos fides. Immo nihil est apud illos nisi perfidia et blasphemia et contentio sanctitatis [e] et veritatis inimica. Quomodo ergo potest videri qui apud illos baptizatur consecutus esse peccatorum remissam, et divinæ indulgentiæ gratiam per suam fidem, qui ipsius fidei non habuerit veritatem? Si enim, sicut quibusdam videtur, secundum fidem suam quis accipere aliquid foris extra Ecclesiam potuit, utique id accepit quod credidit. Falsum autem credens verum accipere non potuit, sed potius adultera et profana, secundum quod credebat, accepit.

VI. Quem locum profani et adulteri baptismi subtiliter Hieremias propheta perstringit dicens: *Ut quid qui contristant me prævalent? Plaga mea solida est, unde sanabor? Dum fit, facta est mihi quasi aqua mendax non habens fidem* (*Hier.* xv, 18). Mentionem facit per Prophetam spiritus Sanctus aquæ mendacis et fidem non habentis. Quæ est hæc aqua mendax et perfida? Utique ea quæ baptismi imaginem mentitur et gratiam fidei adumbrata [f] simulatione frustratur. Quod si secundum pravam fidem baptizari aliquis foris et remissam peccatorum consequi potuit, secundum eamdem fidem consequi et Spiritum sanctum potuit, et non est necesse ei venienti manum imponi ut Spiritum sanctum consequatur et signetur. Aut utrumque enim fide sua foris [g] consequi potuit, aut neutrum eorum qui foris fuerat accepit.

VII. Manifestum est autem ubi et per quos remissa peccatorum dari possit, quæ in Baptismo scilicet datur. Nam Petro primum Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam, et unde unitatis originem instituit et ostendit, potestatem istam dedit ut id solveretur in cœlis quod ille solvisset in terris. Et post resurrectionem quoque ad Apostolos loquitur dicens: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hoc cum dixisset, inspiravit, et ait illis: Accipite Spiritum sanctum. Si cujus remiseritis peccata, remittentur illi; si cujus tenueritis,* [h] *tenebuntur* (*Joa.* xx, 21). Unde intelligimus non nisi in Ecclesia præpositis et in evangelica lege ac dominica ordinatione fundatis licere baptizare et remissum peccatorum dare, foris autem nec ligari aliquid posse nec solvi, ubi non sit qui aut ligare possit aliquid [i] aut solvere.

VIII. Nec hoc, frater charissime, sine Scripturæ divinæ auctoritate proponimus, ut dicamus certa lege ac propria ordinatione divinitus cuncta esse disposita, nec posse quemquam contra episcopos [j] et sacerdotes usurpare sibi aliquid quod non sit sui juris et potestatis. Nam et Chore et Dathan et Abiron contra Moysen et Aaron sacerdotem sacrificandi sibi licentiam usurpare conati sunt; nec tamen quod illicite ausi sunt impune fecerunt. Et filii Aaron, qui alienum ignem altari imposuerunt, in conspectu statim Domini indignantis [k] extincti sunt. Quod supplicium manet eos qui alienam aquam baptismo inferunt falso, [l] ut divina censura ulciscatur et vindicet id hæreticos contra Ecclesiam gerere quod non nisi soli liceat Ecclesiæ.

IX. Quod autem dicunt quidam de eis qui in Samaria baptizati fuerant, advenientibus apostolis Petro et Joanne, tantum super eos manum impositam esse, ut acciperent Spiritum sanctum, rebaptizatos tamen non esse, locum istum [m], frater charissime, ad

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Instruit et docet, dicens *Lam. Ebor. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2. *Lin* Instituit *Oxon.*
[b] Gentes omnes tingentes *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *NC.* 1, 2.
[c] Numquid eumdem quem et nos novit *Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. Lin. NC.* 1, 2.
[d] Eumdem Deum filium *Bod.* 2. *Lin. NC.* 1, 2. *Ebor.* Eumdem novit filium *F.b.*
[e] Contentio vanitatis *Bod.* 1.
[f] Adumbratam simulatione *Bod.* 2.
[g] Foris consequi *Bod.* 1, 2. *Lam. Ebor. NC.* 1, 2.
[h] Detinueritis *Bod.* 1.
[i] Ligare possit aut solvere *Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. Lin. NC.* 1, 2.
[j] Contra Ecclesiam, Episcopos *Lin.*
[k] Indignantis percussi *Lin.*
[l] In Baptismo offerunt *Ebor. NC.* 1.
[m] Locum istum, frater *Lam. Bod.* 1, 2. *Lin. NC.* 1, 2.

## STEPH. BALUZII NOTÆ.

V. — *Baptizarentur.* Codex sancti Arnulphi *tingerentur.*

*Contentio sanctitatis.* Idem codex, *contentio vanitatis amica et veritatis inimica.*

VI. — *Fide sua foris* Ita emendavimus et supplevimus ex fide quatuordecim veterum exemplarium nostrorum et sex Anglicanorum, tum etiam ex editione Morellii.

VII. — *Unitatis originem.* Unitatem Ecclesiæ frequenter commendat Cyprianus, præsertim in libro *de Unitate Ecclesiæ.*

VIII. — *Usurpare conati.* Ita editio Manutiana et duodecim libri veteres. At Erasmus et Morellius et tres libri veteres habent *vindicare*, eodem sensu. In codice sancti Arnulphi, ubi legitur *usurpati sunt*, additur *ausu sacrilego.*

IX. — *Locum istum.* De vero sensu hujus loci prolixe disserit Joannes Dallæus, lib. II, *de Cultibus Latinorum*, cap. 12, p. 156.

Digitized by Google

præsentem causam videmus omnino non pertinere. Illi enim qui in Samaria crediderant fide vera crediderant, et intus in Ecclesia, quæ una est, et cui soli gratiam [a] Baptismi dare et peccata solvere permissum est, a Philippo diacono, quem iidem apostoli miserant, baptizati erant. Et idcirco quia legitimum et ecclesiasticum Baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat, sed tantummodo quod deerat, id a Petro et Joanne factum est, ut oratione pro eis [b] habita, et manu imposita invocaretur et infunderetur super eos Spiritus sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur et signaculo dominico consummentur.

X. Non est ergo, frater charissime, quod hæreticis cedendum existimemus ut Baptisma, quod non nisi uni et soli Ecclesiæ datum sit, prodendum putemus. Boni militis est adversus rebelles et hostes imperatoris sui castra defendere. Gloriosi ducis est commissa sibi signa servare. Scriptum est: *Dominus Deus tuus Deus zelans est* (*Deut.* IV, 24). Qui spiritum Dei accepimus, zelum divinæ fidei habere debemus. Quo zelo Phinees placuit, et Deum promeritus indignantis [c] iram populo pereunte lenivit. Quid adulteram et alienigenam [d] et divinæ unitatis inimicam in acceptum referimus, qui non nisi unum Christum et unam ejus Ecclesiam novimus? Ecclesia paradisi instar exprimens arbores fructiferas intra muros suos intus includit, ex quibus quæ non facit fructum bonum exciditur et in ignem mittitur. Has arbores rigat quatuor fluminibus, id est, evangeliis quatuor, quibus Baptismi gratiam salutaris cœlesti inundatione largitur. Numquid de Ecclesiæ fontibus rigare potest qui totus in Ecclesia non est? Numquid paradisi potus salubres et salutares impertire cuiquam potest qui perversus et a semetipso damnatus et extra paradisi fontes relegatus aruit et æternæ sitis siccitate defecit?

XI. Clamat Dominus ut qui sitit veniat et bibat de fluminibus aquæ vivæ quæ de ejus ventre fluxerunt (*Joan.* VII, 37). Quo venturus est qui sitit, utrumne ad hæreticos, ubi fons et fluvius aquæ vitalis omnino non est, an ad Ecclesiam, quæ una est super unum, qui et claves ejus accepit, Domini voce fundata est? Hæc est una quæ tenet et possidet omnem sponsi sui et domini potestatem. In hac præsidemus, pro honore [e] ejus atque unitate pugnamus, hujus et gratiam pariter et gloriam fideli devotione [f] defendimus. Nos de divino permissu rigamus sitientem Dei populum, nos custodimus terminos vitalium fontium. Si possessionis ergo [g] nostræ jus tenemus, si sacramentum unitatis agnoscimus, cur prævaricatores veritatis, cur proditores unitatis existimamur? [h] Aqua Eccle-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Gratia est baptismi data *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2.
[b] Oratione super eos *Lin.*
[c] Et Domini pro merito indignantis iram *Lin. NC.* 2.
[d] Quid adultera et aliena et divinæ unitatis inimica in acceptum perferimus *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. *Thu.*
[e] Et pro honore *Bod.* 2.
[f] Fidei virtute *Oxon.* Fidei devote *Bod.* 1. Fideli devotione *Bod.* 2. *Lam. Ebor. Bened. Lin. NC.* 1, 2. Fidei devotione *Thu.* Fideli virtute *Corb.*
[g] Si ergo possessionis *Ebor. NC.* 1.
[h] Unitatis extitimus *Lam. Lin. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. Existimus *Bod.* 1. *Thu.*

## STEPH. BALUZII NOTÆ.

*Præpositis.* Hanc lectionem, quam inveni in omnibus antiquis editionibus et in quatuor libris veteribus, ego præfero ei quæ a Pamelio allata est ex unico codice Anglicano, in quo scriptum erat *per præpositos*. Quam lectionem, ne quid dissimulem, exhibent novem vetera exemplaria.

X.—*Quid adulteram.* Novem libri nostri veteres et quatuor Anglicani præferunt: *Quid adultera et aliena et divinæ unitatis inimica in acceptum referimus?* Ita etiam in Anglicano suo legebat Pamelius. Sed quidam libri veteres habent *veritatis*.

*Ecclesia paradisi instar.* Sanctus Augustinus, lib. IV, *de Baptismo contra Donatistas*, cap. 1, exponit paraphrastice hunc locum, et ait: *Ecclesia paradiso comparata indicat nobis posse quidem ejus baptismum homines etiam foris accipere, sed salutis beatitudinem extra eam neminem vel percipere vel tenere.* Et addit: *Ita fit ut cum paradisi aqua sit extra paradisum, beatitudo tamen non sit nisi intra paradisum. Sic ergo baptisma Ecclesiæ potest esse extra Ecclesiam, munus autem beatæ vitæ non nisi intra Ecclesiam reperitur.* Vide infra ad Epistolam LXXV. *Ab aqua aliena.*

*Exciditur.* Ita editiones Manutii et Morellii et quindecim libri veteres. Alii tres et Erasmus habent *excidetur et in ignem mittetur.* Fuxensis, *exuritur et in ignem mittitur.*

*Salutaris cœlesti.* Codex sancti Arnulphi *salutari et cœlesti.*

XI. — *Super unum.* Id est super Petrum. Vide librum *de Unitate Ecclesiæ.*

*Claves accepit.* Sanctus Columbanus in Epistola *ad papam Bonifacium* eum monet ut qui Petri, qui claves accepit, successor est, ea potestate bene utatur: *Tamdiu enim*, inquit, *potestas apud vos erit quamdiu recta ratio permanserit. Ille enim certus regni cœlorum clavicularius est qui dignis per veram scientiam aperit et indignis claudit.* Hæc insinuanda sunt Romanis. Multi enim Romani Pontifices ab hac regula discesserunt. Huc referri possunt quæ de Petri privilegio disserit Marca lib. IV *de Concordia*, cap. 6, et quæ nos illic annotavimus.

*Hæc est una.* Refert hunc locum sanctus Augustinus, lib. IV, de Baptismo *adversus Donatistas*, cap. 1.

*Fideli devotione.* Ita posuimus pro eo quod antea legebatur *fidei virtute.* Sane in codice Corbeiensi legitur *fidei virtute*, in tribus aliis *fidei devotione.* Sed omnes alii et septem Anglicani præferunt *fideli devotione.*

*Si possessionis.* Codex Remensis sancti Dionysii, *si pastionis nostræ terram tenemus.* Quod fortasse melius est propter ea quæ præcedunt.

*Existimamur.* Tredecim libri nostri et unus Bodleianus habent *existimus*, alii quinque Anglicani *extitimus*, unus meus *timemus*, magno inter has varias lectiones discrimine.

*Aqua Ecclesiæ.* Codex Gratianopolitanus: *Aquæ Ecclesiæ et fidelis et vera et salutaris et sancta.* Citat Augustinus in loco paulo ante laudato, sed non habet *et vera.*

Digitized by Google

siæ fidelis et salutaris et sancta corrumpi et adulterari non potest, sicut et ipsa Ecclesia incorrupta et casta et pudica est. Si Ecclesiæ devoti et in Ecclesia constituti sunt hæretici, possunt et baptismo ejus et cæteris salutaribus bonis uti. Si autem in Ecclesia non sunt, immo et contra Ecclesiam faciunt, quomodo baptizare baptismo Ecclesiæ possunt?

XII. Neque enim parva res hæreticis et modica conceditur, quando a nobis baptisma eorum in acceptum refertur, cum inde incipiat omnis fidei origo, et ad spem vitæ æternæ salutaris ingressio, et purificandis ac vivificandis Dei servis divina dignatio. Nam si baptizari quis apud hæreticos potuit, utique et remissam peccatorum consequi potuit. Si peccatorum remissam consecutus est, et sanctificatus est, et templum Dei factus est, si sanctificatus est [a] si templum Dei factus est, quæro cujus Dei? Si creatoris, non potuit, quia in eum non credidit. Si Christi, nec hujus fieri potuit templum, qui negat Deum Christum. Si Spiritus sancti, cum tres unum sint, quomodo Spiritus sanctus placatus esse ei potest qui aut Filii aut Patris inimicus est?

XIII. Proinde frustra quidem qui ratione vincuntur consuetudinem nobis opponunt; quasi consuetudo major sit veritate, aut non id sit in spiritalibus sequendum quod in melius fuerit a sancto Spiritu revelatum. Ignosci enim potest simpliciter erranti, sicut de se ipso dicit beatus apostolus Paulus [b]: *Qui primo*, inquit, *fui blasphemus et persecutor et injuriosus; sed misericordiam merui, quia ignorans feci* (I *Tim.* II, 13). Post inspirationem vero et revelationem factam, qui in eo quod erraverat perseverat prudens et sciens, sine venia [c] ignorantiæ peccat. Præsumptione enim atque obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur. Nec quisquam dicat, quod accepimus ab Apostolis hoc sequimur, quando Apostoli non nisi unam Ecclesiam tradiderunt et Baptisma unum, quod non nisi in eadem Ecclesia sit constitutum, et neminem inveniamus ab Apostolis, cum apud hæreticos baptizatus esset, in eodem baptismo admissum esse et communicasse, ut videantur Apostoli baptisma hæreticorum probasse.

XIV. Quod enim quidam dicunt, quasi [d] ad hæreticorum suffragium pertineat quod dixerit apostolus Paulus, *Veruntamen omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur* (*Philip.* I, 18); invenimus hoc quoque ad eorum patrocinium qui hæreticis suffragantur et plaudunt nihil posse proficere. Neque enim de hæreticis aut de eorum baptismo loquebatur in Epistola sua Paulus, ut aliquid quod ad hanc rem pertineat posuisse ostendatur. Loquebatur de fratribus sive inordinate et contra ecclesiasticam disciplinam ambulantibus, sive evangelicam veritatem de Dei timore servantibus. Et quosdam ex eis posuit verbum Domini constanter atque intrepide locutos, quosdam vero in invidia [e] et dissensione versatos, quosdam servasse circa se benevolam charitatem, aliquos vero habuisse malevolam dissensionem, se tamen patienter omnia sustinere, dummodo sive in veritate sive per occasionem nomen Christi, quod Paulus prædicabat, ad plurimorum notitiam perveniret, et nova adhuc ac rudis sermonis seminatio loquentium prædicatione crebresceret. Porro aliud est eos qui intus Ecclesia sunt de nomine Christi loqui, aliud est eos qui foris sunt et contra Ecclesiam faciunt in nomine Christi baptizare. Quare qui hæreticis patrocinantur [f] non id proferant quod Paulus de fratribus posuit, sed ostendant [g] si hæretico aliquid concedendum putavit [h], aut si fidem et Baptisma eorum probavit, aut si perfidos et blasphemos remissionem peccatorum accipere extra [i] Ecclesiam posse constituit.

XV. Si autem quid Apostoli de hæreticis senserint consideremus, inveniemus eos in omnibus epistolis suis execrari et detestari hæreticorum sacrilegam pravitatem. Nam cum dicant sermonem eorum ut

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Et sanctificatus est, si sanctificatus est *Bod.* 1, 2. *Lin. Ebor. NC.* 1, 2. Et sanctificatus est *Oxon.*
[b] Beatus Apostolus *Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. NC.* 1, 2.
[c] Jam non in venia *Lin.*
[d] Dicunt quod quasi *Ebor. NC.* 1.
[e] Invidiæ dissensione *Lin.*
[f] Patrocinatur, non id proferat *Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. CN.* 1, 2. *Thu.*
[g] Ostendat *Lam. Bod.* 1, 2 *Ebor. NC.* 1, 2. *Thu.*
[h] Putavit, aut si fidem et baptisma eorum probavit *Lam. Lin. Bod.* 1, 2. *Ebor. NC.* 1, 2.
[i] Accipere contra Ecclesiam *NC.* 1. *Lin.*

## STEPH. BALUZII NOTÆ.

*Adulterari non potest.* Vide notas nostras ad Agobardum, pag. 45, et quæ nos dicimus de eo argumento in notis ad librum *de Unitate Ecclesiæ.*

*Si Ecclesiæ devoti.* Vetus Remigianus: *Nam si ista devotio Ecclesiæ est et in Ecclesia*, etc.

XII.— *Aut Filii aut Patris.* Ista in aliis editionibus transposita erant, haud dubie ex emendatione cujusdam critici propter ordinem personarum sanctissimæ Trinitatis. Indecens enim videbatur huic critico Filium nominari ante Patrem. Omnes libri veteres habent uti nos reposuimus.

XIII.—*Quasi consuetudo.* Multa istic ex Tertulliano, Arnobio et aliis dici possent de auctoritate consuetudinis. Afferam tantum locum sancti Hieronymi in calce Dialogi *adversus Luciferianos*, ubi sic legitur: *Legat Cypriani epistolas, in quibus apud Stephanum Romanæ urbis episcopum, inveteratæ consuetudinis lacerat errorem.* Respicit ad Epistolam LXXII quæ scripta est ad Stephanum. Puto autem respexisse etiam ad epistolam quam Crescens episcopus Cirtensis in concilio Carthaginensi, pag. 531, commemorat scriptam ad Stephanum, quæ nunc non extat, in qua varia extabant testimonia ex Scripturis deiticis descendentia adversus sententiam Stephani de Baptismo hæreticorum.

*Ignorans feci.* In libro Fuxensi additur *credens nondum.* Sed illud alibi non inveni. Respondet istud ei quod refertur ex Epistola I ad Timotheum, *quod ignorans feci in incredulitate.*

XIV.—*Patrocinantur.* In undecim libris nostris et in sex Anglicanis scriptum est: *Quare qui hæreticis patrocinatur, non id proferat quod Paulus de fratribus posuit, sed ostendat.*

Digitized by Google

cancer serpere (II *Tim.*, II, 17), quomodo potest is sermo dare remissam peccatorum qui ut cancer serpit ad aures audientium? Et cum dicant nullam participationem esse justitiæ et iniquitati, nullam communionem lumini et tenebris (II *Cor.* VI, 14), quomodo possunt aut tenebræ illuminare aut [a] iniquitas justificare? Et cum dicant de Deo eos non esse, sed esse de antichristi spiritu (I *Joan.* IV, 3), quomodo gerunt spiritalia [b] et divina qui sunt hostes Dei, et quorum pectora obsederit spiritus antichristi? Quare si rejectis [c] humanæ contentionis erroribus ad evangelicam auctoritatem atque ad apostolicam traditionem sincera et religiosa fide revertamur, intelligemus nihil eis ad gratiam ecclesiasticam et salutarem licere qui spargentes atque impugnantes Ecclesiam Christi, a Christo ipso adversarii, ab Apostolis vero ejus antichristi nominantur [d].

XVI. Non est autem quod aliquis ad circumveniendam christianam veritatem Christi nomen opponat ut dicat, In nomine Jesu Christi ubicumque et quomodocumque baptizati gratiam Baptismi sunt consecuti, quando ipse Christus loquatur et dicat, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum* (*Matt.* VII, 21), et iterum præmoneat atque instruat ne quis a pseudoprophetis et pseudochristis in nomine suo facile fallatur, *Multi*, inquit, *venient in nomine meo dicentes. Ego sum Christus, et multos fallent*, et postea addidit dicens : *Vos autem cavete. Ecce prædixi vobis omnia* (*Marc.* XIII, 6). Unde apparet non ea statim suscipienda et assumenda quæ jactantur in nomine Christi, sed quæ gerantur in Christi veritate.

XVII. Quod enim in evangeliis et in Apostolorum epistolis Jesu Christi nomen insinuatur ad remissionem peccatorum, non ita est quasi aut sine Patre aut contra Patrem prodesse cuiquam solus filius possit, sed ut Judæis, qui jactitabant se patrem habere, os tenderetur quod nihil eis Pater profuturus esset, nisi in Filium crederent, quem ille misisset. Nam qui Deum Patrem creatorem sciebant, Filium quoque Christum scire debebant, ne sibi blandirentur et plauderent de solo Patre sine Filii ejus agnitione, qui et dicebat : *Nemo venit ad Patrem nisi per me* (*Joan.* XIV, 6). Duorum autem cognitionem esse quæ salvet idem ipse manifestat dicens : *Hæc est autem vita æterna ut cognoscant te solum et verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.*, XVII, 3). Cum ergo ex ipsius Christi prædicatione et contestatione Pater ante cognoscendus sit, qui misit, tunc deinde Christus, qui missus est, nec possit esse spes salutis nisi duobus simul cognitis, quomodo non cognito immo et blasphemato Deo Patre, qui apud hæreticos Christi nomine baptizati dicuntur, peccatorum remissam consecuti judicantur? Alia enim fuit Judæorum sub Apostolis ratio, alia est gentilium conditio. Illi, quia jam legis et Moysi antiquissimum baptisma fuerant adepti, in nomine quoque Jesu Christi erant baptizandi, secundum quod in Actis Apostolorum Petrus ad eos loquitur et dicit : *Pœnitemini, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus sancti. Vobis enim est hæc promissio et filiis vestris et omnibus deinceps quoscumque advocaverit Dominus Deus noster* (*Act.* II, 38). Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur.

XVIII. Denique ubi post resurrectionem a Domino Apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizare gentiles jubentur. Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam immo et contra Ecclesiam, modo in nomine Jesu Christi, ubicumque et quomodocumque gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena et adunata Trinitate. Nisi si qui Christum negat negatur a Christo, qui Patrem ejus negat, quem ipse Christus confessus sit, non negatur, et qui in eum blasphemat quem Christus Dominum et Deum suum dixerit, remuneratus a Christo remissionem peccatorum et Baptismi sanctificationem consequitur. Qua autem potestate consequi in baptismo remissionem peccatorum potest negans Deum creatorem patrem Christi, quando ipsam potestatem qua baptizamur et sanctificamur ab eodem Patre Christus acceperit; quem majorem dixerit, a quo clarificari petierit, cujus voluntatem usque ad obsequium bibendi calicis et subeundæ mortis impleverit? Quid est igitur aliud quam participem hæreticis blasphemantibus fieri, defendere velle et asserere quod remissam peccatorum accipere in Christi nomine possit blasphemans graviter et peccans in Patrem et Dominum et Deum Christi? Quid deinde illud quale est ut qui Filium Dei

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Aut iniquitates *Bod.* 1. *Thu.*
[b] *Sic Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2. *Ebor. Lin.* Qui tractant *Oxon.*
[c] Si relictis *Lam, Ebor. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2.
[d] Nominentur *Bod.* 1, 2.

## STEPH. BALUZII NOTÆ.

XV. — *Et divina.* In editione Erasmi, quæ omnium prima est, legitur : *Quomodo spiritualia et divina tractant.* Postea Manutius, quem secuti sunt posteriores editores, posuit *Quomodo gerunt spiritalia aut divina tractant?* Manifestum est delendam esse vocem *gerunt* aut vocem *tractant.* Itaque cum quatuordecim libri nostri et sex Anglicani non agnoscant vocem *tractant*, eam sustulimus.

*Rejectis.* Tres libri nostri et sex Anglicani habent *relictis.*

*Sincera et religiosa.* Editio Morelliana et tres libri veteres, *sincera et vera et religiosa.*

XVI. — *Ubicumque et quomodocumque.* Hæc est vera lectio, quæ rursum reperitur infra in hac ipsa epistola. Putarunt autem Angli hæc verba esse Stephani, qua infra, ut illi aiunt, traducuntur a Cypriano. Poterant addere ea vere imputari Stephano in Epistola Firmiliani, pag. 148.

Digitized by Google

negat, neque Patrem habeat, et qui Patrem negat, Filium habere videatur, cum Filius ipse contestetur et dicat, *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit illi datum a Patre* (*Joan.* VI, 65); ut manifestum sit nullam remissionem peccatorum in Baptismo accipi a Filio posse quam constet Patrem non dedisse, maxime quando adhuc idem repetat et dicat : *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis eradicabitur* (*Matth.* XV, 13).

XIX. Quod si Christi discipuli discere a Christo nolunt quantum venerationis et honoris paterno nomini debeatur, vel de exemplis terrenis ac sæcularibus discant et sciant Christum non sine maxima exprobratione posuisse : *Filii sæculi hujus prudentiores sunt filiis lucis* (*Luc.* XVI, 8). In sæculo isto si cujus patri aliquis convicium fecerit, si contumeliosus ac procax pudorem ejus et honorem maledico ore laceraverit, indignatur filius et irascitur, et læsi patris injuriam quibus potest viribus vindicare conatur. Tu Christum putas impiis et sacrilegis et in Patrem suum blasphemis impunitatem dare et eis in Baptismo peccata dimittere quos constet baptizatos eadem adhuc in personam Patris maledicta congerere et incessabili blasphemantis linguæ scelere peccare? Hoc Christianus, hoc Dei servus potest aut mente concipere aut fide credere aut sermonem proferre? Et ubi erunt legis præcepta divinæ, quæ dicunt, *Honora patrem et matrem* (*Exo.* XX, 12), si vocabulum patris quod in homine honorari præcipitur in Deo impune violatur? Ubi erit quod ipse Christus in Evangelio ponit et dicit, *Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur* (*Matth.* X, 4), si is qui maledicentes parentibus carnalibus puniri et interfici mandat, in cœlestem et spiritalem patrem maledicos atque ecclesiæ matris inimicos ipse vivificat? Execranda ac detestanda res a quibusdam prorsus asseritur, ut is qui blasphemantem in Spiritum sanctum reum futurum peccati æterni comminatur, idem in Patrem Deum blasphemos salutari Baptismo sanctificare dicatur. Et nunc qui talibus ad Ecclesiam venientibus sine Baptismo communicandum existimant, non putant se alienis, immo æternis peccatis communicare, admittentes sine Baptismo eos qui non nisi in Baptismo possint blasphemiarum suarum peccata deponere.

XX. Quam vanum est porro et perversum ut cum ipsi hæretici, repudiato et relicto vel errore vel scelere in quo prius fuerant, agnoscant Ecclesiæ veritatem, nos veritatis ejusdem jura et sacramentum mutilemus, et venientibus ac pœnitentibus dicamus eos remissionem peccatorum consecutos esse, quando illi et se peccasse et propter hoc ad Ecclesiæ indulgentiam venire fateantur? Quare Ecclesiæ catholicæ

## STEPH. BALUZII NOTÆ.

XIX.—*Sine baptismo communicandum.* In codic Lamonii scriptum est *sine pœnitentiæ baptismo*, in Epistola LXXIV *ad Pompeium*, p. 198 : *Baptizari in manum pœnitentiæ in Ecclesia voluit* : et in Epistola LXXVI *ad Magnum*, p. 151 ; *sanctificari in Ecclesia catholica et vero et unico pœnitentiæ Baptismo.* Sane Tertullianus in libro *de Baptismo* et in libro *de Pœnitentia* dixit Baptismum et intinctionem Pœnitentiæ, sed diverso, ut videtur, sensu. Quod examinabunt viri docti et curiosi antiquitatis ecclesiasticæ. Atque, ut facilius exercere in hoc possint suam industriam, apponam istic omnia loca in quibus istiusmodi variæ lectiones, quas alibi non inveni, occurrunt in libro Lamonii. Pertinent autem omnes ad concilium Carthaginense. In allocutione igitur Cypriani p. 329, scriptum est, *Ecclesiæ Baptismo Pœnitentiæ baptizari.* Cæcilius a Bilta ait, p. 330 : *Sine Pœnitentiæ baptismo ac venia delictorum communicare compellitur.* Primus a Misgirpa, ibidem : *Censeo omnem hominem ab hæresi venientem Baptismo pœnitentiæ baptizandum.* Novatus a Thamugade, ibidem, *debere eos baptismo pœnitentiæ baptizari* Et paulo post : *Hæreticos qui ad Ecclesiam conversi sunt pœnitentiæ baptizari.* Nemesianus a Thubunis ibidem : *Male ergo sibi quidam interpretantur ut dicant per manus impositionem tantum et non cum pœnitentia Spiritum sanctum accipiant.* Et infra : *Nisi ergo acceperint Baptismum pœnitentiæ in Ecclesia catholica.* Januarius a Lambese p. 331 : *Decerno hæreticos omnes baptizandos pœnitentiæ manu.* Lucius a Castro Gallæ, ibidem : *Eos qui a contrariis baptizati inquinati sunt, primo purgari et simul pœnitentiæ baptizari.* Crescens a Cirta, ibidem : *Censeo omnes hæreticos et schismaticos qui ad catholicam Ecclesiam voluerint venire, non antea ingredi nisi exorcizati manu pœnitentiæ.* Nicomedes a Segermis, ibidem : *Mea sententia hæc est, ut hæretici ad Ecclesiam venientes baptizentur in pœnitentia et quod nullam foris.* Mummulus a Girba, ibidem : *Renasci et baptizari in manu pœnitentiæ, ut cancer.* Secundinus a Cedias, p. 332 : *Eos qui confugiunt ad Ecclesiam pœnitentia baptizandos esse.* Pollianus a Mileo, ibidem : *Justum est hæreticum baptizari pœnitentia in Ecclesia sancta.* Dativus a Badis, ibidem : *Nos quantum in nobis est hæretico non communicamus, nisi baptizatus pœnitentia in Ecclesia fuerit.* Successus ab Abbir Germaniciana, ibidem : *Censuimus hæreticos pœnitentiæ baptizandos esse.* Sedatus a Tuburbo, ibidem : *Singulare et verum Ecclesiæ baptismum per pœnitentiæ manum retractet accipere.* Cassius a Macomadibus, ibidem : *Censeo itaque flebiles et tabidos hæreticos baptizandos in pœnitentia esse.* Januarius a Vico Cæsaris, p. 333 : *Eos quos Ecclesia non baptizavit per pœnitentiam baptizemus.* Felix ab Uthina, ibidem : *Sanctificatione lavacri pœnitentiæ purgata.* Euchratius a Thenis, ibidem : *Integro et catholico baptismate pœnitentiæ baptizari debere.* Adelphius a Thasvalte, p. 334 : *Quando Ecclesia hæreticos non rebaptizet, sed per manum baptizet* Marcus a Mactari, ibidem : *Propterea decrevimus hæreticos baptizandos esse per manus impositionem.* Aurelius ab Utica, p. 335 : *Et ideo censeo baptizandos in manu pœnitentiæ, ut accipiant remissionem peccatorum.* Lucianus a Rucuma, ibidem : *Propterea censeo hæreticos baptizandos per manus impositionem esse.* Jader a Midila, ibidem : *Et ideo non debemus admittere hæreticum nisi per manus impositionem, ne se putet.* Marcellus a Zama, p 336 : *Hæreticum non pœnitentiæ baptizet.* Geminius a Furnis, ibidem : *Et ideo quod semel decrevimus tenemus ut hæreticos venientes in pœnitentia baptizemus.* Felix a Buslacenis, ibidem : *In hæreticis sine pœnitentiæ baptismo admittendis.* Donatulus a Capse, ibidem : *Quando ad Ecclesiam convertuntur manu pœnitentiæ baptizentur.* Petrus ab Hippone Diarrhytorum, p. 337 : *Et ideo in hæresi tinctos sive in schismate venientes ad Ecclesiam censeo baptizari in pœnitentia oportere.* Lucius ab Ausafa, ibidem : *Et eos qui veniunt in Ecclesiam in pœnitentia baptizandos esse* Felix a Gurgitibus, ibidem : *Gratiam baptismi per manus impositionem ubi licet consequantur.* Victor ab Octavo, ibidem : *Ut quicumque ab hæresi venerint sine dubio pœnitentiæ baptizentur.* Julius a Neapoli, p. 338 : *Hæreticos venientes ad Ecclesiam pœnitentiæ manu baptizemus.* Cyprianus a Carthagine, ibidem : *Unico Ecclesiæ manu pœnitentiæ benedictionis baptismo baptizandos.*

Digitized by Google

fidem ac veritatem frater charissime, et tenere debemus firmiter, et docere, et per omnia evangelica et apostolica præcepta rationem divinæ dispositionis atque unitatis ostendere.

XXI. Numquid potest vis Baptismi esse major aut potior quam confessio, quam passio, ut quis coram hominibus Christum confiteatur et sanguine suo baptizetur? Et tamen neque hoc Baptisma hæretico prodest, quamvis Christum confessus et extra Ecclesiam fuerit occisus; nisi si hæreticorum patroni et advocati hæreticos in falsa confessione Christi interfectos martyres prædicant et contra Apostoli contestationem, qui nihil eos, quamvis exustos et occisos, dicit posse proficere (I *Cor.* XIII, 3), gloriam eis et coronam passionis assignant. Quod si hæretico nec Baptisma publicæ confessionis et sanguinis proficere ad salutem potest, quia salus extra Ecclesiam non est, quanto magis ei nihil proderit, si in latebra et in latronum spelunca adulteræ aquæ contagione tinctus, non tantum peccata antiqua non exposuerit, sed adhuc potius nova et majora cumulaverit? Quare Baptisma nobis et hæreticis commune esse non potest, cum quibus neo Pater Deus, nec Filius Christus, nec Spiritus sanctus, nec fides, nec Ecclesia ipsa communis est. Et ideo baptizari eos oportet qui de hæresi ad Ecclesiam veniunt; ut qui legitimo et vero atque unico sanctæ Ecclesiæ Baptismo ad regnum Dei regeneratione divina præparantur, sacramento utroque nascantur, quia scriptum est: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu non potest intrare in regnum Dei* (*Joan.* III, 5).

XXII. Quo in loco quidam, quasi evacuare possint humana argumentatione prædicationis evangelicæ veritatem, catechuminos nobis opponunt, si quis ex his, antequam in Ecclesia baptizetur, in confessione nominis apprehensus fuerit et occisus, an spem salutis et præmium confessionis amittat, eo quod ex aqua prius non sit renatus. Sciant igitur hujusmodi homines suffragatores et fautores hæreticorum catechuminos illos primo integram fidem et Ecclesiæ veritatem tenere et ad debellandum diabolum de divinis castris cum plena et sincera Dei Patris et Christi et Spiritus sancti cognitione procedere, deinde nec privari Baptismi sacramento, utpote qui baptizentur gloriosissimo et maximo sanguinis Baptismo, de quo et Dominus dicebat habere se aliud baptisma baptizari (*Luc.* XII, 50). Sanguine autem suo baptizatos et passione sanctificatos consummari et divinæ pollicitationis gratiam consequi declarat in Evangelio idem Dominus, quando ad latronem in ipsa passione credentem et confi-

## STEPH. BALUZII NOTÆ.

XX. — *Dispositionis.* Antea legebatur *dispensationis.* Mutare coacti sumus, propter auctoritatem tredecim librorum nostrorum et septem Anglicanorum. Vulgatam lectionem non inveni nisi in uno. Remigianus habet *disputationis*, manifesto errore. Infra in epistola LXXIV, pag. 139, legitur *humanam traditionem divinæ dispositioni anteponere.*

XXI. — *Sanguine suo baptizetur.* De baptismo sanguinis insignis est locus in libro Tertulliani *de Baptismo*; item apud Rufinum in *Expositione Symboli.* De hac materia plures disseruerunt.

*Hæretico prodest.* Rursum istud mutare habuimus, propter consensum veterum exemplarium nostrorum et sex Anglicanorum. Et hanc quoque lectionem probat Pamelius in suis annotationibus. Confirmant autem illam ea quæ mox sequuntur. Vitio non caret hoc argumentum quo sæpe utitur Cyprianus. Heic enim maxime valent adhibita a S. Augustino in libris *de Baptismo* rationum momenta, cum manifestum et perspicuum sit nihil a Cypriano de hæreticis et schismaticis dici quod non pariter dici possit de iis qui in ipsa Ecclesia occultam hæresim fovent. Iis enim nec baptismus sanguinis proderit nisi errorem deponant.

*Proficere ad salutem.* Unus Remigianus: *Ad salutem prodesse potest quia salus extra Ecclesiam esse non potest.* Ita etiam ferme Divionensis.

XXII. — *Ex aqua prius.* Codex Eligianus, *eo quod ex aqua et Spiritu prius non sit renatus.*

*Ecclesiæ veritatem.* Sic edidit Erasmus. Ita etiam vidi scriptum in trederim exemplaribus nostris et in sex Anglicanis. Infra in hac ipsa epistola, *nisi prius venerint ad Ecclesiæ veritatem.* Hanc lectionem confirmant alia quoque Cypriani loca.

*Quando ad latronem.* Citat hunc locum sanctus Augustinus lib. IV, cap. 22, *de unico Baptismo, adversus Donatistas.* Hunc latronem quidam vocant martyrem, quia Christum confessus est, qui ei morienti pollicitus est paradisum. Fuit sane martyr, id est testis passionis Christi. Hieronymus in epistola ad Paulinum de Institutione monachi: *E contrario latro crucem mutat paradiso et facit homicidii pœnam martyrium.* Avitus episcopus Viennensis, epist III: *Horum igitur unus latronum longi sceleris vitam brevis compendii fine permutans ex interfectore medicus, martyr ex fure.* Et epist. IV: *Latro ille pro subsecuta confessione additur paradiso, per injustum deductus est æquum ut de justa raperet morte martyrium.* Eadem fuit opinio auctoris libri *de cardinalibus Christi Operibus*, qui vulgo edi solet cum operibus Cypriani. Ait enim de latrone loquens: *Pœnam mutavit in martyrium;* et infra: *Factus est particeps regni, per confessionem factus collega martyrii.* Humbertus cardinalis, episcopus Sylvæ-Candidæ, lib. II, *adversus Simoniacos*, cap. 42, ait latronem illum qui agnovit Christum, ex pœna latronis meritum esse triumphum martyrii. Cæsarius Heisterbachcensis, lib. VIII, cap. 64: *Causa, non pœna, facit martyres. Duo enim latrones Christo affixi sunt hinc et inde: unus martyr effectus est propter virtutem confessionis, alteri pœna sua fuit initium æternæ damnationis.* Vide etiam glossam capitis *Importuno*, dist. I, *de Pœnitentia*, et Rutilium Benzonium, lib. II, cap. 43, *de Anno Jubilæi.* Fuere tamen qui negarent istum honorem ei tribui posse, quia, ut ait Hugo archiepiscopus Rothomagensis, lib. V, cap. 9 *Dialogorum* suorum, neque Baptismo regeneratus erat, nec causa Christi in cruce fuerat affixus. Unde sequebatur illum non esse martyrem. Et tamen Rupertus lib. III, *in Evangelium Joannis*, videtur existimasse illum baptizatum fuisse in aqua quæ fluxit de latere Christi. R. P. Edmundus Martene in descriptione *Itineris sui per Gallias*, pag. 24, testatur singulis annis celebrari missam de sancto Latrone in ecclesia Bituricensi in die sabbati sancti. Reliquias sancti latronis exstitisse olim et fortassis adhuc exstare in ecclesia Carcassonensi docet vetus inventarium reliquiarum quæ in ea servabantur, editum a Gerardo de Vic in Chronico episcoporum Carcassonensium. Petrus a Valle, patricius Romanus, in epistola XIII peregrinationum suarum tradit ostensum sibi fuisse haud procul Rama vicum quemdam ex quo ortus erat bonus latro qui crucifixus est cum Christo.

Digitized by Google

tentem loquitur et quod secum futurus sit in paradiso pollicetur. Quapropter qui fidei et veritati præsumus, eos qui ad fidem et veritatem veniunt, et agentes pœnitentiam remitti sibi peccata deposcunt, decipere non debemus et fallere, sed correctos a nobis ac reformatos ad regnum cœlorum disciplinis cœlestibus erudire.

XXIII. Sed dicit aliquis : Quid ergo fiet de his qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes sine Baptismo admissi sunt? Potens est Dominus misericordia sua indulgentiam dare et eos qui ad Ecclesiam simpliciter admissi, in Ecclesia dormierunt, ab Ecclesiæ suæ muneribus non separare. Non tamen quia aliquando erratum est, ideo semper errandum est, cum magis sapientibus et Deum timentibus congruat patefactæ et perspectæ veritati libenter atque incunctanter obsequi quam pertinaciter atque obstinate contra fratres et consacerdotes pro hæreticis reluctari.

XXIV. Nec quisquam existimet hæreticos, eo quod illis baptisma opponitur, quasi secundi baptismi vocabulo scandalizatos ut ad Ecclesiam veniant retardari. Immo vero hoc ipso magis ad necessitatem veniendi testimonio ostensæ sibi et probatæ veritatis adiguntur : nam si viderint judicio ac sententia nostra id decerni et statui ut baptisma justum et legitimum computetur quo illic baptizantur, putabunt se Ecclesiam quoque et cætera Ecclesiæ munera juste et legitime possidere ; nec erit causa veniendi ad nos, quando, habentes baptisma, habere videantur et cætera. Porro autem, cum cognoscunt baptisma nullum foris esse nec remissam peccatorum extra Ecclesiam dari posse, avidius ad nos et promptius properant et munera ac dona Ecclesiæ matris implorant, certi pervenire se omnino non posse ad veram divinæ gratiæ pollicitationem nisi prius venerint ad Ecclesiæ veritatem : nec recusabunt baptizari apud nos hæretici legitimo et vero Ecclesiæ baptismo, quando ex nobis didicerint baptizatos quoque a Paulo eos qui jam baptismo Joannis baptizati fuis ent, sicut legimus in Actibus Apostolorum (*Act.* XIX).

XXV. Et nunc apud quosdam de nostris hæreticorum baptisma occupatum asseritur, et invidia quadam quasi rebaptizandi baptizare post hostes Dei nefas ducitur, cum baptizatos inveniamus quos Joannes baptizaverat, ille Joannes major inter prophetas habitus, ille divina gratia adhuc in utero matris impletus, ille Heliæ spiritu et virtute subnixus, qui non adversarius Domini, sed præcursor ac prædicator fuit, qui Dominum nostrum non tantum verbis prænuntiavit, sed et oculis ostendit, qui ipsum Christum, per quem baptizantur cæteri, baptizavit. Quod si idcirco hæreticus jus baptismi obtinere potuit quia prior baptizavit, non possidentis erit jam baptisma, sed occupantis ; et cum separari a se et dividi omnino non possint baptisma et Ecclesia, qui occupare baptisma prior potuit, et Ecclesiam pariter occupavit, et incipis tu illi hæreticus videri qui præventus posterior esse cœpisti, qui cedendo ac manus dando jus quod acceperas reliquisti. Quam periculosum sit autem in divinis rebus ut quis cedat jure suo et potestate Scriptura sancta declarat, cum in Genesi Esau primatus suos inde perdiderit, nec recipere id postmodum potuerit quod semel cessit (*Gen.* XXV; *Hebr.*, XII, 16).

XXVI. Hæc tibi breviter, pro nostra mediocritate, rescripsimus, frater charissime, nemini præscribentes aut præjudicantes quominus unusquisque episcoporum quod putat faciat, habens arbitrii sui liberum potestatem. Nos, quantum in nobis est, propter hæreticos cum collegis et coepiscopis nostris non contendimus,

## STEPH. BALUZII NOTÆ.

*Fidei et veritati præsumus.* Hanc lectionem præferunt editiones Manutii et Morellii et novem libri veteres. Erasmus et alii quinque libri veteres : *qui fide et veritate præsumimus.* Unus meus : *qui de fidei veritate præsumimus.*

XXIV. — *Baptisma opponitur.* Ita Erasmus et quatuordecim libri veteres. Manutius posuit BAPTISMATA litteris majusculis. Quo etiam modo scriptum vidi in Fuxensi. Editionem Manutii scio placuisse viris doctis. Et nihilominus ego puto falsam esse. Nuspiam enim apud Cyprianum, qui multis in locis disputat adversus baptisma hæreticorum, nuspiam, inquam, inveniri in eo sensu vocem *baptismata* certum est. In epistola LXXI : *Nam, cum duo baptismata esse non possunt, si hæretici vere baptizant, ipsi habent baptisma.* Et in epistola LXXIV scribens adversus papam Stephanum, qui baptisma hæreticorum probabat, ait : *Omnium hæreticorum baptismata justa et legitima judicavit.* Hieronymus in caput quartum epistolæ ad Ephesios : *Unum baptisma et contra Valentinum facit, qui duo baptismata esse contendit, et contra omnes hæreticos, ut sciant non habere se baptismata, sed in una Christi Ecclesia fontem esse vitalem.*

*Avidius.* Ita editiones Manutii et Morellii et decem libri veteres. Erasmus et codex Corbeiensis habent *audacius.* Pro eo autem quod editiones et iidem libri veteres præferunt *promptius*, unus meus habet *pernicius.*

*Veritatem.* Ita quatuordecim libri veteres pro eo quod editiones habent *unitatem.* Vide quæ paulo ante dicta sunt in simili causa. Contra apud Jonam Aurelianensem de Cultu Imaginum, pag. 24 editionis Plantinianæ ; legendum esse *unitatem* pro *veritatem* probat codex antiquissimus et optimus.

XXV. — *Inter Prophetas.* Unus codex regius, *inter natos mulierum et Prophetas.* At sanctus Augustinus, qui locum istum describit in libro quarto, cap. 12, de Baptismo adversus Donatistas, non habet *natos mulierum et*, quæ desunt etiam in omnibus allis veteribus libris.

*Tu illi hæreticus.* Salvianus lib. v, cap. 2. *Hæretici ergo sunt, sed non scientes. Denique apud nos sunt hæretici, apud se non sunt. Nam in tantum se catholicos esse judicant ut nos ipsos titulo hæreticæ appellationis infament.*

XXVI. — *Hæc tibi breviter.* Supra in calce epistolæ ad Donatum, pag. 7 *Hæc interim brevibus, Donate charissime.* Ita Erasmus et Morellius et decem libri veteres. Alii quinque *brevius.* Apud sanctum Augustinum, qui satis frequenter refert hunc locum, scriptum est semper *breviter.* Antiqui dicebant *brevi* pro *breviter*, ut notat Charisius. Cujus modi scribendi plura extant exempla apud Ciceronem et alibi. Vide Lambini annotationes in orationem Ciceronis pro Plancio.

*Nemini... præjudicantes.* Hieronymus, lib. I, adversus Rufinum : *Nemini præjudicantes sequi quod velit, nec alterius decretum nostra sententia subvertentes.*

Digitized by Google

cum quibus divinam concordiam et dominicam pacem tenemus; maxime cum et Apostolus dicat : *Si quis autem putatur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei* (I *Cor.* XI, 16). Servatur a nobis patienter et leniter charitas animi, collegii honor, vinculum fidei, et concordia sacerdotii. Propter hoc etiam libellum nunc de Bono Patientiæ, quantum valuit nostra mediocritas, permittente Domino et inspirante, conscripsimus, quem ad te pro mutua dilectione transmisimus. Opto te, frater charissime, semper bene valere.

## EPISTOLA

### S. CYPRIANI AD POMPEIUM CONTRA EPISTOLAM STEPHANI DE HÆRETICIS BAPTIZANDIS.

(Erasm. p. 332 Pamel. Rigalt. Baluz. Oxon. Lips. LXXIV.)

ARGUMENTUM *hujus Epistolæ istud est apud D. August., libr.* V, *contra Donatist., cap.* 23. « *Ad Pompeium, inquit, etiam scribit Cyprianus de hac eadem re; ubi aperte indicat Stephanum, quem Romanæ Ecclesiæ episcopum tunc fuisse didicimus, non solum sibi ad ista non consensisse, verum etiam contra scripsisse atque præcepisse.* » *De qua rursum cap.* 25 : « *Jam illa quæ in Stephanum iratus effudit, retractare nolo, quia et opus non est. Eadem quippe ipsa dicuntur quæ jam satis discussa sunt; et ea præterire melius est, quæ periculum perniciosæ dissensionis habuerunt. Stephanus autem et abstinendos putaverat qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur. Iste autem quæstionis ipsius difficultate permotus, et sanctis charitatis visceribus largissime præditus, in unitate eis manendum qui diversa sentirent. Ita, quamvis commotius sed tamen fraterne indigneturi vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali discrepatione nullum inter eos malum schismatis oriretur.* » *Hactenus ille; quæ prolixius citavimus, eo quod antidoti sint loco, adversus eos qui hinc schisma suum a Romano Pontifice confirmare nituntur.*

I. Cyprianus Pompeio fratri salutem. Quamquam plene ea quæ de hæreticis baptizandis dicenda sunt complexi sumus in epistolis quarum ad te exempla transmisimus, frater charissime, tamen quia desiderasti in notitiam tuam perferri quid mihi ad litteras nostras Stephanus frater noster rescripserit, misi tibi rescripti ejus exemplum : quo lecto, magis ac magis ejus errorem denotabis, qui hæreticorum causam contra Christianos et contra Ecclesiam Dei asserere conatur. Nam inter cætera vel superba, vel ad rem non pertinentia, vel sibi ipsi contraria, quæ imperite atque improvide scripsit, etiam illud adjunxit ut diceret : *Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad vos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi im-*

## STEPH. BALUZII NOTÆ.

*Putatur contentiosus.* Quinque libri veteres, *putaverit contentiosus esse.* Aii quatuor, cum aliquo tamen levi discrimine, *putaverit contentiosum se esse.* Unus meus, *putat contentiosum se esse.*

*Leniter.* Ita sanctus Augustinus, lib. IV. *de Baptismo* contra Donatistas, cap. 8, et lib. V, cap 17. Ita etiam editio Morellii, decem libri nostri, et septem Anglicani. Erasmus, Manutius, et codex Corbeiensis, *firmiter.*

*Libellum de Bono Patientiæ.* Refert hunc locum sanctus Augustinus, lib. IV, *de Baptismo* contra Donatistas, cap. 8, et lib. V, cap. 16.

*Nunc.* Hoc vocabulum, quod in posterioribus editionibus exciderat, cum habeatur in editionibus Erasmi et Morellii, nos revocavimus ex fide tredecim exemplarium nostrorum et quatuor Anglicanorum. Idem vocabulum, quod a Lovaniensibus quoque omissum erat, sancto Augustino reddiderunt doctissimi viri quibus debemus novam operum ejus editionem.

EPIST. LXXIV. — Hanc epistolam, quæ primo edita est ab Erasmo, citant sanctus Augustinus lib. V, *de Baptismo, adversus Donatistas*, cap. 23; et lib. VI, cap. 7; et Facundus, lib. X, cap. 3, in libro *contra Mocianum.*

I. — *Pompeio.* Episcopo Sabratensi in provincia Tripolitana. Interfuit concilio Carthaginensi sub Cypriano. Concilio Cabarsussitano et Bagaiensi interfuit Donatus, episcopus Sabratensis. In collatione prima Carthaginensi, c. 133, nominatur Nados episcopus Sabratensis. Vide editionem nostram istius collationis, pag. 215.

*Stephanus frater.* In uno codice regio scriptum est *pater.* Et infra in libro Compendiensi et in uno meo *Stephano patre nostro*, pari errore quo factum est ut in Epistola sancti Gregorii Papæ ad *Victorem, episcopum Panormitanum*, lib. VII, indict. I, epist. 26, scriptum est in codice Floriacensi : *Oportet ut Paternitas Vestra*, cum vulgo recte legatur *Fraternitas Vestra.* R. P. Harduinus in tomo secundo editionis suæ Conciliorum, pag. 1203, tradit Epistolam concilii Milevitani ad *Innocentium Papam* habere in codice Justelli *reverendissimo patre Innocentio* Si hæ scripturæ non essent falsæ, habuisset Gregorius Papa IV aliquam justam causam conquerendi de episcopis Gallicanis, qui Romano pontifici scribentes illum vocaverant fratrem, *dum congruentius esset*, inquit, *solam ei reverentiam paternam exhibere.* Inter Epistolas Adriani Papæ IV reperitur una in qua Imperatorem Fridericum arguit quod ad eum scribens suum nomen præposuerit nomini Papæ, *in quo insolutiæ, ne dicam arrogantiæ, notam incurris.* Illa porro Gregorii IV epistola exstat apud Agobardum, et putabatur esse Agobardi, donec vir illustrissimus Petrus de Marca ostendit illam esse Gregorii, sub cujus nomine edita a nobis est inter opera Agobardi. Tum vero R. P. Labbeus illam in appendice tomi septimi Conciliorum posuit, et monuit exstare apud Agobardum. Et tamen R. P. Harduinus in tomo quarto editionis suæ, pag. 1275, suppresso nomine Agobardi, monuit se illam edere ex bibliotheca Floriacensi, ubi non exstat. Vide notas ad *Epistolam* XLI, pag. 429.

*Superba.* Erasmus, tres libri nostri, quatuor Anglicani præferunt *supervacua.* In uno regio legitur *ad superbiam.* Lectionem nostram habent cætera exemplaria.

*Si quis ergo.* Verba sunt ex epistola Papæ Stephani relata supra in epistola ad Pompeium, pag. 138.

*Ad vos.* Antea legebatur *ad nos.* Retinuimus lectionem septem veterum exemplarium. Constat quippe ex initio istius epistolæ et ex commonitorio Vincentii Lirinensis epistolam Stephani missam fuisse ad Africam. Vide notas nostras ad Vincentium, pag. 445, 447.

*Nihil innovetur.* Cælestini Papæ epistola ad episcopos Galliarum : *Desinat incessere novitas vetustatem.* Tertullianus in libro de Virginibus velandis : *Hæreses, non tam novitas quam veritas revincit.* Optatus, lib. VII, dixit *novitatem quærere in visceribus vetustatis.*

Digitized by Google

*ponatur in pœnitentiam, cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.*

II. A quacumque hæresi venientem baptizari in Ecclesia vetuit, id est, omnium hæreticorum baptismata justa esse et legitima judicavit. Et cum singulæ hæreses singula baptismata et diversa peccata habeant, hic cum omnium baptismo communicans universorum delicta in sinum suum coacervata congessit. Et præcepit nihil aliud innovari nisi quod traditum est; quasi is innovet qui unitatem tenens, unum baptisma uni Ecclesiæ vindicat, et non ille utique qui unitatis oblitus mendacia et contagia profanæ tinctionis usurpat. *Nihil innoretur*, inquit, *nisi quod traditum est.* Unde est ista traditio? Utrumne de dominica et evangelica auctoritate descendens, an de Apostolorum mandatis atque epistolis veniens? Ea enim facienda esse quæ scripta sunt Deus testatur et præmonet ad Jesum Nave dicens : *Non recedet liber legis hujus ex ore tuo, sed meditaberis in eo die ac nocte, ut observes facere omnia quæ scripta sunt in eo* (*Josue* I, 8) Item Dominus Apostolos suos mittens mandat baptizari Gentes et doceri ut observent omnia quæcumque ille præcepit (*Matth.* XXVIII, 19, 20). Si ergo aut in Evangelio præcipitur aut in Apostolorum epistolis vel actibus continetur ut a quacumque hæresi venientes non baptizentur, sed tantum manus illis imponatur in pœnitentiam, observetur divina hæc et sancta traditio. Si vero ubique hæretici nihil aliud quam adversarii et antichristi nominantur, si vitandi et perversi et a semetipsis damnati pronuntiantur, quale est ut videantur damnandi a nobis non esse quos constat apostolica contestatione a semetipsis damnatos esse? Ut nemo infamare Apostolos A debeat, quasi illi hæreticorum baptismata probaverint, aut eis sine Ecclesiæ baptismo communicaverint, quando talia de hæreticis Apostoli scripserint, et hoc cum nondum hæreticæ pestes acriores prorupissent, necdum quoque Marcion Ponticus de Ponto emersisset, cujus magister Cerdon sub Hygino tunc episcopo, qui in urbe nonus fuit, Romam venit; quem Marcion secutus, additis ad crimen augmentis, impudentius cæteris et abruptius in Deum patrem creatorem blasphemare instituit, et hæreticum furorem sacrilegis armis contra Ecclesiam rebellantem sceleratius et gravius armavit.

III. Quod si hæreses constat postmodum plures ac pejores extitisse, et si retro nusquam omnino præceptum est neque conscriptum ut hæretico tantum manus in pœnitentiam imponatur, et sic ei communicetur, et si Baptisma non nisi unum est, quod apud nos est, et intus est, et soli Ecclesiæ de divina dignatione concessum est, quæ ista obstinatio est, quæve præsumptio, humanam traditionem divinæ dispositioni anteponere, nec animadvertere indignari et irasci Deum quoties divina præcepta solvit et præterit humana traditio, sicut per Esaiam prophetam clamat et dicit : *Populus iste labiis honorificat me, cor vero eorum longe separatum est a me. Sine causa autem colunt me, mandata et doctrinas hominum docentes* (*Isa.* XXIX, 13). Item Dominus in Evangelio increpans similiter et objurgans ponit et dicit : *Rejicitis mandatum Dei ut traditionem vestram statuatis* (*Marc.* VII, 13). Cujus præcepti memo, beatus Apostolus commonet ipse quoque et instruit dicens : *Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis verbis Domini nostri Jesu Christi et doctrinæ ejus,*

## STEPH. BALUZII NOTÆ.

*Non baptizent.* Codex Lamonii addit *in pœnitentia*, et mox *venientem baptizari in manum pœnitentiæ in Ecclesia vetuit.* Sunt multa hujusmodi exempla in codice Lamonii, de quibus disseruimus supra in notis ad Epistolam LXXIII, *pag.* 502.

II. — *Omnium hæreticorum.* Existant apud Nicolaum Eymerici in directorio inquisitorum responsiones Benedicti Papæ XII, tum cardinalis, adversus errores Fraticellorum, in quibus ait Stephanum papam determinasse quod nullus baptizatus per quoscumque hæreticos veniens ad Ecclesiam catholicam rebaptizaretur; sanctum autem Cyprianum, cum multis episcopis in Africa celebrantem concilium, determinasse oppositum, videlicet quod baptizati a quibuscumque hæreticis, si ad Ecclesiam catholicam veniant, sunt baptizandi, et reprobasse in hoc Stephanum papam, ut patet in Cypriani epistolis ad Jubaianum, ad Stephanum et Pompeium, concilium autem Nicænum utramque opinionem sancti Cypriani et Stephani papæ correxisse determinando quod baptizati ab hæreticis non servantibus formam Ecclesiæ venientes ad Ecclesiam baptizentur, ab aliis vero hæreticis baptizati non rebaptizentur. Hanc Benedicti solutionem esse falsam ait Franciscus Pegna in commentariis ad Nicolaum, eamque refellit. Nescio an recte. Etenim Cyprianus ait papam Stephanum censuisse hæreticorum baptismata esse justa et legitima. Porro Benedicti responsiones adversus Fraticellos refert etiam Abrahamus Bzovius in suis Annalibus, sed mutat verba directorii. Nam ubi apud Nicolaum scriptum est : *Ad istud respondet dominus Benedictus*, Bzovius ponit : *Ad istud respondet F. Jacobus Fornerius cardinalis*, quia sciebat ita locutum fuisse antequam esset papa.

*Tinctionis.* Codex Gratianopolitanus, *tinctionis et unctionis.*

*Ponticus.* Hanc vocem addidimus ex auctoritate duodecim exemplarium nostrorum et sex Anglicanorum. Ea quæ illam non habent videntur esse decurtata ab imperitis librariis credentibus illam esse super vacaneam, quia statim sequitur Marcionem emersisse e Ponto. Irenæus, lib. I, cap. 21, scripsit *Marcion Ponticus.* Ponticum lupum vocat Rufinus, lib. V, cap 13, post Eusebium. Illud dicere volunt sanctus Cyprianus, Marcionem, qui erat natione Ponticus, e regione ortum longinqua et barbara, videlicet e Ponto Euxino, tandem emersisse e Ponto, ubi latebat, nondum venisse Romam. Erasmus tamen habet vocem *Ponticus*, sed non subjunxit *de Ponto.* Tertullianus, lib. I adversus Marcionem : *Pontus, qui dicitur Euxinus, natura negatur, nomine illuditur.* Ennodius, lib. XII, epist. I : *Etsi te immemorem mei Pontica fecit inhumanitas* Famosus locus exilio Ovidii. De tempore quo Marcion vixit, vide Petavii animadversiones ad hæresim XLVI. apud Epiphanium.

*Cerdon sub Hygino.* Vide Massueti dissertationes ad Irenæum, pag. 68, § 1.5.

*Nonus fuit.* Idem testatur sanctus Irenæus, lib. I, cap. 28, aiens Cerdonem venisse Romam sub Hygino.



Digitized by Google

*stupore elatus est, nihil sciens, discede ab hujusmodi* (I *Tim.* VI, 3).

IV. Præclara sane et legitima traditio, Stephano fratre nostro docente, proponitur, quæ auctoritatem nobis idoneam præbeat. Nam in eodem loco epistolæ suæ addidit et adjecit : *cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.* Ad hoc enim malorum devoluta est Ecclesia Dei et sponsa Christi ut hæreticorum exempla sectetur, ut ad celebranda sacramenta cœlestia disciplinam lux de tenebris mutuetur, et id faciant Christiani quod antichristi faciunt. Quæ vero est animi cæcitas, quæ pravitas, fidei unitatem de Deo patre et de Jesu Christi Domini et Dei nostri traditione venientem nolle cognoscere ? Nam si idcirco apud hæreticos Ecclesia non est, quia una est et dividi non potest, et si ideo illic Spiritus sanctus non est, quia unus est, et esse apud profanos et extraneos non potest, utique et baptisma, quod in eadem unitate consistit, esse apud hæreticos non potest, quia separari neque ab Ecclesia neque a Spiritu Sancto potest.

V. Aut si effectum baptismi majestati nominis tribuunt, ut qui in nomine Jesu Christi ubicumque et quomodocumque baptizantur, innovati et sanctificati judicentur, cur non in ejusdem Christi nomine illic et manus baptizato imponitur ad accipiendum Spiritum sanctum, cur eadem ejusdem majestas nominis non prævalet in manus impositione quam valuisse contendunt in baptismi sanctificatione? Nam si potest quis extra Ecclesiam natus, templum Dei fieri, cur non possit super templum et Spiritus sanctus infundi? Qui enim peccatis in baptismo expositis sanctificatus est et in novum hominem spiritaliter reformatus, ad accipiendum Spiritum sanctum idoneus factus est, quando Apostolus dicat: *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* III, 27), qui potest apud hæreticos baptizatus Christum induere, multo magis potest Spiritum sanctum, quem Christus misit, accipere. Cæterum major erit mittente qui missus est, ut incipiat foris baptizatus Christum quidem induisse, sed Spiritum sanctum non potuisse percipere; quasi possit aut sine Spiritu Christus indui, aut a Christo Spiritus separari. Illud quoque quam ineptum est, ut cum nativitas secunda spiritalis sit, qua in Christo per lavacrum regenerationis nascimur, dicant quod possit quis apud hæreticos spiritaliter nasci, ubi Spiritum negant esse. Peccata enim purgare et hominem sanctificare aqua sola non potest, nisi habeat et Spiritum sanctum. Quare aut Spiritum sanctum necesse est concedant esse illic ubi baptisma esse dicant, aut nec baptisma est ubi Spiritus sanctus non est, quia baptisma esse sine Spiritu sancto non potest.

VI. Quale est autem asserere et contendere quod esse possint filii Dei qui non sint in Ecclesia nati? Baptisma enim esse in quo homo vetus moritur et novus nascitur manifestat et probat beatus Apostolus dicens : *Servavit nos per lavacrum regenerationis* (*Tit.* III, 5). Si autem in lavacro, id est in Baptismo, est regeneratio, quomodo generare filios Deo hæresis per Christum potest, quæ Christi sponsa non est? Ecclesia est enim sola quæ Christo conjuncta et adunata spiritaliter filios generat, eodem Apostolo rursus dicente : *Christus dilexit Ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea ut eam sanctificaret, purgans eam lavacro aquæ* (*Ephes.* V, 25, 26). Si igitur hæc est dilecta et sponsa quæ sola a Christo sanctificatur et lavacro ejus sola purgatur, manifestum est hæresim, quæ sponsa Christi non sit, nec purgari nec sanctificari lavacro ejus posse, filios Deo generare non posse.

VII. Porro autem non per manus impositionem quis nascitur quando accipit Spiritum sanctum, sed in Ecclesiæ baptismo, ut Spiritum sanctum jam natus accipiat, sicut in primo homine Adam factum est (*Gen.* II). Ante enim Deus eum plasmavit, et tunc insufflavit in faciem ejus flatum vitæ. Nec enim potest accipi Spiritus, nisi prius fuerit qui accipiat. Cum autem nativitas Christianorum in baptismo sit, Baptismi autem generatio et sanctificatio apud solam sponsam Christi sit, quæ parere spiritaliter et generare filios Deo possit, ubi et ex qua et cui natus est qui filius Ecclesiæ non est, ut habere quis possit Deum patrem ante Ecclesiam matrem? Cum vero

## STEPH. BALUZII NOTÆ.

IV. — *Profanos et extraneos.* Codex sancti Arnulphi *extrarios.* Sic etiam habebat Veronensis.

V. — *Cur eadem majestas.* Lege *cur non eadem majestas.* Istud excidit. Error inductus est a Rigaltio et continuatus in editione Anglicana.

*Factus est* .In editionibus Erasmi et Morellii, quæ magis placuerunt Pamelio quam Mantiana, legitur *factus non est.* Verum libri veteres non habent negationem, quæ profecto videtur esse contraria sententiæ sancti Cypriani.

VI. — *Servavit.* Erasmus posuit *salvavit.* Quæ lectio exstat in duobus exemplaribus nostris, et in Camberonensi, ut testatur Pamelius. At alia tredecim nostra habent *servavit.* Et tamen lectio inducta ab Erasmo prævaluit hactenus in omnibus editionibus. Cælius Calcagninus, lib II, epist. 9, censet scribendum esse servatorem, non salvatorem.

VII. — *Insufflavit.* Hic locus ex capite secundo Geneseos desumptus refertur secundum versionem antiquam qua sanctus Cyprianus utebatur, qua etiam usum esse Avitum Viennensem liquet ex secunda ejus Epistola ad *Gundobadum.* Reprehendit autem Avitus illos qui utebantur ea versione qua nos hodie utimur. Et tamen Tertullianus hunc locum refert eo modo quo illi utebantur quos Avitus perstringit. In epistola cujusdam Otberti de obitu Hugonis de Sancto Victore, quam R. P. Edmondus Martene edidit in tomo quinto suorum Anecdotorum, scriptum est Hugonem sub ictu mortis, cum quæsivisset ab Otberto an aliquis præter ipsum hoic adesset et an eo die celebrasset missam, illo respondente neminem alium ibi esse et se eo die celebrasse, Hugonem, inquam, ei dixisse: *Accede et insufflate in faciem meam in modum crucis ut accipiam Spiritum sanctum.* Magna fides Hugonis optantis insufflari in faciem suam, ut si minus imitatione posset accipere Spiritum sanctum, certe proxime accederet, et ita securior iret ad Christum.

*Flatum.* Unus codex regius *spiraculum*, sicut in vulgata editione Geneseos.

*Ante Ecclesiam matrem.* Undecim libri veteres, *ha-*

Digitized by Google

nulla omnino hæresis, sed neque aliquod schisma habere salutaris baptismi sanctificationem foris possit, cur in tantum Stephani fratris nostri obstinatio dura prorupit ut etiam de Marcionis baptismo, item Valentini et Apelletis, et cæterorum blasphemantium in Deum Patrem contendat filios Deo nasci, et illic in nomine Jesu Christi dicat remissionem peccatorum dari ubi blasphematur in Patrem et in Dominum Deum Christum?

VIII. Quo in loco considerandum est, frater charissime, pro fide et religione loci sacerdotalis, quo fungimur, an constare sacerdoti Dei ratio in die judicii possit asserenti et probanti et in acceptum referenti blasphemantium baptismata, cum Dominus commineter et dicat: *Et nunc præceptum hoc ad vos est, o sacerdotes, si non audieritis, et si non posueritis in corde vestro ut detis honorem nomini meo, dicit Dominus omnipotens, immittam in vos maledictionem, et maledicam benedictionem vestram* (*Malach.* II, 1, 2). Dat honorem Deo qui Marcionis baptismo communicat? Dat honorem Deo qui apud eos qui in Deum blasphemant remissionem peccatorum dari judicat? Dat honorem Deo qui foris de adultera et fornicaria nasci Deo filios asseverat? Dat honorem Deo qui unitatem et veritatem de divina lege venientem non tenens hæreses contra Ecclesiam vindicat? Dat honorem Deo qui hæreticorum amicus et inimicus Christianorum sacerdotes Dei veritatem Christi et Ecclesiæ unitatem tuentes abstinendos putat? Si sic honor Deo datur, si sic a cultoribus et sacerdotibus ejus Dei timor et disciplina servatur, abjiciamus arma, manus demus in captivitatem, tradamus diabolo ordinationem Evangelii, dispositionem Christi, majestatem Dei, divinæ militiæ sacramenta solvantur, castrorum cœlestium signa prodantur, succumbat et cedat Ecclesia hæreticis, lux tenebris, fides perfidiæ, spes desperationi, ratio errori, immortalitas morti, charitas odio, veritas mendacio, Christus antichristo. Merito et sic in dies singulos schismata et hæreses surgunt, crebrius atque uberius excrescunt, et serpentinis crinibus pullulantes adversus Ecclesiam Dei majoribus viribus veneronum suorum virus expromunt, dum illis advocatione quorumdam et auctoritas præstatur et firmitas, dum baptisma eorum defenditur, dum fides, dum veritas proditur, dum id quod contra Ecclesiam foris geritur intus in ipsa Ecclesia vindicatur.

IX. Quod si est apud nos, frater dilectissime, Dei timor, si tenor prævalet fidei, si custodimus Christi præcepta, si incorruptam atque inviolatam sponsæ ejus sanctitatem tuemur, si hærent sensibus et cordibus nostris verba Domini dicentis: *Putas cum venerit filius hominis, inveniet fidem in terra* (*Luc.* XVIII, 3)? quia fideles Dei milites, qui Deo fide et religione sincera militamus, commissa nobis divinitus castra fideli virtute servemus. Nec consuetudo quæ apud quosdam obrepserat impedire debet quominus veritas prævaleat et vincat. Nam consuetudo sine veritate vetustas erroris est. Propter quod, relicto errore, sequamur veritatem, scientes quia et apud Esdram veritas vincit, sicut scriptum est: *Veritas manet et invalescit in æternum et vivit et obtinet in sæcula sæculorum. Nec est apud eam accipere personam nec differentias, sed quæ sunt justa facit, nec est in judicio ejus iniquum, sed fortitudo, et regnum, et majestas, et potestas omnium sæculorum. Benedictus Dominus Deus veritatis* (III *Esdr.* IV, 34-40). Quam veritatem nobis

## STEPH. BALUZII NOTÆ.

*beat ante Ecclesiam matrem.* Sed vox *habeat* deest in tribus itidem antiquis et in editionibus antiquis. Supra epist. X, pag. 20: *Ante Domini pacem mater prior sumat.*

*Stephani fratris nostri obstinatio.* Vincentius Lirinensis, c. 21, dixit *tanto adamante pertinaciæ*, Cassiodorus, lib. IV, epist. 3, *cruda obstinatione.* Constitutio Gratiani et Valentiniani in titulo codicis Theodosiani de hæreticis, *consuetudo obstinationis pertinax.* Contra pertinacia virtutis apud Valerium Maximum lib. III, cap. 2. Pertinaciam enim aliquando in bonam partem acceptam esse a Baronio nos monuimus in notis ad Capitularia, pag. 1111.

VIII. — *Sacerdoti Dei.* Ita sex libri nostri et quinque Anglicani. Antea legebatur: *Sacerdotis Dei ratio in die judicii possit asserentis et præsumentis et in acceptum referentis blasphemantium.*

*Divinæ militiæ sacræ.* Infra in libro *de Lapsis*, pag. 183: *Christi sacramentum temeritate præcipiti solveretur.* Sumpta ista ex disciplina militari. Vide Godescalcum Stewechium ad Vegetium, ubi recte formam sacramenti militum explicavit. Vide etiam sanctum Joannem Chrysostomum in initio secundæ parænesis ad Theodorum lapsum.

*Castrorum cœlestium.* Antea legebatur *sacrorum*, nullo sensu. Restituimus veram lectionem ex fide decem veterem exemplarium.

*Uberius.* Hanc lectionem invenimus in sex antiquis codicibus nostris et in quinque Anglicanis. Antea scriptum erat *liberius.* Sic in calce istius Epistolæ, pag. 141, vitio librarii positum erat in uno codice gio *eadem libertate* pro *ubertate.* In Burgundico reperi in libro *de Habitu Virginum*, pag. 175: *Facultatum libertate locupletes* pro *ubertate.* Et in libro *de Oratione Dominica*, pag. 207, in codice Pithœano et in Thuano *bonitatis libertas* pro *ubertas.* In hac ipsa Epistola LXXIV ad Pompeium, in codice Lamonii, paulo post *aqua collecta eadem libertate repræsentatur.* Pro quo alii codices et editiones recte habent *ubertate.* In libro *de Laude Martyrii* in editione Morellii legitur *uberius atque propensius.* Pro quo quidam libri veteres habent *liberius.*

*Crinibus.* Quamvis hæc lectio non reperiatur nisi in quinque exemplaribus, non dubito tamen quin præferenda sit ei quæ jamdudum invaluerat. Non video enim quid significent hæc verba, *serpentinis crinibus pullulantes.* Agnovit Rigaltius hoc esse verum. In erratis enim monuit reponendum esse *crinibus.* Horatius, lib. III, ode 31: *Intortis capillis Eumenidum recreantur angues.* Idem epodon V: *Canidia brevibus implicata viperis crines.* Seneca Medea: *Adeste sceleris ultrices deæ crinem solutis squalidæ serpentibus.* Lucanus lib. VI:

Et coma vipereis substringitur horrida sertis.

Ludovicus Cælius Rhodiginus, lib. I, cap. 40, refert ex Avicenna serpentes ex mulierum præcipue capillis concipi. Similem errorem notavimus in tomo secundo Capitularium, pag. 987.

IX. — *Inviolatam.* Codex Fuxensis, *immaculatam.* *Consuetudo sine veritate.* Citat hunc locum, sed non nominato Cypriano, Angelus Politianus in præfatione miscellaneorum suorum. Ait enim: *Pulchre sic ait quidam: Consuetudo sine veritate vetustas erroris est.* Citat etiam Gratianus dist. 8, cap. *Consuetudo.* Vide notas ad epistolam LXXI, pag. 498.

Digitized by Google

Christus ostendens in Evangelio suo dicit : *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6). Propter quod si in Christo sumus et Christum in nobis habemus, si manemus in veritate, et veritas in nobis manet, ea quæ sunt vera et recta teneamus.

X. Fit autem studio præsumptionis et contumaciæ ut quis magis sua prava et falsa defendat quam ad alterius recta et vera consentiat. Cui rei prospiciens beatus apostolus Paulus ad Timotheum scribit et monet episcopum non litigiosum, nec contentiosum, sed mitem et docibilem esse debere (II *Tim.* II, 24). Docibilis autem ille est qui est ad discendi patientiam lenis et mitis. Oportet enim episcopum non tantum docere, sed et discere; quia et ille melius docet qui quotidie crescit et proficit discendo meliora. Quod ipsum quoque idem apostolus Paulus docet præmonens ut si alii sedenti melius revelatum fuerit, prior taceat (I *Cor.* XIV, 30). In compendio est autem apud religiosas et simplices mentes et errorem deponere et invenire atque eruere veritatem. Nam si ad divinæ traditionis caput et originem revertamur, cessat error humanus, et sacramentorum cœlestium ratione perspecta, quicquid sub caligine ac nube tenebrarum obscurum latebat in lucem veritatis aperitur. Si canalis aquam ducens, qui copiose prius et largiter profluebat, subito defluat, nonne ad fontem pergitur, ut illic defectionis ratio noscatur, utrumne arescentibus venis in capite unda siccaverit, an vero integra inde et plena procurrens in medio itinere destiterit; ut si vitio interrupti aut bibuli canalis effectum est quo minus aqua continua perseveranter ac jugiter flueret, refecto et confirmato canali ad usum atque ad potum civitatis aqua collecta eadem ubertate atque in egritate repræsentetur qua de fonte proficiscitur. Quod et nunc facere oportet Dei sacerdotes præcepta divina servantes, ut si in aliquo nutaverit et vacillaverit veritas, ad originem dominicam et ad evangelicam atque apostolicam traditionem revertamur, et inde surgat actus nostri ratio, unde et ordo et origo surrexit.

XI. Traditum est enim nobis quod sit unus Deus, et Christus unus, et una spes, et fides una (*Ephes.* IV, 5), et una Ecclesia, et baptisma unum non nisi in una Ecclesia constitutum; a qua Unitate quisquis dicesserit, cum hæreticis necesse est inveniatur; quos dum contra Ecclesiam vindicat, sacramentum divinæ traditionis impugnat. Cujus Unitatis sacramentum expressum videmus etiam in Cantico canticorum ex persona Christi dicentis : *Hortus conclusus, soror mea, sponsa, fons signatus, puteus aquæ vivæ, paradisus cum fructu pomorum* (*Cant.* IV, 12, 13) Si autem Ecclesia ejus hortus conclusus est et fons signatus, quomodo in eumdem hortum introire aut bibere de fonte ejus potest qui in Ecclesia non est? Item Petrus ipse quoque demonstrans et vindicans Unitatem mandavit et monuit nisi per unum solum baptisma unius Ecclesiæ salvari nos non posse. *In arca*, inquit, *Noe pauci, id est, octo animæ hominum salvæ factæ sunt per aquam, quod et vos similiter salvos faciet baptisma* (I *Pet.* III, 20, 21). Quam brevi et spirituali compendio unitatis sacramentum manifestavit? Nam ut in illo mundi baptismo, quo iniquitas antiqua purgata est, qui in arca Noe non fuit non potuit per aquam salvatus fieri, ita nec nunc potest per baptismum salvatus videri qui baptizatus in Ecclesia non est, quæ ad arcæ unius sacramentum dominica unitate fundata est.

XII. Observatur itaque a nobis et tenetur, frater charissime, explorata et perspecta veritate, ut omnes qui ex quacumque hæresi ad Ecclesiam convertuntur, Ecclesiæ unico et legitimo baptismo baptizentur, exceptis his qui baptizati in Ecclesia prius fuerant, et sic ad hæreticos transierant. Illos enim oportet, cum redeunt, acta pœnitentia per manus imposi-

## STEPH. BALUZII NOTÆ.

X. — *Nec contentiosum.* Hæc non comparebant in editione Erasmi. Manutius et Morellius induxerunt. Pamelius expunxit, quia non invenerat in codice Camberonensi. Sane desunt in quatuor libris veteribus. Sed habentur in aliis duodecim et in duobus Bodleianis.

*Errorem deponere.* Sanctus Papa Gregorius in epistola ad sanctum Augustinum: *Bonarum quippe mentium est ibi culpam agnoscere ubi culpa non est.* Innocentius III, apud Bzovium an. 1206, § 6, *Bonarum mentium est ibi timere culpam ubi culpa minime reperitur.* Contra Quintilianus lib. VI, cap. 4: *Nam culpam, præsertim deprehensam, pertinaciter tueri altera culpa est.* Hieronymus lib. I, adversus Rufinum: *Melius est te pœnitere facti tui quam ex martyrem in calumnia et deceptos in errore persistere. Nec erubescas de commutatione sententiæ. Non es tantæ auctoritatis et famæ ut errasse te pœniteat.* Item in Epistola *ad Pammachium* de optimo genere interpretandi: *Errasse humanum est et confiteri errorem prudentis.* Et in Epistola *ad Pammachium et Oceanum* adversus errores Origenis: *Secunda post naufragium tabula est humiliter confiteri.* Et in Epistola *ad Marcellam* de quinque quæstionibus Novi Testamenti: *Non memini me hoc aliquando dixisse; et si dixissem, non essem in errore pertinax.* Rufinus, lib. II adversus Hieronymum: *Certum est autem errorem præcessisse ubi emendatio subsecuta est.* Augustinus sermone CLXX, de verbis Apostoli: *Humanum fuit errasse. Diabolicum est per animositatem in errore manere.* Idipsum quoque dixit sanctus Joannes Chrysostomus in parænesi prima ad Theodorum lapsum: *Nam peccasse est humanum, perdurasse autem in flagitiis non humanum est, sed potius diabolicum.* Item Augustinus in Epistola ad Celerem: *Turpe est mutare sententiam, sed veram et rectam. Nam stultum et noxiam et laudabile et salubre est. Sicut autem constantia non sinit hominem depravari, sic pertinacia non sinit corrigi.*

*Si canalis* Hieronymus in Epistola ad Marcum Celedenem: *Si rivus tenuiter fluit, non est alvei culpa, sed fontis.*

XI. — *Octo animæ hominum.* Sic restituimus hunc locum ex fide octo librorum nostrorum et sex Anglicanorum. Nam et infra in epistola LXXVI, pag. 1152, ita etiam legitur ut istic. Sane vox *hominum* non exstat in epistola sancti Petri nec apud Hieronymum in dialogo adversus Luciferianos.

*Salvatus videri.* Editiones habent *salvus.* At ego reposui *salvatus*, secutus in hoc auctoritatem tredecim exemplarium nostrorum et quatuor Anglicanorum.

*Dominica unitate.* Vetus codex Remigianus et tres Anglicani habent *dominicæ observationis virtute.*

XII. — *Ad hæreticos transierant.* Unus codex regius, *ad hæreticos discessisse monstrantur.* Lectionem a nobis

Digitized by Google

tionem solam recipi et in ovile, unde erraverant, a pastore restitui. Opto te, frater charissime, semper bene valere.

## EPISTOLA S. CYPRIANI AD MAGNUM

### DE BAPTIZANDIS NOVATIANIS ET DE IIS QUI IN LECTO GRATIAM CONSEQUUNTUR.

ARGUMENTUM. — *Respondetur Magno inanienti an a Novatiano venientes denuo baptizandi Et primo ex SS. Scripturarum testimonio unitas stabilitur. Legitima in cathedra Petri successio est certa unitatis nota. Unitatis sacramentum non tantum monitis et exemplis ; sed et pœnis in delinquentes irrogatis sancitum. Schismatici, licet Symboli voces agnoscant, fidem ipsam denegant Exemplis ostenditur quanto cum periculo Ecclesiæ pax, licet fides intacta maneat violetur. Digreditur Cyprianus ad hæreticorum Baptisma, quos Spiritum sanctum dare posse negat ; tum respondet de clinicorum tinctione, de aspersione, ad immunditias tollendas, de gratia in Baptismo collata, vel minuenda actu nostro vel augenda.*

I. Cyprianus magno filio salutem. Pro tua religiosa diligentia consuluisti mediocritatem nostram, fili charissime, an inter cæteros hæreticos, eos quoque qui a Novatiano veniunt post profanum ejus lavacrum baptizari et sanctificari in Ecclesia catholica, legitimo et vero et unico Ecclesiæ Baptismo [a] oporteat. De qua re, quantum fidei nostræ capacitas et Scripturarum divinarum sanctitas ac veritas suggerit, dicimus omnes omnino hæreticos et schismaticos nihil habere potestatis ac juris. Propter quod Novatianus nec debet, nec potest excipi quominus ipse quoque extra Ecclesiam consistens, et contra pacem ac dilectionem Christi faciens, inter adversarios et antichristos computetur. Neque enim Dominus noster Jesus Christus cum in Evangelio suo testaretur adversarios suos esse eos qui secum non essent, aliquam speciem hæreseos designavit, sed omnes omnino [b] qui secum non essent et secum non colligentes gregem suum spargerent adversarios suos esse ostendit dicens : *Qui non est mecum, adversum me est ; et qui mecum non colligit, spargit* (*Luc* XI, 23). Item beatus Joannes apostolus nec ipse ullam hæresim aut schisma discrevit, aut aliquos speciatim separes [c] posuit, sed universos qui de Ecclesia exissent, quique contra Ecclesiam facerent, antichristos appellavit dicens : *Audistis quia antichristus venit, nunc autem antichristi multi facti sunt. Unde cognoscimus quia novissima hora est. Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum* (I *Joa.* II, 18, 19). Unde apparet adversarios Domini

### LECTIONES VARIANTES.

[a] Unico pœnitentiæ Baptismo *Cod. Lamon.*
[b] Hæreticos *addit Oxon.*
[c] *Sic Bod.* 1. *Ben. Lin. NC.* 2. Separans *Bod.* 2. Separatos *Oxon. et Impr.* etc.

### STEPH. BALUZII NOTÆ.

retentam confirmare videntur hæc Cypriani verba ex epistola LXXI, pag. 127, *et a nobis ad hæreticos transisse.*

I — *Magno filio.* Hæc certo ostendunt, ut putavit etiam Baronius, hunc hominem fuisse de plebe, id est laicum. Cui sententiæ, quæ mihi videtur optima, ego lubenter assentior. Nuperus tamen auctor Vitæ sancti Cypriani contendit fuisse episcopum, ad eamque suam opinionem probandam affert exemplum ex epistola LXI ad Euchratium episcopum, in cujus calce Cyprianus ait : *Opto te, fili charissime, semper bene valere* Sane ita scriptum est in editionibus Manutii, Pamelii, Rigaltii, et in Anglicana. At veteres editiones habent *frater charissime.* Quo modo nos reposuimus auctoritatem secuti veterum editionum et veterum librorum. Sentit Reinhartus vitium editionis Rigaltianæ, quam fere sequebatur, et omisit vocem *filii*, scribens simpliciter : *Opto te. charissime, semper bene valere.* Itaque restituta vera lectione, ruit argumentatio auctoris Vitæ sancti Cypriani. Quod vero Cyprianus Magnum laicum vocat filium, descendit istud ex disciplina veterum episcoporum et presbyterorum, qui, ut Hieronymus in Epistola *ad Salvinam* de Viduitate servanda ait, pro officio sacerdotii omnes Christianos filiorum loco diligebant. Vide notas nostras ad Epistolam nonam Salviani.

*Dicimus omnes.* Apud Gratianum XXIV. q. I. scriptum est *d.dicimus.*

*Omnes omnino qui secum.* Ita omnes veteres editiones ante Manutianam, quæ addit *hæreticos*, uti etiam additur apud Gratianum. Sed eam vocem ego non reperi nisi in tribus libris veteribus. Cum vero viderem omnes veteres editiones, XXII libros nostros, et sex Anglicanos eam non habere, arbitratus sum eam non esse retinendam. Nam et absque illa recte constat sensus.

*Qui non est mecum.* Labuntur aliquando ingenia hominum eruditorum. Editores Angli monuerunt locum hunc fere totum ex libro de Unitate Ecclesiæ desumi, adeoque Cyprianum jure merito usum esse iis verbis tamquam suis. Quod verum non est. Quippe ista non sunt in libro *de Unitate Ecclesiæ*, sed in epistola LXX, quæ data est ad episcopos Numidas pag. 126.

*Qui mecum non colligit.* Hieronymus in Epistola *ad Damasum* de tribus Hypostasibus : *Qui tecum non colligit spargit, hoc est, qui Christi non est, antichristi est.*

*Separes.* Ita posui pro eo quod antea legebatur *separatos*, non solum quia ita inveni scriptum in antiquis editionibus, sed etiam quia hanc lectionem præferunt septemdecim exemplaria nostra, inter quæ pono Seguierianum omnium vetustissimum, et tria Anglicana. Statius lib. IV. Thebaidos :

Tu separe cœtu :
Elysios Persæe pios virgaque potenti
Nubibus Arcas agat.

Puto Ordericum Vitalis inde accepisse quod ait pag. 907. *Optimates autem qui separes cœtus in expeditione legali ductu dubitare debebant.* Vide glossarium Latinum Cangii.

Mabillonius lib. IX. *Annalium Benedictinorum* § 37. refert ex quadam veteri narratione Laudosam fluvium Britanniæ nostræ mutato nomine vocatum fuisse Separem, quia se separavit ut viam faceret Vertavensibus cupientibus habere corpus sancti Martini abbatis sui, et eam occluserat Duriensibus contra tendentibus. Illud certum est, Separis fluvii in ea parte Britanniæ mentionem reperiri in veteribus *Actis* editis in tomo secundo nuperæ historiæ Britannicæ pag. 278, 279. Sed Iladrianus Valesius improbat hanc etymologiam, et ait *Separis* esse vocabulum Gallicum.

Digitized by Google

et antichristos [a] omnes esse quos constet a charitate atque ab unitate Ecclesiæ catholicæ recessisse [b]. Adhuc quoque Dominus in Evangelio suo ponit et dicit : *Si vero et Ecclesiam contempserit, sit tibi tamquam ethnicus et publicanus* (*Matth.* XVIII, 17). Si autem qui Ecclesiam contemnunt ethnici et publicani habentur, multo magis utique rebelles et hostes falsa altaria et illicita sacerdotia et sacrificia sacrilega et nomina adulterata fingentes inter ethnicos et publicanos necesse est computentur, quando minora peccantes et tantum Ecclesiæ contemptores ethnici et publicani sententia Domini judicentur.

II. Quod autem Ecclesia una sit declarat in Cantico canticorum Spiritus sanctus ex persona Christi dicens : *Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ electa genitrici suæ* (*Cant.* VI, 9) ; de qua item denuo dicit : *Hortus conclusus, soror mea, sponsa, fons signatus, puteus aquæ vivæ* (*Cant.* IV, 12). Si autem hortus conclusus est sponsa Christi, quæ est Ecclesia, patere res clausa [c] alienis et profanis non potest. Et si fons signatus est, neque bibere inde neque consignari potest cui foris posito accessus ad fontem non est. Puteus quoque aquæ vivæ si unus est, idemque intus est, vivificari et sanctificari foris positus ex illa aqua non potest ex qua solis eis qui intus sunt usus omnis et potus concessus est. Quod et Petrus ostendens unam Ecclesiam esse et solos eos qui in Ecclesia sint baptizari posse, posuit et dixit : *In arca Noe pauci, id est, octo animæ hominum salvæ factæ sunt per aquam, quod et vos* [d] *similiter salvos faciet baptisma* (*I Pet.* III, 20, 21), probans [e] et contestans unam arcam Noe typum fuisse unius Ecclesiæ. Si potuit tunc in illo expiati [f] purificati mundi baptismo salvus per aquam fieri qui in arca Noe non fuit, potest et nunc vivificari per baptisma qui in Ecclesia non est, cui soli baptisma concessum est. Sed et Paulus apostolus hoc idem adhuc apertius et clarius [g] manifestans ad Ephesios scribit et dicit : *Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, purgans eam lavacro aquæ* [h] (*Ephes.* V, 25, 26). Quod si una est Ecclesia, quæ a Christo diligitur et lavacro ejus sola purgatur, quo modo qui in Ecclesia non est aut diligi a Christo aut ablui et purgari lavacro ejus potest ?

III. Propter quod cum sola Ecclesia habeat aquam vitalem et baptizandi atque abluendi hominis potestatem, qui dicit apud Novatianum baptizari et sanctificari aliquem posse, prius ostendat et doceat Novatianum in Ecclesia esse aut Ecclesiæ præsidere. Ecclesia enim una est, quæ una et intus esse et foris non potest. Si enim apud Novatianum est, apud Cornelium non fuit. Si vero apud Cornelium fuit, qui Fabiano episcopo legitima ordinatione successit, et quem præter sacerdotii honorem martyrio quoque Dominus glorificavit, Novatianus in Ecclesia non est, nec episcopus computari potest [i], qui, evangelica et apostolica traditione contempta, nemini succedens, a se ipso ortus est. Habere namque aut tenere Ecclesiam nullo modo potest qui ordinatus in Ecclesia non est.

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic Bod.* 1, 2. *Lin. Lam. Ebor. NC.* 1, 2. Domini antichristos *Rig.*
[b] Unitate Ecclesiæ recessisse *Lam.*
[c] Reclusa *Lin.*
[d] Quod et nos *Bod.* 3.
[e] Probans scilicet *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1.
[f] Expiatus et purificatus, mundi baptismo *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1.
[g] Clarius et manifestius *Lam. Bod.* 2.
[h] Purgans lavacro *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1.
[i] Nec episcopus computari potest *Lin. Ebor.*

## STEPH. BALUZII NOTÆ.

II.— *Declarat in Cantico.* Hæc pauca exstant sane in libro *de Unitate Ecclesiæ*, pag. 195. Sed tamen non inde colligi potest sumpta esse ex hoc libro.

*Hortus conclusus.* Hieronymus in Epistola *ad Damasum* de tribus hypostasibus, *Ut inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile ubi fons signatus et hortus ille conclusus sit possit intelligi.* Et infra : *Ego autem nullum primum nisi Christum sequens beatitudini tuæ et cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.* Respicit ad dignitatem et auctoritatem Ecclesiæ principalis.

*Puteus aquæ vivæ.* Recte monent Angli hæc verba non reperiri in sacro textu. Quippe non exstant consequenter post *fons signatus*, sed paulo infra, *puteus aquarum viventium.* Cyprianus hunc locum eodem modo retulit in epistola LXXIV. ad Pompeium pag 142. Sic etiam refertur ab Augustino lib. XI de Genesi ad litteram cap. 21, lib. V. *de Baptismo* contra Donatistas cap. 27, et lib. II. contra Cresconium cap. 15, et epist. LV. Sed aliter apud Ambrosium, qui lib. I *de Virginibus* cap. 8, et in libro *de Virginitate* cap. 13, et epist. *ad Sabinum* referens hunc locum non addit *puteus aquæ vivæ* post *fons signatus.* Quod argumento esse potest illum alia versione usum esse quam ea qua Cyprianus utebatur.

*Vivificare et sanctificare.* Citat hunc locum sanctus Augustinus lib. VII. de Baptismo contra Donatistas cap. 50.

*Ecclesia una est* : Citat hunc locum, sed mutilum, Gerochus Reicherspergensis in tractatu adversus simoniacos cap. 27. Eo vero usus est Joannes Capistranus adversus Felicem V electum papam a concilio Basileensi. Vide tractatum ejus de papæ et concilii Auctoritate parte 3.

III.— *Si enim apud Novatianum est, apud Cornelium non fuit.* Disertis verbis docet Ecclesiæ notam esse legitimam successionem Romanorum pontificum, utpote quum dicat, apud Cornelium fuisse Ecclesiam, quia legitima ordinatione Fabiano successit, apud Novatianum non esse, quia nemini succedens a seipso ortus est. Similia dixit supra epistola *ad Antonianum.* Atque hinc est, quod aliis quoque veteres illam judicarunt esse Ecclesiam catholicam, in qua Romanus pontifex præsideret. Sic, teste D. Ambrosio, *Orat. funebri*, Satyrus ejus frater percunctabatur ab episcopo quodam, utrumnam cum episcopis catholicis, id est cum Romana Ecclesia conveniret. Sic D. Hieron. epistola *ad Damasum*, fontem signatum et hortum Ecclesiæ conclusum in Petri cathedra esse docet, et extra eam Ecclesiam qui agnum comederit, profanum esse ; si quis in illa uti in arca Noe,

IV. Foris enim non esse Ecclesiam nec scindi adversum se aut dividi posse, sed inseparabilis atque individuam domus unitatem tenere manifestat Scripturæ divinæ fides, cum de sacramento Paschæ et Agni, qui agnus Christum designabat, scriptum sit : *In domo una comedetur, non ejicietis de domo carnem foras* (*Exo.* XII, 46). Quod item circa Raab, quæ ipsa quoque typum portabat Ecclesiæ, expressum videmus? cui mandatur [a] et dicitur : *Patrem tuum et matrem tuam et fratres tuos et totam domum patris tui colliges ad te ipsam in domum tuam, et omnis qui exierit ostium domus tuæ foras reus sibi erit* (*Josue.* II, 18). Quo sacramento declaratur in unam domum solam, id est, in Ecclesiam victuros, et ab interitu mundi evasuros colligi oportere, quisquis autem de collectis foras exierit, id est, si quis, quamvis in Ecclesia gratiam consecutus, recesserit et ab Ecclesia exierit, reum sibi futurum, id est, ipsum sibi quod pereat imputaturum. Quod apostolus Paulus explanat docens et præcipiens hæreticum vitandum esse ut perversum et peccatorem et a semetipso damnatum (*Tit.* III, 10). Hic enim reus [b] sibi erit qui non ab episcopo ejectus, sed sponte de Ecclesia profugus, hæretica præsumptione a semetipso damnatus.

V. Et idcirco Dominus insinuans nobis unitatem de divina auctoritate venientem posit et dicit : *Ego et pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Ad quam unitatem redigens Ecclesiam suam denuo dicit : *Et erit unus grex* [c] *et unus pastor* (*Ibid.* 16). Si autem grex unus est, quomodo potest gregi annumerari qui in numero gregis non est? aut pastor haberi quomodo potest qui, manente vero pastore, et in Ecclesia Dei ordinatione succedanea præsidente, nemini succedens, et a se ipso incipiens [d], alienus fit et profanus, dominicæ pacis ac divinæ unitatis inimicus, non habitans in domo Dei, id est, in Ecclesia Dei, in qua non nisi concordes atque unanimes habitant, loquente in Psalmis Spiritu sancto et dicente : *Deus qui inhabitare facit unanimes in domo* (*Psal.* LXVII, 6).

VI. Denique unanimitatem christianam firma [e] sibi atque inseparabili charitate connexam etiam ipsa dominica sacrificia declarant. Nam quando Dominus corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum quem portabat indicat adunatum ; et quando sanguinem suum vinum appellat de botris atque acinis plurimis expressum atque in unum coactum, gregem item nostrum significat commixtione adunate multitudinis copulatum. Si Novatianus huic pani dominico adunatus est, si Christi populo et ipse commixtus est, poterit videri et unici ecclesiastici Baptismi habere gratiam posse, si eum constiterit Ecclesiæ unitatem tenere. Denique quam sit inseparabile unitatis sacramentum, et quam sine spe sint et perditionem sibi maximam de indignatione Dei acquirant qui schisma faciunt, et relicto episcopo, alium sibi foris pseudo-episcopum constituunt, declarat in libris Regnorum Scriptura divina, ubi a tribu Juda et Benjamin decem tribus scissæ sunt, et relicto rege suo [f], alterum sibi foris constituerunt : *Et indignatus est*, inquit, *Dominus in omni semine* [g] *Israel, et dimovit* [h] *eos, et dedit eos in direptionem donec abjiceret eos a facie sua, quia dissipatus est Israel a domo David, et constituerunt sibi regem Hieroboam filium Nabath* (II *Reg.* XXII, 20,

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Cui id mandatur *Lam. Ebor. NC.* 1.
[b] Hic est enim qui reus sibi erit, non *Bod.* 1, 2. *Ebor Lin. Lam.*
[c] Et erunt unus grex *Bod.* 2.
[d] Sed a se ipso *Lam. NC.* 1. *Ebor. Bod.* 2.
[e] Christianam firmam *Bod.* 2. *Lam. Ebor. NC.* 1, 2. *Lin.*
[f] Relicto rege suo *Lam. Bod.* 3. *Lin.*
[g] In omni semine *Bod.* 1, 2. *Lin. NC.* 1. *Ebor.*
[h] Demolivit *Lin. NC.* 2.

## STEPH. BALUZII NOTÆ.

non fuerit, periturum diluvio, alludens haud dubie ad hunc et Cypriani similes locos. Idem ad eumdem seq. epistola : *Si quis*, (inquit) *Cathedræ Petri jungitur, meus est.* Sic D. Aug. *contra epistolam fundam.* c. 4. *Tenet me*, inquit, *in Ecclesia ab ipsa sede apostoli Petri ad præsentem episcopatum sacerdotum successio.* Sic idem in Psalmo *contra partem Donati*, et epistola 165, ac Optatus Milevit. *contra Parm.* l. II, Donatistas convincunt doctrina continuo tradita in ecclesia Romana per legitimam Pontificum successionem, et eodem argumento suæ ætatis hæreticos impugnat, præsertim lib. III, cap. 3. Irenæus, et ipsum imitatus Tertull. lib. *de Præscrip. adversus hæreticos* ac Origenes lib. I. *Periarch.* PAMEL.

V. — *Succedanea* Antea istic scriptum erat *succidanea.* Quæ lectio est optima. Sed qui ea quam nos reposuimus optima etiam est, et in omnibus fere libris veteribus reperitur, eam retinere placuit. Unus meus vetus habet mendose *succidua*, alius *subitanea.*

*Dominicæ pacis* : Codex sancti Arnulphi habet *passionis.*

*Alienus fit* : Citat hunc locum sanctus Augustinus lib. VII. de Baptismo contra Donatistas cap. 50.

*Dominica sacrificia* : Duo libri veteres præferunt *sacramenta.*

*Botis atque acinis* : Codex sancti Arnulphi *botrui* Fuxensis; *botris atque uvis.* Corbeiensis, *botis atque racemis.* Vetus Remigiunus, *botris unionibus atque acinis*, ubi fortassis legendum esset *botrionibus atque acinis.* Nam Martialis lib. XI. epigram. 28. dixit : *Nec dignum toto te botryone putat.* Palladius etiam bib. II. *de Re rustica* cap. 33; lib. X, cap. 17, et lib. XII. cap. 12, dixit *botryones.* Prudentius in hamartigenia *vallem botryonis opimam.* Ludovicus Cælius Rhodiginus lib. VII. cap. 45 : *Quidam dictus philobotryx est, quoniam uvis afficeretur insigniter.*

VI. — *Abjiceret.* Unus liber meus vetus habet *abigeret.* Sic etiam in Gratianopolitano.

*Alterum sibi regem.* Septem libri veteres et antiquæ editiones habent *adulterum.* Erasmus emenduvit. Emendationem Erasmi confirmant novem libri veteres, in primis vero Seguieranus. Confirmant etiam illam verba Cypriani paulo ante, *et relicto rege alterum sibi foris constituerunt.* Et tamen Pamelius sequi maluit Scripturam veterum editionum. Pamelium secuti sunt Rigaltius et Reinhartus. Angli recte reposuerunt *alterum.* Similis error admissus in canone nono Concilii Eliberitani emendatus a nobis est ad Reginonem lib. II, cap. 103, *de Disciplinis Ecclesiasticis.* Contra in capite 17, Liberati, pro eo quod editiones recte habent *quem jussit Zenon Imperator expelli tamquam hæreticum et adulterum*, veteres codices

Digitized by Google

21). Indignatum esse Dominum dicit [a] et eos in perditionem dedisse quod ab unitate [b] dissipati essent atque alterum sibi [c] regem constituissent. Et tanta indignatio Domini exti it adversus illos qui schisma fecerant, ut etiam cum homo Dei ad Hieroboam missus esset qui ei pecca a sua exprobraret, atque ultionem futuram prædiceret, panem quoque apud illos edere et aquam bibere vetaretur. Quod cum non custodisset et contra præceptum Dei prandisset, statim divinæ censuræ majestate percussus est, ut inde regrediens impetu [d] ac morsu leonis intinere necaretur. Et audet quisquam dicere aquam Baptismi salutarem et gratiam cœlestem communem cum schismaticis esse posse, cum quibus nec terrestris cibus nec sæcularis potus debet esse communis? Satiat adhuc [e] in Evangelio suo Dominus et majorem intelligentiæ lucem manifestat quod iidem qui se tunc a tribu Juda et Benjamin sciderant, et Hierosolymis derelictis Samariam secesserant, inter profanos et gentiles computarentur. Nam cum primum discipulos suos in ministerium salutis mitteret, mandavit et dixit : *In viam nationum* [f] *ne abieritis, et in civitatem Samaritanorum ne introieritis.* Ad Judæos [g] prius mittens, gentiles adhuc præteriri jubet. Addendo autem et civitatem Samaritanorum debere omitti, ubi erant schismatici, ostendit schismaticos gentilibus adæquari.

VII. Quod si aliquis illud opponit ut dicat eamdem Novatianum legem tenere quam catholica Ecclesia teneat, eodem Symbolo quo et nos baptizare, eumdem nosse Deum Patrem, eumdem Filium Christum, eumdem Spiritum sanctum, ac propter hoc usurpare eum potestatem baptizandi posse quod videatur in interrogatione [h] Baptismi a nobis non discrepare, sciat quisquis hoc opponendum putat primum non esse unam nobis et schismaticis Symboli legem, neque eamdem interrogationem. Nam cum dicunt : *Credis remissionem peccatorum, et vitam æternam per sanctam Ecclesiam*, mentiuntur in interrogatione, quando non habeant Ecclesiam. Tunc deinde voce sua ipsi confitentur remissionem peccatorum non dari nisi per sanctam Ecclesiam posse ; quam non habentes, ostendunt remitti illic peccata non posse.

VIII. Quod vero eumdem quem et nos Deum Patrem, eumdem Filium Christum, eumdem Spiritum sanctum nosse dicuntur, nec hoc adjuvare tales potest. Nam et Chore et Dathan et Abiron cum sacerdote Aaron et Moyse eumdem Deum noverant, pari lege [i] et religione viventes, unum et verum Deum, qui colendus atque invocandus fuerat, invocabant. Tamen quia loci sui ministerium transgressi contra Aaron sacerdotem qui sacerdotium legitimum dignatione Dei atque ordinatione Domini perceperat, sacrificandi sibi licentiam vindicaverunt, divinitus percussi pœnas statim pro illicitis conatibus pependerunt [j], nec potuerunt rata esse et proficere sacrificia irreligiose et illicite contra jus divinæ dispositionis oblata. Thuribula quoque ipsa, in quibus incensum illicite fuerat oblatum, ne in usu de cætero essent sacerdotibus, sed potius indignationis et ultionis divinæ memoriam corrigendis posteris exhiberent [k], jussu Domini conflata atque igne purgata in laminas ductiles producuntur et affiguntur altari, secundum quod loquitur Scriptura divina. *Memoriale*, inquit, *filiis Israel ut non accedat quisquam alienigena qui non est ex semine Aaron imponere incensum ante Dominum, ut non sit sicut Chore.* Et tamen illi schisma non fecerant, nec foras egressi, contra Dei sacerdotes impudenter [l] atque hostiliter rebellaverant, quod nunc hi Ecclesiam scindentes et contra pacem atque unitatem Christi rebelles cathedram sibi constituere et primatum assumere [m] et baptizandi atque offerendi licentiam vindicare conatur. Quomodo perficere quæ

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Dominum dixit *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1, 2.
[b] Quotquot ab unitate *Lam. Bod* 2 *Ebor. NC.* 1.
[c] *Sic Lam. Bened. Lin. Bod.* 1, 2. *Ebor. NC.* 1, 2. Adulterum *Rig.*
[d] Regrediens morsu *Bod.* 1.
[e] *Sic Bod* 1, 2. *Lam. Ebor. NC.* 1, 2 *Lin.* Sonat *Oxon.*
[f] In viam gentium *Bod.* 2. *Lam. Ebor. NC.* 1.
[g] Ad Judæos primum *Lam. NC.* 1. *Ebor.*
[h] Videatur interrogatione a nobis *Lam. Bod.* 2 *Ebor. NC* 1.
[i] Lege et conditione *NC.* 2.
[j] *Sic Bod.* 1, 2, 3. *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1, 2. Penderunt *Oxon.*
[k] Exhiberentur *Bod.* 3.
[l] Im, udenter *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *Lin. NC.* 1, 2.
[m] Principatum *Corb.*

## STEPH. BALUZII NOTÆ.

ecclesiæ Bellovacensis et monasterii Corbeiensis habent *alterum*, certo errore.

*Prandisset.* Hanc lectionem præferunt aliquot vetera exemplaria. Alia habent *pransisset* Vide quæ a nobis observata sunt ad gesta concilii Chalcedonensis, pag. 1031

*Satiat* Necessario revocavimus hanc lectionem, quia exstat in omnibus antiquis editionibus et in XIX codicibus manuscriptis. Pamelius mutavit et edidit *sonat* ex fide codicis Camberonensis. Ait autem vocem *satiat*, quæ habetur in aliis codicibus, esse corruptam In uno meo legitur *favet*. Satiat istic significat probare ex abundantia quod antea dictum fuit, sicut Plinius lib. v, cap. 9, dicit Nilum increscere prout a Mauritania nives imbresve satiaverint, id est abundaverint. Et Tertullianus in Scorpiace ait quod si scorpio *plagam satiaverit*, id est omne virus suum in eam effuderit, statim pristinos sensus retropescere. In eumdem sensum Cyprianus, in libro de Opere et Eleemosynis, pag. 239, ait deprecationes solas parum ad impetrandum valere nisi factorum et operum accessione satientur. Ovidius, lib. III, *Tristium*, eleg. 1, dixit : *Cum jam satiaverit iram.*

*Majorem intelligentiam.* Codex sancti Arnulphi *majore intelligentiæ luce.*

VII.— *Remissionem.* Plerique libri veteres habent : *Credis in remissionem.*

VIII. — *Pependerunt.* Ita duodecim libri veteres. Alii quinque et editio Morelliana *rependerunt.*

*Nec potuerunt rata.* Unus codex regius habet, *nec potuit ratum esse et proficere sacrificium irreligiose et illicite contra jus divinæ dispositionis oblatum.*

*Primatum assumere.* Quid istic significet primatus non satis assequor. Etenim non possum assentiri Pa-

agunt aut impetrare aliquid illicitis conatibus Deo possunt qui contra Deum, quod eis non licet, moliuntur [a] ? Quare qui Novatiano sive cæteris ejusmodi schismaticis [b] patrocinantur frustra contendunt baptizari et sanctificari illic aliquem salutari Baptismo posse ubi constet baptizantem [c] baptizandi licentiam [d] non habere.

IX. Atque ut magis intelligi posset contra ejusmodi audaciam quæ sit censura divina, invenimus in tali facinore non solum duces et auctores sed et participes pœnis destinari, nisi se a communione malorum separaverint, præcipiente per Moysen Domino et dicente : *Separamini a tabernaculis hominum istorum durissimorum, et nolite tangere ab omnibus quæ sunt eis, ne simul pereatis in peccato eorum* (*Num.* XVI). Et quod comminatus per Moysen Dominus fuerat implevit, ut quisquis se a Chore [e] et Dathan et Abiron non separasset, pœnas statim pro impia communione persolveret. Quo exemplo ostenditur et probatur obnoxios omnes et culpæ et pœnæ futuros qui se schismaticis contra præpositos et sacerdotes irreligiosa temeritate miscuerint. Sicut etiam per Osee prophetam Spiritus sanctus contestatur et dicit : *Sacrificia eorum tamquam panis luctus, omnes qui manducant ea contaminabuntur* (*Osee*, IX), docens scilicet et ostendens omnes omnino cum auctoribus supplicio conjungi qui fuerint eorum peccato contaminati.

X. Quæ ergo apud eos merita esse circa Deum possunt quibus supplicia divinitus irrogantur ? Aut quomodo tales justificare et sanctificare baptizatos possunt qui hostes sacerdotum aliena et illicita et nullo sibi jure concessa usurpare conantur ? Quos tamen ipsos non miramur pro sua pravitate contendere. Asserant [f] enim necesse est [g] singuli quique quod faciunt, nec volunt, victi facile succumbere, quamvis sciant id quod faciunt non licere. Illud mirandum est [h], immo indignandum potius et dolendum, Christianos antichristis assistere et prævaricatores fidei atque Ecclesiæ proditores intus in ipsa Ecclesia [i] contra Ecclesiam stare. Qui, quamquam pertinaces alias et indociles, vel hoc tamen confitentur quod universi sive hæretici sive schismatici non habeant Spiritum sanctum, et ideo baptizare quidem possunt, dare autem Spiritum sanctum non possunt, in hoc ipso a nobis tenentur ut ostendamus nec baptizare omnino eos posse qui non habeant Spiritum sanctum.

XI. Nam cum in Baptismo unicuique peccata sua remittantur, probat et declarat in Evangelio suo Dominus per eos solos peccata posse dimitti qui habeant Spiritum sanctum. Post resurrectionem enim discipulos suos mittens loquitur ad eos et dicit : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hoc cum dixisset, insufflavit et ait illis : Accipite Spiritum sanctum. Si cujus remiseritis peccata, remittentur illi ; si cujus tenueritis, tenebuntur* (*Joan.*, XX). Quo in loco ostendit eum solum posse baptizare et remissionem peccatorum dare qui habeat Spiritum sanctum. Denique ipsum Christum Dominum [j] nostrum baptizaturus Joannes accepit ante Spiritum sanctum cum adhuc esset in utero matris constitutus (*Luc.* I), ut certum esset atque manifestum baptizare non posse nisi eos qui habeant Spiritum Sanctum. Itaque qui hæreticis sive schismaticis patrociniantur, respondeant nobis an habeant Spiritum sanctum, an non habeant. Si habent, cur illic baptizatis, quando ad nos veniunt, manus imponitur ad accipiendum Spiritum sanctum, cum jam utique illic acceptus sit ubi si fuit dari potuit? Si autem foris tincti hæretici et schismatici non habent Spiritum sanctum, e

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Quod sibi non licet *Lin. Bod.* 2. Non licet *Bod.* 1.
[b] Hæreticis vel *Lam. Ebor. NC.* 1.
[c] Baptizantes *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1.
[d] Licentiam et audaciam *Bod.* 3.
[e] *Sic Lam. Lin. Ebor. NC* 1, 2. Quisquis a Chore *Oxon.*
[f] Asserant necesse est *Lam. Bod.* 1 2. *NC.* 1, 2. *Lin.*
[g] Necesse est insolenter *Lam. Bod.* 2.
[h] Illud autem mirandum *Bod.* 2. *Lam. Ebor. NC.* 1.
[i] *Sic Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. NC* 1. *Lin.* Intra ipsa sep Ecclesiæ *Oxon.* Tecta *Panel.*
[j] Ipsum Jesum Christum *Lam. NC.* 1. *Ebor.*

## STEPH. BALUZII NOTÆ.

melio ista referenti ad primatum summi Pontificis. Neque tamen transeo in opinionem Goulartii pronuntiantis hæc verba, quæ constat extare in antiquis codicibus et editionibus, ex margine irrepsisse in textum. Facilius crederem Cyprianum dicere voluisse Novatianum ducem et antesignanum schismaticorum primatus amore, id est cathedræ episcopalis, quam invaserat, eam retinuisse, sicut Rufinus, lib. v, cap. 28, ait Natalem primatus amore noluisse acquiescere visionibus sive revelationibus quibus admonebatur relinquere ecclesiam in qua ordinatus fuerat episcopus contra regulas ecclesiasticas. Sic Gelasius Papa in tractatu adversus Græcos de Petro invasore ecclesiæ Alexandrinæ ait : *Numquam igitur per* XXX *annos capere potuit nisi tunc cum episcopatus amore et ambitionis ardore fervebat* Itaque pro eo quod Rufinus dixerat *primatus amore* Gelasius posuit *episcopatus amore.*

IX. — *Ejusmodi audaciam.* Quatuor libri veteres et veteres editiones, *ejusmodi licentiam et audaciam.* Vide notas ad epistolam LXVIII, pag. 490.

X. — *Intus in ipsa Ecclesia.* Ita XXII libri veteres. Editio Sorbonensis, Veneta vetus, et Remboltiana, *in ipsam Ecclesiam.* Sic etiam codex Beccensis. Quod eodem recidit. Quare non possum accedere P me scribenti, *intra ipsa tecta Ecclesiæ.* Quamvis enim ferat auctoritatem quatuor veterum exemplarium quamvis duo a me visa habeant eamdem lectionem persto tamen in ea quam reposui, non solum q Manutius et Morellius ita quoque ediderunt ; et q me cogit auctoritas tot veterum exemplarium, sed i primis quia ita loqui amat Cyprianus, ut ostensum supra in notis ad epistolam LII, pag. 450.

XI. — *An habeant.* Ita omnes editiones ante Ma tianam et quatuordecim libri veteres. Manutius e scripsit *habeantur.* Et hanc lectionem ego reperi septem codicibus antiquis.

*Tincti.* Hæc emendatio debetur uni ex libris n veteribus. Sic etiam in epistola LXXII, pag. 128 : *qui sint foris extra Ecclesiam tincti.* Apud Gratian XXIV, q. 1, cap. *D dicimus* legitur *cuncti*, ut in v gatis Cypriani editionibus. Sic etiam codex sa Arnulphi.

Digitized by Google

ideo apud nos manus imponitur ut hic accipiatur quod illic nec est nec dari potest, manifestum est nec remissionem peccatorum dari per eos posse quos constet Spiritum sanctum non habere. Et idcirco ut secundum divinam dispositionem atque evangelicam veritatem peccatorum remissionem consequi et sanctificari ac templa Dei fieri possint Ecclesiæ Baptismo baptizandi sunt omnes omnino qui ab adversariis et antichristis ad Christi Ecclesiam veniunt.

XII. Quæsisti etiam [a], fili charissime [b], quid mihi de illis videatur qui in infirmitate et languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi christiani, eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi. Qua in parte nemini verecundia et modestia nostra præjudicat quo minus unusquisque quod putat sentiat et quod senserit faciat. Nos, quantum concipit mediocritas nostra, æstimamus in nullo mutilari et debilitari posse beneficia divina, nec minus aliquid illic posse contingere ubi plena et tota fide et dantis et sumentis accipitur quod de divinis muneribus hauritur. Neque enim sic in sacramento salutari delictorum contagia ut in lavacro carnali et sæculari sordes cutis et corporis abluuntur, ut aphronitris [c] et cæteris quoque adjumentis et sollo et piscina opus sit, quibus ablui et mundari corpusculum possit. Aliter pectus credentis abluitur, aliter mens hominis [d] per fidei merita mundatur. In sacramentis salutaribus necessitate cogente, et Deo indulgentiam suam largiente, totum credentibus conferunt divina compendia. Nec quemquam movere debet quod aspergi vel perfundi videntur ægri cum gratiam dominicam consequuntur, quando Scriptura sancta per Ezechielem prophetam loquatur et dicat : *Et aspergam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus immunditiis vestris, et ab omnibus simulacris vestris emundabo vos, et dabo vobis cor novum, et spiritum novum dabo in vobis* (*Ezech.* XXXVI, 25, 26). Item in Numeris : *Et homo qui fuerit immundus usque ad vesperam, hic purificabitur die tertio et die septimo* [e], *et mundus erit. Si autem non fuerit purificatus die tertio et die septimo, non erit mundus, et exterminabitur anima illa de Israel, quoniam aqua aspersionis non est super eum sparsa* (*Num.* XIX, 8, 12, 13). Et iterum : *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens : Accipe levitas de medio filiorum Israel, et purificabis eos. Et ita facies eis purificationem eorum. Circumsperges eos aqua purificationis* (*Num.* VIII, 5, 7). Et iterum : *Aqua aspersionis purificatio est* (*Ibid.* XIX, 9). Unde apparet aspersionem quoque aquæ instar salutaris lavacri obtinere et quando hæc in Ecclesia fiunt, ubi sit et accipientis et dantis fides integra, stare omnia et consummari ac perfici posse majestate Domini et fidei veritate.

XIII. Porro autem quod quidam eos salutari aqua et

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Quæsisti a me *Lam Bod.* 2. *NC.* 1.
[b] Frater *Eras. Spir. Vet. Inmom.*
[c] Ut et Aphronitris *Bod.* 1, 2. Sapone et nitris *Erasm.*
[d] Mens hominis perfidi mundatur *Lin.*
[e] Die septimo mundus erit *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1, 2. *Ebor.*

## STEPH. BALUZII NOTÆ.

*Ut hic accipiatur.* Codex Fuxensis : *ut hic accipiant quod illic non acceperunt necesse est nec dari per eos posse quos constat Spiritum sanctum non habere.*

XII. — *Quæsisti etiam.* Hanc postremam partem epistolæ Cypriani *ad Magnum* disjunxerunt a prima veteres operum sancti martyris editores. Primus illam recto consilio redingravit Pamelius. Omnes enim veteres libri in quibus illa continetur, exceptis Carnotensi et Eligiano, in quibus deest prima pars integra, et omnes, inquam, libri veteres habent utramque partem consequenter, quidam absque ullo discrimine, quidam addito in fronte secundæ partis : *ncipit ad eumdem epistola secunda*, vel *Incipit de his ui in lecto gratiam Dei*, vel *baptisma*, *consequuntur*. ed hæc discrimina adducta sunt a librariis. Ea ergo xemplaria puto esse meliora quæ nullam habent inscriptionem in secunda parte et habent in fronte pistolæ : *Incipit ad Magnum de Novatiano et de his qui lecto gratiam Dei consequuntur*, ut habeteti am editio pirensis, et in fine : *Ad Magnum de Novatiano et de squi in lecto gratiam Dei consequuntur explicit.* Mior autem Latinum Latinium, qui in codicibus suis debat scriptum in titulo istius epistolæ *Ad Magnum, Novatiano et de his qui in lecto gratiam consequunr*, partem epistolæ in qua agitur de his qui in ægridine gratiam Christi consequuntur divisisse a parte uperiori et alio transtulisse in editione sua, id est in anutiana. Nisi si is qui editioni Manutianæ præfuit m summa potestate, quemadmodum conqueritur Lalius, istud mutavit motu proprio, Latinio inconsulto.

*Fili charissime.* Codex Carnotensis habet *frater.* Sic iam vetustiores editiones.

*Aphronitris.* Id est spuma nitri, ut apud Ovidium Martialem. Vide Pamelium ad hunc locum, Cabonum ad Suetonium, et Salmasium ad scriptores Historiæ augustæ, tum etiam thesaurum linguæ Græcæ Henrici Stephani. Octavius Horatianus, lib. I, cap. 7 : *Ventositas vero, si interclusa erit, aphronitris in aceto resolutis excluditur.*

*Adjumentis.* Salmasius ad scriptores Historiæ augustæ existimat legendum esse *lumentis.* Lumentum enim recte conjungitur cum nitro ubi de balneis agitur. Nam et Papias lumentum interpretatur nitrum, si modo emendetur. Quippe apud eum legitur *vitrum* pro *nitrum.* Octavius Horatianus, lib. IV : *Lomentum fabacium bene correctum.* Martialis lib. V, epigram. 89, dixit :

Lomento rugas uteri quod condere tentas.

Vide etiam libr. VI, epigr. 93. Insigne mendum irrepsit in epistolam secundam Sulpitii Severi ad Claudiam sororem in libro primo Miscellaneorum nostrorum, ubi pagina 349 editum primo fuit *lamentis spiritalibus.* Quod recte emendavit vir doctissimus Joannes Baptista Cotelerius in tomo secundo monumentorum ecclesiæ Græcæ, pag. 541, ubi egregie illustrat hunc locum. Itaque locus iste Severi emendatus est in altera editione. Ego lubenter admitterem emendationem Salmasii, quæ mihi videtur optima. Verum vulgata lectio habet etiam optimum sensum. Et ideo non sum ausus mutare destitutus auctoritate veterum exemplarium.

*Mundatur.* Tres libri veteres habent *purgatur.*

*Aqua aspersionis.* Ita omnes fere libri veteres. In decem tamen et in antiquis editionibus legitur *aspergnis.*

*Et accipientis et dantis.* Ita antiquæ editiones et omnes fere libri veteres. Erasmus posuit *et dantis et accipientis*, ex conjectura tantum, ut opinor, quia datio præcedere debet acceptionem, ut apud Valerium Maximum, lib. V, cap. 3, *dandi et accipiendi beneficii commercium*, et quod paulo supra legitur *ab*;

Digitized by Google

fide legitima Christi gratiam consecutos non christianos sed clinicos vocant, non invenio unde hoc nomen assumant; nisi forte qui plura et secretiora legerunt apud Hippocratem vel Soranum, clinicos istos deprehenderunt. Ego enim, qui clinicum de Evangelio novi, scio paralytico illi et debili per longa ætatis curricula in lecto jacenti nihil infirmitatem suam obfuisse quominus ad firmitatem cælestem plenissime perveniret, nec tantum indulgentia dominica excitatum de grabato esse, sed ipsum grabatum suum reparatis et vegetatis viribus sustulisse. Et idcirco, quantum fide concipere et sentire nobis datur, mea sententia hæc est, ut christianus judicetur [a] legitimus quisquis fuerit in Ecclesia lege et jure fidei divinam gratiam consecutus. Aut si aliquis existimat eos nihil consecutos eo quod aqua salutari tantum perfusi sint [b], sed inanes et vacui sunt, non decipiantur, ut si incommodum languoris evaserint et convaluerint, baptizentur. Si autem baptizari non possunt qui jam baptismo ecclesiastico sanctificati sunt, cur in fide sua et Domini indulgentia scandalizantur? An consecuti sunt quidem gratiam dominicam, sed breviore et minore mensura muneris divini ac Spiritus sancti, ut habeantur quidem christiani, non sint tamen cæteris adæquandi?

XIV. Quin immo Spiritus sanctus non ad mensuram datur, sed super credentem totus infunditur. Nam si dies omnibus æqualiter nascitur, et si sol super omnes pari et æquali luce diffunditur, quanto magis Christus sol et Dies verus in Ecclesia sua lumen vitæ æternæ pari æqualitate largitur? Cujus æqualitatis sacramentum videmus in Exodo esse celebratum (*Exod.* xvi), cum de cœlo manna deflueret et futurorum præfiguratione alimentum panis cœlestis et cibum Christi venientis ostenderet. Illic enim sine discrimine vel sexus vel ætatis gomor a singulis [c] æqualiter colligebatur. Unde apparebat Christi indulgentiam et cælestem gratiam postmodum secuturam æqualiter omnibus dividi sine sexus varietate, sine annorum discrimine, sine acceptione personæ, super omnem Dei populum spiritalis gratiæ munus infundi. Plane eadem gratia spiritalis, quæ æqualiter [d] in Baptismo a credentibus sumitur, in conversatione atque actu nostro postmodum vel minuitur vel augetur; ut in Evangelio dominicum semen æqualiter seminatur, sed pro varietate terræ aliud absumitur, aliud in multiformem copiam vel tricesimi vel sexagesimi vel centesimi numeri fructu exuberante cumulatur. Adhuc vero cum singuli ad denarium vocentur, quid est ut quod a Deo æqualiter distribuitur humana interpretatione minuatur?

XV. Quod si aliquis in illo movetur quod quidam de iis qui ægri baptizantur [e] spiritibus adhuc immundis tentantur [f], sciat diaboli nequitiam pertinacem usque ad aquam salutarem valere, in Baptismo vero omne nequitiæ suæ virus amittere. Quod exemplum cernimus in rege Pharaone qui, diu reluctatus et in sua perfidia demoratus tamdiu resistere potuit et prævalere donec ad aquam veniret: quo cum venisset, et victus est et extinctus. Mare autem illud sacramentum Baptismi fuisse declarat beatus apostolus

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Christianus judicatur, quisquis *Lam.*
[b] Si inanes *Bod.* 1, 2. *Lam. Lim. Ebor. NC.* 1.
[c] Gemor singuli æqualiter colligebant *Lam. NC.* 2. *Lin.*
[d] Æqualiter colligebatur *Lam. Ebor. NC.* 1.
[e] Baptizabantur *Lam. NC.* 1. *Ebor.*
[f] Tentabantur *Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. NC.* 1.

## STEPH. BALUZII NOTÆ.

***plana et tota fides et dantis et sumentis accipitur.*** Ego putavi rejiciendum non esse consensum tot veterum librorum, quamvis Rigaltius et editio anglicana retinuerint emendationem Erasmi.

**XIII.** — *Clinicos.* Ita plerique libri veteres. In quibusdam scriptum est characteribus græcis majusculis ΚΛΕΝΙΚΩΣ et hic et paulo post. Hieronymus in epitaphio Fabiolæ: *Quem nudum et clinicum non Fabiolæ vestimenta texerunt?* Et paulo post: *Quis clinicorum non ejus facultatibus sustentatus est.* Vide Heriberti Rosweydi *Onosmaticon* ad vitas Patrum, Petavii observationes ad Epiphanium, Beveregium ad canonem XII Concilii Neocæsariensis, et glossarium latinum Cangii. Vide etiam Martialem, lib. I, epigr. 87.

*Soranum.* Methodicæ medicinæ instructissimum auctorem, ut eum vocat Tertullianus in libro de Anima; medicinæ doctorem nobilissimum, ut Augustinus, l. V, adversus Julianum Pelagianum et lib. II Retract. cap. 62. Duos istius nominis summos medicos commemorat Suidas, utrumque Ephesium. De utro eorum sit intelligendum quod istic ait sanctus Cyprianus, an vero de Cilice cognomento Mallote, cujus etiam meminit Suidas, difficile dictu est. De Cilice hic agi fortassis hinc colligi posset quod Asclepiodotus, ut idem Suidas ait, neminem antiquiorum medicorum post Hippocratem probabat præter hunc Cilicem. Nam Cyprianus Hippocratem et Soranum conjungit tamquam peritissimos medicorum. Sorani medici opera latinizasse se scribit Cælius Aurelianus Siccensis, lib. II de Morbis acutis, cap. 1 et 28. De eodem sic scribit in præfatione librorum de tardis Passionibus: ***Soranus plenissime cunctarum diligentiam tradidit atque speciale corpus scripturæ formavit, de passione capitis initia sumens.*** De Soranis vide bibliothecam Latinam Jo. Alberti Fabricii. Circumferuntur epistolæ M. Antonii et Cleopatræ ad Soranum et istius responsiones. Auctorem illarum, quæ certo falsæ sunt et suppositiæ, oportet fuisse hominem admodum ad libidinosum et verborum ac rerum obscœnarum amatorem libidinosissimum.

***Ad firmitatem cælestem.*** Codex Fuxensis, ***ad firmitatem cælesti gratia plenissime posset pervenire.***

***Scandalizantur.*** Ita veteres editiones et quatuor libri veteres. Manutius et post eum alii scripserunt *scandalizarentur.* Quæ lectio nititur auctoritate decem veterum exemplariorum. Ego præfero veterem, uti meliorem, meo quidem judicio. Erunt fortassis qui aliter sentient.

**XIV.** — *Manna defluere.* Codex sancti Arnulphi *deplueret.* Recte profecto. Ps. LXXVII. *Et pluit illis manna ad manducandum.* Columella, lib. X:

Inque sinus matris violento depluit imbre.

Tibullus lib. I, eleg. 5.

Multus ut in terras deplueretque lapis.

Tertullianus in libro de Patientia, ***post mannæ escabilem pluviam.***

*Ostenderet.* Quatuor libri veteres *exprimeret.*

**XV.** — *Tentabantur.* Viginti et unus libri veteres habent *tentabantur.* Sed tamen iidem, paucis exceptis, et quinque Anglicani habent paulo ante *baptizantur.* At Beccensis et editio Morellii habent *baptizabantur.*

Paulus dicens : *Nolo enim vos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes per mare transierunt, et omnes in Moyse* [a] *baptizati sunt in nube et in mari* (I *Cor.* x, 1, 2, 6). Et addidit dicens : *Hæc autem omnia figuræ nostræ fuerunt.* Quod hodie etiam geritur, ut per exorcistas voce humana et potestate divina flagelletur et uratur et torqueatur diabolus, et cum exire se et homines Dei dimittere sæpe dicat, in eo tamen quod dixerit fallat, et id quod per Pharaonem prius gestum est eodem mendacio obstinationis et fraudis exerceat. Cum tamen ad aquam salutarem atque ad Baptismi sanctificationem venitur, scire debemus et fidere quia illic diabolus opprimitur, et homo Deo dicatus divina indulgentia liberatur. Nam si sicut scorpii et serpentes, qui in sicco prævalent, in aquam præcipitati prævalere non possunt [b] aut sua venena retinere [c], sic et spiritus nequam [d], cui scorpii et serpentes appellantur, et tamen per nos data a Domino potestate calcantur, permanere ultra non possunt in hominis corpore, in quo baptizato in sanctificato incipit Spiritus sanctus habitare.

XVI. Hoc denique et rebus ipsis experimur, ut necessitate urgente in ægritudine baptizati et gratiam consecuti careant immundo spiritu quo antea movebantur, et laudabiles ac probabiles in Ecclesia vivant, plusque per dies singulos in augmentum cœlestis gratiæ per fidei incrementa proficiant. Et contra sæpe nonnulli de illis qui sani baptizantur, si postmodum peccare cœperint, spiritu immundo redeunte quatiuntur; ut manifestum sit diabolum in Baptismo fide credentis excludi, si fides postmodum defecerit, regredi. Nisi si justum quibusdam videtur ut illi qui extra Ecclesiam apud adversarios et antichristos profana aqua polluuntur baptizati judicentur, hi vero qui in Ecclesia baptizantur minus indulgentiæ et gratiæ divinæ consecuti esse videantur, et tantus honor habeatur hæreticis ut inde venientes non interrogentur utrumne loti sint an perfusi, utrumne clinici sint an peripatetici, apud nos autem de integra fidei veritate detrahatur, et Baptismo ecclesiastico majestas sua et sanctitas derogetur.

XVII. Rescripsi, fili charissime, ad litteras tuas quantum parva nostra mediocritas valuit, et ostendi quid nos tantum in nobis est sentiamus, nemini prærscribentes quominus statuat quod putat unusquisque præpositus actus sui rationem Domino redditurus, secundum quod beatus apostolus Paulus in epistola sua ad Romanos scribit et dicit : *Unusquisque nostrum pro se rationem dabit. Non ergo nos invicem judicemus* (*Rom.* XIV, 12). Opto te, fili charissime, semper bene valere.

## CONCILIUM ICONIENSE

### CONTRA CATAPHRYGAS, CELEBRATUM ANNO 258 SUB STEPHANO PAPA I.

Concilium Iconiense habitum est anno 258, seu, verius, 256, Iconii in Phrygia, occasione Cataphrygarum hæreticorum, ut de iporum omniumque aliorum hæreticorum Baptismatis valere, quid statuendum sit inquirerent. Ex Cappadocia, Cilicia, Galatia aliisque proximis Orientalibus regionibus episcopi ad hanc synodum accesserunt : a quibus omnibus constitutum ac decretum est nihil eorum quæ ab hæreticis facta sunt, ab Ecclesia catholica recipiendum esse : ordinationes, Baptismum, manuum impositiones, aliudve sacrum quodvis ab hæreticis administratum invalidum esse. Stephanus, pontifex Romanus episcopos Orientales hæc constituentes excommunicat et apostolicæ sedis communione privat : ipsam vero synodum erraticam, contra Apostolorum traditionem erroneum dogma confirmantem, reprobat. Orientales ad Pontificem suos quidem legatos, qui de rebus in synodo gestis coram pontifice rationem redderent, ablegarunt; verum Romam venientes, a sancto Stephano pontifice neque recepti, neque auditi fuerunt. Ob quam causam Firmilianus, Cæsareæ Cappadociæ episcopus ad Cyprianum eam quæ acta hujus concilii enarrat, et de legatis non auditis valde conqueritur; epistolam sequentem hanc conscripsit. BARON., ann. 258, 14, 15 et 16.

Certum est, inquit Pagius ad ann. Chr. 255, n. 15 et 16, concilium Iconiense, in quo rebaptizatio hæreticorum decreta, ante Stephani pontificatum celebratum. Id enim diserta testatur Firmilianus in epistola ad Cyprianum, ubi de Iconiensi synodo ita loquitur : *Quod totum nos jampridem in Iconio, qui Phrygiæ locus est, collecti, in unum convenientibus ex Galatia et Cilicia, et cæteris proximis regionibus confirmavimus.* Ubi pronomen *nos* non de ipsius Firmiliani persona, sed potius de ejus decessoribus accipiendum; cum Firmilianus eam synodum jampridem collectam affirmet, et in fine ejusdem epistolæ synodi hujus vetustatem manifestissime indicet, ut observavit Valesius in *Notis Eusebianis* ad lib. VII, cap. 7. Nam, cum Stephanus papa, Cypriano scribens, antiquam Ecclesiæ consuetudinem in recipiendis hæreticis adversus assertatores novi dogmatis opposuisset, Firmilianus hoc argumentum adversus Afros fortasse

### LECTIONES VARIANTES.

[a] In Moysen *Lam. Lin. Ebor. NC.* 1, 2.
[b] *Sic Lips. et vett.* Prævalere possunt *Oxon. Rigalt. Pamel.*
[c] Retinere nesciunt *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[d] An spiritus nequam *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. Possunt et spiritus *Oxon. Pamel. Rigalt.*

### STEPH. BALUZII NOTÆ.

*In nube et in mari.* Hæc non exstant in codice sancti Arnulphi.

XVI. — *Clinici an peripatetici.* Nisi constaret hic, i. de clinis, id est paralyticis, facile putarem legendum esse *Cynici* propter hæc verba Senecæ ex epistola XXIX : *Sed idem hoc omnes ex omni domo conclamabant, Peripatetici, Academici, Stoici, Cynici.*

XVII. — *Fili charissime.* Codex sancti Arnulphi habet *frater.*

Digitized by Google

valere dicit; et quomodo Afri id refutare possint, ibidem docet. Contra Orientales nullam vim illud habere demonstrat, apud quos semper rebaptizati fuerint hæretici, jam inde ab Iconiensi synodo, quæ ob Montanistas fuerat indicta. His addit Valesius Dionysium Alexandrinum in epist. ad Philemonem Romanæ urbis presbyterum, quam scripsit sub initia pontificatus Xysti papæ, ubi ait: *Illud præterea didici, non ab Afris solis hunc morem nunc primum invectum fuisse, sed et multo antea superiorum episcoporum temporibus in ecclesiis popularissimis, et in conciliis fratrum apud Iconium et Synnada, et apud alios plurimos idem sancitum fuisse.* Hinc, sub extrema Alexandri Severi tempora, quibus Firmilianus ad Cæsariensis ecclesiæ sacerdotium recens promotus fuerat, ut docet Eusebius in lib. VI, synodum Iconiensem collectam credit Valesius, ideoque ante Cornelii papæ pontificatum. Hactenus Pagius. Harduinus, *in Indice Conciliorum*, tomi I. Iconii et Synnadis concilia habita esse anno circiter 255 affirmat. De his vide et Augustinum lib. III *contra Crescon.*, cap. 4, 3.

## EPISTOLA

### FIRMILIANI, EPISCOPI CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ, AD CYPRIANUM CONTRA EPISTOLAM STEPHANI.

ARGUMENTI *prorsus ejusdem est cum præcedenti, sed paulo vehementius et acerbius quam episcopum deceat scripta, ea potissimum, quantum suspicor, de causa, quod ad Firmiliani, Helenum et cæteros illarum partium episcopos Stephanus aliam quoque epistolam scripserat, se illis non communicaturum quamdiu in ea sententia de baptizandis hæreticis persisterent; uti ex epistola Dionysii Alexandrini ad Xistum, Stephani successorem, docet Eusebius Hist. Eccles. lib.* VII, *c.* 4. *Atque adeo fortassis consultius foret, numquam editam fuisse hanc epistolam, ita ut putem consulto illam omisisse Manutium. Verum quum a Morelio evulgata sit, prætermittere nolui, tum quod res quasdam memorandas contineat, tum quod antidoti loco esse queant verba epistolæ dicti Dionysii ad Stephanum, quam habet, dicti libr. c.* 3, *Eusebius, et repetit latius Nicephorus Hist. eccles. lib.* VI, *c.* 7; *ex quibus palinodiam illum, quod aiunt, cecinisse constat.* « *Scito, inquit, frater, orientales atque etiam ulteriores ecclesias quæ antea dissidebant, ad unitatem esse reductas, omnesque utique earum antistites unanimes et consentientes, supra modum de pace et concordia quæ præter exspectationem accidit lætari; Demetrianum in primis Antiochenum, Theoctistum Cæsariensem, Mazabenem Eliensem, Alexandri defuncti successorem, Marinum Tyrium, Heliodorum Laodicensem, qui in locum Thelymedris subrogatus est, Helenum Tharsensem, et ecclesias Ciliciæ omnes,* Firmilianum *et Cappadociam omnem. Præcipuos enim episcoporum nominavi, ne epistola longior fiat, neve multis verbis sim molestior. Sed et universæ Syriæ et Arabiæ, Mesopotamia ipsa, Pontus, Bythynia; et, ut semel dicam, exsultant ubique omnes, concordia et fraterna charitate glorificantes Deum.* » *Hactenus Dionysius, cui similia videre est apud D. Hieronymum contra Luciferianos, et apud D Aug. l.* III *Contra Cresc. Gramm. c.* 1. 2 *et* 3, *ubi, ex ipsa confessione Donatistarum, refert orientales episcopos rescidisse seu potius correxisse suum judicium, quo eis placuerat, de ista Baptismi quæstione Cypriano et Africano concilio consentire oportere.* PAMELIUS.

I. Firmilianus Cypriano fratri [a], in Domino salutem. Accepimus per Rogatianum charissimum nostrum diaconum a vobis missum litteras quas ad nos fecisti, frater dilectissime; et gratias propter hoc Domino maximas [b] egimus quod contigerit ut qui corpore ab

### LECTIONES VARIANTES.

[a] Fratri autem *MR. Mich. Goul.*

[b] Deo maximas *Ar.*

### VARIORUM NOTÆ.

EPIST. FIRMILIANI. — Hanc epistolam, quam primus protulit Morellius, habebant etiam ii qui Romæ præfuerunt editioni operum sancti Cypriani in officina Pauli Manutii. Illi autem, ut ait Latinus Latinius, non probaverunt uti e tenebris proferretur; hujusque concilii auctorem se et suasorem fuisse ipse testatur ingenue, cum majorum exempla secutum, tum hominis, id est Firmiliani, cujus ea epistola est, petulantiam detestatum. Postea Pamelius, qui illam repererat in sex antiquis codicibus, eam recudit, immens tamen, quo erat in rempublicam christianam et ecclesiasticam affectu, se illam omissurum fuisse, quod paulo vehementius et acerbius quam episcopum deceat scripta sit, nisi jam a Morellio fuisset edita. Scilicet Romanos et Pamelium commoverunt liber Firmiliani stylus ex excandescentia adversus papam Stephanum diverse ab eo sentientem. At, si attente considerassent quanti et quam vehementes soleant esse affectus cum agitur de causa religionis et fidei, considerassent etiam quam vehemens et acerbus fuerat Stephanus scribens adversus Cyprianum, profecto hanc excandescentiam condonassent Firmiliano, neque propterea tenebris damnandum esse putassent illustre hoc antiquitatis ecclesiasticæ monumentum, in quo sane bene multa sunt magni momenti quibus hodie careremus, cum grandi rerum nostrarum dispendio, ut in simili argumento censuit Sirmondus edens in lucem libellum precum Marcellini et Faustini adversus papam Damasum. Neque illa Romanorum aut Pamelii cura impedivisset in hac luce litterarum quin epistola illa prodiret in publicum. Cum enim certum sit illam ex veteri libro editam fuisse a Morellio, extiterit etiam in sex codicibus Pamelio visis, in iis in quibus inventa est a Latinio, in septem quibus usi sunt Angli in sua editione, in decem cum quibus ego contuli opera sancti Cypriani, manifestum est illam non potuisse semper latere, etiamsi Morellius non edidisset. Codices autem cum quibus illam contuli sunt, unus Remigianus, duo Compendienses, duo Victorini, unus Pithœanus, unus monasterii Beccensis, Lætiensis, Bigotianus et unus meus. Assentior autem Pamelio et Rigaltio, existimantibus illam græce scriptam fuisse a Firmiliano, versam autem latine a sancto Cypriano. Epistola ergo Firmiliani inventa est in viginti sex codicibus manuscriptis. BALUZ.

I. — *Firmilianus.* Cæsareæ Cappadociæ episcopus, Origenis auditor et admirator, ut docet Eusebius lib. VI, cap. 2, *Historiæ ecclesiasticæ*, cujus et magnæ illius famæ in Ecclesia Dei mentionem facit, cap. 46 et lib. VII, cap. 5, et 30. Vide etiam epistolam primam Basilii *ad Amphilochium*. Præsedit priori synodo Antiochenæ, ut ostendit Henricus Valesius ad Eusebium. Obiit apud Tharsum in Cilicia anno Christi 272. BALUZ.

Digitized by Google

invicem separamur sic spiritu adunemur quasi non unam tantum regionem tenentes, sed in ipsa atque in eadem [a] domo simul inhabitantes. Quod et decet dicere, quia et spiritalis domus Dei una est. *Erit enim in novissimis*, ait Propheta, *diebus manifestus mons Domini et domus Dei super vertices montium* (*Isai.* II). In quam convenientes [b] cum jucunditate adunantur, secundum quod et in Psalmo hoc postulatur a Domino inhabitare in domo Dei per omnes dies vitæ (*Ps.* XXVI). Unde et in alio loco manifestatum est esse apud sanctos magnam voluntatis charitatem inunum convenire. *Ecce*, inquit, *quam bonum et voluptabile est ut habitent fratres in unum!*

II. Adunatio enim et pax et concordia, non solum hominibus fidelibus et cognoscentibus veritatem, sed et Angelis ipsis cœlestibus voluptatem maximam præstat, quibus dicit sermo divinus esse gaudium in uno peccatore pœnitentiam agente et ad unitatis vinculum revertente (*Luc.* XV). Quod utique non diceretur de Angelis conversationem in cœlis habentibus, nisi ipsi quoque essent nobis adunati, qui nostra adunatione lætantur; sicut e contrario utique contristantur, quando vident diversas quorumdam mentes et scissas voluntates, quasi non tantum unum et eumdem Deum simul invocent, sed separatis et divisis ab invicem nec confabulatio jam possit esse aut sermo communis. Nisi quod nos gratiam referre Stephano in isto possumus quod per illius inhumanitatem nunc effectum sit ut fidei et sapientiæ vestræ experimentum caperemus. Sed non enim si nos [c] propter Stephanum hanc beneficii gratiam cepimus, statim Stephanus beneficio gratia digna commisit. Neque enim et Judas perfidia sua et proditione, qua scelerate circa Salvatorem operatus est, dignus videri potest quasi causam bonorum tantorum ipse præstiterit ut per illum mundus et gentium populus passione Domini liberaretur [d].

III. Sed hæc interim quæ ab Stephano gesta sunt prætereantur; nedum audaciæ et insolentiæ ejus meminimus, de rebus ab eo improbe gestis longiorem mœstitiam nobis inferamus. De vobis autem cognoscentes quod secundum regulam veritatis et sapientiam Christi, hoc de quo nunc quæritur [e] disposueritis, cum magna lætitia exultavimus et Deo gratias egimus, quia invenimus in fratribus tam longe positis tantam nobiscum fidei et veritatis unanimitatem [f]. Potens est enim gratia Dei copulare et conjungere charitatis atque unitatis vinculo etiam ea quæ viden-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Una atque eadem *Goul.*
[b] In qua convenientes *Ar. Bod.* 2.
[c] *Sic Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. *Mich. Vict.* Enim *omitt. Oxon.*
[d] *Sic Lam. Ebor. NC.* 1. *Ar. Bod.* 3. *Mich. Morel. Goul.* Passione Domini *omitt. Oxon.*
[e] Hoc de quo nunc sequitur *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *MR. Bod.* 2.
[f] Veritatis unitatem *Lam. Ebor. Ar. NC.* 1. *MR.*

## VARIORUM NOTÆ.

Scripsisse eam Firmilianum anno 256 ingravescente tempore hiberno, ostendit Pearsonius in *Annal. Cyprianicis* ad ann. 256, sect. x. Obiit anno 272. Litem autem Stephanum inter et ecclesias orientales exortam de hæreticis rebaptizandis memoravit in epistola ad Xystum Romanum S. Dionysius Alexandrinus his verbis, Ἐπέσταλκεν μὲν οὖν (Stephanus) πρότερον καὶ περὶ Ἑλένου καὶ περὶ Φιρμιλιανοῦ, καὶ πάντων τῶν ἀπὸ τῆς Κιλικίας καὶ Καππαδοκίας, καὶ Γαλατίας, καὶ πάντων τῶν ἐξῆς ὁμορούντων ἐθνῶν· ὡς οὐδὲ ἐκείνοις κοινωνήσων, διὰ τὴν αὐτὴν ταύτην αἰτίαν, ἐπειδὴ τοὺς αἱρετίκους, φησὶν, ἀναβαπτίζουσι. Apud Eusebium *Hist. Eccl.* VII, 5. Porro unus de Firmiliani successoribus in Cæsariensi sede S. Basilius M. hujus atque Cypriani de rebaptizandis hæreticis sententiam commemoravit in Epistola sua Canonica *ad Amphilochium* in Beveregii *Synodico* posita. Quid, quod Cypriani et quorumdam orientalium litteras, quæ apud hæreticos et schismaticos datum baptismum improbant, suo superesse tempore significat S. Augustinus? Vid. Lib. ejus III. *Contra Cresconium* cap. 1 et Librum ejus *Contra Petilianum* cap. 14. Plura autem contra adversarios epistolæ, quæ in editionem Conciliorum Florentinam nunc demum recepta est, infra annotabimus. ROUTH.

*In una atque in eadem domo.* Sic vulgo. *ipsa* pro *una*, mutavi fide nixus codicis Simonis Goulartii, qui Cyprianum edidit anno 1593, idemque faciendum suasit. Græca inerant, ROUTH.

*Magnam voluntatis charitatem, in unum convenire.* Hæc verba mendo non carere videntur. Quid si pro isto, *voluntatis charitatem*, reponamus *voluntatis alacritatem?* Exstat apud Apostolum in Epist. ejus posteriore ad *Corinthios* ἡ προθυμία του θέλειν, VII, 11; et in *Glossariis Vett.* habes Ἡ προθυπία, *alacritas.* ROUTH.

II. — *Quasi non tantum unum*, etc. Afferenda sunt, quæ de hoc loco scripsit vir eruditus Prudentius Maranus in Vita S. Cypriani editioni Baluzianæ, seu Benedictinæ, præmissa. «Hæc Firmiliani epistola quæ latine reddita exstat inter Cyprianicas septuagesima quinta, sic Cypriani stylum redolet, ut non alium interpretem habuisse videatur. Fidus interpres Græcæ linguæ ingenium nonnullis in locis retinuit. Paulo post initium, *Contristantur* (angeli) *quando vident diversas quorumdam mentes et scissas voluntates, quasi non tantum unum et eumdem Deum simul invocent, sed separatis et divisis ab invicem nec confabulatio jam possit esse, aut sermo communis*; id est, quasi non tantum unum et eumdem Deum simul non invocent; quæ postrema negatio nonnumquam omittitur apud Latinos, sed sæpius apud Græcos. » § 31, pag. 118. Tum pergit vir cl. ad alios locos similes indicandos, de quibus ordine suo posthac. ROUTH.

*Passione Domini.* Nescio quomodo factum est ut ista exciderint in editionibus quæ emissæ sunt post Morellianam, in qua exstant. Habentur enim in omnibus antiquis codicibus, uno vetere Victorino excepto, et in codice etiam episcopi Acconensis. Hujus omissionis auctor est Pamelius, qui ait hæc non habere codices manuscriptos et textum indicare illa esse superflua. Magis miror Anglos, qui, cum ea haberent in quinque libris suis veteribus, scirent etiam exstare in quibusdam nostris, et Rigaltium monuisse in observationibus suis ea non debere rejici, ea tamen in textum recipere noluerunt, satis factum lectori putantes si monerent se ita invenisse in antiquis codicibus. BALUZ.

III.—*Invenimus in fratribus nostris tam longe positis.* Sententiæ Cypriani super hæreticorum baptismo favebant non solum per Africam, Numidiam, et Mauritaniam ecclesiæ quamplurimæ, verum etiam omnes fere quæ in Oriente magno numero Christianam pietatem profitebantur. In iis autem episcopi nobilium civitatum celeberrimi innominatim indicati epistola ad Stephanum, quæ, prima est de septem illis Dionysii Alexandrini περὶ βαπτίσματος ab Eusebio memoratis. Et in ea quidem epistola magnus ille Dio-

Digitized by Google

tur longiore terrarum spatio esse divisa, secundum quod et olim intervallo temporum separatos ab Job et Noe, qui in primis fuerant, Ezechielem et Danielem posteriores ætate ad unanimitatis vinculum virtus divina conjunxit, ut, quamvis temporibus longis discreti essent, eadem divina inspiratione sentirent. Quod et nunc in vobis animadvertimus, ut qui longissimis regionibus a nobis separati estis, sensu tamen et spiritu copulatos vos esse nobiscum probaretis. Quod totum hoc fit divina unitate. Nam, cum Dominus unus atque idem sit qui habitat in nobis, conjungit ubique et copulat suos vinculo unitatis. Unde in universam terram exivit sonus eorum qui a Domino missi sunt unitatis spiritu velociter currentes; sicut e contrario nihil prodest aliquos proximos et junctos sibi esse corporibus, si animo et mente dissideant, quando adunari animæ omnino non possint quæ se a Dei unitate diviserint : *Ecce enim*, inquit, *qui longinquant se abs te peribunt* (*Psal.* LXXII, 27). Sed tales judicium Domini pro merito suo subibunt, recedentes a verbis ejus qui Patrem pro unitate deprecatur et dicit : *Pater, da ut, quomodo ego et tu unum sumus, sic et hi in nobis unum sint* (*Joan.* XVII, 21).

IV. Nos vero ea, quæ a vobis scripta sunt, quasi nostra propria suscepimus [a], nec in transcursu legimus, sed sæpe repetita memoriæ mandavimus [b]. Neque obest utilitati salutari, aut eadem retexere ad confirmandam veritatem, aut et quædam addere ad cumulandam probationem. Si quid autem a nobis additum fuerit, non sic additur quasi a vobis aliquid minus dictum sit, sed quoniam sermo divinus humanam naturam supergreditur, nec potest totum et perfectum anima concipere, idcirco et tantus est numerus Prophetarum, ut multiplex et divina [c] sapientia per multos distribuatur. Unde et tacere præcipitur primo in prophetia loquenti, si secundo fuerit revelatum (1 *Cor.* XIV, 30). Qua ex causa necessario apud nos fit ut per singulos annos seniores et præpositi in unum conveniamus ad disponenda ea quæ curæ nostræ commissa sunt, ut, si qua graviora sunt, communi consilio dirigantur, lapsis quoque fratribus et post lavacrum salutare a diabolo vulneratis per pœnitentiam medela quæratur; non quasi a nobis remissionem peccatorum consequantur, sed ut per nos ad intelligentiam delictorum suorum convertantur et Domino plenius satisfacere cogantur.

V. Quoniam vero legatus iste a vobis missus regredi ad vos festinabat, et hibernum tempus urgebat, quantum potuimus ad scripta vestra rescripsimus. Et quidem, quantum ad id pertineat quod Stephanus dixit, quasi Apostoli eos qui ab hæresi veniunt baptizari prohibuerint et hoc custodiendum posteris tradiderint, plenissime vos respondistis neminem tam stultum esse qui hoc credat Apostolos tradidisse, quando etiam ipsas hæreses constet execrabiles ac detestandas postea exstitisse, cum et Marcion, Cerdonis discipulus, inveniatur sero post Apostolos et post longa ab eis tempora sacrilegam adversus Deum traditionem induxisse; Apelles quoque, blasphemiæ ejus consentiens, multa alia nova et graviora fidei ac veritati inimica addiderit. Sed et Valentini et Basilidis tempus manifestum est, quod et ipsi, post Apostolos et post longam ætatem, adversus Ecclesiam Dei scelerati mendaciis suis rebellaverint. Cæteros quoque hæreticos constat pravas suas sectas et inventiones perversas, prout quisque errore ductus est,

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic Lam. Ebor. Ar. Mich. Vict.* Suscipimus *Oxon.*
[b] Mandamus *Mich. Vict. Goul.*
[c] *Sic Mich. Vict. Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. Et *omitt. Oxon.*

## VARIORUM NOTÆ.

nysius Stephanum certiorem faciebat, sedatos esse motus, quos in Oriente Novatiani concitaverant, itaque omnes ecclesias in eo consentire, ut lapsis pœnitentia daretur; verum adjecerat aliquid de pœnitentibus, qui ab hæreticis redirent, baptizandis, quod prætermisit Eusebius; unde Baronius (hic addendus est Pamelius Baronium secutus in notis ad Cyprianum), occasionem sumpsit affirmandi pro certo, sic omnes illas ecclesias acquievisse Stephano, ut in ejus decretum, de non baptizandis hæreticis, abdicata Cypriani sententia, convenirent; quod adeo non est ab Dionysio traditum, ut defuncto postmodum Stephano idem ille Dionysius Xystum Stephani successorem per alteram epistolam diligenter ac serio monuerit; consideraret attentius quæstionis pondus et causæ difficultatem : Stephanum quidem Heleno et Firmiliano, cæterisque per Ciliciam et Cappadociam et finitimas ecclesias episcopis nunciasse per litteras, minime communicaturum se cum iis, eo quod hæreticos rebaptizarent. Verumtamen esse magni momenti negotium, ὄντως γὰρ δόγματα γέγονεν ἐν ταῖς μεγίσταις τῶν ἐπισκόπων συνόδοις, ὡς πυνθάνομαι ὥστε τοὺς προσίοντας ἀπὸ αἱρέσεως προσταχηθέντας, εἴτε ἀπολούεσθαι καὶ ἀποκαθαίρεσθαι τὸν τῆς παλαίας καὶ ἀκαθάρτου ζύμης ῥύπον. Pergit Dionysius, aitque hoc se ab Antiochiæ, Cæsareæ, Æliæ, Tyri, Laodiceæ, Tarsi episcopis rogatum scribere Xysto : quin et compresbyteris suis Dionysio et Philemoni, qui fuerant ejusdem cum Stephano sententiæ, scripsisse hac de re plenius et uberius. REALTIUS.

IV. — *Mandamus.* Sic Routhius pro præterito *mandavimus* ex quinque codd. scriptis, e quibus tres in edit. Oxon. memorantur, quartus Bodleianus, quintus novi collegii est. ROUTH.

V. — *Hibernum tempus.* Hinc collegit Baronius hanc epistolam fuisse scriptam anno 257, aliquanto tempore ante hyemem. At Pearsonius in *Annalibus Cyprianicis* contendit ista accidisse anno superiore. BALUZ.

*Postea exstitisse.* Verum hoc est, si modo sermo sit de hæreticis illis, quorum causa tunc temporis agebatur, quosque hic nominat Firmilianus, maxime quidem tempore ejus vigentibus; sed æque verum est, hæreses haud minus pestiferas in apostolico ævo exstitisse. Dignus autem est, qui de hac re conferatur Tertullianus, supra, in lib. *de Præscript. Hæret.* cap. 33 et 34. ROUTH.

*Basilidis tempus.* Variæ sunt opiniones virorum doctorum de tempore quo Basilides dogma suum disseminavit. Qua de controversia vide quæ docte et erudite scripsit amicus olim noster J. B. Cotelerius in epistolam Ignatii ad Trallianos, ubi tempus Basilidis revocat ad imperium Adriani. Vide etiam viri doctissimi Renati Massueti observationes ad Irenæum pag. 59, § 112. Ineptos Basilidis errores, quos *portenta* vocat, graviter exagitat Hieronymus in epitaphio Lucinii Bætici et in libro *adversus Vigilantium*. Illum

Digitized by Google

postea induxisse; quos omnes manifestum est a semetipsis damnatos esse, et ante diem judicii inexcusabilem sententiam adversus semetipsos dixisse : quorum baptisma qui confirmat, quid aliud quam cum ipsis se adjudicat, et se ipse participem talibus faciendo condemnat.

VI. Eos autem qui Romæ sunt non ea in omnibus observare quæ sint ab origine tradita; et frustra Apostolorum auctoritatem prætendere scire quis etiam inde potest, quod circa celebrandos dies Paschæ et circa multa alia divinæ rei sacramenta videat esse apud illos aliquas diversitates, nec observari illic omnia æqualiter quæ Hierosolymis observantur, secundum quod in cæteris quoque plurimis provinciis multa pro locorum et nominum diversitate variantur, nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ catholicæ pace atque unitate aliquando discessum est. Quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpens adversum vos pacem, quam semper antecessores ejus vobiscum amore et honore mutuo custodierunt, adhuc etiam infamans [a] Petrum et Paulum beatos apostolos, quasi hoc ipsi tradiderint, qui in epistolis suis hæreticos exsecrati sunt et ut eos evitemus monuerunt. Unde apparet traditionem hanc humanam esse quæ hæreticos asserit et baptisma, A quod non nisi solius Ecclesiæ est, eos habere defendit.

VII. Sed et ad illam partem bene a vobis responsum est ubi Stephanus in epistola sua dixit « hæreticos quoque ipsos in baptismo convenire, et quod alterutrum [b] ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum, » quasi et nos hoc facere debeamus. Quo in loco, etsi vos jam probastis satis ridiculum [c] esse ut quis sequatur errantes, illud tamen ex abundanti addimus, non esse mirum si sic hæretici agant, qui, etsi in quibusdam minoribus discrepant, in eo tamen, quod est maximum, unum et eumdem consensum tenent ut blasphement Creatorem, quædam somnia sibi et phantasmata ignoti Dei confingentes; quos [d] utique consequens est sic consentire in baptismi sui vanitate ut consentiunt in repudianda B divinitatis veritate. De quibus, quoniam longum est ad singula eorum vel scelesta vel supervacua respondere satis est breviter illud in compendio dicere, eos qui non teneant [e] verum Dominum, Patrem, tenere non posse nec Filli nec Spiritus sancti veritatem, secundum quod etiam [f] illi qui Cataphrygæ appellantur, et novas prophetias usurpare conantur, nec Patrem possunt habere nec Filium [g] nec [Spiritum sanctum] [h]; a quibus si quæramus quem Christum

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Infamat *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[b] Quod ad alterutrum *Oron*
[c] Probastis ridiculum *Bod.* 2.
[d] Quod *Lam Ebor. NC.* 1.
[e] Eo quod non teneant *Lam. Ebor. NC.* 1.
[f] Quod utique *Bod.* 2.
[g] Nec Filium; quibus *Ar. NC.* 1. *Ebor. Bod.* 2. *Mich. Vict.*
[h] *Sic Lam.* Sanctum; quibus *Rig.*

C

## VARIORUM NOTÆ.

idem Hieronymus lib. II, *adversus Jovinianum* vocat *magistrum luxuriæ et turpissimorum complexuum*, et in epistola *ad Ctesiphontem* adversus Pelagianos, commemorat impietatem Basilidis.

VI. — *Frustra Apostolorum.* Contra, Vincentius Lirinensis de hoc ipso negotio agens ait: *Ut omnes luce clarius videant beatorum Apostolorum beata successio quanta vi semper, quanto studio, quanta contentione defenderit susceptæ semel religionis integritatem.* Et mox addit Stephanum Papam dignum existimasse *si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret quantum loci auctoritate superabat.* Per Apostolos hoc et alibi intelliguntur Petrus et Paulus, quos Ecclesia considerat ut fundatores Ecclesiæ Romanæ. Magna animorum contentione agitata est ævo nostro quæstio de duplici capite in Ecclesia. Nolo referre quæ tunc utrinque D dicta et facta sunt. Illud tantum dicam legendam esse exercitationem de singulari primatu Petri quam ea occasione scripsit vir illustrissimus Petrus de Marca, archiepiscopus Parisiensis.

*Nominum diversitate.* Quamvis hæc lectio constans sit in omnibus antiquis exemplaribus, puto tamen legendum esse *hominum.* BALUZ.

*Nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ catholicæ pace atque unitate aliquando discessum est.* Ait cl. Constantius Firmiliani verba afferens in nota ad S. Irenæi Epistolam ad Romanum episcopum Victorem, qui Asianos paschæ die 14 mensis celebrantes ab Ecclesia separare conatus fuerat, « Celeritas, quippe quæ, ut credere est, pax ad modicum interturbata, in integrum restituta est, unitatis ruptæ oblivionem ita peperit, ut ab eo aliquando discessum esse Cypriani ætate ne recoleretur quidem. » *Rom. Pontif. Epistolæ* p. 99. Quinetiam testatus est Anatolius Laodicenus, is qui ante concilium floruit Nicænum, contentionem istam de paschate exortam ab Irenæo pacatam esse, *utrisque partibus*, inquit, *in sua regula perseverantibus, nec a cœpto antiquitatis more declinantibus.* Vide Anatolii locum ibidem adductum. ROUTH.

VII. — *Alterutrum ad se venientes.* Ad Cypriani Epistolam *ad Pompeium*, ubi Stephani verba adhuc plenius afferuntur, hoc annotavit Rigaltius. « Rectissima est hæc scriptura. Hoc est, neque venientem a Marcione baptizat Montanus, neque venientem a Montano baptizat Marcion. Non rebaptizant alterutrum ad se venientes. ROUTH.

*Spiritum sanctum.* Certum est hæc duo vocabula non exstare in libris nostris nec in quatuor Anglicanis. Ita etiam de uno suo testatur Pamelius, qui tamen illa addidit ex codice edito, in cujus marginibus Joannes Cauchius, Ultrajectinus, apposuerat castigationes ex variis codicibus manuscriptis. Remanet tamen adhuc dubium an hæc duo vocabula addita fuerint ex libro veteri, an vero ex conjectura Cauchii tantum. Nam, quia in veteribus libris post vocem *filium* additur *nec*, ita ut videantur aliqua deesse, conjecerat Pamelius addenda esse duo illa vocabula, et addidit videns conjecturam suam confirmatam auctoritate libri Cauchiani. In codice porro Cauchii annotatas fuisse, non solum varias lectiones veterum librorum, sed etiam conjecturas ejus, monet ipse Pamelius in annotationibus suis. Itaque nos hæc duo vocabula, quæ posita sunt sine auctoritate, ex conjectura tantum, uncis conclusimus. BALUZ.

Indicant quidem Var. Lectt. apud edit. Oxon. collectæ tria verba *nec Spiritum sanctum* in quatuor illis libris Anglicis deesse; sed revera in duobus ex illis, hi sunt Bodleianus et Novi Collegii codex, apparet *nec* post vocem *filium* cum sequentibus conjunctum. In altero autem epistolarum Cypriani codice, qui penes est idem collegium, haud exstat Firmiliani epistola. ROUTH.

Digitized by Google

prædicent, respondebunt eum se prædicare qui miserit Spiritum per Montanum et Priscam locutum. In quibus cum animadvertamus non veritatis Spiritum sed erroris fuisse, cognoscimus eos qui falsam illorum prophetiam contra Christi fidem vindicant Christum habere non posse. Sed et cæteri quique hæretici, si se ab Ecclesia Dei sciderint, nihil habere potestatis aut gratiæ possunt, quando omnis potestas et gratia in Ecclesia constituta sit, ubi præsident majores natu, qui et baptizandi et manum imponendi et ordinandi possident potestatem. Hæretico enim, sicut ordinare non licet nec manum imponere, ita nec baptizare nec quicquam sancte nec spiritaliter gerere, quando alienus sit a spiritali et deifica sanctitate. Quod totum nos jampridem in Iconio, qui Phrygiæ locus est, collecti in unum convenientibus ex Galatia et Cilicia et cæteris proximis regionibus, confirmavimus tenendum contra hæreticos firmiter et vindicandum, cum a quibusdam de ista re dubitaretur.

VIII. Et quoniam Stephanus et qui illi consentiunt contendunt dimissionem peccatorum et secundam nativitatem in hæreticorum Baptisma posse procedere, apud quos etiam ipsi confitentur Spiritum sanctum non esse, considerent et intelligant spiritalem nativitatem sine Spiritu esse non posse, secundum quod et beatus apostolus Paulus eos qui ab Joanne baptizati fuerant, priusquam missus esset Spiritus sanctus a Domino, baptizavit denuo spiritali Baptismo, et sic eis manum imposuit ut acciperent Spiritum sanctum (*Act.* XIX). Quale est autem ut cum Paulum post Joannis baptisma iterato discipulos suos baptizasse videamus, nec eos qui ab hæresi ad Ecclesiam veniunt post illicitam et profanam eorum tinctionem baptizare dubitemus? Nisi si his episcopis [a] quibus [nunc] [b] minor fuit Paulus, ut hi quidem possint per solam manus impositionem venientibus hæreticis dare Spiritum sanctum, Paulus autem idoneus non fuerit qui ab Joanne baptizatis Spiritum sanctum per manus impositionem daret, nisi eos prius etiam Ecclesiæ Baptismo baptizasset.

IX. Illud quoque absurdum quod non putant quærendum esse quis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit gratiam consequi poterit invocata trinitate nominum Patris et Filii et Spiritus sancti. Deinde hæc erit sapientia quam scribit Paulus esse in his qui perfecti sunt. At quis est in Ecclesia per-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *At Oxon.* De quibus.

[b] Qui sunt nunc *conjic. Routh.*

## VARIORUM NOTÆ.

*Ubi præsident majores natu.* Græce, ὅπου προκάθενται οἱ πρεσβύτεροι. Sic et jam supra Firmilianus, Mos *apud nos fuit*, inquit, *ut per singulos annos* seniores (οἱ πρεσβύτεροι) *et præpositi in unum conveniamus.* Utroque loco designantur, ni fallor, superioris ordinis, seu qui præsident, presbyteri. *Præsidentem* nominat episcopum Tertullianus in lib. *de Pudicitia*, cap. 14, et illo quidem *presbyterorum* nomine episcopi a veteribus interdum appellantur; raro vicissim, idque accommodatione tantum ad Vet. Test. locum, *episcoporum* titulo donantur presbyteri. Confer. Annotatt. ad Concil. contra Noetum vol. II, *Reliquiar. Sacr.* p. 377, ubi tamen minus recte dubitasse me fateor, utrum plures episcopi in unum, sive in provinciali concilio, collecti, *presbyteri* tertio sæculo Ecclesiæ nominarentur. Porro apud episcopum sitam esse potestatem ritus omnes administrandi, baptizandi, offerendi, manum imponendi, ordinandi, credebant antiqui; sed et presbyteris licere, ut muniti auctoritate episcopi baptizarent atque offerrent. *Dandi quidem* (Baptismum) *habet jus summus sacerdos, qui est episcopus. Dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate propter Ecclesiæ honorem. Quo salvo, salva pax est. Alioquin etiam laicis jus est*; etc. Hæc Tertullianus in lib. *de Baptismo*, c. 17, haud finito sæculo Ecclesiæ secundo docuit. Ad solos vero episcopos ordinandi jus pertinere, consentit cum Hieronymo universa antiquitas. Adde quod idem hic Firmilianus, qui episcoporum ordinem *presbyterorum* nomine his locis appellavit, singulos episcopos, presbyteros, diaconos, alibi in epistola sua titulis suis distinxit. Porro ait infra, § 12, episcopos ordinatione vicaria successisse Apostolis.

ROUTH.

*Potestatem.* Codex Lætiensis, *facultatem.* Sic etiam se legisse in codice Marchianensi testatur Pamelius.

BALUZ.

*Nec spiritaliter gerere.* Edit. princeps præstat *aut* pro *nec*, firmantibus illud mss. Novi collegii ac Bodleiano; quin et fortasse revocandum. ROUTH.

*In Iconio.* Dionysius Alexandrinus hoc Iconiense idque in Synnada concilium sanxisse rursus tingendos esse hæreticos, in tertia epistola ad Philemonem Romanum commemorat. Verba ejus apud Eusebium, *Hist. Eccles.* VII, 7, hæc sunt: Μεμάθηκα καὶ τοῦτο ὅτι μὴ νῦν οἱ ἐν Ἀφρικῇ μόνον τοῦτο παρεισήγαγον, ἀλλὰ καὶ πρὸ πολλοῦ κατὰ τοὺς πρὸ ἡμῶν ἐπισκόπους ἐν ταῖς πολυανθρωποτάταις ἐκκλησίαις κατὰ ταῖς συνόδοις τῶν ἀδελφῶν, ἐν Ἰκονίῳ καὶ Συννάδοις καὶ παρὰ πολλοῖς τοῦτο ἔδοξεν, ὧν, etc. Apud Iconium autem maxime ob Montanistarum Baptismum motam esse quæstionem istam, constat ex Firmiliani verbis infra, in cap. 15. ROUTH. Ait Prudentius Maranus in Vita S. Cypriani editioni Baluzianæ præmissa, § XXXI, p. CXVIII: *Nisi si his episcopis quibus nunc fuit Paulus*; legendum putavit Pamelius *de quibus nunc*, sed manifestus est Hellenismus, τούτοις τοῖς ἐπισκόποις τοῖς νῦν, his episcopis nunc existentibus. Hæc ille, quæ quidem haud prohibent, ne sentiam reponendum esse *qui* sunt *nunc*, pro isto *quibus nunc*, cum absit præpositio *de* ante *quibus* a codd. scriptis, quod sciam omnibus. ROUTH.

VIII. — *Quibus nunc.* Præposito deest in omnibus exemplaribus antiquis et in editione Morelliana. Illam Pamelius adjecit ex conjectura, quia existimabat sensum absque ea non posse constare. BALUZ.

IX. — *At quis est in Ecclesia perfectus.* Optime Novi Collegii codex, ut qui est *in Ecclesia perfectus et sapiens hoc aut defendat aut credat.* In tribus quoque codd. scriptis in edit. Oxon. nominatis *qui* pro *quis* legitur, et *qui* ante *hoc* abest. Quapropter posthabita Pamelii lectione, quæ fortasse ex Cauchii conjectura tantum orta est, Morellianam istam revocavi; posito tamen ex fide codicis Novi Collegii *aut* pro *autem* ante verbum *defendat*. Cæterum paulo ante pro *poterit* priorem lect. *potuerit* revocavi. ROUTH. — *At quis est.* Ita emendavit Pamelius ex libro



Digitized by Google

fectus et sapiens [a] qui hoc aut defendat aut credat quod invocatio hæc nominum nuda sufficiat ad remissionem peccatorum et Baptismi sanctificationem, cum hæc tunc utique proficiant quando et qui baptizat habet Spiritum sanctum et Baptisma quoque ipsum non sit sine Spiritu [b] constitutum. Sed dicunt eum qui quomodocumque foris baptizatur mente et fide sua Baptismi gratia consequi posse. Quod et ipsum sine dubio ridiculum est quasi de cœlo adducere ad se possit aut mens prava justorum sanctificationem aut fides falsa credentium veritatem. Non omnes autem qui nomen Christi invocant audiri et invocationem [c] suam consequi aliquid gratiæ posse Dominus ipse manifestat dicens : *Multi venient in nomine meo dicentes : Ego sum Christus ; et multos fallent* (*Marc.* XIII, 6). Nulla quippe differentia est inter pseudo-prophetam et hæreticum. Nam ut ille in nomine Dei aut Christi, ita iste in sacramento [d] Baptismi fallit : Mendacio uterque nititur ad decipiendas hominum voluntates.

X. Volo autem vobis et de historia [e] quæ apud nos facta est exponere ad hoc ipsum pertinente. Ante viginti enim et duos fere annos, temporibus post Alexandrum imperatorem, multæ istic conflictationes et pressuræ acciderunt, vel in commune omnibus hominibus, vel privatim Christianis, terræ etiam motus plurimi et frequentes exstiterunt, ut et per [f] Cappadociam et per Pontum multa subruerent, quædam etiam civitates, in profundum receptæ, dirupti soli hiatu devorarentur, ut ex hoc persecutio quoque gravis adversum nos christiani nominis fieret, quæ post longam retro ætatis pacem repente oborta de inopinato et insueto malo [g] ad turbandum populum nostrum terribilior effecta est. Serenianus tunc fuit in nostra provincia præses, acerbus et dirus persecutor. In hac autem perturbatione constitutis fidelibus, et huc atque illuc persecutionis metu fugientibus, et patrias suas relinquentibus, [h] atque in alias partes regionum transeuntibus (erat enim transeundi facultas, eo quod persecutio illa, non per totum mundum, sed localis fuisset), emersit istic subito quædam mulier, quæ in extasim [i] constituta propheten se præferret et quasi sancto Spiritu plena sic ageret. Ita autem principalium dæmoniorum [j] impetu ferebatur, ut per longum tempus sollicitaret et deciperet fraternitatem, admirabilia quædam et portentosa perficiens, et facere se terram moveri [k] polliceretur. Non quod dæmoni tanta esset potestas ut terram movere aut elementum concutere vi sua valeret, sed quod nonnumquam Spiritus nequam, præsciens et intelligens terræ motum futurum, id se facturum esse simularet quod futurum videret. Quibus mendaciis et jactationibus subegerat mentes singulorum ut sibi obedirent, et quocumque [l] præciperet et duceret sequerentur, faceret quoque mulierem illam crudâ hyeme nudis pedibus per asperas nives ire nec vexari in aliquo aut lædi illa discursione, diceret etiam se in Judæam et Hierosolymam festinare, fingens tamquam inde venisset. Hic et unum de presbyteris Rusticum, item et alium diaconum fefellit, ut eidem mulieri commiscerentur ; quod paulo post detectum est : Nam subito apparuit illi unus de exorcistis vir probatus et circa religiosam disciplinam bene semper conversatus, qui exhortatione quoque fratrum plurimorum, qui et ipsi fortes ac laudabiles in fide aderant, excitatus, erexit se contra illum spiritum nequam revincendum [m] ;

## LECTIONES VARIANTES.

[a] At qui est in Ecclesia perfectus et sapiens, hoc *Ar. Lam. Ebor. Mich. Vict.*
[b] Sine Spiritu sancto *Lam. Ebor. Bod.* 2.
[c] Et per invocationem *Ar.* Iuvocatione sua *Routh.*
[d] Iste sacramento *Bod.* 2.
[e] Rei *Addend. conj. Routh.*
[f] Ut et per *Lam. Ebor. NC.* 1.
[g] Inopinato malo *Bod.* 2.
[h] Relinquentibus : erat enim *Bod.* 2.
[i] *Sic Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. In extasi *Oxon.*
[j] Dæmonum *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1.
[k] Perficiens, terram se movere *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[l] Diceret quocumque *Bod.* 2.
[m] Ad revincendum *conj. Routh.*

## VARIORUM NOTÆ.

Cauchii. Nam in editione Morelliana, quæ prima est, legitur : *Perfecti sunt, ut qui est in Ecclesia perfectus et sapiens. Hoc autem defendat et credat*, etc. In tribus antiquis codicibus scriptum est : *Perfecti sunt, ut qui est in Ecclesia perfectus et sapiens hoc autem defendat.* Sic etiam alii libri veteres, nisi quod pro *et sapiens* habent *aut sapiens.* BALUZ.

X. — *Ante viginti annos.* Vide *Annales Cyprianicos* ad annum 256. BALUZ.

*Acerbus et dirus.* Sic Lactantius, cap. 13, *de Mortibus Persecutorum*, Flaccillum vocat *non pusillum homicidam.* BALUZ.

*Quædam mulier.* Vide Reginonem lib. II, cap. 364, et notas nostras pag. 592. BALUZ.

*Terram movere.* Duo libri veteres, *etiam movere se terram polliceretur.* Quatuor Anglicani, *perficiens terram se movere.* BALUZ.

*Vi sua.* Ita unus codex regius et Beccensis ; quæ est vera lectio. Quatuor libri veteres habent *visu.* Ita etiam Divionensis, nisi quod supra lineam habet scriptum *vel visu.* Morellius edidit *visu*, Pamelius et alii *jussu.* BALUZ.

*Rusticum.* Morellius edidit *rusticum*, tamquam non esset nomen hominis, sed vocabulum quo simplex homo significaretur. Pamelius et post eum Rigaltius scripserunt *Rusticum*, putantes nomen esse presbyteri de quo istic loquitur Firmilianus. Angli aliter censuerunt et reposuerunt lectionem quæ est in editione Morelli, argumento ducto ex epistola Cornelii ad Fabium Antiochenum apud Eusebium, in qua Cornelius ait Novatum accivisse ex Italia tres episcopos simplicissimos et omnium ignaros, ut vertit Rufinus, a quibus fieret episcopus. Ego in ea opinionum diversitate, cum viderem lectionem Pamelii et Rigaltii posse esse bonam et nihil adversus eam confici ex comparatione horum episcoporum Italorum, retinui quod magis placuisse videbam Pamelio et Rigaltio. De Ursicino, qui Sedem apostolicam invasit post electionem Damasi, testatur Rufinus, lib. XI, cap. 10, illum episcopum factum fuisse a quodam *satis imperito et agresti episcopo.* BALUZ.

*Unum de presbyteris rusticum*, Sic edidit in hujus epistolæ edit. princ. Morellius, tamquam si *rusticus* nomen appellativum fuerit ; sed quasi nomen proprium, Pamelius et Rigaltius. Aliter Fellus. Dubitat Baluzius. Fortasse significat hoc loco vox *rusticus*, non agres-

Digitized by Google

qui subtili fallacia etiam hoc paulo ante prædixerat, venturum quemdam adversum [a] et tentatorem infidelem. Tamen ille exorcista, inspiratus, Dei gratia fortiter restitit, et esse illum nequissimum spiritum qui prius sanctus putabatur, ostendit. Atque illa mulier quæ prius per præstigias et fallacias dæmonis multa ad deceptionem fidelium moliebatur, inter cætera quibus plurimos deceperat, etiam hoc frequenter ausa est, ut et invocatione non contemptibili sanctificare se panem [b] et Eucharistiam facere simularet, et sacrificium Domino sine [c] sacramento solitæ prædicationis offerret, baptizaret quoque multos usitata et legitima verba interrogationis usurpans, ut nil discrepare ab ecclesiastica regula videretur [d].

XI. Quid igitur de hujus Baptismo dicemus, quo nequissimus dæmon per mulierem bapizavit? Numquid et hoc Stephanus et qui illi consentiunt comprobant, maxime cui nec symbolum Trinitatis nec interrogatio legitima et ecclesiastica defuit? Potest credi aut remissio peccatorum data aut lavacri salutaris regeneratio rite perfecta, ubi omnia, quamvis ad imaginem veritatis, tamen per dæmonem gesta sunt? Nisi si et dæmonem in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti gratiam Baptismi dedisse contendunt qui hæreticorum Baptisma [e] defendant; apud quos sine dubio idem error est, dæmonum fallacia ipsa est, quando apud illos omnino Spiritus sanctus non est.

XII. Illud etiam quale est quod vult Stephanus, his qui apud hæreticos baptizantur adesse præsentiam et sanctimoniam Christi? Nam, si non mentitur Apostolus dicens: *Quotquot in Christo tincti estis, Christum induistis* (*Gal.* III, 27), utique qui illic in Christo baptizatus est induit Christum. Si autem induit Christum, accipere potuit et Spiritum sanctum, qui a Christo missus est, et frustra illi venienti ad accipiendum Spiritum manus imponitur; nisi si a Christo Spiritum [f] induit [g] ut apud hæreticos sit quidem Christus, non sit autem illic Spiritus sanctus.

XIII. Decurramus vero breviter et cætera quæ a vobis copiose et plenissime dicta sunt, festinante vel maxime ad vos Rogatiano, diacono charissimo nostro. Sequitur enim illud quod interrogandi sunt a nobis qui hæreticos defendunt, utrum carnale si [t] eorum Baptisma, an spiritale. Si enim carnale est, nihil differunt a Judæorum Baptismo, quo sic illi utuntur, ut eo tamquam communi et vulgari lavacro tantum sordes laventur: sin autem spiritale est, quomodo apud illos esse Baptisma spiritale potest, apud quos Spiritus sanctus non est! Ac per

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Adversum *Ar. Lam.*
[b] Sanctificare se pacem *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. *Mich. Vict.*
[c] Non sine *Oxon.*
[d] Viderentur *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[e] Baptismata *Bod.* 2. *Vict.*
[f] Sanctum *add. Ar. NC.* 1. *Lam. Ebor.*
[g] Non ducit *confic. Routh.*

## VARIORUM NOTÆ.

tem, ut opinatur Fellus, sed ruralem. ἐπιχώριον. Ἐπιχώριοι πρεσβύτεροι *presbyteri ruris* in Canone decimo tertio *Concilii Neocæsareæ* memorantur. Sed Græce scripsse Frmilianus ἀγροικικὸν videtur, cum in decimo septimo Chalcedonensi ἀγροικικὰς παροικίας ἢ ἐγχωρίους habeas. Routh.

*Qui prius sanctus.* Frequenter accidit ut hypocritæ imponerent Ecclesiæ, id est ut multi post mortem suam crederentur esse sancti quorum mores non responderant tam bonæ famæ, uti pluribus exemplis ostensum a nobis est in oratione quam Parisiis in collegio regio habuimus die 15 aprilis 1692, cum illic interpretaremur titulum *Decretalium* de reliquiis et veneratione sanctorum. Baluz.

*Panem.* Quatuor libri nostri et quatuor item Anglicani præferunt *pacem*. In Divionensi quoque scriptum est *pacem*, et supra lineam *vel panem*. Certum est hoc agi de pane Eucharistiæ. In comœdia Queroli legitur: *Solum hoc est quod sequuntur atque observant unice, panem Domini.* Ubi quidam vir eruditus, cujus manum non bene novi, sed puto esse Petri Danielis aut Desiderii Heraldi, in suo exemplari edito scripsit in margine *panem Deum, id est Eucharistiam.* Examinabunt theologi an hæc interpretatio sit bona. Baluz.

*Sine sacramento. Non sine sacramento solitæ prædicationis.* Fellus ait hanc esse veram lectionem (nam omissa est particula *non* in mss. et editt. omnibus præter illam ab ipso Fello adornatam) ex contextu satis est manifestum; subjungitur enim, *baptizaret quoque multos, usitata et legitima verba interrogationis usurpans, ut nil discrepare ab ecclesiastica regula videretur.* Et quidem vis argumenti perirret, si verba solemnis, Eucharistiæ administrationi præstituta, non fuissent retenta. Prædicatio solita videtur ista ἀνάγνωσις, quam Dominus fieri mandabat, et de qua D. Paulus (I *Cor.* II, 26.) καταγγέλλετε τὸν θάνατον τοῦ κυρίου *De* תגדו *paschali* supra in Epist. ad Cæcil. dictum. Rem hanc exequi videtur Justinus Martyr *Apol.* 2, (1) ubi dicit: Προσφέρεσθαι τῷ προεστῶτι τὸν ἄρτον καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος, καὶ οὗτος λαβὼν αἶνον καὶ δόξαν τῷ Πατρὶ τῶν ὅλων διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου ἀναπέμπει, etc. Rigaltius ait, legendum videtur: *Sive sacramentum solitæ precationis offerret. Sacramentum precationis dicit, quemadmodum Tertullianus, sacramentum orationis.* Fellæus. Eruditissimum hunc virum sequi par fuit, cui et in hac re obtemperavit Tillemontius, *Mem. Eccl.* in Vita Firmiliani, tom. IV. p. 129. ed Bruxel. Particulam igitur negativam, quæ in textu Baluziano perperam omissa est, verbis præmisi, cum in voce antecedente *Domino* olim absorpta fuisse eadem videretur. Verumtamen cl. Marano in Vit. sua Cypriani ex imitatione Græcorum orta locutio videtur. Is ibidem opponens se Rigaltio, qui pro vocibus, *sine sacramento solitæ prædicationis*, voluerat ponere *sive sacramentum solitæ precationis*, ex Basilio M. monere pergit: Preces in sacrificio fieri solitæ vocantur apud Basil. ep. CCX. ἐκκλησιαστικὰ κηρύγματα, *prædicationes ecclesiasticæ*. p. CXVIII. Routh.

*Baptizaret quoque.* Vide concilium Carthaginense IV, can. 99 et 100. Baluz.

XI. — *Defendunt.* Multa variant in hoc loco libri veteres. Quidam habent *defenduni*, alii *asserunt*, alii *deserunt* vel *deferunt*. Nos retinuimus lectionem quam putavimus esse meliorem; nam paulo post legitur: *Interrogandi sunt a nobis qui hæreticos defendunt.* Baluz.

XIII. — *Interrogandi sunt.* In quatuor codicibus antiquis scriptum est: *Quid interrogandi.* Ut hinc colligi debeat aut possit ista respicere ad epistolam quæ a Cypriano missa erat ad Firmilianum. Baluz.

Digitized by Google

hoc aqua qua tinguntur lavacrum est illis carnale tantum, non Baptismi sacramentum.

XIV. Quod si Baptisma hæreticorum habere potest regenerationem secundæ nativitatis, non hæretici sed filii Dei [a] computandi sunt qui apud illos baptizantur : secunda enim nativitas quæ est in Baptismo filios Dei generat. Si autem sponsa Christi una est, quæ est Ecclesia catholica, ipsa est quæ sola generat Dei filios. Neque enim multæ [b] sponsæ Christi, cum dicat Apostolus : *Despondi vos uni viro virginem castam assignare Christo* (II *Cor.* XI, 2); et *Audi filia et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populi tui* [c], *quia desideravit rex speciem tuam* (*Psal.* XLIV, 21); et, *Veni, sponsa, de Libano, advenies et pertransibis a principio fidei* (*Cant.* IV, 8); et *Ingressus sum in hortum meum, soror mea, sponsa* (*Cant.* V, 1). Videmus unam personam ubique proponi, quia et sponsa est una. Non est autem una nobiscum hæreticorum synagoga, quia nec sponsa est adultera et fornicaria; unde nec potest filios Dei parere : nisi si, secundum quod Stephano videtur, hæresis quidem parit et exponit, expositos autem Ecclesia suscipit, et quos non ipsa pepererit pro suis nutrit, cum filiorum alienorum mater esse non possit. Et ideo Christus Dominus noster, unam esse manifestans sponsam suam et unitatis ejus sacramentum declarans ait : *Qui non est mecum, adversus me est* [d]; *et qui non mecum colligit, spargit* (*Luc.* XI, 23). Si enim nobiscum est Christus, hæretici autem non sunt nobiscum, pro certo adversus Christum sunt hæretici. Et, si nos colligimus cum Christo, non colligunt autem nobiscum hæretici, sine dubio spargunt.

XV. Sed nec illud prætereundum est a nobis quod a vobis necessario dictum est, quod Ecclesia, secundum Canticum canticorum, *hortus* sit *conclusus* et *fons signatus*, *paradisus cum fructu pomorum* (*Cant.* IV, 12, 13). Qui autem numquam in hunc hortum introierunt, neque paradisum a Deo creatore plantatum viderunt, quomodo de fonte qui intus inclusus [e] est et divino sigillo signatus est, aquam vivam lavacri salutaris præbere alicui poterunt? Cum vero et arca Noe nihil aliud fuerit quam sacramentum Ecclesiæ Christi, quæ tunc, omnibus foris pereuntibus, eos solos servavit qui intra arcam fuerunt, manifeste instruimur ad Ecclesiæ unitatem perspiciendam, quemadmodum et apostolus Petrus posuit dicens : *Sic et vos* [f] *similiter salvos faciet Baptisma* (I *Pet.* III, 21), ostendens quoniam, quomodo [g] qui cum Noe in arca non fuerunt, non tantum purgati et salvati [h] per aquam non sunt, sed statim diluvio illo perierunt, sic et nunc quicumque in Ecclesia cum Christo non sunt, foris peribunt, nisi ad unicum et salutare Ecclesiæ lavacrum per pœnitentiam convertantur [i].

XVI. Qualis vero error sit et quanta sit cæcitas ejus qui remissionem peccatorum dicit apud synagogas hæreticorum dari posse, nec permanet in fundamento unius Ecclesiæ, quæ semel a Christo supra petram solidata est, hinc intelligi potest quod soli Petro Christus dixerit : *Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlis ; et quæcumque solveris super terram, erunt soluta et in cœlis* (*Matth.* XVI, 19); et iterum in Evangelio quando in solos [j] Apostolos insufflavit Christus dicens : *Accipite Spiritum sanctum. Si* [k] *cujus remiseritis peccata, remittentur illi ; et si cujus tenueritis, tenebuntur* (*Joan.* XX, 22, 23). Potestas ergo peccatorum remittendorum Apostolis data est et Ecclesiis quas illi a Christo missi constituerunt, et episcopis qui eis ordinatione vicaria successerunt. Hostes autem unius catholicæ Ecclesiæ, in qua nos su-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Non hæreticis, sed fidei computandi sunt *Lam. Ebor. NC.* 1. *Mich.*
[b] Multæ sunt sponsæ *Mich. Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. *Routh.*
[c] Populum tuum *Ar. Lam. Ebor. NC. Bod.* 2.
[d] Contra me est *Ar.*
[e] Intus clausus *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1.
[f] Sic et nos similiter *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[g] Quoniam quia *Lam. Ebor. NC.* 1.
[h] *Sic Ar. Ebor. Lam. NC.* 1. Et salvati *omitt. Oxon.*
[i] Conversi *Ar.*
[j] Evangelio in solo *Ar. Lam.*
[k] Sanctum : cujus *Ar.*

## VARIORUM NOTÆ.

XIV. — *Filius Dei.* Ego non dubito quin hæc lectio bona sit. Et tamen in quinque libris veteribus legitur *fidei;* in meo, *sed fideles.* BALUZ.

*Christo Spiritum induit.* Hæc scripsit in loco plus semel memorato cl. Maranus : Cum existimaret Firmilianus adversarios suos in Baptismo foris ab adultis suscepto Christo gratiam agnoscere, sic eos refellit, *Nam si non mentitur.* — *Spiritus Sanctus.* Illud *nisi si a Christo Spiritum induit*, idem valet ac post Christum; nec probabilis est conjectura Cauchii et Pamelii, qui legendum putant : *Nisi a Christo Spiritum non induit.* Quæ Marani mihi quidem haud satisfaciunt. Quid si *non ducit* latet in voce *induit?* ROUTH.

*Virginem castam.* Morellius edidit *virginem sanctam castam.* Pamelius expunxit vocem *sanctam*, quia eam non inveniebat in manuscriptis, et quia non reperitur apud Apostolum. Ego tamen illam inveni in sex manuscriptis. Sed deest in aliis quatuor. Tres vero qui habent vocem *sanctam* non habent *castam.* Alterutram autem oportet auferri. Retinuimus eam quæ est apud Apostolum. BALUZ.

XV. — *Fons signatus.* Ista habentur etiam in epistola LXXIV, et in epistola LXXVI. BALUZ.

*Sic et nos similiter.* Textum sacrum, Cyprianique codices quinque in var. lectt. edit. Oxon, commemoratos, secutus *nos* pro *vos* imprimendum curavi. ROUTH.

*Convertantur.* De celebri quæstione hoc unum monebo ; existere argumenta ab altera parte temporibus illis allata, quibus Firmiliani suorumque rationes convelluntur, et Baptismus nomine S. Trinitatis a quovis administro celebratus firmatur, cum alibi tum in annotationibus S. Augustini ad Carthaginiense septimum concilium. Hæ in libris ejusdem Patris *de Baptismo* legi possunt. ROUTH.

XVI. — *Ecclesia... supra petram.* Paulo post dicet fundamenta Ecclesiæ super Petrum collocata fuisse. Vide librum *de Unitate Ecclesiæ*, ubi ista explicantur. BALUZ.

*Ordinatione vicaria.* Vide notas nostras ad epistolam LXXXIV, Lupi Ferrariensis. BALUZ.

*Pari cum eis morte.* Ita restituimus ex fide unius codicis antiqui bibliothecæ regiæ. Hanc porro restitu-

Digitized by Google

mus, et adversarii nostri, qui Apostolis successimus, sacerdotia sibi illicita contra nos vindicantes et altaria profana ponentes, quid aliud sunt quam Chore et Dathan et Abiron, pari scelere sacrilegi, et easdem quas et illi pœnas daturi cum his qui sibi consentiunt, secundum quod etiam tunc illorum participes et fautores pari cum eis morte perierunt.

XVII. Atque ego in hac parte juste indignor ad hanc tam apertam et manifestam Stephani stultitiam, quod qui sic de episcopatus sui loco gloriatur et se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiæ collocata sunt, multas alias petras inducat et ecclesiarum multarum nova ædificia constituat, dum esse illic baptisma sua auctoritate defendit. Nam qui baptizantur complent sine dubio Ecclesiæ numerum. Qui autem baptisma eorum probat, de baptizatis et Ecclesiam illic esse confirmat. Nec intelligit obfuscari a se et quodam modo aboleri christianæ petræ veritatem qui sic prodit et deserit unitatem. Judæos tamen, quamvis ignorantia cæcos et gravissimo facinore constrictos, zelum Dei Apostolus habere [a] profitetur. Stephanus, qui per successionem cathedram Petri habere se prædicat, nullo adversus hæreticos zelo excitatur, concedens illis non modicam sed maximam gratiæ potestatem, ut dicat eos [b] et asseveret per baptismi sacramentum sordes veteris hominis abluere, antiqua mortis peccata donare, regeneratione cœlesti filios Dei facere, ad æternam vitam divini lavacri sanctificatione reparare. Qui sic magna et cœlestia Ecclesiæ munera hæreticis concedit et tribuit, quid aliud [c] agit quam communicat eis quibus tantum gratiæ defendit ac vindicat. Et frustra jam dubitat in cæteris quoque consentire eis et particeps esse, ut et simul cum eis conveniat, et orationes pariter cum iisdem misceat, et altare ac sacrificium commune constituat.

XVIII. Sed in multum, inquit, proficit nomen Christi ad fidem et baptismi sanctificationem, ut quicumque et ubicumque [d] in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi, quando huic loco breviter occurri possit et dici quoniam, si in nomine Christi valuit foris baptisma ad hominem purgandum in ejusdem Christi nomine valere illic potuit et manus impositio ad accipiendum Spiritum sanctum. Et incipient cætera [e] quoque quæ apud hæreticos aguntur justa et legitima videri, quando in nomine Christi gerantur, secundum quod vos in epistola vestra exsecuti estis, non nisi in Ecclesia sola valere posse nomen Christi, cui uni concesserit Christus cœlestis gratiæ potestatem.

XIX. Quod autem pertinet ad consuetudinem refutandam, quam videntur opponere veritati, quis tam vanus sit ut veritati consuetudinem præferat, aut qui, perspecta luce, tenebras non derelinquat? Nisi si et Judæos, Christo adventante, id est veritate, adjuvat in aliquo antiquissima consuetudo, quod, relicta [f] nova veritatis via, in vetustate permanserint. Quod quidem adversus Stephanum vos dicere, Afri, potestis, cognita veritate, errorem vos consuetudinis reliquisse. Cæterum nos veritati et consuetudinem jungimus, et consuetudini Romanorum consuetudinem, sed veritatis opponimus, ab initio hoc tenentes quod a Christo et ab [g] Apostolis traditum est. Nec meminimus hoc apud nos aliquando cœpisse, cum semper istic observatum sit ut nonnisi unam Dei Ecclesiam nocemus, et sanctum Baptisma nonnisi sanctæ Ecclesiæ computaremus. Plane, quoniam quidam de eorum baptismo dubitabant qui, etsi non ut nos Prophetas recipiunt, eosdem tamen Patrem et Filium [h] nosse nobiscum videntur, plurimi simul convenientes in Iconio, diligentissime tractavimus et confirmavimus repudiandum esse omne omnino baptisma quod sit extra Ecclesiam constitutum.

XX. Ad illud autem quod pro hæreticis ponunt,

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Habere confitetur *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Routh.*
[b] Dicat eis *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[c] Quid aliud agit *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[d] Quicumque et ubicumque *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[e] Cætera quoque apud hæreticos, justa *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.
[f] Relecta *Forsan. Routh.*
[g] Apostolis *Lam. NC.* 1. *Ebor.*
[h] Fillum et Sp. sanctum *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.

## VARIORUM NOTÆ.

tionem esse legitimam ostendere videntur etiam alia vetera exemplaria, quæ habent *pari cum eis perierunt*. Quinque et editiones præferunt *pariter*. BALUZ.

XVII.—*Quid aliud agit*. Et istum quoque locum supplevimus ex fide quatuor veterum exemplarium BALUZ.

XVIII. — *Et ubicumque*. Miror ista excididisse in editione Rigaltii, cum exstent in Morelliana et in Pameliana et in omnibus antiquis codicibus. Magis miror omissa esse ab Anglis, qui ignorare non poterant illa haberi ni duabus editionibus a me commemoratis et in quinque codicibus suis antiquis. Vide quæ notavi supra ad epistolam LXXIII. BALUZ.

XIX. — *Non ut nos*. Hanc lectionem, quam puto esse optimam, inveni in uno libro meo vetere. Morellius posuit *non vos*; eamque lectionem ego reperi in quatuor codicibus antiquis. Pamelius emendavit ex conjectura et scripsit *novos Prophetas*, tum quia conjecturam suam confirmatam reperit auctoritate codicis Anglicani quo ipse utebatur, tum quod antea Firmilianus novarum prophetiarum meminerit. Itaque ex editione Pamelii emersit vulgaris. Videtur autem Firmilianus respexisse ad hæresim Marcionitarum, quos Epiphanius ait repudiasse Legem ac Prophetas. Monet præterea Pamelius in codice suo Anglicano legi *et Spiritum sanctum* post *Patrem et Filium*. Quod ego in nullo eorum veterum exemplarium reperi quibus usus sum in hac epistola recensenda. Rejecit autem Pamelius hoc additamentum, quia Cataphrygæ non eumdem Spiritum sanctum cum catholicis agnoscebant, utpote qui non illud sed Montanum esse paracletum a Christo promissum diceret. BALUZ.

Statuenti hic Baluzio respexisse Firmilianum ad Marcionitas recte opponas, veteres patres id semper solitos esse pro certo statuere, alium ac diversum Deum agnoscere Marcionitas, qui Christi Patrem ne-

Digitized by Google

et aiunt Apostolum dixisse, *Sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuntietur* (*Philip.*, I, 18), ut respondeamus, ineptum est, quando manifestum sit Apostolum in epistola sua qua hoc dixit, neque hæreticorum neque baptismi eorum mentionem fecisse, sed locutum esse de fratribus tantum, sive perfide secum loquentibus, sive in fide sincera perseverantibus, nec oporteat hoc longo tractatu excutere, sed ipsam satis sit epistolam legere, et quid Apostolus dixerit, de ipso Apostolo recognoscere.

XXI. Quid ergo, inquiunt, fiet de his qui ab hæreticis venientes sine Ecclesiæ baptismo admissi sunt? Si de sæculo excesserunt, in eorum numero habentur qui apud nos catechisati quidem sunt, sed prius quam baptizarentur obierunt, non modo dicunt [a] emolumentum veritatis et fidei, ad quam, relicto errore, pervenerant, etsi consummationem gratiæ consecuti non sunt, morte præventi. Qui autem adhuc in sæculo permanent baptizentur Ecclesiæ Baptismo, ut remissionem peccatorum consequi possint, ne, per alienam præsumptionem, in pristino errore manentes, sine gratiæ consummatione moriantur. Cæterum quale delictum est, vel illorum qui admittunt, vel eorum qui admittuntur, ut non ablutis [b] per Ecclesiæ lavacrum sordibus, nec peccatis expositis, usurpata temere communicatione contingant corpus et sanguinem Domini, cum scriptum sit : *Quicumque ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini* (I *Cor.* XI, 27).

XXII. Nos etiam illos quos hi qui prius in Ecclesia catholica episcopi fuerant, et postmodum sibi potestatem clericæ ordinationis assumentes baptizaverunt, pro non baptizatis habendos judicavimus. Et hoc apud nos observatur, ut quicumque ab illis tincti ad nos veniunt, tamquam alieni et nihil consecuti, unico et vero Ecclesiæ catholicæ Baptismo apud nos baptizentur et lavacri vitalis regenerationem consequantur. Et tamen multum interest inter eum qui invitus et necessitate persecutionis coactus succubuit, et illum qui sacrilega voluntate audax contra Ecclesiam rebellat, vel in Patrem et Deum [c] Christi et totius mundi conditorem impia voce blasphemat. Et non pudet Stephanum hoc asserere, ut per eos [d] qui, cum ipsi in omnibus peccatis sint constituti, dicat posse remissionem peccatorum dari, quasi possit esse in domo mortis lavacrum salutis!

XXIII. Ubi ergo erit quod scriptum est : *Ab aqua*

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Non modicum *conjic. Routh. Vide not.*
[b] Ut non abluti, communicatione contingunt *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1.
[c] Dominum Christum *Ar. NC.* 1.
[d] *Sic Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *M. R.* Qui ipsi *Rig.*

## VARIORUM NOTÆ.

garent creavisse mundum. Audi Tertullianum adhuc catholicum in hac ipsa de Baptismi quæstione idem suggerentem. *Non debeo*, inquit, *in illis* (hæreticis) *agnoscere quod mihi est præceptum, quia non idem Deus est nobis et illis, nec unus Christus, id est, idem :* de Baptismo, cap. 15. Itaque veterem revocavi lectionem, quæ cum melior apparet, tum exstat in codice Bodleiano atque illo Novi Collegii, cæterisque fortasse mss., qui in editione Oxon. afferri solent, quippe cum nulla sit varietas lectionis ibidem notata. Cæterum additamentum illud, *et Spiritum sanctum* in codd. quinque repertum fuisse novimus ex ead. editione. Ostendit vero hic ipse Firmiliani locus recte sensisse de Patre Filioque hos quidem Montanistas. ROUTH.

XX. — *Perfide.* Ita Morellius et quatuor libri veteres : alii quatuor habent *per fidem.* BALUZ.

XXI. — *In eorum numero... habentur.* Sic restituimus hunc locum auctoritate vetusti codicis Compendiensis et Michaelini, in quibus vox *habentur* est transposita, sed tamen cum nota veteri, quæ ostendit ubi ponenda sit, nimirum post vocem *numero.* Itaque cadit conjectura Rigaltii hunc locum emendantis. BALUZ. — Edd. omnes, *non modo dicunt.* Sed recipienda videbatur conjectura Prudentio Marano (*Vita Cypr.* § 31 *extr.*) et Routhio communis (scilic. *non modicum dicunt*). GOLDHORN. — Cum post verbum *obierunt* posita esset ante Baluzii mutationem vox *habentur*, Rigaltius locum sic emendandum voluit, habent *non modo* discunt *emolumentum.* Affert vero Fellus longam sed satis contortam interpretationem verborum, *non modo dicunt emolumentum.* Ausim ergo reponere, *non* modicum *emolumentum ;* Græco, Οὐ μέτριον κέρδος ἀληθείας καὶ πίστεως. Exstant voces, *non modicum* supra § 14. Et postquam hæc scripsi, visis Marani verbis gavisus sum, quod ante me eodem fere modo locum corrigere voluisset. « Alium locum, inquit, longe difficiliorem emendare conabor. De iis qui foris baptizati sine novo Baptismo in Ecclesia obierunt, sic statuit Firmilianus. *Si de sæculo non sunt morte præventi.* Existimat Rigaltius verbum *habent* reponendum post *habentur*, et sic emendat : habent *non modo* discunt *emolumentum veritatis et fidei :* sed multo aptius legi posset : *habent non modicum emolumentum*, pro *non modo dicunt aut non modo discunt.* » Hæc Maranus in *Vit. S. Cypriani*, § 31, p. 118. Sed haud necesse esse ut addatur *habent*, opinor. ROUTH.

*Contingant.* In editione Pameliana perperam, per errorem videlicet typographi, et dein in Rigaltiana et in Anglicana scriptum est *continguant*, sed non in editione Goulartii. Sane hanc pravam lectionem Angli scribunt se invenisse in quatuor codicibus antiquis. Sed istud non probat illam esse retinendam, cum prava sit omnino et minime latina. BALUZ.

*Necessitate persecutionis coactus succubuit.* Hic, quod constat ex superioribus, clericus designatur. Clericus autem lapsus ordine sacro moveri solitus est, neque ei licuit, ut baptizandi ritum administraret. ROUTH.

XXII. — *Deum Christi.* Ista sic ponuntur tamquam si Deus esset conditor Christi et totius mundi. Videndum igitur an lectio veteris libri Remigiani et duorum Anglicanorum præferenda sit, qui pro *Christi* habent *Dominum nostrum.* At si ea lectio placet, tollenda est conjunctio. In uno meo legitur *Domini Christi.* BALUZ. — Ex edit. Oxon. constat exstare verba *Dominum Christum*, non, ut ait Baluzius, *Dominum nostrum* in codd. et Novi Collegii. Ab hoc quidem ms., sicut a cod. Bodleiano, haud male abest particula *et* ante voces *totius mundi.* Ad verba autem quod attinet, *Patrem et Deum Christi*, similiter locutus est Dominus ipse ad Mariam Magdalenam in *S. Joannis Evangelio* XX, 17. Similiter scripserunt Apostoli ejus. Confer *Rom.* XV, 6 ; II *Cor.* XI, 3 ; *Ephes.*, I, 3, 17 ; *Coloss.*, I, 3 ; *Heb.*, I, 9 ; I *Pet.*, I, 3. ROUTH.

*Qui cum ipsi. Qui ipsi in omnibus peccatis sint constituti.* Veterem lectionem restitui. Primus edidit Fellus post codices scriptos *qui cum ipsi* pro *qui ipsi*, quod quidem ex duplici lectione ortum videtur. Posuit au-

Digitized by Google

*aliena abstine te et a fonte alieno ne biberis* (*Prov.* IX, 19, *juxt.* LXX), si relicto Ecclesiæ fonte signato, alienam aquam pro tua suscipis et profanis fontibus Ecclesiam polluis ? Quando enim baptismo hæreticorum communicas, quid aliud quam de voragine et cœno illorum bibis, et ipse Ecclesiæ sanctificatione purgatus, alienarum sordium contactibus inquinaris ? Nec metuis judicium Dei hæreticis testimonium contra Ecclesiam perhibens, cum scriptum sit : *Falsus testis non erit impunitus* (*Prov.* XIX, 5). Quin immo, tu hæreticis omnibus pejor es : nam, cum inde multi, cognito errore suo, ad te veniant ut Ecclesiæ verum lumen accipiant, tu venientium errores adjuvas, et, obscurato lumine ecclesiasticæ veritatis, tenebras hæreticæ noctis accumulas. Cumque se illi in peccatis esse et nihil gratiæ habere se, ac propterea ad Ecclesiam venire fateantur, tu eis remissionem peccatorum subtrahis, quæ in baptismo datur, dum dicis eos jam baptizatos et extra Ecclesiam Ecclesiæ gratiam consecutos. Nec intelligis animas eorum de manu tua exquiri eum judicii dies venerit, qui sitientibus Ecclesiæ potum negasti, et volentibus vivere causa mortis fuisti. Et insuper indignaris.

XXIV. Vide qua imperitia reprehendere audeas eos qui contra mendacium pro veritate nituntur. Quis enim justius indignari contra alterum debuit ? utrumne qui hostes Dei asserit, an vero qui adversus eum qui hostes Dei asserit [a] pro Ecclesiæ veritate consentit[b] ? Nisi quod imperitos etiam animosos atque iracundos esse manifestum est, dum per inopiam consilii et sermonis ad iracundiam facile vertuntur, ut de nullo alio magis quam de te dicat Scriptura divina : *Homo animosus parat lites, et vir iracundus exaggerat peccata* (*Prov.* XXIX, 22). Lites enim et dissensiones quantas parasti per Ecclesias totius mundi ? Peccatum vero quam magnum tibi exaggerasti, quando te a tot gregibus scidisti ! Excidisti enim te ipsum. Noli te fallere; siquidem ille est vere schismaticus qui se a communione ecclesiasticæ unitatis apostatam fecerit : dum enim putas omnes a te abstineri posse, solum te ab omnibus abstinuisti. Nec te informare ad regulam veritatis et pacis vel Apostoli præcepta potuerunt monentis et dicentis : *Obsecro ergo vos ego vinctus in Domino, digne ambulare vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate sensus et lenitate, cum patientia sustinentes invicem in dilectione, satis agentes servare unitatem spiritus in conjunctione pacis ; unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et pater omnium, qui super omnes,* [c] *et per omnia, et in omnibus nobis* (*Eph.* IV, 1-6).

XXV. Hæc Apostoli mandata et monitasalutaria [d] quam diligenter Stephanus implevit, humilitatem sensus et lenitatem primo in loco servans. Quid enim humilius aut lenius quam cum tot episcopis per totum mundum dissensisse, pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpentem, modo cum Orientalibus, quod nec vos latere confidimus, modo vobiscum, qui in Meridie estis ; a quibus legatos episcopos patienter satis et leniter suscepit, ut eos nec ad

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Quia adversus hostes Dei asserit *Lam.*
[b] Contendit *forte, Routh.*
[c] Qui est super omnia *Lam. Ebor.*
[d] Salubria *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1.

## VARIORUM NOTÆ.

tem Pamelius *sunt* pro *sint* ex Cauchii vel codice vel conjectura ejusdem. ROUTH.

XXIII. — *Ab aqua aliena.* Annotat editio Anglicana textum hunc frustra alibi requiri quam in versione græca, nimirum abesse a codicibus hebræis et vulgato latino, haberi tamen in syriaca, arabica, et armenica interpretatione, et hinc confici posse eamdem versionem græcam, etiam illic ubi ab hebræo discediturr, ubique terrarum invaluisse. Tertullianus lib. I, adversum Marcionem : *Non putem impudentiorem quam qui in aliena aqua alii deo tingitur.* Vide notas ad epistolam LXXIII, *Ecclesia paradisi instar.* BALUZ.

XXIV. — *Justius.* Non possum omittere quin admoneam septem vetera exemplaria præferre *injustius.* Sequi tamen placuit editionem Morelli, quam confirmant tria vetera exemplaria. ID.

*Adversus eum qui.* Ita Morellius et tres libris veteres. Omnes alii omittunt *eum qui*, etiam unus Anglicanus ID.

*Imperitos etiam animosos.* Quintilianus l. I, c. 1 : *Nihil enim pejus est iis qui paulum aliquid ultra primas litteras progressi, falsam sibi scientiæ persuasionem induerunt : nam et cedere præcipiendi peritis indignantur, et velut jure quodam potestatis, quo fere hoc hominum genus intumescit, imperiosi atque interim sævientes stultitiam suam perdocent.* Vide etiam lib. VI, cap. 4, et lib. VIII, cap. 2. Joannes Saresberiensis, lib. VII, *de Nugis Curialium*, cap. 9 : *Ille tamen contradicit citius et pertinacius qui in paucitate rerum addiscenda consumpsit ætatem, et tanta angustia premitur, ut, si verbum unum aut duo subduxeris, elinguis fiat et quavis statua taciturnior.* Vitruvius in præfatione libri III : *Animadverto potius indoctos quam doctos gratia superare.* Hieronymus in Apologia adversus Rufinum : *Animosus inhonestus est.* Nonius Marcellus : *Animosi dicuntur iracundi.* Augustinus Sermone CLXIV de verbis Apostoli : *Humanum fuit errare ; diabolicum est per animositatem in errore manere.* Agobardus in libro *de Grandine et Tonitruis*, notat imperitos loqui confidenter. Animosus tamen apud Latinos accipiebatur pro magno viro et forti animo prædito, animositas vero pro vehementia et impetu animi. ID.

*Consilii et sermonis.* Forsitan scripserat Firmilianus, συνέσεως καὶ λόγου. ROUTH.

*Parat lites.* Ita scriptum est in sex libris antiquis ; tres alii habent *parit.* Mihi autem prior lectio videtur esse melior, quia in capite XXIX Proverbiorum, ex quo sumptus est hic locus, legitur *vir iracundus provocat rixas.* Apud Cassianum lib. VIII, cap. 1, scriptum est : *Vir animosus parat rixas.*

XXV. — *Quid enim humilius.* Simili ironia Lactantius, cap. 23, *de Mortibus Persecutorum*, usus est loquens de crudelitate Maximiani adversus mendicos, quos congregari omnes jussit et exportatos naviculis in mare mergi. Ait ergo Lactantius : *Adeo, hominem misericordem, qui providerit ne quis illo imperante miser esset.* BALUZ.

*A quibus legatos episcopos*, etc. Haud dubium, videtur quin ab Afris, potius quam ab Orientalibus, Romam missi sint legati. Contrarium tamen affirmant Baronius in *Annalibus*, et Natalis

Digitized by Google

sermonem saltem colloquii communis admitteret, adhuc insuper, dilectionis et charitatis memor, præciperet fraternitati universæ ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus, non solum pax et communio, sed et tectum et hospitium negaretur. Hoc est servasse unitatem spiritus in conjunctione pacis, abscindere se a charitatis unitate, et alienum se per omnia fratribus facere, et contra sacramentum et fidem contumacis furore discordiæ rebellare. Apud talem potest esse unum corpus et unus spiritus, apud quem fortasse ipsa anima una non est sic lubrica et mobilis et incerta ? Sed quantum ad illum pertinet, relinquamus. Excutiamus potius id de quo maxima quæstio est. Qui contendunt ab hæreticis baptizatos sic recipi oportere tamquam legitimi baptismi gratiam consecutos, unum nobis atque illis baptisma dicunt esse et in nullo discrepare. Sed quid ait apostolus Paulus ? *Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus* (*Ephes.* IV, 5). Si unum atque idem est cum nostro baptisma hæreticorum, sine dubio et fides una est. Si autem fides una est, utique et Dominus unus est. Si Dominus unus est, consequens est dicere quia unus est. Si autem hæc unitas, quæ separari omnino et dividi non potest, etiam apud hæreticos ipsa est, quid ultra contendimus, ut quid illos hæreticos et non christianos vocamus ? Porro, cum nobis et hæreticis nec Deus unus sit, nec Dominus unus, nec una Ecclesia, nec fides una, sed nec unus spriritus, aut corpus unum, manifestum est nec baptisma nobis et hæreticis commune esse posse, quibus nihil est omnino commune. Et tamen non pudet Stephanum talibus adversus Ecclesiam patrocinium præstare et propter hæreticos asserendos fraternitatem scindere, insuper et Cyprianum pseudo-christum et pseudo-apostolum et dolosum operarium dicere. Qui omnia in se esse conscius

## VARIORUM NOTÆ.

Alexander in *Hist. eccles.* Sed hoc in Afros gestum a Stephano fuisse, post Pearsonium retulerunt Pagius, Tillemontius, Basnagius. «Quid ex illorum verborum serie lucidius (inquit Pearsonius in *Annalibus Cyprianicis*, ad ann. LVI) quam legatos eos episcopali honore conspicuos, non ab Orientalibus, sed ab iis qui *in Meridie* erant, hoc est Afris, missos fuisse ? Neque aliter hæc Firmiliani verba (quæ citata præcedunt), intelligenda esse sentio. *Nisi quod non gratiam referre Stephano in isto possumus, quod per illius inhumanitatem* nunc effectum sit, ut fidei et sapientiæ vestræ experimentum caperemus (Supra p. 222). Illa enim inhumanitas nihil aliud erat quam legatorum rejectio, per quam *nec confabulatio jam posset esse, aut sermo communis.* Illi legati in synodo Carthaginiensi secunda missi.» § VII. ROUTH.

*Nec ad sermonem admitteret.* Id est, ne in conspectum quidem suum venire permitteret. Eodem modo humanitatis et urbanitatis usus est comes Flandriæ erga legatos Clementis papæ VII, qui *tantum abfuit ut audirèntur*, inquit Radulphus de Rivo, *ut ne admissi quidem fuerint, sed rejecti ac facessere jussi, nisi sibi vincula mallent exspectare.* Emendabo autem, data occasione, locum ex panegyrico quem Nazarius dixit ad Constantinum post devictum Maxentium, cum modestia Cæsaris erga illum laudatur. Ibi sic inter alia legitur in omnibus antiquis codicibus et editionibus : *Vocas ad societatem. Appetitum tuum refugit, aversatur, horrescit.* Vox *appetitum*, heic loco non suo posita, exercuit industriam criticorum ; quorum nonnulli censuerunt reponendum esse *affectum*, alii *amicum.* Miror autem veram lectionem, quæ facilis et obvia est, nemini eorum in mentem venisse. Reponendum est itaque *aspectum*, ut sit sensus : Vocabas Maxentium ad societatem imperii. At ille, ut erat natura ferox et superbus, nedum id quod offerebas amplecti voluit, sed etiam aspectum tuum refugit, aversatus est, horruit, sed etiam ultro lacessivit quem ambire debuerat, ut legitur paulo post. BALUZ.

*Fortasse ipsa anima.* Recentior Remigianus, *apud quem fortasse una anima est sic lubrica.* ID.

*Unum baptisma.* Nescio quo modo factumest ut ista, quæ exstant in Epistola Pauli ad Ephesios, omissa sint istic in octo exemplaribus antiquis. ID.

*Si Dominus unus est.* Hoc membrum omissum est in editione Rigaltii, restitutum in Anglicana. Sed nescio quonam modo factum est ut Angli absque ullius libri veteris auctoritate, contra fidem veterum exemplarium et editionis Morellianæ scripserint *consequens est qua unitas est ;* nisi si maluerunt amplecti conjecturam Pamelii, qui monuerat in margine suæ editionis legendum esse *unitas*, vel auctoritatem Goulartii, qui eam vocem posuit in contextu, nulla Pamelii mentione. Reinhartus in sua editione reposuit *unus.* ID. — Exstat in Novi Coll. codice *quia* unus *est*, quod edidit Baluzius. Legerim, *quia* Deus *unus* est. id quod sequentia verba suadent. *Quia* pro *quod* apud hos scriptores poni solet. ROUTH.

*Pseudo-christum.* Imitatum est istud ex capite undecimo Epistolæ II Pauli ad Corinthios. *Hinc patet*, inquit Pamelius, *vehementiam epistolæ Stephani papæ in causa fuisse cur tam vehementer etiam contra eum scriberent Cyprianus et Firmilianus.* Recte sane. Non enim aliud causæ exstitit, cur Firmilianus, qui in tota epistola summum amorem unitatis declarat, sic tamen in Stephanum invehatur, ut eum disputationis æstu abreptum fuisse pateat. Nihil lenius ac placabilius Cypriano, ejusque animi moderatio cum in omnibus aliis rebus, tum maxime in hac de baptismo controversia enituit ; sed tamen eum interdum a summa illa lenitate ad vehementiorem causæ defensionem transiisse perspicitur ex epistola ad Pompeium. Videtur autem Cyprianum et Firmilianum illud in primis offendisse, quod Stephanus putaret abstinendos rebaptizantes. Propter hæc autem verba, quæ putat non esse Stephani, dubitare se ait Christianus Lupus in scholiis suis ad librum Tertulliani *de Præscriptionibus adversus hæreticos*, an epistola Firmiliani sit vera. Tamen nemo hactenus ante Lupum id sibi sumpsit, ut dicere auderet eam esse falsam aut de ejus auctoritate dubitaret. Et certe ista facilitas accusandi falsitatis scripta veterum valde temeraria est et periculos. Nam si cuique liceat inanes ejusmodi conjecturas sequi ; nullum erit antiquitatis monumentum, quod iniquas suspiciones effugiat. BALUZ. — Ita Baluzius. Haud interea mihi visus est voluisse hoc scribere Christianus Lupus, Firmiliani epistola an germana sit, se dubitare ; de appellationibus autem probrosis Cypriano a Stephano attributis, an hæ ab eo revera prolatæ fuerint, se hæsitare. Vid. *Scholia* ejus ad Tertulliani, c. 4, p. 121. At cogitandum, quibus dicteriis ipsum, ut videtur, Cyprianum lacessiverit vetus quidam Stephanianæ de hæreticorum baptismo sententiæ stator, qui est auctor *de Rebaptismate*, ad fin. op. S. Cypriani. Conferas quæ de Firmiliani epistola supra annotantur. ROUTH.

*Qui omnia. Quæ omnia* legendum olim duxi, priusquam sic se habere novissem editionem principem, siquidem postea Pamelius *qui* pro *quæ* ex ms. suo edidit, aliis, fateor, libris scriptis consentientibus.

Digitized by Google

prævenit, ut alteri ea per mendacium objiceret quæ ipse ex merito audire deberet. Bene te valere omnibus nobis cum universis qui in Africa sunt episcopis A et cunctis clericis et omni fraternitate universi optamus, ut perpetuo unanimes et unum sentientes habeamus nobiscum etiam de longinquo adunatos.

VARIORUM NOTÆ.

Sed fortasse Græce scripserat Firmilianus ἃ δὴ πάντα, vel τάδε δὲ πάντα. ID.

*Quæ ipse.* In recentiore codice Remigiano et in Anglicano Pamelii legitur, *quæ ei immerito objici deberent.* Sic etiam in quatuor antiquis in editione Anglicana laudatis.

*Omnibus nobis.* Hæc mihi videntur esse luxata. Quid si legatur *charissime frater*, errore irrepente ex ignorantia notarum, ut etiam annotavit Hieronymus in epistola *ad Avitum* de erroribus Origenis, ubi ait difficile esse notarum posse servare compendia. Simon Goulartius monuit in codice episcopi. Acconensis scriptum fuisse: *Bene te valere cum universis qui in Africa sunt episcopis et cunctis clericis et omni fraternitate optamus.* Quam lectionem, ut meliorem, posuit Reinhartus. Et nihilominus ego præfero conjecturam meam. Nihil tamen ausus sum mutare, destitutus auctoritate veterum exemplarium.

# PROLEGOMENA

## DE AUCTORE ANONYMO LIBRI DE REBAPTISMATE.

### ARTICULUS I.

*Quis auctor operis, et quo sæculo floruerit?*

Liber *de Rebaptismate,* inquit vir doctus (1), a nonnullis tribuitur Ursino monacho, quem Gennadius adversus eos, qui rebaptizabant sæculo IV, scripsisse testatur (2). Quæ Ursini monachi libro contineri ait Gennadius, ea in hac de Rebaptismate pertractatione non difficile est animadvertere. Nihil enim aliud agit auctor, quicumque tandem ille sit, nisi ut eos qui in hæresi baptizati sunt non rebaptizandos, sed ad saniorem fidem conversis manus imponendas esse vincat. Sed Ursinus libelli hujus auctor videri non potest, nisi episcopus fuisse tertio sæculo dicatur. Episcopum se esse noster ille Scriptor diserte declarat. « Siquidem per nos baptisma tradetur, » inquit (3) » integre et solemniter, et per omnia quæ scripta sunt adsignetur, atque sine ulla ullius rei separatione tradatur; aut si a minore clero per necessitatem traditum fuerit, eventum exspectemus, ut aut suppleatur a nobis, aut a Domino supplendum reservetur. » Occurrunt in eodem Scriptore sæculi tertii perspicuæ notæ. Sic enim de tota illa controversia loquitur, ut eam recens exortam esse, et adhuc vigere indicet. Ait enim (4), *Monstri simile esse episcopos talia scandala cogitare:* propositum sibi esse *turbulentis hominibus ut vel nunc suum negotium agere incipiant persuadere.* In ipso loco illo, qui a Baluzio objicitur, utile esse statuit (5): « tot annorum totque Ecclesiarum, itemque Apostolorum et episcoporum auctoritati cum bona ratione acquiescere, cum sit maximum incommodum atque dispendium sanctis- B simæ matris Ecclesiæ adversus prisca consulta post tot sæculorum tantam seriem nunc primum repente ac sine ratione insurgere. » Colligi ex his verbis non debet auctorem sæculo quarto vixisse, sed tantummodo eum in exaggerando non valde timidum fuisse. Nam præterquam quod ne quarto quidem sæculo sine absurda exaggeratione objicere potuit *tot sæculorum tantam seriem,* certe conceptis verbis declarat tunc primum controversiam de Baptismo hæreticorum exarsisse; quod sæculo tertio proprie congruit. Quin etiam Cyprianum ipsum, tacito nomine, ut adhuc viventem et diversas partes auctoritate sua tuentem oppugnat. Statuit enim (6) ejusmodi « Controversiarum nullum esse fructum, nisi ut unus homo, quicumque ille est, magnæ prudentiæ et constantiæ esse C apud quosdam leves homines inani gloria prædicetur, et hæreticorum stupore præditus, quibus hoc unum solatium est, si non soli peccare videantur, errores et vitia universarum ecclesiarum correxisse apud simillimos sui et compares celebretur. » Quis Cypriano tam indignis modis convitiatus fuisset, postquam maculam erroris, quem non sine summa animi moderatione in re nondum decisa defenderat, martyrio abstersit, ejusque nominis, refrigerato contentionis æstu, summa exstitit in omnibus Ecclesiis celebritas?

Quæ de hujus anonymi scriptoris ætate hactenus edisseruit vir clarissimus Maranus, aliis quoque doctrina et eruditione præstantibus jam pridem probata noscuntur. Rigaltius, qui primus inter notas ad opera D S. Cypriani hunc tractatum edidit, usus apographo Sirmondiano ex veteri codice monasterii S. Remigii descripto, censuit (7) auctoris esse ab ævo Cypriani parum distantis. Rigaltium secutus est Cyprianico-

(1) Prudent. Maran., in *Vita Cypriani,* § 35, pag. CXXVI, edit. Paris., et pag. 117, edit. Venet.
(2) Gennad., *de Script. Eccles.,* cap. 27.
(3) Anonym., *de Rebaptism.,* § 10.
(4) Id. § 1.
(5) Id. ibid. § 6.
(6) Id., ibid., § 1.
(7) Rigalt., ad Opp. Cyprian., pag. 133, edit. Paris., 1666.

Digitized by Google

rum editor Oxoniensis (1). Caveus item ejusmodi quæstionem semel, iterumque discutiens (2) adduci non potuit, ut alteri sententiæ calculum adjiceret. Sed cæteris multo acrius rem investigasse videtur Tillemontius (3); qui eo usque demum processit, ut non solum vivente adhuc Cypriano, sed etiam contra ipsummet episcopum Carthaginiensem scriptum opus definiret. Hæc est quoque sententia Cl. Gallandii (4), cui jam præluxere doctissimi duumviri Tillemontius et Ceillierus (5).

ARTICULUS II.

*Analysis hujus opusculi.*

Ab initio dilucide proponit statum quæstionis; deinde observat (6): « Nonnulla super hac nova quæstione scripta aut rescripta esse, quibus utraque pars ad destruenda aliena summo studio nitebatur. » Hinc doctissimus Ceillierius merito colligit auctorem hunc eo tempore scripsisse, quo plura jam scripta pro et contra baptismum hæreticorum exarata fuerant. « In quo genere, » pergit anonymus, « quæstionis, ut mihi videtur, nulla omnio potuisset controversia aut disceptatio emergere, si unusquisque nostrum contentus venerabili Ecclesiarum omnium auctoritate et necessaria humilitate nihil innovare gestiret, cum locum contradictioni non quemlibet animadverteret. Namque omne, quod et anceps et ambiguum et in diversis sententiis prudentium et fidelium virorum constitutum est, si contra priscam et memorabilem cunctorum emeritorum sanctorum et fidelium solemnissimam observationem judicatur, damnari utique debet. »

Postea, § 2, discutiens quæstionem, duo baptismata distinguit, unum aquæ, et alterum Spiritus Sancti secundum verba S. Joannis Baptistæ (*Matth.* III, 11; *Marci* I, 7; *Luc.* III, 16; *Joa.* I, 27), *qui post me venit, fortior me est, cujus ego non sum dignus corrigiam calceamenti solvere, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni.* Et Jesus Christus ipsemet dixit: *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* Cornelius recepit baptismum Spiritus sancti, antequam recepisset illum aquæ (*Act.* I, 4, 5.); et econtra Apostoli baptizati in aqua fuere longo tempore, antequam recepissent Spiritum sanctum (7). Utitur hic auctor anonymus hisce exemplis ad ostendendum, quod etsi unum aut alterum horum duorum baptismatum ordinarie conjungi soleant, nihilominus tamen baptismus aquæ non cesset conferre gratiam, licet ab impositione manuum specialiter ad conferendum Spiritum sanctum instituta separatus sit. « Nam dubitari non potest, » inquit anonymus (8) « quod hodierno quoque die usu venit, ut plerique post baptisma sine impositione manuum episcopi de sæculo exeant, et tamen pro perfectis fidelibus habeantur..... Aut si dicas, » pergit Anonymus, « hujusmodi hominem salvum non posse fieri, omnibus episcopis salutem adimimus, quos ita periculis quam certissimis adstringis, ut omnibus hominibus, qui sub cura eorum agunt, et hac atque illac dispersis regionibus ipsorum infirmantur; per semetipsos subvenire debeant; quia cæteri homines minores clericis, qui periclitantur, hoc idem præstare non possint; ne sanguis eorum, qui vacui de sæculo exisse videbuntur, de manu episcoporum necesse habeat requiri. » Exinde concludit, quod quando baptismus in nomine Jesu præcesserit, per solam manus impositionem episcopi possit ejusmodi homini pœnitenti ac credenti etiam Spiritus sanctus tribui, quin necesse sit quæri quale illud baptisma fuerit, quod in nomine Jesu Christi consecutus est (9). Ascribit eamdem efficaciam baptismo Spiritus sancti sine illo aquæ, hoc nixus fundamento, quia virtus nominis Jesu Christi tanta est, « ut super quemcumque hominum baptismate invocata, » ad salutem assequendam non modicam « prærogativam præstare possit.... » Et ille, in quo, cum baptizaretur, « invocatum esset in nomine Jesu, licet in aliquo errore » aut peccato detineretur, » si errorem suum corrigat, fidei veritatem agnoscat, et omnem labem præteritæ conversationis abscindat, et ad Ecclesiam, et ad episcopum veniat, impositionem manuum ipsius recipiat, accipiat Spiritum sanctum, quin invocationis » illius præcedentis nominis Jesu legitime celebratæ ceremoniæ fructum amittat, quæ tamen sola non sufficit ad salutem, quæ autem incipit habere efficaciam et virtutem « correctione erroris et agnitione veritatis, et abscissa omni labe præteritæ conversationis, et accedente, quod deerat, supplemento » per impositionem manuum. Probat assertum hoc exemplo apostolorum (10), qui postquam Christum deseruerunt, atque fidem abnegarunt, non cessabant baptizare; ait dein, § 10, quod « baptismus ab episcopis pessimæ conversationis, aut prave sentientibus aut imperitioribus » collatus, sit bonus et integer; tam magna virtus, « operationibus divinis est propria (11). » Adjungit dein, § eodem: « Cum salus nostra in baptismate Spiritus, quod et plerumque cum baptismate aquæ conjunctum est, sit constituta, siquidem per nos baptisma tradetur integre et solemniter, et per omnia, quæ scripta sunt, assignetur, atque sine illius

(1) Fell., part. III, Opp. Cyprian., pag. 21.
(2) Cave, *Hist. litterar.*, ad ann. 253 et 440.
(3) Tillemont, *Mémoir.*, tom. IV, pag. 629, not. XL. Sur S. Cyprien.
(4) Galland. Bibl. Vet. Patrum. Tom. III, in Prolegom., cap. 7, pag. 24.
(5) Ceillier. Hist. Génér. Tom. III, chap. I, § III, art. IV, pag. 156.
(6) Anonym., §. 1 pag. 362, in Galland., apud Cyprian. edit. Venet. pag. 736 et 737, et edit. Oxon., pag. 20.
(7) Anonym., inter Cyprian. opp., pag. 22. edit. Brem., et Venet.; pag. 738 et 739, et apud Galland., §§ 4 et 5.
(8) Anonym., pag. 24, edit. Brem., et edit. Venet., pag. 740 et seqq.
(9) Id., in edit. Brem., pag. 23, 24; in Venet, pag. 741.
(10) Idem, § 9, pag. 366, apud Galland., in edit. Brem., 26, in Venet., pag. 742, 743, 744.
(11) Idem, pag. 26, edit. Brem. et Venet., pag. 746, 747, 748.

Digitized by Google

rei separatione tradatur; aut si a minore clerico per necessitatem traditum fuerit, » eventum exspectemus, ut aut suppleatur a nobis, aut a Domino supplendum reservetur; si vero ab alienis traditum fuerit, ut potest hoc negotium et ut admittit, corrigatur : quia Spiritus sanctus extra Ecclesiam non sit, fides quoque non solum apud hæreticos, verum etiam apud eos qui in schismate constituti sunt, sana esse non possit. Idcircoque pœnitentiam agentibus correctisque per doctrinam veritatis et per fidem ipsorum, quæ postea emendata est purificato corde eorum, tantummodo baptismate spirituali, id est, manus impositione episcopi, et Spiritus sancti subministratione, subveniri debeat; signum quoque fidei integrum hoc modo et hac ratione tradi in Ecclesia merito consuevit, ne invocatio nominis Jesu, quæ aboleri non potest, contemptui a nobis videatur habita : quod utique non oportet; quamquam talis invocatio, si nihil eorum, quæ memoravimus secutum fuerit, ab operatione *salutis* cesset ac vacet. Dicente enim Apostolo *unum esse baptisma* (*Ephes.*, IV, 5), necesse est invocatione nominis Jesu perseverante; quia non potest a quoquam hominum, quæ semel invocata est, auferri.

Postea exponit baptisma sanguinis a Jesu Christo designatum (1) hisce verbis : « Baptizari habeo aliud autem baptisma » (*Luc.*, XII, 50). « Hoc in loco » ait noster Anonymus (2) « non ut secundum baptisma, ac si sint duo baptismata, Christus significat, sed alterius quoque speciei baptisma ad eamdem salutem concurrens donatum nobis esse demonstrat. Quas utrasque species ab ipso Domino nostro primum initiari et sanctificari oportebat, ut nobis quoque alterutra sive utraque species unum hoc duplex salutiferum, atque honorificum baptisma præstaret; et viæ quædam unius baptismatis sic nobis patefierent, ut aliquando impune aliqua illarum deesset, sicut in verbum audientibus Martyribus impune aquæ baptisma deest, » quos tamen certi sumus, si quid laxamenti habeant, etiam aqua solitos baptizari : « Itemque illis, qui legitimi sunt fideles effecti, impune deest baptisma sanguinis proprii; quia baptizati in nomine Christi, redempti sunt pretiosissimo sanguine Domini, cum utraque hæc ex uno atque eodem fonte procedant flumina Baptismatis dominici... quæ primum apparuerunt in Domini passione, cujus de latere perforato lancea militari sanguis et aqua manavit, ut emitteret duo flumina diversæ speciei, sed tamen ejusdem ac singulare latus, ita ut impleatur Spiritu sancto, quicumque credens biberit ex utroque flumine. Hæc enim de fluminibus his loquens ostendebat Dominus significans Spiritum sanctum. Inde est, quod S. Joannes apostolus hæc simul conjungens dicat » : *Tres testimonium perhibent Spiritus, et aqua, et sanguis. Et isti tres unum sunt* (I *Joan*, V, 6) (3). Ut ex illis colligamus et aquam præstare Spiritum solitum, et sanguinem proprium hominibus præstare Spiritum solitum, et ipsum quoque Spiritum præstare Spiritum solitum (4).

(1) Anonym., § 11, apud Galland., a pag. 367, edit. Brem. 28, et Venet., pag. 752.

(2) § 14, apud Galland., pag. 368, edit. Brem., pag. 28, et Venet., pag. 752.

### ARTICULUS III.

#### *Observationes quædam in hunc tractatum, atque ejusdem editiones.*

Hæc summa hujus opusculi de Rebaptismate capita, quod ex professo exaratum fuisse videtur ad defendendam sancti Stephani I Papæ sententiam quoad validitatem baptismatis ab hæreticis collati, notatu digniora in hoc tractatu sequentia nobis sunt visa. Primo, quod credat martyrium inutile esse hæreticis, atque iis qui sanguinem suum pro nomine Jesu Christi profundunt sine charitate, id est, extra Ecclesiam (5). Secundo : quod martyrium in communione Ecclesiæ toleratum et meritum fidei, et charitatis consequatur (6). Tertio : quod liber, qui inscribitur *Prædicatio sancti Pauli* (7) exaratus fuerit a discipulis Simonis magi; quodque hi hæretici, ad imitationem sui capitis « eos, qui sunt simpliciores aut curiosiores fallere cupiunt asserendo se solos integrum atque perfectum, non sicuti nos mu-

(3) Locum integrum anonymi hujus auctoris, qui Comma *octavum* Joanneum conjunctum cum *sexto* in suo exemplari legisse videtur, excutit R. P. de Rubeis V. C. in dissertatione de tribus in cœlo testibus, pag. 76. Quod quidem argumentum præ cæteris diligentissime pertractasse comperitur eruditissimus Bossuetus contra Simonium, *Remar. sur le Critiq. de la Bibliothèque des Aut. Eccl.*, tom. II, pag. 575 — 628.

(4) Anonym., § 15, apud Galland., pag. 369; apud Cyprian., pag. 29, edit. Brem., et edit. Venet., pag. 753.

(5) Nihil interest utrum hic verbum audiens aut fidelis sit, qui confitetur Domino, dummodo ipsum Christum, quem confiteri oportet, confiteatur. Quia Dominus pari vice confitendo et ipse confessorem suum apud Patrem honore cum martyrii, ut pollicitus est, exornet. Quod utique non debet latius accipi, quasi possit usquequaque porrigi; quia potest Christi nomen etiam hæreticus aliquis, qui tamen ipsum Christum negat, confiteri, quia in alium Christum credit. Apud Cypr., p. 77, edit. Brem., et edit. Ven., pag. 749. Apud Galland., § 11, pag. 367, tom. III. Qua ratione etiam ille hæreticus, qui confitendo Christi nomen trucidatur, nihil postea potest corrigere, si quid de Deo aut de Christo male senserit, cum in alium Deum aut in alium Christum credendo semetipsum fefellit, confessor non Christi, sed solitario Christi nomine; quando et Apostolus consequenter dicat : *Etsi corpus meum tradidero ita ut exurar igni, dilectionem autem non habeam, nihil proficio.* Quia hoc facto nihil proficit, qui non habet dilectionem ejus Dei et Christi. Ibid., p. 28, edit. Brem., Venet., pag. 751; et apud Galland., § 13, p. 368.

(6) Quod sciret homines non solum aqua, verum etiam sanguine suo proprio habere baptizari. Ita ut solo hoc baptismate baptizati, fidem integram et dilectionem sinceram lavacri possint adipisci, et utroque modo baptizari. Ibid., pag. 28, edit. Brem., et Venet., pag. 752 apud Galland., § 14, pag. 368.

(7) Anonym., apud Galland., § 17, pag. 369 et 370; apud Cypr., edit. Brem., p. 30; et edit. Venet., p. 755.

Digitized by Google

tilatum et decurtatum baptisma tradere, quod taliter A dicuntur assignare, ut quam mox in aquam descenderunt, statim super aquam ignis appareat; » quia falso docent baptismum Jesu concomitari debere ignem materialem (1).

Ex eodem auctore anonymo discimus, sua ætate miracula patrata fuisse, atque ab ipsis etiam hæreticis. Ait enim (2) : « Quas virtutes non dubie tunc illi sub nomine Christi socient; in quo nomine videntur quidam etiam modo quasdam virtutes facere et falso prophetare. »

Præterea occurrunt in hoc opusculo quædam sententiæ non satis exactæ : sic exempli gratia scribit § 4 et § 14. « Nondum erat Spiritus sanctus, quia Jesus non erat clarificatus (3). » Et paulo post ait (4) quod « Spiritus sanctus voluntate Dei, non propria de cœlo descenderit. Tandem quod baptismus Spiritus sancti sit major baptismo aquæ (5). Anonymi tractatus de Rebaptismate primam lucem aspexit anno 1648 inter opera Cyriani a Nicolao Rigaltio Lutetiæ Parisiorum impressa, postea in omnibus subsequentibus operum Cyprianicorum editionibus recusus, atque bibliothecæ veterum Patrum ab Andrea Gallandio adornatæ, tom. III, a pag. 362-371, Venetiis, 1767, insertus, qui et eidem tractatui eruditas notas subjunxit. LUMPER.

(1) Id., ap. Galland. § 16, p. 369, apud Cypr., edit. Brem., p. cit., et Venet., p. 755.

(2) Id., ap. Galland, § 12, pag. 367; apud Cypr., edit. Brem., pag. 28, et Venet., p. 750. In quo nomine virtutes omnes solent fieri, et nonnunquam aliquæ etiam ab hominibus extraneis. Apud Galland., § 7, p. 365; et apud Cypr., edit Venet., pag. 744, Brem., pag. 25.

(3) Exciderit fortasse librario vox *datus;* quæ necessario addenda videtur ex Vulgato interprete.

(4) Die Pentecostes supervenit Spiritus sanctus, voluntate quidem Dei, non sua sponte cœlo lapsus. Id., ap. Galland., § 6, p. 364, edit. Brem. Cypr., p. 24, et Venet., p. 742.

(5) Quoniam multum interest utrum in totum quis non sit baptizatus in nomine Domini nostri Jesu Christi, an vero in aliquo claudicet, cum baptizatur baptismate aquæ, quod minus est, dummodo postea constet in veritate sincera fides in baptismate Spiritus, quod non dubie majus est. Id apud Galland., § 6, p. 365, apud Cypr., edit. Brem., p. 24, et Venet., p. 744.

# ANONYMI

## LIBER DE REBAPTISMATE.

### NON DEBERE DENUO BAPTIZARI QUI SEMEL IN NOMINE DOMINI JESU CHRISTI SINT TINCTI.

I. Animadverto quæsitum apud fratres quid potius C observari oportet in personam eorum qui in hæresi quidem, sed in nomine Dei nostri Jesu Christi sint tincti; postmodum inde digressi, et suppliciter ad Ecclesiam Dei advolantes, totis præcordiis pœnitentiam agerent; et erroris sui damnationem nunc demum intelligentes auxilium salutis ab ea implorarent; utrum vetustissima consuetudine ac traditione ecclesiastica, post illum quod foris quidem sed (2) in nomine Jesu Christi Domini nostri accceperuut Baptisma, tantummodo imponi eis manum ab episcopo ad accipiendum Spiritum sanctum sufficeret, et hæc manus impositio signum fidei iteratum atque consummatum eis præstaret : an vero etiam iteratum Baptisma his necessarium esset, tamquam nihil habituris si hoc quoque adepti ex integro non fuissent, perinde ac si numquam baptizati in nomine Jesu Christi forent. Ideoque nonnulla super hac nova quæstione scripta aut rescripta esse jactabantur, quibus utraque pars ad destruenda aliena summo studio nitebatur. In quo genere quæstionis, ut mihi videtur, nulla omnino potuisset controversia aut disceptatio emergere, si unusquisque nostrum contentus venerabili Ecclesiarum omnium auctoritate et necessaria humilitate nihil innovare gestiret, cum locum contradictioni non quemlibet animadverteret. Namque

VARIORUM NOTÆ.

DE REBAPTISMATE. Retinuimus inscriptionem quam præfert vetus codex. Et in calce vetus codex habet : *Cœcilii Cypriani finivit de rebaptismate.*

I. — *In nomine Jesu Christi Domini nostri.* In veteri libro scriptum est *Domini non.* Quod ita corrigendum esse censuit Sirmondus, ut *Dominicum* poneretur; et ita edidit Rigaltius. Nos scripsimus *Domini nostri,* D tum quia paulo ante scriptum est *in nomine Dei nostri Jesu Christi,* tum quia infra diserte scriptum est *in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Sic in allocutione Crescentis a Cirta in concilio Carthaginiensi pag. 331 scriptum est in vetustissimo codice ms. sancti Remigii Remensis, *dilectissimi non* pro *nostri*, et in allocutione Munnuli a Girba ibidem *Domino dicente,* cum legendum sit *Domino nostro.* Sic pro eo quod apud Marium Mercatorem in editione nostra, pag. 348, scriptum est *nundum Verbum dicit*, nos monuimus pag. 470, legendum esse *non Deum.*

Digitized by Google

omne quod et anceps et ambiguum et in diversis sententiis prudentium ac fidelium virorum constitutum est, si contra priscam et memorabilem cunctorum emeritorum sanctorum et fidelium solemnissimam observationem judicatur, damnari utique debet, cum in re olim composita et ordinata quodcumque est illud quod contra Ecclesiarum quietem atque pacem in medium producatur nihil (præter) discordias et simultates et schismata allaturum: ubi nullus alius fructus reperiatur nisi hic solus, ut unus homo, quicumque ille est, magnæ prudentiæ et constantiæ esse apud quosdam leves homines inani gloria prædicetur, et hæreticorum stupore præditus, quibus hoc unicum perditionis solatium est si non soli peccare videantur, errores et vitia universarum Ecclesiarum correxisse apud simillimos sui et compares celebretur. Hæreticorum enim omnium hoc studium atque propositum est, sanctissimæ matris nostræ Ecclesiæ ejuscemodi et plurimas quantas calumnias nectere, et invenisse aliquid quod ei crimini vel etiam leviter dari posset summam gloriam ducere. Quod cum nullum sanæ mentis fidelium tenere, vel maxime nullum omnino in quocumque clero constitutum, ac multo magis episcoporum, audere deceat; monstri simile est ipsos episcopos talia scandala cogitare et turpitudinem matris Ecclesiæ, si quam putant in hoc negotio esse, contra præceptum legis et omnium Scripturarum nimis irreverenter cum ipsa ipsorum turpitudine et periculo non vereri detegere, quamquam nulla sit in hoc nisi in errore ipsorum illorum turpitudo Ecclesiæ. Itaque deterius delinquitur ab hominibus ejusmodi, si id quod in observatione antiquissima ab iis tamquam non recte fiat reprehenditur, et ab his qui ante nos fuerunt, tum etiam a nobis recte observatum esse et observari manifeste ac fortiter ostendatur; ita ut etsi paribus argumentis ex utraque parte congrederemur, tamen quia non poterat id quod innovabatur sine dissensione fratrum et damno ecclesiastico consistere, utique non debeat contra fas, quod aiunt, et nefas, id est contra bonum et æquum, Ecclesiæ matri quasi macula temere infligi, eisque qui hoc attentarent audaciæ hujus atque impietatis ignominia merito deberet adscribi. Sed quoniam non est in nostra potestate ut secundum præceptum Apostoli (I *Cor.* I, 10) idipsum dicamus omnes, neve sint in nobis schismata; tamen in quantum possumus connitimur hujus tractatus statum demonstrare, et turbulentis hominibus ut vel nunc suum negotium agere incipiant persuadere, consecuturis plurimum etiam nobis, si hoc quoque consilio sano tandem voluerint adquiescere. Et ideo quæcumque sanctarum Scripturarum ad hanc partem pertinentia sunt capitula necessario in unum congeremus, et quæ videntur esse diversa aut varia, quantum poterit, manifeste inter se conglutinabimus, et utilitatem ac commodum singulorum pro mediocritate nostra examinabimus, ut accendi in Ecclesia formam et consuetudinem saluberrimam atque pacificam universis fratribus insinuemus.

II. Igitur aggredientibus tractatum salutaris et novi, hoc est spiritalis et evangelici Baptismatis, in primis occurrit notissima omnibus prædicatio celebrata atque cœpta ab Joanne Baptista, qui aliquantum desciscens a lege, id est Moysis antiquissimo baptismate, et viam novæ et veræ gratiæ præsternens, et baptismate quod interim exercebat aquæ et pœnitentiæ sensim aures Judæorum præveniebat et occupabat spiritalis Baptismatis futuri annuntiatione, adhortans eos et dicens: *Qui post me venit fortior me est, cujus ego non sum dignus corrigiam calceamenti solvere. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni* (*Matth.* III, 11; *Marc.* I, 7; *Luc.* III, 16; *Joan.* I, 27). Propter quod nobis quoque hujus sermonis orsus hinc incipere debebit. Nam et Dominus hanc eamdem vocem Joannis post suam resurrectionem in Actis Apostolorum confirmans, *præcepit eis ab Hierosolymis non discedere, sed expectare illam promissionem Patris quam audistis a me: quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies* (*Act.* I, 4, 5). Itemque Petrus eadem verba Domini percensuit, rationem pro se apud Apostolos reddens dicendo: *Cum autem inciperem loqui ego, irruit Spiritus sanctus super eos, sicut et super nos in principio; et recordatus sum sermonem Domini sicut dicebat: Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto. Si ergo æquale donum dedit eis sicut et nobis credentibus Dominum Jesum Christum, ego quis eram, qui possem prohibere Domino* (*Act.* XI, 15-17)? Et iterum: *Viri fratres, scitis quia a diebus antiquis in nobis Deus elegit per os meum audire Gentes verbum Evangelii, et credere: et qui corda novit Deus testimonium perhibuit, dans eis Spiritum sanctum sicut et nobis* (*Act.* XV, 7, 8). Ac propterea hujus sententiæ quæ sit vis et potestas, considerare debemus. Ait enim Dominus eis qui postmodum baptizari haberent, quia crederent baptizandos esse, non quemadmodum a se in aqua in pœnitentiam, sed in Spiritu sancto. De qua prædicatione cum utique nemo nostrum possit ambigere, manifestum est qua ratione homines in

## VARIORUM NOTÆ.

*Stupore.* Arrogantia, superbia, ut recte monuit Rigaltius. Vox illa in eo sensu usurpata est a Cypriano et a Pontio ejus diacono. Apud Marium Mercatorem, p. 75, in editione nostra legitur: *In stupore remaneat dentium Paulus Samosatenus.*

*In quocumque clero.* Id est, in quolibet ordine eorum qui in clero connumerantur.

*Ab iis.* Ita putavi scribendum esse, cum antea legeretur *aliis.*

*Accendi.* Rigaltius conjecit legendum esse *tacendi.* Angli pro *accendi* posuerunt *accedenti.* Ego puto ponendum esse *attendi.*

II.—*Moysis antiquissimo.* Antea editum erat *Moyse, antiquissimo.* Certam esse hanc nostram emendationem ostendit locus ex epistola LXXIII Cypriani: *illi quia jam legis et Moysi antiquissimum baptisma fuerant assecuti.*

Digitized by Google

Spiritu sancto baptizati sint. Nam et proprie in ipso solo sancto Spiritu baptizati sunt qui crediderunt, quia Joannes discrevit et dixit, dicens se quidem in aqua baptizare, venturum autem qui in Spiritu sancto baptizet gratia et virtute Dei sunt et hoc et occulta largiente et operante, nihilominus autem etiam in Baptismate spiritus et aquæ, præterea etiam in Baptismate spiritus in sanguine proprio uniuscujusque, sicut declarant nobis sanctæ Scripturæ, quarum per singula quæque eorum quæ enarrabimus afferemus perspicuas probationes.

III. Ad quæ forte tu, qui novum quid inducis, continuo impatienter respondeas, ut soles, dixisse in Evangelio Dominum : *Nisi quis denuo natus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum cœlorum* (*Joan.* III, 3, 5). Ex quo manifeste apparet, illi Baptisma solum prodesse, cui possit etiam Spiritus sanctus inesse : super ipsum enim Dominum, cum baptizaretur, Spiritum sanctum descendisse, factumque ejus atque dictum pariter congruere, nec alia ullu ratione mysterium istud posse consistere. Cui responso nemo nostrum adeo ita insanus reperitur aut contumax, ut audeat contra fas aut contra verum contradicere; scilicet rebus integris et omni modo ita in Ecclesia gerendis et secundum disciplinæ ordinem perpetuo a nobis observandis. Sed si in eodem Novo Testamento hæc quæ in isto negotio deprehendimus adunata, nonnumquam reperiantur quodam modo divisa ac separata et proinde disposita atque si sint singula; videamus utrum possint esse aliquando etiam singulariter solitaria, quasi non sint mutila, sed tamquam integra atque perfecta. Nam cum per manus impositionem episcopi datur unicuique credenti Spiritus sanctus, sicut Apostoli circa Samaritanos post Philippi Baptisma manum eis imponendo fecerunt, et hac ratione Spiritum sanctum in eos contulerunt (quod ut fieri posset, ipsi pro eis oraverunt; nondum enim super quemquam eorum descenderat Spiritus, tantum autem baptizati erant in nomine Domini Jesu) Dominus quoque noster post resurrectionem, cum insufflasset et dixisset Apostolis suis : *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* XX, 22), ita demum largitus eis Spiritum sanctum.

IV. Cum ita invenitur, quid tibi, frater, videtur? Si quis non ab episcopo baptizatus, ita ut si in continenti etiam manus ei imponatur, priusquam tamen accipiat Spiritum sanctum fuerit defunctus, utrum censeas salutem percepisse eum, nec ne : quoniam quidem et ipsi Apostoli et discipuli, qui etiam alios baptizabant, qui etiam a Domino baptizati, non statim Spiritum sanctum acceperint qui nondum erat, quia Jesus nondum fuerat clarificatus (*Joan.* VII, 39) : sed post resurrectionem ejus nec modicum intervallum temporis quo id gestum est, intercesserit. Sicuti et cum baptizati sunt a Philippo Samaritani, donec Samariam rogati ab Hierusalem Apostoli descenderent ad illos, ut eis manum imponerent et Spiritum sanctum per manus impositionem in eos conferrent : quoniam illo intervallo temporis aliquis eorum non adeptus Spiritum sanctum, morte potuit intercipi, et defraudatus gratia Spiritus sancti defungi. Quod hodierna quoque die non potest dubitari esse usitatum et evenire solitum, ut plerique post Baptisma sine impositione manus episcopi de sæculo exeant, et tamen pro perfectis fidelibus habentur. Sicuti Æthiops eunuchus cum rediret ab Hierusalem et legeret prophetam Esaiam et hæsitarat, suggerente Spiritu, audita veritate a Philippo diacono credidit et baptizatus est (*Act.* VIII) : et cum ascendisset de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, et non vidit eum jam nunc amplius eunuchus. Abibat enim viam suam gaudens quoniam, ut animadvertis, imposita ei manus non est ab episcopo ut Spiritum sanctum acciperet. Quod si hoc admittis et salutare esse credis, nec opinioni omnium fidelium refragaris, necesse est confitearis, proinde autem atque hoc latius tractatu procedit, etiam illud aliud latius posse consistere : id est, ut per solam manus impositionem episcopi, quia Baptisma in nomine Jesu Christi Domini nostri præcessit, possit alio homini pœnitenti atque credenti etiam Spiritus sanctus tribui; quoniam eos qui in Christum crediturі essent, Scriptura sancta prædixit : Oportere in Spiritu baptizari : ita ut et hi quoque non videantur minus aliquid habere quam illi qui perfecti sunt christiani, ne necesse sit quæri quale illud baptisma fuerit quod in nomine Jesu Christi sunt consecuti. Nisi forte in illo quoque superiore tractatu circa eos qui tantummodo in nomine Christi Jesu baptizati fuerint, statuas etiam sine Spiritu sancto posse salvos fieri, aut non hac sola ratione, sed si per manus impositionem episcopi Spiritum sanctum consuesse præstari, aut etiam non episcopum dicas Spiritum sanctum solitum esse largiri.

## VARIORUM NOTÆ.

III. — *Descenderat.* Ita Rigaltius et Fellus. At Baluzius *deciderat.*

*Cum ita invenitur.* Oxonienses post Rigaltium sic distinguunt. Baluzius vero : *ita demum largitus eis Spiritum sanctum cum ita invenitur.* Sed in lectione Baluziana repetitum *ita* frigere videtur.

IV. — *A Domino baptizati.* Ita edit. Rigaltiana et Oxoniensis. Baluzius, *a Domino sint baptizati.* Ubi quidem *sint* importunum conjicio.

*Nondum erat.* Exciderit fortasse librario vox *datus*, quæ necessario addenda videtur ex vulgato interprete. At eadem ratione citatur hic locus infra, cap. 14. Ubi videas notam Baluzianam.

*Quoniam.* Rigaltium sequimur et Oxonienses Baluz. *vel quoniam.*

*Quoniam ut animadvertis.* Assentior erudito viro qui monuit legendum esse *quamquam.*

*Ne.* Hæc et lectio Rigalt. et Oxon. Baluzius tamen *nec* legit.

Digitized by Google

V. Quod si ita est, et potest aliquid horum evenions salutem homini credenti non præripere, tu quoque ipse annuis quoniam modo dimidiatum et non ut contendis, consummatum mysterium fidei, qua necessitas intervenit, salutem adimere non posse credenti et pœnitenti homini. Aut si dicis hujusmodi hominem salvum non posse fieri, omnibus episcopis salutem adimimus, quos ita periculis quam certissimis astringis ut omnibus hominibus qui sub cura eorum agunt, et hac atque illac dispersis regionibus ipsorum infirmantur, per semetipsos subvenire debeant; quia cæteri homines minores clericis qui periclitantur, hoc idem præstare non possint : ne sanguis eorum qui vacui de sæculo exisse videbuntur, de manu episcoporum necesse habeat requiri. Porro autem, ut non ignoratis, credentibus hominibus invenitur Spiritus sanctus a Domino datus sine Baptismate aquæ, sicut Actis Apostolorumconti netur in hunc modum : *Adhuc loquente Petro verba hæc, irruit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum : et obstupefacti sunt qui erant ex circumcisione fideles quotquot simul venerant cum Petro, quia et super Gentes donum Spiritus sancti effusum est. Audiebant enim eos loquentes linguis suis, et magnificabant Deum. Tunc respondit Petrus : Numquid aliquis aquam prohibere potest ut non baptizentur isti qui Spiritum sanctum acceperunt sicut et nos? Et præcepit eos baptizari in nomine Jesu Christi* (*Act.* x, 44-48). Sicut etiam idem Petrus postmodum de eisdem Gentibus plenissime docuit nos dicens : *Et nihil discrevit inter nos et ipsos, fide emundatis cordibus eorum*(*Act.* xv, 9). Atque hoc non erit dubium in Spiritu sancto homines posse sine aqua baptizari, sicut animadversis baptizatos hos prius quam aqua baptizarentur,ut satisfieret et Joannis et ipsius Domini prædicationibus : quandoquidem et sine manus impositione Apostolorum et sine lavacro, quod postea adepti sunt, gratiam repromissionis acceperint : et sic paulo ante emundatis cordibus eorum, Deus per fidem ipsorum etiam remissionem peccatorum simul eis largitus sit, ut hoc solum eis Baptisma subsequens præstiterit, ut invocationem quoque nominis Jesu Christi acciperent, ne quid eis deesse videretur ad integritatem ministerii et fidei.

VI. Quod etiam e contrario latere tractatus hujus sunt consecuti ipsi illi discipuli Domini nostri, super quos jampridem baptizatos postremo die Pentecostes supervenit Spiritus sanctus, voluntate Dei quidem, non sua sponte cœlo lapsus, sed ad hoc ipsum munus effusum sedet super unumquemque eorum, cum justi jampridem, ut diximus, Baptismate Domini fuissent baptizati, sicut et ipsi Apostoli, qui tamen omnes Dominum nocte qua apprehensus est deseruisse inveniuntur : et ille ipse qui gloriatus est perseveraturum se in sua fide Petrus et adversus ipsius Domini prædictum obstinatissime repugnavit, postremo tamen tum ipsum negavit; ut hac ratione ostenderetur nobis quæ medio tempore quoquo modo contraxerant delicta, eadem hæc in eis fide postmodum sincera per Baptisma Spiritus sancti non dubie esse dimissa. Nec ulla, ut puto, alia ex causa Apostoli his quos in Spiritu sancto alloquebantur, præceperant ut in nomine Christi Jesu baptizarentur, nisi quia virtus nominis Jesu super quemcumque hominum Baptismate invocata, ad salutem assequendam non modicam prærogativam ei qui baptizaretur præstare posset, sicuti Petrus in Actis Apostolorum enarrat dicens : *Nec enim aliud est nomen sub cœlo quod datum est hominibus, in quo oportet salvos fieri nos* (*Act.* iv, 12). Sicut etiam apostolus Paulus aperit ostendens quia Deus exaltavit Jesum Dominum nostrum, et donavit illi nomen ad hoc ut sit super omne nomen; ut in nomine Jesu omnes genua curvent cœlestium et terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus est Jesus in gloria Patris (*Philip.* ii, 9-11). Et ille in quo cum baptizaretur, invocatum esset in nomine Jesu, licet in aliquo errore consequeretur, tamen quandoque non prohiberetur rectum sapere, et errorem suum corrigere, et ad Ecclesiam et ad episcopum venire, et sinceriter confiteri Jesum nostrum coram hominibus; ut tunc cum ab episcopo ei manus imponeretur, etiam Spiritum sanctum acciperet, nec invocationem illam pristinam nominis Jesu amitteret, quam nemini nostrum licet damnare, quum hæc nuda et singularis si in errore sit constituta, non posset ad salutem præstandam sufficere; ne hac ratione etiam Ethnicos et hæreticos abutentes nomen Jesu, credamus ad salutem sine vera re atque integra posse pervenire. Quam tamen invocationem nominis Jesu correctione erroris et agnitione fidei veritatis, et abscisa omni labe præteritæ conversationis, mysterio Dei circa ejusmodi homines rite perpetratam, locum quem habitura non erat, obtinere, et postremo in fide recta et ad integritatem signi præstandam non obesse, supplemento ejus quod deerat accedente, perquam utile est credere, et tot annorum totque ecclesiarum itemque Apostolorum et episcoporum auctoritati cum bona ratione acquiescere : cum sit maximum incommodum ac dispendium sanctissimæ matris Ecclesiæ, adversus prisca consulta

## VARIORUM NOTÆ.

V. — *Quoniam modo.* Malim *quonam modo.*

*Modo dimidiatum.* Idem vir eruditus censet legendum esse *non modo dimidiatum ut contendis, sed consummatur mysterium fidei.*

*Et sic paulo ante emundatis.* Ita Baluzius. Rigaltius, *et inundatis*, intermediis omissis : quod magis placet. Oxon. *et emundatis.*

VI. — *Munus effusum.* Facile assentior eidem viro doctissimo, qui putat reponi debere *effusus.*

*Justi.* Legit Rigaltius *isti.*

*Tum ipsum.* Idem Rigaltius, *ter ipsum* emendat. At editio Baluziana exhibet *eum etiam.* Utrum vero hæc sit mss. codicis lectio, silet omnino.

Digitized by Google

post tot sæculorum tantam seriem nunc primum repente ac sine ratione insurgere. Nec enim propter aliud Petrus qui jam fuerat baptizatus, et quid sentiret de Domino ab ipso Domino erat interrogatus, et veritate revelationis Patris cœlestis in eum collocata, quod Dominus noster non solum Christus, verum etiam Filius Dei vivi esset confessus (*Matth.* XVI, 16), postmodum eidem Christo prædicanti de sua passione refragatus esse monstratus est, et propterea Satanas dici ostensus est (*Ibid.* v. 3); nisi quia futurum erat ut quidam, tametsi variantes in sententia propria et claudicantes aliquando in fide atque doctrina, cum in nomine Jesu baptizarentur, tamen si intervallo quodam temporis recorrigere id potuissent, non propterea a salute exciderent, sed quandoque resipuissent, integram spem salutis pœnitendo obtinerent; præsertim cum Spiritum sanctum quo baptizari unusquisque hominum debet, acciperent, aliquid tale designassent; sicuti non solum Petrum hoc passum esse in Evangelio deprehendimus, verum universos quoque discipulos, quibus jam Baptizatis postea Dominus ait, *quia vos omnes scandalizabimini in me* (*Marc.* XIV, 27); qui omnes, ut animadvertimus, correcta fide sua post resurrectionem Domini in Spiritu sancto sunt baptizati: ut non immerito hodie quoque credamus homines correctos a pristino errore, in Spiritu sancto posse baptizari, qui cum aqua baptizarentur in nomine Domini aliquod scabram habuissent fidem; quoniam multum interest utrum in totum quis non sit baptizatus in nomine Domini nostri Jesu Christi, an vero in aliquo claudicet cum baptizatur Baptismate aquæ, quod minus est, dummodo postea constet in veritate sincera fides in Baptismate spiritus, quod non dubie majus est.

VII. Nec æstimes huic tractatui contrarium esse quod dixit Dominus: *Ite, docete Gentes, tinguite eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* (*Matt.* XXVIII, 19). Quia cum hoc verum et rectum et omnibus modis in Ecclesia observandum sit, et observari quoque solitum sit, tamen considerare oportet quod invocatio nominis Jesu non debet a nobis futilis videri propter venerationem et virtutem ipsius nominis: in quo nomine virtutes omnes solent fieri, et nonnumquam aliquæ etiam ab hominibus extraneis. Cæterum quo pertinent illa verba Christi, qui negaturum se esse dixit, nec nosse eos qui sibi in die judicii dicturi essent: *Domine, Domine, nonne in tuo nomine prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes magnas fecimus*, respondendo eis etiam cum jurejurando *quia numquam cognovi vos; discedite a me qui operamini iniquitatem* (*Marc.* XIV, 27); nisi ostenderetur nobis nonnumquam etiam ab his qui operarentur iniquitatem, posse per nimiam virtutem nominis Jesu etiam hæc fieri? idcircoque debet invocatio hæc nominis Jesu quasi initium quoddam mysterii Dominici commune nobis et cæteris omnibus accipi, quod possit postmodum residuis rebus impleri; alias non profutura talis invocatio cum sola permanserit, quia post mortem ejusmodi hominis non potest ei quidquam omnino adjici, vel suppleri aut in aliquo prodesse die judicii, cum illi a Domino nostro quæ supra memoravimus cœperint exprobrari qui tamen universi hodie ut sibi his modis subveniant quibus supra ostendimus, non possunt ab ullo hominum tam dure tamque crudeliter prohiberi.

VIII. Sed ad hæc, ut soles, contradices, opponendo nobis tunc cum baptizarentur integre ac recte discipulos ac non ut hos hæreticos esse baptizatos: quod ex persona ipsorum et ejus qui baptizavit illos, sumas necesse est. Et ideo nos ad propositionem hanc tuam non ut accusatores discipulorum Domini respondemus, sed sicuti compellimur; quia necesse est ubi et quando et quemadmodum unicuique nostrum salus sit præstita, rationibus investigemus. Namque natum esse Dominum nostrum et Christum esse eum multis rationibus a discipulis ejus non immerito credi videbatur, quod ex tribu Juda, quod ex genere David, quodque in civitate Bethleem fuisset natus; et quod pastoribus ab Angelis, quoniam Salvator illis natus esset eodem momento fuisset annuntiatus; quod in oriente visa ejus stella sollicitissime fuisset a magis requisitus et adoratus, et illustribus donis et insignibus muneribus honoratus; quod puer admodum in templo sedens cum legis doctoribus, prudenter et cum admiratione omnium disputasset; quod cum baptizaretur, ita ut nulli alii contigerat, cœlis apertis descensione Spiritus sancti et super eum mansione, testimonio etiam Patris sui itemque Joannis Baptistæ fuisset clarificatus; quod supra humanam mediocritatem corda et cogitationes universorum intelligeret, quod languores et vitia et valetudines cum potestate maxima curaret atque sanaret, quod remissiones peccatorum cum evidenti probatione præstaret, quod dæmonia jussu expelleret, quod leprosos verbo mundaret, quod aquam in vinum convertendo convivium nuptiale admirabili lætitia amplificaret, quod cæcis visionem restitueret aut indulgeret, quod doctrinam Patris cum omni fiducia assereret, quod in loco deserto de quinque panibus quinque millia hominum saturaret, quod reliquiæ atque buccellæ plusquam duodecim cophinos impleret, quod mortuos pro sua pietate passim suscitaret, quod ventis et mari ut quiescerent imperaret, quod super mare pedibus ambularet, quod virtutes omnes omnino perficeret.

IX. Quibus rebus et hujusmodi compluribus factis ad claritatem ejus pertinentibus consequens esse videbatur ut quemadmodum Judæi de Christo

## VARIORUM NOTÆ.

*Aliquod scabram.* Fortean scripserit Auctor, *aliquo scabram:* hoc est, aliquatenus. Ut apud Tertullianum, *aliquo Numidas.* Quo si quis malit, *aliquod scabram*, feri certe poterit: quemadmodum apud Virgilium, *os humerosque Deo similis.* RIGALT.

Digitized by Google

sentiunt, quod tamen de Jesu Christo Domino nostro non credunt, ut etiam ipsi existimarent, ut talis et tantus nulla obita morte in æternum perseveret, et regnum Israel et totius orbis in perpetuum quod non corriperetur possideret. Unde etiam Judæi ausi fuerunt eum rapere et in regnum unguere : quod quidem necesse habuit ille superfugere : ac propterea discipuli ejus arbitrabantur quod nulla alia ratione vitam æternam his præstaturus esset, nisi primum ipse vitam hanc temporalem cum illa æterna in se ipso continuasset. Denique cum conversarentur in Galilæa, dixit eis Jesus : *Incipit Filius hominis tradi in manus hominum, et interficient eum, et post triduum resurget* (*Marc.* IX, 30). Et contristati sunt nimis, quia, sicuti diximus, longe diversum prius animis ac mente conceperant. Denique hic fuit etiam Judæorum sermo contradictionis adversus eum, cum se ipse quidem doceret eos et futura annuntiaret; illi autem dicerent: *Nos audivimus a lege quia Christus manet in æternum : et quomodo tu dicis quia exaltari oportet filium hominis* (*Joan.* XII, 34) ? Itaque fuit discipulorum eadem hæc præsumptio de Christo, prorumpente in istum sermonem incredulitatis suæ Petro ipso duce ac principe Apostolorum. Cum enim a Domino simul cum cæteris fuisset interrogatus quidnam sentiret de ipso, id est quem esse eum existimaret; et primo veritatem confessus fuisset, dicens esse eum Christum Filium Dei vivi (*Matth.* XVI, 16 et seq.) ; et propterea beatus ab illo judicatus esset quod hoc non carnaliter, sed per Patris cœlestis revelationem assecutus esset: idem tamen, ubit cœpit Jesus ostendere discipulis suis quia oporteret eum Hierosolymam ire, et multa pati a senioribus et sacerdotibus et scribis, et interfici et post diem tertium resurgere; nihilominus ille verus Christi confessor post pauculos dies assumpto eo cœpit illum corripere dicens : *Propitius sis tibi, non erit istud* (*Ibid.* 22, 23) ; ita ut propterea audire a Domino commeruerit, *Vade post me, Satanas, scandalum mihi es;* ob hoc quod non saperet ea quæ sunt Dei, sed ea quæ sunt hominum. Quæ increpatio adversus Petrum magis magisque eluxit apprehenso Domino, cum a mulierecula conterritus diceret : (*Matth.* XXVI, 70 et seq.) *Nescio quid dicas, neque novi te.* Et iterum cum hoc idem diceret addhibito jurejurando, et tertio devotans et jurans affirmaret, quoniam non nosset hominem, et non semel, sed sæpius eum negasset : quod consilium ei quoniam usque ad passionem Domini perseveraturum erat, multo prius a Domino palam factum est, ut nos quoque id non ignoremus. Denique post resurrectionem Domini unus e discipulis ejus Cleopas, cum esset mœstus secundum errorem omnium condiscipulorum suorum, ipsi Domino tamquam alicui ignoto referens quod contigerat, sic locutus est dicens de Jesu Nazareno, *qui fuit propheta potens in factis et dictis in conspectu Dei et universi populi, quomodo hunc tradiderunt sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis et cruci eum fixerunt : nos autem sperabamus quod ipse erat redempturus Israel* (*Luc.* XXIV). Juxta quæ, omnes quoque discipuli asseverationem quoque mulierum quæ post resurrectionem viderant Dominum, judicaverunt deliramenta ; et quidam ipsorum viso eo non crediderunt, sed dubitaverunt ; quique tunc non interfuerunt omnino non crediderunt, nisi postmodum ab ipso Domino omnibus modis fuissent objurgati atque increpati : quoniam mors eos ita offenderat, ut putarent eum non resurrexisse, quem crediderant mori non debuisse ; quia contra opinionem ipsorum semel mortuus fuisset. Itaque quod ad ipsos discipulos pertinet, neque integram neque perfectam fidem habuisse his modis quibus retulimus inveniuntur ; et quod multo gravius est, sicut in Evangelio cata Joannem scriptum est, etiam alios baptizabant (*Joan.*, III, 22).

X. Præterea quid dicturus es de his qui plerumque ab episcopis pessimæ conversationis baptizantur: qui tamen tandem, cum Deus voluerit, in sceleribus suis convicti, etiam ipso aut prorsus etiam communicatione privantur ? Aut quid statues de eis qui ab episcopis prave sentientibus aut imperitioribus fuerint baptizati ? quando non ad liquidum et integre vel etiam aliter quam oportet in traditione sacramenti fuerint locuti ; certe aut interrogaverint quid, aut interrogantes a respondentibus audierint quod minime ita interrogari aut responderi debet : quod tamen non valde illam nostram rectam fidem lædat, sed non tam ornate ut tu et composite, isti quoque simpliciores homines mysterium fidei tradant. Dicturus es enim utique pro tua singulari diligentia, hos quoque denuo baptizandos esse, cum maxime eis res desit aut obstet quominus inviolabile illud divinum mysterium fidei intemeratum possint accipere. Sed enim virorum optime red-

## VARIORUM NOTÆ.

IX. — *Corriperetur.* Puto legendum esse *corrumperetur.* GALLAND.

*Superfugere.* Hoc certe magis Deo convenit, quam subterfugere. RIGALT.

*Devotans.* Tertullianus dixit *devotamenta.* RIGALT.

X. — *Etiam ipso.* Legit Fellus, *etiam ipso munere.* Rigaltius vero : *Etiam ipso,* scilicet Domino, privantur. Quia, inquit, vel facto suo pessimo Dominum negant, et ad Ethnicos transeunt ; aut prorsus etiam ejiciuntur ab Ecclesia. GALLAND.

*Virorum optime.* Antea legebatur *vivorum :* emendatio facilis et obvia. Sic in Epistola Paulini episcopi Aquileiensis ad Carolum M. in libro primo miscellaneorum nostrorum, pag. 365. *His et similibus virorum optime.* Inter epistolas ineditas Trasmundi monachi Clarevallensis reperitur una quæ sic incipit : *Recipere a te, virorum optime, non catenulas ferreas, sed murenulas aureas solebamus.* Matthæus Bossus lib. I, epist. 77 ad Polycletum : *Polyclete, virorum optime.* Joannes Vatellus in epistola ad Guillelmum Riviere, quæ edita est cum epistolis Guillelmi de Mara : *Non possum nobis non plurimum gratulari virorum optime.* Apud Marium Mercatorem, pag. 55, 157, in editione nostra *vir optime.* Interpres epistolæ Palladii ad Lausum præfixe libris de Vitis Patrum ; *Est autem hujus desiderii spiritualis exactor virorum optimus Lausus.* GALLAND.



Digitized by Google

damus et permittamus virtutibus cœlestibus vires suas, et dignationi divinæ majestatis concedamus operationes proprias, et intelligentes quantum in ea sit emolumentum, libenter ei acquiescamus. Et ideo cum salus nostra in Baptismate spiritus, quod plerumque cum Baptismate aquæ conjunctum est, sit constituta, siquidem per nos Baptisma tradetur, integre et solemniter et per omnia quæ scripta sunt assignetur, atque sine ulla ullius rei separatione tradatur ; aut si a minore clero per necessitatem traditum fuerit, eventum expectemus ut aut suppleatur a nobis aut a Domino supplendum reservetur; si vero ab alienis traditum fuerit, ut potest hoc negotium et ut admittit, corrigatur : quia Spiritus sanctus extra Ecclesiam non sit, fides quoque non solum apud hæreticos, verum etiam apud eos qui in schismate constituti sunt sana esse non possit. Idcircoque pœnitentiam agentibus correctisque per doctrinam veritatis et per fidem ipsorum, quæ postea emendata est purificato corde eorum, tantummodo Baptismate spiritali, id est manus impositione episcopi et Spiritus sancti subministratione, subveniri debeat; signum quoque fidei integrum hoc modo et hac ratione tradi in Ecclesia merito consuevit ; ne invocatio nominis Jesu quæ aboleri non potest, contemptui a nobis videatur habita : quod utique non oportet; quamquam talis invocatio, si nihil eorum quæ memoravimus secutum fuerit, ab operatione salutis cesset ac vacet. Dicente enim Apostolo *unum* esse *Baptisma* (*Ephes.* IV, 5), necesse est invocatione nominis Jesu perseverante ; quia non potest a quoquam hominum quæ semel invocata est auferri, si eam contra decretum Apostolorum geminare ausi fuerimus nimietate præstandi immo superaddendi Baptismatis studio : si ille qui ad Ecclesiam revertitur nolit denuo baptizari, futurum est ut defraudemus Baptismate spiritali eum quem putamus defraudandum non esse baptismate aquæ.

XI. Quid autem statues in personam ejus verbum audientis qui forte apprehensus in nomine Christi statim confessus, ac priusquam baptizari aqua permitteretur ei, fuerit punitus ; utrum perisse eum pronuntiabis quia non est aqua baptizatus, an vero aliquid extrinsecus patrocinari ad salutem existimabis, licet non sit aqua baptizatus ? Quod perisse eum existimabis, obviam tibi veniet sententia Domini dicentis : *Quicumque me confessus fuerit coram hominibus, confitebor illum et ego coram Patre meo qui in cœlis est* (*Matth.* X, 32) : quia nihil interest utrum hic verbum audiens an fidelis sit qui confitetur Domino, dummodo ipsum Christum quem confiteri oportet, confiteatur; quia Dominus pari vice confitendo et ipse confessorem suum apud Patrem, honore eum martyrii sui, ut pollicitus est, exornet. Quod utique non debet latius accipi, quasi possit usquequaque porrigi, quia potest Christi nomen etiam hæreticus aliquis qui tamen ipsum Christum negat, confiteri; quia in alium Christum credit, cum Christus confiteatur quod ei prodesse minime possit : siquidem Dominus non se ipsum in confessionem a nobis coram hominibus deduci oportere dixit, quod sine ipso et sine venerando nomine ejus non potest fieri. Et ideo integrum ac sincerum et incontaminatum et inviolatum utrumque debet consistere confitenti, nullo delecto habito ipsius confessoris, sive ille justus, sive peccator, perfectusque Christianus, an vero etiam nunc imperfectus, qui summo discrimine suo Dominum confiteri non timuit. Nec est hoc contrarium superiori tractatui : quia illic quidem tempus superat ad corrigenda quæ multa vel prava sunt, et quoniam quædam concessa sunt ipsi tantummodo nomini Domini nostri, martyrium autem nonnisi in ipso et per ipsum Dominum possit consummari ; et idcirco neque Christum sine ipsius nomine quis possit confiteri, neque nomen Christi sine ipso Christo ad confessionem cuiquam possit patrocinari.

XII. Quapropter totus discernendus est tractatus hic, ut possit manifestior fieri. Namque invocatio nominis Jesu ideo tantum patrocinari potest, si rite suppleta postea fuerit, quia et Prophetæ et Apostoli ita prædicaverunt. Ait enim Jacobus in Actis Apostolorum : *Viri fratres, audite : Simon exposuit quemadmodum primum Deus visitaverit accipere ex gentibus populum nomini suo ; et huic consonant sermones prophetarum, sicut scriptum est : Post hæc revertar, et reædificabo tabernaculum illud David quod cecidit; et quæ demolita sunt ejus reædificabo, et denuo erigam illud ; uti exquirant residui hominum Deum, et omnes gentes super quas invocatum est nomen meum super eas, dicit Dominus faciens hæc* (*Act.* XV, 13-17). Itaque et residui hominum, id est quidam Judæorum, et omnes gentes super quas invocatum est nomen Domini, possunt et necesse habent requirere Dominum, quia ipsa invocatio nominis præbet eis occasionem vel etiam imponit necessitatem requirendi Dominum, cum quibus præcipiunt Scripturas sanctas, sive universas, sive quasdam, tamen audientius de veritate tractare quam cum gentibus, super quos non est invocatum nomen Domini Jesu Filii Dei vivi, sicuti nec super Judæos, qui veteres tantum Scripturas recipiunt. Et ideo utriusque hujus generis homines, id est Judæi et Gentiles, plene ut oportet credentes pari modo baptizantur. Hæretici vero jam baptizati aqua in nomine Jesu Christi, tantum in Spiritu sancto baptizandi sunt : et in Jesu, quod nomen solum datum est sub cœlo in quo oporteat salvos fieri nos, merito mors contemnitur ; quoniam si sic perseverent, salvi esse non possunt, quia non requisiverunt Dominum post invocationem nominis ejus super

## VARIORUM NOTÆ.

*Et intelligentes* Rigaltius, *ut intell.* GALLAND.

XI.—*Multa vel prava.* Reponendum est *mutila.* GALL.

Digitized by Google

eos, sicut et illi qui in eos Christus qui forte credere noluerunt, de quibus Dominus ait : *Cavete ne quis vos in errorem inducat. Multi enim venient in nomine meo dicentes : Ego sum Christus : et multos in errorem inducent* (*Matth.* XXIV, 4, 5-11). Et iterum ait : *Tunc si qui dixerit vobis : Ecce hic Christus, aut hic ; nolite credere. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et portenta, ita ut errent, si fieri potest, etiam electi* (*Ibid.* 23, 24). Quas virtutes non dubie tunc illi sub nomine Christi facient. In quo nomine videntur quidam etiam modo quasdam virtutes facere, et falso prophetare. Sed certum est eos, quod ipsi non sint Christi, propterea ad Christum non pertinere ; quemadmodum etiam si quis desciscat a Christo, inhærens solo nomini ejus, qui non multum adjuvatur, immo magis hoc nomine etiam oneratur, licet fuerit antea fidelissimus aut justissimus, aut clero aliquo honoratus, aut confessionis dignitate præditus. Hi enim omnes negando verum Christum, introducendo aut sequendo alium, cum sit nullus omnino alius, nihil spei aut salutis sibi relinquunt : non aliter quam illi qui coram hominibus negaverunt Christum, quos negari necesse est a Christo, non habita ulla ratione ipsorum ex præcedenti conversatione eorum aut sensu aut dignitate ; proinde atque ipsi ausi sunt Christum, id est salutem suam abrogare, damnati per hujus modi clausulam, quia manifestissime a Domino dictum est : *Quicumque me negaverit coram hominibus, negabo eum et ego coram Patre meo qui in cœlis est* (*Matth.* X, 33) : ut verbum hoc, *Quicumque*, etiam in clausula confessionis plenissime nobis ostendat, quod nulla conditio ipsius confitentis obesse possit ; licet negator ille antea vel hæreticus fuerit vel audiens aut audire incipiens, qui nondum baptizatus sit, vel de hæresi ad veritatem fidei conversus, vel ab Ecclesia digressus et postea reversus sit ; et tunc cum rediret, priusquam ei manus ab episcopo imponeretur, apprehensus confiteri Christum coram hominibus necesse habuerit, sicut iterum neganti Christum nulla própria vetus dignitas potest ad salutem patrocinari.

XIII. Quodcumque enim in homine ultimum in hac specie deprehensum fuerit, in illo quis nostrum judicari necesse habebit, abolitis et obliteratis omnibus quæ prius gessit. Et ideo cum in martyrio tanta sit mutatio rerum in momento temporis, ut in re perquam veloci possint mutari universa ; nemo sibi blandiatur qui occasionem amiserit gloriosæ salutis, si forte se ab ea excluserit propria sua culpa : sicuti et illa uxor Loth, quæ similiter in angustiis rerum contra præceptum Angelorum tantummodo post se respexit, et tumulus salis facta est. Qua ratione etiam ille hæreticus qui confitendo Christi nomen trucidatur, nihil postea potest corrigere, si quid de Deo aut de Christo male senserit, cum in alium Deum vel in alium Christum credendo semetipsum fefellit, confessor non Christi, sed solitario Christi nomine ; quando et Apostolus consequenter dicat : *Et si corpus meum tradidero, ita ut exurar igni, dilectionem autem non habeam, nihil proficio* (I *Cor.* XIII, 3). Quia hoc facto nihil proficit qui non habet dilectionem ejus Dei et Christi, qui per Legem et Prophetas et in Evangelio in hoc modo prædicatur : *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo et in tota anima tua et in tota cogitatione tua, et diliges proximum tibi tamquam te. In his enim duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ* (*Deut.* VI, 5 ; *Matth.* XXII, 37-40). Sicut et Joannes Evangelista dicit : *Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum ; quia Deus dilectio est* (I *Joan.* IV, 7-8). Sicuti et Deus ait : *Ita enim dilexit Deus mundum ut Filium suum unicum daret, ut omnis qui in eum crederet non periret, sed haberet vitam æternam* (*Joan.* III, 16). Ut manifeste appareret eum qui hanc diligendi nos et diligendi a nobis dilectionem in se non habeat, inani confessione et passione nihil proficere quam ut ipsa apparet et constat hæreticum esse qui in alium deum credat sive Christum alium accipiat, quam quem Scripturæ Novi et Veteris Testamenti manifeste prædicant, quæ Patrem omnipotentem creatorem omnium et Filium ejus sine obscuritate annuntiant. Eveniet enim eis ut alii ab alio Deo salutem exspectanti : tunc demum contra opinionem suam a Christo Dei Patris omnipotentis creatoris Filio quem blasphemaverunt, in pœnam æternam damnentur, cum judicare Deus cœperit absconsa hominum secundum Evangelium per Christum Jesum ; eo quod in ipsum non crediderint, licet ipsius nomine abluti sint.

XIV. Et usque adeo omne illud hæreticorum baptisma intercedente aliquo intervallo temporis corrigi potest, si quis supervixerit et fidem correxerit, ut Deus noster in Evangelio secundum Lucam ad discipulos suos locutus est dicens : *Habeo autem aliud baptisma baptizari* (*Luc.* XII, 50). Item secundum Marcum ad filios Zebedæi eadem ratione dixerat : *Potestis bibere calicem quem ego bibo ; aut baptismate quo ego baptizor, baptizari* (*Marc.* X, 38)? quod sciret homines non solum aqua, verum, etiam sanguine suo proprio habere baptizari : ita ut et solo hoc Baptismate baptizati fidem integram et dignationem sinceram lavacri possint adipisci et utro-

## VARIORUM NOTÆ.

XII. — *Qui in eos Christus.* Angli legendum esse monuerunt *qui ob pseudo-christos forte credere noluerunt.* GALLAND.

XIII. — *Quodcumque.* Forte legendum, *Quocumque.* GALLAND.

*Quam ut ipsa.* Rigaltius censuit ita emendandum esse hunc locum ut legatur *nihil proficere quam ut ipsum appareat et constet hæreticum esse.* Ego conjicerem legendum esse, *quoniam re ipsa apparet et constat.* GALLAND.

XIV. — *Deus noster.* Antea legebatur *Deum nostrum.* Sensus autem postulat ut legatur eo modo quo nos emendavimus. GALLAND.

Digitized by Google

que modo baptizari, æque tamen unum baptisma salutis et honoris pariter et æqualiter consequi. Quod enim dictum est a Domino, *Habeo aliud Baptisma baptizari*, hoc in loco non ut secundum Baptisma, ac si sint duo Baptismata, significat, sed alterius quoque speciei Baptisma ad eamdem salutem concurrens donatum nobis esse demonstrat. Quas utrasque species ab ipso Domino nostro primum initiari et sanctificari oportebat, ut nobis quoque alterutra sive utraque species unum hoc duplex salutiferum atque honorificum Baptisma præstaret; et viæ quædam unius Baptismatis sic nobis patefierent, ut aliquando impune aliqua illarum deesset, sicut in verbum audientibus martyribus impune aquæ Baptisma deest, quos tamen certi sumus, si quid laxamenti habeant, etiam aqua solitos baptizari: itemque illis qui legitimi sunt fideles effecti, impune deest Baptisma sanguinis proprii; quia baptizati in nomine Christi, redempti sunt protiosissimo sanguine Domini, cum utraque hæc ex uno atque eodem fonte procedant flumina Baptismatis dominici, ut omnis qui sitit veniat et bibat, sicut Scriptura dicit: *Flumina de ventre ejus currebant aquæ vivæ* (*Joan.* VII, 38). Quæ flumina primum apparuerunt in Domini passione, cujus de latere perforato lancea militari sanguis et aqua manavit, ut emitteret duo flumina diversæ speciei, sed tamen ejusdem ac singulare latus, ita ut impleatur Spiritu sancto quicumque credens biberit ex utroque flumine. Hæc enim de fluminibus his loquens ostendebat Dominus significans Spiritum sanctum quem accepturi essent qui crediturі erant in illum. *Nondum autem erat Spiritus, quia Jesus nondum erat clarificatus* (*Ibid.*, 39). Igitur dicens quemadmodum generari potest Baptismi quod Apostolus unum esse prædicat, utique manifestum est illa ratione, quia diversæ sunt species unius atque ejusdem Baptismatis ex uno vulnere profluentis in aquam et sanguinem; cum illic duo sint de quibus locuti sumus Baptismata aquæ, id est unius atque ejusdem species, cum unum esse debeat Baptisma uniuscujusque species, sicut plenius sumus locuti.

XV. Et quoniam videmur omne Baptisma spirituale trifariam divisisse, veniamus etiam ad probationem narrationis propositæ, ne videamur proprio sensu et temere hoc fecisse. Ait enim Joannes de Domino nostro in Epistola sua nos docens: *Hic est qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus, non in aqua tantum, sed in aqua et sanguine. Et Spiritus est qui testimonium perhibet, quia Spiritus est veritas; quia tres testimonium perhibent, Spiritus et aqua et sanguis. Et isti tres unum sunt* (I *Joann.* VI, 8). Ut ex illis colligamus, et aquam præstare (Spiritum) solitum, et sanguinem proprium hominibus præstare Spiritum solitum, et ipsum quoque spiritum præstare Spiritum solitum. Nam cum effundatur aqua sicuti et sanguis, spiritus etiam effusus sit a Domino super omnes qui crediderunt, utique et aqua et nihilominus proprio sanguine, tunc deinde et Spiritu sancto possunt homines baptizari. Ait enim Petrus: (*Act.* II, 17, 18) *Sed hoc est quod dictum est per Prophetam: Erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii eorum et filiæ eorum, et juvenes visiones videbunt, et seniores somnia somniabunt. Et quidem super servos et super ancillas effundam de spiritu meo.* Quem Spiritum in Veteri Testamento, non quidem passim nec effuse, sed communicatum cum aliis, aut etiam sponte insiluisse in quosdam homines, vel induisse illos vel fuisse super eos deprehendimus, sicuti Moysi de septuaginta presbyteris a Domino dictum esse animadvertimus: *Et auferam spiritum qui super te est, et imponam super eos* (*Num.* XI, 17). Propter quod etiam secundum pollicitationem suam Deus ab alio ex spiritu qui super Moysen fuerat, imposuit super illos, et prophetaverunt in castris: Quod Moyses, ut homo spiritalis, ita contigisse gaudebat, licet ab Jesu filio Nave ut huic rei intercederet invito suadebatur, et idcirco non fuisse permotus. Porro autem in libro Judicum, item in Regnorum libris animadvertimus super plerosque aut fuisse spiritum Domini aut insiluisse in eos, tamquam super Gothoniel, Gedeon, Jepthe, Samson, Saul, David et cæteros alios. Quod usque adeo ita se habet, ut Spiritus sancti sponte accedenti ab eis libertatem ac facultatem manifestissime nos Dominus docuerit dicens: *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat aut quo vadat* (*Joan.* III, 8). Ita ut idem Spiritus etiam super indignos quoque sui nonnumquam inveniatur esse; non utique otiose nec sine ratione, sed necessa-

## VARIORUM NOTÆ.

*Si quid laxamenti habeant.* Si necessitas discriminis imminentis aliquid laxaverit, aliquid temporis indulserit: quod Cyprianus amat dicere, *commeatum et moram in sæculo tantisper adhuc manendi.* RIGALT.

*Nondum autem erat spiritus.* In Evangelio Joannis in editione vulgata legitur *spiritus datus.* Sed hanc ultimam vocem non exstare in Græco et subintelligendam esse jam monuerunt viri docti. Quamquam sunt aliqui qui putant illam esse non necessariam. GALL.

XV. — *Spiritus est veritas.* Sic textus Græcus: τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια. Eamdemque lectionem exhibet S. Ambrosius, lib. III, *de Spirit. sanct.*, cap. 10, cum. 67. At cum Vulgata quæ legit, *Christus et veritas*, consentiunt alii ferme omnes latini Patres. Locum integrum anonymi hujus auctoris, qui comma *octavum* Joanneum conjunctum cum *sexto* in suo exemplari legisse videtur, excutit R. P. de Rubeis V. C. in *Dissert. de tribus in cœlo Testib.*, pag. 76. Quod quidem argumentum præ cæteris diligentissime pertractasse comperitur eruditissimus Soucietus contra Simonium, *Remarq. sur la Critiq. de la Biblioth. des Aut. eccl.*, tom. II, pag. 575 828. GALLAND.

*Spiritum solitum.* Assentior vero erudito quem supra laudavi et admonitione ejus usus sum ut emendarem et supplerem hunc locum. Certa autem est emendatio. GALLAND.

Digitized by Google

riæ alicujus operationis gratia, sicuti super Saul fuit, super quem factus est Spiritus Dei, et prophetavit. Quamquam posteriore tempore postquam recessit ab eo Spiritus Domini, et postquam angebat eum spiritus malignus a Domino, quoniam tunc ad hoc postremus venerat post nuntios quos ante assidue præmiserat ut interficeret David : qui idcirco inciderunt in chorum Prophetarum et prophetaverunt, ne id quod jussi fuerant perficere possent aut vellent. Quod admirabili ratione per voluntatem Dei spiritum qui super illos omnes fuit, credimus operatum esse. Qui spiritus implevit etiam Joannem Baptistam adhuc ab utero matris suæ, et incubuit super eos qui cum Cornelio centurione erant priusquam baptizarentur aqua. Ita dum cohæret Baptismati hominum, Spiritus sanctus aut antecedit aut sequitur, vel cessante Baptismate aquæ, incumbit super eos qui credunt, dat nobis consilium quod aut ex integro rite Baptisma servare, aut forte dato a quocumque in nomine Jesu Christi Baptismate supplere id debeamus, custodita nominis Jesu Christi, sicuti plenissime exposuimus, sanctissima invocatione, custodita præterea tanti temporis, tot virorum, veneranda nobis consuetudine et auctoritate.

XVI. Quoniam autem prima pars disputationis hujus videtur explicata, etiam sequentem ejus propter hæreticos debemus attingere : quia perquam necessarium est eum tractatum qui semel in manus incidit non præterire ; ne forte eos qui sunt simpliciores ex fratribus, aliquis hæreticorum versutia sua audeat attentare. Nam quia Joannes dixit nos baptizandos esse in Spiritu sancto et igni (*Matth.* III, 11; *Luc.* III, 16), eo quod addiderit dicens *et igni*, idcirco quidam desperati homines ausi sunt usquequaque pravitatem suam porrigere, et propterea homines versutissimi quærunt quomodo sanctitatis Baptisma ita corrumpant ac violent ut etiam evacuent ; qui originem jam exinde trahunt a Simone mago multiformi perversitate per varios errores eam exercentes. Cui Simoni Petrus in Actis Apostolorum dixit : *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia gratiam Dei existimasti per pecunias posse possideri. Non est tibi portio neque fors in sermone hoc. Cor enim tuum non est rectum coram Deo* (*Act.* VIII, 20, 21). Et agunt isti hæc omnia, dum fallere cupiunt eos qui sunt simpliciores aut curiosiores : et tentant nonnulli illorum tractare se solos integrum atque perfectum, non sicuti nos mutilatum et decurtatum Baptisma tradere, quod taliter dicuntur assignare, ut quam mox in aquam descenderunt, statim super aquam ignis appareat. Quod si aliquo lusu perpetrari potest, sicut affirmantur plerique hujusmodi lusus Anaxilai esse, sive naturale quid est, quo pacto possit hoc contingere, sive illi putant hoc se conspicere, sive maligni opus et magicum virus ignem potest in aqua exprimere : illi tamen talem fallaciam et stropham prædicant perfectum Baptisma esse ; quod fideles homines si coacti fuerunt accipere, utique non dubitabitur eos id quod habuerant amisisse ; perinde ac si quis sacramento miles dicto, desertis suis castris, in hostium diversissimis castris longe aliud sacramentum velit dicere, hac ratione constat eum vetere sacramento exauctoratum esse.

XVII. Item si hujusmodi homo rursus ad te redeat, utique hæsitabis utrum habeat Baptisma necne ; et tamen oportebit te huic quoque pœnitentiam agenti quibuscumque modis potueris subvenire. Est autem adulterini hujus, immo internecini baptismatis, si quis alius auctor, tum etiam quidam ab eisdem ipsis hæreticis propter hunc eumdem errorem confictus liber qui inscribitur PAULI PRÆDICATIO. In quo libro contra omnes Scripturas et de peccato proprio confitentem invenies Christum, qui solus omnino nihil deliquit, et ad accipiendum Joannis Baptisma pene invitum a matre sua Maria esse compulsum : item cum baptizaretur, ignem super aquam esse visum ; quod in Evangelio nullo est scriptum : et post tanta tempora Petrum et Paulum post collationem Evangelii in Hierusalem et mutuam cogitationem et altercationem et rerum agendarum dispositionem, postremo in Urbe quasi tunc primum invicem sibi esse cognitos : et quædam alia hujuscemodi absurde ac turpiter conficta : quæ omnia in illum librum invenies congesta. Qui autem non ignorant Spiritus sancti qualitatem, intelligunt quod dictum est de igni, de ipso Spiritu dictum esse. Nam in Actis Apostolorum secundum hanc eamdem promissionem Domini nostri (*Act.* II), ipso die Pentecostes cum descendisset Spiritus sanctus super discipulos ut in illo baptizarentur, visæ sunt insidentes super singulos linguæ quasi ignis, ut constaret eos Spiritu sancto et in igne baptizatos, hoc est, eo Spiritu qui esset sive ignis sive quasi ignis : qualis ignis fuit qui in rubo ardebat et rubum non comburebat, qualisque est ille ignis qui est Angelorum spiritus, sicut Scriptura dicit : *Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos ignem ardentem* (*Psal.* CIII, 4). Cui cum similis aut socius aut particeps fueris, poteris nullum ignem timere, nec illum quidem qui antecedens Domino in die judicii conflagrabit totum orbem terræ

## VARIORUM NOTÆ.

XVII.— PAULI PRÆDICATIO. Ita vetus codex Remensis, teste Rigaltio, qui tamen *Petri* nomen reposuit : eamque lectionem Rigaltianam retinuit in textu Baluzius, licet aliter sententiat in notis. Codicis scripturam præstiterunt quoque Oxonienses. Et recte quidem : nam auctor anonymus non erravit, ut putarunt Rigaltius et Baluzius, *Pauli prædicationem* collaudans. Siquidem ex Clemente Alexandrino *Strom.*, lib. VI, pag. 639, et ex Lactantio *Divin. Instit.*, lib. IV, cap. 21, discimus, *Petri et Pauli prædicationem* unum idemque scriptum fuisse, quod modo sub alterutrius, modo sub utriusque nomine circumfertur. Digna sunt quæ proferantur, verba Lactantii : *Magister Deus*, inquit, *discedens — futura aperuit illis omnia, quæ Petrus et Paulus Romæ prædicaverunt : et ea* PRÆDICATIO *in memoriam scripta permansit.* Quæ sane maxime consona iis perhibentur, quæ heic statim subdit noster anonymus. GALLAND.

Digitized by Google

(*Psal.* XCVI, 3), absque eis qui baptizati sunt in Spiritu sancto et igni.

XVIII. Et hominibus quidem Spiritus perseverat hodie invisibilis, sicut Dominus dicit : *Spiritus ubi vult spirat, et nescis unde veniat vel quo vadat* (*Joan.* III, 8). Sed in principio mysterii fidei et spiritalis Baptismatis hic idem Spiritus manifeste visus est et super discipulos insedisse quasi ignis : item, cœlis apertis, descendisse super Dominum columbæ similem; quoniam pleraque, immo pene omnia quæ essent futura manifesta sunt : quæ tamen modo essent invisibilia nihilominus, nunc quoque oculis et incredulitati hominum vel ex parte, vel aliquando, vel in figura sunt monstrata ad corroborandam et confirmandam fidem nostram. Sed nec illud omiserim quod Evangelium merito prædicat. Ait enim paralytico Dominus noster : *Bono animo esto, fili, dimittuntur tibi peccata* (*Matth.* IX, 2) : ut ostenderet fide mundari corda ad remissionem peccatorum consequendam. Quam remissionem peccatorum consecuta est etiam illa quæ erat mulier peccatrix in civitate; cui Dominus ait : *Dimittuntur tibi peccata* (*Luc.* VII, 48, 50). Et cum cœpissent qui simul discumbebant, apud semet ipsos dicere : *Quis est hic qui peccata dimittit?* quod et circa paralyticum acerbius Scribæ et Pharisæi obmurmuraverant, ait ad mulierem Dominus : *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.* Ex quibus universis ostenditur fide emundari corda, Spiritu autem ablui animas : porro autem per aquam lavari corpora, sanguine quoque festinantius perveniri per compendium ad salutis præmia.

XIX. Puto nos plene exsecutos prædicationem Baptistæ Joannis, unde sermonem sumus exorsi, qui dixit ad Judæos : *Ego quidem vos baptizo aqua in pœnitentiam. Qui autem post me venit fortior me est, cujus ego non sum dignus solvere corrigiam calceamenti. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni* (*Luc.* III, 16). Arbitror autem et apostoli Joannis doctrinam nos non inepte disposuisse, qui ait *quia tres testimonium perhibent, spiritus et aqua et sanguis, et isti tres unum sunt* (I. *Joan.* V, 8). Nisi fallor autem, etiam illud explanavimus quod Dominus noster ait : *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini in Spiritu sancto* (*Act.* I, 5). Præterea existimo nos non infirmam rationem reddidisse consuetudinis causam. Tueamur tamen, etsi posteriore loco id facimus, ne qui putet nos unico articulo præsentem altercationem suscitare. Quamquam hæc consuetudo etiam sola deberet apud homines timorem Dei habentes et humiles, præcipuum locum obtinere.

VARIORUM NOTÆ.

XIX.—*Ad salutis præmia, Puto.* Rigaltii et Oxoniensium interpunctionem sequimur. At Baluzius : *Festinantius perveniri per compendium ad salutis præmia puto*, etc. Minus recte. GALLAND.

# DE ANONYMO AUCTORE TRACTATUS ADVERSUS NOVATIANUM.

# PROLEGOMENA.

Constat auctorem libri ad Novatianum æqualem esse Cypriani, nec dubium esse potest, quin in pacificis, et Ecclesiæ faventibus Valeriani primordiis scripserit. Unam enim tantum persecutionem numerat post eam, quæ sub Decio sæviit, et eos, qui in prima ceciderunt, in secunda victores fuisse dicit (1). Videtur etiam Africanus fuisse, tum quia sic ludit in Felicissimi nomine (2) : *Quid ad ista respondeant perversissimi isti* Novatiani, vel nunc infelicissimi pauci? Tum, quia solam Ecclesiam cœlesti ratione baptizare pronuntians (3), hæreticorum Baptisma non obscure rejicit. Sola styli dissimilitudo Tillemontium (4) deterruit, quo minus hoc opusculum Cypriano tribuerit.

Sed tamen præter hanc rationem alia videtur afferri posse. Nam declarat auctor hujus libri in ipso exordio : « Cogitant *sibi*, et intolerabiliter animo æstuanti, quidnam agere *deberet* de miserandis fratribus, qui vulnerati non propria voluntate, sed diaboli sævientis irruptione, adhuc usque, hoc est, per longam temporum seriem agentes pœnas darent, ex adverso exortum esse alium hostem, et ipsius paternæ pietatis adversarium hæreticum Novatianum. » His autem verbis indicat episcopum se esse, ac perhumaniter lapsis jam dudum pœnitentiam agentibus consulentem, moleste ferre, quod suæ lenitati adversarium habeat hæreticum Novatianum. Hinc etiam infra (5), postquam de iis locutus est, qui

(1) Anonym, *Tractat. ad Novatian.*, cap. 6. apud Galland., tom. III. Bibl. vet. PP., pag. 372; et inter Cyprian., pag. 17, edit. Brem., et Venet., pag. 775.

(2) Id., ibid. cap. 2, apud Galland., pag 371; et apud Cypr., pag. 16, edit. Brem., et Venet., pag. 772.

(3) Id., ibid., cap. 3, pag. 372, apud Galland., inter Cypr., pag. 17, edit. Brem.; et pag. 773 edit. Venet.

(4) Tillemont.; Memoir., tom. IV, pag. 133 et 622, not. 37, sur S. Cypr.; et edit. Bruxell., 1732, pag. 56 et pag. 22, in notis.

(5) Anonym., l. c., cap. 6, pag. 372; apud Gal-

Digitized by Google

prima acie, id est, Deciana persecutione vulnerati, postea, id est, secundo prælio vincant, addit eorum pares, hoc est, in eodem crimine lapsus sui adhuc constitutos, nec ad pœnitentiam admittendos a Novatianis judicari. Nondum ergo auctor hujus operis pacem concesserat his qui sub Decio lapsi fuerant. Non enim de aliis loquitur : pares illos vocat eorum, qui primo prælio victi, in secundo victores fuerant : ait eos post longam temporum seriem agentes pœnas dare, et adhuc usque constitutos in eodem crimine lapsus, quod alii martyrio expiaverant. At Cypriamis, instante Galli et Volusiani persecutione, lapsos, qui a primo lapsus die pœnitentiam egerant, in dominicum gregem collegerat, ac eis Christi sanguinem dederat, ut illos ad suum pro Christo fundendum armaret (1). Hactenus vir doctissimus (2) Prudentius Maranus, ex congregatione Sancti Mauri. Observat reverendissimus Remigius Ceillierius (3), auctorem hunc anonymum, vivente adhuc Novatiano (4), contra eumdem hoc opusculum exarasse anno circiter 255. Jesu Christi quo schisma *Felicissimi* propemodum jam compressum atque extinctum erat.

Impugnat hoc suo in libello anonymus rigorem Novatiani, eique adhærentium 1. Illis ante oculos ponendo, quod sine injustitiæ crimine non possent recusare admissionem ad pœnitentiam plerisque lapsorum, qui eam postulabant, cum plurimi ex iis qui in persecutione Decii lapsi erant, in Galli persecutione invicti steterint, et sanguinem suum, et vitam pro Christo Jesu fundere non metuerint (5). 2. Eos auctoritate sacrarum litterarum convincendo, quod Deus infinite misericors sit, paratus semper vere pœnitentibus peccatorum veniam indulgendi (6). 3. Confutando eorum argumenta ex sacris litteris desumpta, queis rigorem suum colorabant (7). Allegat hic anonymus Apocalypsin sub nomine Joannis; sed non dicit expresse, esse Joannis Evangelistæ (8). Scribit idem anonymus hoc suo in tractatu (9) « Novatianum aliorum delicta, dum in Ecclesia esset, ut sua propria flevisse. » Sed mirum est, unde hanc sibi humanitatis et diligentiæ in lapsis curandis laudem comparaverit. Videtur repugnare Cornelii testimonium, qui Novatianum in persecutione Decii fratribus auxilio indigentibus succurrere noluisse testatur apud Eusebium (10). Sed forte hæc humanitatis existimatio ad Novatianum pervenit ex præclarissimis cleri Romani litteris inter Cyprianicas XXXI, quæ a Novatiano scriptæ in totum orbem missæ fuerunt, teste Cypriano epistola I et II. Verum de hoc vide quæ alibi disseruimus, ubi de Novatiani epistola Romani cleri nomine scripta, verba fecimus (11).

Tractatum hunc primus inter Cyprianica nota opera evulgavit Erasmus anno 1520, Basileæ. Eruditis notis illustravit editor oxoniensis eumdem quas postea prætermisit Maurinus editor, anno 1726, sed denuo subjunxit Gallandius, sua in Bibliotheca veterum Patrum, tomo III, a pag. 371-376. — LUMPER.

(1) Conferantur quæ tomo XI. *Histor. Theolog. crit.* a pag. 360 — 365. de tractatus hujus auctore differimus.

(2) Maran., Vita S. Cypriani, cap. 35, pag. 127, edit. Paris, 1726; et venet., 1758, 118, et seq.

(3) Ceillier, *Hist. Génér. des Autr.*, tom. III, chap. 1er, art. 4, § 2, n. 4, pag. 155.

(4) In qua domo, si perseverasses, Novatiane, vas forsitan pretiosum fuisses; sed nunc te in paleas, et stipulam conversum nec intelligis, nec plangis : *Anonym.*, cap. 1, apud Galland., pag. 371, et inter Cyprianı opp., edit. Brem., pag. 16; edit. Venet., pag. 771 et 772.

(5) Anonym., apud Galland., pag. 372, § 6, edit. Brem., pag. 17; et Venet., p. 775.

(6) Id., apud Galland., capp. 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16 et 18; a pag. 373, 376; et inter Cypr. opp., edit. Brem., pag. 18-21 ; et Venet., a pag. 776-783.

(7) Id., apud. Galland., cap. 7, pag. 372 et seqq.; inter Cypr. opp. edit. Brem., pag. 18 et seq.; Venet., pag. 775.

(8) *Audi in Apocalypsi dominicam vocem justis te objurgationibus increpantem.* Anonym., cap. 2, pag. 371, apud Galland., conf. Apocal., III, 17. *Sicut Apocalypsis docet dicens*, etc. Id., cap. 5, pag. 372, 371; confer. Apoc. XVII, 15 : *Clamante Scriptura et dicente.* Id., cap. 13, conf. Apoc. II, 5. *Joannes autem manifestus et de die judicii et consummationis sæculi declarat dicens.* Id., cap. 17. pag. 375; conf. Apoc. VI, 12-17 : *Idem in eadem Apocalypsi hoc quoque Joannes dicit sibi revelatum*, etc. Id., l. c., et inter Cyp. opp., edit. Brem., pag. 21. Venetæ, pag. 782, conf. Apoc., XX, 11.

(9) Anonym., cap. 13, apud Galland., 374; et inter Cypr. opp., edit. Brem., pag. 19; et Venet., pag. 778, E.

(10) Euseb., *Hist. eccl.*, lib. VI, cap. 43.

(11) Vid. *Hist. Théolog. Crit.* part. XI, sect. II, cap. 2, art. 3, pag. 42 - 44.

# ANONYMI

## TRACTATUS

# AD NOVATIANUM HÆRETICUM :

### QUOD LAPSIS SPES VENIÆ NON EST DENEGANDA.

I COGITANTI mihi et intolerabiliter animo æstuanti, quidnam agere deberem de miserandis fratribus qui vulnerati non propria voluntate, sed diaboli sævientis irruptione, adhuc usque, hoc est, per longam tem-

Digitized by Google

porum seriem agentes, pœnas darent; ecce ex adverso obortus est alius hostis, et ipsius paternæ pietatis adversarius hæreticus Novatianus : qui non tantum, ut in Evangelio significatum est (*Luc.* x), sicut sacerdos vel levites jacentem vulneratum præteriret, sed ingeniosa ac nova crudelitate sauciatum potius occideret; adimendo spem salutis, denegando misericordiam patris, respuendo pœnitentiam fratris. Mirum quot acerba, quot aspera, quot perversa sunt! Sed facilius quis (*Matth.* VII, 3; *Luc.* VI, 41) in alieno oculo festucam perspicit, quam in suo trabem. Nos autem, fratres dilectissimi, non moveat aut turbet hæretici istius perfidi abrupta dementia : qui cum in tam ingenti dissensionis et schismatis crimine constitutus, et ab Ecclesia separatus sit, sacrilega temeritate non dubitet in nos sua crimina retorquere. Cum sit enim a semetipso nunc factus immundus, sordibus sacrilegis inquinatus; hoc nunc nos esse contendit. Et cum scriptum sit (*Apoc.* XXII, 15) canes foris remansuros; et Apostolus hos eosdem canes docuerit esse vitandos, sicut legimus, ait enim: *Videte canes, videte malos operarios* (*Philipp.* III, 2.) : Rabiem suam non cessat latratibus excitare, luporum more tenebrosam caliginem optare, qua facile possit ferina sua crudelitate, oves a pastore direptas, spelunca tenebrosa laniare. Aurum certe se suosque quos colligit, esse pronuntiat. Nec nos dubitamus desertores Ecclesiæ apostatas factos, in aurum nunc facile potuisse converti; sed illud aurum in quo prima delicta populi Israel denotata sunt (*Exod.* XXXII, 2 *seqq.*). Cæterum vasa aurea et argentea, quæ ab Ægyptiis excusa sunt, (*Exod.* XII, 35, 36) in dominica potestate, id est, Christi Ecclesia, perseverant : in qua domo si perseverasses, Novatiane, vas forsitan et pretiosum fuisses : sed nunc te in paleas et in stipulam conversum nec intelligis nec plangis.

II. Quid igitur vanis rebus extolleris? damna potius quam lucra consequeris. Quid te ex quo pauperior factus es, divitem credis? Audi in Apocalypsi Dominicam vocem justis te objurgationibus increpantem : *Dicis*, inquit, *dives sum, et ditatus sum, et nullius rei egeo : et nescis quoniam tu es miser, et miserabilis, et cæcus, et pauper, et nudus.* (*Apoc.* III, 17.) Has opes, has divitias paupertatis pro certo possidere se credat, quisquis Christi Ecclesia derelicta ratione cæca, apud temerarios illos schismatum duces et dissensionis auctores converti non trepidat; quos Joannes (I *Joan.* II, 18) antichristos appellat, quos Evangelista (*Matth.* III, 12) paleis similat; quos Dominus Christus (*Joan.* X, 1) fures et latrones designat, sicut ipse in Evangelio declarat dicens : *Quia qui non introiit per ostium in ovile ovium, sed descendit per alteram partem, ille fur et latro est.* Item in eodem quoque ait : *Omnes qui venerunt, fures sunt et latrones.* (*Joan.* 8). Qui isti sunt, nisi desertores fidei et transgressores; Ecclesiæ Dei qui contra ordinationem Dei nituntur? quos merito Spiritus sanctus per Prophetam increpat, dicens : *Fecistis consilium non per me, et conventionem non per spiritum meum, adjicere peccata super peccata.* (*Isa.* XXX, 1). Quid ad ista respondeant perversissimi isti Novatiani, vel nunc infelicissimi pauci; qui ad tantam furoris dementiam proruperunt, ut nec Deo nec homini reverentiam habuerint? Illic impudenter et sine ulla ordinationis lege episcopatus appetitur; heic autem propriis sedibus et cathedræ sibi traditæ a Deo renuntiatur. Illic Veritas : *Aspernantur me, ut sacrificent mihi, nec offerunt oblationes sanctas filiorum Israel, nec accedunt offerre sancta sanctorum; sed accipient ignominiam suam in errore quo erraverunt* (*Ezech.* XLIV, 10-13). Satis sit paucis probasse quidnam sint. Audite igitur, Novatiani, apud quos Scripturæ cœlestes leguntur potius quam intelliguntur, parum si non interpolentur. Sunt enim (*Matth.* XIII, 14.) vestræ præclusæ aures et corda cæcata, qui nullum de spiritalibus ac salutaribus monitis lumen admittitis. Sicut Esaias ait : *Excæcati sunt servi Dei* (*Isa.* XLII, 19). Et merito excæcati, quia voluntas schismaticorum non est in lege, *quæ* lex unam nobis et singularem designat Ecclesiam; in illa scilicet quæ sub Noe ante diluvium Dei providentia fabricata est arca, in qua non tantum munda animalia, sed et immunda, ut tibi cito respondeatur, Novatiane, invenimus esse reclusa. Quæ arca sola cum his quæ secum fuerant, liberata est : in qua et cætera quæ in ea inventa non sunt, diluvio perierunt. Ex illa igitur arca remittuntur duæ aves, corax et columba. Qui corax vere hominum immundorum, et in tenebris perpetuis futurorum per sæculi latam viam, et immunda vescentium apostatarum futurorum, et ad Ecclesiam se ultra non vertentium, figuram portabat; quem legentes invenimus emissum, et non amplius reversum. Huic ergo avi, id est, immundo spiritui, quique fuerint similes inventi, ad Ecclesiam amplius reverti non poterunt; qui et si voluerint, Dominus prohibebit, qui Moysi præcepit, dicens : *Omne varium et immundum ejice foras extra castra* (*Num.* V, 2). Columba autem emissa incontinenti significatur reversa, eo quod requiem non haberet pedibus suis quam Noe recepit in

## VARIORUM NOTÆ.

I. — *Excusa sunt.* Legendum puto *excussa sunt.* Respicit enim auctor ad illud *Exod.* XII, 35, 36 : *Filii Israel — petierunt ab Ægyptiis vasa argentea et aurea, — et* spoliaverunt *Ægyptios.* GALLAND.

II. — *Nisi desertores.* Sicut et alibi, mendum heic irrepserat apud Erasmum, ut legeretur *non*, eo quod vetus excusum legat *non;* cum potius juxta ms. cod. significet *nisi.* PAMEL.

*Ordinationem Dei.* Hoc quoque recte Gravius et ms. cod. pro *ordinem :* alludit enim ad ordinationem Cornelii, de qua paulo post. PAMEL.

*Fecistis... conventionem.* Hunc locum sic restitui, tum ex epist. LV. Cypr. tum ob vocem Græcam συνθήκας. Hactenus legebatur *cogitationem.* PAMEL.

*Infelicissimi.* Cæterus et ms. cod. *infelicissime.* Non male. Sed illud placet magis, ut per ἀντίφρασιν alludat ad Felicissimum; cujus sæpe in Cyprianis mentio, et præsertim epist. jam laudata LV. PAMEL.

Digitized by Google

arcam, et post septimum diem iterato emissam, recepit eam portantem suo ore olivæ folium (*Gen.* VIII, 9-11).

III. Et ego quidem, fratres dilectissimi, non temere ista cogitans, nec humana sapientia conspirans, sed ut cœlestis Domini dignatione necessarie et pertinenter mentibus nostris concipere permittitur; dico illam, id est, columbam, duplicem nobis per semetipsam significare figuram. Primam quidem et principalem, suam, hoc est spiritalem, olim, id est, ab initio divinæ administrationis insistit, et sacramentum Baptismatis quod in salutem generis humani provisum, et soli Ecclesiæ cœlesti ratione celebrare, per os suum præostendit. Ter enim emissa ex arca, volitans per aerem super aquam, significabat jam tunc Ecclesiæ nostræ sacramenta. Unde et Dominus Christus Petro, sed et cæteris discipulis suis mandat, dicens: *Euntes evangelizate gentibus, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). Hoc est, ut Trinitas illa quæ sub Noe per columbam figuraliter operata est, hæc nunc in Ecclesia per hos spiritaliter operetur.

IV. Sumamus jam nunc et secundam personam columbæ ex arca emissæ; diluvii scilicet tempore, quando omnes abyssi proruperunt, quando cataractæ cœli patefactæ sunt super terram, propter facinora hominum quæ quotidie exercebant coram Domino, sicut Moyses dixit: *Et vidit Dominus Deus redundare nequitias hominum super terram, et quod omnes in malum recordarentur a principio dierum suorum, et dixit: Perdam hominem quem feci, a facie terræ, ab homine usque ad pecus, et a reptili usque ad volatilia cœli* (*Gen.* VI, 5-7). Emittitur ergo tempore cataclysmi columba ex arca, aquis violenter toto orbe terram infestantibus.

V. Illa arca figuram Ecclesiæ, sicut superius diximus, portabat, quæ verberabatur hinc atque inde aquis insurgentibus tantum. Cataclysmus ergo ille qui sub Noe factus est, figuram persecutionis quæ per totum orbem nunc nuper supereffusa, ostendit. Aquis autem, diruptis cataractis, undique convenientibus et excrescentibus significabantur gentes, quæ ad vastandam Ecclesiam excreverunt. Sicut Apocalypsis docet, dicens: *Aquæ quas vidisti, populi sunt, et gentes, et regna* (*Apoc.* XVII, 15). Columba autem quæ pedibus suis requiem habere non poterat, lapsorum imaginem portabat; qui immemores divinarum prædictionum, vel simpliciter ignorantes, vel audacter dissimulantes ceciderunt: quorum Dominus ruinam in Evangelio futuram his verbis significaverat, dicens: *Qui audit verba mea et non facit ea, similabo eum viro stulto qui ædificavit domum suam super arenam: venerunt tempestates, et impegerunt in domum illam, et cecidit, et facta est ruina ejus magna* (*Matth.* VII, 26, 27). Et ne temere comparasse videamur, columbam illam lapsorum imaginem portare; Propheta civitatem ut columbam, hoc est lapsorum personam, increpat, dicens: *Columba non exaudit vocem, id est præclara et redempta civitas non recipit doctrinam, et in Dominum fidens non fuit* (*Sophon.* III, 1, 2).

VI. Quod autem requiem pedibus columba illa, sicut superius diximus, invenire non poterat, hoc significabat vestigia negantium, hoc est, sacrificatorum, lubrici veneno serpentis sauciata, in lapsum conversa; quæ ulterius non possent super aspidem et basiliscum conscendere, et draconem et leonem calcare (*Psal.* XC, 13). Quam potestatem tradidit Dominus discipulis suis, sicut in Evangelio ait: *Ecce do vobis potestatem calcandi super omnem potestatem inimici, et super serpentes et scorpiones, et non nocebunt vobis* (*Luc.* X, 19). Isti ergo tot et tantis malignis spiritibus infestantibus, et in lapsorum necem insurgentibus, provisa est vulneratis salutis via: ut quibuscumque viribus possent toto se corpore protrahere, castris suis recipere; quibus recepti possent medelis spiritalibus vulnera sua curare. Recepta igitur columba, paucis etiam diebus interjectis, iterato emittitur ex arca, quæ reversa, non tantum firma vestigia, sed et insignia suæ pacis atque victoriæ, per illa olivæ folia quæ suo ore portabat, ostendit. Duplex ergo illa emissio, duplicem nobis persecutionis tentationem ostendit: prima in qua qui lapsi sunt, victi ceciderunt; secunda in qua hi qui ceciderunt, victores extiterunt. Nulli enim nostrum dubium vel incertum est, fratres dilectissimi, illos qui prima acie, id est, deciana persecutione vulnerati fuerunt; hos postea, id est, secundo prælio ita fortiter perseverasse, ut contemnentes edicta sæcularium principum, hoc invictum haberent, quod et non metuerunt exemplo boni pastoris animam suam tradere, et sanguinem fundere, nec ullam insanientis tyranni sævitiam recusare.

VII. Ecce, quam gloriosos, quam Domino charos, schismatici isti *ligna, fœnum, stipulam* appellare non dubitant (I *Cor.* III, 12). Quorum pares, hoc est, in eodem crimine lapsus sui adhuc usque constitutos, nec ad pœnitentiam admittendos esse præsumunt; ex illa Domini pronuntiatione qua ait: *Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo, qui in cœlis est* (*Matth.* X, 33). Proh dolor! quid

## VARIORUM NOTÆ.

III. — *Primam quidem et principalem.* Locus obscurus et corruptus, etiam in ms. cod. præterquam quod heic satis significet auctor solam Ecclesiam Baptismi sacramentum habere: quod ad errorem Cypriani pertinet. PAMEL.

*Trinitas.* Quidam *ternitas.* Rectius meo judicio *Trinitas:* sic enim ms. codex. PAMEL.

V.—*Prædictionum.* Sic lego pro *prædicationum;* eo quod sequitur: *Quorum Dominus ruinam in Evangelio futuram*, etc. PAMEL.

VI.—*Non nocebunt vobis.* Sic Manut. et Morell. pro *vos*, quod tamen habet etiam ms. codex. PAMEL.

*Sæcularium principum.* Galli nempe et Volusiani. PAMEL.

Digitized by Google

contrà dominica præcepta contendunt, ut ea quæ Christus judicii sui tempore sit acturus, hæc nunc stirps Novatiani, patris sui exemplum diaboli secuta, exercere conetur? dicente Scriptura: *Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus* (*Heb.* x, 30).

VIII. Respondebimus eis ad istam pronuntiationem Domini, quam male intelligant et male sibi interpretentur. Quod enim ait: *Qui me negaverit coram hominibus, et ego negabo eum coram Patre meo, qui in cœlis est*, utique futuri temporis significatio est; quo tempore incipiet Dominus secreta hominum judicare; quo tempore tribunali Christi omnes nos oportet adstare (II *Cor.* v, 10); quo tempore multi incipient dicere: *Domine, Domine, nonne in tuo nomine prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia exclusimus, et in tuo nomine virtutes multas fecimus* (*Matth.* vii, 22, 23)? et tamen audient vocem Domini dicentis: *Discedite a me omnes qui operati estis iniquitatem: non novi vos* (*Joan.* vi, 68). Ibi adimplebitur quod ait: *Negabo ego et illos.* Quos autem maxime negabit Dominus Christus, nisi vos omnes hæreticos, et schismaticos, et nominis sui alienos? Qui enim aliquando Christiani, nunc Novatiani, jam non Christiani, primam fidem vestram perfidia posteriore per nominis appellationem mutastis; velim propositioni vestræ respondeatis. Legite et docete, quem Dominus de his qui se dereliquerant vel negaverant, cum adhuc ipse esset, negavit. Atqui et cæteris qui secum remanserant de discipulis ait: *Numquid et vos vultis abire* (*Joan.* vi, 68)? Petrum etiam quem negaturum ante prædixerat, cum negasset, ipse non negavit, sed sustinuit; et amare illam suam negationem flentem ipse postmodum lenit.

IX. Quænam est tua, Novatiane, dementia, ut illa quæ ad exitium salutis pertineant, tantum legas: et quæ ad misericordiam, prætereas? clamante Scriptura et dicente: *Pœnitentiam agite qui erratis, convertimini corde* (*Ezech.* xviii, 30). Et eodem quoque Propheta similiter exhortante et dicente: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et ploratione, et planctu: et scindite corda vestra, et non vestimenta: convertimini ad Dominum Deum vestrum, quoniam misericors est, et miserator multæ miserationis* (*Joel.* ii, 12, 13).

X. Adeo quia multæ miserationis est Dominus, audivimus: audiamus quid per David contestatur Spiritus sanctus: *Si dereliquerint filii ejus legem meam, et in mandatis meis non ambulaverint; et si justificationes meas profanaverint, et præcepta mea non custodierint: visitabo in virga facinora eorum, et in flagellis delicta eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eis* (*Psal.* lxxxviii, 31-34). His similia et per Ezechielem legimus dixisse Dominum: *Fili hominis, domus Israel habitavit super terram suam, et coinquinaverunt eam facinoribus suis. Sicut mulieris menstruatæ facta est immunditia eorum ante faciem meam. Effudi iram meam super eos, et disseminavi eos inter gentes, et secundum peccata eorum judicavi eos: quia coinquinaverunt sanctum nomen meum. Et quia dictum est de his: Hic est populus Domini; peperci eis propter nomen sanctum meum, quod sprevit domus Israel inter gentes* (*Ezech.* xxxvi, 18-23). Et conjungens ait: *Propterea dic populo Israel: Hæc dicit Dominus: Non vobis parco, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum parcam, quod coinquinastis inter gentes; et scietis quia ego Dominus, cum sanctificatus fuero in vobis.* Item Dominus ad eumdem: *Fili hominis, dic populo Israel: Quare locuti estis dicentes: Erroribus nostris contabescimus, et quomodo salvi esse poterimus? Dic eis: Vivo ego, dicit Dominus: quia non desidero mortem peccatoris; sed desidero ut avertatur peccator a via sua pessima, et vivat. Redite ergo a via vestra pessima. Quid morti vos traditis domus Israel* (*Ezech.* xxxiii, 10-11)? Sic per Esaiam prophetam: *Non in æternum indignabor vobis, neque semper non defendam vos* (*Isa.* lvii, 16). Et quoniam Hieremias propheta in persona populi peccatoris deprecatur Dominum, dicens: *Emenda nos, Domine, sed in judicio et non in ira, ne paucos facias nos* (*Jer.* x, 24); adjecit et dixit Esaias: *Propter peccatum modice contristavi eum, et percussi eum, et avérti faciem meam ab eo; et contristatus est, et abiit tristis in viis suis* (*Isa.* lvii, 17). Et quia operatur, adjecit et dixit: *Vias ejus vidi, et curavi eum, et dedi ei exhortationem veram, pacem super pacem*; pœnitentibus, deprecantibus, et operantibus restitui posse, quod male perierint, quodque a Christo declinaverint.

XI. Denique hoc in Evangelio comprobatur, ubi (*Luc.* vii) illa mulier peccatrix describitur, quæ venit ad domum cujusdam Pharisæi, ubi erat Dominus vocatus cum discipulis, portans vas unguenti; quæ stetit ad pedes Domini, et lacrymis suis lavit pedes ejus, et capillis extersit, et oscula infixit, ut excitaretur ille Pharisæus et diceret: *Hic si esset Propheta,*

## VARIORUM NOTÆ.

VIII. — *Intelligant interpretentur.* Ms. cod. *intelligunt et interpretantur.* Pamel.

*Per nominis appellationem mutastis.* Istud denuo ex Gravio, pro eo quod alii *per nominis mutastis velum*: præsertim cum etiam legat *velim* ms. codex. Pamel.

IX. — *Pœnitentiam, agite*, etc. Hæc quoque Gravio et mss. codicibus accepta debemus, alibi desiderata. Id.

X. — *Neque semper non defendam vos.* Mira translatio, cum ad verbum græce sit, οὐδὲ διὰ παντὸς ὀργισθήσομαι ὑμῖν, quod latine sonat, *neque semper irascar vobis.* Costerius omittens secundam negationem, accipit *defendam* pro *ulciscar*: qua significatione alibi quoque utitur Cyprianus. Certe negandi particula postea fuit adjecta in cod. ms. Id. — Non solum Cyprianus, sed etiam Vulgatus interpres *defendere* pro *vindicare, ulcisci*, frequenter adhibet. Vid. *Judith.* i, 12; ii, 1; *Rom.* xii, 19. Quin et apud probatissimos latinos scriptores verbum ejusmodi eodem sensu usurpatum comperimus. Galland.

*Pœnitentibus*, etc. Sunt hæc verba auctoris, non Isaiæ, uti male censuit Morellus: est tamen ita adhuc locus obscurus. Pamel.

Digitized by Google

*sciret quæ et qualis esset ista mulier quæ eum tangit, quia peccatrix est* (*Luc.* VII, 39-47). Unde incontinenti Dominus peccatorum remissor et pœnitentium receptor, ait: *Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille respondit dicens: Magister, dic.* Et Dominus: *Duo debitores erant cuidam fœneratori, unus qui habebat denarios quingentos, et alius quinquaginta: cum non haberent unde solverent, ambobus donavit.* Et interrogavit: *Quis illorum plus diligit? Et respondit Simon: Utique ille cui plus donavit.* Et adjecit dicens: *Vides istam mulierem? Intravi in domum tuam, osculum mihi non dedisti; hæc autem non cessavit osculando pedes meos: pedes meos non lavasti; hæc autem lacrymis suis lavit, et capillis extersit: oleo pedes meos non unxisti; hæc autem unxit. Propter quod dico tibi,* Simon, *quia remittuntur illi peccata ejus.* Ecce Dominus utrisque debitoribus larga sua pietate debitum concedit. Ecce delicta donantem. Ecce mulierem peccatricem pœnitentem, flentem, deprecantem, et remissam peccatorum accipientem.

XII. Erubesce jam nunc, si fieri potest, Novatiane: desine argumentis tuis implis incautos decipere: desine unius capituli præscriptione terrere. Legimus et adoramus, nec prætermittimus cœlestem Domini sententiam, qua ait negaturum se negantem; numquid et pœnitentem? Et quid ego tamdiu de miserationibus probare singula gestiam? Quando quidem Ninivitis Allophylis, et longe a lege Domini constitutis, propter civitatis suæ annuntiatam eversionem deprecantibus, misericordia Dei non denegatur (*Jon.* III)? Ipsi illi Pharaoni sacrilega temeritate repugnanti, cum quondam cœlestibus plagis verberaretur, et conversus Moysi et fratri ejus dixisset: *Orate pro me ad Dominum, quia peccavi* (*Exod.* IX, 28), incontinenti ab eo suspendebatur ira Dei. Et tu jam, Novatiane, judicas, et nullam spem pacis ac misericordiæ habere lapsos prædicas; nec increpanti Apostolo aurem accommodas dicenti: *Tu qui es, qui judicas servum alienum? Domino suo stat, aut cadit. Stabit autem: potens est Deus stabilire eum* (*Rom.* XIV, 4). Unde pertinenter et necessarie ex persona eorumdem lapsorum increpat vos Spiritus sanctus, dum dicit: *Noli gratulari inimica mea mihi, quoniam si cecidi, et exsurgam; et si in tenebris ambulavero, Dominus lumen est mihi. Iram Domini tolerabo, quoniam peccavi illi, usque dum justificet causam meam, et faciat judicium et justitiam, et producat me ad lucem. Videbo justitiam illius: et videbit me inimica mea, et cooperiet se confusione* (*Mich.* VIII, 8, 10).

XIII. Oro, non legisti: *Nolite gloriari, et nolite loqui excelsa, et ne exeat magniloquentia ex ore vestro; quoniam erigit a terra pauperem, a sterquilino erigit inopem, et sedere eum facit cum potentibus populi* (I *Reg.* II, 3, 8)? Non legisti: *Quia Dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jac.* IV, 6; I *Pet.* V, 5)? Non legisti: *Qui se exaltat, humiliabitur* (*Matth.* XXIII, 12; *Luc.* XIV, 11; XVIII, 14)? Non legisti: *Quia Deus perdit memoriam superborum, et non relinquit memoriam humilium* (*Psal.* IX, 7, 11)? Non legisti: *Quia quo judicio quis judicaverit, eum judicari necesse est* (*Matth.* VII, 2)? Non legisti: *Quia qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat; et non scit quo eat, quia tenebræ excæcaverunt oculos ejus* (I *Joan.* II, 11)? Unde igitur et tam sceleratus, et tam perditus, tam discordiæ furore vesanus exstiterit iste Novatianus, invenire non possum; qui semper in domo una, id est, Christi Ecclesia, proximorum delicta ut propria fleverit; onera fratrum, sicut Apostolus hortatur (*Gal.* VI, 2), sustinuerit; lubricos in fide cœlesti allocutione corroboraverit. At nunc ex quo Cainam illam hæresim, quæ non nisi tantum occidere gestit, exercere cœpit; nec sibi novissime parcit. Cæterumsi legisset quia *justitia justi non liberabit eum in die qua erruverit, et iniquitas impii non nocebit ei ex qua die conversus fuerit* (*Ezech.* XXXIII, 12), jam olim in cinere pœniteret, ille qui semper pœnitentibus adversatur: qui in ruina facilius ædificatorum stantium operantur, quam in structione jacentium ruinarum; qui multos ex fratribus nostris miserrimos falsis suis adversationibus perterritos, iterum fecit ethnicos, dicendo quod pœnitentia lapsorum sit vana, nec possit eis proficere ad salutem; clamante Scriptura et dicente: *Memento unde excideris, et age pœnitentiam; si quo minus, veniam tibi, nisi pœnitentiam egeris* (*Apoc.* II, 5). Et quidem ad septem ecclesias scribens, singulis sua quoque facinora et delicta ingerens: Pœnitemini, dicebat. Quibus, nisi illis, scilicet, quo pretio magno sui sanguinis redemerat?

XIV. O te impium scelestumque, hæretice Novatiane, qui post tot et tanta in Ecclesia, a quibusdam retro voluntarie commissa crimina, quæ et tu ipse in domo Dei priusquam apostata esse cognoveras; et hæc posse aboleri de memoria, succedente bono, utique docueras, secundum fidem Scripturæ dicentis: *Quia si conversus fuerit facinorosus ab omnibus facinoribus suis quæ commisit, et justitiam fecerit, vita æterna vivet, et non morietur in facinore suo* (*Ezech.*

## VARIORUM NOTÆ.

XII. — *Noli gratulari, inimica mea.* Non minus et istud, pro eo quod corrupte erat *amica.* Nam Græce apud LXX, est ἐχθρά μου. PAMEL.

XIII. — *Proximorum delicta ut propria fleverit.* Respicit auctor epistolam Novatiani, Romani cleri nomine scriptam, quam superius cum aliis ejusdem Novatiani operibus edidimus. GALLAND.

*Cainam illam hæresim.* Recte Erasmus, pro *caninam.* Sic enim et Hieronymus appellat eam quæ adimit spem remittendi peccati. Locus Hieronymi est Epist. *ad Oceanum;* et meminit ejusdem quasi tollentis martyrium, lib. *contra Vigilantium:* ut sit eadem quæ Gnosticorum, de quibus Tertullianus in *Scorpiaco.* Atque eado etiam *Caina* legendum censeo apud eumdem Tertull. initio libri *de Baptismo*, aut saltem *Caiana*, pro eo quod est *Gaiana:* quippe quæ remedium etiam Baptismo tolleret. De aliis hujus sectæ erroribus vide eumdem de *Præscript. adv. hær.;* Irenæum, lib. I, cap. ult.; Epiphanium hær. XXXVIII; et Augustinum hær. XVIII. PAMEL.

Digitized by Google

xviii, 21). (Delicta enim quæ commisit, aboleбuntur de memoria succedentibus bonis factis.) Tu hodie retractas, an debeant lapsorum curari vulnera, qui nudati a diabolo ceciderunt, *violentia aquæ*, *quam suo ore serpens emisit post mulierem* (*Apoc.* xii, 15). Sed *quid dicam?* ait Apostolus: *Laudo vos? In hoc non laudo: quia non in melius, sed in pejus venistis* (I *Cor.* xi, 12 17). Ubi enim sunt *æmulationes et dissensiones in vobis, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis* (I *Cor.* iii, 3)? Nec nos quidem mirari oportet, cur iste Novatianus tam nefanda, tam gravia in personam lapsorum exercere nunc audeat: quandoquidem habemus exempla prævaricationis hujus præcedentia. Saul ille *bonus* (I *Reg.* ix, 2, xviii, *seqq.*), præter cætera, postea livore evertitur, et contra David omnia adversa et inimica agere molitur. Judas ille inter Apostolos electus (*Matth.* x, 4; xxvi, 15), qui semper in domo Dei unanimis et fidelis (*Psal.* liv, 15), ipse postmodum Deum tradidit.

Prædixerat quidem et Dominus multos esse venturos sub pellibus ovium, rapaces lupos (*Matth.* vii, 15). Qui sunt isti rapaces lupi, nisi sensu subdolo conspirantes ad infestandum gregem Christi? sicut legimus apud Zachariam positum: *Ecce ego suscito pastorem in terra, qui quod aversum est, non visitabit, et carnes electorum manducabit, et talos illorum torquebit* (*Zach.* xi, 16). Similiter et per Ezechielem increpat hujusmodi pastores, scilicet prædones et laniones (dicam ut æstimaverat) dicens: *O pastores, quare lac ebibitis, et coagulatum comeditis, et forte ad nihilum perduxistis, et infirmum non visitastis, claudicantem non curastis, et errantem non revocastis, et permisistis populum meum errare inter spinas et tribulos? Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego veniam adversus pastores, et exquiram oves meas de manibus illorum, et repellam eos ut non pascant oves meas, et non erunt eis amplius oves meæ in devorationem: et exquiram eas sicut pastor gregem suum in die qua fuerit caligo et nebula: sic exquiram oves meas, et exquiram eas in omni loco quocumque dispersæ sunt: et quod perierat, requiram: et quod erraverat, revocabo: et quod claudicaverat, curabo: et quod infirmum est, custodiam: et pascam oves meas cum judicio* (*Ezech.* xxxiv, 3, 4. 10, 11, 16).

XV. Quis ista loquitur? Utique ille qui relictis nonaginta novem ovibus, quæsivit illam quæ de suo erraverat grege, sicut David dicit: *Erravi velut ovis quæ periit* (*Psal.* cxviii, 176); quam inventam Christus redit, humero suo portans peccatricem delicatam; qui gaudens et exultans, vocatis amicis et domesticis, ait: *Congratulamini mihi, quoniam inventa est ovis mea quæ perierat. Dico*, inquit, *vobis, quia tale gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc.* xv, 6-10). Et subjungens ait: *Aut quæ mulier habens denarios decem, et cum perdiderit ex denariis, unum nonne accendit lucernam, et tota die domum suam emundat, quærens donec inveniat? Et cum invenerit, convocat amicas et vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quoniam inveni denarium quem perdideram. Dico vobis, quia tale gaudium erit in conspectu Angelorum Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* E contrario autem non agentes facinorum suorum pœnitentiam; quæ eos maneant, ex ipsius Domini responso cognoscant. Legimus enim in Evangelio: quod *quidam venerunt de Galilæis ad Dominum, annuntiantes ei de eis quorum sanguinem miscuit Pilatus cum sacrificiis ipsorum: quibus respondit Dominus dicens: Putatis quia illi Galilæi super cæteros Galilæos peccatores fuerant, quia passi sunt talia? Non. Dico enim vobis: nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter perietis. Aut illi decem et octo, super quos cecidit turris in Siloa, putatis quia debitores fuerunt morti super omnes homines qui habitabant in Hierusalem? Non. Dico vobis*, inquit, *quia nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter perietis.* (*Luc.* xiii, 1-5).

XVI. Excitemus itaque nos quantum possumus, fratres dilectissimi, et abrupto inertiæ et securitatis somno, ad observanda Domini præcepta vigilemus. Quæramus tota mente quod perdidimus, ut invenire possimus; quia *Quærenti*, ait Scriptura, *dabitur, et pulsanti aperietur* (*Luc.* xi, 10). Mundemus domum nostram munditia spiritali, ut secreta quæque et abdita pectoris nostri, vero Evangelii lumine radiata, dicant: *Tibi soli deliqui, et nequissimum in conspectu tuo feci* (*Psal.* l, 6); Quia *mors peccatorum mala;* (*Psal.* xxxiii, 22) et *apud inferos pœnitentia nulla* (*Eccli.* xi, 17): habentes in contemplatione maxime diem judicii et retributionis: et quod ab omnibus nobis credendum, et firmiter est tenendum, quia *acceptio personarum non est apud Deum* (*Rom.* ii, 11); cum præceperit in Deuteronomio non accipiendam personam in judicio: *Non accipies*, ait, *personam, nec secundum minimum, nec secundum maximum judicabis* (*Deut.* i, 17; xvi, 19). His similia et per Ezechielem dixit: *Omnes*, inquit, *animæ meæ sunt; sicut anima patris, et anima filii: anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* xviii, 4). Hic erit igitur a nobis venerandus, hic tenendus, hic per plenam et dignam nostram confessionem propitiandus, *qui habet potestatem animam et corpus mittendi in gehennam ignis* (*Matth.* x, 28), sicut scriptum est: *Ecce venit cum multis millibus nuntiorum suorum facere judicium de omnibus, et perdere omnes impios, et arguere omnem carnem de omnibus factis impiorum*

## VARIORUM NOTÆ.

XIV. — *Violentia aquæ*, etc. Intelligit persecutionem quam diabolus immisit in Ecclesiam. Pamel.

*Apud Zachariam.* Hoc ex conjectura Costerii, pro *ad*: consentit etiam ms. codex. Pamel.

*De manibus illorum.* Adjecit istud recte Gravius: nam habent LXX, et Cyprianus epist. liv, sic etiam ms. codex. Pamel.

XV. — *De omnibus factis... impie.* Ita ex margine Gravii in textum inseruimus, eo quod reperiantur apud Judam Apostolum, præsertim consentiente ms. codice. Pamel.

Digitized by Google

*quæ fecerunt impie, et de omnibus verbis impiis quæ de Deo locuti sunt peccatores* (*Judæ* 14, 15).

XVII. Ilis similia et Daniel: *Vidi*, inquit, *thronum positum, et Vetustus dierum sedebat super eum, et vestitus ejus erat tamquam nix, et capilli capitis ejus tamquam lana alba, thronus illius flamma ignis, rotæ illius ignis ardens. Flumen ignis prodibat ante eum: millia millium serviebant ei, et millia millium assistebant ei. Ad judicium sedit, et libri aperti sunt* (*Dan.* VII, 9, 10). Joannes autem manifestius et de die judicii et consummatione sæculi declarat dicens: *Et cum aperuisset*, inquit, *sigillum sextum, ecce terræ motus factus est magnus: et factus est sol niger ut saccus cilicinus, et luna tota sanguinea facta est: et stellæ ceciderunt in terram, quomodo ficus a vento magno agitata mittit grossos suos: et cœlum recessit ut liber cum involvitur: et omnis mons et insulæ de locis suis motæ sunt: et reges terræ, et maximi quique et tribuni et divites et fortes, et omnis servus et liber absconderunt se in speluncis et in cavernis montium, dicentes montibus et petris: Cadite super nos, et abscondite nos a conspectu Patris sedentis super thronum, et ab ira Agni: quoniam venit dies interitionis: et quis poterit stare* (*Apoc.* VI, 12-17)? Item in eadem Apocalypsi hoc quoque Joannes dicit sibi revelatum: *Vidi*, inquit, *thronum magnum; et candidum sedentem super eum, a cujus facie fugit cœlum et terra; et locus eorum inventus non est, et vidi mortuos magnos et pusillos stantes ante conspectum throni Domini: et libri aperti sunt. Et alius liber apertus est qui est vitæ: et judicati sunt singuli secundum ea quæ scripta erant in libro secundum opera ipsorum* (*Apoc.* XX, 11-13). Sed et A Apostolus bonum consulens, sic hortatur nos, dicens: *Nemo vos decipiat inanibus verbis: propterea enim venit ira Dei super filios contumaciæ. Nolite esse participes eorum* (*Ephes.* V, 6, 7).

XVIII. Demus igitur totis viribus fidei nostræ Deo laudem, demus plenam confessionem: quandoquidem super pœnitentia nostra gaudeant virtutes cœlorum, gaudeant Angeli omnes, gaudeat et Christus; qui nos denuo peccatis oneratos, delictis obrutos, plena et clementi moderatione cessare a facinore hortatur, dicens: *Convertite vos, et redite ab impietatibus vestris: et non erunt vobis iniquitates vestræ ad pœnam. Projicite a vobis omnes impietates vestras quas fecistis adversum me: et facite vobis cor novum et spiritum novum. Et ut quid vos morti traditis, domus Israel? Non enim* B *desidero mortem peccatoris.* (*Ezech.* XVIII, 30-32) *Ego sum, ego sum, qui deleo facinora tua; et non commemorabor te: tu autem in mente habe, et judicemus. Dic tu facinora tua prius, ut justificeris* (*Isa.* XLIII, 25, 26). Dum patet, fratres, indulgentiæ aditus, Deum plenis satisfactionibus deprecemur. Humiliemus nos, ut exaltari possimus. Acquiescamus divinæ exhortationi, qua evadere liceat diem Domini et iram. Dicit enim sic: *Respice, fili, nationes hominum, et scito. Quis speravit in Domino, et confusus est; permansit in mandatis illius, et derelictus est; aut invocavit eum, et despexit illum? quoniam pius et misericors Dominus, et remittens in tempore tribulationis peccata, omnibus inquirentibus se in veritate* (*Eccli.* II, 11-13). Ait ergo: *Dic tu facinora tua prius, ut justificeris.* Præ manu sit vobis oratio illa exomologeseos plena.

C

VARIORUM NOTÆ.

XVII.—*Flumen ignis.* Gravius et Manutius *flamma*: sed pugnat vox Græca, ποταμός. PAMEL.

XVIII.—*Præ manu sit vobis oratio illa.* Ex ms. codice reposuimus *vobis* pro *nobis*. Hinc autem apparet, nisi foret illud, *Dic tu facinora*, etc., mutilum esse et imperfectum hunc librum. Neque tamen oratio illa Cypriani pro martyribus, ea esse potest cujus meminit; quod nulla pœnitentiæ aut relaxationis peccatorum (uti ante me quoque Erasmus annotavit) fiat mentio. Accedit, quod in cod. vet. ex quo hunc librum descripsit ille, medius interponatur sermo D. Augustini de Cypriano; et in mss. codd. Affligin. Marchinensi, Dunensi et Anglico reperiatur illa Oratio cum sequenti, absque tamen hoc libro; ac vicissim hic liber in ms. cod. sine ulla oratione. PAMEL.

# Pars Altera.

## PRÆCIPUI RECENTIUM EXCURSUS

### IN EAMDEM DE HÆRETICORUM BAPTISMATE DISPUTATIONEM.

## L. THOMASSINI DISSERTATIO AD SYNODOS

### SUB STEPHANO PAPA IN CAUSA BAPTISMI HÆRETICORUM COLLECTAS CARTHAGINE, ROMÆ ET ALIBI ANNIS, CHRISTI 256, 257, ETC.

SYNOPSIS.

*Refellitur putidissima Novatorum calumnia, tam errasse Stephanum in omnium admittendo, quam Cyprianum et Firmilianum in omnium hæreticorum baptismo repudiando. Evincitur ex omnium Patrum consensu eamdem tunc fuisse Ecclesiæ Romanæ de*

Digitized by Google

*baptismo hæreticorum, quæ postea fuit, et quæ etiam nunc superest disciplina. Usque ad num.* XXII. *Deinceps, ad finem usque, multipliciter solvitur alia quæstio, ecquid Augustinus Cypriano hinc excusationem et patrocinium paret, quod necdum ea res plenario concilio elucidata atque terminata fuisset; cum idem ipse Pelagianis plenarium concilium flagitantibus os obturaverit, localibus synodis et rescriptis apostolicæ Sedis litem finitam pronuntians.*

I. STEPHANI PAPÆ ET CYPRIANI CONCERTATIO. NOVATORUM CALUMNIA IN STEPHANUM. DUPLEX ADVERSUS EOS CONTROVERSIA HIC DIRIMENDA.

Illustris et copiosa hæc se altera objicit quæstio et superiori gemella, de Stephani cum Cypriano concertatione circa baptismum ab hæreticis collatum. Et hic enim sanctitate conspicui colliduntur Pontifices : Romanus, etsi loco major et causa melior, a collega spernitur; contumaces adversus primæ sedis decretum, et aviti moris plus æquo retinentes, nihilosecius Ecclesiæ communione fruuntur; denique secundum Stephanum pronuntiat Nicæna synodus. Itaque permagnus et admirabilis utrobique personarum rerumque concentus. Ad cumulum denique ut Victorem, ita Stephanum per tot retro sæculorum volumina summæ admirationi habitum, omnium procacissimi novatores in hac extrema temporum fæce denigrare cœpere, quasi aversis quidem vestigiis errasset tamen ipse perinde ac Cyprianus. Ut hic enim omnes prorsus arcebat hæreticos a dandi Baptismi potestate : ita ille, ut garriunt, omnes ea donabat indiscriminatim, sive legitima, sive spuria et profana uterentur in tingendo verborum formula. Itaque propulsanda hæc primo a sanctissimo papa et martyre calumnia. Tum ingrediemur ad aliam quoque controversiam, qui Cyprianus ab Augustino culpa pene absolutus sit, quod ante concilium plenarium necdum veritas satis eliquata fuisset; cum idem Augustinus una primæ sedis auctoritate et sententia alibi Pelagianos hæreticos abunde pronuntiet confectos esse, nec plenario jam opus esse concilio.

II. NON ERRASSE STEPHANUM IN OMNIUM HÆRETICORUM BAPTISMO RECIPIENDO, PROBATUR EX FIRMILIANO.

Hallucinatum ergo et ipsum Stephanum fuisse in omnium hæreticorum baptismo probando, peræque ut Cyprianum in omnium repudiando, hallucinabundi somniant, eliciuntque ex hoc ejus decreto apud Cyprianum relato epist. LXXIV : « Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam; cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum. » Nihil ergo discriminis, inquiunt, interponebat Stephanus, et quibuscumque demum verbis, etiam ab Evangelica veritate alienissimis consecrato subscribebat Baptismo. At Stephano primum patrocinari licet ex ipsa Firmiliani adversus eum scripta ad Cyprianum epistola. Ut invictissimum sit quod ab ipso adversario vis veri extorquet testimonium. Verba Firmiliani sunt : « Illud quoque absurdum, quod non putant quærendum esse quis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris, et Filii, et Spiritus sancti. At quis est in Ecclesia perfectus et sapiens, qui hoc aut defendat aut credat, quod invocatio hæc nominum nuda sufficiat ad remissionem peccatorum et Baptismi sanctificationem? cum hæc tunc utique proficiant, cum et qui baptizat habet Spiritum sanctum, et Baptisma quoque ipsum non sit sine Spiritu constitutum. » Hinc palam est illud demum probari Stephano Baptisma, quod invocata Trinitas sanctificet, ubi invocatio nominum sufficiat ad remissionem peccatorum : a Firmiliano autem desiderari præterea ut is qui baptizat Spiritu sancto vegetetur. Et rursus ibidem Firmilianus Stephanum validissime, ut sibi videtur, urget exemplo mulieris veneficæ hæreticæque, quæ multos solemni Ecclesiæ forma tinxerat : « Cum baptizaret quoque multos, usitata et legitima verba interrogationis usurpans, ut nihil discrepare ab Ecclesiastica regula videretur. Quid igitur de hujus Baptismo dicemus quo nequissimus dæmon per mulierem baptizavit? Numquid et hoc Stephanus et qui illi consentiunt comprobant? Maxime cui nec symbolum Trinitatis, nec interrogatio legitima et ecclesiastica defuit? Potest credi aut remissio peccatorum data, aut lavacri salutaris regeneratio rite perfecta, ubi omnia quamvis ad imaginem veritatis, tamen per dæmonem gesta sunt? Nisi et dæmonem in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti, gratiam Baptismi dedisse contendunt qui hæreticorum Baptisma defendunt. » Ne fingere quidem mihi possum quidquam his apertius.

III. ET IDEM EX EODEM.

Et idem ibidem rursum et sua et Stephani sensa prodere pergit ex Christi invocatione sanctificatum Baptismum exagitans, nisi a viro catholico exhiberetur. « Sed in multum, inquit, proficit nomen Christi ad fidem et Baptismi sanctificationem : utquicumque in nomine Christi baptizatus fuerit consequatur statim gratiam Christi. Quando huic loco breviter occurri posset, et dici, quoniam si in nomine Christi valuit foris Baptisma ad hominem purgandum; in ejusdem Christi nomine valere illic potuit et manus impositio ad accipiendum Spiritum sanctum. » Ergo id Stephanus Baptisma admittebat, quod in nomine Trinitatis, quod in nomine Christi consecraretur. Et rursum ibidem : « Ad illud autem quod pro hæreticis ponunt et aiunt, Apostolum dixisse, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur. » An formulis Baptismi adulterinis quibus Christi et Trinitatis ecclesiastica fides proscinderetur, jactitasset Stephanus cum astipulatoribus suis Christum annuntiari? Ille sane Apostoli locus prædicantis vitio monet non infuscari sanæ prædicationis veritatem.

IV. ALIA EX EODEM ARGUMENTA.

Si vero admissus a Romanis esset Baptismus im-

Digitized by Google

pia et hæretica aliqua verborum formula profanatus, hanc maxime hæreseos formulam prodidisset, hanc exagitasset Firmilianus in tam prolixa Epistola, et ita prorsus victoriam aut ad se inclinasset, aut Stephano extorsisset. Sed cum fidem perfidissimam hæreticorum insectetur vir usquequaque doctissimus, nusquam verba ipsa attingit ad Baptismum constuprandum ab eis effusa. Quorsum autem suggillaret invocatam ab hæretico ore Trinitatem aut majestatem Christi: sileret autem ab eodem in Trinitatis, in Christi nominis contumeliam eructatas insanias?

### V. ET RURSUS ALIA.

Adde quod totus est Firmilianus in baptizatore hæretico exhibilando, et ex ejus vitio Baptismum infirmat. E contra totus erat Stephanus, ut vel ex ejus refutatione liquet, in ipsius per sese sacramenti et verbi Christi et invocationis Trinitatis vi amplificanda, quam exhaurire nequaquam posset vel nequam, vel hæreticus quisquam cujus ab ore ea resonarent. Cardo itaque controversiæ tunc in eo vertebatur an sola verborum divinorum majestas et efficacia sanctificationem Baptismi perficere valeret, a quocumque demum ministro illa proferrentur; an ministri perfidia verborum virtutem corrumpere et evacuare posset. Nec ad statum ergo quæstionis animum adjecisse videntur qui Stephanum maledictis incessunt.

### VI. IDEM EVINCITUR EX CYPRIANO.

Eadem propemodum argumenta exculpi possunt ex opusculis Cypriani hac in causa editis. Sic enim ille in Epist. ad Pompei: « Utique Baptisma quod in eadem unitate consistit, esse apud hæreticos non potest, quia separari neque ab Ecclesia neque a Spiritu sancto potest. Aut si effectum Baptismi majestati nominis tribuunt, ut qui in nomine Christi Jesu ubicumque et quomodocumque baptizantur, innovati et sanctificati judicentur, etc. » Tribuebat ergo Stephanus effectum Baptismi majestati nominum et invocationi nominis Christi. Et in epist. ad Jubaianum: « Non est autem quod aliquis ad circumveniendam veritatem Christianam Christi nomen opponat: ut dicat in nomine Jesu Christi ubicumque et quomodocumque baptizati, gratiam Baptismi sunt consecuti. Cum ipse Christus loquatur et dicat: *Non omnis qui dicit mihi: Domine Domine, intrabit in regnum cælorum.* Quod autem contra nitatur Cyprianus urgeatque non solum Christi nomen, sed totius Trinitatis imprecandum esse ut ratus sit Baptismus, nihil id quidem causæ Stephani officit. Nam multorum Patrum, recentiumque scholæ theologicæ magistrorum sententia est, etiam in solius Christi nominis invocatione perfici Baptisma posse, aut saltem aliquando potuisse. Et utut id habeat, Christi invocatione Stephanus, ut et complurimi veterum theologorum, totius Trinitatis numen comprehendebat, idque patet ex verbis Firmiliani supra relatis.

### VII. EX EODEM.

Etsi autem hæretici Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum aut Christi nomen imprecarentur, non eumdem illis Patrem Christumque ac Spiritum sanctum atque Catholicis esse interpretabatur Cyprianus, quia non eadem fides est, ideo non eumdem esse Baptismum. Epist. ad Jubaianum: « Nam si fides una est nobis et hæreticis, esse potest et gratia una. Si eumdem Patrem, eumdem Filium, eumdem Spiritum sanctum, eamdem Ecclesiam confitentur; potest illic et Baptisma unum esse, si est et fides una, etc. Numquid hanc Trinitatem Marcion tenet? Numquid eumdem asserit, quem et nos Deum Patrem creatorem? Numquid eumdem unum Filium Christum de Maria Virgine natum? etc. Longe alia est apud Marcionem, sed et apud cæteros fides; immo nihil est apud illos, nisi perfidia. » Anxius rimatur Cyprianus non quid invocetur, sed quid credatur a baptizante: cum Stephanus non fidem baptizantis, sed potestatem verborum scrutaretur. Et infra: « Quare Baptisma nobis et hæreticis non potest esse, cum quibus nec Pater Deus, nec Christus Filius, nec Spiritus sanctus, nec fides ipsa in Ecclesia communis est. » Quo decreto suo Cyprianus cum Novatianos quoque complectatur quos constat Trinitatis et carnis Christi fidem intaminatam custodisse, palam est ab eo non eumdem Deum, non eumdem Christum nobis et hæreticis communem dici, etsi eadem nominum invocatio sit.

### VIII. EX CONCILIO CARTHAGINENSI.

Ex concilio item Carthaginensi aperitur in quo summa hujus disputationis consisteret. « Hæreticis aut nihil licet, aut totum licet. Si baptizare possunt, et Spiritum sanctum dare possunt. Si autem Spiritum sanctum dare non possunt, quia non habent Spiritum sanctum, nec baptizare spiritaliter possunt. » Ibidem et alius Cypriani assecla episcopus ait: « Hæretici Christiani sunt, an non? Si Christiani sunt, cur in Ecclesia Dei non sunt; quomodo Christianos faciunt? » Solam ergo ministrorum personam Cyprianus, solam Stephanus verborum Christi efficaciam contemplabatur. Nam si et minister hæreticus et forma fuisset impia, eccur Stephanus hoc vel nomine tenus baptisma dici passus esset? Cur probasset in hæretico quod vel in catholico homine abominatus esset? Denique ipsæ voces rem indicant. Quæritur enim de baptismo hæreticorum, id est, de baptismo ab hæreticis dato: ubi ea nempe sola ambigendi ratio occurrit quæ ex hæretici baptizantis persona trahitur. Nam si et hæreticus tingat, et tingendo profanas invocet Deitatis larvas, quis hæc promiscue habeat? quis hoc baptisma vel nominet? quis hoc cum Novatianorum baptismo permisceat et æque approbet?

### IX. EX TERTULLIANO.

Idem efficitur ex Tertulliano. Nam lib. *de Pudicitia* ait in hujus ipsius Cypriani sententiæ patrocinium: « Ut ethnico par, immo et super ethnicum hæreticus etiam per baptisma veritatis admittitur. » Et l. de Baptismo: « Non idem Deus est nobis et illis: nec

Digitized by Google

unus Christus, id est, idem. Ideóque nec baptismus unus, quia nec idem.» Quæ ne ad solos Marcionistas spectare suspiceris, consule rursus Cyprianum l. I, epist. 6, eadem prolixius de Novatianis disputantem.

### X. ITEM EX CONCILIO ARELATENSI.

Venio ad canonem 8 concilii Arelatensis, an. 314: « De Afris quod propria lege sua utuntur ut rebaptizent, placuit ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum. Etsi perviderint eum in Patre, et Filio, et Spiritu sancto esse baptizatum, manus eis tantum imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur. » Quare hoc canone soli vellicantur Afri, non etiam Romani, si etsi dissimili, juxta tamen absurdo utrique versabantur in errore? aut si Romanis parcere animus erat, quin parcebatur et Afrorum nomini, ac sola Baptismi regula præfigebatur? Quin immo configendi potius fuissent Romani, ut longe turpius errantes, si baptismum aliena fideique inimica forma collatum pro rato habuissent. Id enim atrocius est quam quorumlibet hæreticorum baptisma rescindere. Hic enim detestabilis semper est baptizatoris impietas, ideo excusatur utrumque zelus detestantis. At illic et baptismi et baptizatoris profanitas in promptu est, unde inexcusabilis prorsus foret approbantium inscitia.

### XI. EX EUSEBIO.

Patrocinatur et Eusebius Stephano, omnemque ab eo amolitur erroris suspicionem, l. VII, c. 2: « Ad hunc Stephanum Dionysius primam earum quæ de Baptismo conscriptæ sunt epistolam exaravit. Cum per id tempus non mediocris controversia exorta esset, utrum eos qui ex qualibet hæresi convertuntur Baptismo purgari oporteret, quippe antiqua consuetudo invaluerat ut in ejusmodi hominibus sola manuum impositio cum precationibus adhiberetur. Primus omnium Cyprianus qui tunc temporis Carthaginensem regebat ecclesiam, nonnisi per Baptismum ab errore prius emundatos, admittendos esse censuit. Verum Stephanus nihil adversus traditionem quæ jam inde ab antiquis temporibus obtinuerat innovandum ratus, gravissime id tulit.» Innovationis culpam omnem retorquet in Cyprianum, sive in Cypriani prædecessorem Agrippinum, Stephano autem non aliud ait quam antiquam consuetudinem retineri placuisse, qua in re errare haud sane potuit.

### XII. EX STEPHANI IPSIUS VERBIS.

Quod idipsum apertissimum fit ex ipsismet Stephani verbis a Cypriano et Firmiliano relatis nihil innovari; quod traditum est, retineri debere. Quis non intelligit hanc adversus omnes errores medicinam esse certissimam, nedum ut error aliquis propinari his vocibus queat? Ab initio enim prædicationis Evangelicæ invaluerat ista Romanæ Ecclesiæ disciplina, ut Eusebius innuit. Aut si quid secus quam Apostoli apostolicique viri factitassent, a præsule quopiam Romano novatum postea fuerat, non tam fidenter Stephanus traditioni et antiquitati incumberet. Romanæ traditionis seu corruptelæ initium aliquod, velut cunabula ejus, Cyprianus aut Firmilianus aliquando indigitassent quorum et eruditio et æstuatio in hoc negotio exploratissima est. Eusebius Africanæ disciplinæ exordia nupera notat, haudquaquam Romanæ. Denique Cyprianus ipse auctorem se sequi Agrippinum profitetur, quem vero ducem primum sequatur Stephanus non usquam declarat, sed consuetudini et traditioni cui derogare non poterat veritatem identidem clamitat anteponendam. Itaque epist. 71, ita habet: «Quod quidem et Agrippinus cum cæteris coepiscopis suis qui illo tempore in provincia Africa et Numidia Ecclesiam Domini gubernabant, statuit, et librato Concilii communis examine firmavit. Quorum sententiam nos etiam secuti sumus.» Et in epist. ad Jubaianum: « Apud nos non nova aut repentina res est ut baptizandos censeamus eos qui ab hæreticis ad Ecclesiam perveniunt: cum multi jam anni sint et longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum episcopi plurimi hoc statuerunt, atque exinde in hodiernum tot millia hæreticorum in provinciis nostris ad Ecclesiam conversi, salutaris Baptismi gratiam consecuti sint.» Suæ consuetudinis novitatem prodit, dum venditat vetustatem. At Romanæ disciplinæ antiquitatem detrectare non valens, uni veritati serviendum clamitat paulo post: « Proinde frustra *quidam* qui ratione vincuntur consuetudinem nobis opponunt, quasi consuetudo major sit veritate; aut non fuerit in spiritualibus sequendum, si melius fuerit a sancto Spiritu revelatum.» Qui ergo Stephano error, idem traditioni Ecclesiarum antiquissimæ, idem Apostolis ipsis ejus magistris impingitur.

### XIII. DEFENDITUR ARGUMENTUM STEPHANI ADVERSUS CYPRIANUM.

Et Stephanum quidem ab exemplo hæreticorum argumentantem sannis et dicteriis insectatus est Cyprianus. At pace sanctissimi martyris dixerim hac Stephani argumentatione nihil opportunius, nihil hac suggillatione inconsideratius fieri potuit. Nam exploratissimum hinc fiebat hæreticos in solemni Baptismi forma nihil novasse, nec propriarum hallucinationum ullam ei permiscuisse labem, quandoquidem alii aliorum non respuebant baptisma. Errorem enim alii aliorum detestabantur, et detestati proinde fuissent baptisma, si peculiaribus singulorum deliriis illud fuisset vitiatum. Quæ ergo hæreticis, eadem Stephano aderat ratio ne baptisma extra Ecclesiam tributum iteraret.

### XIV. ITEM EX HIERONYMO OSTENDITUR NON ERRASSE STEPHANUM IN QUÆSTIONE BAPTISMI.

Porro Hieronymus *Dial. adversus Luciferianos* ea scribit quæ nec frontis perfrictissimæ homines negare ausint in Stephani patrocinium scripta esse. « Conatus est B. Cyprianus contritos lacus fugere nec

Digitized by Google

bibere de aqua aliena, et idcirco hæreticorum Baptisma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ urbis Episcopum qui a B. Petro vigesimus-sextus fuit, super hac re Africanam synodum direxit. Sed conatus ejus frustra fuit. Denique illi ipsi episcopi qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum. Quid facimus? ita et nobis majores nostri et illis sui tradidere majores.» Vides ut novitatem Cypriano, vetustatem traditionis Stephano assignet, Cypriani denique collegas aliquando tandem sui pœnituisse conatus, et ad antiquam Stephani majorumque ipsorum suorum consuetudinem revolutos fuisse dicat. Et idem mox Stephani sententiam et traditionem vere Apostolicam, vere ab Apostolis adhuc superstitibus propagatam, exemplisque confirmatam fuisse adstruit, pernumeratis apostatarum et hæreticorum catervis quæ ipsa Ecclesiæ cunabula infestarunt, quorum tamen nullius iteratum legitur Baptisma. « Sed quid de posterioribus loquar? Apostolis adhuc in sæculo superstitibus, adhuc apud Judæam Christi sanguine recenti, phantasma Domini corpus asserebatur : Galatas ad observationem legis traductos Apostolus iterum parturit : Corinthios resurrectionem corporis non credentes pluribus argumentis ad verum iter trahere conatur. Tunc Simon magus et Menander discipulus ejus Dei se asseruere virtutes. Tunc Basilides, etc. Nicolaus quoque, etc. Saturninum, etc. Carpocratem, et Cherinthum, et hujus successorem Hebionem, et cæteras pestes, quorum plurimi vivente adhuc Joanne Apostolo eruperunt. Et tamen nullum eorum legimus rebaptizatum.» Vides nulla partitione uti Hieronymum ut allos hæreticorum tingendos in Ecclesia, alios non tingendos doceat. Sed universim inficiari tingendos iterum ullos esse, ullos ab Apostolis vel eorum successoribus tinctos iterum fuisse, etsi eorum jam tum plerique portentosa quædam figmenta de Deo eructassent. Nec fallebat Hieronymum in tanta ejus ævi luce, maxime tamdiu post Arelatensem synodum, ratum non esse nisi quod in Trinitatis nomine sanctificaretur Baptisma. Ergo si Simon, Menander, Basilides, Carpocras, Cerinthus, Ebion Baptismi Ecclesistici formam non adulteraverant ut nec eorum Baptismus in irritum mittendus esset : idem æquissimum est de cæteris usque ad Stephani tempora augurari.

### XV. RURSUS EX EODEM.

Idem ex Apocalypsi argumentari pergit Hieronymus ibidem, ubi complures memorantur hæretica imbuti insania; nec ipsis tamen vel eorum discipulis Baptismus, sed pœnitentia ad abluendas sordes indicitur. « De Apocalypsi quoque approbemus hæreticis sine Baptismate debere pœnitentiam concedi. In Angelo Pergamenæ Ecclesiæ idolothytorum ejus et Nicolaitarum doctrina reprehenditur. Item apud Angelum Thyatirorum Hiesabel prophetissa, et simulachrorum escæ et fornicationes increpantur. Et tamen omnes hos ad pœnitentiam Dominus hortatur, etc. Numquid dixit; Rebaptizentur qui in Nicolaitarum fide baptizati sunt? Quin potius, Age, inquit, pœnitentiam, etc.» Sic ille inveteratam quam Stephanus mordicus defensabat consuetudinem ab ipsis usque Apostolis derivatam, et ipsis Scripturæ divinæ paginis consignatam fuisse demonstrat. Porro ut Stephanus, ita Hieronymus nullo discrimine hæreticos dispescit, omnes una in navi locat, omnes pœnitentia non Baptismo jubet ablui.

### XVI. EX EODEM ITERUM.

Verum luculenta præ cæteris sunt quæ infra disputat idem Hieronymus adversus Hilarium diaconum Luciferiani schismatis præconem, inde *novum orbis Deucalionem* factum, quod venientes ab Arianis denuo tingendos insaniret. « Si hæretici Baptisma non habent et ideo rebaptizandi ab Ecclesia sunt, quia in Ecclesia non fuerunt : ipse quoque Hilarius non est Christianus. In ea quippe Ecclesia baptizatus est quæ semper ab hæreticis Baptismum recepit. Antequam ariminensis synodus fieret, antequam Lucifer exularet, Hilarius Romanæ Ecclesiæ diaconus ab hæreticis venientes, in eo quod prius acceperant, Baptismate recipiebat. Nisi forte tantum Ariani hæretici sunt et ab ipsis solis baptizatum recipere non licet, ab aliis licet. Diaconus eras, o Hilari, et a Manichæis baptizatos recipiebas. Diaconus eras, et Hebionis Baptisma comprobabas. Repente postquam exortus est Arius, totus tibi displicere cœpisti.» Et paulo post Ecclesiam Romanam inducit, ad Hilarium verba facientem : « Si in sinu meo natus, si uberum meorum lacte nutritus, adversum me gladium levas, redde quod dedi, et esto si potes, aliter Christianus. Meretrix sum, sed tamen mater tua sum. Non servo unius thori castitatem? Talis eram quando conceptus es. Cum Ario adulteria committo? Feci et antea cum Praxea, cum Hebione, cum Cerintho, Novato.» Vides ut et hic omnes prorsus hæreticos sine novo Baptismo per solam pœnitentiam ab Ecclesia Romana receptos defendat, idque jure et Apostolico instituto, atque inconcusso Scripturarum divinarum præcepto factum tueatur. Adeoque et Arianos sine Baptismate admittendos concludat. Porro hæc Hieronymus post Arelatensem synodum, post Nicænum de Baptismo decretum scribebat.

### XVII. EX EODEM.

Denique idem consequenter validius id quoque munit. « Quod si negandum quispiam putaverit hæreticos a majoribus nostris semper fuisse susceptos, legat B. Cypriani epistolas in quibus Stephanum Romanæ urbis Episcopum, et inveteratæ consuetudinis lacerat errorem. Legat et ipsius Hilarii libellos quos adversum nos de rebaptizandis hæreticis edidit, et ibi reperiet ipsum Hilarium confiteri a Julio, Marco, Sylvestro et cæteris veteribus Episcopis similiter in pœnitentiam omnes hæreticos susceptos, nec tamen sibimet veritatis consuetudinem præjudicare debere. Synodus quoque Nicæna omnes hæ-



Digitized by Google

reticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis. » Vides et hic *hæreticos*, *omnes hæreticos* sine Baptismi iteratione susceptos ab Ecclesia Romana, perœque post Arelatensem Nicænamque synodum, atque prius. Ergo si qua culpa affingatur Stephano, eadem post Arelatensem synodum et Nicænam quibus affuerat per legatos Romana Sedes, quarumque vindex primaria semper ipsa exstitit, Romanis omnibus Episcopis et ipsi Hieronymo horum præconi illinenda est. Vides rursum quam Stephano propitia et consentanea fuerit Nicæna synodus quæ « omnes hæreticos suscepit exceptis Pauli Samosateni discipulis : » qui Stephani ævo necdum infaustum caput orco extulerant. Ut nihil possit vel petulantius vel imperitius fingi novatoribus hujus ævi, qui Nicænam synodum garriunt nec Stephano omnes, nec Cypriano nullos sine Baptismo recipienti suffragatam : sed distinctione ea usam qua uterque error castigaretur. Stephano enim prorsus astipulati sunt Patres Nicæni qui omnes quos ille sine Baptismo hæreticos suscipi jussere; eos tingi sanxere quos ille erupturos rescire non potuit. Denique nusquam Hieronymus vel levissime conquestus est de errore vel Stephani, vel eorum qui Baptisma heterodoxis verbis collatum non iterarent.

### XVIII. IDEM EFFICITUR EX BASILIO.

Accedat Basilius epist *ad Amphil.* c. 1. Ille enim etsi consuetudinem Romanorum Antistitum in Baptismo minus probet, non errori tamen, sed œconomiæ eam assignat. Eique quamquam minus ipse subscribat, œconomiæ tamen ergo assentitur, ut qui volent adhærescant. Et Dionysio quidem Alexandrino, quod Pepuzenorum Baptismum approbarit a fide immaniter abhorrentem, nonnihil succenset, Cypriani et Firmiliani non sine elogio meminit, a Stephano perstringendo prorsus abstinet, qui tamen si qua fides esset Sycophantis nuperis, longe fœdius Dionysio cespitasset. « Pepuzenorum Baptismus nullam mihi habere rationem videtur, et miratus sum quomodo hoc magnum Dionysium qui fuit canonicus præteriit. » Et infra : « Pepuzeni in sanctum Spiritum blasphemarunt, Montano et Priscillæ Paracliti appellationem nefarie tribuentes. Quam ergo rationem habet verum eorum Baptisma judicari, qui in Patrem, et Filium, et Montanum, Priscillamque baptizant? Non enim baptizati sunt, qui non in nobis tradita baptizati sunt. Quare etsi hoc magnum Dionysium latuit, nobis tamen non est servanda erroris imitatio. » Ubi facile subolet quo non tam Dionysius quam Basilius laboret errore. Nam fidem, non verba Baptismi interpolaverant Pepuzeni, nec in Montani et Priscillæ nomina, sed in nomen Spiritus sancti baptizabant, quo cum Montanum et Priscillam intelligerent, in Montani et Priscillæ nomen eos tinxisse parum commodus interpres Basilius commentatur : mentem eorum potius quam verba pensitans. Ideo ergo nec a Romanis Montanistæ rebaptizabantur.

### XIX. EX SIRICIO INNOCENTIO, LEONE M. PP.

Innocentius autem primus epist. 22, c. 4, distinctionum similiter incuriosus, ait : « Nostræ vero lex est Ecclesiæ venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sint, per manus impositionem, laicam tantum tribuere communionem, etc. » Dum ait, « qui tamen illic baptizati sunt, » verum Baptismum et a se et a majoribus suis desideratum significat, Evangelicis verbis dedicatum : alio qui nec Baptismum dicendum. Unde c. 5, ibidem, rationem indagans cur Nicæna synodus Novatianis tam secunda, tam adversa autem Paulianistis fuerit, ut illos nec a clero dimoverit, horum vel Baptisma irritarit; « Quod idcirco distinctum esse istis duabus hæresibus ratio manifesta declarat, quia Paulianistæ in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti minime baptizabant, et Novatiani iisdem tremendis verendisque nominibus baptizant. » Igitur etsi sancti Patres indiscrete pronuncient omnes ab hæreticis tinctos sola pœnitentia expiandos esse, conscii tamen iidem sunt nec Baptismum dici, nisi nomine Trinitatis consignatum. Et rursum cum Paulianistæ quod in nomine Trinitatis non tingerent, ad Ecclesiam venientes rursus ablui jubeantur; nulli ergo alii hæretici tempore Nicænæ synodi hæretica forma verborum contaminaverant Baptismi mysterium. Cui argumento robur accedet a Siricii epist. 1, c. 1, qui præterito etiam prædecessoris sui Liberii decreto pugnat : « Nos cum Novatianis, aliisque hæreticis, sicut est in synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus, episcopali manus impositione, Catholicorum conventui sociamus Arianos. Quod etiam totus Oriens, Occidensque custodit. » Vides quam non satagat de discrimine significando. Item Leo I, epist 37, c. 2 : « Quod si ab hæreticis baptizatum quempiam fuisse constiterit, ergo hunc nullatenus Sacramentum regenerationis iteretur. » Nempe Baptismum non sinit vocari, nisi debita observatione tributum. Et epist. 79, c. 7 : « Nam hi qui Baptismum ab hæreticis acceperunt, cum baptizati antea non fuissent, sola invocatione Spiritus sancti per impositionem manuum confirmandi sunt : quia formam tantum Baptismi sine sanctificationis virtute sumpsere. » Et epist. 92, c. 16 : « Hi autem qui se baptizatos sciunt, sed cujus fidei fuerint qui eos baptizavere, nescire se profitentur : quolibet modo formam Baptismatis acceperint, rebaptizandi non sunt. » Vides quam non in sententiam, sed in verba ipsa Stephani conspirent, et omnes quidem hæreticos promiscue habeant, et ab ipsis baptizatos non rebaptizent; sed id nimirum innuant baptizatos non dici, nisi qui formam Baptismatis, hoc est, invocationem Trinitatis suscepere.

### XX. ITEM EX AUGUSTINO.

His succedat, qui præcedere et unus instar omnium esse potuerat Augustinus. Ex eo autem quid primum, quid deinde carpemus ad Stephani patrocinium? Omnia enim ejus de Baptismo contra Donati-

Digitized by Google

stas scripta, omnia capita, omnes prope versus, hanc Stephani cum Cypriano concertationem ita exequuntur, ut disciplinæ sanioris et veritatis majestas tota penes Stephanum resideat. Paucissima decerpam ex immenso pene cumulo innumerabilium testimoniorum. Igitur l. I, de Baptismo con. Donat., c. 18 : « Cum enim tanti meriti episcopus Cyprianus aliud de Baptismo arbitraretur quam erat inquisita diligentius veritas firmatura ; multique ejus collegæ, quamvis liquido nondum manifestatum, id tamen tenerent quod et prætérita Ecclesiæ consuetudo, et postea totus catholicus orbis amplexus est, non se ille tamen a cæteris diversa sentientibus separata communione disjunxit. » Audin Stephanum et cæteros ejus collegas a quibus dissentiebat Cyprianus, id tenuisse : « Quod et prætérita Ecclesiæ consuetudo, et postea totus catholicus orbis amplexus est? » Et l. II, c. 7 : « Nondum erat diligenter illa Baptismi quæstio pertractata. Sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia : quam credo ex apostolica traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in litteris eorum, neque in conciliis posteriorum : et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et commendata creduntur. » Ergo Stephanus et universa cum eo Ecclesia, si Cyprianum cum fautoribus demas, non errabundam et postea emendandam, sed apostolicam et plenario post Arelatensi Nicænoque concilio corroborandam retinebat consuetudinem. Et ibidem c. 9 : « Concilium universale nondum factum erat, quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, et hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem. » Et l. 4, c. 6 : « Nec invenio cur istam consuetudinem improbent, quæ post Cyprianum etiam plenario totius orbis concilio confirmata est, etc. cum ejus consuetudinis mutandæ causa auctoritatem Cyprianus quæreret, nonnisi in Africa sola factum paucis ante se annis Agrippini concilium reperiret. Quod cum sibi adversum totius orbis morem non sufficere cerneret, etc. » Et l. v, c. 23. « Donec per plenarium concilium quid esset rectius eluceret, non aliqua novitate instituta, sed vetustate roborata. » Vides quo pertinuerit quid perfecerit plenarium concilium, seu Arelate, seu Nicææ collectum? Non ut novam hæreticorum faceret distributionem, sed ut vetustam consuetudinem a Stephano propugnatam accensa veritatis face illustratam confirmaret. Et l. VII, c. 20 : « Nam veritate postea liquidius revelata cessit error veritati, cum illa saluberrima consuetudo etiam plenarii concilii auctoritate firmata est. » Et l. de unico Baptismo con. Petil., c. 14 : « Ecce duo erant uno tempore, ut de aliis taceam, qui diversa sentiebant : duo erant eminentissimarum ecclesiarum, Romanæ scilicet et Carthaginensis episcopi, Stephanus et Cyprianus ambo in unitate catholica constituti. Multi cum illo, quidam etiam cum isto sentiebant, etc. » Quis porro Augustino exercitatio in hac disceptatione? Quis altius ingressus in hujus quæstionis quæ adhuc cum Donatistis fervebat indagationem? Cui exploratiora et Stephani et Cypriani verba atque sensa? Non illum præterierant illa Stephani verba, « de quacumque hæresi. » Nec tamen ille errasse Stephanum inde elicuit, sed ex adverso, Apostolicæ traditioni inexpugnabiliter adhæsisse. Canonis autem Arelatensis ac concilii plenarii sensum, fructumque, non in emendanda, sed in confirmanda priore consuetudine, quis ipso dilucidius potuit pervidere?

### XXI. QUAM DICTU NEFAS, TOTAM ALIQUANDO ERRASSE IN HOC ETIAM NEGOTIO ECCLESIAM.

In hac enim parte universam aliquando caligasse Ecclesiam, et mendacii retibus implicatam fuisse, cupide quidem amplectuntur hæretici quibus sponsa Christi prostibulum est. Apage autem ut assentiantur umquam viri catholici. Subscribant potius Augustino, ut cætera taceam, rei recentissimæ testi, quam novellis hæreticis, post mille quadringentos pene annos nova subinde mendaciorum et calumniarum monstra parturientibus. Tam male de Ecclesia Christi suspicari dedoceat illos Augustinus l. II contra Cresconium Grammat. c. 33 : « Proinde quamvis hujus rei certe de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod universæ placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas. Ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate Scriptura sacra demonstrat. » Non fidei igitur tantum, sed et disciplinæ castigatioris regula, sicubi sileat Scriptura, ipsa tamen est Ecclesia, de qua non silet Scriptura. Si universa autem aliquando Ecclesia, etsi dissimili, in errore tamen jacuisset, ecquid illam consuli attineret? Si errasset extra synodum universa, quin errasset et in synodo plenaria? Num tutior ab errore est, repræsentatio Ecclesiæ, quam Ecclesia? Num collecta in unum locum, quam effusa in omnem? An ubi ipsa effunditur ubique terrarum, effunditur et evanescit Spiritus sanctus, pectoris hospes intimus? Cui catholico hæc bilem non moveant?

### XXII. ITEM EX VINCENTIO LIRINENSI.

Vincentius quoque Lirinensis omnem cavillandi faculatem resecat Common. I, c. 9 : « Quondam igitur ven. mem. Agrippinus Carthaginensis episcopus primus omnium mortalium, contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem atque instituta majorum rebaptizandum esse censebat. Quæ præsumptio tantum mali invexit, ut non solum hæreticis omnibus formam sacrilegii, sed etiam quibusdam catholicis occasionem præberet erroris. Cum ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversum sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur : tunc beatæ memoriæ papa Stephanus apostolicæ sedis Antistes, cum cæteris

Digitized by Google

quidem collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit ; dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat. Denique in epistola quæ tunc ad Africam missa est, his verbis sanxit, nihil novandum, nisi quod traditum est. » Ubi perspicis quam omnia ad Stephani defensionem sint instructa. Et hæc quidem scribebat Vincentius post Arelatense, post Nicænum, post C. Politanum generale concilium. Non his ergo conciliis æque repudiatam Stephani ac Cypriani sententiam suspicabatur.

His adde Facundum Hermianensem episcopum l. x « Cum Cyprianus non solum privatim, ut ei visum est, verum etiam congregato concilio definierit ut omnis hæreticus ab Ecclesia rediens baptizetur, et propter hoc culpatus a Stephano Antistite Romano restiterit, injuriose tractans eumdem B. Stephanum a quo fuerat jure culpatus, etc. » Et l. con. Mocianum : « Idcirco B. quoque Stephanus præsul apostolicæ sedis cum sanctum Cyprianum atque alios Afros episcopos de baptizandis omnibus hæreticis decrevisse cognosceret, continuo ei denunciavit, quod si qui hæc auderent, ab Ecclesia pellerentur. Et Stephani potius quam Cypriani sententiam tenet Ecclesia, non solum de non rebaptizandis hæreticis, verum etiam de rebaptizantibus non ferendis. » Quid his apertius optari potest ?

### XXIII. EX HINCMARO RHEMENSI, ET AUGUSTINO RURSUS.

Hincmarus denique, ne longius progrediar, in opusculo 55, capp., c. 19 : « Et quia concilium Nicænum Paulianistas hæreticos ad Ecclesiam venientes baptizari præcepit, quidam etiam alios hæreticos baptizandos esse dixerunt, quod apostolica sedes et plenaria concilia, sicut decreta Romanorum Pontificum, et sanctus Augustinus verbis et sensibus copiose ostendit, penitus abdicarunt. » Paulianistæ enim, ut supra tradidit Innocentius, in nomine Trinitatis non tinguebant, tinguebant alii fere hæretici, etsi iis nominibus non eam quam Ecclesia catholica fidem complecterentur. Unde Augustinus l. III de Bapt. con. Donat., c. 15 : « Quamobrem si evangelicis verbis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat sacramentum, quamvis ejus fides sub eisdem verbis aliud opinantis quam catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata. Nam sub eisdem verbis, id est, in nominibus Patris, et Filii, et Spiritus sancti non solum Marcion, aut Valentinus, aut Arius, aut Eunomius, sed ipsi carnales parvuli Ecclesiæ, de quibus dicebat Apostolus ; non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, si possent singuli diligenter interrogari, tot diversitates opinionum fortassis, quot homines, numerarentur. » Consule Epiphanium et alios qui de hæresibus scripsere etsi minutias fere consectati sint omnes, eversam tamen ab ullis formam Baptismi vix reperies, nisi ab uno et altero. Unde scite Augustinus l. VI de Bapt. con. Donat. : « Cæterum quis nesciat non esse Baptismum Christi si verba evangelica quibus symbolum constat, illic defuerint ? Sed facilius inveniuntur hæretici qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis baptizent. »

### XXIV. ALTERA ATTINGITUR CONTROVERSIA, AN POST DECRETUM STEPHANI PLENARIO ADHUC ESSET OPUS CONCILIO, UT INNUERE VIDETUR AUGUSTINUS.

Jam satis, ut opinor, superque, diluxit quantilla fides habenda sit novatoribus, quando in re tam aperta fucum facere, et omnium Patrum conspiratissimæ sententiæ obluctari conati sunt. Ad alteram jam accingamur hujus controversiæ partem expediendam. Et ex suprapositis Augustini testimoniis illud quidem emicabat, excusatos illum utrumque habuisse Stephani adversarios, quod necdum res plenario Ecclesiæ concilio diffinita atque elucidata fuisset. An ergo ante concilii plenarii definitionem, nullius culpæ affines sunt qui sedis apostolicæ constituta despicantur ? An ea erat inter Cyprianum et Stephanum æqualitas, ut pari jure in tantæ rei dissonantia suo uterque judicio frueretur ?

### XXV. CONTRA EX EODEM AUGUSTINO, ETIAM ANTE CONCILIUM ET SUMMA FUIT STEPHANI POTESTAS ET CYPRIANI ERROR EXPIANDUS, NON EXCUSANDUS.

Nequaquam ita habere vel Augustinus ipse fidejussor est. Nam l. v, c. 23 contra Donat. de Bapt. : « Scribit Cyprianus Stephanum quem Romanæ Ecclesiæ episcopum tunc fuisse didicimus, non solum sibi ad ista non consensisse, verum etiam contra scripsisse atque præcepisse. » Sic ergo alibi supra dixit duos fuisse eminentissimarum ecclesiarum præsules diversa sentientes, ut hic agnoscat alterum alteri præcepisse. Et l. I de Bapt. con. Donat., c. 18 : « In qua Ecclesia, si aliud alii adhuc de ista quæstione salva pace sentirent, donec universali concilio unum aliquid eliquatum sincerumque placuisset, humanæ infirmitatis errorem cooperiret charitas unitatis : sicut scriptum est, *quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Qua enim absente cætera inaniter habentur, eadem præsente quædam venialiter non habentur. » Peccasse Cyprianum non dissimulat : quem mox ait « ad palmam martyrii pervenisse, ut si qua in ejus lucidam mentem ex humana conditione nebula irrepserat, gloriosa serenitate fulgentis sanguinis fugaretur. » Et mox addit quod de Baptismo aliter senserat quam se res habebat, « id charitatis ubertate pensatum, et passionis falce purgatum esse. » Et l. v, c. 25 : Jam illa quæ in Stephanum irritatus effudit Cyprianus retractare nolo, quia et non opus est. Ea præterire melius est quæ periculum perniciose dissensionis habuerunt. Stephanus autem et abstinendos putaverat qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur. Iste autem quæstionis istius difficultate permotus et sanctæ charitatis visceribus largissime præditus, in unitate cum eis manendum qui diversa sentirent. Ita quamvis commotius, sed tamen fra-

Digitized by Google

terne indignetur: vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali disceptatione nullum inter eos malum schismatis oriretur. » Vides ut Cypriani effervescentiam perstringat, Stephano eadem placuisse astruat quæ universali post Ecclesiæ, ut ne Baptisma hæreticorum iteraretur, et iterantes abstinerentur: denique dispensationi qua errori suo blandiebatur Cyprianus ad avertendum schisma acquievisse tandem Stephanum. Etsi enim nullo decreto, ipsa tamen patientia sua qua intentatum fulmen inhibuit, consensit Stephanus in hanc œconomiam. Itaque Stephano in illam œconomiam consentiente, ejus auctoritatem jam non spernebant qui concilium plenarium opperiebantur.

### XXVI. EX EODEM, CYPRIANUS PETRO COMPARATUR ERRANTI, SED CORRIPIENTE COLLEGAM AUDIENDI.

Quid quod sexcenties idem Cyprianum Petro comparat, episcopum Apostolo, errantem erranti, martyrem martyri? Cum tamen Petrus paulo corripienti acquieverit, ejus erroris sectatores ab Ecclesia præcisi sunt. Ita et Cypriani martyris imitatores ab unitate se abrupere. Lib. VII, c. 1. « Hæretici nati ex illo errore in quem Petrus devians a Paulo revocatus est, in hoc usque persistunt. Sicut ergo illi, Petro in primatu Apostolorum martyrii gloria coronato, in sua perversitate præcisi ab Ecclesia remanserunt; sic isti Cypriano per abundantiam charitatis in sortem sanctorum passionis claritate suscepto, seipso exules unitatis agnoscunt. » Ita Cyprianus Stephano, ut Petrus Paulo saltem obtemperaret. Id ergo præterea sanguine eluit. Et lib. III, c. 8. « Monet nos non fuisse impossibile, ut de Baptismo Cyprianus aliquid aliter saperet quam veritas postulabat, quæ ab Ecclesia et ante illum et post illum retenta est, sicut potuit aliquid etiam Petrus aliter sapere quod veritas non habebat, quam Paulo Apostolo doctore didicimus. »

### XXVII. QUAM NON POSSIT EXCUSARI CYPRIANUS EX EODEM, TRADITIONI APOSTOLICÆ ET ECCLESIÆ UNIVERSALI IMMORIGER.

Quam non posset etiam Augustinus Cyprianum absolvere apertum est præterea ex l. II, con. Donat. de Bapt., c. 7, ubi ait, etsi res nondum diligentius pertractata fuisset; « Saluberrimam tamen consuetudinem tenebat Ecclesia, etc. quam consuetudinem credo ex apostolica traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in litteris eorum neque in conciliis posteriorum, et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et commendata creduntur. Hanc ergo saluberrimam consuetudinem per Agrippinum prædecessorem suum dicit sanctus Cyprianus quasi cœpisse corrigi. Sed sicut diligentius inquisita veritas docuit, verius creditur per Agrippinum corrumpi cœpisse, non corrigi. » Idem alibi pluries inculcat eam non iterandi Baptismi consuetudinem *ab universali Ecclesia* hactenus observatam fuisse. Culpa liberari ergo non poterat Cyprianus, qui consuetudinem universalis Ecclesiæ et traditionem ab Apostolis usque ipsis derivatam contemnebat, posthabebatque nuperæ per Agrippinum invectæ corruptelæ. Minus adeo est mirum, si Apostolicæ Sedis statuta minoris faceret qui apostolicas traditiones et universalis Ecclesiæ leges flocci faciebat. Ab hoc Cypriani contemptu quem martyrio expiavit, nihil adversus vel primæ Sedis, vel Ecclesiæ universalis, vel apostolicarum traditionum auctoritatem rite excipi potest.

### XXVIII. EADEM EX HIERONIMO CONFIRMANTUR, VINCENTIO LIR. ET FACUNDO HERG.

Ita Hieronymus dial. *adv. Lucifer.* frustra a Cypriano impetitam utramque copulat auctoritatem et Sedis Apostolicæ et universalis Ecclesiæ. « Legat B. Cypriani epistolas, in quibus Stephanum Romanæ urbis episcopum et inveteratæ consuetudinis lacerat errorem. » Ita et Vincentius Lirinensis loco supra laudato: « Cypriano Stephanus Apostolicæ Sedis Antistes, cum cæteris quidem collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit: dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci dignitate superabat. » Æquum erat utique morem ut ei gereret Cyprianus, qui cæteros collegas et fidei devotione, *et loci dignitate superabat.* Quid mirum autem si ei non cessit, qui Agrippino potius se addixit « primo omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem atque instituta majorum, rebaptizandum esse censenti? » Ita et Facundus supra aiebat « jure culpatum » a Stephano Cyprianum, et Stephani sententiæ, non tum quidem Cyprianum, sed Ecclesiam, et tum et postea accessisse.

### XXIX. RURSUS EX AUGUSTINO.

Et rursum Augustinus octoginta episcopos cum Cypriano, quinquaginta cum Firmiliano consensisse non nescius, nihilo tamen secius orbem Christianum universum a Stephani partibus stetisse fideuter affirmat. Ut hinc rursus patescat tam non posse adversus Stephani quam nec adversus Ecclesiæ universalis auctoritatem vel decreta quidquam hinc objectari. Sed et Stephani et Ecclesiæ potestas quidem invicta, sed permodesta et multis œconomiæ et veniæ blandimentis temperata intelligatur. Lib. III, con. Cresconium c. 3: « Proinde si omnino jam credendum sit quinquaginta episcopis Orientalium id esse visum, quod septuaginta Afris vel aliquanto etiam pluribus, contra tot millia episcoporum quibus hic error in toto orbe displicuit: cur non potius etiam ipsos paucos Orientales suum judicium correxisse dicamus? » Et l. II, c. 9, de Bapt. con. Donat: Nondum factum erat universale concilium, quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum. » Vide et l. c. 6, ut supra retulimus.

Digitized by Google

Eusebius quoque supra relatus l. VII, c. 2, et 3, antiquam consuetudinem, cui Stephanus tuendæ incumbebat, in omni Ecclesia invaluisse insinuat ab initio. Ut necesse sit Firmilianum partium suarum studio raptum extra veri semitam fuisse, cum de copia suorum assectatorum licentius gloriatur.

### XXX. NON ULTRA MINAS SÆVIIT STEPHANUS, ET TANDEM DISPENSATIONI ACQUIEVIT, ATQUE ITA DECRETI SUI EXECUTIONEM SUSPENDIT IPSEMET.

Quod autem Stephanus ultra minas et terrorem non eruperit, cohibitoque mucrone sacro, indulgentiæ tacitus saltem acquieverit, ut ne ea de causa unitas Ecclesiæ scinderetur, multis assequimur conjecturis. Eusebius novum et insolens Cypriani decretum et synodi Carthaginensis *gravissime tulisse* ait Stephanum, nec ultra indignationem æstuasse, aut tentasse quid narrat. Hieronymus supra laudatus aiebat Cyprianum concilii sui decretum ad Stephanum mississe, sed *conatum ejus frustra fuisse* : denique illos ipsos episcopos ad vetustiorem consuetudinem sese recollegisse. Vincentius Lirinensis fervorem Stephani magnificentissimis verbis prosecutus est, de anathemate prorsus silet. Augustinus l. v, c. 23 : « Cyprianus ad Pompeium scribens indicat Stephanum non solum sibi ad ista non consensisse, verum etiam contra scripsisse atque præcepisse. » Huc usque sævitum est. Et l. *de unico Bapt. con. Petil*, c. 14. « Cum Stephanus non solum non rebaptizaret hæreticos, verum etiam facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos esse censeret, sicut aliorum episcoporum et ipsus Cypriani litteræ ostendunt, tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit. » Excommunicandos censebat, non excommunicabat : minitabatur Stephanus, non jaculabatur. Ideo et Cyprianus permansit in pace unitatis, etiam cum Stephano, unde ibidem mox : Ecce duo erant uno tempore, ut de aliis taceam, qui diversa sentiebant. Duo erant eminentissimarum ecclesiarum, Romanæ scilicet et Carthaginensis episcopi, Stephanus et Cyprianus ambo in unitate catholica constituti. Multi cum illo, quidam cum isto etiam sentiebant, utrique cum eis in unitate consistentes. » Nihil his apertius fieri potest. Atque adeo mitiganda sunt nonnihil Firmilia ni ad Cyprianum verba adversus Stephanum stridentia in hunc modum : « Pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpentem, modo cum Orientalibus, quod nec vos latere confidimus ; modo vobiscum, qui in meridie estis : a quibus legatos episcopos patienter satis et leniter suscepit, ut eos nec ad sermonem saltem colloquii communis admitteret : adhuc insuper præciperet fraternitati universæ, ne quis eos in domum suam reciperet : ut venientibus non solum pax et communio, sed tectum et hospitium negaretur. Rhetoricabatur Firmilianus, et causæ suæ æstu effusius incandescebat. Ut asperius primo acceperit legatos Cypriani Stephanus, quo ad officium illum revocaret, nihil moror : at pacem ab eo non esse ruptam, id superiora argumenta pervincunt. Et ipse denique Cyprianus in epist. *ad Pompeium*, qua asperiores ad se Stephani litteras asperrime exagitat, fratrem tamen ipsum appellat, ruptæ communionis nusquam meminit. Et ad cumulum Augustinus l. v, *con. Donat.* c. 25 : « Stephanus abstinendos putaverat qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur. Cyprianus in unitate cum eis manendum qui diversa sentirent. Ita quamvis commotius sed tamen fraterne indignetur, vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali disceptatione nullam inter eos malum schismatis oriretur. » Utcumque igitur consensit Stephanus qui diversa sentirent ab unitate non præcidi ; et universale Concilium expectari.

### XXXI. GRAVIORI AUCTORITATI CEDERE DEBUISSE CYPRIANUM EX AUGUSTINO.

Quocirca ut ejus auctoritati a multis resisteretur, charitas ejus in causa fuit quæ ad veniam tandem ipsum et œconomiam inclinavit. Alioqui quantalibet potestate et scientiæ ubertate afflueret Cyprianus, inflecti tamen ipsum debuisse *graviori auctoritate* auctor est ipse Augustinus l. II, *de Bapt. con. Donat.*, c. 3. : Certe nobis objicere soletis Cypriani litteras, Cypriani sententiam, Cypriani concilium etc. Quis nesciat sanctam Scripturam canonicam omnibus posterioribus episcoporum litteris ita præponi, utrum verum vel ut de illa omnino dubitari et disceptari non possit, utrum rectum sit, quidquid in ea scriptum esse constiterit. Episcoporum autem litteras quæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur : et per sermonem forte sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, et per aliorum episcoporum graviorem auctoritatem, doctioremque prudentiam, et per concilia licere reprehendi, si quid in eis forte a veritate deviatum est. » Quorumlibet, ut vides, episcoporum, atque adeo Cypriani litteræ reprehendi poterant, non sapientiore tantum cujuslibet privati sermone, non concilii tantum congregatione, sed aliorum etiam episcoporum, atque adeo præ cæteris Romani Præsulis *graviore auctoritate* doctioreque prudentia. Hæc enim tria perspicue discriminat Augustinus.

### XXXII. ET CYPRIANUS ET ALII EJUS CONSENTANEI FORSAN RESIPUERE.

Quid si et ipse Cyprianus ante obitum resipuit ? Nolim equidem vel illius, vel Firmiliani sanctitatis famam ab hoc religare ambiguo. Sed et rem dubiam nolim indubie explodi. Sobrie et sapienter suo more Augustinus l. II, *de Bapt. con. Don.* « Si Petrum laudat et prædicat Cyprianus ab uno posteriore collega patenter concorditerque correctum ; quanto citius ipse cum concilio provinciæ suæ, universi orbis auctoritate, veritate patefacta, cessisset ? Quia profecto

Digitized by Google

et uni verum dicenti et demonstranti posset facillime consentire tam sancta anima, tam pacata. Et fortasse factum est, sed nescimus. Neque enim omnia quæ in illo tempore inter episcopos gesta sunt memoriæ litterisque mandari potuerunt : aut omnia quæ mandata sunt novimus. » Vides ut has conjecturas nec leviter astruat, nec fidenter aspernetur sanctus Pater. Et epist. 48 : « Cyprianus aut non sensit omnino, quod eum sensisse recitatis, aut hoc postea correxit in regula veritatis, aut hunc quasi nævum cooperuit ubere charitatis. »

Dionysium Alexandrinum docet Hieronymus lib. de Script. Eccl. « In Cypriani et Africanæ synodi dogma consensisse ; » et tamen ut ejus epistolas ad Romanos Pontifices ex Eusebio datas sileam : Basilius in epist. *ad Amph.* semel iterumque conqueritur de Dionysio, quod Pepuzenorum Baptisma approbaret. Hinc conjectura est ad Romanorum sententiam tandem accessisse. Hieronymus autem *adv. Lucif :* Illi ipsi episcopi qui rebaptizandos hereticos cum Cypriano statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum, etc. » Augustinus l. III, *contra Crescon.*, c. 2, innuit, « Orientales suum judicium correxisse. » Incassum ergo Baronio indignantur ejusmodi quid ominanti de Firmiliano. Si tamen fides ejus rei adhuc nutat, nec plus æquo indulgendum est suspicionibus animi nostri, consultius erit Augustinum rursum audire, l. de *unico Bapt. con. Petil.*, c. 13 : « Nec nos qui Baptismi veritatem etiam in hæreticorum iniquitate agnoscimus potius quam negamus, ideo meliores Cypriano sumus, sicut nec Petro, quia gentes judaizare non cogimus. Hoc de Agrippino aliisque episcopis qui illa concilia fecisse perhibentur responderim, qui sic diversa senserunt, ut cum eis contra quos de hac quæstione sentiebant, in unitate persisterent ubi charitas cooperit multitudinem peccatorum. » Et Bedam rursum audire superius relatum ; qui Aidani vitam evangelicæ amussi coaptatam laudabat, non laudabat autem quod canonicum Paschæ tempus, « vel ignorans, vel suæ gentis auctoritate, nec agnitum sequeretur, devictus, non observaret.

### XXXIII. ALTERA APERITUR VIA SOLVENDÆ HUJUS CONTROVERSIÆ, EX DISCRIMINE QUÆSTIONUM DE FIDE ET DE CONSUETUDINIBUS.

Et hinc rursus alia se pandit ratio sedandæ inter varia Augustinianæ doctrinæ capita conflictationis : cum idem ipse et concilii plenarii spem amputarit Pelagianis, inexorabilem indicens necessitatem Africanis conciliis et Apostolicæ maxime Sedis definitionibus subscribendi : Et Cypriano ejusque collegis copiam fecerit, aut patrocinium adornaverit, ut ante concilium plenarium non acquiescerent. Ingenti enim prorsus hæ quæstiones distant intervallo. Illa ad fidem, hæc ad consuetudines magis Ecclesiæ pertinet. In unitatem fidei concinere necessum est fideles omnes, in unitatem consuetudinum non est semper necesse : A fide deviantibus nil veniæ superest, nisi A rectæ orbitæ se reddant : a consuetudinum recto tramite declinantes ex venia persæpe tolerantur. Hic habet, illic non habet locum dispensatio. Definitæ semel fidei derogari deinceps numquam et nusquam potest : constitutæ quomodolibet consuetudinum disciplinæ non raro posterior ætas derogat, ipsa saltem desuetudine. Conciliis etiam œcumenicis consuetudines aliquas sancientibus aut non statim obtemperatur aut obtemperati desinitur postea, ut non citra culpam, at citra unitatis Ecclesiasticæ labem ; at fidei semel constitutæ irrevocabiliter obaudiendum est. Tertullianus l. *de Virgin. veland :* « Regula, inquit, fide omnino una est, sola immobilis, et irreformabilis. »

### XXXIV. VARIA HUJUS DISCRIMINIS DOCUMENTA.

B Ideo forsitan in unitatis et pacis gremio retenti sunt ad concilium usque Nicænum, qui de paschæ die a catholica Ecclesia dissonabant : cum cæteræ hæreses etiam ante Nicænam synodum a corpore Ecclesiæ detruncatæ fuerint. Ideo de quæstione paschatis dirimenda laborarunt vehementer Nicæni Patres ; de priscis hæresibus innumeris per provincialia tantum concilia antehac proscriptis, rursus proscribendis, et ex œcumenicæ auctoritate synodi fulminandis nihil fuere solliciti. Ideo et concertationem de Baptismo iidem sopire studuerunt, unos rebaptizari jubendo Paulianistas. Quia ut liberior et versatilior sua sponte est disciplina ; ita universali magis consensu opus est, sicubi restringatur. Ideo et Cyprianus vehementer contendebat, et Stephanus C tandem condonavit, ut diversa quamlibet sentientes ab unitatis tamen individuo nexu ne discederent : sicut et in negotio paschatis Irenæus aliique sentiebant sequioris observantiæ tenaciores quosque a compage Ecclesiæ non scindendos. Denique disciplinæ varietatem alicubi etiam ornamento esse et Augustinus et Gregorius infra suo loco nos docebunt. Gregorius autem non assensus modo, sed hortatus etiam est diversos ab Ecclesia Romana ritus, sicubi tempestiviores occurrerent, in ecclesiam Anglicanam transplantari. In fide autem nemo hanc licentiam concesserit.

### XXXV. QUÆSTIONEM HANC CIVILITER TRACTATAM ESSE, UT AD CONSUETUDINES SPECTANTEM, NON AD FIDEM, PROBATUR PRIMUM EX FIRMILIANO.

D Nec me fallit quondam posse modo ad fidei negotium revocari istas de Baptismo hæreticorum quæstiones ; multo etiam magis quam de paschatis die, in quo aberrantes ecclesias Victor heterodoxas appellabat. Sed unum id existimo ex priscorum Patrum scriptis scintillare hanc rem illos non aliter, quam ut consuetudinis ecclesiasticæ et disciplinæ partem spectasse, nec ad fidei substantiam et necessitatem revocasse. Ita sentiebat Firmilianus in epist. *ad Cypr.* salvo unitatis vinculo in his dissentiri posse : « Cir celebrandos dies Paschæ et circa multa alia divinæ rei Sacramenta, videat quis esse apud Romanos aliquas diversitates, nec observari illic omnia æqua-

Digitized by Google

liter quæ Hierosolymis observantur. Secundum quod in cæteris quoque plurimis provinciis multa pro locorum et nominum diversitate variantur, nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ catholicæ pace atque unitate aliquando discessum est. Quod nunc facere Stephanus ausus est, rumpens adversum vos pacem, quam semper antecessores ejus vobiscum amore et honore mutuo custodierunt. » Et toto passim epistolæ contextu bacchatur eo fere nomine in Stephanum, quod non potius suis quemque moribus frui sineret, quam fœdus paciş dissolveret.

### XXXVI. ITEM EX CYPRIANO.

Ita sentiebat et Cyprianus epist. *ad Jubaianum*. Cum enim sententiam suam multis sepsisset argumentis, ait tandem : « Hæc tibi breviter pro nostra mediocritate rescripsimus nemini præscribentes aut præjudicantes, quominus unusquisque episcoporum quod putaverit faciat, habens arbitrii sui liberam facultatem. Nos quantum in nobis est, propter hæreticos cum collegis et coepiscopis nostris non contendimus, cum quibus divinam et Dominicam pacem tenemus. Servatur a nobis patienter et firmiter charitas animi, collegii honor, dilectionis vinculum, concordia sacerdotii. » Et in exordio *Conc. Carthag.* « Superest ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus proferamus, neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrum episcopum se episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit. Quando habeat omnis episcopus pro licentia libertatis et potestatis suæ arbitrium proprium, etc. » In disciplinæ negotio cum aliquo colore hæc disseruntur, in capite fidei catholicæ alienissima essent omnia. Verba autem illa : « Quod putaverit faciat, habens arbitrii facultatem liberam, etc. obsequendi necessitas, etc. de actu nostro judicandi Christus unus habet potestatem : » Perspicue ad disciplinam, non ad fidem referuntur. De fide enim a collegis dissentire, nulli fas est : Si quis dissenserit contumax, a pace ejiciendus est et communione. At antiquas ecclesiæ suæ consuetudines a quolibet episcopo retentari, etsi ab aliis dissonas, utcumque usque ad concilium plenarium aliquando et ultra toleratur.

### XXXVII. ITEM EX STEPHANO, EX ARELAT. ET NICÆNA SYNODO. EX OPTATO.

Ita sentiebat et Stephanus, cum quid fieri, non quid credi deberet, præciperet ; traditionem antiquæ consuetudinis ostentaret. Ita et Eusebius supra descriptus, meræ consuetudinis memor. Ita et Hieronymus cujus prolixa disputatio, non aliud quam antiquam et inveteratam consuetudinem venditat. Ita sensit et Arelatensis synodus canone 8 ubi habet : « De Afris qui propria sua lege utuntur ut rebaptizent, » nec contumeliosius quidquam in eos jactatur, vel in eorum errorem. Si enim adversum fidei id visum esset, ut quid vocaretur ista non insania, non hæresis, sed propria lex rebaptizandi ? Denique canones hic non complectuntur nisi regulam disciplinæ, fidei autem definitio fere in antiquis conciliis seorsim digerebatur. Ita sensit et Nicæna synodus totam illam de Baptismo controversiam dirimere molita, non Symbolo aut confessione fidei, sed canone unico, et hoc uno decreto, unos deinceps Paulianistas iterum tingendos. De apostolicis canonibus ad hoc idem attinentibus suo loco disseremus. Unum insuper addo Optatum l. 1 : « Apud quos non sunt sacramenta. » In quæ verba Albaspineus hæc adnotat : « Ergo ex hoc et ex multis aliis locis quantum conjicio, Optatus non existimabat hæreticos posse baptizare. »

### XXXVIII. ITEM EX BASILIO.

Ita dubio procul sentiebat et Basilius qui epist. *ad Amphil.*, cum hæreticos qui ipsam fidei summam labefactare moliuntur, discrevisset a schismaticis qui ob sanabiles quæstiones se absciderunt, ait : « Visum est ergo ab initio hæreticos quidem omnino rejicere ; eos autem qui se absciderunt, seu schismaticorum Baptisma admittere, ut qui adhuc sint Ecclesiæ. » Firmiliano tamen et Cypriano mox ait visum esse schismaticorum quoque Baptismum iterare : « Sed quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est propter multorum œconomiam et dispensationem, eorum Baptisma suscipi, suscipiatur. » Hæc ille de Catharis, mox vero de Encratitis : « Quoniam *nihil* est de his aperte dictum, oportet nos eorum Baptismum abrogare. Quod si hoc universali œconomiæ sit impedimento futurum, rursus consuetudine utendum est, et sequi oportet Patres qui quæ ad nos pertinent providerunt. » Et infra can. 47 omnes illos schismaticos a se rebaptizari ait, idemque suadet Amphilochio : quamquam expeditius dicat episcopali synodo has omnes controversias dirimi. Multa hinc ebulliunt argumenta ad nostrum institutum. Primum antiquiorem traditionem commemorat ; partitione utentem ; tum se ab ea dissentire confitetur. In fidei negotio non id sibi sumeret Basilius. Catharos et Encratitas in eadem schismaticorum navi collocat ; tum illorum recipi permittit Baptisma, horum vetat. Non ita in fidei quæstione alternaret. Catharorum Baptisma suscipi ex dispensatione censet. At in negotio fidei non ita dispensationi locus non datur. Encratitas rebaptizari suadet ; si tamen universali Ecclesiæ paci et dispensationi id obstrepat, admittendum censet eorum Baptisma : nonne hæc ipsa est disciplinæ versatilitas ? Ad novam synodum suspirat quæ dubia illa omnia enubilet : vix ergo decantato illo apud Augustinum plenario concilio sopita erat omnis controversia. Ita de Baptismo disceptatio post Arelatensem, post Nicænam synodum, vix satis elucidata videbatur Basilio, nova illi in votis erat synodus, rursus ea de re secundum œcumenicum concilium sanxit quid sequendum esset. Ita post Stephani papæ, post Arelatensis et Nicænæ synodorum sanctiones, Basilius novam synodum expetebat, utpote in re ad disciplinam, non ad fidem tum spectante.

Digitized by Google

Etsi alias quandoque disciplinæ et consuetudinum capita, ad Baptismi scilicet vel Sacramentorum spiritales causas attinentia, ad fidem trahantur, ut infra monebimus dissert. hujus num. ult.

### XXXIX. EX AMPHILOCHIO.

Ita sentiebat et Amphilochius qui in Novatianorum Baptismo iterando vel non iterando, suæ cujusque moribus Ecclesiæ serviendum esse censebat; ut testatur Basilius c. 1, ep. ad eumdem scriptæ : « Quæ itaque ad Catharos pertinent, recte admonuisti, quod oportet uniuscujusque regionis mortem sequi. » Quæ ita interpretatur Balsamon : « An oporteat baptizari Novatianos, diversæ sententiæ processerunt quemadmodum tu admonuisti, et placuit sequi morem uniuscujusque regionis. »

### XL. EX ATHANASIO.

Ita sentiebat et Athanasius, cujus orat. 3. *adv. Arianos* hæc sunt verba : « Si in nomine Patris et Filii datur perfectitudo Baptismi, plenaque initiatio : Patrem autem verum Ariani non pronunciant, eo quod negent aliquid ex ipso existere et simile esse illius substantiæ : Negant quoque verum Filium, aliumque ex non entibus conditum sibi comminiscentes in Baptismate proferunt; qui, quæso, igitur non plane vanum ac inutile fuerit Baptisma quod ab illis datur, cum id nonnisi species sit et inane simulachrum? Non enim in Patre et Filio tribuunt Baptisma Ariani, sed in Creatore et creatura, in Factore et factura. Sicut igitur creatura diversum quid est a Filio, ita diversum quid a vero Baptismate est, quod ab illis existimatur dari; tametsi nomen Patris et Filii, quoniam illa in Scripturis vident, simulent se nominare. » Et infra : « Certe aliæ etiam hæreses, eæque numero non paucæ, nomine tenus ritum istum pronuntiant, sed non recte sentientes, neque sanam fidem retinentes, inutilem possident aquam, nimirum lumine et religione destitutam. Adeo ut qui ab illis asperguntur, sordescant potius prava religione, quam redimantur. » Hæc vir intaminatissimæ fidei de Baptismo hæreticorum et cæterarum hæresum, tametsi invocatione Trinitatis conferretur : Audi et quid mox subjiciat. « Itidem quoque et Manichæi, ac Phryges, ac discipuli Samosatensis, nomina ipsa pronunciantes, nihil ob id sunt minus hæretici. Ita quoque deinceps et reliqui, et qui cum Ario sentiunt, etiamsi recitent scripta, proloquanturque ipsa nomina, frustrantur, illuduntque eis qui ab ipsis Baptisma accipiunt. » Hic obiter adverte nomina ipsa personarum divinarum, quia sacris in paginis consignata verbis conceptis sunt, inter tingendum ab omnibus pene hæreticis pronunciata fuisse, ideoque nullius culpæ fuisse affinem ad Stephanum vel Ecclesiam Romanam, eorum Baptisma iterari vetantem. Porro Athanasius Basilio aperte suffragatur, cassum ratus Baptisma, quod tametsi verbis evangelicis conferatur, eorum tamen qui conferunt alienus sensus ab Evangelio, aliena fides est.

### XLI. EX EPIPHANIO.

Ita sentiebat et Epiphanius cujus adscribendus hic est locus illustris *in exposit. fid. Cath.*, n. 13 : « Alii qui audaciores videntur ex Catholicorum partibus, privata sibi factione constata præter Ecclesiæ consuetudinem, ac citra concilii generalis decretum, eos qui ab Arianis ad suas partes transeunt, iterum baptizare nihil verentur; cum nondum ea res, ut dixi, universalis synodi judicio decisa sit; quod adhuc populi promiscue ad hodiernum usque diem habeantur. Inter quos multi quidem sunt Catholici, sed ficte ac per simulationem, sacerdotum auctoritatem sequuntur, donec execranda illa secta ab Ecclesiæ communione segregetur, ut tunc aliquid de illa statuatur. Ex iis qui suapte auctoritate iterum hoc modo baptizant, audio quemdam in Lycia presbyterum esse. » Nemini posthac, ut arbitror, mirum accidet, si fluctuaverit Athanasius, si Basilius, si Amphilochius, et hæreticorum Baptisma in nomine, sed non in fide Trinitatis collatum iterari optaverit; cum Epiphanius Romanæ Ecclesiæ et Occidentalis morum scientissimus æque alternaverit, et eos qui ab Arianis ablutos iterato abluebant, non hæreseos sed audaciæ insimularit, unumque illud iterum atque iterum deprecatus sit, ne ante concilii universalis definitionem rebaptizare eos perseverarent, maxime cum illi necdum aut secessissent, aut execti essent ab Ecclesiæ catholicæ communione.

### XLII. EX CYRILLO HIEROSOL.

Ita sentiebat et Cyrillus Hierosolymitanus, qui præfat. *in Catech.* de omnibus hæreticis promiscue hæc habet. « Soli hæretici rebaptizantur. Siquidem prius illud non erat Baptisma. » Quæ autem vel levissima illius ab Augustino decantatissimi plenarii ex toto Christiano orbe concilii fama evaserat ad Basilium, ad Amphilochium, ad Cyrillum Hierosol., ad Epiphanium denique? ubi illa orbis consensio post plenarium concilium ad non iterandum hæreticorum Baptisma? Cum Arelatensis utique illa sit synodus ab Augustino indigitata, paulo ante ejus natales celebrata, ut alibi ostendemus : ecqua hujus apud Græcos usquam vestigia vel ab emunctissimæ naris hominibus olfieri possunt? Non Zonaras, non Balsamon, non alii ejus meminere Græci. Sed et in Arelatensi synodo, ubi illa tam copiosa elucidatio veritatis, qua Cypriani doctrina refelleretur, traditionis catholicæ et vetustissimæ ratio et sapientia splendidissime elucesceret? An temporum iniquitas intercepit tam egregia doctrinæ catholicæ monumenta? An diu ante synodum inter orthodoxos episcopos res agitata et eliquata fuerat, et ita ad synodum ventum est? Id forsan innuit Augustinus l. II, *de bapt. con. Donat.*, c. 4 : « Quomodo potuit ista res tantis altercationum nebulis involuta, ad plenarii concilii luculentam illustrationem confirmationemque perduci, nisi primo diutius per orbis terrarum regiones, multis hinc atque hinc disputationibus et collationibus episcoporum pertractata constaret? Illud certe ex antedictis constat, Arelatensis

Digitized by Google

synodi vix rumore aliquo aspersos esse Græcos, ideoque plenariam illam forte ab Augustino dici, non quasi œcumenicam, sed ut ipsi moris est, quasi universalem, hoc est, pluribus ex provinciis congregatam, velut regionalem, aut nationalem. Unde idem paulo infra enodandis aliis quibusdam de Baptismo dubitationibus, optabit « auctoritatem concilii tanti, quantum tantæ rei sufficiat. » Optabit item « regionali cœpta concilio, plenario concilio terminari. » Idem alibi transmarina concilia magni facere visus est. Unde autem Augustino de œcumenicis conciliis hæc sententia obrepsisset, qui solum pene Nicænum audivit, CPolitanum vix scivit, Ephesinum morte antevertit? Et ille tamen frequens plenaria concilia crepat, aliaque aliis emendari autumat. Nec Basilius supra de œcumenico concilio satagebat, sed de concilio tantum, ut lis ista dirimeretur. Epiphanius œcumenicæ synodi operam desiderat, peritior fortasse dissidii quo Orientales nonnulli ab Occidentalibus adhuc dissidebant.

A

B

### XLIII. EX SECUNDA SYNODO ŒCUMENICA.

Ita sentiebant Patres centum quinquaginta in synodo secunda œcumenica. Nam can. VII ita edicunt : « Eos qui rectæ fidei adjiciuntur, et parti eorum qui ex hæreticis servantur, recipimus secundum subjectam hic consequentiam et consuetudinem, Arianos quidem, etc. Eunomianos vero, etc. » Illos nempe unctione Chrismatis, hos Baptismo. Suum simplicissime morem enarrant, consuetudinem hanc esse perhibent, nihil amarulentius in secus vel sentientes, vel facientes stomachantur. Cæterum Montanistas, seu Cataphrygas, Eunomianos, aliosque nonnullos baptizari iterum jubent, quos Romana in Ecclesia rebaptizatos non fuisse elicitur ex supra positis Hieronymi aliorumque testimoniis. Solos Paulianistas Nicæna synodus jusserat iterum tingi, non Montanistas. In Ecclesiæ Romanæ codice canonum deest canon iste.

C

### XLIV. EX SYNODO TRULLANA.

Ita sentiebant et Trullani Patres, qui can. II recipiunt cum aliis receptissimis synodis, etiam « a Cypriano qui Afrorum regionis fuit Archiepiscopus et Martyr, et synodo quæ sub eo fuit, emissum canonem ; qui in prædictorum præsulum locis, et solum secundum traditam eis consuetudinem servatus est. » Etsi a Cypriano dissentirent tunc Græci, hanc tamen ejus consuetudinem suo loco et tempore viguisse censent.

D

### XLV. EX CONSENSU GRÆCORUM, MAXIME THEODORI STUDITÆ.

Ita sentiebant Græci olim omnes, quibus summo semper in honore fuit illa Basilii Epistola canonica ad Amphilochium, in codice canonum græco præ cæteris radians. Specialiter autem Timotheus Presbyter cujus fragmentum refertur a Balsamone, ubi tres ordines recenset accedentium ad Ecclesiam, qui Baptismo, qui Chrismate, qui sola erroris ejuratione recipiuntur. « Et qui baptizantur quidem, sunt hi, Tascodrugi, Marcionistæ, Artotyritæ, Saccophori, Apotactitæ, Valentini, qui etiam Basilidii et Hermæi appellantur, Nicolaïtæ, Montanistæ, Pepuzeni, Manichæi, Eunomiani, Paulianistæ, Photinianistæ, Sabelliani, Cerinthiani, Menandriani, Ebionæi, Simoniani, Carpocratiani, Saturniani, et qui ab impio Marco, qui ab Apelle, qui a Theodoto Coriario, Helcesaïtæ, qui a Nepote, qui a Pelagio et Cælestio, et Melchisedecitæ. Qui autem sancto Chrismate unguntur, sunt hi, Tetraditæ seu Tessaresdecatitæ, Novatiani seu Sabbatiani, Ariani, Macedoniani, Apollinaristæ. » Et paulo post ibidem subjicitur et istud ex epistola 4 Theodori Studitæ ad Naucratium excerptum : « Quæ a me petivisti, ut sigillatim responderem de sectis, et Baptismis, etc. Accede ad sacrum librum Epiphanii, etc. Contemplatio tripliciter dividitur. Baptizantur autem Marcionistæ, Tascodrugi, Manichæi, et qui sunt ejusdem ordinis, usque ad Melchisedechitas, viginti quinque hæreses. Inunguntur autem sacro Chrismate Tetraditæ, Novatiani, Ariani, Macedoniani, Apollinaristæ, simul quinque. Qui vero nec baptizantur, nec unguntur, sed solam propriam et omnem aliam hæresin anathematizant, Meletiani, Nestoriani, Eutychianistæ, etc. » Quæ prolixior fere est canonis septimi synodi CPolitanæ interpretatio. Vides autem quam immaniter hæc dissideant a consuetudine Romanæ Ecclesiæ, quæ nunquam deinceps tamen ea de re litem movit Græcis, Canonem illum CPolitanum suo ex codice rejecisse contenta. Vides quam rudes fuerint Græci, aut incuriosi illius plenarii concilii, et canonis Arelatensis de Baptismo ab Augustino celebrati. Vides quam jure meritoque canon Arelatensis ad Afros destinetur, quorum propria lex erat ut rebaptizarent.

### XLVI. EX GENNADIO.

Ita sentiebat, ut ad Latinos rursus me referam, Gennadius *de Dogmat. Eccles.*, c. 52 : « Illos qui non sanctæ Trinitatis invocatione apud hæreticos baptizati sunt, et veniunt ad nos, baptizari debere pronunciamus, non rebaptizari. Neque enim credendum est eos fuisse baptizatos, qui non in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti juxta regulam a Domino positam tincti sunt. Ut sunt Paulini, Procliani, Borboritæ, Siphori, qui nunc vocantur Bonosiani, Photiniani, Montani, et Manichæi, variaque impietatis germina, vel cæteræ istorum originis sive ordinis pestes, quæ duo principia sibi ignota introducunt, ut Cerdon et Marcion ; vel contraria, ut Manichæus ; vel tria et barbara, ut Sethianus, et Theodosius ; vel multa ut Valentinus ; vel Christum hominem fuisse absque Deo, ut Cerinthus, Ebion, Artemon et Photinus. Ex ipsis, inquam, si qui ad nos venerint, non requirendum ab eis utrum baptizati sint, an non ; sed hoc tantum, si credant Ecclesiæ fidem, et baptizentur ecclesiastico Baptismate. » Minus stupebis jam Græcos ab Arelatensi canone, et ab Ecclesiæ Romanæ ritu deviasse, cum videas civitati et Arela-

Digitized by Google

tensi et Romanæ adjacentes ecclesias ab eis æque deflexisse. Multos enim horum, quos Gennadius tingi rursus imperat, in Ecclesia Romana sine novo Baptismo receptos fuisse supra expresse nos admonuit Hieronymus. Sileo nostro hoc ævo novellos hæreticos a multis Catholicis sub conditione rebaptizatos fuisse, idque vetandum fuisse, conc. Rotom. an 1581. Remensi an. 1583. Aquiensi an. 1585. Tolosano an. 1590. Narbon. an. 1609. Ita enim definierat Pius V, ut fertur in synodo Ebroicensi an. 1576 apud Bochellum pag. 171.

### XLVII. EX AUGUSTINO.

Ita sentiebat denique Augustinus ipsemet, sexcenties hanc *consuetudinem* appellitans, locis tum supra allegatis, tum aliis innumeris, quibus huc congerendis supersedeo. Addo hunc unum locum, l. *de unico Baptismo. cont. Petil.*, c. 13 : « Ego autem ut quod de hac re sentio, breviter dicam : rebaptizare hæreticos, quod illi fecisse dicuntur, tunc fuit humani erroris; rebaptizare autem Catholicos, quod adhuc isti faciunt, semper est diabolicæ præsumptionis. » Itaque ea fuit propria et hæretica Donatistarum perversitas, ut rebaptizarent eos, qui in Ecclesia catholica jam ablati sacro fonte fuerant.

### XLVIII. CONCILIA PLENARIA AUGUSTINUS FREQUENTER AD CONSUETUDINES ORDINANDAS REQUIRIT.

Plenarii autem concilii auctoritatem ab Augustino expetitam fuisse, non ad fidei, sed ad consuetudinis et disciplinæ unitatem universæ Ecclesiæ conciliandam, quia consuetudo sua sponte libera et indifferens, ita commodius astringitur ad unum ubique ritum : liquet ex epist. 118 : Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quod Domini passio, et resurrectio, et ascensio in cœlum, et adventus de cœlo Spiritus sancti anniversaria solemnitate celebrantur. Et si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universa, quacumque se diffundit, ecclesia. Alia vero quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est quod alii jejunant Sabbato, alii vero non, etc., totum hoc genus rerum liberas habet observationes. Nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam, ad quamcumque forte devenerit. » Ubi perspicuum est, non uti fidem, ita disciplinam et consuetudines ad unam formulam in omni Ecclesia restringi et adunari necessario debere : sed in illa omnes convenire, in hac alias ab aliis inculpatissime Ecclesias discrepare. Sicubi autem etiam consuetudo aliqua vel obtineat, vel obtinere debeat in omni Ecclesia hanc legem vel a Scripturis, vel ab apostolica traditione, vel a plenariis conciliis proficisci. Et l. IV *de Bapt. cont. Donat.*, cap. 24 : « Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed A semper retentum est nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur. » Et l. II, c. 7 : « Quam consuetudinem non rebaptizandi hæreticos, credo ex apostolica traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in litteris eorum, neque in conciliis posteriorum, et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et commendata creduntur. » Et rursus idem Augustinus, l. II *cont. Epist. Parmen.*, c. 13 : « Et hæc quidem alia quæstio est, utrum et ab illis qui numquam fuerunt christiani possit Baptismus dari. Nec aliquid temere inde affirmandum est, sine auctoritate tanti concilii, quantum tantæ rei sufficiat. » Et l. VII *de Bapt. con. Donat.*, c. 53, inquirens an Baptismus a pagano collatus, vel joco, vel mimice, ratus sit : « Nobis B inquit, tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali concilio cœpta, nullo plenario concilio terminata sunt. » Et epist. 119, c. 15 : « Ad agendum Pascha ex Evangelio quia jam manifestum est, quo die Dominus resurrexit, adjuncta est etiam ipsorum dierum observatio per Patrum concilia : et orbi universo christiano persuasum est, eo modo Pascha celebrari oportere. » In fidei autem dogmatis vix umquam ita pendere animi dubium invenies Augustinum a conciliorum definitione, adde Epiphanium supra laudatum, an iterum lustrali fonte piandi essent, quos tinxissent Ariani, *ab œcumenico concilio* statuendum esse opinantem. Adde Basilium similiter concilii desiderio æstuantem, in ista de Baptismo hæreticorum C fluctuatione. Cum adversus Origenistas et tot alias tunc grassantes hæreses, nec Epiphanius, nec Basilius tanta flagrarint concilii cupiditate. Denique *œcumenicam* suam illam constitutionem, ut a Cyrillo Hierosolymitano vocatur catech. 18. synodice ediderunt Apostoli, non de fidei, sed de disciplinæ capitibus : et provinciales synodi semel et iterum quotannis cogendæ olim erant, non tam ut de fide quid sciscerent, quam ut disciplinæ castimoniam tutarentur. Etiam nunc sane de Confirmatione, de Ordine, de Absolutione, de Matrimonio non pauca controvertuntur inter scholæ optimates, aliqua inter ecclesias ipsas discrepant : quæ his rata, his videntur irrita : sed civilis et ad disciplinæ ingenium temperata hæc conflictatio est : tametsi de his, ut de compluscullis aliis possent cudi definitiones, et ad fidei necessitatem trahi. Nec tamen quamdiu et sententiis et moribus certatur hinc et hinc diversis, utrisque ex æquo applaudere integrum est. Longe anteferenda est enim altera sententia, verbi gratia, Baptisma hæreticorum non iterantium utpote et sacramenti dignitati, et traditioni ecclesiasticæ, et Pontificum definitioni consentanea. Sed ex Ecclesiæ et Pontificum aute synodum universalem conniventia ac dispensatione, qui secus sentiunt ac faciunt, videri interim illi possunt, errore quidem aliquo, sed materiali tantum, ut aiunt, laborare. Hac autem venia prolixius uti Ecclesiam et Pontificem non improbat Bellarm., l. I *de Conc.*, c. 10 : Probabile et auctoritate Sedis Apo-

Google

stolicæ quæstionem illam apud omnes Catholicos fuisse finitam. Sed etiamsi quæstio finita non fuisset, usque ad concilii plenarii determinationem, ut Augustinus dicit : non tamen inde colligere oporteret non potuisse finiri. Nam licet Apostolicæ Sedi cooperantibus provincialibus conciliis controversiam illam finiendi auctoritas non deesset : maluerunt tamen sancti illi Pontifices differre in tempus aliud magis opportunum absolutam determinationem ejus quæstionis, quam tot magnos viros ab Ecclesia separare. » Certe act. 1 septimæ synodi laudatur Eustochius Patriarcha Hierosolymitanus qui monachis Origenis deliria osculantibus octo induciarum menses indulserat ad resipiscendum, et quintæ œcumenicæ synodo subscribendum.

### XLIX. NEQUAQUAM AD QUÆSTIONES FIDEI.

In quæstionibus autem fidei nequaquam opus esse congregari, nequaquam fas esse appellari œcumenicas vel plenarias synodos, vide ut idem Augustinus nos doceat. Etenim, l. 1, *cont. Jul.*, c. 4, cum latinorum Patrum auctoritates deprompsisset, ait : « An ideo contemnendos putas, quia Occidentalis Ecclesiæ sunt omnes, nec ullus est in eis commemoratus a nobis Orientis episcopus? Quid ergo faciemus, cum illi Græci sint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare. Cui Ecclesiæ præsidentem B. Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille sanctus Africanis respondere conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes et Romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia? » Et infra : « Non est ergo cur provoces ad Orientis antistites, quia et ipsi utique christiani sunt, et utriusque partis terrarum fides ista una est; quia et fides ista christiana est; et te certe Occidentalis terra generavit : Occidentalis regeneravit Ecclesia. » Quia ergo fides non alia alibi, sicut consuetudinum disciplina, sed una ubique terrarum est, adeoque in Oriente eadem atque in Occidente est, nempe una christiana fides, non licet ad Orientis antistites seu ad œcumenicam synodum provocare; sed auscultandum est suæ cuique ecclesiæ episcopis, auscultandum est maxime Romano Pontifici antiquam Ecclesiæ suæ fidem dictanti. Et l. IV *ad Bonifacium Papam, c. ult.* : « Ant vero congregatione synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur. Quasi nulla hæresis aliquando nisi synodi congregatione damnata sit. Cum potius rarissime inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit : multoque sint atque incomparabiliter plures, quæ ubi exstiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt. Verum istorum superbia hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis et Occidentis synodus congregetur. Orbem quippe catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur. » Non hic consuetudines, sed hæreses resonant, fides ingeminatur, ideo œcumenicæ synodi negatur imminere necessitas, cum longe plurimæ hæreses offocatæ sint sine istiusmodi synodis.

### L. SUMMA CONTROVERSIÆ HUJUS POSTERIORIS.

Inaniter ergo gannuunt, exemplo Firmiliani, Dionysii, Cypriani, non necessario standum esse definitionibus Sedis Apostolicæ. Contra enim, ut ex superioribus constat, 1. Errasse demonstrati sunt, qui illis non cessere, et hunc errorem eluendum vel cruento, vel incruento quopiam martyrio habuisse. 2. Cessisse Cyprianum, veri non dissimile duxit Augustinus. 3. Qui Stephano non obaudiere, nec traditioni apostolicæ, nec universalis Ecclesiæ auctoritati et consuetudini morem gesserunt : ex eorum ergo sententia non licet quidquam in jus trahere. 4. Nec Arelatensi vel Nicæno postea concilio illi ipsi vel eorum posteri auscultarunt. Arelatense fortasse nescierunt : Nicænum accommodate pristinæ suæ sententiæ interpretati sunt : ut Basilium supra experti sumus. Nec contra generales tamen synodos hinc licet insurgere. 5. Ultra minas evectus non est Stephanus, et acquievit ipse, dispensationis et unitatis tuendæ causæ, cum diversa et sentientibus et facientibus communicare. Qua in re non paulo Cyprianum antecessit intervallo. Hic enim errorem suum charitatis copia et sanguinis impendio abstersit : ille a recti semita nec transversum unguem deflexit : stricto juri primum, ut par est, studuit : ubi sensit schismatis immenere periculum, usus est temperato. 6. Etsi quæstio hæc ad fidem trahi posset, ut pleraque alia consuetudinum capita; tunc ea tamen civiliter, ut disciplinæ portio, agitabatur. Nec a Cypriano, nec a Stephano primum, nec postea a Nicæno nec CPolitano concilio, nec a Basilio, vel a posterioribus Græcis vel Romanis, tametsi nonnihil dissentantibus anathema in adversarios vibratum est. In hujusmodi ergo rebus cum profiteantur Romani Præsules diversas ecclesiarum consuetudines a se vel laudari, vel non culpari, vel tolerari : quid mirum si cæteri antistites hac utantur libertate, vel abutantur? Gregorius in epist. *ad August. Angl. episc.* « Mihi placet ut sive in Romana, sive in Gallicana, sive in qualibet ecclesia invenisti quod plus omnipotenti Deo placere possit, sollicite eligas. » Et ut ad Sacramenta utcumque hæc etiam spectare ne dubites, Alexander III *in append. Concil. Later.*, c. 2. de frigidis : « Licet Ecclesia Romana propter maleficia, legitime conjunctos dividere non consueverit; si tamen consuetudo generalis Ecclesiæ Gallicanæ habet, ut hujusmodi matrimonium dissolvatur, nos patienter tolerabimus. » Sexcenta alia inferius suis locis annotabuntur exempla, ut Romani Pontifices ad consuetudinem etiam consonantiam omnes cohortentur, interim tolerent dissonantiam. Denique his ipse Augustinus qui concilio generali opus fuisse inculcarat, ad consuetudines, non ad hæreses damnandas restrinxit synodorum hanc necessitatem.

Digitized by Google

# DISSERTATIO

## QUA VERA STEPHANI CIRCA RECEPTIONEM HÆRETICORUM SENTENTIA EXPLICATUR.

I. SENTENTIAM ILLIUS RATIONE DESTITUTAM NON FUISSE.

1. Licet ea, quæ Stephanus super controversia de Baptismo hæreticorum scripserit, Cyprianus vel superbæ, vel ad rem non pertinentia, vel sibi ipsi contraria et imperite atque improvide scripta censeat, in iis tamen, quæ cum ipse Cyprianus, tum Firmilianus notarunt ut a ratione magis aliena, nihil quod censuram hujusmodi mereatur, offendimus. Immo Donastitarum adversus Ecclesiam argumenta sapienter iis præverti deprehendimus. His nempe præludebant rebaptizantes, dum humana ratione nixi, neminem dare quod non habet, adeoque hæreticos gratiam, qua carent, dare non posse contendebant. Verum rationi huic Stephanus consuetudinem opponebat, non qualemcumque, sed ab apostolica traditione acceptam : quid sapientius? In rebus enim divinis omnis humana ratio Dei concedere debet auctoritati. Plus igitur æquo rationi suæ tribuit Cyprianus, cum dixit, « Frustra quidam qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt (*Epist* LXXI :)» frustra noluit a Stephano dici, « Quod accepimus ab Apostolis, hoc sequimur (*Epist.* LXXIII). » Suspecta esse debet ea ratio, quæ tantæ auctoritati adversatur.

2. Rideat licet idem præsul ac prorsus absurdam censeat rationem, qua traditionem istam Stephanus confirmabat, ac dicat : « Præclara sane et legitima traditio Stephano fratre nostro docente proponitur, quæ auctoritatem nobis præbeat. Nam in eodem loco epistolæ suæ addidit et adjecit, cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum : » de illa tamen longe aliter judicabunt, qui eam attentius expenderint. Cum enim ab Ecclesia recesserint omnes hæretici, mirum non est eos de doctrina illius nonnihil retinere. Immo nullus re ipsa est, qui non aliquid ex ea retineat. Cum igitur, quantumvis inter se dissidentes, in aliquo cum Ecclesia consentiunt, hoc ab Ecclesia sibi traditum retinuisse merito affirmantur. Quocirca et hæretici, qui verum Christi corpus in Eucharistia negant, ab antiqua et constanti Ecclesiæ fide discessisse hinc convincuntur, quod variæ sectæ, quæ a multis jam sæculis, aliis in rebus, a catholica discordant Ecclesia, hoc in dogmate cum illa concordent. Non igitur, ut scribebat Cyprianus, tunc « ad hoc malorum devoluta est Ecclesia Dei et sponsa Christi, ut hæreticorum exempla sectaretur : » sed ipsi potius hæretici, cum ad se ab aliis sectis venientes non baptizabant, id quod in Ecclesia, antequam separarentur ab ea, usitatum ac receptum viderant, sectabantur.

3. Neque dissimulavit Stephanus rationem, quam ipsi Cyprianus ac socii ut invictam opponebant, pro certo ponentes Spiritu sancto destitutos illum dare non posse, adeoque nec Baptismi gratiam conferre. Illis enim hæc ideo invicta videbatur, quia et rem sacramenti a sacramento, et ministrum seu instrumentum a Domino qui illo utitur, distinguere nesciebant. Verum hæc apprime distinguens Stephanus, non imperite nec improvide, sed apte ac sapienter docebat, « his qui apud hæreticos baptizantur, adesse præsentiam et sanctimoniam Christi (*Apud Cypr., Ep.* LXXV), qui videlicet hæreticorum ministerio quod vult operatur. Ipsi quippe merito persuasum erat, quod multum proficit nomen (auctoritas ac virtus) Christi, (quo operante fit) ut quicumque et ubicumque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi. Hoc igitur propugnabat, quod Joannem a columba didicisse non uno loco Augustinus inculcat, nempe ut aliis verbis hic doctor exponit, « quamdam proprietatem in Christo talem futuram, ut quamvis multi ministri baptizaturi essent, sive justi sive injusti, non tribueretur sanctitas Baptismi, nisi illi super quem descendit columba, de quo dictum est : Hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Petrus baptizet, hic est qui baptizat : Paulus baptizet, hic est qui baptizat : Judas baptizet, hic est qui baptizat. » Hinc quomodo et in Ecclesia et apud hæreticos unum Christi Baptisma esse possit, quod a Stephano prædicari Firmilianus iniquo animo ferebat, recte percipitur.

4. Frustra igitur Cyprianus ad defensionem causæ suæ locum Ecclesiastici XXXIV, 30, proferebat in hunc modum : « *Qui baptizatur a mortuo, quid proficit lavatio ejus* (*Epist.* LXXI)? Primo quidem eum, qui Baptismum ab hæretico suscipit, a mortuo baptizari falso est arbitratus. Vivit quippe Christus, qui per hæreticum baptizat, adeoque qui Baptismum ab hæretico suscipit, nequaquam a mortuo baptizatur. Deinde testimonii allati sicut nec integritatem habuit, ita nec assecutus est sensum. In sinceris enim Ecclesiastici codicibus illud ita legimus. « *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, qui proficit lavatio ejus.* » Quibus verbis inanem esse docemur ejus, qui

Digitized by Google

mortuum tetigerat, lotionem, si lotus eumdem mortuum rursus tangat. Eodem loco sic truncato similique ratione in gratiam hæresis suæ cum abusus esset Donatus, hunc Augustinus ut divini eloquii violatorem vehementer arguit. At cum idem Doctor in libros postmodum incidisset Donati parte antiquiores, in quibus idem vitium jam erat, eum retractare atque emendare non puduit; quod adversus hæreticum illum bona fide scripserat (*Retract., lib.* I, *cap.* 21, *n.* 3). Quam recte autem de codicum illorum antiquitate judicarit, evincunt Cypriani libri, in quibus versiculus, et iterum tangit eum, jam deerat. Quod in transcursu observatum sit. Ad Stephanum quod attinet, cum dixit, « Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, » tantum oppositam proferre voluit sententiam statuto Africani concilii, de eo qui ab hæresi venit decernentis : « Baptizandus est et innovandus qui ad Ecclesiam rudis venit, ut intus per sanctos sanctificetur (*Cypr. Epist.* LXX). » Hoc igitur sibi vult : Nihil innovetur circa baptismum ejus qui sic venit, sed tantum servetur quod traditum est; seu, nihil ei de novo detur, nisi quod traditum est erga eum præstandum esse, ut scilicet manus ei imponatur in pœnitentiam. Ideo autem Baptismum nolebat innovari, quia hoc sacramentum non ex eo qui ministrat, sed ex Christo, cujus nomine confertur, virtutem suam sortiri persuasum habebat. Nec alia fide dixit. « Multum proficit nomen Christi, etc. » quam qua postea Augustinus, « per quemlibet enim ministrum illius est Baptismus de quo dictum est : Hic est qui baptizat (*lib.* V *de Bapt. contra Donat., c.* 12). « Sed eadem Stephani verba quæstionibus aliis locum dederunt.

### II. AN STEPHANUS BAPTISMUM AB HÆRETICIS SUB QUALIBET FORMA COLLATUM ADMISERIT.

5. Non desunt qui Stephanum in confutanda rebaptizantium sententia modum non tenuisse, atque hæreticorum quorumvis Baptismum sub qualibet forma collatum admisisse suspicentur. Sed ad amovendam hujusmodi suspicionem hæc illius verba repetere satis erit, quæ a Firmiliano nobis transmissa sunt : « Multum proficit nomen Christi ad fidem et Baptismi sanctificationem, ut quicumque et ubicumque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi. » Certe qui totam Baptismi efficaciam Christi virtuti attribuit, nullum censet illius fructum, si Christi nomen ei defuerit. Unde non omnem Baptismum, sed eum tantum, qui Christi nomine et auctoritate collatus sit, a Stephano admissum esse conficitur. Eadem Papæ hujus verba dum refutare aggreditur Cyprianus, hoc intellecta dicta esse confirmat in hunc modum : « Si effectum Baptismi majestati nominis tribuunt, ut qui in nomine Jesu Christi ubicumque et quomodocumque baptizantur, innovati et sanctificati judicentur; cur non in ejusdem Christi nomine illic et manus baptizato imponitur ad accipiendum Spiritum sanctum? cur eadem ejusdem majestas nominis non prævalet in manus impositione, quam prævaluisse contendunt in Baptismi sanctificatione (*Cyp., epist.* LXXIV)? » Sic ratiocinabatur Cyprianus adversus Stephanum, putans eum ita hæreticorum Baptismum admittere, ut impositionem manus ad accipiendum Spiritum sanctum ab eis susceptam, hoc est Confirmationis sacramentum eis collocatum, respueret, atque innovari et iterari permitteret. Qua in re an fallatur necne, inferius excutiemus; sed hinc nemini dubium relinquitur, quin eorum dumtaxat, qui in nomine Jesu Christi baptizantur, Baptismum a Stephano recipi plane agnoscat idem præsul ac pro certo habeat. Nec movere quemquam debet in allatis Cypriani verbis vox *quomodocumque :* cum ab illo ad majorem explicationem vocabuli *ubicumque* adjectam esse, ac pro quovis ministro, qui in nomine Jesu Christi baptizet, non pro qualibet forma acceptam fuisse, eo certius judicetur, quod apud Firmilianum, qui ipsa Stephani verba referre accuratius videtur, istud et *quomodocumque* minime compareat.

6. Quocirca falluntur, et a Stephani mente procul aberrant, qui verbis illius pressius hærentes, quibus quemlibet a *quacumque hæresi venerit*, suscipi et in nullo Baptismum innovari præcipit, Baptismum sub quavis forma collatum ab eo admitti opinantur. Sic porro loquebatur Stephanus, quia hæreticos sub aliena forma baptizantes aut ignorabat, aut non attendebat. Certe Augustini ea est observatio, ut « facilius inveniantur hæretici, qui non baptizent, quam qui non verbis istis (in Ecclesia usitatis) baptizent (*Aug. lib.* VI *de Bapt. contra Donat., cap.* 25, *n.* 47). » Notant quoque Innocentius, *Epist.* XVI ad Macedonas, *cap.* 10, et Hieronymus sub finem dialogi contra Luciferianos, Nicænum concilium, ubi solos Paulianistas excipit, cæterorum hæreticorum Baptisma suscipere. Propter hanc igitur raritatem usu venit, ut Patres de Baptismo hæreticorum loquentes, de ulla exceptione facienda nihil prorsus cogitarint. Quemadmodum Stephanus in Epistola Firmiliani generatim dixisse narratur. « Quid ergo fiet de iis qui ab hæresi venientes sine Ecclesiæ Baptismo suscepti sunt? » ita et Hieronymus sub finem dialogi mox dicti ait, « Hæreticos a majoribus nostris semper fuisse susceptos, et Ecclesiam semper ab hæreticis Baptismum suscepisse. » Nec minus generale est Leonis decretum seu in Epistola CXLIX ad Nicetam, cap. 7 : « Qui Baptismum ab hæreticis acceperunt, cum antea baptizati non fuissent, sola invocatione Spiritus sancti per impositionem manuum confirmandi sunt; » seu in Epistola CLV ad Neonem, cap. 2. « Si ab hæreticis baptizatum quempiam fuisse constiterit, erga hunc nullatenus Sacramentum regenerationis iteretur : sed hoc tantum, quod ibi defuit, conferatur, ut per episcopalis manus impositionem virtutem Spiritus sancti consequatur. » Quibus verbis Leonem Stephani sententiam exprimere voluisse nemo non animadvertit. Si igitur in his Leonis, Hieronymi, aliorumque Patrum de recipiendo hæreticorum Baptismo similibus locis clausulam, modo cum legitima forma et usitatis verbis collatus sit, subaudiri nemo dubitat; neque etiam ambigere debet, quin et

Digitized by Google

a Stephano eadem clausula eademque conditio intellecta sit. Immo si vera est superior Innocentii Hieronymique observatio, qua solos Paulianistas Nicænæ synodi tempore contra formam Baptismi peccasse, ideoque concilii hujus patres, solis Paulianistis exceptis, cæterorum hæreticorum Baptisma suscepisse censent: cum Stephani ævo nondum exorti essent Paulianistæ, nihil opus erat ut his papa, hæreticorum Baptisma suscipiendum esse propugnans, ullam exceptionem adjiceret.

7. Aliunde vero eum non aliud nisi Christi Baptisma nosse aut probasse certum est. Firmiliano hac in re, ut vidimus, concinit Cyprianus: qui quidem præterea Epist. LXXIII, primo Stephani nominatim de Marcionis Baptismo sententiam ita exponit, « ut nec (ab eo) venientes dicat baptizari oportere, quod jam BAPTIZATI ESSE IN NOMINE JESU videantur: » ac subinde cur idem Papa generatim et a cæteris hæreticis venientes eodem modo suscipiendos esse sentiat, notat his verbis: « Non est autem quod aliquis, ad circumveniendam christianam veritatem, Christi nomen opponat, ut dicat, IN NOMINE JESU CHRISTI ubicumque et quomodocumque baptizati gratiam Baptismi sunt consecuti. » Unde exploratum est, Stephanum et nullum suscepisse Baptismum nisi collatum in nomine Jesu Christi, et totam hujus Sacramenti virtutem et efficaciam potentissimi hujus nominis sanctitati tribuisse. Et quidem temporum illorum æqualis aut suppar Anonymus a Nic. Rigaltio primum e Remigiano exemplari ad calcem operum Tertulliani editus, ac deinde a Phil. Labbeo tom. I Concil., pag. 770, recusus, sic ab initio Tractatus *de Baptismo hæreticorum* quæstionem, de qua tunc disceptabatur, proponit: « Animadverto apud fratres quæsitum, quid potius observari oportet in personam eorum, qui in hæresi quidem, sed IN NOMINE DEI NOSTRI JESU CHRISTI SINT TINCTI, postmodum inde digressi, et suppliciter ad Ecclesiam Dei advolantes, totis præcordiis pœnitentiam agerent. » Non igitur quæstio tunc erat de iis, qui indifferenter sub quavis forma in hæresi baptizati essent, sed de iis unis, qui in hæresi quidem, sed in nomine Dei nostri Jesu Christi sint tincti, seu ut idem auctor aliis verbis mox repetit, qui foris quidem, sed IN NOMINE JESU CHRISTI Dominicum acceperunt Baptisma: neque alia de causa Stephanus, Cypriano teste, Marcionistarum Baptismum recipiebat, nisi quia hi *in nomine Jesu* baptizabantur. Hinc alia oboritur quæstio.

### III. AN EOS, QUOS BAPTIZATOS IN NOMINE JESU, DIXIT STEPHANUS, INTELLEXERIT IN NOMINE TRINITATIS BAPTIZATOS.

8. Eadem quæstio aliter proponi sic potest, an videlicet Stephanus Baptismum, in quo Jesu Christi nomen loco trium personarum substitutum esset, admiserit, et eum, qui *in nomine Jesu Christi*, non *in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* baptizatus esset, Baptismi gratiam consequi potuisse existimarit. Observandum est autem, Stephani de Baptismo locutionem, quam Actuum Apostolicorum auctoritate fultam esse nemo nescit, non ei uni, sed et antiquis fuisse familiarem. Hac usi sunt etiam ipsius Stephani adversarii. Nempe in concilio Carthaginensi III sub Cypriano, cap. 1, Cæcilius a Bilta apud hæreticos, « ubi IN NOMINE CHRISTI tingit Antichristus, » Baptisma esse negat, non quia *in nomine Christi*, sed quia *tingit Antichristus*. Non alia mente cap. 21, Hortensianus a Laribus quærit: « Quomodo possunt in nomine Christi aliquem baptizare, quos ipse Christus dicit adversarios suos esse? » Eamdem loquendi rationem et Cyprianus Epist. LXXIII, et apud eum Firmilianus Epist. LXXV usurpant. Hic valere debet Hilarii monitum, quo ea Actorum loca, in quibus Apostoli in nomine Jesu baptizasse leguntur, explicatione indigere observat: « ne, inquit, Apostoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti jussi, tantum in nomine Jesu (si litteræ hæreamus) baptizarunt (*Hil.* 85 *de Syn.*). Eodem quippe crimine tenebuntur et sequentium sæculorum Patres, si quos in nomine Jesu baptizatos dixerunt, nequaquam verbis a Christo præscriptis baptizatos intellexerint. Verum ardua non est interpretatio, qua et Apostoli et Apostolorum imitatores a crimine liberentur. Apostolorum quippe temporibus a Baptismate, quod Joannes tradiderat, distinguendum fuit quod Christus postmodum instituit. Nulla autem aptior excogitari potuit distinctio, quam ut, cum primum jam diceretur Baptisma Joannis, alterum Baptisma Christi appellaretur; et qui hoc susciperent, in nomine Jesu baptizati, hoc est Baptismo Christi auctoritate instituto, adeoque *in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, initiati dicerentur.

9. Quocirca Innocentius Epist. XVI ad Macedonas n. 10, eos qui Act. XIX, 5, baptizati in nomine Domini Jesu dicuntur, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizatos esse haud dubius pronuntiat. Ipse vero quamvis Epist. II, cap. 8 sanciat, Venientes a Novatianis vel Montensibus per manus tantum impositionem suscipiantur, quia quamvis ab hæreticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati: » et Novatianos tamen et Montenses seu Donatistas verbis a Christo præscriptis baptizasse pro certo habet. Unde in Nicæno concilio aliter cum Paulianistis, et aliter cum Novatianis actum esse observat: « quia Paulianistæ in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti minime baptizant, et Novatiani iisdem nominibus tremendis venerandisque baptizant. » Idem dicendum et de Donatistis, qui verbis in Ecclesia consuetis baptizare non desiterunt. Ipse etiam Cyprianus, non secus atque Innocentius, quod in Actis Apostolorum Baptisma Christi appellatur, hoc in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti collatum esse non dubitat. Primo enim præmittit: « Illi, qui jam legis et Moysi antiquissimum Baptisma fuerant adepti, in nomine quoque Jesu erant baptizandi, secundum quod in Actis Apostolorum Petrus ad eos loquitur et dicit: *Pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi.* » Ac deinde ista explicans subjicit, « Jesu Christi mento-

Google

nem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur. »

10. Stephani vero idoneus est interpres ipse, qui verba ejus retulit, Firmilianus. Hic porro quod Stephanus cum sociis dixerat, « Multum proficit nomen Christi.... ut quicumque et ubicumque in nomine Christi baptizatus fuerit, statim consequatur gratiam Christi, » sic palam et aperte exponit : « Non putant quærendum esse quis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit gratiam consequi potuerit invocata TRINITATE NOMINUM Patris et Filii et Spiritus sancti. » Unde evidens est his verbis, baptizari in nomine Christi, Baptismum in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti collatum, a Firmiliano, Stephano et sociis intellectum esse. Rem adeo evidentem magis ac magis confirmat, quæ ab eodem Firmiliano adversus Stephanum ac socios subjicitur historia mulieris « quæ prius per præstigias et fallacias dæmonis multa ad deceptionem fidelium moliebatur, » atque inter cætera hoc etiam ausa fuerat, « ut baptizaret multos usitata et legitima verba interrogationis usurpans, ut nil discrepare ab ecclesiastica regula videretur. » Quod factum ubi latius enarravit Firmilianus, statim adjungit : « Quid igitur de hujus Baptismo dicemus ? Numquid et hoc Stephanus, et qui illi consentiunt, comprobant ? maxime cui nec symbolum TRINITATIS, nec interrogatio legitima et ecclesiastica defuit ? » Quorsum vero istud maxime etc. nisi quia Stephanus ecclesiasticam baptizandi formam tenens, eam etiam ab aliis teneri vellet; adeo ut si quis ex recepta Ecclesiæ regula præcipuum aliquid, qualis est in primis a Christo præscripta verborum forma, omisisset vel mutasset, Baptismum illius ab hoc Papa rejiciendum esse Firmilianus non dubitaret? Sed et ea occasione idem episcopus Stephani sententiam mirifice illustrat, dum eam sic sugillat: « Potest credi aut remissio peccatorum data, aut lavacri regeneratio rite perfecta, ubi omnia per dæmonem gesta sunt ? Nisi si et dæmonem in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti gratiam Baptismi dedisse contendunt, qui hæreticorum Baptisma defendunt. » Inde enim manifestum est nullum a Stephano Baptismum admissum esse, nisi qui in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti collatus esset. Uno verbo Cypriani, Firmiliani ac sociorum cum Stephano et cæteris episcopis traditionis defensoribus una de ministro, non de forma Baptismi, controversia erat, aliis putantibus quærendum esse quis sit ille qui baptizaverit, aliis id quærendum non esse, sentientibus.

### IV. AN NON STEPHANUS HÆRETICORUM BAPTISMO MAJOREM, QUAM DECET, VIRTUTEM ATQUE EFFICIAM TRIBUAT.

11. Totius controversiæ, de qua jam multa disseruimus, originem atque causam Augustinus sic explicat : « Nec ob aliud illis temporibus, quando ista quæstio contra veterem consuetudinem disputationibus salva charitate atque unitate altercantibus discutiebatur, visum est quibusdam etiam egregiis antistitibus Christi, inter quos præcipue B. Cyprianus eminebat, non esse posse apud hæreticos vel schismaticos Baptismum Christi, nisi quia non distinguebatur sacramentum ab effectu vel usu sacramenti. Et quia ejus effectus atque usus in liberatione a peccatis et cordis rectitudine apud hæreticos non inveniebatur, ipsum quoque sacramentum non illic esse putabatur. » (*Initio lib.* VI, *de bapt. cont. Donat*.) Quocirca idem Doctor Cypriano objicienti, « Salus extra Ecclesiam non est, » respondet, « Quis negat ? Et ideo quæcumque ipsius Ecclesiæ habentur, extra Ecclesiam non valent ad salutem. Sed aliud est non habere, aliud non utiliter habere (*Ibid. lib.* V, *cap.* 17). (Non utiliter quippe habet, qui sacramentum habet sine sacramenti effectu.) Qui non habet, est baptizandus ut habeat. Qui non utiliter habet, corrigendus » Et paucis interjectis : « Potest igitur nobis et hæreticis Baptisma esse commune, cum quibus potest et Evangelium esse commune, quamvis a fide nostra error distet illorum. »

12. Sed si a vero aberravit Cyprianus, cum sacramentum et usum seu effectum sacramenti non distinguens, ideo negavit sacramentum ab hæreticis accipi, quia in hæresi non confertur effectus sacramenti ; nonne peccasse dicendus est et Stephanus, cum viam oppositam tenens, affirmare videatur non modo sacramentum, sed etiam sacramenti effectum ab hæreticis percipi ? Cum enim salutem extra Ecclesiam non esse in confesso sit ; quo pacto eximere ab errore licet, quæ a Stephano, et iis qui cum illo consentiebant, dicta esse Cyprianus ac Firmilianus testificantur? Si enim hi non falluntur, aiebant illi, « dimissionem peccatorum et secundam nativitatem in hæreticorum Baptisma procedere, seu per eos qui cum ipsi in omnibus peccatis sint constituti, posse remissionem peccatorum dari ; ideoque quærendum non esse quis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus fuerit, gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum : et quia multum proficit nomen Christi, ut quicumque baptizatus fuerit in nomine Christi, consequatur statim gratiam Christi. »

13. Hic observandum est primo, nulla Stephani verba nisi ex adversariorum ejus scriptis ad nos pervenisse. Nec dubium quin ea exscripserint, ac forte eo etiam modo expresserint, unde illi majorem invidiam conflare possent. Deinde metuendum est, ne qui sacramentum et sacramenti effectum non distinguebant, eamdem confusionem Stephano attribuerint, adeo ut quod ille de uno sacramento dixerit, hoc ex præoccupata mente, tanquam rem inde consequentem, ab eo etiam de sacramenti effectu dictum interpretati sint. Quamquam etiam si prædicta Stephani verba non mutasse, sed summa fide expressisse ponantur; nihil in iis est, quod aut erroris argui, aut non catholicæ veritati consentaneum judicari possit. Si enim de infantibus semel

Digitized by Google

est, certum est eos, ubicumque et a quocumque baptizati fuerint, statim consequi gratiam Christi. Si de adultis agitur, etiam illud vere in Epistola a Jubaiano ad Cyprianum missa scriptum erat, « quod non sit quærendum quis baptizaverit, quando is qui baptizatus sit, accipere remissam peccatorum potuerit ; » non simpliciter quidem, et, quemadmodum infantes, ipso Sacramenti usu ; sed ut ibi proxime adjicitur, secundum quod credidit, hoc est si recta fide acceperit atque omnia præ se tulerit, quæ Christiana religio ad hanc gratiam consequendam requirit. Et hanc quidem Stephani et eorum, qui cum illo consentiebant, sententiam esse Firmilianus confirmat, ubi de iis, « qui non quærendum putant quis sit ille qui baptizaverit, » hoc testatur : « Dicunt eum, qui quomodocumque foris baptizatur, mente et fide sua gratiam consequi posse. » Quoties igitur Stephanus, et cæteri episcopi cum illo consentientes, baptizatum ab hæreticis gratiam adipisci posse dicunt, ibi secundum quod credidit, seu pro fide atque animi dispositione, subaudiendum esse haud suspectis Cypriani atque Firmiliani testimoniis habemus. In quo sane nihil est absurdi, nihil quod veritati non apprime congruat. Potest enim fieri, ut quis recte sentiens ab eo, quem hæreticum nescit, Baptismum accipiat. Tunc vero, hæresis dantis, nihil officiet viro Sacramentum hoc sana et integra fide suscipienti.

14. Immo et catholicus ab eo, quem hæreticum novit, Baptismum cum sacramenti hujus effectu potest percipere. « Ille enim inquit Augustinus, cui tradit (separatus,) potest salubriter accipere, si ipse non separatus accipiat : sicut plerisque accidit, ut catholico animo et corde, ab unitate pacis non alienato, aliqua necessitate mortis urgentis, in aliquem hæreticum irruerent, et ab eo Christi Baptismum sine illius perversitate perciperent. » Tantum id eis tunc cavendum fuit, ne forte ad hæresim ac perversitatem eorum, a quibus Baptismum suscipiebant, transisse putarentur, et eorum exemplum aliis offensioni esset. Cæterum, ut idem Doctor explicat, « cum Baptisma verbis evangelicis datur, qualibet ea perversitate intelligat ille per quem datur vel ille cui datur, ipsum per se sanctum est propter illum cujus est : et si quis per hominem perversum id accipiens, non accipiat tamen ministri perversitatem, sed solam mysterii sanctitatem, in bona fide, spe et charitate unitati compaginatur Ecclesiæ, remissionem accipit peccatorum (*lib.* IV, *c.* 12). » Tunc igitur accidit quod docebat Stephanus, « Hæresis quidem parit et exponit, expositos autem Ecclesia suscipit. »

15. Item constans Augustini doctrina est, id quod sacramentum vocatur, æque in omnibus illud percipientibus sanctum esse, nec sanctitati ejus augendæ vel minuendæ tradentis vel suscipientis seu æquitatem seu perversitatem prodesse vel obesse. « Nihil interest, inquit, ad Baptismi sanctitatem quanto quisque pejor id habeat et quando pejor id tradat. » Hoc et a traditione cum accepisset Stephanus, docebat quærendum non esse quis baptizaverit (*lib.* VI, *c.* 5) ; quemadmodum ? quia nihil ad corporis Christi sanctitatem obest tradentis nequitia ; quærendum non esse credimus quis sit sacerdos qui illud tradat. Sed quamvis integrum sit sacramentum, seu a malo tradatur, seu a malo accipiatur, longe tamen diversus est effectus ejus, si recta fide et optimo corde aut prava fide et perverso corde percipiatur. Et ideo Augustinus ait : « Dico sacramentum Baptismi et bonos et et malos posse habere, posse dare, posse accipere : et bonos quidem utiliter ac salubriter, malos autem perniciose atque pœnaliter ; cum illud tamen sit in utrisque æqualiter integrum (*lib.* IV, *c.* 2). » Eamdem quoque ob causam Stephanus sacramentum Baptismi percipientes mente et fide sua discerni, et unumquemque secundum quod credidit Baptismi effectum percipere docuit. Sic porro, apostolica traditione edoctus, quia in iis qui ab hæresi veniebant, Baptismi sacramentum integrum manere certo credebat, noluit iterari : et quia illis perniciose atque pœnaliter inesse nihilominus sciebat, redeuntibus ad Ecclesiam manum in pœnitentiam imponi voluit. Tandemque, teste Augustino, « eluxit pastoribus Ecclesiæ catholicæ, per quos postea plenarii concilii auctoritate originalis consuetudo (a Stephano vindicata) firmata est, etiam ovem quæ foris errabat, et DOMINICUM CHARACTEREM a fallacibus deprædatoribus suis foris acceperat, venientem ad Christianæ unitatis salutem ab errore corrigi, a captivitate liberari, a vulnere sanari ; CHARACTEREM tamen in ea Dominicum agnosci potius quam improbari. » Stephanum quidem *characteris* nomine usum esse minime asseveraverim, sed rem hoc nomine ennuntiatam propugnasse nullus negaverit. Ita ille rectæ fidei assertor ac vindex, explicationum illarum, quibus postea Augustinus catholicam veritatem adversus Donatistas feliciter illustravit atque propugnavit, semina jecisse comprobatur. Adhuc tamen scrupulus restat circa id quod de manu in pœnitentiam imponenda præcipit eximendus.

### V. AN MANUM AB HÆRESI REDEUNTIBUS IMPONI VOLUERIT STEPHANUS, UT CONFIRMATIONIS SACRAMENTUM EIS CONFERRETUR.

16. Quod Stephanus dixit, « Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, » duplici ratione interpretari licet ; primo quidem sic, ut in eo qui venit, nihil innovetur circa ejus Baptismum, sed tantum servetur quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam ; aut hoc alio modo, ut in eo qui ab hæresi ad Ecclesiam venerit nihil innovetur, nisi quod traditum est innovandum, ut scilicet manus ei in hæresi imposita, redeunti iterato imponatur. Et hac quidem postrema ratione Stephani verba interpretantes Cyprianus, Firmilianus eorumque nonnulli socii, Confirmationis iterationem ab eo permitti sibi persuaserunt. Unde adversus hunc papam, Cyprianus Epist. LXXIII, ita disputat : « Quod si secundum pravam fidem bapti-



Digitized by Google

zari aliquis foris, et remissam peccatorum consequi potuit : secundum eamdem fidem consequi Spiritum sanctum : potuit et non est necesse venienti manum imponi, ut Spiritum sanctum consequatur, et signetur. Aut utrumque enim fides foris potuit, aut neutrum eorum qui foris fuerat accepit. » Simile argumentum Epist. LXXIV, superius num 5, a nobis descriptum, et Epist. LXXVI repetit. Ipsius vestigiis insistens Firmilianus, « Utique, inquit, qui illic in Christo baptizatus est, induit Christum : si autem induit Christum, accipere potuit et Spiritum sanctum qui a Christo missus est ; et frustra illi venienti ad accipiendum Spiritum sanctum manus imponitur. » Et inferius, ubi Stephani de virtute nominis Christi in Baptismo verba retulit, proxime subjicit : « Si in nomine Christi foris valuit Baptisma ad hominem purgandum, in ejusdem Christi nomine valere illic potuit manus impositio ad accipiendum Spiritum sanctum. » Non alia mente in concilio Carthaginensi III sub Cypriano cap. 24. Secundianus a Carpis dixit « Constat super filios alienos et soboles antichristi Spiritum sanctum per manus impositionem tantummodo non posse descendere, cum manifestum sit hæreticos Baptisma non habere. » Hoc enim sibi vult. Falluntur omnino qui apud hæreticos Baptisma esse, sed tantummodo Confirmationis sacramentum ab iis conferri non posse existimant, cum eos nec Baptismum habere constet.

17. In eodem concilio cap. 5, Nemesianus a Thubunis sententiam suam ita enuntiat : « Christus locutus est dicens, Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Hic est Spiritus, qui ab initio ferebatur super aquam. Neque enim Spiritus sine aqua operari potest, neque aqua sine Spiritu. Male ergo sibi quidam interpretantur, ut dicant quod per manus impositionem Spiritum sanctum accipiant (hæretici et schismatici revertentes), et sic recipiantur ; cum manifestum sit UTROQUE SACRAMENTO debere eos renasci in Ecclesia catholica. » Qua in re Nemesianus imitatus esse videtur illud, quod in Epistola LXXIII, Cypriani toti concilio tunc prælecta audierat : « Baptizari eos oportet, qui de hæresi ad Ecclesiam veniunt ; ut qui legitimo et unico sanctæ Ecclesiæ Baptismo ad regnum Dei regeneratione divina præparantur, SACRAMENTO UTROQUE nascantur, quia scriptum est : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* » Ita et rursum Cyprianus in superiori Epistola II ad Stephanum, n. 1, loquitur : « Tunc enim demum plene sanctificati et esse filii Dei possunt, si sacramento utroque nascantur, cum scriptum sit, *Nisi quis renatus*, etc. » Hujusmodi autem verba interpretari sic forsitan liceret, ut frustra quisquam lavetur aqua, si non simul et Spiritum sanctum seu spiritalem gratiam consequatur ; adeoque iis, qui spiritalem illam gratiam consecuti non fuerint, redeuntibus frustra imponatur manus ad accipiendum Spiritum sanctum, nisi antea et aqua abluantur. Verum antiquus scriptor Tractatus de Baptismo hæreticorum, jam supra in notis ad Epistolam II laudatus, eamdem sententiam primo notat his verbis : « Tu qui novum quid inducis, continuo impatienter respondens (forte respondes) ut soles, dixisse in Evangelio Dominum : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum cœlorum.* Ex quo manifeste apparet, illud Baptisma solum prodesse, cui possit etiam Spiritus sanctus inesse. » Tum opinionis hujus assertorem in ea sententia fuisse exponit, ut nullus sit Baptismus, nisi simul et Spiritus sanctus per impositionem manus episcopi accipiatur : adeo ut duo illa Sacramenta separari non possint. Quod confutans, prædicti Tractatus scriptor, tum exemplo Apostolorum, qui baptizati a Christo ante ipsius mortem, tantum post resurrectionem ejus Spiritum sanctum perceperunt, tum aliis pluribus, Baptismum sine Spiritu sancti collatione dari et accipi posse probat ; ac rursum exemplo eorum, de quibus Petrus in Actis Apostolorum dixisse legitur : *Numquid aliquis aquam prohibere potest, ut non baptizentur : hi, qui acceperunt Spiritum sanctum sicut nos?* Spiritum sanctum sine aqua conferri posse ostendit. Unde et infert : « Atque hoc non erit dubium, in Spiritu sancto homines posse sine aqua baptizari. » Quo circa quæ scriptor ille in prima Tractatus sui parte edisserit, cum superiore Secundiani sententia qui contulerit, hanc illum in primis confutare voluisse haud temere suspicabitur.

18. Idem auctor quæstionem, de qua tunc *disceptabatur*, proponit in hunc modum : « Utrum vetustissima consuetudine ac traditione ecclesiastica.... qui foris quidem, sed in nomine Jesu Christi Dominicum acceperunt Baptisma, tantummodo imponi eis manum ab episcopo ad accipiendum Spiritum sanctum sufficeret, et hæc manus impositio signum fidei iteratum atque consummatum eis præstaret : an vero etiam iteratum Baptisma his necessarium esset, tanquam nihil habituris, si hoc quoque adepti ex integro non fuissent. » Unde, scriptoris hujus sententia, non in eo erat quæstio, utrum redeuntibus ab hæresi manus impositio, quæ ab episcopo ad accipiendum Spiritum sanctum conferetur, seu confirmatio iteranda fuerit, cum de hoc conveniret inter partes : sed de eo omnis fuerit controversia, an etiam Baptisma esset iterandum, id affirmantibus nonnullis, et plerisque, a quibus ipse scriptor stat vetustissima consuetudine et traditione ecclesiastica mixus, idem negantibus. Quod enim idem auctor his verbis, « Signum fidei iteratum atque consummatum, » Confirmationis sacramentum intelligat, evincitur cum ex his, Cypriani Epist. LXXIII. « Nunc quoque apud nos (*id*) geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur ; præpositis Ecclesiæ offerantur, ut per nostrum orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo Dominico consummentur ; » tum ex ritu in veteribus Sacramentorum Libris prescripto, quo pontifex frontem signans dicere jubetur, « Signum Christi in vitam æternam, vel, Signet te Deus sigillo fidei » (*Martene de Antiq. Rit. Eccl. t. I,*

Digitized by Google

*pag.* 251). Sed et ex citati Tractatus serie ambiguum non est, impositionem manus ab hæresi venientibus præscriptam sic in eo spectari, velut Confirmationis sacramentum. An vero alia sint veterum testimonia, quæ opinioni eidem suffragentur, expendamus.

19. Ea de re, Patres Arelate anno 314 congregati, in Epistola ad Sylvestrum papam scribunt a se constitutum : « ut si ad Ecclesiam aliquis hæreticus venerit, interrogent eum Symbolum, et si perviderint eum in Patre et Filio et Spiritu sancto baptizatum, manus ei tantum imponatur ; » in canone autem 8 idipsum edicentes, post verba, « manus ei tantum imponatur, adjiciunt, Ut accipiat Spiritum sanctum. » Siricius cum in aliis hæreticis, tum in iis nominatim suscipiendis, qui ab Arianis Baptismum perceperant, Ecclesiæ consuetudinem sic explicat : « Quos non cum Novatianis aliisque hæreticis, sicut est in synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spritus, episcopalis manus impositione, Catholicorum conventui sociamus ; quod etiam totus Oriens Occidensque custodit. » Hujus autem ritus, quem a toto Oriente et Occidente custoditum Siricius tradit, usum exhibet Gellonensis codex Caroli Magni temporibus exaratus, in quo legitur : Benedictio super eos, qui de diversis hæresibus veniunt. « Sancte Pater omnipotens, qui famulum tuum ab errore hæreseos dignatus es eruere, et ad sanctam Ecclesiam revocare, quæsumus te, Domine, immitte in eum Paraclitum Spiritum tuum septiformem, Spiritum sapientiæ et intellectus, Spiritum consilii et fortitudinis, Spiritum scientiæ et pietatis, et adimple famulum tuum Spiritu timoris Domini. » Neque negari potest benedictionem istam consimilem omnino esse illi, quæ super eos, qui ad Confirmationis sacramentum accedebant, proferebatur. Cujus rei fidem faciunt prope omnes veteres Sacramentorum libri. In codice insignis ecclesiæ Bellovacensis habemus : Oratio super confirmandos. « Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos ex aqua et Spiritu sancto, quique dedisti eis remissionem peccatorum, emitte in eos Spiritum sanctum tuum Paraclitum, et da eis Spiritum sapientiæ et intellectus, Spiritum consilii et fortitudinis, Spiritum scientiæ et pietatis, et adimple Spiritu timoris Dei eos et Domini nostri Jesu-Christi ; et jube eos consignari signo crucis in vitam propitiatus æternam. Per. » In Caturcensi : Ad Confirmationem benedictio. « Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos et famulas ; quique dedisti eis remissionem peccatorum, emitte in eos vel in eas septiformem Spiritum tuum Paraclitum de cœlis, Spiritum sapientiæ et intellectus, Spiritum consilii et fortitudinis, Spiritum scientiæ et pietatis, et adimple eos, vel eas, Spiritu timoris tui ; et consigna eos, vel eas, in signum sanctæ crucis in vitam propitiatus æternam. Amen. » Orationum autem hujusmodi super confirmandos dicendarum similes formulas e pluribus aliis veteribus libris descriptas vel citatas videsis apud nostrum Edmund. Martene de antiq. Eccl. Rit. tom. I, pag. 249, seqq. Et hæc quidem benedictionum seu super eos qui veniunt ab hæresi, seu super confirmandos, consentio non parum iis favere videtur, qui venientibus ab hæresi manum ab episcopo impositam putant, ut eis Confirmationis sacramentum conferretur. An vero illis reipsa suffragetur, excussuri mox sumus. Tantum hic observamus, præscriptam in Gellonensi exemplari benedictionem esse antiquissimam. Et hanc quidem Eusebius (Hist. lib. VII, c. 2), haud obscure notat his verbis : « Antiqua consuetudo invaluerat, ut in hujusmodi hominibus (qui ab hæresi veniebant) sola manuum impositio cum precatione adhiberetur. » Eamden Siricius in loco superius citato apertius memorat, eique concinit Innocentius infra referendus. Neque minus perspicue ad ipsam respicit Leo in Epistola CXLIX ad Nicetam, cap. 7, ubi istud decernit : « Qui Baptismum ab hæreticis acceperunt, cum antea baptizati non fuissent, sola invocatione Spiritus sancti per impositionem manuum confirmandi sunt ; » seu cum in Epistola II. ad Rusticum, cap. 18, de eisdem statuit : « Per manus impositionem, invocata virtute Spiritus sancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, Catholicis copulandi sunt ; » et in Epistola CLV, ad Neonem : « Hoc tantum, quod ibi defuit, conferatur, ut per episcopalis manus impositionem virtutem sancti Spiritus consequantur. »

20. Ad Stephanum quod attinet, nihil est in verbis ejus, quod Confirmationis sacramentum sonet, nihil quo aliam ab eo manus impositionem, quam quæ pœnitentiæ indicium esset, desiderari opinemur. Ubi enim huic Afrorum sententiæ de eo qui ab hæresi venit, « Baptizandus est et innovandus, » suam opposuit his verbis : « Nihil innovetur nisi quod traditum est ; » hoc est, non innovetur ejus Baptismus, sed tantum teneatur quod traditum est ; ac deinde his addidit, « ut ei manus imponatur in pœnitentiam ; » proferre nihil potuit disertius, quo sacramenti Confirmationis intelligentiam amoveret. Inter eos etiam, qui, venientibus ab hæresi, Baptisma conferendum esse cum Cypriano consentiebant, non deerant qui Stephani verbis, in eo quod ad impositionem manus attinet, hærerent. Nominatim Crescens a Cirta in memorato Carthaginensi III concilio censere se dixit, omnes hæreticos sive schismaticos, qui ad catholicam Ecclesiam voluerint venire, non ante ingredi, nisi exorcizati et baptizati fuerint, exceptis his sane qui in Ecclesia catholica fuerint ante baptizati ; ita tamen, ut per manus impositionem in pœnitentiam Ecclesiæ reconcilientur. » Eodem in concilio Vincentius a Thiburi dixit : « Hæreticos scimus esse pejores quam ethnicos... Ergo primo per manus impositionem in exorcismo, secundo per Baptismi regenerationem tunc possunt ad Christi pollicitationem venire. » Ubi sane cum ea exigatur manus impositio quæ ab hæresi venientibus ante Baptismum adhibeatur, et qua Leo (*Ep.* CLVI) baptizandos ad hoc Sacramentum præparari notat ; nullus patet sacramenti Confirmationis intelligendi locus ; siquidem hoc Sacramentum solis baptizatis confertur.

Digitized by Google

21. Ipse etiam Cyprianus, ut verbis utar Augustini, « cum cæteris statuit, ut si ab hæresibus redirent ad Ecclesiam quicumque fuerant in ea baptizati, non jam per Baptismum, sed per pœnitentiam reciperentur (*Aug. lib.* v. *de Bap. cont. Don. cap.* 11). « Immo istud non tam statuisse dicendus est Cyprianus, quam quod usu receptum erat confirmasse. Hac de re, sic ipsemet in Epistola ad Quintum loquitur: « Quod et nos quoque hodie observamus, ut quos constat, hic baptizatos esse, et a nobis ad hæreticos transisse, si postmodum peccato suo cognito et errore digesto ad veritatem et matricem redeant, satis sit ad pœnitentiam manus imponere. » Ex hoc porro usu firmum conficitur argumentum, unde quisque convincatur, ab hæresi ad Ecclesiam redeuntibus non eam præceptam esse aut adhibitam manus impositionem, quæ Confirmationis conferret sacramentum, sed quæ publicæ pœnitentiæ saltem speciem præ se ferret. Non enim alia in Ecclesia baptizatis, et alia in hæresi hoc Sacramento initiatis præcipiebatur atque adhibebatur manus impositio, sed una et eadem quæ utrisque communis esset. Baptizatis autem in Ecclesia, manus tantum imponebatur ad pœnitentiam, non ad Sacramentum Confirmationis recipiendum; adeoque etiam extra Ecclesiam baptizatis. Hoc pro certo tenentes Donatistæ, quibus promissum erat, ut si regrederentur ad Ecclesiam, cum honoribus suis reciperentur, apud Augustinum Epist. olim L, nunc CLXXXV, n. 44 inquiunt: « Si ergo oportet, ut nos extra Ecclesiam et adversus Ecclesiam fuisse pœniteat, ut salvi esse possimus, quomodo post istam pœnitentiam apud vos clerici vel etiam episcopi permanemus? » Quod non dixissent illi, nisi persuasum eis fuisset manus impositionem pœnitentiæ publicæ, quæ arcere a clero solebat, vicem gerere. Hanc pœnitentiæ potius imaginem, quam pœnitentiam appellare mavult Innocentius: qui quidem Arianorum ac similium hæreticorum clericos in honoribus suis recipiendos dum acriter negat, de laicis eorum hæc habet: « Eorum laicos sub imagine pœnitentiæ ac sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus. » Et paucis interjectis: « Qui fieri potest, ut eorum profanos sacerdotes dignos Christi honoribus arbitremur, quorum laicos imperfectos ad sancti Spiritus percipiendam gratiam cum pœnitentiæ imagine recipiamus? » (*Inn. ep.* 24. *ad Alex. n.* 4.) Ubi sane manus impositionem cujusdam, satisfactionis causa, eis adhiberi satis indicat. Ideo autem pœnitentiæ imago ab eo vocatur, quia ei, qui ad Ecclesiam ab hæresi redibat, nulla injungebantur opera laboriosa, neque communio differebatur; sed is statim, ut loquitur Leo jam laudatus, « per invocationem solam septiformis Spiritus, episcopalis manus impositione, Catholicis sociabatur. » Quocirca Vigilius papa Epist. II ad Profuturum n. 4, distinguens eos, qui in hæresi simpliciter sunt baptizati, ab iis « qui, Baptismatis gratia salutaris accepta, apud Arianos iterum baptizati, profundæ voraginis sunt morte demersi, » de his decernit: » Quorum A reconciliatio non per illam impositionem manus, quæ per invocationem sancti Spiritus operatur, sed per illam, qua pœnitentiæ fructus acquiritur et sanctæ communionis restitutio, perficitur. » Quibus verbis duplex distinguitur manus impositio, una quæ pœnitentiæ luctuosæ imaginem exhibeat ac similitudinem, altera quæ habeat ejus veritatem; una, quæ per invocationem sancti Spiritus Catholicorum conventui statim societ, altera qua differatur sanctæ communionis restitutio, et per plurimos pœnitentiæ fructus acquiratur.

22. Jam vero quemadmodum diversis illis veterum testimoniis, quæ hactenus protulimus, nemo non videt eam notari benedictionem, quam superius num. 18 e Gellonensi codice descripsimus: ita ex iisdem facile quisque percipit, quid impositio manus super B eos qui ab hæresi veniunt, cum ea quæ super confirmandos celebratur, commune habeat, et quid diversum. Et utrisque quidem commune est, *quod super eos* Spiritus sanctus invocetur. Ecclesia quippe a Christo edocta, ab hæresi ad se venientes externo cultu sibi sociare satis non habet, nisi etiam sibi eos interno ac spirituali vinculo copulet atque devinciat. At vero id unus potest præstare Spiritus sanctus, ut tot membra per orbem sparsa uniat, et unum ex iis, corpus efficiat. Neque igitur mirum, si Ecclesia iisdem verbis et venientibus ab hæresi et confirmandis Spiritum sanctum precetur. Sed si, hac in re, *utrisque* communis est Ecclesiæ pro ipsis oratio, in hoc tamen differt, quod illis precatur, ut Spiritum sanctum, C quem non habebant, jam habere incipiant; his autem ut quem habebant, abundantius habeant, seu ut ita dicamus, fortius impressum habeant. Unde ea etiam in utraque benedictione differentia est, quod venientibus ab hæresi, nulla signaculi mentione facta, simpliciter invocetur Spiritus sanctus; confirmandis autem, præter septiformis Spiritus invocationem, etiam consignatio rogetur. Nemo vero ignorat, primariam Confirmationis differentiam, qua hoc Sacramentum a cæteris distinguatur, in hujusmodi consignatione constitui. Qua de re nobis satis sit unum recolere testimonium Cornelii cum Novatiano sic expostulantis: « Neque postquam liberatus est à morbo, (*Epist.* 9. n. 4.) (in quo Baptismum solum aqua perfusus acceperat,) reliqua percepit, quæ secundum regulam Ecclesiæ percipienda sunt neque ab episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minime percepto, quomodo Spiritum sanctum potuit accipere? » Id ipsum confirmant jam superius relata Cypriani verba. Cum igitur ab ea benedictione, qua deserentes hæresim in Ecclesia suscipiebatur, absit illa precatio, qua confirmandis consignatio rogabatur, hanc benedictionem a sacramento Confirmationis distinguendam esse manifestum est.

23. Quia tamen confirmandis et venientibus ab hæresi hoc commune erat, ut utrisque et episcopalis imponeretur manus, et septiformis Spiritus iisdem verbis invocaretur; hac utrisque ritus cognatione facile inducti sunt nonnulli, ut sacramentum Confirmatio-

Digitized by Google

nis pariter utrisque conferri existimarent. Quamquam inficiandum non est concilium Constantinop. I, can. 7, etiam illud Sacramentum hæreticis nonnullis, quos appellat, conferri voluisse, utpote quibus redeuntibus præcepit frontem, oculos, nares, os et aures sancto Chrismate signari, et a signantibus dici, « Signaculum doni Spiritus sancti. » Cur vero nominatim cum Novatianis sic agi voluerit, explicat Theodoretus superius pag. 154, not. c. relatus. Arianos vero, quos similiter signandos esse idem concilium statuit, sola manus impositione in Occidente recipi Gregorius lib. XI, Ind. 4, Epist. 67 ad Quiricum testatur. Cæterum impositionis manus, hæreticis redeuntibus, adhibitæ duplex erat effectus. Illa enim in iis ut pœnitentibus abluebat hæreticæ culpæ labem; eosdem vero ut correctos Ecclesiæ copulabat. Effectum utrumque Augustinus ita enuntiat: « Manus autem impositio si non adhiberetur ab hæresi venienti, tamquam extra omnem culpam esse judicaretur. Propter charitatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritus sancti, sine quo non valent ad salutem quæcumque alia sancta in homine fuerint, manus hæreticis imponitur, » (*lib.* V. *de Bapt. cont. Donat. c.* 23 *n.* 33.) Hinc et ad accipiendum Spiritum sanctum, et in pœnitentiam manus eis imponi, aut utrumque, qui dicunt, nihil eloquuntur, quod non cum antiqua fide consentiat, aut unde eos impositionis hujusmodi vocabulo sacramentum Confirmationis intellexisse conficiatur. Minime vero omnium id ex verbis Stephani elici potest.

A

B

C

### VI. STEPHANUS AB ANTIQUIS LAUDATUR UT APOSTOLICÆ TRADITIONIS VINDEX, NEC ERRORIS AB ULLO ARGUITUR, NISI AB IIS QUI QUORUMVIS HÆRETICORUM BAPTISMA RESPUEBANT.

24. Vincentio Lirinensi nullus occurit Agrippino Carthaginensi episcopo antiquior, cui hæreticos ad Ecclesiam redeuntes baptizandi consuetudo tribui possit. Sic porro loquitur: « Quondam igitur venerabilis memoriæ Agrippinus, Carthaginensis episcopus, primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem et instituta majorum, rebaptizandum esse censebat. Quæ præsumptio tantum mali invexit, ut non solum hæreticis omnibus formam sacrilegii, sed etiam quibusdam Catholicis occasionem præberet erroris. Cum ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversum sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur; tunc beatæ memoriæ Stephanus, apostolicæ Sedis antistes, cum cæteris quidem collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit; dignum ut opinor existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat. » Cyprianus ipse non diffitetur usum illum, quem propugnabat, ab Agrippino primum in Africam invectum esse; nec antiquam esse negat consuetudinem, quam Stephanus constanter tuebatur. Ita enim eam veritate destitui contendit his verbis, « Nec consuetudo, quæ apud quosdam obrepserat, impedire debet quominus veritas prævaleat, nam consuetudo sine veritate vetustas erroris est; » ut saltem ejus vetustatem fateri cogatur. Ejusdem antiquitatem pariter confiteri, veritatis vi suadente atque convincente, compulsi sunt et alii episcopi qui cum Cypriano in Carthaginensi concilio considebant. Et horum quidem sententias Augustinus, lib. III. de Bapt. cont. Don. cap. 5, 6, etc., consulto collegit, ut id eos inficiari non potuisse comprobaret.

25. Ipse etiam Firmilianus, quamvis apud suos antiquum esse obtendat hæreticos baptizandi morem, eumdem tamen apud Afros novum ultro agnoscit his verbis: « Adversus Stephanum vos dicere Afri potestis, cognita veritate, errorem vos consuetudinis reliquisse. » Quibus deinde in gratiam provinciæ suæ addit: « Cæterum nos veritati et consuetudinem jungimus, et consuetudini Romanorum consuetudinem, sed veritatis opponimus; ab initio hoc tenentes, quod a Christo et ab Apostolo traditum est. » In hac porro sententiarum pugna, dum hinc Stephanus hæreticorum Baptisma recipiens dicit, « Quod ab Apostolis accepimus, sequimur, » illinc Firmilianus idem respuens tenere se affirmat, « quod a Christo et ab Apostolo traditum est; » utri credendum? Si tam oppositas tamque contrarias assertiones ad Augustini exigamus regulam, qua id ab Apostolis traditum judicat, quod cum nusquam scriptum sit, universa tamen frequentat Ecclesia; Stephanum potiori jure quam Firmilianum, apostolicæ traditionis auctoritatem sibi vindicare concedemus. Forte etiam in ipso Oriente hæreticos baptizandi consuetudo ab Iconiensis consilii definitione, quam Firmilianus laudat, initium sumpsit. Et vero definitioni huic, Firmiliano teste, occasionem dedit nonnullorum de Montanistarum Baptismo, an recipiendus esset, dubitatio. Quamvis enim eorum in confessione Patris et Filii nullus esset error, circa fidem tamen Spiritus sancti peccare videbantur. Quapropter, inquit idem Firmilianus, « plurimi simul convenientes in Iconio diligentissime tractavimus, et confirmavimus repudiandum esse omnino Baptisma, quod sit extra Ecclesiam constitutum. » (*Apud Cypr. epist.* LXXV *pag.* 198 *et* 202) Si autem in Oriente tamquam res a Christo et ab Apostolo tradita tenebatur, hæreticorum Baptisma repudiandum esse; unde illa nonnullorum dubitatio circa Baptismum Montanistarum, qui jam longe antea audiebant ut hæretici, et eo nomine damnati fuerant? Certe Firmilianus cum nequaquam meminisse se dicat, hæreticorum Baptisma in Oriente repudiari aliquando cœpisse; illud nullo exemplo, nullove auctore probare potuit, antea reipsa fuisse repudiatum. Neque etiam ulla pervenerunt ad nos veterum scripta, quæ traditionis ab ipso vindicatæ veritatem testarentur. Tantum Dionysius Alexandrinus, ubi Ecclesiæ suæ de recipiendo hæreticorum Baptismo traditionem explicuit, istud in Afrorum gratiam adjicit: « Didici non ab Afris solis hunc morem nunc primum invectum fuisse, sed et multo antea, superiorum episcoporum temporibus, in ecclesiis

D

Digitized by Google

populosissimis, et in concilio apud Iconium et Synnada, et apud alios plurimos idem sancitum fuisse. » Quibus in verbis cum nihil omittat vir prudens ac pacis studiosus, ut moris ab Afris inducti antiquitatem exageret, nihil tamen profert Iconiensi concilio, quod Synnadense subsecutum est, vetustius. Hic mirari subit quo pacto Eusebius, cùm hæc Dionysii verba Historiæ suæ libro VII, c. 7, inseruerit, dixerit nihilominus cap. 3. « Primus omnium Cyprianus, qui tunc temporis Carthaginensem regebat ecclesiam, hæreticos nonnisi per Baptismum ab errore mundatos, admittendos esse censuit : » nisi Cyprianum ab Eusebio dici intelligamus, non consuetudinis inductæ, sed controversiæ inde natæ primum auctorem ; quatenus concilii sui decretum ad Stephanum papam mittens, illud ab eo reprobari iniquo animo tulit.

26. Illi tamen restitit Stephanus, nulla contradicendi libidine, sed uno traditionis servandæ studio : non decretum opposuit decreto, sed quod ab Apostolis traditum acceperat, innovari ac mutari prohibuit. Ubi vero de traditionum veritate comperienda sermo est, quis ei fidem neget Ecclesiæ, quæ Apostolorum primum parentem habuit, atque in traditionibus servandis omnium semper religiosior fuit ? Ipsa est quæ Ambrosio aliisque episcopis cum eo congregatis testibus, « Apostolorum Symbolum intemeratum semper custodit et servat. » ( *Apud Siric. epist.* 8. *n.* 4). Id ipsum quoque Rufinus Tract. in Symb. asseverat. Sed et traditionis a Stephano propugnatæ antiquitatem ne adversarii quidem ejus inficiari valent. Illi adstipulatur episcoporum cum illo consentientium multitudo. Ipse illam probat vel exemplo hæreticorum, qui undique ad se venientium Baptisma suscipiunt. Hoc et antiquus scriptor *Tractatus de Baptismo hæreticorum* « vetustissima consuetudine ac traditione ecclesiastica receptum testatur, (Lab. tom. 1. conc. p. 770) ut eorum, qui extra Ecclesiam, in nomine Domini Jesu baptizati essent, Baptismus admitteretur. Eusebius quoque traditionem, quam Stephanus vindicabat, ab initio Ecclesiæ obtinuisse χρατύσασαν ἀγχῆθεν, diserte asserit (Eus. lib. c. 3). Hinc non immerito Augustinus, lib. v. *de Bapt. cont. Donat.* c. 23, ait : « Apostoli nihil quidem exinde præceperunt ; sed consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est : sicut sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur. » Vincentii Lirinensis verba non repeto, quibus novitatem ab Agrippino inductam esse notat « contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem et instituta majorum. » Tantum observo, exceptis iis qui hæreticos baptizandos censebant, neminem reperiri, qui ullum in Stephani sententia reprehenderit, vel etiam suspicatus sit, errorem. Quis ergo, inquit Vincentius Lirin. tunc universi negotii exitus ? Quis utique, nisi usitatus et solitus ? Retenta est scilicet antiquitas, et explosa novitas. » Et ut, Facundus lib. *contra Mocian.* loquitur. « Stephani potius, quam Cypriani, sententiam tenet Ecclesia, non solum de non rebaptizandis hæreticis, sed etiam rebaptizatoribus non ferendis. » Jam vero ad novam quæstionem, qua tota Dissertatio nostra claudenda est, hæc ultima Facundi verba nos perducunt.

### VII. An Stephanus excommunicatione percusserit rebaptizantes. An Severus cum viris sanctis se gesserit.

27. Firmilianus Stephanum non modo « cum tot episcopis per totum mundum dissensisse » scribit, sed eum etiam inducit, veluti « pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpentem, modo cum Orientalibus, quod nec vos, *inquit ad Cyprianum*, latere credimus, modo vobiscum, qui in meridie estis (*Apud Cyp. epist.* 75, *sub fin.*) » Et paulo ante oratione ad Stephanum conversa sic ipsum alloquitur : « Peccatum vero quam magnum exagerasti, quando te a tot gregibus scidisti ! Excidisti enim te ipsum.... Dum enim putas omnes a te abstinere posse, solum te ab omnibus abstinuisti. » Quibus verbis moti nonnulli, eos omnes sive in Oriente, sive in Africa, qui hæreticos rebaptizandos censebant, a Stephano excommunicatos fuisse existimant : maxime cum is, Firmiliano eodem teste, sic episcopos ab Afris legatos repulisse dicatur, « ut eos nec ad sermonem saltem colloquii communis admitteret, *immo etiam* præciperet fraternitati universæ, ne quis eos in domum suam reciperet ; ut venientibus non solum pax, sed etiam tectum et hospitium negaretur. »

28. Verum prius, quam hujusmodi opinioni assentiamur, salva sancto præsuli debita reverentia, observandum est, eum ita in hoc negotio se gessisse, ut suspicio in eum conveniat animi paulo vehementioris, qui nec modum tenere valeat, nec sermonem æquis accuratæ veritatis legibus continere. Sic porro loquitur, quasi totus mundus cum ipso conspiret, ac minutissima portio Stephano hæreat. Nec eum ad primum Ecclesiæ præsulem, qui cum totius orbis episcopis apostolicam traditionem vendicabat, dicere pudet : « Tu hæreticis omnibus pejor es. » Qui autem in his modum excessisse convincitur, eum pariter ad excedendum in eo quod de Afrorum legatis narrat, eodem animi impetu abreptum esse merito suspiceris. Homo exacerbatus facilis ac pronus est ad omnia, quæ præoccupatæ menti faveant, vel ex uno rumore excipienda, quamvis rumorem sæpius fallere, ac dum per multorum ora pervadit, res aliter quam actæ sunt perferre experiamur. Sed Firmilianum in eo, quod de legatis Afrorum narrat, nihil a veritate alienum dixisse ponamus : nonne Stephano speciales quædam et occultæ accedere potuerunt rationes, quæ ipsum cum legatis illis ita se gerere coegerint ? Postea Hormisda inique cum Scythis monachis, qui unum de Trinitate crucifixum dici volebant, egisse nonnullis visus est, existimantibus eos, prædicationis hujus causa, ex urbe fuisse pulsos ; cum non eam ob causam, sed ob seditiones, quas Romæ excitabant, inde discedere jussi

Digitized by Google

sint. Ita et Stephano metuendum erat, ne quid Romæ moverent Afri, ac Cypriani, cujus magnum erat in urbe nomen, conciliorumque ejus auctoritate, necnon ratione humana absterrentur, ut apostolicæ traditionis veritatem labefactarent. Jam Novatiani, teste Jubaiano apud Cyprianum, Catholicos ad se venientes rebaptizabant. Neque istud Cyprianus Jubaiano rescribens inficiari valuit. Dionysius quoque Alexandrinus apud Eusebium lib. VII, c. 8, tantum nefas ab hæreticis illis committi, seque illos, eam ob causam, justa indignatione aversari testatur. Dum igitur Stephano hæreticorum eorumdem, qui in Urbe præsertim grassabantur, novus ille furor æquo horrori erat, mirum non est illum communicare nullo pacto cum legatis voluisse, qui similem errorem præfracte tuebantur. Ipsi nimirum metuendum erat, ne si blandius cum eis ageret, errori eorum connivere atque inanes adversus illos minas jactasse videretur. Ita quidem cum illis egit, quomodo agi solet cum iis qui excommunicati censentur: sed interdum hujusmodi agendi ratio tantum est suspensæ, non penitus sublatæ communionis indicium. Nondum pro excommunicatis habebant Afri legatos Novatiani, quos Cyprianus Ep. I, *ad Cornelium* n° 1, Carthaginem venisse scribit: et cum postularent audiri, negata audientia, « a communione, *inquit idem Cyprianus*, eos nostra statim cohibendos esse censuimus. » Sic et ex eo, quod Stephanus Afrorum legatos audire noluit, et a communione eos sua statim cohibuit, non sequitur ut adversus Afros excommunicationis sententiam jam protulisse existimandus sit. Neque vero crediderim Cypriani ac sociorum nomina, si jam in sacris Ecclesiæ Romanæ diptychis obtinuissent, tunc temporis inde fuisse expuncta. Denique si veterum, qui vel Stephani ævo vel post vixerunt, testimoniis hæreamus, Stephanus Afros aut Orientales non excommunicavit plane aut de Ecclesia ejecit, sed eos, si in sententia sua persisterent, excommunicaturum se tantum denuntiavit.

29. Nihil aliud per se sonat illud Cypriani ad Pompeianum de Stephano: « Hæreticorum amicus, et inimicus Christianorum sacerdotes Dei veritatem Christi et unitatem Ecclesiæ tuentes ABSTINENDOS putat (*Epist.* LXXIV). » Ibi quidem verbum *abstinendos*, de iis etiam qui abstenti fuissent, dici ac intelligi posse non inficior; sed de solis excommunicationis minis reipsa intelligendum esse persuadet, quod Dionysius Alexandrinus ad Xystum Stephani successorem scribit: « Antea quidem litteras scripserat (*Stephanus*) de Heleno et de Firmiliano ac de omnibus per Ciliciam et Cappadociam cunctasque finitimas provincias constitutis, sese ob eamdem causam ab illorum communione discessurum (ὡὸὶ ἀκοινωνησίαν κοινωνήσειν) quod hæreticos rebaptizarent. » Tantum igitur interminatus erat Stephanus, ne Firmilianus ac socii hæreticos rebaptizarent, alioquin se ab ipsorum communione discessurum; adeoque nondum ab illa discesserat. Hæc autem scribebat Dionysius post mortem ejus: unde sequitur ut quod minatus erat Stephanus, re minime peregerit, aut id certe Dionysio ignotum fuerit. Eidem loquendi modo insistens Augustinus ait, « Cum ergo Stephanus non solum non rebaptizaret hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes, EXCOMMUNICANDOS esse censeret, sicut aliorum episcoporum et ipsius Cypriani litteræ ostendunt; tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit (*lib. de un. Bapt. cont. Petil.* n° 23). » Alter Afer, sæculi sexti scriptor celeberrimus, id quod ea de re traditum acceperat; memoriæ mandavit his verbis: « Beatus quoque Stephanus præsul apostolicæ Sedis, cum S. Cyprianum atque alios Afros episcopos de baptizandis omnibus hæreticis decrevisse cognosceret, quamvis, ut dictum est, nullo interposito anathemate, neque adversus ulla concilii generalis antiquiora decreta, aut conniventes hæreticis talem sententiam protulissent, continuo ei denuntiavit, quod si qui hoc auderent, ab Ecclesia pellerentur (*Facund. cont. Mocian.*). » Ita loquens Facundus nihil, opinor, clarius afferre potuit, quo rebaptizantibus hæreticos tantum a Stephano intentas esse doceret excommunicationis minas.

30. Neque minus aperte idem scriptor, quam æqua sibi videretur Stephani adversus Cyprianum censura declaravit, ubi ait: « Si nemo sapiens Ecclesiam credit hæreticam, quia doctrinam B. Cypriani Carthaginensis episcopi et martyris laudat, cum ille non solum privatim, ut ei visum est, verum etiam congregato concilio definierit, ut omnis hæreticus ad Ecclesiam veniens baptizetur, et propter hoc culpatus ab Stephano antistite Romano restiterit, suamque sententiam scribens ad Pompeium quanta potuit humana argumentatione defenderit, injuriose tractans eumdem B. Stephanum, a quo fuerat JURE CULPATUS (*lib.* X, c. 5). » Idem vero Cyprianus, qui jure a Stephano culpatus in eo fuit, quod ab opinione, quæ traditioni adversabatur, sese divelli non sinebat, ob id Augustini meruit laudes, quod cum Stephano in unitatis pace permansit. *Nempe* in eo ipso, *inquit ille Doctor*, in quo aliter sapuit, collegas diversa sentientes nec judicandos, nec a jure communionis amovendos esse decrevit (*Aug. epist. al.* 48, *nunc* 93, n° 36). » Hæreticos ad Ecclesiam venientes baptizandos esse constituit quidem; sed, ut supra observavit Facundus, *nullo interposito anathemate* adversus eos qui eosdem non baptizandos censebant. Quocirca Hieronymus Hilarii diaconi discipulos, qui Cypriani scriptis abutebantur, istud monet: « Sciant illum hæc non cum anathemate eorum, qui se sequi noluerant, edidisse, siquidem in communione eorum permansit, qui sententiæ suæ contraierant (*Sub fin. dial. cont. Lucif.*). » Ipse Cyprianus constantissimum pro unitatis pace studium suum Epist. LXXIII, ad Jubaianum significat his verbis: « Hæc tibi breviter pro nostra mediocritate rescripsimus, frater charissime, nemini præscribentes aut præjudicantes, quominus unusquisque episcoporum quod putat faciat, habens arbitrii sui libertatem. Nos, quantum in nobis est, propter hæreticos cum collegis et coepiscopis nostris non

Digitized by Google

contendimus, cum quibus divinam concordiam et dominicam pacem tenemus. » Similia repetit et ad calcem Epistolæ LXXVI, *ad Magnum*. Eumdem etiam in superiori Epistola II, quam de concilio cum cæteris collegis ad Stephanum conscripsit, id ipsum audivimus testantem. Denique et in celebri concilio Cartaginensi III, sic ad collegas præfatur: « Superest ut de hac ipsa re quid sentiamus proferamus, neminem judicantes aut a jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes. » Cyprianus quippe, ut Augustinus observavit, « quæstionis ipsius difficultate permotus, et sanctis charitatis visceribus largissime præditus, in unitate cum eis manendum, qui diversa sentirent constituerat. Nec dubium quin difficultatem illam pareret atque augeret consuetudinis, quam in Ecclesia obtinuisse, et in plerisque provinciis adhuc obtinere noverat, apud suos non ita pridem mutata conscientia. Ne igitur majores suos ac totam pene Ecclesiam damnare videretur, episcoporum unicuique permisit sentire vel agere quod melius judicaret; adeoque istam quæstionem ad meram disciplinam pertinere existimavit.

31. Inde saltem consequens esse nonnullis videbitur, ut si merito laudatus est Cyprianus, quod unicuique liberum permittens sententiæ suæ arbitrium, neminem a communione sua removendum duxerit; jure culpandus sit Stephanus, quod omnes a se dissentientes ab Ecclesia pellendos esse definierit. Istud tamen minime sequitur, nisi de illa controversia par fuerit Cyprani Stephanique conditio, et utriusque idem fuerit aut esse debuerit de illa judicium. At secus contigit. Durum videbatur Cypriano communionem eis negare, qui servarent quod in omnibus prope ecclesiis videbat servari, quodque a majoribus suis ante Agrippinum observatum esse non ignorabat. Stephanus vero æquitati consentaneum judicabat, ut qui mandatis Apostolorum traditione acceptis parere pessimo exemplo detrectarent, ab Ecclesia pellerentur. Cypriano in hac disceptatione, non quemadmodum olim Polycrati in controversia circa diem Paschæ, traditioni Petri opponenda suppetebat Joannis traditio. Cum Stephano enim conspirabant omnes ecclesiæ præter africanas et paucas Orientis provincias. In Africa morem eumdem ad Agrippinum usque obtinuisse Cyprianus ac socii fatebantur, neque ullum contrariæ consuetudinis vestigium in Orientis ecclesiis ante deprehendebatur, quam dubitatio de Montanistarum Baptismo nata decretum Iconiense peperisset. Tanta autem Ecclesiarum totius orbis consensio cui tribuenda est, nisi apostolicæ traditioni? Hanc tamen ab Apostolis prodiisse ideo nolebant Afri, quia humanæ rationi repugnare ipsis videbatur. Sed quo veri videtur similior illa ratio, quam objiciebant, eo magis persuadet consuetudinem, quam illa respuit, in omnibus Ecclesiis recipi nisi divina traditione potuisse. Apposite igitur Vincentius Lirinensis dixit: « Intelligebat vir sanctus et prudens (*Stephanus*) nihil aliud ratione pietatis admittere, ut omnia qua fide a patribus accepta sunt, eadem fide filiis consignaren-

A tur; nosque religionem non qua vellemus ducere, sed potius qua illa duceret, sequi oportere; idque esse proprium Christianæ modestiæ et gravitatis, non sua posteris tradere, sed a majoribus accepta servare. »

32. Neque etiam idem fuit Cypriani Stephanique de illa contraversia judicium. Cyprianus ab antiqua traditione discedens, de illa sic opinari coactus est, quasi ad meram disciplinam pertineret. At de eadem Stephanus longe aliter judicavit. Neque vero ea erat, qualis olim circa diem Paschæ, in qua contendentium unicuique sententiam suam tueri ac tenere illæsa fide liceret. De præcipuo agebatur religionis nostræ capite, hoc est de virtute atque efficacia Sacramenti omnino necessarii, quo deficiente, nullus dici aut censeri potest Christianus. Ad hæc, de Baptismi

B tuenda unitate agebatur. Hunc enim, quem « unum » Scriptura conceptis verbis prædicat, iterandum non esse fides docet. Et ea quidem de re inter partes conveniebat: adeo ut Cyprianus metuens ne, si rebaptizari hæreticos velle putaretur, hinc sibi conflaretur invidia, scripserit tum Epist. LXXI, *ad Quintum*, « Nos autem dicimus eos, qui inde veniunt, non REBAPTIZARI apud nos, sed BAPTIZARI: » tum Epist. LXXIII, *ad Jubaianum*, « Invidia quadam, quasi REBAPTIZANDI baptizare post hostes Dei nefas ducitur. » Quantum vero ab iterando Baptismo non sine Dei nutu abhorreret Christiani, Augustinus luculenter testatur in hunc modum. « Sic homines, occulta nescio qua inspiratione Dei, detestantur si quis iterum Baptismum accipiat, quem ubicumque jam acceperat, ut iidem ipsi

C hæretici (*Donatistæ*) cum disputant, frontem confricent, et prope omnes eorum laici.... hoc solum illic (*in secta sua, quod Baptismus iteretur*) sibi displicere fateantur (*lib.* V *de Bapt. cont. Donat.* c. 5). » Vide et subnexa. Hoc autem Baptismi non iterandi dogma aut convellere aut convelli sinere nonne visus esset Stephanus, si hæreticos rebaptizandi consuetudinem non ita pridem inductam roborari diutius permisisset? Quo majoris erant meriti qui eam tuebantur, eo gravius Ecclesiæ periculum imminebat, nisi fidem apostolica traditione acceptam vindicasset acriter, qui præcipua auctoritate in Ecclesia pollebat. Tanti mali labes totam Africam, quæ non infima erat Ecclesiæ

D portio, necnon Ciliciam atque Cappadociam jam infecerat, et quæ in finitimas pervadere non desistebat provincias, brevi totum Orientem erat perditura, nisi prompto remedio cohibita et sanata esset.

33. Stephano igitur tota auctoritatis suæ mole intercedendum fuit celebri decreto, quo Cyprianus cum concilio suo sanxerat, « Baptizandus et innovandus est qui ad Ecclesiam venit, ut intus per sanctos sanctificetur; » et iis, qui pertinacius illud defendebant, fortiter obnitendum. Si enim hac in causa se gessisset remissius: si per speciem pacis obtinere passus esset hanc opinionem, ut nonnisi per sanctos homines sanctificari quis possit, ut Spiritum sanctum per sacramenta dare non valeat qui non habet, ut quisquis Spiritum sanctum dare non possit, non possit baptizare, ac Baptisma, collatum ab eo irritum, omnino si

Digitized by Google

atque nullum. Quid facerent, ut observat Augustinus (*lib.* v, *de Bapt. cont. Donat.* c. 21), qui etiam intus in Ecclesia hominem Dei quærentes, in homicidam latentem, in ebriosum, in raptorem et invidum incurrissent? Quæ exinde conscientiarum perturbatio, quæ anxietas exoriretur? Etsi enim rebaptizantes non eo processere, ut Baptismum a malis Catholicis collatum innovandum esse dicerent, ex omnibus tamen momentis, quæ Stephano opponebant, sequitur ut qui a Catholicis charitate atque gratia destitutis baptizatus videatur, baptizatus re ipsa non sit, adeoque sit innovandus. Quo semel admisso, quis se baptizatum confideret? quam multi ea de re merito dubitarent? Jam et hoc Firmilianus de iis, quos episcopi ob idololatriæ crimen de sacerdotali dignitate dimoti baptizarant, in ecclesia sua usu receptum tradit, « ut quicumque ab illis (*episcopis*) tincti ad nos veniunt, tamquam alieni et nihil consecuti, unico et vero Baptismo apud nos baptizentur. »

34. In hac tota disputatione, quam valde acrem ac vividam fuisse fatendum est, si viris sanctitate non vulgari præditis, dum uno veritatis studio abripi sibi videntur, nonnulla exciderunt verba, quæ communes christianæ modestiæ leges non probant; quid non ab illis disputationibus metuendum, quæ temere ac levibus de causis suscipiuntur, ac sæpe una gloriæ cupiditate foventur ac nutriuntur? Sed si vitari non possunt, sic se gerant partes, ut et ei qui veritatem propugnat, exprobrari non possit quod schismaticum præ se ferat animum, et is qui aberrat a vero, de catholica mente gloriari valeat. Stephanum imitentur atque Cyprianum, quorum animi semper fuerunt ita comparati, ut Ecclesiæ pacem non secus atque fidem illæsam sincere vellent; et de quibus Augustinus dicit: « Vicit pax in cordibus eorum, ut in tali disceptatione nullum inter eos malum schismatis oriretur (*lib.* v *de Bapt. cont. Donat.* c. 25). » Inde quoque discant novitatis amatores et ecclesiasticarum contemptores traditionum, cui periculo se committant, cum speciosis quibusdam rationibus humanis, vel etiam iis prorsus destituti, a consuetudinibus in Ecclesia semper receptis et studiose observatis recedere non verentur. Si etiam aliquando a summæ sanctitatis atque auctoritatis viris impugnari potuit constanti traditione accepta Ecclesiæ fides, a nullo unquam potuit superari. Si ævo suo, cum nulla legerentur concilii generalis decreta, Cyprianus adversus Stephanum clamavit, « Nec quisquam dicat: Quod accepimus ab Apostolis, hoc sequimur. Quanto, *inquit Augustinus* (Ibid. lib. IV, c. 6), robustius nunc dicimus: Quod Ecclesiæ consuetudo semper tenuit, quod hæc disputatio discindere non potuit, et quod plenarium concilium (*seu Arelatense can.* 8, *seu Nicænum item can.* 8) confirmavit; huc accedit, quod perspectis ex utroque latere disputationis rationibus et Scripturarum testimoniis, potest etiam dici: Quod veritas declaravit, hoc sequimur. » Miratur alibi Augustinus, et hoc vere admiratione dignum est, quod Petilianus Donatista, cum Cypriani de Baptismo sententiam laudaret ac sequeretur, nihilominus Stephanum inter eos commemorarit Romanæ Ecclesiæ præsules, « quos illibatum episcopatum gessisse confessus est. » Ea nimirum est vis veritatis, ut interdum etiam ab adversariis suis æquum testimonium extorqueat. Post hujusmodi autem testimonium quis ullam in Stephani fide labem suspicetur?

# AUCTORITAS PONTIFICIA,

## NOTISSIMO CYPRIANI FACTO

### A QUIBUSDAM NEOTERICIS ACRITER IMPUGNATA,

### SED A SAPIENTISSIMIS GALLIÆ THEOLOGIS SOLIDE VINDICATA.

DISSERTATIO HISTORICO-DOGMATICA. AVENAM, 1740.

# PRÆFATIO.

Varia inter argumenta quæ ad novæ opinionis patrocinium ex vetustiori etiam antiquitate extundere conati sunt neoterici quidam, Romanæ infallibilitatis hostes, nullum, opinor, famosius apud ipsos ac frequentius quam quod, ex trito pervulgatoque S. Cyprianum inter et S. Stephanum Romanum Pontificem in

Digitized by Google

causa Baptismatis hæreticorum dissidio eruere cogitarunt. En perpetuus illorum equus bellator, præcipuaque machina, qua in sacram Romanorum Pontificum auctoritatem arietant. Illud argumentum, quo maxime gloriantur, scriptorum suorum ubique versant, ostentant ac urgere non cessant. Tot illud modis exponunt, totque, opportune importune locis intrudunt, ut majorem sæpe voluminis partem occupet. Dicerem pontificiam auctoritatem cum hoc Cypriani dissidio adeo nexam, ut de ea sine isto loqui vel scribi non possit. At enim cur non ita sentirent, qui ex unico Cypriani facto *evidenter* ac *necessario* sequi contendunt non eam splendidissimo Ecclesiæ Africanæ lumini insedisse pontificiæ inerrantiæ sententiam, cui tot nuperos, ut aiunt, Romanæ curiæ adulatores servire non pudet.

Mirum profecto quod tam validum, tam evidens, et quidem ex primæva antiquitate depromptum argumentum, primos ac celebriores effugerit, qui supremam evertere Romani Pontificis auctoritatem aggressi sunt; Gersonem dico, Almainum, Richerium, Majorem, aliosque paucos istorum commilitones qui, ad sæculum usque proxime elapsum pontificiam inerrantiam scriptis impugnarunt, quorum nemini, quod sciam, umquam venit in mentem hoc Cypriani dissidium ad eam impetendam allegare vel proferre. Num illis ignota tam celebris, tam ubique nota contentio? Suos certe neoterici nostri magistros de tam supina ignorantia postulari non paterentur. Noverant Sorbonici doctores quod vix aliquem theologiæ vel historiæ tyruneulum latebat; at quod ex illa Cyprianum inter et Stephanum contentione recentiores adversus Romanam infallibilitatem eutondunt argumentum, nedum ipsis *evidens* ac *necessarium* visum fuerit, futile adeo ac imbecille judicarunt, ut nec inter levissima quæ ipsi congessere argumenta locum obtinere permiserint; adeo verum est ea sæpe tamquam firmissima et evidentia a discipulis haberi, quæ magistris nec prolatu digna videbantur.

Et si tamen recens apud Catholicos sit ventilatum istud a neotericis argumentum, eoque nomine novitatum amatoribus haud ingratum, non propterea suam hisce theologis originem acceptam refert, antiquiores parentes habet, a quibus illud mutuati sunt hodierni Romanæ inerrantiæ osores. His nempe præiverunt Lutherus, Calvinus, centuriatores Magdeburgenses, Marcus Antonius de Dominis, quos, ut alios id ponderis scriptores taceam, secuti sunt Casaubonus, Herbertus Thorndicius, Joseph Henricus Ottius, Basnagius, Blondellus, Joannes Forbesius, Fridericus Spanhemius, qui omnes, ad profligandam supremam Romani Pontificis auctoritatem, Cypriani sensus ac in causa Baptismatis hæreticorum agendi rationem urgere centies, ac Catholicis ad nauseam usque objectare non destiterunt. Tales porro adversariis prædecessores quis invideat?...

Nil igitur novi a neotericis nostris hac in re prolatum, nil quod a Lutheranis et Calvinianis jam pridem præformatum, ac centies inculcatum non fuerit, ut non semel observarunt eruditi Galliæ theologi. Præ cæteris audiatur, qui elucidandæ huic Cypriani cum Stephano Romano Pontifice contentioni data opera incubuit, D. Chiconot, doctor Sorbonicus, in dissertatione Gallica *sur la célèbre dispute entre le Pape S. Etienne et S. Cyprien, évêque de Carthage*, regia cum approbatione Parisiis edita an. 1725. « Lutherus, inquit, Calvinus, Antonius de Dominis et ac potissimum posterioris ævi novatores indigne abusi sunt modo quo S. martyr Cyprianus in causa Baptismi hæreticorum erga S. Stephanum Rom. Pontificem sese gessit, ad labefactandam auctoritatis præstantiam quæ Christi vicario competit. »

Contemptissima jam incedebat tota istius argumenti moles a Lutheranis et Calvinianis fabricata, cum recentibus Romanæ infallibilitatis osoribus placuit eamdem e tumulo quo sepulta jacebat, eruere, illamque novo restitutam apparatu, multis exultam laboribus obtinenti apud Catholicos omnes *doctrinæ* objicere. Non disquisitionibus, non vigiliis, non oleo pepercerunt, ut argumenti jampridem profligati ruinas resarcirent, rudera colligerent, ex quibus novum machinamentum architectarentur. Verum optime conscii non posse illud consistere, nisi firmioribus quam antea fulcimentis communiretur, duo hactenus inusitata confinxerunt. Satis haud illis fuit quod Cyprianus Stephano restiterit, eumque erroris insimulaverit, quæ quidem ab heterodoxis jam *fuerant* præoccupata; ultra progressi palam asseruerunt decretum, cui reluctatus est Cyprianus solemne fuisse Romani Pontificis judicium, omni qua poterat auctoritate præditum, et illam tamen Cypriani intercessionem culpa omni vacasse contenderunt. Atque his quidem duobus recentis doctrinæ capitibus omni qua valebant arte confirmandis toti delucope allaborarunt.

Quod autem ad primum attinet. Insonare cœperunt ac publice contestari Stephani judicium tota Cathedræ auctoritate fuisse prolatum (1); omni robore quod a Romano Pontifice conferri queat fuisse munitum (2); nil in eo defuisse quod in decretis ex Cathedra latis requiritur (3); tam splendida, tam magnifica, tam fastosa sunt, quæ pro describenda hujusce rescripti pontificii majestate profuderunt, ut quibus hæc arrident, nil ultra desiderent aut desiderare queant.

Cum tamen optime novissent neoterici nostri complures alios non tam magno, splendidoque verborum apparatu, quam solidis rerum probationibus delec-

(1) Defensio *declarationis Cleri Gallicani* an. 1682, sub nomine Bossuetii Meldensis episcopi ab anonymo edita Luxembourgi an. 1730 parte II, lib. XIV, cap 5.

(2) Fleuriacus, *Hist. Eccl.* lib. VII, cap 32. *Le décret du pape Etienne revêtu de toute la force qu'il pouvait lui donner.*

(3) Epistola *de Potestate ecclesiastica* ad Martinum Steyaert typis mandata an 1688. *Erravit Cyprianus, sed quia nondum locuta erat Ecclesia, quamvis contra sensisset, scripsisset et præcepisset Stephanus (quis ex nostris recentioribus scholasticis eum ex Cathedra locutum fuisse non agnoscat) error tamen Cypriani excusatur, non ergo infallibilis Stephanus habebatur.*

Digitized by Google

tari, nec eo usque attigisse, conceptam de ipsis existimationem, ut nova quæque prædicantibus plena fides haberetur; cum probe intelligerent non tantam esse suam ipsorum apud omnes auctoritatem, ut quam ipsi Romanis Pontificibus inerrantiam abjudicant, ipsismet illis adjudicetur, prudenter arbitrati sunt non rhetorices figuris tantum, sed et validis, ut possent, argumentis ostendendum esse quod de solemni Stephani rescripto jactitabant. Tanta vero fuit in iis seligendis mentis sagacitas, tanta ingenii vis et acies, ut affirmari non verear congruentiora rei probandæ argumenta afferri non potuisse; quid enim magis consentaneum, quam, sicuti certis indubia, antiquis vetera probantur, sic figmentis commenta, novis recentia confirmare? Id porro viriliter, abundeque præstiterunt neoterici nostri. Etenim quod a Stephano Romano Pontifice tanta solemnitatis decretum prodiisset, nova res erat et hactenus inaudita. Quid ergo neoterici? Nova pariter nec prius audita ad id probandum argumenta fabricarunt, ab iis enim scriptoribus christianus tandem didicit orbis Stephani decretum in concilio Romano editum fuisse, (1) ad omnes ecclesias a Stephano fuisse directum ac missum (2), solemni illo decreto certissimam fuisse Stephani mentem, ut omnibus omnino fidelibus fide credendum proponeret non esse denuo tingendos homines ab hæreticis baptizatos, eum intra Ecclesiæ communionem sese recipiebant (3); quæ quidem omnia cum antea mortalium nemini in mentem venerint, adduci profecto debebantur ad illud probandum, quod nullum in antiquitate tota vestigium habebat. Hæc apposite neoterici nostri, ut petitum istud a Cypriano argumentum in Lutheranis jamdudum profligatum ex hac parte suffulcirent ac corroborarent.

Ad secundum vero quod spectat, quæ non, bone Deus! illi dixerunt, quæ non cumularunt ut Cypriani in Stephanum agendi rationem non solum ab omni reatu immunem, sed et charitatis et æquitatis plenam ac animo episcopali et apostolico vere dignam nobis ostenderent ac suaderent? Hæc nisi legerentur, quis usquam catholicus, quis sanus credere potuisset? Statim quo lectorem animos sibi conciliarent, nec non ad ea quæ pro Cypriani defensione prolaturi erant benigne excipienda redderent paratissimos, maxima Cypriani merita commendare, immensa de Cypriano celebrare præconia adorti sunt. Quæsita undique labore immenso atque congesta quæcumque ad Cypriani commendationem aliquatenus conducerent, concilia tum æcumenica, tum particularia. Romani ipsi Pontifices, Ecclesiæ Patres et Doctores, historici et Græci et Latini, quotquot esse poterant, apellati fuerunt. Adducta nova et vetera Martyrologia atque Calendaria, Missale Ambrosianum, priscæ ac recentes diversarum ecclesiarum Missæ, præfationes, et ipse Canon. Citata nova et vetera Breviaria Romana, Hispanica, Gallica, et immo relatæ ipsius Breviarii rubricæ, nec non variæ, ecclesiarum Litaniæ: laudatæ quoque Cypriani reliquiarum translationes, ipsius festi solemnitates ac plures sub illius nomine ecclesiarum dedicationes, nec omissum quod ab aliquibus in S. Cypriani vigilia jejunium actum fuerit (4), et quasi tanta monumenta Cypriani magnitudinem atque excellentiam totam, quanta fuit minime satis adumbrarent ac proderent, tot illum nominibus, encomiis, laudibus absque mensura et numero cumulant, onerantque ut vix hominem fuisse credas.

Absit ut maximis Cypriani meritis, ac singulari quam apud omnes jure obtinuit veneration, quidquam detractum velimus. Nobis tamen constat non paucos rerum æquos æstimatores tot in Cyprianum effusas sine delectu laudes ferre non posse, non ea solum de causa quod nimiæ laudes vexant modestos, sed quia laus omnis hyperbolica odium primo, deinde contemptum parit. Est enim, inquiunt, in jure titulus de *Pluris petitione*, ut qui plus postulat, minus accipiat; nobisque a natura inditum est, ut cum aliquis plus justo extollitur; naturali quadam propensione conemur illum deprimere. Cyprianum maximum Ecclesiæ africanæ decus et ornamentum, splendidum sui sæculi lumen, gravissimum totius Ecclesiæ doctorem, sanctissimum episcopum, ac martyrem gloriosissimum quis non predicet, quis non predicare cogitavit unquam? Quis pariter Cyprianum tamquam fidei propugnaculum, traditionum promptuarium, disciplinæ ecclesiasticæ palladium, moralis evangelicæ firmamentum, ac christianæ doctrinæ munimentum non agnoscat aut non agnoverit? Hæc porro quia certa sunt ac servandos veritatis limites minime transcendunt, libenter et audiuntur, et a nemine non probantur. At quæ de Cypriano sæpius ostentantur, tamquam inter Ecclesiæ doctores ac magistros primatum obtinente, qui ingenii sublimitate, judicii maturitate, dicendi elegantia, doctrinæ puritate, eruditionis amplitudine, demum charitate, patientia, pietate, cæterisque animi dotibus ac virtutibus vix ulli comparari possit; qui nil nisi sancte gesserit,

(1) Felix Deschamps in sua de summo Pontifice Epistola ad Martinum Steyaert p. 25, *Stephanus decretum definitorium in concilio Romano edidit et ad omnes fideles direxit quo intendit obligare, sub excommunicationis pœna, omnes omnino fideles ad credendum non rebaptizandos esse baptizatos ab hæreticis.*

(2) Idem ibid. Et Jacobus Gilbert in tractatu *de Sedis apostolicæ primatu quest.* 5. § 2. *Stephanus decretum definitorium edit et ad omnes fideles dirigit ut illos omnes instruat in materia et puncto summi momenti quia agebatur de validitate vel nullitate Baptismi sine quo nullus salvari potest et per illud decretum intendit obligare omnes omnino fideles ad credendum non rebaptizandos esse baptizatos ab hæreticis.*

Item defensor *declar. Gallic.* an 1682. part. II, lib. XIV. cap. 5. *Stephanus decretum condidit et ad omnes misit ecclesias.*

(3) Felix Deschamps, et Jacobus Gilbert in locis modo citatis.

(4) Hac in re, consule præ cæteris Launoium in epist. ad Beuilaquam 15. parte 8. epistol. edit. Cantabr. 1689; item P. Gersium in vita S. Cypriani Gallico idiomate typis mandata Parisiis 1717. Item D. Lombertum in præfat. operis gallici inscripti *les Œuvres de S. Cyprien traduites en français*, edit. Rotomag. 1716.

Digitized by Google

nil nisi recte docuerit, adeo ut « ab illis etiam levissimis erroribus immunis extiterit, qui primis Ecclesiæ Patribus communes fuerunt, » (1) et alia id genus permulta, quæ vix in hyperbolico panegyrico tolerarentur, quia nimia et redundantia stomachum movent, frigide excipiuntur, insulsa videntur, spernuntur et irridentur. Ita plurimi ratiocinantur, qui etsi bene sciant nulli facilius veniam concedi, quam illi qui de nimiis erga nos laudibus accusatur, in illis tamen rependendis modum a nemine excedendum esse putant.

Verum quidquid sit de hoc, quod neotericis nostris inuritur, vitio, fateri omnes debemus nil ab ipsis prætermissum, quo lectorum animos ad ea comprobanda disponerent et inclinarent, quæ pro Cypriani defensione etiam levissime suppeditarentur. Lectorum igitur animis sic erga Cyprianum dispositis et affectis, rem ipsam attingunt neoterici quos spectamus, atque Cypriani adversus Stephanum agendi rationem vindicare modis omnibus ac defendere aggrediuntur.

Videamus nunc tandem quid pro illius Cypriani defensione protulerint neoterici nostri. Fleuriacus, sicuti suum in describendo Stephani martyrio calamum ita moderatus est, ut tantum traditionis vindicem sine minima laude morientem dimiserit, ita seipsum adeo temperavit in hac Cypriani epistola referenda, ut satis superque habuerit asserere Cyprianum in hac epistola responsum refutandum assumpsisse (2). Et revera nihil in ea Cypriani epistola vel tantisper a charitate alienum se deprehendisse nobis significat, quando tradit Cypriani sanctitati suum errorem nullatenus obfuisse, quia non solum Ecclesiæ unitatem, sed et charitatem in hoc negotio semper conservaverat (3).

Fleuriaco concinit Launoius, qui Cypriani ad Pompeium epistolam celebrat ut nervosam et fortem; illa enim relata : « hæc, inquit, (4) nervose et fortiter Stephano opponit Cyprianus ; » immo posterorum judicio memoriæ dignissimam illam fuisse tradit æque ac Firmiliani ad Cyprianum epistolam : « Posteri, inquit, Stephani epistolas memoriæ minus dignas, Cypriani vero et Firmiliani epistolas memoriæ dignissimas judicarunt (5). » Tillemontius qui Stephanum etiam *inhumanitatis* accusare non hæsitavit (6) læsam tamen a Cypriano ad Pompeium scribente mansuetudinem ac fraternam charitatem minime fuisse fidenter affirmat (7).

Lombertus in sua præfatione præfixa operi gallice inscripto : *les Œuvres de S. Cyprien, évêque de Carthage et Martyr traduites en français*, hanc Cypriani epistolam *magnanimitate* ac *libertate* episcopali adeo dignam censuit, ut ab Augustino laudes promeruisse tradat : ea enim recitata erumpit in hæc verba : « Sic libere S. Cyprianus ac generose suam circa Baptismum opinionem contra papam Stephanum defendit, de quo a S. Augustino laudatur, » unde nil mirum, si sæpius inculcat Cyprianum in hac de Baptismo concertatione « maxime moderationis specimina semper dedisse. » Enumeratos hactenus Cypriani vindices superavit P. Gervasius. Etenim in *vita S. Cypriani*, quam gallico idiomate, supresso tamen nomine, edidit, *excellentem*, vocat quam ad Pompeium Cyprianus scripsit epistolam, in qua elucet « vigor vere apostolicus (8) ; tantamque in illa unctionem ac moderationem christianam, sive se ipsum defendat Cyprianus sive suum aggrediatur aut refutet adversarium, inveniri contendit, ut fateri omnes oporteat Ecclesiæ juribus magis quam propriis *illum* intendisse (9) ; recensitis enim iis omnibus quæ, ut supra vidimus, in Stephanum Cyprianus, effutiit, exclamabundus ait : « En præclarus profecto ardor ac valde spiritualis ; in sanctis illis animi impetibus dignoscitur cor amoris divini flammis penitus accensum, ac nihil aliud spirans quam domus Domini gloriam ac pulchritudinem (10). »

Demum prætermissis aliis nonnullis id generis scriptoribus, Dupinus in sua *Bibliotheca Eccles.*, nobis significat totidem fuisse veritates, quidquid in Stephanum Cyprianus congessit ; immo veritates, quas Stephano licet ingratas, ipsi tamen objicere tenerétur Carthaginensis episcopus, et quantum potuit, consueta sua jucunditate, temperare curaverit. Ubi enim cum Tertulliano Cyprianum comparat, ab illo scribit adversarios injuriose tractari ; « at *S. Cyprianus*, inquit, longe moderatior, si quando suis adversariis veritates quæ ipsi displiceant dicere teneatur, eas, quantum potest, sua jucunditate temperat (11) ; unde licet Stephanum in suo responso *magnæ duritatis* insimulet (12), nihil tamen in Cypriani ad Pompeium epistola notavit, quod moderationi minus consonum videretur (13), in quo socium habet Adrianum Baillet in *vitis Sanctorum* (14).

Hæc et alia multa id genus, novaturienses theologi pro vindicanda Cypriani in Stephanum agendi ratione, quæ quidem si cuipiam inflata et exagerata videantur, eo solum nomine sint vituperanda quod veritatem offendant, utcumque tamen toleranda, quod nullius famam, nullius dignitatem, nullius sanctitatem directa saltem fronte impetant. Verum hos intra limites contineri nequaquam valuit effrenis adversariorum in laudanda Cypriani agendi ratione labor et impetus.

(1) Dupin, *Bibliotheca Auctorum Eccles.* tom I. pag. 534. edit. Paris. 1688. *S. Cyprien est exempt, je ne dis pas seulement des erreurs grossières, mais aussi de celles qui sont légères et communes dans les Pères des trois premiers siècles.*
(2) Hist. Eccl. tom. II, lib. VII. num. 28.
(3) Ibid. num. 32.
(4) Epist. ad Bevilaq. 15, parte 8. Epistol. pag. 807.
(5) Ibid. pag. 8011.
(6) Hist. Eccl. tom IV, art. 49, pag. 155.
(7) Ibid. art. 47, pag. 150.
(8) Lib. V, num. 16, pag. 414
(9) Ibid.
(10) Ibid. pag. 419
(11) Tom. I, pag. 533.
(12) Ibidem pag. 500.
(13) Ibidem.
(14) Tom. III ad diem 16. Septembris pag. [illegible] edit. Paris. 1704.

Digitized by Google

Mitto insulsam illam affectationem, qua sæpius inculcant, ac fusiori etiam probare calamo nituntur, Cyprianum videlicet longe pluris quam Stephanum in Ecclesia fieri (1). Dudum est ex quo male olent, vixque ac ne vix quidem in panegyricis oratorum declamationibus sanctorum illæ virorum quos suis fastis adscriptos Ecclesia veneratur, comparationes, et injuriosæ utrisque de utrorumque meritis contentiones, eo collimantes, ut alterius sanctitas alterius attenuatione augeatur.

Negligo pariter tot neotericorum conatus in amplificanda eorum multitudinem quos Cypriano potius, quam Sthephano complausisse scribunt Tillemontius (2), Dupinus (3), Launoius (4), P. Gervasius (5), ex quorum calculo sequeretur Dionysium Alexand., Dionysium et Philemonem, presbyteros Romanos, Hyeronimum, Athanasium, Optatum Milevit.; synodum Nicænam, Basilium, Gregorium Naziazenum, Cyrillum Hierosol., Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theodoretum, Romanam sub Gelasio synodum, Fulgentium Ruspensem episcopum, Gregorium Magnum, synodum Quinisextam, Cypriano potius quam Stephano adhæsisse. Ecquis enim vero tot conatuum, tot laborum fructus? Quod sentio libere profero in congerendis tot in Stephanum adversariis manifestarunt neoterici, quo fuerint erga Stephanum sicuti erga tot Patrum memoriam, spretis historiæ ac æquitatis legibus animo affecti.

Hæc inquam aliaque similia prætermitto, quæ cum sequentibus comparata leviora sunt, quam ut morari nos debeant. Quid igitur de Stephano Pontifice maximo, traditionis apostolicæ vindice ac martyre sanctissimo tradunt, qui Catholicos, qui humiles filios, qui moderatos scriptores se esse profitentur ac videri volunt?

Stephanus, inquiunt neoterici nostri, indigne penitus erga Cyprianum se gessit (6), ad Cyprianum scripsit Epistolam indignam prorsus quæ a Romano Pontifice ad Carthaginensem scriberetur (7), superbam et injuriarum plenam (8), magnopere contumeliosam (9). Stephanus fastum tumide ac dominatum affectat (10), imperantem ac tyrannum agit (11), magna inhumanitate Cypriano respondet (12), inhumanum valde erga Cyprianum se præbet (13). Stephanus Cyprianum inauditum judicat et damnat (14), ipsum vocat pseudochristum, pseudoapostolum, dolosum et perfidum (15), Cypriani legatos contumeliosissime tractat (16), ipsis pacem, communionem, hospitalitatem, victum non negavit solum, sed negari ab omnibus præcepit (17). Stephanus zelum præsefert quidem, sed ad omnia promiscue devastanda unice idoneum (18): hic Stephani zelus imperatorem movit ad Ecclesiam crudeliter persequendam (19). Stephanus quam plures ecclesias tyrannice opprimebat (20), nullam Ecclesiæ unitatis rationem habet, quam scindere flocci facit (21). Stephanus non unum vel duos dumtaxat, sed tres errores fidei catholicæ adversos docuit in suo rescripto ad Cyprianum (22).

Integerrimam Stephani vitam tot conviciis dilacerasse, tot onerasse criminibus haud satis habuerunt neoterici, sanctam et ipsius mortem aggrediuntur, gloriosi martyrii palmam, immo sanctitatem ipsam Stephano eripere tentant; modo significant acta martyrii S. Stephani satis, authentica non esse, ut in historia fidem mereri debeant (23); modo contendunt aliquem dubitandi locum esse, utrum Stephanus vere martyr extiterit (24); hic subjiciunt S. Augustino ac Vincentio Lirinensi perspectum non fuisse, quod Stephanus martyr exstiterit (25); illic tradunt jure credi posse Stephanum in carcere vel alio modo minus illustri obiisse, non vero per judicis sententiam ac persecutorum manu quod solum pro vero perfectoque martyrio tunc temporis habebatur (26) At qualecumque tandem martyrium Stephanus pertulerit, illud saltem pro Christi nominis confessione passus est? Nequaquam juxta Dupinium, illud, inquit, passus est, quia in cœmeterio inventus est contra Valeriani Imperatoris jussum qui cœmeteria a Christianis frequentari sub pœna mortis edicto prohibuerat (27). At demum pro Christi nominis confessione Stephanus non interierit, vere martyr non exstiterit, indubia saltem erit illius sanctitas? Immo maxime dubia ac nullo nixa fundamento, si Lomberti valeant effata; quæ

(1) Launoius in Epist. ad Bevilaq. 15. P. Gervasius passim in Vita S. Cypr. Lombertus in laud. præfat. ad opera S. Cypriani.
(2) Hist Eccl. tom. IV. art. 43, 44 et 45.
(3) Bibliot. Eccl. tom. I, pag. 540.
(4) Epist ad Bevilaq. 15.
(5) In Vita S. Cyp. lib. V. num. 1. 2. et alibi.
(6) P. Gervas. in Vita S Cyp. pag. 455.
(7) Idem ibid. pag. 412. Baillet. de vitis Sanctorum ad diem 2. August. pag. 111. Idem Tillemont. Hist. Ecc. tom. IV, pag. 330.
(8) Lombert. in laud præfat. pag. 73.
(9) Lombert. ibid.
(10) P. Gervasius in Vita S. Cyp. pag. 413, et pag. 461.
(11) P. Gervas. ibid. pag. 431.
(12) Dupin. Bibl. Eccl. tom. pag. 500.
(13) Tillemont. Hist. Eccl. tom. IV. art. 49. p. 155. Baillet. In *Vitis, Sanctorum* t. III. ad diem 16. Sept.
(14) P. Gervas. in Vita S. Cyp. pag. 436.
(15) Tillemont. Hist. Eccl. tom. IV. pag. 150 Idem. P. Gervasius in Vita S. Cypr. pag. 413. Lombert. in laud præfat pag. 72. Baillet ad diem 16. Septemb. in loco citato.
(16) Tillemont. ibid. pag. 155.
(17) Fleuriacus Hist. Eccl. tom. II, lib. VII pag. 283. Idem scribunt Tillemontius Hist Eccl. tom. IV. art. 49. Lombertus in laud. præfat. pag. 72. P. Gervasius in Vita S. Cyp. pag. 462. Baillei in vitis Sanctor. ad diem 2. Augusti pag. 111.
(18) P. Gervasius in Vita S. Cypr. pag. 438.
(19) P. Gervasius in Vita S. Cypr. pag. 452.
(20) Idem. pag. 459.
(21) Lombert. in laud. præfat. pag. 75. Lombertum exscribit P. Gervasius in Vita S. Cypr. pag. 436.
(22) P. Gervasius id tradit et evincere conatur in vita S. Cypriani pag. 465 et 466. Stephanum pariter erroris insimulant. Launoius Epist. ad Bevilaq. 15. et Dupin. Bibliot Eccl. tom. I. pag. 540. etc.
(23) Tillemont. Hist. Eccl. tom. IV pag. 31.
(24) Ibid.
(25) Ibid.
(26) Ibid.
(27) Bibl. Eccl. tom. I. pag. 503.

Digitized by Google

enim Stephanus contra Cyprianum gessit nec martyrio juxta Lombertum expiari poterant, nisi Stephanus ante mortem pacem cum Cypriano, aliisque episcopis fecisset, ac charitatis et unitatis nexus, quos ipse disruperat cum ipsis adstrinxisset (1). En igitur totum Stephani sanctitatis fundamentum in ipsius cum Cypriano reconciliatione constitutum, in hac inquam reconciliatione, cujus nec apud veteres nec apud recentes aliquod exstat vestigium ideoque maxime dubia, ne plus dicam et incerta; tam igitur suspecta, dubiaque nobis erit Stephani sanctitas, quam hujusmodi a Lomberto præformata Stephani cum Cypriano cæterisque reconciliatio, a qua nimirum tota pendet Stephani sanctitas, et sine qua nec ipsum Sthepano profuisset martyrium.

His mediis tam portentosis novam huic argumento vim, novumque splendorem indere susceperant, quibus roboratum, invictum ac evidens illud asserere ac ubique prædicare non dubitant. Utris vero gloriosius extiterit, an Lutheranis et Calvinianis illud argumentum excogitasse, an neotericis nostris dirutum illud tam præclare restaurasse, judex ille sit, qui neutrius gloriæ invideat; quamquam fatendum ingenue sit S. Stephanum Romanum pontificem a Lutheranorum et Calvinistarum nemine tam male tractatum fuisse, quam a nonnullis et neotericis nostris scriptoribus.

Verum ultra metas progressi sunt, qui nobilissimo, et quidem primævæ antiquitatis Ecclesiæ doctori, qualis fuit Cyprianus, ignotum penitus fuisse quod Petri successoribus asseritur fidei indeficientis privilegium Catholicis suadere per fas etiam et nefas susceperant. Quid amplius igitur neoterici, ut nonnullos hac in re fallerent incautos? Probe conscii quanto apud Catholicos in pretio haberentur Gallorum theologorum ac Parisiensium doctorum opiniones, huc et illuc spargere cœperunt hujusmodi argumentum sapientissimis illis sacræ theologiæ magistris validissimum ad impetendam Romani Pontificis inerrantiam visum fuisse. Sic quod rei deerat tanto nomine ac titulo compensandum esse judicarunt. Fatenda res est Neotericorum votis non parum successit artificium. Exteri quamplures, quibus sæpe non vacat ac frequentius liberum non est tot Galliæ doctorum volumina perlegere, aliorum ex suo candorem dimetientes, rem magna fidentia testantibus bona fide crediderunt; atque eximde Galliæ theologos tamquam hujusce argumenti patronos habentes obscuratam ac imminutam in recentioribus, quæ veteres Galliæ doctores commendabat judicii gravitatem ac maturitatem dolere atque deplorare visi sunt, atque videatur. E Gallia etiam non pauci in Parisiensium doctorum scriptis non satis versati neotericis hac in re faciliores aures pariter accomodarent, unde tanta magistrorum suorum, a quibus recedere nefas ducitur, auctoritate abrepti, istud argumentum ad impetendam inerrantiam Pontificiam efficacissimum et ipsi sine ulteriori inquisitione dixere, atque contendere sæpius audiuntur.

Novissimus iste fuit cæterisque felicior neotericorum ausus, ut argumento prædilecto vires aliquas, quas per sese ipsum non habebat impertiretur. Temerarium adeo incœptum ferre non potuimus, nempe quo germana celeberrimorum scriptorum doctrina adeo depravaretur, ut adversa penitus ipsis affingeretur. Periniquo passus sum animo Parisienses doctores eo usque denigratum iri, ut vetulam Lutheranorum cantilenam a Catholicis omnibus irrisam ac contemptissimam placere ipsis, probari ac recantari diceretur. Dolebamus cum Galliæ theologis invidiam conflari, quæ ipsos tamquam filios a patribus degeneres, Patrum sapientia ac judicii maturitate destitutos exteris exhiberet, ac proinde querimonias exterorum et exprobrationes in ipsos concitaret. Permoleste cernebamus tot juniores Sorbonnæ baccalaureos, ementita suorum magistrorum auctoritate deceptos, bona fide credere, Cyprianum Pontificiæ infallibilitati repugnasse, quod avitum et innatum ad tuenda Sedis Apostolicæ jura ipsorum ardorem minuebat non parum ac remittebat.

Ut itaque nostro pro asserendis ac magis magisque firmandis sacris Apostolicæ Sedis juribus ac divinis privilegiis studio nostræque de Galliæ theologis, quo meliori modo possumus, benemerendi voluntati faceremus satis, germanam Galliæ theologorum hac in parte sententiam pendere atque a novissima impostura vindicare suscepimus. Quid ergo? An non Gallos doctores Cypriani factum ad impetendam Romani Pontificis inerrantiam idoneum aptumque dijudicant? Immo ineptissimum ac futilissimum illud esse demonstrant. Easdem doctissimi Galliæ theologi, quas cæteri catholici doctores ad exsufflandum et profligandum, quo ex Cypriano Lutherani primum et Calviniani, deinde neoterici in supremam et immotam Romani Pontificis auctoritatem arietant argumentum, responsiones afferunt atque suppeditant: hæ vero tam solidæ, tam decretoriæ sunt ut magis esse non possint. Ita se habent gravissimi viri, quidquid in contrarium adducant ac fabulentur neoterici, atque illud est quod probandum aggredimur ac difficillimum cuicumque suadere confidimus.

(1) Lomb. in laud præfat. pag. 78.

# COMPENDIOSA STEPHANI SANCTISSIMI MARTYRIS AC ROMANI PONTIFICIS VITA A VETERUM MONUMENTIS EXCERPTA

Stephanus natione Romanus ex patre Julio (2) antequam ad supremum Ecclesiæ verticem attolleretur

(2) *Catalogus Pontificum sæculo sexto conscriptus* ab Heschennio vulgatus tom. I. Aprilis in *diatriba præliminari*. Anastasius Bibliotecharius in *Vita S. Stephani*.

Digitized by Google

in clerum Romanum cooptatus Cornelii primo, deinde Lucii Romanorum Pontificum fuit archidiaconus (1), in quo officio talem se præbuit Cornelio, ut ipsum præ omnibus dignum censuerit, cui tutius « omnia Ecclesiæ bona ante suam passionem traderentur (2). » Lucio vero ita se probavit, ut ipsum ex omnibus unum ad sustinendam difficillimis temporibus nutantis Ecclesiæ molem deligeret : « hic enim, inquit Anastasius, potestatem dedit omnis Ecclesiæ Stephano archidiacono suo dum ad passionem pergeret (3) : vel juxta Eusebium (4), moriens episcopale officium Stephano dereliquit. »

Lucio, gloriosa morte defuncto, successit Stephanus (5). Ecclesia a persecutionibus respirante, ac pacem sub Valeriano ad tempus obtinente, majorem sanctus Pastor agendi libertatem nactus ad remotissimas quoque per orbem Ecclesias sollicitudinem vertit : « omnibus Siriarum cum Arabia provinciis non semel, sed identidem necessaria suppeditans (6); » quorum autem corporibus tanta charitate ac liberalitate sanctus Pontifex subveniebat, animos etiam benignis ac salubribus scriptis solari, et ad pietatem excitare studebat, teste Dionysio, citatis modo verbis hæc subdente : « et quibus litteras nunc scripsistis. »

Marcianum Arelatensem in Gallia episcopum Novatiano plurimum studere non sine Ecclesiæ detrimento Stephano significavit una cum cæteris provinciæ episcopis Faustinus Lugdunensis antistes (7). Stephanum autem pro rei gravitate mature procedentem, ac in excommunicandis et deponendis episcopis non festinantem per epistolam adit a Gallis incitatus Cyprianus, ipsum interpellans « ut in provinciam et ad plebem Arelate consistentem litteras dirigeret et quidem plenissimas, quibus abstento Marciano alium in locum ejus substitueret (8); » quare autem vellet tam severa et gravi censura in Marcianum animadverti, disertius exponit sub epistolæ finem; quod nimirum vindicandus esset Romanorum Pontificum honor, a quorum ille « de recipiendis lapsis » decretis pertinaciter dissentiebat : « Servandus est enim, inquit, Antecessorum nostrorum beatorum martyrum Cornelii et Lucii honor gloriosus, quorum memoriam cum nos honoremus, multo magis tu, frater charissime, honorificare et servare gravitate et auctoritate tua debes, qui vicarius et successor eorum factus es. Illi enim pleni Spiritu Dei et in glorioso martyrio constituti dandam esse lapsis pacem censuerunt. »

Cyprianus interea adeo non dubitabat, quin Stephanus, re ad tantam lucem jam provecta, ipsius consilio et hortatu litteras ad provinciam et plebem arelatensem mitteret, quibus et Marcianum abstineri, et alium episcopum in ejus locum substitui præciperet, ut et quis fuerit substitutus sibi significari roget his verbis : « significa plane nobis quis in locum Marciani Arelate fuerit substitutus, ut sciamus ad quem fratres nostros dirigere, et cui scribere debeamus (9). » Dejectum autem e sede tunc Marcianum a Stephano fuisse tota silet antiquitas ; at illud indicio esse potest, quod nomen ejus in antiquis Arelatensis ecclesiæ diptychis a Mabillonio editis (10) non legatur.

Eodem circiter, ut creditur, tempore præclarum auctoritatis ac suæ clementiæ specimen dedit pissimus Pontifex in causa Basilidis Legionis et Asturicæ in Hispaniis episcopi. Hic cum ob varia crimina, quorum accusabatur, ab episcopatu a suis depulsus esset, ejusque loco Sabinus fuisset suffectus sese Romam ad Stephanum contulit, a quo ut in suam sedem restitueretur obtinuit (11). Cyprianus, cum Basilidem omnium, quorum accusabatur criminum reum existimaret, et aliunde Stephani æquitas adeo sibi nota esset, ut ipsum facinoroso patrocinari voluisse nullatenus suspicaretur, Stephanum a Basilide in hoc negotio fuisse *deceptum* censuit, quod Stephano accidere potuisse contendit, ut pote *longe* ab Hispania *posito et gestæ rei ac tacitæ veritatis ignaro* (12).

Si revera Stephanus in hac re, ut putavit Cyprianus, circumveniri se passus est, non propterea gravis, aut etiam levis negligentiæ illico culpandus, cum experientia constet vel diligentissimo nonnumquam cautissimoque obrepi solere ; maxime si, ut Stephanus, ea plenus est charitate quæ omnia credens nec cogitans malum, reis magis quam actoribus indulgere studet ; sed nescio an Cyprianus potius, quam Stephanus in hoc negotio fuerit deceptus ; quidquid enim Cyprianus in hac Epistola de Basilidis criminibus statuit, statuit parte altera inaudita, hoc est ex sola relatione legatorum qui erant episcopi depositis (Basilidi et Martiali) substituti, et ex litteris eorum, qui hos deposuerant, illos substituerant ; at hi profecto in causa propria testes non erant idonei, et aeque imponere Cypriano poterant, ac Stephano Basilides. Ab Hispania *longe* quidem *positus erat Stephanus* ; at Hispanis non adeo propior Cyprianus, ut quæ Romam inde penetrare poterat fallacia, non potuisset etiam Carthaginem ; cum maxime tam rara Carthaginenses inter et Hispanos nullo jurisdictionis vinculo colligatos, quam frequentia Hispanorum cum Romanis, quibus et civili et ecclesiastica potestate suberant, haberentur commercia ; crediderim potius quod in Hispania agebatur

(1) Idem Anastasius in *Vitis SS. Cornelii et Lucii* edit. Rom., 1718.
(2) Idem in *Vita S. Cornelii*.
(3) In *Vita S. Lucii*.
(4) *Histor. Eccles.* lib. VII, cap. 2, edit. Vales. Paris., 1678.
(5) Id post Cyprianum, Eusebium, Optatum milev. Augustinum, Prosperum, Nicephorum, etc. omnes agnoscunt.
(6) Dionysius Alexand. apud Eusebium. lib. VII, cap. 5.
(7) S. Cyprianus, Epist. *ad S. Stephanum* LXVII, supra col. 989.
(8) Cyprianus, ibid.
(9) Ibidem.
(10) *Annal.* tom. III, pag. 432, edit. Parisis., 1672.
(11) Cyprianus in Epist. *ad Stephanum* LXVII, supra.
(12) Ibidem.

Digitized by Google

multo melius Romæ sciri ac examinari potuisse a Stephano, quam Carthagine a Cypriano.

At fuerint, si placet, Basilidis crimina Cypriano magis, quam Stephano probata, ideone deceptus, vel incautus Stephanus, quia illum sedi suæ restituit? Nullo modo. Cum enim Basilidis depositio ab Hispanis facta fuisset, non consulta Sede Romana, ad quam hujusmodi causæ referendæ erant teste ipso Cypriano (1), idque ignorare non potuerit S. Stephanus, Hispanorum acta rescindere debuit, saltem quoad illi causam ordine legitimo, hoc est conscia et probante Sede Apostolica denuo instaurarent. Qui plura de hac re desiderat, consulat eminentissimum Aguirrium (2).

Hispanorum vix sedaverat, aut sedare tentaverat turbas religiosus Pontifex, cum graviores Africanorum et Orientalium compescere cogitur, et pro sua, quæ limites non agnoscebat, pastorali sollicitudine illos ab errore revocare nititur. Cum enim Cyprianus postposita antiqua et universali, quam ubique intuebatur Ecclesiæ consuetudine (3), subintroductam ab Agrippino predecessore suo de rebaptizandis ab hæreticis baptizatis novitatem sequi et amplecti maluisset (4), ad hanc stabiliendam ac dilatandam duas Carthagine coegit synodos, in quibus statuit una cum cæteris coepiscopis congregatis Baptismum extra Ecclesiam susceptum in ea repetendum esse (5). Res hæc magni ponderis erat, et « ad sacerdotalem auctoritatem et ad Ecclesiæ catholicæ unitatem ac dignitatem, propius pertinebat, » quam ut inconsulto Rom. Pontifice executioni demandaretur, ideoque de hoc negotio « Stephano maxime scribendum esse ac cum ipso conferendum » merito judicarunt episcopi Concilii Carthaginensis (6). Synodicam igitur ad Stephanum dirigunt epistolam, in qua ipsum rei gestæ certiorem faciunt, et commendata Stephani « gravitate, sapientia nec non suæ religionis ac fidei veritate » ipsi significant se nullatenus dubitare, sed « credere ipsi placitura quæ et religiosa pariter et vera forent (7); » qualia nempe esse putabant, quæ in causa Baptismi hæreticorum statuerant.

Sanctus Pontifex ubi tantos non solum in Oriente, quod jam resciverat, sed et in Africa, tamque citatos ad proscribendam apostolicam traditionem agitari motus cognovit, idque a præsulibus eximia sanctitatis doctrinæque fama pollentibus, perspexit continuo quo spectabiliores erant episcopi, qui Ecclesiæ traditionem convellere nitebantur, eo gravius Ecclesiæ imminere periculum, tantique mali labem, quæ magnam Africæ, nec non Ciliciæ, atque Capadociæ partem jam infecerat, quæve in finitimas pervadere non desistebat provincias, brevi Africam totam, totumque Orientem fore perdituram, ideoque necessarium esse providus intellexit non qualecumque, sed efficax juxta promptissimumque tanto malo remedium; qua itaque in Cyprianum, aliosque episcopos auctoritate pollebat opportune utitur nulla contradicendi libidine, sed uno traditionis servandæ studio: « dignum nimirum existimans si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat (8), ipsique per Epistolam (9) præcipit (10) nil esse in hoc negotio innovandum, præcipit, inquam, ut bonus pater, qui nil filiis, ubi etiam oportet, præcipere vult, quin et præcepti æquitatem afferat, modesteque exponat. Cypriano enim significat suæ opinioni contrariam esse antiquam, quæ vigebat, et quam Cyprianus ipse « ubique intuebatur » Ecclesiæ traditionem seu consuetudinem (11): quo sane argumento «humanas» (12) quibus Cyprianus, aliique nitebantur rationes solide evertebat. Quis enim nesciat rationem omnem humanam Ecclesiæ traditioni concedere debere, ac suspectam, ut mitius loquar, habendam esse rationem, quæ tantæ auctoritati adversatur. Hanc insuper traditionem confirmat ipso hæreticorum exemplo, qui ad se venientes non rebaptizabant (13). Absurdam quidem hanc Stephani rationem censebat Cyprianus; verum, ut observabat, non tam pridem vir eruditus, de illa longe aliter judicabunt, qui eam attentius expenderint; cum enim ab Ecclesia recesserint omnes hæretici, mirum non est eos de doctrina illius non nihil retinere, immo nullus re ipsa est, qui non aliquid ex ea retineat; cum igitur quantumvis inter se dissidentes, in aliquo cum Ecclesia consentiunt, hoc ab Ecclesia sibi traditum retinuisse, merito affirmantur, ac proinde non immerito antiquam Ecclesiæ, quam Stephanus asserit consuetudinem vel ipsa hæreticorum praxi confirmat; en Stephani verba, quæ sola nobis supersunt Cypriano ea referente in Epistola ad Pompeium LXXIV. « Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponantur in pœnitentiam, cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent sed communicent tantum. »

Hæc Cypriano scribit Stephanus stylo, qui præter « gravitatem sapientiam ac Religionis veritatem, » quam in ipso Cyprianus commendabat (14) nil sapiat, nisi modestiam eo laudabiliorem, quo tunc temporis episcopi in hac questione dissidentes « præsumptionis, pertinaciæ et perversitatis » se se invicem insimulabantur (15).

(1) In Epist. *ad Cornelium* LV, et *ad Stephanum* LXVIII, supra.
(2) *Concil. Hispan.*, tom. I, dissert. VII et XIV.
(3) S. Augustinus *de Bapt. contra donat.*, lib. II, cap. 8, edit. Benedictin Paris., 1679.
(4) Augustinus ibid.
(5) Cyprianus Epist. *ad Episcopos Numidiæ* LXX et *ad Stephanum* LXXII, supra.
(6) Epist. synod. *ad Stephanum* apud Cyprianum LXXII.
(7) Ibidem.
(8) Vincentius Lirin. *in Commonit.* cap. 9.
(9) Ibidem.
(10) Augustinus *de Bapt. contra donat.* lib. V, c. [illegible]
(11) Cyprianus Epist. *ad Pompeium* LXXIV, et [illegible]
(12) Facundus Hermian. *pro defensione trium Capitul.* lib. X, cap. 3, edit. P. Sirmondi Paris, 16[illegible]
(13) Cyprianus Epist. *ad Pompeium* LXXIV.
(14) Epist. *ad Stephanum*, LXXIV, et supra.
(15) Vide Cypriani Epist. *ad Quintum* LXXI, *ad Iub*[illegible]

Digitized by Google

Tandem ne quid omitteret vigilantissimus pontifex, quod Cyprianum, aliosque rebaptizantes ab exitiali errore latius in dies serpente revocare posset, ipsis « denuntiat sese ab illorum communione discessurum » (1), si in sua sententia persisterent; ut nimirum quos paterno præcepto, ac rationum, quas attulerat momentis minus permovisset, minis saltem, ad errorem deponendum excitaret. Hæc pro vindicanda adversus Cyprianum, aliosque rebaptizantes antiqua et universali Ecclesiæ traditione Stephanus Romanus pontifex, nec plura juxta probata veterum omnium monumenta (2).

A Tam laudabile Stephani pro avita religione servanda studium novitatem amantibus ac errantibus displicuit. Pastoris vox ab iis, qui de una agi disciplina male credebant non auditur, contemnitur; Romanus ipse Pontifex arguitur injuriis, contumelis afficitur (1) verum Stephanus spretus, injuriose tractatus et lacessitus nescit irasci, nescit indignari, nescit conqueri, irritari non valet, omnia fert, omnia sustinet, omnia patitur « omnia bono pacis et unitatis tolerat (2). » Non judicem, non Pontificem maximum, non spretum, non offensum se cogitat, ut paternæ ac christianæ charitati unice intendat; filios errantes, inobtemperantes, ac contumeliosos non increpat, non objurgat, non punit, sed « vir ubique magnus ac magna charitate præditus (3). » sollicita pietate tolerat (4), B mansuetus et humilis non studet injurias repellere, vel æsum honorem vindicare, sed « studet servare unitatem spiritus in vinculo pacis (5). » Senserat quam « perniciosæ dissensionis periculum haberent, quæ in ipsum irritati effuderant » adversarii (6) ideoque omnia sub velo silentii, sub velo charitatis tegit: os suum nec aperit, ut suam defendat innocentiam, uni Deo suæ justificationis curam reliquens; non propriis, sed Ecclesiæ bonis, paci, non suæ defensioni vigilat, et una « pax vicit in ipsius corde (7), » non desperans sua tandem patientia ac longanimitate adversariorum corda movere, ipsosque ad meliorem frugem reducere, quod ut a Deo impetraret bonis operibus magis ac magis abundare nitebatur.

Interim enim, dum magni a rebaptizantibus motus C in Africa et Oriente excitantur, ipse domi « monitionibus sanctis et eruditione Scripturarum omnes imbuebat (8), » cæterisque eo grandior, quo sibi vilior commissum gregem cœlesti doctrina pascere non solebat, nisi præmissa suæ indignitatis confessione: se audiri rogabat non ut pontificem, non ut magistrum, non ut pastorem, sed ut peccatorem; «Filioli mei» humilis inquiebat, « audit me peccatorem »

*ianum* LXXIII, atque Episcopi anonymi tractatum qui incipit *Non debere*, etc. apud Labbæum tom. I, Concil. pag. 770. et supra.

(1) Dionysius Alexandr. apud Euseb., *Hist. Eccl.*, lib. VII, cap. 5, et supra.

(2) Inter probata veterum momenta non recensemus Firmiliani ad Cyprianum epistolam, quæ irati animi monstra nobis exhibeat, non sancti episcopi dicta, quæ veritatem religionem, æquitatem, modestiam, ac charitatem christianam sapiant. Scribit quidem Firmilianus Stephanum cum Cypriano pacem rupisse, ipsumque pseudo christum, pseudo apostolum vocasse, ac ipsius legatis communionem ac hospitalitatem denegasse; at hæc in Stephani litteris non leguntur. Hæc veterum nemo de Stephano vel obscure indicavit. De his apud Stephanum conquestus non est Cyprianus ipse, qui tamen de levioribus, genio commotionis indulgens, altas et amaras edidit querelas. Hæc non attulit Augustinus pro minuenda, ut totus allaborabat, Cypriani in Stephanum irritationis culpa. Hæc mansuetudini, lenitati, et charitati quæ in Stephani vita ubique eluxere minime consona. Hæc si credenda sunt, quia ea Firmilianus effutiit, credendum jam erit Stephanum fuisse audacem, insolentem, improbum, manifeste stultum, inhumanum, schismaticum, falsum testem, omnibus hæreticis pejorem, cum Juda ipso Christi proditore comparandum; credendum jam erit beatos Apostolos Petrum et Paulum a Stephano fuisse infamatos, ac de nullo alio magis, quam de Stephano Scripturam sacram dicere: *Homo animosus parit lites et vir iracundus exagerat peccata.* Credendum jam erit zelum Dei apud Judæos ignorantia cæcos ac gravissimo crimine constrictos magis inveniri, quam apud Stephanum, ac hujus animam fortasse unam non esse, adeo est lubrica, mobilis et incerta. Credendum jam erit Stephanum pacem cum singulis per totum orbem episcopis vario discordiæ genere rupisse, ac merito nuncupandum pseudo christum, pseudo apostolum, et dolosum operiarum. Credendum etiam erit Romanam Ecclesiam frustra Apostolorum auctoritatem prætendere, nec in ea traditiones apostolicas conservari: Credendum erit hæreticos non nisi post longam ætatem ab Apostolorum temporibus vixisse. Hæc enim omnia, ut alia omittam, Firmilianus in ea epistola profudit. Hæc hominem perhibent bile adeo agitatum et commotum, ut veritati, æquitati, religioni, ac charitati intendere non valuerit, quæ proinde totam Firmiliano ad Cyprianum scribenti fidem detrahant.

Et revera quæ Stephano Firmilianus objicit tamquam pura putidaque commenta tota habuit antiquitas. Nil in Stephano contra Cyprianum agente hæc reprehendit; immo Stephanum constantissime commendat, idque palam sæpiusque de Stephano negat, quod de ipso Firmilianus aperte affirmat ut infra ostendemus. Nec pluris apud Gallicæ etiam gentis scriptores habetur Firmiliani hac in re testimonium, quorum quidem major ac senior pars nullam ipsi fidem concedendam esse libere pronuntiat, de quo videri possunt Natalis Alexander. in *Hist. Eccl.* III. Eccl. sæculi dissert. 12, art. I, p. 687. Frassen *de Sacramentis*, quæst. 3, p. 96. Turnelius *de Sacramentis*, quæst. 7, art. 2, p. 447. P. Constantius *de Epistolis Rom. Pontificum*, tom. I, p. 250, de Reverono *in Dissertatione Dogmatica de dissidio* inter S. Cyprianum et S. Stephanum, p. 71, et alii quam plures, quorum argumenta falsitatem eorum, quæ Firmilianus Stephano impegit adstruentia prosequi per tempus non licet. Id unum asserere juverit, quod ultro D concedet quilibet verum æquus æstimator, a Cypriano nimirum, Dionysio Alexandrino, Eusebio, Augustino, Hieronymo, Vincentio Lirinensi, Facundo Hermian., cæterisque omnibus qui de hac re pacatis animis scripserunt, percipienda potius esse, quæ Stephanus contra rebaptizantes egit, quam ab uno Firmiliano infestissimo Stephani adversario, qui sermonem intra veritatis et æquitatis limites continere in citata epistola non valuerit.

(1) S. Cyprian. Epist. *ad Pompeium* LXXIV, et Firmil. Epist. ad Cyprian. LXXV, inter Cyprianicas.
(2) August., lib. VI, *de Bapt.*, *contra Donat.* c. 22.
(3) August., lib. I, *de Bapt.*, c. 7.
(4) August., lib. VI, *de Bapt.*, c. 22.
(5) August., ibid.
(6) August., lib. V, *de Bapt.*, c. 25.
(7) Augustinus, ibid.
(8) In actis Hypoliti, Eusebii et sociorum apud Ba-


Digitized by Google

(1) qui autem omnes Christo lucrifacere contendebat, non fidelibus tantum erudiendis ac sanctificandis, sed et gentilibus ad fidem convertendis totus allaborabat; quot vero, quantique fuerint apostolici tunc temporis sanctissimi pontificis labores, referunt acta Hippolyti, Eusebii et sociorum, in quibus etiam videre est Stephanum ipsum Ethnicis baptizandis ita occupatum, ac si vel nihil negotii haberet, vel presbyteri deessent, quibus eam curam committeret, dum vacaret ipse gravioribus. Irritos Deus noluit tot Stephani labores; optata Stephano concessa merces « crescente in dies Christianorum numero (2) »

His deditum sollicitudinis pastoralis, ac zeli apostolici officiis Stephanum excepit epistola Dionysii magni Alexandrinæ urbis episcopi. Cum enim ad præclarissimi hujus antistitis notitiam pervenissent hinc et inde in rebaptizantium negotio gesta, facile intellexit quam gravi dolore Romani pontificis animus affectus esse debuerat, justamque timendi causam invenit Stephanum a rebaptizantibus spretum, injurioseve tractatum tandem moveri posse ad pœnas, quas illis minitatus fuerat infligendas; idcirco pro sua erga Stephanum singulari dilectione illius mœrorem sublevare per litteras accelerat, ipsiusque clementiam pro rebaptizantibus implorat: quod enim tanto ecclesiarum pacis amatori pontifici pergratum maxime futurum non ambigebat, ipsi sollicite nuntiat « cunctas per Orientem et ulterius positas Ecclesias, quæ prius » ob Novatiani pravitatem « erant discissæ nunc tandem ad unitatem reversas esse, et omnes ubicumque Ecclesiarum antistites unum idemque sentire et ob redditam insperato pacem incredibili gaudio exsultare (3); » nec sine jucunditate in memoriam ipsi revocat quanta charitate ac liberalitate remotissimis Syriarum et Arabiæ provinciis omnibus tum litteris, tum nummis sæpius succurrerit, quas ob hanc concordiam ubique lætitia gestire ipsi significat (4). Denique omnia de pacifici pontificis bonitate sibi pollicitus, minarum, quas rebaptizantibus intentarat, executionem suis precibus avertere confidit « pro illis Stephanum rogans atque obtestans (5). » Hanc Dionysii spem non fefellit eventus, cum Stephanus « vir magna charitate præditus, rebaptizantes in charitatis patientia sollicita pietate toleraverit (6) ».

Immanis, quæ sæviebat in dies adversus Christianos Valeriani imperatoris persecutio Stephani zelum, curasque pastorales non minuit, sed auxit: eo fortior, quo majoribus premebatur angustiis, eo vigilantior, quo graviora instabant pericula, illuxit tunc, calamitosissimis nimirum temporibus, quanta esset pontificii animi magnitudo, quantus pastoris in greges amor, quanta sollicitudo, quanta in ferendis laboribus constantia, quantus denique paternæ erga omnes charitatis ardor. Quibus enim conatibus tyrannus dispergere, ille colligere dilectum gregem allaborabat, quæsitos ubique « Christianos in martyrum cryptis ac cœmeteriis congregans, ut omnes de regno Dei et vita æterna doceret (1); » hic vero eos hortari non de-

(1) Hæc et sequentia usque ad Stephani Vitæ finem litteris Romanis seu ut vocant cursivis delineata ex authenticis Stephani Actis excerpimus, quæ paulo post illius martyrium a notariis Romanis conscripta sunt, Ecclesiæque universæ tum latinæ tum græcæ per tot retro sæcula probata, ut videre est apud Odoacrum Ilbachium in *Actis SS. martyrum vindicatis* Romæ, an. 1723, excusis, et apud Bollandi continuatores ad diem 2, Augusti de illorum auctoritate fusius disserentes, a quibus hæc mutuati sumus in eorum commodum qui citatos auctores præ manibus non haberent.

1° Stephani Acta apud omnes sunt vulgatissima; exstant in pluribus Græcis, Italicis, Gallicis, Germanicis, Belgicis, aliarumque nationum manuscriptis codicibus, in quorum nonnullis vetustissimis illa Acta dicuntur *scripta fideliter et graviter a notariis Romanis latine.*

2° Antiquissima sunt et universæ Ecclesiæ probata. S. Damasus Papa *carmine* 35, inter ejus opera a Sarazanio collecta, ex his Actis nonnulla excerpsit, quæ scilicet de S. Tharsicio canit, hæc enim usquam nisi in Actis S. Stephani descripta fuisse sciuntur. Ado Viennensis archiep. Stephani acta in codicibus passionum undique collectis quorum meminit in præfatione ad vetus martyrologium Romanum invenit, et in suo martyrologio exscripsit. Martyrologium Romanum vetus octavo sæculo conscriptum ea Stephani Acta sequitur in describendo ipsius martyrio et aliorum qui in his actis passi referuntur. Hæc Stephani acta in omnibus Mænologiis et Mæneis Græcorum, in martyrologio etiam Basilii imperatoris, in martyrologiis Usuardi et Notkerii compendiose exhibentur. Hæc S. Petrus Damianus sermone 38, de S. Stephano, *Authenticam passionis ejus historiam* appellat. Metaphrastes e latinis ea græca fecit ut videre est apud Lipomanum et Surium. Demum ut omnia verbo dicam martyrologia omnia, breviaria omnia antiqua non Romana tantum, sed et plurimarum per Occidentem Ecclesiarum, omnia Græcorum et mænologia et mænea Stephani nostri martyrium non aliunde quam ex his Actis eduxerunt.

3° Sicuti veterum nemo de istorum Actorum auctoritate umquam dubitavit, ita postremis etiam sæculis elapsis, germana et fidelissima visa sunt iis qui antiquitatis illustrandæ sedulo vacarunt. Consule, si placet, Schelestratium insignem antiquarium, *Antiquit. eccl.* tom. I, dissert. 2, cap. 7. Nunc vero paucis Neotericis a Pearsonio hæterodoxo edoctis placuit istorum Actorum auctoritatem in dubium revocare, inter quos eminet Tillemontius, plura congerens in nota 1 ad S. Stephanum argumenta ad illorum auctoritatem prorsus elidendam, quorum aliqua ad summum evincunt mendosa quædam in his Actis irrepsisse, quæ Stephani labores apostolicos aut martyrium non spectant, alia vero quæ in Stephani gesta etiam intorquentur nullo veterum testimonio, sed meris nituntur conjecturis quæ sint levissimæ, e. g. juxta Tillemontium rejicienda sunt Acta Stephani, quia in his aliqua a Stephano *patrata* miracula referuntur; quia nonnulli ibidem dicuntur *ante Stephani pedes sese prostravisse;* quasi vero paria in

ronium ad an. 259, quæ legitima certo videri fatetur ipse etiam Tillemontius nota 2, in S. Stephanum his verbis: *Baronius nous donne dans ses Annales les actes des saints Eusèbe, Marcel, Hippolyte,* etc., *comme des actes légitimes, ils en ont assurément beaucoup l'air.*

(1) Ibidem.
(2) Ibidem.
(3) Apud, Eusebium *Histor., Eccl.* lib. VII, cap. 5, et supra.
(4) Ibidem.
(5) Ibidem.
(6) Augustinus, locis supra citatis.

Digitized by Google

sinebat, ut pro Christo martyrii coronam alacriter susciperent : « fratres, inquiebat, et commilitones mei, respuite facultates terrenas, ut regnum cœleste percipiatis; nolite timere principes sæculi, sed orate Dominum Deum Cœli, et Jesum Christum Filium ejus qui potens est nos omnes eripere a manibus inimicorum et diaboli sævitia et suæ gratiæ sociare ; » tanta vero Stephanus in docendo et in exhortando gratia ac sapientia pollebat, ut « ex paganis ipsis multi concurrerent ut audirent verbum ejus. » Quæ vero fuerit Stephani sermonum efficacia, probat numerosa illa paganorum multitudo, quæ Stephano audito religioni christianæ sine mora nomen dabat, quosque omnes indefessus pontifex non alienis, sed propriis manibus « sacri Baptismatis mysteriis consecrabat; » probant et illæ Christianorum generosæ voces, quibus Stephano fidei necessitatem, aliasque virtutes commendanti succinebant « Nos desideramus et facultates terrenas derelinquere, etiam et sanguinem propter nomen Domini nostri Jesu Christi fundere, si tamen ejus meremur gratiam adipisci. »

Ut autem fortes ac constantes redderet S. Pontifex illos pietatis sensus, quos crebris exhortationibus in fidelium corda excitabat, ac ingerebat, sæpius « pro illis sacrificium Deo offerebat » curabatque ut « omnes corpore et sanguine Christi participarent. » Tantaque ipsis virtutum omnium exempla præbebat, ut Romanis, oculatis nempe testibus « Spiritus sancti gratia repletus, » veluti alter Stephanus protomartyr videretur, ac diceretur. Sic verbo, opere et exemplo gentiles ad fidem convertere, fideles in fide corroborare, ac ad martyrium fortiter obeundum disponere Stephanus R. pontifex enitebatur. Tot ornatum virtutibus pontificem, et miraculis clarescere Deus voluit; quam enim suis exhortationibus Christo per Baptismum generat Lucillam Nemesii Tribuni « filiam vi suarum orationum a nativitate cæcam » etiam « illuminat. » Non mirum igitur si sub tanto pontifice tot viderit Roma, tot celebret Ecclesia generosos Christi atletas, qui ad agonem usque pro Christo certaverint, qui spretis minis sicut promissis, blanditiis, honoribus, divitiis æque ac tormentis superatis, martyrii palmam tunc fuerint consecuti, quorum « corpora » sicut ubique « requiri curabat, » ita « sepelire ipse » pontifex humilis ac religiosus « non dedignabatur. »

Tot pro servanda ac propaganda religione christiana exantlatis laboribus, tot sustentis angustiis, pluribusque institutis episcopis, presbyteris ac diaconibus(1); ac superato jam exilio, teste Anastasio (2) Stephano jam nihil supererat, quam tandem illam pro ovibus animam ponere, quam perdere pro illis numquam timuerat, cruentoque sacrificio sese victimam Deo placentem offerre, qui incruentis toties sese immolaverat: hoc unum Stephano restabat ardentissimæ erga Deum et homines suæ charitatis præbendum specimen : hoc unum pulcherrimum Deo, et hominibus dandum a pontifice maximo spectaculum; Stephano datur occasio, occasioni Stephanus non defuit; pro Christo, pro grege moritur qui pro Christo, pro grege semper vixerat; quemque tot sudoribus sibi creditum agrum irrigaverat, suo etiam sanguine fœcundari non recusat, gloriosoque martyrio sanctissimæ ac laboriosissimæ vitæ finem imponit.

Cum enim Valerianus imperator accepisset Stephanum « suis persuasionibus atque adhortationibus » populo ab idololatria revocando incumbere, missis militibus illum comprehendit; comprehensum pastorem « Christianorum plurimi sequebantur a longe cum lacrymis; » ad tyranni tribunal adductus palam confitetur « Christum Jesum Filium Dei Deumes se cum Patre et Spiritu sancto; » Valeriano libere declarat « dæmonia » esse quæ a paganis « adorabantur idola, » seque Romanos monere atque hortari, ut, illis derelictis ad Deum vivum et verum creatorem cœli et terræ redirent. » Auditum Stephanum jubet imperator in fanum Martis deduci, ubi, si illi sacrificare nollet, capitis sententia puniretur; sanctus Pontifex ibi « levatis, ad cœlum oculis » orationem ad Deum coram omnibus effundit; ac repente de cœlo tactum est delubrum et idolum, et magna ex parte corruit, quod cernentes milites pavefacti fugerunt; Stephanus vero, suis comitatus ad sanctæ Lucinæ cœmeterium se recipit, ibique fidelibus « ut bonus pastor multis consolationibus, atque exhortationibus » ad martyrium accensis « obtulit sacrificium Deo omnipotenti. » Hæc audiens Valerianus milites rursus ad eum capiendum mittit, qui Stephanum inveniunt sacrificium Deo offerentem, qui « intrepidus et constans ante altaris solemnia et jugiter cœpta perficiens eodem loco, sic in sua decollatus est sede (1) sub die quarto nonarum augustarum. Factus est autem maximus Christianorum planctus, qui talem pastorem cum gloria martyrii præmiserunt ad cœlestia regna. » Sepelierunt autem ejus

(1) Catalogus R. Pontif. 6, sæculi et Anastasius bibliot. ad *Vitam S. Stephani.*

(2) Ibidem.

(1) Stephani martyrium capitis amputatione fuisse consummatum præter Stephani acta tradunt Anastasius bibl. *in Vita Stephani*, martyrologium Romanum, martyrologia Adonis, Usuardi et Notkerii, Græcorum Mænologia, Græcorum mænea, Mænologium Basilii imperatoris; Metaphrastes apud Lipomanum, S. Petrus Damianus sermone 38 *de Stephano*, Platina *in Vita Stephani*, martyrologium Gallicanum, uno verbo qui ex veteribus omnes Stephani morti describendæ vacarunt, quorum nemo aliud mortis genus ipsi affingit. Hæc antiquissima, hæc una de Stephani morte hactenus ecclesiarum omnium traditio, cui potius subscribendum esse puto, quam Tillemontio sine teste, sine probatione temere conjiciendo effutienti in notis ad S. Stephanum, *ipsum obiisse in carcere, vel exilio vel alio modo minus glorioso, non autem per judicis sententiam aut manu persecutorum, quod verum tunc temporis perfectumque martyrium reputabatur.* Ita Tillemontius pro suo ad conciliandam Stephano venerationem studio.

Sinceris aliis veterum Actis nunquam recitarentur. Cæterum hæc Tillemontii argumenta solide et abunde refutata leguntur apud Ilbachium et Bollandistas in locis supra citatis; et certissime numquam efficient ut illa Stephani Acta venerandam Ecclesiæ universalis approbationem in his quæ ad Stephanum attinent per tot retro sæcula non habuerint.

Digitized by Google

corpus cum ipsa sede «sanguine ejus conspersa» in eadem crypta, quæ est in cœmeterio Callixti, via Appia.

Hæc S. Stephani Romani illo nomine primi pontificis vitæ Coronides. Hæc præcipua gesta inclyti illius fidei apostolicæ defensoris, quem universa Ecclesia tamquam martyrem gloriosum jugiter coluit et colit, Latina quidem die 2 Augusti, Græca vero eodem die, vel sequente, vel etiam 30 Augusti et 7 Septembris, ut videre est in diversis Græcorum fastis apud Bollandi continuatores ad diem secundam Augusti, huic porro Ecclesiæ judicio de Stephani martyrio tota suffragatur antiquitas.

Stephanum enim martyrio fuisse coronatum, martyrem fuisse veterum nullus negavit umquam, aut dubitavit; testantur vero germana Stephani Acta, ut vidimus. Martyrologium S. Hieronymi apud Florentinium, missale Ambrosianum, Liber pontificalis sub nomine Damasi papæ apud Labbeum, S. Gregorii liber Sacramentorum, martyrologium Romanum vetus octavo circiter sæculo conscriptum; S. Paulus R. pontifex in suo diplomate pro translatione reliquiarum S. Stephani: Anastasius bibliothecarius, ubi de Stephano; venerabilis Bedæ martyrologium, menologia et mænea Græcorum, menologium etiam Basilii imperatoris; martyrologia Adonis, Usuardi, Notkeri apud Canisium, Rabanus archiepiscopus, Moguntinus in suo martyrologio; Waldelbertus, Ordericus Vitalis in lib. Eccl. Histor., Metaphrastes apud Lypomanum, S. Petrus Damianus sermone 38 de S. Stephano; hodiernum martyrologium Romanum, martyrologium Gallicanum, etc. Id pariter confirmant sacra et pervetusta plurium in Italia, Sicilia, Hispania, Germania, Lotharingia, Belgio ecclesiarum monumenta, in quibus fit mentio reliquiarum S. Stephani « papæ et martyris quæ ibidem cum magna veneratione asservantur. » Una tandem omnium de Stephani martyrio hactenus erat sententia, quando neotericos quosdam ætate nostra non puduit Stephani martyrium vetustissimis tot per Ecclesiam universam testimoniis assertum in dubium revocare, eo quod S. Augustinus et Vicentius Lirinensis nil de Stephani martyrio scripserint, et in uno antiquo privati cujusdam Kalendario Stephanus martyris titulo non decoretur, et tandem quia S. Pontius in vita S. Cypriani Xistum Stephani successorem vocaverit « bonum et pacificum sacerdotem ac beatissimum martyrem, ex quo inferunt arguti Pontium his verbis voluisse Stephanum perstringere ac negare eum fuisse beatum martyrem, quæ neotericorum pro abjudicando Stephani martyrio argumenta, seu potius misera perturbati animi ludibria exponere jam est refutare: qui plura ac magis testata et illustrata de Stephani martyrio desiderat, consulat inter alios Odoacrum Ilbachium in Actis sanctorum martyrum vindicatis, Romæ an. 1723, excusis lib. v, cap. 6 et 7, ac præcipue eruditos Bollandi continuatores ad diem 2 Augusti, quorum laboriosis inquisitionibus non parum adjutos nos hic fuisse memores et grati, candide ac libenter agnoscimus et declaramus.

# APPENDIX

## AD VITAM S. STEPHANI ROMANI PONTIFICIS ET MARTYRIS, IN QUA IPSIUS CONTRA S. CYPRIANUM ALIOSQUE REBAPTIZANTES AGENDI RATIO VETERUM TESTIMONIIS A QUORUMDAM NEOTERICORUM CALUMNIIS VINDICATUR.

S. Stephanus, ut vidimus, in causa Baptismatis hæreticorum Cypriano, Firmiliano, aliisque rebaptizantibus præcepit, ne antequam hæreticos sine iterato Baptismo recipiendi mutarent Ecclesiæ traditionem, illisque denuntiavit sese ab illorum communione discessurum, si in sua sententia persisterent.

Qui cæco in Romanos pontifices odio abrepti illorum actis vituperandis ac diffamandis potissimum incumbere videntur, neoterici nimirum, quos impugnamus, hanc Stephani contra rebaptizantes agendi rationem vellicare, et quo possunt dente carpere non cessant: duram, intempestivam, præcipitem et iniquam esse vociferantur. Stephanum præcipiendo ac excommunicationis minas intentando et suæ potestatis limites prætergressum fuisse, et immoderatæ ac iniquæ severitas specimina dedisse contendunt, Stephani zelum damnant tamquam ad omnia devastanda unice conducibilem; verbo dicam, sanctissimum Pontificem impotentioris dominatus tumidique fastus, immo tyrannidis et ecclesiarum oppressionis insimulare non erubescunt.

Verum quam sane diversum SS. Patrum ac veterum omnium de Stephano judicium, quam validum ad vindicandum ab iis calumniis æquam et sapientem Stephani contra rebaptizantes agendi rationem.

I. Enim perlegantur veterum omnium cum Græcorum, tum Latinorum, qui res pacata ac serena mente considerabant monumenta. Perlegatur strenuus ille Ecclesiæ traditionum vindex episcopus Cypriano coævus, cujus modestia et humilitas nomen nobis invidit, in suo qui incipit: « Non debere denuo baptizari, etc. » tractatu (1), consule Dionysium Alexandrinum,

(1) Tractatus qui incipit his verbis: *Non debere denuo baptizari qui semel in nomine Jesu Christi sint tincti* ex concessione Jacobi Sirmondi primum a Nicolao Rigaltio editus post Cypriani *ad Pompeium* epistolam, deinde a Philippo Labbeo, t. I, *Concilior.*; postea ab Anglis Cypriani operum editoribus inter opuscula Cypriano vulgo adscripta, anonymum licet habeat auctorem, magnam tamen apud eruditos obtinet auctoritatem Si enim auctoris scopum attendas, in controversia Baptismatis hæreticor. Ecclesiæ causam contra Cyprianum ejusque asseclas viriliter propugnabat, si ejus personam et antiquitatem, erat episcopus Cypriano coævus ut merito observarunt et ipsis Gallis Tillemont. *Hist. eccl.*, tom. IV, pag. 152 et 629. Fleuriacus, *Hist. eccl.*, t. II, l. VII, c. 34, p. 278. Dupin. *Bibl. eccl.*, t. I, p. 531. Natalis Alexand. *Hist. eccl.*, t. III, p. 691, et, t. V, p. 488 et 495. Tur-

Digitized by Google

Eusebium Cæsariensem, Hieronymum, Augustinum, Vincentium Lirinensem, Facundum Hermianensem, V. Bedam, Nicephorum Callixtum, Georgium Syncellum; volvantur et ipsorum Donatistarum scripta, et si qui sunt alii, qui de agitata Stephanum inter et Cyprianum circa hæreticorum Baptisma quæstione verba fecerint; hi profecto quid hinc et inde in hoc dissidio gestum fuerit non ignorabant, sicuti notum omnibus erat Stephanum in hac causa præcepisse ac minas excommunicationis rebaptizantibus intentasse, ita ex illis quamplures id passim testantur; attamen nemo Stephanum non dico inhumanitatis aut tyrannidis, sed vel minimæ severitatis erga Cyprianum, et alios insimulat, nemo aliquid in Stephani agendi ratione deprehendere valuit, quod ulla censura vel animadversione dignum sibi videretur. Et certe si tale aliquid observassent memorati scriptores, illud profecto minime suppressissent, nec Stephano magis quam Cypriano, cujus tanta agnoscebant et prædicabant merita, pepercissent, in quo tamen fuisse aliquid culpandum, aliquid corrigendum, manifestare veriti non sunt. Quanta apud veteres Cypriani existimatio! Quot Cypriani panegyristæ! Quot Cypriani defensores! innumeros fere congessit Launoius (1); illorum tamen nec unus Cypriano intempestivam et minus rectam pronuntianti Stephani agendi rationem suffragatur, nullus Cypriano hac in parte adstipulatur; nullus Cypriani sequitur judicium, nullus Cyprianum eam ob causam excusat, quod Stephanus in ipsum severius sese gesserit. Quantum Augustini in elevandis ac minuendis Cypriani erratis studium! Quantus ardor! Quanta propensio! Nullibi tamen adoptat quæ Cyprianus pro sui defensione contra Stephanum effuderat, nullibi intempestivum subindicat Stephani zelum, ut nimiæ Cypriani in ipsum commotionis culpam imminuat. Uno verbo veterum nemo intempestivam aut severam, aut minus sapientem dixit Stephani adversus rebaptizantes agendi rationem, ullus in Stephano aliquid reprehendendum invenit. Qui autem Stephani agendi rationem vellicassent aut improbassent illi qui ipsam, quando opus fuit, celebrare ac commendare non omiserunt, ut modo videbimus.

II. « Graviter revera Cypriano succensebat » Stephanus (2), quando ipsi præcepit ac denuntiavit se ab illius communione discessurum si in sua sententia persisteret; at de hac gravi Stephani successione quid putarunt tot per orbem universum episcopi, qui pro sana Ecclesiæ doctrina cum ipso contra rebaptizantes militabunt? Illamne credebant incongruam aut intempestivam? Numquid in eo tantum Stephano suffragabantur, quod antiquam Ecclesiæ traditionem teneret, non vero in eo quod gravius Cypriano aliisque rebaptizantibus succenseret? Id quidem excogitarunt recentiores nonnulli; at nemine antiquorum refragante testatur Augustinus totam illam episcoporum multitudinem cum Stephano non tantum Baptismum Christi in nullo iterandum esse censente, sed « et hoc facientibus graviter succensente sensisse »: libro enim de uno Baptismo contra Petilianum, cap. 14. « Stephanus, inquit, Baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat et hoc facientibus graviter succensebat; Cyprianus autem in hæresi vel schismate baptizatos tamquam non habentes Baptismum Christi baptizandos in Ecclesia catholica existimabat: multi cum illo, quidam cum isto etiam sentiebant. »

Quot autem cum Stephano fuerint qui multi hic ab Augustino dicuntur, significat ipse scribens contra Cresconium, lib. III, cap. 3: « Proinde, inquit, si omnino jam credendum sit quinquaginta episcopis Orientalium id visum esse, quod septuaginta Afris vel aliquanto etiam pluribus contra tot millia episcoporum quibus hic error in toto orbe displicuit.

Ante Augustinum tradiderat S. Dionysius Alexandrinus Stephani judicium, quo volebat rebaptizantes, qui in sua sententia persisterent excommunicandos esse, fuisse simul judicium et sententiam reliquorum episcoporum, teste Eusebio, lib. VII, *histor.*, c. V, apud Valesium: « ad hunc (Xistum R. pontificem) Dionysius secundum de Baptismo scripsit epistolam, in qua Stephani simul et reliquorum episcoporum sententiam ac judicium exponit; » quale autem fuerit Stephani, quod simul reliquorum erat episcoporum judicium, quæ immediate sequuntur hæc manifestant verba: « De Stephano ita scribens; ante quidem litteras scripserat de Heleno et Firmiliano, de omnibus denique sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, cunctasque finitimas provincias constitutis sese ob eam causam: ab illorum communione discessurum quod hæreticos baptizarent. »

Idem testatur et Nicephorus Callixtus his verbis: « Ad Xistum secundam de Baptismo epistolam Dionysius dedit Stephani et reliquorum judicium in ea ostendens, scripserat namque prius de Heleno et Firmiliano se cum illis non communicaturum eam ipsam ob causam quod hæreticos rebaptizarent (1). »

Vincentius etiam Lirinensis Stephanum Cypriano restitisse tradit, nec ignorabat quo pacto Stephanus restitisset, præcipiendo videlicet, ac minas excommunicationis intentando, quandoquidem Stephani ad Africanos epistolam refert (2); attamen huic Stephani intercessioni cæteros undique complausisse Præsules affirmat his verbis: « Stephanus apostolicæ Sedis antistes cum cæteris quidem collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit (3). »

III. Censuit S. Stephanus rebaptizandos non esse hæreticos, insuper arbitratus est Cyprianum aliosque

nelius, *de Sacramentis*, p 375. Baillet, in *Vitis sanctorum* ad diem 2 Augusti, p. 20. *Defensor declar. Cleri Gallic.* 1682. t. 2, p. 266. P. Gervasius, in *Vita S. Cypriani*, p. 421 et seq. D. Marand in Baluziana Cypriani operum editione præfat., p. 126. D. Cellier. Benedict. *Histor. Sacrorum auctor.*, t. 3, p. 134, et alii quamplures.

(1) Epist. *ad Bevilaquam* 15.
(2) Augustin., lib. un. *contra Petilian.*, c. 14.

(1) *Histor. eccl.*, lib. VI, c. 7, edit. Paris. 1630.
(2) Commonit., c. 9.
(3) *Ibid.*

Digitized by Google

nil nisi recte docuerit, adeo ut « ab illis etiam levissimis erroribus immunis extiterit, qui primis Ecclesiæ Patribus communes fuerunt, » (1) et alia id genus permulta, quæ vix in hyperbolico panegyrico tolerarentur, quia nimia et redundantia stomachum movent, frigide excipiuntur, insulsa videntur, spernuntur et irridentur. Ita plurimi ratiocinantur, qui etsi bene sciant nulli facilius veniam concedi, quam illi qui de nimiis erga nos laudibus accusatur, in illis tamen rependendis modum a nemine excedendum esse putant.

Verum quidquid sit de hoc, quod neotericis nostris inuritur, vitio, fateri omnes debemus nil ab ipsis prætermissum, quo lectorum animos ad ea comprobanda disponerent et inclinarent, quæ pro Cypriani defensione etiam levissime suppeditarentur. Lectorum igitur animis sic erga Cyprianum dispositis et affectis, rem ipsam attingunt neoterici quos spectamus, atque Cypriani adversus Stephanum agendi rationem vindicare modis omnibus ac defendere aggrediuntur.

Videamus nunc tandem quid pro illius Cypriani defensione protulerint neoterici nostri. Fleuriacus, sicuti suum in describendo Stephani martyrio calamum ita moderatus est, ut tantum traditionis vindicem sine minima laude morientem dimiserit, ita seipsum adeo temperavit in hac Cypriani epistola referenda, ut satis superque habuerit asserere Cyprianum in hac epistola responsum refutandum assumpsisse (2). Et revera nihil in ea Cypriani epistola vel tantisper a charitate alienum se deprehendisse nobis significat, quando tradit Cypriani sanctitati suum errorem nullatenus obfuisse, quia non solum Ecclesiæ unitatem, sed et charitatem in hoc negotio semper conservaverat (3).

Fleuriaco concinit Launoius, qui Cypriani ad Pompeium epistolam celebrat ut nervosam et fortem; illa enim relata : « hæc, inquit, (4) nervose et fortiter Stephano opponit Cyprianus ; » immo posterorum judicio memoriæ dignissimam illam fuisse tradit æque ac Firmiliani ad Cyprianum epistolam : « Posteri, inquit, Stephani epistolas memoriæ minus dignas, Cypriani vero et Firmiliani epistolas memoriæ dignissimas judicarunt (5). » Tillemontius qui Stephanum etiam *inhumanitatis* accusare non hæsitavit (6) læsam tamen a Cypriano ad Pompeium scribente mansuetudinem ac fraternam charitatem minime fuisse fidenter affirmat (7).

Lombertus in sua præfatione præfixa operi gallice inscripto : *les Œuvres de S. Cyprien, évêque de Carthage et Martyr traduites en français*, hanc Cypriani epistolam *magnanimitate* ac *libertate* episcopali adeo dignam censuit, ut ab Augustino laudes promeruisse tradat : ea enim recitata erumpit in hæc verba : « Sic libere S. Cyprianus ac generose suam circa Baptismum opinionem contra papam Stephanum defendit, de quo a S. Augustino laudatur, » unde nil mirum, si sæpius inculcat Cyprianum in hac de Baptismo concertatione « maxime moderationis specimina semper dedisse. » Enumeratos hactenus Cypriani vindices superavit P. Gervasius. Etenim in *vita S. Cypriani*, quam gallico idiomate, supresso tamen nomine, edidit, *excellentem*, vocat quam ad Pompeium Cyprianus scripsit epistolam, in qua elucet « vigor vere apostolicus (8) ; tantamque in illa unctionem ac moderationem christianam, sive se ipsum defendat Cyprianus sive suum aggrediatur aut refutet adversarium, inveniri contendit, ut fateri omnes oporteat Ecclesiæ juribus magis quam propriis *illum* intendisse (9) ; recensitis enim iis omnibus quæ, ut supra vidimus, in Stephanum Cyprianus, effutiit, exclamabundus ait : « En præclarus profecto ardor ac valde spiritualis ; in sanctis illis animi impetibus dignoscitur cor amoris divini flammis penitus accensum, ac nihil aliud spirans quam domus Domini gloriam ac pulchritudinem (10). »

Demum prætermissis aliis nonnullis id generis scriptoribus, Dupinus in sua *Bibliotheca Eccles.*, nobis significat totidem fuisse veritates, quidquid in Stephanum Cyprianus congessit ; immo veritates, quas Stephano licet ingratas, ipsi tamen objicere teneretur Carthaginensis episcopus, et quantum potuit, consueta sua jucunditate, temperare curaverit. Ubi enim cum Tertulliano Cyprianum comparat, ab illo scribit adversarios injuriose tractari ; « at *S. Cyprianus*, inquit, longe moderatior, si quando suis adversariis veritates quæ ipsi displiceant dicere tenetur, eas, quantum potest, sua jucunditate temperat (11) ; unde licet Stephanum in suo responso *magnæ duritatis* insimulet (12), nihil tamen in Cypriani ad Pompeium epistola notavit, quod moderationi minus consonum videretur (13), in quo socium habet Adrianum Baillet in *vitis Sanctorum* (14).

Hæc et alia multa id genus, novaturienses theologi pro vindicanda Cypriani in Stephanum agendi ratione, quæ quidem si cuipiam inflata et exagerata videantur, eo solum nomine sint vituperanda quod veritatem offendant, utcumque tamen toleranda, quod nullius famam, nullius dignitatem, nullius sanctitatem directa saltem fronte impetant. Verum hos intra limites contineri nequaquam valuit effrenis adversariorum in laudanda Cypriani agendi ratione labor et impetus.

(1) Dupin, *Bibliotheca Auctorum Eccles.* tom I. pag. 534. edit. Paris. 1688. *S. Cyprien est exempt, je ne dis pas seulement des erreurs grossières, mais aussi de celles qui sont légères et communes dans les Pères des trois premiers siècles.*
(2) Hist. Eccl. tom. II, lib. VII. num. 28.
(3) Ibid. num. 32.
(4) Epist. ad Bevilaq. 15, parte 8. Epistol. pag. 807.
(5) Ibid. pag. 8011.
(6) Hist. Eccl. tom IV, art. 49, pag. 155.
(7) Ibid. art. 47, pag. 150.
(8) Lib. V, num. 16, pag. 414
(9) Ibid.
(10) Ibid. pag. 419
(11) Tom. I, pag. 533.
(12) Ibidem pag. 500.
(13) Ibidem.
(14) Tom. III ad diem 16. Septembris pag. 190. edit. Paris. 1701.

Digitized by Google

Mitto insulsam illam affectationem, qua sæpius inculcant, ac fusiori etiam probare calamo nituntur, Cyprianum videlicet longe pluris quam Stephanum in Ecclesia fieri (1). Dudum est ex quo male olent, vixque ac ne vix quidem in panegyricis oratorum declamationibus sanctorum illæ virorum quos suis fastis adscriptos Ecclesia veneratur, comparationes, et injuriosæ utrisque de utrorumque meritis contentiones, eo collimantes, ut alterius sanctitas alterius attenuatione augeatur.

Negligo pariter tot neotericorum conatus in amplificanda eorum multitudinem quos Cypriano potius, quam Sthephano complausisse scribunt Tillemontius (2), Dupinus (3), Launoius (4), P. Gervasius (5), ex quorum calculo sequeretur Dionysium Alexand., Dionysium et Philemonem, presbyteros Romanos, Hyeronimum, Athanasium, Optatum Milevit.; synodum Nicænam, Basilium, Gregorium Naziazenum, Cyrillum Hierosol., Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theodoretum, Romanam sub Gelasio synodum, Fulgentium Ruspensem episcopum, Gregorium Magnum, synodum Quinisextam, Cypriano potius quam Stephano adhæsisse. Ecquis enim vero tot conatuum, tot laborum fructus? Quod sentio libere profero in congerendis tot in Stephanum adversariis manifestarunt neoterici, quo fuerint erga Stephanum sicuti erga tot Patrum memoriam, spretis historiæ ac æquitatis legibus animo affecti.

Hæc inquam aliaque similia prætermitto, quæ cum sequentibus comparata leviora sunt, quam ut morari nos debeant. Quid igitur de Stephano Pontifice maximo, traditionis apostolicæ vindice ac martyre sanctissimo tradunt, qui Catholicos, qui humiles filios, qui moderatos scriptores se esse profitentur ac videri volunt?

Stephanus, inquiunt neoterici nostri, indigne penitus erga Cyprianum se gessit (6), ad Cyprianum scripsit Epistolam indignam prorsus quæ a Romano Pontifice ad Carthaginensem scriberetur (7), superbam et injuriarum plenam (8), magnopere contumeliosam (9). Stephanus fastum tumide ac dominatum affectat (10), imperantem ac tyrannum agit (11), magna inhumanitate Cypriano respondet (12), inhumanum valde erga Cyprianum se præbet (13). Stephanus Cyprianum inauditum judicat et damnat (14), ipsum vocat pseudochristum, pseudoapostolum, dolosum et perfidum (15), Cypriani legatos contumeliosissime tractat (16), ipsis pacem, communionem, hospitalitatem, victum non negavit solum, sed negari ab omnibus præcepit (17). Stephanus zelum præsefert quidem, sed ad omnia promiscue devastanda unice idoneum (18): hic Stephani zelus imperatorem movit ad Ecclesiam crudeliter persequendam (19). Stephanus quam plures ecclesias tyrannice opprimebat (20), nullam Ecclesiæ unitatis rationem habet, quam scindere flocci facit (21). Stephanus non unum vel duos dumtaxat, sed tres errores fidei catholicæ adversos docuit in suo rescripto ad Cyprianum (22).

Integerrimam Stephani vitam tot conviciis dilacerasse, tot onerasse criminibus haud satis habuerunt neoterici, sanctam et ipsius mortem aggrediuntur, gloriosi martyrii palmam, immo sanctitatem ipsam Stephano eripere tentant; modo significant acta martyrii S. Stephani satis, authentica non esse, ut in historia fidem mereri debeant (23); modo contendunt aliquem dubitandi locum esse, utrum Stephanus vere martyr extiterit (24); hic subjiciunt S. Augustino ac Vincentio Lirinensi perspectum non fuisse, quod Stephanus martyr exstiterit (25); illic tradunt jure credi posse Stephanum in carcere vel alio modo minus illustri obiisse, non vero per judicis sententiam ac persecutorum manu quod solum pro vero perfectoque martyrio tunc temporis habebatur (26). At qualecumque tandem martyrium Stephanus pertulerit, illud saltem pro Christi nominis confessione passus est? Nequaquam juxta Dupinium, illud, inquit, passus est, quia in cœmeterio inventus est contra Valeriani Imperatoris jussum qui cœmeteria a Christianis frequentari sub pœna mortis edicto prohibuerat (27). At demum pro Christi nominis confessione Stephanus non interierit, vere martyr non exstiterit, indubia saltem erit illius sanctitas? Immo maxime dubia ac nullo nixa fundamento, si Lomberti valeant effata; quæ

(1) Launoius in Epist. ad Bevilaq. 15. P. Gervasius passim in Vita S. Cypr. Lombertus in laud. præfat. ad opera S. Cypriani.
(2) Hist Eccl. tom. IV. art. 43, 44 et 45.
(3) Bibliot. Eccl. tom. I, pag. 540.
(4) Epist ad Bevilaq. 15.
(5) In Vita S. Cyp. lib. V. num. 1. 2. et alibi.
(6) P. Gervas. in Vita S Cyp. pag. 455.
(7) Idem ibid. pag. 412. Baillet. de vitis Sanctorum ad diem 2. August. pag. 111. Idem Tillemont. Hist. Ecc. tom. IV, pag. 330.
(8) Lombert. in laud præfat. pag. 73.
(9) Lombert. ibid.
(10) P. Gervasius in Vita S. Cyp. pag. 413, et pag. 461.
(11) P. Gervas. ibid. pag. 431.
(12) Dupin. Bibl. Eccl. tom. pag. 500.
(13) Tillemont. Hist. Eccl. tom. IV. art. 49. p. 155. Baillet. In *Vitis, Sanctorum* t. III. ad diem 16. Sept.
(14) P. Gervas. in Vita S. Cyp. pag. 436.
(15) Tillemont. Hist. Eccl. tom. IV. pag. 150 Idem. P. Gervasius in Vita S. Cypr. pag. 413. Lombert. in laud præfat pag. 72. Baillet ad diem 16. Septemb. in loco citato.
(16) Tillemont. ibid. pag. 155.
(17) Fleuriacus Hist. Eccl. tom. II, lib. VII pag. 283. Idem scribunt Tillemontius Hist Eccl. tom. IV. art. 49. Lombertus in laud. præfat. pag. 72. P. Gervasius in Vita S. Cyp. pag. 462. Baillei in vitis Sanctor. ad diem 2. Augusti pag. 111.
(18) P. Gervasius in Vita S. Cypr. pag. 438.
(19) P. Gervasius in Vita S. Cypr. pag. 452.
(20) Idem. pag. 459.
(21) Lombert. in laud. præfat. pag. 75. Lombertum exscribit P. Gervasius in Vita S. Cypr. pag. 436.
(22) P. Gervasius id tradit et evincere conatur in vita S. Cypriani pag. 465 et 466. Stephanum pariter erroris insimulant. Launoius Epist. ad Bevilaq. 15. et Dupin. Bibliot Eccl. tom. I. pag. 540. etc.
(23) Tillemont. Hist. Eccl. tom. IV pag. 31.
(24) Ibid.
(25) Ibid.
(26) Ibid.
(27) Bibl. Eccl. tom. I. pag. 503.

Digitized by Google

enim Stephanus contra Cyprianum gessit nec martyrio juxta Lombertum expiari poterant, nisi Stephanus ante mortem pacem cum Cypriano, aliisque episcopis fecisset, ac charitatis et unitatis nexus, quos ipse disruperat cum ipsis adstrinxisset (1). En igitur totum Stephani sanctitatis fundamentum in ipsius cum Cypriano reconciliatione constitutum, in hac inquam reconciliatione, cujus nec apud veteres nec apud recentes aliquod exstat vestigium ideoque maxime dubia, ne plus dicam et incerta; tam igitur suspecta, dubiaque nobis erit Stephani sanctitas, quam hujusmodi a Lomberto præformata Stephani cum Cypriano cæterisque reconciliatio, a qua nimirum tota pendet Stephani sanctitas, et sine qua nec ipsum Sthepano profuisset martyrium.

His mediis tam portentosis novam huic argumento vim, novumque splendorem indere susceperunt, quibus roboratum, invictum ac evidens illud asserere ac ubique prædicare non dubitant. Utris vero gloriosius extiterit, an Lutheranis et Calvinianis illud argumentum excogitasse, an neotericis nostris dirutum illud tam præclare restaurasse, judex ille sit, qui neutrius gloriæ invideat; quamquam fatendum ingenue sit S. Stephanum Romanum pontificem a Lutheranorum et Calvinistarum nemine tam male tractatum fuisse, quam a nonnullis et neotericis nostris scriptoribus.

Verum ultra metas progressi sunt, qui nobilissimo, et quidem primævæ antiquitatis Ecclesiæ doctori, qualis fuit Cyprianus, ignotum penitus fuisse quod Petri successoribus asseritur fidei indeficientis privilegium Catholicis suadere per fas etiam et nefas susceperant. Quid amplius igitur neoterici, ut nonnullos hac in re fallerent incautos? Probe conscii quanto apud Catholicos in pretio haberentur Gallorum theologorum ac Parisiensium doctorum opiniones, huc et illuc spargere cœperunt hujusmodi argumentum sapientissimis illis sacræ theologiæ magistris validissimum ad impetendam Romani Pontificis inerrantiam visum fuisse. Sic quod rei deerat tanto nomine ac titulo compensandum esse judicarunt. Fatenda res est Neotericorum votis non parum successit artificium. Exteri quamplures, quibus sæpe non vacat ac frequentius liberum non est tot Galliæ doctorum volumina perlegere, aliorum ex suo candorem dimetientes, rem magna fidentia testantibus bona fide crediderunt; atque exinde Galliæ theologos tamquam hujusce argumenti patronos habentes obscuratam ac imminutam in recentioribus, quæ veteres Galliæ doctores commendabat judicii gravitatem ac maturitatem dolere atque deplorare visi sunt, atque videntur. E Gallia etiam non pauci in Parisiensium doctorum scriptis non satis versati neotericis hac in re faciliores aures pariter accomodarent, unde tanta magistrorum suorum, a quibus recedere nefas ducitur, auctoritate abrepti, istud argumentum ad impetendam inerrantiam Pontificiam efficacissimum et ipsi sine ulteriori inquisitione dixere, atque contendere sæpius audiuntur.

Novissimus iste fuit cæterisque felicior neotericorum ausus, ut argumento prædilecto vires aliquas, quas per sese ipsum non habebat impertirentur. Temerarium adeo inceptum ferre non potuimus, nempe quo germana celeberrimorum scriptorum doctrina adeo depravaretur, ut adversa penitus ipsis affingeretur. Perinique passus sum animo Parisienses doctores eo usque denigratum iri, ut vetulam Lutheranorum cantilenam a Catholicis omnibus irrisam ac contemptissimam placere ipsis, probari ac recantari diceretur. Dolebamus eam Galliæ theologis invidiam conflari, quæ ipsos tamquam filios a patribus degeneres, Patrum sapientia ac judicii maturitate destitutos exteris exhiberet, ac proinde querimonias exterorum et exprobrationes in ipsos concitaret. Permoleste cernebamus tot juniores Sorbonnæ baccalaureos, ementita suorum magistrorum auctoritate deceptos, bona fide credere, Cyprianum Pontificiæ infallibilitati repugnasse, quod avitum et innatum ad tuenda Sedis Apostolicæ jura ipsorum ardorem minuebat non parum ac remittebat.

Ut itaque nostro pro asserendis ac magis magisque firmandis sacris Apostolicæ Sedis juribus ac divinis privilegiis studio nostræque de Galliæ theologis, quo meliori modo possumus, benemerendi voluntati faceremus satis, germanam Galliæ theologorum hac in parte sententiam pendere atque a novissima impostura vindicare suscepimus. Quid ergo? An non Galliæ doctores Cypriani factum ad impetendam Romani Pontificis inerrantiam idoneum aptumque dijudicant? Immo ineptissimum ac futilissimum illud esse demonstrant. Eadem doctissimi Galliæ theologi, quas cæteri catholici doctores ad exsufflandum et profligandum, quo ex Cypriano Lutherani primum et Calviniani, deinde neoterici in supremam et immotam Romani Pontificis auctoritatem arietant argumentum, responsiones afferunt atque suppeditant: hæ vero tam solidæ, tam decretoriæ sunt ut magis esse non possint. Ita se habent gravissimi viri, quidquid in contrarium adducant ac fabulentur neoterici, atque illud est quod probandum aggredimur ac difficiliori cuicumque suadere confidimus.

(1) Lomb. in laud præfat. pag. 78.

## COMPENDIOSA STEPHANI SANCTISSIMI MARTYRIS AC ROMANI PONTIFICIS VITA A VETERUM MONUMENTIS EXCERPTA.

Stephanus natione Romanus ex patre Julio (2) antequam ad supremum Ecclesiæ verticem attolleretur

(2) *Catalogus Pontificum sæculo sexto conscriptus* ab hennio vulgatus tom. 1. Aprilis in *diatriba præliminari*. Anastasius Bibliothecharius in *Vita S. Stephani*.

Digitized by Google

in clerum Romanum cooptatus Cornelii primo, deinde Lucii Romanorum Pontificum fuit archidiaconus (1), in quo officio talem se præbuit Cornelio, ut ipsum præ omnibus dignum censuerit, cui tutius « omnia Ecclesiæ bona ante suam passionem traderentur (2). » Lucio vero ita se probavit, ut ipsum ex omnibus unum ad sustinendam difficillimis temporibus nutantis Ecclesiæ molem deligeret : « hic enim, inquit Anastasius, potestatem dedit omnis Ecclesiæ Stephano archidiacono suo dum ad passionem pergeret (3) : vel juxta Eusebium (4), moriens episcopale officium Stephano dereliquit. »

Lucio, gloriosa morte defuncto, successit Stephanus (5). Ecclesia a persecutionibus respirante, ac pacem sub Valeriano ad tempus obtinente, majorem sanctus Pastor agendi libertatem nactus ad remotissimas quoque per orbem Ecclesias sollicitudinem vertit : « omnibus Siriarum cum Arabia provinciis non semel, sed identidem necessaria suppeditans (6); » quorum autem corporibus tanta charitate ac liberalitate sanctus Pontifex subveniebat, animos etiam benignis ac salubribus scriptis solari, et ad pietatem excitare studebat, teste Dionysio, citatis modo verbis hæc subdente : « et quibus litteras nunc scripsistis. »

Marcianum Arelatensem in Gallia episcopum Novatiano plurimum studere non sine Ecclesiæ detrimento Stephano significavit una cum cæteris provinciæ episcopis Faustinus Lugdunensis antistes (7). Stephanum autem pro rei gravitate mature procedentem, ac in excommunicandis et deponendis episcopis non festinantem per epistolam adit a Gallis incitatus Cyprianus, ipsum interpellans « ut in provinciam et ad plebem Arelate consistentem litteras dirigeret et quidem plenissimas, quibus abstento Marciano alium in locum ejus substitueret (8); » quare autem vellet tam severa et gravi censura in Marcianum animadverti, disertius exponit sub epistolæ finem; quod nimirum vindicandus esset Romanorum Pontificum honor, a quorum ille « de recipiendis lapsis » decretis pertinaciter dissentiebat : « Servandus est enim, inquit, Antecessorum nostrorum beatorum martyrum Cornelii et Lucii honor gloriosus, quorum memoriam cum nos honoremus, multo magis tu, frater charissime, honorificare et servare gravitate et auctoritate tua debes, qui vicarius et successor eorum factus es. Illi enim pleni Spiritu Dei et in glorioso martyrio constituti dandam esse lapsis pacem censuerunt. »

Cyprianus interea adeo non dubitabat, quin Stephanus, re ad tantam lucem jam provecta, ipsius consilio et hortatu litteras ad provinciam et plebem arelatensem mitteret, quibus et Marcianum abstineri, et alium episcopum in ejus locum substitui præciperet, ut et quis fuerit substitutus sibi significari roget his verbis : « significa plane nobis quis in locum Marciani Arelate fuerit substitutus, ut sciamus ad quem fratres nostros dirigere, et cui scribere debeamus (9). » Dejectum autem e sede tunc Marcianum a Stephano fuisse tota silet antiquitas; at illud indicio esse potest, quod nomen ejus in antiquis Arelatensis ecclesiæ diptychis a Mabillonio editis (10) non legatur.

Eodem circiter, ut creditur, tempore præclarum auctoritatis ac suæ clementiæ specimen dedit pilssimus Pontifex in causa Basilidis Legionis et Asturicæ in Hispaniis episcopi. Hic cum ob varia crimina, quorum accusabatur, ab episcopatu a suis depulsus esset, ejusque loco Sabinus fuisset suffectus sese Romam ad Stephanum contulit, a quo ut in suam sedem restitueretur obtinuit (11). Cyprianus, cum Basilidem omnium, quorum accusabatur criminum reum existimaret, et aliunde Stephani æquitas adeo sibi nota esset, ut ipsum facinoroso patrocinari voluisse nullatenus suspicaretur, Stephanum a Basilide in hoc negotio fuisse *deceptum* censuit, quod Stephano accidere potuisse contendit, ut pote *longe* ab Hispania *posito et gestæ rei ac tacitæ veritatis ignaro* (12).

Si revera Stephanus in hac re, ut putavit Cyprianus, circumveniri se passus est, non propterea gravis, aut etiam levis negligentiæ illico culpandus, cum experientia constet vel diligentissimo nonnumquam cautissimoque obrepi solere; maxime si, ut Stephanus, ea plenus est charitate quæ omnia credens nec cogitans malum, reis magis quam actoribus indulgere studet; sed nescio an Cyprianus potius, quam Stephanus in hoc negotio fuerit deceptus; quidquid enim Cyprianus in hac Epistola de Basilidis criminibus statuit, statuit parte altera inaudita, hoc est ex sola relatione legatorum qui erant episcopi depositis (Basilidi et Martiali) substituti, et ex litteris eorum, qui hos deposuerant, illos substituerant; at hi profecto in causa propria testes non erant idonei, et æque imponere Cypriano poterant, ac Stephano Basilides. Ab Hispania *longe* quidem *positus erat Stephanus;* at Hispanis non adeo propior Cyprianus, ut quæ Romam inde penetrare poterat fallacia, non potuisset etiam Carthaginem; cum maxime tam rara Carthaginenses inter et Hispanos nullo jurisdictionis vinculo colligatos, quam frequentia Hispanorum cum Romanis, quibus et civili et ecclesiastica potestate suberant, haberentur commercia; crediderim potius quod in Hispania agebatur

(1) Idem Anastasius in *Vitis SS. Cornelii et Lucii* edit. Rom., 1718.
(2) Idem in *Vita S. Cornelii.*
(3) In *Vita S. Lucii.*
(4) *Histor. Eccles.* lib. VII, cap. 2, edit. Vales. Paris., 1678.
(5) Id post Cyprianum, Eusebium, Optatum milev. Augustinum, Prosperum, Nicephorum, etc. omnes agnoscunt.
(6) Dionysius Alexand. apud Eusebium. lib. VII, cap. 5.
(7) S. Cyprianus, Epist. *ad S. Stephanum* LXVII, supra col. 989.
(8) Cyprianus, ibid.
(9) Ibidem.
(10) *Annal.* tom. III, pag. 432, edit. Parisis., 1672.
(11) Cyprianus in Epist. *ad Stephanum* LXVII, supra.
(12) Ibidem.

Digitized by Google

multo melius Romæ sciri ac examinari potuisse a Stephano, quam Carthagine a Cypriano.

At fuerint, si placet, Basilidis crimina Cypriano magis, quam Stephano probata, ideone deceptus, vel incautus Stephanus, quia illum sedi suæ restituit? Nullo modo. Cum enim Basilidis depositio ab Hispanis facta fuisset, non consulta Sede Romana, ad quam hujusmodi causæ referendæ erant teste ipso Cypriano (1), idque ignorare non potuerit S. Stephanus, Hispanorum acta rescindere debuit, saltem quoad illi causam ordine legitimo, hoc est conscia et probante Sede Apostolica denuo instaurarent. Qui plura de hac re desiderat, consulat eminentissimum Aguirrium (2).

Hispanorum vix sedaverat, aut sedare tentaverat turbas religiosus Pontifex, cum graviores Africanorum et Orientalium compescere cogitur, et pro sua, quæ limites non agnoscebat, pastorali sollicitudine illos ab errore revocare nititur. Cum enim Cyprianus postposita antiqua et universali, quam ubique intuebatur Ecclesiæ consuetudine (3), subintroductam ab Agrippino predecessore suo de rebaptizandis ab hæreticis baptizatis novitatem sequi et amplecti maluisset (4), ad hanc stabiliendam ac dilatandam duas Carthagine coegit synodos, in quibus statuit una cum cæteris coepiscopis congregatis Baptismum extra Ecclesiam susceptum in ea repetendum esse (5). Res hæc magni ponderis erat, et « ad sacerdotalem auctoritatem et ad Ecclesiæ catholicæ unitatem ac dignitatem, propius pertinebat, » quam ut inconsulto Rom. Pontifice executioni demandaretur, ideoque de hoc negotio « Stephano maxime scribendum esse ac cum ipso conferendum » merito judicarunt episcopi Concilii Carthaginensis (6). Synodicam igitur ad Stephanum dirigunt epistolam, in qua ipsum rei gestæ certiorem faciunt, et commendata Stephani « gravitate, sapientia nec non suæ religionis ac fidei veritate » ipsi significant se nullatenus dubitare, sed « credere ipsi placitura quæ et religiosa pariter et vera forent (7); » qualia nempe esse putabant, quæ in causa Baptismi hæreticorum statuerant.

Sanctus Pontifex ubi tantos non solum in Oriente, quod jam resciverat, sed et in Africa, tamque citatos ad proscribendam apostolicam traditionem agitari motus cognovit, idque a præsulibus eximia sanctitatis doctrinæque fama pollentibus, perspexit continuo quo spectabiliores erant episcopi, qui Ecclesiæ traditionem convellere nitebantur, eo gravius Ecclesiæ imminere periculum, tantique mali labem, quæ magnam Africæ, nec non Ciliciæ, atque Capadociæ partem jam infecerat, quæve in finitimas pervadere non desistebat provincias, brevi Africam totam, totumque Orientem fore perdituram, ideoque necessarium esse providus intellexit non qualecumque, sed efficax juxta promptissimumque tanto malo remedium; qua itaque in Cyprianum, aliosque episcopos auctoritate pollebat opportune utitur nulla contradicendi libidine, sed uno traditionis servandæ studio: « dignum nimirum existimans si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat (8), ipsique per Epistolam (9) præcipit (10) nil esse in hoc negotio innovandum, præcipit, inquam, ut bonus pater, qui nil filiis, ubi etiam oportet, præcipere vult, quin et præcepti æquitatem afferat, modesteque exponat. Cypriano enim significat suæ opinioni contrariam esse antiquam, quæ vigebat, et quam Cyprianus ipse « ubique intuebatur » Ecclesiæ traditionem seu consuetudinem (11): quo sane argumento «humanas» (12) quibus Cyprianus, aliique nitebantur rationes solide evertebat. Quis enim nesciat rationem omnem humanam Ecclesiæ traditioni concedere debere, ac suspectam, ut mitius loquar, habendam esse rationem, quæ tantæ auctoritati adversatur. Hanc insuper traditionem confirmat ipso hæreticorum exemplo, qui ad se venientes non rebaptizabant (13). Absurdam quidem hanc Stephani rationem censebat Cyprianus; verum, ut observabat, non tam pridem vir eruditus, de illa longe aliter judicabunt, qui eam attentius expenderint; cum enim ab Ecclesia recesserint omnes hæretici, mirum non est eos de doctrina illius non nihil retinere, immo nullus re ipsa est, qui non aliquid ex ea retineat; cum igitur quantumvis inter se dissidentes, in aliquo cum Ecclesia consentiunt, hoc ab Ecclesia sibi traditum retinuisse, merito affirmantur, ac proinde non immerito antiquam Ecclesiæ, quam Stephanus asserit consuetudinem vel ipsa hæreticorum praxi confirmat; en Stephani verba, quæ sola nobis supersunt Cypriano ea referente in Epistola ad Pompeium LXXIV. « Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponantur in pœnitentiam, cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent sed communicent tantum. »

Hæc Cypriano scribit Stephanus stylo, qui præter « gravitatem sapientiam ac Religionis veritatem, » quam in ipso Cyprianus commendabat (14) nil sapiat, nisi modestiam eo laudabiliorem, quo tunc temporis episcopi in hac questione dissidentes « præsumptionis, pertinaciæ et perversitatis » se se invicem insimulabantur (15).

(1) In Epist. *ad Cornelium* LV, et *ad Stephanum* LXVIII, supra.
(2) *Concil. Hispan.*, tom. I, dissert. VII et XIV.
(3) S. Augustinus *de Bapt. contra donat.*, lib. II, cap. 8, edit. Benedictin. Paris., 1679.
(4) Augustinus ibid.
(5) Cyprianus Epist. *ad Episcopos Numidiæ* LXX et *ad Stephanum* LXXII, supra.
(6) Epist. synod. *ad Stephanum* apud Cyprianum LXXII.
(7) Ibidem.
(8) Vincentius Lirin. *in Commonit.* cap. 9.
(9) Ibidem.
(10) Augustinus *de Bapt. contra donat.* lib. V, c. 23.
(11) Cyprianus Epist. *ad Pompeium* LXXIV, et supra.
(12) Facundus Hermian. *pro defensione trium Capitul.* lib. X, cap. 3, edit. P. Sirmondi Paris, 1696.
(13) Cyprianus Epist. *ad Pompeium* LXXIV.
(14) Epist. *ad Stephanum*, LXXIV, et supra.
(15) Vide Cypriani Epist. *ad Quintum* LXXII, *ad Jubaianum*

Digitized by Google

Tandem ne quid omitteret vigilantissimus pontifex, quod Cyprianum, aliosque rebaptizantes ab exitiali errore latius in dies serpente revocare posset, ipsis « denuntiat sese ab illorum communione discessurum » (1), si in sua sententia persisterent; ut nimirum quos paterno præcepto, ac rationum, quas attulerat momentis minus permovisset, minis saltem, ad errorem deponendum excitaret. Hæc pro vindicanda adversus Cyprianum, aliosque rebaptizantes antiqua et universali Ecclesiæ traditione Stephanus Romanus pontifex, nec plura juxta probata veterum omnium monumenta (2).

A Tam laudabile Stephani pro avita religione servanda studium novitatem amantibus ac errantibus displicuit. Pastoris vox ab iis, qui de una agi disciplina male credebant non auditur, contemnitur; Romanus ipse Pontifex arguitur injuriis, contumelis afficitur (1) verum Stephanus spretus, injuriose tractatus et lacessitus nescit irasci, nescit indignari, nescit conqueri, irritari non valet, omnia fert, omnia sustinet, omnia patitur « omnia bono pacis et unitatis tolerat (2). » Non judicem, non Pontificem maximum, non spretum, non offensum se cogitat, ut paternæ ac christianæ charitati unice intendat; filios errantes, inobtemperantes, ac contumeliosos non increpat, non objurgat, non punit, sed « vir ubique magnus ac magna charitate præditus (3). » sollicita pietate tolerat (4), B mansuetus et humilis non studet injurias repellere, vel æsum honorem vindicare, sed « studet servare unitatem spiritus in vinculo pacis (5). » Senserat quam « perniciosæ dissensionis periculum haberent, quæ in ipsum irritati effuderant » adversarii (6) ideoque omnia sub velo silentii, sub velo charitatis tegit: os suum nec aperit, ut suam defendat innocentiam, uni Deo suæ justificationis curam reliquens; non propriis, sed Ecclesiæ bonis, paci, non suæ defensioni vigilat, et una « pax vicit in ipsius corde (7), » non desperans sua tandem patientia ac longanimitate adversariorum corda movere, ipsosque ad meliorem frugem reducere, quod ut a Deo impetraret bonis operibus magis ac magis abundare nitebatur.

Interim enim, dum magni a rebaptizantibus motus C in Africa et Oriente excitantur, ipse domi « monitionibus sanctis et eruditione Scripturarum omnes imbuebat (8), » cæterisque eo grandior, quo sibi vilior commissum gregem cœlesti doctrina pascere non solebat, nisi præmissa suæ indignitatis confessione: se audiri rogabat non ut pontificem, non ut magistrum, non ut pastorem, sed ut peccatorem; «Filioli mei» humilis inquiebat, « audit me peccatorem »

*ianum* LXXIII, atque Episcopi anonymi tractatum qui incipit *Non debere*, etc. apud Labbæum tom. I, Concil. pag. 770. et supra.

(1) Dionysius Alexandr. apud Euseb., *Hist. Eccl.*, B lib. VII, cap. 5, et supra.

(2) Inter probata veterum momenta non recensemus Firmiliani ad Cyprianum epistolam, quæ irati animi monstra nobis exhibeat, non sancti episcopi dicta, quæ veritatem religionem, æquitatem, modestiam, ac charitatem christianam sapiant. Scribit quidem Firmilianus Stephanum cum Cypriano pacem rupisse, ipsumque pseudo christum, pseudo apostolum vocasse, ac ipsius legatis communionem ac hospitalitatem denegasse; at hæc in Stephani litteris non leguntur. Hæc veterum nemo de Stephano vel obscure indicavit. De his apud Stephanum conquestus non est Cyprianus ipse, qui tamen de levioribus, genio commotionis indulgens, altas et amaras edidit querelas. Hæc non attulit Augustinus pro minuenda, ut totus allaborabat, Cypriani in Stephanum irritationis culpa. Hæc mansuetudini, lenitati, et charitati quæ in Stephani vita ubique eluxere minime consona. Hæc si credenda sunt, quia ea Firmilianus effutiit, C credendum jam erit Stephanum fuisse audacem, insolentem, improbum, manifeste stultum, inhumanum, schismaticum, falsum testem, omnibus hæreticis pejorem, cum Juda ipso Christi proditore comparandum; credendum jam erit beatos Apostolos Petrum et Paulum a Stephano fuisse infamatos, ac de nullo alio magis, quam de Stephano Scripturam sacram dicere: *Homo animosus parit lites et vir iracundus exagerat peccata.* Credendum jam erit zelum Dei apud Judæos ignorantia cæcos ac gravissimo crimine constrictos magis inveniri, quam apud Stephanum, ac hujus animam fortasse unam non esse, adeo est lubrica, mobilis et incerta. Credendum jam erit Stephanum pacem cum singulis per totum orbem episcopis vario discordiæ genere rupisse, ac merito nuncupandum pseudo christum, pseudo apostolum, et dolosum operiarum. Credendum etiam erit Romanam Ecclesiam frustra Apostolorum auctoritatem prætendere, nec in ea traditiones apostolicas conservari: Credendum erit hæreticos non nisi post longam æta- D tem ab Apostolorum temporibus vixisse. Hæc enim omnia, ut alia omittam, Firmilianus in ea epistola profudit. Hæc hominem perhibent bile adeo agitatum et commotum, ut veritati, æquitati, religioni, ac charitati intendere non valuerit, quæ proinde totam Firmiliano ad Cyprianum scribenti fidem detrahant.

Et revera quæ Stephano Firmilianus objicit tamquam pura putidaque commenta tota habuit antiquitas. Nil in Stephano contra Cyprianum agente hæc reprehendit; immo Stephanum constantissime commendat, idque palam sæpiusque de Stephano negat, quod de ipso Firmilianus aperte affirmat ut infra ostendemus. Nec pluris apud Gallicæ etiam gentis scriptores habetur Firmiliani hac in re testimonium, quorum quidem major ac senior pars nullam ipsi fidem concedendam esse libere pronuntiat, de quo videri possunt Natalis Alexander. in *Hist. Eccl.* III. Eccl. sæculi dissert. 12, art. I, p. 687. Frassen *de Sacramentis*, quæst. 3, p. 96. Turnelius *de Sacramentis*, quæst. 7, art. 2, p. 447. P. Constantius *de Epistolis Rom. Pontificum*, tom. I, p. 250, de Reveroni *in Dissertatione Dogmatica de dissidio* inter S. Cyprianum et S. Stephanum. p. 71, et alii quam plures, quorum argumenta falsitatem eorum, quæ Firmilianus Stephano impegit adstruentia prosequi per tempus non licet. Id unum asserere juverit, quod ultro concedet quilibet verum æquus æstimator, a Cypriano nimirum, Dionysio Alexandrino, Eusebio, Augustino, Hieronymo, Vincentio Lirinensi, Facundo Hermian., cæterisque omnibus qui de hac re pacatis animis scripserunt, percipienda potius esse, quæ Stephanus contra rebaptizantes egit, quam ab uno Firmiliano infestissimo Stephani adversario, qui sermonem intra veritatis et æquitatis limites continere in citata epistola non valuerit.

(1) S. Cyprian. Epist. *ad Pompeium* LXXIV, et Firmil. Epist. ad Cyprian. LXXV, inter Cyprianicas.
(2) August., lib. VI, *de Bapt.*, *contra Donat.* c. 22.
(3) August., lib. I, *de Bapt.*, c. 7.
(4) August., lib. VI, *de Bapt.*, c. 22.
(5) August., ibid.
(6) August., lib. V, *de Bapt.*, c. 25.
(7) Augustinus, ibid.
(8) In actis Hypoliti, Eusebii et sociorum apud Ba-


Digitized by Google

(1) qui autem omnes Christo lucrifacere contendebat, non fidelibus tantum erudiendis ac sanctificandis, sed et gentilibus ad fidem convertendis totus allaborabat; quot vero, quantique fuerint apostolici tunc temporis sanctissimi pontificis labores, referunt acta Hippolyti, Eusebii et sociorum, in quibus etiam videre est Stephanum ipsum Ethnicis baptizandis ita occupatum, ac si vel nihil negotii haberet, vel presbyteri deessent, quibus eam curam committeret, dum vacaret ipse gravioribus. Irritos Deus noluit tot Stephani labores; optata Stephano concessa merces « crescente in dies Christianorum numero (2) »

His deditum sollicitudinis pastoralis, ac zeli apostolici officiis Stephanum excepit epistola Dionysii magni Alexandrinæ urbis episcopi. Cum enim ad præclarissimi hujus antistitis notitiam pervenissent hinc et inde in rebaptizantium negotio gesta, facile intellexit quam gravi dolore Romani pontificis animus affectus esse debuerat, justamque timendi causam invenit Stephanum a rebaptizantibus spretum, injurioseve tractatum tandem moveri posse ad pœnas, quas illis minitatus fuerat infligendas; idcirco pro sua erga Stephanum singulari dilectione illius mœrorem sublevare per litteras accelerat, ipsiusque clementiam pro rebaptizantibus implorat: quod enim tanto ecclesiarum pacis amatori pontifici pergratum maxime futurum non ambigebat, ipsi sollicite nuntiat « cunctas per Orientem et ulterius positas Ecclesias, quæ prius » ob Novatiani pravitatem « erant discissæ nunc tandem ad unitatem reversas esse, et omnes ubicumque Ecclesiarum antistites unum idemque sentire et ob redditam insperato pacem incredibili gaudio exsultare (3); » nec sine jucunditate in memoriam ipsi revocat quanta charitate ac liberalitate remotissimis Syriarum et Arabiæ provinciis omnibus tum litteris, tum nummis sæpius succurrerit, quas ob hanc concordiam ubique lætitia gestire ipsi significat (4). Denique omnia de pacifici pontificis bonitate sibi pollicitus, minarum, quas rebaptizantibus intentarat, executionem suis precibus avertere confidit « pro illis Stephanum rogans atque obtestans (5). » Hanc Dionysii spem non fefellit eventus, cum Stephanus « vir magna charitate præditus, rebaptizantes in charitatis patientia sollicita pietate toleraverit (6) ».

Immanis, quæ sæviebat in dies adversus Christianos Valeriani imperatoris persecutio Stephani zelum, curasque pastorales non minuit, sed auxit: eo fortior, quo majoribus premebatur angustiis, eo vigilantior, quo graviora instabant pericula, illuxit tunc, calamitosissimis nimirum temporibus, quanta esset pontificii animi magnitudo, quantus pastoris in greges amor, quanta sollicitudo, quanta in ferendis laboribus constantia, quantus denique paternæ erga omnes charitatis ardor. Quibus enim conatibus tyrannus dispergere, ille colligere dilectum gregem allaborabat, quæsitos ubique « Christianos in martyrum cryptis ac cœmeteriis congregans, ut omnes de regno Dei et vita æterna doceret (1); » hic vero eos hortari non de-

(1) Hæc et sequentia usque ad Stephani Vitæ finem litteris Romanis seu ut vocant cursivis delineata ex authenticis Stephani Actis excerpimus, quæ paulo post illius martyrium a notariis Romanis conscripta sunt, Ecclesiæque universæ tum latinæ tum græcæ per tot retro sæcula probata, ut videre est apud Odoacrum Ilbachium in *Actis SS. martyrum vindicatis* Romæ, an. 1723, excusis, et apud Bollandi continuatores ad diem 2, Augusti de illorum auctoritate fusius disserentes, a quibus hæc mutuati sumus in eorum commodum qui citatos auctores præ manibus non haberent.

1° Stephani Acta apud omnes sunt vulgatissima; exstant in pluribus Græcis, Italicis, Gallicis, Germanicis, Belgicis, aliarumque nationum manuscriptis codicibus, in quorum nonnullis vetustissimis illa Acta dicuntur *scripta fideliter et graviter a notariis Romanis latine.*

2° Antiquissima sunt et universæ Ecclesiæ probata. S. Damasus Papa *carmine* 35, inter ejus opera a Sarazanio collecta, ex his Actis nonnulla excerpsit, quæ scilicet de S. Tharsicio canit, hæc enim nusquam nisi in Actis S. Stephani descripta fuisse sciuntur. Ado Viennensis archiep. Stephani acta in *codicibus* passionum undique collectis quorum meminit in præfatione ad vetus martyrologium Romanum invenit, et in suo martyrologio exscripsit. Martyrologium Romanum vetus octavo sæculo conscriptum ea Stephani Acta sequitur in describendo ipsius martyrio et aliorum qui in his actis passi referuntur. Hæc Stephani acta in omnibus Mænologiis et Mæneis Græcorum, in martyrologio etiam Basilii imperatoris, in martyrologiis Usuardi et Notkerii compendiose exhibentur. Hæc S. Petrus Damianus sermone 38, de S. Stephano, *Authenticam passionis ejus historiam* appellat. Metaphrastes e latinis ea græca fecit ut videre est apud Lipomanum et Surium. Demum ut omnia verbo dicam martyrologia omnia, breviaria omnia antiqua non Romana tantum, sed et plurimarum per Occidentem Ecclesiarum, omnia Græcorum et mænologia et mænea Stephani nostri martyrium non aliunde quam ex his Actis eduxerunt.

3° Sicuti veterum nemo de istorum Actorum auctoritate umquam dubitavit, ita postremis etiam sæculis elapsis, germana et fidelissima visa sunt iis qui antiquitatis illustrandæ sedulo vacarunt. Consule, si placet, Schelestratium insignem antiquarium, *Antiquit. eccl.* tom. I, dissert. 2, cap. 7. Nunc vero paucis Neotericis a Pearsonio hæterodoxo edoctis placuit istorum Actorum auctoritatem in dubium revocare, inter quos eminet Tillemontius, plura congerens in nota I ad S. Stephanum argumenta ad illorum auctoritatem prorsus elidendam, quorum aliqua ad summum evincunt mendosa quædam in his Actis irrepsisse, quæ Stephani labores apostolicos aut martyrium non spectant, alia vero quæ in Stephani gesta etiam intorquentur nullo veterum testimonio, sed meris nituntur conjecturis quæ sint levissimæ, e. g. juxta Tillemontium rejicienda sunt Acta Stephani, quia in his aliqua a Stephano *patrata* miracula referuntur; quia nonnulli ibidem dicuntur *ante Stephani pedes sese prostravisse;* quasi vero paria in

ronium ad an. 259, quæ legitima certo videri fatetur ipse etiam Tillemontius nota 2, in S. Stephanum his verbis: *Baronius nous donne dans ses Annales les actes des saints Eusèbe, Marcel, Hippolyte,* etc., *comme des actes légitimes, ils en ont assurément beaucoup l'air.*

(1) Ibidem.
(2) Ibidem.
(3) Apud, Eusebium *Histor., Eccl.* lib. VII, cap. 5, et supra.
(4) Ibidem.
(5) Ibidem.
(6) Augustinus, locis supra citatis.

Digitized by Google

sinebat, ut pro Christo martyrii coronam alacriter susciperent : « fratres, inquiebat, et commilitones mei, respuite facultates terrenas, ut regnum cœleste percipiatis; nolite timere principes sæculi, sed orate Dominum Deum Cœli, et Jesum Christum Filium ejus qui potens est nos omnes eripere a manibus inimicorum et diaboli sævitia et suæ gratiæ sociare ; » tanta vero Stephanus in docendo et in exhortando gratia ac sapientia pollebat, ut « ex paganis ipsis multi concurrerent ut audirent verbum ejus. » Quæ vero fuerit Stephani sermonum efficacia, probat numerosa illa paganorum multitudo, quæ Stephano audito religioni christianæ sine mora nomen dabat, quosque omnes indefessus pontifex non alienis, sed propriis manibus « sacri Baptismatis mysteriis consecrabat; » probant et illæ Christianorum generosæ voces, quibus Stephano fidei necessitatem, aliasque virtutes commendanti succinebant « Nos desideramus et facultates terrenas derelinquere, etiam et sanguinem propter nomen Domini nostri Jesu Christi fundere, si tamen ejus meremur gratiam adipisci. »

Ut autem fortes ac constantes redderet S. Pontifex illos pietatis sensus, quos crebris exhortationibus in fidelium corda excitabat, ac ingerebat, sæpius « pro illis sacrificium Deo offerebat » curabatque ut « omnes corpore et sanguine Christi participarent. » Tantaque ipsis virtutum omnium exempla præbebat, ut Romanis, oculatis nempe testibus « Spiritus sancti gratia repletus, » veluti alter Stephanus protomartyr videretur, ac diceretur. Sic verbo, opere et exemplo gentiles ad fidem convertere, fideles in fide corroborare, ac ad martyrium fortiter obeundum disponere Stephanus R. pontifex enitebatur. Tot ornatum virtutibus pontificem, et miraculis clarescere Deus voluit; quam enim suis exhortationibus Christo per Baptismum generat Lucillam Nemesii Tribuni « filiam vi suarum orationum a nativitate cæcam » etiam « illuminat. » Non mirum igitur si sub tanto pontifice tot viderit Roma, tot celebret Ecclesia generosos Christi atletas, qui ad agonem usque pro Christo certaverint, qui spretis minis sicut promissis, blanditiis, honoribus, divitiis æque ac tormentis superatis, martyrii palmam tunc fuerint consecuti, quorum « corpora » sicut ubique « requiri curabat, » ita « sepelire ipse » pontifex humilis ac religiosus « non dedignabatur. »

Tot pro servanda ac propaganda religione christiana exantlatis laboribus, tot sustentis angustiis, pluribusque institutis episcopis, presbyteris ac diaconibus (1); ac superato jam exilio, teste Anastasio (2) Stephano jam nihil supererat, quam tandem illam pro ovibus animam ponere, quam perdere pro illis numquam timuerat, cruentoque sacrificio sese victimam Deo placentem offerre, qui incruentis toties sese immolaverat: hoc unum Stephano restabat ardentissimæ erga Deum et homines suæ charitatis præbendum specimen : hoc unum pulcherrimum Deo, et hominibus dandum a pontifice maximo spectaculum; Stephano datur occasio, occasioni Stephanus non defuit; pro Christo, pro grege moritur qui pro Christo, pro grege semper vixerat; quemque tot sudoribus sibi creditum agrum irrigaverat, suo etiam sanguine fœcundari non recusat, gloriosoque martyrio sanctissimæ ac laboriosissimæ vitæ finem imponit.

Cum enim Valerianus imperator accepisset Stephanum « suis persuasionibus atque adhortationibus » populo ab idololatria revocando incumbere, missis militibus illum comprehendit; comprehensum pastorem « Christianorum plurimi sequebantur a longe cum lacrymis; » ad tyranni tribunal adductus palam confitetur « Christum Jesum Filium Dei Deumes se cum Patre et Spiritu sancto; » Valeriano libere declarat « dæmonia » esse quæ a paganis « adorabantur idola, » seque Romanos « monere atque hortari, ut, illis derelictis ad Deum vivum et verum creatorem cœli et terræ redirent. » Auditum Stephanum jubet imperator in fanum Martis deduci, ubi, si illi sacrificare nollet, capitis sententia puniretur; sanctus Pontifex ibi « levatis, ad cœlum oculis » orationem ad Deum coram omnibus effundit; ac repente de cœlo tactum est delubrum et idolum, et magna ex parte corruit, quod cernentes milites pavefacti fugerunt; Stephanus vero, suis comitatus ad sanctæ Lucinæ cœmeterium se recipit, ibique fidelibus « ut bonus pastor multis consolationibus, atque exhortationibus » ad martyrium accensis « obtulit sacrificium Deo omnipotenti. » Hæc audiens Valerianus milites rursus ad eum capiendum mittit, qui Stephanum inveniunt sacrificium Deo offerentem, qui « intrepidus et constans ante altaris solemnia et jugiter cœpta perficiens eodem loco, sic in sua decollatus est sede (1) sub die quarto nonarum augustarum. Factus est autem maximus Christianorum planctus, qui talem pastorem cum gloria martyrii præmiserunt ad cœlestia regna. » Sepelierunt autem ejus

sinceris aliis veterum Actis nunquam recitarentur. Cæterum hæc Tillemontii argumenta solide et abunde refutata leguntur apud Ilbachium et Bollandistas in locis supra citatis; et certissime numquam efficient ut illa Stephani Acta venerandam Ecclesiæ universalis approbationem in his quæ ad Stephanum attinent per tot retro sæcula non habuerint.

(1) *Catalogus R. Pontif.* 6, sæculi et Anastasius bibliot. ad *Vitam S. Stephani.*

(2) Ibidem.

(1) Stephani martyrium capitis amputatione fuisse consummatum præter Stephani acta tradunt Anastasius bibl. *in Vita Stephani*, martyrologium Romanum, martyrologia Adonis, Usuardi et Notkerii, Græcorum Mænologia, Græcorum mænea, Mænologium Basilii imperatoris; Metaphrastes apud Lipomanum, S. Petrus Damianus sermone 38 *de Stephano*, Platina *in Vita Stephani*, martyrologium Gallicanum, uno verbo qui ex veteribus omnes Stephani morti describendæ vacarunt, quorum nemo aliud mortis genus ipsi affingit. Hæc antiquissima, hæc una de Stephani morte hactenus ecclesiarum omnium traditio, cui potius subscribendum esse puto, quam Tillemontio sine teste, sine probatione temere conjiciendo effutienti in notis ad S. Stephanum, *ipsum obiisse in carcere, vel exilio vel alio modo minus glorioso, non autem per judicis sententiam aut manu persecutorum, quod verum tunc temporis perfectumque martyrium reputabatur.* Ita Tillemontius pro suo ad conciliandam Stephano venerationem studio.

Digitized by Google

corpus cum ipsa sede «sanguine ejus conspersa» in eadem crypta, quæ est in cœmeterio Callixti, via Appia.

Hæc S. Stephani Romani illo nomine primi pontificis vitæ Coronides. Hæc præcipua gesta inclyti illius fidei apostolicæ defensoris, quem universa Ecclesia tamquam martyrem gloriosum jugiter coluit et colit, Latina quidem die 2 Augusti, Græca vero eodem die, vel sequente, vel etiam 30 Augusti et 7 Septembris, ut videre est in diversis Græcorum fastis apud Bollandi continuatores ad diem secundam Augusti, huic porro Ecclesiæ judicio de Stephani martyrio tota suffragatur antiquitas.

Stephanum enim martyrio fuisse coronatum, martyrem fuisse veterum nullus negavit umquam, aut dubitavit; testantur vero germana Stephani Acta, ut vidimus, Martyrologium S. Hieronymi apud Florentinium, missale Ambrosianum, Liber pontificalis sub nomine Damasi papæ apud Labbeum, S. Gregorii liber Sacramentorum, martyrologium Romanum vetus octavo circiter sæculo conscriptum; S. Paulus R. pontifex in suo diplomate pro translatione reliquiarum S. Stephani: Anastasius bibliothecarius, ubi de Stephano; venerabilis Bedæ martyrologium, menologia et mænea Græcorum, menologium etiam Basilii imperatoris; martyrologia Adonis, Usuardi, Notkeri apud Canisium, Rabanus archiepiscopus, Moguntinus in suo martyrologio; Waldelbertus, Ordericus Vitalis in lib. Eccl. Histor., Metaphrastes apud Lypomanum, S. Petrus Damianus sermone 38 de S. Stephano; hodiernum martyrologium Romanum, martyrologium Gallicanum, etc. Id pariter confirmant sacra et pervetusta plurium in Italia, Sicilia, Hispania, Germania, Lotharingia, Belgio ecclesiarum monumenta, in quibus fit mentio reliquiarum S. Stephani « papæ et martyris quæ ibidem cum magna veneratione asservantur. » Una tandem omnium de Stephani martyrio hactenus erat sententia, quando neotericos quosdam ætate nostra non puduit Stephani martyrium vetustissimis tot per Ecclesiam universam testimoniis assertum in dubium revocare, eo quod S. Augustinus et Vicentius Lirinensis nil de Stephani martyrio scripserint, et in uno antiquo privati cujusdam Kalendario Stephanus martyris titulo non decoretur, et tandem quia S. Pontius in vita S. Cypriani Xistum Stephani successorem vocaverit « bonum et pacificum sacerdotem ac beatissimum martyrem, ex quo inferunt arguti Pontium his verbis voluisse Stephanum perstringere ac negare eum fuisse beatum martyrem, quæ neotericorum pro abjudicando Stephani martyrio argumenta, seu potius misera perturbati animi ludibria exponere jam est refutare: qui plura ac magis testata et illustrata de Stephani martyrio desiderat, consulat inter alios Odoacrum Ilbachium in Actis sanctorum martyrum vindicatis, Romæ an. 1723, excusis lib. v, cap. 6 et 7, ac præcipue eruditos Bollandi continuatores ad diem 2 Augusti, quorum laboriosis inquisitionibus non parum adjutos nos hic fuisse memores et grati, candide ac libenter agnoscimus et declaramus.

# APPENDIX

## AD VITAM S. STEPHANI ROMANI PONTIFICIS ET MARTYRIS, IN QUA IPSIUS CONTRA S. CYPRIANUM ALIOSQUE REBAPTIZANTES AGENDI RATIO VETERUM TESTIMONIIS A QUORUMDAM NEOTERICORUM CALUMNIIS VINDICATUR.

S. Stephanus, ut vidimus, in causa Baptismatis hæreticorum Cypriano, Firmiliano, aliisque rebaptizantibus præcepit, ne antequam hæreticos sine iterato Baptismo recipiendi mutarent Ecclesiæ traditionem, illisque denuntiavit sese ab illorum communione discessurum, si in sua sententia persisterent.

Qui cæco in Romanos pontifices odio abrepti illorum actis vituperandis ac diffamandis potissimum incumbere videntur, neoterici nimirum, quos impugnamus, hanc Stephani contra rebaptizantes agendi rationem vellicare, et quo possunt dente carpere non cessant: duram, intempestivam, præcipitem et iniquam esse vociferantur. Stephanum præcipiendo ac excommunicationis minas intentando et suæ potestatis limites prætergressum fuisse, et immoderatæ ac iniquæ severitas specimina dedisse contendunt, Stephani zelum damnant tamquam ad omnia devastanda unice conducibilem; verbo dicam, sanctissimum Pontificem impotentioris dominatus tumidique fastus, immo tyrannidis et ecclesiarum oppressionis insimulare non erubescunt.

Verum quam sane diversum SS. Patrum ac veterum omnium de Stephano judicium, quam validum ad vindicandum ab iis calumniis æquam et sapientem Stephani contra rebaptizantes agendi rationem.

I. Enim perlegantur veterum omnium cum Græcorum, tum Latinorum, qui res pacata ac serena mente considerabant monumenta. Perlegatur strenuus ille Ecclesiæ traditionum vindex episcopus Cypriano coævus, cujus modestia et humilitas nomen nobis invidit, in suo qui incipit: « Non debere denuo baptizari, etc. » tractatu (1), consule Dionysium Alexandrinum,

(1) Tractatus qui incipit his verbis: *Non debere denuo baptizari qui semel in nomine Jesu Christi sint tincti* ex concessione Jacobi Sirmondi primum a Nicolao Rigaltio editus post Cypriani *ad Pompeium* epistolam, deinde a Philippo Labbeo, t. I, *Concilior.*; postea ab Anglis Cypriani operum editoribus inter opuscula Cypriano vulgo adscripta, anonymum licet habeat auctorem, magnam tamen apud eruditos obtinet auctoritatem. Si enim auctoris scopum attendas, in controversia Baptismatis hæreticor. Ecclesiæ causam contra Cyprianum ejusque asseclas viriliter propugnabat, si ejus personam et antiquitatem, erat episcopus Cypriano coævus ut merito observant et ipsis Gallis Tillemont. *Hist. eccl.*, tom. IV, pag. 152 et 629. Fleuriacus, *Hist. eccl.*, t. II, l. VII, c. 31. p. 278. Dupin. *Bibl. eccl.*, t. I, p. 531. Natalis Alexand. *Hist. eccl.*, t. III, p. 691, et, t. V, p. 488 et 495. Tu-

Digitized by Google

Eusebium Cæsariensem, Hieronymum, Augustinum, Vincentium Lirinensem, Facundum Hermianensem, V. Bedam, Nicephorum Callixtum, Georgium Syncellum; volvantur et ipsorum Donatistarum scripta, et si qui sunt alii, qui de agitata Stephanum inter et Cyprianum circa hæreticorum Baptisma quæstione verba fecerint; hi profecto quid hinc et inde in hoc dissidio gestum fuerit non ignorabant, sicuti notum omnibus erat Stephanum in hac causa præcepisse ac minas excommunicationis rebaptizantibus intentasse, ita ex illis quamplures id passim testantur; attamen nemo Stephanum non dico inhumanitatis aut tyrannidis, sed vel minimæ severitatis erga Cyprianum, et alios insimulat, nemo aliquid in Stephani agendi ratione deprehendere valuit, quod ulla censura vel animadversione dignum sibi videretur. Et certe si tale aliquid observassent memorati scriptores, illud profecto minime suppressissent, nec Stephano magis quam Cypriano, cujus tanta agnoscebant et prædicabant merita, pepercissent, in quo tamen fuisse aliquid culpandum, aliquid corrigendum, manifestare veriti non sunt. Quanta apud veteres Cypriani existimatio! Quot Cypriani panegyristæ! Quot Cypriani defensores! innumeros fere congessit Launoius (1); illorum tamen nec unus Cypriano intempestivam et minus rectam pronuntianti Stephani agendi rationem suffragatur, nullus Cypriano hac in parte adstipulatur; nullus Cypriani sequitur judicium, nullus Cyprianum eam ob causam excusat, quod Stephanus in ipsum severius sese gesserit. Quantum Augustini in elevandis ac minuendis Cypriani erratis studium! Quantus ardor! Quanta propensio! Nullibi tamen adoptat quæ Cyprianus pro sui defensione contra Stephanum effuderat, nullibi intempestivum subindicat Stephani zelum, ut nimiæ Cypriani in ipsum commotionis culpam imminuat. Uno verbo veterum nemo intempestivam aut severam, aut minus sapientem dixit Stephani adversus rebaptizantes agendi rationem, nullus in Stephano aliquid reprehendendum invenit. Qui autem Stephani agendi rationem vellicassent aut improbassent illi qui ipsam, quando opus fuit, celebrare ac commendare non omiserunt, ut modo videbimus.

II. « Graviter revera Cypriano succensebat » Stephanus (2), quando ipsi præcepit ac denuntiavit se ab illius communione discessurum si in sua sententia persisteret; at de hac gravi Stephani successione quid putarunt tot per orbem universum episcopi, qui pro sana Ecclesiæ doctrina cum ipso contra rebaptizantes militabunt? Illamne credebant incongruam aut intempestivam? Numquid in eo tantum Stephano suffragabantur, quod antiquam Ecclesiæ traditionem teneret, non vero in eo quod gravius Cypriano aliisque rebaptizantibus succenseret? Id quidem excogitarunt recentiores nonnulli; at nemine antiquorum refragante testatur Augustinus totam illam episcoporum multitudinem cum Stephano non tantum Baptismum Christi in nullo iterandum esse censente, sed « et hoc facientibus graviter succensente sensisse »: libro enim de uno Baptismo contra Petilianum, cap. 14. « Stephanus, inquit, Baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat et hoc facientibus graviter succensebat; Cyprianus autem in hæresi vel schismate baptizatos tamquam non habentes Baptismum Christi baptizandos in Ecclesia catholica existimabat: multi cum illo, quidam cum isto etiam sentiebant. » Quot autem cum Stephano fuerint qui multi hic ab Augustino dicuntur, significat ipse scribens contra Cresconium, lib. III, cap. 3: « Proinde, inquit, si omnino jam credendum sit quinquaginta episcopis Orientalium id visum esse, quod septuaginta Afris vel aliquanto etiam pluribus contra tot millia episcoporum quibus hic error in toto orbe displicuit.

Ante Augustinum tradiderat S. Dionysius Alexandrinus Stephani judicium, quo volebat rebaptizantes, qui in sua sententia persisterent excommunicandos esse, fuisse simul judicium et sententiam reliquorum episcoporum, teste Eusebio, lib. VII, *histor.*, c. V, apud Valesium: « ad hunc (Xistum R. pontificem) Dionysius secundum de Baptismo scripsit epistolam, in qua Stephani simul et reliquorum episcoporum sententiam ac judicium exponit; » quale autem fuerit Stephani, quod simul reliquorum erat episcoporum judicium, quæ immediate sequuntur hæc manifestant verba: « De Stephano ita scribens; ante quidem litteras scripserat de Heleno et Firmiliano, de omnibus denique sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, cunctasque finitimas provincias constitutis sese ob eam causam: ab illorum communione discessurum quod hæreticos baptizarent. »

Idem testatur et Nicephorus Callixtus his verbis: « Ad Xistum secundam de Baptismo epistolam Dionysius dedit Stephani et reliquorum judicium in ea ostendens, scripserat namque prius de Heleno et Firmiliano se cum illis non communicaturum eam ipsam ob causam quod hæreticos rebaptizarent (1). »

Vincentius etiam Lirinensis Stephanum Cypriano restitisse tradit, nec ignorabat quo pacto Stephanus restitisset, præcipiendo videlicet, ac minas excommunicationis intentando, quandoquidem Stephani ad Africanos epistolam refert (2); attamen huic Stephani intercessioni cæteros undique complausisse Præsules affirmat his verbis: « Stephanus apostolicæ Sedis antistes cum cæteris quidem collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit (3). »

III. Censuit S. Stephanus rebaptizandos non esse hæreticos, insuper arbitratus est Cyprianum aliosque

nelius, *de Sacramentis*, p 375. Baillet, in *Vitis sanctorum* ad diem 2 Augusti, p. 20. *Defensor declar. Cleri, Gallic.* 1682. t. 2, p. 266. P. Gervasius, in *Vita S. Cypriani*, p. 421 et seq. D. Marand in Baluziana Cypriani operum editione præfat., p. 126. D. Cellier. Benedict. *Histor. Sacrorum auctor.*, t. 3, p. 134, et alii quamplures.

(1) Epist. *ad Bevilaquam* 15.
(2) Augustin., lib. un. *contra Petilian.*, c. 14.

(1) *Histor. eccl.*, lib. VI, c. 7, edit. Paris. 1650.
(2) Commonit., c. 9.
(3) *Ibid.*

Digitized by Google

rebaptizantes non esse ferendos, ideoque sese ab illorum communione discessurum, si persisterent, scripsit. Quid Ecclesia? Stephani sententiam in utroque probavit et tenuit: « Beatus Stephanus, » inquit Facundus, Hermianensis episcopus, lib. contra Mocianum, « continuo Cypriano denuntiavit quod si hoc auderent (hæreticos rebaptizare) ab Ecclesia pellerentur; et Stephani potius quam Cypriani sententiam tenet Ecclesia, non solum de non rebaptizandis hæreticis, verum etiam de rebaptizantibus non ferendis. » Damnetur igitur Stephanus a neotericis, tyrannus et immanis ecclesiarum oppressor ab ipsis vocetur, qui rebaptizantes non esse ferendos censuit; graviori absolvetur judicio, ab ipsa Ecclesia vindicabitur, quæ illius sententiam « etiam de rebaptizantibus non ferendis » tenuit et probavit.

IV. Stephani ad Cyprianum rescriptum, in quo præcipiebat antiquam servari consuetudinem, superbum profecto, vel injuriarum plenum, aut Cypriani contumeliosum nec censuit omnium ecclesiarum mater et magistra Romana Ecclesia, quæ illius rescripti memoriam tamquam S. Stephano gloriosissimam quoi annis die 2 Augusti proponit in Breviario Romano his verbis: « Baptizatos ab hæreticis iterum baptizari vetuit (S. Stephanus) rescribens S. Cypriano verbis illis: nihil innovetur nisi quod traditum est. »

V. De Stephani rescripto quid censuerit episcopus anonymus, qui Cypriani novitatem tunc temporis impugnavit, ipse nobis aperit his verbis: « In quo genere quæstionis (de Baptismo hæreticorum) ut mihi videtur, nulla omnino potuisset controversia aut disceptatio emergere, si unusquisque nostrum contentus venerabili ecclesiarum omnium auctoritate et necessaria humilitate nihil innovare gestivet (1). » Cedo, an non satis aperte hic laudat S. Stephani præceptum illud: « Nihil innovetur? » Idque non ut suo tantum judicio justum, sed « et venerabili ecclesiarum omnium auctoritate » ita comprobatum, ut « unusquisque necessaria pollens humilitate » illi acquiscere « contentus » ac modestus debuisset? Sane (eruditi viri verbis utor) nihil in mandante carpit, qui solam in subditis « humilitatem » desiderat et quidem « necessariam; » immo tantum illius æquitatem extollit, quantum horum contumaciam carpit, dum istos « inanis gloriæ audaciæ, temeritatis, » etc. accusat, ut in ipso tractatus aditu videri potest. Si ergo episcopo, quæ suismet oculis obversabantur referenti fides adhibenda, vides Cypriano aliisque rebaptizationis novitatem introducentibus adversam tunc fuisse « venerabilem ecclesiarum omnium auctoritatem. » Quia nimirum Stephani præcipientis auctoritatem omnes illæ ecclesiæ assentiendo et approbando suam fecerant. Ex quo patet Stephani præceptum justum, æquumque illis omnibus ecclesiis visum fuisse. Quare etiam Cypriano tanta juxta auctorem nostrum nil in causa Baptismatis hæreticorum innovandi « humilitas erat necessaria, » nisi quia Stephanus præceperat, ne aliquid in ea quæstione innovaretur? Ex quo rerum apparet quanta fuerit apud citatum auctorem auctoritas a Stephano præcepti vis ac æquitas.

VI. Nec Stephanum quod rebaptizantibus excommunicationem comminatos fuerit improbabant nobiles duo Ecclesiæ Romanæ presbyteri Dionysius, et Philemon, qui teste Dionysio Alexandrino hoc idem cum Stephano sentiebant: « Antea quidem, » inquit Dionysius Alexand. apud Euseb., l. VII Hist., c. 5, « litteras scripserat (Stephanus) de Helleno et de Firmiliano » aliisque Orientalibus « sese ab illorum communione discessurum, quod hæreticos rebaptizarent. At vide, quæso, gravitatem negotii; revera enim in maximis, ut studio episcoporum concilia, decretum est, ut qui ab hæreticis ad catholicam Ecclesiam accedunt primum catechumeni fierent ac deinde veteris et impuri fermenti sordibus per Baptismum purgarentur. De his omnibus ego ad illum epistolam misi rogans atque obtestans, sed et charissimis, inquit, fratribus compresbyteris nostris Dionysio et Philemoni qui prius idem cum Stephano sentiebant, deque iisdem rebus ad me scripserant, scripsi. » Dionysium et Philemonem Stephano rebaptizantibus excommunicationem minitanti « suffragatores » fuisse testimonio Dionysii Alexand. refert etiam Nicephorus Callistus (1): quanti autem ponderis sit Philemonis et præsertim Dionysii Romani pro Stephano suffragium satis ostendunt, quæ SS. Patres ac præcipue S. Basilius (2) et Athanasius (3) pro celebranda Dionysii Romani « fidei integritate, doctrina, eruditione, sapientia aliisque virtutibus » cumularent elogia, satis ostendunt quæ Eusebius post Dionysium Alexandrinum de illo nobis tradidit lib. VII, hist. cap. 7, his verbis: « Hunc ipsum Dionysium Romanum eruditissimum (adhuc presbyterum) planeque admirandum virum fuisse testimonio Dionysii Alexandrini licet cognoscere; » ac tandem ex eo dignosci etiam potest, quod Petri cathedram post Xistum II occupare meruerit.

VII. Dionysius Alexandrinus ad Stephanum per litteras sequester accessit quidem « rogans atque obtestans » ut a ferenda excommunicationis sententia abstineret, ideoque ne quod ipsis interminatus fuerat, « sese nimirum ab illorum communione discessurum, executioni demandaret. Fusas a Dionysio preces Stephani voluntati consonas fuisse constat ex Augustino, qui sæpius testatur Stephanum cum Cypriano pacem et charitatem conservasse, et consequenter intra solas excommunicationis minas stetisse nec ulterius progressum fuisse (4). At intempestivas fuisse has Stephani minas nullatenus asserit Dionysius, et profecto si tales illas existimasset eadem libertate, qua ipsi significabat executioni non esse demandandas, ipsi pariter aperuisset immaturas ac

(1) In tractatu qui incipit his verbis: *Non debere denuo*, etc. jam supra citato.

(1) *Histor.*, l. VI, c. 7, apud Fronton. duc p., 398.
(2) Epist. 220.
(3) *De Synod.* p. 918.
(4) Lib. V *de Bapt., cont. Donat.*, c. 25; et, aliis in locis supra citatis.

Digitized by Google

minus æquas fuisse, idque eo magis, quod si adversariis nostris credimus, rebaptizantibus ipse suffragabatur ; immo justas æque ac providas illas Stephani minas sibi visas esse satis indicat, cum solis precibus illarum executionem avertavere tentaverit.

VIII. Eusebius Cæsariensis qui ex Dionysio perceperat et in sua Historia inseruerat Stephanum rebaptizantibus significasse « sese ab illorum communione discessurum, » recte scribit « gravissime ipsum tulisse, » aliquid a Cypriano, aliisque circa hæreticorum Baptismum innovari. At nedum Stephanum alioquatenus reprehendat quod id « gravissime tulerit; » eam affert hujusce Stephani agendi rationis causam, quæ illius æquitatem apprime demonstret. Stephanus enim juxta Eusebium id gravissime tulit, quia ratus fuerat nil adversus antiquam Ecclesiæ traditionem esse innovandum : « Cyprianus, inquit, l. VII Hist., c. 3, nonnisi per Baptismum ab errore prius emundatos admittendos esse censuit. Verum Stephanus nihil adversus traditionem quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat innovandum ratus, gravissime id tulit. » Quid porro æquius ac sapientius novitatem antiquæ Ecclesiæ traditioni contrariam gravissime fere.

IX. Quid etiam de Stephano senserit S. Hieronymus percipitur ex suo adversus Luciferianos Dialogo, in quo non semel de exorta S. Stephanum inter et S. Cyprianum in causa Baptismi hæreticorum concertatione meminit. Ibi ergo « Stephanum a Cypriano laceratum » fuisse scribit, at Cyprianum a Stephano minus bene habitum sicuti non censuit, ita nec tradidit ; immo Stephani constantiæ ac zelo adscribit, quod irriti fuerint Cypriani pro mutanda antiqua Ecclesiæ traditione conatus : Conatus est, inquit, beatus Cyprianus contritos lacus fugere ac bibere de aqua aliena, et idcirco hæreticorum Baptisma reprobans ad Stephanum tunc Romanæ urbis episcopum super hac re Africanam synodum direxit, sed conatus ejus frustra fuit. »

Atque adeo frustra rebaptizantes Stephanum rogarunt, ut juxta S. Doctorem suum errorem deposuerint et antiquato veteri novum emiserint decretum; pergit enim : « Denique illi episcopi (Africani) qui rebaptizandos hæreticos cum eo (Cypriano) statuerant ad antiquam consuetudinem revoluti novum emisere decretum. » En quid lucrati sint Africani ad Stephanum confugientes. An quæso Stephani in Africanos agendi rationem vituperare potuisset Hieronymus, ex qua tantum Africani ac universa Ecclesia lucrum percepissent? Tandem concludit S. Doctor post verba modo citata « quid facimus ? Ita et nobis majores nostri, et illis sui tradidere majores. » Ex quibus Hieronymi verbis, intelligis imitandum ab ipso Luciferianis proponi Stephani zelum ac studium in conservandis ac posteritati transmittendis, quæ ipse a suis majoribus acceperat, ex quo rursus colligitur quam fuerit alienus S. Doctor ab illorum sententia, qui Stephani zelum traducunt, ut præcipitem, ac ad omnia devastanda unice idoneum.

X. Pro Cypriano defendendo ac excusando prioriem ac illustriorem Augustino neminem ostentat antiquitas, quot in eo fuerint Augustini conatus, qui zelus, qui ardor, quæ facundia atque constantia, solus ignorat qui in ipsius scriptis hospes omnino sit ; apprime noverat S. Doctor, qui ipse tradebat Stephanum Cypriano in causa Baptismatis hæreticorum « præcepisse (1) ac ipsum abstinendum putasse (2). » Legerat et Cypriani ad Pompeium epistolam, in qua Stephani præceptum et excommunicationis minas acriter perstringebat, ac illud quidem seu intempestivum et inconsideratum, istas vero seu minus æquas acrius exagitabat. Quare ergo Cypriano Stephani agendi rationem reprehendenti non assentitur. Quare Cypriani Stephano præcipienti inobsequentiam non excusat, quod intempestiva ac minus æqua in ipsum fuerit Stephani agendi ratio ? Totus minuendis ac elevandis Cypriani erratis vacabat Augustinus. Nihil novi dixisset hanc excusationem afferendo. Jam præiverat ipse Cyprianus, qui eamdem attulerat. Quare ergo Cypriani judicium, quod tanti faciebat, hac in parte non sequitur ? Si vera loqui et audire placet. Talem non censuit Augustinus, qualem existimabat Cyprianus Stephani agendi rationem, alioquin qui pro suscepta Cypriani defensione tot alia allegavit et excogitavit, illud profecto non omisisset, quod Cyprianus ipse pro suo resistendi jure non semel adduxerat.

Tantum abest ut Cypriani in Stephani agendi rationem quasi minus æquam ac moderatam querelis assentiri se posse crediderit Augustinus, ut eas non posse nisi improbari significaverit, strenuissimus licet Cypriani defensor. Expendens enim Cypriani ad Pompeium epistolam, in qua et quidem sola Romani pontificis agendi rationem vellicabat Carthaginensis antistes, diserte pronuntiat ea omnia, quæ Cyprianus eo loci contra Stephanum scripserat, non hominis pacati ac sereni, sed « irritati » fuisse verba, quæ minus sui compos non sobrie ac graviter protulerit, sed « effuderit ; » immo ita moderationi, æquitati ac charitati parum consona, ut talia fuerint, « quæ non levis sed perniciosæ dissensionis periculum habuerunt ; » ideoque nullatenus ea excusare, nedum probare valens ea « præterire melius esse » vir christiana charitate maxime præditus pronuntiat : en Augustini verba : « Jam illa quæ in Stephanum irritatus effudit (Cyprianus) retractare nolo, quia et non opus est : eadem quippe ipsa dicuntur quæ jam satis discussa sunt, et ea præterire melius est, quæ perniciosæ dissensionis periculum habuerunt (3). » Hisce ne verbis Augustinus ostendit se Cypriano virilem Stephani agendi rationem carpenti suffragari ? Ita ne significat S. Doctor illam sibi, sicuti Cypriano, intempestivam et minus æquam visam fuisse ? quæ autem Augustini verba exponimus, ea esse minime putes, quæ ex aliis ejusdem S. Doctoris temperari possint. Id enim tantum loci, nec alibi, expendit ex-

(1) Lib. v *de Bapt.*, c. 23.
(2) Ibid., c. 25.
(3) *De Bapt. cont. Donat.*, lib. v, c. 25.

Digitized by Google

presse, quæ Cyprianus in Stephanum effutiit, ut ex eo Augustini mentem certo assequi possis et debeas. Qua vero fronte, ut obiter dicam, nuperi aliqui protulerint Augustinum præcipuam Cypriani sanctitatem in modo, quo adversus Stephanum sese gessit constituisse, viderint ipsi, nobisque patefaciant; quasi vero tot alia Cypriani præclarissima gesta ad eximiam, quam apud Deum et homines obtinuit sanctitatem firmandam ac constituendam minime sufficerent. In expendendis sanctorum virtutibus, expendantur sanctorum testimonia; ad sanctos potissimum spectat sanctorum vera discernere merita, eorumque præconia celebrare; sanctissimi igitur Cypriani merita ex sanctissimo pariter Augustino liceat dignoscere, nil æquius: at, quæ in Cypriano non probavit, sed potius velo charitatis et silentii obvolvenda censuit Augustinus, veridici dicamus ab ipso non adeo fuisse laudata, ut in illis præcipua Cypriani sanctitatis fundamina locaverit.

Ex Augustino rursus percipere lubet quæ fuerit editi a Stephano præcepti æquitas, et an merito ipsi restiterit Cyprianus. Etsi Augustinus, ut modo videbamus, retractare se nolle ac præterire melius esse profiteatur, quæ Cyprianus in epistola ad Pompeium « irritatus » in Stephanum « effuderat, » quædam tamen ex illa decerpere ac referre voluit, quæ maxime apta erant ad probandam conditi a Stephano præcepti æquitatem, et culpandam Cypriani inobtemperantiam, in quo mirari satis non possumus Augustiniani vim ingenii ac mentis perspicaciam, cui vel ipsa Cypriani documenta suffecerint ad demonstrandam ipsius resistentiæ labem. Cum enim Cyprianus Stephani præceptum ægre ferens in citata ad Pompeium epistola dixisset « Episcopum docibilem esse debere, et non tantum docere, sed et discere illum oportere, » hæc Cypriani verba refert atque probat Augustinus (1), at alio sane quam Cyprianus spiritu et scopo, Cyprianus enim episcopum docibilem esse debere dicebat, ut ostenderet Stephanum præcipere tantum ac docere non debuisse, sed etiam discere ac aliorum rationibus docibilem sese præbere; Augustinus econtra illa Cypriani sententia utitur, ut ostendat non Stephanum Cypriani argumentis, sed Cyprianum Stephani præcepto docibilem esse debuisse, « quia, inquit, recitato illo Cypriani effato, sicut multa erant quæ doctus Cyprianus doceret, sic erat et aliquid quod Cyprianus docibilis disceret. » Quo ergo in negotio Cyprianus Stephanum, Augustinus Cyprianum docibilem voluit. Quid hoc significat nisi Cyprianum juxta Augustinum Stephano docenti et præcipienti docibilem esse debuisse, ex quo patet Stephani præceptum æquissimum Augustino visum fuisse.

Cum autem Augustino potissimum insistant adversarii nostri, vitio nobis non dabitur si in ipsius mente exponenda paululum immoramur. Quot fuerint in excusando Cypriano S. Doctoris ambages, quot angustiæ, ostendunt diversæ illæ ac perplexæ, quas pro ejus defensione adduxit rationes. Modo enim contendit dubitari posse an Cyprianus rebaptizandos hæreticos esse senserit, ac sæpius conatur etiam aliorum testimonio ipsius errorem dubium reddere (1). Modo contendit ipsum, si ita sensit, hunc errorem correxisse (2). Modo tradit Cyprianum si revera noluit Baptismum apud hæreticos, ut Stephanus docebat agnoscere, id suæ charitatis ubertate ac suæ passionis falce purgasse (3): hæc omnia quid aliud manifestant quam pontificii præcepti æquitatem? Si enim Stephanus præcipiendo æquitatis ac potestatis suæ limites excessit, nec illi cedere debuisset Cyprianus, ut quid pro istius defensione indagandum Augustino fuisset, utrum correxisset suam sententiam nec ne? cum illam revocare ac corrigere non teneretur? Præterea Cyprianus in eo, juxta Augustinum, peccavit, quod « noluit agnoscere Baptismum apud hæreticos: » peccatum enim fuisse quod charitatis ubertate ac falce passionis purgandum erat, nemo dubitat; at profecto in eo non peccasset Cyprianus, si Stephano præcipienti agnocendum esse Baptismum apud hæreticos obtemperare non tenebatur; quam in rem quasdam recentiorum hallucinationes aperire non piget, nec inutile videtur. Alii contendunt nihil Cypriano in hac cum Stephano concertatione excidisse, quod aliqua reprehensione dignum Augustino visum fuerit, immo affirmant Cyprianum in modo quo sese gessit adversus Stephanum maxime ab Augustino commendari, quorum sententiam vel referre jam est refutare. Consultiores alii duo in Cypriani agendi ratione distinguunt, quod nempe Stephano restiterit, et quod nonnulla in Stephanum effuderit, quæ moderationem ac mansuetudinem christianam minus saperent. Id ultimum ab Augustino reprehendi asserunt, non vero primum. Pace istorum dixerim Augustini scripta vel satis non voluerunt, vel ipsa satis non attendere; inscite vel te profecto hallucinantur.

Enim vero S. Augustinus in Cypriano non solum ea reprehendit quæ minus temperanter in Stephanum effudit, sed etiam quod ipse aliter ac Stephanus in hac quæstione senserit, quod noluerit, ut Stephanus præceperat, Baptismum apud hæreticos agnoscere, id etiam præter ea, quæ in Stephanum « irritatus effudit, » charitate et martyrio a Cypriano purgatum affirmat Hipponensis episcopus. Attentæ jam Augustino præbeantur aures: « Cyprianus, inquit in Ep. ad Vincentium Rogat. c. 10, aut non sensit omnino quod cum sensisse recitatis (apud hæreticos non esse Baptismum) aut hoc postea correxit in regula veritatis, aut hunc quasi nœvum sui candidissimi

(1) Lib. v de Bapt., cap. 26.

(1) Lib. II de Bapt., cap. 31, 33, 35 et 38; lib. IV de Bapt. cap. 17; lib. I contra Cresconium cap. 32. Epist. ad Macrobium 108. Epist. ad Vincentium Rogat., cap. 10.

(2) Lib. II de Bapt. cap. 4 et 5; lib. II contra Crescon. cap. ult. Epist. ad Vincent. Rogat. cap. 10.

(3) Lib. I de Bapt. cap. 18; lib. de unico Bapt. contra Petilian, cap. 13. Epist. ad Vincent. Rogat. cap. 10.

Digitized by Google

pectoris cooperuit ubere charitatis. » Hic juxta Augustinum non quæ in Stephanum « irritatus effudit, » sed quod aliter ac Stephanus circa hæreticorum Baptisma sensit Cyprianus, illud est quod « ubere charitatis cooperuit. » Et lib. I de Bapt. cap. 18, « quod ergo, inquit, ille vir sanctus (Cyprianus) de Baptismo aliter sentiens quam se res habebat, quæ postea pertractata et diligentissima consideratione firmata est, in catholica unitate permansit, et charitatis ubertate compensatum est et passionis falce purgatum : » Hoc juxta Augustinum charitatis ubertate compensavit. Hoc passionis falce purgavit Cyprianus, nimirum « quod aliter, quam se res, » ut Stephanus docebat; « haberet, » circa hæreticorum Baptisma « sentiebat. » Præterea cum Petilianus Donatista Cypriani auctoritatem urgeret, qui hæreticos ad Ecclesiam redeuntes sine Baptismo non esse recipiendos statuerat : « O quam, exclamabundus respondet Augustinus, detestandus est error hominum qui clarorum virorum quædam non recte facta laudabiliter se imitari putant, a quorum virtutibus alieni sunt, sic enim et nonnulli Petro apostolo compararise volunt, si Christum negaverint, si vero etiam Gentes judaizare coegerint vocitari germani ejus affectant : hæc in illo tanto reprehensibilia fuerunt, sed tanta eminuit apostolica gratia ut continuo delerentur.... sic et in Martyre gloriosissimo Cypriano : Si apud hæreticos, vel schismaticos datum Christi Baptismum nolebat agnoscere, tanta ejus merita usque ad triumphum martyrii consecuta sunt, ut et charitatis qua excellebat luce, illa obumbratio fugaretur (1). » Vides ex Augustino in Cypriano hoc fuisse « reprehensibile, » quod « noluerit » quemadmodum ipsi præceperat Stephanus « agnoscere » Baptismum Christi apud hæreticos et schismaticos datum; hæc juxta Augustinum ipsa fuit Cypriani quædam « obumbratio » quæ sub charitatis luce « fugari » debuit.

Tandem ne morosiores simus in percurrendis omnibus quæ his respondent Augustini locis (2), unum et solum, jam citatis adhuc subnectimus petitum ex lib. II cont. Gaudentium donat. cap. 8 : « Absit autem, inquit, ut quoniam beatissimus Cyprianus de Baptismo aliter sensit, quam veritas et antea consuetudine, et postea perspecta diligentius ratione monstravit, propterea quisquam nostrum qui hoc quod ille, non sapimus ei se audeat anteponere. Cætera enim multa et magna ejus merita et animus præcipua charitate plenissimus, per quem cum collegis diversa sentientibus pacatissimus mansit, et in unitate Ecclesiæ passio gloriosa, satis ostenderunt eum fuisse sarmentum in Christi radicem fructuosam, quod Pater etiam ab ista reprehensione purgaret.... ostendens etiam in ipsis fructuosis agricolam qui est in cœlis aliquid invenire quod purget. » Quid clarius? Quid luculentius? Cyprianus, juxta Augustinum, de Baptismo aliter sensit, quam veritas per os nempe Stephani consuetudine tunc monstrabat, at Pater cœlestis propter ipsius præcipuam charitatem et passionem gloriosam ab « ista reprehensione » etiam purgavit. Reprehensibilis ergo etiam erat Cyprianus quod de Baptismo aliter sentiret ac Stephanus, non ergo tantum reprehensibilis erat Cyprianus juxta Augustinum quod quædam in Stephanum minus moderata ac modesta effuderit, sed etiam quod aliter ab ipso de Baptismo sentiret, ac Stephano contra sentiente et præcipiente, censuerit nullum esse apud hæreticos Baptisma.

Hæc si pacati et attenti perpendissent isti recentiores illam numquam excogitassent, quæ solos incautos vel inscitos decipere possit distinctionem, qua nimirum volunt Cyprianum in eo quidem ab Augustino reprehendi, quod in Stephanum aliqua charitati ac moderationi Christianæ minus consona effuderit, non autem in eo quod Stephano refragante ac contra præcipiente suam pertinaciter defenderit sententiam. Centies obtrudunt, inculcant urgentque Cyprianum suam constanter et immote sententiam propugnasse, licet Stephanus R. pontifex contra scripsisset et præcepisset, nec in eo ab Augustino umquam fuisse culpatum, quia Stephanus moderationis ac suæ potestatis limites excessit, quia soli Ecclesiæ judicio Cyprianus cedere tenebatur. Quid his ego? Sine clamore, sine strepitu, sine ostentatione, sed vere, simpliciter et breviter dico Cyprianum ad genuinam Augustini mentem in eo fuisse « reprehensibilem » quod « aliter ac Stephanus sensit. » Quod « noluerit agnoscere » illud, quod Stephanus agnosci volebat; « Baptismum nimirum Christi etiam esse apud hæreticos et schismaticos. » Id, inquam, in Cypriano reprehendit Augustinus, id « charitate » et quidem « uberi » compensatum ab ipso autumavit, id « falce martyrii purgatum » ab ipso pronuntiavit. Tale ergo non erat ad mentem Augustini Stephani R. pontificis præceptum, cui Cyprianus sine culpa resistere potuerit. Suam ergo sententiam Cyprianus deponere ac aliter sentire debebat, ut culpandus non esset; non ergo tandem Stephanus juxta S. Augustinum vituperandus, quasi præcipiendo moderationis ac suæ potestatis limites prætergressus fuerit, sed e contra arguendus Cyprianus, qui aliter ab ipso sentire voluerit, illique resistere.

XI. Quam apposita, quam religiosa, quam æqua Vincentio Lirinensi optimo et antiquissimo Gallo visa fuerint Stephani in Cyprianum gesta, vel ex eo abunde dignoscitur, quod illa Stephani gesta referat, et adducat gravissimus auctor (1) ad probandam hanc thesim initio capitis propositam : « Mos iste semper in Ecclesia viguit ut quo quis foret religiosior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet. » Verum disertius, ac luculentius ostendit his verbis : « In Epistola quæ tunc ad Africam missa est, his verbis sanxit (Stephanus) nihil innovandum nisi quod

(1) Lib. de Un. Baptis. contra Petilianum, cap. 13.

(2) V. lib. III de Bapt. cap. 19. Epist. ad Macrobium 108, cap. 3, etc.

(1) *Commenitor.*, cap. 9.

Digitized by Google

traditum est. Intelligebat etenim vir sanctus et prudens nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia quæ fidei a Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur, nusquam religionem non qua vellemus ducere, sed potius qua illa duceret sequi oportere; idque esse proprium Christianæ modestiæ et gravitatis non sua posteris tradere, sed a majoribus accepta servare... tunc beatæ memoriæ papa Stephanus, apostolicæ Sedis antistes, cum cæteris quidem collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit (rebaptizantibus) dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat : (1) » Hæc de Stephano toti Galliæ insonabat pissimus ille ac eruditissimus Gallus Vincentius. Hæc licet Stephano in Cyprianum agenti perhonorifica Francorum hemini tunc nimia vel redundantia videbantur; immo quia veritati non minus; quam suæ erga Petri successores innatæ pietati condona libenter audiebat ac posteris tradebat universa Gallia, atque utinam hæc etiam Latinis placuissent, tot profecto erroribus Vincentium Stephani gesta scribentem non onerasset, ipsique totam in hac re fidem minime detraxisset (2). Verum Stephano gloriosa nimis erant, quæ Vincentius memorabat; hujusque in exponendis R. pontificum gestis stylus a Latinii stylo nimis diversus, ut apud Latinium expectatus ac gratiosus ille fore deberet, qui modestus; pacatus, Augustino covus Stephani præceptum non zelo præcipiti, intempestivo ac impotenti, sed ipsius « sanctitati prudentiæ » nec non « laudabili » posteris eadem tradendi, quæ a majoribus acceperat « studio, » ac demum Stephani « fidei » qua cæteros, ut et loci dignitate, superabat, ac « devotioni » adscribebat.

XII. Prodeat jam nunc insignis et percelebris sæculi sexti episcopus, qui suspectus videri non possit : sive contra Cyprianum pronuntiet, ut pote Afer, et Cypriani amantissimus, sive pro S. Stephano pontifice Romano, quippe qui schismaticus, Facundus nempe Hermianensis. Hic autem Cyprianum a Stephano fuisse culpatum, et quidem intentata excommunicatione sciebat et tradebat (3). Stephano pariter Cyprianum restitisse ac calamum in epistola ad Pompeium in illum strinxisse refert (4); a Facundo igitur totius rei gestæ perito discamus, an jure vel injuria Cyprianus ita fuerit a Stephano culpatus, et consequenter an merito ipsi restiterit. Ab ipso perdiscamus etiam, num Cyprianum Stephanus, vel Stephanum Cyprianus injuriose tractaverit : « Cyprianus, » inquit breviter, sed aperte « injuriose tractans beatum Stephanum, a quo fuerat jure culpatus. » Hæc in defensione trium capitulorum lib. x, cap. 3, versus medium Africanus antistes, qui libro contra Mocianum, ut supra vidimus (1), affirmabat Stephani sententiam etiam « de rebaptizantibus non ferendis » Ecclesiæ universæ fuisse probatam a quo profecto Ecclesiæ judicio, cui tota suffragatur antiquitas cordatus recedere noluit, ne Christianorum omnium indignationem et offensionem incurreret, quod unus inter veteres et omnium primus Stephani agendi rationem improbare ac in Stephanum insurgere non erubuisset.

XIII. Quæ Cypriano in causa Baptismatis contigere, obiter commemorandi nonnulla fuit viro litteris et sanctitate clarissimo venerabili Bedæ occasio; paucæ vero, quæ de hac concertatione nobis etiam tradit eruditus scriptor, sicuti Stephani zelo ac prudentiæ nullatenus officiunt, ita etiam illius agendi rationis æquitatem non obscure significant. Scribit enim Cyprianum et suum errorem « correxisse et ad universalem sanctæ Ecclesiæ normam reductum fuisse. » Qua vero ope, quove præsidio Cyprianus ad universalem Ecclesiæ normam reductus fuerit, explicat vir eruditus, « spiritualium » nempe « virorum institutione; » sub nomine autem illorum « spiritualium virorum, » quorum « institutione » Cyprianus illud sit assecutus Stephanum aliosque Cypriani adversarios a Beda designari perspicuum est. Quid amplius ad ostendendam Stephani in Cyprianum agendi rationis prudentiam ac æquitatem ? Prudentem, æquamve quis neget illam agendi rationem, cui tam utilis tam gloriosus debeatur fructus ac exitus? quæ Cyprianum ad universalem Ecclesiæ normam reducere valuerit. En pii scriptoris verba ex libro variarum quæstionum quæst. 5, decerpta : « Si bona quæ nostis per charitatem operamini, tribuet vobis divina gratia, ut si quid aliter quam decet sapitis et hoc aliquando intelligatis, sicut B. Cypriano contigisse perspicuum est, qui cum suis coepiscopis qui erant in Africa rebaptizandos esse hæreticos contra morem Ecclesiæ statuit, sed quia in suo sensu, qui sibi rectus videbatur bonis abundare operibus studuit, mox corrigi meruit; atque ad universalem sanctæ Ecclesiæ normam spiritualium virorum institutione reduci. »

XIV. Quid dicam de Georgio Tarasii Patriarchæ Constantinop. Syncello? Quid de Nicephoro Callisto? Referunt ambo Stephanum Cypriano restitisse ; nec ignorabant modum quo restitit, præcipiendo scilicet atque gravissimas pœnas intentando, id etiam expresse tradit Nicephorus (2); at neuter Stephanum carpit, neuter ullatenus reprehendit, sed ambo Eusebium Cæsariensem secuti eam Stephani agendi rationis causam adducunt, quæ illam non nisi æquam efficiant ac exhibere valeant. Ita enim erga Cyprianum se gessit Sanctus Pontifex juxta laudatos scriptores, quia nil « novi, » nil quod « antiquæ Ecclesiæ consuetudini adversaretur in eam introduci volebat » et curabat (3).

(1) Ibidem.
(2) In Epist. *ad Jacob. Berilau*, 15. pag. 817.
(3) *Pro defensione* in *Capitulor.* lib. x, cap. 3 e *libro adversus Mocianum.*
(4) Ibidem.

(1) Supra.
(2) Lib. VI *Hist. eccl.*, cap. 7.
(3) Nicephor., ibid. Georgius apud Anastasium bibl. ad an. 246.

Digitized by Google

XV. Apposita, æquâ ac opportuna Stephani in rebaptizantes gesta adeo judicarunt veteres, ut vel ipsis rebaptizantibus, si non illico, animis ardore disputationis abreptis, saltem non multo post, sedatis jam ac serenis probata fuisse nobis significent, et quidem sic probata, ut suum errorem etiam revocaverint. De S. Cypriano id credi vult S. Augustinus, licet id litteris mandatum se non invenisse fateatur: « Cyprianus » inquit in epist. ad Vincent. Rogat. 93, cap. 10, « autem sensisse aliter de Baptismo, quam forma et consuetudo habebat Ecclesiæ non in canonicis, sed in suis et concilii litteris invenitur; correxisse autem istam sententiam non invenitur, non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quod correxerit et fortasse supressum sit ab eis qui hoc errore nimium delectati sunt, et tanto velut patrocinio carere noluerunt. » Augustinus hoc quidem in loco dicit tantummodo « non incongruenter » de Cypriano existimandum esse, quod suam correxerit sententiam; at lib. II de Baptismo contra Donatist. cap. 5, tam certum asserit Cyprianum suam revocasse sententiam, quam certum est tanti meriti fuisse virum; hinc enim considerans S. Doctor Cyprianum Stephano restitisse, illinc magna contemplatus Cypriani merita, quibus non parum officisset ipsius in errore pertinacia; cum in Cypriani litteris hujusce opinionis correctionem ac emendationem non invenisset, asseveranter pronuntiat, quod si hanc correctionem litteræ tacerent, ipsius tamen merita testarentur, ac dubiam esse non sinerent: « quomodo, inquit, accipere potuerit Cyprianus veritatem contra id quod sentiebat inventam, et si litteræ tacent, merita clamant, si Epistola non invenitur, corona testatur. »

Augustino concinit S. Hieronymus, qui expressis verbis affirmat Africanos episcopos suam de rebaptizandis Hæreticis sententiam novo decreto revocasse. « Illi ipsi episcopi, inquit, qui rebaptizandos hæreticos cum Cypriano statuerant ad antiquam consuetudinem revoluti novum emisere decretum. » (1) Orientales pariter rebaptizationi faventes suum rescidisse judicium, tradit Augustinus, et vel ipsi agnoscebant Donatistæ: « Majores autem vestri » inquit S. Doctor lib. III contra Cresconium, cap. 2, « quibus tale testimonium perhibuisti, quod ab Orientalibus propterea communione discreti sunt, quia illi suum judicium resciderunt, quo eis placuerat de illa Baptismi quæstione Cyprianus atque illi Africano concilio consentire oportere, » et paulo post, ipsum alloquens Cresconium donati tam: « Vestri majores qui se ab Orientalium communione, quod de hac re (Baptismo hæreticorum) diversa senserint diviserunt » Et cap. 3: « Cur non potius etiam ipsos paucos Orientales suum judicium correxisse dicamus, non ut tu loqueris rescidisse; sicut enim laudabile est a vera sententia non moveri, ita culpabile persistere in falsa. » Cyprianum a sua sententia discessisse aperte tradebat octavo sæculo v. Beda his verbis: « Cyprianus qui cum suis coepiscopis qui erant in Africa rebaptizandos esse hæreticos contra morem Ecclesiæ statuit non corrigi inefuit, atque ad universalem sanctæ Ecclesiæ normam spiritualium virorum institutione reduci. » De rebaptizantium recipiscentia ita veteres laudant, quibus nullum refragari in antiquitate tota reperies: jam vero si Stephanus Rom. pontifex suam in hoc negotio auctoritatem non interposuisset, si tantum non præ se tulisset vigorem apostolicum, nisi se tanquam murum æreum rebaptizantibus opposuisset, adeone facile suam, quam tanto ardore propugnabant sententiam revocassent Africani simul et Orientales antistites? Quis hic digitum Dei non agnoscat, qui Stephani aliorumque ipsi adhærentium episcoporum zelum ac constantiam tam uberi fructu cumulare voluerit? Illudne credes intempestivum, quod tam fuerit efficax studium? Iniquo ac intempestivo zelo itane dociles se præbuissent, qui eo gravabantur? Vel hinc Stephani retorum dignosce æquitatem.

XVI. At tandem quod unum infrunita recentiorum illorum, qui sanctissimi pontificis memoriam dilacerare non desinunt, ora penitus contundere, ac iniquam audaciam reprimere sufficeret; ipsi auscultentur infensissimi S. Stephani hostes, ipsos dico Donatistas. De æqua vel iniqua Stephani vel Cypriani agendi ratione sint judices. Nemo nescit Donatistis nil fuisse charius quam Cyprianum, nihil familiarius, quam opera Cypriani, ac potissimum ea quæ pro sua de rebaptizandis hæreticis opinione firmanda elucubraverat. Hæc assidue Catholicis occinebant; in Catholicos urgebant, Legerat hæc, ac triverat illorum coriphæus Petilianus, hæc inquam Cypriani opera perlegerat, in quibus Stephano præcipienti ac rebaptizantibus excommunicationem minitanti vitia non pauca Cyprianus exprobrabat. Neque tamen his omnibus ita moveri potuit Petilianus, quin ultro ac palam, contra rem suam, contra ipsam S. Cypriani, cujus in Stephanum dicta, ut meras proinde calumnias arguebat, auctoritatem, Stephanum « episcopatum illibatum gessisse » absolute profiteretur. Hæc Petiliani Cirtensis in Numidia Donatistarum Episcopi tam Stephano gloriosa confessio eruitur ex his S. Augustini verbis lib. de unico Baptismo contra Petilianum, c. 14: « Sed volo mihi solvat iste (Petilianus) quæstionem, quandoquidem cum Romanæ Ecclesiæ per ordinem commemorat episcopos, inter eos commemoravit et Stephanum, quos episcopatum illibatum gessisse confessus est. » Quid ad Stephani gloriam tum in aliis quæ fecit omnibus, tum in hoc præcipue negotio commendandam excellentius, quam ipsorum de ejus integritate Donatistarum testimonium. Enimvero veritatem hanc non modo apertam sed et violentam fuisse oportet, quando eam nec hostes quidem infensissimi dissimulare potuerunt. Et hodie non pudet scriptores quosdam, qui se Catholicos haberi volunt Cypriani Firmilianique litteris ad sanctissimi hujus pontificis memoriam, vel ipsis olim Donatistis undequaque illibatam commaculandam rorsus a proscindendam abuti.

(1) *Dialog. advers. Luciferian.*

Digitized by Google

XVII. Plures Stephani vindices non suppeditat antiquitas, quia plures non exhibet, qui de famosa illa Cyprianum inter et Stephanum exorta contentione vel ex professo disseruerint, vel per transennam meminerint; at fallor, nisi laudati hactenus scriptores abunde sufficiant ad propositam Stephani causam non solum a calumniis vindicandam, sed insignibus etiam decorandam elogiis. Ecquis enim dubitet sanæ mentis id a Stephano contra Cyprianum aliosque rebaptizantes recte factum fuisse, quod, sicuti veterum nemo improbavit, tot SS. Patres, nobilesque tam doctrina quam antiquitate scriptores, immo vel ipsi infensissimi Stephani hostes in eo commendarunt? Quis judicio tam gravi, tam valido non acquiescat, ac in tantæ auctoritatis lectulo quasi fessus non accumbat?

Post hæc veterum testimonia anne adhuc inquirendum, an examinandum, utrum recta vel iniqua, opportuna vel intempestiva, prudens vel inconsulta fuerit Stephani contra rebaptizantes agendi ratio? At si minus recta nobis appareant Stephani acta, nostrum hoc qualecumque examen ac judicium numquid veterum omnium judicio et examine accuratius ac gravius existimabitur? Numquid tot SS. Patres, totque venerandi Scriptores præjudiciis abrepti vel decepti vel minus veridici credentur, nos vero oculatiores, æquiores, atque his omnibus mentis, vel cordis infirmitatibus ita liberi ac immunes, ut quam ipsi assequi non valuerunt veritatem, pandere ac ostendere nobis tandem fuerit reservatum? Id ne, quæso, cordatis suadebitur? Quam vana, quam stulta nostra esset fiducia, si præposteris inquisitionibus efficere tandem speraremus, ut posthabito veterum judicio, nobis assentiatur nostraque amplectatur æquus rerum æstimator? Scio quidem ac quotidiana docet experientia hesternis quibusdam hominibus suos magis arridere fœtus, suaque inventa, quam trita et pervulgata veterum testimonia, suisque potius quam illorum placitis indulgere.

Quid ergo? Stephani gesta suo illi subjiciant examini per me licet, illorumque æquitatem vel injustitiam non ex veterum judicio, sed ex suis animadversionibus stabiliant, nil veterum omnium, qui de Cypriani et Stephani dissidio scripsere testimoniis, totum suis dent disquisitionibus, non intercedo; at quæso, non illibenter ferant me, cui tanta in excogitando mentis perspicacia concessa non fuit, sicuti nec tanta in judiciis ferendis ingenii maturitas, ex veterum testimoniis vetera dignoscere, veterumque judiciis mea componere. Mihi concedant tenuitatis meæ conscio, nec veterum judicia reformare, aut saniora proferre valenti, pro Religione ducere, ubi de veterum gestis agitur, probatis me stare veterum monumentis, illorumque a me indui sensus; dicam nude quod sentio, Hæc via ad recte dignoscenda et æstimanda veterum gesta tutior graviorque mihi semper visa fuit.

Post longum itaque laboriosumque Stephani gestorum a Neotericis nostris habitum examen, prodeat Stephanus ac ab ipsis divulgetur, superbus, contumeliosus, scatens injuriis, fastum tumide ac dominatum affectans, immanis, tyrannus, quietis perturbator, ac ecclesiarum opressor, uno verbo iis omnibus oneratus flagitiis ac criminibus quæ Stephano ab ipsis impacta referebamus. (1) Mihi, cui recondita tot arcana degetere datum non est, plusque sapere, quam veteres nolenti, ac quod illi retulere, pandere gestienti, aliter ab istis censoribus de Stephano, si non cogitare (illorum enim corda rimari non valeo) certe loqui necesse est. Novis igitur istis, sed non a charitate suppeditatis indumentis Stephano detractis, sub veteranis, sed suis, utpote si non aliunde, tot retro sæculorum præscriptione acquisitis, per me appareat vestibus, quæ ipsum exhibeant religiosum et prudentem (2) in causa Baptismatis hæreticorum Ecclesiæ traditionis assertorem et vindicem, (3) qui pro singulari filiis ea consignandi quæ a Patribus acceperat studio (4) gravissime tulerit aliquid contra antiquam Ecclesiæ traditionem innovari; (5) ac nova inventa sectantibus, (6) qua pollebat Christiana modestia et gravitate restiterit (7), ipsoque jure culpaverit (8), reliquos omnes tantum fidei devotione in eo vincens quantum loci auctoritate superabat (9), qui ab errantibus injuriose tractatus (10) ac laceratus (11) omnia bono pacis, quæ vicit in ipsius corde (12), omnia bono unitatis, quam servare studebat (13) vir magnus et Pater magna charitate præditus (14) sollicita pietate toleraverit (15), et hæc sufficiant pro vindicanda S. Stephani Rom. Pontificis contra rebaptizantes agendi ratione.

(1) In præfatione.
(2) Vincent. Lirin. Commonit, cap. 9.
(3) Augustinus centies in suis *contra Donat.* libris, et cum ipso veteres omnes quorum testimonia refert Tomassinus *dissertat.* II *in Concil.*
(4) Hieronym. *dialog. adv. Lucifer.* et Vincentius Lirin. loc. cit.
(5) Euseb. *Histor. Eccl.* lib. VII, cap. 3.
(6) Augustin. lib. II, *de Bapt.* cap. 8.
(7) Vincentius Lirin, loc. cit.
(8) Facundus Hermian. pro *Defens. trium. Capitul.* lib X, cap. 3
(9) Vincentius Lirin. loc. cit.
(10) Facundus Hermian. loc. cit.
(11) Hieronym. *dialog. adversus Lucifer.*
(12) Augustin. lib V *de Bapt.* cap. 25.
(13) Augustin lib. VI, *de Bapt.* cap. 22.
(14) Augustin. lib. I, *de Bapt.* cap. 7.
(15) Augustin. lib. VI, *de Bapt.* cap. 22.

Digitized by Google

# DISSERTATIONIS

## PARS PRIMA.

ARGUMENTUM. — *Quod ex S. Cypriani facto, adversus supremam et irreformabilem in definiendis fidei controversiis Romani pontificis auctoritatem extunditur et urgetur argumentum, vacuum a sapientissimis Galliæ theologis et inane conficitur, ac penitus evertitur.*

Quæcumque fuerit ac jactitetur S. Cypriani in causa Baptismatis hæreticorum in Stephanum disserendi et agendi ratio, nil inde contra supremam et infallibilem Romani pontificis in definiendis fidei controversis auctoritatem colligi potest, si agitatam tunc temporis de rebaptizandis hæreticis quæstionem non fidei, sed meræ disciplinæ rem esse censuit Carthaginensis antistes. Id constat apud omnes atque evidentissimum est, qui enim præscriptum a Romano pontifice aliquod disciplinæ caput amplecti recusat, non propterea Romanum pontificem in definiendis fidei controversiis errori obnoxium esse putat, sic plura disciplinæ capita in Tridentino concilio sancita Gallia minime recepit, quæ tamen infallibilem in fidei causis auctoritatem Tridentinæ synodo adimere numquam profecto cogitavit. Porro sapientissimi Galliæ theologi cæterorum pontificiæ inerrantiæ vindicum semitam ingressi palam agnoscunt et unanimi concentu tradunt totam illam de rebaptizandis hæreticis controversiam S. Cypriano visam fuisse rem non fidei, sed meræ disciplinæ, qua sane doctrina nil validius ad subvertendum quod ex Cypriani facto neoterici adversus pontificiam inerrantiam intorquent argumentum.

Præterea tam decretoria responsione nondum contenti, ut suo tuendæ veritatis et pontificiæ auctoritatis studio magis ac magis facerent satis, ulterius progrediuntur sapientissimi Galliæ doctores, atque ostendunt istud Cypriani exemplum non magis urgeri posse ad infirmandam Romani pontificis, quam Ecclesiæ universalis inerrantiam. Enim vero pro certo tenent ac docent S. Cyprianum probe novisse quam Stephanus Romanus pontifex vindicabat consuetudinem, universalis Ecclesiæ fuisse consuetudinem ex quo manifestissime sequitur quod si Cyprianus Stephanum illam hæreticos absque novo Baptismo recipiendi consuetudinem asserentem in fide errare, vel errori obnoxium judicavit, ut volunt Neoterici, in fide pariter errare, vel errori obnoxiam censuit Ecclesiam universam, quam sciebat pro eadem Stephani consuetudine militare; unde vides hoc Neotericorum argumento æque impetitum iri Romani pontificis et Ecclesiæ universalis infallibilitatem. Haud me latet cæterarum nationum theologos pontificiæ inerrantiæ cultores misero huic Neotericorum argumento omni ex parte nutanti ac vacillanti, pluribus et quidem solidis responsionibus occurrisse; at meo quidem judicio nemo potentius, nemo validius, quam Galliæ doctores, dum hæc duo apertissime docent, ut totidem capitibus probandum aggredimur, 1° nempe S. Cyprianum agitatam tunc temporis de rebaptizandis hæreticis quæstionem, non ad fidei, sed ad meræ disciplinæ caput revocasse; 2° S. Cyprianum probe novisse, quam Stephanus Romanus pontifex vindicabat consuetudinem, universalis Ecclesiæ fuisse consuetudinem.

### CAPUT PRIMUM.

JUXTA UNIVERSALEM GALLIÆ THEOLOGORUM AC SCRIPTORUM DOCTRINAM S. CYPRIANUS AGITATAM ÆVO SUO DE REBAPTIZANDIS HÆRETICIS QUÆSTIONEM, NON AD FIDEM, SED AD MERAM DISCIPLINAM PERTINERE JUDICABAT.

Eminentissimus cardinalis de Bissi, episcopus Meldensis, in suo documento pastorali an. 1728, hæc habet part. II, « juxta sententiam plurium eruditorum theologorum quæstio de Baptismo hæreticorum S. Cypriani tempore judicabatur ad disciplinam potius quam ad fidem pertinere. Enimvero, S. Cyprianus sæpius asserit quemlibet episcopum plenam habere diversum in hoc negotio agendi facultatem; itane loqui potuisset de quæstione quam censuisset ad fidem pertinere? Quemadmodum autem certum est peculiarem disciplinam a qualibet ecclesia nationali ita retineri posse, ut ad eam mutandam a Romano pontifice obligari non possit, S. Cyprianus et episcopi Africani poterant, salva obedientia Sedi apostolicæ debita, illius decreto non obtemperare (1): » Et in docum. pastor. an. 1725. « Quotidie, inquit, propugnatur in scholis catholicis de una Cyprianum inter et Stephanum disciplina fuisse disputatum. (2) »

Illustrissimus Languet, alias Suessionensis antistes, nunc Senonensis archiepiscopus in tertia ad episcop. Bononiensem epistola, data die 25 maii an. 1722 « S. Cyprianus suam de Baptismo hæreticorum cum Romana Sede concertationem ut punctum meræ disciplinæ habebat, quod fidem nullatenus spectabat; de hoc conveniunt eruditi post divum Hieronymum. » Idem repetit in altera epistola ad episcopum Antissiodor., scripta die 25 decembris 1722, num. 27. Item

(1) Instruction pastor. contre l'appel interjeté de la bulle *Unig.* au futur concile général, pag. 63.
(2) Instr. pastor. contenant la réfutation d'un écri adopté, etc., pag. 55.

Digitized by Google

in pastor documento varias circa Emin. de Noailles *Instructionem* observationes continente, an 1719, p. 95 et 96.

Illustrissimus de Saleon, episcopus Ruthenensis, in docum. pastor. super auctoritate decisionum Ecclesiæ : « S. Cyprianus, inquit, hanc de Baptismo hæreticorum controversiam ad fidem pertinere non censuit. » Thesim hanc variis deinde firmat argumentis ; « non modo S. Cyprianus, » pergit eruditus antistes, » atque Firmilianus, sed etiam Arelatense concilium illam de rebaptizandis hæreticis controversiam ut punctum disciplinæ habuerunt. »

Ludovicus Thomassinus... (*ejus hubes dissert. sup. col.*).

Ludovicus Dupin. in sua *Biblioth. ecclesiast.* « Cyprianus, inquit, Stephanum in sua epistola hortabatur, ut hanc (de rebaptis. hæretic.) disciplinam amplecteretur. » Et pag. 469 : « Firmilianus confirmat disciplinam quam S. Cyprianus propugnabat... »

Launoius in sua *ad Bevilaquam* epistola, num. 15 : « Becanus, » inquit, pag. 827, « post Bellarminum, ut adulatrici curiæ faveat, opinionis novæ subsidio dicit ; Cyprianus non est habitus hæreticus, quasi quæ ad variam tradendi Baptismatis rationem pertinent, hæreseos materia foret ; » et p. 828 : « Interim ego tantum pronuntio rem istam (rebaptizationis quæstionem) non esse fidei, sed disciplinæ quæ suas in Ecclesia vices habuit. »

Antonius Pagius, doctor Sorbonicus, in sua Critica Baron. « Dogma, » inquit tom. I, pag. 200, « de rebaptizandis hæreticis, quod episcopi Africani tuebantur, habebatur ab illis tamquam ad œconomiam dumtaxat et disciplinam, non vero ad fidem pertineret, quod patet ex epistola Cypriani et Synodi Africanæ ad Stephanum Romanum pontificem... Controversiam itaque de hæreticorum Baptismate ad fidem non spectare Cyprianus ejusque collegæ censebant. »

Gaspar Juenin, Oratorii Gallicani presbyter in suo historico et dogmat. *de Sacramentis* commentario sic loquitur : « Africani et Orientales causam de Baptismate ad meram disciplinam, non autem ad fidem aut ad mores pertinere judicarunt... Quod autem laudati episcopi tum in Africa tum in Oriente quæstionem de Baptismo ad meram disciplinam referrent, ex multis capitibus evincitur. Firmilianus, salvo unitatis vinculo, ea in causa dissentiri posse perspicue affirmat... Cyprianus idem in Africa sensit » etc. (1).

Feu doctor et pastor Parisiensis in suo *de Legibus* tractatu : « Respondeo, inquit, de variis consuetudinibus non esse disceptandum, saltem acriter et cum pacis catholicæ periculo, ut docet August. Epist. 118, ad Januarium, » quod neque contra fidem neque contra bonos mores injungitur, est indifferenter habendum ; « in eadem versati fuerant sententia SS. Cyprianus et Firmilianus in epist. LXXI et LXXII ; tradit quippe S. Cyprianus cuilibet liberum esse sentire quod Deus suaserit, nec quemquam, ob sententiam diversam, abscindendum esse a communione ecclesiastica, ideoque tractatum de Pœnitentiæ (legendum Patientiæ) bono composuit, ut a fratribus qui dissiderent secedendum non esse ostenderet. Sanctus quoque Firmilianus eadem ad S. Cyprianum scribit et usu tunc temporis recepto confirmat : Multa, inquit, pro locorum et nominum diversitate variantur, neque propter hoc ab Ecclesiæ catholicæ pace atque unitate aliquando discessum est... »

Theologicæ institutiones, jussu illustriss. episcopi Gietaviensis editæ, hæc habent in tractatu de Sacramentis : « Nota nec S. Cyprianum nec episcopos ipsi adhærentes hæreticis annumerandos, quia ejusmodi quæstio *de hæreticorum Baptismo* censebatur tunc ad disciplinam, non autem ad fidem pertinere » (1).

Natalis Alexander in *Ecclesiast.* sæcul. III, *Historiam*, hanc ex professo probat propositionem : « S. Cyprianus et Africani episcopi non existimaverunt dogma de rebaptizandis hæreticis quod tuebantur ad fidem pertinere » (2) ; allatisque pluribus ad hujus probationem momentis sic concludit : « Si rebaptizationem hæreticorum fidei rem esse existimasset S. Cyprianus, anathema dixisset eis qui contrariam sententiam tuebantur, neque cum eis communicasset ; nefas enim censebat communione jungi cum hæreticis. Quæstionem igitur illam ad finem pertinere non existimavit, sed ad Œconomiam dumtaxat et disciplinam ecclesiasticam. »

Auctor tractatus gallice inscripti : *Traité du Schisme*, sic loquitur pag. 45 : « In dissidio S. Cypriani et S. Stephani unice agebatur de puncto aliquo disciplinæ, non vero fidei. »

Auctor operis cui titulus : *Traité sur l'obéissance due aux bulles dogmatiques émanées du saint-siége*, « Omnes, » inquit, pag. 91, fatentur auctores negotium de rebaptis. hæret. ut punctum disciplinæ dumtaxat Cypriani tempore habitum fuisse. »

Ignatius Amat de Graveson, doctor Sorbonicus, in sua Historia ecclesiastica : « Excusari possunt, » inquit, « Cyprianus, Firmilianus aliique Orientales, qui morem rebaptizandi hæreticos post Stephani decretum sectati sunt, quia existimarunt morem istum ad fidem minime pertinere, sed ad æconomiam dumtaxat et disciplinam ecclesiasticam (3).

Auctor operis gallice inscripti : *Théorie et pratique des Sacrements*, in trac. de Baptismo, c. 4, § 2 : « Quæris, » inquit, « utrum qui antiqui Patres Baptismum ab hæreticis collatum invalidum esse censuerunt, id spectaverint tamquam punctum quod fidem spectaret ; respondemus veteres illos Patres rem illam ad meram disciplinam revocasse, quæ pro temporum et locorum

(1) Quæst. VI, cap. 2, art. 3, §. 3, pag. 90, edit. Lugdun., 1696.

(1) Quæst. III, p. 77, edit. Pictav. 1731.
(2) Dissert. XII, art. 4, pag. 690, edit. Paris. 1714.
(3) Tom. I, Colloq. 6, pag. 149, edit. Rom. 1722.

Digitized by Google

varietate diversa esse poterat; ita Firmilianus, qui, etc.; ita S. Cyprianus.

Auctor dissertationis gallicæ contra appellationem a constitutione *Unigenitus* ad futurum concilium, sic loquitur : « SS. Stephanus et Cyprianus hanc de Baptismo hæreticorum quæstionem ad meram disciplinam revocabant. » Et paulo post ; « Cypriani adversus Stephanum resistentia aliter excusari non potest, quam quia causa de Baptismo hæreticorum utrinque agitabatur ut quæstio praxis ac puræ disciplinæ. »

Petitdidier, abbas Sancti Petri Senonensis, in suo *de Infallibilitate pontificia*, gallico tractatu, cap. 6 : « Hoc itaque, » inquit, « constanter et certissime tenendum est, quæstionem de Baptismate hæreticorum Cypriano visam fuisse punctum meræ disciplinæ. »

Petrus Constant, monachus Benedict. congreg. S. Mauri, in suo *de Epistolis Romanorum pontificum* opere hæc habet ; « Ne igitur majores suos ac totam pene Ecclesiam damnare Cyprianus videretur, episcoporum unicuique permisit sentire vel agere quod melius judicaret; ideoque istam quæstionem (de baptis. hæret.) ad meram disciplinam pertinere existimavit » (1).

De Reveroni, licenciatus Sorbonicus, in sua dissertatione dogmatica *de Dissidio inter SS. Stephanum et Cyprianum* hæc habet cap. 1 : « Cyprianus rebaptizationem adscripsit disciplinæ nudæ, hæc sententia pro qua stamus probatur multis. »

Turnellius doctor et professor Sorbonicus, in suo *de Sacramentis* tractatu, sic loquitur : « Hanc de Baptismo hæreticorum causam Stephano quidem ad dogma fidei pertinere visam fuisse, ut mox ostendemus, non vero Cypriano, Firmiliano et aliis. » *Et pag.* 435 : « Stephano igitur reluctatus est Cyprianus, quare? Quia, Africanæ libertatis plus æquo amans ac studiosus, aliunde vero propter ipiscopiam a Stephano excommunicationis pœnam subinfensus, negabat Romanum pontificem jus habere in rebus disciplinæ, qualem putabat esse quæstionem de Baptismo ab hæreticis collato, cæteras Ecclesias ad suam sententiam et praxim adigendi? longius profecto quam par sit progressus S. Martyr, omnes subordinationis ac juridictionis ecclesiasticæ leges subvertere videtur, neque aliter excusari potest, quam si verba ipsius ad unam de disciplina quæstionem restringantur... »

Antonius Boucat, Parisiensis theologus, in suo *de Sacramentis* tractatu : « Hanc, » inquit pag. 371, « de rebaptizandis hæreticis controversiam tertio sæculo et quarto etiam inchoante, de mera exstitisse disciplina non uno probatur argumento : 1. Quidem eo quod SS. Cyprianus et Firmilianus unitatem cum S. pontifice semper servaverint, » etc. Et sic concludit pag. 373. « Sequitur ex his nec Cyprianum et Firmilianum peccasse, cum in hoc tantummodo disciplinam quam putabant genuinam defenderent »...

Qui vulgo apud Gallos appellatur *Petit Tournelli*, seu latine *Turnellius contractus*, in tractatu *de Sacramentis* : « Totam hanc, inquit, controversiam (de bapt. hæret.) pertinere ad disciplinam, in qua cuique liberum est sentire ac facere quod vellet, existimabat Cyprianus; » idque (1) multis probat argumentis pag. 137 et seqq.

Jacobus Hyacinthus Serri, doctor Sorbonicus in sua *de Romano Pontifice falli et fallere nescio* dissertatione, edita an. 1734, cap. 8, pag. 52 : « Reponimus, » inquit, « divum Cyprianum cæterosque episcopos Africanos existimasse quæstionem de rebaptis. hæreticis ad meram disciplinam spectare, nequa quam ad fidem; ideoque nil mirum si decreto Stephani primi R. P. obstiterint Africani, quod nempe putarint Ecclesias toto orbe diffusas non omnino teneri ad Ecclesiæ Romanæ disciplinam in omnibus amplectendam, etsi ad ejus fidem communiter amplectendam tenerentur. »

Iis adstipulari merito censendi sunt qui nitide testantur Cyprianum suæ opinionis originem non a Christo, non ab Apostolis, sed ab Agrippino prædecessore suo repetiisse, ex hoc enim necessario sequitur Cyprianum non fidei, sed meræ disciplinæ suam opinionem retulisse, nisi velint (quod de scriptoribus mox citandis nemo suspicabitur) tanta Cyprianum ignorantia laborasse, ut ad fidem aliquatenus pertinere crediderit, quod ab Aggrippino ortum habere censebat ii vero sunt.

Isambertus, doctor et professor Sorbonicus, ad quæstionem 64, ubi de sacramentis (2) : « Agrippinus, » inquit, « prædecessor S. Cypriani in episcopatu primus censuit Baptismum collatum ab hæreticis esse nullum : sic S. Augustinus refert lib. II, *cont. Donat.* cap. 7, ex ipsomet S. Cypriano ep. *ad Quintum et epist. ad Jubaian*..... Cyprianus in epistola citata *ad Jubaian.* dicit se rem non quidem ita repentinam, sed tamen ab Agrippino uno ex suis prædecessoribus institutam facere.... deinde tam in illa epistola quam in concilio LXXXVII episcoporum ait rationem et veritatem esse præponendam consuetudini; ergo supponit traditionem fuisse contrariam suæ opinioni. »

Claudius Frassen, doctor Sorbonicus, in tractatu *de Sacramentis* (3) : « Agrippinus, » inquit, « primus omnium censuit ac definiit nullum esse Baptismum hæreticorum.... si enim alius antiquior dogma istud tradidisset, haud dubie laudaretur a S. Cypriano. »

Tillemontius *Hist. Eccl.* : « S. Cyprianus, » inquit, « satis aperte fatetur se antiquam non sequi consuetudinem in recipiendis ab hæreticis baptizatis (4). Et infra : « S. Cyprianus et Augustinus Agrippino tribuunt rebaptizationis originem. »

Fleuriacus in sua Historia Ecclesiastica : « S. Cyprianus, » inquit, « ostendit in suo *de Unitate Ecclesiæ* tractatu ab Agrippino, qui primus antiquam muta-

(1) Tom. I, pag. 253, edit. Paris. 1721.

(1) Quæst. VII, art. 3, pag. 130, edit. Paris. 1730.
(2) Disput. IV, artic. 1, pag. 121, edit Paris. 1639.
(3) Art. III, quæst. 3, pag. 88, edit. Paris. 1677.
(4) Tom. IV, art. 45, pag. 159.

Digitized by Google

verat consuetudinem, suam de rebapt. hæreticis opinionem accepisse. »

Baillet, *de Vitis sanctorum*, ad diem 16, decembris pag. 188 : « S. Cyprianus, » inquit, « suæ opinionis adinventor non fuit, sed, ut ipse fatetur in suo *de Ecclesiæ Unitate* tractatu, eam accepit ab Agrippino, qui antiquam in Africa mutaverat consuetudinem. »

Auctor operis cui titulus : *Remarques sur la bibliot. des Auteurs ecclésiastiques de M. Dupin*, sic loquitur. « Observari potest quod Cyprianus in quæstione Baptismatis hæretic. fatebatur traditionem Ecclesiæ non tantum Romanæ, sed etiam Africanæ suæ opinioni esse contrariam ; agnoscebat Cyprianus Agrippinum primum fuisse qui in Africa cœperat hæreticos rebaptizare (1).

L'Herminier, doctor Sorbonicus, in tractatu *de Sacramentis*. « Primus, » inquit, « hanc consuetudinem iterum baptizandi ab hæreticis baptizatos introduxit Agrippinus Carthaginen. episcopus, teste S. Cypriano. » Et pag. 133. « Cyprianus tacite fatebatur sibi adversari antiquam Ecclesiæ Occidentalis consuetudinem. »

Eruditus P. Maran, Benedictinus, in præfatione quam Balusianæ Cypriani operum editioni præfixit, hæc habet (2) : « Cyprianus opinionis suæ de tingendis in hæresi baptizatis fontem et caput Agrippinum agnoscit : » Id nec ipse diffiteri potuit Vitæ Cyprianicæ auctor : « S. Augustinus, » inquit, « et S. Cyprianus hujusce rebaptizandi praxis originem ad Agrippinum referunt (3). »

Tandem Cyprianum non fidei, sed meræ devovisse disciplinæ controversiam de rebaptis. hæreticis docet ætate nostra schola Sorbonica pariter ac Navarica. Danesius doctor ac professor Sorbonicus in suis *Theologicis de Ecclesia prælectionibus* in Sorbona habitis an. 1717. « Polycrates, » inquit disput. II, quæst. I, art. 3, conclus. 4, in responsione ad III, instantiam primæ objectionis : « Et Cyprianus existimabant, licet immerito, agi inter se et Romanum Pontificem de eo genere disciplinæ circa quam unicuique Ecclesiæ concessum est quod expedire sibi magis visum fuerit sequi.... unde Cyprianus disertis verbis dicit in epist. *ad Jubaian.* agi ea de re inter ipsum et Romanum pontificem, de qua unusquisque episcopus liberum habet arbitrium judicandi, rationem soli Deo redditurus. Siccine locutus fuisset S. Martyr de quæstione quam putaret pertinere ad fidem ? Aut in qua ab universali Ecclesia decretum edi posse existimaret, cui obedire omnes et singuli episcopi adstricti essent? »

Sovestre, doctor et professor Navarricus, in suis *Theologicis de Sacramentis prælectionibus*, Navarræ habitis, an. 1738 : « Paulo durioribus, » inquit art. IV, § 2. « Verbis conquesti sunt Cyprianus et Firmilianus de Stephani agendi ratione : quid ita ? quia Cyprianus et Firmilianus quæstionem hanc tanquam meræ disciplinæ spectabant ; « ibique multis probat Cyprianum existimasse hanc de Baptismo hæreticorum quæstionem » pertinere ad disciplinam tantum.

Brillon, doctor et professor Sorbonicus, Beuret doctor et professor navarricus in suis *Theologicis de Sacramentis prælectionibus* in Sorbona habitis, an. 1730, Navarræ autem an. 1742, docent S. Cyprianum rebaptisationis hæreticorum originem ad Agrippinum tamquam ad primum ejus parentem revocasse.

Quid amplius ? testantur ipsimet Sorbonici professores communem ætate nostra Theologorum esse sententiam quod S. Cyprianus non ad fidem, sed ad meram disciplinam pertinere censuerit causam de Baptismate hæreticorum.

Ex his omnibus manifestissime liquet universalem esse Galliæ theologorum sententiam, quod S. Cyprianus hanc de rebaptizandis hæreticis controversiam non fidei sed meræ disciplinæ adscribebat. Haud quidem me latet ex Jansenianis et Quesnelistis plures, ut viam sibi sternant ad inficiandam Ecclesiæ, ut vulgo dicitur dispersæ, inerrantiam, contendere ac vociferari S. Cyprianum in hac quæstione agi de dogmate censuisse ; verum ubi a communi catholicorum Galliæ theologorum doctrina recedunt, nemineu fore puto Gallis adeo infensum ac iniquum, ut a Jansenianis et Quesnelistis potius quam a Catholicis genuinos ipsorum sensus depromendos esse velit.

## CAPUT II.

### JUXTA UNIVERSALEM GALLIÆ THEOLOGORUM AC SCRIPTORUM DOCTRINAM S. CYPRIANUS PROBE NOVERAT QUAM S. STEPHANUS ASSEREBAT CONSUETUDINEM, NON PECULIAREM ROMANO PONTIFICI, SED UNIVERSALEM FUISSE TUNC TEMPORIS ECCLESIÆ CONSUETUDINEM, AC AB OMNIBUS EPISCOPIS ANTIQUITUS SERVATAM FUISSE.

Eminentissimus card. du Perron in sua *Replicatione ad Magnæ Britanniæ regis responsionem* hæc habet, pag. 839 : « Objiciunt heterodoxi Cyprianum in causa Baptismatis hæreticorum opponentibus consuetudinem seu traditionem non aliquibus peculiarem, sed universalem Ecclesiæ respondisse Christum Dominum non dixisse : Ego sum consuetudo ; sed *ego sum veritas ;* sed addere etiam debebant Cyprianum tunc temporis contra veram Ecclesiæ doctrinam disputasse. »

Illustrissimus Languetius Senonensis archipræsul in documento pastorali *contenant les remarques sur l'instruction de M. le card. de Noailles*, edito an. 1719 « Cyprianus inquit, pag. 95, et Africani præsules matritone Summo pontifici et orbi universo restiterunt ? Et pag. 96 : Felicior et sanctior Cyprianus fuisset, si resistentiæ docilitatem prætulisset, si fateri voluisset Sedem apostolicam cum majori episcoporum numero conjunctam victricem semper extitisse. »

Illustrissimus de Saleon, Ruthenensis episcopus

(1) Tom. I, pag. 275, edit. Paris. 1691.
(2) Pag. 15, edit. Paris. 1726.
(3) Lib. V, cap. 1.

Digitized by Google

in documento pastorali *sur l'Autorité des décisions de l'Eglise*, edito an. 1738, part. I, pag. 235: « Culpa, inquit, S. Cypriani eo minus excusanda erat, quod non solum Stephani decreto sed etiam universalis Ecclesiæ consuetudini renitebatur; » et paulo post: « S. Cyprianus ipse Ecclesiæ consuetudinem suæ opinioni contrariam esse fatetur, » quod deinde ex S. Augustino aliisque confirmat.

Eminentissimus card. de Noailles, parisiensis archiepiscopus in docum. pastorali dato die 14 januarii 1719, palam agnoscit S. Cyprianum non modo Stephani, Romani Pontificis, sed et pluralitatis episcoporum auctoritati restitisse ac cedere noluisse: « Restitit quidem, inquit pag. 73, S. Cyprianus auctoritati Stephani Rom. Pontificis et pluralitatis episcoporum, cessisset tamen, juxta Augustinum plenarii concilii judicio. » Eminentissimo præsuli plane concinunt episcopi Apamiensis, Senensis, Monspessulanus, Bononiensis, Antissiodorensis et Maconensis in ipsorum responsione ad pastorale documentum emin. de Bissi, edita an. 1723, pag. 87, atque in aliis elucubrationibus quas vulgarunt.

Isambertus, doctor et professor sorbonicus, ad quæstionem 64, ubi *de Sacramentis*, disputat. IV, artic. I, pag. 121. « S. Cyprianus, inquit, tam in illa Epistola (ad Jubaianum) quam in concilio 87 episcoporum, ait rationem et veritatem esse præponendam consuetudini, ergo supponit traditionem fuisse contrariam suæ opinioni, (et paulo infra) non negat Cyprianus hanc (hæreticos non rebaptizandi) esse communem traditionem Ecclesiæ, ut Augustinus recte notat lib. III *de Baptismo*, cap. 12. »

P. Frassen, doctor sorbonicus in tractatu *de Sacramentis*, art. III, quæst. III, pag. 95. « Tam Cyprianus ipse quam ejus collegæ in concilio aperte agnoverunt consuetudinem et traditionem ecclesiasticam sibi adversari, si quidem pluries inculcant consuetudinem debere cedere veritati. »

Auctor *Defensionis declarat. Cleri Gallic.* an., 1682, sub nomine Bossuetii, Meldensis olim episcopi, extra Galliam vulgatæ, part. III, lib. IV, cap. 7. « Neque vero, *inquit*, aliud Stephanus prædicabat et quidem urgebat, sed universalem, consuetudinem, sed ab Apostolis constantissimo tenore ad nos usque deductam, quam liber anonymus apud Rigaltium Stephani tempore adversus Cyprianum Cyprianique asseclas conscriptus appellat *vetustissimam consuetudinem Ecclesiæ*... quin, ipsa flagrante discordia, Cyprianus ejusque collegæ Africani consuetudinem sibi adversari ultro fatebantur : id sæpe Augustinus notat. »

Fleuriacus, *Histor. Eccl.* tom. II, lib. VII, cap. 26. « Veterem Ecclesiæ consuetudinem Cypriano opponebant episcopi non rebaptizantes, illam fatetur quidem S. Cyprianus; at rationi subjiciendam esse contendit. » Fleuriacum excribit D. Cellier Benedictinus *Histor. Sacror. Auctorum* tom. III, pag. 131.

Tillemontius, *Histor. Eccl.* tom. IV, artic. XLIII, de Cypriano, pag. 139: « S. Cyprianus, inquit, satis aperte fatetur se antiquam non sequi Ecclesiæ consuetudinem; et pag. 144: Plerique episcopi concilii Carthaginensis III (in causa nimirum Baptismi hæreticorum) ideo, juxta Augustinum, asserunt veritatem consuetudini esse præponendam, quia tunc etiam temporis eorum praxis consuetudini pluralitatis Ecclesiarum erat contraria. »

Auctor operis gallice inscripti *Remarques sur la Bibliothèque des Auteurs Ecclesiast. de M. Dupin*, sic loquitur tom. I, pag. 275: « Observari potest quod in quæstione Baptismatis hæreticorum S. Cyprianus fatebatur traditionem non modo Ecclesiæ Romanæ, sed etiam ecclesiarum Africanarum suæ opinioni esse contrariam. »

Natalis Alexander, *Hist. Eccles.* tertii sæculi dissert. XII, art. I, pag. 686: « justissima, *inquit*, fuisset excommunicatio a Stephano papa in Cyprianum ipsique consentientes in dogmate de rebaptizandis hæreticis episcopos. Quis enim juste excommunicari neget eos qui errorem tuentur ab Apostolica Sede, et aliis ecclesiis damnatum, et in errore manent pertinaces? Cum itaque hic esset Cypriani status non fuisset injuste in eos lata excommunicatio a Stephano. » Citata Natalis Alexandri verba refert probatque D. Chiconot in dissertatione gallica *sur la célèbre dispute entre le pape S. Etienne et S. Cyprien*, Parisiis edita an. 1725, pag. 198, qui et addit doceri comuniter a theologis, S. Cyprianum suam opinionem adversus Stephani Romani Pontificis et aliarum ecclesiarum judicium pertinaciter propugnasse.

Duhamel, doctor sorbonicus, in sua Theologia: « Erravit, inquit, hac in re Cyprianus; sed non deseruit unitatem Ecclesiæ, neque adeo in schisma aut hæresim incurrit, licet non acquieverit huic Ecclesiæ traditioni. »

Juenin in suo commentario *de Sacramentis*, quæst. V, art. III, § 6, pag. 100: de antiqua, inquit, Ecclesiæ traditione, hæreticos non rebaptizandi (Cyprianus ipse conveniebat.) » Et paulo post ex S. Augustino probat S. Cyprianum universalem hanc Ecclesiæ consuetudinem ubique intuitum fuisse his verbis: « Sic de Cypriano loquitur Augustinus: ubique intuens universalem robustamque consuetudinem,.. idem S. Doctor asserit Cyprianum egisse adversus totius orbis morem. »

Du Saussoi in libello cui gallice titulus *la Vérité rendue sensible*, tom. II, pag. 59: « S. Cyprianus non putavit se teneri ad amplectendam Stephani papæ sententiam, quamvis huic pontifici major sine dubio episcoporum numerus adhæreret. » Auctor libelli inscripti : *Réponse au premier avertissement de Mgr. l'évêque de Soissons*, editi an. 1722, hæc habet, p. 212: « S. Cyprianus, Firmilianus aliique plures episcopi ipsis addicti numero longe inferiores erant cæteris, qui Stephano adhærebant episcopis; attamen Cyprianus merito juxta S. Augustinum his auctoritatibus, quantumlibet magnæ essent, cedere noluit. »

P. Coustant Benedictinus in suo *de Epistolis Rom. Pontificum* opere, tom. I, pag. 253. « Ne igitur, inquit, majores suos ac totam pene Ecclesiam damnare



Digitized by Google

Cyprianus videretur episcoporum unicuique permisit sentire vel agere quid melius judicaret. » Et paulo infra sic pergit : « Durum videbatur Cypriano communionem eis negare qui servarent quod in omnibus prope Ecclesiis videbat servari, quodque a majoribus suis ante Agrippinum observatum esse non ignorabat; cum Stephano enim conspirabant omnes Ecclesiæ, præter Africanas et paucas Orientis, provincias, Africa morem eumdem ad Agrippinum usque obtinuisse Cyprianus et socii fatebantur. »

Turnelius doctor ac professor Sorbonicus, in tract. *de Sacramentis*, quæst. VII, art. II, concl. I, pag. 377. « Ex constanti, inquit, porro Ecclesiæ traditione longe firmius deducitur argumentum (pro rejicienda nimirum hæreticorum rebaptizatione) quod certe subodoratus Cyprianus, ac causæ suæ veluti diffidens si ad traditionem provocaret, non consuetudine seu traditione pugnandum hic esse contendebat, sed ratione. »

D. Marand, jam supra laudatus in præfatione quam Baluzianæ operum S. Cypriani editioni præmisit : « Cyprianus » inquit pag. 17 « humanam appellat traditionem, quod nullius concilii autoritate constitutum in maximis quibusque ecclesiis summo consensu observabatur. »

Brillon, doctor et professor sorbonicus in suis theologicis *de Sacramentis* prælectionibus in Sorbona habitis, an. 1730. « Tum Cyprianus », inquit quæst. 3, « tum Africani præsules agnoverunt in Africanis conciliis consuetudinem et traditionem apostolicam sibi adversari, identidem in his conciliis inculcant consuetudinem debere cedere veritati. »

Vogan, doctor et professor sorbonicus, in suis theologicis *de Sacramentis* prælectionibus in Sorbona habitis, an. 1737. « S. Augustinus, inquit cap. 8, art. 1, qui variis in locis hanc consuetudinem appellat universalem, robustam, saluberrimam quam quidem S. Cyprianus eodem teste ubique intuebatur, et egit tamen adversus totius orbis morem. »

Delahaye, doctor et professor sorbonicus, in suis theologicis *de Baptismo* prælectionibus in Sorbona habitis, an. 1738. « Justa, inquit cap. 5, art. 2, omnino fuisset excommunicatio S. Stephani, si lata fuisset in rebaptizantes, ea enim excommunicatio fuisset justissima, quæ in eos cecidisset qui errorem ab Apostolica Sede et cæteris Ecclesiis proscriptum tuerentur, et in quo pertinaces forent. Porro talis erat error S. Cypriani et S. Firmiliani, ergo juste excommunicati fuissent, » et art. 3, « ex his quæ hucusque retulimus constat majorem episcoporum partem adhæsisse S. Stephano, unde sequitur ipsius sententiam fuisse Ecclesiæ sententiam.... fatendum est infallibilitatem activam residere in majori parte episcoporum, ideoque S. Stephanum independenter a subsequenti Ecclesiæ judicio, quæ rem ex fide explicita credendam declaravit, tenuisse veritatem, siquidem non una tantum fuit Stephani sententia, sed etiam majoris partis episcoporum, unde S. Cyprianus vim argumenti ex Ecclesiæ consuetudine et majori episcoporum numero conatur elidere, opponendo veritatem, quam falso prætendebat. »

Quod autem Cyprianus juxta communem etiam theologorum modo laudatorum doctrinam noverit, Stephani consuetudinem ab omnibus episcopis antiquitus servatam fuisse sic demonstramus. Qui Agrippinum existimat primum rebaptizationis parentem, necessario agnoscit neminem episcoporum ante Agrippinum hæreticos rebaptizasse, et consequenter Stephani Romani Pontificis consuetudinem ante Agrippinum ab omnibus episcopis observatam fuisse, atqui juxta communem Galliæ scriptorum ac theologorum opinionem, S. Cyprianus Agrippinum censebat primum rebaptizationis parentem, id enim affirmant Isambertus, Frassen, defensor *Declar. Cleri Gallicani*, vulgo Bossuetius, Meldensis episcopus, Tillemontius, Fleuriacus, Baillet, auctor operis cui titulus : *Remarques sur la Biblioth. des Auteurs Eccl. de M. Dupin*, l'Herminier, Habert. P. Marand benedictinus, P. Gervasius, D. Brillon et D. Beuret, professores sorbonici, quorum omnium verba supra retulimus.

Hoc insuper docent Juenin, Natalis Alexander, nec non de Reveroni in sua dissertatione dogmatica de dissidio inter S. Stephan. et S. Cyprianum, et cæteri fere omnes qui de rebaptizationis origine tractarunt. Jure ergo concludimus Cyprianum juxta communem Gallorum doctrinam etiam novisse Stephani consuetudinem ab omnibus episcopis antiquitus servatam fuisse.

# DISSERTATIONIS

## PARS SECUNDA

ARGUMENTUM. — *Sólida et invicta sunt quæ ad profligandum ac evertendum ex S. Cypriano petitum adversus pontificiam inerrantiam Neotericorum argumentum, a sapientissimis Galliæ theologis adducuntur.*

Vidimus quo pacto sapientissimi Galliæ theologi istud Neotericorum argumentum vacuum et inane conficiant ac penitus evertant, propugnando nimirum, sicuti cæteri pontificiæ inerrantiæ vindices, S. Cyprianum exortam de hæreticorum Baptismo contentionem non fidei sed meræ disciplinæ retulisse, atque ipsum probe novisse quam Stephanus Romanus

Digitized by Google

Pontifex asserebat consuetudinem universalis Ecclesiæ tunc temporis fuisse consuetudinem, ac ab omnibus episcopis antiquitus servatam fuisse. Restat ut hæc duo Gallorum doctrinæ capita solidis et invictis nili momentis ostendamus. Id totidem capitibus assequemur.

## CAPUT PRIMUM.

EXPONUNTUR MOMENTA QUIBUS EVINCITUR CAUSAM DE BAPTISMATE HÆRETICORUM CYPRIANO VISAM FUISSE REM NON FIDEI, SED MERÆ DISCIPLINÆ.

I. Illam opinionem seu praxim ad fidem pertinere nullatenus judicavit Cyprianus, cujus originem non a Christo vel ab Apostolis, sed ab Agrippino, prædecessore suo, repetit; atqui Cyprianus suæ opinionis originem ab Agrippino repetit, non vero a Christo, vel ab Apostolis: « Apud nos, inquit, S. Doctor in epist. *ad Jubaian.* LXXIII, non nova aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos qui ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt; quando multi jam anni sint et longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum episcopi plurimi hoc statuerint, atque exinde in hodiernum tot millia hæreticorum in provinciis nostris ad Ecclesiam conversi non aspernati sint neque cunctati; immo et rationabiliter et libenter amplexi sint, ut lavacri vitalis ac salutaris Baptismi gratiam consequerentur. » Vides hic Cyprianum suæ opinionis antiquitatem ostentantem, qui tamen altius eam non repetit, quam ab Agrippini temporibus; siluisset ne Agrippino antiquiorem si aliquem sibi faventem agnovisset? Plures enumerat hæreticos jam diu in provinciis Africanis rebaptizatos; at non ante, sed post Agrippinum: « atque exinde, inquit, in hodiernum tot millia hæreticorum, etc. » Agrippino ergo vetustiorem non agnoscebat S. Doctor rebaptizationis auctorem.

Audire juvat Augustinum, qui iterum atque iterum affirmat Cyprianum rebaptizationis initium ab Agrippino duxisse: « Ideo autem, » inquit, lib. II *de Bap. cont. Donat.* cap. 12, « non se rem novam aut repentinam beatus Cyprianus ostendit, quia sub Agrippino fieri jam cœperat. Anni sunt » inquit, « multi, et longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes episcopi plurimi hoc statuerunt proinde ab ipso Agrippino res nova facta est. » Et lib. II, cap. 7. « Hanc ergo (Ecclesiæ) saluberrimam consuetudinem per Agrippinum prædecessorem suum dicit sanctus Cyprianus cœpisse corrigi, sed sicut diligentius inquisita veritas docuit, verius creditur per Agrippinum corrumpi cœpisse, non corrigi. » Teste igitur Augustino S. Cyprianus inde probabat se in rebaptizandis hæreticis rem novam non facere, quia jam sub Agrippino id fieri « cœperat »; rebaptizationem ergo sub Agrippino cœpisse putabat antistes Carthaginensis. Præterea vides Augustinum ex Cypriani verbis colligere « rem novam ab Agrippino factam fuisse. » Tandem juxta expressissimam Augustini sententiam, S. Cyprianus dicit saluberrimam, consuetudinem hæreticos non rebaptizandi per Agrippinum prædecessorem suum *cœpisse* corrigi, Agrippinus ergo juxta Cyprianum rebaptizationi dederat exordium.

Audiamus iterum Augustinum « Quam tamen, » inquit, lib. II *de Bapt.* cap. 8, « consuetudinem (non rebaptizandi) nisi prior ante Agrippinus, et nonnulli per Africam coepiscopi ejus etiam per concilii sententias deserere tentavissent, non auderet Cyprianus saltem ratiocinari adversus eam. » Et lib. IV, cap. 6: « Istam consuetudinem tam robustam et antea idem Cyprianus invenit, ut cum ejus mutandæ auctoritatem, quam sequeretur vir tanta scientia præditus quæreret, non nisi in Africa sola factum paucis ante se annis Agrippini concilium reperiret. » Vides ex Augustino Cyprianum sola Agrippini, et nonnullorum episcoporum cum ipso sentientium auctoritate motum fuisse ad Ecclesiæ consuetudinem mutandam, solam Agrippini concilii in totis retroactis temporibus auctoritatem sibi faventem reperiisse, et consequenter ea antiquiorem non invenisse nec agnovisse.

Rursus Augustinus, lib. II *de Bapt.*, cap. 8: « Sed cum, » inquit, « fatigatum (Cyprianum) præcedentis concilii, quod per Agrippinum factum est, excepisset auctoritas, maluit prædecessorum suorum tamquam inventum defendere, quam inquirendo amplius laborare; nam in fine epistolæ *ad Quintum* ita ostendit in quo tamquam lectulo auctoritatis quasi fessus acquieverit, quod quidem inquit et Agrippinus bonæ memoriæ vir statuit, etc. » Cyprianus, ut ex Augustino percipis, voluit opinionem suam defendere, non tamquam aliquid a Christo, vel ab Apostolis traditum, sed « tamquam a prædecessoribus suis » (ab Agrippino scilicet et episcopis ipsius concilio subscribentibus) inventum; in hujus Agrippini, non vero Christi, vel Apostolorum auctoritate veluti « fessus acquievit. »

Et vero quonam pacto Cyprianus rebaptizationis originem altius ab Agrippino repetere potuisset; Cyprianus, inquam, qui, ut infra demonstrabimus, bene noverat antiquam universæ Ecclesiæ consuetudinem sibi adversari?

II. Non propugnatur ut fidei dogma, quod tantum vindicatur ut « fidei congruum et magis pertinens ad sacerdotalem auctoritatem et Ecclesiæ catholicæ unitatem: » quod enim asseritur fidei congruum, supponitur de fide non esse; quod dicitur ad fidem magis accedere, magis pertinere, fidei veritas non creditur; sic e. g. qui sententiam de Verbi divinitate fidei congruentem, ad fidem magis accedentem assereret, omnium judicio de Verbi divinitate minus catholice sentiret, cur tandem? Quia Verbi divinitatem ad fidei nostræ dogmata revocare minime censeretur; ecclesiastica vero meræ disciplinæ statuta merito vocantur fidei congruentia, sacerdotalem firmant auctoritatem, atque Ecclesiæ catholicæ roborant unitatem. Porro S. Cyprianus suam de hæreticis rebaptizandis opinionem «fidei» quidem «congruentem» appellavit, non vero fidei veritatem. « Magis pertinentem asseruit ad sacerdotalem auctoritatem et Ecclesiæ Catholicæ unitatem »; non vero necessa-

Digitized by Google

riam; « quorum, » inquit in Epist. *ad Quintum* 71 (id est Agrippini et aliorum, qui cum ipso rebaptizationem statuerant) « sententiam et religiosam et legitimam et salutarem, fidei et Ecclesiæ Catholicæ congruentem nos etiam secuti sumus. » Et in Epist. ad Stephanum 72 : « De eo, » inquit, « vel maxime tibi scribendum, et cum tua gravitate ac sapientia conferendum fuit, quod magis pertineat, et ad sacerdotalem auctoritatem, et ad Ecclesiæ catholicæ unitatem, pariter, ac dignitatem de divinæ dispositionis ordinatione venientem, eos qui sint foris extra Ecclesiam tincti, et apud hæreticos, et schismaticos profanæ aquæ labe maculati, quando ad nos atque ad Ecclesiam, quæ una est, venerint baptizari oportere. » Aliter loquentem audires S. Doctorem in iis, quæ tamquam fidei dogmata vindicabat. Non fidei congruentem, sed « fide credendam » dicebat sententiam de unitate Ecclesiæ servanda : « hanc Ecclesiæ unitatem », inquit in tract. *de Eccl. unitate*, « qui non tenet, tenere se fidem credit?.... hanc unitatem qui non tenet, non tenet Patris et Filii fidem. » Non fidei congruentem, sed fide tenendam dicebat sententiam qua infantes etiam baptizari posse docebatur : « esse, » inquit in epist. *ad Fidum* 64, « apud omnes, sive infantes, sive majores natu unam, divini muneris (Baptismi) æqualitatem declarat nobis divinæ Scripturæ fides. » Verum urgetne aliqua meræ disciplinæ capita? Hæc fidei congruentia appellare solet; nec fidei congruentes appellat litteras confessorum, in quibus lapsorum pœnitentium nomina secundum ecclesiasticam consuetudinem designabantur : « Et ideo, » inquit in epist. *ad martyres et confessores* 15, « peto ut eos (lapsos) quos ipsi videtis, quos nostis, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello, et sic ad nos fidei congruentes litteras dirigatis. » Sic fidei congruentem vocat suam erga lapsos agendi rationem, scilicet quod lapsis pacem dederit imminente persecutione : « Nos, » inquit in epist. *ad Cornelium S. Pontificem* 57, « quod fidei et charitati et sollicitudini congruebat quæ erant in conscientia nostra protulimus. » Ex quibus apertissime constat non modo in sensu obvio et naturali, sed etiam in phrasi cyprianica ad capita disciplinæ, non autem ad fidei dogmata revocari, quæ tantum dicuntur fidei congruentia, et ad eam magis pertinentia.

III. Quod Deus alicui fidelium revelat, inspirat tamquam quid melius, quid utilius, tamquam efficacius ad hæreticos excitandos ut ad Ecclesiæ unitatem redeant, hoc meram sonat æconomiam ac disciplinam, nullatenus vero fidei dogma. Porro S. Cyprianus suam de hæreticis rebaptizandis opinionem et praxim antiquæ Ecclesiæ consuetudini præponendam contendit tamquam aliquid a Deo quibusdam inspiratum ut melius et utilius, ut magis alliciens hæreticos ad Ecclesiæ unitatem amplectendam; en verba Cypriani in Epist. *ad Quintum* LXXI. « Non est autem de consuetudine præscribendum sed ratione vincendum; nam nec Petrus quem primum Dominus elegit et super quem ædificavit Ecclesiam suam, cum secus Paulus de circumcisione postmodum disputaret, vindicavit sibi aliquid insolenter aut arroganter assumpsit, ut diceret se primatum tenere et obtemperari a novellis et posteris sibi potius oportere, nec despexit Paulum quod Ecclesiæ prius persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit, et rationi legitimæ quam Paulus vindicabat facile consensit, documentum scilicet nobis et concordiæ et patientiæ tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando a fratribus et collegis nostris utiliter et salubriter suggeruntur si sint vera et legitima, ipsa potius nostra ducamus; cui rei Paulus quoque prospiciens in Epistola sua posuit dicens, Prophetæ autem duo aut tres loquantur et cæteri examinent, si autem alii revelatum fuerit sedenti, ille prior taceat : qua in parte docuit et ostendit multa *singulis in melius* revelari, et debere unumquemque non pro eo quod semel imbiberat, et tenebat pertinaciter congredi, sed si *quid melius et utilius* exstiterit, libenter amplecti *non enim* vincimur, quando offeruntur nobis *meliora* : » et in Epist. *ad Jubaian.*, 73. « Porro autem, inquit, cum hæretici cognoscunt Baptisma nullum foris esse, nec remissam peccatorum extra Ecclesiam dari posse, avidius ad nos et promptius properant et munera ac dona Ecclesiæ matris implorant. » Quare ergo Cyprianus in causa Baptismatis hæreticorum consuetudine præscribendum non esse contendit? Quia, inquit « nemo pertinaciter congredi debet pro eo quod semel imbiberat, quando aliquid melius et utilius *offertur*. » Suam vero de rebaptizandis hæreticis opinionem et praxim, tamquam quid melius et utilius esse recipiendam probat ex eo quod hæretici intelligentes Baptisma foris (id est extra Ecclesiam) nullum esse, promptius ac avidius ad Ecclesiæ unitatem redibant. An ergo fidem aliquatenus spectare censebat antistes Carthaginensis quod aliis offerrebat, ut quid melius et utilius? Quod ab aliis antiqua consuetudine post posita susciplendum esse contendebat, ut hæretici promptius ac avidius ad unitatem Ecclesiæ redirent? Itane urgeri solent a sanctis Patribus fidei capita? Suscipiendane dicuntur ut quid melius et utilius? In rebus fidei nullane illius quod in Ecclesia antiquitus servabatur habenda ratio? Quam hæc aliena in rebus fidei, tam in rebus disciplinæ ecclesiasticæ esse consueta, apposita, ac congruentia, ut tantum decet auctorem, nullo labore concipimus.

IV. Ad disciplinæ capita, non ad fidei dogmata revocantur, quæ certis provinciis sunt propria, quæ ab illis merito retineri posse creduntur quando semel apud ipsas usurpata fuere; fides enim non uni vel alteri propria est provinciæ, sed eadem ubique et omnibus provinciis catholicis communis esse debet : « regula fidei » inquit Tertul. lib. *de Virgin. veland.* « omnino una est, sola immobilis et irreformabilis. » Aliunde quod in provinciis quibusdam usurpatur, sonat praxim ac disciplinam, non vero fidem, quæ « usurpari » non dicitur, tandem in rebus fidei falsum est hoc principium, quod aliquid merito retineri possit eo ipso, quod semel usurpatum fuit, alioquin

Digitized by Google

dicendum foret a quibusdam Germanis provinciis merito retineri Lutherana placita, quia semel apud eas usurpata fuerunt, quod tamen principium in rebus meræ disciplinæ jure merito sæpius urgeri potest. Porro S. Cyprianus suam de rebaptizandis hæreticis praxim inter ea recenset, quæ certis quibusdam provinciis sunt propria, quæve merito retineri possunt eo ipso quod apud eas semel fuerint usurpata, sic enim loquitur in Epist. *ad Stephanum S. Pontificem* 72 : « Hæc (gesta nempe in concilio Africano pro rebaptizandis hæreticis) ad conscientiam tuam, frater charissime, et pro honore communi et pro simplici dilectione pertulimus, credentes etiam tibi pro religionis tuæ et fidei veritate placere, quæ religiosa pariter et vera sunt. Cæterum scimus quosdam quod semel imbiberint nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter collegas pacis et concordiæ vinculo *quædam propria quæ apud se semel sint usurpata retinere*, qua in re nec nos vim cuiquam facimus aut legem damus. » Nemo non videt Cyprianum hic Stephano significare se facile obtemperaturum non esse illius judicio improbanti Africanum de rebaptizandis hæreticis statutum, non ea ratione, quod Rom. Pontificis judicia in rebus fidei infallibilia non existimaret, sed eo nixus principio, quod, etiam refragante Rom. Pontifice, merito in quibusdam provinciis retineri possunt, quæ ipsis sunt propria, et quæ ab ipsis semel usurpata fuerunt, qualis erat praxis de rebaptizandis hæreticis.

V. Cyprianus aperte declarat de una Stephanum inter et ipsum agi disciplina ; cum enim S. Stephanus pro sua opinione attulisset exemplum ipsorummet hæreticorum, qui ad se venientes non baptizabant, respondet S. Cyprianus « ad illud malorum devolutam non esse Dei Ecclesiam ut ab hæreticis mutuetur disciplinam ad celebranda Sacramenta. » Hoc ergo Stephani crimen, juxta Cyprianum, quod ab hæreticis mutaretur disciplinam ad celebranda Sacramenta, disciplinam ergo vocat Cyprianus quod Stephanus propugnabat. De aliqua ergo disciplina, judice Cypriano, Stephanum inter et ipsum disputabatur ; en verba Cypriani in epist. *ad Pompeium* LXXIV : « Præclara sane et legitima traditio Stephano fratre nostro docente proponitur, quæ auctoritatem nobis idoneam præbeat ; nam in eodem loco epistolæ suæ addidit et adjecit, cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum, ad hoc enim malorum devoluta est Ecclesia Dei et sponsa Christi ut hæreticorum exempla sectetur, ut ad celebranda Sacramenta cœlestia *disciplinam* lux de tenebris mutuetur et id faciant Christiani quod antichristi faciunt. »

VI. Si existimasset Cyprianus Stephani consuetudinem sine dispendio catholici dogmatis servari non posse, dicendum foret S. Cyprianum existimasse dogma catholicum tunc temporis a S. Stephano Romano pontifice et a longe majori episcoporum parte, antiquitus vero ab omnibus episcopis catholicis impetitum fuisse, noverat enim, ut infra probabimus, quam Stephanus vindicabat consuetudinem a longe majori episcoporum parte tunc temporis esse receptam, antiquitus vero ab omnibus episcopis servatam fuisse. Verum quis Catholicorum hæc impingat tanto Doctori ? Fatearis ergo necesse est hanc Cypriano visam fuisse meræ disciplinæ controversiam.

VII. Si Cyprianus a Deo revelatum censuisset nullum esse Baptisma ab hæreticis collatum, desperasset profecto de illorum infantium salute, qui in præteritum cum solo Baptismo ab hæreticis dato vita functi erant, non enim ignorabat validi Baptismi necessitatem ad salutem consequendam ; atqui tamen ipse fatetur desperandum non esse de eorum omnium salute, qui præteritis temporibus cum solo Baptismo ab hæreticis dato obierant, dummodo in Ecclesiæ sinu dormierint ; auscultes ipsi Jubaianum alloquenti « Quid ergo fiet, » inquit, « de iis qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes sine Baptismo mortui admissi sunt? Potens est Dominus misericordia sua indulgentiam dare et eos qui ad Ecclesiam simpliciter admissi in Ecclesia dormierunt ab Ecclesiæ suæ muneribus non separare. » Audi et Augustinum id sæpius de Cypriano testantem ; « Cum Cyprianus, » inquit, lib. II *de Bapt.* cap. 13, « arbitraretur eos qui extra Ecclesiæ communionem baptizarentur Baptismum non habere, credidit eos tamen in Ecclesiam simpliciter admissos propter ipsius unitatis vinculum posse ad veniam pertinere ; » et cap. 14 : « Si ergo Cyprianus, quos esse sine Baptismo arbitrabatur tamen propter unitatis vinculum ad veniam pertinere præsumebat ; » et cap. 15 : « Si enim non habebant Baptismum qui ab hæreticis veniebant, sicut asserit Cyprianus, non recte admittebantur, et tamen eisdem ipse indulgentiam de Domini misericordia propter unitatem Ecclesiæ non desperavit. » Eadem scribit lib. V cap. 2 ; lib. II *cont. Crescon.*, cap. XXXIII, et aliis in locis. Non est igitur desperandum, judice Cypriano, de illorum salute, qui cum solo Baptismo ab hæreticis collato obierunt ; dummodo in Ecclesiæ sinu dormierint, dummodo extra unitatem Ecclesiæ non obierint. Propter enim hujus unitatis vinculum, teste Augustino, Cyprianus eos ad veniam pertinere præsumebat ; non est ergo desperandum de salute infantium cum solo Baptismo ab hæreticis collato vita functorum ; ii enim nulla hæreseos labe nondum maculati in Ecclesiæ sinu dormierunt, extra unitatem ecclesiæ non obierunt. At numquid hanc Dei indulgentiam infantibus sine ullo Baptismo decedentibus tribuebat S. Doctor? non ita sane. Quare ergo eam infantibus sine Baptismo a Catholicis dato defunctis impertitur ! Nisi quia traditam a Deo judicabat necessitatem Baptismi alicujus ad salutem consequendam, non item Baptismi a Catholico collati, et consequenter si Baptismum hæreticorum rejiciendum esse contendebat, hoc, non quia a Deo revelatum crederet, sed ob alias rationes infra dicendas ; non igitur fidei suam Cyprianus de rebaptizandis hæreticis opinionem devovebat.

VIII. Constans est ac perspicua Cypriani doctrina

Digitized by Google

cuilibet episcopo liberum esse in hac quæstione diversum sentire, et varias in partes sese inclinare. « Rescripsi, fili charissime, » inquit in Epist. *ad Magnum* 69, « ad litteras tuas quantum parva nostra mediocritas valuit, et ostendi quid nos quantum in nobis est sentiamus (de hæreticorum scilicet Baptismo); nemini præscribentes quominus statuat quod putat unusquisque præpositus actus sui rationem Domino redditurus : « et in Epist. *ad Stephanum R. Pontificem* 72 : » Qua in re (in negotio Baptismatis hæreticorum) nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus, cum habeat in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque præpositus rationem actus sui Domino redditurus : « et in Epist. *ad Jubaian.* 73. » Hæc tibi breviter pro nostra mediocritate rescripsimus, frater charissime, nemini præscribentes aut præjudicantes, quominus unusquisque episcoporum quod putat faciat, habens arbitrii sui liberam potestatem, nos quantum in nobis est propter hæreticos cum collegis et coepiscopis nostris non contendimus, cum quibus divinam concordiam et dominicam pacem tenemus. « Et in exordio *concilii Carthag.* III, sic loquitur. » Superest ut de hac re singuli quid sentiamus proferamus neminem judicantes aut a jure communionis aliquem si diversum senserit amoventes; neque enim quisquam nostrum episcopum se episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quandoquidem habeat omnis episcopus pro licentia libertatis et potestatis suæ arbitrium proprium. »

Hæc porro sentiendi libertas, quam Cyprianus cuilibet episcopo in causa Baptismatis hæreticorum concedebat, invicte demonstrat ipsum nullatenus fidei; sed uni, quæ varia esse potest, hanc quæstionem retulisse disciplinæ. Quis enim credat Cyprianum existimasse quod cuilibet episcopo liberum esset in rebus fidei sentire quid vellet? Consuisset igitur antistes Carthaginensis cuilibet episcopo liberum fuisse Verbi divinitatem, duas in Christo naturas, etc., quæ tot fidei nostræ capita credebat admittere vel denegare? Inscite prorsus diceretur talem a Cypriano episcopis concessam fuisse libertatem in his, quæ plenario nondum definita erant concilio; quis enim vel ex tirunculis nesciat nil Cypriani temporibus a plenariis adhuc definitum fuisse conciliis? Regeres fortasse unam tunc temporis de divinitate Verbi in Ecclesia fuisse sententiam, non item de Baptismo hæreticorum? Pluribus ergo Verbi divinitatem impetentibus existimasset Cyprianus cuilibet episcopo fuisse liberum de divinitate Verbi sentire quid vellet? Satis ergo erat Cypriano dogma aliquod a pluribus episcopis impugnari, ut liberum cuilibet episcopo jam foret illud credere, vel non credere? Talia de Cypriano somniantibus commiserandum potius quam respondendum.

Consuitne liberum cuilibet episcopo potestatem remittendi peccata omnia Ecclesiæ concedere vel denegare? De hac re tamen nullum adhuc plenarii concilii prodierat judicium, nec una apud omnes episcopos etiam erat sententia, talem enim potestatem Ecclesiæ denegabat Novatianus, quem plures ex Africa, Numidia et Gallia sequebantur episcopi, teste Cypriano in Epistolis *ad Antonianum* 55, *ad Cornelium S. pontificem* 59, et *ad Stephanum S. pontificem* 68. Lege tamen, perlege scripta Cypriani, nullibi concessam ab ipso Novatianis invenies talem sentiendi libertatem; eum enim hanc Novatianorum opinionem Verbo Dei, seu, ut ipse loquitur, in citat. Epist. *ad Antonian.* « Fidei Scripturarum divinarum » adversam existimaret, Novatianos ut hæreticos traducit in epist. *ad Antonian.* Illorum opinionem « hæresim appellat, hæreticæ præsumptionis durissimam pravitatem » gravioribus Ecclesiæ pœnis puniendam in cit. epist. *ad Antonian.* et *ad Steph.* 68; adeo alienus erat a credendo ipsis fuisse liberum in hoc fidei negotio sentire quid vellent.

Consuitne liberum cuilibet episcopo uti vino vel aqua in calice Dominico offerendo? Audi Cyprianum in epist. *ad Cecilium* 63 : « Viderit, frater charissime, si quis de antecessoribus nostris vel ignoranter vel simpliciter non hoc observavit et tenuit quod nos Dominus facere exemplo et magisterio suo docuit, potest simplicitati ejus de indulgentia veniam concedi, nobis vero non poterit ignosci qui nunc a Domino admoniti et instructi sumus, ut calicem Dominicum vino mixtum secundum quod Dominus obtulit offeramus, et de hoc quoque ad collegas nostros litteras dirigamus, ut ubique lex Evangelica et traditio Dominica servetur et ab eo quod Christus docuit et fecit non recedatur. » Frustra Cypriano opponebant episcopi aquarii se veterem ecclesiarum suarum consuetudinem sequi, atque suorum antecessorum vestigiis inhærere, qui sine vino calicem Dominicum offerri posse judicaverant. Iis omnibus auditis, et viriliter refutatis Cyprianus aperte pronuntiat vinum in calice Dominico offerrendo ab omnibus « ubique » adhibendum esse; at quonam tandem motivo ducebatur S. Doctor ad rem aquariis episcopis denegandam, quæ a nullo adhuc sancita erat Ecclesiæ decreto? Ab ipso disce : « Christus, » inquit in Epist. citata, « docuit ut calicem Dominicum vino mixtum offeramus. Porro servetur ubique lex Evangelica, Dominica traditio; ab eo quod Christus docuit non recedatur. » Non ergo existimabat Cyprianus in his, quæ a Christo tradita vel præcepta asserebat, liberum cuilibet episcopo esse sentire vel agere quid vellet.

Hæc igitur vera Cypriani doctrina, in rebus scilicet fidei unanimitatem in Ecclesia necessario ab omnibus esse servandam; hæc addo apud ipsum constans ac perpetua : « Christus inquit, in lib. *de Unitate Ecclesiæ*, in Ecclesia concordes atque unanimes esse præcepit... Docet Dominus et admonet a talibus (reprobis circa fidem) recedendum; » et in epist. *ad Caldonium* 25 ; « Ut apud omnes unus actus et una consensio secundum Domini præcepta teneatur : » et in epist. *ead presbyteros Carthagin.*

Digitized by Google

32 : « Ut in Ecclesiarum statu componendo servetur ab omnibus una et fide consensio : » et in epist. *ad plebem universam* 43 : « Qui mandatum Dei rejiciunt et traditionem suam statuere conantur, fortiter a vobis et firmiter respuantur : » et in epist. *ad Maximum et Nicostratum* confessores 46 : « Nam cum unanimitas et concordia nostra scindi omnino non debeat : » et in epist. *ad Cornelium S. pontificem* 59 : « Nulla societas fidei et perfidiæ esse potest : » et in epist. *ad Magnum* 69 : « In Ecclesia Dei non nisi concordes atque unanimes habitant.... Apostolus Paulus docet et præcipit hæreticum vitandum esse ut perversum et peccatorem. » Paria missa facio; at ex relatis sic ratiocinari licet, qui judicabat unanimitatem in fide ita esse necessariam ut a reprobis circa fidem recedendum esset, qui unam ab omnibus consensionem servandam esse ex Christi mandato credebat, qui nullam fidei et perfidiæ societatem esse posse censebat, ille profecto non existimabat cuilibet episcopo liberum esse in rebus fidei varie sentire; quid enim unanimitati magis contrarium quam hæc sentiendi libertas. Atqui Cyprianus judicabat unanimitatem in fide ita esse necessariam ut a reprobis circa fidem recedendum esset, etc. ut patet ex textibus citatis; ergo.

Ex his omnibus duo constant : 1° In iis quæ Cyprianus ad fidem referebat nemini varie sentiendi libertatem ipsum concedere. 2° Cyprianum cuilibet episcopo libertatem concessisse contra suam de Baptismo hæreticorum opinionem sentiendi : unde manifestissime patet S. Cyprianum non rem fidei sed meræ disciplinæ censuisse totam hanc de Baptismo hæreticorum quæstionem.

At tandem ad occludenda omnia adversariorum effugia sit in exemplum hæc ipsamet de Baptismo hæreticorum controversia. Censuitne liberum cuilibet episcopo ab hæreticis baptizatos iterato tingere vel non tingere Baptismo, in hypothesi quod in Scripturis vel in traditione Apostolica contineretur eos non esse rebaptizandos ? Cum enim Stephanus Pontifex maximus Africanis mandasset, ut traditionem de non rebaptizandis hæreticis observarent, respondet Cyprianus justum ac legitimum hoc Stephani esse mandatum, et revera ab Africanis servandam esse hanc Stephani traditionem, in hypothesi quod hæc traditio sit Evangelica vel Apostolica: en verba Cypriani scribentis ad Pompeium : « Nihil innovetur, inquit, Stephanus, nisi quod traditum est. Unde est ista traditio ? Utrumne de Dominica et Evangelica auctoritate descendens ? An de Apostolorum mandatis atque Epistolis veniens ? Ea enim facienda esse quæ scripta sunt Deus testatur et proponit ad Jesum Nave dicens, non recedet liber Legis hujus ex ore tuo, sed meditaberis in eo die ac nocte ut observes facere omnia quæ scripta sunt ; in eo item Dominus Apostolos suos mittens mandat baptizari Gentes et doceri ut observent omnia quæcumque ille præcepit ; si ergo aut in Evangelio præcipitur aut in Apostolorum Epistolis aut Actibus continentur, ut a quacumque hæresi venientes non baptizentur, sed tantum manus illis imponatur in pœnitentiam, observetur divina hæc et sancta traditio. » Observari ergo debebatur juxta S. Cyprianum quod a Christo vel ab Apostolis in hac de Baptismo hæreticorum controversia determinatum erat ; cum ergo libertatem cuilibet episcopo concesserit hæreticos rebaptizandi, vel non rebaptizandi, profecto existimavit nil circa rebaptizationem a Christo, vel ab Apostolis determinatum fuisse ; ad fidem ergo pertinere non judicavit hanc de Baptismo hæreticorum controversiam.

IX. S. Cyprianus nullum in terris agnoscebat tribunal, cui in causa Baptismatis hæreticorum cedere deberet, uni et soli Christo potestatem de actu suo judicandi tribuebat : « Exspectemus, » inquit in exordio *concil. Carthag.* III, « universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus et solus habet potestatem de actu nostro judicandi. » Fere similia scribebat S. Doctor ad Magnum et ad Stephanum R. Pontificem. At verumne esset in rebus fidei hoc Cypriani pronuntiatum ? Numquid in rebus fidei quilibet episcopus ; immo natio integra concilio generali morem gerere non debet ? Numquid unus et solus Christus potestatem habet judicandi de alicujus episcopi vel concilii particularis actu, qui fidem aliquatenus spectaret ? Restat igitur ut S. Cyprianus hanc de Baptismo hæreticorum quæstionem iis meræ retulerit disciplinæ capitibus, quæ certis in provinciis ita mordicus retineri possunt, ut ad ea mutanda nec valeat S. Pontificis aut concilii generalis auctoritas. Hic vide, quæso, candide lector, quantum hæreticis patrocinentur, qui ex Catholicis ad pessumdandam Romani Pontificis auctoritatem clamitare non cessant, Cyprianum in hac controversia fidei dogma vindicare voluisse. Si hoc semel ipsis concedatur, concedendum erit et hæreticis nec concilium generale, judice Cypriano, supremum in dirimendis fidei controversiis esse tribunal ; huic enim æque ac S. Pontifici denegat S. Doctor potestatem de actu suo judicandi, tam nitide, tam aperte uni, et soli Christo eam tribuens, « qui unus, » inquit, « et solus habet potestatem de actu nostro judicandi. » Profecto prosequitur Eminent. de Bissi in citato jam documento Pastorali, an 1728, pag. 62 : « Est-ce là déclarer qu'on s'en rapporte à la décision d'un concile plénier ? »

X. S. Cyprianus cum iis qui a sua opinione recedebant pacem, concordiam ac communionem constantissime servavit : « Nos, » inquit, suam ad Jubaianum epistolam concludens, « quantum in nobis est propter hæreticos cum collegis et coepiscopis nostris non contendimus, cum quibus divinam concordiam et dominicam pacem tenemus... servatur a nobis patienter et firmiter charitas animi, collegii honor, vinculum fidei, et concordia sacerdotii; » et in epist. *ad Stephanum* Rom. Pontificem 72. « Cæterum scimus quosdam quod semel imbiberint nolle deponere, nec propositum suum facile mutare ; sed salvo inter col-

Digitized by Google

legas pacis et concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud se semel sint usurpata retinere. Qua in re nec nos vim cuiquam facimus aut legem damus; » et in exordio *concilii Carthag.* III : « Superest ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus proferamus neminem judicantes aut a jure communionis aliquem, si diversum censerit, amoventes. » De Cypriano id expresse testatur S. Hieronymus in dialogo *adversus Lucifer.*, c. 9 ; id centies affirmat S. Augustinus in suis de Baptismo adversus Donatistas libris. Et quod velim observes pacem hanc cum aliter sentientibus, tunc etiam se tenuisse profitetur antistes Carthaginensis, quando contrariam Rom. Pontificis judicium nondum expertus fuerat, ut patet ex verbis citatis, tum epist. *ad Jubaian.*, tum epist. *ad Stephanum.* Verum itane se gessisset S. Doctor cum adversariis a quibus fidem impugnari censuisset; Cyprianus, inquam, qui « a reprobis circa fidem recedendum esse et quidem ex præcepto divino » affirmat in lib. *de Unitate Ecclesiæ* ? Qui « firmiter respuendos eos esse docet qui traditiones suas Dei mandatis contrarias statuere conantur » in epist. *ad plebem universam* 43 ? Qui « nullam fidei et perfidiæ societatem esse posse » tradit in epist. *ad Cornelium* 59 ? Qui tandem « ab iis discendum esse » pronuntiat « qui Christi doctrinæ non acquiescunt » in epist. *ad Pompeium* ? « Si quis, » inquit Tomassinus dissert. 2, *de Bapt. hæret.*, p. 48, « de fide a collegis dissenserit contumax a pace ejiciendus est et communione. » Cum ergo S. Cyprianus, salvo inter collegas pacis et concordiæ vinculo de hac Baptismi controversia disputari posse crediderit, et cum diversum sentientibus communionem firmiter servaverit, manifestum est ipsum existimasse illæsam et intactam in toto hoc dissidio fidem remanere, ac nullatenus a suis adversariis impeti vel obscurari. Non ergo fidei, sed meræ disciplinæ hanc esse controversiam judicavit.

At, inquies, non ideo pacem cum aliter sentientibus servavit S. Cyprianus, quia de fide non agi in hac controversia putaret, sed quia censebat pacem cum iis non esse rumpendam, a quibus etiam fides impeterentur, quamdiu res ultimo Ecclesiæ judicio nondum est definita, qualis tunc temporis erat quæstio de rebaptizandis hæreticis. Pudenda commenta, quibus soli pascantur qui inventa quæque deglutiunt ; si Cyprianus existimabat hostes fidei a conciliis particularibus damnandos non esse, nec communione privandos ante ultimam Ecclesiæ definitionem, male ergo tam sæpius, tam generice, dicebat « a reprobis circa fidem recedendum esse, firmiter respuendos eos esse qui traditiones suas Dei mandatis contrarias statuere conarentur, ab iis discedendum esse qui Christi doctrinæ non acquiescerent; » dicere debuisset a talibus non nisi post Ecclesiæ definitionem esse recedendum ; et vero hæcne veterum Patrum agendi ratio erga eos, a quibus fidem impugnari judicabant ? Itane se gesserunt Antiocheni Patres erga Paulum Samosatenum ejusque asseclas ! itane Patres Alexandrini erga Arium et episcopos ipsi faventes ? Itane Patres Mediolanenses erga Photinum ? Itane Patres Alexandrini erga Origenem ejusque sectatores ? Itane Patres Constantinopolitani erga Eutychetem ? Itane Patres Cæsaraugustani erga Priscilianos ? Expectaruntne supremam Ecclesiæ definitionem ad eos damnandos ac communione privandos ? Absit ergo ut illud Cypriano tribuamus, quod cum nullum in ejus scriptis habeat fundamentum a veterum Patrum sensu et agendi ratione tam sit alienum.

Præterea dicant nobis adversarii, an Cyprianus pro zelo ac studio tuendæ fidei integritatis debuerit pacem et communionem cum iis tenere, a quibus, si adversariis credimus, præcipuum fidei nostræ dogma spreta conciliorum Africanorum auctoritate pessumdari putabat ? Demum si ad mentem Cypriani ante ultimam Ecclesiæ definitionem a conciliis particularibus damnandi non erant nec communione privandi qui fidem impugnabant, profecto, jam nullo modo ab Ecclesia damnari potuissent ac communione privari. Non quidem ab Ecclesia in concilio generali congregata, talis enim congregatio tunc temporis moraliter impossibilis erat, non etiam ab Ecclesia, ut vulgo dicitur, dispersa, judicium enim Ecclesiæ dispersæ pendet a judiciis ecclesiarum particularium, quarum nulla in hypothesi juxta Cyprianum eos ante Ecclesiæ definitionem damnare debebat, quomodo ergo ab Ecclesia ac dispersa damnati aliquando fuissent, quos nulla damnasset peculiaris Ecclesia ? Hic hæreant adversarii necesse est, aut alia excogitent. Immotum igitur maneat Cyprianum ab illis fidem impeti non existimasse, quos a conciliis Carthaginensibus damnari noluit, et cum quibus pacem ac communionem constanter servavit.

Hæc quibusdam aliis compendii causa prætermissis, luculenter evincunt momenta causam de Baptismate hæreticorum Cypriano visam fuisse rem non fidei, sed meræ disciplinæ ; sive enim res ipsa ad Cypriani mentem examinetur, sive ejus in hac controversia agendi ratio attendatur, utrumque assertionis nostræ veritatem ostendit.

A Cypriano disce originem, disce naturam, disce consectaria suæ opinionis et praxis et ad fidem eam revoca si potes, illius enim originem non in Christo, non in Apostolis, sed in Agrippino constituit. Illam propugnat non ut fide credendam, non ut pertinentem ad fidem, sed tantum ut fidei congruentem et ad eam magis accedentem, ut quid melius, ut quid utilius, ut aliquid proprium certis provinciis, et jure retinendum, quando semel ab ipsis est usurpatum, uno verbo de disciplina se contendere aperte profitetur.

Si de fide tenuisset nullum esse Baptisma ab hæreticis collatum, nullam consequenter salutis infantium cum solo hæreticorum Baptismo defunctorum spem habuisset, tamen affirmat de eorum salute desperandum non esse ; si fidem ab adversariis pessumdari in hac questione censuisset, dicendum foret quod nemo dicet catholicus S. Pontificem scilicet, et cum ipso maximam episcoporum partem Cypriani judicio tunc temporis in fide errasse, immo

Digitized by Google

universas totius orbis Ecclesias ante Agrippinum.

Si Cypriani spectes agendi rationem, cuilibet episcopo libertatem concedit in hac quæstione sentiendi quid vult, cum aliter sentientibus pacem concordiam et communionem constantissime servat, uni et soli Christo tribuit potestatem de actu suo judicandi; porro in disciplinæ negotio cum aliquo colore hæc disseruntur in capite fidei catholicæ alienissima essent omnia. Nunc ad dissolvenda quæ objectantur procedamus.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objiciunt I. Cyprianus suam de hæreticis rebaptizandis opinionem multis probat Scripturæ textibus, ut videre est in epist. *ad Magnum* 69, *ad episcopos Numidiæ* 70, *ad Stephanum* R. P. 72, *ad Jubaian.* 73, et *ad Pompeium* 74. Ergo eam a Deo traditam censuit et consequenter fide credendam.

Respondeo. Dato antecedente, nego consequentiam; non enim in rebus fidei tantum, verum etiam in rebus meræ disciplinæ sæpius afferuntur sacræ Scripturæ loca, ad ostendendam scilicet congruentiam alicujus disciplinæ cum iis quæ a Deo sunt revelata, ut ex hac congruentia illius æquitas vindicetur. Sic S. Basilius epist. 199, juxta novam editionem *ad Amphilochium*, cap. 32, ex Scripturis probat episcopum, presbyterum, diaconum depositos propter aliquod crimen non debere propter idem crimen communione ecclesiastica privari. Sic D. Hieronymus epist. *ad Theoph.* adversus errorem Joannis Hierosolym. probat auctoritate tum veteris et Novi Testamenti legitimam fuisse Pauliniani factam a S. Epiphanio ordinationem, Paulinianus tum temporibus triginta tantum annos esset natus. Sic S. Augustinus lib. *de Fide et Operibus*, c. 26, probat auctoritate S. Scripturæ quædam esse crimina excommunicatione plectenda, quædam non publica pœnitentia sed quibusdam correptionum medicamentis sananda; sic S. Leo Magnus epist. 92 *ad Rusticum Narbon. episcopum* c. 2, probat ex Scriptura presbyteros et diaconos non esse pœnitentiæ publicæ subjiciendos, quæ certe omnia nullatenus fidem sed unam spectant Ecclesiæ disciplinam. Esto igitur probaverit S. Doctor suam opinionem multis Scripturæ textibus non ideo censuit ad fidem eam pertinere.

Et vero nonne Cyprianus ipse plura Scripturæ loca retulit ad ea stabilienda quæ omnium judicio meram spectabant disciplinam? Quis neget rem esse puræ disciplinæ lapsis concedere pacem, et communionem ecclesiasticam ante, vel post peractam pœnitentiam canonicam? Lege tamen Cypriani tractatum *de Lapsis*, ejus Epistolas *ad presbyteros Carthagin.* 16, *ad presbyteros Romanos* 30, *ad Lapsos* 33, *ad presbyteros Carthag.* 34, plura Scripturæ loca reperies a Cypriano citata ad suam in hoc negotio opinionem stabiliendam. Quis neget rem esse puræ disciplinæ merique præcepti ecclesiastici aquæ vino mixtionem in Calice Dominico offerendo? Aquæ tamen necessitatem ex divinis Scripturis probat S. Cyprianus in epist. *ad Cecilium* 63; hoc ergo prorationis genus in rebus meræ disciplinæ æque ac fidei a Cypriano usurpabatur. Male igitur ex eo concluditur S. Cyprianum suam de rebaptizandis hæreticis opinionem fidei adscripsisse.

Dixi *dato antecedente*: numquam enim S. Doctor suam opinionem ex Scripturis directe probavit ut ejus in hac quæstione scripta attente perlustranti patebit. Probat quidem ex Scripturis hæreticos Christi esse adversarios in epist. *ad Jubaian.* et *ad Pompeium*; Ecclesiam unam esse in ep. ad *Magnum* et ad *Pompeium*. Unum Baptisma et unam esse fidem in epist. *ad Episcopos Numidiæ* et *ad Pompeium*; illos solos Spiritum sanctum dare posse qui ipsum habent, in epist. *ad Magnum*; solis Ecclesiæ præpositis licere baptizare in epist. *ad Jubaian.*; blasphemantes in Patrem non posse consequi remissionem peccatorum in epist. *ad Jubaian.*; solam Ecclesiam Deo filios generare, in epist. *ad Pompeium*; et tandem Baptismi necessitatem in epist. *ad Stephanum* 72. Ex iis omnibus quæ ex Scripturis confirmabat, aliquid concludere in favorem suæ opinionis variis ratiociniis conabatur; at numquam ex Scripturis directe probavit invalidum esse Baptisma ab hæreticis collatum, ab hereticis baptisatos ad Ecclesiam venientes iterato Baptismo esse tingendos.

Objic. II. Cyprianus asserit ex hac de hæreticorum Baptismo quæstione pendere originem fidei et salutis æternæ: «Neque enim,» inquit in epist. *ad Jubaian.*, «parva res et modica conceditur quando a nobis Baptisma eorum in acceptum refertur cum inde incipiat omnis fidei origo et ad spem vitæ æternæ salutaris ingressio.» Atqui ex controversia meræ disciplinæ non pendet fidei et salutis origo, ergo ut meræ disciplinæ quæstionem non inspexit.

Resp. Nego majorem non enim ex rebaptizationis lite, sed ex Baptismo pendere fidei et salutis æternæ originem pronuntiat in textu allato, quæ duo, ni fallor, sunt plane diversa; immo si Cyprianum proprius attendas, contrarium ex ipso manifeste eruitur; cum enim asserat in eadem epistola de eorum salute non esse desperandum, qui cum solo hæreticorum Baptismo obierunt, satis ostendit ex sua opinione non pendere fidei et salutis originem. Porro ex eo quod Cyprianus dixerit a Baptismo pendere fidei et salutis originem, colligi non potest ipsum dogmati suam de rebaptizandis hæreticis addixisse sententiam.

Objic. III. S. Cyprianus expresse docet a Deo revelatum esse, quod adversus Stephanum Rom. Pontificem tuebatur: «Proinde,» inquit in laudata epist. *ad Jubaian.*, «frustra quidam qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt quasi consuetudo major sit veritate, aut id non sit in spiritualibus sequendum quod in melius fuerit a Spiritu sancto revelatum, ignosci enim potest simpliciter erranti, post insperationem vero et revelationem factam qui in eo quod erraverat, perseverat prudens et sciens, sine venia ignorantiæ peccat; præsumptione enim atque obstinatione quadam nititur cum ratione superetur.» Ergo illud fidei referebat.

Digitized by Google

Resp. Distinguo antecedens. Cyprianus docet quod adversus Stephanum tuebatur a Deo esse revelatum quibusdam, tamquam quid melius, et utilius concedo antecedens, a Deo esse revelatum vera et proprie dicta revelatione in verbo Dei scripto vel tradito contenta, nego antecedens. Itaque revelatione fusiori significatu hic sumit S. Doctor, prout omnis veritas cujuscumque sit ordinis a Deo manifestatur, qui prima veritas est, et prout omne donum desursum est descendens a Patre luminum, prout inquam, omne quod vel ad fidem, vel ad Ecclesiæ disciplinam et regimen spectat, revelat, inspirat Spiritus sanctus.

1° Enim Cyprianus in textu objectato non dicit simpliciter sed in melius revelatum quod adversus Stephanum tuebatur, non dicit Ecclesiæ revelatum, sed quibusdam inter fideles, quos inexcusabiles esse contendit post talem inspirationem ac revelationem; porro hæc duo intelligi non possunt de vera revelatione quæ dogma catholicum exhibeat, dogma enim fidei non revelatur, ut quid melius et quid utilius, nec ad fidem subito revocatur, quod quibusdam inter fideles a Deo inspiratur, ac revelatur.

2° Qui revelationi et inspirationi, de qua hic loquitur S. Cyprianus resistit, juxta ipsum rationi resistit, seu « a ratione superatur. » Revelatio ergo latiori sensu hic a S. Cypriano usurpatur, prout quaslibet veritates naturales complectitur quas Deus revelat et inspirat.

3° S. Cyprianus in epistola *ad Quintum* nitide ostendit quo sensu dixerit a Deo revelatum, quod adversus Stephanum tuebatur his verbis : « Quæ aliquando a fratribus et collegis nostris utiliter et salubriter suggeruntur, si sint vera et legitima, ipsa potius nostra ducamus, cui rei Paulus quoque prospiciens in epistola sua posuit dicens : Prophetæ autem duo aut tres loquantur et cæteri examinent, si autem alii revelatum fuerit sedenti, ille prior taceat; qua in parte docuit et ostendit multa singulis in melius revelari et debere unumquemque non pro eo, quod semel imbiberat et tenebat pertinaciter congredi, sed si quid melius et utilius extiterit libenter amplecti; non enim vincimur quando nobis offeruntur meliora. » Quis non videat opinionem de rebaptizandis hæreticis a Cypriano iis adscribi, quæ Deus quibusdam inspirat et revelat ad majorem Ecclesiæ utilitatem? Quæ profecto revelatio unam respicit Ecclesiæ œconomiam, ac disciplinam, unde nedum faveat adversariis, assertionem nostram confirmat, ut supra vidimus.

4° Totne fidei dogmata crediderit S. Cyprianus quæ in tractatu de *Bono Patientiæ* scripserat? Hæc tamen a Deo inspirata esse pronuntiat : « Propter hoc, » inquit in epist. *ad Jubaian.* « etiam libellum de Bono Patientiæ quantum valuit nostra mediocritas permittente Domino et inspirante conscripsimus; » non omnia ergo quæ a Cypriano dicuntur inspirata sive revelata a Deo fidem respiciunt; revelatio igitur sive inspiratio divina aliquando a S. Cypriano fusiori sumitur significatu, non ergo tandem subtiliter inventa, sed a Cypriano ipso suppeditata nostra responsio.

Objici. IV. De fide credebat S. Doctor eos baptizare non posse quibus a Christo concessa non erat baptizandi potestas; at hæreticis talem a Christo datam fuisse potestatem negabat Cyprianus : « Manifestum est, » inquit in Epist. *ad Jubaian.*, « ubi et per quos et remissa peccatorum dari possit quæ in Baptismo scilicet datur; nam Petro primum Dominus super quem ædificavit Ecclesiam unde et unitatis originem instituit et ostendit, potestatem istam dedit, ut id solveretur in cœlis quod ille solvisset in terris : et post resurrectionem quoque ad Apostolos loquitur dicens : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos, hoc cum dixisset inspiravit et ait illis : Accipite Spiritum sanctum; si cujus remiseritis peccata remittuntur illi, si cujus tenueritis, tenebuntur;* unde intelligimus non nisi in Ecclesia præpositis et in Evangelica lege ac Dominica ordinatione fundatis licere baptizare et remissam peccatorum dare, foris autem nec ligari aliquid posse nec solvi ubi non sit qui aut ligare possit aliquid aut solvere. » Ergo

Respond. Distinguo minorem. Juxta Cyprianum hæreticis data a Christo non erat baptizandi potestas; atque id variis ratiociniis utcumque ostendere conabatur concedo; et id tamquam de fide, tamquam certum tradebat, nego minor. Itaque ad probandam suam de hæreticis rebaptizandis sententiam variis illationibus utcumque ostendere conatur S. Doctor hæreticis concessam a Christo non esse baptizandi potestatem; in textu enim objectato, ex eo quod Christus Petro et Apostolis ligandi et solvendi potestatem dederit, infert solis Ecclesiæ præpositis potestatem remittendi peccata a Christo fuisse concessam. Inde colligit baptizandi facultatem hæreticis minime competere, ex quo tandem concludit invalide quia illicite, ab hæreticis baptizari.

Verum quod ex Scripturis judicatur aliquomodo deduci posse, crediturne ad fidem pertinere? Si ad fidem revocantur quæ a Deo sunt immediate revelata, numquid et ea quæ ex revelatis utcumque variis ratiociniis inferri posse arbitrantur? Quando Cyprianus plura Scripturæ loca afferrebat ad ea probanda, quæ omnium judicio versatilem spectabant disciplinam, ut supra vidimus, quod tuebatur ex iis quæ citabat Scripturæ locis inferri posse profecto existimabat, ideone illud fidei devovebat? Ergo licet S. Cyprianus ex Scripturis inferri posse crediderit hæreticis concessam a Christo non fuisse baptizandi potestatem, non ideo censuit de fide esse eos talem non habere potestatem.

Addo Cyprianum nec censuisse id certo et necessario ex Scripturis inferri posse; nam 1° Si existimasset ex Scripturis necessario inferri solis Ecclesiæ præpositis datam esse a Christo baptizandi potestatem; hanc laicis Catholicis sicut et hæreticis denegasset, illi enim, æque ac isti non sunt Ecclesiæ præpositi; attamen nullibi apud ipsum hanc potestatem laicis Catholicis denegatam invenies, unde perverse admodum hic error Cypriano a Catholicis affingeretur.

Digitized by Google

2° Si existimasset ex Scripturis certo colligi nullum esse Baptisma ab hæreticis collatum, pro certo habuisset infantes cum solo hæreticorum Baptismo defunctos salutem adeptos non fuisse, eadem enim certitudine creditur hos infantes salutem fuisse adeptos, qua creditur eos valide fuisse baptizatos; attamen S. Cyprianus non desperat de illorum salute, qui in præteritum cum solo hæreticorum Baptismo obierant, inter quos plures exstitisse infantes nullus inficiabitur.

3° Si ex Scripturis certo inferri credebat eos qui ab hæreticis tincti fuerant, reipsa minime fuisse baptizatos, quomodo zelus, quo pro salute hominum ardebat passus fuisset, ut cuilibet episcopo liberam eos non tingendi sineret facultatem? Credidissetne in necessariis tutiorem partem eligendam esse? Probabilia ergo, non certa Cypriano ipsi visa sunt, quæ ex Scripturis ad suam sententiam et praxim firmandam depromebat argumenta; unde contra propositam objectionem concludo S. Cyprianum ad fidem minime revocasse quod in Scripturis variis ratiociniis inferri posse, nec quidem certo et necessario putabat.

Objic. v. S. Cyprianus suam de hæreticis rebaptizandis sententiam vocat Ecclesiæ Catholicæ fidem ac veritatem : « Quare, » inquit in Epist. *ad Jubaian.* « Ecclesiæ Catholicæ fidem ac veritatem, frater charissime, et tenere debemus firmiter et docere, et per omnia Evangelica et Apostolica præcepta rationem divinæ dispensationis atque unitatis ostendere. » Ergo eam meræ disciplinæ non adscripsit.

Resp. Nego antecedens : qui enim citata Cypriani verba ad ipsius de rebaptizandis hæreticis sententiam referunt, vel Cypriani scripta nusquam legerunt ab uno vel altero auctore ea exscripsisse contenti, vel credulis imponere volunt : en Cypriani textus integer, prolixus quidem, at veritatem quærentibus non onerosus : « Quam vanum est porro et perversum ut cum ipsi hæretici repudiato et relicto vel errore vel scelere in quo prius fuerant, agnoscant Ecclesiæ veritatem, nos veritatis ejusdem jura et Sacramentum mutilemus, et venientibus ac pœnitentibus dicamus eos remissionem peccatorum consecutos esse, quando illi se peccasse et propter hoc ad Ecclesiæ indulgentiam venire fateantur? Quare Ecclesiæ Catholicæ fidem ac veritatem, frater charissime, et tenere debemus firmiter et docere, et per omnia Evangelica et Apostolica præcepta rationem divinæ dispensationis atque unitatis ostendere. Numquid potest vis Baptismi esse major aut potior, quam confessio, quam passio, ut quis coram hominibus Christum confiteatur et sanguine suo baptizetur? Et tamen neque hoc Baptisma hæreticis prodest, quamvis Christum confessi et extra Ecclesiam fuerint occisi, nisi si hæreticorum patroni et advocati hæreticos in falsa confessione Christi interfectos martyres prædicant et contra Apostoli contestationem, qui nihil eos quamvis exustos et occisos dicit posse proficere, gloriam eis et coronam passionis assignant. Quod si hæretico nec Baptisma publicæ confessionis et sanguinis proficere ad salutem potest, quia salus extra Ecclesiam non est, quanto magis ei nihil proderit, si in latebra et in latronum spelunca adulteræ contagione aquæ tinctus non tantum peccata antiqua non exposuerit, sed adhuc potius nova et majora cumulaverit. » Vides quænam sit juxta Cyprianum illa Ecclesiæ Catholicæ fides et veritas firmiter tenenda et docenda, hæreticos scilicet peccatorum suorum remissionem in hæresi consequi non posse, nec illis Baptisma ad salutem prodesse, quod nullus initiatur Catholicus, et in quo certe sita non erat erronea de rebaptizandis hæreticis Cypriani sententia; pessime ergo de Cypriano merentur, qui ad ipsius errorem revocant, quod ipse fide certum merito dixit.

Objic. VI. Cypriani Epistolam *ad Pompeium*, ex qua hæc decerpunt testimonia, quæ fidei et dogmatis quæstionem ore potulo clamare vociferantur : « Si in aliquo mutaverit et vacillaverit veritas, ad originem Dominicam et Evangelicam et Apostolicam traditionem revertamur, et inde surgat actus nostri ratio, unde et ordo et origo surrexit. Traditum est enim nobis quod sit unus Deus, et Christus unus, et una spes, et fides una, et una Ecclesia, et Baptisma unum, non nisi in una Ecclesia constitutum, a qua unitate quisquis discesserit cum hæreticis necesse est inveniatur, quos dum contra Ecclesiam (Stephanus) vindicat, Sacramentum divinæ traditionis impugnat.... quæ ista obstinatio, quæve præsumptio humanam traditionem divinæ dispositioni anteponere, nec animadvertere indignari et irasci Deum quoties divina præcepta solvit et præterit humana traditio. »

Resp. Quorsum istæ adversariorum tenebræ? Pulverem ab oculis excutiant et videant aliquando in Cypriani textibus, quod vident omnes, traditum scilicet a Cypriano dici, unum esse Baptisma non nisi in una Ecclesia constitutum, quod verum est, quod omnes tenent Catholici, qui ex hac traditione probant hæreticis baptizare non licere; at hic traditumne asserit S. Doctor, Baptisma hæreticorum validum non esse, vel quid simile? Hoc profecto nemo legit, nemo videt, nec videbunt ipsi adversarii res propius inspicientes. At, inquiunt, unum Baptisma in una Ecclesia ita constitutum asserebat S. Doctor, ut hæreticos nec licite nec valide baptizare posse argueret. Hoc fateor de quo nullatenus agitur; non enim hic quæritur, an Cyprianus existimaverit hæreticos non posse valide baptizare; nec quæritur, an hoc ex pluribus Scripturæ textibus eruere tentaverit, sed quæritur utrum de fide crediderit, utrum a Deo traditum dixerit Baptisma ita unum in Ecclesia esse, ut hæretici nec licite nec valide baptizare potuerint. Hoc porro numquam probabitur; hoc nullibi apud Cyprianum legetur; immo contrarium vel ex hacmet Epistola objectata demonstratur.

Cum enim Stephanus dixisset quod ab Apostolis accepimus tenemus, quid Cyprianus ad hanc Apostolorum auctoritatem? « Apostoli, respondet, hæreticos Antichristos nominarunt, eos esse vitandos pronun-

Digitized by Google

tiarunt, nullibi apud Apostolos præceptum invenitur ut hæreticis tantum manus in pœnitentiam imponantur; » eos nimirum intra limites se continet ut ostendat Stephanum absque titulo Apostolica traditione gloriari, et quid circa ejusmodi Baptismum Apostoli senserint latere. Porro si S. Cyprianus suam sententiam ab Apostolis traditam existimasset, hanc traditionem profecto hic appellasset, reponere certe non omisisset pessima omnino fide Apostolicam auctoritatem a Stephano laudari, cum sibi ipsi omnino faveret, oportunior ipsi nulla fuit occasio peremptoriam istam allegandi traditionem, qua adversarii penitus retunderentur. Id tamen non prestitit Cyprianus; non ergo censuit ab Apostolis traditum Baptisma hæreticorum invalidum esse.

Opponit quidem S. Doctor Stephani traditioni, quam humanam appellabat, evangelicam et divinam, quam anteponendam esse dicit dispositionem, non quasi in hac contineretur, aut manifestaretur sua de rebaptizandis hæreticis sententia; contrarium enim vel ex hacmet Epistola modo evincebamus, sed quia ex hac humanis ratiociniis, sive ut loquitur Facundus Hermian. « humana argumentatione » suam sententiam eruere contendebat : Quid enim ostendit juxta Cyprianum evangelica hæc, et divina dispositio, quam hic Stephano opponit? ostendit ne nullum esse hæreticorum Baptisma? Hæreticos valide baptizare non posse? Minime; hoc nec ibi, nec alibi a Cypriano asseritur, quid ergo? Ostendit « Hæreticos esse Antichristos, esse vitandos, » ostendit « Baptismi unitatem; » en illa divina dispositio, quam Cyprianus Stephano opponit, plures scilicet Evangelicas opponit veritates, ex quibus suam sententiam variis argumentis eruere laborabat. Porro ex eo, quod Cyprianus ex pluribus Scripturæ textibus suam de rebaptizandis hæreticis sententiam erui posse crediderit, concludendum non est ipsum agi de fide in hac quæstione censuisse, ut supra probavimus.

Non moror quod in hac Epistola S. Cyprianus S. Stephanum erroris accuset; non omnis enim error militat contra fidem, et revera Stephanus erroris quidem arguitur, numquam tamen erroris contra fidem; in eo autem errabat Stephanus in mente Cypriani, quod sententiam de rebaptizandis hæreticis « meliorem et utiliorem, » ut ait Cyprianus in epist. *ad Quintum*, non judicaret, ideoque eam rejiciendam vellet.

Hæc de Cypriani *ad Pompeium* epistola sufficiant, « Illa enim, » verbis utor Augustini « quæ in Stephanum irritatus effudit retractare nolo, quia et non opus, et ea præterire melius est, » detestans, cum Vincentio Lirin. optimo Gallo « illorum nequitiam qui sancti viri (Cypriani) memoriam, tamquam sopitos jam cineres profana manu ventilant, et quæ silentio sepeliri, oportebat rediviva opinione diffamant. »

Objic. tandem probabile non est S. Cyprianum meræ devovisse disciplinæ controversiam, in qua de validitate aut invaliditate Baptismi agebatur, nec potest concipi, quomodo ita sentire potuerit vir perspicacia maxime præditus, ac eruditione clarissimus.

Respond. Tot et tantis nititur assertio nostra argumentis, ut eam probilitate carere solus ille contendat, qui palpet in meridie. Enimvero ut jure meritoque dicatur Cyprianum existimasse hanc fuisse meræ disciplinæ controversiam, numquid necesse est modum investigare, detegere, vindicare, quo talem judicavit? Ignoretur modus, si placet, lateant nos principia quibus ad ita judicandum moveretur S. Doctor, dummodo hac in controversia ea protulerit quæ non nisi meræ disciplinæ quæstionem exhibeant; dummodo taliter in hoc negotio se gesserit, qualiter in negotio fidei numquam se gessisset, certa et immota remanebit veritas assertionis nostræ.

Eruditum Cyprianum, immo fulgentissimum Ecclesiæ lumen, et doctorem conspicuum quis neget? At eruditum et puto Basilium, eruditum et Athanasium, iis tamen meræ disciplinæ controversiam hanc visam fuisse, et ipsi passim docent Galli scriptores ac theologi. (1)

Cæterum non immerito conjicitur eam fuisse Cypriani sententiam, quod Baptismi hæreticorum validitas penderet ab usibus, consuetudinibus et dispositionibus privatarum Ecclesiarum, quæ hæreticos ad baptizandum inhabiles reddere possent. Nam. 1° Cyprianus, ut vidimus, suis permisit collegis de rebaptizatione varie sentire, nec in alios quam in Sthephanum videtur insurgere, eo quod Africanam etiam Ecclesiam Romanæ consuetudini mancipare vellet; porro liberam istam rebaptizandi vel non rebaptizandi facultatem pro suo erga salutem animarum studio minime permisisset, si *Baptismum* ab hæreticis collatum nullibi validum fuisse putasset. Illud ergo necesse est ut validum in quibusdam ecclesiis, irritum autem in aliis existimaverit: cujus quidem discriminis causa non aliunde repeti posse videtur, quam ex ratione mox allata.

2° Magno inquirenti de Clinicorum tinctione respondet S. Cyprianus validum esse Baptismum Clinicis collatum; attamem vult in hac ipsa epist. *ad Magnum* 69, Clinicos iterum baptizari apud eos qui hujus Baptismi validitatem denegabant; « Si aliquis, inquit, existimat eos Clinicos nihil consecutos, non decipiantur, ut si incommodum languoris evaserint et convaluerint, baptizentur. » Nullum ergo censebat S. Doctor Baptisma Clinicis datum apud eos qui talis Baptismi validitatem denegabant, alioquin Clinicos ab illis rebaptizari non permisisset; noverat enim, immo sæpius docuerat validum Baptisma iterari non posse, quod ergo validum penes se credebat Baptismum, invalidum apud alios existimabat.

Porro ita de Baptismo sentire non poterat, quin arbitraretur hanc privatis ecclesiis inesse potesta-

(1) Vide Illust. de Saleon Ruth. Episc. in doc. Past. de Eccles. decis. auctoritate, part. 1, pag. 221 et seq.; Thomassin, dissert. 2, de Bap. Hæret., pag. 48; Feu, tract. de legibus, quæst. 7, art. 3, pag. 252; Juenin., de Sacram, quæst. 6, cap. 2, art. 3, § 5, pag. 90 et 92; Launoium Epist. ad Bevilaq. 15, pag. 287; et alios permultos.

Digitized by Google

tem, ut apponere possent impedimenta, quibus nullum efficeretur Baptisma, ita ut valide administraretur, ubi talia apposita non essent impedimenta invalide autem ubi apposita fuissent.

3° Revera qui antiquitus rebaptizationi Hæreticorum favebant a diversis ecclesiarum dispositionibus, seu consuetudinibus, nanciscebantur hæreticos rebaptizandi necessitatem, et consequenter Baptismi, validitatem. « Quod igitur, » inquit S. Basilius in epist. canon. prima *ad Amphilochium*, « ad Catharos pertinet et prius dictum est et recte admonuisti uniuscujusque regionis morem sequi oportere, quod ii qui tunc de illis statuerunt in varias de ipsorum Baptismate sententias abierint . . . quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est eorum Baptisma pluribus consulendi causa suscipiendum esse, suscipiatur. Et paulo post. « Existimo itaque quoniam nihil de illis ( Encraticis hæreticis ) aperte dictum est, eorum Baptisma a nobis rejiciendum esse, ac si quis ab eis acceperit accedentem ad Ecclesiam baptizandum; quod si hoc generali œconomiæ impedimento erit, rursus consuetudine utendum est, et sequi oportet Patres, qui quæ ad nos pertinet dispensaverunt. » Ibi perspicis S. Basilium a diversarum regionum moribus, et a diversis episcoporum statutis repetere necessitatem hæreticos rebaptizandi vel non rebaptizandi.

Ita sentiebat et Amphilochius, qui in Catharorum Baptismo iterando vel non iterando diversis ecclesiarum moribus serviendum esse censebat, ut testatur Basilius iis verbis modo citatis : « Quod igitur ad Catharos pertinet et prius dictum est, et recte admonuisti uniuscujusque regionis morem sequi oportere, quod ii qu tunc de ills statuerunt in varias de ipsorum Baptismate sententias abierunt. »

Ita Firmilianus, qui rebaptizationem iis assimilat quæ a variis regionum consuetudinibus robur accipiunt: « Circa celebrandos » inquit in sua *ad Cypr.* Epistola, inter Cyprianicas 75, « dies Paschæ et circa multa alia divinæ rei sacramenta, videat quis esse apud illos ( Romanos ) aliquas diversitates, nec observari illic omnia æqualiter, quæ Hierosolymis observantur secundum quod in cæteris quoque plurimis provinciis multa pro locorum et nominum diversitate variantur, nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando discessum est, quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpens adversus vos pacem, quam semper antecessores ejus vobiscum custodierunt. »

Hæc nos ad cumulum de Cypriano investiganda doctis, et confirmanda, vel etiamsi placuerit oppugnanda proponimus. Utcumque sit, immotum semper maneat et inconcussum quod a Gallis universim asseritur, Cyprianum videlicet totam hanc de Baptismo hæreticorum controversiam ad meram disciplinam revocasse.

## CAPUT II.

AFFERUNTUR MOMENTA, QUIBUS EVINCITUR S. CYPRIANUM PROBE NOVISSE QUAM S. STEPHANUS ROM. PONTIFEX VINDICABAT CONSUETUDINEM, UNIVERSALEM TUNC TEMPORIS FUISSE ECCLESIÆ CONSUETUDINEM, AC AB OMNIBUS EPISCOPIS ANTIQUITUS SERVATAM FUISSE.

1. Rebaptizanti Cypriano opponebatur Ecclesiæ consuetudo, qua hæretici ex S. Cypriano ad Ecclesiam venientes sine novo Baptismo recipiebantur; hanc porro Ecclesiæ consuetudinem numquam diffitetur, semper agnoscit S. Doctor : id unum contendit eam rationi subjiciendam esse, eam præscribere nr nime debere, ac quasi vetustum errorem derelinquendam esse ; non ignorabat ergo eam sibi adversari. « Frustra » aiebat Cyprianus Jubaiano scribens, quidam qui ratione vincuntur consuetudinem nobis opponunt, quasi consuetudo major sit veritate. . . . non tamen quia aliquando erratum est ideo semper errandum. » Et in epist. *ad Quintum* : « Non est autem de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum. Loquitur de consuetudine hæreticos non rebaptizandi. » Et in epist. *ad Pompeium* : « Consuetudo sine veritate vetustas erroris est, propter quod, relicto errore, sequamur veritatem. »

Nec dicas S. Cyprianum ibi loqui de consuetudine alicujus ecclesiæ particularis, Romanæ videlicet, vel alterius, quam sibi adversari ultro fateretur, non autem de consuetudine universalis Ecclesiæ : nam 1° Cyprianus existentem eam fatetur consuetudinem, quæ ipsi opponebatur; atqui opponebatur consuetudo non quibusdam peculiaris, sed universalis Ecclesiæ. Audiatur strenuus ille traditionum Ecclesiæ defensor episcopus anonymus jam citatus, qui Cyprianum viriliter perstringebat: « In quo genere » inquit in tractatu qui incipit his verbis: Non debere denuo baptizari, etc. «Quæstionis» de Baptismo hæreticorum « nulla omnino potuisset controversia aut disceptatio emergere, si unusquisque nostrum, contentus venerabili ecclesiarum omnium auctoritate nihil innovare gestiret. » Cypriano non exprobrat ipsum alicujus peculiaris ecclesiæ, Romanæ nempe, vel alterius auctoritati obaudire nolle » sed ipsum « venerabili ecclesiarum omnium auctoritate contentum » esse noluisse. Audiatur S. Stephanus R. Pontifex in suo celebri rescripto. « Si quis a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur præter id quod traditum est. » Non Romanam tantum aut quibusbusdam peculiarem Cypriano opponebat traditionem, sed indefinitam, ac consequenter universalem. « S. Stephanus » inquit defensor, *Declarat cleri. Gallic.*, an. 1682. vulgo Bossuetius, episc. Meldensis (1) « urgebat consuetudinem universalem. « S. Stephanus » inquit Habert doctor Sorbonicus (2) « traditionem et consuetudinem Ecclesiæ opposuit S. Cypriano ; » si quis inquit, etc. « Ecclesiæ traditionem » inquit Grandin, doctor et professor Sorbon. (3) « Opposuit

(1) In defens. decl. cleri Gallici. part. II, lib. IV, c. 7.
(2) In tract. *de Sacram.* cap. 14, pag. 89, edit. Paris, 1718.
(3) Tract. *de Sacram.* quæst. 3. art. 1, sect. 4, puncto 2°, pag. 31, edit. Paris, 1710.

Digitized by Google

Stephanus Papa Africanis. « De totius Ecclesiæ traditione » inquit Henricus a S. Ignatio. (1) « S. Stephanus Papa testimonium perhibuit, dum S. Cypriano hac in causa scripsit nihil innovetur nisi quod traditum est. » Mitto alios passim Gallos theologos de Stephano idem testantes.

2° S. Cyprianus objectatæ consuetudini solam opponit veritatem. Verum si existimasset S. Doctor hanc consuetudinem haud fuisse universalem, sed quibusdam tantum ecclesiis peculiarem, non solam profecto veritatem, quam pro se ipso stare credebat, sed etiam aliarum sibi faventium ecclesiarum consuetudinem opposuisset; ideoque contestatus esset suos adversarios et contra veritatem, et contra consuetudinem etiam facere: non nostrum est hoc ratiocinium, sed Augustini! « Cur, » inquit, (2) « tot Cypriani collegæ in concilio dixerunt rationem et veritatem consuetudini præponendam, ac non potius dixerunt eos quid aliud facere vellent et contra veritatem, et contra consuetudinem facere? »

3° Quonam pacto censuisset Cyprianus consuetudinem solius Romanæ Ecclesiæ vel etiam alterius sibi adversari, Cyprianus inquam, qui et ipsam Africanæ ecclesiæ consuetudinem sibi contrariam latebatur? Gloriabantur enim S. Cyprianus aliique in Africa rebaptizantes se africanæ ecclesiæ dereliquisse consuetudinem, teste Firmiliano in sua ad Cyprianum epistola: « Quod autem, » inquit, « pertinet ad consuetudinem refutandam, quam videntur opponere veritati, quis tam vanus sit ut veritati consuetudinem præferat? aut qui, perspecta luce, tenebras non deserat? Nisi si et Judæos Christo adventante, id est veritate, adjuvet in aliquo antiquissima consuetudo, quod, relicta nova veritatis via, in vetustate permanserint, quod quidem adversus Stephanum vos dicere Afri potestis, cognita veritate, errorem vos consuetudinis reliquisse. » Ita plane Cyprianus aliique rebaptizantes Africani, inquit illust. de Saleon Ruthenensis episcopus, agnoscebant se antiquam mutasse consuetudinem. (3)

At, inquies, S. Cyprianus in epist. *ad Quintum*, et *ad Jubaian.* nitide affirmat jam pridem ab Agrippino pluribusve aliis Africanis episcopis statutum fuisse, ut ab hæreticis baptizati ad Ecclesiam redeuntes iterum baptizarentur, exinde vero multa hæreticorum millia in Africanis provinciis juxta hoc statutum fuisse suscepta. Quid inde? Cyprianus ergo Africæ consuetudinem sibi contrariam non reperit? Post Agrippinum consuetudo hæreticos rebaptizandi in Africa prævaluerat? Haudquaquam. Citata enim Cypriani verba probant quidem Agrippinum pluresve Africanos episcopos, rebaptizationem in suis ecclesiis introduxisse, ac post Agrippinum nonnullos episcopos illius sententiam, et praxim fuisse secutos, at nullatenus evincunt pluralitatem, et universalitatem episcoporum Africanorum post Agrippinum rebaptizationi favisse, ipso etiam Augustino interprete, qui objectatum Cypriani textum ita explicat, ut minime impediat quominus consuetudo, non rebaptizandi ab Agrippino etiam usque ad Cyprianum in Africa prævaluerit: « Quomodo autem, » inquit lib. III. *de Bapt.* cap. 12, « Cyprianus dicat atque exinde in hodiernum tot millia hæreticorum in provinciis nostris ad Ecclesiam conversi non aspernati sunt neque cunctati, immo et rationabiliter et libenter amplexi sunt ut lavacri vitalis et salutaris Baptismi gratiam consequerentur, non video, nisi forte hoc dicat, exinde in hodiernum, quia nulla de illis ex quo in Ecclesia per Agrippini concilium baptizati sunt, quæstio alicujus excommunitionis exorta est. Cæterum si permanebat ab Agrippino usque ad Cyprianum consuetudo baptizandi ab hæreticis venientes, ut quid facta sunt a Cypriano de hac re concilia? Ut quid eidem Jubaiano dicit non se rem novam facere aut repentinam, sed ab Agrippino constitutam? Cur enim Jubaianus de novitate turbaretur? Ut eum per auctoritatem Agrippini sanari oporteret, si ab Agrippino usque Cyprianum hoc tenebat Ecclesia? » Et cap. II. ejusdem lib. testatur plures ex illis episcopis qui cum Agrippino pristinam non rebaptizandi mutaverant consuetudinem, ad eam rediisse, ita ut post Agrippinum vetus Ecclesiæ consuetudo in Africa undique vigeret.

Hinc patet Firmiliano et Augustino asserentibus Africæ consuetudinem a Cypriano dereliotam fuisse, non obesse quod Cyprianus affirmat, ab Agrippino scilicet ad suam usque ætatem multa hæreticorum millia iterato Baptismo in Africa recepta fuisse; verum enim utrumque. Cyprianus Africæ consuetudinem dereliquit, quia dereliquit consuetudinem quæ a pluralitate præsulum Africanorum servabatur; multa hæreticorum millia ab Agrippino usque ad Cyprianum iterato Baptismo in Africa recepta fuerunt, quia licet pluralitas Africanorum præsulum Romanam consuetudinem retinuerint, nonnullis tamen magis placuit Agrippini sequi statutum, a quibus multa hæreticorum millia iterato Baptismo recepta fuerunt. Hæcque conciliatio eo benignius suscipienda, quod aliter dicendum foret et Cyprianum sibi ipse contradicere, et falsa ab Augustino narrari. 1° Cyprianus sibi ipsi contradiceret, quia ex hypothesi vellet in epist. *ad Jubaian.* Africæ consuetudinem post Agrippinum suæ opinioni suffragari, et in epist. *ad Firmilianum* affirmaret se Africæ consuetudinem relinquere. 2° Falsum narrasset Augustinus quando tam sæpius, tam confidenter, testabatur consuetudinem Africanam, spectato etiam tempore medio Agrippinum inter et Cyprianum, rebaptizationi fuisse contrariam.

Hoc quidem effutire de Augustino veritus non est P. Gervasius in sua quam Gallico idiomate publicæ luci dedit S. Cypriani Vita, libr. v, num. v, pag. 381. Verum quis patienter ferat tantum Doctorem

(1) Tract. *de Sacram.*, tom. III, pag. 12, edit. Leodiens, 1709.
(2) Lib. III, *de Bapt.* cap. XII.
(3) Docum. pastor. super Ecclesiæ decisionum auctoritate, jam laudato parte I, pag. 210.

Digitized by Google

omnium in hoc rebaptizationis negotio versatissimum sæpius ut deceptum, ut a veritate aberrantem, ut falsa obtrudentem, ut malum Cypriani interpretem ab hoc auctore traduci : (1) « Hæc jactare, » defunctus adhuc loquitur Augustinus, « quid est nisi delirare. » Forte, inquies, talia censorem nostrum urgebant argumenta, ut Augustinum ab iis erratis excusare non posset etiam paratissimus. A sequenti cætera disce.

« Mirum non est, » inquit Gervasius, « quod Augustinus numerum episcoporum Orientalium qui Cypriani sententiam propugnabant ignoraverit, cum numerum Africanorum nec agnóverit; septuaginta enim episcopos nec plures in Africa recenset, cum vel in uno concilio octoginta septem enumerentur. » Hic Augustinum numeri rebaptizantium ex Africa episcoporum ignarum nobis venditat, prætensamque ignorantiam hoc probat argumento; quia plures, inquit, in Africa rebaptizantes episcopos non recenset S. Doctor quam septuaginta. Nigra falsitas et eo magis intoleranda, quo et scienter prolata, et in dedecus tanti Ecclesiæ Doctoris fabricata. En Augustini verba *ad Crescon.*, liber III, caput. III : « Proinde si omnino credendum sit, 50 episcopis Orientalibus id esse visum, quod 70 Afris, vel aliquanto etiam pluribus contra tot millia episcoporum, etc. » Hæc verba « 70 Afris vel aliquanto etiam pluribus » sonantne « 70 Afris nec pluribus, » ut Auctor tam confidenter affirmat? Audiatur iterum Augustinus : « Visum est, » inquit, lib. I *de Bapt.* cap. 18 « Cypriano cum ferme octoginta coepiscopis suis Africanarum ecclesiarum omnem hominem qui extra Ecclesiæ catholicæ communionem baptizatus fuisset, oportere ad Ecclesiam venientem denuo baptizari : » Enumeratne hoc et in loco 70 tantum episcopos pro Cypriano ?

Nos vidimus, inquit Augustini censor, vel uni Cypriani concilio 87, Africanos episcopos interfuisse, quod Augustinum latuit; at, te ipsomet teste, miser aristarche singulas horum 87 episcoporum sententias refert ac expendit S. Doctor in lib. VI et VII *de Baptismo*, quomodo ergo latuit Augustinum huic Cypriani concilio 87 episcopos Africanos interfuisse? Si igitur hos omnes Cypriano erranti non adjunxit, id egit, quia pro sua non omnibus communi æquitate ac justitia noluit catholicas nonnullorum ex illis episcopis sententias erroris accusare, quod imitari melius auctori nostro cessisset, quam in Augustinum indigna anhelasse convicia.

Hæc sunt argumenta, quibus urgetur P. Gervasius ad ignorantiam Augustini revelandam, seu verius ad suam apertissime manifestandam; sed utinam Augustinus solus viperinum hujusce scriptoris dentem expertus fuisset. Demum si ejus auctoritatem sibi contrariam contempsit, saltem sibi aliquando faventem veneratus est. Verum ut de aliis taceam, quot contumeliosa, quot falsa, quot impia non evomuit in Stephanum Pontificem maximum, et sanctissimum martyrem, vix inter ipsos Calvinistas reperias acerbius amariusque insultantem Pontifici.

Stephanus, si ipsi fides, « Indigne penitus erga Cyprianum se gessit. » Stephanus « fastum tumide ac dominatum affectat. » Stephanus « imperantem ac tyrannum » agit, inhumanitatis, vexationis, tyrannidis Reus. Stephanus Ecclesiæ unitatem scindere flocci facit; Cyprianum inauditum judicat et damnat. Stephanus Cypriani, quem ut pseudochristum pseudoapostolum, dolosum et perfidum infamabat, episcopis legatis pacem, communionem, hospitalitatem non negavit solum sed negandam quoque ab omnibus et ubique præcepit. Stephanus zelum præ se fert quidem, sed ad omnia promiscue devastanda unice sufficientem, hic Stephani zelus Imperatorem movit ad Ecclesiam crudeliter persequendam. Stephanus non unum vel duos dumtaxat, sed tres errores fidei catholicæ adversos docet in suo rescripto. Tandem vero, quasi hæc omnia pro Stephani demeritis minime sufficerent, contestatur Gervasius se cum omni moderatione ac temperantia possibili de Stephano verba facere.

Cœli quæ video. Hæc Francus? Hæc catholicus? Hæc Dei sacerdos? Hæc filius? Hæc de Patre? Hæc de Pontifice maximo? Hæc de traditionis vindice? Hæc de sanctissimo Martyre? O licentiosam scriptionem, inultam nihilominus, proh superi, et impunitam? « O portentum non, sicut ait quidam, in ultimas terras exportandum, sed potius extra omne cœlum et omnes terras si fieri possit abigendum (1). » Hæc legentur? Hæc credentur. Hæc posteris tradentur? Verba desunt, mens deficit, horrescit animus, ad placida, ad vera, ad humana, ad pia et catholica transeamus. Redeamus ad nos. « His enim malis magis debentur prolixi gemitus quam prolixi libri » Aug. Epist. XXII.

II. Episcopus anonymus Cypriano coævus non semel laudatus tria de Cypriano (2), ejusque asseclis tradit in tractatu, qui incipit his verbis : « Non debere denuo, etc. » quæ manifestissime ostendunt notum abunde fuisse S. Doctori consuetudinem hæreticos non rebaptizandi universalem Ecclesiæ tunc

(1) Pag. 381. usque ad pag. 386. et alibi.

(1) August. *ad Crescon.*, l. III, c. 5.

(2) Cyprianum, tacito tamen ejus nomine, ab hoc auctore potissimum perstringi facile deprehenditur; tum quia adversarium suum tamquam ornate, et composite scribentem nobis exponit, *quod tamen*, inquit, *non valde illam nostram fidem lædat, sed non ornate ut tu et composite*; porro ex Africanis alium præter Cyprianum tunc pro rebaptizatione *ornate et composite* scripsisse non invenitur. Tum quia refutat adversarium qui plures Scripturæ textus pro sua opinione retulerat : *Ad quæ*, inquit, *forte tu qui novum quid inducis continuo respondeas ut soles, dixisse in Evangelio Dominum nisi quis denuo natus fuerit.* Et infra, *nec estimes huic tractatui contrarium quod dixit Dominus : Ite docete Gentes.* Et paulo post : *Sed ad hoc ut soles contradices opponendo nobis tunc cum baptisarentur integre ac recte discipulos*, etc. Porro cum ii textus a Cypriano solo tunc temporis objectati legantur, Cyprianus ille erat adversarius quem auctor perstringebat; atque ita sentiunt ex Gallis Tillemontius. Hist. eccles., t. IV, p. 152. Defensor declarationis Cleri Gallicani 1682, part. II, lib. XIV, p. 266 et alii.

Digitized by Google

temporis fuisse praxim. Tradit enim : 1° Cyprianum eique adhærentes novam de rebaptizandis hæreticis opinionem protulisse, quia non erant contenti venerabili ecclesiarum omnium auctoritate, qua tamen pro humilitate necessaria contenti esse debuissent : « In quo genere quæstionis » de rebap. hæret. inquit, « nulla omnino potuisset controversia aut disceptatio emergere, si unusquisque nostrum contentus venerabili ecclesiarum omnium auctoritate et necessaria humilitate nihil innovare gestiret. »

2° Cyprianum redarguit quod gloriaretur se correxisse vitia et errores universarum ecclesiarum : « Errores, » inquit, « et vitia universarum ecclesiarum correxisse apud simillimos sui et compares glorietur. »

3° Cyprianum, Cyprianique asseclas exhibet ut episcopos, qui non verebantur detegere turpitudinem matris Ecclesiæ, si quam esse in hac de Baptismo quæstione putabant : « Monstri, » inquit, « simile est ipso, episcopos talia scandala cogitare, et turpitudinem matris Ecclesiæ, si quam putant in hoc negotio esse, nimis irreverenter non vereri detegere. »

Porro qui « non erat contentus venerabili ecclesiarum omnium auctoritate, » non Stephani tantum, sed et ecclesiarum omnium auctoritati obaudire nolebat, non ergo solum Stephanum, sed et cæteras undique ecclesias noverat Cyprianus suæ opinioni ac praxi esse contrarias. Qui « gloriabatur se correxisse errores universarum, » profecto non ignorabat universas ecclesias a se dissentire ; qui « non verebatur turpitudinem matris Ecclesiæ detegere, » palam ostendit matrem Ecclesiam suæ, quam veram putabat, opinioni adversari.

III. S. Hieronymus in Dial. *adversus Lucif.*, tom. IV, part. 2, pag. 305, hæc habet : « Ecclesia semper ab hæreticis Baptismum recepit.... quod si negandum quispiam putaverit hæreticos a majoribus nostris semper fuisse susceptos, legat B. Cypriani epistolas, in quibus Stephanum Romanæ urbis episcopum, et inveteratæ consuetudinis lacerat errorem. » Duo hic ostendunt S. Cyprianum in mente S. Hieronymi non ignorasse consuetudinem Ecclesiæ suæ opinioni et praxi fuisse contrariam : 1° S. Hieronymus ex Cypriani epistolis colligit, et probat praxim hæreticos non rebaptizandi perpetuam Ecclesiæ ac majorum nostrorum consuetudinem fuisse ; ad mentem ergo S. Hieronymi S. Cyprianus perpetuam hanc Ecclesiæ ac majorem nostrorum consuetudinem in suis epistolis manifestabat ; hanc ergo sibi adversam Ecclesiæ consuetudinem non ignorabat. 2° Cyprianus juxta Hieronymum erroris accusabat non solius Stephani, sed et Ecclesiæ consuetudinem ; noverat ergo non solius Stephani, sed Ecclesiæ consuetudinem sibi adversari.

Repones fortasse juxta Hieronymum consuetudinem quidem a Cypriano lacerari, sed non consuetudinem universalem Ecclesiæ ; at si Hieronymus de universali Ecclesiæ consuetudine non loqueretur, suum minime probaret intentum. Enimvero ex eo quod Cyprianus lacerarit inveteratam consuetudinem hæreticos non rebaptisandi, Hieronymus probare intendit hæreticos sine Baptismo, ab Ecclesia, a majoribus nostris semper fuisse susceptos. Porro ex eo quod Cyprianus lacerasset consuetudinem hanc quibusdam peculiarem, probaret quidem hæreticos sine iterato Baptismo ab aliquibus semper fuisse susceptos ; at minime probaret eos ita semper, ita a majoribus nostris indefinite, ac ab Ecclesia fuisse susceptos, ergo quando S. Hieronymus dicit consuetudinem a Cypriano laceratam fuisse, universalem spectat Ecclesiæ consuetudinem.

IV. S. Augustinus, cui, vel nulli, hac in re fides præstanda, centies affirmat S. Cyprianum apprime novisse consuetudinem Ecclesiæ universalis sibi rebaptizanti adversari. « Noluit, » inquit, lib. II *de Bap.*, c. 8, « vir gravissimus (Cyprianus) veraci consuetudini cedere... sed in tam obscura quæstione turbatus et ubique intuens universalem, robustamque consuetudinem » hæreticos scilicet non rebaptizandi. Quid clarius ? Cyprianus ubique intuebatur universalem, robustamque consuetudinem hæreticos non rebaptizandi, et c. 9 : « Hanc autem (Stephani R. P.) fuisse consuetudinem Ecclesiæ satis ostenditur et ipsius B. Cypriani verbis. » Et iis citatis, sic pergit : « Ubi certe quid fieri soleret, et si non fieri vellet satis ostendit..... aperte indicat (Cyprianus) fuisse aliam consuetudinem Ecclesiæ, et in ipso concilio (Carthagin. III) nonnullæ sententiæ omnino declarant eos contra Ecclesiæ consuetudinem decrevisse quod decernendum esse arbitrati sunt. » Quid luculentius ? « Verba ipsius B. Cypriani satis ostendunt » quam Stephanus urgebat consuetudinem fuisse Ecclesiæ consuetudinem. Cyprianus « satis ostendit » quid fieri soleret et si non fieri vellet, scilicet Ecclesiæ consuetudinem suæ opinioni adversari. Cyprianus « aperte indicat » fuisse aliam consuetudinem Ecclesiæ. Et Africani nonnulli in concilio Carthag. 3 « omnino declarant » se contra consuetudinem Ecclesiæ rebaptizandos esse hæreticos decrevisse. Numquid ergo ignorabant Cyprianus, Africanique præsules consuetudinem Ecclesiæ sibi adversari ?

Audiatur iterum S. Augustinus in lib. IV *de Bapt.* c. 6 : « Istam consuetudinem « hæreticos non rebaptizandi » tam robustam et antea idem Cyprianus invenit, ut cum ejus mutandæ auctoritatem quam sequeretur vir tanta scientia præditus quæreret, nonnisi in Africa sola factum paucis ante se annis Agrippini concilium reperiret, quod cum sibi adversus tot orbis morem non sufficere cerneret has rationes arripuit. » Cernebat Cyprianus eo teste, cui melius, quam nuperis quibusdam theologis explorata erant Cypriani verba atque sensa, Agrippini auctoritatem, quam in hæreticis rebaptizandis sequebatur, sibi non sufficere adversus « totius orbis morem, » profecto ergo sciebat morem totius orbis rebaptizationi hæreticorum esse contrarium.

Rursus Augustinus lib. VI *de Bapt.* c. 55 : « Si consuetudo erat, » inquit, « sicut hæc sententia testis est, ut hæretici venientes ad Ecclesiam cum Bap

Digitized by Google

tismo quod habebant reciperentur, cur orbem terrarum quia sic recipiuntur accusant? » Episcopi scilicet concilii Carthagin. 3, inter quos Cyprianus. Porro qui accusant orbem terrarum, quod hæretici sine iterato Baptismo reciperentur, non ignorant profecto ab orbe terrarum hæreticos sic recipi, et lib. VII, c. 2 : « Eam quoque fuisse consuetudinem ut sic reciperentur (hæretici sine iterato Baptismo), et ipse Cyprianus multis locis et aliquot episcopi in hoc concilio (Carthag. 3) manifestant ; unde aparet si hæretici non habent Baptismum, Ecclesiam Christi temporum illorum prævaricatoribus fuisse plenam, qui eis suffragantes sic recipiebant. » Undenam probat S. Doctor viguisse, Cypriani etiam ætate, Ecclesiæ consuetudinem, ut hæretici sine novo baptismo reciperentur? Ex ipso, ut vides, sancto Cypriano, qui multis locis illud manifestat ; non ergo ignorabat antistes Carthaginensis eam fuisse Ecclesiæ consuetudinem.

Non pigeat quæso Augustinum adhuc audire : « Talem, » inquit lib. VII, de Bapt., c. 25, « fuisse Ecclesiæ consuetudinem (hæreticos scilicet non rebaptizandi), ipsi qui hoc concilium Carthagin. 3 faciunt sæpe commemorant. » Noverat ergo Cyprianus, noverant Africani episcopi, qui huic concilio interfuerunt, talem fuisse, non Stephani tantum, sed et Ecclesiæ consuetudinem, et in epist. ad Vincentium Rogatist. 93, c. 10 : « Cyprianus autem sensisse aliter, quam forma et consuetudo habebat Ecclesiæ, non in canonicis sed in suis et in concilii litteris invenitur. » Si in Cypriani litteris invenitur ipsum aliter de Baptismo sensisse, quam consuetudo habebat Ecclesiæ, Cyprianus profecto in suis litteris ostendit consuetudinem Ecclesiæ alienam esse a sua sententia.

Quid amplius ab Augustino desideraretur in gratiam assertionis nostræ? S. Cyprianus, teste Augustino, « satis ostendit, aperte indicat, omnino declarat, sæpe commemorat, multis locis manifestat non Stephani tantum, sed et Ecclesiæ consuetudinem esse » ut hæretici venientes ad Ecclesiam cum Baptismo quod habebant reciperentur. Cyprianus «accusabat» non solum Stephanum, sed «orbem terrarum,» quod hæretici sic reciperentur. Cyprianus «cernebat» se agere « adversus totius orbis morem. » Cyprianus « ubique intuebatur universalem et robustam consuetudinem » hæreticos non rebaptizandi. Hæc sine ambagibus sine verborum circuitu, nullis involuta tenebris, nitida, luculenta centies repetita, firmiter, ac evidenter ostendunt exploratum Cypriano sine dubio fuisse consuetudinem hæreticos non rebaptizandi tunc temporis fuisse consuetudinem «universalem Ecclesiæ,» consuetudinem «orbis terrarum, totius orbis morem,» quem «ubique intuebatur.»

V. Universalem Ecclesiæ de non rebaptizandis hæreticis consuetudinem nec a Cypriano, nec ab ejus asseclis in dubium revocatam fuisse manifestat et status controversiæ, quæ Cyprianum inter et alios agitabatur ; hunc dilucide exponit anonymus episcopus Cypriano coævus sæpius laudatus iis verbis : « Animadverto quæsitum apud fratres, quid potius observari oportet in personam eorum, qui in hæresi quidem sed in nomine Domini Dei nostri Jesu Christi tincti, postmodum inde digressi et suppliciter ad Ecclesiam Dei advolantes, totis præcordiis pœnitentiam agerent, et erroris sui damnationem nunc demum intelligentes, auxilium salutis ab ea implorent utrum vetustissima consuetudine ac traditione ecclesiastica post illum qui foris quidem, sed in nomine Jesu Christi Dominicum acceperunt Baptisma, tantummodo imponi eis manum ab episcopo ad accipiendum Spiritum sanctum sufficeret, et hæc manus impositio signum fidei iteratum atque consummatum eis præstaret ; an vero etiam iteratum Baptisma iis necessarium esset tamquam nihil habituris, si hoc quoque adepti ex integro non fuissent, perinde ac si numquam baptizati in nomine Jesu Christi forent, ideoque nonnulla super hac nova quæstione scripta aut rescripta esse jactabantur, quibus utraque pars ad destruenda aliena summo studio nitebatur. » En status controversiæ, quæritur utrum observari potius oporteat vetustissima Ecclesiæ consuetudo ac traditio qua hæretici ad Ecclesiam venientes cum Baptismo quod foris acceperant suscipiebantur? An vero Baptisma iis adhuc sit necessarium, quia nihil essent habituri si hoc non acciperent?

Hic porro quæstionis status manifeste supponit ab omnibus ultro admissam fuisse hujusce Ecclesiæ de non rebaptizandis hæreticis antiquissimæ consuetudinis existentiam, cum de ea quæratur tantummodo utrum servari, vel non servari debeat ; unde citatus auctor, qui totus est in refellendis Cypriani rationibus numquam de ipso conqueritur, quod hujus Ecclesiæ consuetudinis existentiam in dubium revocaret ; at sæpius ipsi exprobrat, ut supra vidimus, quod nollet esse « contentus venerabili ecclesiarum omnium auctoritate, » quod rebaptizationem hæreticorum minime damnaret, quam tamen judicabat contrariam solemnissimæ cunctorum emeritorum sanctorum et fidelium observationi. «In quo genere, inquit, quæstionis (de rebaptis. hæreticis) ut mihi videtur nulla omnino potuisset controversia aut disceptatio emergere, si unusquisque nostrum contentus venerabili ecclesiarum omnium auctoritate et necessaria humilitate nihil innovare gestiret ; namque omne quod anceps et ambiguum et diversis sententiis prudentium ac fidelium virorum constitutum est, si contra priscam et memorabilem cunctorum emeritorum sanctorum et fidelium solemnissimam observationem judicatur, damnari utique debet. » Cypriano exprobrat, quod auctoritati tot annorum, totque ecclesiarum acquiescere nollet ; quod insurgeret adversus ecclesiasticam tot sæculorum consuetudinem : « Per quam, inquit, utile est credere, et tot annorum totque ecclesiarum auctoritati cum bona ratione acquiescere, cum sit maximum incommodum ac dispendium sanctissimæ matris Ecclesiæ adversus prisca



Digitized by Google

consulta post tot sæculorum seriem nunc primum ac sine ratione insurgere. » Ex quibus omnibus liquet nemini rebaptizantium tunc temporis fuisse dubiam hanc de non rebaptisandis hæreticis Ecclesiæ consuetudinem ; unde Venerabilis Beda asserebat Cyprianum cum suis Africanis non contra Stephani vel alterius praxim, sed « contra morem Ecclesiæ » statuere voluisse hæretico esse rebaptizandos (1).

VI. Tandem Cyprianum hanc Ecclesiæ consuetudinem ignorasse, veterum nullus vel obscure semel indicavit, haud nesciis adversariis nostris, qui ad prætensam Cypriani ignorantiam firmandam, nullum hactenus alicujus antiquitatis testimonium afferre potuerunt. Et certe, Cyprianum hujusce consuetudinis ignarum numquam audissemus, nisi nuperis nonnullis ætatis nostræ scriptoribus placuisset magis novæ opinionis adinventores se videri, quam antiquam tot sæculorum fidem sequi se profiteri. Quid ergo ? Posthabitis, spretisque tot et tantis, quæ huc usque ex primæva antiquitate et præcipue ex Augustino deprompsimus testimoniis, spreta itidem communi Gallorum scriptorum ac theologorum de hac re sententia, vix natis horum paucorum placitis omni verisimilitudine etiam destitutis subscribemus? Absit, si homines sumus, si qualemcumque rationem, si sensum habemus humanum.

Equidem satis mirari non possum talem ab istis recentioribus de Cypriano fingi ac venditari potuisse ignorantiam, istorum enim nemo profundam in rebus ecclesiasticis Cypriani eruditionem vividioribus depinxit coloribus majorique strepitu ac conatu ostentavit. Ad illam extollendam inexhausta pene diceres omnia summorum Pontificum, conciliorum, SS. Patrum, historicorum, poetarum monumenta ; sacrum et profanum, omnia undique quæsita, arrepta, citata ; tot laboribus ad illustrandam et manifestandam Cypriani doctrinam exantlatis, quis crederet? Cyprianum illius ignarum pronuntiant Ecclesiæ consuetudinis, quæ ipsis fatentibus præcipuum fidei nostræ dogma complectebatur. En tot de Cypriani doctrina præconiorum inexpectata conclusio : Cyprianus ignorabat Ecclesiæ consuetudinem, quæ præcipuum fidei nostræ caput spectabat. Sic doctus et ignarus, oculatus et obtusus ad istorum nutum Cyprianus, oculatissimus, ut paucos sibi faventes episcopos agnoscat, obtusissimus ut innumeros sibi adversos ignoret ; ad indagandos asseclas Cypriano tempus abunde suppeditatur, ad detegendos autem adversarios decennium, quo Carthaginensem rexit Ecclesiam sufficere non potuit ; sic inanem caliginem perspicuis rebus aspergunt homines, digni sane, qui experiantur absurda quæque et ultima. Nostris ergo næniæ jam cedant argumentis, sensatique omnes veridico ore dicamus Cyprianum probe novisse quam Stephanus R. P. vindicabat hæreticos non rebaptizandi consuetudinem, universalem Ecclesiæ tunc temporis fuisse consuetudinem, sive ut Augustini verbis utar, « Cyprianum hanc consuetudinem ubique et universalem intuitum fuisse. »

Denique noverat et Cyprianus hanc consuetudinem ab omnibus Episcopis antiquitus, id est ante Agrippinum, servatam fuisse. Qui enim Agrippinum censebat primum rebaptizationis parentem, necessario agnoscebat neminem Episcoporum ante Agrippinum rebaptizasse, et consequenter ab omnibus Episcopis servatam olim fuisse, quam Stephanus R. P. urgebat consuetudinem. Porro S. Cyprianus, ut supra probavimus, Agrippinum censebat primum rebaptizationis parentem.

Et vero veterem hanc universalis Ecclesiæ consuetudinem Cypriano notam fuisse testatur sæpius Augustinus : « Verumtamen » inquit lib. III, de Bapt. cap. 5, « quæ soleret esse Ecclesiæ consuetudo satis idem Cyprianus ostendit, qui ait in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes sine Baptismo admissos. » Et lib. V, cap. 17. « Cypriano visum est aliter suscipiendos ab hæreticis venientes, quam vel in præteritum suscipiebantur sicut ipse testatur, vel nunc suscipiuntur : » et cap. 19 : « et ideo si vetus hæc erat consuetudo, ut ab hæreticis venientes in eodem Christi Baptismo quem foris acceperant susciperentur, quod nec ipsi qui contra disserebant (Cyprianus et alii) negare potuerunt. » Et in Epist. ad Vincentium Rogatistam 93, cap 10 : « si enim Sacramenta cum peccatoribus communicando, sicut putatis, periit Ecclesia, quæ fuerat in orbe terrarum jam prius tota perierat, cum sicut dicit Cyprianus in eam sine Baptismo admittebantur, ac sic nec ipse Cyprianus habebat in qua Ecclesia nasceretur. »

Præterea, ut supra vidimus, Cyprianus agnoscebat, et confitebatur quæ ipsi opponebatur Ecclesiæ consuetudinem. Porro Cypriano objiciebatur non tantum quæ tunc temporis vigebat, sed etiam præterita, et antiqua Ecclesiæ consuetudo, ut patet ex textibus allatis, ac ex iis Cypriani verbis ad Jubaian. scribentis. « Sed dicit aliquis quid ergo fiet de iis qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes sine Baptismo admissi sunt? Potens est Dominus misericordia sua indulgentiam dare, et eos qui ad Ecclesiam simpliciter admissi sunt in Ecclesia dormierunt, ab Ecclesiæ suæ muneribus non separare. Non tamen quia aliquando erratum est, ideo semper errandum est. »

Ex quibus omnibus constat S. Cyprianum apprime novisse consuetudinem hæreticos non rebaptizandi tum suis, tum præteritis temporibus fuisse consuetudinem Ecclesiæ, haud ignorasse S. Doctorem a Stephano Rom. pontifice et a longe majori Episcoporum parte tunc temporis eam servari, ac antiquitus, id est ante Agrippinum ab omnibus Episcopis servatam fuisse.

(1) In lib. aliquot. quæst., t. VII, p. 289.

Digitized by Google

# BINÆ DISSERTATIONES

## DE FIRMILIANO,

AUCTORE F. MARCELLINO MOLKENBUHR (1) O. S. F. STRICTIORIS OBSERVANTIÆ, SS. THEOLOGIÆ LECTOR. JUBILATO.

# PRÆFATIO.

Postquam, anno 1788, de Cathedris Petri Romana et Anthiochena, ac primis S. Petri successoribus binas publicaveram dissertationes, non cessavi veterum SS. Patrum et historicorum opera horis intercisis, quas negotia permittebant liberas diligentius pervolvere, ac critice et attentius expendere et ulterius inquirere an forsan ego ipse contra assertam meam opinionem : « quod Petrus numquam sederit Antiochiæ (2), » aliquid solidi detegere potuerim, paratus, si erravissem, primus publice meam revocare sententiam.

Ast tantum abest ut quidquam quod meis assertionibus adversum esset, usque huc detexerim, ut potius in meis prioribus opinionibus, etiam illis circa Cepham, circa jejunia et abstinentias in dies semper magis et magis confirmatus fuerim; immo cum libros antiquiores ulterius pervolverim, nunc præter opinionem meam et exspectationem, eo deveni ut A nonnulla opera quæ antiquis auctoribus adscribuntur, ex pluribus indiciis cognoverim esse respective suppositilia, vel mutila, vel interpolata, et quidem talia opera, ex quibus gravissimæ et intricatissimæ controversiæ fuere enatæ non minus in theologia dogmatica, quam historia et chronologia ecclesiastica, nec non patrologia signanter quatuor primorum sæculorum. Non possum non meas in re tam ardua cogitationes publici juris facere.

Initium facio ab Epistola Firmiliano adscripta, quæ ex universis quæ exstant inter Cyprianicas, est omnium celeberrima. Proximo tempore et Epistolas S. Basilii M. canonicas aliaque ejus opera, concilia Eliberitanum, Ancyranum, Neocæsariense, Gangrense, Laodicenum crisi subjiciam. Denique et os- B tendam Eusebii Cæsariensis historiam ecclesiasticam in puncto rebaptizationis et controversiæ celeberrimæ S. Stephanum papam inter et S. Firmilianum, nec non et paschatis celebrandi S. Victorem papam inter et Polycratem ac Irenæum esse interpolatam. Hujus Eusebii librum inscriptum : *Vita Constantini M.*, fuisse mutilatum, jam alias subindicavi (1). Mentionem quoque faciam de orthodoxia S. Dionysi Alexandrini, et quod is numquam faverit rebaptizantibus; insuper quod hac in causa catalogus S. Hieronymi de Viris illustribus fuerit male corruptus. De concilils Synnadensi et Iconiensi, si negotia permiserint, suo tempore quo et epistolas S. Cypriani examinabo, consequenter et concilia Africana quæ in causa rebaptizationis contra definitionem S. Stephani C papæ celebrata fuisse dicuntur, attingam, et reliqua; campus amplissimus undique spinis circumseptus et consitus.

Nunc de sola S. Firmiliani Epistola (2), cujus

(1) Binas Dissertationes Monasterii Westphalorum 1790 in 4° edidit vir clarissimus F. Marcellinus Molkenbuhr ordinis S. Francisci strictioris observantiæ SS. Theologiæ lector jubilatus, Provinciæ Saxoniæ S. Crucis Minister actualis, quarum sequens titulus : *Binæ Dissertationes; I, De S. Firmiliani Cæsariensis in Cappadocia episcopi Epistola ad S. Stephanum, altisque ejus operibus; II, De anno quo mortuus fuerit Firmilianus, seu Paulus Samosatenus, in synodo Antiochena fuerit condemnatus.*

Titulo subjunxit in pagina altera, ex Epistola 92 ad Vincent. Rogat., hæc S. Augustini verba :

« Quamquam non desint qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendant, sed sub ejus nomine a præsumptoribus atque mendacibus fuisse confictum. »

Scopus clarissimi auctoris est in prima dissertatione, post inanes Christiani Lupi et Raymundi Missorii conatus, denuo verosimile reddere « S. Firmiliani Epistolam ad Cyprianum (probabilius est error typographi Epistolam ad Stephanum, hanc enim tota antiquitas ignorat) » haud genuinam esse, sed a Donatista Afro eidem suppositam sæculo v, et quidem post Augustini tempora. LUMPER.

(2) Omnino penes hunc auctorem sit ea quam profitetur de S. Petri Antiocheno episcopatu opinio cui adhærendi nec cæteris scriptoribus catholicis, nec nobis animus est. EDD.

(1) Sex assertiones de jejuniis et abstinentiis contra Theologum Moguntinum : Paderbornæ, anno 1785, § 39 vel sechs Streitsatze, vermehrte Auflage. Paderborn. 1786, § 39.

(2) Sancti titulum in his dissertationibus sæpe sæpius episcopo Cæsariensi datum, ei concessit quidem ecclesia Græca, constanter vero Romana abjudicavit. EDD.

Digitized by Google

S. Patris elogium hic omnino præmittendum esse censeo.

II. Circa medium sæculi III, duo præcipui in Ecclesia Græca resplenduerunt Episcopi, S. Dionysius Alexandrinus in Ægypto, et S. Firmilianus Cæsariensis in Cappadocia, qui acerrime et junctis viribus pugnarunt contra hæreses Novati presbyteri romani a S. Cornelio papa extra Ecclesiam ejecti, et Pauli Samosateni Antiochiæ episcopi (1). Sancti et magni Dionysii Alexandrini encomia hic non recensebo.

Firmilianus in Ecclesia Græca colitur tamquam sanctus (2), nec immerito; nam maxima plurimorum episcoporum synodus Antiochena III (3) contra Paulum Samosatenum temporibus Aureliani Imperatoris habita Firmilianum illo tempore defunctum in litteris ad Pontificem Romanum et Episcopum Alexandrinum datis vocat « virum in Domino beatum. » Insuper, quod majus est, ut episcopi ibidem magno numero collecti suis contra Paulum Samosatenum decretis graviorem conciliarent auctoritatem, provocaverunt ad doctrinam a Patribus traditam : binos tantum adduxere proxime defunctos, S. Dionysium Alexandrinum et signanter Firmilianum. Addunt quod tota synodus, antequam sententiam pronunciare voluerit, Firmilianum e Cappadocia advocaverit; quod Firmilianus ad synodum venire voluerit, et, dum is in itinere fuerat, tota synodus ejus adventum exspectaverit; neque hæc ultimatam sententiam proferre voluerit, nisi postquam præsentem audivisset Firmilianum; ast, dum Firmilianus Tarsi in Cilicia interim obierat, tunc prælaudata synodus decretum edidit, vi cujus Paulus Samosatenus ab Ecclesia Catholica quæ sub cœlo est universa separatus fuit. Nihilominus prædicti Patres Antiocheni in sua ad Papam Epistola synodica specialiter addunt quod Firmilianum, dum viveret, habuerint sibi consentientem, referentes : « Firmilianus, dum viveret, bis venit Antiochiam, et peregrina illius (Pauli Samosateni) dogmata condemnavit, sicut scimus et testificamur, qui adfuimus, et alii multi noverunt. »

Reflectendum quod altum taceant de libris vel epistolis a S. Firmiliano scriptis. Quantæ pro tunc in Ecclesia Catholica fuit auctoritatis Firmilianus! Hunc Firmilianum cum Græcis vocabo *Sanctum*, tum ut ea adscriptione evidentius distinguatur a pseudo-Firmiliano in sequentibus sæpius obventuro; tum quia non solum a Græcis, sed a Latinis, ut Tillemontio, etc., sanctus appellatur. S. Gregorius Nissenus, dum S. Gregorium Thaumaturgum elogio excellentiori exornare voluit, hunc quoad virtutes æquiparavit cum nostro S. Firmiliano olim Cæsariensium ecclesiæ ornamento.

III. Porro cum Eusebius Græcus sollicite referat (1) S. Firmilianum sub SS. Pontiano, Antero Fabiano, Cornelio, Lucio, Stephano, Xysto, Dionysio, summis Romanæ Ecclesiæ Pontificibus in Ecclesia Græca floruisse circiter ab anno 230 ad annum 270; Firmilianum ceu præcipuum ex Orientalibus Episcopum interfuisse tribus conciliis Antiochenis, primo contra Novatum, duobus reliquis contra Paulum Samosatenum celebratis, eum a subsecuta synodo IV Antiochena, quæ est III contra Samosatenum, intensissime expetitum, et avidissime expectatum fuisse, S. Firmilianum fuisse unum ex duobus illis Patribus defunctis, ad quorum doctrinam respective vel scripto, vel ore traditam postrema et maxima synodus Antiochena in negotio Pauli Samosateni provocaverit; eum idem Eusebius omnium Scriptorum Ecclesiasticorum, maxime *Græcorum* opera vel Epistolas utcumque memorabiles *accurate* recensuerit, de S. Firmiliano quem singulariter depredicavit, vero altissimum sileat quod ille aliquam Epistolam scriptam unquam reliquerit; hinc sane concludendum foret quod S. Firmilianus ore quidem, et coram certaverit strenuus; non vero scriptis disputaverit circa res Ecclesiasticas.

Hæc præsumptio confirmatur ex eo quod S. Hieronymus nullibi S. Firmilianum inter Scriptores Ecclesiasticos recenseat, immo in catalogo S. *Hieronymi* de Viris illustribus, per alios auctores subsecutos adaucto, Firmilianus nequidem comparet.

IV. Nihilominus posterioribus *sæculis in lucem* producta fuit quædam famosa *epistola Firmiliani* Cæsareæ in Cappadocia episcopi ad S. Cyprianum, quæ præter plurima absona in decursu evolvenda præcipue defendit errorem rebaptizantium. Fateor, quisquis hanc epistolam composuerit, eamque alicui magno viro ad acquirendam auctoritatem supponere voluerit; vix potuisset ex sæculo III episcopum eligere majorem S. Firmiliano. Nam quod S. Dionysius Alexandrinus S. Firmiliano nullatenus inferior Papæ fuit subjectissimus, ex hujus *scriptis* epistolis apud alias ecclesias asservatis evidenter ostendi pro tunc potuisset; ast de S. Firmiliano nullum aliud opus scriptum exstabat (2). Igitur si famosa epistola quam nunc examinabimus, sit supposititia, impostor tamen prudenter vel astute egit ut eam sub nomine Firmiliani evulgaverit, quatenus sub hoc nomine quam maximam sortiretur auctoritatem.

V.

Isthæc igitur epistola præ cæteris nunc accuratiori

(1) Eusebius H. E., L. 6, a c. 43, et L. 7, a c. 1 ad c. 30.

(2) Vid. Natalis Alexander ad sæculum III, vel Martyrologium Græcorum ad diem 27 octob., vel Tillemontius.

(3) Eusebius, qui suam historiam ante tempora concilii Nicæni absolvit, vocat eam maximam et innumeris episcopis congregatam; si Basilio diacono Constantinopolitano et reliquis habenda fides, interfuere 180 Patres. V. Labbeus tom. III, ad conc. Eph., edit. Parisinæ de anno 1671, p. 425.

(1) L. VI, et VII. — Tillemontius ex Eusebio docet tom. IV, pag. 2, S. Firmilianum Græcum a 251 episcopum fuisse Cæsareæ quæ erat metropolis Cappadociæ, sub finem anni 269 fuisse defunctum. Mihi ex Eusebio lib. VII, c. 30, videtur vero similius, quod Firmilianus supervixerit usque ad ann. 272, de quo a. n. 92.

(2) Asserunt aliqui Firmilianum scripsisse libros de Spiritu S., eosque sub finem sæculi IV visos fuisse a S. Basilio M. Verum de his a. n. 89.

Digitized by Google

crisi subjicienda est, utpote quæ sola exstat sub Firmiliani nomine.

## CONSPECTUS

### UTRIUSQUE DISSERTATIONIS DE FIRMILIANO.

DISSERTATIO I. — N. 1,2, 3, Præmittuntur duæ regulæ critices ex Dupinio.

*Propositio* I. — N. 4, 12. Epistola quæ sub Firmiliani nomine circumfertur ab homine Latino videtur conficta.

*Propositio* II. — N. 13, 17. Saltem S. Firmilianus eam non composuit.

N. 18, 77. Ipsa epistola refertur quoad partes et critice examinatur; ubi n. 11. An S. Stephanus papa validum edixerit Baptismum sub quacumque forma collatum.

*Propositio* III. — N. 78, 87. Verosimilius est, quod aliquis Donatista Africanus fatam Epistolam fabricatus fuerit post sæc. IV, vel alius hæreticus.

*Propositio* IV. — N. 88, 91. S Firmilianus nullos libros scripto publico vulgavit.

DISSERTATIO II.— De S. Firmiliani anno emortuali, quo Paulus Samosatenus fuit condemnatus in celeberrima synodo Antiochena, in qua et vox *homousion* dicitur fuisse rejecta.

N. 92. Chronologi dissident.

*Propositio*. N. 93, 100. Illa ante annum 272 non contigerunt.

## DISSERTATIO PRIMA

### *De Firmiliani ad S. Cyprianum Epistola aliisque ejus operibus.*

1. Ante quam ad ipsas meas assertiones progrediar, præmitto ex Dupinio (1) : « An aliquis liber habendus sit supposititius, « duas tantum sequentes regulas :

2. I. Certum est et sufficere ad dubitandum de opere, quod ab antiquis non sit citatum, hincque caracteres antiquitatis valde authenticos debet habere ut ab omnibus recipiatur : cum e contrario minimis conjecturis contrarium evincentibus una cum veterum silentio procul dubio suppositium habendum sit.

3. II. Fit sæpe ut, quamvis unaquæque conjectura separatim considerata non videatur magni esse ponderis, omnes tamen simul junctæ certitudinem quamdam moralem efficiant. Reliquæ regulæ criticæ in decursu applicabuntur.

### PROPOSITIO I.

*Vero similius est quod famosa sub nomine Firmiliani ad S. Cyprianum Epistola non ab aliquo græco, sed a latino tenebrione fuerit composita.*

4. Probatur 1° Epistola hæc in idiomate Græco non exstat; sed dumtaxat latine fuit in lucem producta diu post tempora, S. Firmiliani; qui ergo asserit, vel credit, eam originaliter fuisse Græcam, peccat contra principium sufficientis rationis; nisi momenta positiva superaddiderit comprobantia eam aliquando Græcam exstitisse, vel judicia adduxerit Græcam redolentia originem. Atqui nulla momenta positiva adduci poterunt subjudicantia Græcam fatæ epistolæ nativitatem; ergo non est asserendum hanc Latinam prolem ex Græcia esse oriundam; non enim sano critico satis est; quod ipse fabricator dictæ epistolæ Firmiliani nomen superscripserit, aut se in Cappadocia inter Græcos episcopum esse innuat; alias innumera opera, quæ certo supposititia sunt, cogeremur admittere ut genuina. Igitur præfata epistola Latina tamdiu habenda est origine Latina, donec probetur eam olim exstitisse Græcam. Porro licet probaretur eam olim exstitisse Græcam, nihilominus habenda tamquam S. Firmiliano supposititia, ut dicetur a numero 13.

5. Probatur 2° Non solum Græcam originem non redolet, sed talia refert vocabula, quæ suadeant, primævam originem fuisse Latinam. E. g. pseudo-Firmilianus ait : « Apud nos necessario fit ut seniores et præpositi per singulos annos in unum conveniamus; in ecclesia præsident majores natu. » Græcus auctor Catholicus sæculo III, potius et significantius dixisset : « Ut presbyteri, et episcopi in unum conveniamus » etc.; quas voces origine Græca Latinus interpres immerito immutasset. Quod vero episcopi apud Græcos sæculo III, antonomastice appellati fuerint « præpositi » nullum in libris Græcis occurrit exemplum. Equidem cl. Josephus Bingham (1) ecclesiæ Anglicanæ scriptor celeberrimus asserit episcopos in Ecclesia primitiva honoratos fuisse titulo Præpositorum (2). Ast 1° ex tribus primis sæculis nullum adducit auctorem, nisi unum Cyprianum, qui fuit Latinus in Africa. 2° Epistolæ quas Binghamius adducit mihi videntur S. Cypriano fuisse suppositæ. Titulus Seniorum occurrit apud Latinos in Africa scriptores sæculo III, apud Tertullianum (3), sæculo IV, apud S. Optatum (4), seculo V, apud S. Augusti-

(1) In Præfat. ad suam novam bibliothecam. Ideo citavi Dupinium, quia is famosus criticus Epistolam de qua agimus refert ut genuinam in V. *Cyprianus;* addens : nullum poterat Cyprianus sperare responsum sibi gloriosius eo quod a Firmiliano accepit; Firmilianus enim aperte damnat, *verbisque satis duris Stephani papæ actum, Cyprianum laudat.*

(1) Bingh. vol. I, l. II, *de Antiquitat. Ecclesiast.* c. 2, § 1, et 5.

(2) Idem Bingham innuit l. c. episcopos a Latinis vocatos fuisse *Præsides;* nam Tertullianus Apolog. c. 39, ait : *Præsident probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti* etc. Ast simili modo probare possem episcopos Antiochenos olim vocatos fuisse *gubernatores;* nam Eusebius l. III, c. 22, ait : *Inter eos qui Antiochiæ ecclesiam gubernarunt, primus Evodius, alter Ignatius.*

(3) Vide notam (3) præcedentem.

(4) Optat. l. I, refert Mensurium episcopum Carthaginensem, ubi ecclesiam suam tempore persecutionis Diocletianæ relinquere coactus fuerit, et ecclesiæ ornamenta et vasa *fidelibus senioribus* commendasse. Ad calcem operum S. Optati habentur epistolæ in quibus legitur : *Omnes vos episcopi, presbyteri, diaconi, et seniores scitis. Adhibete conclericos, et seniores plebis ecclesiasticos viros. Clericis et Senioribus Cirthensium . . . salutem.* Ibi ergo presbyteri distinguuntur a senioribus. Equidem in Epistola 13, S. Hieronymi ad Rusticum Narbon. dicitur: *Sextus seniorum, ordo est qui Sacerdotibus datur, qui presbyteri dicuntur, qui præsunt Ecclesiæ Dei* Verum illam epistolam S. Hieronymo fuisse false adscriptam, jam olim sæculo XVI, advertit Marianus Victorinus Reatinus.

Digitized by Google

num (5). Ast quænam classis personarum Ecclesiasticarum per Seniores denotata fuerit, obscurum valde est; obscurissimum quinam fuissent illi Præpositi et Seniores apud Græcos, qui in Cappadocia singulis annis necessario convenire debuissent sæculo III, ut de rebus ecclesiasticis deliberarent.

6. Dixi n° 4, eam a quodam tenebrione Latino compositam. Ulterius censeo eam fuisse compositam a Latino anabaptista Africano; meæ rationes sparsim patebunt signanter a n° 75. Porro auctores qui fatam epistolam, ut prolem Græcam, venerantur, si interrogati fuerint, quis eam ex Græco transtulerit in linguam Latinam? vel quo sæculo translata fuerit? vel in quibus ecclesiis fuerit olim recepta? aut a quibus scriptoribus antiquis, coævis, vel proxime coævis fuerit primum relata, vel agnita? quid solidi respondeant, non invenient.

7. Caveus ait (1); Firmiliani Epistola a Cypriano cujus stylum plane sapit, Latine, ut videtur, versa est. Idem ex Catholicis jam olim opinatus fuerat Pamelius (2).

8. Ast 1° si Epistola Firmiliani sæculo III, jam innotuisset latina, quomodo fieri potuit ut numquam ab auctoribus sæculi III, IV, et V, fuerit citata? Verum de hoc plura in progressu. 2° Si Epistola stylum sapiat Cypriani; ergo prodit primam sui originem fuisse latinam, nam Cyprianus fuit latinus. 3. Admittamus eumdem auctorem qui epistolas vulgo Cyprianicas fabricatus est, composuisse quoque Epistolam Firmilianicam; quia in utrisque stylus est omnino idem, nisi quod in Firmilianica seu ultima cunctas quas vel scurra invenire potuit, contumelias plenis buccis evomuerit contra S. Stephanum papam. At vero epistolarum, vulgo Cyprianicarum auctor non est S. Firmilianus; ergo nec is est auctor epistolæ vulgo Firmilianicæ (3). 4. Latinitas et stylus adeo (quod patebit relegenti) subsidet, ut sit S. Cypriano, seu auctore, seu interprete prorsus indignus.

9. Lactantius, qui sub finem sæculi III jam floruit, de S. Cypriano refert (4) : « Admodum multa conscripsit in genere suo miranda.... erat ingenio facili, copioso, suavi; et (quæ sermonis est maxima virtus) aperto, ut discernere nequeas utrum ornatior in loquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo quisquam fuerit. » Similiter sæculo IV, S. Hieronymus (5) S. Cyprianum celebravit ut eloquentissimum; et alibi (6) ait: « Beatus Cyprianus instar fontis purissimi dulcis incedit et placidus. »

(5) S. Augustin. Ep. 137: *Clero, Senioribus, et universæ plebi Ecclesiæ Hipponensis salutem.* Videsis Bingham l. I, c. 19, § 19, ubi sæculo V, præcipui inter Donatistas vocantur præpositi.

(1) Cave *in Historia litteraria*, V. *Firmilianus*.

(2) Pamel. *in Vita S. Cypriani*.

(3) Dici tamen posset, quod sequaces eorum qui nonnullas epistolas Cyprianicas vel supposuerunt, vel corruperunt, postea (ob dicenda num. 78.) ex Cyprianicis composuerint Firmilianicam; nam in hac eædem phrases, vel barbarismi recurrunt qui in quibusdam Cyprianicis.

(4) Lactant. in Præfat. l. V. *de Institut. Relig. Christ.*

(5) Hieronym. in Catal. *de Vir. Illustr.*

(6) Id. in Ep. *ad Paulinum.*

10. Nullatenus satisfacit distinctio Pamelii (1) asserentis Cyprianum ante conversionem suam fuisse eloquentissimum; post conversionem vero præ humilitate in plurimis suis operibus elegisse stylum humilem et submissum; hæc, inquam, nullatenus satisfacit. Nam 1° talem humilitatem veteres ut Lactantius et Hieronymus, non adnotarunt in Cypriano qui tamen utique de mirandis, quæ S. Cyprianus jam fide imbutus conscripsit, operibus judicarunt. 2° Istiusmodi humilitas in doctore ecclesiastico fuisset valde singularis, et nescio an laudanda fuisset; reliqui SS. patres Ambrosius, Hieronymus, Basilius magnus etc. eam imitati non fuere. 3° Sane et ipse S. Cyprianus rhetor facundissimus post conversionem multa conscripsit, non solum sensu gravissima, sed et verbis ornatissima; exemplo sint epistola S. Cypriani ad Donatum, suum olim in Baptismate suspiciendo socium: Epistola S. Cypriani ad martyres (2). An forsan, dum has scripsit, suæ humilitatis exercendæ fuerat oblitus?

11. Bollandistæ (3) Epistolam Firmiliani supponunt authenticam; sed tamen eam a S. Cypriano e græco latinam factam esse negant, quia non est verosimile 1° quod S. Cyprianus operam suam impendere voluerit ut irati Firmiliani in S. Stephanum papam convicia latine reddita spargerentur latius; 2° quod interpres fuerit epistolæ in qua tamquam ex hujus mente ac sententia negatur Apostolorum temporibus hæreticos extitisse (vide dicenda num. 37), cum ipse in epistola ad Pompeium contrarium asseruisset, tantumque dixisset postea etiam acriores quam quos Apostoli damnarunt, prorupisse. Quis autem fatam Epistolam latinitate donaverit, divinare ausi non sunt.

12. Omnibus rite perpensis restaret dicendum, Epistolam Firmilianicam non a S. Cypriano, sed quodam ignoto homine sub veste latina productam fuisse. Sed quo tempore? Quis primus eam protulit? Quam Græci nesciunt, Latini antiqui, ut S. Optatus Milevitanus, Hieronymus, Augustinus etc. ignorarunt? Immo in editionibus typographicis antiquioribus non comparuit inter opera Cyprianica (4). Morellus est primus, qui eam Parisiis publicavit anno 1564. (5) ea nec stylum, nec græcam dictionem redolet (6). Expedivisset, ait Pamelius, ut numquam

(1) Pamel. *in Vita S. Cypriani.*

(2) Hujus fragmentum videsis in breviario Rom., de Comm. Martyr. temp. Pasch., 2 loco in 2 noctur. Item de Comm. Virgin., 2 loco.

(3) Acta Sanctor. Sept., tom. IV, ad diem 14 Sept. in S. Cypriano, num. 222.

(4) Apud Manutium non habetur, neque in editione Basileensi de anno 1558., quam Fermus Rotterodamus anno 1519 ex tribus editionibus, Romana, Badiana, et quadam alia (cujus nomen excidit) ac vetustissimis codicibus Jemblacensi etc., adornavit.

(5) Dupin *Biblioth. nom.* tom. I, verb. Cyprian. ubi recenset editiones 17 typographicas Morelliana vetustiores in quibus Epistola Firmiliani nondum apparuerit.

(6) Opportune succurrit cl. Dumesnile e celeberrima societate Jesu hoc sæculo XVIII in universitate Argentoratensi Catholica cancellarius I. VII de Doc-

edita fuisset. Ergo non nihil miror, quod Epistola Firmiliani ad S. Cyprianum responsoria quæ originaliter fuisset græca modo compareat inter Cyprianicas duntaxat latina; at vero S. Cypriani ad S. Firmilianum consultoria quæ originaliter fuisset latina, nullibi compareat. Forsan et hæc proxime componenda erit. Quidquid sit.

PROPOSITIO II.

*Non est verosimile, quod S. Firmilianus famosam pro rebaptizantibus Epistolam contra S. Stephanm papam conscripserit.*

13. Probatur 1° Quia asserenti eam a S. Firmiliano scriptam fuisse incumbit probatio (1); hæc fieri debet per testes coævos, vel proxime coævos; hi penitus deficiunt; nam neque Eusebius Cæsariensis, neque S. Hieronymus, qui ex professo tractarunt de scriptoribus ecclesiasticis, neque S. Optatus, neque S. Epiphanius de illa epistola quæ maxime famosa fuisset, ullam mentionem fecerunt. Sed neque hæretici qui sæculo IV et V rebaptizabant, ut Luciferiani a S. Hieronymo exagitati, Donatistæ a S. Augustino ob anabaptismum expugnati, umquam ad fatam Firmiliani Epistolam quæ ipsis maximo fuisset præsidio, provocasse leguntur. Hoc meum argumentum negativum ex silentio omnium veternm ca et acatholicorum depromptum mihi videtur maximi esse ponderis; confiteor tamen, quod non plene probaret meum intentum, si vel unum solidum argumentum positivum ex antiquitate desumendum opponi posset; sed usque modo non potuit inveniri; nam

14. Eruditissimus Joan. Laurentius Berti (2) cum totis viribus authentiam fatæ epistolæ contra Raymondum Missorium (3) defendere conatus est, adduxit sequens quoad substantiam argumentum ceu validissimum: « Illa Epistola sub nomine Firmiliani reperitur in variis bibliothecis, signanter in codice manuscripto bibliothecæ Angelicæ, quem tempore Nicolai V papæ (adeoque sæculo XV) ex vetustiore exaravit Hieronymus Pistoriensis; igitur habenda est ut genuinus S. Firmiliani fœtus. »

Verum respondeo 1°. Si hoc argumentum valeret, innumeri libri apocryphi essent admittendi, ut genuini, v. g. epistola S. Clementis papæ I ad S. Jacobum fratrem Domini, quam sæculo IV Ruffinus transtulit ex græco in latinum, nec tamen hæc a sanis criticis agnoscitur ceu authentica; ut omittam quasdam decretales Lini, Cleti, Evaristi etc. ac plurima alia opuscula in quibuslibet bibliothecis facile reperiunda.

Respondeo 2. Ergo ille antiquissimus testis publicus, qui pro authentia fatæ Epistolæ, quod hæc, NB. sæculo III græce scripta fuerit in Cappadocia, adduci poterit, est unus Hieronymus Pistoriensis, NB. latinus ex sæculo XV? Ita sane secundum Bertium præcipuum dictæ epistolæ propugnatorem. Ego nullatenus hic ultra curandum censeo, quis et quantæ auctoritatis fuerit ille Pistoriensis Hieronymus, cum si vel ipse sanctissimus papa Nicolaus V summa æstimatione venerandus, epistolam ceu S. Firmiliano propriam sæculo XV adduxisset; in hac tamen quæstione facti historici non esset tantæ auctoritatis ut is vel contra unicum argumentum negativum jam allatum sufficeret.

Respondeo 3. Ex testimonio Hieronymi Pistoriensis nihil ultra sequitur quam quod sæculo XV, in una bibliotheca Angelica jam extiterit epistola Firmiliani latine conscripta; id non obstat dictis num. 4. Ex numero 12. elucet, eam in multis aliis bibliothecis inter opera Cyprianica olim non fuisse repositam.

15. Probatur 2° Eusebius (1) et S. Hieronymus (2) referunt epistolas minus notabiles v. g. Polycratis, qui in minori negotio (pro retinenda suæ ecclesiæ consuetudine celebrandi Paschatis diem luna 14 sæculo II habente se S. Victori papæ opposuisse dicitur; si quoque S. Firmilianus papæ S. Stephano I sese tantum cum strepitu, quantum Epistola resonat, opposuisset in causa baptismatis repetendi; si is episcopo Romano celeberrimas, ut Epistola loquitur, synodos jam pridem celebratas obmovisset: si Græcus ille data ad S. Cyprianum Latinum Epistola totam Africam contra Ecclesiam Romanam sæculo III concitasset, vel in dissensione confirmasset; hæc Firmiliani Epistola fuisset magis memorabilis, quam illa Polycratis (3); igitur, si vere extitissius ostendam in dissertatione singulari de Eusebio ab hæreticis interpolato.

trina et Disciplina Ecclesiæ, § 46, ita scribens: *Si tamen Epistola, quæ sub Firmiliani nomine habetur, est genuina; hanc ignoravit Augustinus; primus edidit Morellus calvinista, nec stylum, nec græcam dictionem redolet; acerbior et plena contumeliis aliena videtur a mansuetudine Christiana; ac proinde minus conveniens Firmiliano sancto episcopo.*

(1) Contra hanc critices, et utriusque juris regulam frequentissime delinquitur. E. g. Nuper anno 1788, Antonius Vogt. in suo commentario scripturistico Moguntiæ edito iterum pertractavit illam celeberrimam quæstionem: *An Cephas a Paulo Antiochiæ redargutus, sit Petrus?* Vel: *An Petrus circa fidem peccaverit?* Vogtius asserit affirmando S. Petrum esse qui peccaverit, quin satis probet. Ad illam objectionem *aliqui negant Petrum vel umquam fuisse Antiochiæ*, respondet: *Hi negant, sed non probant.* Qualis criticus! An ergo *neganti factum* incumbit probatio?

(2) Berti lib. 31 *de Theologicis Disciplinis* c. 13, n. 5, ad quem locum suos lectores remittit in suo *breviario Historiæ Ecclesiasticæ*, edito anno 1761, pertractans historiam sæculi III.

(3) Porro Missorius ex ordine Conventualium nitissimus scriptor anno 1733 Firmiliano fatam epistolam abjudicavit, ac ultra progressus insuper asseruit totam rebaptizantium historiam ab Eusebio fuisse confictam, et ab Eusebio fuisse deceptos S. Basilium M., et cæteros Catholicos qui postea faverint rebaptizantibus. Absit ut huic ultimo asserto consentiam; censeo interpolatam, seu Eusebio suppositam, quod fu-

(1) Euseb. H. E. l. v. cap. 23, 27, ubi et fragmentum Epistolæ quam episcopi Palæstinæ hac super re conscripserunt.

(2) Hieronym. in *Catal. de Viris Illustribus.*

(3) Est argumentum *ad hominem*; adversarii enim, Bertius, etc. sine ulla hæsitatione admittunt, illam Polycratis epistolam esse authenticam; ut eo facilius propugnare valeant authentiam epistolæ Firmilianicæ. Vide dicenda num. 71. Meam singularem opinionem

Digitized by Google

set, non fuisset omittenda a S. Hieronymo, et multo minus ab Eusebio, utpote qui in sua Historia de præcipuis S. Firmiliani gestis sollicitam sæpius renovat memoriam. At vero prædictæ Epistolæ nec fragmentum, nec indicium minimum occurrit apud Eusebium.

16. Probatur 3°. In epistola pseudo-Firmiliani continentur, quædam historica maxime notabilia. E. g. 1. Quod in Cappadocia tempore Firmiliani dæmon baptizaverit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Eucharistiam confecerit, etc. ut a num. 56 videbimus. 2. Quod, quia circa annum 235, integræ urbes fuerint a terra absorptæ, ideo gravis persecutio contra nostram christianam religionem, tamquam istius mali originem fuerit excitata (1). Si hæc a Firmiliano vere conscripta fuissent, moraliter impossibile mihi videtur quod ea ab Eusebio Cæsariensi in sua historia prætermitti potuissent; at vero prætermissa sunt ab Eusebio, Hieronymo, Epiphanio, etc.: Igitur, etc.

Cæterum, quod S. Firmilianus rebaptizantibus, ut habet communis omnium persuasio aliquando adhæserit, interim prætermitto; donec in alia dissertatione speciali demonstraturus sim historiam Eusebii, quoad hoc punctum, fuisse interpolatam ab Anabaptistis. Si vero S. Firmilianus in errore rebaptizantium numquam, ut mihi persuasum habeo, versatus fuerit; quantum a vero distabit hunc sanctum virum fatam epistolam scripsisse! Sed hoc interim seposito.

17. Probatur 4°. Ut epistola S. Firmiliani sit authentica, simul admitti debet quod Cyprianus circa annum 256 ex Africa nuntium miserit in Cappadociam, consilii a S. Firmiliano capiendi causa. Is casus, quod episcopus Latinus ex Africa consuluerit in rebus fidei Græcum in Cappadocia, est omnino extraordinarius, a nullo historico relatus, signanter non ab Eusebio Græco qui præcipuus fuit in celebrando S. Firmiliano. Nihil dubitandum quin eo tempore præter S. Stephanum papam inter Latinos fuerint insignes episcopi per Hispaniam, Galliam, Italiam, Sardiniam. Si S. Cyprianus Afer Græcos in rebus fidei consulere voluerit; cur non misit ad Græcos Europæos sibi decuplo viciniores, præsertim cum in mora periculum erat excommunicationis incurrendæ? Si vero consilium ex Asia erat reportandum, cur nuntium ablegavit ultra Asiam minorem, ex Africa in Cappadociam? Verum de hac re iterum num. 23, 34. Si Cyprianus a sententia S. Stephani papæ appellare voluerit ad episcopos Asiaticos; paradoxum tamen erat, quod illo tempore ad tribunal S. Firmiliani confugerit; licet enim Firmilianus tandem evaserit post S. Dionysium celeberrimus (Præfat., num. 2) tempore tamen Stephani papæ nondum ita excellebat, ut inter Asiatos vel ætate, vel dignitate Ecclesiæ primus haberi potuerit; siquidem Dionysius patriarcha Alexandrinus circa annum 255 Stephano papæ perscripsit nomina celebriorum pro tunc in Asia episcoporum; inter hos pro tunc adhuc ultimo loco recenset Firmilianum cui præmittit Demetrianum Antiochiæ (1) Theoctistum (2) Cæsareæ (in Palæstina) Mezubantem Hierosolymæ, Marinum Tyri, Heliodorum Laodiceæ, Helenum Tharsi episcopos. Hi omnes episcopi, S. Dionysius Alexandrinus, etc. dignitate majores erant Firmiliano; erant Cypriano viciniores; nam Cappadocia multum distabat ultra Tharsum, immo ultra provincias Ciliciæ, in qua Tharsus est Metropolis. Quis jam est ille testis, qui referat, quod Cyprianus Latinus in re tam ardua, omisso episcoporum Latinorum consilio ad aliquem Græcum in Cappadocia positum *appellare* voluerit? Solus pseudo-Firmilianus asserit, se esse illum Græcum, ad quem Latini appellaverint.—Credat Judæus Apella.— Quod Ecclesiæ Græcæ consuluerint Latinos, plurima habemus exempla a Græcis antiquioribus relata; quod episcopus Latinus in rebus fidei olim consuluerit Græcos, nullus, si de S. Cypriano interim præscindamus, mihi modo occurrit casus.

Sæculo I, Corinthii Græci, vivente adhuc inter Græcos Joanne Evangelista, suas causas detulere ad S. Clementem episcopum Romanum. Sæculo II, causa Polycratis seu potius quartodecimanorum ex Asia Romam delata. Sæculo III, Dionysius *patriarcha* Alexandrinus in quæstione Baptismatis *consuluit* Xystum papam Stephani successorem. Polycarpus, Origenes, Hegesyppus, in causa religionis Romam profecti fuere, ut refert Eusebius Græcus.

18. Probatur 5°. Examinando ipsam epistolam, quæ ex notis intrinsecis, vel suspecta, vel etiam aperte supposititia deprehendetur. Continet enim quamplurima respective vel hæretica, vel hæresi proxima, historice falsa, cum geographia et chronologia incompatibilia, aliaque Firmiliano indigna.

19. Ita incipit pseudo-Firmilianus: « Firmilianus Cypriano salutem. Accepimus per Rogatianum diaconum a vobis missum, litteras, quas ad nos fecisti (3), frater charissime... Postea pergit: Nos vero ea, quæ a vobis scripta sunt, quasi nostra propria suscipimus, nec in transcursu legimus; sed sæpe repetita memoriæ mandavimus. »

20. Hinc ex decursu magis patebit, quod pseudo-Firmilianus Cyprianum aliquando in singulari, aliquando in plurali alloquatur: « a vobis missum; tu ad nos misisti; » ast de se ipso constanter in plurali

eruditis communicabo in speciali dissertatione *de Polycrate*.

(1) De hoc terræ motu fusius agendum erit n. 54. Non constat quod ob terræ motum contra Christianos ab imperatoribus decreta fuerit persecutio; sed tamen Pagani populares continuo contra Christianos frendebant, ac omnis calamitatis publicæ causam in Christianos refundebant. *Si urbes terræ motu concutiantur; si*, etc. *conclamant: Christianos ad Leones*, ait Tertullianus in Apologia quam tempore persecutionis in Africa conscripsit circa annum 202. V. Fleur.

(1) Is primo loco positus videtur ob dignitatem suæ Ecclesiæ.

(2) Theoctistus dignitate episcopali jam functus fuerat, antequam vel Origenes fuerat presbyter. V. Euseb. H. E., l. VI, c. 20; l. VII, c. 5.

(3) Hæc phrasis *litteras ad alium facere*, et similes in epistolis vulgo Cyprianicis frequentes occurrunt.

Digitized by Google

pronuntiat : « Nos » Firmilianus « accepimus, » qui stylus sæculo III apud Græcos fuit insolitus. Sane Dionysius Alexandrinus de se ipso locutus est in singulari (1).

Objiciunt I. Firmilianus acceptis a Rogatiano diacono litteris illico synodum congregaverat, et nomine totius synodi respondit in plurali : « Nos accepimus. »

Respondeo 1. Etiam Cyprianus nomine concilii Africani consuluisse Firmilianum asseritur ; cur ergo Firmilianus in proœmio respondet uni Cypriano : « Quas fecisti, charissime frater ? »

Respondeo 2. pseudo-Firmilianus se excusat quod suam responsoriam nimis acceleranter absolvere (2) coactus fuerit ; quia Rogatianus diaconus expectare nolens, illico in Africam regredi festinabat, ut dicetur num. 34. Si ergo pseudo Firmilianus tantam moram non habuerit, ut Cypriano debite respondere vel potuisset, sane et synodum celebrare non potuit ; vel mentitus est auctor epistolæ Firmilianicæ incusando Rogatianum diaconum, quod is dyscolus nuntius ex longo itinere lassus tantillum temporis Cæsareæ in Cappadocia consistere noluerit, ut S. Firmiliano episcopo sufficiens mora fuisset in re tam ardua debitam conficiendi epistolam responsoriam.

Respondeo 3. Auctor epistolæ vulgo Firmilianicæ satis manifeste indicat, synodum ob Cypriani litteras consultorias non fuisse a Firmiliano convocatam, cum pseudo-Firmilianus in sua ad Cyprianum responsoria rescripserit :

1° Quæstionem jampridem in conciliis (3) Asiæ fuisse definitam.

2° Quæstionem adeo copiose examinatam et comprobatam fuisse in epistola per Cyprianum missa, ut pseudo-Firmilianus nullas novas probationes voluerit superaddere, immo ex tunc epistolam Cypriani memoriter addiscere cœperit. Conferantur, n. 19 et 30. Ergo pseudo-Firmilianus novam synodum celebrasse non videtur. Asserenti factum incumbit probatio.

21. Objiciunt II. Auctor epistolæ Firmilianicæ in conclusione addit : « Bene te valere cum universis, qui in Africa sunt, episcopis .. universi optamus. » Ergo synodum celebravit.

Respondeo 1. Sed qui sunt hi « universi, » quos tam cito congregaverit ? Ne vel unius suorum coepiscoporum nomen Cypriano perscripsit, neque locum congregationis ; estne hic stylus scribendi epistolas synodicas ? — Sed forte dicat aliquis : hyems imminebat, Firmiliano tempus non sufficiebat epistolam tanto negotio competentem absolvendi ; nuntius Africanus regredi festinabat.

Respondeo : Ergo nec tempus habuit congregandi synodum ; et cur non distulit Latinam Cypriani epistolam memoriter addiscere, donec ipse suam responsoriam absolvisset. Cæterum ille architectus personam velociter scribentis assumpsisse videtur ideo ut, si nævorum commissorum convinceretur, facilius excusandus esset. V. g. Oblitus fuit addere locum concilii, timuit nominare episcopos qui assertæ synodo interfuissent. — Ab eo qui raptim scribit exigi nequit ut tales circumstantias referre debeat. Sed tamen ego uni asserenti, « rebaptizationem fuisse olim in concilio definitam, » non credam nisi immo edicat : « ubi, quando, a quibus » fuerit celebratum.

22. Supponitur ergo, quod S. Cyprianus cum universis Africæ episcopis litteras composuerit plenissime probantes : « Baptismum ab hæreticis collatum non valere ; » quod has litteras Firmilianus cum suis universis tanti fecerit, ut eas (licet idem pseudo-dogma in sua, et vicinis provinciis jam pridem definitum fuerat) attente et sæpius relegerit, et memoriæ mandaverit, memoriter addiscere voluerit. Videtur ergo pseudo-Firmilianus epistolam Cypriani Latinam pluris fecisse, quam cuncta hac super re a Græcis celebrata Asiæ concilia ; id enim innuit singularis illa expressio : « sæpe repetita memoriæ mandavimus. »

Nescio an magis dolendum vel mirandum quod pretiosa illa, ut asseritur, epistola in concilio Latinorum Africano composita, in concilio Græcorum lecta, sæpius relecta, quam Firmilianus statim, ante quam vel responsorias scripserit, suæ mandavit memoriæ, non pervenerit ad posteros ? Non ad Hieronymum, vel Eusebium ? Immo ipsa una cum actis præfatorum conciliorum interierit ? sed non irascaris, lector, si dicam illa concilia esse fictitia.

(1) V. Euseb., l. VII, c. 5 et 9, ubi patriarcha Alexandrinus in epistola quinta de Baptismo ita scribit ad Xystum papam : *Consilio opus habeo, et tuam sententiam abs te peto, cum... verear, ne fallar.*

(2) Raptim, immo raptissime scriptam fuisse ait Dupinius. Cui risum non moveat illud raptissime ?

(3) Hæc Asiæ consilia, quæ jampridem (secundum Sbaraleam Diss. I, c. 2, n. 13 ; anno 220, vel 215, vel antea) anabaptismum decrevissent, Cypriano usque dum ignota fuisse videntur ; nam auctor Firmilianicæ est primus, qui eodem Cypriano annuntiant. Ut clam omnibus latinis celebrata fuissent, necesse est ; quia nullus pontificum se opposuisse legitur. At vero captu difficile est quod nihil de illis episcopo Romano super universum gregem jugiter vigilanti innotuisset ; cum tamen Asia pro tunc Romæ adhuc subjecta erat in civilibus æque ac ecclesiasticis. Immo illa Asiæ consilia latuerunt et Originem coævum, et Firmiliani familiarissimum, et Eusebium, aliosque Græcos. Epistolam Dionysii, prout hoc modo legitur apud Eusebium, l. VII, c. 5, interpolatam esse, alia vice ostendam. Origenes isto tempore florebat presbyter, obiit sub Stephano papa ; dum vivebat, consulebatur in quibuslibet controversiis a dissitis æque ac a vicinis episcopis, maxime a Firmiliano. In voluminibus quæ Origenes reliquit plurima, nullum occurrit indicium de illis Asiæ conciliis, aut præfata Anabaptistarum controversia. Eusebius omnes Origenis libros legerat ; illa Asiæ concilia ignoravit, quæ l. VI referre debuisset. Ibidem mentionem facit, quod circa annum 238 Beryllus episcopus Bostrensis in Arabia hæreticus, ab Origene in concilio plurimorum episcoporum fuerit reductus ad fidem catholicam ; ast, quod et ii qui a Beryllo fuerant baptizati debuerint rebaptizari, nemini pro tunc in mentem venisse patet ex Eusebio, l. VII, ubi asserit quod rebaptizatio primum cœperit sub Stephano. Acta illius synodi contra Berythum coactæ, et quæstiones Origenis contra illum motæ adhuc exstabant tempore Eusebii qui videatur, l. VI, c. 33, et c. 20. Apud Eusebium episcopi ecclesiarum Iconiensis et Synadensis recensentur, a disciplina laudantur, sancti vocantur et beati fratres, ast de concilis ibidem celebratis altum silentium est. Ex his conjicio, illa concilia esse fictitia.

Digitized by Google

tur contra antiquos scriptores ecclesiasticos, quorum officium fuisset, saltem aliquod argumentum ex præfatis scriptis asserware. Verum Eusebium, Hieronymum, etc. habemus hac in re innocuos, cum et ipsis Anabaptistis sæculo IV et illa suorum conciliorum acta, immo et nomina fuerint ignota. Omnia remanserunt impressa memoriæ unius pseudo-Firmiliani. Qui pergit :

23. « Gratias propter hoc Domino maximas egimus quod contigerit, ut qui corpore separamur, spiritu adunemur... ut quasi... in eadem domo simul inhabitantes, quod et decet dicere, quia spiritualis domus Dei una est; erit enim in novissimis, ait diebus... domus Dei super vertices montium... Et in Psalmo postulatur a Domino inhabitare in domo Dei per omnes dies vitæ. Et in alio loco : Ecce inquit, quam bonum et voluptibile est, ut habitent fratres in unum... Sed et Angelis voluptatem maximam præstat : quibus sermo divinus esse gaudium in uno peccatore pœnitentiam agente et ad unitatis vinculum revertente.. »

I. Verum est, SS. Firmilianus et Cyprianus corpore maxime separabantur; siquidem S. Cyprianus Carthagine in Africa, ubi nunc Tunetum, episcopus erat, et S. Firmilianus in Asia majori habitabat episcopus Cæsareæ in Cappadocia, quæ regio adjacet Armeniæ, vel etiam hujus pars reputatur ab aliis (1).

Sed an scriptori Catholico videri potuisset quid singulare vel extraordinarium, quod contigerit ut duo in eodem Romano imperio episcopi, qui corpore separantur, spiritu adunentur? In quo consistit illa deprædicata coadunatio, ob quam, ut n. 26, videbimus, cum magna lætitia exultaverit? An in eo quod Novatum hæreticum nuperrime exortum, communi consensu ab Ecclesia ejecissent? Id S. Firmillanus qui in hæresi Novati ab Ecclesiis Orientalibus ejiciendastrenuus laboraverat (2), tacere non debuisset, non potuissset; ast ob eliminatam hæresim Novati nullas Deo gratias scripsit; quam ergo ob causam egit maximas? Quod coadunati fuerint contra Papam defendentem traditiones antiquas, quod consenserint in tolerandis circa Baptismum dissensionibus. Contra Patrem debacchantur, de hæresiarcha Novato silent.

II. Textus S. Scripturæ minus congrue adhibiti videntur; nec sapit illud voluptibile gaudium, quod Angelis sit in uno peccatore pœnitentiam agente. Præmissis illis per S. Scripturam evagationibus conqueritur contra Stephanum papam.

24. « Quod per hujus inhumanitatem nunc effectum sit, ut nec confabulatio jam possit esse, nec sermo communis. »

I. Ergo sententia Stephani papæ maximam in animis Episcoporum, etiam Orientalium, fecerit impressionem, necesse est, cum inde effectum fuerit, ut nullus cum Firmiliano confabulari amplius voluerit, nec ipse sermonem habere potuerit communem. Quomodo hæc cohærent cum asserta synodo per Firmilianum in favorem S Cypriani celebrata? N. 21. Cæterum lubens admitto quod si Firmilianus a papa vere fuisset excommunicatus, is ad confabulationem cum catholicis admissus non fuisset.

II. Ast falsum est quod commercium Orientis cum Stephano papa fuerit interruptum, vel Orientalium inter se mutuum, ut abunde patet ex litteris Dionysii Alexandrini ad Stephanum, hujusque successores (1). Fabulator pergit, ac

25. « Stephanum papam Judæ proditori (indirecte Cyprianum Christo) comparare præsumit subjungens : Sed hæc interim quæ a Stephano gesta sunt prætereantur ne, dum audaciæ et insolentiæ ejus meminimus, de rebus ab eo improbe gestis longiorem mœstitiam nobis inferamus. »

Quæ sunt hæc improbe gesta, ob quæ S. papa Judæ proditori (2) potuerit assimilari? Quos testes producit pseudo-Firmilianus? Nullos, contentus nuda assertione propria. Sub figura præteritonis simulat impostor se ea quæ S. papa Stephanus impie gesserit *non* commemoraturum, ne longior inferatur *mœstitia* ; ast hanc præteritionis figuram sæpius audiemus recurrentem, et nihilominus tandem subsequetur accurata commemoratio eorum quæ S. Stephanus impie gesserit, quæ longiorem mœstitiam illatura sint.

26. Pseudo-Firmilianus, postquam S. Stephani improbitatem hac prima vice prætereundam esse dixerat, ne mœstitiam inferat, exsultans revertitur, unde cœperat, dicens :

« Cum magna lætitia exultavimus, et Deo gratias egimus, qui invenimus in fratribus tam longe positis tantam nobiscum fidei et veritatis unanimitatem.., ut vos qui longissimis regionibus a nobis separati estis, sensu et spiritu copulatos vos esse nobiscum probaretis. »

I. Deprædicata illa fidei, et unita veritatis, qua illi Anabaptistæ se sensu et spiritu copulatos probaverant, consistebant in eo quod contra definitionem papæ manifestam hæresin animose propugnassent, hinc exultantes Deo maximas egerunt gratias. Sed ad quid hæc repetitio, cum eadem jam supra dixerat. N. 23. Et sibi tempus, ut quæstionem principalem

(1) Videatur Calepinus, e veteribus Plinius secundus : Cæsaræa Cappadociæ olim dicebatur Mazaca. Via ordinaria Carthagine Cæsaream institui debuerat per mare Mediterraneum versus Ephesum; distantia inter Ephesum et Carthaginem erit circiter eadem, quæ Romam inter et Ephesum. Iter pedestre Epheso versus Mazacam, seu Cæsaream teste Strabone, l. XIV, sunt 3820, stadia; ergo 475 milliaria Romana, vel (si 5 milliaria Romana computentur ad unum milliare Germanicum) 95 milliaria Germanica, quorum 15 efficiunt 1 gradum.—Bingham v. 3, Antiqq. Eccles. Carthaginem collocavit in gradu 36, longitudinis et 35, latitudinis. Cæsaream in gradu 68, longit. et 40 latit. Distant ergo 5 gradibus latit. et 32 longit.

(2) Vid. Euseb., l. VI, cap. ult., lib. VII, cap. 5.

(1) Videatur Eusebius, l. VII, a cap. 7, ad 11; item Præfat., n. 2.

(2) Donatistæ sæculo V. etiam S. Augustinum Judæ proditori comparaverunt. V. S. Augustin., l. II, cont. lit. Petil. c. 8.

Digitized by Google

debite pertractare valuisset, deesse conquestus fuisset? N. 34 (1).

27. Tunc iterum immiscet exempla scripturistica quæ nullus expectasset. E. gr. Postquam inutiliter repetiisset distantiam locorum, ineptissime transgreditur ad distantiam temporum.

« Secundum quod et olim intervallo temporum separatos ab Job et Noe qui in primis fuerant, Ezechielem et Danielem posteriores ætate ad unitatis vinculum virtus divina conjunxit ut, quamvis temporibus longe discreti erant, eadem tamen divina inspiratione sentirent. » Addit huic loco minus convenientem textum, nempe ex Ps. XVIII. « In universam terram exivit sonus eorum... qui unitate spiritus velociter currentes, etc. »

Pamelius qui plurimum laboravit in illustrandis epistolis. SS. Cypriano et Firmiliano attributis, circa præfatam periocham tandem fassus est : « Qua in re idem senserint Noe et Daniel non potui invenire... Job autem, et Ezechiel de resurrectione carnis idem prophetarunt, ille cap. 19, hic vero 37. »

Sed jam dico et Stephanum cum Jobo et Ezechiele, immo et cum Firmiliano et Cypriano « in unitate Spiritus velociter cucurrisse. » Quis enim dubitavit S. Stephanum æque ac Frmilianum, etc., credidisse « carnis resurrectionem ? »

28. Prosequitur ex S. Scriptura probare quod econtrario nihil prosit propinquitas corporum, si desit conjunctio animorum.

Nam in Scriptura legitur : *Ecce qui elongant se abs te, peribunt.* Item : *Pater, da, ut quomodo ego et tu unum sumus, sic et hi in nobis unum sint.*

I. Primus textus loquitur de unione hominis cum Deo ; secundus nullibi in S. Scriptura reperitur sub illis formalibus. Joannis XVII, ita legitur : *Rogo pro eis... ut unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint* (2).

II. Dein ad quid quæso illæ incongruæ evagationes, quæ nullo modo statum quæstionis concernunt.? Ex Epistola usque huc lecta necdum divinare licebit, quod fuerit objectum controversiæ inter SS. Stephanum et Cyprianum agitatæ, et a concilils, ut asseritur, solemniter decisæ. Multum abest ut hanc mox attingat, ut potius iterum alio evagetur.

29. Incipit laudare epistolam S. Cypriani dicens : « Nos vero ea, etc. » ut supra n. 19,

Addit : Se aliqiud ex illa esse repetiturum, cum hæc repetitio non obsit utilitati salutari, et aliquid novi superadditurum ad accumulandam probationem; sed interim nec quæstionem proponit, nec illas novas probationes adducit; quin per novas ambages sequitur excusatio, cur ipse quæstionem quam dixerat sufficientissime a Cypriano modo probatam fuisse, novis probationibus communiturus sit, nempe ideo : « Quia in Ecclesia Christi sunt prophetæ multi, et si uni (utique pseudo-Firmiliano) aliquid fuerit revelatum, alter tacere debet. En ejus verba : »

30. « Neque obest utilitati salutari, aut eadem retexere ad confirmandam veritatem, aut quædam addere ad cumulandam probationem. Si quid autem a nobis additum fuerit, non sic additur quasi a vobis aliquid minus dictum sit, sed quoniam sermo divinus humanam naturam supergreditur, nec potest totum et perfectum anima concipere.—Idcirco et tantus est numerus Prophetarum, ut multiplex divina sapientia per multos distribuatur; unde et tacere præcipitur primo in prophetia loquenti, si secundo fuerit revelatum. Qua ex causa necessario fit, etc., ut n. seq. »

Omitto 1°. illam utilitatem salutarem cui repetitor se non obfuturum causatur, dum eadem rescribit S. Cypriano quæ ab hoc acceperat. Taceo 2°. de magno Prophetarum numero. Admitto 3°. quod pseudo-Firmilianus, licet a concilils Asiæ adjutus fuerit, ut n. 20 asseritur, nihil novi solidum in favorem anabaptismi superaddere potuerit (1); non possum tamen non admirari 4°. rationem, quam allegaverit, cur eadem recensuerit, nimirum : « Quoniam sermo divinus humanam naturam supergreditur, nec potest totum, et perfectum anima concipere. » Sed 5°. maxime suspecta mihi est illa laus propria, qua auctor se ipsum insinuat, tamquam divina sapientia repletum, tamquam Prophetam secundo loquentem, quem S. Cyprianus cum suis episcopis Africanis, et nos cum illis auscultare debeamus. — Auscultemus ergo hunc pseudo-prophetam qui ex præfato Pauli textu (2) ineptissime novam extorquet falsitatem, nempe necessarium esse ut singulis annis concilia congregentur ; nam immediater prosequitur ;

31. « Qua ex causa apud nos sit, ut per singulos annos seniores et præpositi in unum conveniamus ad disponendum ea quæ curæ nostræ commmissa sunt, ut, si quæ graviora sunt, communi consilio dirigantur, lapsis quoque etc. ut n. seq. »

I. Quid per præpositos quos senioribus postposuit, intellexerit noster pseudo-propheta, obscurum est, v. supra n. 5. Videtur fuisse ipse unus ex senioribus, vel præpositis, amator conciliorum annue congregandorum, quibus interesse gestlit, vel assidere cupiit (3), cum et hanc disciplinam ex sacra Scriptura, nempe ex I Cor. XIV, probare voluerit.

II. Lex de synodis annue celebrandis est mere huma-

(1) Impostor de ea quam fabricatus est epistola singulariter gavisus fuisse videtur.

(2) Ita quoque recitatur a S. Cypriano *de Oratione Dominica*, quod opus laudatur a S. Hilario in Matth.

(1) Præcipua argumenta vel ex ratione vel ex Scriptura desumpta, quæ pseudo-Firmilianus supperaddidisse gloriatur, omnia habentur in epistolis Cypriano adscriptis.

(2) I. Cor. XIV.

(3) Illa phrasis : *præpositi* occurrit et in Cyprianicis, octava sub titulo cleri Romani ad Cyprianum, in qua clerus Romanus ait : *Qui videmur præpositi esse, et vice Pastoris custodire gregem.* Item in Ep. 7, 11, 13, 15, 23, 27, et ad Magnum 76 : *Nemini prescribentes, quo minus statuat unusquisque præpositus.* Tertullianus Montanista de Corona Militis c. 3 : *Eucharistiam non de aliorum manu, quam præsidentium sumimus.* Non possum subscribere Sellvaggio asserenti, l. 1, c. 12, § 4, titulos præpositorum et præsidentium proprios fuisse episcopis in Ecclesia primitiva-

Digitized by Google

no-ecclesiastica, primam habens originem ex Concilio Nicæno I, quod anno 325 (adeoque diu post mortem S. Firmiliani) primum decrevit can. 5 : » Habeatur semel concilium ante dies quadragesimæ. » In historia Eusebii ineunte sæculo IV, conscripta necdum occurrit vel minimum indicium, quod singulis annis episcopis in unum convenirint, vel necessario convenire debuerint. Equidem Dupinius (1) confidenter asserit : « Solebant Africani sæculo III, duo quotannis cogere concilia, unum Vere, alterum Autumno. » Ast hanc suam assertionem probare omisit. Adduci forsan posset Auctor epistolarum Cyprianicarum, qui de nulla re frequentius loquitur quam de conciliis quasi quotidie celebratis ; verum non constat illas epistolas esse authenticas, immo alia vice ostensurus sum eas, quoad maximam partem, esse suppositicias.

III. Cæterum illa de conciliis frequenter celebrandis doctrina, sive originem, sive finem spectaverimus, hic omnino impertinens erat, nihil conducebat ad statum quæstionis ; ad quid ergo illæ evagationes hominis velociter scribentis, dum adhuc aliam causam, cur concilia singulis annis sint celebranda, Cypriano prescribit, simul novam opinionem admiscet, eamque hæreticam. Ait :

32. « Ut lapsis quoque fratribus et post lavacrum salutare a diabolo vulneratis, per pœnitentiam medela quæratur, non quasi a nobis remissionem peccatorum consequantur, sed ut per nos ad intelligentiam delictorum suorum convertantur, et Deo plenius satisfacere cogantur. »

Ex causis gravioribus ob quas pseudo-Firmilianus singulis annis Synodos necessario et ex Pauli præscripto ( n. 31. ) celebrandas esse censet, nonnisi unicam nominat, nempe ut lapsi, et pœnitentes publice discrucientur ; hæc vero ratio mihi videtur valde suspecta. Hinc conjicio auctorum fuisse vel Novatianum vel Donatistam, posteriorem tamen temporibus S. Augustini, immo et Socratis et Sozomeni Novatianorum (2), utpote qui nullam de fata Epistola Firmilianica mentionem faciunt.

Novati hæresis cœpit circa annum 250 ; contra hanc maxime ipugnavit S. Firmilianus, et tamen in ea quam examinamus epistola altissimum observatur silentium de Novato, vel hujus hæresi, immo hæc defenditur. Nam errores Novatianorum præcipue fuerant; Primus : Quod rebaptizaverint eos qui extra suam Ecclesiam fuerant tincti ; Secundus : quod docuerint Ecclesiam nullatenus posse graviora peccata remittere lapsis licet contritis et pœnitentibus ; hos ergo ad Sacramenta non admittebant, pœnitentiis tamen subjiciebant rigidioribus, et præterea Deo permittendos esse volebant.

Donatistæ sæculo IV, circa annum 314, exorti præfatos Novati errores amplexi sunt (1). Insuper addiderunt quod peccatores saltem graviores et publici (2), non possent valide Baptismum vel alia sacramenta conferre. Noster pseudo-Firmilianus vult annue synodos esse celebrandas, in quibus peccatores non quidem a senioribus absolvantur misericorditer, sed ii qui a Diabolo vulnerati sunt, severius castigentur, seu, ut ipse ait : « ad intelligentiam suorum delictorum convertantur ac Deo plenius satisfaciant. »

Hic rigor semper alienus fuit ab Ecclesia Romano-Catholica, proprius Novatianis et Donatistis.

33. Tandem aliquando pseudo-Firmilianus, postquam tam varia ad statum quæstionis nullatenus pertinentia, insuper falsa, vel hæresin sapientia præmisisset a n. 18, ad 32, nunc incipit se *accommodare* iis, de quibus se a S. Cypriano interrogatum fuisse simulat, nempe,

« An Baptismus ideo præcise sit invalidus, quia baptizans fuit hæreticus ? »

Negabat Papa traditioni apostolicæ innixus, negat universa Ecclesia Catholica. S. Cyprianus et Africani Episcopi de veritate dogmatis Catholici dubitasse dicuntur, qui igitur ex Cappadocia consilium quæsiere. pseudo-Firmilianus affirmat : sed cum timere debuerit sibi defutura esse argumenta sufficientia, quibus traditionem apostolicam expugnare potuisset, iterum, antequam quæstionem attingere audeat, sequentem præmittit excusationem, *nempe : sibi* deesse moram temporis, ut debite respondere potuerit ; ait enim :

34. « Quoniam legatus vero iste a vobis missus regredi festinabat, et tempus hybernum urgebat, quantum potuimus, ad scripta vestra rescripsimus et quidem... »

I. Siccine ille diaconus legatus in causa tam ardua universam concernente Ecclesiam qui maximis ecclesiæ suæ sumptibus plura centena, immo millia milliaria Carthagine usque in Cappadociam jam absolverat, e longinquo immo ex longissimis regionibus venerat, qui titulo hospitalitatis S. Firmiliano, a quo summa cum lætitia exceptus fuisse supponitur (n. 23, 26.) gratanter in Cappadocia per aliquod tempus sustentatus fuisset ; hic importunus nuntius noluit expectare per aliquot hebdomadas vel dies, ut pseudo-Firmilianus suam in causa tam ardua responsionem debita cum mora absolvere potuerit ? Verum apage nugas ! Pseudo-Firmilianus

(1) In bibliotheca nova, verbo *Cyprianus*.

(2) Scripserunt S. Augustinus anno 420, Socrates et Sozomenus 440, quo ultimo tempore Novatiani ex rigorismo in laxismum jam declinaverant, contendentes, cuicumque Ecclesiæ particulari suam quæ præplaceret disciplinam esse permittendum in jejuniis. in cælibatu, in celebratione festorum, signanter Paschatis, in sacramento confessionis apud sacerdotem deponendæ, vel non deponendæ. Revideantur Socrates l. v, cap. 19 et 22 ; Sozomen. l. VII, cap. 16., qui uterque Novatianus fuit.

(1) S. Augustinus de Verbis Domini in Evang. Matthæi serm. II, impugnat eos, qui pro tunc docebant sequentia saltem peccata 1° homicidii, 2° adulterii, 3° apostasiæ a fide (vel a sua hæresi) esse irremissibilia.

(2) Quæ peccata ministrum facerent inhabilem ad sacramenta valide conferenda, non satis conveniebant. Si baptizans foret peccator occultus, tum Angelum vel Deum supplere docebant ; v. dicenda n. 49.

Digitized by Google

(v. supra n. 19.) fassus fuit, quod sufficientem temporis moram habuerit, ut epistolam S. Cypriani morose, attente, et sæpius relegerit, memoriter didicerit (1); ergo habuisset et moram exarandi convenientes responsorias, præsertim cum simul asseruerit quæstionem jam pridem in conciliis Asiaticis fuisse decisam. Igitur et quam citius se expedire potuisset si Acta illorum conciliorum transmisisset S. Cypriano, cui hæc decreta synodalia utique multum gratiora fuissent quam inutiles aliarum rerum enarrationes et superfluæ repetitiones. Ast tempus hybernum urgebat.

II. Si S. Firmilianus hanc Epistolam vere scripsisset, nonne congruentius dixisset : « Nuntius festinat regredi, tempus hybernum urget? » Non vero legatus ille « festinabat, hiems urgebat. » Fabricator Epistolæ utique fuit posterior temporibus S. Firmiliani ; hinc respiciens ad tempus S. Firmiliani præteritum, seu illud quo Epistolam scriptam fuisse volebat, incautus dixit: « Nuntius iste festinabat, hyems urgebat. »

III. Stolidus fuisset Nuntius, si imminente hyeme iter ex Cappadocia in Africam incipere voluisset ; tunc enim illud ingravescente hyeme continuare debuisset, quo tempore navigatio maris mediterranei est maxime periculosa, ut patet vel ex sacra Scriptura Act. xxvii, a v. 9 : *Cum jam non esset tuta navigatio, eo quod et jejunium* (quatuor temporum in septembri) (2) *jam præteriisset, cum jam non esset tuta navigatio*, nempe ut vel ex uno Cretæ portu ad alium ejusdem insulæ portum commodiorem navigarent ibidem hyematuri. V. 12. *Et cum aptus Portus* (apud civitatem Thalassam) *non esset ad hyemandum, statuerunt navigare Phœnicen* (portum in plaga meridionali ejusdem Insulæ Cretæ positum) *hyeme*. Postquam navi Ardumentina submersa pervenerunt in Insulam Maltam ; ibi invenerunt navem Alexandrinam, quæ ibidem hyemabat, et ausa non fuerat in proximam, quo tendebat, Italiam trajicere ob tempus hyemale. Ecce hi omnes qui in navibus Adrumetina et Alexandrina in Italiam tendentibus positi fuerant, ob hyemem pluribus mensibus remanserunt in Insulis maris Mediterranei ; et ille Nuntius Cypriani imminente hyeme e Cæsarea Cappadociæ Ephesum (vel ad aliud littus Asiæ minoris) properasset ? Is hyeme durante archipelagum, et reliquum mare Mediterraneum trajecisset usque Carthaginem in Africa ? Quis ei navem concessisset ? (1) Si quis dicere vellet nuntium seu latorem Epistolæ itinere terrestri Carthagine Cappadociam ivisse, et e Cappadocia Carthaginem remeasse is omnimodam in geographia ignorantiam prodit. Iter enim illud terrestre via recta, quæ insuper longissima, non patet, sed per immensum se extendisset circuitum, Carthagine versus Meridiem ; tunc versus Orientem, Alexandriam usque per Ægyptum ; inde Jerosolymam per Palæstinam versus septentrionem ; tunc Damascum, Antiochiam per Syriam ; denique declinando versus Occidentem per Bythiniam in Cappadociam, et vicissim e Cappadocia in Bythiniam, Syriam etc., quam immensa distantia ! eundo et redeundo milliaria 1500 germanica circiter conficere debuisset. Et Nuntius nullum in via ex intermediis ecclesiis quas proximas præterire debuit, Episcopum consuluisset ? Ecclesia Alexandrina, Jerosolymitana, Antiochena Cypriano erant sane multum viciniores, sive viam terrestrem, sive maritimam spectemus.

IV. In hypothesi adversariorum epistolas Firmiliani et Cypriani, ut genuinas admittentium sequentia simul asseri debent (2).

1° Si S. Cyprianus anno 256, die 1 septembris celebrasset synodum Carthaginensem 87 Episcoporum (3), in qua

(1) Aliqui Firmiliano tantam fuisse moram asserunt, ut vicinos episcopos congregaverit. V. n. 20, 21, nomine concilii hæc Epistola fuerit composita. *V.* num .76.

(2) Nempe S. Lucas hæc scribebat non Judæis, sed Christianis Romæ habitantibus. Vid. dissert. de *Cathedris*.a n. 17, quod vero Apostoli jejunia quatuor temporum instituerint, diserte tradunt S. Leo papa etc., ac confirmat antiquissimus omnium Ecclesiarum consensus. Baronius tamen ut alii plures putant fuisse Decembrem, vel jejunium decimi mensis Judæorum in nostrum Januarium incidens. Sed tunc circa solstitium hyemale (ut bene Calmet in l. cit.) non periculosam effici navigationem, sed impossibilem esse Lucas scripsisset; nempe illa ætate qua acus nautica nondum innotuerat. Dein ex contexto sacræ Scripturæ evidens est, illud jejunium, quod jam præterierat, non fuisse jejunium hyemale; nam inito post illud jejunium consilio, ex Creta Phœnicen navigare conati sunt, ut ibidem hyemarent; ergo plena hyems nondum erat. Januarii, et non absolvi, nisi circa medium. Postea pluribus quam 14 diebus jacti fuere in mari. Tandem post tres alios menses, quibus in Insula Malta hyemaverant, navigaverunt in italiam. Si dicatur illud jejunium fuisse circa initium Januarii, consequenter asserendum erit, tempus hyemale navigationibus infestum in Malta incipere circa medium Januarii, et non absolvi, nisi circa medium Aprilis, quod est falsissimum.

(1) Olim a die quarta Novembris usque ad septimam Martii navigationes cessabant in mari Mediterraneo, V. Plinius secundus hist. Nat. liv. II, n. 37.

(2) Bollandistæ ad diem 14, septemb. in Vita S. Cypriani § 41. Pagius ad annos 255 et 256, Dupinius bibl. nov. v. *Cyprianus*, Fleurius, l. I, § 20 et 30. Exacatholicis Pearsonius episcopus Cestriensis in suis accuratissimis (ait Caveus) Annalibus Cyprianicis. Idem Caveus, v. *Firmilianus*. Si prima septembris cœperit synodus 87 episcoporum, hi numero plurimi ex diversis Africæ, et Numidiæ Diœcesibus Carthaginem proficisci debuerunt in diebus canicularibus, quo tempore in Africa maximus solis ardor viatores infestat. Imperatores nondum erant Christiani, qui vehicula publica subministrassent, quod beneficium Constantinus M. Episcopis præstitit postea.

(3) Omitto, quod initium hujus controversiæ alligandum esset anno 255. Eodem anno 255, synodus Carthaginensis prima contra papam decrevisset, Baptismum hæreticorum esse invalidum ; idem iterum decrevisset, Baptismum hæreticorum esse invalidum ; idem iterum decretum fuisset anno 256, in alia synodo secunda 71 Episcoporum, antequam illa famosa tertia synodus 87 Episcoporum, prima Septembris convenisset. Taceo et synodis Iconiensi et Synnadensi. Quis non stupeat, tot numerosas Synodos intra tam modicum tempus celebratas fuisse in defensionem erroris, et nullam synodum exstare pro defensione veritatis ? Quæ enim ?

Digitized by Google

2° Necdum aliquod indicium, vel levissimum de sancto Firmiliano vel aliis Orientalibus anabaptismo patrocinatis, sed tamen unanimi Afrorum consensu contra definitionem summi Pontificis decretum fuerit.

3° Decreta hujus concilii per episcopos Africanos deferuntur Romam et Stephano papæ præsentantur; ast papa præfatos episcopos non admisit ad alloquium, immo prohibuit, ne ab aliquo in domum vel sub tectum reciperentur.

4° Postquam hi Episcopi Roma Carthaginem reversi fuerant; Cyprianus suum diaconum ad extremos Romani imperii fines, nempe in Cappadociam usque illico ablegavit ad Firmilianum, quo et diaconus ille eodem autumno ejusdem anni pervenit.

5° Firmilianus (celebrata prius, vel non celebrata synodo plurium episcoporum, de quo supra a. n. 20) se accingit ad respondendum, sed importunus nuntius sancto Firmiliano sufficientem moram, ut is debite responderе potuisset, renuit.

6° Nuntius enim imminente hyeme e Cappadocia Africam regredi festinabat; calculante Pagio, in decembri Carthaginem reversus fuit. Ulterius ex necessitate consequente asserunt,

7° Quod Xystus Stephani successor jam anno 258 martyrium subierit, et

8° S. Dionysius papa eodem anno 258 successerit, quæ itidem falsa sunt, ut patet ex solo Eusebio docente Xystum papam sedisse II annis. Verum de hoc nodo Chronologico, quem in Dissert. de cathedris dissolvere necdum potui, uberius agam alia vice, defensurus Xystum sedisse annis circiter II.

Ego oculos requiro geographicos, ut videant, contortissimam præfati systematis chronotaxin consistere non posse, etiamsi omnes ipsius errores pro totidem fundamentis supponamus; ipsa enim multitudo rerum gestarum abunde insinuat, historiam esse fabulosam.

35. Pseudo-Firmilianus capitalem quæstionem nunc tandem dissoluturus incipit, c. 2: « Et quidem quantum ad id pertinet, quod Stephanus dixit, exstare traditionem ab Apostolis (1), signanter Petro, et Paulo acceptam, juxta quam ii qui ab hæreticis fuerunt baptizati non debent rebaptizari plenissime vos respondistis. »

Hoc Stephani argumentum ex traditione desumptum erat sane validissimum, et plene apodicticum, cui, quamprimum a Stephano allatum fuerat, Cyprianum et Firmilianum (si is aliquando rebaptizantibus adhæsisset) omnino acquievisse nullus dubito. En meas rationes:

Circa annum 266, Dionysius Alexandrinus indixit synodum Antiochenam contra Paulum Samosatenum Antiochiæ episcopum; ad quam convenerunt episcopi plurimi. Inter præcipuos tunc primo loco recensetur noster Firmilianus, dein Gregorius, et Athenodorus ex Ponto, Helenus Tarsensis ex Cilicia, Nicomas Iconiensis ex Phrygia, Hymenæus ex Jerosolymis, et Theotecnus Cæsariensis ex Palæstina, Maximus Bostrensis ex Arabia. Innumeri insuper presbyteri, et diaconi, Antiochiam acceleraverant. In hoc numeroso concilio, cui et Firmilianus vel præsedit, vel interfuit præcipuus, nulla fit mentio rebaptizationis inter Catholicos usitatæ. An possibile fuisset ut in illo toto concilio nil definitum fuisset in causa Anabaptismi, si hunc S. Firmilianus ab anno 256 usque dum contumaciter propugnasset? Immo si Firmilianus acerbissimas de quibus agimus, litteras, contra Ecclesiam Romanam scripsisset?

Nunc percipiamus, quid ad præfatum ex traditione argumentum respondeat pseudo-Firmilianus! Audet dicere:

36. « Plenissime vos respondistis, neminem esse tam stultum, qui hoc credat Apostolos tradidisse, quando etiam... »

Igitur Cyprianus, et reliqui Episcopi Africani respondissent summo Pontifici: « Neminem *esse tam* stultum, qui summo Pontifici credat? » Hanc responsionem laudassent Firmilianus Origenis discipulus etc. Asiatici? Quanta impudentia! Episcopo Romano summo Pontifici attestanti de facto, de consuetudine suæ Ecclesiæ Romanæ non est adhibenda fides? Qui fidem adhibeat stultum esse, immo neminem esse tam stultum qui Episcopo Romano fidem adhibeat; pro quanta impudentia! Et hæc tot sanctos Episcopos infecisset sæculo III, quo Origenes devotionis *ergo*, ut antiquissimam veneraretur Ecclesiam, ex Oriente Romam profectus fuit? Quo Origenes, totius Orientis oraculum suam fidei professionem S. Fabiano Episcopo Romano submisit? Absit ut *credam uni* pseudo-Firmiliano suam impudentiam confitenti. Cæterum extitisse præfatam traditionem apostolicam aliunde probari satis potuisset. 1°. Quia per universas usque dum servata fuerat Ecclesias. 2°. Quia non constabat in quo concilio fuisset instituta (1).

37. Impostor, ut persuadeat, traditionem ab Apostolis non descendisse, novam falsitatem, eamque enormissimam affert; negat enim id, quod ex SS. Patribus, ne ex ipsa S. Scriptura est notissimum, nempe negat, tempore Apostolorum modo hæreses extitisse. En illius formalia:

« Quando etiam hæreses constet... postea extitisse, cum et Marcion Cerdonis discipulus inveniatur sero post Apostolos et post ab eis tempora sacrilegam adversus Deum traditionem induxisse. Apelles quoque... sed et Valentini et Basilidis tempus manifestum est, quod et post Apostolos ipsi quoque et post longam ætatem... cæteros quoque hæreticos constat pravas suas sectas.., postea induxisse. »

(1) Hac pseudo Firmiliani sententia usus est Rigaltius ad expugnandas Catholicorum traditiones.

(1) Rebaptizationem semper in universa Ecclesia obtinuisse, nec adversarii asserere ausi sunt. Illius initium pseudo-Cyprianus refert ad Agrippinum pro tunc ante 20 annos mortuum; pseudo-Firmilianus ad concilia Iconiense, et Synadense pro tunc jam pridem celebrata; neutra exstant. Omnium primum, qui rebaptizaverit, censeo fuisse. Novatum a S. Cornelio papa anno 251, ex Ecclesia ejectum, qui circa annum 253. Catholicos rebaptizare inceperit.

Digitized by Google

Hic locus est notabilis. Baronius fatetur (1), hunc nostrum Firmilianum præ nimio iræ impetu multa effutiisse historice falsa: Si multa falsa : igitur nec ego credo asserenti se fuisse episcopum Cæsareæ in Cappadacia, se fuisse a Cypriano consultum, etc.

Bollandistæ (2), cum certissimum tempore Apostolorum hæreses extitisse, hinc bene inferunt, non esse verosimile, quod S. Cyprianus fatam Epistolam tam falsa continentem in latinum indioma transtulerit. Ego ulterius infero, non esse verosimile, quod S. Firmilianus tam mendacem, quam petulantem Epistolam composuerit, vel in Africam direxerit (3). Nunc ad rem ipsam.

I. Risum mihi movit, quod pseudo-Firmilianus, dum nobis imponere voluit, hæreseon initia repetierit a Marcione Cerdonis discipulo ; cur non a Cerdone Marcionis magistro (4)? Magister tamen est prior discipulo, sed et ante Cerdonem plures fuisse hæreticos, quos impostor reticuerit, statim dicetur.

II. Falsum est, quod Cerdon et Valentinus post longa ab Apostolis tempora, post longam ab Apostolis ætatem suas inceperint hæreses; has siquidem Romæ sparserunt sub Hygino qui fuit nonus in Petri Cathedra Episcopus, ergo circa annum 140 (5) ævum Apostolicum protendi solet usque in annum 120. Siquidem S. Joannes Evangelista supervixit usque in sæculum II, S. Clemens I, papa, qui et merito Apostolus dicitur, et S. Ignatius Antiochenus, qui Christum a mortuis redivivum viderat (6) ac Simeon Christi consobrinus secundus Jerosolymorum episcopus 120 annos natus sub Trajano imperatore martyrium subiere. Ubi jam illa longa tempora, illa longa ætas inter finem ævi apostolici, et initium dictarum hæreseon?

III. Sed et Cerdonem alii hæretici præcesserunt. Simon magus periit (7), antequam Petrus et Paulus Romæ martyrio coronati fuere ; Simoni successit Menander (8), dum Petrus et Paulus adhuc vivebant.

IV. Præter hæreses Simonis magi et Menandri Apostolorum temporibus fuerunt hæreses Ebionitarum (1), contra quos S. Joannes suum conscripsit Evangelium ; Cerinthi (2) qui duos habuit discipulos Saturninum et Basilidem, quorum quilibet specialem instituit hæresin. Eodem ævo Apostolico Carpocrates, vel Carpocras cujus a discipulis postea circa annum 130 conflata fuit abominanda Gnosticorum progenies (3).

V. Hæresis Nicolaitarum refertur Apoc. 26 et 15. Taceo nomina aliorum hæreticorum a Paulo adornata, I Tim. I, 20. II Tim. I, 15 et II, 19 ; item IV, 14. Paulus ad Titum III, 10 : *Hominem hæreticum devita.* — I Petri II designantur hæretici. — I Joann. II, 18 : *Jam Antichristi multi sunt.* Et alibi.

VI. Hæc ideo paulo fusius pertractata sunt, ut evidentius appareat, quam indigna S. Firmiliano episcopo sit illa Anabaptistarum sententia, asserens : Tempore Apostolorum non extitisse hæreses. Adeoque ab Apostolis traditum non fuisse, quod valeat Baptismus ab hæreticis collatus.

Immo cum tempore Apostolorum modo extiterint hæretici, necesse est ut Apostoli deciderint an hæreticorum Baptismus validus sit, nec ne : ergo necesse est traditionem hac super re Apostolicam extitisse.

38. Pseudo-Firmilianus nunc audacior factus de erroribus in errores transgreditur, eosque practico-dogmaticos, dum insinuare nititur, traditiones Apostolicas, si quæ forsan hac super re existerent, non esse necessario retinendas in materia Baptismi. Id ut persuadeat ; Ecclesiam Romanam accusat, quod « nec hæc observet omnia quæ ab origine vel ab Apostolis sunt tradita. » Gravis accusatio ! sed quomodo eam probat ? Ait :

« Eos autem qui Romæ sunt, non ea in omnibus observare quæ sint ab origine tradita, et frustra auctoritatem Apostolorum prætendere, scire quis inde potest, quod circa celebrandos dies Paschæ, et circa multa alia divinæ rei Sacramenta videat esse apud illos (Romanos) aliquas diversitates, nec observari omnia Romæ æqualiter, quæ Jerosolymis observantur. »

I. Imperitus impostor supponit, quosdam Orientales a reliquis ecclesiis circa diem, quo Pascha celebrandum sit (4), olim dissidisse, hocque unicum

(1) Ad annum 258, § 44.
(2) V. supra n. 11.
(3) Cum S. Ignatius martyr Apostolorum coævus, in suis epistolis ad Trallanos, ad Smyrnæos mentionem fecerit hæreticorum Basilidis, Theodoti, Cleobuli, etc., hinc Dallæus et Blondellus acatholici pseudo-Firmiliano fidem adhibentes contenderunt Epistolas illas S. Ignatio fuisse suppositas. Ast illas Ignatii esse authenticas probat vel sola Eusebii auctoritas ; ergo Epistola Firmiliani, utpote contraria S: Ignatio rejicienda est supposititia, non vero epistola S. Ignatii.
(4) Etjam pseudo-Cyprianus, dum veteres hæreticos recenset, cunctos Marcione antiquiores omittit. Ep. 73.
(5) Hyginus sedere cœpit anno Antonini imperatoris primo; quadriennio Ecclesiam gubernavit, V. Eusebius.
(6) *Ep. Ignatii.*
(7) Inter annum 43 sub Claudio mors Apostolorum contigit circa annum 68. V. Dissert. meas *de Cathedris* n. 37, 59, 67.
(8) Menander inter cætera adjecit eos, quos ipse baptizaverat, fore etiam quoad corpus immortales, dummodo perpetuo sibi adhæsuri essent. V. Eusebius l. III, cap. 26, citans SS. Justinum et Irenæum. Inde tamen absolute non sequitur quod Menander eos, qui ab aliis tincti fuerant, rebaptizavarit.

(1) Eusebius l. III, cap. 27.
(2) V. S. Epiphanius hær. 28 ubi docet Cerinthum fuisse illum qui II *Petr.* II S. Petro restiterat, qui Act. XV dissidium Antiochiæ excitaverat Paulo; fuisse illum contra quem S. Jacobus scripsit Act. XV *audivimus, quia quidam ex nobis exeuntes turbaverunt vos.* S. Epiphanio subscribunt Natalis, Calmet, alii. Idem Cerinthus quasdam revelationes vulgaverat, velut a magno Apostolo scriptas (v. Eusebius l. III, cap. 28) ; hinc Barnabam, Cepham, Jacobum, etc., territos fuisse conjicio et Paulum provocasse ad auctoritatem S. Petri, cujus sententiæ, Barnabas, Cephas se submiserunt. Gal. I, et 2. Item Act. XV.
(3) V. noster S. Laurentius Cozza de hæresibus cap. 6, num. 3.
(4) Occasione hujus textus, controverti solet ; an S. Firmilianus adhæserit Quarto-Decimanis. Baronius affirmat, alii negant, cum nullus antiquorum S. Firmilianum illis hæreticis accensuerit. Cum tota Epistola sit suppositiitia, cessat illa controversia.

Digitized by Google

exemplum adducit quo persuadeat, et rebaptizationes (quas Ecclesia Romana, immo omnis Romana-Catholica damnabat) esse tolerandas; et quia plura præter illud unicum exempla deformitatum ignorasse videtur; hinc dixit esse multa alia sacramenta divina. Sed quæ sunt illa multa alia? Et quidem divinæ rei sacramenta? Omnia prætcrit more solito, forte quia hyems urgebat, — longe aliter de Ecclesia Romana S. Irenæus, qui Romæ fuit, contestatus est dicens : « in qua semper conservata est ea, quæ ab Apostolis est, traditio. »

II. Sed et iterum historice fasum est, quod vel circa Pascha celebrandum sæculo II dissiderint Ecclesiæ Romana et Jerosolymitana (1). Eusebius in Palæstina episcopus Cæsariensis l. III, cap. 23, agens contra Quarto-Decimanos tempore S. Victoris papæ exortos, positive asserit quod per totam Palæstinam, adeoque et Jerosolymis, Pascha tamquam ex traditione apostolica celebratum fuerit eodem die, quo Romæ; nempe Dominico, quia et nonnisi die Resurrectionis Dominicæ jejunia antepaschalia (quadragesimæ) juxta traditionem apostolicam erant solvenda. Addit Eusebius suo quo videat tempore, acta synodi Palæstinæ (cui Theophilus Cæsariensis et Narcissus Jerosolymitanus episcopi præsederint) adhuc extitisse; in illis doctrina eorum qui a Romano ritu dissidebant, dicitur erronea, animarum seductiva (2).

Ergo falsum est, quod Ecclesia Jerosolymitana et Romana dissiderint in disciplina circa diem Paschatis. Pergit :

39. « Secundum quod et in pluribus quoque provinciis multa pro et hominum quoque diversitate variantur, nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando dicessum est, quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpens adversus vos pacem, quam semper antecessores ejus vobiscum... custodierunt, adhuc etiam infamans Petrum, et Paulum beatos Apostolos, quasi hoc tradiderint ipsi, qui in Epistolis suis hæreticos execrati sunt, et ut eos evitemus, monuerunt; unde apparet traditionem hanc humanam esse, quæ hæreticos asserit, et Baptisma eos habere defendit. »

I. Quæ sunt illa multa? — Quæ illæ plurimæ provinciæ? — Quæ illa loca et qui illi homines, pro quorum diversitate multa variabantur illo tempore (3), quæ ad præsentem quæstionem pertinere possint?

A — Hæ vagæ assertiones, nullam merentur fidem, S. Firmiliano indignæ sunt.

II. Secundo quod S. Stephanus cum S. Cypriano et Africanis pacem ruperit falsum est, ut vix non omnes fatentur (1), cum insuper, ut alibi ostendam, Cyprianus Stephano se vel numquam opposuerit, vel monitus statim submiserit.

III. Quam absurda expressio : « Stephanus papa infamat Petrum et Paulum (2), hæreticos asserit. » An ideo qui asseruisset, defendisset Judam proditorem, Simonem Magum, Menandrum, etc., quia Baptisma ab illis collatum habuisset validum?

IV. Quam infirma illatio : « Apostoli hæreticos aversati sunt, ergo Baptisma eorum censuerunt invalidum! » Paulus equidem quam maxime aversatus B est pseudo-apostolos; prædicationem tamen Evangelii, si huic non insperserant errorem, non improbavit; adeoque et Baptismum ab his collatum habuit validum, ut ostenderet effectum sacramenti a *ministrantibus* non dependere, carpit eos qui jactabant se a Paulo vel Cepha esse baptizatos.

V. Quam manifesta contradictio : « Apostoli hæreticos execrati sunt; eos esse vitandos docuerunt. Ut hic vere asseritur, ac ab Apostolis quæstio de valore Baptismatis hæreticorum non potuit esse decisa, eo quod tempore Apostolorum nondum fuerint hæretici, » ut supra n. 37 assertum fuit.

40. Affingit S. Stephano novam absurdam assertionem; supponit nempe quod Papa docuerit :

« Hæreticos quoque ipsos in Baptismo convenire', C eo quod ad alterutrum venientes non baptizent; sed communicent tantum, quasi et nos hoc facere debeamus. Quo in loco, etsi 'vos jam *probastis satis*, ridiculum esset, ut quis sequatur errantes; illud tamen... »

Locus est notabilis: ob hunc enim et Epistolam Cyprianicam 74 acriter et plurimum disputant Theologi (3).

41. « An Stephanus validum judicaverit Baptismum sub quacumque forma, etiam non invocato sanctissimæ Trinitatis mysterio collatum? »

Negant plures ob dicenda n. 52. Affirmant nonnulli qui papam in hæresim lapsum fuisse volunt. Inter hos Blondellus, Vossius, Basnagius, Marcus Antonius de Dominis, Joannes Cestriensis, Launoius tom. II, pag. 2. Eo et inclinat Dupinius doctor Sorbonius D qui ut suum intentum magis probet, asserit (4): « nullos fere tunc fuisse hæreticos, qui in nomine sanctis-

(1) Circa finem sæculi IV hæresis Quarto-Decimanorum invaluit Jerosolymis teste Philastrio (39) apud Cozza.

(2) Hujus hæreseos auctorem non fuisse S. Joannem Evangelistam, ut pseudo-Polycrates asseruit, ostendam alia vice.

(3) Quod posterioribus temporibus multa in disciplinaribus fuerint mutata pro locorum et hominum diversitate, indubium est; ast sæculo III quam rigidissime insistebatur uniformitati conservandæ. Dum Philippus imperator Christianus vel Catechumenus ultimis vigiliis Paschalibus interesse voluit, a rectore jussus est inter pœnitentes consistere, eo quod in multis culpabilis esset; ac prompte obedivit. V. Euseb. l. VI, c. 34.

(1) 1. Quia quod papa S. Cyprianum et universos Africæ episcopos actu excommunicaverit, aliunde probare nequit. 2. Quia S. Cypriani nomen Canoni Missalis Romani insertum fuit, nullatenus credibile, quod Romana Ecclesia nomen hominis a summo Pontifice excommunicati et primi excommunicatorum antesignani in Canonem sui Missalis retulisset?

(2) Illa phrasis *infamare Apostolos*, quoque occurrit in Ep. Cypriauica 74.

(3) Videantur Natalis Alexander ad sæculum III, Dissert. 14. Tournelius de Sacramentis in genere quæstio VII. Bertius de Theolog. discip. lib. XXXI, cap. 13, num. 16.

(4) In sua bibliotheca. V. Cyprianus.

Digitized by Google

simæ Trinitatis baptizaverint. » Ast hoc ultimum assertum sufficienti destituitur ratione. Majori jure dixisset, paucos (1) tunc fuisse hæreticos, qui legitimam formam non adhibuerint : » saltem illi hæretici, qui illo tempore Ecclesiam maxime perturbarunt, erant Novatiani : hi vero formam Baptismatis numquam corruperunt. Paulianistæ et Sabelliani post tempora S. Stephani prorumperunt ; verum illa controversia de hæresi Stephani papæ in posterum cessare poterit ; nam

I. Quis ultra erit, qui nostro pseudo-Firmiliano (2) credat asserenti : « S. Stephanum papam definisse . Baptismum non esse repetendum ideo quia ab hæreticis cognoscitur validus ? Tunc utique Stephanus non Firmilianum dumtaxat, sed universos totius mundi episcopos et laicos contra se concitasset, cum tamen tota saltem Europa constans adhæserit Papæ.

II. Falsum videtur quod hæretici illo tempore valida habuerint Baptismata extra suas sectas collata. De Menandro videatur S. Irenæus, ut taceam de Tertullianistis (3). De Novato extra dubium videtur ; quod enim Novatiani Catholicos rebaptizarint, contestatur S. Innocentius (4). S. Hieronymus tradidit, quod S. Cyprianus Baptismata Novatianorum ideo cœperit habere ut invalida, quia Novatiani, Catholicorum Baptisma habuerant ut illegitimum. Denique S. Dionysius Alexandrinus Novati coævus de hoc retulit (5) Papæ, « quod S. Lavacrum respuerit » ut ipse nostrum Catholicorum ; nam Novatiani Sacramentum baptismatis non abrogarunt (6).

43. Præfatam falsam assertionem : quod in systemate quarumque hæreseon consectarium fuit ; « quemque valere Baptismum, » nititur demonstratione sequenti.

« Hæretici.... in eo unum et eumdem consensum tenent, ut blasphement Creatorem, quædam somnia sibi, et phantasmata ignoti Dei confingentes : ergo consequens est eos consentire in Baptismi sui vanitate. »

44. Falsum est quod omnes hæretici consenserint circa blasphemandum Creatorem ; nam Novatiani tum maxime noti (1) sinceram de Deo et sanctissima Trinitate doctrinam, quam in Ecclesia catholica didicerant, invariatam retinuere, ut eorum simul et aliorum plurium Baptismus in concilio Nicæno anno 325 agnitus fuerit, ut legitimus. De Montanistis illo ipso tempore S. Firmilianani famosis dicetur, n. 46.

45. Non possum hac occasione non opponere meas, quæ subierunt cogitationes. Post tempora S. Stephani papæ et Cypriani celeberrima celebrata fuere concilia, duo vel tria Antiochena ab anno 265 ad annum 272. Aliud Arelatense anno 314. Postea anno 325 Nicænum generale ; in duobus ultimis, quia Donatistæ jam invaluerant, negotium rebaptizationis fuit pertractatum. Si in Africa sub Agrippino et postea in tribus numerosis Catholicorum conciliis sub S. Cypriano ; item in Asia in synodis Iconiensi et Synnadensi definitum fuisset contra Ecclesiam Romanam, « quod nullus hæreticus valide baptizare queat, » quomodo possibile fuit, quod in conciliis Arelatensi et Nicæno nulla facta fuerit mentio de retractandis conciliis præcedentibus, quemlibet cujuslibet hæretici Baptismum definientibus esse invalidum ? — Hunc nodum solvere non possum, nisi dicendo : illa Africæ et Asiæ Anabaptistarum concilia (2) sunt suppositilia. In Arelatensi contra Donatistas definiebatur nullos, qui in forma s. Trinitatis tincti fuerint, esse rebaptizandos. Postea in Nicæno recensebantur quinam essent rebaptizandi, et quinam non.

46. Porro, cum pseudo-Firmilianus probare debuerit, quod omnes hæretici circa Patrem erraverint, id sub figura præteritionis nunc aggreditur, adducens solos Montanistas, dicens : « Quoniam longum est ad singula eorum (hæreticorum) respondere, satis est illud breviter in compendio dicere eos qui non teneant verum Dominum Patrem, tenere non posse nec Filii nec Spiritus sancti veritatem ; secundum quod illi qui καταφρυγας (id est montanistæ) secundum Phrygas (3) appellantur, et novas prophetias usurpare conantur, nec Patrem possunt habere nec Filium, nec Spiritum sanctum ; a quibus, si quæramus quem Christum prædicent, respondebunt eum se prædicare, qui miserit Spiritum per Montanum et Priscam locu-

(1) Hos vide apud Irenæum l. I, c. 8. De Montanistis agam in dissertatione *de Epistolis canonicis* S. Basilii M.

(2) Censeo pseudo-Firmilianum fuisse ejusdem sectæ, cujus erat auctor quarumdam epistolarum Cyprianicarum ; nam textus scripturistici in utrisque epistolis eodem apud Catholicos incitato modo citantur. E. g. tempore Augustini Donatistæ argumentari solebant ex Psalmo CL. *Oleum peccatoris non ungat caput meum ;* ergo S. Unctionis et reliqua Sacramenta a peccatore collata non valent. Eodem modo legitur in Cyprianica 76.—S. Augustinus I. II, *cont. Crescon.* c. 24. et l. IV, cap. 15. respondit Donatistis, 1. textum inepte fuisse adductum, cum agat de peccatore adulante. 2. Textum a Donatistis fuisse corruptum ; cum legendum sit : « Non impinguet vel impinguabit caput meum. » Ecce Auctor Cyprianicarum S. Scripturam citavit, prout hæc a Donatistis fuerat corrupta.

(3) Tertullianus jam Montanista factus l. *de Pudicitia* docuit eos, qui ab hæresi venerunt, esse baptizandos sicut ethnicos.

(4) Epist. II *ad Victricium*, cap. 8.

(5) Eusebius. l. VII, cap. 8.

(6) Patet : quia Novatiani ad nostram Ecclesiam venientes, non baptizabantur. Videsis concilium Nicænum. At vero Catholicos, vel Donatistas rebaptizabant, ut Pseudo-Cyprianus verum dixerit, dum Ep. 73, Jubaiano scribit : *Novatienses* (Novatianos a Novato) *rebaptizare eos quos a nobis sollicitant.*

(1) Contra Novatum maxime pugnaverat S. Firmilianus. Paulus Samosatenus qui divinitatem negare cœpit tempore S. Firmiliani, post mortem S. Stephani et Cypriani invaluit. Quos ergo hæreticos perstringere voluit S. Firmilianus, dum circa annum 256, Cypriano scripsit quod sibi phantasmata ignoti Dei confinxerint ?

(2) Unicum quod speciem solidi argumenti habens opponi mihi poterit est sequens : Apud Eusebium H. E. lib. VIII, cap. 3, fit mentio quod S. Dionysius Alexandrinus aliquid *audiverit* de conciliis Iconiensi, et Synnadensi. Verum alibi specialiter ostendam 1° hunc Eusebii locum esse interpolatum. 2° Locus ille ita obscurus est, ut de vero verborum sensu eruditi usque huc non convenerint.

(3) Montanistæ sub initium sæculi III jam tres in



Digitized by Google

tum (1). In quibus, cum animadvertamus non veritatis spiritum, sed erroris fuisse; cognoscimus eos, qui falsam illorum prophetiam contra Christi fidem vindicant, Christum habere non posse. Sed non et cæteri quique hæretici. »

I. Argumentatio perinfirma est; licet enim aliqui c. g. Lutherani credidissent Lutherum fuisse repletum Spiritu sancto, a Deo missum, ideo non sequeretur eos errasse circa sanctissimam Trinitatem.

II. Evidens est primo ex ipso Tertulliano (2) Montanistarum præcipuo, qui supervixit usque ad tempora S. Firmiliani, quod Montanistæ usque ad illam ætatem generatim non erraverint circa sanctissimam Trinitatem. 2° Id ipsum confitetur S. Epiphanius hæresi 48. 3° Eusebius, qui non nihil antiquior Hieronymo, lib. IV et V, errores Cataphrygum commemorat sæpius; quod autem circa sanctissimam Trinitatem errarint, qui error fuisset maxime notabilis, tacet. 4. Sub initium sæculi IV nondum innotuerant inter Montanistas, qui Baptismatis formam corruperant; nam in concilio Nicæno Paulianistæ jubentur rebaptizari; de Montanistis silentium (3). In concilio Constantinopolitano I, anno 381, canone 7, dicitur: Montanistæ, qui hic Phryges dicuntur, cum Eunomianis et Sabellianis rebaptizentur, sicut et alii hæretici, præsertim si ex Galatia venerint (4). Si S. Hieronymus finiente sæculo IV, Theodoretus sæculo V, et S. Gregorius Magnus sæculo VI. contestentur, a Montanistis, saltem aliquibus, Baptismatis formam fuisse corruptam, intelligendi sunt de Montanistis suo tempore existentibus (5). Ex his aliisque conjicio pseudo-Firmilianum venisse diu post exortam Montani hæresin post sæculum IV.

III. Si Montanistæ secundum Phrygas Baptismi formam corruperint, adeoque rebaptizari debuerint, inde nihil evincitur pro pseudo-Firmiliano asserente: nullum hæreticum posse validum Baptismum conferre.

A Si vel Orthodoxus in baptizando aquam non adhibuerit, vel formam immutaverit; tunc ritus ille non fuit Baptismus Christi, non valet; sed non sequitur: ergo Catholicus non potest valide baptizare.

47. Pergit: « Sed et cæteri quique hæretici extra Ecclesiam constituti nihil habere potestatis aut gratiæ possunt... In Ecclesia præsident majores natu, qui et baptizandi, et manum imponendi, et ordinandi possident potestatem. » Hæretici enim.... Qui illi majores natu, qui in Ecclesia præsident? Cur nomen episcoporum et presbyterorum Græcis Orthodoxis usitatissimum hic iterum omittitur? Vide supra n. 31. Ordinandi potestatem possident soli episcopi; eam majores natu, seu presbyteri non habent.

48. Prosequitur satis imperite: « Hæretico sicut ordinare non licet, nec manum imponere, ita nec baptizare... quando »... Ergo nec Catholicus laicus, imme nec diaconus, vel presbyter baptizare poterit, quia non potest ordinare... Ast sequitur.

49. « Quando Hæreticus alienus sit a sanctitate, quod totum... » Ergo nec Catholicus episcopus, si in peccato fuerit, valide baptizare poterit. Hæc erronea doctrina, quod peccator non possit Sacramenta conficere, pluribus hæreticis, signanter tamen Donatistis (1) erat propria.

Provocat ad acta concilii cujusdam a nemine visa dicens: « Quod totum nos jam pridem in Iconio, qui Phrygiæ locus est, collecti in unum, convenientibus ex Galatia et Cilicia et cæteris proximis regionibus confirmavimus... Cum a quibusdam de ista re dubitaretur. Quonjam Stephanus... »

50. I. Ergo illud totum 1° Quod natu majores habeant potestatem ordinandi; 2° Quod qui ordinare non potest, nec valeat baptizare. 3° Quod qui alienus est a sanctitate, etiam alienus sit a potestate baptizandi: hæc, inquam, omnia olim ab Orthodoxis Cappadociæ, Phrygiæ, Galatiæ, Ciliciæ, et cæterarum proximarum regionum episcopis definita fuerant. Quare? Quo anno? Jam pridem cum a quibusdam de ista re dubitaretur. Quinam fuere illi dubitantes? Non constat, nisi unus pseudo-Firmilianus, utpote qui ait: « Nos jam pridem confirmavimus. »

II. Ast Pagius dum ad annum 253, n. 15, fatam epistolam Firmilianicam admittit ut genuinam, simul fatetur auctorem datæ epistolæ isti concilio jam pridem (2) celebrato non interfuisse. Ecce ergo præterasum concilium Iconiense Ecclesiæ Romanæ opposi-

soctas divisi fuerant. 1. Secundum Phrygas. 2. Secundum Proclum. 3. Secundum Æschinam. Videatur noster Laurentius Cozza, postea Cardinalis, *in suo Commentario Historico-Dogmatico de hæresibus*, ann. 1717. Romæ edito hæresi 26, de Cataphrygibus.

(1) Unius dumtaxat Priscæ fit mentio, cum tamen Montanus secundum Tertullianum secta Montanistam, aliosque Catholicos, Hieronymum, Eusebium, Epiphanium etc. duabus usus fuerit prophetissis Priscilla et Maxilla. Philastrius lib. de Hæresibus: *Cataphryges Patrem et Filium, et Spiritum confitentur, Montanum et Priscillam, et Maximillam annuntiant.* Mirum si tempore S. Firmiliani evenisset, ut Maximilla in oblivionem venerit, ac Priscilla ex errore in Priscam modo immutata fuerit.

(2) Vid. loc. cit. a num. 72.

(3) Septem diversas editiones novidi apud Harduinum; in una Isidori Mercatoris Cathaphryges Paulianistis superadditi leguntur, sed illam unam interpolatam esse censeo.

(4) In Laodiceno etiam Cataphryges recensentur inter rebaptizandos; ast non satis constat Laodicenum, 1° an ut genuinum; 2° quo tempore fuerit celebratum.

(5) SS. Hieronymus et Gregorius loquuntur indefinite: Theodoretus ait: *Nonnullos Montanistarum.* Synodus Constantinopolitana addit: *Præsertim si illi hæretici ex Galatia venerint*, quæ additio subjudicat, formam ab omnibus illis hæreticis non fuisse mutatam.

(1) Apud hos in casu peccatoris occulti Deus, vel saltem Angelus clam supplebat. S. Augustinus, libro XXI, contra Cresconium c. 18, et in exhortat. ad concordiam, Ep. 66., qui subinferebat contra Donatistas: Ergo optabilius erit baptizari a peccatore occulto, quam homine etiam sancto; *quia in primo casu baptizarent Deus, vel Angelus, in secundo casu abhorret homo.* Idem foret in aliis Sacramentis.

(2) Labbeus, Petavius synodum Iconiensem aliigarunt anno 258, quo et Carthaginensem III sub S. Cyriano celebratam fuisse crediderunt; Harduinus illam amandavit ad annum 331, cap. 2 (mihi pag. 150.) ad annum 175 circiter. Ego repeto tam Iconiensem, quam Carthaginensem Synodos esse fictitias. Vide supra, n. 21.

Digitized by Google

tum, de quo nec acta supersunt, nec constat quo anno fuerit celebratum vel quis vel unus nominatim interfuerit contra quem vel unum nominatim fuerit congregatum; ex quo archivio, ex quo auctore pseudo-Firmilianus hausit illas definitiones jam pridem Iconii editas? Si editæ fuissent, cederet in perpetuam infamiam episcoporum Catholicorum Cappadociæ, Galatiæ, Ciliciæ, et cæterarum adjacentium regionum. Ast censeo numquam editas fuisse.

51. Denique ex sacra Scriptura probare nititur et dogma catholicum penitus convellere, dum cap. 4, quoad rem ita argumentatur ex Actis XIX: « S. Paulus eos qui Baptismate Joannis, antequam Spiritu sancto missus fuerat, tincti fuere, denuo lavit Baptismate Christi; ergo etiam qui ab hæreticis; » apud quos Spiritus sanctus non est, baptizati fuere, denuo baptizari debent. Igitur errant Stephanus et cæteri episcopi qui Papæ consentiunt, contendentes dimissionem peccatorum et secundam nativitatem in hæreticorum Baptismo posse procedere. Paulus non potuit in casu præmisso Spiritum sanctum dare, nisi per novum Christi Baptismum; an Paulus minor illis episcopis? Ita pseudo-Firmilianus.

I. Ergo dimissio peccatorum et secunda nativitas nec procedere potest in Baptismate catholicorum administrantium in statu disgratiæ positorum; quia apud hos Spiritus sanctus non est.

II. Argumentum hoc quod et pseudo-Cyprianus adhibet, in ep. 73 ad Jubaianum, laborat multiplici erroneo supposito.

1°. Quod discipuli Joannis Baptistæ non fuerint in statu gratiæ, immo nec potuerint fuisse justi. Vel 2°. Quod baptismus Joannis ideo suscipientes sanctificare non potuerit, quia Spiritus sanctus nondum fuerat missus; hinc sequeretur quod si post primam Christianorum Pentecosten, in qua Spiritus descenderat, fuisset collatus, suscipientem regenerare valuisset; quia tunc Spiritus jam fuerat missus. 3°. Quod ipse Baptismus Christi suam justificandi virtutem ante illam Pentecostem nondum habuerit(1).

III. Pseudo Firmilianus omnino extra orbitam evagatur. Probandum fuisset quod Baptismus Christi a Simone mago, vel ab alio hæretico collatus repeti debuerit ex præcepto Apostolorum. Baptismus Joannis etiam a S. Andrea apostolo vel S. Petro collatus non sufficiebat in lege nova.

IV. Quidquid sit, ex jam dicendis evidens fit, quod S. Stephanus non nisi Baptismum Christi verum, id est, qui sub legitima forma a Christo præscripta collatus fuisset, agnoverit validum; nam pseudo-Firmilianus pergit ex Christi verbis impugnare nostrum dogma, quod absurdum vocat dicens: « Illud quoque absurdum, quod non putant, quærendum esse, quis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris, et Filii, et Spiritus sancti... At quis est sapiens, qui hoc defendat, aut credat, quod invocatio hæc nominum nuda sufficiat ad remissionem peccatorum et Baptismi sanctificationem? ... Non omnes autem qui nomen Christi invocant, audiri et invocationem suam consequi aliquid gratiæ posset, Dominus ipse manifestat dicens: Multi venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus, et multos fallent (1). » Quis erit ita insipiens, ut hoc modo concludat: Pseudo-Christi multos fallent; ergo Baptismus Christi ab hæretico collatus est invalidus?

52. Postquam noster Theologus concluserat, illico evagatur aliorsum, ac cap. 5, ut curiosum lectorem obstupefaciat, historias immiscet ad præsentem quæstionem nullatenus pertinentes; ast simul incautus impegit enormiter contra chronologiam: « Volo autem vobis et de historia quæ apud nos facta est, exponere ad hoc ipsum pertinente. Ante viginti enim et duos fere annos temporibus post Alexandrum imperatorem multæ conflictationes, et pressuræ acciderunt, vel in communi omnibus hominibus, vel privatim Christianis. Terræ etiam motus. »

I. S. Firmilianus sub Alexandro imperatore, qui anno 235, in aprili obiit, jam fuit in Cappadocia episcopus (2); ergo fuit episcopus eo tempore quo illa historia apud Cappadoces contigisse dicitur. S. Firmilianus igitur, si auctor fuisset hujus epistolæ, imperatorem nominasset, v. g. Maximinum, sub quo illæ conflictationes acciderant vel in commune... vel privatim; non vero dixisset: » Temporibus post Alexandrum (3). »

II. Hæc vaga expressio: « Temporibus post Alexandrum, » denotat factum contigisse aliquo tempore post mortem Alexandri. Et revera illæ pressuræ, ut n. seq. audiemus, non contigere, nisi aliquot annis post mortem Alexandri. At vero illa Firmiliani epistola anno 256 scripta fuisse dicitur; ecce! Ergo has pressuras inter, et tempus scriptæ epistolæ non interjacent 22 anni. Verum gratis admittamus illas pressuras incepisse eodem anno 235, quo Alexander obiit, et quidem immediate post hujus mortem; admittamus, annos illos 22 computatos esse a primo initio (4) illarum calamitatum; tamen non erunt nisi 20 anni completi.

(1) Hanc opinionem Tertullianus docuit lib. *de Baptismo*.

(1) In vulgata legitur (Marc. XIII, 21): *Et tunc, si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, ecce illic, ne credideritis.* Qua editione auctor usus fuerit, mihi non constat; illuc advertendum duxi, quod in Cyprianica 72 ad Jubaianum textus sub iisdem omnino formalibus ad eumdem finem adhibeatur. *Multi*, inquit, *venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus, et multos fallent.* Item in libro *de Unitate*.

(2) Eusebius, vid. lib. VI, c. 26, 31. Ubi de ipso refert quod præcipuos Firmiliani condiscipulos cognoverit, Gregorium et Athenodorum, Ponti episcopos, suo tempore adhuc superstites.

(3) Hoc argumentum maxime premit, si epistola nomine totius concilii, ut plures affirmant, missa fuerit ad S. Cyprianum; an nullus episcoporum illorum tempus determinare potuit, quo illa recentissima facta contigissent?

(4) Dicuntur fuisse numero multæ, at quæ, vel quales fuerint, non additur. Insuper terræ motus plurimi et frequentes. Fleurius, lib. VI, § 1; Pagius illos terræ motus alligarunt anno 235, innitentes

Digitized by Google

Quid ad hæc Pagius? Ait : Annos viginti duos utrinque quoad primum, et ultimum incompletos esse computandos. Ast 1°. hac phrasi id quod ante 15 menses contigit, ante tres fere annos accidisse dici poterit; nempe primus et ultimus annus sumantur incomplete. 2°. Nequidem 20 anni a tempore terræ motuum usque ad annum 258 effluxerunt, uti jam videbimus.

53. Pergit : « Terræ motus etiam plurimi, et frequentes extiterunt (nempe ante 22 annos temporibus post Alexandrum) ut per Cappadociam et Pontum multa subruerent; quædam etiam civitates in profundum receptæ dirupti soli hiatu devorarentur, ut ex hoc persecutio gravis adversum nos Christianos fieret. »

I. Quænam illa multa quæ subruerint? Quænam illæ civitates in Cappadocia et Ponto? Miror quod auctor nullam S. Cypriano in illa epistola (1) nominaverit.

II. Eusebius causam longe aliam, cur temporibus post Alexandrum Maximinus in Christianos sævire cœperit, assignat, nempe odium Maximini adversus Alexandrum antecessorem suum; Alexandri quippe domus complures numerabat Christianos. Hanc domum ut extirparet, in Christianorum nomen sævire decrevit (2).

III. Verum est quod temporibus post Alexandrum dira persecutio et terræ motus magni fuerint; sed 1°. hi persecutionem subsecuti sunt. 2°. Fuere notiores Cypriano, quam ut huic ex Cappadocia post 22 annos renuntiari debuerint. Persecutio cœpit sub Maximino ab anno 235. Terræ motus ante annum 241 non invaluerunt. Audiatur Julius Capitolinus, scriptor ethnicus, qui vixit circa finem sæculi III, et initium IV : « Gordiano iterum et Papiniano consulibus bellum Persicum natum est... fuit terræ motus eo usque gravis, imperante Gordiano, ut civitates etiam terræ hiatu cum populis deperirent : Ob quæ sacrificia per totam urbem, totumque orbem terrarum ingentia celebrata sunt (1). Sedato terræ motu, Prætextato, et Attico consulibus, Gordianus profectus est contra Persas... In Persidis finibus occisus a Philippo successore. » — At vero secundus Gordiani consulatus ante annum 241 poni non poterit; ergo inter terræ motum et annum 256 non fluxerunt anni 22 incompleti.

IV. Cum pseudo-Firmilianus suam epistolam 22 annis post terræ motus scriptam fuisse asserat; necesse est, eam editam fuisse anno 253, quo tempore SS. Stephanus et Cyprianus jam fuerant mortui.

54. « Quæ persecutio post longam retro ætatis patem repente oborta de inopinato et consueto malo ad turbandum populum nostrum terribilior effecta est, quæ tamen localis tantum fuerit, extra fines Cappadociæ non extensa... Serianus *tunc fuit* in nostra provincia præses acerbus et *dirus* persecutor. »

I. Sæculo III fuerunt persecutiones generales. 1°. Sub Severo gravissima (2) per Europam, Africam et Asiam ad annum 211 et ultra; ut taceam de temporibus Alexandri. 2°. Fuit sub Maximino ab anno 235, quo tempore Origenes e Palæstina in Cappadociam secesisse creditur. 3°. Decii ab anno 250, etc. Ubi jam illa diuturna ætas pacifica (3).

II. Falsum est, quod persecutio Maximini circa annum 235 excitata, fuerit dumtaxat localis intra Cappadociæ fines restricta; cum universalis fuerit contra sacerdotes. Vehementius sæviit in Palæstina teste Eusebio (4). In Italia S. Pontianum papam sustulit, ut fatetur ipse Pagius Firmilianicæ patronus (5), qui etiam admittit eam in Illirico et Thracia grassatam fuisse. An dicemus S. Firmilianum hæc falsa ex iræ impetu effutiisse, ut supra num. 37?

III. Durus et acerbus illo tempore persecutor fuit Maximinus imperator, sub quo parentes S. Basilii Magni in sylvis Ponticis diu latitarunt, ut ex Gregorio Naz. constat; et nescio an Cappadocia pro tunc habuerit specialem præsidem, nomine Serianum. Interim id, cui nolo immorari, ex scriptoribus profanis colligendum foret.

IV. Cum pseudo-Firmilianus supponat illam persecutionem S. Cypriano fuisse ignotam, et ideo huic eamdem renuntiet post 22 annos, mirandum 1° Cur nullius martyris nomen addiderit, vel passionis modum? 2° Cur alterius persecutionem recentioris sub

pseudo-Firmiliano; Selvagius, lib. I, c. 9, § 9, adducit testimonium Origenis Homil. 28, in Matthæum. Ast 19 illæ homiliæ sunt probabiliter suppositiæ teste Bellarmino. 2°. Pseudo Origenes ait dumtaxat : *Scimus apud nos terræ motum esse factum;* ast ubi quo anno, non addit. Porro quod tempore Origenis terræ motus fuerint admitto, nempe circa annum 242. Item circa annum 202, quo ultimo anno Origenes florere cœpit. Vid. Fleurius lib. V, § 20.

(1) Aliud foret in historico qui multas res gestas in compendium redigit, vel in prima post terræ motum consternatione infortunia illa in Africam renuntianda habuisset.

(2) Eusebius lib. VI, c. 28. Huic magis credendum quam Selvagio, lib. I, c. 9, § 9, opinanti : Imprudentiam unius militis Christiani coronam militarem capite gestare renuentis fuisse causam illius persecutionis. — Quod Alexander Christianis faverit, contestatur Ælius Lampridius scriptor ethnicus his verbis : *Alexander Christianos passus est... Christo templum facere voluit, eumque inter deos recipere.... Christianis permisit Deum suum publice colere; a Christianis, vel Judæis didicerat : Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.* Hoc non obstante jurisconsulti, ut Ulpianus, contra Christianos grassati fuere, ut nihilominus multi martyres sub Alexandro imperatore occisi fuerint. Hæc subnexui ad præoccupandas objectiones.

(1) Vero similius est et Christianis libertatem fuisse concessam suum Deum exorandi.

(2) Euseb., l. VI, *H. E.*, c. 6.

(3) Pseudo Lactantii liber hac in re non meretur fidem. Videsis meas dissertationes *de Cathedra Petri*.

(4) Euseb. l. VI, cap. 28. Fleurius l. VI, § 3, putat Origenem metu persecutionis illius e Palæstina fugisse in Cappadociam ad S. Firmilianum, ibique biennio commoratum fuisse.

(5) Pagius ad annum 253, n. 3.

Digitized by Google

Decio in Cappadocia (1) ab anno 250 grassatæ non meminerit.

Addit aliam historiam valde paradoxam (2), nempe dæmonem in Cappadocia, seu mulierem a dæmone obsessam, consecrasse, baptizasse sub forma legitima :

« Ut nihil discrepare ab ecclesiastica regula videretur. Quid igitur de hujus baptismo dicemus, quo nequissimus dæmon per mulierem baptizavit? Numquid et hoc baptisma, et qui illi (Stephano) consentiunt, comprobant?... Potest credi remissio peccatorum data.... ubi omnia, quamvis ad imaginem veritatis, tamen per dæmonem gesta sunt, nisi si et dæmonem in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti gratiam Baptismi dedisse contendunt, qui hæreticorum Baptisma defendunt. » Porro narrationem incepit his verbis :

« Emersit istic subito (quando fideles metu persecutionis localis e Cappadocia in alias regiones fugiebant) quædam mulier (3), quæ principalium dæmonum impetu ferebatur, ut per longum tempus sollicitaret, et deciperet fraternitatem et facere se terram moveri polliceretur. Quibus mendaciis dæmon subegerat mentes singulorum ut sibi obedirent, et quocumque præciperet et duceret, sequerentur. Diceret etiam mulier, se in Judæam et Jerosylmam festinare fingens, tamquam inde venisset. Ilic et unum de presbyterio Rusticum, item et alium diaconum fefellit, ut eidem mulieri commiscerentur, quod paulo post detectum est ; nam subito apparuit unus de exorcistis. Inter cætera quibus plurimos deceperat, etiam hoc frequenter ausa est, ut Eucharistiam facere simularet, et sacrificium Domino sine sacramento solitæ prædicationis offerret, baptizaret quoque multos usitata, et legitima verba usurpans ut nihil discrepare videretur, etc., ut supra. »

I. Hæc « istic, » id est in Cappadocia « ante 22 » fere annos contigisse renuntiat pseudo-Firmilianus Cypriano ; cur non ait : « hic, apud nos, meo tempore » contigerunt? Siquidem S. Firmilianus anno 235, modo fuerat episcopus in Cappadocia. Ratio facile patet : noster fabulator non habitavit in Cappadocia ; et impossibile est mendacem sibi semper esse memorem. V. n. 34, II.

II. An cum mulier illa post « longum tempus « sollicitaverit fraternitatem, « multos » baptizaverit, « plurimos » immo « singulos » deceperit, singulorum mentes subegerit, etc., nullus tantæ cladi in Cappadocia se opposuit? Omnino. Siquidem « statim » ille malus spiritus fuit revinctus ; ac presbyterum illi mulieri fuisse permixtum, non nisi ex post detectum fuit ; quomodo illud « longum tempus » explicandum sit, viderint alii.

« Nam subito apparuit illi unus de exorcistis vir probatus ; qui exhortatione quoque fratrum plurimorum, qui et ipsi fortes, et laudabiles in fide aderant, excitatus erexit se contra illum spiritum nequam revincendum. »

I. Hujus exorcistæ nomen (qui dormitantibus episcopis, presbyteris et diaconibus « post longum tempus subito » apparuit mulieri quæ istic subito emerserat) dignum fuisset ut S. Cypriano fuisset perscriptum loco Rustici (quod est nomen Latinum non Græcum) presbyteri, qui mulieri dæmoniacæ permixtus fuisse studiose refertur. Sed nonne illa enarratio cedit in manifestam S. Firmiliani episcopi, totiusque reliqui cleri Catholici infamiam ? Presbyterum et diaconum, quos mulieri permixtos fuisse paulo post detectum est, habemus ; nullus qui se mulieri opposuisset, ex episcopis, presbyteris, vel diaconibus comparet. Unus exorcistarum anonymus se erexit. Ast.

II. Sæculo III apud Græcos nondum fuerunt exorcistæ (1), qui specialem inter clericos minores ordinem habuerint. Vid. Bingham, l. III, c. 4, § 1 et 2. Quilibet christianus illo tempore ejiciebat dæmones obvios, non solum ex hominibus, sed ex brutis, et locis diabolo dicatis, ut testatur Origenes l. VII contra Celsum circa annum 253 edito. Consentit S. Cyprianus, epistola ad Donatum, quæ est genuina, c. 6.

Postquam ex illis Pauli verbis : *Quotquot in Christo tincti estis, Christum induistis*, contra Stephanum argumentatus fuerat, subdit : « Decurramus vero breviter et cætera, quæ a vobis copiose et plenissime dicta sunt, festinante vel maxime ad vos Rogationo charissimo diacono nostro. » Tunc evagatur per Psalmos et Cantica Canticorum, ut inde nova pro suo anabaptismo colligat argumenta, seu repetat ea quæ ab Afris « copiose et plenissime » jam dicta fuisse simul asserit. Tædet sequi, cum illam excusationem ex importunitate festinantis nuntii desumptam supra satis expenderimus, n. 34.

Cap. 7. In petram impingit iratus. Catholici (ut patet ex S. Augustino) Donatistis, aliisque Anabaptistis constanter opposuerunt traditionem Ecclesiæ Romanæ. Videamus, quomodo hoc argumentum convellere enisus fuerit pseudo-Firmilianus ! Se ipsum erigit, et nomine episcoporum rebaptizantium contra Catholicos conviciando ita proloquitur : « Qualis error, et quanta cæcitas ejus, qui remissionem peccatorum dicit apud synagogas hæreticorum dari posse, nec permanet in fundamento unius Ecclesiæ, quæ semel a Christo supra petram solidata est. Potestas erga peccatorum remittendorum Apostolis data est, et Ecclesiis, quas illi a Christo missi constituerunt, et

(1) Fleurius refert in hac S. Mercurium virum militarem Cæsareæ in Cappadocia martyrium subiisse. l. VI. § 40, 41.

(2) Hoc singulare factum suæ Historiæ ecclesiasticæ inseruerunt recentiores. Fleurius l. VI, § 4. Pagius ad annum 235. Baronius ad annum 237. Mihi fabula videtur, in posterum ex historiis ecclesiasticis eliminanda.

(3) Tillemontius fuit miratus hanc historiam a S. Augustino fuisse ignoratam ; ego non miror, cum sit fabula post mortem S. Augustini conficta.

(1) Apud Latinos Romanos tamen prima exorcistarum mentio occurrit in epistola Cornelii papæ circa annum 251, scripta ; et relata apud Eusebium, l. VII, c. 43.

Digitized by Google

episcopis qui ejus ordinatione vicaria successerunt (1). Adversarii nostri, quid aliud sunt, quam Chore, Dathan, et Abiron sacrilegi, easdem, quas et illi pœnas daturi? Atque ego in hac parte juste indignor ad hanc tam apertam et manifestam Stephani stultitiam, quod, qui sic de episcopatus sui loco gloriatur et de successionem Petri contendit tenere, super quem fundamenta Ecclesiæ collocata sunt, multas alias petras inducat, et ecclesiarum multarum nova ædificia constituat, dum esse illic Baptisma sua auctoritate defendat. »

I. Cui Apostolo successerit, reticuit (2) auctor epistolarum Cypriani et Firmiliani, qui in illa comparatione qua suos adversarios appellat Chore, Dathan et Abiron, sibi adeo complacuit, ut eam quinquies adhibuerit (3). Nunc tandem et in singulari proloquitur asserens : « Ego juste indignor ad tam apertam et manifestam Papæ stultitiam. »

II. Vult uni petræ inhærendum esse, nulla nova ædificia esse construenda. Quid ergo disponendum circa « antiquam » Ecclesiæ Romanæ disciplinam de non rebaptizandis hæreticis? Hanc, ait, esse abrogandam, ut. n. seq. audiemus.

Postquam dixerat : « Judeos ignorantia et gravissimo facinore constrictos esse, addit : Stephanum, qui successionem in cathedram Petri se habere prædicat, » esse pejorem illis obstinatis Judæis (4); cap. 8. Ita incipit : « Quod autem pertinet ad consuetudinem refutandam..... quis tam vanus sit ut veritati consuetudinem præferat?... Nisi si et Judæos Christo adventante, id est, veritate, adjuvat in aliquo antiquissima consuetudo, quod relicta nova veritatis via in vetustate permanserint. Quod quidem adversus Stephanum vos dicere Afri potestis, cognita veritate errorem vos consuetudinis reliquisse. » Cæterum nos, etc...

I. Igitur 1. Usque ad medium sæculi III per Africam fuerat consuetudo non rebaptizandi. 2. Ecclesiæ Africanæ usque dum cum Romana in errore versatæ fuerunt circa valorem Baptismi. 3. Illum errorem tunc tandem, cognita veritate, deposuerunt Afri; quanta accusatio? Insuper.

II. Qualis paritas : Christus abrogavit legem Mosaicam; ergo Ecclesia debet abrogare eas, quas ab antiquo accepit, traditiones! — « Cæterum nos (Firmilianus, etc.) consuetudini Romanorum consuetudinem, sed veritatis, opponimus, ab initio hoc tenentes, quod a Christo et ab Apostolis traditum est; nec meminimus, hoc apud nos aliquando cœpisse, cum semper istic (1) observatum sit, ut... » Imperitus impostor pertinacissime contenderat, quod illa quæstio : « An valeat baptismus hæreticorum, » non potuerit decisa fuisse tempore Apostolorum : v. n. 35, 36. 47, nunc asserit eam ab Apostolis, immo ipso Christo fuisse decisam in favorem rebaptizantium; quanta contradictio!

Repetit de sua synodo Iconiensi, de qua n. 49, jam dixerat; nunc incautus adjecit causam, cur illa celebrata fuerit : « Plane, quoniam quidam de eorum Baptismate dubitabant, qui et si novos prophetas recipiunt, eodem tamen Patrem et Filium nosse nobiscum videntur; plurimi simul convenientes in Iconio diligentissime tractavimus, et confirmavimus, repudiandum esse omne omnino Baptisma quod sit extra Ecclesiam constitutum. » Ecce ergo *nunc* meminit 1° Quod Iconii post diligentissimam *inquisitionem* primum lex condita fuerit de repudiando omni Baptismate, quam n. præc. a Christo derivaverat semper observatam. 2° Nunc admittit Cataphryges nobiscum nosse Patrem et Filium, quod supra n. 46 negaverat.

« Nos etiam illos quos hi, qui prius in Ecclesia catholica episcopi fuerant, et postmodum sibi potestatem clericæ ordinationis (2) assumentes baptizaverant, pro non baptizatis habendos judicavimus. Et hoc apud nos observatur ut, quicumque ab illis tincti ad nos veniunt tamquam alieni et nihil consecuti, unico et vero Ecclesiæ catholicæ Baptismo apud nos baptizentur..... Et tamen *multum interest* inter eum qui invitus, et necessitate persecutionis coactus succubuit; et illum qui sacrilega voluntate contra Ecclesiam audax rebellat, vel... Et non pudet Stephanum. »

Sensus est perobscurus; an dicere voluit : Qui ab episcopis Romano-catholicis tincti fuerunt, si ad nos venerint, vero Ecclesiæ catholicæ Baptismo lavandi sunt? An : episcopis catholicis ad nostras partes transgressis non permittimus baptizare? An vero : Episcopus semel lapsus, licet ex metu, non potest valide baptizare? Tantus ubique error, ut nimium injurii forent in S. Firmilianum, siqui huic impostorum fatam epistolam adhuc attribuerent.

Cap. 9. « Et non pudet Stephanum hoc asserere ut per eos, qui ipsi in omnibus peccatis sunt constituti, dicat posse remissionem peccatorum dari..... Tibi ergo erit, quod scriptum est : Ab aqua aliena abstine te, et a fonte alieno ne biberis (3). »

I. Necesse est ut pseudo-Firmilianus potestatem

(1) Auctor Cyprianicarum eodem modo loquitur ep. CXVI. *Præpositos qui Apostolis ordinatione vicaria succedunt.* In pseudo synodo Carthaginensi, 87, episcoporum rebaptizantium : *Apostolos quibus nos successimus.* Apud alios SS. Patres illæ phrases non occurrunt. Vide tamen Bingham *de Originibus, seu Antiq. Ecclesiasticis*, l. II, c. 2, § 2; Salvagium *de Antiq. Christianis*, l. I, c. 12, § 4, n. 2.

(2) Vid. meas *de Cathedris*, n. 120, ubi admonui, quod ex 12 Apostolis solus Petrus cathedram fixam elegerit, eamque Romanam.

(3) Ep. 55, 58, 73, 75, 76; ut adhuc omittam librum *de Unitate Ecclesiæ*.

(4) Durioria sequentur a n. 64.

(1) Istic, id est, apud nos in Cappadocia. V. n. 56.

(2) Hæc phrasis : *clerica ordinatio*, etiam occurit in Cypriania 66.

(3) Hic textus : *ab aqua aliena*, etc., abest a codicibus Hebræis et a vulgato latino; adhibitus tamen fuit a Tertulliano l. I adv. Marcionem, et a Numeriano ins pseudo-synodo Carthaginensi III sub pseudo-Cypriano.

Digitized by Google

quam qua sacerdos habuit; remittendi peccata propriæ suæ personali sanctitati adscripserit.

II. Textus citatus videtur desumptus ex Prov. v. ubi dicitur : *Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui.* Quam parum is favent rebaptizantibus, relegenti patebit.

Tandem annectit longissimam (utique quia nuntius maxime festinabat) et durissimam contra Stephanum invectivam, declamans, ut sequitur :

« Ecclesiam polluis... Stephane papa! nec metuis judicium Dei hæreticis testimonium contra Ecclesiam perhibens, cum scriptum sit : *Falsus testis non erit impunitus.* Quinimmo tu hæreticis omnibus pejor es... Obscurato lumine veritatis ecclesiasticæ, tenebras hæreticæ noctis accumulas..... nec intelligis animas eorum qui ab hæresi venientes non rebaptizantur de manu tua exquiri, cum dies judici advenerit..... Et insuper indignaris? Vide qua imperitia reprehendere eos audeas (Anabaptistas), qui contra mendacium pro veritate nituntur... Nisi quod imperitos etiam animosos, atque iracundos esse manifestum est, dum per inopiam consilii et sermonis ad iracundiam facile vertuntur, ut de nullo alio magis quam de te dicat Scriptura divina : *Homo animosus parit lites et vir iracundus exaggerat peccata* (1); lites etiam, et dissensiones, quantas parasti per Ecclesias totius mundi? Peccatum vero quam magnum tibi exaggerasti, quando te a tot gregibus scidisti? Excidisti enim te ipsum, noli te fallere; siquidem ille est vere schismaticus, qui se a communione ecclesiasticæ unitatis apostatam fecerit; dum enim putas, omnes a te abstinere posse, solum te ab omnibus abstinuisti. »

Ecce qui S. Stephanus traditionem suæ Ecclesiæ Romanæ defenderat, dicitur testis falsus, schismaticus, apostata, peccatorum maximus, omnibus hæreticis pejor. Proh! quanta est pseudo-Firmiliani petulantia!

Immiscet verba Pauli dicentis : « *Obsecro ergo vos ego vinctus in Domino, digne ambulare vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate sensus, et lenitate, cum patientia sustinentes invicem in dilectione, satis agentes servare unitatem spiritus in conjunctione pacis.* »

Tunc prosequitur per ironias tam falsas, quam amaras prima : Hæc Apostoli mandata quam diligenter Stephanus implevit, humilitatem sensus, et lenitatem primo in loco servans! Quid enim humilius, aut lenius, quam cum tot episcopis per totum mundum dissensisse, pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpere? » Modo...

Si pseudo-Firmiliano fides habenda, episcopi totius mundi se Papæ opposuerunt. Magnus sane triumphus, quod Papa contra totius mundi episcopos solus victoriam reportaverit. Sed quæ sunt illa varia discordiarum genera? S. Dionysius Alexandrinus in epistola Stephano papæ transmissa diserte (2) testatur, quod universæ Orientis Ecclesiæ in pacem coaluerint concordes. Ex his præcipuos Stephano renuntiare volens, signanter nominat S. Firmilianum. Excipit Bertius (1), concordes fuisse unice quoad Novatum rejiciendum, excepto puncto rebaptizationis. Ast nimis torta est hæc restrictiva interpretatio; nam 1. Novatus erat præcipuus auctor rebaptizantium. Si ergo episcopi Orientis rejecerint Novati hæresin, necesse est ut hujus novum dogma rebaptizationis aversati fuerint. 2. Eusebius nihil meminit de variis Stephanum inter et Firmilianum discordiis; nihil de episcopis totius mundi, qui summo Pontifici se opposuissent.

« Modo cum Orientalibus, quod nec vos latere confidimus; modo vobiscum, qui in meridie estis, a quibus... »

Mirari quis posset, si S. Firmilianus hæc vere scripserit, et suos Cappadoces vocare voluerit Orientales; cur non dixerit : modo nobiscum Orientalibus, modo vobiscum Occidentalibus? Nam Africa Carthaginensis nec absolute, nec respective posita est in meridie : non absolute; quia non est posita intra tropicos : non respective ad Cappadociam, quia Carthago Cappadocibus est occidentalis, sicut nobis Westphalis v. g. Philadelphia Americæ septentrionalis est posita versus occasum. Si Philadelphia nobis non sit meridionalis, nec Carthago Cappadocibus versus meridiem posita est. Consulatur geographia.

Donatistæ Africani gloriari solebant tempore S. Augustini, se in meridie positos esse, ut n. 81. Sequitur ironia 2 : « A quibus legatos episcopos patienter satis et leniter suscepit, ut eos nec ad sermonem saltem colloquii communis admitteret. Adhuc insuper charitatis et dilectionis præciperet fraternitatis universæ, ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solum pax et communio, sed et tectum et hospitium negaretur. »

Totum, quod hic enarratum fuit, mihi videtur fictitium, post tempora Eusebii, Hieronymi, immo S. Augustini excogitatum. Notum est quod Donatistæ Africani plurima mendacia in Historiam Ecclesiasticam insperserint, signanter contra episcopos Romanos. Tempore S. Augustini jam commenti fuerant, quod S. Marcellinus papa sub initium sæculi IV, in persecutione Diocletiani idolis thus adolevisset (2).

(1) In nostra vulgata, Prov. XXIX. Vir iracundus provocat rixas, et qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivis.

(2) Apud Eusebium, l. VI, c. 5.

(1) L. XXXI, c. 1, n. 21.

(2) S. Aug. *de Unit. Bapt. cont. Petilianum*, c. 16. Quid opus est ut episcoporum Ecclesiæ Romanæ, quos incredibilibus calumniis insectatur Petilianus Donatista, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus et presbyteri ejus pro tunc, postea summi Pontifices, Melchiades et Sylvester traditionis codicum divinorum et thurificationis ab eo crimine arguuntur. Sed numquid ideo etiam convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos et sacrilegos fuisse dicit : ego innocentes fuisse respondeo. Quid laborem probare defensionem meam, cum ille nec tenuiter probare conatus sit accusationem suam? Si est ulla humanitas in rebus humanis, puto nos justius posse reprehendi, si ignotos homines, quos criminantur inimici, nec eorum crimen ulla testificatione demonstrant, nocentes po-

Digitized by Google

Quoad rebaptizantes eo jam progressi fuerant, ut dixerint (an vere, vel falso, nolo hic examinare) S. Cyprianum rebaptizasse; nihilominus S. Stephanum papam adhuc recensebant inter eos qui episcopatum gessissent illibatum; nam episcopum Romanum in quo ceu peccatore successio Petri defecisset, primum statuebant Marcellinum. Jam subsummo: si illo S. Augustini tempore Epistola Firmilianica modo innotuisset, vel si Stephanus Africanos rebaptizantium legatos episcopos tam inurbane habuisset, vel si S. Cypriano excommunicationem dumtaxat comminatus fuisset; an Donatistæ S. Stephano papæ tantum honoris permisissent? An non potius docere debuissent Stephanum fuisse primum, in quo auctoritas Petri finem habuisset? Sane igitur præfata dicteria contra S. Stephanum prolata interim habenda sunt tamquam putida mendacia, donec aliunde quam ex pseudo-Firmiliano probentur. Testimonia Fleurii, Alexandri, Dupinii, Cavei nihil juvant; nam omnes pseudo-Firmiliano credidere. Frustra laborarunt Baronius, etc., ut Stephanum excusarent; nam totum est fictitium.

A

B

Ironia 3°, contra summum Pontificem (1).

« Hoc est servasse unitatem... Abscindere se a charitate, et alienum se per omnia fratribus facere, et contra sacramentum et fidem contumacis furore discordiæ rebellare. Apud talem potest esse unum corpus, et unus spiritus, apud quem fortasse ipsa anima una non est; sic lubrica, mobilis et incerta? Sed quantum pertinet ad illum, relinquamus. »

C

I. Ecce, qui ex institutione divina est centrum unitatis, declaratur ut abscissus ab unitate, fratribus per omnia alienus, contra sacramentum et fidem contumax, furibundus, discors, rebellis, lubricus, mobilis, incertus, et cum hæc convicia sedulus congesserat, et omnia effutierat contra Stephanum; tunc demum decernit abstinendum esse ab ulterioribus conviciis, ac quæstionem principalem potius discutiendam esse.

II. Quis credat hanc fuisse vocem alicujus sancti episcopi de Papa suo superiore conquerentis? Acerbiora sequentur n° 74. — Bertius (1), ut persuadeat esse propriam Firmiliani vocem, asserit: « Dari exempla sexcenta in quibus sancti Patres ita mutuo excanduerint. »

Ast ego censeo dari nullum istiusmodi exemplum. Bertius adducit duos, Polycratem et S. Irenæum, qui pertinaces restiterant S. Victori papæ.

Verum enimvero 1°: Hi duo non sunt sexcenti. 2° Illi duo pertinent ad unum et idem exemplum controversiæ circa Pascha celebrandum. 3° Neuter eorum summo Pontifici conviciatus fuit. S. Irenæus episcopus nomine fratrum per Galliam, quibus præerat, scripsit, et Papam deprecatus est, ne episcopi Asiæ excommunicarentur (2).

Nunc conviciando quasi lassatus et exhaustus denuo attentat suam hæreticam opinionem ex sacris scriptoribus probare: « Sed quantum ad illum (Stephanum) pertinet, relinquamus: excutiamus potius id de quo maxima est quæstio. »

Tunc sequenti utitur sorite: « Nobis et hæreticis non est unus Deus et Dominus, et fides, alioquin non hæretici, sed Christiani; ergo nec idem Baptismus; nam ad concordiam exhortans Paulus ait: *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus.* »

Nemo non videt esse sophisma; nam nobis, et hæreticorum plurimis est unus, idemque Deus, sicut nobis, et v. g. Lutheranis est unus idemque Baptismus a Christo traditus.

Denique novo impetu contra S. Stephanum iterum debacchatur; et dum tempus ipsi defuit congruam scribendi epistolam, repetit ea quæ superius n° 64, 39, jam scripserat. — « Et non pudet *Stephanum* hæreticis adversus Ecclesiam patrocinium præstare, et propter hæreticos asserendos fraternitatem scindere, insuper, etc. »

Stephanus hæreticis nullum adversus Ecclesiam patrocinium præstitit; siquidem eorum Baptismum cum Apostolis et universa Ecclesia veneratus est ut validum, non propter ministrum, vel hujus hæresin, sed propter materiam et formam a Christo traditas. Male traducerer ut fautor Lutheranorum, vel Calvinistarum, licet admitterem quatuor Evangelia a nobis Catholicis accepta apud illos mansisse integra et genuina, ex illis hauriri posse sanam doctrinam.

D

Porro cum sanctissimus pater noster Stephanus papa ita indigne vapulet, nos cuncti qui eamdem profitemur fidem, in faciem cædimur, et non indignamur?

Ultima nunc sequuntur, eaque gravissima contra sanctissimum Papam, ut vilissimus scurra duriora et acerbiora scommata evomere non potuisset. S. Stephanum traducit tamquam dolosum operarium, pseudo-apostolum, immo pseudo-Christum. Ambagibus utitur ille festinus scriptor; et novum accumulat

tius quam innocentes crediderimus. Ita S. Aug. l. cit., qui l. III cont. Crescon. multa alia facta historica recenset a Donatistis contra episcopos Catholicos conficta. Quod lapsus Liberii papæ similiter ab hæreticis fuerit confictus, ita demonstrarunt Bollandistæ ad diem 23 sept., ut Bertius Bollandistis assensum præbuerit.

(1) In Ep. Cyprianicarum 69, Florentius Pupianus episcopus introducitur, quod (Pseudo) Cyprianum vocaverit superbum; igitur Cyprianus probat, se esse vere humilem, et Florentio regerit: *An tu* (humilis) qui te episcopum episcopi, et judicem judicis a Deo docti constitutis, cum Dominus in Deuteronomio dicat: Et homo, quicumque fuerit in superbia, ut non exaudiat sacerdotem aut judicem, quicumque fuerit in diebus illis, morietur homo ille. Adducitur S. Paulus; qui in falsis et spoliatis sacerdotibus umbram tamen ipsam inanem sacerdotalis nominis veneratus dixerat: Nesciebam, fratres, quia Pontifex est; scriptum est enim: Principem populi tui non maledices. Pseudo Firmilianus se judicem summi Pontificis constituit.

(1) L. XXXI, c. 13, n° 5.

(2) Eusebius, v, lib. c. 26. — Immo et illa Polycratis, et Irenæi facta non sunt omnino certa; suspicor Eusebium fuisse interpolatum tam in causa quarto-Decimanorum, quam Anabaptistarum.

Digitized by Google

mendacium, nempe talia scommata ex ore ipsiusmet summi Pontificis primum profluxisse. En illius verba.

« Stephanum non pudet . . . insuper Cyprianum pseudo-Christum et pseudo-apostolum, et pseudo-operarium (1) dicere? Qui omnia inter se esse conscius prævenit, ut alteri ea per mendacium objiceret, quæ ipse ex merito audire deberet. Bene te valere etc. — Quis credat quod S. Stephanus S. Cyprianum, cujus nomen Ecclesia Romana suo missæ canoni inseruit ab antiquo, vocitaverit pseudo-apostolum, pseudo-Christum? Et hæc Papa ex merito audire debuit?

Recordor quod etiam Lutherus (2) papam vocitaverit Antichristum; sed nescio, quis petulantior fuerit contra supremum totius christianæ Ecclesiæ caput, an Lutherus, an vero pseudo-Firmilianus? Pamelius, Rigaltius, Fellius, Pearsonius, Baluzius, Tillemontius aiunt, Firmilianum esse excusandum ob æstum disputationis. Verum tunc et Lutherum excusare debebimus et vix non cunctos sycophantas. Conc ludit.

« Bene te valere omnibus nobis cum universis, qui in Africa sunt, episcopis et cunctis clericis et omni fraternitate universi optamus, ut perpetuo unanimes, et unum sentientes habeamus nobiscum etiam de longinquo adunatos. »

Hæc est famosa inter Cyprianicas epistola ordine 75, sub nomine Firmiliani publicata, quæ omnium eruditorum ingenia usque huc mirum in modum vexavit.

Cum eam esse suppositiam, et vero Catholico penitus indignam, abunde demonstrasse mihi videar, ulterius progrediendum reor investigaturus, cuinam sectæ addictus, et quo circiter tempore, et loco auctor hujus famosæ epistolæ vixerit.

Deprehensus aliquoties n° 23 — 26 — 76, fuit, singulariter et extraordinarie gravisus ex eo, quod invenerit in longinquo « Coadunatos, et unum sentientes. » tholicus episcopus non adeo tripudiasset ex eo, quod audivisset Carthagine in Africa dari episcopum sibi quoad dogmata consentientem. Carthago pro illo tempore spectari poterat seu posita quasi in meditullio imperii Romani, quod Catholicis redundabat; Cappadocia erat una ex ejusdem Romani imperii provinciis.

S. Augustinus, sub initium sæculi v, Donatistis rebaptizantibus objecerat, et sæpissime repetierat, eorum ecclesiam nec toto orbe diffusam, sed nec in longinquo coadunatos habere; quid ergo mirum, si quis Donatista tandem procuderit præfatam epistolam, cum hoc et Donatistarum hæresin sapiat?

PROPOSITIO III.

*Verosimilius est quod aliquis Donatista Africanus fatam epistolam composuerit, sed post tempora sancti Augustini.*

55. I. Pars. Et quidem, quod post tempora S. Augustini primum innotuerit, inde conjicio: 1° Quia usque ad ætatem S. Augustini a nullo scriptore relata fuit. 2° Quia ne quidem S. Augustino a Donatistis Africanis objecta fuisse legitur (1). Cum tamen ipsis maxime favorabilis fuisset, ac pro tunc, nempe circa initium sæculi v, causa rebaptizationis per Africam quam fervidissime agitaretur.

3. Quia Donatistæ tempore sancti Augustini sanctum Stephanum papam adhucdum recensebant inter eos pontifices qui episcopatum Romanum gesserunt illibatum. At vero juxta Firmilianicam Stephanus fuisset sacrilegus, pseudo-Christus, etc.; et ideo quidem, quod in episcopos Africanos rebaptizantes peccasset, n. 75, n. 65.

Excipit Bertius (2), etiam Basilius Magnus circa annum 375, adeoque sæculo IV, docuit: « Baptismum hæreticorum non valere, interim observandum esse morem cujuslibet regionis, » et tamen nec ad hujus sancti Basilii epistolas, sæculo IV conscriptas, provocarunt Donatistæ sæculo V: ergo argumentum ex Donatistarum silentio desumptum non stringit.

R. 1. Nego et illas epistolas, quæ theologis dogmaticis molestias usque huc insuperabiles crearunt, esse genuinum sancti Basilii fœtum (3). De illis sermo recurret, n. 90. Modo occupemur circa epistolam Firmilianicam. Igitur:

R. 2. Transeat antecedens, nego consequentiam. Epistolæ illæ canonicæ, si genuinæ sint, fuerunt litteræ privatæ, quas Basilius ad sanctum Amphilochum in Oriente episcopum exaravit: epistola Firmilianica fuit publica, quasi synodica, duobus conciliis Iconiensi et Synodensi, ut dicitur, innixa, directa ad universos Africæ episcopos rebaptizantes, edita circa medium sæculi III. Hæc igitur si umquam vere extiterit, circa initium sæculi V, Africanis ignota esse non potuisset.

Ut vis argumenti negativi evidentior appareat, status controversiæ, quantum huc pertinet, ad mentem revocandus est.

Sanctus Augustinus Donatistis opposuerat, asserendo: quod tot millia episcoporum, etiam Orientales, consentirent circa valorem Baptismi ab hæreticis collati, quod vera Ecclesia sit universalis per totum orbem diffusa, quod soli Donatistæ intra Africam conclusi contra reliquam universam Ecclesiam docerent, talem Baptismum esse invalidum.

Cresconius nomine Donatistarum fatetur; quod Orientales (Catholici) (4), pro tunc quidem nobis

(1) Ob illa tria verba: pseudo-Christus, etc. jam olim Christianus Lupus apud Missorium dubitavit an epistola Firmiliani sit vera.

(2) In Symposiacis.

(1) Cum de concilio Sinuessano, in quo S. Marcellinus papa suum lapsum coram 300 episcopis confessus fuisse dicitur, tempore S. Augustini necdum aliqua mentio facta fuerit a Donatistis; merito censet Missorius illud postea a Donatistis fuisse confictum. Revideatur n° 69.

(2) Berti, l. XXXI, c. 13, prop. III, n. 6.

(3) Quædam ex illis excerpta videri poterunt apud Tourneli de Sacramentis in genere, q. 7, art. 2. Vel apud Natalem ad sæculum III, vel Fleurium *Hist. Eccl.*, lib. XVII, § 14, qui eas esse genuinas credidere.

(4) De Catholicis sermo erat; puduit enim Dona-

Digitized by Google

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Porro Donatistæ inter se non consensiebant; subdivisi fuere in varias sectas, puta Rogatistas, Circenses, Montenses, Maximinianistas, etc. Perdurarunt in Africa usque ad sæculum VII. In Europa sub nomine Waldensium revixerunt sæculo XII.

III. Pars. Quod aliquis «Africanus» eam fabricatus fuerit, inde suspicor :

1° Quod epistola in laudem et defensionem Afrorum rebaptizantium præcipue conscripta fuisse appareat ex notatis, n. 76, 86, 60.

2° Quod asserat Carthaginem Africæ in meridie positam esse; hæc enim assertio Donatistis intra Africam conclusis erat singularis (1), utpote qui inaniter gloriabantur se in meridie positos esse; et inde ulterius concludebant suam Ecclesiam esse veram, in qua pasceret et cubaret sponsus juxta illud propheticum in Canticis canticorum : « *Ubi pascis? ubi cubas? In meridie* (2). »

3° Quod hæresis Donatistarum, teste Augustino, radices extra Africam figere non potuerit. Equidem Donatistæ (3), sicuti et Luciferiani aliquem ex suis episcopum alebant Romæ; ad illum episcopum ex Africa mittebant suos ordinandos, ut gloriari possent, se unionem habere cum cathedra Petri; sed ille Donatistarum episcopus Romæ non habebat Ecclesiam; insuper ex Africa Romam missus fuerat, adeoque Romæ hospes et peregrinus erat, Africanus censeri debebat.

*Argumenta contraria.* I. *Queis probetur, quod Firmilianus fatam epistolam vere composuerit.*

Affert Bertius qui gloriatus est se fuisse primum qui ex professo fatam epistolam S. Firmiliano vindicaverit. Is præter reliquas objectiones jam sparsim adductas ait (4) : « Evidentissimum est fatam epistolam esse genuinum S. Firmiliani fœtum; nam habetur in bibliothecis plurimis, ut testantur Pamelius et Rigaltius (5). » Reliqua v. n. 12. Adeoque sæculo XV jam existebat; ergo falsum est, quod sæculo XVI a Novatoribus seu Lutheri discipulis fuerit conficta.

R. 1. In multis aliis editionibus Firmilianica non comparuit, ut n. 12 jam dictum fuit. In editione Manutii Latinius controversam Firmiliani epistolam omisit ex sequenti duplici capite dicens : « Ego Latinius omisi, non Manutius, cum exempla majorum secutus, tum hominis (pseudo-Firmiliani) petulantiam detestatus; » ergo in exemplaribus majorum sæculo XV antiquioribus Latinis eam non repererat.

R. 2. Permitto eam a protestantibus, ut vocantur, sæculo XVI non fuisse confictam; immo largiamur etiam ultra quam Bertius probaverat, nempe fatam epistolam insente sæculo V jam extitisse; sed inde non sequitur eam sæculo III a Firmiliano fuisse conscriptam. Validissimum Bertii argumentum reservabo n. 90 et 91.

*Schol.* Sæculo III, rebaptizatio a Novato introducta fuit (1), utique et una cum Novato rejecta a summis Pontificibus et variis conciliis, signanter sub S. Stephano (2).—Sæculo IV et V quam maxime recruduit et ubique; unde et prohibita fuit in Europa a concilio Arelatensi anno 314; in Asia a Nicæno I, 325; in Africa a concilio Carthaginensi I, anno 348. Sæculo IV, præivit S. Melchiades papa, qui anno 313 damnavit Donatum, « quod confessus sit rebaptizasse, ait S. Optatus l. I, n. 24. Porro.

Inter rebaptizantes recensendi sunt.

1. Novatiani sæculo III enati. 2. Sæculo IV et V, Donatistæ in Africa. 3. Aliqui Ariani, teste S. Augustino referente (3) : « Rebaptizari quoque ab Arianis Catholicos novimus : utrum et non catholicos, nescio. 4. Eunomiani, qui erant surculus Arianorum, de illis S. Epiphanius (4) : « Iterum baptizat Eunomius non modo, qui a Catholicis, aut ab aliis hæresibus, sed eos etiam qui ab ipsismet Arianis deficiunt. » 5. Ex Anomœis Constantius hæreticus, dum morlturus erat, iterum baptizari voluit, non a Catholico, sed a ministro Ariano; non semel sed sæpius (5). 6. Luciferiani teste S. Hieronymo (6). Immo et Montanistæ in Oriente teste Philastrio. 7. Donatismus sæculo XII, recruduit in Waldensibus.

Hi omnes valorem Baptismi repetebant a sanctitate hominis Baptismum administrantis (7). Igitur

Pars Donatistarum in suo concilio Bagajensi congregata excommunicavit Maximianum similiter Donatistam, qui schisma inter eos fecerat; cum solemniter declararent, *veritatis adulterum alterum Dathan; Core et Abiron, ideo a terra necdum absorptum, quia ad majus supplicium a superis reservatum.* Gloriati sunt in illa synodo fuisse 310 episcopos Donatistas. Fides apud ipsos sit.

(1) V. Aug. *cont. Cres.*, l. *de Unitate Ecclesiæ*, c. 14, et alibi.

(2) Ita textum corruperant Donatistæ, cum, ut S. Aug. modo monuit, legi debeat : *Ubi cubas in meridie?* Qui et recte annotavit Carthaginem in nullo sensu dici posse in meridie positam. Hinc textum a Donatistis corruptum contra eosdem retorquet sequenti modo : Ægyptus verissime posita est in meridie; quia sub tropico cancri : si sponsus cubet in meridie, ergo necesse est, ut pascat inter monachos in solitudinibus Ægypti circa Thebaidem; atqui hi monachi omnes sunt Catholici; ergo vera fides est apud Catholicos. Ita S. Augustinus.

(3) V. S. Augustinus, *de Hæresibus.*

(4) *De Theologicis disciplinis*, l. XXXI, c. 13, prop. tertia Bertium postea secutus est P. Joannes Sbaralea, qui anno 1741 Bononiæ tres spissas edidit dissertationes.

(5) Pamelium veneror candidum et laboriosum scriptorem, doleo deceptum auctoritate quarumdam bibliothecarum. Contra Rigaltii testimonium possem excipere, cum ipse Bertius, l. c. n. 14 ad Quintum, referat : *Rigaltium esse mendacem scriptorem.*

(1) V. supra n. 42.

(2) Colligitur ex epistola S. Dionysii Alexandrini ad S. Stephanum papam, quæ fuit prima de Baptismate. V. Eus., l. c.

(3) *De Hæresibus*, n. 49.

(4) Hæresi 76.

(5) S. Athanasius, l. *de Synodis.*

(6) Dialogo *adv. Luciferianos.*

(7) Omitto Anabaptistas sæculo XVI in Germania ex schola Lutheri exortos; hi enim ad valorem Baptismi requirunt actualem fidem *suscipientis*; cum vero parvuli actu credere non valent, hos nec valide baptizari posse docent.

Digitized by Google

fuere plures, et diversi hæretici, in quos, quod fa- A tam epistolam in sui favorem composuerint, suspicio cadere possit; sed ea magis fundata mihi videtur quæ aliquem Donatistam Africanum censet auctorem.

*Argumenta.* II. *Quod auctor epistolæ Firmilianicæ non fuerit Donatista.*

Si fuisset Donatista, is non docuisset rebaptizantes cum non rebaptizantibus in una et eadem Ecclesia tolerandos esse; hos vero simul tolerandos esse, voluit auctor Firmilianicæ (1), ut abundantius patet ex collatione epistolarum Cyprianicarum et synodorum ab Afris in causa rebaptizationis, ut asseritur, celebratarum. Quomodo autem Donatista salvis suæ sectæ principiis docere potuit controversiam de rebaptizatione esse quæstionem mere disciplinarem, salva pace tolerandam?

R. 1. Captu longe difficilius est quod Firmilianus et reliqui episcopi Catholici, qui conciliis, ut asseritur, in Africa et Asia celebratis interfuisse dicuntur, sæculo III apostolicis temporibus maxime vicino decernere salva conscientia potuerint, « Anabaptistas in una eademque Ecclesia cum Catholicis esse tolerandos? » Donatistæ talia docuere, ut videbimus resp. 4.

R. 2. Donatistæ et inter se plurimum dissidebant; hinc plures Donatistarum sectæ (quatuor nobis notæ sunt ex Augustino (2), immo Petilianus et Cresconius, qui videntur fuisse unius et ejusdem sectæ, non conveniebant inter se: « An valeat Sacramentum, si peccator occultus baptizaverit. » C

R. 3. Nil frequentius quam quod homo mendax sibi ipsi contradicat; sane S. Augustinus Cresconium Donatistam ex Cresconio continuo expugnat; Donatistarum pars una alios Maximianenses damnaverat tamquam hæreticos; horum tamen Baptisma venerabatur validum, immo clericos Maximianensium recipiebat in eodem in quo constituti fuerant gradu, quin eos denuo ordinaret; Catholicos vero rebaptizabat. Quid ergo mirum si pseudo-Firmilianus suæ Donatistarum doctrinæ nonnumquam indirecte contradixerit? Verum.

R. 4. Suo principio generali non contradixit; nam præcipua Donatistarum querela hæc erat, quod a Catholicis iniquam paterentur persecutionem, ac per D leges tam imperatorias (3), quam ecclesiasticas tractarentur ut hæretici, cum tamen nobiscum Catholicis adhucdum essent in una eademque Ecclesia; schisma quidem esse inter nos et illos, hæresin ex neutra parte. Ecce ad declinandam illam legum severitatem, et episcopis pro tunc Catholicis invidiam conflandam præfata epistola videtur composita.

Quod Donatistæ apud nos Catholicos non rebaptizarentur, utique ipsis in corde pergratum esse debebat; insuper autem volebant sibi permittendum esse, ut ipsi Catholicos rebaptizare valeant. Hoc, ut ego opinor, erat principale intentum tolerantis pseudo-Firmiliani, dum evincere voluit, tam Catholicis, quam Anabaptistis (Donatistis) suum morem esse relinquendum; quæ concordia si fuisset inita, Donatistæ plenum canere potuissent triumphum nempe: « Baptismus Donatistarum valeat apud Catholicos; Baptismus Catholicorum non valeat apud Donatistas. » Ecce, quam belle pseudo-Firmilianus B suam Donatistarum egerit causam.

Cæterum, si quis mordicus contenderit epistolam ab aliquo Arianorum, vel Eunomianorum (1), vel quocumque alio hæretico fuisse confictam, ultra non contradicam, dummodo mihi concessum fuerit eam a sancto Firmiliano non fuisse compositam, quod erat demonstrandum.

Ex dictis jam abunde patet sanctum Firmilianum famosam, quæ nunc circumfertur, ad sanctum Cyprianum Epistolam vere hæreticam non conscripsisse. Restat, an sanctus Firmilianus quædam alia opera publicaverit. Quocirca sit,

PROPOSITIO IV.

*Non est verosimile quod sanctus Firmilianus aliquos libros scripto publico evulgarit.*

56. Probatur 1°. Eusebius Cæsariensis fuit studiosissimus in memorandis scriptorum ecclesiasticorum monumentis. Sæpius laudavit sanctum Firmilianum, sed ne vel minimum fragmentum ab eo scriptum prodidit. — Nec in Catalogo sancti Hieronymi de Viris illustribus, postea adaucto, comparet sanctus Firmilianus.

Probatur 2°. Synodus Antiochena paulo post mortem sanctorum Firmiliani et Dionysii Alexandrini celebrata circa annum 270 provocavit ad utriusque illorum sanctorum episcoporum doctrinam; ad sancti Dionysii quidem scripta ceu exstantia provocavit; quod vero attinet ad sanctum Firmilianum hujus scripta non adduxerunt Patres conscripti, sed allegabant idoneos testes, qui sanctum Firmilianum de ore audiverant olim. Videatur Præfatio num. II, III, et IV. Hoc certe judicium est non obscurum, nulla pro tunc scripta sub sancti Firmiliani nomine innotuisse.

*Argumenta contraria ex sancto Basilio Magno.*

I. Qui tamen sanctum Firmilianum inter scriptores ecclesiasticos collocare allaborant, sequens irrefragabile, ut videri posset, argumentum efformant. Sanctus Basilius Magnus fuit sancti Firmiliani in sede episcopali Cæsariensi successor; et quamvis non fuerit immediatus, sed centum annis posterior; ex scriniis suæ Ecclesiæ Cæsariensis facillime rescire potuit, an et quales libri a sancto Firmiliano olim fuerint

(1) V sup., n. 39.
(2) V. n. 82.
(3) Gravissimæ pœnæ civiles ab imperatoribus sæculo IV et V latæ fuerunt contra Anabaptistas, nempe si eos, qui a Catholicis baptizati fuerant, rebaptizare ausi fuerint. De his videantur Bertius l. XXXI, c. 13, circa finem Bingham l. XII, c. 5.—S. Augustinus qui teste Possidonio, c. 14 a Sede apostolica seu Romana tamquam legatus fuit in Mauritaniam missus, luculenter ostendit illas imperatorum Catholicorum leges esse justas. Ast, si pseudo-Firmiliano credendum, [illegible] iniquissimæ.

Digitized by Google

compositi; adeo ut sanctus Basilius Magnus hac in re testis reputari debeat omni exceptione major.

At vero sanctus Basilius Magnus in libro, quem in 3 capita distributum de Spiritu sancto scripsit ad sanctum Amphilochium, aperte contestatus fuit de libris a sancto Firmiliano compositis; nam capite 29 ait: « Hanc fidem (quam exposui, de Spiritu sancto) et Firmiliano nostro fuisse, testantur illius libri, quos reliquit; » ergo sine summa impudentia negari non poterit sanctum Firmilianum aliquos libros, quicumque fuerint, conscripsisse, eosque a sancto Basilio Magna visos fuisse et lectos. Oportet ergo, ut argumenta negativa superius allata cedant huic positivo sancti Basilii testimonio.

Verum respondeo : Iubentissimus concedo majorem; sed nego suppositum minoris, seu quod sanctus Basilius Magnus illum librum de Spiritu sancto ad Amphilochium, vere conscripserit; siquidem 1° et veteres hunc sancti Basilii librum ignorarunt. 2° Stylus non est Basilii. 3° Sententiæ sunt sancto Basilio Magno indignæ, ut jam olim observavit Erasmus Roterdamus. Has meas observationes fusius deducturus sum in speciali dissertatione de quibusdam operibus sancto Basilio Magno suppositis, proxime typis edenda. Modo sufficiat illum Basilii librum esse dubiæ fidei, quo solo posito allatum argumentum sua firmitate destituitur. Restat in hac materia ultimum, de quo num. 79.

57. II. Bertius (1) ut evincat supra satis discussam epistolam vere a sancto Firmiliano fuisse compositam et ad sanctum Cyprianum directam, ita ulterius argumentatur : « Cuinam de mente Firmiliani assensum potius præbeamus, quam Magno Basilio ejusdem urbis episcopo, ac tanta litterarum gloria percelebri? Is quidem epistolam canonica ad Amphilochium... postquam scripserat, rebaptizandos omnium sententia Montanistas... ait : Videri sibi rebaptizandos omnes promiscue hæreticos, ut visum olim Cypriano ac Firmiliano. » Verum enim vero, inquit Basilius, antiquis visum est, Cypriano dico, et nostro Firmiliano eos (hæreticos) omnes uni calculo subjicere, Catharos et Encratitas, et Hydroparastas. Cum ex tam illustri testimonio accedente etiam epistola Dionysii constet, Firmilianum Cyprianumque in dogmate rebaptizantium conspirasse... nemo ob frivolas conjecturas, quantumvis pompa verborum et rethorico pigmento (2) illitas vetustorum codicum (epistolæ Firmilianicæ), quos tineis blattisque excussis pervolutarunt viri laborum patientissimi (3), despiciet fidem ac deludet auctoritatem. Ita Berti.

Respondeo 1. Basilius vel pseudo-Basilius loco citato quidem docet Firmilianum et Cyprianum in dogmate rebaptizantium conspirasse, ast nullo verbo commemorat Firmilianum hac in causa tam famosam scripsisse epistolam; de hujus epistolæ authentia modo est quæstio præcipua, nondum ita de illo : An Firmilianus rebaptizaverit.

Respondeo 2. In Firmilianica, de qua quæritur, nulla legitur mentio facta de Catharis Encratitis et Hydroparastis, quos Firmilianus uni eidemque calculo subjecisse dicitur a citato Basilio. Item an hi sint hæretici omnes, ut præter illos nulli alii?

Respondeo III. Ut n. præc. singulæ Basilii Magni epistolæ ad sanctum Amphilochium canonicæ sunt suppositiliæ. Mea ulteriora argumenta critica proponam in singulari dissertatione proxime edenda.

## DISSERTATIO SECUNDA.

*De Firmiliani anno emortuali, quo Paulus Samosatenus fuit depositus, ac synodus Antiochena* III, *seu celeberrima contra Paulum celebrata.*

58. Circa hanc epocham, de qua memini in præf. num. III, plurimum dissident chronologi. Baronius eam alligaverat anno 272. Pagius (1) quem sequitur Fleurius, etc. eam detrusit ad finem anni 269. Hæc est illa famosa synodus, quæ sæculo III vocem Homousion rejecisse dicitur, falso tamen dicitur uti alia vice ostendam. Cum igitur de illa synodo frequentior in subsecuturis dissertationibus sermo instituendus sit; hinc expedire censeo, ut illa epocha paucis examinetur.

### PROPOSITIO.

*Celeberrima synodus Antiochena, in qua Paulus Samosatenus fuit depositus, celebrata non fuit ante annum* 272.

59. Probatur. Eusebius testis omni exceptione major diserte tradit, quod illa synodus celebrata fuerit sub Aureliano imperatore (1). (Ita ait : « Sub quo (Aureliano) postrema (2), et maxima plurimorum episcoporum collecta synodo deprehensus est, ac ab omnibus jam perspicue condemnatus auctor ille hæreseos, et peregrinæ doctrinæ Samosatæus, ac simul a Catholica Ecclesia, quæ sub cœlo est, universa separatus, et excommunicatus. Maxime autem illum in reddendis rationibus lubricum, et obscurum redarguit Malchion... Antiochenæ scholæ in Græcis disciplinis moderator... Ejusdem Parœciæ presbyterio decoratus. Hic Samosatæum, notariis omnia excipientibus, quæstionibus suis ursit, quas etiam ad nostra usque tempora (3) exstare scimus... Unam itaque ex communi sententia, qui tum in unum erant congregati, pastores ad personas Dionysii Romani, et Maximi Alexandrini Episcoporum scripserunt Epistolam, illamque ad cunctas provincias miserunt, in qua... perversam Pauli Heterodoxiam, Elenchos et quæstiones, quas contra eum moverunt, adhuc et cunctam illius vitam, et ingenium exponunt... Firmilianus bis venit Antiochiam, et peregrina illius (Pauli) dogmata condemnavit... Erat autem jam quo-

(1) Berti, lib. xxxi, c. 13, prop. III, prob. 4 et 5.
(2) Elegantem Missorii stylum sub indicat.
(3) Morellius et Hieronymus Pistortensis. Vide supra n. 12 et 14.

(1) Euseb. H. E. l. VII, c. 29.
(2) In præcedentibus congressibus Paulus suam sententiam obvelare adhuc, et obtegere molitus fuerat. V. Euseb., c. 28.
(3) Quod Eusebius hanc suam historiam absolverit ante concilium Nicænum, ante annum 325, sæpius

Digitized by Google

que tertio (1) Antiochiam venturus, et ad Tarsum usque pervenerat... Verum interea, dum nos convenimus, et dum veniat, expectamus, ex hac vita migrat. Deinde rursus de vita Samosatæi, qua fuerit conversatione, iisdem litteris commemorant dicentes.... In superbiam elatus mundanas dignitates usurpavit, ac ducenarius magis, quam episcopus vocari voluit, perque forum incedens... numerosam catervam satellitum, partim præcedentium, partim subsequentium circa se habuit... Episcopos et presbyteros, a quibus colebatur, e vicinis agris, et civitatibus concionibus ad populum faciendis admisit... qua de causa ingemiscunt quidem, et lugent penes se cuncti, potestatem vero illius et tyrannidem ita verentur, ut accusare non audeant... Itaque adversarium Dei excommunicavimus, et alium in locum illius, dominum videlicet... episcopum constituimus, vobisque significavimus, ut huic scribatis, et ab eo communicationis litteras accipiatis. » Eo usque Patres Antiocheni, pergit Eusebius : « Cum autem Paulus Ecclesiæ domo haud quaquam abstinere vellet, imperator Aurelianus interpellatus convenientissime decrevit, illis eam domum adjudicari præcipiens, quibus episcopi Italiæ et Romæ in dogmate concordes scribant. Ad hunc modum Paulus summa cum ignominia (2) per mundanum principatum Ecclesia expellitur. Talis quippe tum temporis erat erga nos Aurelianus; in progressu vero imperii non nihil a nobis abalienatus est. » Ita Eusebius.

At vero Aurelianus sceptrum Romanorum adeptus non fuit ante annum 270, ut fatetur Pagius, et cæteri omnes; imo Orientale imperium, in quo sita erat Antiocha, totum assecutus non fuit ante finem anni 272; siquidem Zenobia regina, quæ Paulum Samosatenum patrocinata fuerat, ab anno 267, partem imperii Orientalis per vim sibi in annum circiter quintum usurpaverat, Antiochiam tenuit; Aurelianus anno 272, ut vult Pagius, exercitum Zenobiæ profligavit, Antiochiam recepit, tandem ipsam Reginam, quæ aufugerat, in septembri cepit captivam (3).

Hinc infero, synodum, quam Eusebius sub Aureliano congregatam fuisse describit, non convenisse ante annum 272, quo Catholicis liberum evadebat Paulum Antiochæ accusare, damnare, deponere. Cum vero S. Firmilianus die 28 octobris obiisse referatur in menologio Græcorum, et sententia depositionis contra Paulum prolata non fuerit, nisi postquam, innotuerit mors Firmiliani; hanc necesse est ut synodus usque ad finem illius saltem anni fuerit protracta.

Pagius l. c. et cæteri excipiunt : synodum anno 269, convenisse, in annum 270 sedisse, Paulum excommunicasse, deposuisse; ast hanc depositionis sententiam executioni datam non fuisse, nisi postquam Antiochia ab Aureliano fuerat recuperata; nam regina Zenobia, quamdiu dominata fuit Antiochiæ, passa non fuisset, ut suus cliens Samosatenus e domo episcopali ejiceretur.

60. Respondeo 1. Eusebius de tanta usque in tertium annum dilatione inter depositionis sententiam, et ejus executionem nihil meminit. 2. Ad præfatam Synodum invitatus fuerat e Cappadocia Firmilianus, in accessu defunctus; comparuere ex Cilicia Helenus, ex Phrygia Nicomas, ex Palæstina Hymenæus, Theotecnus, etc. episcopi plurimi; his consultum non fuisset tempore belli Zenobiam inter et Romanos imperatores Antiochiam proficisci, ubi rebellis illa Zenobia residebat.—3. An hæc potentissima mulier passa fuisset, ut tam numerosa synodus contra Paulum Antiochæ celebrata fuisset? In sua civitate? Ab episcopis exteris? Tempore regnantis Zenobiæ ipse Paulus suis satellitibus, de quibus num. 93, usus fuisset. At vero, dum Aurelius sua victricia arma, civitati intulerat, Catholicis optime addictus, illico tutum erat nostris Antiochiam confluere, Paulum accusare, quæstionibus urgere, notariis omnia excipientibus. Igitur synodus, in qua Paulus est depositus, celebrata non fuit ante annum 272.

*Quæres :* Quomodo ergo solvitur sequens nodus chronologicus : Præfata synodus acta concilii misit Romam ad Dionysium papam, ut docet Eusebius, qui acta vidit, legit, exscripsit? At vero Dionysius papa obiit ante annum 270, ut habent pseudo-Damasus, Liber pontificalis, varii catalogi (1).

Respondeo : Nodus ille facile secatur; præfati auctores anonymi, ut nulli erudito ignotum est, multis scatent erroribus chronologicis quoad quatuor prima sæcula; illis præferendus est unus testis nominatus Eusebius, qui in Chronico æqué, ac in sua historia, lib. VII, cap. 30, contestatur, quod Dionysius papa post tempora Aureliani, qui occisus non fuit ante annum 275 supervixerit. Similiter quoad Pontificatum Sixti II, Eusebius præferendus pseudo-Pontio in Vita S. Cypriani.

*Instabis.* In synodo Ephesima œcumenica, quæ initium sumpsit die 12 junii, anno 431, et finem habuit in octobri, contra Nestorium episcopum Constantinopolitanum, ejusque asseclas promulgata, ac (ut habent antiquæ annotationes) (2) a S. Cyrillo Alexandrino episcopo (3) Constantinopolim missa fuit sequens contestatio : *Conjuro accipientem hanc chartam per sanctam Trinitatem, ut eam palam faciat*

monui, signanter in dissertatione : quod Cephas Galat. 2, non sit Petrus, n. 26.

(1) Igitur tres synodi contra Paulum celebratæ videntur; in 3ª Paulus fuit depositus, in 2ª Pauli dogmata jam fuerant condemnata. Vel si quis duas dumtaxat synodos admiserit; concedere debebit, quod in 1ª Pauli dogmata fuerint condemnata, in 2ª seu ultima Paulus fuerit depositus.

(2) Hæc ignominia erat major, vel summa, si Aurelianus a Paulianistis fuerit interpellatus. Porro verisimillimum est, quod Aurelianus imperator illo tempore Antiochiæ versatus fuerit.

(3) Vid. Pagius dissertat. Hypatica seu de Consulibus, cap. ult. n. 11.

(1) Vid. Harduinus in annum 431.

(2) Vid. Harduinus ad. annum 431.

(3) Is a Papa constitutus fuerat præses concilii Ephesini.

Digitized by Google

*episcopis, presbyteris, diaconibus, lectoribus, laicis habitantibus Constantinopoli; insuper etiam exemplar eis præbeat ad increpationem hæretici Nestorii, qui similia sapit Paulo Samosateno ante annos 160, anathemathe percusso... Si quis ergo præsumpserit docere... sit anathema.* Igitur, si huic contestationi fides habenda sit, a tempore, quo Paulus fuit excommunicatus, usque ad depositionem Nestorii, qui in præfata contestatione titulo episcopi non amplius honoratur, fluxerunt anni 160.

Respondeo. Si hos 60 annos computemus numero rotundo, epocha synodi Antiochenæ contra Paulum ultimæ congruentius, ut calculanti patebit, alligari poterit ad annum 272, quam ad annum 269, quod ultimum contendit Pagius (1), quem secuti sunt Fleurius, etc.

Pagius (2) reponit : Illa contestatio anno 431, quidem publicata fuit in concilio Ephesino; ast anno 429, jam concepta fuerat ab Eusebio pro tunc adhuc laico et jurisconsulto Constantinopolitano, postea episcopo Dorylæensi, qui primus omnium redarguit doctrinam Nestorii sui episcopi; ergo synodus Antiochena contra Paulum ultima celebrata fuit anno 269.

Respondeo 1. : Unde Pagius novit, quod anno 269, jam concepta fuerit. 2. : Verum esto, quod Eusebius ille adhuc laicus anno 429, doctrinam sui episcopi primus notaverit; ast quod istiusmodi contestationem composuerit, et quidem anno 429, quo Nestorius nondum fuerat condemnatus, non est verosimile, nulloque idoneo testimonio comprobari poterit.

3. Æquo jure, qui synodum Antiochenam ultimam ad annos 270, vel 268, relegare voluerint, dicere possent, contestationem, quæ num. 97, relata est, fuisse conceptam anno 430, vel. 428, quo ultimo anno Nestorius episcopus Constantinopolitanus suam hæresim propalare cœpit.

4. Anno 431, publice fuit Ephesi proposita, uti asserit Pagius, et Constantinopolim missa, ergo etiam præsumendum, quod anno 431, non vero 429, composita, et quidem Ephesi, non vero Constantinopoli. Quidni et dici posset, eam finito concilio Ephesino Constantinopolim fuisse missam?

5. Si quis admiserit, tres synodos Antiochenas contra Paulum Samosatenum fuisse celebratas, ac Paulum jam in secunda fuisse excommunicatum (hoc sensu, quod illius doctrina fuerit declarata ut hæretica) ac ab hac synodo secunda computandos esse annos 160 supra n. 97 relatos; sententia Pagii omni suo robore penitus destituetur.

*Corollarium.*

Cum igitur synodus Antiochena ultima, in qua Paulus fuit depositus, celebrata non fuerit ante annum 272, consequens est ut S. Firmilianus usque ad hunc annum supervixerit. In hujus honorem hæc scripta sunto

(1) Ad annum 272, n. III.
(2) Ad annum 429, n. XVI.

*Animadversiones in binas has dissertationes opera et studio P. Gotfridi Lumper.*

Perlectis binis hisce dissertationibus non pauca offendimus, quæ virgula censoria coercenda esse judicamus. Et primo quidem binas, quas cl. Molkenbuhr, num. 1, 2, 3, præmittit ex Dupinio regulas criticæ, haud satis esse accuratas, dudum jam viri docti monuerunt (1). In propositione I, ad n. 4, observo, idiomate græco conscriptam primitus fuisse hanc Firmiliani epistolam, certo colligi ex linguæ illius idiotismis, quos fidus interpres passim servavit, quosque annotarunt viri præstantissimi, Jacobus Pamelius (2), et Cyprianicæ Vitæ auctor (3) : ergo adest sufficiens asserendi ratio, eam originaliter græcam fuit.

*Ad num.* 5. Docebit doctissimum dissertatorem nostrum Origenes sæculi tertii scriptor προστατας, præpositos appellatos fuisse episcopos (4). Dein præpositorum vocabulo non patres modo, cum de episcopis agerent, verum etiam, qui sacra Biblia Novi Testamenti latina fecerant (5), meminerunt.

*Ad numeros* 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. Videsis partem XII Historiæ Theologico-Criticæ §§ 10 et sequentibus a pagina 596, usque 603, et præsertim paginas 614, 615, 616.

Quoad propositionem II, num. 13, 15, 16, observo, haud nimium urgendum esse silentium Eusebii, Hieronymi, etc. : alias sequeretur, Athenagoræ Apologiam ad M. Aurelium imperatorem, Hypotyposes Theognosti Alexandrini, Opera S. Jacobi Nysibeni, Hymenæi, Narcissi, aliorumque multorum adulterina esse, propterea, quod neque Eusebius, neque Hieronymus eorum meminerint (6).

Ad numerum 17 animadvertendum censeo, haud inverosimile esse, S. Cyprianum in causa rebaptizationis confugisse ad Firmilianum, præsertim cum Stephanus primitus cum Asiatis, dein cum Africanis ea de re contenderit, quemadmodum probavit vir doctissimus Maranus (7).

A numero 18, usque ad numerum 77 ex notis intrinsecis præfatæ epistolæ Firmilianicæ conatur clarissimus dissertator ostendere eamdem S. Firmiliano suppositam esse. Verum quæ numero 19, ex

(1) Vid. Honorati a S. Maria in animadvers. in regulas et usum critices, tom. I, dissert. III, art. II, §§ I et seqq. pag. 144—171.

(2) De verbis Firmiliani initio hujus epistolæ occurrentibus : *In unum convenire*, hæc observat Pamelius : *Græcismus est*, etc.

(3) Apud Baluzium, p. 118, vide part. XII, *Histor. Theolog. Critic.*, p. 596, not. *a* et *b*.

(4) Origenes, lib. VIII contra Celsum, num. 75, p. 798, tom. I. Edit. Monach. S. Mauri. « Quod si qui in Ecclesia præsunt, illius quæ secundum Deum est patriæ, dico autem, Ecclesiæ, ii qui dicuntur προτατατ, præpositi, qui et præsunt, secundum ea quæ sunt ordinata a Deo, etc. » Adisis Petavium lib. III, de Hierarch. Eccles., cap. VIII, § IV, seqq. p. 844.

(5) Ep. ad Hebr., c. XIII, 7, 17, 24.

(6) Videsis Honoratum a S. Maria loc. cit. pag. 148.

(7) Prudent. Maran. in Vita S. Cypriani, § 29. Vide Part. XII. Hist. Theolog. Crit. p. 118.

Digitized by Google

epistola Firmilianica de numero singulari et plurali annotat, sicut et illa quæstio numero 20, proposita, an scilicet Firmilianus celebrata synodo, ejusque nomine laudatam epistolam scripserit, mea opinione haud multum probat; siquidem responderi potest S. Firmilianum responsoriam exarasse consulto Ecclesiæ suæ clero, unde modo in plurali, modo in singulari alloquitur Cyprianum. Dein incongruæ citationes ex S. Scriptura, quas cl. Molkenbuhr in hac epistola sub numeris 24, 27, 28 et 31, notat, nullo modo evincere valent subditam eam esse, siquidem sale aliquid in aliis etiam hujus ævi scriptoribus observare licet. Numero 32, scribit cl. dissertator, quod causa, quæ allegatur, ob quam sæpius celebrandæ sint synodi, hæresin Novati et Donati sapiat : Felix sane auctor in olfaciendis hæresibus, quarum ne vestigium ego invenio. Cæterum prætereo numeros 23, de distantia Carthaginis a Cæsarea, de singulari desuper gaudio, quod numero 26, recoquit, de propria auctoris laude numero 30, ad rem nihil omnino facientes.

Quoad numerum 38, observo verba S. Firmiliani non in strictissimo sensu sumenda esse, sed quod prima hæreseon celebriorum, et longe lateque diffusarum exordia post Apostolorum ævum ex orco eruperint; idque patet ex ipso contextu. Dein neque Simon Magus, neque Menander a recentioribus hæresiologis inter hæreticos computantur (1). Ebionitæ, Saturninus et Basilides, quos erronce dicit Cerinthi discipulos, atque Carpocrates non ævo apostolico, sed sæculo primum secundo errores sparserunt.

Numero 38, notat in Firmiliani epistola errores practico dogmaticos, quia insinuare nititur Firmilianus traditiones apostolicas, si quæ forsan hac super re existerent, non esse necessario retinendas in materia Baptismi. Verum ostendat nobis cl. dissertator, ubinam hæc in epistola laudata legantur. Dein quis unquam theologorum somniabit, traditiones apostolicas mere disciplinares necessario retinendas esse, oppositamque sententiam fore errorem practico dogmaticum?

Numero 39, arguit Firmilianum, quod traditionem, quam Papa dixerat apostolicam, vocet humanam. Ergone plus quam humana, vel divina dicenda foret? Bone Deus! quæ theologia? Sanctum Cyprianum a S. Stephano monitum se statim submisisse asserit cl. dissertator num. 2, sine tabulis et testibus.

Numero 45. Synodos Africanas et Asiaticas, in quibus rebaptizatio decreta fuit, ex futili hac ratione, quod in concilis Arelatensi et Nicæno nulla facta fuerit mentio de iis retractandis, inter suppositilias computat, utut S. Dyonisius Alexandrinus (2), et S. Augustinus (1) de iis mentionem faciant. Jam numero 20 conjicit dissertator Asiæ concilia esse fictitia, ubi etiam somniando scribit, quod apud Eusebium episcopi Ecclesiarum Iconiensis et Synadensis recenseantur, a diciplina laudentur, sancti vocentur, et beati fratres; ast de conciliis ibidem celebratis altum silentium sit. Verum ubinam hæc apud Eusebium legerit, non annotat; ego autem potius contrarium inveni, disertam nimirum horum conciliorum mentionem, nullam vero de reliquis adjunctis.

Numero 34. Epistolam Firmiliani ex rationibus geographicis et a numero 53 usque 56, ex chronologicis suppositionis arguit, at prorsus inepte. Nam ut cætera prætermittam, duas solummodo hic auctoris hallucinationes annotabo. Prima est, quod jejunium quatuor temporum in septembri, de quo S. Lucam Actorum (xxvii, v. 9,) locutum fuisse falso opinatur idque ab Apostolis institutum fuisse ex Leone Magno et antiquissimo omnium Ecclesiarum consensu constare tradat. Optarem sane est mihi antiquissimum omnium Ecclesiarum quoad quatuor temporum jejunia demonstraret consensum, atque Leonem Magnum de institutione apostolica in sensu stricto intelligendum esse. Altera, quod contra unanimem eruditorum sententiam, S. Sixto seu Xisto duos tantummodo annos in sede Romana adscribentium, undecim annos ex corrupto Eusebii loco, in quo pro xi legendum ii statuat.

Numero 56, variis ratiunculis impugnat historiam mulieris a dæmone obsessæ baptizantis, consecrantis, etc, negatque apud Græcos seculo iii, exorcistas fuisse; econtra P. Goarius in suo Eucologio Græcorum jam extitisse docet ex testimonio Dionysii et Ignatii Magni. sed quidquid sit, hoc tamen certum ab ineunte sæculo iv, exorcizandi facultatem peculiari in Ecclesia ordini tum apud Græcos, tum apud Latinos fuisse adscriptam; uti ex synodis Antiochena et Laodicena, et ex Epiphanio, Paulino, Sulpitio Severo et ex quibusdam Gratiani, ac Theodosii rescriptis colligere est (2).

Notat clarissimus dissertator in hac epistola dicteria, quæ in Stephanum papam auctor pleno ore effudit numero 25, et numeris 59, 60, 65, 66, 77, 73, 74,

(1) Walch. Histor. Hæres. Tom. i. p. 160. et seq. et p. 189, 190.

(2) Revera enim in maximis, ut audio, episcoporum conciliis decretum est, ut qui ab hæreticis ad Catholicam Ecclesiam accedunt, primum catechumeni fierent; ac deinde veteris et impuri fermenti sordibus per Baptismum purgarentur. Dionys. apud Euseb. H. E. lib. vii, cap. 5, et lib. cit., cap. 7. Illud præterea didici, non ab Afris solis hunc morem nunc primum invectum fuisse; sed et multo antea, superiorum episcoporum temporibus, in Ecclesiis populosissimis, et in conciliis fratrum apud Iconium et Synada, et apud alios plurimos idem sancitum fuisse.

(1) Profinde si omnino jam credendum fit, quinquaginta episcopis Orientalium id esse visum, quod septuaginta Afris, vel aliquanto etiam pluribus, contra tot millia episcoporum, quibus hic error in toto orbe displicuit; cur non potius etiam ipsos paucos Orientalis suum judicium correxisse dicamus, non ut tu loqueris rescidisse? Augustin. lib. iii, contra Crescon. cap. 3, pag. 552, edit. noviss. Venet. in 4°.

(2) Concil. Antionchen. Canon. Chorespiscopi constituant lectores, hypodiaconos, exorcistas. Laodicen. Can. xxiv. Quod non oporteat quemlibet ecclesiastici ordinis usque ad ministros, vel lectores, vel cantores, vel exorcistas, vel ostiarios. etc. Idem evincitur ex Epiphanio, Exposit. Fidei num. 21. Paulino, Nat. iv, S. Felicis, Sulpitio Severo, Vit. S. Martini cap. 5, Cod. Theodos. lib. xii, Tit. i, leg. 121, et lib. xvi, Tit. ii, leg 21.

Digitized by Google

et 75, atque exinde numero 77 concludit, eam esse supposititiam, et vero Catholico penitus indignam. Verum clarissimi dissertatoris ratiocinatio nititur falso supposito de inerrantia Romani Pontificis, ejusque illimitata atque absoluta et monarchica potestate in universam Ecclesiam, quo ruente supposito, cætera etiam ruere manifestum est. Cæterum non nego, Firmilianum aliquanto acerbius scripsisse, quam ut sanctum episcopum deceat : pietatis normam non accurate secutum esse; sed utique sancti etiam homines erant non semel aliquid humani passi, quemadmodum multis demonstrare possem; instar omnium sit doctoris maximi S. Hieronymi agendi ratio cum S. Augustino in controversia de Legalium observantia (1). Huc optime quadrat justum hoc cl. Baluzii judicium de Pamelio et Romanis operum Cypriani editoribus loquentis (2) : *Si attente considerassent, quanti et quam vehementes soleant esse affectus, cum agitur de causa religionis et fidei; considerassent etiam quam vehemens et acerbus fuerit Stephanus scribens adversus Cyprianum : profecto hanc excandescentiam condonassent Firmiliano.*

Propositionis tertiæ quoad primam partem conjecturas duas priores eruditi dissertatoris refutatas videsis Part. XII *Historiæ Theologico - Criticæ* §§ 8, 9, 10, et præsertim 11, a pag. 617, usque 623. Tertia denique conjectura nihil omnino in contrarium evincit.

Numero 82, probare conatur, auctorem Epistolæ fuisse Donatistam, aut saltem hæreticum hominem, sed meminisse debet doctissimus dissertator, quod nondum sufficienter demonstrarit viris doctis, præfatam Epistolam plurimos continere errores Catholico prorsus indignos, tam impudentem, quam falsam esse, nullique hæresi magis favere quam Donatistarum. Quin immo asseri potest, laudatam Firmiliani Epistolam, Donatistis utpote schismaticis, adversari magis, quam prodesse : manifestum siquidem est, eam plane tendere ad unitatem servandam, et rupti ejusdem a S. Stephano vinculi restitutionem.

Numero 83. Ex meris conjecturis et quidem admodum incertis asserit, Africanum auctorem fatæ Epistolæ esse.

(1) Vid. Epist. Hieronymi, 105, 112 et 115, et Augustini 116, al. 97, ad Hieronym.

(2) Vid. Oper. Cyprian. cum notis Steph. Baluzii, pag. 509.

Falsum est, quod rebaptizatio a Novato introducta fuerit, ut dissertator numero 85, scribit, siquidem jam antea in usu fuerat.

Propositione IV, numero 89, ex argumento mere negativo asserit S. Firmilianum nullos libros composuisse; positivum vero testimonium S. Basilii non nisi futilibus ratiunculis enervare conatur; insuper negando S. Basilium auctorem esse libri de Spiritu sancto ad Amphilochium, quamvis antiqui S. Hieronymus (3) Theodoretus (4) recentioresque critici ad unum omnes laudatum librum S. Basilio M. attribuant. Numero 91, responsione nulla; tandem eo audaciam suam protendit, ut affirmare haud erubescat, singulas S. Basilii M. epistolas ad S. Amphilochium canonicas esse supposititias.

Numero 14, adnotat, quod totam rebaptizantium historiam censeat interpolatam, seu Eusebio supposita fuisse.

Numero 15, idem profitetur circa lib. VII, cap. non 3, prout ille citat; sed 4, apud Eusebium ita inquiens : « Verum alibi specialiter ostendam hunc Eusebii locum esse interpolatum. » Tandem numero 71, ita censet : « Immo et illa Polycratis, et Irenæi facta non sunt omnino certa; suspicor Eusebium fuisse interpolatum tam in causa Quarto-Decimanorum quam Anabaptistarum. » Hæc sane judicia critica nostri clarissimi dissertatoris si valeant, actum erit de præstantissimis antiquitatum monumentis, deque omni fide historica.

Quæ doctissimus Molckenbuhr in altera dissertatione de anno S. Firmiliani emortuali, quo Paulus Samosatenus fuit depositus, ac de synodo Antiochena III, anno primum 272, celebrata habet, multum hic discutere haud operæ pretium esse censemus; videsis præsentem hanc partem XIII, *Historiæ theologico Criticæ* sectione ultima, ubi ex professo egimus de synodis Antiochenis in causa Pauli Samosateni. Hic solum observo communiter hodie receptam esse sententiam, Dionysium papam aut anno 268, vel certe 269, obiisse, eamque opinionem qua anno 275 adhuc in vivis fuisse adstruitur, ab omnibus eruditis repudiatam esse.

(3) Hieronym. in Catalogo de Viris illustr. cap. 116.

(4) Theodoret., Dialog. I, tom. IV, pag. 40, Hadrianus I. Epla ad Carol. M. et in lib. de Imaginibus, cap. 8. S. Damascen., orat. I de Imaginib., pag. 518, tom. I.

# ANNALES ECCLESIÆ AFRICANÆ

## TEMPORIBUS CYPRIANICIS (AUCTORE MORCELLI).

### ANNUS CHRISTIANUS CCXLIII.

DONATO EPISCOPO CARTHAGINIENSI.

I. Consulatum kalendis januariis susceperunt C. Julius Arrianus, Æmelius Papus : quo tempore Gordianus Aug. Persas in Oriente debellabat. Potior vero atque gloriosior in ecclesiæ Africanæ fastis victoria, quam Cæcilius presbyter de magno Cypriano reportasse hoc anno videtur. Pontius enim diaconus, qui postea Cyprianum, anno scilicet 243 « adhuc neophytum (*in Vita Cyp., n.* 5; *v. Boll. t.* III, *sept.*



Digitized by Google

p. 197) et, ut putabatur, novellum » judicio Dei et plebis favore ad officium sacerdotici et episcopatus gradum electum scribit, multa idem a Cypriano ante sacerdotium peracta significat, quæ longioris temporis postulent spatium, et maturius eum magistro suo manus dedisse ostendant (*Idem. Ibid.*, *n.* 2 *et* 3). Hic ille erat Cæcilius, quem olim Octavius et Minucius ex idololatriæ lustris in Ecclesiæ sinum adduxerant, « vir justus et laudabilis memoriæ » ut a Pontio appellatur (*Idem. Ibid.*, *n.* 4), « et ætate tunc et honore presbyter, » cujus contubernio Cyprianus utebatur. Atque hic quidem institutionis vix patiens, diu repugnaverat, ratus fieri non posse, ut veteres mores exueret, et singularem illam, quæ proponebatur, vitæ rationem iniret. Nam æstus ipse suos sic deinde in epistola *ad Donatum* exposuit : « Ego, inquit, cum in tenebris atque in nocte cœca jacerem, cumque in salo jactantis sæculi nutabundus ac dubius vestigiis oberrantibus fluctuarem, vitæ meæ nescius, veritatis ac lucis alienus; difficile prorsus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis renasci denuo posset; utque in novam vitam lavacro aquæ salutaris animatus, quod prius fuerat, exponeret, et corporis, licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret. Qui possibilis est, aiebam, tanta conversio? » Vicit tamen, Deo auctore, Cæcilius, eumque Ecclesiæ virum dedit, qualem miseris calamitosisque temporibus, quæ jam impendebant, optare magis, quam sperare posset, non modo ingenio et doctrina præstantem, sed concilio in primis et sapientia et constantia admirabilem. Cyprianus vero non jam se victum, sed in libertatem vindicatum putavit, deque patroni sui nomine exinde Cæcilius Cyprianus dici voluit; quem et « toto honore, inquit Pontius, atque omni observantia diligebat, obsequenti veneratione suspiciens, non jam ut amicum animæ coæqualem, sed tamquam novæ vitæ parentem. »

II. Carthaginis incolam tum fuisse Cyprianum ex ejus epistola novimus, quam aliquando exul ad clerum carthaginiensem scripsit : nam sibi in votis reditum esse significans, « ubi enim, inquit (*Epist.* xxxvi) mihi aut melius possit esse aut lætius, quam illic, ubi me Deus credere voluit et crescere? » Sed hæc ipsa verba eum alibi natum submonen : nec tamen patriam ejus longius dissitam crediderim, cum idem hortos propre Carthaginem habuerit (*Pont. in Vit. n.* 15) : quos simul cum prædiis hoc anno vendidit, ut pecunia redacta egentium inopiam sustentaret (*Idem. Ibid.*, *n.* 2).

## ANNUS CHRISTIANUS CCXLIV.

DONATO EPISCOPO CARTHAGINIENSI.

I. Signatur hic annus Peregrino et fulvio Æmiliano consulibus : Qui Reipublicæ funestus fuit Gordiani Aug. cæde. Hujus auctor ferebatur ipse Philippus, qui imperium proximus suscepit, quamquam idem Christianus jam tum fuisse creditus est, et ob tantum scelus hoc anno, quum Antiochiæ sacro Christianorum conventui adesse vellet, a Babyla episcopo rejectus esse (*Euseb. H. E.*, *lib.* vi, *cap.* 34) : quam Babylæ constantiam Joannes Chrysostomus eximiis laudibus exornavit (*Oper. t.* ii, *p.* 545).

II. Cyprianus interea Carthagine totus erat in studiis divinarum Litterarum, ut quantum bonis artibus externisque disciplinis excelleret, tantum christiana etiam doctrina præstaret. Inter reliqua Patrum scripta Tertullianum ab eo assidue lectum testatur Hieronymus (*de Vir. illust. c.* 53), qui se hoc a sene Concordiensi didicisse ait, qui a notario Cypriani adolescens Romæ audierat, referre solito, « numquam Cyprianum absque Tertulliani lectione unum diem præteriisse, ac sibi crebro dicere : Da magistrum, Tertullianum videlicet; » ex quo tamen ille sic boni quod inerat, delibare didicit, ut mala prudens rejiceret, ac sæpe postea dissimulato nomine refutaret.

## ANNUS CHRISTIANUS CCXLV.

DONATO EPISCOPO CARTHAGINIENSI.

Consulatum inierunt imp. M. Julius Philippus, Tib. Fabius Titianus. Hoc anno mortuus putatur Tertullianus. Ille certe usque ad decrepitam ætatem, teste Hieronymo (*de Vir. illustr.*, *c.* 53) vixisse dictus est, atque ad mediam quidem Catholicus, exinde Montanista, sub extremam vero etiam hæresiarches. Utinam qui memoriæ tanti scriptoris favent, eumque aliquando ad bonam frugem rediisse opinantur, idipsum indicio aliquo aut certa aliqua veterum auctoritate confirmarent! Contra in scriptis ejus nulla pœnitentis animi vestigia sunt, mansit secta ejusdem usque ad Augustini tempora, lapsus adhuc et defectionis memoria perstat : ut eum *plane exitum* habuisse videatur, ad quem jamdiu pertinacia ipsa et catholicæ Ecclesiæ contemptu adducebatur. Nonne enim ætate quoque nostra paribus initiis homines ejus modi ingenio doctrinaque florere vidimus, qui sæpe aliis recte vivendi auctores fuerant; quorum tamen extrema studio partium aurisque popularibus abrepta ac deformata deflevimus : irrito bonorum conatu, qui eos ad prioris vitæ consilia revocare volebant? hæc nimirum superbiæ pœna divinitus constituta est ut sibi ipsa perniciem inferat voluntariam.

## ANNUS CHRISTIANUS CCXLVI.

DONATO EPISCOPO CARTHAGINIENSI.

Annum incoharunt consules Brattius Præsens, Numnius Albinus : quos autem præsides id temporis Africa habuerit, omnino ignoramus. At Cyprianus sacris in Litteris jam biennium versatus, parem se et religioni tuendæ et moribus conformandis ostendit. Nam hoc anno initium scribendi fecit adornata illa maximeque limata Epistola ad Donatum amicum, in qua et veteris vitæ errores depingit suos et suscepti Baptismi virtutem extollit, et vitia hominum quanta sint, et quam magnis e periculis ereptus fuerit, gratia divini beneficii commemoratione declarat. Quæ tamen Cyprianus recens e schola, et fucatum quemdam nitorem nondum oblitus, eo dicendi genere pertractavit, quo deinde gravitatis sa-

Digitized by Google

diosus numquam usus est, id Augustinus « spumeum verborum ambitum » appellat, primum hoc Cypriani opus sic perstrigens (*de Doct. christ. lib.* IV, *c.* 14) : « Est, inquit, tale aliquid in epistola beatissimi Cypriani, quod ideo puto vel accidisse, vel consulto factum esse, ut sciretur a posteris, quam linguam doctrinæ christianæ sanitas ab ista redundantia revocaverit, et ad eloquentiam graviorem modestioremque restrinxerit, qualis in ejus consequentibus litteris secure amatur, religiose appetitur, sed difficillime impletur. »

## ANNUS CHRISTIANUS CCXLVII.

### DONATO EPISCOPO CARTHAGINIENSI.

I. Consules fuere imp. M. Julius Philippus iterum, M. Julius Philippus Cæsar, Augusti filius, qui et ipse sub anni exitum Augustus a senatu est appellatus. Ad hunc annum spectare videtur Cypriani liber, qui nunc inscribitur « de Vanitate idolorum, » at olim pro argumento præferebat, quæ nunc libri initium putantur, nempe « quod idola Dii non sint, et quod « Deus unus sit, et quod per Christum salus credentibus data sit. » Porro lectitatos a Cypriano Tertullianum et Minucium, hic maxime liber ostendit, quum multa in utroque imitatus sit, quædam etiam ex utroque decerpserit. Cæterum eruditio ejus passim eminet, et græcorum quoque scriptorum ac disciplinarum omnium cognitio non vulgaris, quam ille Christiano homini inutilem non esse liquido confirmavit.

II. Eodem anno Donatus episcopus jam senior, atque animo, ut arbitror, futura præsagiens, Cyprianum, cujus ingenium, doctrinam, virtutem, religionem admirabatur, dignum plane duxit quem inter ecclesiæ suæ presbyteros cooptaret. Neque serius eum sacris initiatum statui potest, cum de eodem scribat Pontius (*in Vit. n.* 3) : « Multa sunt, quæ adhuc plebeius, multa quæ jam presbyter fecit, multa quæ ad veterum exempla justorum imitatione consimili prosecutus, promerendo Dominum totius religionis obsequio præstitit : » nec vero ultra anni insequentis spatium differre pontificatus ejus initium liceat, quod ab eo in epistolis non obscure designatur. Scriptos a Cypriano, cum presbyter esset, tres libros Testimoniorum adversus Judeos, item librum de Habitu virginum, quem bis Hieronymus egregium volumen appellat (*in Epist. ad Eustoch. et ad Demetr.*) ; opinio multorum est, quam et formulæ quædam in his Cypriano usurpatæ persuadeant.

## ANNUS CHRISTIANUS CCXLVIII.

### CYPRIANO EPISCOPO CARTHAGINIENSI.

I. Rursum consulatus penes Augustos, fuit Philippum patrem III. Philippum filium II. Nec dubium est ea maxime de causa consules hoc anno refectos esse Augustos, quod is foret a condita Urbe millesimus : cujus rei ergo ludi apparatissimi facti sunt XI, kal. maias, quo die annus millesimus primus incohabatur, itemque novem aliis sequentibus : congiaria etiam ab Augustis populo data, nec eorum quidquam omissum, quæ alias ludis sæcularibus facta esse constabat.

II. At vero Ecclesia Carthaginiensis eodem anno Donatum episcopum amisit : cujus quidem laudes nobis indidit vetustas, quæ facta ejus prope omnia oblivione obscuravit. Nam de eo ad nos, præter privati hæretici damnationem, quam superius commemoravimus, nihil pervenit. Sed tamen non sine laboribus ejus meritisque evenisse censendum est, ut presbyteri et diaconi Ecclesiæ Romanæ non multo post ejus mortem ad Cyprianum scribentes, Carthaginiensem ecclesiam recens a Donato administratam præclaro illo elogio commendarent : « Novimus, inquiunt (*Epist.* 30 *inter Cyprian.*) Carthaginiensis ecclesiæ fidem, novimus institutionem, novimus humilitatem. »

III. A Donati morte, quum de successore deliberandum esset, totius Christianæ plebis oculi in Cyprianum conjecti, et unus maxime idoneus visus est cui ecclesia illa amplissima committeretur. Quod ille ut sensit, declinandi pontificatus causa, publico carere cœpit. « Quum in dilectionem ejus et honorem, inquit Pontius (*in Vita Cypr., n.* 5), totus populus aspirante Domino, prosiliret, humiliter ille secessit, antiquioribus cedens, et indignum se titulo tanti honoris existimans. »

Sed ea modestia studia populi auxit. « Obsederat, pergit idem, fores domus copiosa fraternitas, et per omnes aditus sollicita charitas circuibat. Fuga igitur interclusa, parendum populi voluntati fuit, qui et venturum anxius exspectaverat, et venientem denique gaudio exultans accepit. Cæterum in summa illa animarum consensione presbyteros quinque Cypriano adversatos scimus, qui multa etiam in eum postea moliti sunt (*Cyprian. Epist.* 40.), non ejus umquam mansuetudine, non exemplis, non beneficiis placati. « Invitus dico, ait Pontius (*Ibid.*, n. 5.), sed ut dicam necesse est. Quidam illi restiterunt, etiam ut vinceret. Quibus tamen quanta lenitate, quam patienter, quam benevolenter indulsit, quam clementer ignovit? amicissimos eos postmodum et inter necessarios computans, mirantibus multis; cui enim posset non esse miraculo tam memoriosæ mentis oblivio!

## ANNUS CHRISTIANUS CCXLIX.

### CYPRIANO EPISCOPO CARTHAGINIENSI.

I. Consules processerunt Fulvius Æmilianus iterum, Vettius Aquilinus. Fuit hic annus Ecclesiæ plane luctuosus, Philippis Augg. militum factione sublatis, quorum favore tuta res christiana fuerat, imperiique summa ad Decium delata, quem odio in Christianos flagrantem publica auctoritas omnibus rebus armabat.

II. Pacatus tamen in Africa totus defluxit annus, licuitque Cypriano assiduam in populi institutione operam ponere, et de officiis etiam ad episcopos, qui eum consulebant, responsa dare. Scripserat ad eum Eucratius episcopus Thenitanus de histrione, qui Thenis Christianum se professus, histrionam facere pergeret, rogaveratque, num id ferendum esset.

Digitized by Google

Hunc vero hominem Cyprianus (*Epist.* 61.), cum magister et doctor foret non erudiendorum, sed perdendorum puerorum, communicare Ecclesiæ non debere respondit; quippe nec majestati divinæ nec evangelicæ disciplinæ congruere videbatur, ut pudor et honor Ecclesiæ tam turpi et infami contagione fœdaretur. « Nec excuset se quisquam, inquit, si a theatro ipse cessaverit, cum tamen hoc cæteros doceat. Non potest enim videri cessasse, qui vicarios substituit, et qui pro se uno plures succedaneos suggerit contra institutionem Dei, erudiens et docens quemadmodum masculus frangatur in feminam, et sexus arte mutetur, et diabolo divinum plasma maculanti per corrupti atque enervati corporis delicta placeatur. » Verum quia futurum intelligebat, ut ille admonitus egestatem prætexeret, ad quam abjecta arte redigi necesse esset; primum quidem Eucratium hortatus est, ut de ecclesiæ suæ bonis inopiam illius sustentaret: at ne quid histrionis emendationi abesse posset adjecit ipse quæ nullam excusationem relinquerent: « Quod si, inquit, illic ecclesia non sufficit, ut laborantibus præstet alimenta, poterit se ad nos transferre, et hic quod sibi ad victum atque ad vestitum necessarium fuerit accipere, nec alios extra ecclesiam mortalia docere, sed ipse salutaria in ecclesia discere. »

III. Eodem anno litteras quoque a Pomponio episcopo Dionysianensi accepisse creditur, quibus ille sententiam ejus de virginibus masculorum contubernalibus requirebat. Jam enim in Africa serpebat prava illa consuetudo, quæ deinde per Orientem quoque vagata, ordinum sanctissimorum splendorem maculavit, ac sæpe Gregorii Nazianzeni et Hieronymi et Joannis Chrysostomi gravissimis reprehensionibus exagitata atque in summam invidiam adducta est. Συνεισακτους, Græci appellabant ejusmodi virgines, quas presbyteros diaconosque domi habere, vel tori socias non pudebat; seque tamen castimoniam sancte servare illi dictitabant. Enim vero Cyprianus Pomponio rescripsit (*Epist.* 62.), « Intercedendum cito talibus ut separentur, dum adhuc separari innocentes possunt: « tum ad clerum quod attinet, « cum, inquit, omnes omnino disciplinam tenere oporteat, multo magis præpositos et diaconos curare hoc fas est qui exemplum et documentum cæteris de conversatione et moribus suis præbeant. Et idciro consulte et cum vigore fecisti, frater charissime, abstinendo diaconum qui cum virgine sæpe mansit. » Addit etiam de pœna, qua ii coercendi essent qui præcepto non paruissent, ac demum castimoniam sacris Ecclesiæ ministris præscriptam memorat, quam Pomponius omni studio fueri debeat. « Ergo inquit, ne indisciplinati consumantur et pereant, da operam, frater charissime, ut quantum potes, consiliis salutaribus fraternitatem regas, et singulis ad salutem suam consulas. Arcta et angusta est via, per quam ingredimur ad vitam; sed summus et magnus est fructus, cum pervenimus ad gloriam. Qui se simul castraverunt propter regnum Cœlorum, Deo per omnia placeant, nec sacerdotes Dei aut Ecclesiam Domini scandalo suæ pravitatis, offendant. Et si ad præsens a nobis quidem ex fratribus nostris contristare videntur, nos tamen in salubri persuasione maneamus.

IV. Cæterum Cyprianus, censor morum *diligentissimus*, quos in clerum lecturus esset, ante experiri solebat, et coram presbyteris suis judicium de singulis instituere; nec tamen allegere protinus, sed alterum in annum differre. Sic hoc anno « proximi clero » ab eo facti Saturus et Optatus, quos anno insequenti tandem cooptavit, cum jam Carthagine secessisset. Nam examen hujusmodi in epistola XIV quam e latebris suis ad clerum misit, his verbis commemorat: « Fecisse me autem sciatis lectorem Saturum et Hypodiaconum Optatum confessorem, quos jampridem communi consilio clero *proximos* feceramus, quando aut Saturo die Paschæ semel atque iterum lectionem dedimus, aut quando cum presbyteris doctoribus lectores diligenter probaremus, Optatum inter lectores doctorem audientium constituimus, examinantes an congruerent illis omnia quæ esse debent in iis qui ad clerum parabantur. » Hac, opinor, adhibita diligentia, et mora hujusmodi interposita, rarius in clerum legent episcopi, quorum eos postea pudere debeat.

## ANNUS CHRISTIANUS CCL.

### CYPRIANO EPISCOPO CARTHAGINIENSI.

I. Consulatu functi hoc anno imp. M. Messius Decius itĕrum, Annius Maximus Gratus. Ipso autem mense januario, Decii in Urbe adversus Christianos furor erupit, primusque Fabianus, Pontifex maximus XIII, kal. februarias præclarum *martyrium fecit*, atque, ut Cyprianus scribit, « pro *integritate administrationis* ejus consummatio quoque honesta processit » (*Epist.* III, *ad Presb. Rom.*). Subinde civis Carthaginensis, et Martyrum progenies, captus Romæ est Celerinus confessor clarissimus, quem Cyprianus multis sæpe laudibus ornavit. Erat hic adolescens, magno tamen animo « per decem et novem dies, ut ipse tradit (*Cypr.*, *Epist.* XXXIV). « Custodia carceris septus, in nervo ac ferro fuit. » Cumque ætatis, opinor, miseratione emissus, in Africam rediisset, testes confessionis suæ cicatrices attulerat. Lucent, aiebat Cyprianus, in corpore glorioso clara vulnerum signa, eminent et apparent in nervis hominis ac membris longa tabe consumptis expressa vestigia.

II. Sed dum Celerinus in vinculis Romæ erat jam Carthaginem Decii edicta perlata fuerant, quibus crudele ac nefarium Christianis bellum indicebatur. Et significatio imminentis cladis multo ante Cypriano facta fuerat, cui se divinus paterfamilias vivendum obtulerat, « sedente sibi ad dextram juvene: qui juvenis anxius et cum quadam indignatione subtristis maxillam manu tenens, mœsto vultu sedebat; alius, vero in sinistra parte consistens, rete portabat quod se mittere, ut circumstantem populum caperet, minabatur. Et cum miraretur quid hoc esset, ille qui vidit, dictum est ei, juvenem qui ad dexteram sic sederet, contristari et dolere quod præcepta sua

Digitized by Google

non observarentur : illum vero in sinistra exstare, quod sibi daretur occasio, ut a patrefamilias potestatem sumeret sæviendi. » Hæc Cyprianus (*epist.* VII *ad Clerum*), qui visum ipse contemplatus putatur : post quæ addit : « Et vidimus impletum quod fuerat ostensum ; ut dum Domini præcepta contemnimus, dum datæ legis mandata salutaria non tenemus, facultatem nocendi inimicus acciperet, minus armatos et ad repugnandum minus cautos jactu retis operiret. » Ex quo autem edicta adversus Christianos promulgata fuere, quidquid Ethnicorum in Africa erat, tamquam classico excitati, contra Ecclesiam Dei infremere, et optimo cuique adversari cœperunt. Carthagine in primis cum in amphitheatro aut in circo populus sederet, Cyprianum ante omnes, quod et dignitas ejus et sanctitas insignior esset, ad leonem magnis clamoribus postulare ausus est. Quærebatur ad cædem victima, illa Deo devota, cui tamen Deus alia tempora destinaverat. « Servatus est, inquit Pontius (*in Vita*, *n.* 8), vir ingenii præter cætera etiam spiritaliter temperati, qui inter resultantes, collidentium schismatum fluctus, Ecclesiæ iter medium librato limite gubernaret. » Ratus nimirum Cyprianus, in tanto improborum odio ereptum sibi, ut adesse utiliter, opemque præsens afferre suis posset, consilium evangelicum sibi tum sequendum existimavit ; præsertim cum et illud timeret, ut ipse ait (*Epist.* XIV, *ad Presb. Rom.*) : « Ne per inverecundam præsentiam nostram seditio, quæ cœperat, provocaretur. » Secessit igitur, et procul ab urbe latitans furentis populi impetum declinavit. Verum ex ipsis latebris Ecclesiæ suæ quodam modo præsens imminere, ac pontificali munere diligentissime fungi videbatur : adeo nihil illi ignotum, nihil interclusum erat. Quæ autem ejus curæ tum fuerint, ut omnes officii sui partes expleverit, ex eodem Cypriano novimus, quod postea apud presbyteros et diaconos, qui a Fabiani morte Ecclesiam Romanam regebant, purgare se debuerit adversus eos, qui secessionem illam litteris Romam missis improbaverant. « Absens tamen, inquit (*ibidem*), corpore, nec spiritu, nec actu, nec monitis meis defui, quominus secundum Domini præcepta fratribus nostris, in quibus possem, mea mediocritate consulerem. Et quid egerim loquuntur vobis epistolæ pro temporibus emissæ numero tredecim, quas ad vos transmissi : in quibus nec clero consilium, nec confessoribus exhortatio, nec extorribus, quando oportuit, objurgatio, nec universæ fraternitatis ad deprecandam Dei misericordiam allocutio et persuasio nostra defuit, quantum secundum legem fidei et timorem Dei, Domino suggerente, nostra mediocritas potuit eniti. »

III. Atque hæc quidem omnia sedulo Cyprianus præstabat, quibus multi animos sumpserunt, vitaque contempta, pro cœlesti præmio fortiter decertarunt. Sed multos etiam vel primus ille Deciani furoris terror prostravit. Id Cyprianus ipse non diffitetur in eo libro, quem pace firmata « de Lapsis scripsit. A Ad prima, inquit (*de laps.*, *p.* 436, *ed. Baluz.*), statim verba minantis inimici maximus fratrum numerus fidem suam prodidit ; nec prostratus est persecutionis impetu, sed voluntario lapsu se ipse prostravit. » Tum imbecillitatem quam plurium, trepidationem, perfidiam describit his verbis : « Non exspectaverunt saltem, ut ascenderent apprehensi, ut interrogati negarent : ante aciem multi victi, sine congressione prostrati, nec hoc sibi reliquerunt, ut sacrificare idolis viderentur inviti. Ultro ad forum currere, ad mortem sponte properare, quasi hoc olim cuperent, quasi amplecterentur occasionem datam, quam semper optassent. Quot illic a magistratibus, vespera urgente, dilati sunt, quot ne eorum differretur interitus, etiam rogaverunt ?... Ac multis proprius B interitus satis non fuit ; hortamentis mutuis in exitium populus impulsus est, mors invicem lethali poculo propinata est. Ac ne quid deesset ad criminis cumulum, infantes quoque parentum manibus vel impositi, vel attracti amiserunt parvuli quod in primo statim nativitatis exordio fuerant consecuti : » quantum nempe in parentum arbitrio erat, quorum nequitia prodebantur. Fuere etiam magno numero, qui ne ab ethnicis vexarentur, libellum a magistratibus pecunia impetrarent ; quo in libello præscriptum erat eos diis sacrificasse, quamquam revera a tanto scelere abstinuerant. Ii postea libellatici appellati sunt ; quorum consilium et facinus Ecclesia semper detestata est.

IV. Hæc omnia ad Cyprianum in secessu illo suo C dies noctesque Deo supplicantem, et mœrore luctuque tabescentem : frequentes presbyterorum litteræ perferebant, quos ille custodes, præsidesque ecclesiæ reliquerat. Sed bonos etiam atque exoptatos identidem accepit nuntios, in sancta illa defectione nec fortes confessores, nec invictos martyres defuisse. Vix sane in Christianos inquiri Carthagine cœptum fuerat, cum Rogatianus presbyter et Felicissimus comprehensi, atque ob præclaram confessionem in vincula ducti sunt. His paulo post alii accessere, quos inter et feminæ quædam et pueri aliquot inveniti sunt, quibus tum Cyprianus per epistolam gratulatus (*Epist.* LXXXI) auctor quoque fuit, ut Rogatianum et Felicissimum in omnibus sequerentur. Interea Carthaginem redierat proconsul Fortunatianus et D Christianos ad tribunal citari jusserat. Ducebantur magno numero, qui ut coram stetere, excelso animo Christianos se esse professi sunt ; exinde alii in carcerem reducti, ubi sententiam judicis opperirentur, quam plurimi exilio mulctati, et solum vertere jussi : e quibus sexaginta quinque Romam pervenerunt, quos Celerinus (*Epist.* XX *inter Cypr.*) a Candida et Numeria sororibus hospitio Romæ acceptos scribit, quæ et ad portum Ostiensem obviam progressæ fuerant, ut eos in urbem deducerent. In exulum numero fuit et Aurelius ille adolescens quem postea Cyprianus ob merita ejus lectorem fecit (*Epist.* XXXIII) : item Statius et Severianus a Celerino memorati (*Ibidem*, *Epist.* XX.), quorum primus ex confessore

Digitized by Google

martyr Romæ creditur obiisse (*Pamel. in Cypr.*, p. 46). Numerantur cum his et Felix presbyter, et quæ uxor ejus fuerat, Victoria, et Lucius : qui quidem primo in conflictu turpiter succubuerant; sed mox admissum scelus detestantes, cum rursum interrogati essent, se Jesum Christum Deum agnoscere et adorare responderunt, et eo nomine bonis spoliati et in exilium acti sunt : quos propterea Caldonius episcopus, qui et ipse rem christianam cum Cypriani presbyteris Carthagine curabat, in communionem recepit, et Cyprianus merito receptos pronuntiavit (*Epist.* XVIII et XIX). Accidit etiam, ut mulier quædam, nomine Bona, ab ipso marito pertraheretur ad sacrificandum : quæ, dum manus ejus ab iis, qui sacrificabant, tenerentur, exclamavit aperte (*Caldon. in Epist.* XVIII *inter Cypr.*) : « Non feci, vos fecistis ; itaque et ipsa extorris facta est.

V. Hactenus bonorum direptione, exiliis, vinculis, et carceribus in Christianos sævitum erat. Aprili mense tormenta, cædes, martyrias cœperunt. Ac primus, ut videtur, Mappalicus lauream adeptus est, XV kal. maias, cujus nomen sacris adhuc in fastis celebratur : de quo etiam Cyprianus in Epistola (*Epist.* 8), ad martyres et confessores, « Vox, « inquit, plena Spiritu sancto de martyris ore pro- « rupit cum Mappalicus beatissimus inter cruciatus « suos proconsuli diceret : Videbis cras agonem, et « quod ille cum virtutis ac fidei testimonio dixit, « Dominus implevit. Agon cœlestis exhibitus, et Dei « servus in agonis promissi certamine coronatus « est. » In ipsa enim quæstione fortissimus ille Martyr expiravit, Luciani confessoris testimonio, qui de hujus et cæterorum Martyrum exitu Romam ad Celerinum scripsit (*Epist.* 21. *Inter. Cypr.*). Porro Mappalici socii fuere Paulus, post tormenta statim extinctus, Bassus in netvo sive pedario ligno examinatus, itemque Fortunio, postquam in carcerem reductus est : præterea Fortunata, Victorinus, Victor, Herennius, Credula, Herena, Donatus, Firmus, Venustus, Fructus, Julia, Martialis, Aristo, qui omnes in carcere fame necati sunt. Horum continet laudes Cypriani Epistola (*Epist.* 8), ad martyres et confessores, qui etiam tum superstites parem finem exspectabant. « Probata res, inquit, est certamine fratrum « glorioso, qui ad tormenta vincenda cæteris duces « facti exemplum virtutis ac fidei præbuerunt, con- « gressi in acie, donec acies succumberet victa. Qui- « bus ego vos laudibus prædicem, fortissimi fratres? « robur pectoris vestri et perseverantiam fidei quo « præconio vocis exornem? Tolerastis usque ad con- « summationem gloriæ durissimam quæstionem, nec « cessistis suppliciis, sed vobis potius supplicia ces- « serunt; finem doloribus, quem tormenta non da- « bant, coronæ dederunt. » Corpora vero ipsa martyrum et confessorum, qui in vinculis decesserant, ejusdem Cypriani admonitu (*Epist.* 37), rite a clero in tumulis composita : de quo etiam officio ad ecclesiam Carthaginiensem diligenter prescripserunt presbyteri Ecclesiæ Romanæ, rem id maximam appellantes (*Epist.* 3, *inter Cypr.*) Simul autem Cyprianus et diem consignari voluit, quo quisque coronam tulisset : quamquam habebat ille Carthagine, qui eum de quotidianis rebus certiorem faceret « Deinque, inquit, et dies eorum, quibus excedunt, « adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus. Quamquam « Tertullus fidelissimus et devotissimus frater noster « pro cætera sollicitudine et cura sua, quam fratribus in omni obsequio operationis impertit, qui « nec illic circa curam corporum deest, scripserit « et scribat ac significet mihi dies, quibus in carcere « beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ « mortis exitu transeunt, et celebrentur hic a nobis « oblationes et sacrificia ob commemorationes eorum « quæ cito vobiscum, Domino protegente, celebrabimus. »

VI. Alios hoc anno martyres cœlo submissos declarat Cypriani epistola alia ad clerum Carthaginensem, qua Numidicum confessorem in presbyterorum Carthaginiensium collegium a se cooptatum significavit. « Nam, inquit (*Epist.* 25. *v. Boll. t.* II, *Aug.* « *p.* 411), admonitos nos et instructos sciatis digna- « tione divina, ut Numidicus presbyter adscribatur « presbyterorum Carthaginiensium numero, et nobis- « cum sedeat in clero, luce clarissima confessionis « illustris, et virtutis ac fidei honore sublimis; qui, « hortatu suo, copiosum martyrum numerum lapidi- « bus et flammis necatum ante se misit, quique « uxorem adhærentem lateri suo concrematam simul « cum cæteris, conservatam magis dixerim, lætus « aspexit. Ipse semiustulatus et lapidibus obrutus, « et pro mortuo derelictus, dum posmodum filia « sollicito pietatis obsequio cadaver patris inquirit, « semianimis inventus et extractus et refocillatus « a comitibus, quos ipse præmiserat, remansit in- « victus. » His vero martyribus annumerandi etiam videntur, quos Græci adhuc honorant (*v. Boll.* 10. *Apr. p.* 860), Terentius et Africanus cum sociis, in Africa martyrio defuncti sub Decio Aug. quorum postea reliquias Theodosius magnus in ædem Euphemiæ, quæ in petra dicebatur, Constantinopolim inferendas curavit (*Theod. Lect. l.* II, *n.* 62, *et infra an.* 384. 1). Quod si cæteræ quoque provinciæ Cyprianum alterum habuissent, profecto de earum etiam martyribus aliquid ad nos usque transmissum esset, in quibus ecclesias et episcopos magno numero jam tum fuisse, annotatum est.

VII. Interea nonnulli ex iis, qui in exilium ejecti fuerant, editis magistratuum contemptis, domum redire ausi sunt. Quod ut rescivit Cyprianus, plurimum reprehendit objurgavitque reduces, eo maxime nomine, quia in eam patriam, unde extorres facti essent regressi, fieri poterat, ut apprehensi, non jam ut Christiani, sed quasi nocentes perirent (*Epist.* 6 *et* 14), sed tamen graviore eum molestia affecerunt confessores ipsi in carceribus etiam tum superstites nimia quadam facilitate Christianis in recenti periculo lapsis patrocinantes. Nam hi quidem, cum eos

Digitized by Google

violatæ Deo fidei vehementer puderet, et in Ecclesiam unde ob proditionem exciderant, recipi maxime cuperent, frequentes itabant ad confessiones, eosque rogabant, ut in communionem admitterent, et episcopo quemque suo commendarent. Quidam vero ex illis adeo indulgentes erant, ut probroso cuique sine mora communicarent, datoque libello, quod id ipsum testabantur, episcopum quoque urgebant, ut illum, cum se ad pedes ejus abjecisset, Ecclesiæ redderet. Confessorum illorum princeps erat Lucianus quidam, spectatæ sane virtutis vir invictæque patientiæ, sed qui Ecclesiæ prescripta et Evangelii documenta parum norat. Hic non modo libellos petentibus et suo et aliorum nomine dabat (*Cypr. Epist.* 22), sed etiam lapsis absentibus veniam pacemque obtulerat, ac Celerino, qui ei Numeriam et Candidam sacrificio pollutas commendaverat, rescripserat his verbis: « Secundum præceptum Paulli, » qui nempe martyr decesserat, et se in lapsos misericordem ostenderat, « et nostrum tractatum, exposita causa apud « episcopum, et facta exomologesi, habeant pacem « non tantum hæ, sed et quas scis ad animum nos- « trum (*Epist.* 21. *Inter Cypr.*). » Denique ad Cyprianum ipsum epistolam hujusmodi omnium confessorum nomine mittere ausus est (*Epist.* 16. *Inter Cypr*). « Universi confessores Cypriano papæ salutem. « Scias nos universis, de quibus apud te ratio con- « stiterit, quid post commissum egerent, dedisse pa- « cem et hanc formam per te et aliis episcopis inno- « tescere voluimus. Optamus te cum sanctis Marty- « ribus pacem habere. Præsente de clero et exor- « cista et lectore Lucianus scripsit. » Hæc vero quam ægre tulerit Cyprianus, nemo non facile intelligat, cum et aliis ferre deberet, quos unice amabat ac venerabatur, et contra Ecclesiæ auctoritatem tentata intelligeret, quæ ab eo potissimum retinenda esset. Dolebat etiam ac multum angebatur, quod presbyteri quidam, in scilicet, quos in suscipiendo pontificatu competitores habuerat, illam lapsorum impunitatem fovebant, ultro cum ipsis communicantes, et temere omnia nulloque ordine administrabant.

VIII. Quæ cum ita essent, rem Cyprianus diutius dissimulandam non duxit, et graves admodum ac prudentiæ plenas prescripsit epistolas, ad clerum, ad confessores, ad lapsos, ut singulos de officio admoneret. Prima ejus ad clerum verba fuere (*Epist.* 9): « Diu patientiam meam tenui, fratres charissimi, quasi verecundum silentium nostrum proficeret ad quietem. Sed cum immoderata et abrupta præsumptio temeritate sua et honorem martyrum et confessorum pudorem et plebis universæ tranquillitatem turbare conetur, tacere ultra non oportet, ne ad periculum et plebis pariter et nostrum taciturnitas nimia procedat. Quod enim non periculum metuere debemus de offensa Domini, quando aliqui de presbyteris nec Evangelii, nec loci sui memores, sed neque futurum Domini judicium, neque nunc sibi præpositum episcopum cogitantes, quod numquam omnino sub antecessoribus factum est, cum contumelia et contemptu præpositi totum sibi vindicent? » Rei autem novitatem et præposteram agendi rationem potissimum perstringit: « Nam, inquit, cum in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam justo tempore, et secundum disciplinæ ordinem ad exomologesin veniant, et per manus impositionem episcopi et cleri jus communicationis accipiant, nunc crudo tempore, persecutione adhuc perseverante, nondum restituta Ecclesiæ ipsius pace, ad communicationem admittuntur, et offertur nomen eorum, et nondum pœnitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab episcopo et clero imposita Eucharistia illis datur. » Jam altera epistola ipsos martyres et confessores sic affatur (*Epist.* 10): « Sollicitudo loci nostri et timor Domini compellit, fortissimi ac beatissimi fratres, admonere vos litteris nostris, ut a quibus tam devote et fortiter servatur fides Domini, ab iisdem lex quoque et disciplina Domini reservetur. » Culpam deinde in presbyteros et diaconos rejicit, qui ad eos commeantes modum nullum præscripserint, et Ecclesiæ leges atque Evangelii præcepta non exposuerint. « Ea enim, inquit, concedere, quæ in perniciem vertant, decipere est; nec erigitur sic lapsus, sed per Dei offensam magis impellitur ad ruinam. Vel ex vobis itaque discant, quod docere debuerant. » Tum lapsos etiam accusat, qui impudentius peterent, quod illis neque modestis neque ex animo resipiscentibus negandum esset: ac modum denique, quem ab ipsis servari maxime oporteret, ostendit. « Hoc autem; inquit, totum potest fieri, si ea, quæ a vobis petuntur, religiosa contemplatione moderemini, intelligentes et comprimentes eos, qui personas accipientes in beneficiis vestris aut gratificantur, aut illicitæ negotiationis nundinas aucupantur. De hoc et ad clerum et ad plebem litteras feci, quas utrasque vobis legi mandavi. Sed et illud ad diligentiam vestram redigere et emendare debetis, ut nominatim designetis eos, quibus pacem dari desideratis. Audio enim quibusdam sic libellos fieri, ut dicatur, » communicet Ille cum suis « quod numquam omnino a martyribus factum est, ut incerta et cæca petitio invidiam nobis postmodum cumulet. Late enim patet, quando dicitur, ille cum suis: et possunt nobis viceni et triceni et amplius offerri, qui propinqui et affines et liberti ac domestici esse asseverentur ejus, qui accipit libellum. Et ideo peto, ut eos, quos ipsi videtis, quos nostis, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello, et sic ad nos fidei ac disciplinæ congruentes litteras dirigatis. » Tertia demum epistola lapsos coercere aggressus est, qui ad eum tamquam corpus et Ecclesia publica scribere ausi fuerant (*Epist.* 27 *quæ Ignotii M. doctrinæ mire consentit.*) Exorsus autem ab episcopi auctoritate, cui omnes parere deberent: « Miror, inquit, quosdam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse, ut Ecclesiæ nomine litteras facerent, quando Ecclesia in episcopo et clero et in omnibus stantibus sit constituta. Absit enim, nec Domini misericordia et po-

Digitized by Google

testas ejus invicta patiatur, ut Ecclesia esse dicatur lapsorum numerus: Cum scriptum sit (*Epist.* 12.) *Deus non est mortuorum, sed vivorum.* Omnes quidem vivificari optamus, et ut in statum pristinum restituantur, precibus nostris et gemitibus postulamus. Si autem quidam lapsi Ecclesiam se volunt esse, et si apud illos atque in illis est Ecclesia, quid superest, quam « ut ipsi rogentur a nobis, ut nos ad Ecclesiam dignentur admittere? Post hæc hortatur, ut sceleris memores, quo obstricti erant, modestiam ac verecundiam » præ se ferrent, et quosdam e gregalibus suis imitarentur, quos mansuetudo et pudor et religio maxime commendabat. Quod si responsum a se ferre vellent, litteras, quas miserunt, reflcerint, distinguerintque, quæ quisque peteret, et nomen item subjicerent singulorum. Nec tamen non iis etiam consuluit, qui dum pœnitentiæ lege tenerentur, in vitæ discrimen incidissent. Diserte enim ad clerum suum scripsit (*Epist.* 12), uti « non exspectata præsentia nostra, apud presbyterum quemcumque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint, ut manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres litteris ad nos factis desiderarint. » Quæ quidem verba argumento esse videntur qui tum a societate piorum rejecti Ecclesiæ ob amissa sua satisfaciebant, privato fere judicio jampridem absolutos, admissione tantum sententiaque solemni eguisse quam et diaconus ex episcopi auctoritate, presbytero absente, efferre posset, postquam rei criminis ipsi sui veterem maculam detexissent. Quis enim ademptum miseris credat, ut venia peccatorum impetrata, diuturnam pœnam æquo animo ferrent ac Deo coram, quod maxime expetendum erat, dum Ecclesiam placabant, prœmium sibi æternum demissione, fletibus, abstinentia compararent (*Vide Francolin in Cler. Rom. lib.* I. *Disp.* XI).

IX. His atque aliis hujusmodi epistolis, plurimum profecit Cyprianus, et animos presbyteris, quos fidos et obsequentes habebat, plane addidit: ut externum quoque presbyterum et diaconum qui lapsos recipiebant, a sacris suis arcere non dubitarent. Id ex Cypriano discimus, qui factum laudavit « Integre, inquit (*Epist.* 28), et cum disciplina fecisti, « fratres charissimi, quod concilio collegarum meorum, qui præsentes erant, Gaio Diddensi (*fortasse Idensi*) presbytero et diacono ejus censuistis « non communicandum, qui communicando cum « lapsis, et offerendo oblationes eorum, in pravis « erroribus suis frequenter deprehensi, et semel « atque iterum, secundum quod mihi scripsistis, a « collegis meis moniti ne hoc facerent, in præsumptione et audacia sua pertinaciter perstiterunt. » Eosdem subinde confirmavit epistola presbyterorum Ecclesiæ Romanæ, qui tum, ut aiunt, vice pastoris gregem custodiebant: modum enim, quem Ipsi in Urbe servabant erga lapsos, proponentes hortabantur, ut pari ratione uterentur. Provide autem et illud admonebant, si forte ex eo hominum numero quidam in morbum incidissent, iis omnino subveniendum esse, dummodo, inquiunt, « et agant pœnitentiam facti sui et desiderent communionem (*Ep.* 2, *inter Cypr.*) » atque horum auctoritatem secutus. Cyprianus, Clero ipse etiam scripsit (*Epist.* 13), « Ut qui libellum a martyribus acceperunt, et auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis « possunt, si premi infirmitate aliqua et periculo « cœperint, exomologesi facta, et manu eis a vobis « in pœnitentiam imposita, cum pace a martyribus « sibi promissa ad Dominum remittantur. » Sed quod ad cæteros spectabat, ratum illud fixumque fuit, ante Ecclesiæ pacem et reditum episcoporum neminem de lapsis admitti oportere. Itaque et ad presbyteros Romanos illa Cyprianus respondit (*Epist.* 14): « Plane cæterorum causas, quamvis libello a « martyribus accepto, differri mandavi, et in nostram præsentiam reservari, ut eum pace a Domino « nobis data plures præpositi convenire in unum « cœperimus, communicato etiam vobiscum consilio « disponere singula et reformare possimus. » Tum clero etiam suo ita convenire ostendit (*Epist.* 13): « Quum, inquit, irreligiosum est, et ipsis quoque « festinantibus perniciosum, ut cum extorres facti « et patria pulsi ac bonis suis omnibus spoliati nondum ad Ecclesiam redierint, quidam de lapsis « confessores ipsos prævenire, et ante eos ad Ecclesiam introire festinent! »

X. Hæc dum agebantur, spes aliqua pacis jam affulgebat; sed Cypriano inclusus etiam tum, reditus erat odiis Ethnicorum, qui eum maxime ad cædem designaverant. Quare nondum prodire e latebris suis ausus est: at illi tamen liberius Paulo res Ecclesiæ curare licuit. Itaque cum aliam a Clero Romano epistolam accepisset (*Epist.* 30 *inter Cypr.*), quam ille Saturus lector attulerat, in eaque expositum esset, quæ Romæ circa lapsos constituta fuissent, eam ad presbyteros suos Carthaginem misit, iis etiam litteris additis, quas a confessoribus Romanis Moyse et Maximo missas servabat, ut eas describerent vulgarentque. Unde factum est ut in ea re omnium Ecclesiarum maxima brevi consensio existeret. Ecclesiæ item suæ honori fore arbitratus, si præstantissimum quemquem e confessoribus in clerum allegeret, cum forte eum presbyteri aliquot convenissent, ipsis præsentibus lectores duos ordinavit (*Epist.* 33). Horum prior fuit Aurelius cujus laudes sic ipse persequitur: « Aurelius frater noster, « illustris adolescens, a Domino jam probatus et « Deo charus, in annis adhuc novellus, sed in virtutis « ac fidei laude provectus, minor in ætatis suæ indole, sed major in honore, gemino hic agone certavit, bis confessus, et bis confessionis suæ victoria gloriosus, et quando vici in cursu factus « extorris, et eum denuo certamine fortiore pugnavit, « triumphator et victor in prælio passionis. » Alter fuit Celerinus, qui et aviam et patruum et avunculum matyres numerabat (*Epist.* 34). Fuerat hic, ut di-

Digitized by Google

ximus, in vinculis Romæ, libertatem adeptus redierat in Africam, et Cyprianum ipsum latitantem adierat; sic autem lector creatus est, ut divinæ voluntatis significatio repugnantem adduceret. Nam sic de eo ad clerum et plebem scribit Cyprianus : « Exultate « itaque et gaudete nobiscum litteris nostris, quibus « ego et collegæ mei, qui præsentes aderant, refe- « rimus ad vos Celerinum fratrem nostrum virtutibus « pariter et moribus gloriosum clero nostro, non « humana suffragatione, sed divina dignatione con- « junctum. Qui cum consentire dubitaret Ecclesiæ, « ipsius admonitu et hortatu in visione per noctem « compulsus est, ne negaret nobis suadentibus. » Cæterum majores utrique honores Cyprianus destinabat. « Hos, inquit, lectores interim constitutos « sciatis, quia oportebat lucernam super candela- « brum poni unde omnibus luceat, et gloriosos « vultus in loco altiore constitui, ubi ab omni fra- « ternitate circumstante conspectui incitamentum « gloriæ videntibus præbeant. Cæterum presbyterii « honorem designasse nos illis jam sciatis, ut et « sportulis iisdem cum presbyteris honorentur, et « divisiones mensurnas æquatis quantitatibus par- « tiantur, sessuri nobiscum provectis et corro- « boratis annis suis : quamvis in nullo minor possit « videri ætatis indole, qui consummavit ætatem glo- « riæ dignitate. » Erat præterea inter confessores quosque clarissimus, quem superius commemoravimus, Numidicus presbyter, post ustionem et lapidationem superstes. Hunc Cyprianus in collegium presbyterorum suorum cooptavit, præfectura quoque regionis suæ ei destinata, simul atque Carthaginem adiisset. « Et promovebitur ( *Epist.* 35 ), inquit, « cum Deus permiserit ad ampliorem locum regionis « suæ, quando in præsentiam, protegente Domino, « venerimus. » Post hæc, alia epistola egentium inopiæ sibi subveniendum duxit, presbyterosque et diaconosque suos hortatus est, ut viduarum et infirmorum et omnium pauperum curam diligenter haberent : nec minori studio peregrinos commendavit. « Nam et peregrinis, inquit ( *Epist.* 36 ) si qui in- « digentes fuerint, de quantitate mea propria, quam « apud Rogatianum compresbyterum nostrum di- « misi, sumptus suggeratis : quæ quantitas ne forte « jam universa erogata sit, misi eidem per Naricum « et Colytum aliam portionem, ut largius et prom- « ptius circa laborantes fiat operatio. »

XI. Vertente jam anno postremæ Cypriani litteræ ad clerum fuerunt, quibus eum ad assiduas Deo preces fundendas inflammabat. « Admoneo, aiebat ( *Epist.* « 7), religiosam sollicitudinem vestram, ut ad pla- « candum atque exorandum Dominum non voce sola, « sed et jejuniis et lacrymis et omni genere deprecationis ingemiscamus. » Simul malorum instare finem prædicebat, sic a Deo edoctus, quem pro populo suo dies noctesque exoraverat. « Denique, addebat, « ad minimum famulum suum, et in delictis licet « plurimis constitutum, et dignatione ejus indignum, « tamen ille pro sua circa nos bonitate mandare « dignatus est : Dic illi, inquit, securus sit, quia pax « ventura est; sed quod interim morula est, super- « sunt adhuc aliqui qui probentur. » Quibus, opinor, verbis intestina quorumdam conjuratio designabatur, quæ jam impendebat. « Si nos, inquit, Dominus hu- « miles et quietos, si nobis in vicem copulatos si « circa iram suam timidos, si præsenti tribulatione « correctos emendatosque conspexerit, tutos ab ini- « mici infestationibus exhibebit. Præcessit disci- « plina, sequetur et venia. »

## ANNUS CHRISTIANUS CCLI.

### CYPRIANO EPISCOPO CARTHAGINIENSI.

I. Consules processere Imp. C. Messius Decius III, Q. Herennius Etruscus Messius Decius Cæsar (1), pater nempe atque filius, qui sub anni exitum bello Gothico perierunt. Hi quamdiu Romæ fuere, nihil tutum Christianis fuit, ut ne ad Fabiani quidem successorem eligendum convenire potuerint. Multi quoque in carceribus confessores martyrium opperiebantur, quos inter eminebant Moyses et Maximus, ad quos perlatus hoc anno putatur liber de Laude martyrii, opus, ut creditur, Cypriani : quamquam ab ejus stylo abludit vel plurimum.

II. At ecclesia Africana ab Ethnicis paulo securior esse cœperat, non eo tamen successu, quem Cyprianus optaverat; depulso enim vexationis metu, vetus jam in populo licentia revixerat, et vitiis rursum aditus patebat. Nec confessores ipsi macula omnes et culpa carebant. « Doleo, scribebat ad clerum Cypria- « nus (*Epist.* 5), quando audio, quosdam improbe et « insolenter discurrere, et ad ineptias vel ad discor- « dias vacare, Christi membra et jam Christum con- « fessa per concubitus illicitos inquinari, nec a dia- « conis aut presbyteris regi posse. Et ad Rogatianum « cæterosque confessores scribens, quosdam, in- « quit (*Epist.* 6), audio inficere numerum vestrum et « laudem præcipui nominis prava sua conversatione « destruere : quos etiam vos ipsi, ut pote amatores « et conservatores laudis vestræ, objurgare et com- « primere et emendare debetis. » Hæc edoctus Cyprianus, presbyteros in primis rogabat atque obsecrabat, ut circa ea, quæ administratio religiosa deposceret, vice sua strenue fungerentur : nam ipsi quidem vel maxime cupienti nondum reditus patebat. « Quam- « quam, inquit (*Epist.* 5), causa compelleret, ut ipse « ad vos properare et venire deberem, primo cupidi- « tate et desiderio vestri, quæ res in votis meis « summa est, tum deinde ut ea, quæ circa Ecclesiæ « gubermacula utilitas communis exposcit, tractare « simul, et plurimorum consilio examinata delimare « possemus; tamen potius visum est adhuc interim « latebram et quietem tenere respectu utilitatum « aliarum, quæ ad pacem omnium nostrum perti- « nent et salutem : quarum vobis a Tertullo fratre

(1) Decius uterque appellatur in Afr. Inc. apud Oct. Falcon. in Auctario ad Insc. Athletic., n. 8.

Digitized by Google

« nostro charissimo ratio redditur; qui pro cætera « sua cura, quam impense divinis operibus impertit, « etiam hujus consilii auctor fuit, ut cautus et mo- « deratus existerem, nec me in conspectum publicum « et maxime ejus loci, ubi toties flagitatus et quæsi- « tus fuissem, temere committerem. » Magnus nempe Ethnicorum numerus Carthagine erat ex omni ordine, quorum etiam furore proscriptus fuerat (*Pont. in vita n.* 7), et bonis omnibus spoliatus (*Cypr. Epist.* 69) : ut in tanto improborum odio recte Tertullus existimaret, minime ejus viri vitam esse periclitandam, in qua Ecclesiæ tum salus maxime nitebatur.

III. Sed dum his populi moribus Cyprianus dolebat, gravius jam malum instabat a Felicissimo cive Carthaginiensi opulento, eodemque Christiano, at vitiis notato, et animo in Cyprianum infenso. Forte, anno ineunte, Carthaginem Cyprianus cum pecunia miserat episcopos duos, Caldonium et Herculanum, cumque his presbyteros suos spectatissimos, Rogatianum et Numidicum, « qui necessitates fratrum *sumptibus ipsius* expungerent, et si qui etiam vellent suas artes exercere, additamento, quantum satis esset desideria eorum juvarent : simul etiam et ætates eorum et conditiones et merita discernerent, quo de illis certior ipse fieret et dignos » quosque ac virtutibus maxime commendatos in Ecclesiæ usum atque solatium legere posset (*Cyp. epist.* XXXVIII). Jam vero cum illi mandata, quæ receperant, diligenter persequerentur, ecce tibi improborum stipatus manu Felicissimus episcopos atque presbyteros coercere nititur, ausus intercedere, ne quis posset expungi », neve census ullus institueretur : iis etiam, qui ad stipem accipiendam accesserant, « secum in monte non communicaturos, « qui Cypriano obtemperare voluissent, » comminatur. Hæc in agro Carthaginiensi contigisse videntur, et *Montem* ille appellasse creditur, prædium et domum suam in colle sitam, quæ tum fortasse Christianis patebat eo tutius convenientibus, quod in urbe sine periculo conventus tunc haberi non possint. Inde etiam Donatistas, qui se a catholica Ecclesia pariter disjunxerunt, *Montenses* esse appelatos, credibile est (*V. Baron., ad an.* 254, *n.* 38). Ea porro, ut Cyprianus rescivit, non ille audacia hominis deterritus, qui se ducem factionis et seditionis principem temerario furore inferebat, auctoritatem suam impune contemni, et pacem Ecclesiæ inulto scelere turbari passus est : verum ad episcopos et presbyteros eosdem, quos illic vicaria potestate fungi jusserat gravissimas litteras misit, quibus litteris et Felicissimo sacris interdicebat, et qui ejus asseclæ essent eidem pœnæ obnoxios fore minitabatur, nisi illum deseruissent. « Interim, inquit (*Epist.* XXXVIII), cum Felicissimus comminatus sit non communicaturos in monte secum, qui nobis obtemperassent, id est qui nobis communicarent, accipiat sententiam, quam prior dixit, ut abstentum se a nobis sciat, quando ad fraudes ejus et rapinas, quas dilucida veritate cognovimus, adulterii etiam crimen accedit, quod fratres nostri graves viri deprehendisse A se nuntiaverunt, et probaturos se asseverarunt. Quæ omnia tunc cognoscemus, quando in unum cum collegis pluribus, permittente Domino, convenerimus. Sed et Augendus, qui nec episcopum nec Ecclesiam cogitans, pariter se cum illo conspiratione et factione sociavit, si ultra cum eo perseveraverit, sententiam ferat, quam ille in se factiosus et temerarius provocavit. Sed et quisquis se conspirationi et factioni ejus adjunxerit, sciat se in Ecclesia nobiscum non esse communicaturum, qui sponte maluit ab Ecclesia separari. » Hæc vero ne paucis nota et Montis illius ambitu circumscripta essent, litteras easdem Carthaginem ad clerum transmitti jussit, additis nominibus eorum qui cum Felicissimo se junxissent.

IV. Nec vero mora interposita ulla est. Episcopi B convenere cum presbyteris, Victore quoque collega advocato, qui proximæ, ut arbitror, Ecclesiæ præesset, edictumque hujus modi proposuerunt, cujus exemplum et ad Cyprianum et ad alios episcopos mitteretur (*Epist.* XXXIX, *inter. Cypr.*) : « Caldonius cum Herculano et Victore collegis, item Rogatiano cum Numidico presbyteris. Abstinuimus a communicatione Felicissimum et Augendum, item Repostum de extorribus et Irenem Rutilorum et Paulam sarcinatricem, quod ex annotatione mea scire debuisti. Item abstinuimus Sophronium et ipsum de extorribus, Soliassum Budinarium. » Hactenus edictum, quale ad nos pervenit : cui plura tum nomina subscripta fuisse, facile admiserim. Eo autem promulgato, statim apparuit, quid Felicissimus moliretur. C Quinque enim presbyteri Carthaginienses, qui antea pontificatum Cypriano eripere conati *fuerant, ii* se Felicissimo ejus successionis antesignanos præbuerunt. Fuisse autem putantur Fortunatus, is qui deinde a factione episcopus Carthaginiensis dictus est, Novatus, qui mox Romæ Novatiani auctor schismatis fuit, Donatus et Gordius, quos Cyprianus cum Fortunato et Novato ad se aliquando simul scripsisse memorat (*Epist.* V), ac demum Caius ille Idensis, lapsorum fautor, quem collegium presbyterorum Carthaginiensium anno superiore a sacris removerat. Horum suffragiis, ut gratiam referre viderentur, Felicissimus creatus est diaconus : Quo autem sectatores haberent multos, iidem lapsos invitare, et veniæ spem omnibus facere cœperunt. Nec deerant qui fidem proditoribus haberent, et ad eorum castra montemque transfugerent. Nisi quod Cyprianus, ad quem accuratæ de rebus omnibus litteræ a presbyteris ejus præscribebantur, præclara epistola plebem in officio continere conatus est (*Epist.* XL). « Pacem, aiebat, nunc offerrunt, qui ipsi non habent pacem : in Ecclesiam lapsos reducere et revocare promittunt, qui de Ecclesia recesserunt, addebat et illa, quæ alios erigere possint, alios deterrere : « Persecutionis istius novissima hæc est et extrema tentatio, quæ et ipsa cito, Domino protegente, transibit, ut repræsenter vobis post Paschæ diem cum collegis meis, quibus præsentibus secundum arbitrium quoque vestrum et omnium nostrum commune consilium, sicut semel placuit, ea, quæ

Digitized by Google

agenda sunt, disponere pariter et limare poterimus. Si quis autem pœnitentiam agere et Deo satisfacere detrectans, ad Felicissimi et satellitum ejus partes concesserit, et se hæreticæ factioni conjunxerit, sciat se postea ad Ecclesiam redire, et cum episcopis et plebe Christi communicare non posse. »

V. His, episcopi sui litteris, animos multorum permotos resipuisse, ac mutato consilio schisma detestatos esse, non est ambigendum. Nimium enim et virtutem ejus omnes suspiciebant, et auctoritatem reverebantur. Exinde Cyprianus, qui menses amplius quatuordecim latuerat, rebus magna ex parte tranquillis, ecclesiam revisit suam, et clerum populumque universum vultu præsens et alloquio beavit. Eodem autem tempore alii undique episcopi, de gravissimis Ecclesiæ negotiis cum eo in concilio disceptaturi, Carthaginem convenere. Nam illud primum ex omnium sententia constituendum erat, quo ordine quave ratione lapsos in Ecclesiam recipi oporteret : qua de re quidem per litteras non semel actum fuerat, sed lex etiam tum desiderabatur, quæ morem firmaret, et lapsorum quærimonias de medio tolleret. Cognoscendum quoque erat de Felicissimi schismate ac de tota illa seditiosorum factione, quæ jam tum multorum in Africa malorum fons et origo futura esse videbatur. Cyprianus interea remedia morbis parabat, quæ tum maxime opportuna esse possent, nec domi solum, sed etiam foris quippe miro quodam omnium juvandorum desiderio flagrabat. Ea duo fuere opuscula, quæ per hos dies composuisse videtur, liber nempe « de Lapsis » et liber « de Unitate Ecclesiæ : « quorum altero violatæ Deo fidei reos pudore fractos ad agendam pœnitentiam pertrahebat, altero dissidentes animos novarum que rerum cupidos infelicis exitus comminatione deterritos ad pacem concordiamque revocabat.

VI. Super hæc optati ab Urbe nuncii venerunt, decimo septimo post mense, quam Fabianus decesserat, de successore agi licuisset, maximoque omnium consensu pontificatum maximum Cornelio esse delatum. Is pridie nonas julias designatus putatur, cum jam Decius Aug. qui hactenus episcopum Romæ creari vetuerat, ad bellum profectus esset, ejusque loco Julius Valens imperium arripuisset, quod brevi cum vita amisit. Ergo episcopi, qui diu jam varias lapsorum causas in controversiam vocaverant, et singula placitorum capita conscripserant, Cornelium quoque de his consulendum duxerunt. Convenerant autem, inquit Cyprianus (*Epist.* LII, *ad Antonian.*), ut nec in totum spes communicationis et pacis lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent, et eo quod sibi Ecclesia clauderetur, secuti sæculum gentiliter viverent; nec tamen rursus censura evangelica solveretur, ut ad communicationem temere prosilirent, sed traheretur diu pœnitentia, et rogaretur dolenter paterna clementia, et examinarentur causæ et voluntates et necessitates singulorum : Libellatici interim admitterentur, sacrificatis in exitu subveniretur. » Atque hæc ut ad Cornelium perlata sunt, « et ipse, addit Cyprianus, cum plurimis coepiscopis habito consilio, in eamdem nobiscum sententiam pari gravitate et salubri moderatione consensit : » cujus deinde decreto totus etiam orbis christianus adquievit (*Euseb., H. E., lib.* VI, *cap.* 43). Ut autem regulam haberent episcopi qua, et de criminum gravitate et de idonea pœna judicarent, libellum quoque confecerunt, « ubi, inquit Cyprianus, singula placitorum capita conscripta essent, » ejusque exemplum ad omnes episcopos missum est : in quo initium agnoscere licet pœnalium canonum, quos in certum volumen relatos (*V. Morin. de Pœn. in App., p.* 3) posteritas celebravit. Causa postea acta est Jovini et Maximi episcoporum, quos jam de sententia collegarum novem damnatos constabat, cum alia ob crimina, tum quod inanibus diis thus adolevissent (*Cypr. Epist.* LV). Aderat autem cum his et Privatus Lambesitanus jam pridem a Donato episcopo notatus. Porro omnes iterum rejecti, et in externorum numero habiti : quod scilicet nullo pœnitentis animi indicio, nulla emendatæ vitæ significatione aditum in Ecclesiam sibi aperuissent : par Felicissimi et presbyterorum, qui ei adhæserant, ratio fuit. Nam eum Cyprianus « hostem Christi appellat (*Ibid.*) non novum, sed jam pridem ob crimina sua plurima et gravissima abstentum, et non tantum mea, sed et plurimorum coepiscoporum sententia condemnatum. » Idemque et de Felicissimo et de presbyterio ejusdem quæ gesta essent, ad clerum Romanum se perscripsisse testatur (*Epist.* XLII) ; ac Novatum *ill* primis « omnium sacerdotum voce damnatum (*Epist.* XLI) » tradit. Auditos eos in concilio ; exploratum est (*Epist.* XLII) ; sed cum sententiam Patres prolaturi essent, Felicissimus latitavit, ac Romam demum cum sociis transmisit (*Pacian., Epist.* III).

VII. Jam vero ab horum adventu omnia Romæ turbata, et gravis admodum calamitas Ecclesiæ incubuit. Novatus præ cæteris fuit tum Cypriano teste (*Epit.* 49), « fax et ignis ad conflanda seditionis incendia, turbo et tempestas ad fidei facienda naufragia, hostis quietis, tranquillitatis adversarius, pacis inimicus. » Fuerat paulo ante Cornelii competitor Novatianus, presbyter Ecclesiæ Romanæ, doctrina magis, quam virtute clarus, ac suffragiis præteritus acceptam repulsam ægre ferebat. Ad hujus familiaritatem cum se Novatus applicuisset, et Cornelio iratum ac nova molientem videret, facile hominem impulit, ut criminibus multis in Cornelium per calumniam malitiamque conflctis, ipse in pontificatum invaderet, et sectatores etiam suffragatoresque non paucos inveniret, quorum in numero confessores quoque aliquot exstitere. De hoc tumultu, deque nefario Novatianorum dissidio cuncta ad Cyprianum litteris multorum perlata sunt; nec defuere epistolæ ab ipsis schismaticis, qui Cornelium mendaciis quam plurimis onerabant, cum hic contra modestissimas de se litteras misisset (*Epist.* 42). Episcopi ob eam rem frequentissimi ex Africa Carthaginem convenerunt, et Cypriano auctore Caldonium et Fortunatum

Digitized by Google

collegas Romam legandos censuere, qui de facto præsentes inquirerent, et quæ comperissent, quam celerrime renuntiarent. Ex horum denique relatione, simul et testimonio episcoporum duorum Stephani et Pompeii, qui Romæ adfuerant, cum omnium consensu pontificatus Cornelio delatus est; tota Africa unum Corelium legitimum episcopum agnovit, et Novatianum pari conspiratione rejecit. Rejecti item Novatiani legati eorumque libelli, interdictumque, ne uspiam populo legerentur. Cæterum non hoc satis Cypriano fuit: sed operam etiam in eo posuit, ut confessores, quos Novatianus Romæ deceperat, ad Ecclesiam Corneliumque reduceret. Itaque ad Cornelium scribens (*Epist.* 13): « Et religiosum, inquit, « nobis et necessarium existimavit, frater charissime, « ad confessores, qui illic sunt, et Novatiani ac No- « vati obstinatione et pravitate seducti de Ecclesia « recesserunt, litteras breves facere, quibus eos « pro affectione mutua convenirem, ut ad matrem « suam, id est Ecclesiam catholicam, revertantur. » Nec vero Cyprianus operam perdidit; misso enim simul libello, quem de unitate Ecclesiæ scripserat, et hoc et litteris suis effecit, ut errorem agnoscerent suum, et schisma detestati veniam a Cornelio pacemque implorarint. Reditum eorum fuse describit ipse Cornelius in Epistola ad Cyprianum (*Epist.* 46 *inter Cypr.*), sciens nominatim Maximum, presbyterum, Urbanum, Sidonium, Macarium, quibus illi ad professionem usi erant his nunciis quam lætatus tum sit Cyprianus, litteræ ejus ad confessores declarant (*Epist.* 51). « Lectis, inquit, litteris vestris, fratres « charissimi, quas ad me de vestra regressione, et « de ecclesiastica pace ac fraterna reintegratione fe- « cistis in tantum me lætatum esse confiteor, in quan- « tum fueram et ante lætatus, quando confessionis « vestræ gloriam comperi, et militiæ vestræ cœles- « tem ac spiritalem laudem gratulabundus excepi. « Nam et hæc fidei et laudis vestræ alia confessio « est, unam esse Ecclesiam confiteri, nec alieni er- « roris vel potius pravitatis participem fieri, repetere « eadem castra, unde prodisti, unde ad gerendum « prælium et adversarium subigendum fortissimis « viribus prosilistis. »

VIII. Africam interea peragrabant legati, quos Novatianus tamquam urbis episcopus submiserat, Maximus presbyter, Augendus diaconus, Machæus et Longinus, de quibus scribens ad Cornelium gravissime queritur Cyprianus (*Epist.* 41). « Ac ne, inquit, eo- « rum furens audacia umquam desisteret, hic quoque « in schismatis partes Christi membra distrahere, « et catholicæ Ecclesiæ corpus scindere ac laniare « nituntur, ut ostiatim per multorum domos, vel « oppidatim per quasdam civitates discurrentes ob- « stinationis suæ et erroris sui sibi quærunt comites. » Vix tamen illi quidquam proficiebant, et hoc illis responsum Episcopi passim dabant: « Ut perniciosa « dissensione et concertatione deposita, impietatem « esse scirent matrem deserere, et agnoscerent at- « que intelligerent, episcopo semel facto, et collega- « rum ac plebis testimonio et judicio comprobato, « alium constitui nullo modo posse. » Quare spe rerum novarum amissa, cum se etiam in omnium bonorum odium incurrisse intelligerent, Africa tandem excesserunt. Verum ejusmodi hominum peste haud diu ecclesiæ Africanæ carere licuit; brevi enim legationem a Novatiano alii acceperunt, quos inter Novatus fuit omnium scelerum maculis notatissimus, qui et in Africa et Romæ schismatis auctor fuerat: De his statim ad Cyprianum Cornelius scripsit (*Epist.* 48 *inter Cypr.*), et Nicephorum acolythum præterea misit, qui cum delegatorum moribus totaque factione certiorem faceret. Itaque Cyprianus ea edoctus, episcopos omnes de singulorum sceleribus admonuit, deinde ex eorum consilio laterculum ad Cornelium exaravit, in quo episcoporum Africæ Catholicorum nomina scripta essent (*Epist.* 54), ut quos in ea serie non inveniret, externos eos et schismaticos haberet: quales deinde legati illi alicubi constituerunt.

IX. Anno jam vertente, cum Deciorum crudelitas in Christianos nondum detumuisset, nunciatum repente est et ipsos extinctos, et eorum loco C. Vibium Gallum cum Volusiano filio imperare, de quorum honore non mediocriter gavisos esse Afros, nemo dubitet. Indidem enim fuisse, atque in insula Meninge, quæ postea Girba dicta est, nati esse feruntur (*Vict. id epist.*). Et exstat Tunete inscriptio, quæ opus publicum illic ab eis restitutum testatur (*Maff. M. V. p.* 459, *n.* 2).

## ANNUS. CCLII.

### CYPRIANO EPISCOPO CARTHAGINIENSI.

I. Consulatum suscepere C. Vibius Trebonianus Gallus Aug. iterum, C. Volusianus Cæsar, cum in Mœsia essent, unde, fœdere cum Gothis icto, Romam anno inchoato venerunt. Inde Novatianus ut alias passim ecclesias, sic Africanas et legationibus et litteris pervertere nitebatur. Itaque ad Antonianum quoque episcopum Numidicum scripserat, ut ad sectam suam pertraheret; eumque, multa in Cornelium probra mentitus, pene commorat. Sed cum is ante ad Cyprianum de illis criminationibus retulisset, consiliumque ejus exspectasset, egregiis Cypriani litteris (*Epist.* 52), confirmatus, Novatianum repulit, et eam esse Ecclesiam catholicam agnovit, cui Cornelius præesset. Nam Cyprianus et quam legitima esset Cornelii auctoritas, diserte ostenderat, et quanto idem consilio lapsos in Ecclesiam reciperet, accurate declaraverat: tum Novatianum vi atque fraude pontificatus honorem sibi vindicare, et lapsos omnes ac scelere quolibet obstrictos contra divinarum Litterarum documenta rejicere ad perpetuum inutilemque luctum, mirifice demonstraverat. Cujus etiam querelæ illæ fuerunt, mitissimi animi et commune bonum spectantis indices: « O frustrandæ, inquit, fraternitatis irrisio, O « miserorum lamentantium et amentiam caduca « deceptio, O hæreticæ institutionis inefficax et vana « traditio! hortari ad satisfactionis pœnitentiam et « subtrahere de satisfactione medicinam, dicere « fratribus nostris: Plange et lacrymas funde et

Digitized by Google

« diebus ac noctibus ingemisce, et pro abluendo et A « purgando delicto tuo largiter et frequenter operare, « sed extra Ecclesiam post omnia ista morieris quæ- « cumque ad pacem pertinent facies, sed nullam « pacem quam quæris accipies. »

II. Jam vero qui Antonianum in Numidia perdere non potuerunt, gravius iidem facinus Carthagine aggressi sunt. Reducto enim in Africam Maximo, cujus prima legatio vana fuerat, eum factionis suæ, episcopum Carthaginiensem constituerunt. Quam adversarii audaciam Cyprianus sic contemnendam duxit, ut de eo facto ne ad Cornelium quidem statim quidquam perscribendum existimaret. Nam aliquanto post, ad eumdem, litteris alia de re missis, sic de Maximo mentionem intulit (*Epist.* 55). « Pars Novatiani Ma- « ximum presbyterum nuper ad nos a Novatiano B « legatum missum, atque a nostra communicatione « rejectum, nunc istic sibi fecisse pseudoepiscopum « dicitur. Nec tamen hoc tibi scripseram, quando « hæc contemnuntur a nobis. » Cæterum præter Maximum ex eorumdem legatorum numero episcopus in Africa a Novatianis factus est Nicostratus quoque, de quo Cyprianus ait (*Epist.* 49): « Quomodo assumit « sibi regendæ aut gubernandæ Ecclesiæ curam, « qui spoliavit et fraudavit Ecclesiam Christi? » Quippe hic, cum diaconus esset Ecclesiæ Romanæ, « ecclesiasticis pecuniis sacrilega subtractis, et « viduarum ac pupillorum depositis denegatis » infamis, Urbe profugerat, et hæc ad pontificatum Novatianorum præclara in Africam merita attulerat. Hæc autem omnia Novato, auctore fiebant, quem Cyprianus C procellæ ac turbini comparabat (*Ibidem*), quod et quies esse inciperet, unde recessisset, et quo accederet tempestas illic turbulenta concitaretur. Omnia sane cum Romæ esset, modo turbaverat, et in Africa jam iterum in Ecclesiam irruebat.

III. Inter hæc Cyprianus de recta populi sui institutione laborans, opusculum illud pulcherrimum (*de Oratione Dominica*) emisit, quod tantopere Augustinus Hilariusque commendarunt. Nam et Pelagianos in eo antevertens refutasse videbatur, cum verba illa « Fiat « voluntas tua sicut in cœlo et in terra, sic explicavit « (*pag.* 491. *Edit. Baluz.*) : Non ut Deus faciat quod « vult, sed ut nos facere possimus, quod Deus vult. « Nam Deo quis obsistit, quominus quod velit faciat? D « sed quia nobis a Diabolo obsistitur, quominus per « omnia noster animus atque actus Deo obsequatur, « oramus et petimus ut fiat in nobis voluntas Dei, « quæ ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est, « ope ejus et protectione; quia nemo suis viribus « fortis est, sed Dei indulgentia et misericordia tutus « est. » Porro ipsa precandi formula, quam explanat, ab ea, quam nunc usurpamus, aliquantulum differet; extrema enim sunt hujusmodi : « Et remitte « nobis debita nostra, sicut et nos remittimus de- « bitoribus nostris; et ne nos patiaris induci in ten- « tationem, sed libera nos a malo, amen. » Ipsum autem malum de omni malorum genere accepit, non ut Græci ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. « In novissimo, inquit, poni- « mus, sed libera nos a malo, comprehendentes ad- « versa cuncta, quæ contra nos in hoc mundo mo- « litur inimicus. » Illud etiam admonens, in supplicando quam intenti precibus esse debeamus, simul antiquos sacrificii ritus nos docet (*p.* 501. *Ibid*): Co- « gitatio, inquit, omnis carnalis et sæcularis abscedat « nec quidquam tunc animus, quam id solum cogitet « quod precatur. Ideo et sacerdos ante orationem « præfatione præmissa parat fratrum mentes dicendo « *Sursum corda;* ut dum respondet plebs : *Habemus* « *ad Dominum*, admoneatur nihil aliud se, quam « Dominum cogitare debere. » Sacrificiis demum quoties adessent, modeste se gerere, ac prope tacite precari jubebat (*p.* 495. *Ibid*). « Et quando, inquit, « in unum cum fratribus convenimus, et sacrificia « divina cum Dei sacerdote celebramus, verecundiæ « et disciplinæ memores esse debemus, non passim « ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec « petitionem commendandam modeste Deo tumul- « tuosa loquacitate jactare : quia Deus non vocis, « sed cordis auditor est. »

IV. Pascha jam erat, quod hoc anno actum est III idus apriles, cum litteras Cyprianus accepit a sex episcopis qui Capsam forte convenerant, ut novum episcopum consecrarent. Capsam utique Byzacenam quæ tum in Proconsulari censebatur, quod nondum ea provincia a Carthaginiensi avulsa præsidem suum accepisset. De Capsa enim Numidica sermonem non esse manifestum est. Cum infra Cyprianus proconsulem commemoret, cui profecto Numidia non parebat. Causa autem scribendi hæc episcopis fuerat, quod superius episcopus ad eos retulisset, fasne esset ad communicationem admittere Christianos tres, Ninum, Clementianum et Florum, qui multa et gravia pro Christo perpessi, vi quidem tormentorum subacti fuerant, « et de gradu gloriæ, ad quam ple- « na fidei virtute tendebant, diutinis cruciatibus « exciderant, sed tamen post hunc gravem lapsum « non voluntate, sed necessitate susceptum a pœni- « tentia agenda per hoc triennium, » non destiterant (*Cypr. Epist.* 53). Enim vero episcopi illi Cyprianum consulendum censuerunt, et ab eo præterea postulandum, ut de tota controversia judicium collegarum in concilio requireret. At Cyprianus, cum synodus in mensem proximum indicta esset, ne illi diutius, hærerent, quid ipse de ea re sentiret, maturius aperuit : « Et quidem, inquit, quod ad mei animi « sententiam pertinet, puto, his indulgentiam Domini « non defuturum, quos constat stetisse in acie nomen « Domini confessos esse, violentiam magistratuum et « populi furentis incursum immobilis fidei obstina- « tione vicisse, passos esse carcerem, diu inter mi- « nas proconsulis et fremitum populi circumstantis « tormentis laniantibus, ac longa iteratione crucian- « tibus repugnasse : ut quod in novissima infirmitate « carnis subactum videtur, meritorum præcedentium « defensione relevetur; et sit satis talibus gloriam « perdidisse, non tamen debere nos eis et veniæ « locum claudere, atque eos a paterna pietate, et a

Digitized by Google

« nostra communicatione privare, quibus existima- A « tum magis circa infantes ipsos et recens natos ob-
« mus ad deprecandam clementiam Domini posse « servandum putamus, qui hoc ipso de ope nostra ac
« sufficere, quod triennio jugiter ac dolenter, ut « de divina misericordia plus merentur, quod in pri-
« scribitis, cum summa pœnitentiæ lamentatione « mo statim nativitatis suæ ortu plorantes ac flentes
« planxerunt. » Sic Cyprianus severitatem illam « nihil aliud faciunt, quam deprecantur. » Ex eodem
Novatianeam temperabat, quæ Numidicis episcopis hoc responso morem tum fuisse discimus, ut qui
id temporis prope arridere videbatur. At nihilominus Baptismo adessent, infantem oscularentur. Nam cum
se de illa quæstione ad patres relaturum pollicitus Fidus objecisset : « Vestigium infantis in primis par-
est, simul atque Carthaginem se contulissent. « Quo- « tus sui diebus constituti mundum non esse, quod
« niam tamen, inquit, scripsistis, ut cum pluribus « unusquisque nostrum adhuc horreat exosculari;
« collegis de hoc ipso plenissime tractem, et res « *reposuere patres* : ne hoc quidem ad cœlestem
« tanta exigit majus et impensius de multorum col- « gratiam dandam impedimento esse oportere. Scrip-
« latione consilium, et nunc omnes fere inter Pas- « tum est enim, *omnia munda mundis* (*Ad tit. c.* 1.
« chæ prima solemnia apud se cum fratribus demo- « n. 15). Nec aliquis nostrum id debet horrere quod
« rantur, quando solemnitati celebrandæ apud suos « Deus dignatus est facere. Nam etsi adhuc infans a
« satisfecerint, et ad me venire cœperint, tractabo B « partu novus est, non ita est tamen, ut quisquam
« cum singulis plenius, ut de eo, quod consuluistis « illum in gratia danda atque in pace facienda horrere
« figatur apud nos, et rescribatur vobis firma sen- « debeat osculari, quando in osculo infantis unus-
« tentia multorum sacerdotum consilio ponderata. « quisque nostrum pro sua religione ipsas adhuc re-
V. Huic concilio idus maiæ initium attulere (*Cypr.* « centes Dei manus debeat cogitare, quas in homine
*Epist.* 55), cui adfuerunt episcopi sexaginta sex. « modo formato et recens quodam modo exoscula-
Convocandi autem non una causa fuerat : nam præ- « mur, quando id quod Deus fecit, amplectimur. »
ter superii controversiam, quam ex Cypriani sententia Memorat sæpe eamdem epistolam Augustinus, qui et
synodus diremisse putanda est, litteræ a Fido fratre ejus auctoritate usus est, ut veterem Ecclesiæ doctri-
venerant adversus Therapium collegam plenæ querela- nam de peccato originali tueretur (*Serm.* 294, *c.* 20).
rum, quod is Victori quondam presbytero, « ante- Dum hæc autem in concilio agerentur, Privatus Lam-
« quam pœnitentiam plenam egisset, et Domino Deo, besitanus, quem sæpius ante damnatum diximus,
« in quem deliquerat, satisfecisset, immaturo tempo- tanta audacia fuit ut iterum ad concilium aspirare
« re et præpropera festinatione pacem dedisset (*Idem* non dubitarit, nec solus, sed gregalium suorum stipa-
« *Epist.* 59). » Litteris autem in concilio perlectis, tus manu. Resistere tamen episcopi, nec quemquam
displicuit Patribus, « recessum esse a decreti auc- C admittendum censuerunt. Absoluto demum concilio,
« toritate, ut ante legitimum et plenum tempus satis- scripsisse Cyprianus videtur Epicteto *episcopo* et
« factionis, et sine petitu et conscientia plebis, nulla populo Assuritano (*Epist.* 64), ut Fortunatianum, qui
« infirmitate urgente, ac necessitate cogente, pax jam sacrificationis impiæ causa dejectus pontificatu
« ei concederetur. » Et poterat Therapius facile de ea honorem usurpare audebat, constanter repudiarent.
re Cyprianum consulere : erat enim Bullensis episco- « Quæ, inquit, res constristavit me, primo propter
pus in provincia proconsulari. Cæterum acerbi nihil « ipsum, qui miser vel diaboli tenebris in totam ex-
contra eum sancitum est. « Librato, inquit Cyprianus, « cæcatus, vel quorumdam sacrilega persuasione
« apud nos diu consilio, satis fuit objurgare Therapium « deceptus, cum debeat satisfacere et ad Dominum
« collegam nostrum, quod temere hoc fecerit, et « exorandum diebus ac noctibus lacrymis et oratio-
« instruxisse, ne quid tale de cætero faciat. Pacem « nibus et præcibus incumbere, audet sibi adhuc sa-
« tamen quomodo cumque a sacerdote Dei semel datam « cerdotium, quod prodidit, vindicare, quasi post
« non putavimus auferendam, ac per hoc Victori com- « aras diaboli accedere ad altare Dei fassit; aut non
« municationem sibi concessam usurpare permisimus. « majorem in se iram et indignationem Domini in
VI. Exinde Fidi ejusdem de Baptismo infantium « die judicii provocet, qui cum fidei et virtutis dux
sententia proposita est, existimantis, « Intra secun- D « fratribus esse non potuerit, perfidiæ et audaciæ et
« dum vel tertium diem, quo nati sint, constitutos « temeritatis magister existat. » Tum quæ præstare
« baptizari non oportere, et considerandam esse le- ipsis deberent exponens, addit. « Quod si Fortuna-
« gem circumcisionis antiquæ, ut intra octavum « tianus aut immemor criminis suis per diaboli ca-
« diem eum, qui natus est, baptizandum et sancti- « catem, aut minister et servus diaboli factus ad
« ficandum non putaret. » Sed in illo episcoporum « decipiendam fraternitatem in hoc suo furore per-
conventu nemo fuit, qui veterem circumcisionis con- « manserit, vos quantum potestis elaborate, et in
suetudinem in Baptismi diebus designandis valere ali- « hac caligine diaboli sævientis fratrum mentis ab er-
quid aut præscribere posse existimaret, rescriptum « rore revocate, ne alienæ dementiæ facile consen-
que Fido est concilii nomine : « Hæc fuit in concilio « tiant, ne se desperatorum delictis participes fa-
« nostra sententia, a Baptismo atque a gratia Dei, « ciant, sed teneant integris salutis suæ et integritatis
« qui omnibus misericors et benignus et pius est, « conservatæ a se et custoditæ perpetuum tenorem. »
« neminem per nos debere prohiberi. Quod cum Quia vero lapsorum etiam magnus ubique numerus
« circa universos observandum sit atque retinendum, erat, suis his quoque monita tradere voluit. « Lapsi

Digitized by Google

« vero inquit magnitudinem delicti sui cognoscentes « deprecando Domino non recedant, nec Ecclesiam « catholicam, quæ una et sola est, a Domino consti- « tuta derelinquant; sed satisfactionibus immorantes « et Domini misericordiam deprecantes ad Ecclesiam « pulsent, ut recipi illic possint, ubi fuerant, et ad « Christum redeant, a quo recesserunt. »

VII. Episcopi interea ad ecclesias suas redierant: sed Privatus, hæreticus, et tota Felicissimi factio Carthagini incubabat. Ibi repulsam, quam a concilio tulerant, ulturi, episcopum e secta sua Cypriano opponunt: is fuit Fortunatus, e numero quinque presbyterorum, quos Cyprianus jam diu adversarios habebat, qui rem Cornelio sic narrat (*Epist.* 55): « Venerat, inquit, cum Privato et Felix quidam, « quem ipse extra Ecclesiam in hæresi pseudoepi- « scopum olim constituerat, sed et Jovinus et Ma- « ximus comites cum Privato, probato hæretico, ad- « fuerunt ob nefanda sacrificia et crimina in se « probata; sententia novem episcoporum collegarum « nostrorum condemnati, et iterato quoque a pluri- « bus nobis anno priore in concilio abstenti. Cum « his autem quatuor junctus est et Repostus Tubur- « nicensis, qui non tantum in persecutione ipse ce- « cidit, sed et maximam partem plebis suæ sacri- « lega persuasione dejecit. Hi quinque cum paucis « vel sacrificatis vel male sibi conscriis Fortunatum « sibi pseudoepiscopum cooptarunt, ut criminibus in « unum convenientibus talis esset scilicet rector, « quales illi qui reguntur. » Cæterum factio ante jacta- verat, adfuturos viginti quinque episcopos de Numi- dia, qui sibi episcopum facerent. « Quo in mendacio « suo, addit Cyprianus, postea quam quinque solis « convenientibus naufragis et a nobis abstentis, de- « tecti sunt atque confusi, Romam cum mendaciorum « merce navigaverunt; quasi veritas post eos navigare « non posset, quæ mendaces linguas rei certæ proba- « tione convinceret. » Solatio autem Cypriano fuit, tan- tam apud eos etiam malorum penuriam fuisse, ut ad illos nec de sacrificatis nec de hæreticis viginti quin- que colligi possent. Quod mirum est, horum factio plane a Novatianis dissidebat, quibus Maximus præ- erat. Aditum illi ad Ecclesiam pœnitentibus inter- cludebant, hi contra se omnes admittere et pœnam cuique condonare jactabant. « Datur opera, scribebat Cypria- « nus ad eumdem Cornelium, ne satisfactionibus et « lamentationibus justis delicta redimantur, ne vulnera « lacrymis abluantur. Pax vera falsæ pacis mendacio « tollitur, salutaris sinus matris noverca intercedente « præcluditur, ne de pectore atque ore, lapsorum fle- « tus et gemitus audiatur. Compelluntur adhuc insu- « per lapsi ut linguis atque ore quo in Capitolio ante « deliquerant, sacerdotibus convicium faciant, con- « fessores et virgines et justos quosque fidei laude « præcipuos atque in Ecclesia gloriosos contumeliis « et maledicis vocibus prosequantur. » Sed hoc sem- per hæreticorum proprium fuit, ut modum nescirent, quem catholica Ecclesia servans magistram se veri- tatis altricemque virtutis ostendit.

VIII. Ut Romam Felicissimus cum aliquot factionis antesignanis pervenit, quamquam semet jam a Cor- nelio rejectus fuerat, instabat tamen pro Fortunato suo, falsa multa contra Cyprianum in vulgus sparge- bat, metum Cornelio incutere conabatur, ut Ecclesia Romana sectæ suæ patrocinium susciperet. Fuitque vi- scillius tanta et tam vehemens furor, ut Cornelii ani- mum prope labefaceret; Quem propterea Cyprianus epistola confirmare aggressus est. « Sed enim, inquit, « lecta tua alia epistola, frater, quam primis litteris « subjunxisti, satis miratus sum, cum animadvertis- « sem, te minis atque terroribus eorum, qui vene- « rant, aliquantum esse commotum, cum te, secundum « quod scripsisti, aggressi essent, cum summa despe- « ratione comminantes, quod si litteras, quas attu- « lerant, non accepisses, publice eas recitarent et « multa turpia ac probrosa et ore suo digna profer- « rent. » Post quæ pulchre admodum de episcoporum officiis multa disserit, et se factionis illius apertum contemptorem profitetur. « Quæ, inquit (*ibid. Epist.* « 55), sui elatio est, quæ comminantium tumens et « inflata et vana jactatio, illic absenti minari, cum « hic me habeant in potestate presentem? Convicia « eorum quibus se et vitam suam quotidie lacerant, « non timemus; fustes et lapides et gladios, quos « verbis parricidalibus jactitant, non perhorresci- « mus. » Exinde Cornelius, si forte Felicissimum et reliquos Fortunati legatos subtimebat, lectis Cy- priani litteris, et clero quoque audiente recitatis, omnes eorum conatus retudisse putandus est. Fortu- nato certe nihil in Africa successit ex sententia. Nam de toto illo impiorum grege scribit Cyprianus. « Quia « conscientiam suam norunt, nec nos audent adire, « aut ad Ecclesiæ limen accedere, sed foris per pro- « vinciam circumveniendis fratribus et spoliandis per- « errant, et omnibus jam satis noti, atque undique « pro suis facinoribus exclusi, illuc etiam ad vos navi- « gant. Neque enim potest illis frons esse ad nos acce- « dendi, aut apud nos consistendi, cum sint acerbis- « sima et gravissima crimina, quæ eis a fratribus « ingeruntur. » At multi contra, qui Maximo aut For- tunato adhæserant, schisma detestati ad Ecclesiam redibant. Quos Cyprianus, ne miseri foris perirent, vel indignante interdum populo, facilior admittebat. « O si posses, scribebat Cornelio, frater charissime, « istic interesse nobiscum, cum pravi isti et perversi « de schismate revertuntur! videres, quis mihi labor « sit persuadere patientiam fratribus nostris, ut ani- « mi dolore sopito recipendis malis curandisque con- « sentiam. Namque ut gaudent et lætantur, cum to- « lerabiles et minus culpabiles redeunt, ita contra « fremunt et reluctantur, quoties inemendabiles et « protervi, et vel adulteriis vel sacrificiis contami- « nati, et post hæc adhuc insuper et superbi, sic ad « Ecclesiam remeant, ut bona intus ingenia corrum- « pant. Vix plebi persuadeo, immo extorqueo, ut tales « patiantur admitti. »

IX. Hæc Cyprianus, hæc cæteri per Africam epi- scopi pacis pietatisque obibant munia, cum jam no-

Digitized by Google

men christianum rursus in discrimen vocari cœperat. Nam Gallus imperator, cum Hostiliano, Decii filio sublato, et Volusiano Cæsare dicto Augusto bella composuisset, Romæ etiam ac per Italiam pacata omnia essent, Decianam crudelitatem imitatus, lata contra Christianos lege, vexari eos ubique et capite damnari jusserat. Cujus consilii ineundi ea fuisse causa putatur, quod pestilentia tum orbis Romani provincias plerasque vastante, cum sacrificia iis placandis indicta essent, Christiani superstitionem illam aversati, templis abstinerent. In eos nempe tota calamitatis culpa conjiciebatur, et una omnium vox erat, deos iratos Christianorum sanguine placari oportere. Itaque in Africa ipsa, cum Cyprianus ea ad Cornelium scribebat, quæ modo recensuimus, et Galli lex perlata, et magistratuum edicta proposita jam fuerant. Quin etiam populus, cum in circo sederet, Cyprianum ipsum ad leonem denuo postulaverat. Qui jam divinitus quoque cognoverat (*Epist.* 54), « Diem « certaminis appropinquasse, hostem violentum cito « exurgere, pugnam non talem, qualis fuisset, sed « graviorem multo et acriorem venire. » Ergo cum de omnium salute plurimum laboraret, episcopis in tanto illo periculo, quos potuit, convocatis, fuere autem quadraginta duo, quod tum in Ecclesia permagni momenti erat, de pace lapsis danda ad Patres retulit: auctorque illis fuit ut, ingruente prælio, instruerent inermes et in communi discrimine opem, quam poscerent, universis afferrent. « Obtemperandum est, « aiebat (*ibidem*), ostentionibus atque admonitio- « bus justis, ut a pastoribus oves in periculo non « deserantur, sed grex omnis in unum congregetur, « et exercitus Domini ad certamen militiæ cœlestis « armetur. Merito enim trahebantur dolentium pœnitentia tempore longiore, ut infirmis in exitu subveniretur, quandiu quies et tranquillitas aderat, quæ differre diu plangentium lacrymas, et subvenire sero morientibus in infirmitate pateretur. « At vero nunc non infirmis, sed fortibus, pax necessaria est; nec morientibus, sed viventibus communicatio a nobis danda est; ut quos excitamus « et hortamur ad prælium, non inermes et nudos « relinquamus, sed protectione sanguinis et Corporis « Christi muniamus: et cum ad hoc fiat Eucharistia « ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse « contra adversarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus. » His porro atque aliis hujusmodi argumentis facile Cyprianus episcopos omnes in suam sententiam adduxit. Cumque idem omnes censuissent, placuit quoque ea de re ad Cornelium Pontificem maximum scribi, quem in eadem sententia esse arbitrabantur.

X. At Cornelius jam in certamen descenderat, cum ei litteræ Patrum Africanorum perferebantur. Urgente enim Galli imperatoris præsentia, certatim Romæ magistratus cladem Christianorum maturaverunt, primusque in Cornelium impetus fuerat, quem omnium ducem esse non ignorabant. Ac præclara ejus in repentino illo terrore confessio Ethnicos admonuisse videtur, ut tam invictum ducem a cæterorum oculis amoverent, et Centumcellas, ut vetus fama est, deportandum curarent. Eam certe multis laudibus extollit Cyprianus in ea epistola, quam exuli statim præscripsit (*Epist.* 56): « Cognovimus, *inquit*, « frater charissime, fidei ac virtutis vestræ testimonia « gloriosa, et confessionis vestræ honorem sic exul- « tanter accepimus, ut in meritis ac laudibus vestris « nos quoque participes et socios computemus. » Tum eum ducem confessionis fratrum exstitisse gratulatur, et præcedendo gloriæ comites nactum esse et populum confessorem. Rogabat autem et de Novatiano quid factum esset: « Utrumne, inquit, jam deponit « errorem? An vero, qui dementium mos est, ipsis « bonis et prosperis nostris plus adactus est ad furo- « rem, et quo magis ac magis dilectionis ac fidei « crescit hic gloria, illic dissensionis et zeli recru- « descit insania? Nec vulnus suum miser curat, sed « adhuc gravius et se et suos vulnerat, *in perniciem* « fratrum lingua sua perstrepens, et facundiæ venenatæ jacula contorquens, magis durus sæcularis « philosophiæ pravitate, quam sophiæ dominicæ lenitate pacificus, desertor Ecclesiæ, misericordiæ « hostis, interfector pœnitentiæ, doctor superbiæ, « veritatis corruptor, perditor charitatis? Agnoscitne « jam qui sit sacerdos Dei, quæ sit Ecclesia et domus « Christi, qui sint Dei servi, quos diabolus infestet, « qui sint Christiani, quos Antichristus impugnet? Neque enim quærit illos, quos jam subegit, aut gestit « evertere, quos jam suos effecit. » Nec sane Christianorum in numero habitus ab Ethnicis Novatianus, intactusque quidquid sectatores ejus deinde commenti sint, multos perdere instituit, perpetuus *Ecclesiæ hostis*. At Cornelii non multo post consummatum martyrium est XVIII. kal. octobris, quem diem sexto post anno Cypriani quoque palma illustravit. Ut vero convenire licuit, Ecclesia Romana rursus aversata Novatianum, e sinu suo Lucium spectatæ virtutis presbyterum in Cornelii locum suffecit.

XI. Sub idem tempus Episcopi, concilio dimisso, ad ecclesias suas reversi sedulam operam lapsis recipiendis confirmandisque navabant: ut maculam illam, quam nuper sub Decio susceperant, in certamen denuo vocati, constanti confessione ac sanguine ipso eluere fortes aggrederentur. Inter eos studio et benevolentia erga omnes eminebat Cyprianus, qui non modo Carthaginienses suos benigne admittendo solabatur, et martyrii desiderio inflammabat, sed finitimas quoque civitates amore complectens, juvare singulos, et cohortationibus ad constantiam excitare non desistebat: paratus quocumque excurrere, si e tum Carthagine abesse licuisset. Nam et Thibaris proficisci statuerat, quo eum oppidani invitaverat, nisi eum Ecclesiæ bonum domi manere coegisset. sed tamen quæ præsens Thibaritanis dicturus erat, præclaris litteris, quæ « de Exhortatione martyrii » inscribuntur, mirifice exposuit (*Epist.* 56, n. Hieron. *de Cypr. eloquentia Epist.*, 68, n. 10). Pares ab e epistolas de eodem argumento esse missas ad alia

Digitized by Google

civitates, ad easque maxime quæ forte episcopum non haberent, litteræ ipsæ ad Thibaritanos indicare videntur, quæ propria temporum illorum et Christiano cuique apta documenta continent. Quæ inter illud commemorari maxime præstat, quod de fuga diserte tradit. « Nec quisquam, inquit, fratres dilectissimi, « cum populum nostrum fugari conspexerit metu « persecutionis et spargi, conturbetur, quod collectam fraternitatem non videat, nec tractantes « episcopos audiat. Simul tunc omnes esse non possunt, quibus occidere non licet, sed occidi necesse « est. Ubicumque in illis diebus unusquisque fratrum « fuerit a grege interim, necessitate temporis, corpore « non spiritu separatus, non moveatur ad fugæ illius « horrorem, nec recedens et latens deserti loci soli- « tudine terreatur. Solus non est, cui Christus in « fuga comes est. Solus non est, qui templum Dei « servans, ubicumque fuerit, sine Deo non est. Et si « fugientem in solitudine ac montibus latro oppresserit, fera invaserit, fames aut sitis, aut frigus affixerit, vel per maria præcipiti navigatione properantem tempestas ac procella submerserit, « spectat militem suum Christus ubicumque pugnantem, et persecutionis causa pro nominis sui honore « morienti præmium reddit, quod daturum se in resurrectione promisit. Nec minor est martyrii gloria « non publice et inter multos periisse, cum pereundi « causa sit propter Christum perire. Sufficit ad testimonium martyrii sui testis ille, qui probat martyres et coronat. » Hæc porro nota omnibus esse, maxime intererat, et qui hæc didicissent, sperabat Cyprianus, si forte quæstioni se impares crederent, et tormentorum metu trepidarent, fuga sibi eos consulturos, ne capti fidem violarent, nefariisque sacrificiis polluerentur.

XII. Postremæ exeuntis anni litteræ a Cypriano accepit Lucius Pontifex maximus, qui cum paulo ante, suscepto vix sacerdotio, in exilium actus esset, redux jam ad Ecclesiam suam magna omnium lætitia remeaverat. Hæc nimirum ut Cyprianus rescivit, officii sui putavit esse, ut illi reditum gratularetur. « Et nuper quidem, inquit (*epist.* 58), « tibi, frater charissime, gratulati sumus, cum te « honore geminato in Ecclesiæ suæ administratione « confessorem pariter et Sacerdotem constituit divina « dignatio. Sedet nunc non minus tibi et comitibus « tuis atque universæ fraternitati gratulamur, quod « cum eadem gloria, et laudibus vestris reduces vos « denuo ad suos fecerit benigna Domini et larga « protectio, ut parcendo gregi pastor, et gubernandæ « navi gubernator, et plebi regendæ rector adderetur; « et appareret, relegationem vestram sic divinitus esse « dispositam, non ut episcopus relegatus et pulsus « Ecclesiæ deesset, sed ut ad Ecclesiam major rediret. » Sub finem ecclesiæ suæ studium erga eum commemorat, et certam martyrii spem facit : « Re- « præsentantes vobis per epistolam gaudium nostrum, « fida obsequia charitatis expromimus, hic quoque in « sacrificiis atque in orationibus nostris non cessantes Deo Patri et Christo Filio ejus Domino nostro « gratias agere et orare pariter ac petere, ut qui « perfectus est atque perficiens, custodiat et perficiat « in vobis confessionis vestræ gloriosam coronam : « qui et ad hoc vos fortasse revocavit, ne gloria « esset occulta, si foris essent confessionis vestræ « consummata martyria. Nam victima, quæ fraternitati præbet exemplum et virtutis, et præsentibus « debet fratribus immolari. »

## ANNUS CHRISTIANUS CCLIII.

CYPRIANO EPISCOPO CARTHAGINIENSI.

I. Consulatum inierunt C. Vibius Volusianus Aug. iterum, M. Valerius Maximus. Vexatos rursum Romæ Christianos, Lucii martyrium declarat, quo Cypriani vaticinium impletum est. Lauream enim ille adeptus fertur nonis martiis, post quem Ecclesia Romana pontificatum Stephano detulit. Nec minus in Africa eodem tempore contra Ecclesiam sævitum esse, indicat Cypriani liber ad Demetrianum, sive is proconsul, sive proconsulis assessor fuerit, hostem certe christiani nominis acerrimum et crudelissimum, eumdemque sophistam ineptum atque maledicum conviciatorem. In eo enim libro Cyprianus varia pœnarum genera, quas tum Christiani subirent, sic enumerat (*Ad Demet. p.* 516. *Voy. Bolland. t.* IV, *sept. p.* 289) : « Innoxios, justos, Deo caros domo privas, patrimonio spolias, catenis premis, carcere includis, gladio, bestiis, ignibus punis ; nec saltem contentus es dolorum nostrorum compendio, et simplici ac veloci brevitate pœnarum. Admoves laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis visceribus numerosa supplicia, nec feritas atque immanitas tua usitatis potest contenta esse tormentis : excogitat novas pœnas ingeniosa crudelitas. » Nec vero alium in annum liber ille Cypriani referri potest, cum et Pontius (*In vita Cypr. n.* 7) scriptum ostendat post librum « de Oratione Dominica, » et Cyprianus ipse pestilentiæ tempus designet (*ad Demetr. p.* 508 *et* 514), quæ hoc anno Africam invasit. Nam veterem illam calumniam Demetrianus in primis renovabat, quidquid adversi usquam existeret, quamcumque respublica calamitatem accepisset, Christianos jure accusari, eorumque causæ; qui numina contemnerent iratos Deos pœnas violatæ majestatis ab omnibus mortalibus repetere. Quam utique calumniam Cyprianus eo libro refutare aggressus hoc anno est, qui maxime reipublicæ infaustus fore videbatur : Commemoratisque barbarorum incursionibus et sterilitate et fame, quibus malis jamdiu orbis Romanus afflictabatur, non Christianorum culpa, sed sceleribus Ethnicorum, quæ in dies crescebant; illa quoque adjecit (*Ibid. p.* 514) : « Pestem et luem criminaris, cum peste ipsa et lue vel detecta sint vel aucta crimina singulorum, dum nec infirmis exhibetur misericordia, et defunctis avaritia inhiat ac rapina. Iidem ad pietatis obsequium timidi, ad impia lucra temerarii, fugientes morientium funera, et appetentes spolia mortuorum; ut



Digitized by Google

apparent, in ægritudine sua miseros ad hoc forsitan derelictos esse, ne possint dum curantur evadere. »

II. Enim vero si quid Ethnici adversus Christianos de credulitate sua in tanta illa omnium trepidatione remiserunt; at alius utique campus iis patuit, in quo virtus eorum excurrere cognoscique posset. « Erupit post modum, » inquit Pontius (*In ead. vita, n.* 9), « lues dira et detestabilis morbi vastitas nimia, innumeros per diem populos a sua quemque sede abrupto impetu rapiens, continuatas per ordinem domos vulgi trementis invasit. Horrere omnes, fugere, vitare contagium, exponere suos impie, quasi cum illo peste morituro etiam mortem ipsam aliquis posset excludere. Jacebant interim in tota civitate non jam copora, sed cadavera plurimorum, et misericordiam in se transeuntium contemplatione sortis mutuæ flagitabant. » Hic tum Carthaginis frequentissimæ urbis aspectus erat: nec in tanta hominum clade tamque miserabili squalore atque luctu, inter Ethnicos inveniebatur, qui curam suorum susciperet, opemque implorantibus subveniret. At non hæc Christiani spectare immisericordes potuere, aut tot miseros in illa inopia et solitudine vel alienissimos sine subsidio esse passi sunt: quos etiam Cypriani oratio ad summa illa pietatis et misericordiæ munia inflammaverat. Nam convocatam antea plebem egregiis Evangelii documentis instituerat: « Non esse mirabile (*Pont. in vita Cypr. p.* 9), si nostros tantum debito charitatis obsequio foveremus: cum perfectum posse fieri, qui plus aliquid Publicano vel Ethnico fecerit; qui malum bono vincens, et divinæ clementiæ instar exercens, inimicos quoque dilexerit: qui pro persequentium se salute, sicuti Dominus monet et hortatur, orarit » tum illa etiam addiderat: « Oriri Deus facit jugiter solem suum, et pluvias subinde nutriendis seminibus impertit; exhibens cuncta ista non suis tantum, sed etiam alienis; et qui se Dei etiam filium esse profitetur, cur non exemplum Patris imitatur? respondere nos decet natalibus nostris, et quos renatos per Deum constat, degeneres esse non congruit, sed probari potius in sobole traducem boni patris æmulatione bonitatis. » Quid plura? vel desides animi Cypriani verbis excitati, mirabili omnium juvandorum studio exercere. « Distributa sunt ergo, » inquit Pontius (*In vita, n.* 10), « continuo pro qualitate hominum atque ordinum ministeria. Multi, qui angustia paupertatis beneficia sumptus exhibere non poterant, plus sumptibus exhibebant, compensantes proprio labore mercedem divitiis omnibus cariorem. »

III. Verum inter has curas animadvertens Cyprianus, haud deesse, qui magnitudine calamitatis abjecti concidrent, et quæ summo Dei omnium Domini consilio et voluntate fiebant, patienter tolerare, et æquo animo ferre nescirent: ne hos quidem oblitus, optimum ægritudini eorum remedium paravit, libro ad eorum institutionem prescripto, cui « de mortalitate » titulum fecit. Ostendere enim nisus est, permulta esse bona, quæ ex ipsa morte in Christianos redundarent. « Quid aliud », aiebat (*De mortal.*), in mundo quam pugna adversus diabolum quotidie geritur, quam adversus jacula ejus et tela conflictationibus assiduis dimicatur? cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressus est, cum carnalibus vitiis, cum illecebris sæcularibus assidua et molesta luctatio est. Obsessa mens hominis et undique diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si avaritia prostrata est, exurgit libido; si libido compressa est, succedit ambitio; si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit. Cogeris maledicere, quod divina lex prohibet, compelleris jurare, quod non licet. Tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus urgetur: et delectat hic inter diaboli gladios diu stare, cum magis concupiscendum sit et optandum ad Christum subveniente velocius morte properare? » Atque hoc ille primum in bonis numerabat, tot malis carere, ævumque beatum atque æternum vita hac misera et caduca mutare. Sed illa etiam, quibus tum corpora afflictabantur, Christianis mala non esse docebat. « Hoc, » inquit (*Ibid.*), « quod nunc corporis vires solutus influxum venter eviscerat, quod in faucium vulnera conceptus medullitus ignis æstuat, quod assidue vomitu intestina quatiuntur, quod oculi vi sanguinis inardescunt, quod quorumdam vel pedes, vel aliquæ membrorum partes contagio morbidæ putredinis amputantur, quod per jacturas et damna corporum, prorumpente languore, vel debilitatur incessus, vel auditus obstruitur, vel cæcatur aspectus, ad documentum proficit fidei. Contra tot impetus vastitatis et mortis inconcussi animi virtutibus congredi, quanta pectoris magnitudo est, quanta sublimitas inter ruinas generis humani stare erectum, nec cum eis, quibus spes in Deum nulla est, jacere prostratum. » Jam et tot mortes beneficii loco habendas esse contendebat. « Improvidi, » inquit (*Ibid. p.* 155), « et ingrati sumus, fratres dilectissimi, ad divina beneficia, nec quid nobis conferatur, agnoscimus. Excedunt ecce in pace tutæ cum gloria sua virgines, venientis Antichristi minas et corruptelas et lupanaria non timentes: pueri periculum lubricæ ætatis evadunt, ad continentiæ atque innocentiæ præmium feliciter perveniunt: tormenta jam non timet delicata matrona, metum persecutionis, et munus cruciatusque carnificis moriendi celeritate lucrata. Pavore mortalitatis et temporis accenduntur tepidi, constringuntur remissi, excitantur ignavi, desertores compellantur, ut redeant, Gentiles coguntur, ut credant, vetus fidelium populus ad quietem vocatur, ad aciem recens et copiosus exercitus robore « fortiore colligitur, pugnaturus sine metu mortis, cum prælium venerit, qui ad militiam tempore mortalitatis accedit. » Hortatur postremo, ut mortem alacres contemnerent, et quo venturi essent læti cogitarent. « Patriam, » inquit (*Ibid.*) », nostram Paradisum

Digitized by Google

computamus : parentes Patriarchas habere jam cœpimus. Quid non properamus, et currimus, ut patriam, nostram videre, ut parentes salutare possimus? Magnus illic nos carorum numerus exspectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos et copiosa turba desiderat, jam de sua incolumitate secura, et adhuc de nostra salute sollicita. Ad horum conspectum et complexum venire quanta et illis et nobis in commune lætitia est! Qualis illis cœlestium regnorum voluptas sine timore moriendi, et cum æternitate vivendi quam summa et perpetua felicitas. »

IV. Sic jam philosophari didicerat Cyprianus, et hæc sapientia, quam eloquentiæ junctam habebat, subsidio tum atque solatio multis mortalibus fuit. *Late enim* vagata pestilentia est, et provincias passim in annos plures modo remissior, modo gravior vexavit. Cæterum hoc anno Christiani, quos hinc lues terrebat, inde feralia principum edicta exanimabant, relevati ex parte sunt, depulso periculo, quod religioni eorum ac fidei conflabatur. Maio enim mense nuncii venere, Gallum et Volusianum a militibus sublatos esse, eorumque loco C. Julium Æmilianum imperare, quem origine Maurum esse fama erat (Vict. *in epitom.*). Tertio autem aut quarto post mense, cum et hic ab exercitu occisus fuisset, nunciatum est, imperium penes P. Licinium Valerianum esse, qui diu virtutis laude floruerat, ac tum Christianorum studiosissimus ferebatur. Mox et pestilentiæ modus aliquis positus videtur : nam conventus ab eo celebratos apparet.

V. Sed tristis omnino causa erat, quæ Cyprianum ad clerum populumque convocandum impellebat. Litteras nempe ab episcopis Numidicis acceperat, barbaros magno numero in provinciam illam irrupisse, agros vastasse, captivos multos in his, et virgines in servitutem adduxisse. Rogabant autem episcopi illi numero octo et Cyprianum et totam ecclesiam Carthaginiensem, ut pecuniæ aliquid captivorum redimendorum causa suppeditarent. Exstant vero adhuc Cypriani ad eos litteræ, antiquam illam charitatem mutuique amoris magnitudinem spirantes, quæ olim Christianos omnes tantopere commendabat; atque ex his quid Cyprianus, quid Ecclesia præstiterit, compertum habemus. Primum ut lecta epistola episcoporum fuit, fletum omnium et lamentationem fuisse, apparet. « Cum maximo, » inquit (*epist.* 60), « animi nostri gemitu et non sine lacrymis legimus litteras vestras, fratres charissimi, quas ad nos pro dilectionis vestræ sollicitudine de fratrum nostrorum et sororum captivitate fecistis. » Commiserationem autem benignitas illico ac liberalitas consecuta est, nam, ut addit Cyprianus, « omnia secundum litteras fraternitas cogitans et dolenter examinans, prompte omnes et libenter ac largiter subsidia numnaria fratribus contulerunt, semper quidem secundum fidei suæ firmitatem ad opus Dei proni, nunc tamen magis ad opera salutaria contemplatione tanti doloris accensi. » Summa autem collatæ stipis fuere duo millia et quingenti scutati nummi. Sic enim Cyprianus designat : « Misimus, inquit, sestertium centum millia nummorum, quæ istic in ecclesia, cui de Domini indulgentia præsemus, cleri et plebis apud nos consistentis collatione collecta sunt, quæ vos illic pro vestra diligentia dispensabitis. » Porro et illud Cyprianus episcopis notum esse voluit, quid quisque contulisset, et quare id vellet, præfatus est : « Ut autem, » ait, « fratres nostros ac sorores, qui ad hoc opus tam necessarium prompte ac libenter operati sunt, ut semper operantur, in mente habeatis in orationibus vestris, et eis vicem boni operis in sacrificiis et precibus repræsentetis, subdidi nomina singulorum; sed et collegarum quoque et consacerdotum nostrorum, qui et ipsi cum præsentes essent, et suo et plebis suæ nomine quædam pro viribus contulerunt, nomina addidi; et præter quantitatem propriam nostram, eorum quoque summulas significavi et misi : quorum omnium secundum quod fides et charitas exigit, in orationibus nostris et precibus vestris meminisse debetis. » Quo in loco intelligimus, ecclesiarum ex Africanarum morem fuisse, ut si quæ uspiam calamitas ecclesiam aliquam afflixisset, huic cæteræ communi studio quam possent opem afferrent. Sed in litteris Cypriani duo præterea admiranda sunt, primum quod postulationem episcoporum beneficii loco habuerit, alterum quod eos in auxilio implorando, quoties opus fuerit, ut numquam desides essent, commone fecerit. « Maximas, » inquit, « vobis gratias agimus, quod nos vestræ sollicitudinis, et tam bonæ ac necessariæ operationis participes esse voluistis, ut offeretis nobis agros uberes, in quibus spei nostræ semina mitteremus, exspectaturi messem de amplissimis fructibus, qui de hac cœlesti et salutari operatione proveniunt. » Tum de periculo, quod eos urgere iterum posset, adjecit : « Et optamus quidem nihil tale de cætero fieri, et fratres nostros Domini majestate protectos, ab ejus modi periculis incolumes reservari. Si tamen ad explorandam nostri animi charitatem, et examinandam nostri pectoris fidem tale aliquid acciderit, nolite cunctari nuntiare hæc nobis litteris vestris, pro certo habentes, ecclesiam nostram et fraternitatem istic universam, ne hæc ultra fiant, precibus orare : si facta fuerint, libenter et largiter subsidia præstare. »

VI. Iis defunctus officiis, Cyprianus e re christiana fore duxit, si animos jam misericordia commotos atque etiam tum calentes, libro de eo argumento in lucem emisso, foveret magis atque inflammaret. Itaque sub idem tempus opusculum aureum edidit quod « *de Opere et Eleemosynis* inscriptum est, summis eos laudibus prosecutus, qui benigne de bonis suis ecclesiæ suppeditarent, unde egentium inopiæ subveniretur. Ex quo etiam discimus, jam tum sacris in ædibus cavos stetisse cippos sive thesauros, in quos stipem quisque conjiceret : et morem item obtinuisse, ut panis et vinum ad sacrificium offerretur. Nam matronas quasdam, quæ hæc negligerent, sic perstringit (*De op. et eleem.* p. 569) : « Locuples

Digitized by Google

et dives est et Dominicum celebrare te credis quæ Corban omnino non respicis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis. » Fuisse etiam jam tum addictos singulis almæ urbis regionibus diaconos, qui egenorum nomina nossent, inopiamque levarent, credibile est. Certe in synodo, quam multis post annis sub Bonifacio actam accepimus (apud Hard. *Conc.* tom. II, p. 1082), cietur Gaudiosus « diaconus regionis quintæ : » ut exemplo urbis Romæ Cyprianus in primis diaconos, ejus modi creasse, iisque miserorum e plebe curam detulisse putandus sit, quam sub presbyteris gererent.

## ANNUS CHRISTIANUS CCLIV.

### CYPRIANO, EPISCOPO CARTHAGINIENSI.

I. Consules dicti Augusti. P. Licinius Valerianus iterum; P. Licinius Gallienus. His consulibus, quietæ res Christianorum fuere; at respublica turbari barbarorum incursionibus cœpit, et defectione provinciarum periclitari. Africa tamen in officio manebat; nec ulla Ecclesiæ molestia, nisi a domesticis hostibus afferebatur. Ex his fuit opulentus quidam civis Carthaginiensis, assecla Felicissimi, qui conviciis Cyprianum quotidie appetebat, fingebatque in eum falsa multa et probrosa, auctorem eum omnium malorum appellans, et quam posset bonorum animos ab eo abalienans. Nomen huic erat Florentius Pupianus, quem Cyprianus « fratrem » vocat, quia Christianus erat; neque eum presbyterum aut episcopum fuisse, indicia ulla demonstrant. Multa enim vero a Pupiano patienter perpessus Cyprianus, ut ab eodem litteras quoque accepit irreligiosas plane atque maledicas, hominem tandem refutare aggressus est, epistola gravissima ad eum scripta, in qua et dignitatem auctoritatemque suam, quam ille infringebat, acriter tuetur, adversarium et schismatis patrocinatorem, extra Ecclesiam esse declarat. « Unde, » inquit (*Epist.* 69), « scire debes episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in episcopo; et si quis cum episcopo non sit, in Ecclesia non esse, et frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, et latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia, quæ catholica et una est, scissa non sit neque divisa, sed sit utique connexa, et cohærentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata. » Ultima verba sunt : « Habes tu litteras meas, et ego tuas; in die judicii, ante tribunal Christi utrumque recitabitur. »

II. Alium habebat adversarium Cyprianus toti Ecclesiæ catholicæ infestum, Novatianum scilicet, qui longe jam plures, quam in Africa habuisset, extra Africam sectatores numerabat, nec e plebe solum, sed etiam e clero. Ex his facile princeps erat Martianus episcopus Arelatensis, multum indignantibus reliquis Galliarum episcopis, quos una professio Stephano Pontifici maximo catholica consensione jungebat. Quare ut multi apud Stephanum ipsum de ea re questi fuerant (Cyprian. *epist.* 67), sic Faustinus episcopus Lugdunensis, qui et dignitatem ecclesiæ Carthaginensis nosset, et Cypriani doctrinam summa cum virtute conjunctam non ignoraret, ad *hunc* quoque adversus Marcianum scripsit, et ab eodem impetravit, ut ipse etiam graves omnino litteras et vehementes mitteret ad Stephanum, et loco movendum Marcianum, ac successore dato Ecclesiæ prospiciendum ostenderet. Pauca sane præfatus Cyprianus de Novatianorum duritie ac severitate implacabili, sic Stephanum aggreditur : « Quapropter facere te oportet plenissimas litteras ad coepiscopos nostros in Galliis constitutos, ne ultra Marcianum pervicacem et superbum et divinæ pietatis ac fraternæ salutis inimicum collegio nostro insultare patiantur, quod necdum videatur a nobis abstentus, qui jampridem jactat et prædicat, quod Novatiano studens, et ejus pervicaciam sequens a communicatione se nostra segregaverit, cum Novatianus ipse quem sequitur, olim abstentus et hostis Ecclesiæ judicatus sit. » Tum hujus damnatione fusius commemorata, instare pergit : « Dirigantur, inquit, « in provinciam et ad plebem Arelate consistentem a te litteræ, quibus abstento Marciano alius in locum ejus substituatur, et grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus et vulneratus contemnitur, colligatur. » Denique et de episcopo suffecto commoneri se maxime postulat : « Significa, » inquit, « plane nobis quis in locum Marciani Arelate fuerit substitutus, ut sciamus, ad quem fratres nostros dirigere, et cui scribere debeamus. » Porro morem Cypriano gessisse Stephanus, et Marcianum deturbasse putandus est, neque enim vetera diptycha *Ecclesiæ* Arelatensis (apud Mabill. *Ann.* t. III, p. 432.) Marcianum referunt : Sed quis ei suffectus fuerit, minus liquet. At Cypriano ne hoc quidem satis fuit, sed Novatiano ipsi repugnandum duxit, ne latius malum disseminaretur, et opusculo, quod « ad Novatianum hæreticum » inscripsit, perversam ejus doctrinam et inexorabilem animum, divinarum Litterarum testimoniis usus, mire exagitavit.

III. Interea Hispanæ quoque ecclesiæ auctoritatem consiliumque Cypriani requirebant : Quo tempore episcopi ex Africa Carthaginem convenerant numero triginta sex (Cyprian. *epist.* 68). Ignotum erat nemini apud Hispanos, Basilidem episcopum ad legionem et Asturicæ, item Martialem episcopum Emeritæ, libellis idololatriæ commaculatos, et nefandorum facinorum conscientia vinctos loco excidisse. Itaque successores utrique jam dati fuerant, Basilidi Sabinus, Martiali Felix, qui et ad Cyprianum legati venerant. Sed Hispanos turbabat dejectorum episcoporum audacia veterem honorem sibi vindicantium : Nam ejus rei causa Basilides Romam etiam profectus fuerat, et « Stephanum, » ut Cyprianus testatur, « fefellerat, ut exambiret reponi se injuste in episcopatum, de quo fuerat jure depositus. » Nec minus fallacia usus erat Martialis, ut locum et ipse teneret, unde ejectus fuerat. Lectis igitur ecclesiarum litteris et

Digitized by Google

legatis in concilio auditis, rescripsit Cyprianus ex collegarum sententia, omnia ordine et jure gesta videri, nec Stephani auctoritate per dolum interposita, ambitiosorum abolita, sed cumulata esse delicta. Deinde utriusque complexus scelera, sic clerum et plebem ambarum ecclesiarum alloquitur : « Quapropter, cum, sicut scripsistis, fratres dilectissimi, et ut Felix et Sabinus collegæ nostri asseverant, atque alius Felix de Cæsar-augusta fidei cultor ac defensor veritatis litteris suis significat, Basilides et Martialis nefando idololatriæ libello contaminati sint, Basilides adhuc insuper, præter libelli maculam, cum in infirmitate decumberet, in Deum blasphemaverit, et se blasphemasse confessus sit, et episcopatum pro conscientiæ suæ vulnere sponte deponens ad agendam pœnitentiam conversus sit, Deum deprecans, et satis gratulans, si sibi vel laico communicare contingeret : Martialis quoque præter Gentilium turpia et lutulenta convivia in collegio diu frequentata, et filios in eodem collegio exterarum gentium more apud prophana sepulchra depositos et alienigenis consepultos, actis etiam publice habitis apud procuratorem ducenarium obtemperasse se idololatriæ, et Christum negasse contestatus sit; cumque alia multa sint et gravia delicta, quibus Basilides et Martialis implicati tenentur, frustra tales episcopatum sibi usurpare conantur; cum manifestum sit, ejusmodi homines nec Ecclesiæ Christi posse præesse, nec Deo sacrificia offerre debere; maxime cum jampridem nobiscum et cum omnibus omnino episcopis in toto mundo constitutis, etiam Cornelius collega noster, sacerdos pacificus ac justus, et martyrio quoque dignatione Domini honoratus decreverit, ejusmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem cleri atque sacerdotali honore prohiberi. » Illis demum Cypriani et concilii ejus litteris evulsus Hispanis scrupulus, qui eos stimulabat, repudiatique episcopi, quibus reditum ad honoris sui sedem interclusum esse constaret.

IV. At alia jam urgebat causa, ob quam Cyprianus provinciæ proconsularis episcopos convocarat. Litteras enim a Numidicis episcopis acceperat, quibus sententiam ejus rogabant, « de iis qui apud hæreticos et schismaticos baptizari videntur, an ad Ecclesiam catholicam, quæ una et vera est, venientes baptizari debeant. » Res enim illic in controversiam vocata tum esse ab iis videtur, qui morem cæterarum ecclesiarum norant, ac propterea antiquis Agrippini episcopi Carthaginiensis decretis standum non putabant. Enimvero eam opinionem Cyprianus animo imbiberat, penitusque insitam habebat, sacrum Baptisma apud hæreticos et schismaticos, quod extra Ecclesiam essent, nullum esse posse. Itaque consuetudinis, quæ obtendebatur, vim levem atque imbecillam agnoscebat, et veritati cedere eam oportere affirmabat. Igitur ut ea quæstio in concilio agitari cœpit, qua erat apud omnes auctoritate, facile singulos in sententiam perduxit suam, rescriptumque est Numidicis episcopis in hæc verba (*Epist* 70) : « De qua re quamquam et ipsi illic veritatem et firmitatem catholicæ regulæ teneatis, tamen quoniam consulendos nos pro communi dilectione existimatis, sententiam nostram non novam promimus, sed jampridem ab antecessoribus nostris statutam et a nobis observatam vobiscum pari consensione conjungimus, censentes scilicet, et pro certo tenentes neminem foris baptizari extra Ecclesiam posse, cum sit Baptisma unum in sancta Ecclesia constitutum. » Et quæ deinceps. Vix concilium dimissum fuerat, cum eadem controversia ex Mauretania ad Cyprianum delata est. Quærebat nempe Quintus, episcopus Burgiatensis, quid sentires « de his qui apud hæreticos et schismaticos baptizari videntur. » Cui Cyprianus (*Epist.* 71) : « Quid nuper, inquit, in concilio plurimi coepiscopi cum compresbyteris, qui aderant, censuerimus, ut scires, ejusdem epistolæ exemplum tibi misi. » Neque hoc contentus, multa addidit, quæ ad sententiam suam tuendam mirifice valere arbitrabatur. « Nescio etenim, » inquit, « qua presumptione ducuntur quidam de collegis nostris, ut putent, eos, qui apud hæreticos tincti sunt, quando ad nos venerint, baptizari non oportere; eo quod dicant unum Baptisma esse, quod unum scilicet ideo est, quia Ecclesia una est, et esse Baptisma extra Ecclesiam non potest. » Atque alia hujusmodi. Sub idem fortasse tempus ex eadem Mauretania Rogatianus episcopus Novensis apud Cyprianum de diacono suo quæstus erat, « quod immemor sacerdotalis loci, et officii ac ministerii sui oblitus, contumeliis et injuriis eum exacerbasset. » Laudavit Cyprianus viri modestiam, qui queri de eo maluerit, quam auctoritate usus in eum animadvertere : Sed indulgentiæ tamen modum ponendum duxit. Oportet, » inquit (*Epist.* 65), « diaconum, de quo scribis, agere audaciæ suæ pœnitentiam, et honorem sacerdotis agnoscere, et episcopo præposito suo plena humilitate satisfacere. » Et affert idem criminis vindicandi gravissimam causam. « Hæc sunt enim, » inquit, « initia hæreticorum, et ortus atque conatus schismaticorum male cogitantium, ut sibi placeant, ut præpositum superbo tumore contemnant. Sic de Ecclesia receditur, sic altare profanum foris collocatur, sic contra pacem Christi, et ordinationem atque unitatem Dei rebellatur. »

V. Pacata vero tempora et disputandi otium res alias in controversiam adduxere, præterquam quod ipsa quæstio de Baptismo subdifficilis multis ac subobscura videbatur. Quapropter concilium iterum ante anni exitum cogi necesse fuit, ad quod episcopi advenire septuaginta et unus partim e provincia proconsulari, partim e Numidia. Multa vero in eo tum « prolata atque transacta, » testatur ipse Cyprianus (*Epist.* 72); sed duo potissimum sunt, quæ idem designat atque explicat; primum, de quo et in superiore concilio actum fuerat, « eos qui sint foris extra Ecclesiam tincti et apud hæreticos et schismaticos profanæ aquæ labe maculati, quando ad nos atque ad

Digitized by Google

Ecclesiam, quæ una est, venerint, baptizari oportere.» Alterum est, « si qui presbyteri aut diaconi, qui vel in Ecclesia catholica prius ordinati fuerint, et postmodum perfidi ac rebelles contra Ecclesiam steterint, vel apud hæreticos a pseudo-episcopis et Antichristis contra Christi dispositionem profana ordinatione promoti sint, et contra altare unum atque divinum sacrificia foris falsa ac sacrilega offerre conati sint, eos quoque hac conditione suscipi, cum revertuntur, ut communicent laici, et satis habeant, quod admittuntur ad pacem, qui hostes pacis exstiterint; nec debere eos revertentes ea apud nos ordinationis et honoris arma retinere, quibus contra nos rebellaverint.» Porro caput utrumque communi concilii consensu sancitum constat. Sed de utroque etiam ad Stephanum Pontificem maximum potissime scribendum, et cum ejus, ut aiunt, gravitate ac sapientia conferendum censuerunt. Exstant synodi litteræ, in quibus eadem sancita dicuntur, et de epistolis etiam fit mentio quas ad Quintum in Mauretaniam et ad episcopos Numidiæ scriptas superius indicavimus. « Baptismum autem,» inquiunt (*Ibid. epist., ad Stephan.*), « non esse, quo hæretici utuntur, nec quemquam apud eos, qui Christo adversantur per gratiam Christi posse proficere, diligenter nuper expressum est in epistola, quæ ad Quintum collegam nostrum in Mauretania constitutum super ea re scripta est; item in litteris, quas collegæ nostri ad coepiscopos in Numidia præsidentes ante fecerunt: Cujus utriusque epistolæ exempla subdimus hic.» Cæterum illa maxime commemoranda sunt, quæ synodi litteræ postrema habent: Quippe manifestum inde fit, totam illam controversiam de Baptismo ad catholicæ profesionis summam minime pertinuisse, et contraria sentientes æque Catholicos habitos esse. Scimus,» inquiunt, «quosdam quod semel imbiberint, nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter collegas pacis et concordiæ vinculo quædam propria, quæ apud se semel sint usurpata retinere. Qua in re nec nos vim cuiquam facimus aut legem damus, quando habeat in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque præpositus, rationem actus sui Domino redditurus» (V. Somier., *in Anast. Bianch. t.* II, *p.* 220).

VI. His ad Stephanum litteris Cypriani et Patrum omnium nomine missis, dimissum concilium est. At episcopi ad ecclesias suas reversi, Africam totam contentionibus impleverunt: dissentientibus episcopis, qui in ecclesia sua Romanam consuetudinem invenerant, quorum e numero aliquos de ea re ad Stephanum scripsisse credibile est. Fuere etiam qui Cypriani testimonio doceri cuperent, eaque de causa, accuratas ad eumdem litteras darent. In his eminet ignotæ urbis episcopus Jubaianus, quem tamen Numidiæ primatem putare possis (V. Schelstr. *Ant. Eccl. t.* II, *p.* 281. Hunc Zonaras Jovinianum appellat): Cum ad eum deinde et ad coepiscopos ejus rescripsisse Cyprianus dicatur. Hic vero sic ad Cyprianum e provincia sua scripsit, ut exemplum quoque libelli adderet sive Roma accepti, sive in Africa emissi, quo in libello sententia ejus refutebatur. Quamobrem officii sui putavit esse Cyprianus, ut fusius Jubaiano rescribens, rationes quoque proferret, *quibus* adversariorum argumenta refelli arbitrabatur. *Ejus* enim responsum in omnium manus venturum intelligebat. Sed in quæstione, quæ tum subobscura erat, hoc in Cypriani animo insederat, ab hæreticis, quia mali essent, nihil boni proficisci posse: nec minus illis negatum esse, ut baptizarent, quam ut peccata absolvendo remitterent: vim vero ipsam Baptismi, quæ nihil a ministro penderet, minus considerabat. Hæc fere summa est epistolæ ad Jubaianum, quam tamen ipsam sic concludit; ut se disputare potius, et sententiam suam tueri voluisse, quam prescribere quidquam ac definire significet. « Hæc tibi,» inquit, « breviter pro nostra mediocritate rescripsimus, frater charissime, nemini præscribentes aut præjudicantes, quominus unusquisque episcoporum quod putat faciat, habens arbitrii sui liberam potestatem. Nos, quantum in nobis est, propter hæreticos cum collegis et coepiscopis nostris non contendimus, cum quibus divinam concordiam et dominicam pacem tenemus.» Quia demum cognoverat, multos esse ex episcopis, secum non sentirent, multos, quid adversarium ferre non possent, ob eamque rem animorum aliquod factum esse dissidium, huic se malo remedium opposuisse testatur. « Servatur,» inquit, « a nobis patienter et leniter charitas animi, collegii honor, vinculum fidei et concordia sacerdotii. Propter hoc etiam libellum nunc» de bono patientiæ, « quantum valuit *nostra mediocritas* permittente Domino et inspirante conscripsimus, quem ad te apro mutua dilectione transmisimus.» Exstat vero adhuc et hominum teritur manibus egregium sanctissimi viri opusculum, quod ita ille perscripsit, ut neminem omnino ex adversariis suis vel levissima significatione perstringeret, et quantum in ea virtute boni esset, omnibus cumulatissime explicaret.

## ANNUS CHRISTIANUS CCLV.

### CYPRIANO EPISCOPO CARTHAGINIENSI.

I. Rursum consulatus penes Augustos fuit, consules que processere Impp. P. Licinius Valerianus III. P. Licienius Gallienius II. At vero Stephanus Pontifex maximus Cypriani et Concilii ejus litteras jam acceperat, idemque cum presbyteris suis, et qui Romæ forte aderant, episcopis deliberabat, quo pacto rescriberet, totamque synodum Africanam a proposito deterreret. Testis enim erat Ecclesia Romana, antiquam sibi et perpetuam consuetudinem fuisse, ut quos ab hæreticis redeuntes acciperet, iis pœnitentiæ causa manus imponeret, Baptismo neminem abluendo curaret. « Cum ergo,» inquit Vincentius Lirinensis (*in Common. c.* 9), « undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversum sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur:

Digitized by Google

tunc beatæ memoriæ Papa, Stephanus apostolicæ Sedis antistes cum cæteris quidem collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit; dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat. Denique in epistola, quæ tunc in Africam missa est, his verbis sanxit. » Nihil novandum, nisi quod traditum est. « Intelligebat etenim vir sanctus et prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, quæ fide a Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur, nosque religionem non qua vellemus docere sed potius qua illa duceret, sequi oportere; idque esse proprium christianæ modestiæ et gravitatis non sua posteris tradere, sed a majoribus accepta servare. » Cæterum litteræ ipsæ Stephani, qualescumque fuerint, ad nos non pervenerunt: nec aliud ex iis superest, quam particula illa, quæ in epistola legitur Cypriani ad Pompeium, quæcumque demum hæc quoque esse putanda sit. « Si quis ergo, » aiebat Stephanus (Cyprian. *in Epist.* 74, *de hoc Stephani decreto lege missorium Disp. crit. p.* 385), a quacumque hæresi venerit ad vos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam: cum ipsi hæritici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum. »

II. Responsum Stephani, si tale fuit, multum Cypriano displicuisse, facile dederim. At Cyprianum, litteris « a Petri Cathedra atque ab Ecclesia principali, unde unitas sacerdotalis exorta est » (*Idem in ep.* 55), semel non ex animi sui sententia acceptis, ita excanduisse, ut ea omnia repente oblivisceretur, quæ publice professus fuerat, secum collegis suis nemini vim facere, nemini legem dare, servarique a se charitatem animi, collegii honorem, vinculum fidei et concordiam sacerdotii; hoc vero ut credam, adduci plane non possum. Neque enim levia sunt, quæ ille adversus Stephanum admisisse arguitur, sed talia potius, quæ in tantum virum cadere vix posse videantur. Nam si quæ fertur epistola ad Pompeium episcopum Sabratensem missa, Cypriano adscribenda est, ipse non modo Stephani judicio non acquievit, sed alios etiam contra eum commovit: eumdem ob tale rescriptum erroris insimulavit, quasi « hæreticorum causam contra Christianos et contra Ecclesiam Dei asserere conaretur: » scripta ab eo multa affirmavit « imperite atque improvide, » et quæ vel « superba, vel ad rem non pertinentia, vel sibi ipsi contraria essent. » Stephanus « abstinationem duram » appellavit, quæ constantia foret, auctorque episcopis fuit, ut Stephani doctrinam aversarentur: « Propter quod, inquit, relicto errore sequamur veritatem. » Hæc sane qui perpendit, numquam ex ejus ore prodiisse putaverit, quem non modo ante hoc tempus, sed subinde etiam vitæ sanctitate, concordiæ studio, animi gravitate, rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessione claruisse apparet. Idcirco Augustinus quoque epistolam illam sibi suspectam esse, non semel significavit (*contra Cresc. lib.* II, *c.* 31, *etc.*), eamdemque alii ob causæ suæ patrocinium a Donatistis confictam crediderunt (V. Missor. *Disput. crit. in epist. Cypr. et Firmil. p.* 264).

III. Cæterum Cyprianus in rescripto Stephani non legem aliquam sibi impositam, sed judicium privati hominis oblatum existimans, tertio experiendum duxit, quid ecclesia Africana de hæreticorum Baptismo sentiret. Indictum igitur tertium concilium in calendas septembres ut ex Mauretania etiam et cæteris, quæ magis distabant ecclesiis, frequentes episcopi adesse possent. Jam autem controversia illa mare transgressa, Orientem quoque pervaserat, multisque in ecclesiis in utramque sententiam non levi dissidio disputabatur. Litteræ etiam ad Stephanum missæ fuerant, quæ multorum episcoporum eam jam esse consuetudinem nunciarent, ut hæreticos ad Ecclesiam redeuntes iterum Baptismo tingerent. Quod Stephano adeo grave fuit, ut multis minatus sit, se, nisi resipiscerent, ab eorum communione recessurum (Euseb. *H. L. lib.* VII. *c.* 5). Sed Stephano datum non est, ut finem errori imponeret, qui non multo post Xisti successoris ejus auctoritate, et Dionysii Alexandrini opera sublatus est. Nam si Eusebio credemus (*H. L. lib.* VII, *c.* 5), hoc anno Stephanus biennium pontificatu functus decessit, IV. nonas Augustas, quo die in antiquis Martyrologiis memoria ejus celebratur ei que Xistus successit.

IV. Carthaginem interea undique episcopi ad synodum convenerant numero octoginta quinque, ex iisque Natalis Oeensis mandata attulerat episcoporum Pompeii Sabratensis et Diogæ Leptimagnensis, qui domi manserant: quorum causa octoginta septem episcopi idem sentire ferebantur. Qui in alia sententia erant, pedem e finibus suis non extulerunt. Exstant vero acta ejus concilii quæ rerum gestarum ordinem nobis exhibent. Ac primum convenisse plurimi episcopi dicuntur calendis septembribus ex provincia Africa, Numidia, Mauretania cum presbyteris et diaconibus, præsente etiam plebis maxima parte. Coram his lectæ sunt litteræ Jubaiani ad Cyprianum et quas Cyprianus ad Jubaianum misisset, et quas rursum ab eodem accepisset: in quibus rescriptum quoque Stephani, ut opinor, continebatur. Post quæ Cyprianus, « Audistis, » inquit, « collegæ, dilectissimi, quid mihi Jubaianus coepiscopus noster scripserit, consulens mediocritatem nostrum de illicito et profano hæreticorum Baptismo, et quid ego ei rescripserim, censens scilicet, quod semel atque iterum, et sæpe censuimus, hæreticos ad Ecclesiam venientes Baptismo baptizari et sanctificari oportere. Item lectæ sunt vobis et aliæ Jubaiani litteræ, quibus pro sua sincera et religiosa devotione ad epistolam rescribens non tantum consensit, sed etiam instructum se esse confessus gratias egit. Superest ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus, proferamus: neminem judicantes, aut a jure communicationis aliquem, si diversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam

Digitized by Google

nostrum episcopum se esse episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habeat omnis episcopus pro licentia libertatis et potestatis suæ arbitrium proprium, tamque judicari ab alio, non possit, quam nec ipse potest alterum judicare. Sed exspectemus universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus et solus habet potestatem et præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, et de actu nostro judicandi.» Exinde ad sententias dicendas ventum est : suamque primus omnium protulit Cæcilius a Bilta, quem cæteri, ut quisque antiquior esset, consecuti sunt, et quamquam alii alia verba usurparunt, nemo unus a Cypriani sententia dissensit. Itaque ultimus Cyprianus, « Meam, inquit, sententiam plenissime exprimit epistola, quæ ad Jubaianum collegam nostrum scripta est, hæreticos secundum evangelicam et apostolicam contestationem et adversarios Christi et antichristos appellatos, quando ad Ecclesiam venerint, unico Ecclesiæ Baptismo baptizandos esse, ut possint fieri de adversariis amici, et de antichristis Christiani. » Hæc vero ex veterum magis opinione scripta, quam nostra putes.

V. Quid post hæc a Patribus constitutum gestumve sit, plane ignoramus. Nam qui legatos Romam ad Pontificem maximum missos putant, ut eum de synodi decretis certiorem facerent, litteras ea de causa scriptas proferre nullas possunt. Qui vero Rogatianum diaconum in Cappadociam usque, ad Firmilianum episcopum Cæsareæ legatum a Cypriano dicunt, ut quem in eadem sententia esse norat, de synodi Africanæ consensu edoceret; nec iis græcas Firmiliani litteras habent, aut latinas Cypriani quas ostendant; et quas exhibent Firmiliani latinas litteras (*inter. Cypr. Epist.* LXXV), eæ neque Dionysio Alexandrino, neque Eusebio, neque Augustino ipsi notæ fuerunt. Sunt autem ejusmodi, quales non vir sanctus et a multis commendatus, sed hæreticus nequam et infamis scribere potuerit : adeo contra Petri Apostoli successorem Stephanum contumeliosæ atque improbæ sunt (*V. Missor, Ibid. p.* 18, *et Notas ejusdem, p.* 112). Eas equidem ab eodem produisse duxerim, qui epistolam quoque Cypriani ad Pompeium confinxit. Nam exstare hujus modi exempla plurimum Donatistis intererat, qui Pontificis maximi auctoritatem elevare, ac judicium defugere nitebantur. Scripsisse tamen hoc tempore Cyprianum epistolam ad Magnum, quæ exstat, credibile est, cum in ea quidquid de Baptismo hæreticorum disputatum usquam fuerat, simil ratione attingat atque explicet. Rogaverat eum Magnus, quicumque demum is fuerit, sive de populo aliquis, sive sacris initiatus, nam eum Cyprianus « filium » appellat : rogaverat, inquam, num et qui a Novatiano venirent, pari modo baptizandi essent? cui Cyprianus, « Quantum, » inquit (*Epist.* LXXXI), « fidei nostræ capacitas est, et Scripturarum divinarum sanctitas ac veritas suggerit, dicimus omnes omnino hæreticos et schismaticos nihil habere potestatis ac juris. Propter quod Novatianus nec debet nec potest excipi, quominus ipse quoque extra Ecclesiam consistens, et contra pacem ac dilectionem Christi faciens, inter adversarios et antichristos computetur. » Aliam etiam quæstionem Magnus posuerat, de iis, qui sub mortem *baptizati* essent, quam Cyprianus sic dirimit « quæsisti etiam, » inquit, « fili charissime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate et languore gratiam Dei consequantur, an habendi sint legitimi Christiani, eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi; qua in parte nomini verecundia et modestia nostra præjudicat, quominus unusquisque quod putat sentiat, et quod senserit faciat. Nos, quantum concipit mediocritas nostra, æstimamus in nullo mutilari et debilitari posse beneficia divina, nec minus aliquid illic posse contingere, ubi plena et tota fide et dantis et sumentis accipitur quod de divinis muneribus hauritur. » Extrema etiam epistolæ verba consuetam illam Cypriani modestiam et singulare concordiæ *studium* repræsentant : « Rescripsi, » inquit, « fili charissime, ad *litteras* tuas quantum parva nostra mediocritas valuit, et ostendi, quid nos, quantum in nobis est, sentiamus, nemini præscribentes, quominus statuat quod putat unusquisque præpositus, actus sui rationem Domino redditurus. »

## ANNUS CHRISTIANUS CCLV.

### CYPRIANO EPISCOPO CARTHAGINIENSI.

I. Signant hunc annum consules M. Valerius Maximus, Man. Acilius Glabrio : quo anno Aspasius Paternus proconsul Africæ designatus est. Eodem anno Xistus, qui in Stephani locum *suffectus fuerat*, cum ipse etiam litteras de Baptismi *controversia* a Dionysio episcopo Alexandrino accepisset (*Euseb. H. E. lib.* VII, *cap.* 5), dissidio denique sublato, Africam et Orientem pacasse videtur dictus propterea a Pontio diacono (*in vita Cypr. n.* 14). « Bonus et pacificus sacerdos, » qui tamen Stephani sententiam sancte defendit, eamque Ecclesiæ universæ, ut par erat, communem fecit. Eamdem in Africa etiam novo decreto receptam et confirmatam indicare Hieronymus videtur, cum ait (*Dial. adv. Lucifer, n.* 23), « conatus est beatus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena; et idcirco hæreticorum Baptisma reprobans ad Stephanum tunc Romanæ urbis episcopum super hac re Africanam synodum direxit : sed conatus ejus frustra fuit : denique illi ipsi episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti novum emisere decretum. » Eodem spectant Vincentii Lirinensis verba (1) : « Quid postremo ipsius Africani concilii sive decreti quæ vires? donante deo nullæ : sed universa tamquam somnia, tanquam fabulæ, tamquam superflua, abolita, antiquata, calcata sunt. Nisi quod tanta res Augustino ignota fuit, qui de Cypriano

(1) *In commonit. n.* 10. Voy. Bedan. *lib. sur. quæst. quæst. v. in illud Apost.* Unusquisque in suo sensu abundet.

Digitized by Google

sic scripsit(1): « Profecto et uni verum dicenti et demonstranti posset facillime consentire tam sancta anima, tam pacata : et fortasse factum est : sed nescimus, » cui tamen ipsum Cypriani silentium opponere licet, nihil postea de quæstione illa interloquentis, aut epistolas commemorantis, quas summo studio perscriptas ante vulgaverat.

II. Et alio sane diligentiam suam Cyprianus curamque converterat, ut nempe cleri populique sui animos, si quis forte in illa dissensione labes invidiæ aliqua infecisset, ad veterem conjunctionem, revocatos excoleret ac confirmaret. Quamobrem libellum illum pulcherrimum elucubravit, quem *de Zelo et Livore* inscripsit, mala in primis complexus, quæ ex invidia in hominum vitam tamque ex fonte manarent. « Late patet », aiebat (*de Zel. et liv. p.* 597), « zeli multiplex et fœcunda pernicies. Radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum. Inde odium surgit, animositas inde procedit. Avaritiam zelus inflammat, dum quis suo non potest esse contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus altiorem. Zelo excæcante sensus nostros, atque in ditionem suam mentis arcana redigente Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, judicii dies non providetur. Inflat superbia, exacerbat sævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutit, furit discordia, ira fervescit, nec se jam potest cohibere vel regere, qui factus est potestatis alienæ. Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad hæreses atque ad schismata prosilitur, dum obtrectatur sacerdotibus, dum episcopis invidetur, dum quis aut queritur non se potius ordinatum, aut dedignatur alterum ferre præpositum. » Hæc Cyprianus, recentes, opinor, animorum acerbitates designans, quas et invitus aspexerat, et sublatas maxime lætabatur.

III. Inter hæc, Cæcilius episcopus Bittensium, qui anno superiore concilio interfuerat, ad ecclesiam suam reversus, opinionem quamdam, quæ ab Encratitis orta videri possit vini abstemiis, paulatim disseminatam invenerat, aquam nempe in Sacrificio, non vinum offerri ac consecrari oportere. Tantam ille novitatem aversatus, cum tollere omnino vellet, felicius rem successuram est arbitratus, si Cyprianum consuluisset, auctoritatemque ejus interponere posset. Itaque accuratis ad eum litteris de toto negotio missis, longam a Cypriano epistolam accepit, quæ opinioni illi finem afferret et omnes plane ad veterem consuetudinem revocaret. Inscribitur ea epistola (*Epist.* 63) « de Sacramento Dominici Calicis, » in qua Cyprianus illud maxime ostendit, ab ipso Domino nostro institutum atque præscriptum esse, ut panis et vinum in sacrificio offerretur : quemadmodum multis quoque divinarum Litterarum vaticiniis fuerat prænuntiatum. Et miscendam tamen aquam docet, in qua populum significari censet : « Nam, quia, » inquit, « nos omnes portabat Christus, qui et peccata nostra portabat, videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, et credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur et conjungitur. » Rejicit difficultatem eorum, qui verebantur, « ne per saporem vini redolerent sanguinem Christi : » litteras ad collegas scribi vult, « ut ubique lex Evangelica et traditio Dominica servetur, et ab eo, quod Christus et docuit et fecit, non recedatur. » Epistolam denique concludit his verbis : « Religioni igitur nostræ congruit et timori et ipsi loco, atque officio sacerdotii nostri, frater charissime, in Dominico calice miscendo et offerendo custodire traditionis Dominicæ veritatem; et quod prius apud quosdam videtur erratum, Domino monente corrigere : ut cum in claritate sua et majestate cœlesti venire cœperit, inveniat nos tenere quod monuit, observare quod docuit, facere quod fecit. » Ex eadem autem epistola illud quoque ediscere est, communem apud Afros in Sacrificio usum fuisse azymorum : panem quippe tantæ rei causa memorat, nulla fermenti mentione facta, ex farina et aqua « adunatum copulatumque (V. Ciampinum *de perp. Azym. usu c.* 3, *p.* 45) : » Quod et Augustini ævo obtinebat.

IV. Sub anni exitum Cypriano nunciatum est, Geminium victorem episcopum Furnitanorum, qui anno superiore ad synodum venerat, morbo decessisse. Grave id quidem Cypriano fuit, quod collegam amisisset; sed illud multo gravius, quod simul cognoscerat, ita eum esse vita defunctum, ut Geminium Faustinum presbyterum testamento suo tutorem ante nominaret. Norat enim Cyprianus, jampridem in concilio episcoporum statutum esse (*Cypr., Epist.* 66, v. *Bolland.* tom. IV. *Sept.* pag. 211), « ne quis de clericis et Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo constitueret. » Cui decreto hæc adscripta causa fuerat : « Quando singuli divino sacerdotio honorati, et in clerico ministerio constituti non nisi altari et sacrificiis deservire, et precibus atque orationibus vacare debeant. » Nec vero ignota erat pœna, quam iidem episcopi in eos sanxerant, qui legem neglexissent : nam qui censuerant, ne illud cuiquam fas esset, addiderant. « Ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim, aiebant, apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes et ministros voluit avocare. » Ergo Cyprianus, qui se canonum sacrorum vindicem assertoremque esse oportere, probe meminerat, nihil cunctatus, epistolam ad clerum et plebem Furnis consistentem scripsit, in qua legis veteris mentione facta sic præcipit : « Et ideo Victor, cum contra formam nuper in concilio a sacerdotibus datam, Geminium Faustinum presbyterum ausus si

(1) *De baptismo Contra Donat. lib.* II, *c.* 4; *v. epist.* 93, *n.* 36; *v. Boschium Bolland, t.* I. *Aug. p.* 118, § 4.

Digitized by Google

tutorum constituere, non est quod pro dormitione ejus apud nos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus, in Ecclesia frequentetur, ut sacerdotum decretum religiose et necessarie factum servetur a nobis, simul et cæteris fratribus detur exemplum, ne quis sacerdotes et ministros Dei altari, ejus et Ecclesiæ vacantes ad sæculares molestias devocet. Observari enim de cætero poterit, ne ultra hoc fiat circa personam clericorum, si quod nunc factum est, fuerit vindicatum. » Porro cum Cyprianus nihil de illa legis severitate remiserit, ne ipse quidem curam susceptisse putandus est conjugis et liberorum Cæcilii presbyteri, cujus ipse opera Christianus factus fuerat, et quem tamquam novæ vitæ parentem observabat. Scribit quidem de eo Pontius his verbis (*In Vita Cypr.*, n. 4) : « Denique ille demulsus ejus obsequiis, in tantum dilectionis immensæ merito provocatus est, ut de sæculo excedens, arcessitione jam proxima, commendaret illi conjugem ac liberos suos : ut quem fecerat de sectæ communione participem, post modum faceret pietatis hæredem. » Cæterum ita Cyprianum Cæcilio suo satisfecisse crediderim, ut domus ejus amore et studio veluti parens esset, at rei familiaris curatores ac liberorum tutores extra clerum probos viros idoneosque requireret præficeretque.

V. Nondum annus elapsus erat, cum litteræ in Africam perlatæ sunt, Ecclesiam Romæ magno in discrimine versari, Valerianum Aug. qui Christianos antea mire fovebat (*Euseb. H. E. lib.* VII, *c.* 10), Macriani, cujus concilliis utebatur, dolo atque fraude alienatum perniciem minitari, multos jam in vincula conjectos esse : edicta in provincias adversus Christianum nomen propediem missum iri. Enimvero nunciato tantæ cladis periculo exanimati multi, ac terrore mortis abjecti : Nec tamen defuere quorum alacritas emineret, et cæterorum virtutem ad præclara martyria excitaret. Fuit etiam qui a Cypriano scribi aliquid cuperet, quo omnium animi studio invictæ confessionis inflammarentur. Porro Cyprianus, qui hæc sponte semper præstabat, ut idonea temporis cohortatione populum erudiret, multo magis rogatus fecit, epistolamque ad Fortunatum emisit, quæ secunda est « de exhortatione Martyrii, » documentis refertam sanctissimis, quæ desidem quemque ac remissum tam felicis exitus desiderio possint accendere. Fecerat autem ejus libelli capita duodecim, subjectis unicuique divinarum Litterarum auctoritatibus quæ singulorum capitum titulos explicarent confirmarentque, ut haberet quisque paratam veluti materiam non modo ad legendum ac meditandum, sed etiam ad colloquendum atque scribendum. « Ac ne in longum, » inquit (*p.* 708 *Edit. Baluz.*), « sermonem meum extenderem, frater charissime, et audientem vel legentem styli latioris copia fatigarem, compendium feci; ut propositis titulis, quos quis ex nosse debeat et tenere, capitula dominica subnecterem, et id, quod proposueram, divinæ lectionis auctoritate validarem : ut non tam tractatum meum videar tibi misisse, quam materiam tractantibus præbuisse. » In quo et illud se prospexisse ait, « hi exhortatione tam necessaria, quæ martyres faciat, amputendas esse verborum nostrorum moras et tarditates, atque ambages sermonis humani subtrahendas, ponenda sola illa, quæ Deus loquitur, quibus servos suos ad martyrium Christus hortatur. » Scriptam hanc epistolam ad Fortunatum episcopum Thuccaborensem satis mihi exploratum est. Nam eum Cyprianus « fratrem » appellat, unusque nomine Fortunatus cietur Thuccaborensis inter episcopos, qui Carthaginem nuper ad concilium convenerant. Sed ejusdem exempla ad alios quoque missa, ut quam multis usui esse posset, recte judicaveris.

## ANNUS CHRISTIANUS CCLVII.

### CYPRIANO EPISCOPO CARTHAGINIENSI.

I. Rursum Augusti consules facti, Valerianus IV. Gallienus III. quos jam barbarorum conspirationes et Persarum motus ad bella evocabant. In Urbe tamen manebant, qui Valeriani adversus Christianos odium susciperent, crudelitatem explerent. Et numerabantur jam Romæ martyres qui primi prærepta laurea, viam cæteris ad cœlum sanguine suo consignaverant. At in Africa unæ hactenus privatorum litteræ terrorem augebant, nec publice quidquam nunciatum fuerat : ut satis temporis habuisse episcopi videantur, quod populo ad constantiam cohortando, animisque divinorum mysteriorum tributione confirmandis impenderent. Nam hoc in primis curæ erat, et hanc maxime causam lapsorum recipiendorum attulerat olim Cyprianus, ne hosti ingruenti inermes *objicerentur*. « Nam quomodo, » aiebat (*Epist.* 54 *ad Cornel.*), « docemus aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus? »

II. Sed ipsa demum Augustorum edicta ad Aspasium Paternum proconsulem allata Carthaginem sunt, quibus præcipiebatur (*In Act. Procos. Marty. Cypr. de Paterno V. Lup. Epist. sev. M.* § III. *p.* 8). « Eos, qui Romanam religionem non colerent, debere Romanas cæremonias recognoscere. » Nec dubium est Paterno præscriptum fuisse, ut episcopos primum atque presbyteros totumque clerum aggrederetur, et quos ex iis repugnantes invenisset, illico relegaret. Nam et deinde cum ad cædem et sanguinem ventum est, primos episcopos et collegium eorum morti destinatos apparet (*Cypr. Epist.* 82). Idcirco Carthagine Cyprianus ante alios in arenam descendit, exemplo multis futurus, quo pacto de hoste triumpharent. Hanc sane laudem illi tribuunt Nemesianus et sexti confessores, in Epistola qua litteris ejus suavissimis respondent (*Epist.* 78. *Inter Cypr.*) : « Scis et ipse, » inquiunt « charissime, nostrum optabile votum esse, quod te videamus doctorem et amatorem nostrum

Digitized by Google

ad coronam magnæ confessionis pervenisse. Nam quasi bonus et verus doctor quid nos discipuli secuti apud præsidem dicere deberemus, prior apud acta proconsulis pronunciasti, et tuba canens, Dei milites cœlestibus armis instructos ad congressionis prælium excitasti, et in acie prima pugnans spiritali gladio diabolum interfecisti, agmina quoque fratrum hinc et inde verbis tuis composuisti, ut insidiæ inimico undique tenderentur et cadaveris ipsius publici hostis nervis concisi cal- « carentur. » quo mense in custodiam ductus fuerit Cyprianus, a majoribus non accepimus. Sed et ipsum III. kal. septembres productum, in secretario ante proconsulem stetisse, acta proconsularia testantur. Atque hic quidem, postquam Cyprianum in conspectu habuit, « Exquisivi ergo, » inquit, « de nomine tuo : quid mihi respondes? » Huic vero Cyprianus, quem assidui labores et diuturna disciplina ad eam pugnam instruxerant; « Christianus sum, » respondit, « et episcopus : nullos alios deos novi, nisi in unum et verum Deum, qui fecit cœlum et terram, mare et quæ sunt in eis omnia. Huic Deo nos Christiani deservimus, hunc deprecamur diebus ac noctibus, pro nobis et pro omnibus hominibus, et pro incolumitate ipsorum imperatorum. » Et cum eum proconsul rogasset, num in eadem voluntate perseveraret, subjecit, « Bona voluntas, quæ Deum novit, immutari non potest. » Itaque paternus, qui hominis constantiam nosset, missis ambagibus, « poteris, ergo, » inquit, « secundum præceptum Valeriani et Gallieni exul ad urbem Curubitanam proficisci? » Cui Cyprianus, « proficiscor, » ait, Hic proconsul mandata se habere prælatus non solum de episcopis, verum etiam de presbyteris, « volo ergo, » inquit, scire ex te, qui sint Presbyteri, qui in hac civitate consistunt. Ad quæ Cyprianus, legibus vestris bene atque utiliter censuistis, delatores non esse. Itaque detegi et deferri a me non possunt. In civitatibus autem suis invenientur. » Instabat tamen proconsul, « Ego, » inquiens, hodie in hoc loco exquiro. » At Cyprianus contra « Cum disciplina, » inquit, « prohibeat, ut quis se ultro offerat, et tuæ quoque censuræ hoc displiceat; nec offere se ipsi possunt, sed a te exquisiti invenientur. » His acquievit Paternus, ac se presbyteros inventurum dixit. Sed alia quoque ab Augustis sibi mandata esse adjecit. « Præceperunt etiam, » ait, « ne in aliquibus locis concillabula fiant nec cæmetria ingrediantur. Si quis itaque hoc tam salubre præceptum non observaverit, capite plectetur. » At Cypriani responsum fuit, « Fac quod tibi preceptum est. » Atque hic finis confessionis ejus fuit; nam exinde proconsul cum in exilium deportari jussit.

III. Curubim, oppidum in Mercurii promontorio situm, pervenit Cyprianus post idus septembres, habuitque inter domesticos comites exulem voluntarium Pontium diaconum (Pont. *in vita Cypr. n.* 12), qui postea vitam ejus scripsit, cum frustra mortis socius esse concupiisset. Quæ prima Curubi nox a Cypriano exacta est, visum ei dormienti oblatum, quo certa illi spes facta martyrii fuit. Nec ille socios rem celavit, immo accurate omnia, Pontio teste, exposuit his verbis (*Idem, ibid*) : « Apparuit mihi, » inquit, « nondum somni quiete sopito, juvenis ultra modum enormis; qui cum me quasi ad prætorium duceret, vide bar mihi tribunali tum sedentis proconsulis admoveri. Is ut in me respexit, adnotare statim cœpit in tabula sententiam, quam non sciebam; nihil enim de me solita interrogatione quæsierat. Sed enim juvenis, qui a tergo ejus stabat, admodum curiosus legit quidquid fuerat adnotatum, et quia inde verbis proferre non poterat, nutu declarante monstravit quid in litteris tabulæ illius haberetur. Manu enim expansa et complanata ad spatæ modum, ictum solitæ animadversionis imitatus, quod volebat intelligi, ad instar liquidi sermonis expressit. Intellexi sententiam passionis futuram. Rogare cœpi et petere continuo, ut dilatio mihi vel unius diei prorogaretur; donec res meas legitima ordinatione disponerem. Et cum preces frequenter iterassem, rursus in tabula cœperat nescio quid adnotare. Sensi tamen de vultus serenitate judicis mentem quasi justa petitione commotam. Sed et ille juvenis, qui jamdudum de passionis indicio, gestu potius quam sermone prodiderat; clandestinio identidem mihi concessam dilationem, quæ in crastinum petebatur, contortis post invicem digitis significare properavit. Ego, quamvis non esset lecta sententia; etsi de gaudio dilationis acceptæ læto admodum corde gauderem; metu tamen interpretationis incertæ hic tremebam; ut reliquiæ formidinis cor exultans adhuc toto pavore pulsarent. » At vero eventus ostendit, diem illum, qui ei rebus ordinandis concedebatur, annum esse, quo exacto Cyprianus martyrium suum eodem die, qui fuit XVIII kal. octobres, consummavit. Res autem; quas ille ante ordinare cupiebat, ad egentium solatium et confessorum curam et Ecclesiæ summam pertinebant : quas ideo partim per epistolas, partim eorum opera, qui ad eum frequentes itabant, maximo omnium bono expedivit.

IV. Jam vero dum Curubi Cyprianus exsulabat, non Carthagine solum, sed aliis passim in urbibus episcopi, presbyteri, diaconi ad tribunalia rapiebantur, quos judices, simul atque Christianos se esse professi erant, ad metalla damnabant : quæ id temporis fodinæ marmoris erant, quale in Numidia potissimum effodi solebat, unde tot adhuc in urbe Numidicæ Columnæ sunt, quas hospes miratur (Vid. *J. Castalion. in Lamp. Grut. t.* IV, *p.* 5). Exstant vero quæ eam acerbitatem testentur, litteræ Cypriani scriptæ « Nemesiano, Felici, Lucio, alteri Felici, Licteo, Polliano, Victori, Jaderi, Dativo coepiscopis, item compresbyteris et « diaconibus et cæteris in metallo constitutis : » quorum etiam ærumnas sic describit, ut proximæ felicitatis comparatione elevare conetur. « O pedes, » inquit (*Epist.* 77), « feliciter vincti, qui non a fabro, sed a Domino resolvuntur! O pedes feliciter vincti, qui in itinere salutari ad Paradisum diriguntur! O pedes

Digitized by Google

[illegible] A [illegible] confessores scripserat. Quæ munera alias [illegible] Carthaginem [illegible] deferri, sed suppetias eam [illegible] tolerare, cum [illegible] sese recipiebat, epistola [illegible] Cyprianum missa. Epist. 78 inter Cypr. [illegible] pertinere videtur. « Atque utpi, » inquit, « cum audiremus [illegible] nostras apud Deum gratias, [illegible] nomine [illegible] ministrare, quæ [illegible] tuis laboribus pietas [illegible] curare, [illegible] nos vulneris membra curata, [illegible] pietas [illegible] quibus [illegible] sanitatis [illegible] B [illegible] ad [illegible] [illegible] [illegible]

memoravimus, « de Exhortatione Martyrii » appellatum. Nam Pontius, qui de eo meminit, aliud indicare se ostendit, cum addit (*in Vita Cypr. n.*), « quis denique tot confessores frontium notatarum secunda inscriptione signatos ; et ad exemplum martyrii superstites reservatos, incentivo tubæ cœlestis animaret ? » Certe in epistolis Cypriani, quæ exstant, stigmatici non memorantur : quæ fortasse nota confessoribus serius inusta est, postquam opere intermisso, domum quisque suam redire jussi sunt.

## ANNUS CHRISTIANUS CCLVIII.

### CYPRIANO EPISCOPO CARTHAGINIENSI.

I. Consules fuere M. Aurelius Memmius Tuscus, Pomponius Bassus : quo tempore Valerianus peragrato Illyrico Byzantium pervenerat : Romæ autem præfectura urbis fungebatur Cornelius sæcularis. Interea Cyprianus, Curubi etiamtum exulans, optatum martyrii sui diem cupide exspectabat, et Ecclesiæ simul, quantum fas erat, et omnium egentium et calamitosorum curam gerebat. Enimvero dum res Christianorum mitius se habere viderentur, Aspasio Paterno proconsuli successor datus est Galerius Maximus. Hic ut Carthaginem venit, Cyprianum Curubi revocavit, et in hortos urbi proximos, secedere jussit, quos ille quidem Christianus factus vendiderat, ut redactam pecuniam egenis distribueret, at postea ab eo, opinor, qui emerat, sic testamento relictos jam receperat. Illic tamquam in custodia libera sic manebat, ut de ecclesiæ suæ statu certior quotidie fieret, haberetque de familiaribus obsequio paratos, qui ad ejus nutum quo vellet proficiscerentur. Itaque cum scire maxime cuperet, quid Romæ ageretur, Ecclesiæque illius quæ vices essent, facile invenit, qui Romam illico navigarent, ac brevi certa referrent. Quæ idem subinde cum jam in Africa quoque clerici in primis « sub ictu agonis, » ut ipse aut constituti essent, ad successum episcopum Abbir Germanicianæ sic scripsit (*Epist.* 82) « Sciatis autem eos venisse quos ad Urbem propter hoc miseram, ut quomodocumque de nobis rescriptum fuisset, exploratam sibi veritatem ad nos perferrent. Multa enim varia et incerta opinionibus ventilantur quæ autem sunt in vero, ita se habent : Rescripsisse Valerianum ad senatum, ut episcopi et presbyteri et diacones in continenti animadvertantur. Senatores vero et egregii viri et equites romani, dignitate amissa, etiam bonis spolientur, et, si ademptis facultatibus Christiani esse perseverarint, capite quoque mulctentur : matronæ vero ademptis bonis in exilium relegentur : Cæsariani autem, quicumque vel prius confessi fuerant, vel nunc confessi fuerint, confiscentur, et vincti in Cæsarianas possessiones descripti mittantur. » Atque hæc quidem ad Urbem potissimum pertinebant, in qua sane ante alios Xystus mactatus fuerat. « Xystum autem, » inquit, « in cœmetrio animadversum sciatis octavo iduum Augustarum die, et cum eo diacones quatuor. Sed et huic persecutioni quotidie insistunt præfecti in urbe ; ut si qui sibi oblati fuerint, animadvertantur, et bona eorum fisco vindicentur. » Sed paria mandata Valerianus ad præsides provinciarum jam dederat, de quibus ad senatum eodem tempore scripserat, que tunc aut perferebantur Carthaginem, aut perlata jam erant. « Subjecit etiam, » inquit, Valerianus imperator, « orationi suæ exemplum litterarum, quas ad præsides provinciarum de nobis fecit, quas litteras quotidie speramus venire, stantes secundum fidei firmitatem ad passionis tolerantiam, et exspectantes de ope et indulgentia Domini vitæ æternæ coronam. »

II. Hæc Cyprianus ex hortis suis ad Successum scripserat, quæ ille cæteris collegis et omnibus ecclesiis transmitteret ; cum Galerius proconsul Uticam se contulit, initium illic cædis et animadversionis in Christianos facturus. Id ut rescivit Cyprianus, qui hoc habebat in votis, ut in media ecclesia sua, et iis coram, quos ipse ad martyrium instituerat, prior vitam profunderet, ægre admodum ferens, eripi sibi, ut extremum illud ecclesiæ suæ exemplum relinqueret, concilium secedendi cœpit, quamdiu proconsul Carthagine abesset, deque hoc ipso concilio, e latebris quas petierat, postremas ad ecclesiam suam litteras mittens, rationem sic reddidit (*Epist.* 83) : « Cum perlatum, » inquit, « ad nos fuisset, fratres charissimi, commentarios esse missos, qui me Uticam perducerent, et consilio charissimorum persuasum esset, ut de hortis nostris interim secederemus, justa interveniente causa consensi, eo quod congruat, episcopum in ea civitate, in qua Ecclesiæ Dominicæ præest, illic Dominum confiteri, et plebem universam præpositi præsentes confessione clarificari. Quodcumque enim sub illo confessionis momento confessor episcopus loquitur, aspirante Deo ore omnium loquitur. Cæterum mutilabitur honor ecclesiæ nostræ tam gloriosæ, si ego episcopus alterius ecclesiæ præpositus, accepta apud Uticam super confessione sententia, exinde martyr ad Dominum proficiscar : Quandoquidem ego et pro me et pro vobis apud vos confiteri et ibi pati et exinde ad Dominum proficisci, orationibus continuis deprecer, et votis omnibus exoptem et debeam. Exspectamus ergo hic in secessu abdito constituti adventum proconsulis Carthaginem redeuntis, audituri ab eo, quid imperatores super Christianorum laicorum et episcoporum nomine mandaverint, et dicturi quod ad horam Dominus dici voluerit. » Hactenus Cyprianus qui et suos hortari postremum non destitit, ut eorum memores, quæ sæpe ab ipso audierant ; quietem et tranquillitatem tenerent, caverentque ne cui periculum crearent ; neve quispiam ad tribunal Ethnicorum se ultro offerret.

III. At vero Uticæ proconsul, cum Cyprianus non inveniretur, haud diu secures otiosas esse passus est. Erant Uticæ in vinculis Christiani numero trecenti, indidem multi aut ex vicinis urbibus, multi etiam Carthaginenses ; nam eos Prudentius Cypriani discipulos appellat (Perist. *Hymn.* XIII, *v.* 88). Ex utroque sexu et ex omni ætate fuisse, legimus in veteri sermone, qui diu Augustini prætulit nomen.

Digitized by Google

Porro auctor idem et mortis genus describit : « Non senex, » inquit (*Serm.* 317, *in Append. Op. Aug.*), « annis jam vergentibus fractus, marcescente jugulo, tremulam cervicem subtraxit : non anus sexu, ætate confecta, dextram cruenti percussoris effugit : non juvenes a corona vitæ hujus dulcedo revocavit. Non expirantium membra palpitantium parvulorum cruentus percussor perhorruit : sed si qui forsitan infantum maternis uberibus inhiantes ferrum potuerunt persequentis evadere, oppressi ruina cadaverum maternos inter dulces obiere complexus. » Sed Prudentius fama se accepisse ait (*Ibid.*, *v.* 76), martyres illos, cum ara hinc posita, inde fossa calcaria fumante, aut sacrificare diis, aut se vivam in calcem mittere juberentur, alacres rapido cursu simul trecentos prosiluisse, et calce omnes assumptos, « Massam candidam » exinde esse appellatos : idque Ado etiam recepit, et in martyrologium suum transtulit (VIII *kal. sept.*). Cæterum Augustinus hunc eorum exitum ignoravit, et in sermone, quem habuit (*Serm.* 306, *c.* 2, *id. Boll.*, t. IV, *Aug.*, p. 263) « in Natali martyrum Massæ candidæ » hanc appellationis ejusmodi causam attulit : « Massa, » inquit, « dicta est de numeri multitudine, candida de causæ fulgure. » Veri autem mihi simile videtur, famam, quæ ad aures Prudentii venerat, inde ortam, quod cadavera martyrum in fossam illam calcariam conjecta essent, quo citius absumerentur. At diu mansit, apud Carthaginenses in primis, eorum memoria, quam, ut ex calendario ecclesiæ illius apparet, post idus augustas celebrabant : manet in Ecclesia Romana, quæ jam diu IX kal. septembres honorat, olim XV kal. eosdem recolebat.

IV. Uticam demum tot cædibus funestam reliquit proconsul, ac se valetudinis causa in suburbanum Carthaginis contulit, quem locum Sextum appellabant. Nec segnior Cyprianus et latebris suis in hortos rediit. « Conveniebant interim, » inquit Pontius (*in Vita Cypr.*, *n.* 14), « plures egregii et clarissimi ordinis et sanguinis, sed et sæculi nobilitate generosi, qui propter amicitiam ejus antiquam secessum subinde suaderint; et ne parum esset nuda suadela, etiam loca, in quæ secederet, offerebant. Ille vero jam mundum, suspensa ad cœlum mente, neglexerat, nec suadelis blandientibus annuebat. » Inter hæc, cum nil jam aliud, quam exoptatum vitæ finem cogitaret, et religandi tempus adesse gauderet, ut liber jam ac beatus cœlestem in patriam perveniret : « Repente, » ut in actis ejus legimus, « idibus septembris Tusco et Basso coss. venerunt ad eum principes duo, unus strator officii Galerii Maximi proconsulis, et alius equistrator a custodiis ejusdem officii : qui et in curriculum eum levaverunt, in medioque posuerunt, et in Sexti perduxerunt. » Nec tamen eo die proconsul Cyprianum coram produci voluit, sed in crastinum rejecit, qui diei illius anniversarius erat, quo Curubi per visum de martyrio suo certa significatione cognoverat. Deductus autem est ad Stratorem in proximum vicum, qui Saturni dicebatur, inter « Veneream et Salutarium, » quas celebres ejus tractus vias fuisse crediderim, et apud eum hospitatus est. Hæc ut Carthagini vulgata Christiani rescivere, eo prope omnes, in parentis publici discrimine anxii sollicitique, convolarunt : quorum in eo vico ante stratoris ædes tanta erat frequentia, ut Cyprianus puellas, quæ simul advenerant, pro foribus pernoctantes a certis viris custodiri præceperit. Postero die, quo Galerius commentariensis suos et reliquam apparitorum lictorumque turbam ad Sextum adesse jusserat, Cyprianus demum coram eo oblatus est. Sedebat proconsul pro tribunali in atrio Sauciolo, sic enim a Sontium supplicio appellabant (V. *Conc. Matis.* XI, c. 19), stabat e regione Cyprianus, in quem omnium ora conversa erant. Enimvero proconsul, conjectis in eum oculis, « Tu es, inquit, Thascius Cyprianus (*in Act. Procul.*, *n.* 3 *et* 4)? » Unde nempe eum e gente Thascia fuisse novimus. Cui Cyprianus cum respondisset, « Ego sum, » ille addidit : « Tu parem te sacrilegæ mentis hominibus præbuisti? » ad hæc rursum Cyprianus. « Ego, » inquit : At proconsul adjecit : « Jusserunt te sacratissimi imperatores cæremoniari. » Cyprianus, « contra, non facio. » Ille vero, « consule tibi, ait. » Cui Cyprianus, « fac quod tibi præceptum est, in re tam justa nulla est consultatio. » Tum proconsul, de more assessores suos in consilium adhibuit, et cum de damnatione Cypriani inter eos convenisset, mox idem, antequam sententiam ex tabella recitaret, præfectionem dixit ejusmodi, quæ quantum contumeliosa erat, tantum sanctissimi episcopi perpetuos labores et constantem virtutem extollebat. « Diu, » inquit, « sacrilega mente vixisti, et plurimos nefariæ tibi conspirationis homines aggregasti, et inimicum te diis Romanis et sacris legibus constituisti, nec te pii et sacratissimi principes Valerianus et Gallienus Augusti, et Valerianus nobilissimus Cæsar ad sectam cæremoniarum suarum revocare potuerunt. Et ideo cum sis nequissimorum criminum auctor et signifer deprehensus, eris ipse documento his, quos scelere tuo tecum aggregasti : Sanguine tuo sanctietur disciplina. » Atque hæc præfatus, decretum sic pronuntiavit : « Thascium Cyprianum gladio animadverti placet. » Ultima vero Cypriani vox fuit, « Deo gratias. »

V. Hic tota Christianorum multitudo graviter ingenuit, auditique qui dicerent : « Et nos cum ipso decollemur. » Ut autem Cyprianus foris ad palentem aream duci cœpit, magno eum tumultu omnes prosecuti sunt, ut exitum cominus spectare possent; ad latus ejus centuriones et tribuni tegebant, et militum corona stipabat (Pontius, *in vita Cypr.*, n. 18). Nondum ad martyrii locum ventum erat, et multi jam in arbores ascenderant, cætera turba circa aream astabat. Tum Cyprianus in mediam progressus (*Act. Procos.*, *n.* 5), rusam, quam gerebat, lacernam deposuit, ac flexis genibus, et capite inclinato, preces Deo tacitus fudit. Mox et dalmaticam exuit, ac diconis tradidit, ipse in linea veste speculatorem aperiens : qui ut adfuit, ad suos conversus Cyprianus

Digitized by Google

aureos illi viginti quinque dari jussit : jamque vitta sibi oculos texit, quam obligare ipse cum non posset, Julianus presbyter et Julianus hypodiaconus manu ipsi constrinxerunt, supponentibus interea aliis linteamina et sudaria, quibus martyris cruorem exciperent. Ita sacrum illud caput amputatum est, quod ecclesiæ Carthaginensis maximum decus et summum præsidium fuerat. Jacuit in publico exanime corpus ad noctem usque, ethnicis ipsis ad contemplandum undique confluentibus. Inde per noctem sublatum Christiani magna pompa in triumphi morem, cæreis et facibus prælucentibus, ad areas Macrobii Gandidiani procuratoris deduxerunt, quæ erant in via Mappaliensi juxta piscinas. In eo deinde loco insignis honori ejus ædes dicta est ; nec minus celebris alia condita ad ipsam aream, ubi martyrium consummaverat, de quibus alibi (*in episcop. Carthag.*) a nobis dictum est. « Sic demum perfectum esse, » ait Pontius (*in vita Cypr.*, n. 19), « ut Cyprianus in civitate ipsa, in qua taliter vixerat, et in qua prior fecerat multa præclara, prior etiam sacerdotii cœlestis insignia glorioso cruore decoraret. » De gloria ejus apud posteros quid me attinet dicere, cum orbem universum peragrata sit, nec plaga ulla inveniri possit, ad quam nomen Cypriani non pervenerit ? Juvat tamen ex heptametro Prudentii carmine postremos versus A ascribere, qui eam nobis gloriam perantiquam latequeque diffusam repræsentant (*Hymn.* XIII, *v.* 96, *etiam Buonarr. Osservaz. sui vetri, p.* 142) :

Flevit obire virum mœsta Africa, quo docente facta est
Cultior, eloquio cujus sibi docta gloriatur.
Mox tumulum lacrymans struxit, cineresque consecravit.
Desine flere bonum tantum : tenet ille regna cœli,
Nec minus involitat terris, nec ab hoc recedit orbe :
Disserit, eloquitur, tractat, docet, instruit, prophetat.
Nec Lybiæ populos tantum regit, exit usque in ortum
Solis et usque obitum. Gallos fovet, imbuit Britannos,
Præsidet Hesperiæ, Christum serit ultimis Iberis.
Denique doctor humi est, idem quoque martyr in supernis :
Instruit hic homines, illinc pia dona dat patronus.

Martyris sanctissimi reliquias servavit Africa ad annum DCCCVI, quo eas legati imp. Caroli Aug. in Gallias transtulerunt (Ado, *in martyr. die* 14 *sept.*, etc.).

VI. A Cypriani morte quietis parum admodum Carthagine fuit, quippe haud multo post Galerius B Maximus proconsul diem obiit supremum (*Act. Proc os., Cypr., n.* 5) ; et vice ejus procurator Cæsaris fungi cœpit) ; et *Pass. ss. Montani et Lucie, n.* 2 et 6), qui Christianis infensus omnia rursus terrore implevit, et popularis quoque tumultus auctor, inde Christianorum vexandorum causas quæsivit. Itaque de successore Cypriani designando nulla intra annum deliberatio, nullusque conventus haberi potuit. Quod et Romæ pari ratione contigit : non Xysti loco, qui martyr hoc anno decesserat, non nisi integrum fere post annum Dionysius renunciatus est.

CIRCA ANNUM DOMINI CCLVII.

# SANCTUS PONTIUS DIACO CARTHAGINIENSIS.

# PROLEGOMENA.

AUCTORE D. GOTHOFR. LUMPER.

( Hist. theolog. critic. SS. PP. t. XIII, p. 45-51. )

ARTICULUS PRIMUS.

*De sancto Pontio, auctore Vitæ sancti Cypriani.*

I. Divus Hieronymus inter auctores ecclesiasticos (1) recenset Pontium, qui sanctissimi præsulis Carthaginiensis Cypriani viri admirandi, non solum martyrii acta, sed etiam reliqua ipsius vitæ gesta, ex quo saltem Christi fidem amplexus est, litteris consignavit, cujus diaconus fuerat. Hieronymo concinit Honorius Angustodunensis (2). Nonnulli viri docti, et inter alios Rigaltius videntur dubitasse, num hoc opus esset suppositititium : et certe fatendum est, inquit Dupinius (3), tanta cum eloquentiæ affectatione scriptum esse, ut in falsitatis suspicionem venire posset, nisi illud Hieronymus pro genuino agnovisC set. Sed post hujus docti Patris testimonium de eo non videtur posse dubitari.

II. Gente, ut videtur, Afer, diaconus Cypriani in ecclesia Africana, ejusque in omnibus vitæ certaminibus comes fuit. Amplius quidquam de eo non constat, quamquam acta Pontii, a Valerio, ut aiunt, ejus contubernali Cypriani itidem diacono consignata habentur apud Baluzium (1). Nomen ejus Martyrologio Romano est adscriptum die VIII martii (2), et ex illis actis profecisse Trithemium, Pontii gesta enarrantem, Fabricius ad Hieronymum (3) monuit. Quamdiu post S. Cypriani martyrium superstes fuerit Pontius, nusquam legimus, inquiunt Bollandistæ (4), nec

(1) *Pontius diaconus Cypriani, usque ad diem passionis ejus, cum ipso exilium sustinens egregium volumen vitæ et passionis Cypriani reliquit.* Hieron. *in Cat. de Vir. illustr.*, cap. 68.

(2) Honorius *de Luminar. eccles.*, lib. I, cap. 69.

(3) Dupin., *Biblioth. Auct.* pag. 278, edit. Lat. Colon.

(1) Baluz., *tom.* II *Miscellan.*, pag. 124, anno 1679.

(2) Conf. *Acta SS.* Bolland. ad diem VIII martii, tom. I, pag. 750 et seqq.

(3) Fabricius, *Biblioth. eccles.*, pag. 155 ait ex illis Actis hausit Trithemius, quando scripsit, Pontium reliqua sua prædicatione et industria duos Philippos imperatores ad Christum convertisse.

(4) Bollandistæ, loc. cit. pag. 751.

Digitized by Google

quo mortis genere fuerit vitam. Nemo enarrando- tum martyrio, quod meminerimus, tradit. Nam ridiculum est, pergunt iidem, quod Jacobus Philippus Bergomensis in *supplemento Chronicorum* libro VIII, ad annum 230, in hunc modum scribit : « Pontius autem ipsius Cypriani presbyter, vir sufficienter eruditus, et in divinis declamationibus egregie doctus, tempestate hac post Cypriani mortem in Gallias veniens, apud Cymellam urbem martyrii palmam adeptus est. Ipse enim sua prædicatione et industria duos Philippos imperatores ad Christum converterat, et inter cætera, ut præmissum est, egregium volumen de vita et passione magistri et patris sui Cypriani post se reliquit. Et cum sanctus habitus sit, ejus festum II Idus maii celebratur (1). » Qua narratione confunditur hic Pontius diaconus cum altero Pontio martyre, cujus agitur XIV maii memoria; quod post Aubertum Miræum (2) annotarunt Ruinartius (3) et Ceillierius (4).

ARTICULUS II.

*Pontii diaconi Scripta.*

III. Exstat hujus Pontii de Vita et Passione S. Cypriani narratio, quæ eo fidelior et certior, ut verbis Ruinartii utar (5) habenda, quod ei, ut plurimum interfuerat, et quæ coram positus viderat, et audierat, ab eo referantur. Sic enim ipse, Cypriani comes individuus, narrationem suam claudit (6) : « Inter gaudium passionis et remanendi dolorem, in partes divisus animus, et angustum nimis pectus affectus duplices onerant. Multum ac nimis multum de ejus gloria exulto : plus tamen doleo, quod remansi. » Ut proinde Pontii libellus, quem « cultissimum volumen » appellat Scaliger (7) vel eo saltem nomine plurimi ducendus videatur, quod ejus auctor testis αὐτόπτης fuerit, licet in rebus enarrandis stylo fortasse comptiori usus, quam ut historicum deceat.

IV. Atque ita quidem jure censuerunt de sancti hujus diaconi opusculo viri doctissimi, Baronius inprimis, sic inquiens (8) : « Eadem acta a nobis superius sæpe citata, ac pariter recitata, æque fulciuntur testimonio Augustini eadem in sua tractatione in natali die S. Cypriani attextentis, quæ itidem recensuit Pontius diaconus. Sed etsi nulla ab aliis suppeterent testimonia, ipsa sibi certam atque sinceram in omnibus suo candore fidem vindicant. » Hæc maximus annalium Ecclesiæ parens. Neque aliter Bollandiani (1). At Rigaltius levi admodum fundamento non solum subdubitare de Pontianæ historiæ fide, sed eam etiam elevare visus est. Scribit enim (2) Pontium rhetoricæ dictionis gratiam magis, quam narrationis historicæ diligentiam fuisse consectatum : præterea ipsum de gestis sanctissimi viri, quæ sunt ejus epistolis comprehensa, nihil attigisse : atque illud præcipue queritur, ab eo fuisse omissum, quod de se ipso scribit S. Cyprianus (3); nimirum sanctum martyrem, cum rescisset se a frumentariis requiri, tantisper latuisse. Quin eo processit vir criticus, ut istiusmodi judicium proferre non dubitarit (4) : « Hanc, » inquit, « de Cypriani martyrio narrationem : ut est brevissima, sic etiam esse antiquissimam arbitramur. Plurima Pontius pio erga suum episcopum affectu, rhetorica libertate ingeniose commentus est. Multa etiam alii pro captu quisque suo adjecerunt aliena sæculo, aliena personis, quædam etiam detraxerunt valde bona; *at jam* pauca supersint, quæ præstare possimus sincera (5). » Hæc ille, verbis utor Labbei (6) præpostero novitatis studio in detrimentum catholicæ veritatis : quæ falsissima arbitror, et sancti Hieronymi, qui « egregium volumen, » quale modo omnes Catholici eruditione præstantes agnoscunt, *de Vita et Passione Cypriani* ab eo relictum testatus est, auctoritati certissimæ, atque omnium bonorum de Pontii sanctitate ac fide opinioni implacabiliter pugnantia. Est enim sincerissimum illud opusculum, ac primæ inter antiqua veterum martyrum acta, sive vitas atque elogia dignationis. Quod si hæc vita cuipiam cordato in suspicionem veniat, suspecta pariter *erunt* et alia acta quævis et ipse sancti Augustini sermo *de Cypriano* venerandæ antiquitatis eximium χειμήλιον. Hactenus vir doctus. Quæ latius videas apud Bollandianos (7) diducta.

ARTICULUS III.

*De Actis Pontianæ historiæ subjectis, et quid curæ in utrisque edendis adhibitum fuerit a viris doctis.*

Jam vero de Actis illis, quæ pontii opusculo passim adtexuntur, accipe Cl. Ruinartii judicium, inquit Gallandius (8) cujus editionem typis excudendam curavimus (9). « Acta passionis S. Cypriani,

(1) Eodem modo loquitur Trithemius de S. Pontio in *Catalogo*, cap. 42.

(2) Eatque alius a S. Pontio martyre Gallicano, in idem martyrologium relato XIV maii, apud Fabric. *Biblioth. eccles.*, lib. VI.

(3) Cave tamen, ne hunc cum Pontio martyre confundas, qui Philippos imperatores ad fidem Christi adduxisse dicitur, de quo plura apud Bollandianos ad diem XIV maii. Ruinart, not. 62, in *Act. Martyr. Sinc. et Select.*, pag. 188, edit. Veronens.

(4) Ceillier, *Hist. gener. des Auteurs*, tom. III, chap. I, art. 7, pag. 223.

(5) Ruinart, *Act. Martyr.*, p. III. 171.

(6) Pont., *de Vit. et Pass. S. Cyprian.*, § 19.

(7) Scalig., *Animadv. in Chronic. Euseb.*, p. 238.

(8) Baron., *ad ann.* 261, § 39.

(1) Bolland., *Act. SS. MM.*, tom. I, Mart. p. 758, num. 4.

(2) Rigalt., *ad Cyprian. Ep.* LXXXIII, et in edit. Ox. LXXXI.

(3) Cyprian., *Ep.* LXXXIII, ed. Ox. LXXXI.

(4) Rigalt. post præfat. *in not. ad Acta Martyr.*, quæ incipiunt : *Cum S. Martyr. Cyprianus*, etc.

(5) Interpolata eadem mala librariorum admodum receatis ævi sedulitate etiam censuit, sed nullo prolato solido argumento Ernst. Salo. Cyprianus ad Hieronymum docuit.

(6) Labb., *Dissert. hist. de Script. eccl.*, tom. II, p. 252.

(7) Bolland., loc. cit.

(8) Galland. *vet. Patr. Biblioth.* tom. III, in Prolegom. cap. 10, pag. 38.

(9) Ruinart. *Act. Martyr. Sinc.* pag. 171, et seq. § 1.

Digitized by Google

prout ea nunc habemus, duplicem ipsius coram proconsule confessionem continent, ex ipsis Actis publicis excerpta, quæ a S. Augustino visa lectaque fuisse constat ex ejus Sermone 309 novissimæ editionis, cum is fere totus ex horum Actorum verbis contextus sit. Quanti vero ejusmodi Acta a fidelibus facta fuerint, illud argumento est, quod, Cypriano etiam superstite, jam primæ ejus confessionis Acta in omnium manibus haberentur. Id, præter Pontium, Nemesianus, aliique martyres in metallo constituti, asserunt in epistola, quæ est inter Cyprianicas novæ editionis LXXVII, Pamelii LXVIII, *Quasi bonus*, inquiunt, *et verus doctor, quid nos discipuli secuti apud præsidem dicere debemus, prior apud Acta proconsulis pronuntiasti, et tuba canens Dei milites cœlestibus armis instructos ad congressionis prælium excitasti.* Hæc porro Actis iis adjunctis, quæ in extrema confessione, et ipsa morte contigerant, in unum fasciculum a fidelibus redacta; simul cum Pontii libello de Cypriani Vita ad nos usque pervenerunt; eaque omnia ipsius sancti Cypriani operibus præfixa sunt in editione Oxoniensi (1).

« Utraque autem ad nonnullos codd. mss. rursus exacta hic denuo exhibemus; vitam quidem ad duos optimæ notæ, et antiquitatis venerandæ codd. collatam, quorum unus sancti Petri Fossatensis annos 800 superat, alter vero ex Floriacensis monasterii celebri olim Bibliotheca annos 600, videtur præferre : Acta vero proconsularia in plurimis quidem codicibus etiam antiquissimis reperta, sed in paucis pura et omnino sincera; quorum varietates si qua observatione digna occurrent in notis apponemus. » Hactenus Vir. Cl. Ruinartius.

(1) Et in editione quoque Parisiana Maurinorum *Vita et Acta consularia* præmissa sunt ejusdem operibus a pag. 129 ad 148, in ed. Veneta 1748.

# DE VITA ET PASSIONE
# SANCTI CÆCILII CYPRIANI
## EPISCOPI CARTHAGINENSIS ET MARTYRIS,
## PER PONTIUM DIACONUM.

### CAPUT PRIMUM.

*Auctor rationes scribendi exponit. Acta Martyrum olim diligenter litteris fuisse consignata perhibet.*

Cyprianus, religiosus antistes ac testis Dei gloriosus, tametsi multa conscripsit, per quæ memoria digni nominis supervivat; etsi eloquentiæ ejus ac Dei gratiæ larga fecunditas ita se copia et ubertate sermonis extendit, ut usque in finem mundi fortasse non taceat : tamen, quia operibus ejus ac meritis etiam hæc prærogativa debetur [a], ut exemplum suum in litteras digeratur, placuit summatim pauca conscribere: non quod aliquem [b] vel gentilium laudet tanti viri vita, sed ut ad posteros quoque nostros incomparabile et grande documentum in immortalem memoriam porrigatur. Certe durum erat, ut, cum majores nostri plebeiis et catechumenis, martyrium consecutis tantum honoris, pro martyrii ipsius veneratione, dederint [c], ut de passionibus eorum multa, aut, prope dixerim, pene cuncta conscripserint, ut ad nostram quoque notitiam qui nondum nati fuimus pervenirent, Cypriani tanti sacerdotis et tanti martyris passio præteriretur, qui et sine martyrio habuit quæ doceret, et [d] quæ dum vixit gesserit, non paterent. Quæ quidem tanta atque tam magna et mira sunt, ut magnitudinis contempla-

LECTIONES VARIANTES.

[a] Et ad exemplum sui litteris dirigatur *Bod. 1. Sur. Imp.* Dirigatur *deest in Manut. cod. Foss.*
[b] Vel *ex cod. Foss. Flor.*
[c] Veneratione debuerint *Bod. 1. Manut.*
[d] Et quæ dum vixit, gesserit. *Hæc desunt in Foss. Mun.*

VARIORUM NOTÆ.

Cap. I. — Voculam *vel* ex codd. Fossat. et Floriac. restituimus, quæ videtur ad emphasim necessaria. Ruinart.

*Majores nostri.* Post Evangelium et Apostolorum Acta, succedebant Christianorum qui deinceps sequebantur passiones breviter enarratæ. Hujus generis vetusta illa acta Polycarpi martyris, quorum partem dedit Euseb. l. IV, totum vero exhibuit noster Armachanus : sic illa Perpetuæ et Felicitatis, de quibus Tertullianus mentionem facit : necnon alia multa, quæ interpolata fidem quam alias meruissent perdidere. In Deciana persecutione hoc munus Acta Carthaginensium martyrum describendi, Tertullo concreditum fuit. Fell.

*Non paterent.* Per modestiam Cypriani, notitia hominum substracta. Sed hæc in Manutii editione desiderantur. Fell.

*Cuncta conscripserint.* Videtur designare Acta



Digitized by Google

tione deterreat, ac imparem me esse confitear ad proferendum digne pro meritorum honore sermonem, nec posse sic prosequi facta tam grandia, ut quanta sunt, tanta videantur: nisi quod numerositas gloriarum [a] sibimet ipsa sufficiens, alieno præconio non eget. Accedit ad cumulum, quod et vos de eo multum, aut, si fieri potest, totum desideratis audire, concupiscentes ardore flagranti vel facta ejus cognoscere, etsi interim viva verba tacuerunt. In qua parte si dixero nos opibus facundiæ [b] defici, minus dico. Facundia enim ipsa deficit [c] digna facultate, quæ desiderium vestrum pleno spiritu satiet. Ita utrimque [d] graviter urgemur: siquidem ille nos virtutibus suis onerat, vos nos precibus [e] fatigatis.

## CAPUT II.

*Quæ a Cypriano post baptismum facta sunt, enarrat. Continentia necessaria. Aliæ Cypriani virtutes.*

Unde igitur incipiam? unde et exordium bonorum ejus aggrediar, nisi a principio fidei, et nativitate cœlesti? Siquidem hominis Dei facta non debent aliunde numerari, nisi ex quo Deo natus est. Fuerint licet studia, et bonæ artes devotum pectus imbuerint, tamen illa prætereo. Nondum enim ad utilitatem nisi sæculi [f] pertinebant. Postquam et sacras Litteras didicit, et mundi nube discussa, in lucem sapientiæ spiritalis emersit, si quibus ejus interfui, si qua de antiquioribus [g] ejus operibus comperi, dicam: hanc tamen petens veniam, ut quidquid minus dixero (minus enim dicam necesse est), ignorantiæ meæ potius quam illius gloriæ derogetur. Inter fidei suæ prima rudimenta nihil aliud credidit Deo dignum, quam si continentiam tueretur. Tunc enim posse idoneum fieri pectus et sensum ad plenam veri capacitatem pervenire [h], si concupiscentiam carnis robusto atque integro sanctimoniæ vigore [i] calcaret. Quis umquam tanti miraculi meminit? Nondum secunda nativitas novum hominem splendore toto divinæ lucis oculaverat [j], et jam veteres ac pristinas tenebras sola lucis paratura vincebat. Deinde, quod majus est, cum de lectione divina quædam jam non pro conditione novitatis, sed pro fidei festinatione didicisset, statim rapuit quod invenit promerendo Deo profuturum. Distractis rebus suis ad indigentiam pauperum sustentandam [k], tota prædia pretio [l] dispensans, duo bona simul junxit, ut et ambitionem sæculi sperneret, qua perniciosius nihil est, et misericordiam quam Deus etiam sacrificiis suis prætulit, quam nec ille (*Matth.* XIX, 20) qui legis omnia mandata servasse se dixerat, fecit, impleret; et præpropera velocitate pietatis, pene ante cœpit perfectus esse quam disceret. Quis, oro, de veteribus hoc fecit? quis de antiquissimis in fide senibus, quorum mentes et aures per plurimos annos divina verba pulsaverant, tale aliquid impendit, quale adhuc rudis fidei homo, et cui nondum forsitan crederetur, supergressus vetustatis ætatem, gloriosis et admirandis operibus perpetravit? Nemo metit statim ut sevit: nemo vindemiam de novellis serobibus expressit: nemo adhuc umquam de noviter plantatis arbusculis matura poma quæsivit. In illo omnia incredibilia [m] cucurrerunt. Prævenit, si potest dici (res enim fidem non capit), prævenit, inquam, tritura sementem [n], vindemia palmitem, poma radicem [o].

## CAPUT III.

*Ad sacros ordines cito promovetur. Sanctos sibi imitandos jugiter proponit*

Aiunt Apostoli litteræ (I *Tim.* III, 6), debere neophytos præteriri, ne stupore gentilitatis nondum fundatis sensibus adhærente, aliquid in Deum novitas inerudita peccaret. Ille fuit primus et, puto, solus exemplo, plus fide posse quam tempore promoveri. Sed et si in Apostolorum Actis (*Act.*, VIII, 37) eunuchus ille describitur, quia toto corde crediderat, a Philippo statim tinctus, non est similis comparatio. Ille enim et Judæus erat, et de templo Domini veniens prophetam legebat Isaiam, et sperabat in Christo, etsi nondum eum venisse crediderat: hic de imperitis gentibus veniens, tam matura cœpit fide, quanta pauci forsitan perfecerunt. Mora denique circa Dei gratiam nulla, nulla dilatio. Parum dixi: presbyterium et [p] sacerdotium statim accepit [q]. Quis enim non omnes honorum gradus crederet tali mente credenti? Multa sunt quæ adhuc plebeius, multa quæ jam presbyter fecit,

### LECTIONES VARIANTES.

[a] Numerositas gloriosa *Bod.* 1. *Foss. Flor.*
[b] Viribus facundiæ *Bod.* 1.
[c] Deficitur *Flor.*
[d] In utrumque *Manut.*
[e] Nos auribus *Manut. Foss.*
[f] Vitæ sed sæculi *Bod.* 1.
[g] Si qua de antiquioribus comperi *Foss. Flor. Sur. et quidem rectius.*
[h] Capacitatem, si *Foss. Manut.*
[i] Sanctimoniæ tenore *Bod.* 1. *Foss. Flor.*
[j] Luci induerat *Bod.* 1.
[k] Indigentiam multorum pauperum sustinendam *Bod.* 1.
[l] Tota pretia *Manut.* Pretio *dess. in Foss. Flor.*
[m] Incredibiliter *Flor.*
[n] Messis sementem *Rom.*
[o] Ramus radicem *Bod.* 1.
[p] Vel sacerdotium *Foss. Flor.*
[q] Statim emersit *Bod.* 1.

### VARIORUM NOTÆ.

SS. Perpetuæ, etc. quæ supra edidimus (t. III nostræ Biblioth., p. 14). Cæterum *multa quidem aut pene cuncta* de istis Martyribus *scripta* fuisse dicit Pontius. Sed is locus non ita interpretandus est, quasi omnium omnino Martyrum Acta tempore Pontii conscripta fuissent: quem tamen locum sic intellexit Henricus Dodwellus Dissert. Cyprian. XI, num. 3. RUINART.

CAP. II. — *Crederetur.* Vix quippe sibi persuadere poterant tam ethnici quam ipsi fideles, Cyprianum christianam religionem amplexum fuisse. RUINART.

Digitized by Google

multa quæ ad veterum exempla justorum, imitatione consimili prosecutus, promerendo Dominum totius religionis obsequio præstitit. Nam et sermo illi de hoc fuerat usitatus, ut si quem prædicatum Dei laudatione legisset, suaderet inquiri propter quæ facta Deo placuisset. Si Job (*Job.* 1) Dei testimonio gloriosus, dictus est verus Dei cultor, et cui in terris nemo compararetur, faciendum docebat ille, quidquid Job ante fecisset : ut dum et nos paria facimus, simile in nos Dei testimonium provocemus. Contemptis ille dispendiis rei familiaris, in tantum exercitata virtute profecit, ut nec pietatis temporalia damna sentiret. Non illum penuria, non dolor fregit, non uxoris suadela deflexit, non proprii corporis dira pœna concussit. Permansit in suis sedibus fixa virtus, et altis radicibus fundata devotio nullo diaboli tentantis impetu cessit : quominus [a] Deum suum fide grata, etiam inter adversa benediceret. Domus ejus patuit cuicumque venienti. Nulla vidua reversa est sinu vacuo; nullus indigens lumine, non illo comite directus est : nullus debilis gressu, non illo bajulo vectus est : nullus nudus auxilio de potentioris manu, non illo tutore protectus est. Hæc debent facere, dicebat, qui Deo placere desiderant. Et sic per bonorum omnium documenta decurrens, dum meliores semper imitatur, etiam ipse se fecit imitandum.

## CAPUT IV.

*Cyprianus a Cæcilio ad fidem adductus.*

Erat sane illi etiam de nobis contubernium viri justi et laudabilis memoriæ Cæcilii [b], et ætate tunc et honore presbyteri, qui eum ad agnitionem veræ divinitatis a sæculari errore correxerat. Hunc toto honore atque omni observantia diligebat, obsequenti veneratione suspiciens, non jam ut amicum animæ coæqualem, sed tamquam novæ vitæ parentem [c]. Denique ille demulsus ejus obsequiis, in tantum dilectionis immensæ [d] merito provocatus est, ut de sæculo excedens, arcessitione jam proxima commendaret illi conjugem ac liberos suos, ut quem fecerat de sectæ communione participem, postmodum faceret pietatis hæredem.

## CAPUT V.

*Adhuc neophytus, episcopatum assumere compulsus.*

Longum est ire per singula : cuncta [e] ejus facta onerosum est enumerare. Ad probationem bonorum operum, solum hoc arbitror satis esse, quod judicio Dei et plebis favore, ad officium sacerdotii et episcopatus gradum adhuc neophytus, et ut putabatur, novellus electus est. Quamvis in primis fidei suæ adhuc diebus, et rudi vitæ spiritalis ætate, sic generosa indoles reluceret; ut etsi nondum officii, spei tamen fulgore resplendens, imminentis sacerdotii totam fiduciam polliceretur. Non præteribo etiam illud eximium, quemadmodum, cum in dilectionem ejus et honorem totus populus [f] aspirante Domino prosiliret, humiliter ille secessit, antiquioribus cedens, et indignum se titulo tanti honoris existimans, ut dignus magis fieret. Magis enim dignus efficitur, qui quod meretur excusat. Quo tunc [g] ardore plebs æstuans fluctuabat, spiritali desiderio concupiscens, ut exitus docuit, non tantum episcopum; in eo enim quem tunc latenti [h] divinitatis præsagio taliter flagitabat [i] non solummodo sacerdotem, sed et futurum etiam martyrem requirebat. Obsederat fores domus copiosa fraternitas, et per omnes aditus sollicita charitas circuibat. Potuisse fortasse tunc illi apostolicum illud evenire, (II *Cor.*, XI), quod voluit, ut per fenestram deponeretur, si [j] cum Apostolo etiam ordinationis honore similaretur [k]. Erat videre cæteros omnes suspenso et [l] anxio spiritu exspectare venturum, cum gaudio nimio excipere venientem. Invitus dico; sed dicam necesse est. Quidam illi restiterunt etiam ut vinceret : quibus tamen quanta lenitate [m], quam patienter, quam

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Quoniam *Edit.*
[b] Cæciliani *Foss. Flor.*
[c] Sectabatur *Bod.* 1.
[d] Meritis *Bod.* 1.
[e] Sancta *Oxon.*
[f] Inspirante *Bod.* 1.
[g] Quantum *Bod.* 1.
[h] Latentem *Foss. Flor.*
[i] Flagitabat, futurum *Imp.*
[j] Si tamen cum *Flor.*
[k] Similaret *Edit. Flor.*
[l] Suspensos anxio *Oxon.*
[m] Lenitate suspensos *Manut.*

## VARIORUM NOTÆ.

Cap. III. — *Uxoris suadela.* Ex hoc loco deduxerat editor Anglus, Cyprianum uxorem habuisse : sed re attentius perspecta, advertit heic Pontium de Jobo, non de Cypriano loqui, ut ipse lectorem monet in emendandis. In eumdem scopulum impegerat R. P. Ant. Pagi ad ann. 248, quod erratum vir haud minus sincerus quam eruditus in altera editione pariter correxit. Ruinart.

Cap. IV.—*Cæcilii.* Codd. Fossat. et Floriac. *Cæciliani.* Ab eo, ut testatur Hieronymus in Catalogo, sanctus Cyprianus Cæcilii nomen accepit. Ejus festum in Martyrol. Romano die III Junii recolitur. Ruinart.

*Commendaret illi conjugem.* Antequam scilicet sacerdotio initiaretur : nisi si hæc tutela, amica tantum commendatio est. Nam alias vetitum erat ne clericis tutela commendaretur ut ex ipso Cypriano certum est, qui in epistola I novæ editionis, Pamel. 66, vetat ne pro Victore qui Geminium Faustinum presbyterum moriens tutorem constituerat, *fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in ecclesia frequentetur.* Id enim, inquit, *ab antecessoribus episcopis* constitutum fuerat, *ut si quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur.* Porro mirum est Baronium, ad an. 250, hunc locum sic intellexisse, quasi Cyprianus moriens Cæcilio conjugem ac liberos commendarit : cum e contrario id fecerit Cæcilius. Vide Pagium loco quem modo laudabamus. Ruinart.

Cap. V. — Felicissimus scilicet, schismatis antesignanus cum aliis, quos Caldonius et alii Cypriani absentis *vicarii* excommunicarunt : epist. 42, Pamel. 39. Vide et epist. 41, Pamel. 38. Ruinart.

Digitized by Google

benevolenter indulsit, quam clementer ignovit, amicissimos eos postmodum et inter necessarios computans, mirantibus multis. Cui enim posset non esse miraculo tam memoriosæ mentis oblivio?

## CAPUT VI.

*Episcopalibus virtutibus emicat.*

Exinde, quemadmodum se gesserit, quis referre sufficiat? quæ illi [a] pietas? qui vigor? misericordia quanta? quanta censura [b]? Tantum sanctitatis et gratiæ ex ore ejus lucebat, ut confunderet [c] intuentium mentes. Gravis vultus et lætus; nec severitas tristis, nec comitas nimia [d]; sed admixta utrimque temperies: ut esset ambigere, vereri plus an diligi mereretur; nisi quod et vereri et diligi merebatur. Sed nec cultus fuit dispar a vultu, temperatus et ipse de medio. Non illum superbia sæcularis inflaverat, nec tamen prorsus affectata penuria sordiderat: quia et hoc vestitus genus a jactantia minus non est, quam [e] ostentata taliter ambitiosa frugalitas. Quid autem [f] circa pauperes episcopus faceret, quos catechumenus diligebat? Viderint pietatis antistites, seu quos ad officium boni operis instruxit ipsius ordinis disciplina, seu quos sacramenti religio communis ad obsequium exhibendæ dilectionis arctavit. Cyprianum de suo talem accepit cathedra, non fecit.

## CAPUT VII.

*Proscriptus et ad leonem postulatur, prudenter secedit.*

Statim denique pro talibus meritis etiam proscriptionis gloriam consecutus est. Nec enim aliud oportebat, quam ut eum qui intra secretam conscientiæ latebram religionis et fidei toto honore florebat, etiam publice celebrata gentilium fama titularet. Potuisset quidem tunc pro velocitate qua semper omnia consecutus est, etiam martyrii circa eum debita corona properare; maxime cum et suffragiis sæpe repetitis ad leonem postularetur: nisi per omnes ordines gloriarum transeundum illi esset, et sic ad summa veniendum: et nisi imminens [g] ruina ope tam fœcundi pectoris indigeret [h]. Finge enim, tunc illum martyrii dignatione translatum. Quis emolumentum gratiæ per fidem proficientis ostenderet? Quis virgines ad congruentem pudicitiæ disciplinam et habitum sanctimonia dignum, velut frenis quibusdam lectionis [i] Dominicæ coerceret? Quis doceret pœnitentiam lapsos, veritatem hæreticos, schismaticos unitatem, filios Dei pacem et evangelicæ precis [j] legem? Per quem gentiles blasphemi [k] repercussis in se iis quæ nobis ingerunt, vincerentur? A quo Christiani mollioris [l] affectus circa amissionem suorum, aut quod magis est [m], fidei parvioris consolarentur spe futurorum? Unde sic misericordiam, unde patientiam disceremus? Quis livorem de venenata invidiæ malignitate venientem, dulcedine remedii [n] salutaris inhiberet? Quis maryres tantos exhortatione divini sermonis erigeret? Quis denique tot confessores, frontium notatarum secunda inscriptione signatos, et ad exemplum martyrii superstites reservatos, incentivo tubæ cœlestis animaret? Bene, bene tunc et vere spiritaliter contigit [o], *quod* vir necessarius tam multis et tam bonis rebus, a martyrii consummatione dilatus est. Vultis scire secessum illum non fuisse formidinem? ut nihil aliud excusem, ipse postmodum passus est, quam passionem utique ex more vitaret, si et ante vitasset. Fuit vere [p] formido illa, sed justa: formido quæ Dominum timeret offendere: formido quæ præceptis Dei mallet obsequi, quam sic coronari. Dicata enim in omnibus Deo mens, et sic [q] divinis admonitionibus mancipata, credidit se nisi [r] Domino latebram tunc jubenti [s] paruisset, etiam ipsa passione peccare.

## CAPUT VIII.

*Idque accidit ex divinæ Providentiæ consilio.*

Puto denique etiam nunc aliqua de dilationis utilitate disserenda [t], tametsi jamdudum pauca perstrinximus. Per [u] hæc enim quæ videntur postmodum subsecuta, sequitur ut probemus secessum illum non hominis pusillanimitate conceptum, sed, sicuti est, vere fuisse divinum. Vastaverat Dei populum persecutionis infestæ insolens atque acerba grassatio: et quia omnes decipere una fraude non poterat artifex hostis, quacumque miles incautos

### LECTIONES VARIANTES.

[a] Quæ illa *Bod.* 1.
[b] Censura quam sobriæ *Bod.* 1.
[c] Ut advocaret *Bod.* 1.
[d] Nec lætitia nimia *Bod.* 1.
[e] Quod ostendit aliter ambitiosa frugalitas *Foss.* Fragilitas *Flor.*
[f] Quid faciat *Bod.* 1.
[g] Imminentes ruinæ *Bod.* 1. *Foss.*
[h] Pectoris indigerent *Bod.* 1.
[i] Dilectionis dominicæ *Foss.*
[j] Evangelicæ pacis *Bod.* 1.
[k] Blasphemare soliti *Bod.* 1.
[l] Melioris *Bod.* 1.
[m] Magis est, mortem ipsam pro fide passuri *Bod.* 1.
[n] Dulcedine spiritalis *Bod.* 1. Salutem *Bod.* 1.
[o] Vere Dei providentia *Bod.* 1.
[p] Vero *Oxon.*
[q] Fides *Oxon.*
[r] Ne, si *Bod.* 1. *Morel.*
[s] Latebram hunc suggerenti non *Bod.* 1. *Morel.*
[t] Dicenda tametsi *Bod.* 1. *Foss. Morel.*
[u] Dum enim quæ videntur, postmodum subsecuta sentiamus, sequitur ut probemus secessum *Foss. Flor.*

### VARIORUM NOTÆ.

Cap. VI. — *Catechumenus diligebat.* Statim post fidem susceptam res suas ad pauperum indigentiam sublevandam distraxisse notavit Pontius, supra num. II. Ruinart.

Cap. VII. — *Ad leonem postularetur.* Id ipsum testatur Cyprianus epist. edit. Pamelii 55, Anglic. vero 59, *ad Cornelium Papam.* Proscriptionis vero meminit epist. 66, alias 69, *ad Pupianum.* Ruinart.

*Lectionis dominicæ.* Cod. Fossat. *dilectionis.* Hæc libros a Cypriano scriptos designat Pontius. Secessus sui apologiam ipsemet scripsit ad Romanos ep. 20, alias 15. Ruinart.

Digitized by Google

prodiderat latus nudum, dispari genere sæviendi, singulos diversa strage dejecerat. Debebat esse qui posset saucios homines, et varia expugnantis inimici arte jaculatos, adhibita medicinæ cœlestis [a] medela pro qualitate vulneris, vel secare interim, vel fovere. Servatus est vir ingenii, præter cætera, etiam spiritaliter temperati; qui inter resultantes collidentium schismatum fluctus, Ecclesiæ iter medium [b], librato limite gubernaret. Nonne hæc, oro, consilia divina sunt? Hoc fieri sine Deo potuit? Viderint qui putant posse fortuito ista contingere. Ecclesia illis [c] clara voce respondet, dicens: Ego sine Dei nutu necessarios reservari non admitto, non credo.

## CAPUT IX.

*Grassante dira peste, plebem suam ad succurrendum ea infectis, etiam ethnicis, efficaci oratione adducit.*

Percurramus tamen cætera, si videtur. Erupit postmodum lues dira; et detestabilis morbi vastitas nimia, innumeros per diem populos a sua quemque sede abrupto impetu rapiens, continuatas per ordinem domos vulgi trementis invasit. Horrere omnes, fugere [d], vitare contagium, exponere suos impie: quasi cum illo peste morituro [e], etiam mortem ipsam aliquis posset excludere. Jacebant interim in tota civitate, non jam corpora, sed cadavera plurimorum, et misericordiam in se transeuntium contemplatione sortis mutuæ flagitabant. Nemo respexit aliud [f] præterquam lucra crudelia. Nemo similis eventus recordatione trepidavit: nemo fecit alteri, quo pati [g] voluit. Quid inter hæc egerit Christi et Dei Pontifex [h], qui pontifices mundi hujus tanto plus pietate, quanto religionis veritate præcesserat, scelus est præterire. Aggregatam primo in loco uno plebem de misericordiæ bonis instituit [i], docens divinæ lectionis exemplis, quantum ad promerendum Deum prosint officia pietatis [j]. Tunc deinde subjungit non esse mirabile, si nostros tantum debito charitatis obsequio foveremus: eum perfectum [k] posse fieri qui plus [l] aliquid publicano vel ethnico fecerit: qui malum (*Rom.* XII, 21) bono vincens, et divinæ clementiæ instar exercens, inimicos quoque dilexerit: qui pro persequentium se salute, sicuti Dominus monet et hortatur, orarit. Oriri (*Matth.* V, 45) Deus facit jugiter solem suum, et pluvias subinde nutriendis seminibus impertit; exhibens cuncta ista, non suis tantum, sed etiam alienis: et qui se Dei etiam filium esse profitetur, cur non exemplum patris [m] imitatur [n]? Respondere, inquit, nos decet natalibus nostris, et quos renatos per Deum constat, degeneres esse non congruit; sed probari potius in sobole [o] traducem boni patris æmulatione bonitatis.

## CAPUT X.

*De eodem argumento.*

Multa alia [p], et quidem magna prætereo, quæ temperandi voluminis ratio non patitur prolixiore sermone replicari [q]: de quibus hoc tantum dixisse satis est. Quod si illa gentiles pro rostris audire potuissent, forsitan statim crederent. Quid Christiana plebs faceret, cui de fide nomen est? Distributa sunt ergo continuo pro qualitate hominum atque ordinum ministeria. Multi qui angustia paupertatis beneficia sumptus exhibere non poterant, plus sumptibus exhibebant, compensantes proprio labore mercedem divitiis omnibus cariorem. Et quis non sub tanto doctore properaret inveniri in parte aliqua talis militiæ, per quam placeret et Deo Patri, et judici Christo, et tam bono interim sacerdoti? Fiebat itaque exuberantium operum largitate, quod (*Gal.* VI, 10) bonum est apud omnes, non ad solos domesticos fidei. Fiebat plus aliquid quam de Tobiæ incomparabili pietate signatum est. Ignoscat ille, et ignoscat iterum, et frequenter ignoscat; aut, ut verius dixerim, merito concedat, tametsi ante Christum plurimum licuit, plus aliquid licuisse post Christum: cujus temporibus plenitudo debetur (*Tob.* II). Necatos ille a rege et projectos sui tantum generis colligebat.

## CAPUT XI.

*Pellitur in exsilium Curubin.*

His tam bonis et tam piis actibus supervenit exsilium. Hanc enim vicem semper repræsentat impietas, ut melioribus pejora [r] restituat. Et quid sacerdos Dei, proconsule interrogante, responderit, sunt Acta quæ referant. Excluditur interim e civitate [s], ille qui fecerat boni aliquid pro civitatis salute; ille qui laboraverat ne viventium oculi paterentur infernæ sedis horrorem; ille, inquam, qui excubiis pietatis invigilans, proh nefas! ingrata bonitate proviserat, ne omnibus tetram civitatis faciem relinquentibus, multos exsules deserta respublica,

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Cœlestis arte *Bod.* 1.
[b] Inter medium *Flor.*
[c] Ecclesia illius *Foss.*
[d] Flere *Flor. Foss.*
[e] Cum illa peste morituros *Foss.*
[f] Illud *Flor.*
[g] Quod sibi fieri voluit *Sur. Oxon.*
[h] Episcopus et Dei *Bod.* 1.
[i] Instruit et docet *Flor.*
[j] Officia charitatis *Bod.* 1. *Morel.*
[k] Eum enim perfectum *Bod.* 1.
[l] Boni *Foss.*
[m] Oportet exemplum *Bod.* 1. *Rom. Morel.*
[n] Imitetur *Bod.* 1.
[o] Potius deberi in sobole traduci boni patris æmulationem bonitatis. *Al.*
[p] Et multa *Bod.* 1.
[q] Sermone iterari *Bod.* 1.
[r] Melioribus pessima *Bod.* 1.
[s] Interim civitate *Bod.* 1.

## VARIORUM NOTÆ.

CAP. X. — *Pro rostris.* A rostris Romanis nomen datum locis, e quibus concio habebatur ad populum. RUINART.

CAP. XI. — *Exsilium.* Se ob *nominis Christi confessionem relegatum* dicit Cyprianus epist. 76 novæ edit. Pamelio 77. RUINART.

*Acta.* Jam diximus Acta primæ confessionis etiam vivente Cypriano vulgata fuisse, quæ laudant Martyres epist. 77, alias 78. RUINART.

Digitized by Google

ac destituta patria sentiret. Sed viderit sæculum [a], cui inter pœnas exsilium computatur. Illis patria [b] nimis chara, et commune nomen est cum parentibus : nos et parentes ipsos, si contra Dominum suaserint, abhorremus. Illis extra civitatem suam vivere gravis pœna est : Christiano totus hic mundus una domus est. Unde, licet in abditum et abstrusum locum fuerit relegatus, admixtus Dei sui rebus exsilium non potest computare. Adde quod Deo integre serviens, etiam propria in civitate peregrinus est. Dum enim se carnalibus desideriis continentia sancti Spiritus abstinet, conversationem prioris hominis exponens, etiam inter cives suos, aut, prope dixerim, inter parentes ipsos, vitæ terrestris alienus est. Accedit quod, etsi hæc alias pœna posset [c] videri, in hujusmodi tamen causis atque sententiis quas ad probandæ virtutes experimenta perpetimur, non est pœna, quia gloria est [d]. Sed esto sane, nobis pœna non sit exsilium. Illis ultimum crimen et pessimum nefas etiam ipsorum conscientia testis adscribat qui possunt innocentibus irrogare quod putant pœnam. Nolo nunc describere loci gratiam, et deliciarum omnium paraturam interim transeo. Finganius locum illum situ sordidum, squalidum visu, non salubres aquas habentem, non amœnitatem viroris [e], non viciniam littoris; sed rupes vastas sylvarum [f] inter inhospitas fauces [g] desertæ admodum solitudinis, avia mundi parte summotum. Posset licet talis locus habere nomen exsilii, quo Cyprianus sacerdos Dei venerat; cui si hominum ministeria deficerent, vel alites ut Heliæ, vel ut Danieli Angeli ministrarent. Absit, absit [h] ut credat aliquis cuilibet minimo, dummodo in confessione nominis constituto, aliquid defuturum [i]. Tantum abest ut Dei [j] pontifex ille qui misericordiæ semper rebus institerat [k], horum omnium opibus indigeret.

## CAPUT XII.

*A multis invisitur. Cœlesti visione recreatus, de martyrio subeundo ejusque dilatione divinitus admonetur.*

Jam nunc, quod secundo posueram loco, cum gratiarum actione repetamus, provisum esse divinitus etiam pro animo tanti viri apticum et competentem locum, hospitium pro voluntate secretum, et quidquid apponi eis ante promissum est, qui regnum et justitiam Dei quærunt. Atque, ut omittam frequentiam visitantium fratrum, ipsorum et inde civium charitatem, quæ repræsentabat omnia quibus videbatur esse fraudatus; admirabilem visitationem Dei non præteribo, qua[ antistitem suum sic in exsilio esse voluit de secutura passione securum, ut imminentis martyrii plenlore fiducia, non exsulem tantummodo Curubis [l], sed et martyrem possideret. Eo enim die quo primum in exsilii loco mansimus (nam et me inter domesticos comites dignatio charitatis ejus delegerat exsulem voluntarium, quod utinam et in passione licuisset!) : « Apparuit mihi, inquit, nondum somni quiete sopito, juvenis ultra modum enormis : qui cum me quasi ad prætorium duceret, videbar mihi tribunali sedentis tum proconsulis admoveri. Is ut in me respexit, annotare statim cœpit in tabula sententiam, quam non sciebam : nihil enim de me solita interrogatione quæsierat. Sed enim juvenis qui a tergo ejus stabat, admodum curiosus [m] legit quidquid fuerat [n] annotatum. Et quia inde verbis proferre non poterat, nutu declarante monstravit, quid in litteris tabulæ illius haberetur. Manu enim expansa et complanata ad spathæ modum, ictum solitæ animadversionis imitatus, quod volebat [o] intelligi, ad instar liquidi sermonis expressit. Intellexi sententiam passionis futuram. Rogare cœpi et petere continuo, ut dilatio mihi vel unius diei prorogaretur, donec res meas legitima ordinatione disponerem. Et cum preces frequenter iterassem, rursus in tabula coperat nescio quid annotare. Sensi tamen de vultus serenitate judicis mentem, quasi justa petitione commotam. Sed et ille juvenis, qui jamdudum de passionis indicio gestu potius quam sermone prodiderat, clandestino idemtidem nutu concessam dilationem quæ ad crastinum petebatur [p], contortis post invicem digitis significare properavit. Ego quamvis non esset lecta sententia [q], etsi de gaudio dilationis acceptæ

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Videret hoc *Bod.* 1.
[b] Nobis patria minus chara, et commune nomen est; qui parentes ipsos *Oxon. et edd. vet.* Et totus affectus est in parentes *Morel.*
[c] Talis pœna possent videri *Oxon.* 1. Si hæc alias pœna, *Morel.*
[d] Gloria est. Nolo *Bod.* 1.
[e] Amœnitatis vigorem *Bod.* 1.
[f] Vasta rupe sylvarum *Rom.*
[g] Inhospitas cautes *Bod.* 1. *Morel.*
[h] Absit *semel Oxon. Bod.* 1.
[i] Aliquid æstimet *Bod.* 1. Aliquid defuturum existimet *Oxon.*
[j] Ne dum Dei pontifex *Bod.* 1.
[k] Institerat, ullis bonorum opibus *Bod.* 1. *Morel.*
[l] *Sic Bod.* 1. Curubi *Riqali.*
[m] Curiosus videre quidquid *Morel.*
[n] Quidquid ageretur *Bod.* 1.
[o] Volebat inde agi *Bod.* 1.
[p] Concessum esse quod petebatur *Bod.* 1.
[q] Esset sola sententia *Bod.* 1.

## VARIORUM NOTÆ.

Cap. XII. — *Curubis.* Urbs episcopalis provinciæ proconsularis. Ruinart.

*Apparuit.* Omnia fere quæ sibi aut Ecclesiæ contingere debebant, per visiones edocebatur Cyprianus quas sæpius declarat. Vide epist. 11, alias 8, epistolam 66, alias 69, etc. In epist. 16, alias 10, præter visiones refert etiam puerorum ecstases per diem factas. Certe pauca sunt ex antiquioribus et sincerioribus Martyrum Actis, in quibus ejusmodi visiones non habeantur. Vide dissertationem quartam Cyprianicam H. Dodwelli. Ruinart.

*Complanata ad spathæ modum.* Vegel. l. II, c. 15, in gravi armatura numerat, *gladios majores quos spathos vocant.* Fell.

*Contortis post invicem digitis.* Quod inhibitæ actionis sive dilationis nota. Ita versus pollex damnationis signum, elatus absolutionis. Fell.

*Res meas.* Supra num. 2 Cyprianus dicitur initio conversionis omnia sua prædia in usus pauperum distraxisse: unde hic locus de suppellectili videtur in-

Digitized by Google

lxto admodum corde gauderem; metu tamen interpretationis incertæ sic tremebam, ut reliquiæ formidinis cor exsultans adhuc tote pavore [a] palsarent.»

## CAPUT XIII.

*Quam visionem auctor interpretatur, et veridicam fuisse probat.*

Quid hac revelatione manifestius? quid hac dignatione felicius? Ante illi prædicta sunt omnia quæcumque postmodum subsecuta sunt. Nihil de Dei [b] verbis imminutum; nihil de tam sancta promissione mutilatum. Singula [c] denique secundum quod ostensa sunt recognoscite. Dilationem petit crastini [d], cum de passionis sententia cogitaretur: postulans ut res suas die illo quem impetraverat, ordinaret. Hic dies unus significabat annum, quo ille post visionem acturus in sæculo fuerat. Nam, ut manifestius dicam, eo die post exactum annum coronatus est, quo hoc illi ante annum fuerat ostensum. Diem autem Domini, etsi non annum [e] in divinis Litteris legimus, promissioni tamen futurorum debitum illud tempus accipimus. Unde nihil interest, si nunc sub diei significatione [f] solus annus ostensus est, quia illud [g] plenius debet esse quod majus est. Quod vero nutu potius, et non sermone explanatum est, repræsentationi temporis servabatur sermonis expressio. Solet enim tunc verbis quodcumque proferri, quoties quidquid profertur implebitur. Nam et vere nemo cognovit quare hoc ei ostensum fuisset, nisi quia post eodem die quo id viderat, coronatus est. Medio nihilominus tempore imminens passio pro certo ab omnibus sciebatur: passionis tamen dies certus ab iisdem omnibus, quasi ignorantibus, tacebatur. Sane et in Scripturis tale aliquid invenio. Nam (*Luc.* I, 59) Zacharias sacerdos, promisso sibi per Angelum filio quia non crediderat, obmutuit; ita ut filii nomen [h] scripturus potius quam relaturus [i], nutu tabulas postularet. Merito et heic, ubi Dei nuntius passionem antistitis imminentem nutu potius expressit, et fidem admonuit, et sacerdotem munivit. Dilationis autem petendæ ratio de ordinatione rerum et de voluntatis dispositione veniebat. Quæ vero res illi, aut quæ voluntas ordinanda, nisi ecclesiatici status? Suprema idcirco accepta dilatio est, ut quidquid circa pauperum fovendorum curam supremo judicio [j] disponendum fuerat, ordinaretur. Et puto propter nihil aliud, immo vero propter hoc tantum, etiam indulgentia ab ipsis ejecerant [k], et qu occisuri erant, admissa est; ut præsens et præsentes pauperes, novissimæ dispensationis extremis, et, ut plenius dixerim, totis sumptibus relevaret. Ordinatis ergo tam pie rebus, et sic pro voluntate dispositis [l], proximabat dies crastinus.

## CAPUT XIV.

*Imminente persecutione, recusat fugere Cyprianus, suosque ad martyrium hortatur.*

Jam de Xisto bono et pacifico sacerdote, ac propterea beatissimo martyre, ab Urbe nuntius venerat. Separabatur jamjamque carnifex veniens, qui devota sanctissimæ victimæ colla percuteret: et sic erant omnes dies illi quotidiana exspectatione moriendi, ut corona posset singulis ascribi. Conveniebant interim plures egregii et clarissimi ordinis et sanguinis, sed et sæculi nobilitate generosi: qui propter amicitiam ejus antiquam secessum subinde suaderent: et ne parum esset nuda suadela, etiam loca in quæ secederet offerebant. Ille vero jam mundum, suspensa ad cœlum mente, neglexerat, nec suadelis blandientibus annuebat. Fecisset fortasse tunc etiam quod a plurimis et fidelibus petebatur, si et divino imperio juberetur. Sed nec illa sublimis tanti viri gloria sine præconio transeunda est: quia jam sæculo tumescente et de fiducia principum infestationem nominis anhelante; ille servos Dei, prout dabatur occasio, exhortationibus dominicis instruebat, et ad calcandas passiones hujus temporis contemplatione superventuræ claritatis animabat. Videlicet tanta illi fuit sacri cupido sermonis, ut optaret sic sibi passionis vota contingere, ut dum de Deo loquitur, in ipso sermonis opere necaretur.

## CAPUT XV.

*Capitur. Plebs ante fores noctem excubat.*

Et hi erant quotidiani actus destinati ad placentem Deo hostiam sacerdotis, cum ecce, proconsulis jussu, ad hortos ejus (ad hortos, inquam, quos inter initia fidei suæ venditos, et Dei indulgentia [m] restitutos, pro certo iterum in usus pauperum vendidisset, nisi invidiam de persecutione vitaret [n]) cum militibus suis princeps repente subitavit, immo,

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Adhuc multa trepidatione *Bod.* 1.
[b] Nihil de Dei *Bod.* 1. *Morel.*
[c] Et singula *Morel.*
[d] Petit in crastinum *Bod.* 1. *Morel.*
[e] Etsi annum *Bod.* 1. *Morel.*
[f] Si nunc sub *Bod.* 1. *Morel.*
[g] Qua illud plenius *Bod.* 1.
[h] De filii nomine *Bod.* 1. *Morel.*
[i] Relecturus *Bod.* 1.
[j] Suprema indicia *Morel.*
[k] Qui ejecerant, admissa est *Bod.* 1.
[l] *Sic Bod.* 1. *Morel.* Voluntate disposita *Rigalt.*
[m] Et de Dei indulgentia *Bod.* 1. *Morel.*
[n] Occupari in cassione vitaret *Bod.* 1. *Morel.*

## VARIORUM NOTÆ.

telligendus, aut certe de hortis qui ipsi restituti fuerant, infra num. 15, aut denique de rebus ecclesiæ, ex num. sequenti. RUINART.

CAP. XIV.—*Secessum.* Aliquot diebus secessit, ne Uticam interficiendus perduceretur. Ad id enim Frumentarii a proconsule missi fuerant. Unde infra subitasse, id est accelerasse, dicitur princeps; putans Cyprianum revera effugere velle. Vide epistolam ultimam Oxon. 81, Pamelio 83. RUINART.

CAP. XV.—*Princeps.* De his ratio redditur in notitiis dignitatum Imp. Rom. Erant summates et præcipui qui sub magistro officiorum militabant, describente Gothofred. Porro notum est milites divisos, in Velites, Principes, Triarios. FELL.

Digitized by Google

ut verius dixerim, subitasse se credidit. Unde enim posset tamquam improviso impetu mens semper parata subitari? Processit ergo jam certus expungi quod diu fuerat retardatum : processit animo sublimi et erecto [a], hilaritatem præferens vultu et corde virtutem. Sed dilatus in crastinum, ad domum principis a prætorio revertebatur; cum subito per Carthaginem totam sparsus rumor increbuit, productum esse jam Thascium, quem, præter celebrem gloriosa opinione notitiam, etiam de commemoratione præclarissimi operis nemo non noverat. Concurrebant undique versus omnes ad spectaculum, nobis pro devotione fidei gloriosum [b], gentilibus et dolendum. Receptum eum tamen, et in domo principis constitutum una nocte continuit custodia delicata, ita ut conviviæ ejus et charin contuberuio ex more fuerimus. Plebs interim tota sollicita ne per noctem aliquid sine conscientia sui fieret, ante fores principis excubabat. Concessit ei tunc divina bonitas, vere digno, ut Dei populus etiam in sacerdotis passione vigilaret. Forsitan tameh quærat aliquis quæ causa fuerit a prætorio revertendi ad principem. Et volunt hoc, scilicet quidam de suo, tunc proconsulem noluisse. Absit ut in rebus divinitus gestis segnitiem sive fastidium proconsulis conquerar. Absit ut malum hoc intra conscientiam religiosæ mentis admittam; ut de tam beatissimo martyre ructus hominis judicaret. Sed crastinus dies ille quem ante annum dignatio divina prædixerat, vere crastinus esse debebat.

## CAPUT XVI.

*Postridie ad tribunal proconsulis ducitur.*

Illuxit denique dies alius, ille signatus, ille promissus, ille divinus: quem si tyrannus ipse differre voluisset, numquam prorsus valeret: dies de conscientia futuri martyris lætus; et discussis per totum mundi ambitum nubibus, claro sole radiatus. Egressus est domum principis, sed Christi et Dei princeps, et agminibus multitudinis mixtæ ex omni parte vallatus est. Sic autem comitatui ejus infinitus exercitus adhærebat, quasi ad expugnandam mortem manu facta veniretur. Eundi autem interfuit transitus stadii. Bene vero et quasi de industria factum, ut et locum congruentis certaminis præteriret, qui ad coronam justitiæ consummato agone currebat. Sed, ubi ad prætorium ventum est, nondum procedente proconsule, secretior locus datus est. Illic cum post iter longum nimio sudore madidatus sederet (sedile autem erat fortuito linteo tectum, ut et sub ictu passionis episcopatus honore frueretur), quidam ex tesserariis quondam Christianus res suas obtulit, quasi vellet ille vestimentis suis humidis sicciora mutare: qui videlicet nihil aliud in rebus oblatis ambiebat, quam si proficiscentis ad Deum martyris sudores jam sanguineos possideret. Cui ille respondit, et dixit: « Medelas adhibemus querelis, quæ hodie forsitan non erunt. » Mirum, si contempsit laborem corpore, qui mortem mente contempserat? Quid plura? Subito proconsuli nuntiatus est. Producitur, admovetur, interrogatur de suo nomine: se esse respondit. Et hactenus verba.

## CAPUT XVII.

*Lata sententia.*

Legit itaque de tabula jam sententiam judex quam nuper in visione non legerat; sententiam spiritalem non temere dicendam, sententiam episcopo tali et tali teste condignam; sententiam gloriosam, in qua dictus est sectæ signifer et inimicus deorum, et qui suis futurus esset ipse documento, et quod sanguine ejus inciperet disciplina sanciri. Nihil hac sententia plenius, nihil verius. Omnia quippe quæ dicta sunt, licet a gentili dicta, divina sunt. Nec mirum utique cum soleant de passione pontifices prophetare. Signifer fuerat, qui de ferendo signo Christi docebat : inimicus deorum, qui idola destruenda mandabat : documento autem suis fuit, qui multis pari genere secuturis, prior in provincia martyrii primitias dedicavit. Sanciri etiam cœpit ejus sanguine disciplina, sed martyrum; qui, doctorem

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Et sereno, hilaritatem *Morel.*

[b] Gloriosum pariter *Rod.* 1.

## VARIORUM NOTÆ.

*Commemoratione præclari operis.* Alludit ad martyrum festa, in quibus vigiliæ agebantur. RUINART.

*Custodia delicata.* Id est libera et minime dura. RUINART.

*Passione vigilaret.* Ita vigiliæ festos dies natalium martyrum præcedunt. FELL.

*Ructus hominis.* Hunc ructum gallice *caprice* appellaremus. — *Ructus* proverbialiter heic positum est, pro *arbitrio* seu *libito*. Eadem voce usus est S. Cyprianus in epist. LXII, ad Pomponium, ubi de viris qui cum virginibus dormierant, ait: *Divina præcepta teneamus, nec patiamur errare fratres nostros, et pro arbitrio et ructu suo vivere.* BOLLAND.

CAP. XVI. — *Linteo tectum.* Linteis episcoporum sedes cooperiri solebant, ut ex Paciano patet, qui epist. 2, ad Sympronianum Novatiano exprobrat, quod *consecranie nullo linteatam sedem acceperit.* Id etiam videtur innuere Augustinus epist. 23, ad Maximinum episcopum Donatistam, ubi ait, *nec absidas gradatas, nec cathedras velatas*, cuiquam in Christi judicio profuturas. RUINART.

*Tesserariis.* Tesserarii, qui tesseras per militum conturbernia nuntiant, vel ab excubitoribus exigunt. De his Vigetius lib. II, de Re militari, c. 7, ubi tessera dicitur *præceptum ducis, quo vel ad opus, vel ad bellum movetur exercitus.* RUINART. — *Tesserariis.* Veget. l. II, cap. 7, dicit esse, *qui tesseram per contubernia militum aut prætorianorum nuntiat.* Tacit. lib. XVII, appellat Barbium Proculum; *tesserarium speculatorem.* FELL.

*Possideret.* Sic aliquas martyrum reliquias certatim rapere gestiebant Christiani. FELL.

CAP. XVII. — *Prophetare.* Alludit ad Caipham, qui de Christi morte nescius prophetavit, *Joan.* XI, 59. RUINART.

*Signifer fuerat.* Non modo in christiana militia antesignanus, sed ducis sui symbolo et charactere in corpore notatus, ad veteris militiæ mores

Digitized by Google

suum imitatione gloriæ consimilis æmulati, ipsi quoque disciplinam exempli sui proprio cruore sanxerunt.

## CAPUT XVIII.

*Capite plectitur.*

Et cum exiret prætorii fores, ibat comes militum turba : et ne quid in passione deesset, centuriones et tribuni latus texerant. Ipse autem locus æqualis [a] est, ubi pati contigit, ut arboribus ex omni parte densatis sublime spectaculum præbeat. Sed per enormitatem spatii longioris visu denegato per confusam nimis turbam, personæ favентes in ramos arborum repserant, ne vel hoc illi negaretur, ut ad Zacchæi (*Luc.* XIX, 4) similitudinem de arboribus videretur. Sed, jam ligatis per manus suas oculis, moram carnificis urgere tentabat, cujus munus est ferrum ; et labente dextera gladium vix trementibus digitis circuibat, donec ad perpetrandam pretiosi viri mortem, clarificationis hora matura, centurionis manum concesso desuper vigore firmatam, permissis tandem viribus expediret. O beatum Ecclesiæ populum, qui episcopo suo tali, et oculis pariter et sensibus, et, quod est amplius, publicata voce compassus est ; et, sicut ipso tractante semper audierat, Deo judice coronatus est ! Quamvis enim non potuerit evenire quod optabant vota communia, ut consortio paris gloriæ simul plebs tota pateretur, quicumque sub Christi spectantis oculis, et sub auribus sacerdotis ex animo pati voluit, per idoneum voti sui testem, legationis quodammodo litteras ad Deum misit.

## CAPUT XIX.

*Primus martyr episcoporum Carthaginensium.*

Sic consummata passione perfectum est, ut Cyprianus qui bonorum omnium fuerat exemplum, etiam sacerdotales coronas in Africa primus imbueret ; quia et talis esse post Apostolos prior cœperat. Ex quo enim Carthagini episcopatus ordo numeratur, numquam aliquis, quamvis ex bonis et sacerdotibus, ad passionem venisse memoratur. Licet semper Deo mancipata devotio, dicatis hominibus pro martyrio deputetur ; Cyprianus tamen etiam ad perfectam coronam, Domino consummante, profecit : ut in civitate ipsa in qua taliter vixerat, et in qua prior fecerat multa præclara, prior etiam sacerdotii cœlestis insignia glorioso cruore decoraret. Quid hoc loco faciam ? inter gaudium passionis et remanendi dolorem in partes divisus animus, et angustum nimis pectus affectus duplices onerant. Dolebo quod non comes fuerim ? Sed illius victoria triumphanda est. De victoria triumphabo ? Sed doleo quod comes non sim. Verum vobis tamen et simpliciter confitendum est, quod et vos scitis, in hac me fuisse sententia. Multum ac nimis multum de gloria ejus exsulto ; plus tamen doleo quod remansi.

### LECTIONES VARIANTES.

[a] In æquali *Gal.*

### VARIORUM NOTÆ.

Vid. *Galat.* VI, 17. Porro crucem, Domini vexillum, verbis annuntiatam, passione altius extulit, et felicius prædicabat. FELL.

CAP. XVIII.—*Ad Zacchæi similitudinem.* Nescio annon hoc levis allucinatio Pontio aut amanuensibus acciderit, voce *Zacchæi* pro *Christi* scripta : manifestum enim est hoc alludi ad *Luc.* XIX, ubi Zacchæus, adventante Christo, *præcurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum.* Nempe sic S. Cyprianus ab aliis qui in arbores conscenderant, visus fuisse hoc dicitur. BOLLAND.

*Vota communia.* Confer Acta num. 5, ubi *turba fratrum dicebat : Et nos cum ipso decollemur.* RUINART.

CAP. XIX.—*Sacerdotales coronas.* Non ex calvitie, sed illustri virtute quæsitas. Coronæ regni rabbini tres alias addunt ; nimirum coronam Legis, coronam sacerdotii, et coronam nominis boni : quo triplici diademate Cyprianus redimitus præfulgebat : et alteram martyrii addidit. Apostolus Afrorum videtur Simon Zelotes de quo Niceph., l. II, c. 40, dicitur : Αιγύπτῳ Κυρήνῃ τε καὶ τῇ Αφρικῇ προσβαλών. Μαυριτανίαν τε καὶ ὅσον τῆς Λιβύης ἐστὶ, τῷ εὐαγγελίῳ διαδραμών, etc. FELL.

*Comes non sim.* Pontii festum recolunt vetera martyrologia, sicut et hodiernum Romanum, die 8 martii. Cave tamen ne hunc cum Pontio martyre confundas, qui Philippos imperatores ad fidem Christi adduxisse dicitur, de quo plura apud Bollandianos ad diem 14 maii. Altare in honorem S. Pontii dedicari curavit S. Rusticula sæculo VII, abbatissa Arelatensis ; ut in ejus Vita refert Florentius presbyter. At quisnam fuerit ille Pontius non explicat. RUINART.

# ACTA PROCONSULARIA
# SANCTI CYPRIANI
## EPISCOPI ET MARTYRIS.

I. *Prima S. Cypriani confessio coram Paterno proconsule. Presbyteros prodere renuit.*

D Imperatore Valeriano quartum et Gallieno tertium consulibus [b], tertio kalendarum Septembrium,

### LECTIONES VARIANTES.

[b] Tusco et Basso coss. *Vet. Martyr. Saris. Gal. Foss.* Nobilium Imperatorum scripta ad me venerunt, ut hi qui cæremonias execrantur, diis immolare, et ad sacrificandum compellantur inviti. *Act. Pass.*

### VARIORUM NOTÆ.

I.—*Imperatore Valeriano.* Actus passionis Cypriani secundum editiones Manutii et Morellii, egregiam fabulam prologi loco præmittit, quæ sæculum in quo nata est satis profitetur, et sic se habet : *Cum*

Digitized by Google

Carthagine in secretario, Paternus proconsul Cypriano episcopo dixit : Sacratissimi imperatores Valerianus et Gallienus, litteras ad me dare dignati sunt, quibus præceperunt eos qui Romanam religionem non colunt [a], debere Romanas cæremonias recognoscere. Exquisivi [b] ergo de nomine tuo; quid mihi respondes [c] ? Cyprianus episcopus dixit : *Christianus sum, et episcopus. Nullos alios deos* [d] *novi, nisi unum et verum Deum, qui fecit cœlum et terram, mare et quæ in eis sunt omnia. Huic Deo nos Christiani deservimus : hunc deprecamur diebus ac noctibus, pro nobis* [e] *et pro omnibus hominibus, et pro incolumitate ipsorum imperatorum.* Paternus proconsul dixit : In hac ergo, voluntate perseveras [f] ? Cyprianus episcopus respondit : *Bona voluntas quæ Deum novit, immutari non potest* [g]. Paternus proconsul dixit : Poteris ergo secundum præceptum Valeriani et Gallieni, exsul ad urbem Curubitanam proficisci ? Cyprianus episcopus dixit : *Proficiscor.* Paternus proconsul dixit : Non solum de episcopis, verum etiam de presbyteris mihi describere dignati sunt. Volo ergo scire ex te, qui sint presbyteri qui in hac civitate consistunt. Cyprianus episcopus respondit : *Legibus vestris bene atque utiliter censuistis delatores non esse* [h]. *Itaque detegi et deferri* [i] *a me non possunt. In civitatibus* [i] *autem suis invenientur.* Paternus proconsul dixit : Ego hodie in hoc loco A exquiro. Cyprianus dixit : *Cum disciplina prohibeat, ut quis se ultro offerat, et tuæ quoque censuræ hoc displiceat; nec offerre se ipsi possunt : sed a te exquisiti invenientur.* Paternus proconsul dixit : A me invenientur. Et adjecit : Præceperunt etiam, ne in aliquibus locis conciliabula fiant, nec cœmeteria ingrediantur [k]. Si quis itaque hoc tam salubre præceptum non observaverit, capite plectetur. Cyprianus episcopus respondit : *Fac quod tibi præceptum est* [l].

### II. *In exilium Curubim mittitur. Inde a Galerio revocatus comprehenditur.*

Tunc Paternus proconsul jussit beatum Cyprianum episcopum in exsilium deportari. Cumque diu B ibidem moraretur, successit Aspasio Paterno proconsuli Galerius Maximus proconsul, *qui* sanctum Cyprianum episcopum, ab exsilio revocatum, sibi jussit præsentari. Cumque Cyprianus, sanctus martyr electus a Deo, de civitate Curubitana, in qua exsilio præcepto Aspasii Paterni tunc proconsulis datus fuerat, regressus esset, ex sacro præcepto in suis hortis manebat. Inde quotidie sperabat veniri ad se, sicut illi ostensum fuerat; et cum illic demoraretur, repente idibus septembris, Tusco et Basso consulibus, venerunt ad eum principes duo [m],

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Romanam religionem colunt, debere cæremonias recognoscere.

[b] Exquiro ergo *Gal. Saris.* Exquiro tibi de nomine tuo, quid mihi respondeas *Cod. Conch.*

[c] Respondens *Gal. Saris.*

[d] Nullos alios deos colo *Saris. Gal.*

[e] Pro nobis, et pro incolumitate, *Saris. Gal.*

[f] Perseveras ut non sacrifices *Act. Pass.*

[g] Mutari non potest. Non solum de episcopis *Gal. Saris. Act. Pass.*

[h] *Sic Gal. Saris.* Nos delatores non esse *Act. Pass. Impr.*

[i] Itaque eos exhibere non possumus; sed nec ipsi se ultro offerunt, cum hoc Scriptura sancta prohibeat. A te enim quæsiti invenientur. Proconsul dixit : Jussum est ut nulla conciliabula faciant *Act. Pass.*

[i] In civitatibus suis invenientur. Paternus Proconsul C dixit : A me invenientur *Saris. Gal.*

[k] Cœmeteria ingrediantur, quod qui facere deprehensus fuerit, capite plectatur. Sanctus Cyprianus respondit : Fac quod tibi præceptum est. Et post hæc ductus est in exsilium B. Martyr per præceptum Aspasii proconsulis in civitatem Curubitanam. Post dies autem multos egressus *Act. Pass.*

[l] Fac quod tibi præceptum est. Cumque Cyprianus electus a Deo de civitate Curubitana *Saris. Gal.*

[m] Principes duo ex officio proconsulis Galerii Maximi; et levantes *Act. Pass.*

## VARIORUM NOTÆ.

*gloriosum nomen Christi a gentilibus exosum, intentione maxima conaretur auferri, et esset persecutio apud urbem Romam : beatissimus Cornelius pontificatum prædictæ urbis summis virtutibus præditus tunc regebat; comprehensusque a præside, et diuturnis tormentis afflictus gladio finivit temporalem vitam, percepturus a Deo sine fine perpetuam. Sed, cum hoc odium fuisset etiam in Libycis terminis irrogatum, multi Christianorum populi, malentes transitoriam vitam amittere, et illa quæ a Deo promissa sunt adipisci, diversis tormentis afflicti consummabantur. Ferunt etiam tunc a præside clibanum calcis accensum, et in ore illius prunas cum thure exhibitas, præsidem dicere Christianis : Eligite e duobus unum, aut thura super his carbonibus offerte Jovi, aut in calcem demergimini. Tunc trecenti viri fide armati, se ictu rapidissimo, Christum Dei filium Deum fatentes, jecerunt in ignem et inter vapores calcis pulveret sunt demersi; quos sibi Christus consecravit. In his autem diebus cum talia gererentur, beatus antistes Cyprianus Carthaginensem regebat ecclesiam; qui comprehensus a gentilibus, sedente Paterno proconsule in civitate, iniquis tribunalibus præsentatur.* In martyrologio veteri incipit, *Tusco et Basso Coss. in secretario :* quem in modum legunt cod. Saris. et Gal. Nimirum, cum in unum Actus exsilii et passionis, in usus Ecclesiæ, commemorationis anniversariæ ergo compingebantur; character temporum qui ad passionem solummodo pertinebat, utrique præfigebatur. FELL.

*In secretario.* Gloss. Græc. σέκρετον, δικαστήριον χαρτοφυλάκιον, σέκρετον, συνέδριον. Hesych. FELL.

*Delatores non esse.* Illis per rescripta principum urbe exactis, et a tribunalibus depulsis. Exinde D *Delator habuit, quod dedit, exsilium.* Unde recte Cyprianus ad leges provocat, et frigide diceretur, *nos delatores non esse.* FELL.

*Se ultro offerat.* Epist. ult. Cypr. ait, *Dominus nos confiteri magis voluit quam profiteri.* FELL.

*Tuæ quoque censuræ hoc displiceat.* Sic Arrius Antoninus Christianis, quasi manu facta mortem deposcentibus, dixit : ὦ δειλοί, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, χρημνοὺς ἢ βρόχους ἔχετε. Tert. ad Scapul. FELL.

II. — *Deportari.* S. Augustin. Serm. 309 : *Pro fide confessionis Christi in exsilium Curubim missus est*, etc. RUINART.

*Ostensum fuerat.* Augustin. ibid. n. 2. *Regressus in hortis suis manebat, et inde quotidie sperabat veniri ad se, sicut ostensum illi erat*, etc. Vide supra Vit. n. XII. RUINART.

*Consulibus.* Monet Baronius, ad annum 261, n. 25, legendum esse *Fusco* ex Trebellio Pollione. RUINART.

Digitized by Google

unus strator officii Galerii Maximi proconsulis, qui Aspasio Paterno successerat; et alius equistrator [a] a custodiis ejusdem officii [b], qui et in curriculum eum levaverunt, in medioque posuerunt, et in Sexti perduxerunt; ubi idem Galerius Maximus proconsul, bonæ valetudinis recuperandæ gratia, secesserat. Et ita idem Galerius Maximus proconsul in aliam diem Cyprianum sibi reservari præcepit. Et eo tempore beatus Cyprianus ductus, ad principem et stratorem ejusdem officii Galerii Maximi proconsulis clarissimi viri secessit, et in hospitio ejus cum eo, in vico qui dicitur Saturni, inter Veneream et Salutariam [c], mansit. Illuc universus populus fratrum convenit. Et cum hoc sanctus Cyprianus comperisset, custodiri puellas præcepit [d], quoniam omnes in vico, ante januam hospitii principis manserant.

III. *Coram proconsule sistitur. Ejus secunda confessio.*

Et ita altera die octava decima kalendarum octobrium, mane [e] multa turba convenit ad Sexti, secundum præceptum Galerii Maximi proconsulis. Et ita idem Galerius Maximus proconsul eadem die Cyprianum sibi offerri præcepit in atrio Sauciolo sedenti. Cumque oblatus fuisset, Galerius Maximus proconsul Cypriano episcopo dixit: Tu es Thascius Cyprianus? Cyprianus episcopus respondit: *Ego sum.* Galerius Maximus proconsul dixit: Tu papam te sacrilegæ mentis hominibus præbuisti? Cyprianus episcopus respondit: *Ego.* Galerius Maximus proconsul dixit: Jusserunt te sacratissimi imperatores

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Proconsularis equester *Gal.* Sequestrator *Saris.* Æquestrator *Ms. vet. a Gothof. laudat.*

[b] Sed et custodes ejusdem officii, et ambo *Saris.*

[c] Inter venena et salutaria *Colb. Mombrit.* Inter duas plateas Veneriam et Salutariam *Germ.* 1. Salariam. *Imp.* Saltuariam *alii ms.* Regressus de exsilio habitabat in hortis suis, cumque ibidem moraretur, venerunt ad eum duo principes ex officio proconsulis Galerii Max., et levantes eum in curriculum suum, duxerunt ad proconsulem, ad locum ubi pro reparanda sanitate degebat. Et collectus ab adstatore officii, secessit ad hospitium ejus, in vicum qui dicebatur Saturni, et habitabat ibi; convenit autem ad eum universus populus fratrum *Act. Pass.*

[d] Castigari puellas *Gal. Saris.* In vico orantes *Gal.* Quæ advenerant audire verbum Dei, quoniam ante ostium principis manebant, ob amorem martyris gloriosi.

[e] Mane autem facto *Act. Pass.* Mane multo *Gal.* Mane autem facto, oblatus est B. Cyprianus proconsuli, quem intuitus, ait illi: Es Thascius Cyprianus qui te papam sacrilegæ mentis hominibus præbuisti? Jusserunt te sacratissimi imperatores sacrificare. Consule tibi ne pereas. Tunc iratus Proconsul dixit: Diu *Act. Pass.*

## VARIORUM NOTÆ.

*Strator officii.* Perinde est sive stratorem, sive statorem dixeris; codices enim utrumque agnoscunt; altera vox græcæ originis, altera latinæ. Illi fere videntur esse qui postea commentarienses dicti. Egregia Constantini lex ad Florentium Rationalem, litteris aureis scribenda, hominum istorum indolem graphice depingit. Veniam dabit lector si locum integrum exhibeam, siquidem mutilari minime debeat. Cod. l. IX, tit. 4, de Custodia reorum. *In quacumque causa reo exhibito, sive accusator existat, sive eum publicæ sollicitudinis cura perduxerit, statim debet quæstio fieri, ut noxius puniatur, innocens absolvatur. Quod si accusator aberit ad tempus, aut sociorum præsentia necessaria videatur, id quidem debet quam celerrime procurari. Interea viro exhibito non ferreas manicas et inhærentes ossibus mitti oportet, sed prolixiores catenas, ut cruciatio desit, et permaneat fida custodia. Nec vero sedis intimæ tenebras pati debet inclusus, sed usurpando lucem vegetari: et ubi nox geminaverit custodiam, vestibulis carcerum, et salubribus locis recipi, ac revertente iterum die, ad primum solis ortum, illico ad publicum lumen educi, ne pœnis carceris perimatur, quod innocentibus miserum, noxiis non satis severum esse cognoscitur. Illud etiam observabitur, ut neque his qui stratorum funguntur officio, neque ministris eorum liceat crudelitatem suam accusatoribus vendere, et innocentes intra carcerum sepia letho dare, aut subtractos audientiæ longa tabe consumere. Non enim existimationis tantum, sed etiam periculi metus judici imminebit, si aliquem ultra debitum tempus inedia, aut quocumque modo aliquis stratorum exhauserit, et non statim eum penes quem officium custodiæ est, atque ejus ministros capitali pœnæ subjecerit.* Fell. — De his vide Glossar. Cang. ubi *statores* dicuntur, *quod starent ad jussa parati:* Stratores vero qui equorum principis curam habebant. stratores etiam dici possunt a sternendo, quod reos in carcere condemnatos punirent, vel equos sternerent.

Ruinart.

*Equistrator.* ἀναβολούς, Mareschalcus, apud scriptores latino-barbaros: qui imperatorem aut ducem armatum in equum imponit. De horum genitura alt Manilius.

Hic curru celsior ibit.
Aut onerabit equos armis, aut ducet in arma.

Ammianus Marcell. lib. XXX, cap. 5, *strateem militem* appellat. Fell.

*Levaverunt.* Aug. Serm. laudato n. 5. *Duo missi sunt qui eum etiam in currum levaverunt.* Ruinart.

*Sexti perduxerunt.* Hic locus sic videtur appellatus quod sexto ab urbe lapide distaret. Ruinart.

*Salutariam.* Omnes fere mss. habent *Veneriam.* Colb. 1, et Mombrit. *inter Venaria et Salutaria.* German. 1, *inter duas plateas Veneriam et Salutariam.*

Ruinart.

*Custodiri.* Omnes mss. præter Colb. 1, *castigari.* Alia tamen lectio præferenda. Sic enim legit Augustinus, ut patet ex laudato Serm. n. 4: *Quid illud,* inquit, *quod cum in alium diem dilatus esset, atque illuc se multitudo fratrum ac sororum congregans pro foribus pernoctaret, custodiri puellas præcepit?* Item S. Fulgentius Serm. 6: *A principe detentus virginum pudicitiam.... custodivit.* Ruinart.

III.—*Sauciolo.* Vox obscura. Videtur esse cognomen atrii, quod hæic rei interficerentur. Observat Oxon. editor sanctum esse in concilio Matiscon. II, c. 19, *ut ad locum examinationis reorum nullus clericus accedat, neque intersit atrio Sauciolo, ubi pro reatus sui qualitate quispiam interficiendus est.* Codd. Colb. et Germ. 1 habent, *atrio Seculiolo.* Conch. *Saloutio.*

Ruinart.

*Papam.* Forte *papatem,* ut legendum esse censet noster Mabillonius in notis ad Acta SS. Mammarii, etc. Analect. tom. IV, pag. 105. In actis græcis SS. Cononis et filii ejus, die 29 mali Bollandiani n. 4, Præses martyrem interrogat an papas sit aut diaconus, Παππᾶς ἢ Διάκων; respondet se laicum esse. Et in Actis SS. Modesti et Viti editis et mss. Vitus puer Modestum suum *papatem* non semel compellat.

Ruinart.

*Sacratissimi.* Aug. n. 5: *Cum enim ejus immobilem mentem videret, quando ei dixit: Jusserunt te principes cærimoniari; respondit que illi: Non facio; adjecit et ait: Consule tibi,* etc. Deinde n. 6. *Fac, inquit, quod tibi præceptum est. In re tam justa nulla est consultatio. Dixerat quippe ille: Consule tibi. Ad hoc responsum est: In re tam justa,* etc. Ruinart.

Digitized by Google

cærimoniari. Cyprianus episcopus dixit : *Non facio.* Galerius Maximus ait : Consule tibi. Cyprianus episcopus respondit : *Fac quod tibi præceptum est. In re tam justa nulla est consultatio.*

IV. *Sententia in eum lata, capite plecti jubetur.*

Galerius Maximus collocutus cum consilio sententiam vix ægre dixit verbis hujusmodi : Diu sacrilega mente vixisti, et plurimos nefariæ tibi conspirationis homines aggregasti, et inimicum te diis Romanis et sacris legibus constituisti, nec te pii et sacratissimi principes Valerianus et Gallienus Augusti, et Valerianus nobilissimus Cæsar, ad sectam cærimoniarum suarum revocare potuerunt. Et ideo, cum sis nequissimorum criminum auctor et signifer deprehensus, eris ipse documento his quos scelere tuo tecum aggregasti : sanguine tuo sanciatur disciplina. Et his dictis, decretum ex tabella recitavit : Thascium Cyprianum gladio animadverti placet. Cyprianus episcopus dixit : *Deo gratias* [a].

V. *Coram magna populi turba decollatur. Ejus corpus a fidelibus noctu sublatum sepelitur.*

Post hanc vero sententiam turba fratrum dicebat : Et nos cum ipso decollemur [b]. Propter hoc tumultus fratrum exortus est, et multa turba eum prosecuta est. Et ita idem Cyprianus in agrum Sexti productus est [c], et ibi se lacerna byrro expoliavit, et genu in terra flexit, et in orationem se Domino prostravit. Et cum se dalmatica [d] exspoliasset, et diaconibus tradidisset, in linea stetit [e] et cœpit spiculatorem sustinere. Cum venisset autem spiculator, jussit suis ut eidem spiculatori viginti quinque aureos darent [f]. Linteamina vero et ma-

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Gratias ago Deo omnipotenti, qui me a vinculis hujus corporis dignatur absolvere *Gal. Act. Pass.*

[b] Et cum duceretur, populus plangens et ejulans dicebat : Nos cum ipso decollemur *Act. Pass.*

[c] Productus autem gloriosus Martyr, exuit se lacernum birrum, quem indutus erat, complicans, et posuit ad genua sua, dein tunicam tulit et diaconibus tradidit *Act. Pass.* Tunicam tulit *Saris.*

[d] Tunica *Foss. Colb. Conch. S. Genov.*

[e] Ad lineam *Saris.* Stans in linea *Act. Pass.* Lineis vestibus *Gal.*

[f] Dare præcepit *Saris.*

## VARIORUM NOTÆ.

IV.—*Collocutus cum consilio.* Ut mos erat Romanis præsidibus, pone siparium consiliarios sedentes, de sententia ferenda consulere. Vid. Act. 25, 12. FELL.

*Valerianus nobilissimus Cæsar.* Quem pater ejus in Persiam properans Cæsarem renuntiavit, ubi infelicissimus senex, hanc Christianorum persecutionem, miserrima captivitate, et miseriore, si fieri potuit, morte luebat. FELL.

*Placet.* Idem August., n. 6. *In quid erumpat cor nostrum, nisi in ipsam venerabilis martyris ultimam vocem? Cum enim Galerius Maximus decretum ex libello recitasset, Thascium Cyprianum gladio animadverti placet. Respondit ille : Deo gratias. Habentes igitur de re... dicamus et nos Deo gratias.* Et sic desinit sermo. RUINART.

V.— *In agrum Sexti.* Martyrologium Rom. *Agrum Sexti*, in *sextum milliare a Carthagine juxta mare*, permutabat. FELL.

*Lacerna byrro.* Lacerna sive birro ; altera ex duabus vocibus pro additamento habenda. Eminentissimus cardinalis Baronius, multis agit ut hinc doceamur *qualis esset episcoporum habitus :* et quidem, lynceus ille nobis ostendit, lineam ad quam stetit Cyprianus, *commune illud omnibus episcopis lineum indumentum quod ephod alii dicunt, italice vero rochetto* fuisse. Byrrum *vero esse rubri coloris, et sericum habitum clericalem.* Proinde exhiberi *exploratum antiquum episcoporum habitum, ut post vestem superinduerent lineam, et desuper eam solutam tunicam, ac denique humeros tantum tegens lacernum byrrum : quo genere indumenti hodie videmus uti sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, atque episcopos illos qui a Regularibus ad eam dignitatem provecti sunt.* Ita jam porro discimus Cyprianum aut cardinalem Ecclesiæ Romanæ fuisse, aut ex Regularibus ad dignitatem episcopalem provectum. Nihil certe est, de quo partium studio addicti sibi non possunt persuadere, et etiam sperare ut aliis persuadeant. Itane veste sua spectabiles in publicum procedunt clerici Ecclesiæ Romanæ, quando in regionibus agunt ubi sibi metuunt : gladiis cincti, et, ut Campiani nostratis utar verbis : *habitu dementissimo* induti? Inepte proconsul de episcopis et presbyteris detegendis fuisset sollicitus, si ex habitu essent omnibus conspicui. Obesæ prorsus est naris, qui in his quæ sequuntur, librariorum interpolationes, sæculis et ingeniis suis dignas, non deprehenderit. Illi quidem cum *tunicam* dignitati episcopali non satis respondere crediderant, officiosissimi homines, *dalmaticam* subministrabant. FELL. — Alterutram ex his vocibus pro additamento habendam esse censet Oxon. editor. Certe *in* cod. 1 Germ. habetur tantum *byrro.* Porro *notat ex Festo* eruditus Cangius in Glossario, *byrrum* antiquitus *rufum* significasse : quæ vox si hoc loco sic intelligatur, præferenda esset lectio aliquot codd. qui sic habent, *lacerno byrro expoliatus est.* De byrro et lacerna tamquam de duplici vestis specie loquitur Sulpicius Severus, lib. 1 Dialog., cap. 14, apud Baronium ad annum 261, n. 41, ubi plura is habet de hac re. At mirum est ab eo hodiernas episcoporum vestes in his verbis repertas fuisse. Talibus quippe ornamentis episcopos olim usos fuisse, prius esset probandum. *Byrrum quo* S. Odo Cluniaci abbas *tegegatur more cappæ per extremitatem fimbriæ apprehendentes osculabantur* Dei famuli reverentiæ causa. Ex ejus Vitæ auctore Joanne, lib. II, num. 5, sæc. V. SS. Ord. Bened. p. 167. RUINART.

*Dalmatica.* Codd. Fossat. Colb. Conch. S. Genovefæ, etc. pro *dalmatica*, habent *tunica :* sed multo plures codd. *dalmatica.* Cæterum dalmaticæ nomen antiquis ignotum non fuit. Commodus apud Lamprid. *dalmaticatus in publico* processisse dicitur. De dalmatica plura collegit Baronius in notis ad Martyr. Rom. die 31 maii, ubi de Paschasio diacono. Ib.

*Spiculatori* XXV *aureos darent.* Hanc largitionem librariis debitam innuit Oxon. editor. Favet Augustin. loco laudato, ubi ait extrema martyris verba fuisse, *Deo gratias*, quæ statim post recitatam sententiam pronuntiavit. Omnes tamen mss. quos videre licuit, hanc Cypriani liberalitatem commemorant. Maximilianus, cujus acta ad an. 295 proferemus, vestem sibi paratam a patre, rogavit dari spiculatori. RUINART. — Largitio hæc videtur ex librariorum munificentia facta. Sed si singuli aurei monetæ nostræ quinque solidos valeant, summula data conficiet sex libras et quinque solidos, pecuniarum quas sterlingas vocamus. FELL.

Digitized by Google

nualia a fratribus [a] ante eum mittebantur. Postea vero beatus Cyprianus manu sua oculos sibi texit. Qui cum lacinias manuales ligare sibi non potuisset, Julianus presbyter et Julianus subdiaconus ei ligaverunt. Ita beatus Cyprianus passus est; ejusque corpus propter gentilium curiositatem in proximo positum est. Inde per noctem sublatum cum cereis et scholacibus, ad areas Macrobii Candidiani procuratoris, quæ sunt in via Mappaliensi juxta piscinas, cum voto et triumpho magno deductum est. A Post paucos autem dies Galerius Maximus proconsul decessit.

VI. *Passus est* XVIII *kal. octobr. sub Valeriano et Gallieno principibus.*

Passus est autem beatissimus Cyprianus martyr die octava decima kalendarum octobrium, sub Valeriano et Gallieno imperatoribus; regnante vero Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

LECTIONES VARIANTES.

[a] Fratres vero flentes, linteamina et oraria ante eum ponebant, ne sanctus cruor defluens absorberetur à terra *Act. Pass.*

VARIORUM NOTÆ.

*Cum cereis et scholacibus*, Cardinalis Baronius, ad ann. Chr. 261, num. 36, ait: *Pristinus hic mos reseratur Christianos sepeliendi, præcedente clero diversarum classium atque scholarum, accensas faces gestantibus singulis magna plane pompa.* Ita Valeriano imperium obtinente, diversas classes et scholas habuerunt Christiani; et Martyrum funera procedentes instructo agmine, ad hodiernum supplicationum ritum, celebrabant. Desideramus hic, ut alibi passim, historiæ Ecclesiasticæ fidem et dignitatem. Rigalt. ait. *In exemplaribus legitur: Ad cereos et scholaces. Rectissime. Scholaces Græcæ originis vocabulum, sirpos aut funes intortos significat, ex quibus ceratis funalia, in usum nocturni luminis. Funales et scholaces erant candelæ, quæ quoquo versus arcte vinciebant thecam librorum Numæ. Erant enim sequacis ad vincula lentitiæ et sub terram depositæ non computrescebant, stipatæ cedro ceraque.* Intempesta nocte ad corpus amovendum perrexerant fratres, ne id attentarent in Cyprianum Afri, quod in Polycarpum perpetrarunt gentiles Asiatici. De qua re vid. Euseb. l. IV c. 15. B Judæi Joan. XVIII dicuntur venisse μετὰ φανῶν καὶ λαμπάδων. FELL.

*Scholacibus.* Hunc locum ex compluribus mss. sic restituimus. In editis et aliquot mss. pro *Candidiani* habetur *Candidi.* Baronius *Scholacium* nomine designari putat scholas cleri cum cereis, etc. Rigaltius vero faces ad arcendas noctis tenebras, ejusmodi funalia *scholaces* a plerisque appellata esse observat Cangius in Glossario. Cœmeteria autem Christianorum appellata fuisse *Arenarias* seu *Areas* patet ex actis SS. Montani, etc., et ex Tertulliano ad Scapulam, c. 3. Videsis Baronium ad diem 3 januar., in notis ad martyrolog. Roman. RUINART.

# APPENDIX

## PASSIO S. CYPRIANI EX M. S. VICTORIS

### NEC NON BODLEIANO I.

Cum Cyprianus, sanctus martyr, electus a Domino, C de civitate Curubitana, in qua exsilio datus erat, ex præcepto Aspasii Paternii tunc proconsulis, clarissimi viri, regressus esset ex sacro rescripto, specialiter ad hoc et personaliter emisso, in hortis suis manebat; et ad diem omnibus [a] modis veniri sicut ei ostensum erat, sperabat. Idem cum illic [b] demoraretur, repente idibus septembribus, Tusco et Basso consulibus, venerunt ad eum principes duo, unus strator officii Galerii Maximi proconsulis, clarissimi viri, qui Aspasio Paterno successit, et alius equistrator qui esset a custodiis officii ejusdem clarissimi viri, et in curriculum eum [c] imposuerunt, et ambo eum tenuerunt, et in Sexti tulerunt, ubi idem Galerius Maximus proconsul vir clarissimus alia die, id est, crastino, offerre sibi præcepit: et ita idem Cyprianus cum principe et stratore officii maximi proconsulis clarissimi viri secessit, et in hospitio ejus, cum eo, vico Saturni, inter Venerea et Salutaria mansit. Illic ante januam universus populus fratrum mansit. Et cum hoc Cyprianus compe-

LECTIONES VARIANTES.

[a] *Sic Bod.* 1. Omnibus veniri *Imp.*
[b] Cum illic idem demoraretur *Bod.* 1.
[c] Imposuerunt, et in Sexti *Bod.* 1.

VARIORUM NOTÆ.

*Passio S. Cypriani.* Rigalt. ait hanc de Cypriani martyrio narrationem, ut est brevissima, sic etiam esse antiquissimam arbitramur. Plurima Pontius pio erga suum episcopum affectu rhetorica libertate ingeniose commentus est. Multa etiam alii, pro captu quisque suo, adjecerunt, aliena sæculo, aliena personis, quædam etiam detraxerunt valde bona; ut jam pauca supersint quæ præstare possimus sincera. Illa ipsa quæ Prudentius poeta, passionem Cypriani descripturus, famæ accepta refert, Actis inserta transeunt in historiam. FELL.

*Proconsulis clarissimi viri.* Proconsulem titulo clarissimi viri insignitum fuisse ex codice Justiniani et aliis veterum scriptis notum est; sed ut, quod hic D factum est, perpetuo ingeratur, librariorum elegantia haberi debet, quorum perpetuus mos est, omnia quæ emendant contaminare. FELL.

*Specialiter ad hoc et personaliter.* Hæc ineptus aliquis de grege leguleiorum intrusit. RIGALT.

*Et ad diem omnibus veniri.* Legendum videtur, et ad se diebus omnibus veniri. Augustinus: *Et inde quotidie sperabat veniri ad se.* Ipse Cyprianus, epist. 82, ubi de litteris Valeriani: *Quas litteras quotidie speramus venire.* RIGALT.

*In hospitio ejus.* Pontius: *delicata custodia.* RIGALT.

*Inter Venerea et Salutaria.* Inter Veneris et Salutis fanum. Acta ex cod. Fossatensi et Pratensi: *inter*

Digitized by Google

rieset, castigari puellas præcepit, quoniam in vico omnes ante januam hospitii principis jacebant. Et ita altera die, id est XVII kalendas Octobris mane multo, ad Sexti, secundum præceptum [a] Galerii Maximi proconsulis, clarissimi viri, in atrio sedentis Sauciolo, oblatus est. Quo oblato, idem Galerius Maximus proconsul, clarissimus vir, Cypriano dixit [b] : Tu papatum sacrilegæ mentis hominibus exhibuisti? Cyprianus dixit : Ego. Galerius Maximus proconsul, clarissimus vir, locutus cum consilio, sententiam vix et ægre dixit, verbis hujusmodi : Diu sacrilega mente vixisti, et plurimos tibi nefariæ conspirationis homines aggregasti, et inimicum te constituisti diis Romanis et religionibus sacris, nec te pii et sanctissimi principes nostri Valerianus et Gallienus Augusti, et Valerianus nobilissimus Cæsar, secta felicissimorum temporum suorum, obdurati furoris, ad cæremonias percolendas, bonamque mentem habendam tanto tempore potuerunt revocare. Et ideo quod nequissimi criminis auctor et signifer deprehensus es, quo tu scelere docuisti, ipso documento peribis; ut quoniam tuo admisu duravit sacrilega contumacia, tuo sanguine sanciatur disciplina. Et decretum ex tabella recitavit. Thascium Cyprianum gladio animadverti placet.

## LECTIONES VARIANTES.

[a] Galerii Maximi in atrio sedentis, obvoluto et sauciolo *Rigalt.* Voluntarie Sauciolo *Bod.* 1.

[b] Tu es Thascius Cyprianus Dixit : Ego. Galerius Maximus dixit *Bod.* 1.

## VARIORUM NOTÆ.

*Venariam et Salariam.* In aliis codicib. legitur *Salutariam.* Non est spernendum quod in Victoriano scriptum est : *inter Venaria et Salutaria ;* hac enim manu ducor, ut existimem scriptum fuisse, *inter Venaria Salutaria* ab aliquo sciolo qui apud Pontium legerat locum ubi Cyprianum pati contigit, fuisse arboribus ex omni parte densatis consitum. RIGALT.

*Universus populus fratrum mansit.* Nocturnæ convocationes Christianorum olim apud ethnicos suspectæ; et prostrata puellarum pudicitia passim illis objiciebatur. Vid. Tertull. *ad Uxor.* l. II, Justin. et Athenag. *in Legat.* et Minut. Fel. Ideo de custodiendis virginibus adeo sollicitus erat Cyprianus, Pontius istam pernoctationem, ad vigilias maxime solemnem quæ Pascha antecedebat, revocare videtur, quæ Eusebio, ἡ μεγάλης ἑορτῆς παννυχίς. l. II, c. 17, et ἡ μεγάλη τοῦ πάσχα διανυκτέρευσις l. VI, c. 9. Unde conjicere licebit, per illa sæcula, vigilias ex recepto more, martyrum natales, licet episcopi essent, minime præcessisse. Siquidem tamquam peculiare quiddam observat, *quod Dei populus etiam in sacerdotis passione vigilaret.* FELL.

*In atrio sedentis Sauciolo.* Sedenti obvoluto et sauciolo. Hactenus nemo hanc protulit ex ullo exemplari scripturam. Vulgatissima illa est : *In atrio sedenti Sauciolo*, et in actis a Manutio et Morellio editis : atrium quoque proconsulis dicitur Sauciolum. Sed parum probabile videtur ullum fuisse atrio cognomentum. Faber testatur in veteri codice reperiri : *Seleutiolo.* Quod igitur in isto Victorino scriptum est, *obvoluto et sauciolo*, et cui displiceat istud, *sauciolo*, emendari poterit levissima mutatione : *Mane multo ad Sexti, secundum præceptum Galerii Maximi proconsulis, clarissimi viri in atrio sedenti, obvoluto (et helucioso, oblatus est.* Scriptor iste qui *venaria* dixit, pro *venationibus*, aut *venatoriis, heluciosum* quoque dixerit pro *helucoso* : ut sit helucosus sive heluciosus ὁ καρηβαρῶν. Notandum vero est eumdem scriptorem hoc quoque tradere : Proconsulem in locum, qui dicitur Sexti, secessisse valetudinis gratia, locum nempe amœnum inter venationes et saltus. Notandum etiam in ista narratione, proconsulem vix et ægre interrogasse et allocutum esse. Itaque sedisse in atrio obvolutum, pannis fortasse et focalibus, ut solent ægrotantes aut sauciati, unde aliquis postea dixerit obvolutum et sauciolum. Quæ conjectura firmatur eo quod in actis aliis legitur : *Post paucos dies proconsulem decessisse.* RIC. — At quantumcumque sibi placeat Rigaltius in conjectura sua, constat Sauciolum *prætorii atria* denotare. Concil. Matisconensi secundo *c. 19* dicitur : « Ut ad locum examinationis reorum nullus clericus accedat, neque intersit atrio Sauciolo, ubi pro reatus sui qualitate, quispiam interficiendus est. » Si quis vocem hanc ex gothica barbarie haustam, et a sequiorum temporum librario, is *atrii* interpretamentum additam dixerit, minime repugnabo. FELL.

*Obdurati furoris.* Aliquid hic turbatum est. Nam hæc verba sunt proconsulis, in Cypriani constantiam et fidei christiani robur; quasi Galerius allocutione ad Martyrem sua dixisset : Nec te obdurati furoris, pii et sanctissimi principes nostri, secta felicissimorum temporum suorum, ad cæremonias percolendas revocare potuerunt, etc. RIC.

Digitized by Google

# INDEX GENERALIS.

## IN OPERA TERTULLIANI.

## MONITUM.

Multos multum forsan pertæsum est haud suo loco, ut par erat, invenisse, at secundi nempe tomi calcem, hunc generalem in opera Septimii indicem. At, cum nec temporis, nec loci spatia forent, tam igitur ne in immensum libri moles cresceret, quam ut accurate index iste texeretur provisum est. Cum enim, absoluto opere nostro Tertulliano, ad rerum indicem accingeremur, collatis hinc inde ac in medium adductis Pamelii, Rigaltii, Prioris, Semleri syllabis, mirum in modum nos angustiæ corripuere, cum eumdem fere indicem, Pameliano vix excepto, iisdem mendis scatentem, iisdem defectibus hiantem, eadem incuria laborantem de manu ad manum oscitanter transtisse deprehendimus. Immo, ut plerumque fit, pravum exemplum ad pejora traxit. Inde si quid bonæ indolis in indice Pameliano, nec velim inficier, id pro more suo Rigaltius, quantum potuit, amovit; quantum licuit, sive omittendo clanculum, sive secus adducendo textum, suam male olentem absconditi calvinistæ prurigiuem respersit. Tum Prioribus, cæteroquin bonæ frugis homo, istud Rigaltianum opus in suam eximiam editionem temere intrudit. At longe deterior Semlerus magnificus, ut aiunt socii ejus assentatores: ut enim ad incomptum editionis principis textum, posthabitis trium sæculorum accuratis recensionibus, rediit, ita et Heraldi indicem, rudem licet indigestumque remandisse visus est. Hæc porro, inter multa, aliter aut rectius, ni fallor, instructa, annotare licet. — 1° Ordinem litterarum alphabeticum in hujusmodi opella tam necessarium multoties impressi interturbavere. — 2° Ordinem rerum grammaticalem, ut ita dicam, ita cæco animo neglexere ut passim absonas κεφαλαιας reperire sit, v. g.: « Germani limites transgredi sinuntur, » dum legendum: « non sinuntur; » « Marcion docet eum Christum non venisse qui nunquam fuerit annuntiatus, » dum e contra legendum: « Christum venisse; » « Deus Pater invisibilis fit in Filio ex operibus, immo Lege visibilis. » Alias sensum sus deque verterunt non tantum mutando affirmationes vel negationes, sed rem omnino novam intrudendo: Tertullianus ait: « Etiam vanas sæculi disciplinas ad laudem et gloriam promovet (patientia). » Semler in indice rectius: « Disciplinæ vanæ sæculi ad laudem et gloriam Dei promovent, etc. » 3° Eo oscitantiæ veneruut editores hi Germani, ut si quid in præcedentibus indicibus irrepsit mendosum in pagina excitanda, idem plenis manibus, licet alio omnino pagiuarum ordine utentes accipiunt: ne igitur ordinem quidem numericum servavere; 4° nec a fortiori ordinem logicum; vel enim singulæ voces, singulæve affinitates gregatim proferuntur, vel res a toto cœlo discrepantes consociantur. Hanc philosophicam rerum connexionem in primis retexere studuimus. 5° Ordinem temporum omnibus obvium, in re trita persæpe dexpexere. Hinc Larissæus heros fit Hercules: Johannes Baptista cum Evangelista promiscue habetur. 6° Nil vero protervius pessumdatur, nil accuratius recenseri merebatur quam ordo rerum dogmaticus catholicæque disciplinæ series. Hinc absit ut ad hæc verba « Claves Petro datæ sunt, » addatur hæc minium Romana: « Datæ per eum Ecclesiæ; » hinc de Confirmationis sacramento nec vola nec vestigium; hinc innumeræ nonnullius momenti sententiæ, quas sedulo excitandas esse religioni summæ duximus. Cuncta vero Tertullianeæ doctrinæ puncta sive vera sive erronea, sedulo indigitantur, accedunt: præterea ad cumulum sententiæ, proverbiales, et ingens rerum copia quæ in eximia D. Nic. Le Nourry inveniuntur. Hanc ergo nostri indicis novam recensionem eo cæteris præstare liquet, quod prædictis nævis nil parcendo occurritur, quod multo locupletior sit ordo noster, quod præ omnibus res novas et innumeras Dogmatica catholica requisitas collegimus.

Prior nota arithmetica, charactere Romano descripta, indicat tomum; posterior, charactere Arabico, columnam; littera, columnæ partem quæ eidem litteræ subjacet.

## A

A et Ω, Jesus Christus, II, 70 A. Duas Græciæ litteras, summam et ultimam, sibi indult Dominus, II, 935 B, C:

Aaron, principalis sacerdos, II, 937 B.

Aaron et filii ejus cum adirent ad sanctum, prohibiti sunt portare vinum, II, 517 B.

Abelis sacrificia Deus accepit, II, 601 A. Quare, *ibid.* Populum christianum demonstrabat, II, 697 A.

Abeona dea, I, 600 C.

Abjici a Deo nihil aliud, nisi amittere salutem, II, 279 B.

Aborigines nunc in suis sedibus permanent, II, 700 A.

Abraham, pater fidei et divinæ familiaritatis vir, II, 820 A. Ante Deo placuit quam circumcideretur, II, 602 A. Cur circumcisus, *ibid.* Nullius aquæ nisi fidei sacramento Deo placuit, I, 1215 A. Abraham, amicus Dei, unde justus deputatus, si non de æquitate et justitia legis naturalis, II, 600 B.

Abraham digamus, II, 936 C, D. Soroream mentitus Saram, salutem contumelia redemit, I, 1319 A.

Abraham Angelorum in humana effigie pedes lavit, II, 757 B. Abrahæ Dominus apparuit inter ipsos Angelos, II, 764 B.

Abraham jussus filium immolare, non tentandæ fidei gratia, sed probandæ, I, 1164 A. Merito benedictus, quia fidelis; merito fidelis, quia et patiens, I, 1299 B. Ejus fides patientia illuminata, *ibid.* In Abraham typica fidei contestatio, *ibid.*

Abraham nomen mutatus a Deo, syllabam adjiciendo, II, 387 C.

Abrahæ semen benedictum in omnes gentes, II, 597 B. Semen Abrahæ, Christus, I, 1289 C,

Abrahæ sinus, quid, II, 444 *sqq.*

Abraham quidam priorem constituunt quam mundum, II, 257 C.

Abraxan Basilides dixit esse summum deum, II, 62.

Absolutio mortis si est, quomodo absolveret a morte qui non devixit ad mortem, II, 280 A.

Abstinentiæ testimonium vacat, cum licentia eripitur, II, 282 A. In nullo magis procuratur Dei clementia, quam abstinentia populi, II, 902 A. Cur tam severam abstinentiam Judæis imposuerit Deus, II, 506 B. Abstinentia a vino et animalibus esculentis a primis Christianis culta, I, 1527 A.

Abstinentia in facultate dignoscitur, II, 282 A.

Abundantia semper in semetipsam contumeliosa, I, 1311 B.

Academici a loco conventiculorum suorum sic appellati, I, 282 A. Quinque sensuum fidem durius damnant, II, 674 A.

Acci Patina, II, 562 B.

Accidens et accidentia in quo differant, II, 498 B.

Acclamationes publicæ pro longiori imperatorum vita, I, 455 A, B.

Achab rex sanguinem Naboth deprecatione delevit, II, 996 B. Veniam meruit pœnitentiæ nomine, II, 578 A.

Achamot, æon Valentini, II, 66 B, 564 A, B, 568 A, 571 *sqq.*

Digitized by Google

Achilles, ferarum medullis educatus, unde nomen sumpsit, II, 1041 A. In virginem habitu mutatus, *ibid.* Cleonymus Pyctes ab eo curatus in somnis, II, 729 A.

Achivorum arma, I, 425 A. Achivorum et Trajanorum deorum bella, I, 351 A.

Acta Apostolorum qui non recipiunt, nec Spiritus sancti esse possunt, II, 34 C, 35 A.

Acta Pontii Pilati, I, 290 *sqq.*

Actus judicum custodiarum, I, 496 B.

Adam liber et sui arbitrii et suæ potestatis a Deo institutus, II, 290 B. Non ex semine viri factus, II, 723 B. Innocens erat et Deo de proxime amicus, et paradisi colonus, I, 1257 B. Incircumcisus in paradiso habitavit, II, 601 A.

Adam ante nomina animalibus enuntiavit, quam de arbore decerpsit; ante etiam prophetavit, quam voravit, II, 883 B.

Adam ecstasin spiritalem expertus, in qua magnum illud sacramentum in Christum et Ecclesiam prophetizavit, II, 665 A, 958 A. Adam, fons ille generis humani, ante ebibit soporem quam sitiit quietem; ante dormivit, quam laboravit, quam edit, immo quam et probatus est, II, 723 B. Adæ somnus mors erat Christi dormituri in mortem, II, 723 B.

Adam nudus certe et investis figulo suo constitit, post demum sapientiam haud dum licitum præreptam, potitur, II, 1038 A. Deus Adæ ostendit exitum transgressionis, ne ignorantia periculi negligentiam juvaret obsequii, II, 293 B, C. Adæ et Evæ lex data, in qua omnia præcepta condita erant, II, 599 B.

Adam, unus Evæ maritus, et Eva una uxor illius, una mulier, una costa, I, 1277 A. Adam ante nuptiarum congressum vir cognominatus est, II, 900 B. Adam et Eva, quamdiu intellectu carebant, nudi agebant, II, 904 A.

Adæ delictum, II, 286 B, C. Quid ei acciderit post lapsum, II, 297 B, C. Illi fuit adempta paradisi gratia et Dei familiaritas, II, 286 B. De ficulneis foliis pruriginem retinuit, II, 990 D, 1038 A. Quod evenit, Adæ, non Deo, debet exprobrari, II, 290 B, C. Per impatientiam alterius periit, I, 1257 B. Adam et Eva de immortalitate exciderunt, faciendo contra Domini præceptum, II, 599 C. Deus ipsam transgressionem disponendo præsciit, et præsciendo disposuit, II, 290 A.

Adam cur Deus interroget post peccatum, II, 314 C. Adam confessus seductionem, et non occultata seductrice, insignis admodum fuit hæreticus, II, 286 C. Propter statum legis deditus morti est, sed spes ei salva est, II, 315 A. In mortem damnatur ob unius arbusculæ delibationem; et ex inde prosiliunt delicta cum pœnis, et pereunt jam omnes qui paradisi nullum cespitem norunt, II, 272 A. In ergastulum terræ laborandæ relegatus, in ipso opere prono et devexo ad terram, usurpatum ex illa spiritum mundi universo generi suo tradidit, II, 286 B. Adam et Evam Deus non maledixit, II, 315 A.

Adæ et Evæ restitutio carnis repromissa, II, 833 B.

Adæ pœnitentia, I, 1248 B. Ipse stirpis humanæ et offensæ in Deum princeps Adam, exomologesi restitutus in paradisum, I, 1248 B. Quod negabat Tatianus, II, 72 A.

Adam novissimus Christus, II, 723 B, 782 A, 874 A. Ex qua substantia pariant inter se Christus et Adam, II, 874 B.

Admeti regis greges Apollo pavit, I, 352 A.

Adoratio. Vid. Christiani, Oratio.

Adrianus. Vid. Hadrianus.

Adrymeticus Mavilus martyr, I, 702 B.

Adsolare fastigium majestatis, I, 363 A, 577 A.

Adulter, quis apud Deum, I, 1232 C.

Adulterium est nubere manente matrimonio, II, 443 C. Adulterium est matrimonium illicitum, II, 950 C. Nemo sine libidinis impatientia subit adulterium, I, 1238 B.

Adulterium non in solis consistit, osculis amplexibus et carnis congressione, sed etiam si oculum quis impegerit libidinose, et animam commoverit impudice, I, 664 B.

Adversa contingunt bonis in admonitionem, malis in castigationem, I, 489 A. Temporali afflictione, non solum frustrantur supplicia æterna pœnitentes, sed etiam expungunt, I, 1244 A. Vid. Calamitas, Malum.

Ædificant quidam quasi numquam morituri, I, 473 A.

Ægyptiorum regnum Romano antiquius, I, 432 A. Bestias adorabant, II, 596 D, *sq.* Oves et bestias consecrabant, I, 418 A. Eos capite damnabant qui unam occidissent, *ibid.* Ægyptiorum dii ibis et crocodilus, II, 302 A. Ægyptii tauri antistites, II, 928 C, 955 A. Joseph patriarcham Serapidis nomine deum habuerunt, II, 596, D *sq.* Ægyptiorum hierophantæ, II, 260 C. Ex Ægypto omnis superstitio provenit, I, 640 A.

Ægyptus incolam habuit Chaldæum genus, II, 1035 B. Ægyptus fœdissima decemplici castigatione percussa, II, 301 C. Juste auro et argento spoliati Ægyptii ab Judæis, II, 308, *sq.*, 418 C, *sq.*

Ægyptus nonnumquam totus orbis intelligitur, superstitionis et maledictionis elogio, II, 620 B. Ægyptus et Æthiopia omnis gens vocatur, a specie ad genus, I, 635 A.

Ægroti fratres visitandi, I, 1294 A, 1303 A, 1329 A.

Æmilius Probus voverat se deo Alburno templum consecraturum, sed a senatu prohibitus fuit, I, 290 A.

Æmulatio schismatum mater est, I, 1218 A. *Ubi studium*, ibi et æmulatio, per quam studium sapit, I, 647 B. Æmulationi concurrunt ira, discordia, odium, dedignatio, indignatio, bilis, nolentia et offensa, II, 277 A. Proprium patientiæ, non æmulari, I, 1268 B. Nihil sine æmulatione decurret, quod sine adversario non erit, II, 277 A. Æmula quæque concurrunt, II, 143 A.

Æmulatio divinæ rei et humanæ, quid, I, 536 A. Æmulus Dei, præter diabolum et angelos ejus, alius non erit, I, 1312 B.

Æneas quam immerito pius et deus dictus sit, I, 599 A. Patriam prodidit aut deseruit, I, 598 B. Ignavus, post Laurentinum prælium non comparuit, I, 599 A.

Ænesidemus animæ unitatem tuetur, II, 689 A. Ejus opinio de substantia animæ, II, 660 B.

Æones Valentinorum, II, 47 A, 68 A, etc; Ophitarum, II, 64.

Æquanimitas Christianorum, I, 511 *sq.* *Æquanimitatis* mira fides, I, 1254 A. Æquanimitatis caninæ stupor affectatio humana, I, 1231 B.

Ærarium sanctius, I, 446 A.

Æri et ferro totius vitæ necessitates sunt innixæ, I, 1310 A.

Æschines hæreticus, et qui sunt alius Æschinem, II, 72 A.

Æsculanorum dea Anscharia, I, 621 A.

Æsculapius, Apollinis et Coronidis seu Phoronidis, vel Arsinoes filius, incerto patre natus, I, 352 A. Medicinarum demonstrator, I, 413 A; II, 88 B. Primus medelas exploravit, II, 87 B. Ob medicinam et avaritiam a Jove ictu fulminis percussus, I, 358 A.

Æsculapium et matrem ejus adorabant Athenienses, I, 605 D. Sacerdotes ejus induebantur pallio, II, 1031 A; et crepidis cretatis, *ibid.* Stantes ministrabant, I, 612 B. Illi offerri jussit Socrates gallinaceum, II, 648 A. Si a Christianis interrogetur Æsculapius, dæmonem se esse fatebitur, I, 413 B.

Æsculapius alia die morituris, Socordio, Denatio et Asclepiodoto, vitæ subministrotur, I, 413 A.

Æsopi graculus, II, 562 B.

Æsopus histrio ex avibus pretiosis convivium instituit, II, 1049 A.

Æstas, familiare periculi tempus, II, 123 A. Animas dissolvit, II, 732 B. Æstiva hiberna ab *imbribus suspendunt*, I, 487 A.

Ætates per corpora operantur, II, 746 B. Quinque hominis ætates: infantia, pueritia, adolescentia, juventus, senecta, II, 746 C. Officia cuique ætati congrua, *ibid.* Tanta est ætati fides, ut nec habitu obstrui possit, II, 906 B. Ætatis auctoritas, II, 903 B.

Ætatis procacitas verecundiam debentis vindicanda, II, 203 A. Majori ætati Deus exigit honorem, et magis a minore, II, 417 A.

Æternitatis definitio, II, 201 A. Ejus census, quis, *ibid.* Æternitatis status non alius quam semper fuisse et futurum esse, ex prærogativa nullius initii et nullius finis, *ibid.* Non potest diminutionem et subjectionem capere, II, 203 B, 207 A, 689 A. Æternitas non habet tempus; omne enim tempus ipsa est, II, 235 A, B. Caret ætate, *ibid.* Apud Deum, uniformem statum temporum dirigit æternitas ipsa, II, 326 B. Deus de momentaneis æterna medicatur, II, 132 B.

Æternum nihil, nisi post resurrectionem, II, 880 A.

Æternitatis candidatus Enoch, II, 601 B.

Æthalides et Hermotimus fabam in pabulis communibus irruerat, II, 702 A.

Afferenda dea, I, 601 A.

Afflatus minor est spiritus, et si de spiritu accidit, ut aurula ejus, non tamen spiritus, II, 294 C. Afflatum nonnat græca scriptura animam, non spiritum, *ibid.*

Afflatus Dei nihil aliud quam vapor spiritus, II, 696 A. Anima afflatus Dei, II, 652 A, 696 A, 804 A.

Africam occuparunt Phœnices, II, 700 A, 1035 B. Major pars Africæ mari Atlantico erepta, I, 481 A, 577.

Afrorum dea Cœlestis, I, 419 A.

Agape, seu dilectio, cœna Christianorum, I, 474 A, 633 A. Quomodo in hoc convivio se agebant, I, 477 A.

Agape sacra Eucharistia vocata, I, 1210 A.

Agonothetes noster Deus vivus est, I, 624 A, B.

Ajax Ulyssem in armento vidit, II, 675 C.

Albana dea, I, 600 C.

Albarius lector, I, 670 A.


Digitized by Google

Albini et Albinianæ factionis fautores, I, 457 *sq.* Illius soli gentiles rei erant, I, 699 B.
Albini sententia de animabus, II, 697 A, B.
Alburnus deus, I, 290 A. A Metello inventus, II, 266 C.
Alea Curii, II, 1049 A.
Alcinoi pometum, II, 1036 A.
Alexander hæreticus Valentinianus, II, 780 B, *sq.*
Alexandri Magni sublimitas, I, 337 A. Sola gloria minor, II, 1045 A. Numquam Asiam universam et cæteras regiones, postquam devicerat, tenuit, II, 611 B. Qui gentem Medicum vicerat, victus est Medica veste, II, 1045 A. Nonacris Arcadiæ aqua illum interemit, II, 714 B. Duodecim annis regnavit, II, 614 A.
Allegoriam probavit Deus, II, 487 C. Allegorica forma non est in omnibus propheticis eloquiis, II, 822 B. Vid. Prophetæ.
*ALLELUIA* in orationibus subjungere solebant diligentiores, I, 1194 A. Item in Psalmis, *ibid.*
Allophylorum nuptias ubique prohibet Deus, II, 487 A. Allophyli a Machabæis expugnati, II, 606 C.
Alphabetum Græcorum novæ hæresi præbens occasionem, II, 70 A.
Alpium aeris rigor, II, 692 B.
Altaria bustuaria, II, 1041 B.
Altinæ oves, II, 1039 A.
Alvei, qui, I, 322 A.
Amara quibus omnia sint, II, 675 C.
Amazones, I, 308 A. Regnum illarum Romano antiquius, I, 432 A.
Ambitio, quid, I, 1314 A. Ambitionis vires, quæ, I, 1314 B. Ambitionis repudiatio nulla in egestate, II, 282 A.
Ambitiosi quibus incommodis et contumeliis se subdant ad honores capessendos, I, 1246 B, *sq.*
Amentia, vis spiritalis, quia constat prophetia, II, 684 B.
Amicos diligere omnium est, inimicos autem solorum Christianorum, I, 698 D.
Ammon, ovium dives, II, 1038 B.
Amphiarai apud Orogum oraculum, II, 730 A.
Amphilochi apud Mallum oraculum, II, 750 A.
Amphitheatri in aditu plura eduliorum genera emebantur, I, 493 A.
Anacharsis, philosophus, cum regno Scythiæ philosophiam non mutavit, II, 1045 B. Musicam ignorantes deridebat, I, 265 A.
Anaphis insula, I, 480 A.
Anatomia veteribus nota, II, 662 A, 692 A.
Anaxagoras, cum Xenophane, defetiscentiam somnum vocat, II, 721 B. Ejus turbata sententia de anima, II, 666 A. Depositum hostibus denegavit, I, 512 A.
Anaxarchi dictum cum ptisanæ pilo tundebatur, I, 532 A.
Anaximander plures mundos putat, II, 1032 B. Universa cœlestia et aerem deum dixit, II, 260.
Anaximenis opinio de animæ substantia, II, 660 B.
Ancharia Æsculanorum dea, I, 421 A.
Andreas medicus, II, 670 A.
Angeli sunt substantiæ spiritales, I, 405 A. Sunt tamen corpus, sed sui generis, II, 765 A. Consistantne spiritu materiali, II, 294 B. Angelos officia divina nos credimus, II, 713 A. Deus Angelos secunda animalium figuræ formatione fecit in paradiso suo, II, 297 A. Libero sunt arbitrio dotati, I, 1306. Angeli de cœlo omnes prospiciunt, et singulos denotant, II, 658 A. Quid ubique geritur, tam facile sciunt quam enuntiant, I, 407 A. Momento ubique sunt, *ibid.*
Angelos appellat Spiritus sanctus illos quos ministros suæ virtutis Deus præfecit, II, 623 A.
Angelus magni consilii Christus, quomodo, II, 778 A, B.
Angelus orationi adstans, I, 1174 A.
Angelus Baptismi, I, 1206 A. Angelus aquis intervenit, I, 1205, *sq.*
Angelum quemdam inclytum mundum instituisse docebant Apelleiani, II, 769 A.
Angeli tamquam homines aliquando fuerunt, II, 885 A. Pro Angelorum exsultatione orabant Christiani, I, 1159, *sq.* Angeli conversi in corpulentiam humanam, II, 757 C. Angelorum corporandorum quæ causa, II, 764 A. Angelicæ potestatis proprium, ex nulla materia corpus sibi sumere, II, 765. Angelorum caro non putativa fuit, sed veræ et solidæ humanæ substantiæ, II, 333 A B. Carnem non propriam gestabant, utpote natura substantiæ spiritales, II, 764 C.
Angelorum pedes lavit Abraham, II, 757 B. Quali substantia apparuerint, II, 333 A.
Angelorum nomen poetis ac philosophis agnitum, I, 405 A. Illorum existentiam Plato non negavit, *ibid.*
Angeli apostatæ, I, 405 A. Illorum princeps Satanas, *ibid.* Angeli desertores Dei, amatores fœminarum, proditores astrologiæ, II, 671 B. Legimus illos a Deo et cœlo excidisse, ob concupiscentiam fœminarum, II, 899 A. In filias hominum scandalizati sunt, II, 319 A. Corruptiores perditorum angelorum, dæmonia, I, 405 A. Angeli pravi liberæ potestatis abusu lapsi in peccata, I, 1306.
Angeli, post libidinum vaporata momenta, cœlum suspirabant, I, 1306 A. Angelis perditis nulla est repromissa restitutio, II, 777 C. De angelorum salute nullum mandatum Christus accepit a Patre, *ibid.*
Angelus malitiæ Satanas, I, 613 A.
Angelus perditionis malus, an impatiens, I, 1257 A. Angelus seduxit hominem, II, 294 B.
Angelus seductionis in virgine Philumene, II, 18 B. Cuidam sorori montanistæ nudas cervices angelus in somnis verberavit, II, 912 B.
Angeli desertores metallorum opera denudarunt, herbarum ingenia traduxerunt, et incantationum vires provulgarunt, et omnem curiositatem usque ad stellarum interpretationem designarunt, I, 459 A, 1306 A. Mulierum pulchritudinem, causam sui lapsus, quomodo remuneraverint pravi angeli, I, 1306 C.
Angelis malis renuntiant Christiani in susceptione Baptismi, I, 1306, *sq.* Angelos judicabunt, *ibid.* Vid. Dæmones, Diabolus.
Animæ definitio, II, 686 A. Substantia est simplex, *ibid.* Incorporalis, II, 652 A, 654 A, B. Spiritus est, sicut ipsa dies lux, II, 664 A. Rationalis est, II, 295 B. Anima libera est et sui arbitrii, II, 295 B, 686 A. Rationalis, capax scientiæ et intellectus, II, 295 B. Semper ei inest intellectus, II, 680 B. Anima si minoratur, perit, II, 722 A. Utrum anima et spiritus unum sint, II, 664 A.
Anima umbra Dei, spiritus sui aura, oris sui opera, II, 805 A. A Deo descendit, I, 377 A. Ex afflatu Dei anima, II, 652 A, 686 A, 696 A, 804 A. Imago Dei est, II, 295. Nam eosdem motus et sensus habet animus quos et Deus, licet non tales quales Deus, II, 304 A. Animæ substantia, quam ab ipso Deo traxit, ad formam Dei respondet, II, 290 B. Anima divina et æterna, juxta plures philosophos, I, 610 A. Anima nata et facta, ex initii constitutione, II, 652 B.
Anima dicitur suæ substantiæ nomine, II, 654 A. Animæ græcum nomen, ψυχή, frigidum, II, 692 B, 696 A. Anima proprium habet suum vocabulum, non egens communi corporis vocabulo, II, 510 B. Animæ debetur summa omnis, cujus nomine totius hominis mentio titulata est, II, 667 B. Totum quod sumus anima est, II, 775 A. Anima nec vocabulo cadit, quia nec habitu ruit, II, 819 B.
Animæ omnis unum genus, II, 720 B, 690 B, C. Anima omnes pares sumus, non disciplina, I, 682 B. De animæ similitudine in parentibus, II, 653 B, 693 A. Animæ et carnis ex Adam tradux in fœmina, II, 713 A, 804 A. Utrum animæ duæ in unum conveniant, II, 693 A.
Anima præscia plerumque, II, 295 B. Animæ divinationem multa documenta probaverunt, II, 689 C.
Anima invisibilis est, II, 658 B. Quare, *ibid.* Animæ corpus soli spiritui visibilis, II, 658 B.
Animæ immortalitas penes plures natura nota est, II, 798 B, C. Anima omnis immortalis, renuntiatum Platonis, II, 795 C. Mortalis vero in Epicurei sententia, I, 610 A. Anima obumbrari potest, extingui non potest, II, 720 B. Pluribus asseritur animæ immortalitas, II, 613 B, 668 A, B.
Animæ a primordio conscientia Dei dos est, II, 257 C. Animæ conscientia an a Deo sit formata, vel litteris Dei, non multum refert, I, 617 B.
Animæ qualitas interpretanda, II, 294 C. Animas duplici proprietate discernunt Valentiniani, II, 583 B. Anima semper mobilis et exercita, II, 722 A. Negotiosa semper et exercita ex perpetuitate motationis, quod Divinitatis est ratio, II, 725 B. Anima movet corpus, et conatus ejus extrinsecus apparent, II, 654 B. An in anima sit summus gradus vitalis et sapientialis, quod ἡγεμονικὸν appellant, II, 670 A. Qualitates ejus solis intellectualibus sensibus comprehenduntur, II, 654 B, C.
Animæ sensus, II, 654 C. Animæ sensus delictorum etiam sine effectibus imputari solent, II, 719 B. Animæ effigiem dat Tertullianus, negante Platone, II, 659 A. Animæ sensualis natura, II, 775 A.
Animam bifariam Plato partitur, per rationalem et irrationalem, II, 668 B, 672 A. Zeno in tres partes eam dividit, vel etiam in sex, II, 668 B. In septem a Serano dividitur, in octo a Chrysippo, in novem ab Apollophane, in decem apud quosdam Stoicorum, et in duas amplius apud Posidonium, *ibid.*
Anima somniorum memor, quomodo, II, 726 A. Somnum non capit cum corpore, II, 722 A, 725 A, 819 B.
Anima humana naturaliter christiana, I, 577 A. Quo sensu, I, 378 B, 610 B.
Anima prior quam littera, II, 616 B. Ante, quam prophetia, II, 257 C. An ante corpus condita, II, 712 B, 858 B.
Anima in ipso seritur homine, et unum est a primordio semen, sicut et carnis in totum generis examen, II, 712 A. Anima hominis velut surculus quidam ex matrice Adam in



Digitized by Google

propaginem deducta, II, 682 A. Anima in utero seminata pariter cum carne, II, 693 A. Pariter cum ipsa sortitur et sexum, II, 712 A. De animæ conceptu, adversus eos qui post partum corporis eam inducunt, II, 858; ut volebat Plato, II, 691 A, et Hicesius, ex aeris scilicet frigidi pulsu, II, 692 B. Anima semine uniformis, fœtu multiformis, II, 683 A.

Animæ effigies, II, 639 A. Ejus forma per omnia humana, II, 660 A. Anima a primordio in Adam concreta et configurata corpori, ut totius substantiæ, ita et conditionis istius semen efficit, II, 661 B.

Animæ sedes, ubi, II, 631 B, 671, *sqq.*, 814 A. Ætas animæ, II, 746, *sqq.* Omnia naturalia animæ, ut substantiva ejus, ipsi insunt et cum ipsa proficiunt, II, 682 A. Animæ crementa non substantiva, sed provectiva, II, 715 A. Cum omni paratura sua pullulat anima tam intellectu quam et sensu, II, 682 A, 715 C. Anima, quacumque ætate decesserit, in illa stat usque ad supremum diem, II, 747 A.

Animam inseruit Deus et immiscuit carni, tanta quidem concretione, ut incertum haberi possit utrumne caro animam, an carnem anima circumferat, II, 805 A. Animæ mutæ et irrationales medicinas sibi divinitus attributas in tempore agnoscunt, I, 1248 A. Animam ut incorporalem incorporalibus sapientiæ scilicet studiis ali aiunt philosophi, II, 656 A. Corporalibus etiam pascitur, II, 653 A. Et artibus, II, 956 A.

Animæ domus caro, et inquilina carnis anima, II, 717 A. Animæ totum vivere, carnis est, II, 805 B. Omne animæ cogitatorium, caro est, II, 814 A. Numquam anima sine carne est, quamdiu in carne est, II, 814 A. Nihil non cum illa agit sine qua non est, *ibid.* In carne et cum carne et per carnem agitur ab anima quod agitur in corde, II, 813 C. Anima quæ agit impellit in omnia, carnis obsequium est, II, 814 A. Quidam sunt actus animæ sine corporis commercio, II, 780 B, *sq.* Ad perficiendum autem operam carnis exspectat, II, 817 A Vid. Corpus.

Anima propriam habet corpulentiam, II, 182 B, C, 817 A. Animæ corporalitas ex Evangelio relucet, II, 656 B. Corpus habet, membra habet, II, 817 A. An ideo carnalis, II, 773 B, C. Animæ corpus suæ est qualitatis, sicut spiritus, II, 510 B. Anima corpus, ex corporalium passionum communione, II, 653 C. Anima non potest dici corpus animale aut inanimale, II, 654 A. Nihil est anima, si non sit corpus, II, 657 A. Corpus si non haberet, non caperet imago animæ corporis imaginem, II, 657 A. Animæ adsunt habitus, terminus, longitudo, latitudo et sublimitas, II, 659 A. Anima corporalis est, habens proprium genus substantiæ soliditatis, II, 816 C. Præ ipsa tenuitatis subtilitate, de fide corporalitatis animæ perichtatur, II, 661 A. Animæ thesaurus an aeris sit rigor, II, 692 B. Animæ color aerius et lucidus, II, 660 A. Animam corpus animale quidam argumentantur, cur, II, 872 C. animæ anima sensus est, ii, 775 A.

Anima humana nullo modo transferri potest in bestias, II, 703 A.

Anima carni, ut magis Deo proxima, dominetur, II, 805 B. Animam Deus semper alloquitur, compellit, advocat, II, 668 A. Animæ naturalis timor in Deum, unde, I, 612 A.

Anima nulla sine crimine, quia nulla sine boni semine, II, 720 B. Malum animæ ex originis vitio et ex obventu spiritus nequam, II, 730 A. Anima an in homine deliquerit, et an possit ad originalem summam referri corruptio portionis, II, 294 C. Anima deliquit per liberum arbitrium, II, 296 A. Potuit, non debuit, delinquere, *ibid.* An nostræ solius animæ causa venerit Christus, II, 667 B. Anima omnis eo usque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur, tandiu immunda, quamdiu recenseatur, II, 719 A.

Animam et corpus ipsum in sæculo isto expositum omnibus ad injuriam gerimus, I, 1262 A. Animæ conflictationes, jejunia et aridæ escæ, II, 806 A. Anima, non lavatione, sed purgatione sancitur, II, 865 A.

Anima est passibilis, II, 666 B. Nihil pati potest sine stabili materia, id est carne, I, 253 A. Etiam in hac vita, illæso corpore, anima sola torquetur, II, 730 A. Item, corpore afflicto, furtivum sibi anima gaudium exquirit, *ibid.* Aliud inferos novit dolere, torqueri et gaudere sine carne, II, 636 B, 731 A. Hoc probat Lazari exemplum, II, 817 A.

Anima ruinam corpori infert cum efflata est, II, 819 B. De animæ statu post hanc vitam, II, 738 B, 745 A. De animæ receptu variæ philosophorum opiniones, II, 739 A, B. Omnis anima apud inferos sequestratur in diem Domini, II, 745 A, B. Solæ animæ martyrum, statim post mortem, in paradiso apud Deum statim immorantur, II, 856 A. In sinum Abrahæ recipiuntur animæ justorum usque ad resurrectionem, II, 444, *sq.* Animæ scelestæ, an in inferis exsulent, II, 747 A, B. An in inferis aliquid patiantur animæ, II, 749 C. Anima prior degustat judicium quæ prior induxit admissum, II, 814 C, 818 A. Anima, non exspectata carne, sicut punitur, sic recreatur, II, 751 A, B. Animæ defunctorum exspectant diem judicii, proque meritis, aut cruciatui destinari, aut refrigerio, utroque sempiterno, I, 613 B. Animas defunctorum sanguine humano propitiari olim creditum est, I, 644 C. De animabus infantium qui sub uberum fontibus moriuntur, II, 746 B.

Animæ quædam an post mortem corporibus adhæreant, II, 736 *sq.*

Animas in corpore reverti docet Plato, II, 697 A.

Animalia terrigena et aquigena, II, 299 B. Animalia non omnia vivunt et spirant, II, 662 A. Minutiora animalia maximus Artifex ingeniis aut viribus ampliavit, II, 261 B. Naturalium scientia numquam in animalibus deficit, II, 688 B. Creatoris magnitudo in animalibus, II, 261 A. Vid. Bestiæ.

Animale nihil sine sensu; nihil sensuale sine anima, II, 775 A.

Animus, sive mens, νοῦς apud Judæos, non aliud est quam suggestus animæ ingenitus et lusitus, etc., II, 666 A. Animus ita animæ concretus, non ut substantia alius, sed ut substantiæ officium, II, 667 A. Animæ est instrumentum, non patrocinium, II, 668 A. Animus est sensualis, non tantum intellectualis, II, 679 A. Animus audit, *animus cernit*, II, 677 B. Animus rector facile communicat *spiritui* invecta cum habitaculo suo, I, 1269 B. Animus totum hominem circumfert, et quo velit transfert, I, 623 B. Animi omne bonum aut nascitur, aut eruditur, aut cogitur, II, 980 B. Animum quæ acuant vel obtundant, II, 683 B, *c.*

Anna, mater Samuelis, spiritu gloriam Deo *reddidit*, II, 389 A.

Annulus pronubus, I, 302 A. Aureus erat, *ibid.* Maritalis annulus, I, 685 A. Annuli ex ferro fiebant, I, 1310 A. Annuli æstivales leviores, hyemales graviores, I, 304 C.

Annuli Romanorum, post Cannensem cladem, modio metiebantur, I, 485 A.

Anni, menses, dies solibus, et lunis, et sideribus Creatoris signantur, II, 485 A.

Antelii dæmones, ostiorum præsides, I, 684 A; II, 97 B.

Antennæ navis quasi brachia crucis, II, 346 A, 626 C.

Anthropophagi qui, I, 321 A, 323 A.

Antipodes, I, 370 A.

Antichristus delinquentiæ homo, filius perditionis, II, 829 A. Jam instare putabatur, II, 117 A. Post Antichristi eradicationem agitabitur resurrectio, II, 385 A.

Antichristus Marcion fuit, II, 331, C

Antichristi omnes qui negant Christum in carne venisse, II, 46 B. Item qui non putant Jesum esse *Filium* Dei, *ibid.*

Antichristi omnes quotquot sunt Christo *rebelles*, II, 16 B.

Antinous deus, I, 600 B; II, 266 C. Antinous infelix, II, 97 A.

Antiphon auctor, II, 720 A.

Antipodæ memorati, I, 570 A.

Antiquitas plerosque auctores etiam deos existimavit, II, 649 A.

Antiquitatem semper laudantes et nove de die viventes, increpantur, I, 503 A, 572 B, C.

Antiquitatis illuminator Christus, II, 461 A.

Antitheses Marcionis, II, 361 A, B.

Antoninus Pius nullam in Christianos legem tulit, I, 297 A. Vid. Caracalla.

Antonini principatu vivebant Marcion et Apelles, II, 42 A.

Antonii vinolentia, II, 1049 A.

Anubis deus, I, 597 A.

Anubis mœchus, comœdia, I, 358 A.

Anulocultro utebantur medici, II, 692 A.

Anyti, accusatoris Socratis, lemuiscatæ, II, 647 B.

Aori, II, 747 B.

Apaturia sacra Liberi patris, I, 474 A.

Apelles, Marcionis discipulus, II, 42 B. De discipulo emendator, II, 400 C. Et postea ipsius desertor, II, 71 A, 754 C. Nuptiarum interdictor, II, 46 A. Desertor continentiæ Marcionensis, in fœminam lapsus est, II, 42 B. Et impegit in virginem Philumenam, II, 18 B, 45 A, 71 C. Quam sicut prophetissam sequebatur, II, 71 C. A Marcione, propter incontinentiam, segregatus est, II, 71 A, 763 A.

Apellis hæresis, II, 71, 335 B. Cujus signis et præstigiis inductus, novam hæresin induxerit, II, 18 C. Creatorem Angelorum nescio quem affirmat, II, 47 A, B. Deum Legis et Israel igneum facit, II, 47 A, 686 B, 801 A. Ejus error de animabus, II, 686 B. Et de corpore humano, II, 891 A. Ante corpora constituit animas viriles et muliebres, II, 712 B. Carnis resurrectionem infringit, II, 46 A.

Apelles scripsit Phaneroseis, II, 45 A, 71 C. Et libros

Digitized by Google

quos inscripsit Syllogismorum, II, 71 c.
Aper. Vid. Asper.
Apicius, II, 971 B. Cocus insignis, I, 282 A. Cocis nomen dedit, *ibid.*
Apiciana condimenta, II, 706.
Apicii delicati, II, 1049 A.
Apion, I 387 A. Contra illum scripsit Josephus, I, 378 A. Vid. Appion.
Apis, Ægyptiorum deus, II, 261 B. Ejus ædificia, *ibid.*
Apocalypsis Joannis ordinem temporum evolvit, II, 830 A. Illam respuit Marcion, II, 366 c.
Apocryphorum scripta confessione damnata, II, 649 B.
Apollo lævis et imberbis, I, 574 B. Admeti regis greges pavit, I, 352 A. Apollinem apud Græcos κυριολεν legimus, I, 684 A; II, 97 B.
Apollinis oracula ambigua et fallacia, I, 408, *sq.* Delphis colebatur ob interfectum draconem, II, 85 B. Ejus sacerdotes non nubent, I, 1284 A. Delphos non defendit de manu Pyrrhi, I, 607 B.
Apollinares ludi, I, 638 A, 1205 A.
Apostatæ cum cæteris Christianis non miscebantur, I, 565 B, C. Eorum crimen, *ibid.*
Apostolatus columnæ, quæ, II, 268 B, 364 C.
Apostolici, qui, II, 363 B. Contraria Apostolis tradiderunt, II, 45 A.
Apostolicæ ecclesiæ, II, 33 B.
Apostolus publice prædicare debet, II, 755 B. Non diversa inter se prædicarunt, II, 37, A. Quædam palam et universis, quædam secreto et paucis demandarunt, II, 37 B. Quædam inter domesticos disserebant seorsim, II, 38 C. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam e suo arbitrio quod inducerent elegerunt, sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus assignaverunt, II, 18 B. Apostolorum traditio quomodo dignoscenda, II, 270 B, 366 C. Non alterius Christum annuntiarunt quam ejus Dei quem Christus prædicavit, II, 322 C. Apostolus solitus consilium subministrare, cum præceptum Domini non habebat, et quædam dicere e semetipso; sed et ipse Spiritum Dei habens, II, 81 C. Apud Israelitas vetus Testamentum resignabant Apostoli, et novum consignabant, II, 849 B. Quod ab Apostolis non damnatur, immo defenditur, hoc erit indicium proprietatis, II, 48 B.
Apostoli ecclesias condiderunt prædicando, tam viva voce, quam per epistolas, II, 33 A. Dum ad quosdam, ad omnes scribit Apostolus, II, 512 B. Apostolorum authenticæ litteræ publice in ecclesiis recitabantur, II, 49 A.
Apostolorum cathedræ, II, 49 A.
Apostoli, seu missi, II, 32 A. Cur duodecim solos Christus elegerit, II, 587 A. Septuaginta super duodecim adlecti sunt, II, 418 C.
Apostoli mulieres secum ducebant, non uxores, II, 940 A. Ex ipsis solus Petrus nupserat, II, 939 C. Fuerint ne baptizati, I, 1213 A.
Apostoli, consecuti promissam vim Spiritus sancti ad virtutes et eloquium, primo per Judæam, dehinc in orbem doctrinæ Christi semen sparserunt, II, 32 A, B, 920 A. Apud unamquamque civitatem ecclesias condebant, *ibid.* In Apostolis quidam dicunt Spiritum fuisse, non Paracletum, II, 72 A, 920 A. Cur a Paulo reprehensi, II, 364 C.
Apostoli, fontes et amnes orbem nationum irrigaturi, II, 387 B. Ut gemmæ, illustraturi sacram Ecclesiæ vestem, quam Christus induit, *ibid.* Lapides Jordanis, solidi fide, fontes Elim, *ibid.*
Apotheosis, pompa solemnis, I, 451 B.
Appion historicus, I, 387 B. Vid Apion.
Aquæ laudes, I, 1202, *sqq.* Aquarum quædam genera miranda, II, 734 C. Aqua, gratior cæteris elementis, I, 1202 A. Deus in sacramentis propriis aquam parere fecit, I, 1205 A.
Aquarum natura omnis a Deo constituta, I, 1205 A. Primis aquis præceptum est animas proferre, I, 1202 B. Ex aquis natatiles et volatiles animæ, II, 228 B. Ipsius hominis figurandi opus, sociantibus aquis, absolutum est, I, 1202 B. Figuræ erant Baptismi, I, 1205 A.
Aquam religione medicari existimabant ethnici, I, 1205 A. Eorum aquæ viduæ, I, 1204 B. Eis incubat diabolus in rivis, in fontibus, etc., res Dei æmulans, I, 1205 B. Villas, domos, templa, totasque urbes aspergine circumlatæ aquæ expiabant passim ethnici, I, 1204 B, *sq.* In ludis Apollinaribus et Eleusinis aqua se tingebant, in regenerationem et impunitatem suorum perjuriorum, I, 1205 A. Idemque faciebant homicidæ, *ibid.* Aqua cribro gestata, I, 409 A.
Aqua divini Spiritus sedes, I, 1202 A. Spiritus aquas sanctificans, I, 1204 A. De sancto sanctificata aquarum natura, et ipsa sanctificare concepit, I, 1204 A. Aquæ omnes de pristina originis prærogativa sacramentum sanctificationis consequuntur invocato Deo, *ibid.*
Aquas Christus in suo baptismate sanctificavit, II, 615 B. Prima rudimenta potestatis suæ aqua auspicatur in Cana Galilææ, I, 1210 B. Numquam sine aqua Christus, I, 1210 A. Quomodo, *ibid.* Nos pisciculi, secundum ἰχθυν nostrum Jesum Christum in aqua nascimur, I, 1198 A. Vid. Baptismus.
Aquam baptismatis, ligno passionis Christi edulcatam, potare, II, 79 A. In allena regna, alii deo tingi, II, 274 A.
Aqua manualis post cœnam, I, 477 A.
Aquam sanctorum pedibus offerre, I, 1295 A.
Aquæ supplicium crudelius mortis genus, I, 318 A.
Aquarioli, I, 495 A.
Aquilarum oculi solem sustinent, II, 658 B. De pupillarum audacia natorum suorum generositatem judicant, *ibid.*
Aquilicium Jovi immolatum, I, 487 A.
Aræ deorum, I, 347 *sq.* Tituli eorum quibus dedicabantur aris inscripti, *ibid.* Aris inhalantes, qui, I, 413 A, B. De nidore numen concipiunt, ructando conantur, anhelando præfantur, *ibid.* Inter ipsas aras gentilium lenocinia tractabantur, I, 363 A. Vid. Templum.
Arabiæ thus, II. 90 B. Ex Arabia thura educebantur, I, 495 A Arabiæ arboris lacrymæ, I, 444 A.
Arabum dii, qui, I, 418 *sq.*
Arabicæ mulieres non caput, sed faciem quoque ita totam contegunt, ut, uno oculo liberato, contentæ sint dimidia frui luce, quam totam faciem prostituere, II, 912 B.
Arachnæ officina, II, 1039 A.
Araneæ retia, II, 251 B.
Aratus varia monstra inter sidera delineavit, II, 142 A.
Arbitrii libera potestas, II, 685 A. Naturalis est atque mutabilis, *ibid.* Oportebat imaginem et similitudinem Dei liberi arbitrii et suæ potestatis institui, II, 291 B.
Arbitrii libertas et potestas, sponte præstita ab homine, efficit bonum ut proprium, II, 291 C, *sq.* Arbitrii libertas hominis in utramque partem concessa est, II, 292 A, B. Etsi scianus quid velit, quid nolit Deus, tamen nobis est voluntas et arbitrium eligendi alterutrum, II, 916 A. Quod in nostro arbitrio positum est, non debemus in Dei referre voluntatem, *ibid.*
Arbores vivunt, nec tamen sapiunt, juxta Aristotelem, II, 680 C. Quomodo crescant, II, 890 A. Arboribus, adhuc stipitibus et surculis, inest vis animæ, II, 681 A.
Arbores sapientiæ et scientiæ, II, 681 C.
Arbores circa deorum templa plantatæ, I, 315 A.
Arca figura Ecclesiæ I, 696 A, 1209 A.
Arcesilas deos trifariam divisit, I, 589 B.
Archē, vocabulum non tantum ordinativum, sed et potestativum capit principatum, II, 215 A.
Archemorus misellus, II, 97 A.
Archias, dux Corinthiorum, Syracusas munivit, II, 1036 A.
Archimedis organum hydraulicum, II, 669 A.
Archiva antiquissimarum gentium, I, 387 A.
Archiva Romana, II, 370 A.
Archigallus sanguinem suum litabat pro salute M. Aurelii, ante sex dies mortui, I, 425 A.
Archontes sunt principes et magistratus, II, 215 A, 339 B, 620 A.
Archus, vel Argus, anno uno regnavit, II, 614 A.
Argæi montes aeris rigidi, II, 692 B,
Arenæ atrocitas, I, 467 A.
Argentum Vid. Aurum.
Arguis deus, I, 606 A.
Ariadnæ sertum ex auro et Indicis gemmis, II, 85 A. Ariadna inter sidera delineata, II, 142 A.
Aries Laberii, reciprocicornis, lanicutis, tetistrahus, II, 1051 B.
Aries, machina bellica, II, 1051 B, a Carthaginensibus inventa, II, 1052 B.
Arioli, seu Harioli, memorantur, I, 495 B.
Aristarchus, grammaticorum princeps, I, 282 A.
Aristeæ testimonium de Veteris Testamenti græca interpretatione, I, 580 A.
Aristide justior nullus deorum gentium, I, 336 B
Aristippus in purpura sub magnæ gravitatis superficie nepotatur, I, 515 A.
Aristodemus auctor, II, 727 B.
Aristophon auctor, II, 727 B.
Aristoteles, amicus Platonis, II, 682 C. Turpiter Alexandro adulatur, I, 512 A. Hermiam familiarem suum turpiter loco fecit excidere, *ibid.*
Aristotelis tenor, II, 651 B. Aristoteles de somniis, II, 717 A, 730 A. Marcoreus circumcordialis caloris somnium vocat, II, 721 C. Miser Aristoteles! qui dialecticam instituit, II, 20 A. Vid. Dialectica.

Digitized by Google

Armatura Christi et militia spiritalis, II, 517 A.
Armenia jam christiana, II, 610 B.
Arrius Antoninus, in Asia Christianorum crudelis persecutor, I, 704 B.
Ars nulla non alterius artis aut mater aut propinqua est, I, 670 B. Artibus alitur anima, II, 656 A. Artium omnium et ætatum semina nobis insita sunt, II, 682 C. Artium ingenia dæmones inspirarunt, I, 1328 A, 643 B, C. Tot sunt artium venæ quot hominum concupiscentiæ, I, 670 B.
Artes omnes olim ad idolorum fabricationem aut cultum spectabant, I, 668 *sqq.*
Artes liberales enumerantur, II, 1030 A.
Artaxerces quadraginta annis regnavit, II, 614 A.
Artemon scriptor, II, 729 A.
Artifices ex Etruria Romani arcessivere, II, 1030 A.
Aruspices, I, 495 B. Aruspices et deorum et mortuorum, I, 347 A. De Cæsarum morte consulti, I, 459 A. Comparantur magis et hariolis, I, 495 A, 642 A.
Ascensus deus, I, 606 A.
Asclepiades, medicus, de vi principali in anima, II, 670 A.
Asclepiades, cynicus, in vacca vectus, mendicans orbem terræ peragravit, I, 603 B.
Asclepiadotus ad vitam revocatus, I, 413 A.
Asdrubalis uxor, cum filiis suis in incendium Carthaginis devolavit, I, 584 A. Quam ob causam, *ibid.*
Asiæ major pars mari Atlantico erepta, I, 481 A, 577. In Asia soli ingluvies, II, 1034 B. Asiam occupavere Athenienses, II, 700 A. Asiam Cyrus mersit et pressit, II, 727 A. Ex Asia exoticæ munditiæ in Lybiam et Europam translatæ, II, 1040 A.
Asiæ minoris ecclesiæ a Joanne constitutæ, II, 566 C. Persecutio in Asia, I, 704 B.
Asinius Celer mulli unius obsonium paravit, II, 1048 B.
Asinius Gallus pro mensa quantas pecunias dederit, II, 1048 A.
Asinus de Æsopi puteo, II, 416 D.
Asinos adorabant ethnici cum Epona et Iside, I, 577 C.
Asini superficiem adorasse falso Judæi insimulabantur, I, 364 A.
Asini caput et superficiem adorasse Christiani quam falso accusati, I, 364 A. Tacitus dedit huic calumniæ occasionem, *ibid.* Quanta impudentia nebulo Judæus ridiculam ejus picturam cum hac inscriptione: Deus Christianorum onochoetes, circumtulerit, I, 372 *sq.*, 579 A.
Asper Christianos damnare recusabat, I, 703 A.
Aspis a vipera venenum mutuatur, II, 331 C.
Assyriorum primus rex Ninus, II, 1034 B. Herodes alius rex, II, 339 C. Hoc regnum Romano antiquius, I, 432 A. Illud dii eorum non sunt tutati, I, 608 B. Ab Assyriis patescunt historiæ profanæ, II, 1035 A.
Astarte, seu Atagartis, Syriæ dea, I, 418 A.
Astris nihil imputandum I, 268 A.
Astrologia usque ad Evangelium concessa, I, 672 A. Quare, *ibid.* Astrologiæ et magiæ societas, I, 612 A.
Astrologus stellarem conjectat, II, 1050 A. Astrologorum artes, sicuti aruspicum, et augurum, et magorum ab angelis desertoribus proditæ et a Deo interdictæ, I, 459 A. Astrologi notantur, I, 268 C, D, 701 *sq.*; II, 671 B. Consultabant dæmones de futura Cæsarum morte, I, 459 A. Astrologi veteres cur geniturum hominis ab initio conceptus digerant, II, 693 B.
Astronomus volaticam spectat, II, 1050 A.
Astyages, Medorum regnator, in somnio vidit filiam suam Mandanam, II, 727 A.
Atagartis. Vid. Astarte.
Athamas et Agare in filiis bestias viderunt, II, 675 C.
Athenæ, linguata civitas, II, 651 B. Sapiendi et dicendi acutissimi Athenis nascuntur, II, 683 A. Athenas Minerva a Xerce non defendit, I, 607 B.
Atheniensium deus Numentinus, I, 596 A. Vid. Attica.
Athenienses Asiam occupaverunt, II, 700 A. Atheniensium cicadæ, II, 903 A.
Athenienses Paulum intellexerunt loquentem de resurrectione carnis, II, 850 A.
Athæi reputabantur Christiani, I, 527 B, C.
Athos, filius Cœli et Terræ, et Saturni pater, I, 601 C.
Athletarum severior disciplina, I, 624 B. Ad quid, *ibid.*
Atlantes, Lybica gens, an aliquando somniet, II, 733 C.
Atlanticorum mare terras abstulit, I, 481 A, 577; II, 1034 A.
Atomi Epicuri, II, 703 B.
Attellanus, gesticulator, I, 649 B.
Attica idololatria, quæ, II, 235 C. Attica mysteria, quæ, I, 474 A. Vid. Pallas. Attica sapientia decidetur, I, 473 A.
Atticæ meretricis in tormentis constantia, I, 584 A. Vid. Græci.
Attis castratus, I, 561 A.
Atys deus ex Pessinunte in scena repræsentatus, I, 576 C.
Auctore cognito, omnis rei inspectio fit planior, II, 103 B. Discordia rerum eadem quæ et auctorum, I, 1256 B.
Audientes optare intinctionem, non præsumere, oportet, I, 1240 A. Prima audientium intinctio, metus integer, I, 1239 B.
Auditus quomodo fallitur, II, 674 B.
Aufidius Lurco primus sagitta corpora vitiavit, II, 1048 B.
Augustus, antea Julius Octavius dictus, II, 728 A. Imperii informator, I, 450 A. Adhuc puerulus imperator prævisus in somniis, II, 728 A. Ne dominum quidem dici se volebat, I, 450 A.
Augustus, testis fidelissimus Dominicæ nativitatis, II, 370 C, 405 A. Augusti census per universum orbem, *ibid.* In Judæa, per Sentium Saturninum, II, 405 A, B.
Augustus post Cleopatram aliis annis quadraginta octo regnavit, II, 614, *sq.* Post Christum natum quindecim annis regnavit, *ibid.* Omnes anni regni ejus quinquaginta sex, *ibid.*
Aurelius (Marcus) litteras fecit de pluvia a Christianis obtenta, I, 295 A, 703 C. Christianorum fuit protector, I, 295 A.
Adjecit pœnam tetriorem accusatoribus Christianorum, I, 295 *sq.*
Aurigarum circensium factiones et colores, I, 641 B.
Aures cordis requirit Deus ab suis auditoribus, II, 404 A.
Auriumgracilescutes calendarium expendunt, I, 1314 B.
Auribus Parthorum grana pendebant, I, 1528 A.
Aurum et argentum, unde, I, 1309 A; II, 803 B. Terra gloriosius, ferro et ære nihilo generosius, I, 1309 B.
Auri et argenti pretium unde proveniat, I, 1310 *sq.* Non veritate bona sunt, sed raritate, I, 1328 A. Ipsorum materias angeli peccatores prodiderunt, *ibid.*
Aurum et argentum vernaculum et copiosum apud Barbaros quosdam, I, 1309 A, 1311 A. Aurum ipsum cuidam genti ad vincula servire referunt gentilium litteræ, I, 1328 A. Auro et argento vinctos et malos onerant, II, 1309 A, 1311 A.
Aurum et argentum principes materiæ cultus secularis, I, 1309 A. Illustrium tantum erant, I, 1328 B. In fœminis præ auro nullum est leve membrum, I, 304 A.
Auses, filius Nave, successor Moysi, II, 343 A, 622 A. Quando Jesus cognominatur, *ibid.* Christi erat figura, II, 622 A, B. Vid. Josue.
Auspex in nuptiis ex parte viri, II, 928 B.
*AUTEM* velut fibula conjunctivæ particulæ ad connexum narrationi appositum est, II, 221 B.
Autumnus, tentator alias valetudinum, *succis pomorum* vinosissimis animas diluit, II, 732 B.
Avaritia gentilium, qui pecuniam animæ anteponunt, I, 1261 C.
Aves exsurgentes eriguntur ad cœlum, et alarum crucem pro manibus extendunt, et dicunt aliquid quod oratio videatur, I, 1196 B.
Axionicus, hæreticus Valentinianus, II, 547 A.
Axis equuleus qui torquet cœlum, II, 143 B.
Azyma, familiora Creatori, II, 436 C.

## B

Babylonis turris superbissima, II, 174 C.
Babylon romanæ urbis figuram portat, II, 339 C, 620 B. Quomodo, *ibid.*
Babyloniorum Regnum Romano antiquius, I, 432 A.
Bacchi orgia olim exterminata, I, 504 A, 506 A. Bacchanalium furiæ, in quibus nec mortuis parcebant Christianis, I, 461 A. Vid. Liber.
Balaam prophetæ, quod non cogitaverat, Dominus suggessit, I, 456 B.
Balneorum tempus, I, 492 A.
Baptismus unus omnino est, tam ex Domini Evangelio, quam ex Apostolorum litteris, I, 1216 A. Baptismi ratio in quibus recognoscatur, I, 1203 A. Baptismus, pondus quantum, I, 1222 A. Baptismus obsignatio fidei est, quæ fides a pœnitentiæ fide incipitur et commendatur, I, 1239 A. Obsignatio Baptismi vestimentum quodammodo fidei, I, 1215 A. Sine Baptismo salus nemini competit I, 1215 A. Baptismus an necessarius iis quibus fides satis est, I, 1214 C. Quare non ante Christum præscriptus sit, I, 1215 A.
Baptismi aqua felix sacramentum, I, 1197 A. Quomodo, *ibid.* Quomodo in Baptismo sanctificentur aquæ, I, 1204 A. Spiritus sanctus aquis superest, sanctificans eas de semetipso, *ibid.* Angelorum interventus in Baptismo, I, 1204 B, 1206 B.
Baptismi ritus et effectus, II, 806 A, B. In Baptismo est regeneratio, II, 280 A, 862 A. Et remissio peccatorum, I,

Digitized by Google

1238 A; II, 280 A. Baptismate sordes abluuntur, maculæ vero martyrio candidantur, II, 147 C. In aquis non consequimur Spiritum sanctum, sed in aqua emundati, sub Angelo Spiritui sancto præparamur, I, 1206 B. Spiritus in aquis corporaliter diluitur, et caro in eisdem spiritaliter emundatur, I, 1204 B. Baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur; spiritalis effectus, quod delictis liberamur, I, 1207 A. Baptizamur, non ideo ut delinquere desinamus, sed quia desinimus, quoniam jam corde loti sumus, I, 1239 B.

Baptismus symbolum mortis Christi, I, 1238 B. Baptizari pro mortuis, quid, II, 495 A, 864 C, *sq.* In Baptismate per simulacrum morimur, sed per veritatem resurgimus in carne, II, 862 B.

Baptismus non temere conferendus, I, 1220. Baptismi dilatio an utilior, I, 1221 *sq.* Quibus baptizandi jus competat, I, 1218 A. Baptismum præcedere debet prædicatio, I, 1216 A. Et confessio delictorum omnium præcedentium, I, 1222 C. Atque pœnitentia, I, 1229 A. Ingressuri Baptismum, orationibus crebris, jejuniis et geniculationibus et pervigiliis sese disponebant, *ibid.*

Baptismus olim celebratus in Paschate et Pentecoste, I, 1222 A. Omne tempus habile Baptismo, I, 1222 B.

Baptizamur nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas, II, 190 A. Ter baptizamur, aliquid amplius respondentes quam Dominus in Evangelio determinavit, II, 79 A. In Baptismo, sub manu antistitis, renuntiamus ore nostro diabolo, pompæ et angelis ejus, I, 635 B; II, 79 A. E Baptismo egressi perungebantur, I, 1206 C. Manus eis imponebantur, I, 1207 A. Lacte et melle reficiebantur, II, 79 A, 262 A. Sacram Eucharistiam accipiebant, *ibid.* Et ex ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinebant, II, 79 A. Cur, II, 190 A.

Baptismus novus natalis, I, 1224 A. Ex fide per Baptismum in novitate vivendum, II, 862 B. Tentationes post Baptismum quomodo cohibendæ, I, 1223 *sq.*

Baptismus secundus, seu sanguinis per martyrium, I, 1217 A; II, 135 B. Post Baptismum est adhuc in exomologesi secunda substantia, I, 1247 B.

Baptismus Joannis Spiritum sanctum vel remissionem peccatorum non dabat, I, 1211 A. A Deo erat, I, 1211 A; II, 453 A. Mandato tamen, non et potestate, I, 1211 A. Nam et humanum erat, I, 1211 A, 1213 B. Et non cœleste, I, 1211 B.

Baptismum diabolus in suis exercet, I, 1205 A. Marcion Baptisma servat morti aut repudio, II, 382 B. Per lavacrum sacris quibusdam gentiles initiabant, I, 1204 B.

Baraliris, seu Bardiris, Biradiris, Illyricus, a Molossis ad Macedoniam usque ex somnio dominatus, II, 728 A.

Barba tactu inrufata, I, 410 A.

Barbariæ Græcorum ecclesias habebant, II, 890 B.

Barbarorum infantes in prælium erumpunt, ad solem uncti prius, pannis armati, butyro stipendiati, II, 338 A, 618 B. In Barbaros fama nonnumquam calumniosa, II, 733 B. Magna vis dæmonum in Barbarorum climate dominatur, *ibid.* Barbarorum stropuli, II, 903 A.

Barnabæ epistola apud Ecclesias recepta, II, 1021 A.

Basilidis hæresis in quo sistat, II, 62 A, B, 796 B. Multa absurda docuit, II, 62. Basilides Deum Judæorum negat, et angelum dicit, *ibid.* B.

Baxa et soccus quotidie deaurantur, I, 670 B. Vid. Calcei.

Beatitudo servi cujus emendationi dominus instat, cui dignantur irasci, I, 1266 B.

Beatitudinis spes quomodo meliores reddat, I, 529.

Βιοὺς, quid, 570 B.

Belenus, deus Noricorum, I, 419 A, 596 A.

Bellonæ sacerdotes consecrabantur sanguine, I, 321 A. Hujus deæ initiatorum tenebrica vestis, et tetricum super caput vellus, II, 1045 A.

Bellum tonsura inolescentis generis humani, II, 700 B.

Beli progenies Ninus, II, 1035 A.

Benedictio divina, I, 1299 A. Benedictionem spiritalem accipere per fidem, II, 475 B. Benedictionis sacramento exauctorati, qui, II, 1007 C.

Benedici per deos nationum, maledici est per Deum, I, 693 A.

Benedictio summum disciplinæ et conversationis sacramentum, I, 611 B.

Benedictio inter vias nihil aliud est quam ex occursu mutua salutatio, II, 419 B.

Benefaciendo nemo deliquit, I, 1230 B.

Beneficiati, II, 118 C.

Berenice regina, II, 688 B, 747 B.

Berosus Chaldæus, I, 387 B.

Beryllis non ideo aquosa materia est, quod fluctuat colato nitore, II, 660 B.

Bestiæ usibus nostris a Domino provisæ et traditæ, I, 1235 A. Mutant pro veste formam, II, 1036 A. Bestiæ mo[dum] res mutare possunt, scientiam naturalium numquam, II, 688 B. Vid. Animalia, Feræ.

Bestiarii, I, 317 A. In publico supremam cœnabant, I, 492 A. In publicis ludis Jovi mactabantur, I, 317 A. Bestiariorum schola testis contumeliarum in imperatores, I, 435 A.

Bestiarius quidam Judæus nebulo, sese quotidie frustrandis bestiis locabat, I, 579 B.

Bethsaida piscina, figura Baptismi, I, 1203 C. Usque ad adventum Christi curando inserviebat invaletudines Israel, sed post Christum desiit, II, 637 B, 734 B.

Biæothonati, II, 747 *sq.*

Biblia in linguam græcam transfusa, I, 380 A. Vid. Aristeas et Septuaginta.

Bibliothecarum exercitatio, I, 610 B. Bibliotheca Pisistrati et Ptolemæi Philadelphi, I, 379 *sq.* Bibliothecæ apud Serapæum Ptolemæi cum ipsis hebraicis litteris exhibentur, *ibid.*

Blasphemia, quæ omnino vitanda, II, 681 B. Quomodo et quando impiorum vitandæ blasphemiæ, *ibid.*

Blastus hæreticus latenter voluit Judaismum inducere, II, 72 B.

Bœotia habebat Trophonii oraculum, II, 730 A, 1039 A.

Bombex, vermiculi genus, II, 1039 A. Bombycis stamina, *ibid.*

Bonitas sine ratione, non bonitas, II, 291 A. Bonitas, nisi justitia regatur, ut justa sit, non erit bonitas si injusta sit, II, 298 B. Bonitatis debitæ exaggeratio est exactio indebitæ, II, 273 A. Bonitatis opera, II, 287 C. Bonitatis gradus secundus est in extraneos, qui in proximos est primus, II, 397 A.

Bonitas Dei æterna, II, 287 C. Et ingenita ac naturalis, II, 271. Bonitas Creatoris prima, quæ, II, 287 B, C. Si non naturalis, nec æterna, nec par Deo, II, 271 C. Ad examinandam Dei bonitatem, regulæ sunt certæ, quæ, II, 271 A. Opera Creatoris bonitatem ejus testantur, II, 290 A.

Bonum, quid, II, 933 A. Notitiæ boni et mali fructus, II, 398 A. Bonum et malum natura notum est, non tamen Dei doctrina, II, 398 A. Bonorum quorumdam sicuti et malorum intolerabilis est magnitudo, I, 1249 A. Bonum aliquid non ideo est quia malum non est, nec ideo malum non est, quia non obest, I, 1279 A. Nihil bonum quod injustum, II, 298 C. Bonum autem omne quod justum est, *ibid.* Nihil bono contrarium nisi malum, II, 932 B. Bonum plus floruisset sine mali afflatu, II, 210 C. Malum ac bonum pro arbitrio et libidine interpretantur ethnici, I, 653 A.

Bonum omne ad Deum pertinet, I, 1236 A. Deus bonum dispensat ut cuique dignatur, I, 1250 A. Nihil tam bonum quam notitia et fructus Dei, II, 287 B.

Bonum vitari non oportet, quia delictum est bonum recusare, II, 107 C. Bonum qui non implet, crimine astringitur, I, 1233 A. Bonum a pertinentibus ad Deum tota mente sectandum, I, 1256 A. Bonæ res neminem scandalizant, nisi malam mentem, II, 892 B.

Bonus natura nemo, nisi solus Deus, II, 291 B.

Bos, deus Ægyptiorum, I, 129 A. Ejus sacerdotes continentiam servabant, II, 928 C.

Brachia mulierum circulis ex auro arctantur, I, 1306 A.

Brachmanes quinam erant, II, 490 B.

Britanni intra Oceani ambitum conclusi sunt, II, 611 B. Britannorum loca, Romanis inaccessibilia, Christo sunt subjecta, II, 610 C.

Britannicum mare conchæ genus præfert, I, 1311 A.

Buccinæ et maris conchæ in montibus peregrinantur, II, 1033 B.

Busyris et ejus bustuaria altaria, II, 1041 B.

Bysantinum exitium, I, 702 A. Vid. Cœcilius.

Bythos, æon Valentini, II, 68 A, 551 A, 666 A.

## C

Cacabaceus, II, 234 B.

Cacabulus Saturni, I, 344 B.

Cactus, II, 1036 A.

Cadaver a cadendo, II, 819 B.

Cadere dicimus corpus in terram per mortem, sicut ipsa res testatur, II, 492 A.

Caduceus Mercurii, I, 576 C.

Cæcilius Capella in exitu Bysantino, *Christiani gaudete*, exclamavit, I, 702 A.

Cæcinna Severus senatusconsultum edidit, ne matronæ sine stola in publico procederent, II, 1044 B.

Cæcitatis species duæ, I, 327 A.

Cæculus deus, I, 606 A.

Cœlestis dea Afrorum, I, 419 A, 596 A. Illi bestiæ applicatæ, I, 341 A.

Cœlibatus et innuptis prænæ ab Augusto Cæsare indictæ,

Digitized by Google

postea abrogatæ, I, 286 *sq.*

Cæsar in prælio Philippis evasit, II, 728 B.

Cæsares cur multi olim observaverint, I, 453 A. Cæsares recens electi, vel ut eligi possent, munera populo largiebantur, I, 455 A. Christo credidissent si non essent sæculo necessarii, aut si et Christiani potuissent esse Cæsares, I, 403 A.

Cæsares deos dicebant Romani et deridebant, I, 583 C. Cæsari templa, aræ, sacerdotes, pulvinar juxta deos posita, I, 247 A. Cæsarum festa cur a Christianis non culta, I, 452 A.

Caiana hæresis, I, 1198 A; II, 65 A. Cainæorum hæresis, II, 46 B.

Cain primus homicida et primus fratricida, I, 1238 A. Cur Deus ejus sacrificium respuerit, II, 601 A. Hanc repulsam quam impatienter tulit, I, 1238 A. Populum Israel et ejus sacrificia demonstrabat, II, 601 A. Semen Cain (vel potius Cham) in arca fuit, quo semen malitiæ non periret, II, 66 A, B.

Caius Sejus vir bonus, tantum quod Christianus, I, 280 A.

Calamitates publicæ tonsura sunt invalescentis generis humani, II, 700 B. Calamitates Christianis erant in admonitionem, ethnicis in castigationem, I, 480 A. Pro calamitatibus temperandis vel auferendis Christiani diu noctuque Deum exorabant, I, 486 *sq.*

Calamitatum publicarum causa non fuerunt Christiani, I, 479 *sqq.*, 571 A, B. Sed gentiles, I, 488 *sqq.* Plures ante auditum nomen Christianum contigere : ante Tiberium, I, 480 *sqq.* Et sub Hilariano, I, 701 A. Post Christum natum longe minores quam antea, I, 486, *sq.* Cur Christianos illis vexari permiserit, I, 489 A.

Calcei, proprium togæ tormentum, II. 1046 B. Immundissima pedum tutela. *ibid.* Tyrium calciari nisi auro, minime græcatur, II, 1043 A. Calcei seu baxa philosophorum deaurati, II, 1043 A, B.

Caligula (Caius) annis tribus, mensibus octo, et diebus tredecim regnavit, II, 616 A. Nullam in Christianos legem tulit, I, 294 A.

Caliges primitivæ Ecclesiæ boni Pastoris imaginem sculptam præ se ferebant, II, 1000 C. Quam anxie tolerabant aliquid de calice sacro decuti in terram, II, 80 A.

Caliendrum, II, 1044 A.

Callimachus Junoni vitem induxit, II, 83 A, B.

Callinicus auctor, I, 535 A.

Callisthenes auctor, II, 728 A.

Camenas in aquas transfigurant, II, 366 A.

Canæ memoriarum, I, 386 A.

Candelabra in cœtibus Christianorum, I, 313 A.

Candelifera dea, I, 600 C.

Candidati diaboli II, 86 B.

Canicularis ardor, II, 134 B, 267 A.

Cannensis clades ante auditum Christianorum nomen accidit, I, 485 A. Vid. Annulus.

Cantabra superstruebantur integris crucibus, I, 369 A, 379 A.

Cantherios adorabant gentiles, I, 363 A.

Cantus veterum Christianorum, I, 273 A, D, 477 A. Vid. Psalmi

Capharea saxa, naufragiis frequentia, II, 739 B.

Capilli adhuc olentes Carthagine inventi post annos quingentos, II, 854 C.

Capillos fœminæ croco vertebant, I, 1322 A. Detrimentum crinibus medicaminum vis inurit et cerebro perniciem, *ibid.* Senectus, cum plus occultari studuerit, plus detegetur, scilicet capillorum colorem mutando, I, 1322 B. Peritia structorum capillaturæ, I, 1325 *sq.* Enormitates sutilium atque textilium capillamentorum, I, 1325 A. Saltus et insulas tenera cervix fert, I, 1314 B. Virgo capitis arcem ambitu criniun contegat, II. 900 A.

Capitolium notatur, I, 427 A, 450 A, 487 A, 573 B. Capitolium a Senonibus obsessum, I, 485 A.

Capitolium omnium dæmonum seu deorum curia et templum, I, 646 A. Qui dii e capitolio rejecti, I, 573 B. Capitolinum templum, nisi soluto tributo, ingredi non licebat, I, 545 A, 574 A. In calamitatibus cœlum ad Capitolium implorabant Romani, I, 487 A.

Capitolini ludi, II, 657 B.

Capitulum animalis quid, I, 575 A; II, 1037 B.

Capræ divinantes arte dæmonum, I, 411 A.

Captivi olim in exsequiis immolabantur, I, 645 A.

Caracalla Christiano lacte eductus fuerat, I, 703 B, C. Cognominatus est Germanicus et Parthicus, I, 583 A.

Carcer domus diaboli, in qua familiam suam contegat, I, 620 A. In carcere illum conculcabant Christiani, I, 621 A.

Carcer illis erat pro palæstra, II, 624 C. Bona carceris quanta, I, 622 *sqq.* Christianus extra carcerem sæculo renuntiavit, in carcere etiam carceri, I. 622 B. Christiano hoc præstat quod eremus prophetis, I. 625 B. Carcer habet tenebras, sed lumen sunt pii, II, 622 A. In carcerem reptabant mulieres ad osculanda vincula martyrum, I, 1294 B.

Cardea dea, I, 683 C; II, 97 B.

Carbo salutis est caro, II, 806 A.

Caro nihil aliud est quam terra conversa in figuras suas, II, 771 A. Terrena materia est, I, 1280 A. Carnis nomen, quid, II, 497 A. Caro vocabulum commune habet, II, 510 B. Carnis varia epitheta, II, 807 B. Carnis sensus et vita, quid, II, 1014 B. Caro manu Dei expressa, I, 1331 B. Quomodo peccatrix dicatur, II, 719 A, 814 A, 816 A. Caro sermone Dei consistit propter formam, II, 801 B. Caro suos secessus habet, in aquis, in ignibus, etc., II, 885 C. Caro ante corpus quam animale corpus, II, 873 B. Carnis duplex corruptio, II, 851 A, B. Proprium carnis est passionibus corrumpi, II, 852 A.

Caro est omne animæ cogitatorium, II, 814 A. Caro ministra et famula animæ, II, 805 C. Caro famulatur, si spiritus dominatur, I, 1204 A. Carnis species arx animæ, II, 813 C. Carnis et animæ quanta communio et consortium, I, 1231 B. Caro sine anima non homo, II, 850 C. In carne et cum carne, et per carnem agitur ab anima quidquid agitur in corde, II, 813 C. Si universa per carnem subjacent animæ, carni quoque subjaceat necesse est per quod utaris, II, 805 C. Nihil agit caro per semetipsam, II, 816 A.

Caro spirat quando spiritum habet, exspirat autem cum illum amittit, II, 465 B. Carnis ipsum mori est, cujus et vivere, II, 805 B. Seminatur in corruptela, dum dissolvitur in terram, II, 495 C.

Caro suscitabitur, ut sanguis vindicetur, II, 855 B. Qualis sit resurrectura, II, 800. Caro et sanguis omnis resurgunt ex æquo in qualitate sua, II, 868 A. Carnis restitutio facilior quam institutio, II, 810 A. In regno Dei caro reformata et angelificata, II, 632 B. Post resurrectionem caro habitum angelicum susceptura est, II, 851 A.

Carnali er vivunt qui negant carnis resurrectionem, II, 808 C. Carnis salutem quidam hæretici negant, II, 66 B, 452 B. Carnis virtutes etiam judicandæ, II, 813 B, 815 A. Spiritus et caro inter se reatum communicant, I, 1204 A. Caro animæ consors et hæres in temporalibus et in æternis, II, 805 C. Nihil proprie carni exprobratur, nisi in animæ suggillationem, quod carnem ministerio sibi subigit, II, 808 B. In carnem dirigitur quidquid in sanguinem prædicatur, II, 835 B. Quæ carnem infuscant non solum temenda, sed etiam ea quæ illustrant observanda, II, 808 A.

Carnis opera ita Apostolus damnat, ut carnem damnare videatur, II, 859 C. Cur in Scripturis caro increpetur, II, 719 B. Opus est fidei extrinsecus consilio adversus carnis necessitates, II, 914 C. Carnis affictatio, hostia Domino placatoria per humiliationis sacrificium, I, 1209 B; II, 806 B. Carnem saginari et spiritum esurire non prodest, I, 620 A. Opinitas sapientiam impedit, II, 685 B. Caro est sponsa, quæ in Christo Jesu sponsum per sanguinem pacta est, II, 885 C. Carnis redemptor Christus, II, 797 A. Carnem ab omni vexatione restituit, II, 739 B. Caro cum anima Deo allegitur per sacramenta, II, 806 A, B.

Carnem edere, quanta immanitas, I, 532 A. An carnem manducarent primi homines, II, 958 C.

Carnalia significant spiritualia in Lege, II, 374 C. Carnalia semper in figura spiritualium antecedunt, I, 1206 A.

Caro Christi sola erat ex hominis carne sumenda sine viri semine, II, 785 *sqq.* Non fuit caro peccatrix, II, 781 A. Non de sideribus vel de substantiis superioris mundi eam mutuavit, II, 335 B, 763 A. Cur, carnem et animam subeundo, animam carnalem vi leatur habuisse, II, 775 A. Carnem Christi in cœlo sensu vacuam quidam affirmant sedere, II, 792 A.

Caro in Angelis veræ et solidæ substantiæ fuit humanæ, II, 335 B.

Carpocrates, Simonis discipulus, magus et fornicarius, II, 709 C. Ejus de Christo et de corporum resurrectione hæresis, II, 66 B. Discipuli ejus animas suas Apostolis, immo et Christo peræquabant ac etiam præferebant, II, 686 B.

Carthago, urbs studiis asperrima belli (Virg.), II, 1052 A. Carthaginis conditrix se rogo dedit, I, 532 A. Mœnia illi imposita a Statilio Tauro, enarrante Sentio Saturnino, II, 1051 A, B. Urbs Punica Romæ æmula, I, 427 A. Carthaginis scholæ rhetorices, II, 535 A. Ignes super mœnia Carthaginis pependerunt ævo Tertulliani, I, 701 B.

Carthaginenses, vetustate nobiles, novitate felices, II, 1050 C. Illorum olim vestium forma, quæ, *ibid.* Carthaginensium agones, II, 133 B.

Carthago decimanda in martyribus, I, 532 A.

Casinenses, qui, I, 420 A. Illorum deus Delventinus, *ibid.*

Cassiden aut personam alicui inducere, II, 774 B.

Cassinum, Campaniæ oppidum, I, 420 A.

Cassius Clemens, I, 457 A. Cassiana seditionis soli gentiles rei erant, I, 699 B.

Cassius Severus, I, 550 A, 602 C.

Digitized by Google

Castigationis divinæ indignatione gratulari nos decet, I, 1266 B.
Castitas primitivorum Christianorum, I, 326 A. Castitatis osores ethnici, I, 472 *sq.* Castitatis exactor omnis maritus, I, 1320 B. Vid. Continentia.
Castor, Jovis filius, II, 378 C. Castori et Polluci equi a Mercurio distributi, I, 641 A. Castores dii, I, 606 A. Castorum deorum phantasmata, I, 409 A. Castorum honori ova adscribunt, II, 658 B.
Castra lucis Ecclesia, castra tenebrarum paganismus, II, 92 B.
Castratio nullum libidini frænum imponit, II, 282 A.
Castrenses, quid, II, 95 A. Castrensia munia, II, 92 B.
Catabolici spiritus, II, 698 B.
Cataclysmus. Vid. Diluvium.
Cathapheactes triumphalis, II, 1043 A.
Cataphrygæ, II, 72 A.
Catechumenis opus est divinis sermonibus aures rigare, I, 1256 B. Vid. Audientes. Catechumeni hæreticorum ante sunt perfecti quam educati, II, 56 B.
Cathedræ Apostolorum ipsæ adhuc suis locis præsident in ecclesiis apostolicis, II, 49 A.
Catholici soli possident id quod a Christo institutum est, II, 23 A. Catholica traditio, II, 931 C. Quicquid adversus veritatem catholicam fit, novum deputatur, II, 931 B, C.
Catilina humano sanguine conjuravit, I, 321 A.
Cato gravis et sapiens, I, 337 A. Leno est censor Cato, I, 473 A. Uxorem suam cum amicis communicabat, I, 472 A.
Cato ficum viridem primus Romam attulit, I, 606 C. Græcas litteras jam senex didicit, II, 1039 B.
Catulli Laureolus, II, 565 A.
Caucasus, mons abruptus, II, 247 B.
Cavea, quid, I, 361 A, 579 B.
Cea, seu Chon, Co, Con, Coon, insula, concidit, I, 480 A.
Cebetis tabula, II, 55 A.
Cellæ promæ, II, 834 B.
Celtæ, apud virorum fortium busta pernoctantes, oracula captant, II, 740 B.
Censuales Græcorum, I, 388 A.
Census Augusti. Vid. Augustus.
Centenariæ cœnæ, I, 300 A.
Centonarius mos, II, 53 A.
Cepheus inter sidera delineatus ab Arato, II, 142 A.
Cerasa Romam primus quis asportaverit, I, 534 B, 606 B.
Cerberi tragœdiæ, II, 85 B.
Cerdon duo initia introduxit, id est duos deos, bonum et sævum, etc., II, 70 B, 249 A. De Christi nativitate et de resurrectione carnis varie sensit, II, 70 B, C.
Ceres ob frugum inventionem dea facta, et quam absurde, I, 334 A. Fruges demonstravit, non instituit, *ibid.* Cereris currus a bestiis (anguibus) vehebatur, I, 341 A. Cereri vestes tenebricosæ placent, II, 1043 B.
Ceres Pharia, seu Farrea, a crucis stipite non distincta, I, 366 A, 578 A.
Cereri initiatorum cultus omnis candidatus, vittæ, galeri et privilegium, II, 1043 A. Cereris sacerdotes, viventibus etiam viris et consentientibus, amica separatione viduantur, II, 953 A. Fœminæ Cereris Africanæ, sponte abdicato matrimonio, adsenescunt, II, 928 C.
Cereales ludi, I, 638 A.
Cerinthus Judæorum Deum non Dominum, sed Angelum promit, II, 67 A. Christum hominem tantum ex semine Joseph contendit, *i id.*
Certamina majora sequuntur majora præmia, I, 704 A.
Cervus, quadrupes tardigrada, agrestis, humilis, aspera, II, 1037 A. Sagitta transfixus, scit sibi dictamo medendum, I, 1248 A. Cervus, ætatis suæ arbiter, serpente pastus, veneno languescit in juventutem, II, 1037 A.
Chaldæum semen in Ægyptum educitur, II, 1033 B.
Cham semen in arca servatum dicebant Sethoitæ, II, 66 A, B. Ad quid, *ibid.*
Chamæleontis natura et mores late describuntur, II, 1037 *sq.*
Charis, æon Valentini, II, 531 A.
Charismata expugnavit Praxeas, II, 155 B.
Charitas mutua Christianorum ipsis ethnicis valde miranda, I, 704 A. Inter fratres atque conservos communis spes, metus, gaudium, dolor, passio, quia communis spiritus, I, 1245 A. Vid. Christiani, Dilectio.
Charites deæ, II, 85 A.
Charon Lampsacenus historiographus, II, 727 A.
Chelidonia hirundinis, I, 1248 A.
Chilon Spartanus, dum victorem Olympiæ filium amplectitur, præ gaudio spiritum exhalat, II, 739 A.
Choicus, II, 578 B, 865 B.
Chrestianus perperam ab ethnicis pronuntiabatur Christianus, I, 281 A.
Chrisma regale in captivitate confici Judæis non licebat, II, 634 A. Post Baptismum eo unguntur fideles, I, 1206 C. A chrismate Christus dicitur, I, 1207 A. Item et Christianus, I, 281 A.
Christianismi fundamentum Christus, II, 484 C. Christianismus ædificatur cum affligitur, I, 704 *sq.* Ideo numquam deficiet, *ibid.* Tot hostes ejus quot extranei, Judæi, milites, domestici, I, 307, *sq.* Christiana religio in Judaicæ locum suffecta, I, 617 A. A novatione Testamenti, a passione Domini censetur, II, 1001 B. Quomodo exorta, I, 290 B, 307 A, 567 A, B, 571 B. Cum odio sui cœpit, I, 307 A. Nihil de sua causa deprecatur, I, 259 A. Cur, *ibid.* Iniquis perditorum imperatorum legibus damnata, I, 294 A, 296 A. Non omnes tamen imperatores illam persecuti sunt, I, 291, *sqq.* Immo gentiles præsules non pauci illi benevoluerunt, I, 703. Christianam sectam quidam olim mentiti sunt, I, 704 A.
Christianæ religionis doctrinæ summa, I, 375 *sqq.* Antiquis Judæorum documentis suffulta, I, 386 A, 392 A. Christianæ religionis veritatem quisquis agnoscit, eam statim sequitur, et in ejus defensione mori desiderat, I, 536 A. Hujus religionis susceptæ neminem pudet aut pœnitet, I, 269 A. De illa omnes gaudent et gloriantur, *ibid.*
Christianismus stoicus, platonicus, dialecticus, II, 20 B.
Christianorum nomen ex suavitate deducitur, I, 281 A. Sub Augusto ortum, Tiberio imperante, disciplina ejus illuxit, I, 290 B. Omnis sexus, ætas, conditio, dignitas ad hoc nomen transgrediebantur, I, 265 A. Nomen christianum quam infestum gentilibus, I, 277, *sqq.*; 281, *sqq.*, 566 A, B. Æmulæ rationis est inimicum, I, 278 A. Hujus odii effectus inter propinquos, I, 280 B, *sq.* Ob solum nomen vexabantur Christiani, I, 277, *sqq.* 285. Confessio nominis, non examinatio criminis, damnationis erat titulus, I, 271 A, 278, *sq.* Erga christianum nomen iniquitatis odium, I, 261 A. Christiano nomine excluditur qui agit quod non faciunt Christiani, I, 278 A.
Christiani Phrygibus et cæteris gentibus antiquiores, I, 570. Nemo christianus ante Christum, II, 1001 C. Christianus qui non est, mortuus est, II, 745 B. Nemo Christiano major, II, 15 A. Nemo christianus, nisi qui perseveraverit usque in finem, *ibid.* Fiunt, non nascuntur Christiani, I, 378 B, licet anima naturaliter christiana dicatur, I, 577 A. Christianorum quod est, non est omnium credere, II, 655 B. Christiani non aliter ex ethnicis fiunt nisi prius perditi, et a Deo requisiti, et a Christo reportati, II, 992 B. Christiani obstupefacti quod prius errores gentilium non rejecerint, I, 269 A. Fatebantur ethnici se esse quam antea meliores, I, 564 A. Christianorum quanta multitudo, I, 262 A, 700 B, 704 B. Omnia replebant, I, 462 A, solis templis exceptis, I, 463 A.
Christiani non erant brachmanæ, nec gymnosophistæ, nec sylvicolæ, I, 490 B; nec cynopenæ, aut sicapodes, I, 570 A. Liberi erant, non servi, I, 451 A. Pro libertate mori noverant, I, 565 A. Ab ethnicis extranei vocabantur, I, 446 B. Cum ipsis tamen cohabitabant, I, 490 B. Artes et operas cum eis miscebant, I, 491 A. Idem utrorumque victus, habitus, apparatus, I, 490 B. Ab iis tantum distinguebantur modestia, patientia et pristinorum vitiorum emendatione, I, 700 B, *sq.* Nulla ambitione ducti, nuntium rebus publicis miserant, I, 465 A. Ab omni gloriæ et dignitatis ardore frigentes, *ibid.* A cœtibus publicis alieni, I, 465 A. Documenta sua declarando mentiri nefas putabant, I, 403 B.
Christiani veri describuntur, I, 269 A, 511 *sq.*, 624 A. Christiani non aliunde noscibiles quam de emendatione vitiorum pristinorum, I, 701 A. Christiani institutio est de porticu (libris) Salomonis, II, 20 B. Ethnicorum tam corrupti, quam puri Christianorum mores, I, 472 *sqq.* Longe dispar eorum scientia, disciplina et scientia, I, 501 *sq.* 516 *sq.* Ac longe dissimiles virtutes, *ibid.* Christianorum virtutes laudabant et mirabantur ethnici, sed Christianos esse factos ferre non poterant, I, 280 A, 564 A. Illos oderant ethnici quos nullo modo cognoverant, I, 261 A. Cur, *ibid.* Eos statim amabant atque cognoverant, I, 262 A, 559 B.
Christiani qui et quales erant, I, 468, *sqq.* Illorum vita inculpata, I, 704. In unum corpus erant congregati conscientia religionis, disciplinæ unitate et spei fœdere, I, 468 A. Hoc erant congregati, quod dispersi, hoc universi quod singuli, I, 478 A. Christianus nusquam aliud est, II, 93 A. Nemo major Christiano, II, 15 A. Christianus nemo nisi qui ad finem usque perseveraverit, *ibid.* Christianus cœli discipulus, vitæ negotiator, rerum ædificator, erroris inimicus, veritatis integrator, expressor et custos, I, 514 A. Credit quod traditum est, II, 745 B. Christiano amplius quærere non licet quam quod invenire licet, II, 651 A. Non amplius licet inveniri quam quod a Deo discitur, *ibid.* Post Christum nobis curiositate non est opus, nec inquisitione post Evangelium, II, 21 A.

Digitized by Google

Christiani spiritualium sectatores, I, 1320 A.

Christianorum erga invicem charitas quanta, I, 471 A. Sese invicem fratres appellabant, *ibid.* Charitate omnia habebant communia, præter uxores, I, 472 A. Illorum quanta in egenos, ac potissimum martyres, charitas, I, 470 *sq.*, 475 A, 619 A. Hominibus et diis gentilium mendicantibus opem ferre non sufficiebant, I, 494 A. Eorum misericordia plura insumebant vicatim, quam religio gentilium templatim, *ibid.* Christianus nec inimicum lædit, I, 512 A. Inimicos diligebant, et Deum pro eis precabantur, I, 446 A. Nullius erant hostes, I, 700 A. Fidem etiam gentibus servabant, I, 312 A. Omnes sibi ab ethnicis illatas injurias ulcisci poterant, et paucis faculis, aut palam indicto bello, I, 462 A; aut dæmones ab obsessis hominum corporibus non ejiciendo, I, 464 A: aut sola sua ab ethnicis secessione, I, 463 A, B.

Christianorum continentia, I, 326 *sq.*, 510 A. Conjugum quanta castitas, I, 472 A, 510 A. Ab omni post matrimonium excessu abstinebant, I, 526 *sq.* Sexum fœmineum non mutabant, I, 510 A Animo adversus libidinem cæci erant, I, 511 A. Christianæ sanctitatis antistites duæ, monogamia et continentia, II, 959 A. Plures in virginitatis statu permanebant, senes, pueri, I, 327 A. Etiam voto illi sese adstringebant, II, 905 A. Vid. Virginitas. Spectaculis, pompis, ludis publicis et theatri scenis abstinebant, I, 466 *sq.*, 495 A. Saturnalibus ethnicorum festis non aderant, et cur, I, 492 A. Liberalia festa item repudiabant, *ibid.* Quomodo floribus et sertis utebantur, I, 492 *sq.* Illis nihil gratius quam de hoc mundo exire, I, 489 A. Mundus Christiano carcer, I, 622 A. Vid. Mundus, Extra carcerem sæculo renuntiavit, in carcere etiam carceri, I, 622 B.

Christiani quomodo Deum orabant, I, 442 *sq.* Aliquando expansis manibus, Dominicam passionem modulantes, I, 1169 *sq.* Vid. Oratio. Deum per Christum colebant, et qua ratione, I, 567 c, *sq.* Crucem Christi venerabantur, I, 577 c *sq.* Dominico die indulgebant lætitiæ, I, 371 A. Christianorum solemnes synaxes quam sanctæ, I, 468 *sqq.* Quales erant, *ibid.* Quæ jejunia, et quam dura, I, 487 A; II, 934 c, 971 B. Nullum fructum operum Dei repudiabant, sed plane temperabant, I, 491 A. Christiani voluptates, quæ, II, 659 *sqq.*

Christiani ad deos colendos cogi non poterant, I, 699 B. Illos colere recusantes, nullius impietatis sunt rei, *ibid.* Eis nefas falsis diis sacrificare, etiam manente in contrarium proposito, I, 433 A. Gentilium templa ne noverant quidem, I, 363 A. Christianis militibus prohibitæ excubiæ in deorum templis, II, 92 A.

Christiani immerito accusabantur læsæ majestatis humanæ, I, 436 *sqq.* Imperatorum numquam deum, sed dominum communi voce appellabant, I, 450. Non adorabant Cæsarum imagines, nec per genium principis jurabant, I, 447 B. Noverant imperatorem a Deo constitutum et sincere honorabant, I, 448 B, 700 A. Pro ejus salute Deum precabantur, I, 433 A. Pro ejus et vita et domo et exercitu, et pro senatu et populo quotidianas preces offerebant, *ibid.*

Christianorum in dæmones potestas quanta, I, 413 A, 465 B, 677 B, 700 B, 703 B; II, 112 D. Christianæ sapientiæ afflatu tota vis dæmonum cedit, I, 647 B, C, *sq.* Vid. Dæmones, Diabolus.

Christiani, calamitatum tempore, misericordiam Dei jejuniis et durissimis pœnitentiæ laboribus exorabant, I, 487 A. Se in sacco et cinere volutantes, invidia Cœlum tundebant, *ibid.* Quam immerito publicarum calamitatum, præcipue belli, famis ac pestis auctores ab ethnicis dicebantur, I, 479 *sqq.*, 571 A, B.

Christiani ab ethnicis proclamantur rei omnium scelerum, deorum, imperatorum, legum, morum ac totius naturæ inimici, I, 277 A, 306 *sqq.*, 580 *sq.* Quam impudenter dicebantur factio illicita, desperata, I, 464 B, *sqq.*, 468 *sqq.*, 532 A; imperatoribus et reipublicæ contraria, I, 432 *sqq.*; 439 B, *sq.*, 699 *sq.* Falsa sola publica fama, teste criminum rei, I, 310 *sqq.*; 507 *sq.* Trium horrendorum criminum falsissime accusabantur, infantis scilicet in sacris synaxibus occisi, ejus carnium et sanguinis comestorum, atque stupri, adulterii et incesti, I, 306 *sq.*; 580 *sqq.* Ob solum nomen, ethnicis incognitum, condemnati, I, 281 *sqq.*, 565 *sq.* Probatio innocentiæ Christianorum iniquitas est ethnicorum judicum, I, 534 A. Vid. Christianismus. Christiani magis damnati quam absoluti gaudebant, I, 698 D. Quotidie plerumque in suis cœtibus obsessi, proditi, oppressi, I, 308 A. Ad illos vexandos quam insulse objecerint ethnici legum suarum severitatem, I, 285 *sqq.* Nulla nisi nequissimorum imperatorum lege damnati, I, 294 A. Quam absurde acclamatum: Christiani ad bestias, ad leones, I, 341 A, 480 A, 571 A; II, 651 A, 825 B. Magnum detrimentum reipublicæ ex morte tot Christianorum, I, 496 A, B. Cur quod tanta paterentur permiserit Deus, I, 488 *sq.* Plures effecti quoties metebantur, I, 535 A. Semen est sanguis Christianorum, *ibid.* Vid. Ethnici.

Christus, an nomen vel appellatio, I, 192 B, C. *sq.* Christus dicitur a chrismate, quod est unctio, quæ Domino nomen accommodavit, I, 1207 A. Christus Jesus *in ipso* nominis sacramento, verus et summus sacerdos Patris est, II, 330 c. Cur Nazaræus vocatur, II, 372, A, B. Filius fuit, in Dei et Regis et Domini omnipotentis et altissimi nomine, II, 181 c. Christi nomen non ex natura veniens, sed ex dispositione, proprium ejus efficitur a quo dispositum invenitur, II, 341 c. Vid. Jesus.

Christus est Dei λόγος, sermo, ratio, sapientia et filius, I, 399 *sq.* Sermo primarius, II, 868 c. Editis miraculis se λόγου Dei probavit et verum Deum, I, 1400 B. Christus factus secundus a Patre, et cum Spiritu tertius, II, 170 A. Pater, Verbum ex semetipso proferendo, Filium facit, II, 317 A. Christus ex Patre, spiritus ex Spiritu, sicut radius ex sole, et lumen ex lumine; genitus non recessit ex matrice, nec substantia separatur, I, 399 A, B. Alter a Patre, modulo, non numero; gradu, non statu, *ibid.* Verus Deus est, *ibid.* Veram divinitatem rem propriam habet, I, 399 A. Christus filius et spiritus et *substantia Creatoris*, II, 528 c, 586 c. Repræsentator Patris, II, 187 B. Sed Pater non est, II, 181, A, c. Quomodo Patris vicarius, II, 328 c. Verbum primordiale, primogenitum, virtute et ratione concitatum, spiritu suffultum, I, 400 B. Quid acceperit a Patre, II, 843 c. Christum Dei Filium et veteres et *novæ* Scripturæ omnes præliniunt, II, 186 B. Christus, *spiritus* Dei, semper fuit, ante carnem quoque, II, 489 B. Cur dictus magni consilii angelus, II, 778 A. Christi originalia instrumenta delere ausus est Marcion, II, 755 B. Vid. Filius.

Christus ab Adam ad Patriarchas et Prophetas, in visione, in somno, in speculo, in ænigmate, ordinem suum præstruens ab initio semper, II, 174 c. Ab initio conversatus et congressus est cum Patriarchis et Prophetis, ediscens jam inde a primordio hominem, quod erat futurus in fine, II, 317 A. Christus semper locutus in Prophetis, spiritus scilicet Creatoris, II, 328 B, 586 c. Signaculum est omnium Prophetarum, II, 615, 652 A. Deus hominem formans, Christum cogitabat, hominem futurum, I, 802 B. Lex significabat Christum, II, 447 A. Christus in persona Moysis figuratus, II, 316 A; et Josue, II, 345 A, B; atque Isaac et Joseph, II, 346 A, 626 A, B. Christus in floris figura ostenditur, ex virga profecta ex radice Jesse oriturus, II, 489 B. Christus figuratus in tauro, II, 346 B, C. Non belli potens, sed pacificus Christus *repromissus*, II, 331 c; quidquid in contrarium dicant *Judæi*, II, 617 *sq.* Duplici habitu in duos adventus a Prophetis *delinitur*, I, 400 A; II, 329 *sq.*, 638 c. Unus ignobilis, et alter gloriosus, II, 550 *sq.* Christus talis probatus qualiter annuntiabatur, II, 349 B Christus illuminator antiquitatis, II, 461 A. Christus in novis vetus, II, 410 A. Secundus Adam, II, 789 c; et novissimus, II, 868 c. Solus novus rex novorum ævorum II, 348 A. Christus novum regnum annuntiat, II, 356 *sqq.* Christus venturus an jam venerit, II, 609 B. Christum venturum Judæos refutare, II, 610 A.

Christus verus Dei templum, II, 635 c. Christus authenticus pontifex Dei Patris, II, 447 A. Catholicus Patris sacerdos, II, 576 A. Proprius et legitimus Dei antistes, præputiati sacerdotii pontifex, II, 493 B. Sacrificiorum æternorum antistes, II, 609 B. Arbiter Patris et ministeri, II, 317 B, C. Christus non alterius Dei quam Creatoris circumlator, II, 270 c, 322 c. Christus sequester Dei et hominum, II, 885 B. Christus bellator, II, 340 A, 620 B. Christus bellipotens et armiger accipiet spolia non solius Samariæ, verum et omnium gentium, II, 618, 621 B. Christus homo Deo mixtus, et quo sensu, I, 399 B. Christus illuminator et deductor generis humani, I, 395 A. Christianæ gratiæ et disciplinæ arbiter et magister, *ibid.* Unica spes totius orbis, II, 760 c. Remediator valetudinum, II, 373 A. Verus disceptator et æstimator humanarum macularum, II, 447 A. Æternæ non longæ vitæ invitator, II, 424 D. Christus dominus et sabbati et Legis, et omnium paternarum dispositionum, II, 396 A. Christus sponsus, II, 382 A. Christus inglorius, ignobilis, inhonorabilis, II, 344 B. Christi Dei totum dedecus sacramentum est salutis humanæ, II, 517 c. Christi amor erga homines, II, 772 *sq.*

Christum nasci ex semine humano non competebat, II, 781 *sq.* Nove nasci debebat novæ nativitatis dedicator, II, 781 c. Caro Christi sancta, II, 933 c; non peccatrix, II, 781 A. Vid. Caro. Christus accepit a Patre carnis et animæ texturam, II, 843 c. Christus, etsi in hominis figura proposuerat latere, nihil tamen de impatientia hominis imitatus est, I, 1252 B. Christus homo, quia caro, non quia anima, II, 874 A. In Christo deus

Digitized by Google

substantiæ, divina et humana, II, 194 A. Christus solus homo sine peccato, quia et Deus Christus, II, 720 B. Verum hominem esse Christum probatur, II, 14 B, 378 *sq.* Phantasma esse Christum contendebant Marcionistæ, II, 331 C.

Christus exivit a Patre, ut radius ex sole, ut rivus ex fonte, ut frutex ex semine, II, 183 A. A matrice Dei Patris non recessit, sed excessit, I, 399 B. Delapsus est in Virginem, et in utero ejus caro figuratus, *ibid.* Nullam de impudicitia habuit matrem, ut Jupiter, I, 396 *sq.* Etiam quam videtur habere, non nupserat, I, 397 A. Christus natus est ex Virgine, II, 782 A, B. Ex Mariæ carne est, dum ex semine est David, II, 330 A. Anno duodecimo Tiberii Cæsaris revelatus est, II, 264 A; et de cœlo manare dignatus est, II, 267 A, 614 B. Christus pusillus factus, ut homo maximus fieret, II, 317 C. Pusillitates Deo Christo maxime congruebant, II, 316 *sqq.* An fabri aut questuariæ filius sit, I, 662 A. An Christus per omnes gradus infantiæ transierit, II, 411 B, C, *sq.* Caro spiritu instructa, nutritur, adolescit, affatur, docet, operatur, et Christus est, I, 399 B. Incarnationis caussæ, II, 773.

Christus alter qui apparuit sub Tiberio, et alter qui a Creatore promittitur, aiebat Marcion, II, 264 A, 368 B, C. Christum in hodiernum diem Judæi negant venisse, II, 331 B. Cur, *ibid.* Christus judaismi exorbitator et destructor, II, 329 B. Illum Judæi planum in signis, et æmulum in doctrinis existimabant, *ibid.*

Christus et visus et auditus et congressus, miscens in semetipso hominem et Deum, in virtutibus Deum, in pusillitatibus hominem, II, 317 B, C. A primordio egit in Patris nomine, II, 317 A, 378 A. Per Christum Deum novimus, II, 647 B. Per Christum Pater plenius manifestatur, II, 170 A. Christo servabantur omnia retro occulta nudare, dubitata dirigere, prælibata supplere, prædicata repræsentare, II, 796 A. Post Christum Jesum nobis curiositate non opus est, nec inquisitione post Evangelium, II, 21, A. Christi institutio quærenda et custodienda, II, 25 A. Christus maxime dignoscitur ex verbi potestate, II, 375 B. Omnia Christi dicta omnibus posita sunt, II, 22, B. Conversabatur ut Deus, ut homo divine agere doceretur, II, 317 C. Nullius mensam tectumve despexit, I, 1253 A. Nullum volentem sibi adhærere non suscepit, *ibid.* Christi miracula quot et quanta, I, 400 B. Iis se Deum probavit, *ibid.* Quanta impudentia dicebantur magicis facta virtutibus, I, 400 A. Christus ab hominibus, non a spiritibus immundis, volebat se Filium Dei agnosci, II, 373 B. Respuit immundi spiritus præconium, *ibid.* Christus numquam sine aqua, I, 1210 A. Quomodo baptizavit, I, 1212 A, B.

Christi passionem et ipse et Prophetæ prænuntiarunt, I, 401 A. Christi passio describitur, I, 1252 *sqq.* Christi patientia quanta, II, 348. Voluit saginari voluptate patientiæ, I, 1251 A. Christus nisi ignoratus, nihil pati posset, II, 327 C. Christus, sicut prædixerat, crucifixus violenter Judæorum suffragiis, I, 400 B, *sq.* Christi derelictio in cruce explanatur, II, 195. Christus propter id ipsum habebat mori, quod quia nascitur, moritur, II, 764 B. Christus sponte sua mortuus, I, 401 A; prævento carnificis officio, *ibid.* Christum non ex divina, sed ex humana substantia mortuum dicimus, II, 194. In Christi morte extraordinaria solis defectio prædicta, et descripta in arcanis seu archivis, I, 401 A. Illius corpus sepulchro conditum, *ibid.* In quo nihil repertum, nisi exuviæ, I, 402 A. Christus moriendo descendit ad animas Prophetarum et Patriarcharum, II, 657 A, 742 C. Quo anno passus, II, 612 *sqq.*

Christus tertia die post mortem resurrexit, I, 401 *sq.* Postea suis discipulis apparuit, I, 402 A; docens eos quod docerent, *ibid.*, 492 A. Quare se non in vulgus eduxerit, *ibid.* Caro Christi in cœlo an sensu vacua, II, 792 A. Christi corporis veritate post resurrectionem suam nihil clarius, II, 466 C. Quæ ab eo gesta sunt, Tiberio Cæsari a Pilato nuntiata, I, 405 A. Christum deorum numero adscribi voluit Tiberius, I, 290 A.

Christus exinde a passione sua regnare cœpit, II, 628 B. Christi regnum et nomen ubique porrigitur, II, 611 C. Omnibus æqualiter tribuitur, II, 612 A. Ubique creditur, in omnibus gentibus regnat et adoratur, II, 611 C.

Chrysippus ad elleborum, II, 636 A. Chrysippi assentator, I, 612 C. Ejus sententia de anima, II, 655 C.

Cibus, victus omnem disciplinam aut occidit aut vulnerat, II, 960 C. Ciborum deliciæ quæ, II, 1048. In primordio herbidum solummodo et arboreum homini pabulum addixerat Deus, II, 958 C. Quare quorumdam animalium esum prohibuerit Mosaica lex, II, 306 A. Cibum Christus desideravit, cur, II, 468 A. Cibum Christianorum præcedebat et sequebatur oratio, I, 477 A, 1193 B. Vid. Abstinentia Cœna, Convivium.

Cicercula, II, 298 C.

Cicero Octavium Augustum, sibi ignotum, civilium turbinum sepultorem de somnio noverat, II, 728 A. Quingentis millibus numerum orbem citri emerat, II, 1048 A. Ciceronianæ mensæ, II, 706 A. Ciceronis Tusculanæ, I, 525 A. Ciceronis dignitatem parvuli etiam nunc gerula jam sua inspexerat, II, 729 A.

Cicuria, vel Curruca, ingenia, II, 591 A.

Cilicia Mopsi habebat oraculum, II, 730 A.

Cincius Severus Thistri dedit remedium quomodo responderent Christiani ut dimitti possent, I, 703 A.

Cinerarii, I, 1301 B.

Cippus, vel crux, II, 1047 A.

Circulatores, II, 58 B.

Circulatoria secta magorum, I, 672 B. Illorum circulatoriæ præstigiæ, I, 411 A.

Circuli aurei brachia mulierum ornabant, I, 1306 A.

Circumcisio populo data in signum, unde dignosci posset Israel, non in salutem, II, 603 A, B. Circumcisionem acceperat Abraham, quæ in signum temporis illius, non in salutis prærogativam, II, 602 *sq.* Circumcisio, nota servitutis, non purgat hominem, II, 601 A. Octavo die semper observata, propter mortis comminationem, *ibid.* Cessare debebat, II, 604 A.

Circumcisio carnalis et temporalis tributa populo contumaci, circumcisio spiritalis data in salutem populo fideli, II, 603 C.

Circus soli principaliter consecratus, I, 639 B. A Circe dictus, *ibid.* Ejus ornamenta, *ibid.*; et furores, I, 648. In eo nec principibus aut civibus parcebant Romani, I, 649 A. In circo gradus et apuliæ, I, 652 B.

Civitates omnes diluvio posteriores, I, 482 A. Sine civitatibus aliquando exstitit humanum genus, I, 432 A. Civitatem tabernæ habitu abolefacere, I, 432 B.

Claudius electus imperator, primus promisit singulis militibus quinadena sestercia, I, 435 A. Nullam in Christianos legem tulit, I, 294 A.

Claudius Herminianus in Cappadocia Christianorum atrox persecutor, quomodo interiit, I, 702 A.

Claudii Saturnini liber de Coronis, II, 86 A, 91 A, 97 A.

Claves custodiendæ uxoribus committebantur, II, 927 A.

Clavis legis est interpretatio legis, II, 429 C.

Claves regni cœlorum Petro datæ ac per eum Ecclesiæ, II, 142 C. Vid. Paradisus.

Claves diaboli, II, 142 C.

Clazomenii Hermotimum templo consolantur, II, 724 C.

Cleanthis opinio de anima, II, 653 B. Ejusdem de eodem testimonium, II, 693 B.

Clemens Romanorum ecclesiæ episcopus a Petro ordinatus, II, 45 A.

Clementiæ cœlestis abundantia libidinem ne faciat humanæ temeritatis, I, 1240 B.

Cleomachus, pugil, inter fullones Novianos coronandus, II, 1042 B.

Cleonymus pyctes ab Achille in somno curatus, II, 729 A.

Cleopatra sola regnavit annis viginti, II, 614 B. Dein conregnavit sub Augusto tredecim annis, *ibid.* Cleopatræ mors, I, 584 A, 625 C.

Clidemus Atheniensis, dum ab histrionibus ob præstantiam auro coronatur, præ gaudio et gloria moritur, II, 739 A.

Cloacina dea, II, 266 A.

Clypei Persarum imagine solis adornati erant, I, 370 A.

Coci ab Apicio nomen acceperunt, I, 282 A.

Coelebs difficile dives, I, 1301 A.

Cœlestis, dea Africanorum, I, 419 A. Pluviarum pollicitatrix, I, 413 A.

Cœlum, sedes Dei vivi, I, 377 A; et patria Christiani, II, 260 A. Cœlum, non Capitolium, respicit anima christiana deprecans, I, 377 A. Cum transactione mundi reserabuntur regna cœlorum, II, 744 A. Vid. Paradisus. In cœlo sexus nullus, I, 1307 A.

Cœlos 365 ab Angelis institutos docuit Basilides, II, 62 B.

Cœmeterium, II, 738 A, 796 B.

Cœnarum sumptus antiquis legibus definiti, I, 298 A. Cœnæ centenariæ, I, 300 A. Quam immodici earum sumptus, *ibid.*

Cœna libera et suprema bestiariorum, I, 492 A.

Cœna Christianorum qualis, I, 473 *sqq.*

Cœnæ parabolæ paratura vitæ æternæ saturitatem figurat, II, 457 C.

Cœtus antelucani Christianorum, I, 273 A, 281 B; II, 79 B. In ipsis suis cœtibus opprimebantur, I, 308 A. Qui ex eis arcebantur, I, 469 A. Vid Synaxis.

Cogitatus sine opere et sine effectu, carnis est actus, II, 814 A. Omne animæ cogitatorium caro est, *ibid.* An per carnem administrentur cogitatus qui per carnem dignoscuntur extrinsecus, *ibid.*

Colabarsus novam hæresin ex Græcorum alphabeto composuit, II, 70 A.

Digitized by Google

Colchorum amores, II, 247 A.
Collegiarii ministri, I, 644 B.
Collegium artium musicarum, etc., I, 644 B.
Colloquium familiaritatis indicium, II, 413 A
Colophonis scaturigo dæmonica lymphaticos efficit, II, 734 B.
Coloris proprietas omni corpori adhæret, II, 660 B. Colores adulteri non a Deo, sed a diabolo, interpolatore naturæ, I, 1312 B, 1321 A.
Colores factionum circi, duo initio tantum, albeus et russæus, I, 641 B. Vid. Lana.
Columba, avis non solum innocua, sed et pudica, II, 940 B. Felle caret, I, 1209 A.
Columba, græce περιστερά, habet secundum numerum DCCCI, II, 70 A.
Columba solet Christum ostendere, II, 544 B. Columbæ in specie Spiritus sanctus in Christum delapsus est, et quare, I, 1208 A. Ubi sit corpus hujus columbæ, II. 758 A.
Columnæ Sessiæ a sementationibus, Messiæ a messibus, Tutelinæ a tutela fructuum, II, 639 c.
Colythi pueri mense citius eloquuntur, II, 683 A.
Coma mulieri pro operimento est, II, 899 c. Vid. Capilli.
Comitia Romana, I, 464 B.
Comitialis morbus humano sanguine sanari ferebatur, I, 322 A.
Commeatus delinquendi, quid, I, 1237 A.
Commentarii Romanorum, I, 292 A.
Commercii rebus litteræ sunt necessariæ, II, 87 B. Vid. Negotiatio.
Communicatio pacis, II, 32 B.
Communio ecclesiastica, II, 45 B. Vid. Eucharistia, Excommunicatio.
Conchæ in montibus peregrinatæ ob diluvium, II, 1035 B. Conchæ maris poma, I, 1311 A.
Concilia ethnicorum, I, 464 B.
Concilia repræsentatio totius nominis christiani, II, 972. Stationes et jejunia illis præmittebantur, *ibid.* Concilia ex universis ecclesiis per Græcias, *ibid.*
Conciones Romanæ, I, 464 B.
Concupiscentia naturalis proprie unica est alimentorum, quam Deus in primordio condidit, II, 716 B. Concupiscentiam rationalem nobis dat Apostolus, II, 675 B. Concupiscentia solitaria prohibetur, I, 499 A. Concupiscentia oculis arbitris quando utatur, II, 716 B. Carnis concupiscentia ætatis officia defendit, decoris messem requirit, gaudet de contumelia sua, I, 1280 B. Concupiscentia sæcularis causas habet gloriam, cupiditatem, ambitionem, insufficientiam, I, 1281 A. Vid. Libido. — Concupiscentiæ sepulcra manentia tempore auctoris, II, 976 A.
Congiarium militibus dividebatur, I, 455 A.
Confessio persecutione deducitur, et persecutio in confessione fluitur, II, 143 c. Confessio simplex et exerta in martyris nomine, II, 455 c. Christiani confessi, ab ethnicis damnabantur ut alii rei, I, 702 B. Confessores, II. 77 c.
Confessione criminum facta, quæstio non ultra procedit, I, 276 A.
Confessio tantum relevat peccatum, quantum dissimulatio exaggerat, I, 1243 A. Confessione pœnitentia nascitur, satisfactio disponitur, I, 1243 B. Confessio satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ, *ibid.* In exomologesi delictum cessare, quantum malum, I, 1243 B. Confitendorum potius delictorum exempla, quam negandorum, nobis proponuntur in Cain et Adam, II, 314 c. Evenit in bonis factis pœnitentiæ confessio, II, 312 A. Peccata et turpitudines confiteri non publice, I, 1222 c Confessio Baptismum præcedere debet, I, 1222 B, c. Vid. Pœnitentia.
Confirmatio Spiritu sancto vestit, II, 30 A. Sacramentum est, II, 54 A. Post Baptismum accipiebant neophyti manuum impositione, I, 1207 *sqq.* In ea manus impositione caro adumbratur, ut anima spiritu illustretur, II, 800 B.
Conjugium, Connubium. Vid. Matrimonium, Nuptiæ.
Consevius deus, I, 600 c. Illius officium, *ibid.*
Constituere et concipere licet omni fideli, dumtaxat quod Deo congruat, quod disciplinæ conducat, quod saluti proficiat, II, 81 B.
Consualia festa, I, 637 A.
Consuetudo fere ab aliqua ignorantia vel simplicitate sordida initium sumit, II, 889 A. In usum per successionem corroboratur, et ita adversus veritatem vindicatur, *ibid.* Consuetudinis vis, II, 890 *sqq.* Consuetudini ratio patrocinatur, II, 80 A Non interest an scriptura vel ratione consistat, quando et legem commendet ratio, II, 81 A. Colenda est, ne non sit rationis interpres, II, 81 A. Consuetudo sit tantisper, ut consuetudini etiam consuetudinem opponamus, II, 890 B. Lege non exstante, traditio consuetudini dat morem, II, 81 B. Etiam in civilibus rebus pro lege suscipitur consuetudo, cum lex deficit, *ibid.* Consuetudo traditionem confirmat, cujus est idonea testis, *ibid.* Consuetudinem nemo respuit, quam damnare non potest, II, 891 A. Veritatem se Christus nominavit, non consuetudinem, II, 889 A.
Consus deus, I, 600 c. Qui et Neptunus, I, 637 A, 640 A. Deus consilii, I, 637 A. A Romulo inventus, II, 266 c. Ejus arx in circo, I, 637 A. Apud metas sub terra delitescit, I, 637 A, 640 A.
Contemnit nemo quod sciat omnino non esse, I, 572 c.
Continentia omni momento hominibus est necessaria, sicut oratio, II, 926 A Continentiæ votum, II, 905 A. Continentiæ bonum conjugio præfert Apostolus, II, 486 c. Continentia legem nuptiarum honorat, licentia temperat, II, 931 A. Continentia instrumentum æternitatis, I, 1285 A. Per continentiam negotiaberis magnam substantiam sanctitatis, II, 925 c.
Continentia laboriosior in fœminis, II, 905 B. Laboriosior et gloriosior continentia quæ jus suum sentit, utrique a viduis, I, 1287 B. Continentia virtute constat, virginitas gratia, II, 905 B. Virginitati non antistat continentia, *ibid.* Vid. Virginitas.
Continentia hæreticorum non laudanda, II, 931 A.
Contumacia timorem subvertit, I, 1231 A.
Contrarius an constent universa, II, 657 c.
Conversiones in bonum vel in malum quomodo agnoscantur, I, 266 A, 559 c, *sq.*
Convivium Dominicum, I, 1294 B. Convivium Christianorum quale, I, 477 A. In cœna Domini convivarum admonitor Spiritus sanctus, II, 457 D.
Convivia publica ethnicorum quæ, et *quam nefanda*, I, 452 B. Vid. Cibus.
Convocationes nocturnæ, I, 1294 B.
Coqui ab Apicio nomen acceperunt, I, 283 A.
Corinthi cum Archia Syracusas muniunt, II, 1036 A. Corinthium mare terræ motus ebibit, I, 481 A.
Cornelius Nepos, I, 330 A.
Cornelius Rufus patricius, senatu submotus, quia decem pondo libras argenti habebat, I, 299 A.
Coronæ origo de mendacio erubescenda est, II, 85 A. Græcos fuisse constat auctores rei vel illuminatores, *ibid.* Corona in capite fœminæ formæ est lena, summa lasciviæ nota, extrema negatio verecundiæ, confiatio illecebræ, II, 98 A. Coronæ aureæ sacerdotum provincialium, I, 687 c. Ab ethnicis coronabantur lupanaria, latrinæ, pistrina, carcer, ludus, amphitheatrum, et ipsa spolaria, ipsæque libidines, II, 97 B. Coronæ hederæ Harpocrationis, II, 85 B; laureæ Bacchi, II, 86 A; et militum, II, 84 B.
Coronam non gestabant Christiani, I, 493 A. Corona Christianorum militum, II, 94.
Corona spinea Christi, in *figuram delictorum quæ* nobis protulit terra carnis, II, 98 B. Figurata est in vepribus quibus erant implicata cornua arietis Abrahami, II, 656 B, c.
Corpus est sui generis, omne quod est, II, 774 B; sive quod habet aliquid per quod est, *ibid.* Corpus substantia est rei cujusque, I, 230 A. Inter illud et nihil agnovit Tertullianus spiritalem substantiam, II, 250 A. Omni corpori coloris proprietas adhæret, II, 660 B. Corporis divini et humani magna diversitas, II, 305 c.
Corpus hominis quid, II, 844 c. Corpus est quod amittit animam, et moriendo fit mortuum, II, 491 c. Ex carne terrenum est, ex sanguine aquenum, II, 771 A. Nullius corporis sanguis esse potest, nisi carnis, II, 461 B. Mensuram corporis mira dispositio, II, 882 *sqq.* Pro dispositione membrorum, ordo vitiorum, II, 953 B. Corpus hominis an operatio angelorum sit, II, 801 A In modum crucis est, I, 678 B.
Corpus nostrum, in Platonis sententia, est carcer, II, 741 A. Corpus vice sepulchri conclusam animam in sæcularis vitæ morte an detineat, II, 820 B. Corpus carnalium operum est vas, anima autem est quæ in illo venenum sit cujus mali facti temperat, II, 491 c. Auriga corporis spiritus animalis, II, 740 B. Corporis vitiatio accidens est res. integritas propria est, II. 878 B. In hac nascimur, *ibid.* Ingressa anima, graviora efficiuntur corpora defunctorum, II, 658 A. Defunctorum corpora a quibusdam Scythis devorata, I, 321 A. Corpus corpori juxta collocando spatium recens communicavit in cœmeterio, II, 738, A.
Corpora medicata condimentis sepulturæ, cur succoleis et monumentis sequestrantur, II, 854, B. Crescit in sepulchro ungues et capilli, II, 756 B. Corpori salutem esse repromissam negant plures hæretici, II, 76 B. Corpus animale quomodo dicatur seminari, II, 873 A. In resurrectione eadem corpora animæ sunt restituturæ in quibus decesserunt, I, 746 B.
Corpore et sanguine Christi vescitur caro, ut et anima Deo saginetur, II, 806 B. Vid. Eucharistia. Corpus, apostoli a sententia, Dei est templum, cum in Christo est, 741 A. Macies non displicet Christianis; nam non ad Deus carnem tribuit, II, 978 A. Corporum contemptu martyriorum præstantiam refert Apostolus, II, 856 A
Corpus, sive congregatorum societas, I, 468 A.

Digitized by Google

Corpus temporum, sæculum, I, 432 A.
Corruptivum non idem quod corruptela, II 870 B.
Corvorum educator Deus, II, 951 C.
Corybantia æra, I, 426 A.
Κόσμον mundum Græci dixerunt, I, 375 A. Cur, *ibid.*
Crassi copia, I, 537 A. Per risum moritur, II, 739 A.
Cratetis vestiendi mos, II, 1046 B.
Cratippus scriptor, II, 739 A.
Creatoris magnitudo in animalibus, II, 261 A. Vid. Deus.
Credendum temere nihil, II, 468 D. Quid sit temere credere, *ibid.* Vid. Fides.
Creditores in partes secabant debitores suos, I, 287 A.
Crepidæ græcatæ, seu cretatæ, II, 1045 A.
Crepidula, seu crepitulum, II, 1044 A.
Crepitacillum Christi, II, 618 A.
Cretam Jovis patriam et tumulum fabulabantur, I, 426 A. Cretes mendaces, II, 683 B.
Critæ, seu censores, II, 129 A.
Critias ex sanguine animam constare dicebat, II, 653 A.
Critolai opinio de anima, II, 653 A.
Crocodilus deus Ægyptiorum, II, 302 A.
Crœsus ambiguitate oraculorum deceptus, I, 408 A. Nullus deus gentilium eo ditior, I, 337 A. Testitudinem cum aguina carne clanculum coxit, I, 409 A.
Crustumium, seu Cæsinensium oppidum, I, 420 A.
Crucis qualitas signum est de ligno, I, 577 C. Crucis pars in antenna navis, II, 346 B. Crucem agnoverunt gentes, I, 566 *sq.* Origo deorum a plastis de cruce inducta, I, 340 *sqq.*, 565 *sq.*, 579 A. Cruces quomodo colerant ethnici, I, 566 *sqq.*, 578 A. Corpus hominis in modum est crucis, I, 678 B. Crucis signum in homine qui manibus expansis deprecatur, I, 578 B.
Crucis supplicii atrocitas, II, 629 B. Regulus primus crucis supplicio affectus, I, 584 A, C. Crucibus imponebantur Christiani, I, 340 A.
Crux Christi figurata in veteri Lege, II, 636. Crux Christi composita fuit ligno recto et transverso, sive antenna, et sedili sive scabello, I, 566 A, 578 A; II, 626 C. Crux Christi stultitia, quomodo, II, 481 *sqq.* Virtute crucis nunc Christus mundum ventilat per crucem, postea ventilaturus per judicium, II, 346 B.
Crucis religiosi Christiani, I, 565 *sq.* Crucis habitus necessarius dimicaturis adversus diabolum, II, 347 A. Cruce signamus lectulum et corpusculum, I, 1296 A. Ad omnem aditum et exitum, ad vestitum et calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubicula, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exercet, crucis signaculo frontem terimus, II, 80 A.
Culicis tuba et lancea, II, 261 B.
Cultus omnino liber esse debet et voluntarius, I, 435 *sq.* Coli ab invito nemo se volet, ne homo quidem, I, 418 A. Humani juris et naturalis potestatis est colere unicuique quod putaverit, I, 699 A. Colit humanus error omnia, præter ipsum omnium Conditorem, I, 666 A.
Cultum fœminæ habitum dicimus, quem mundum muliebrem vocant, I, 1309 A. Nullus cultus a Deo maledictus, nisi muliebris in viro, II, 281 B.
Cupiditas non in concupiscentia alieni tantum est constituta, I, 1261 A. Insatiabilem carnis cupiditatem quibus excusationibus colorent homines, II, 927 A. Vid. Concupiscentia.
Curiæ Romanæ, I, 464 A.
Curiositas vitanda Christianis in divinis rebus, II, 20 B. Cedat curiositas fidei, II, 27 B. Multæ curiositates suspectæ in expositione parabolarum, II, 997 B. Per curiositatem æmulationem libidinis convehunt mulieres, I, 1288, A. Curiositatis libidinem effundunt hæretici, II, 27 A.
Curiositas, seu superstitio Cæsarum, I, 296 *sq.*
Curis pater Faliscorum, I, 421 A.
Curii alea, II, 1049 A.
Currus auctor Trochilus Argivus, I, 641 B Vid. Quadriga.
Custodiæ judicandæ, I, 496 B.
Cybele dea, in theatris repræsentata, I, 570 A. Suspirat Atydem pastorem fastidiosum, I, 339 A. Romam migravit, I, 421 *sqq.* Nescivit Aurelii imperatoris mortem, I, 425 A. Cybeli bestiæ applicatæ, I, 341 A. Ei proprium sanguinem libabat archigallus, I, 425 A.
Cyclopum ora cruenta, I, 508 A.
Cynocephali populi, I, 312 C.
Cynopennæ qui sint, I, 312 A, 570 A.
Cyrenica regna jam christiana, II, 611 A.
Cyrus Asiam et mersit et pressit, II, 727 A. Ursi cicatrices in eo, II, 751 A. Viginti quatuor annis regnavit, II, 614 A.

## D

Dacorum gens Christi jugo subdita, II, 611 A.
Dæmones nullum nomen habent singulare, sed ibi nomen inveniunt ubi et pignus, I, 684 A. Spiritalis sunt substantiæ, I, 404 B, 438 A; II, 717 B. Spiritus insinceri, tenues, invisibiles, incomprehensibiles, contaminati, luxesti, perditi, I, 415 B. Dæmones revera existere credebant Christiani, I, 405 *sqq.* Eorum nomen poetis et philosophis notum, I, 405 A. Dæmonii nomen in maledicti usum vulgus frequentat, *ibid.* Autelii dæmones, I, 684 A; II, 97 B.
Dæmonium ubique, et maledictio ejus ubique, I, 618 B. Uno momento dæmones ubique sunt, I, 407 A. Æmulantur divinitatem, dum furantur divinationem, I, 408 A. Dispositione Dei agnoscunt, *ibid.* Pluvias quum jam in lacolatu aeris sentiunt, remittunt, I, 409 A. Nonnisi præstigiæ sunt ea quæ videntur supra naturæ ordinem fusse, *ibid.* Eorum artibus et præstigiis oracula et miracula edebantur, quæ ethnici deorum suorum industriæ adscribebant, I, 408 *sqq.* Consistunt in idolis, I, 646 A. Victimis et nidore sacrificiorum recreantur, I, 415 B. Ambigua dant responsa, I, 408 A. Pithii oraculi dæmonium, I, 1175 A. Dæmonum pabula, I, 700 B. Magistratus sunt sæculi hujus, I, 688 B.
Dæmonium nomen diminutivum est dæmonis, I, 447 B *sq.* Dæmonum genus est qui ex pravorum angelorum cum mulieribus concubitu geniti sunt, I, 405 A.
Dæmones prædamnati in diem judicii, I, 415 B, 434 A. An solatium perditionis suæ perdendis hominibus operentur, I, 434 A. A mundi principio exitium hominis moliuntur, I, 406 A. Dæmonibus suppetit subtilitas et tenuitas ad utramque hominis substantiam invadendam, *ibid.* Cum anima se conserere solet dæmonium, ex societate substantiæ et diversitate naturæ, II, 695 A. Dæmonio pene nullus hominum caret, II, 748 A. Dæmonum libidines in somniatores, II, 732 B. In dæmonum libidinibus est tam auferre somnia quam inferre, II, 733 B. Mortes immaturatas et frequentes operantur dæmones, II, 748 A. Aliquando sub personis defunctorum delitescunt, II, 748 B.
Dæmones timent, fugiunt et odio habent Christianos, I, 413 A. Christianis inserviunt, I, 413 B, 431 A. Illis mentiri non audent, *ibid.* Quotidie Christiani dæmones respuunt, revincunt, traducunt et de hominibus expellunt, I, 700 B. A Christianis quibuslibet adjurati, ex his quæ obsident hominum corporibus ejecti, I, 413 A, 463 B, 677 B, 700 B, 703 B. Quam audacter ethnici ad simile experimentum faciendum provocati, I, 413 A. A dæmoniis liberare, curatio est valetudinis, II, 375 B. Vid. Angeli Crux (mali), Diabolus, Satanas, Serpens.
Dalmatæ feroces, II, 683 B.
Damascus Arabiæ retro deputabatur, II, 339 A.
Damigeron, II, 747 B.
Damnationis tradux unde, I, 613 A.
Danaus Moysi posterior, I, 386 A.
Darpanus, II, 747 B.
Darius regnavit Babyloniis et Parthis, II, 611 B. Quot annis regnaverit, II, 614 A.
Darius, qui et Melas nominatus est, viginti et duobus annis regnavit, II, 614 A.
David uni genti judaicæ imperavit, II, 388 C. Cædis et stupri reus factus est, II, 14 B. Per sanguinem nuptias sibi ingessit, II, 937 A. Deducta in domum Uriæ confessus, veniam assecutus est, II, 305 A. Uriæ eadem, cum causa ejus moechia, confessione purgavit, II, 990 B.
Debitores quomodo olim puniti, I, 287 A.
Debitum in Scripturis delicti est figura, I, 1162 A.
Decima dea, II, 713 A.
Decima bonorum pars Herculi debita, I, 349 *sq.* Ab ethnicis fraudata, *ibid.*
Decimus numerus reliquorum parens, et perfector nativitatis humanæ, II, 714 A.
Decor naturaliter invitator libidinis, I, 1317 B. Non de integra conscientia venit studium placendi per decorem, *ibid.* Decor non est accusandus ut felicitas corporis, ut divinæ plasticæ accessio, ut animæ aliqua vestis urbana, I, 1319 A. Timendus tamen est vel propter injuriam et violentiam spectatorum, *ibid.* Vid. Forma.
Defunctorum animas humano sanguine expiari olim creditum est, I, 644 C. Corpora defunctorum comedebant quidam Barbari, I, 321 A. Defuncta mulier quædam, oratione sacerdotis facta, excitatur, II, 737 B, C. Pro defunctis offerebant et orabant annuis diebus Christiani, II, 79 B, 942 C. Vid. Mortui.
Dejeratio quid, I, 692 A. Dejerandi formulæ apud gentiles usitatæ, I, 436 A, 692 A, B.
Delatores Christianorum tetriore supplicio affecti, I, 291 A, 296 A.
Delictum omne aut agitur, aut cogitatur, I, 1252 A. Quædam sunt delicta carnalia, id est corporalia, quædam vero spiritalia, I, 1251 B. Delictorum sensus etiam sine effectibus animæ imputari solent, II, 719 B. Delicta voluntatis interdicta, I, 1252 C, *sq.* Delicta principalia, I, 1258 B. Delictorum capitalium septem maculæ, II, 575 A, B. De-

Digitized by Google

licta non in carne apparent, cur, I, 1201 A. Sunt quædam delicta quotidianæ incursionis, quibus omnes sumus subjecti, II, 1020 A. Delicti durior frons est, ab ipso et in ipso delicto impudentiam docta, II, 891 A. Delinquendi nulla est necessitas, quibus una est necessitas non delinquendi, II, 93 A. Delictum omne irrationale, II, 675 A. Delictorum immissio a diabolo, *ibid.* Delictum defusum in varias criminum venas de suo fonte, I, 1258 B.

Delicti cessatio radix est veniæ, II, 1001 A. Delictis carne, spiritu, facto et voluntate commissis, pœna destinatur, et venia per pœnitentiam repromissa, I, 1233 A. Delictum omne aut venia expungit, aut pœna, II, 985 A. Delictum primordiale expiatur majoris abstinentiæ operatione, II, 958 B, *sq.* Vid. Peccatum, Pœnitentia.

Deliciæ discutiendæ, quarum mollitia et fluxu fidei virtus effœminari potest, I, 1332 A.

Delos insula pessum abiit, I, 480 A; II 1034 A.

Delphinos Neptuno vovebant, I, 639 C.

Delphos urbem de manu Pyrrhi Apollo non defendit, I, 607 B.

Delphica inscriptio : Nosce teipsum, II, 676 B.

Delventius deus Casinlensium, I, 420 A.

Demetrius Phalereus, I, 387 B. Grammaticorum probatissimus cur dicatur, I, 379 A. Præfectus bibliothecæ Philadelphi, *ibid.* Impetravit libros Veteris Testamenti ex hebraico sermone in græcum converti, *ibid.*

Demiurgus, II, 572 *sqq.*

Democritus indigentiam spiritus somnum vocat, II, 721 C. Ejus de anima sententia, II, 667 A, B. Seipsum excæcat, quod mulieres sine concupiscentia adspicere non posset, I, 510 *sq.*

Demosthenis eloquentia, I, 337 A.

Demutatio ab omni argumento perditionis discernenda, II, 876 A. Demutare, quid, *ibid.*

Dentes dati ad pulsus linguæ temperandos, ad vocis articulos offensione signandos, II, 883 C. In sepulchro incorrupti permanent, ad quid, II, 885 A. Dentium statio, II, 882, A; ordines, I, 312 B.

Deportationem subibant Christiani, I, 341 A.

Deposita fideliter restituebant Christiani, I, 703 C. Deposita pietatis, quæ, I, 470 A.

Derbices, vid. Scythæ.

Dei proprium nomen est, I, 431 A. Unde Θεὸς dictus, I, 890 D. Substantiæ ipsius nomen, id est divinitatis, I, 891 A; II, 199 C. Deus commune vocabulum factum est vitio erroris humani, II, 497 C. Dei nomen, quasi naturale Divinitatis, potest in omnes communicari quibus divinitas vindicatur, II, 341 C. Deus ex substantia, non ex nomine deputatur, II, 234 A.

Deus sine causa, i. e. sine re esse non potest, II, 259 C. Deus solus sine origine, II, 468 C, D. Nec natus omnino nec factus est, II, 203 C. Deus solus erat ante omnia, ipse sibi et mundus et locus et omnia, II, 160 A. Non solus tamen absolute, habens in semetipso proinde Rationem, et in Ratione Sermonem quem secundum a se faceret agitando intra se, II, 160 D. Deus corpus, etsi spiritus, II, 102 C. Vid. Corpus. Deus spiritus est, omnis omnino corporeæ concretionis expers, I, 399 A. Dei manus, pedes, oculi, quid, II, 303 C. Deum incorporeum Platonici, corporeum Stoici, dixerunt, I, 317 A. Cœlum sedes Dei, I, 377 A. De natura Dei quam variæ fuerint philosophorum opiniones, I, 307 *sqq.*, 316 *sqq.*, 588 C, *sq.*; et de sede ejus, I, 318 A, 588 C.

Deum esse, ex mundi et rerum creatione probatur, I, 575 *sq.*; ex motu, I, 590 C; tum quoque ex testimonio animæ nostræ, I, 576 *sq.*; sacris Scripturis, I, 575 *sqq.*; concessa Christianis dæmones expellendi potestate, I, 416 *sqq.* Deus habet testimonia totum hoc quod sumus, et in quo sumus, II, 258 A. Deo digna probant Deum, II, 266 A; et opera atque beneficia, II, 265 A. Deum esse unicum probatur divinarum scripturarum auctoritate, I, 575 *sq.*; quia mundum universum ex nihilo creavit, I, 534 A, in majestatis suæ ornamentum, I, 575 B; communi philosophorum gentilium consensu, I, 515 *sq.*; ex aliis ejus operibus I, 575 *sq.*; ex intimo humanæ animæ sensu et testimonio, I, 576 *sq.*; ex infinitis ejus perfectionibus, II, 249 C, *sqq.*, 576 A. Deum unicum esse omnes naturaliter agnoverunt et verentur, I, 588 A, B. Deus unus est aut nullus, II, 230 A. Deus unicus est, et non aliter Deus, II, 249 C. Si Deus est, unicus sit necesse est, II, 201 B. Deus an semper Dominus, II, 199 B, C. Deus summum magnum, sed unicum et singulare credi oportet, II, 201 B, 231 A.

Deus alius personæ, non substantiæ, nomine, ad distinctionem, non ad divisionem, II, 166 B, 168 B, C. Deus est Sermo, sed apud Deum, quia ex Deo Deus, quia cum Patre apud Patrem, II, 173 B. Deus sermonem protulit sicut radix frutices, et fluvius fluvium, et sol radium, II, 165 C. Vid. Christus, Filius, Pater, Sermo, Trinitas, etc., etc.

Deus est summum magnum, in æternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine, II, 240 B, C. Deus summum est magnum et forma et ratione, et virtute potestate, II, 249 C, *sqq.* Solitudinem quandam de singularitate præstantiæ suæ possidet, II, 251 B.

Deus maxime magnus, optimus et unus, II, 286 B. Soli sibi, quantus est, notus, I, 376 A. Deo nihil est par, et natura ejus ab omnium rerum conditione distat, II, 757 B. Dei hoc principaliter proprium est, nullius exempli capere comparationem, II, 250 C, *sq.* Omnia in Deo naturalia et ingenita, II, 271 A. In Deo omnia rationalia esse debent, sicut naturalia, II, 272 B. Deum immutabilem et informabilem credi necesse est, ut æternum, II, 190 B. Inæstimabilis est, etsi humanis sensibus æstimetur, I, 375 B. Incomprehensibilis, etsi per gratiam repræsentatus; invisibilis, etsi videatur, *ibid.* Deum judicare de nostro sensu, plane stultum, II, 759 B.

Deus perfectus in omnibus, II, 274. Perfectissimus, est I, 334 A, 375 *sq.* Solus perfectus, II, 304 A. Deo denegant quidam proprietates suas, simplicitatem et potestatem, I, 1201 B. Deus æternus est, ante omne tempus, I, 575 *sq.*, 397 A, 432 A; II, 160 A. Deus novus, deus necessario falsus, II, 255 A, B. Ab æterno rationalis, nondum sermonalis, et cur, II, 160 A, B. Deus omnia videt, I, 500 A, 1232 A. Ipse invisibilis simulque visibilis, II, 170 C, *sqq.* *Vid.* Pater. Deus visus secundum hominum capacitates, non secundum plenitudinem divinitatis, II, 170 C. Libertas, non necessitas, Deo competit, II, 212 A. Deo non competit perversitas neque fallacia, II, 166 D; neque *infirmitas aut mendacium*, II, 774 B. Deo nihil impossibile, nisi quod *non vult*, II, 756 B. Non alia lege credendus est Deus, quam omnia posse credatur, II, 809 A. Dei posse velle est, et non posse nolle; quod autem voluit, et potuit, et ostendit, II, 166 A. Divinæ potestatis exempla, II, 810. Deus immensus est, I, 376 A. In Deo omnis locus, non ipse in loco, quia universitatis ultima linea est, II, 175 C. Deus intra abyssos est, et ubique consistit, sed vi et potestate, II, 184 C. Deus solus de incorruptibilitatis proprietate felix, II, 304, A.

Deus totus bonus est, dum pro bono omnia est, II, 300 B. Dei bonitas semper cum ratione conspirat, II, 273. Deus de suo optimus, de nostro justus, II, 812 B. Deus, etsi de natura bonus, tamen et justus, II, 984 A. Deus, qui verus est, omnia sua ex æquo et profanis et suis præstat, II, 699 B.

Deus æqualis est super omne hominum genus, et indulgens, et increpans, I, 489 A. A Deo nihil subitum, quia nihil a Deo non dispositum, II, 323 B. Dei providentiam adstruunt Plato et Platonici, negant Epicurus et Epicurei, I, 517 A. Deo maxime optimo indigna, *quæ*, II, 266 A, 278. Dei patientia in quibus appareat, I, 1252. *Dei patientia*, quanta, II, 813 A. Deus judex justus et severus, II, 302 A. Justitia ejus plenitudo divinitatis ipsius, II, 300 B. Non est contentiosus, II, 699 A. Quod damnat Deus, nusquam et nunquam excusatur, I, 635 A. Neque damnat judicia sua præterita, nec ignorat futura, II, 311 A. Deus, in quantum Deus est, nec malum admittit, nec bonum damnat, II, 373 D. Nec pœnitentiæ boni aut mali apud eum locus est, *ibid.* Solus sine peccato Deus, II, 720 B. Non est causa peccati, II, 296 B; neque mali, II, 209 *sqq.*

Deus universitatis conditor, mundi totius gubernator, hominis plasmator, universarum gentium sator, II, 599 A. Otium natura sua non novit Deus; si cessaret, non esset, II, 271 B. Deus composite, materia incondite movetur, II, 255 C. Motus Dei liber et æternus, *ibid.* Motuum omnium primus auctor Deus, I, 590 C. Mundum et omnia ex nihilo creavit, I, 324 A. Verbo fieri jussit, ratione composuit, virtute sua condidit, I, 575 A; in suæ majestatis ornamentum, I, 575 B. Omnia opera sua ordine consummavit, II, 222 C. Dei flatus, idoneus torrere quodammodo limum in alium qualitatem, quasi in testam, ita in carnem, II, 804 A. Quandocumque limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus, II, 802 B. Deo otius est quod nascitur, diaboli negotium est quod fingitur, I, 1521 B. Deo non placet quod ipse non produxit, I, 1512 B. Perversa sunt omnia quæ a Deo non sunt, I, 1517 A.

Dei omnia, et nihil nostrum, I, 1261 A. Dei res nulla pretio constat, I, 470 A. Deus quod proposuit et revolvit, medio spatio sæculorum in figuris et ænigmatibus et allegoriis præministravit, II, 485 B.

Deus pusillus inventus est, ut homo fieret maximus, II, 317 C. Deus in terris egit, et humani habitus humilitatem sumsit; it, II, 303 A. Nasci se passus est in utero matris, adolescere sustinuit, etc., I, 1252 B. Deus et quidem sublimator, tanta humilitate vestigium majestatis suæ stravit, ut etiam morti subjiceret, et morti crucis, II, 316 C. An Deus crucifixus sit, II, 769 A, C. Deus vere crucifixus, vere mortuus, vere resuscitatus, *ibid.* Itaque ex fide debemus credere, II, 317 C. Deum quorumdam cre-

Digitized by Google

dere, et tamen viventem in ævo ævorum, Christianorum est, II, 303 B. Deum in hominem conversum negavit Marcion, II, 757 A. Deus non potuit humanos congressus inire, nisi humanos et sensus et affectus suscepisset, II, 316 B.

Deus ignorari non potuit, nec debuit, II, 256 *sq.*, 265 *sq.*, 325 A, Vis magnitudinis ejus et notum hominibus objicit et ignotum I, 376 A. Philosophi inventu et enarratu difficilem Deum dixerunt, I, 509 A. Deus semper notus, numquam latuit, quia semper illuxit, II, 285 A. Solis hæreticis cognitus non est, *ibid.* Tempore Pauli nemo de Deo disceptavit, II, 270 A. Deus omnibus notus per naturam et conscientiam, II, 798 C. Deus primo natura cognoscendus, dein de doctrina recognoscendum, II, 266 B. Deum ignorantes, rem quoque ejus ignorent necesse est, I, 1227 A. Major popularitas generis humani Deum Mosis norunt, II, 257 C. Deum Judæorum coluerunt Romani, I, 432 A. Dei notitiam Mosi stylus a primordio mundi, a paradiso et Adam, et non ab Ægypto et Mose recenset, II, 257 B. Deum nos a Prophetis et a Christo, non a philosophis, erudimur, II, 303, B. Deum novimus per Christum, II, 647 B. Deus nemini cognitus sine Christo, II, 647 B. Nemini Christus exploratus sine Spiritu sancto; nemini Spiritus accommodatus sine Baptismo, *ibid.* Agnitio Dei quid sibi incumbat satis intelligit, 1255 B.

Deus est timendus, II, 278 C, D. Deus tunc magis creditur cum magis timetur, II, 104 A. Deus auctoritatem præstat, non Deo disciplina, II, 383 C. Deus non vocis, sed cordis auditor est, sicut conspector, I, 1175 A. Deus in omnia sufficit, I, 1252 A. Habet omnia qui Deum habet, I, 1281 B. Sicut homini vitæ spatium indixit Deus, ita homo sibi mortis statum attraxit, II, 294 A. Dii erimus, si meruerimus illi esse de quibus prædicavit, sed ex gratia ipsius, non ex nostra proprietate, II, 202 B. Animæ christianæ de Deo naturale testimonium, I, 611; II, 798 A. Deus Christianorum onochoites, I, 372 A, 579 B. Deum colendi facultatem denegare ethnici non debebant, I, 699 *sq.* Deum colimus per Christum, I, 405 B.

Dii gentilitatis a Saturno originem trahunt, I, 329 A, 601 B; a Jove, Junone et Minerva, juxta Varronem, *ibid.* Deorum et dæmonum una nominis qualitas, I, 413 A. Unde tot deos sibi fecerint, I, 133 A. Homines fuisse tales deos testantur historia atque monumenta, I, 328 *sqq.* Plures ex eis regnasse certum est, I, 428 A. Supra innumeros deos alium sublimiorem constituebant, I, 332 B, D. Deos fingere humana mediocritas novit facilius quam verum Deum sectari, II, 266 C. De cultu deorum erravit antiquitas, I, 306 A. Tot ac tanti ab omnibus coli non poterant, I, 573 A, 645 *sq.* Deos existere probari non potest vel objectis quibusdam signis, miraculis, oraculis, I, 395 *sqq.*, 408 *sqq.*

Deorum duplex genus finxit Xenocrates, et triplex aliud Dionysius, Arcesilaus et Varro, I, 587 *sqq* ; physicum scilicet, mythicum et gentile seu plebeium, *ibid.* Refelluntur, *ibid.* Physici detraxerunt deos, I, 502 A; quia eos mundi elementa esse dixerunt, I, 589 B. Deorum mythicum genus, a poetis conflictum, exploditur, I, 594 B. Dixerunt illos esse heroas mortuos, *ibid.* Illorum fœditatem designant litteræ et actus histrionum, I, 358 *sq.* Eorum scelera et facta turpissima in cavea, theatris, scena, comœdiis et tragœdiis repræsentata, I, 353 *sqq.*, 358 *sqq.*, 573 *sqq.* Deorum gentile seu plebeium genus exploditur, I, 595 *sqq.* Falsos esse deos ostenditur, I, 349 *sqq.*; teste gentilium conscientia, I, 328 A; quia neque a seipsis, neque ab aliis divinitatem accipere potuerunt, I, 333 *sqq.*; publica dæmonum a Christianis adjuratorum confessione, I, 413 *sqq.*, 417 A, B. Falsos esse rursum demonstratur ex corporea eorum figura, humana, caprina, bovina, leonina, alitum, aliorumque animalium, I, 374 A, 574 *sqq.*, 577 C. Eorum servitutes, vincula, prælia, vulnera, I, 551 A, 575 B. Meri homines fuerunt, I, 328 A, B. Dii facti, aut propter virtutem et præclara quædam facinora, I, 334 *sq.*; aut propter beneficia hominibus collata, *ibid.*; aut res inventas, I, 606 C. Deorum totum artificium est contumeliosum et impium, I, 330 *sqq.* Pro hominum arbitrio facti dii, I, 344 A, 347 A, 596. Non sine senatusconsulto, I, 290 A, 304 *sq.*, 344 B, 575, 575 A; nec sine Cæsaris voluntate, I, 439 A. Ex eadem materia et dii et vasa domestica fingi solebant, I, 339 A. Gentiles quos timebant deos destruebant; quos vindicabant, illudebant, I, 344 A; et quidem in templis suis, I, 563 A. Minus eos timebant quam imperatores, I, 457 A. Dii injurias suas potius ulcisci quam adulationes remunerare debebant, I, 431 A. Romanos imperatores similes sibi fieri ridebant, I, 347 A. Vid. Dæmones.

Deorum topicorum infinitus numerus, I, 645 *sq.* Nuptiis et liberis procreandis præesse fingebantur, I, 600 C. Unicuique provinciæ ac civitati suus deus erat, I, 418 *sq.*, 596 A. Quam falso dicti provinciarum et civitatum custodes et tutelares, I, 424 *sqq.*, 607 A, B. Nemini regna dederunt, I, 423 *sqq.*; nec dare potuerunt, *ibid.*; nec regna, nec templa sua, nec seipsos tueri, I, 438 *sqq.*; nec ulli salutem conferre, *ibid.* Passi sunt patriam suam everti, I, 426 *sqq.*

Dii publici qui essent, I, 598 A. Venales sub hasta et adnotatione quæstoris, I, 345 *sqq.* Deorum majestas quæstuaria facta, quomodo, I, 346 A. Diis ignotis aræ prostitutæ apud Athenienses, II, 255 C; et incertis apud Romanos, *ibid.* Dii peculiares et domestici, I, 344 B. Pro cujusque arbitrio venditi, I, 344 B, 347 A; et oppignorati vel immutati, *ibid.* Quo magis sancti et vetusti, eo magis tributarii, I, 346 A. Dii selecti et ejecti, I, 344 A, 596; adoptati, I, 596 A, B. Mendicantes, I, 494 A; quibus non sufficiebant Christiani, *ibid.* Alii alios deos colebant, I, 344 A. Quo habitu et insignibus dii honorati, I, 347 A, 360 *sqq.*, 547 B; ignominioso capite, I, 360 A. Deo patiens quis ab ethnicis dicebatur, I, 413 A.

Dii gentilium Romanorum, qui, I, 597 B, *sq.* Explodunt, *ibid.* In certos, dubios et electos a Varrone perperam divisi, *ibid.* In communes et proprios paulo melius dividi poterant, sed id refellitur, *ibid.* Eorum dii peculiares, I, 419 *sqq.*, 606; peregrini, I, 423 *sq.* Falsum est ob eorum cultum fundatum aut propagatum fuisse Romanorum imperium, I, 422 *sqq.* Patriam suam Romanis vastandam dederunt, I, 424 *sqq.* Eos contempserunt Judæi, I, 432 A.

Deos duos Marcion affert, tamquam duas symplegadas naufragii, II, 248 B.

Diabolus an a Deo sit factus, II, 296 B, C. A Deo in bonum conditus est, II, 297 B. Diaboli vocabulum, ex qua delatura competat Creatori, II, 519 A. Diabolus mendacium operatur divinitatis, II, 86 B. Mendacem vult facere Christum, I, 655 A. Divinorum æmulator diabolus, I, 977 A. Res Dei æmulatur, I, 1205 A; II, 102 B; et veritatem, II, 154 D; atque sacramenta, II, 928 C. Æmulatur res sacramentorum divinorum, II, 54 A. Judaicæ legis morositatem imitatus est, II, 55 A. Diabolus interpolator naturæ, I, 1312 B. Aquis ethnicorum incubat, ut fallantur, I, 1205 B. Quod nascitur, opus Dei est, quod fingitur, diaboli negotium, I, 1321 B. Diabolum Valentiniani demiurgum munditenentem appellant, II, 576 A.

Diaboli colubrina vis, I, 651 A. Ejus est infirmitas et malitia, I, 1164 A. Diaboli ingenia agnoscenda, II, 102 B. Ejus ignea tela, per quæ fidei ustio et conflagratio administratur, II, 106 C. Semper operatur, et quotidie adjicit aliquid ad iniquitatis ingenia, II, 889 B. Impatientiæ natales in diabolo, I, 1256 A. Intervertit intellectum hæreticorum, II, 54 A. Diabolus auctor delicti, II, 296 B, 301 B. Delicti immissio a diabolo, II, 673 A. Malorum peccati et culpæ creator, II, 301 A, B. Primos homines elisit, I, 651 A. Regnare se putat, si sanctos a religione Dei deturbat, II, 620 B. Docet etiam verberandam maxillam patienter offerre, I, 655 A. Pervicacissimus ille hostis numquam malitiæ otium facit, I, 1241 A. Diaboli unum opus est, tentare quod in te est, an velis, II, 916 B. Non operatur in te voluntatem, sed invenit possessionem voluntatis, *ibid.* Nihil in servos Dei vivi diabolo licebit, nisi permiserit Dominus, II, 104 D, 105 C. A servis Dei accipit potestatem, II, 106 A. Prima diabolo fides ædificatur ab initiis eruditionis, II, 675 B.

Diaboli pompa, adversus quam in signaculo fidei ejeramus, II, 65. Si diabolo pompam ejerasti, quidquid ex ea attigeris, id scias esse idololatriam, I, 689 B. Diaboli responsio cum oneraretur in exorcismo ob mulierem christianam in theatro ab eo obsessam, I, 657 B. Vid. Dæmon, Satan, Spiritus nequam.

Dialectica Aristotelis, artifex struendi et destruendi versipellis, in sententiis coacta, in conjecturis dura, in argumentis operaria contentionum, II, 20 A.

Dialecticus christianismus reprobatur, II, 20 B.

Διμαστίγωσις, id est flagellatio, apud Lacedæmonas solemnitas maxima, I, 626 A.

Diana, dea Scytharum, II, 136 B, 955 A. Diana virgo figuratur, I, 574 B, flagellata, I, 358 A.

Diasares. Vid. Dusares.

Dido se vivam combussit, ne secundas experiretur nuptias, I, 625 B; II, 929 A, 932 B. Didonis constantia, I, 584 A.

Dies moritur in noctem, et tenebris usquequaque sepelitur, II, 810 A. Initio diei orandum, I, 1193 B. Tres horæ insigniores diem distribuunt, I, 1192 A, B; II, 966 B, C. Solemniores erant in orationibus divinis, *ibid.*

Diem unum hebdomadæ festum et feriatum quælibet gens agebat, I, 579 A, B. Vid. Dominicus.

Diespiter deus, I, 600 C. Ejus officium, *ibid.*

Digami dejecti ab officio sacerdotali, II, 922 A. Digamos Apostolus non sinit præsidere, I, 1286 A.

Digitus Dei, quid, II, 427 A, B.

Digitorum gesticuli supputarii, I, 387 A.

Dignitates sæculi inimicæ Dei, I, 690 A. Dignitatum insignia, I, 300 A.

Digitized by Google

Dilectio, summum fidei sacramentum, Christiani nominis thesaurus, I, 1268 B. Dilectio perfecta est fugatrix dæmonum et animatrix confessionis, II, 147 A. Nihil amari potest sine eo per quod est id quod est, II, 759 B. Dilectionem, Deo magistro, patientia comitatur, I, 1269 A.

Diluvium non tantummodo campestre fuit, ut existimabat Plato, sed totum orbem abolevit, I, 481 A; II, 1033 A. Hoc probant conchæ et bucciniæ in montibus repertæ, II, 1035 B. In diluvio etiam ardua fluitabant, *ibid.* Urbes omnes diluvio posteriores, I, 482 A. Per aquas diluvii iniquitas antiqua purgata est, I, 1209 A.

Diodorus Græcus, I, 330 A; II, 85 A.

Diogenes, canicula de dolio latrans, II, 1045 B. Lutulentis pedibus superbos Platonis thoros alia superbia deculcat, I, 511 A; II, 1043 B. Meridie lucernam accendit, hominem quærens, II, 247 B. Perdite amavit Phrynem scortum, I, 510 A. Consultus quid in cœlis ageretur, quid responderit, I, 588 C.

Diogenes (*f.* Diagoras) Herculem irrisit, I, 353 A.

Diomedes et cruenta ejus præsepia, II, 1041 B.

Diomedes Achivus Æneam pene interfecit, I, 351 A.

Dionysius Rhodius, II, 728 A *sq.*

Dionysius stoicus quomodo deos trifariam diviserit, I, 589 A. In nativos et fictos distinxit, I, 605 A.

Dionysia mysteria, I, 474 A. A Libero apud Græcos instituta, I, 643 A.

Dis, sive Pluto, deducens gladiatorum exsequias in cavea repræsentatus, I, 576 C.

Discentes, qui, II, 13 B, 43 A.

Disciplina prima omnium natura, II, 82 A. Disciplinæ index doctrina, II, 58 B. Licentia plerumque est tentatio disciplinæ, II, 923 C. Disciplinam despiciunt qui negant pœnam, II, 808 C. Disciplinæ testimonia ad probationem veritatis accedunt, a qua divertere nemini expedit qui meminerit futuri judicii, II, 50 A. Carnis et sæculi vitia a divinis disciplinis plurimum avocant I, 1283 A. Vanæ sæculi disciplinæ I, 1231 A. Spiritus sanctus christianæ disciplinæ determinator, II, 1001 C. Spiritus adversarius ex diversitate prædicationis apparet, primo regulam adulterans fidei, et ita ordinem adulterans disciplinæ, II, 951 C.

Disciplina arcana, I, 610 A.

Discipuli existere non possunt sine doctrina magistrorum, II, 367 B. Discipuli passivi, II, 548 A.

Discipuli crediderunt Moysi et Prophetis antequam audissent et credidissent Christo. II, 445 B. Discipuli Christum audientes, Ecclesiam deliniabant, II, 768 C.

Discordia rerum eadem quæ et auctorum, I, 1256 B.

Discursationum classes in convivils ethnicorum, I, 477 A.

Dives difficile in domo Dei; ac si quis, difficile cœlebs, I, 1301 A. Divitibus matronis nomine inflatis sordent ecclesiæ, *ibid. Væ divitibus* evangelicum explanatur, II, 592 *sqq.*

Divitiarum contemptus commendatur, I, 1260 B. Divitiarum abjectio et læsuræ, I, 1260 C. In nullis divitiis invenitur Dominus, I, 1260 B. Per divitias multa opera justitiæ et dilectionis administrantur, II, 395 A.

Divinatio animæ, II, 689 C; dæmonum, I, 408 *sq.*

Divinitas viva et germana, nec de novitate nec de vetustate, sed de sua virtute censetur, II, 255 A. Gradum non habet, utpote unica, II, 204 A. Divinitati competit, quæcumque decreverit, ut perfecta reputare, II, 326 B. Divinitas non est deputanda quæ subdita est homini, I, 416 A. Diabolus operatur divinitatis mendacium, II, 86 B, atque lenocinium, I, 733 A.

Divina qui de humanis præjudicant, stultissimi sunt, II, 759 B. Divina vox nulla ita dissoluta est, ut verba tantum defendantur, et ratio verborum constituatur, II, 25 A.

Divortium. Vid. Repudium.

Doctrina est disciplinæ index, II, 58 B. Doctrina omnis de mendacio præjudicanda quæ sapiat contra veritatem ecclesiarum et Apostolorum, et Christi et Dei, II, 33 B. Aliud non præcepit Christus in omnes quam quod Creator in fratres, II, 957 A. Apostolorum doctrina, doctrina Christi, II, 18 B. Doctrina Apostolorum remotior, II, 37 B. Adulterinarum doctrinarum genera quæ sub Apostolis fuerunt, II, 47 A. Doctrina omnis quæ cum ecclesiis apostolicis conspirat, veritati deputanda, II, 33 B.

Docendi et discendi diversa ratio est, I, 675 A.

Domiduca dea, I, 600 C.

Dominatio justa et ordinaria sola timetur et amatur, II, 279 A.

Dominicus dies festus, I, 579 A; II, 79 B. Tum Christiani lætitiæ indulgebant, I, 571 A. Dominico die jejunium nefas ducere, vel de genuclis adorare, II, 79 B. Dies solis dominica solemnia vocabatur, I, 571 A; II, 119 A. Unde mos ille manaverit, I, 579 A, B.

Dominus non substantiæ, sed potestatis est nomen, II, 199 C. Nomen Domini potestatis est etiam timendæ, II, 278 C. Quibus datum, I, 450 *sq.* Dominus nomen Dei est, I, 450 A. Deus unus est Dominus, I, 451 A. Nomen Domini quando Scriptura adjungat, II, 200 A.

Domitianus portio Neronis de crudelitate, I, 293 A. Physione impurior, mollior Sardanapalo, II, 1042 B. Suos in Christianos impetus cito repressit, I, 295 A. Christianos relegatos revocavit, *ibid.*

Donativum militum, I, 455 A.

Donativum vitæ æternæ, quid, II, 862 A. Donativum Christi in carcere exspectabant martyres, II, 77 A.

Dormitio nostra post mortem, ubi, II, 744 A.

Dositheus Samaritanus primus ausus est Prophetarum inspirationem negare, II, 61 A.

Draco de longinquo homines (*al.* alites) spiritu absorbet, II, 90 C. De frontibus draconum gemmæ eruuntur, I, 1311 A.

Drusillanus, Claudii imperatoris servus, II, 1048 A. Quinquagenarium promulsidem ædificat, *ibid.*

Duritia vincenda, non suadenda, II, 125 B.

Dusares seu Diasares, Disares, deus Arabum, I, 419 A, 596 A.

## E

Ebionis hæresis, II, 46, 67 A. Negat Christum esse filium Dei, II, 46 C. Christum nudum hominem et tantum ex semine David constituit, II, 778 B. Non ex omni parte consentit Cerintho præceptori suo, II, 67 A.

Ebrietatis et libidinis dæmonia duo inter se conspirata et conjurata, I, 643 A.

Ecclesia mater Christianorum, I, 1154 B; II, 952 A. Vera mater viventium, II, 723 B. De injuria lateris Christi figurabatur, *ibid.* Ecclesiæ caput Christus, II, 517 B. Ecclesia virgo, unius Christi unica sponsa, II, 582 A, 943 C. Ecclesia in uno vel altero est, Ecclesia vero Christus, I, 1245 B. Ecclesia trium corpus est, nempe Patris, et Filii, et Spiritus sancti, I, 1206 C. Ecclesia proprie et principaliter ipse est Spiritus, in quo Trinitas unius divinitatis Pater et Filius et Spiritus sanctus, II, 1226 A, B. Ecclesia Spiritus per spiritalem hominem, non Ecclesia numerus episcoporum, *ibid.* Ibi Ecclesia ubi tres, licet laici, II, 922 B. Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo Patre institutus est, II, 33 B, 50 B. Ecclesiarum origines, II, 32 B.

Ecclesiæ apostolicæ, II, 32 A, B. Ecclesiæ *apostolicæ* matrices et originales fidei christianæ, II, 33 B. *Ecclesias* apud unamquamque civitatem condiderunt Apostoli, a *quibus* traducem fidei et semina doctrinæ cæteræ exinde ecclesiæ mutuatæ sunt, et quotidie mutuantur, ut ecclesiæ fiant, II, 32 B. Ecclesiæ quas Apostoli vel apostolici viri condiderunt, non contemnendæ, II. 32 *sq.* Quomodo census suos deferant, II, 44 C, *sq.* Ecclesiæ quæ quotidie instituuntur in doctrina Christi, non minus apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ, quam illæ quæ ab Apostolis vel apostolicis viris sunt institutæ, II, 45 B. Tot ac tantæ ecclesiæ una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes, II, 32 B. Ecclesia Petri, II, 1025 A. Has ecclesias non alia ratio regit quam ejusdem sacramenti una traditio, II, 32 B.

Ecclesia peregrina in terris, inter inimicos versans, I, 260 A. Cæterum genus, sedem, spem, gratiam, dignitatem in cœlis habens, *ibid.* Nihil de caussa sua deprecatur, quia nec de conditione miratur, I, 259 A. Unum gestit interdum, ne ignorata damnetur, I, 260 A. Ecclesia in autonito est tempore persecutionis, II, 104 A. Curam habet incarceratorum, I, 625 A. Ecclesiæ figuram gerebat navicula illa quæ in Evangelio tempestate quatitur, I, 1214 A. Ecclesiæ præpositis non licet fugere in persecutione, II, 114 *sqq.*

Ecclesiæ unitas asseritur, II. 891 A; et ejus sanctitas, I, 1236 B. Auctoritas Ecclesiæ inter ordinem et plebem constituit differentiam, II, 922 B. In Ecclesia nihil tradendum nisi a Christo demandatum, II, 18 B. Doctrina omnis quæ cum ecclesiis apostolicis conspirat, veritati deputanda, II, 33 B.

Ecclesiastica communio, II, 45 B. Vid. Eucharistia, Excommunicatio.

Ecclesiasticæ disciplinæ præscripta de muliere in virginem spectant, II, 901 B.

Eclipses solis insolita in territorio Uticensi, I. 701 B. Alia celebris in morte Christi, I, 401 A, in archivis Romanorum relata, *ibid.*

Ecstasis, sancti Spiritus vis, operatrix prophetiæ, II, 665 B. Ecstasis animæ accedit adversus quietem, II, 725 C. Est excessus sensus et amentiæ instar, *ibid.* In extasi sapere licet obumbretur, non tamen extinguitur, II, 726 B. Ecstasis et somniorum differentia, II, 725 *sq.* In spiritu

Digitized by Google

homo constitutus, præsertim cum gloriam Dei conspicit, vel cum per ipsum Deus loquitur, necesse est excidat sensu, obumbratus scilicet virtute divina, II, 413 c.

Ædea dea, I, 600 c.

Edulia dea. Vid. Eluda.

Ἐδώλιον unde deductum, I, 665 A.

Eleemosynam qui dare recusent, I, 1261 *sq.*

Elementa apud Romanos primæ litteræ dici solent, II, 476 c. Omnis situs, habitus elementorum, motus, etc., judicii sunt Creatoris, II, 299 B. Elementorum munia exorbitare, I, 391 A. Physica superstitio elementa pro deo habet, II, 477 A.

Elephantus, bestia insulsissima, II, 803 A.

Eleusina sacra, II, 313 D, 539 A. Illa declarare nefas, I, 309 A.

Eleutherius, episcopus Romanus, II, 42 A.

Elias. Vid. Helias.

Elim duodecim fontes, Apostolorum figuræ, II, 418 c.

Elogia, seu vituperationes et accusationes, I, 271 A; sententiis disjuncta, I, 496 A.

Eluda dea, I, 600 c.

Elysii campi, I, 520 A; II, 444 B.

Embryospharctis, sive Embryonectis, Embryorectis, Embryopactis, Embryosectis, quid, II, 692 A.

Emendatio culpam non antecedit, II, 366 A. Ubi metus nullus, emendatio profunde nulla, I, 1228 A. Ubi emendatio nulla, pœnitentia necessario vana, *ibid.*

Emmanuel est : Nobiscum Deus, II, 337 A, 617 B.

Empedocles animam ex sanguine constare dixit, II, 633 A. Causam argutæ indolis vel ingenii, in sanguinis qualitate constituit, II, 683 B. Empedocles et Parmenides refrigerationem somnum vocant, II, 721 B. Empedoclis amicitia et inimicitia, II, 637 c. Deum se deliravit, II, 702 B, 1043 B. Thamnum se credebat, et piscem, II, 702 B. Empedoclis furor, II, 631 B. In ignes Æthnei montis dissilivit, I, 532 A; II, 702 B. Cur, *ibid.*

Enniana cœnacula, II, 550 B.

Ennæa, II, 531 A.

Enoch antiquissimus propheta, I, 665 c, 684 A. Apud Judam apostolum testimonium possidet, I, 1308 B. Enoch ostendit nobis quod sine legis Moysis onere Deo possimus placere, II, 601 B, *sq.* Idololatriam damnat, I, 665 c, *sq.* Quid filio suo Mathusalæ mandaverit, I, 1307 B. Enoch de hoc mundo translatus, qui necdum mortem gustavit, ut æternitatis candidatus, II, 601 B. Enoch et Helias translati sunt, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet, II, 733 A, 881 A. Antichristum sanguine suo sunt exstincturi, II, 753 A.

Enoch liber defenditur, I, 665 B, 1308 A. Illum rejiciunt Judæi et quidam alii, I, 1308 A. Cur, *ibid.* Potuitne liber iste de diluvio salvari, I, 1308 *sq.*

Entelechiæ Aristotelis, II, 703 B.

Enthymesis Valentinianorum, II, 564 A.

Ἐπηρώμενος deus Marcionis, II, 416 c, 422 D.

Ephalides fabam in pabulis communibus furuit, II, 701 c.

Ephesios (Ad) Pauli epistolam vocant hæretici ad Laodicenses, II, 500 B.

Ephorus auctor, II, 728 A.

Epicharmus comicus, II, 677 B, 729 A.

Epicurus quem deum fingebat, II, 391 c. Divinitatem a negotiis liberat, dissolvit ordinem rerum, et in passivitate omnia spargit ut fortuita, II, 726 B. Epicuri atomi, II, 703 B. Ejus inane et vacuum, II, 561 A. Ex atomis esse animam contendit, II, 633 A. In tota pectoris lorica eam collocat, II, 672 A. I, si videtur anima non divina, sed mortalis, I, 610 A; II, 19 B. Epicurus, vulgari satis opinione, negavit mortem ad nos pertinere, II, 721 A. Omnem cruciatum et dolorem depretiat, I, 500 A. Epicuri stupor, II, 651 B.

Epicurei deum ex atomis orum dixerunt, I, 517 *sq.*, 588 c. An extra mundum sit, *ibid.* Quam falso negaverint Providentiam, *ibid.* Eis licuit aliquam decernere voluptatis veritatem, I, 467 A. Epicurei diminutionem spiritus animalis somnum vocant, II, 721 B. Sensum non mentiri existimant, sed opinionem, II, 675 A. Nihil post mortem manere docet Epicuri schola, II, 705 B.

Epimenides quinquaginta pene annis somniculosus, II, 721 c.

Epiphanes annis viginti et quinque regnavit, II, 614 B.

Episcopus summus sacerdos, I, 1218 A. Episcopi in ætate antiqui et probati eligebantur, I, 469 A. Honorem istum, non pretio, sed testimonio suscipiebant, *ibid.* Episcoporum ordo et successiones, II, 44 c. Ecclesia, non numerus episcoporum, II, 1026 B. Cœtibus Christianorum præsidebant, I, 469 A. Ad ipsos pertinebant Baptismi collatio, I, 1218 A, et Eucharistiæ ministratio, II, 79 B. Virgines Ecclesiæ commendabant, II, 57 A. Jejunia universæ plebi mandare solebant, II, 972 A, B. Qualem formam episcopatui dederint Apostoli, II, 119 A. Episcopus, apud hæreticos, alius hodie, cras alius, II, 57 A.

Epistates noster Christus, I, 624 B.

Epistolæ Pauli a Marcione mutilatæ, II, 470 c. Epistolæ ad Galatas scopus, II, 470 c, *sq.* De ecclesiastico statu agitur in epistolis ad Titum et ad Timotheum, II, 524 B.

Epona dea, I, 565 A, 577 D.

Equestres ludi, I, 641 A.

Equiria ludi Marti Romulus dixit, I, 636 c.

Erasistratus animam docebat esse in membranulis, II, 671 B. Nomen dedit medicis, I, 282 A.

Ergastula rebellantia, I, 434 B.

Erichthonius, Minervæ et Vulcani filius, portentum dæmonicum, imo diabolus ipse, non coluber, II, 24 B.

Erigona falsa dea, I, 606 A. Inter sidera delineata, II, 142 A.

Erratur impune, nisi delinquatur, II, 24 B. Errorum recognitio quam jucunda, I, 639 c. Quod apud omnes unum invenitur, non est erratum, sed traditum, II, 40 B.

Esaias secatur patientiæ viribus, I, 1270 B; II, 137 B.

Esdras omne judaicæ litteraturæ instrumentum restauravit, I, 1308 A.

Essentia rerum ipsum est quid per quod est quid, II, 664 A. *EST* definitionis caput, *erat* relationi tacit, II, 221, c *sq.*

Ethnici, Deum ex parte intelligentes, non requisiverunt, I, 485 A. Deum Christianorum in tempore tribulationis invocaverunt, I, 705 B, C. Non credendo credunt, quomodo, II, 780 A. Deos sibi commenti sunt quos colerent, I, 486 A. Eos spernebant, I, 699 B. Erga deos suos erant impii, et sacrilegi et irreligiosi, quomodo, I, 344 A. Illis licebat quem vellent deum colere, I, 344 A, 417 *sq.*; præter verum Deum, I, 416 *sqq.* Caribus diis repudiatis, quosdam a se electos honorabant, I, 344 A, 596. Jumenta et cantherios adorabant, I, 565 A. Regum diis adscriptorum invocabant numina, et eorum genios implorabant, et per eos jurabant, I, 700 A. Diem Saturni destinaverant otio et victui, I, 371 A. Leges de rebus divinis pessumdederunt, I, 298 *sqq.*; et sacratiora statuta, *ibid.* Ab ethnico nemo discat carnis resurrectionem, II, 799 A.

Ethnici, a majorum institutis recedentes, retinebant quæ non debuissent, et quæ bona non erant custodiebant, I, 305 A. Nuntium majoribus suis remiserant habitu, victu, instructu, censu, sermone, I, 305 A, 572 B, C. Immoderata eorum convivia et helluationes, I, 473 *sqq.*, 477 A, et avaritia, I, 445 *sq.* Eorum barbarior modestia, II, 912 B. Rei erant homicidii, comesæ hominis carnis, potati ejus sanguinis; stupri, adulterii et incestus, quorum Christianos accusabant, I, 271 *sqq.*, 312 *sq.*, 567 *sqq.*, 571 *sq.* Erant quoque castitatis osores, I, 472 *sq.* Quam horrenda illorum adulteria, *ibid.*, et incestus, I, 525 *sqq.* Suos filios exponebant aut trucidabant, I, 315 *sqq.* Quanta eorum iniquitas qui Christianos incognitos et indefensos propter suum dumtaxat nomen condemnabant et necabant, I, 280 *sqq.* Christianos occidendo, magnum reipublicæ detrimentum inferebant, I, 496 *sq.* Christianos vituperantes, ethnici, eo ipso elogio laudare cogebantur, I, 280 A. Vid. Cæcus. Pro gentilium confusione orabant Christiani, I, 1259 *sq.*

Ethnici in publicis calamitatibus agebant quædam publicæ pœnitentiæ opera, quibus deos flectere conabantur, et quæ, I, 487 *sq.*; II, 967 c. Quotidie pasti, statimque pransuri, balneis, cauponis, lupanaribus operantibus, aquilinia Jovi immolabant, I, 487 A. Fastidiosi et seditiosi erant, I, 456 *sqq.* Imperatorum et reipublicæ hostes, I, 457 A, 583 A, B. Nulli imperatori parcebat lingua romana, præsertim in circo, I, 454 A, 583 B. Semper optabant novi ac novi imperatoris scenam congiario dividendo præsidentis, I, 455 A. In palatium irrumpebant, I, 458 A. Alii omnibus Ligeriis et Partheniis audaciores, *ibid.* Scelestarum partium socii aut plausores, *ibid.* Astrologi, augures, aruspices, magi, I, 459 A. Quam mendaciter vota et sacrificia faciebant pro salute imperatoris, cum per eorum genios jurabant ac celebrabant solemnia, I, 458 A, 700. Vid. Gentiles.

Etruria. Vid. Hetruria.

Eubulus, II, 652 c.

Eucharistiæ sacramenti veritas adstruitur, II, 348 A, 460 c, *sq.* In Eucharistia adest substantia corporis et sanguinis Christi, II, 461, A, B. Panem corpus suum fecit, I, 1260 A; II, 461 A. Corpus Christi panis, *ibid.* Quo sensu panis dicitur figura corporis Christi, II, 460 c. Corpus Christi in pane censetur, I, 1160 A. Sanguinem suum Christus in vino consecravit, II, 462 A. Calicis aut panis nostri aliquid decuti in terram anxie patimur, II, 80 A. In Eucharistia, caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur, II, 806 B. Vid. Panis.

Eucharistiæ usus olim apud veteres, II, 79 A, B. In manibus eam accipiebant, I, 669 A, de manu sacerdotis, II, 79 A, B. Ante omnem cibum gustabant eucharisticum panem, I, 1296 A. Eucharistiæ sacramentum et in tempore victus, et omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus sumebant, II, 79 A, B. Ad eucharistica sua benedicenda Ophitæ introducunt serpentem, II, 64 A.

Digitized by Google

Euphorbus in Pythagoram mutatus, II, 698 A, 708 B, 796 A. Euphorbi clypeus olim Delphis consecratus, II, 698 A.
Euphorion auctor, II, 728 A.
Eva figura Ecclesiæ, II, 723 B. Pulchra Evæ et Mariæ comparatio, II, 782 B. In Evam virginem adhuc irrepsit verbum ædificatorium mortis, *ibid.* Quomodo a Satana fuerit seducta, I, 1237 A, B. Serpenti quasi Filio Dei credidit, II, 65 A. Numquam omnino peccasset, si in divino interdicto patientia perseverasset, I, 1257 A. Eva enixa est diabolum fratricidam, II, 782 B. Vid. Adam.
Evangelium, substantia Novi Testamenti, II, 196 B. Ejus auctoritas, II, 363 B. Evangelium et Christus illius sunt cujus et Lex et natura, II, 504 A. Evangelicum instrumentum Apostolos habet auctores, Joannem et Matthæum, aut apostolicos, Lucam et Marcum, II, 363 B, C. Evangelium Marci Petro affirmatur, et Lucæ Paulo, II, 367 A. Evangelii promulgandi munus Apostolis ab ipso Domino impositum, II, 365 B. Evangelicus sermo tuba Dei, II, 828 A. Evangelia corrosit Marcion, II, 247 B, 363 B.
Evangeliorum radix est Lex, II, 123 B. Evangelii novitatem separat Christus a Legis vetustate, II, 582 B. In Evangelio eadem Divinitas prædicata quæ semper nota fuerat in Lege, disciplina vero non eadem, II, 471 B. Evangelizatores non alterius sunt quam cujus Lex, II, 487 C. Legis difficultates in Evangelio sunt facilitates, II, 474 C. Evangelica gratia evacuatur, si ad Legem Christus redigitur, II, 72 B. Nobis inquisitione opus non est post Evangelium, II, 21 A.
Evergetes viginti quinque annis regnavit, II, 614 B.
Evergetes alius regnavit annis viginti et septem, II, 614 B.
Excommunicatio, separatio a communicatione orationis, et conventus et omnis sancti commercii, I, 469 A, 677 A; ab omni communicatione fraternitatis, I, 1292 C. Summum est futuri judicii præjudicium, *ibid.* Ob gravia tantum delicta inferebatur, *ibid.* Traditus Satanæ non amplius reædificatur in Ecclesia post ruinam, II, 1023 A. Excommunicationi subjecti erant fideles, gentilium matrimonia subeuntes, I, 1292 C. Vid. Fideles.
Exomologesis est qua delictum nostrum Domino confitemur, I, 1243 B. Prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, *ibid. sq.* Post Baptismum est adhuc in exomologesi secunda subsidia, I, 1247 B. In exomologesi delictum celare quantum malum, I, 1245 B. Vid. Pœnitentia.
Exorcismis fugantur dæmones, I, 657 B; II, 92 B, 748 B.
Exorcistæ dæmonia ex obsessorum corporibus ejiciebant, I, 413 A, B.
Exsequiæ immolatione captivorum et servorum fœderatæ, I, 645 A. Vid. Visceratio.
Exsequiæ Christianorum cum oratione fiebant sacerdotum, II, 737 B, C.
Extasis Vid. Ecstasis.

## F.

Fabam Pythagorici respuunt, ut onerosum et inflatum pabulum, II, 732 C.
Fabius presbyter, ad quem scriptus liber de Fuga in persecutione, II, 103 A.
Fabulæ cur a philosophis et poetis excogitatæ, I, 519 *sq.* Quasdam ethnici fluxerunt his similes quæ in sacra Scriptura habentur, ut hujus auctoritatem infirmarent, I, 398 *sq.*, 399 B *sq.*
Facies intentionum omnium speculum est, II, 814 A. Faciem morosiorem lavacro macerant mulieres, II, 906 B.
Facinus, quos inquietat, æquat, I, 300 A.
Factum ut corpus et videri et contingi habet, II, 814 A.
Factum bonum Deum habet debitorem, sicut et malum, I, 1230 B. Benefaciendo nemo deliquit, *ibid.*
Faliscorum dea Juno, I, 421 A. Patris Curis nomen accepit, *ibid.*
Famæ nomen incerti, I, 310 A. Mendacio gaudet et vivit, I, 309 A. Cur malum sit, *ibid.* Nihil ea velocius, I, 309 A, 566 B. Famæ nemo credit, nisi inconsideratus, I, 310 A. Famam lædere quantum malum, *ibid.* Oritur aut arbitrio suspicionis, aut mentiendi voluptate, I, 310 B, 567 A. Tamdiu vivit fama, quamdiu nihil probat, *ibid.* Quamdiu incerta est et mendax, *ibid.* Fama nonnumquam in Barbaros calumniosa, II, 733 B. Famæ cupido post mortem omnibus pene ingenita, I, 615 B.
Famem fides non timet, I, 578 B, Scit fides famem non minus sibi contemnendam propter Deum, quam omne mortis genus, I, 679 A. In fame nulla gulæ temperantia, II, 282 A.
Faria. Vid. pharia.
Farmus deus, I, 600 C.
Fascinum quid, II, 910 A.
Fasti municipales citati, I, 638 A.
Fatum deum et verbum vocat Zeno, I, 398 *sq.* Fato omnia fieri quinam gentiles philosophi dixerint, I, 268 A, 398 A, 560 B. Eo dii stant, et Jupiter ipse, I, 428 A. Malæ mentis ab innocentia transitum fato tribuebant ethnici, I, 268 A, 560 B.
Faunus, Pici filius, I, 599 B.
Febris, inter cæteros mortiferos exitus, erogando homini deputata, II, 13 A.
Februarii kalendæ pro defunctis celebratæ apud ethnicos, II, 491 C.
Felicula insula, II, 550 B.
Fellis excessus amaris quibusque potionibus corrigere, II, 152 B
Femina. Vid. Foemina.
Fenestella annalium commentator. II, 590 A.
Ferarum morsus ornamenta sunt juventutis, ut in Cyro ursi cicatrix, II, 751 A. Vid. Bestiæ, Pecora.
Feretrio Jovi Romulus ludos instituit, I, 637 B.
Feriæ quartæ et sextæ stationes, II, 956 A. Feriæ scholarum, I, 674 B.
Ferrum et æs majori in usu sunt apud homines quam aurum et argentum, I, 1310 A. Ferro mori magis quam aqua optant homines, I, 318 A.
Festa Christianorum, I, 682 A. Cum octava illa celebrabant, I, 682 C *sq.* Vid. Pascha, Pentecostes. Quomodo dominica solemnia celebrabant, II. 119 A. In festis corpori indulgebant Christiani, I, 682 C. Nullam *solemnitatem* Christianorum sibi vendicabant ethnici, *ibid.* Sine octava erant festa illorum, *ibid.*
Ficus viridis primum Romam a Catone adlata, I, 606 C.
Fideles sunt templa Dei, et altaria et luminaria et vasa, II, 89 A. Fideles gentilium matrimonia *contrahentes, stupri* rei sunt, et excommunicationi subjiciendi, *I, 1292 C.*
Fides in regula posita est, II, 27 B. Fidei regula (symbolum) quæ et qualis, II, 26 B. A Christo instituta est, II, 27 A. Una omnino est, sola immobilis et irreformabilis, II, 889 A. Nullas apud Christianos quæstiones habet, nisi cum hæreticis, II, 27 A. Fidei regula simul et merces discenda, II, 451 B. A Christo institutum est quod credi necesse sit, II, 23 A, 24 B. Miserrimos nos, si nec juranti Domino credimus, I, 1234 B. Ratio fidei patrocinatur, II, 80 A. Cedat curiositas fidei, II, 27 B. Omnem prolationem quærendi et inveniendi fixit qui credit, II, 24 A. Non omnium *est* credere, quod Christianus est, II, 655 B. Imprudentes et idiotæ, major semper credentium pars, II, 157 C. Cum credimus, nihil desideramus ultra credere; hoc enim primum credimus, non esse quod ultra credere debeamus, II, 31 A. Laudanda fides quæ ante credit observandam esse, quam didicit, II, 78 B. Fidei perversitas est probata non credere, non probata præsumere, II, 146 A. Fides viam *demonstrat* per quam ad Deum pervenimus, II, 421 B. *Fidei* necessarium dedecus, II, 761 A. Disputatio *de fidei necessariis* nec otiosa est nec infructuosa, I, 1256 A. *Adulterio hæretico* stupraverunt perversi homines fidem, virginem *traditam* a Christo, II, 59 A. Nimirum felix fides, si ea consecutura est quibus hostes Dei et Christi non modo ututur, verum etiam abutuntur, II, 832 C.
Fides ante Christum non erat in terris, I, 1260 A. Ante Domini passionem salus per nudam fidem fiebat, I, 1213 A. Semper stetit fides in Creatore et in Christo, sed conversatio et disciplina mutavit, II, 270 A. Obsequium Apostolo debet fides nostra, II, 29 A.
Fidei qualitas de genere conversationis æstimari potest, II, 56 A. Ipsius fidei in primis reddenda ratio apud Christi tribunal, II, 59 A. Fides habet tentationem et probationem, II, 12 D. Post Baptismum periclitatur, II, 914 C Sollicitior et disciplinatior est in jejuniis tempore persecutionis, II, 104 A. Famem non timet, I, 678 B. Martyrii debitrix est, II, 138 B. Fidei opus est extrinsecus consilio adversus carnis necessitates, II, 914 C. Fidei et patientiæ mira connexio, I, 1260 A. Fidem Abrahæ probavit patientia, I, 1259 B. Per dilectionem perficitur fides, II, 479 A, B. Fides integra de salute secura est, I, 1223 A. Fide, non pecunia tuti sunt Christiani, II, 119 A. Fidei status non admittit allegationem necessitatis, II, 93 A. Fides plane frivola et frigida deprehendit eos qui conveniunt in Ecclesia timide, II, 106 C. Ubi fides fuerit, ibi nec bestiæ ipsæ nocere possunt, II, 431 B. Si montes transferre potest, multo magis militem, II, 119 A.
Fides ætatis quanta, II, 906 B.
Fidei ara, I, 417 A.
Figuræ prophetant, transeunt adimpletæ, II, 937 A. Figurate locutus est Dominus et ejus Apostolus, II, 341 B.
Filius Dei an sit, qui sit et quomodo sit, II, 159 C. Aeon a Græcis vocatur, I, 398 A, 400 B, 415 A; II, 160 A; Verbum et sapientia a Latinis, I, 398 *sq.*; II, 161 *sqq.* Filius novum Patris nomen est, I, 1155 A. Filius secundus a Patre, II, 163 C, D. A Patriarchis visus, an et Pater, et quomodo, II, 170 *sqq.* Filium non aliunde deducimus, sed de substantia Patris, nihil facientem sine Patris voluntate, omnem a Patre consecutum potestatem, II, 159 A.

Digitized by Google

Filius Dei verus est Deus, cui omnia veri Dei nomina tribuuntur, I, 399 A, 404 A, 415 A; II, 161 C *sqq.*, 176 B, 183 *sqq.*, 422 C, 802 B, C. Par est et æqualis Patri suo æterno, Altissimus et omnipotens, *ibid.* Vera et eadem illius cum Patre divinitas, I, 399 A. Quam diserte Tertullianus asserat eamdem esse illius et Patris æterni substantiam, *ibid.*; etiam cum Montanista erat auctor, II, 158 *sqq.*, 169 *sqq.*, 183 *sqq.*, 188 *sqq.*, 422 C. Hæc ab Apostolis et deinceps tradita fuit sententia, I, 399 A; II, 162 A. Ex Deo prolatus est, de spiritu spiritus, de Deo Deus, et unus ambo Deus, *ibid.* Ex unitate substantiæ et ex prolatione generatus, I, 399 A. Exivit a Patre ut radius ex sole, et rivus ex fonte, et frutex ex semine, II, 163 C. Ex matrice excessit, nec recessit, nec separatur, I, 399 A. A Patre, non statu sed gradu, non substantia sed persona, distinguitur, I, 397 *sqq.* Ordine secundus, non natura, II, 157 B, C. Cur a Joanne dicatur: *Ego et Pater unum sumus*, non vero, *unus sumus*, II, 183 C.

Filii Dei generationem Tertullianus explicare conatur, I, 399 A; quia est Dei sermo, qui propriam habet substantiam, *ibid.*; prolatione spiritali de substantia Patris generatus, et idcirco Dei Filius, *ibid.* Cur proprie dicatur Filius Dei, non autem Spiritus sanctus, I, 163 *sqq.* Quomodo et cur hanc Filii generationem quibusdam exemplis explicare nitatur, solis et radii, radicis et fruticis, fontis et fluvii, I, 399 A, B; II, 160 C, 163 B, 169 *sqq.*, 183 A; et interioris verbi humani, II, 160 C. Distinguitur a Patre personæ non substantiæ nomine, ad distinctionem non ad divisionem, II, 166 *sqq.* Est ejusdem ac Pater æternitatis, II, 162. 176 B, C, 183 C, 422 C, D.

Filii Christi, qui in ipsum renascuntur, II, 493 B.

Filios suos exponebant Romani, aut trucidabant, I, 325 A. Vid. Infantes.

Finis mundi imminens, I, 447 A. Imperii Romani commeatu solummodo retardatur, *ibid.*

Flagellatio, maxima Lacedæmoniorum solemnitas, quæ, I, 626 A. Flagellis disrumpebatur dorsum servorum, I, 301, A, C, D.

Florales ludi, I, 638 A.

Florum excultor Deus, II, 951 C. Floribus utebantur Christiani, I, 492 A. Florem capite sectari tam contra naturam est, quam cibum aure, quam somnum nare, II, 83 A.

Fluviona dea, I,600 C.

Foculus in sacris gentilium, I, 324 A.

Focos et toros in publicum educebant ethnici, I, 452 B.

Fœmina naturale est vocabulum, II, 894 B. Naturalis vocabuli generale, mulier, *ibid.* Fœmina una tantum de costis Adam fingitur, ad ostensionem unitatis matrimonii, II, 920 B. Continentia laboriosior in fœminis, II, 903 B. Fœminam salvis oculis intuetur Christianus, I, 511 A. Modestia fœminarum concidit, I, 301, *sqq.* Matronis divitibus nomine suo inflatis sordent ecclesiæ, I, 1301 A. Inter matronas et lupas nullum discrimen, II, 1044 Vid. Vinum. Habitus mulieris duplicem speciem circumfert, I, 1309 A. In luxum fœminarum invehitur, I, 1221, *sqq.*, II, 1309. In Deum peccant fœminæ quæ cutem medicaminibus ungunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt, I, 1325 A. Creatorem reprehendunt cum emendant, cum adjiciunt, *ibid.* A diabolo sunt ista additamenta, *ibid.* Vid. Decor, Mulier.

Fœminæ multæ, et quidem clarissimæ, Christo adhæserant, II, 703. A præfectis ethnicis defensæ contra furentem populum, *ibid.*

Fœnoris abundantia usura est, II, 398 C.

Fœtus in utero quando animetur, II, 691 A, B, 693, *sqq.*

Forculus deus a foribus, I, 680 C; II, 97 B, 142 B.

Formam fidelis non expostulat, I, 1319 B. Formæ laude frui et de bono corporis gloriari an liceat, *ibid.* Ubi pudicitia, ibi vana pulchritudo, et cur, *ibid.* Maritus fidelis decorem formæ non exigit, gentilis non credit, I, 1320 C. Formæ propriæ præstigiæ, I, 1325 A. Lenocinia formæ numquam non prostituto corpori conjuncta et debita, etiam Scripturæ suggerunt, I, 1330 B. Vid. Decor, Mulier.

Formositatem et datam extendunt mulieres, et non datam conquirunt, I, 1319 B.

Fornicatio, quantum delictum, II, 987.

Formicæ stabula, II, 261 B. Formicis, culicibus et tineis an desint pulmones et arteriæ, II, 705 A.

Fortes in tormentis viri, statuis, imaginibus et titulis donati, I, 534 A.

Fortuna Barbata, I, 601 A.

Fortunæ muliebri deæ coronam non imponebat, nisi univira, II, 952 C.

Fratres, Christiani, I, 471 A. Fraternitatis appellatio, I, 471 A; II, 32 B, 891 A.

Forum olitorium tributo locatum, I, 345 A.

Fronte (In) crucem signabant Christiani, II, 80 A.

Fructus quomodo efformentur, II, 890 A. Vid. Flos, Frumentum, Granum.

Frugalitas sæculum spernit, I, 1288 A. Vid. Abstinentia.

Frumenti grani mira descriptio, II, 871 A, B.

Fuga Apostolis licuit, non nobis, II, 109 A. Fugæ præceptum temporale apud Apostolos, II, 140 A. Hoc præceptum suam habuit rationem, II, 140. B, C.

Fulmine qui de cœlo tangitur salvus est, ut nullo jam igne decinerescat, I, 527 *sqq.* Vid. Tonitrua.

Fuscianus Urbis præfectus, I, 582 A. Ejus sententia in nebulonem patrem lata, *ibid.*

Futura interdum pro jam transactis enuntiantur in Prophetis, II, 326 B.

## G

Gaiana hæresis, vid. Caiana.

Gabinius et Piso consules, sed non christiani, deos plures ejecerunt, I, 305 A.

Galba mensibus septem et diebus sex regnavit, II, 616 A. Alienos servos non manu misit, facilius liberos soluturus, II, 478 B.

Galliarum diversæ nationes Christo jam subditæ, II, 610 C.

Galli Mercurio immolabant, I, 316 A. Gallici vultus, vel muli, I, 1281 B. Gallæ et Germanæ mulieres croceo capillo, I, 1322 A. Illarum pulchritudini invidebant Africanæ, *ibid.*

Galli, Cybelis sacerdotes, genitalia sibi prosecabant, lacertos lancinabant, I, 413 A, 425, *sqq.*

Gallina de suo parit, II, 557 A.

Gallograeci a Gallis orti, I, 316 D.

Ganymedes, I, 606 A. Vid. et I, 600 B.

Garamantum pennæ, II, 903 A.

Gehenna est ignis arcani subterraneus ad pœnam thesaurus, I, 520 A, 1217 B. Perpetua est, *ibid.* Gehennam exomologesis extinguit, *ibid.*

Gemmæ unde, I, 1310 B. Cum auro superbiam jungunt, *ibid.* Gemmis ceraniis non est ideo ignita substantia quod coruscent rutilato rubore, II, 660 B.

Generaliter dictum, intelligamus cum quid etiam specialiter interpretari capit, I, 635 A. Vid. Genus.

Genius nomen dæmonum, I, 447 B.; II, 718 A. Genii sub potestate erant Christianorum, I, 447 B.

Genius imperatoris, I, 447 B, 583 A, B. Per quem jurabant ethnici, numquam vero Christiani, *ibid.* I, 700 A.

Gentiles cultores plurimæ divinitatis, II, 170 A. Gentilium querelæ adversus Christianos, I, 261, *sqq.* Vid. Christiani, Ethnici. Cur gentibus legem non dederit Deus sicut Judæis, II, 599.

Genti cuique propria loquela, sed materia loquelæ communis, I, 618 B. Omnium gentium una anima, varia vox, unus spiritus, varius sonus, *ibid.* A.

Generi quod attributum est, etiam in speciem redundat, I, 1203 B.

Generis humani quodammodo fontes Cain, Abel, Seth, II, 583 A. Humani generis exuberantia, II, 699 C. Publicis calamitatibus minoratur, II, 700 B. Vid. Homo.

Genuflexiones prohibitæ die dominico et a Pascha ad Pentecosten II, 79, *sqq.* Quidam non genuflectebant in sabbatis, I, 1191 A. Christum contrectat, Christum exorat, qui ad fratres genua sua protendit, I, 1245 B.

Germani limites suos transgredi non sinuntur, II, 611 B. Christo jam erant subditi, *ibid.* Germanorum cirri, II, 903 B. Germanici bajuli, I, 1281 B. Marci Aurelii Germanica expeditio, I, 295 A, 703 C. Vid. Galli.

Geryon, II, 379 A. Ter unus, II, 1041 B.

Getulorum gens non excedit fines suos, II, 611 B. Varii populi gentis hujus Christi jugum subierant, II, 610 C.

Gigantum antiquissima cadavera devorata non sunt, quorum crates adhuc supersunt, II, 854 B.

Gladiatores, I, 620 A. Eorum magistri et præpositi, *ibid.* Maledicuntur a Christo, I, 1254 A. Innocentes in ludum veniunt, ut publicæ voluptatis hostiæ fiant, 651 B. Gladiatorum spectacula ab ethnicis laudabantur, I, 584 B. Ad homicidium flagellis et virgis compellebantur inviti, I, 653 B. Feras hominum sanguine et carne saginatas devorabant, I, 322 A, 584 B, C. Bibebant aliorum a se interfectorum sanguinem, I, 323 A.

Gloria omnis vana et stuporata, I, 1320 A. Vanæ gloriæ vis quanta, II, 1042 B, *sq.* Gloriari in carne, quid, I, 1320 A. Gloriæ cupiditas ad dura inducit, I, 626 A. Nihil perosius gloria, II, 911 A. Piis nullum gloriæ studium, quia gloria exaltationis ingenium est, I, 1319 C. Illicitum est gloria eis quorum probatio in cruciis humiliatione constat, II, 908 A.

Gnostici ex Valentinianis orti, II, 594 A. Quando



Digitized by Google

erumpant, II, 125 A. Reprobant martyria, *ibid.* Gnosticorum hæretica semina, II, 678 A.

Gomorrhæ et Sodomæ olet adhuc incendio tellus, I, 482 *sq.* Ejus poma cinerescunt, I, 453 A.

Gracchi obscœna omnia, II, 1031 A.

Graculus Æsopi, II, 582 B.

Græci sapientiam suam non Dei, quærunt, II, 481 C. Græcorum philosophorum dii, II, 260 B. Græcorum fingendis simulacris ingenia, I, 430 A. Per eos palæstræ studia ad Romanos translata, II, 1040 A. Pellendos ab Urbe censebat senex Cato, II, 1039 B.

Græca mulier quinionem enixa filiorum, II, 656 A. Vid. Attica.

Græcia Phrygiæ debellatrix in Trojano bello, I, 423 A. A Romanis subacta, *ibid.* Per Græciam et quasdam barbarias ejus, plures ecclesiæ, II, 890 B.

Grammatici ab Aristarcho nuncupati, I, 282 A. Illis Paulus silentium imponit, II, 786 A.

Granum seritur sine folliculi veste, sine fundamento spicæ, sine munimento aristæ, sine superbia culmi, II, 871 B. Grana corrumpuntur in terra, *ibid.* A. Grano unicuique Deus dat corpus prout vult, *ibid.* Vid. Fructus.

Gratia divina, potentior natura, habet in nobis subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem, II, 685 A.

Grex Domini, ecclesiæ populus, et pastor bonus Christus, II, 992 A.

Gula a primordio homicida in Adam, II, 958 A. Per edacitatem salacitas transit, II, 953 B. Gulæ comites, libido et luxuria, II, 953 B, 977 B. Nulla gulæ temperantia in fame, II, 282 A.

Gula Cæsarum, I, 298 *sqq.*

Gymnasia, I, 661 B.

Gymnicas artes prodierunt Castorum et Herculum et Mercuriorum disciplinæ, I, 664 B.

Gymnosophistæ Indorum, II, 260 C. Quæ adorent numina, *ibid.*

## H

Hadrianus imperator, curiositatum (superstitionum) omnium explorator, I, 296 A. Magicis artibus omnino deditus, *ibid. sqq.* Nullam in Christianos legem tulit, *ibid.*

Hæresis etymologia, II, 18 A, B. Hæresis omnis a sapientiæ professoribus, II, 260 B. Hæreses a philosophia subornantur, II, 19 A. Ex subtiloquentiæ viribus et philosophiæ regulis constant omnes, II, 521 B. Ab idololatria non distant, cum et auctoritatis et operis ejusdem sint cujus et idololatria, II, 55 B. Non minus ab unitate divellunt quam schismata et dissensiones, II, 17 B. Hæresis erit quodcumque adversus veritatem sapit, etiam vetus consuetudo, II, 889 A. Hæresis humanæ temeritatis negotium, II, 366 B. Mortem æternam et majoris ignis ardorem inferunt hæreses, II, 13 B. Inter opera carnalia Paulus eas numerat, II, 18 A. Apostolus omnes hæreses nominavit suo tempore cognitas, II, 47 B.

Hæresin novam quidam ex alphabeto græco componebant, II, 70 A.

Hæreses cur esse oporteat, II, 17 A. Quantum valeant hæreses, et apud quos, II, 13 B. Apud eos multum valent qui in fide parum aut nihil valent, II, 14 A. Vane et inconsiderate plerique hoc ipso scandalizantur, quod tantum hæreses valeant, II, 12 D, *sq.* Quare, *ibid.* Hæreses omnes, inspectæ in multis cum auctoribus suis, dissentientes penitus deprehenduntur, II, 58 A. Sine Scripturis esse non possunt, II, 31 A, 53 A, 886 B. Existere non possent si non et perperam Scripturæ intelligi possent, II, 850 B. Ipsæ Scripturæ sic sunt ex Dei voluntate dispositæ, ut hæreticis materias subministrarent, II, 53 A. Hæreses non tam novitas quam veritas revincit, II, 889 A.

Hæretici de philosophorum semine orti, I, 519 A; II, 19 A, 204 C. Apud hæreticos et philosophos eadem materia volutatur, II, 19 B. Scripturam sacram ad philosophorum sententias adulterarunt, I, 519 A. Corrumpunt Scripturas, II, 30 A. Non syllabas tantum, sed paginas totas deleverunt, II, 515 D. De Scripturis solis quæstiones suas sistunt, II, 799 B. Apud eos est argumentandi libido, II, 780 B. Eorum argutiæ et subtilitates simplicium communium verborum torquent in quæstionem, II, 222 A. Semper nudas aut simplices voces, conjecturis quo volunt rapiunt, aut rursus conditionales et rationales simplicitatis conditione dissolvant, II, 404 C. Hæreticis mos est simplicia quæque torquere, II, 214 A. Pios provocant ad rhetoricandum et philosophandum, II, 801 A. Ex conscientia infirmitatis numquam ordinate sua proponunt, II, 797 A. Cum hæreticis quomodo incunda disputatio, I, 797 A, B. Non est cum eis pugnandum ex Scripturis, II, 29 A. Non sunt admittendi ad incundam de Scripturis provocationem, quos sine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere, II, 31 A, 51 A. Ibi enim nulla victoria aut par incertæ II, 31, A.

Hæretici veritatis inimici, II, 27 B. Ad unius veritatis expugnationem conspirant, II, 56 B. Ipsorum opus de veritatis destructione venit, II, 57 B. Apud hæreticos omnia extranea et adversa nostræ veritati, ad quos vetamur accedere, II, 25 B. Hæreticorum omnium proprium, quid, II, 179 B. Apud ipsos fere non sunt schismata, et quare, II, 57 B. De arbitrio suo fidem innovant, II, 58 A. Credendo non credunt, II, 780 A. Eorum doctrina cum doctrina Apostolorum non concordat, II, 45. Nuptias auferunt, II, 930 C. Negant Deum timendum, II, 58. Nullas tamen hæreticus, præter Marcionem, de Deo creatore universorum controversiam movit, II, 47 A. Hæretici plerique nec ecclesias habent; sine matre, sine sede, orba fide, extorres sibi late vagantur, II, 58 A. Episcoporum successiones a Christo non possunt ostendere, II, 45 A. Christiani non sunt, II, 28 A; nec esse possunt, II, 51 A. Amisso Christi nomine, induunt sectarum suarum vocabula, *ibid.*

Hæreticorum conversatio describitur, II, 56. Horum commercia cum magis quamplurimis, cum circulatoribus, cum astrologis, cum philosophis, curiositati scilicet deditis, II, 58 B. Quid distet inter ethnicum et hæreticum, II, 780 A. Non ethnicos convertere, sed Christianos evertere nituntur, II, 57 B. Omnes tument, omnes scientiam pollicentur, II, 56 B. Nusquam facilius in *manifis et sacris* ordinibus proficitur, quam in castris rebellium, II, 57 A. Præsidibus suis reverentiam nesciunt, II, 57 B. Omnia hæreticis libera et soluta, II, 58 B. Cur sibi damnati, II, 18 B. Eos ad officium compelli, non indeci, dignum est, II, 125 B.

Hæretici Judaismi, II, 61 A.

Hamaxobii instabiles, II, 247 B.

Hammon pastor ovium, II, 1038 B.

Hannibal, Vid. Cannensis.

Harpocrates cum suo cynephalo, I, 305 A. Expulsus ex curia deorum, eversæ ejus aræ et statuæ, et postea restitutæ, I, 305 A, 575 B.

Harpocration scriptor, industria hæderatus, II, 85 B.

Hebion, Vid. Esion.

Hebræi jure auferunt vasa aurea et argentea ab Ægyptiis, II, 308 *sq.* Eorum Hebraæ literæ et eloquium a LXX interpretibus in græcum stylum translatæ, I, 580 A.

Hedera ad superna conatur ei, nullo præeunte, suspenditur, II, 681 B. Mavult parietibus invehi textili sylva, quam humi teri voluntaria injuria, *ibid.* Hederæ natura cerebrum ab helleno defensare, II, 85 B.

Hegemonicon quid philosophis appelletur, II, 614 A.

Helenam suam Tyriam Simon hæreticus de lupanari erulit, II, 706 B, *sq.* Eamdem esse dicebat cum Helena Priamo exitiosissima, *ibid.*

Helias novi Testamenti consummator et populi Judaici aliquando reformator, II, 415 B. Helias nondum resurrectione dispunctus, II, 735 A, 681 A. Helias non ex decessione vitæ, sed ex translatione venturus est, II, 711 B. Nec corpori restituendus, de quo non est exemptus, sed mundo reddendus, de quo est translatus, *ibid.* Non ex postliminio vitæ, sed ex supplemento prophetiæ, *ibid.* Idem et ipse et sui nominis et sui *homitis, ibid.* Vid. Enoch.

Heliæ spiritus in Helisæo repræsentatus Heliam excipere, II, 656 A.

Heracleon hæreticus paria sensit cum Valentino, II, 69 C, 546 B.

Heraclides scriptor, II, 740 B, 788 A.

Heraclides Paeticus lumen esse animæ substantiam contendit, II, 660 B.

Heraclitus, tenebrosus ille, II, 318 A, 654 A; substantiam animæ aerem esse docet, II, 660 B, et ex igne constare, II, 633 B; quem pro deo habebat, II, 19 B, 260 B, 517 A. Animæ tuetur unitatem, II, 669 A. Intrinsecus agitari putat animæ principale, II, 671 B. Quid de ejus terminis sentiret, II, 651 A.

Heracliti mœror, II, 651 A. Bubulo stercore se oblitum exussit, I, 625 B.

Hebraeum ingenia traduxerunt angeli desertores, I, 1306 A.

Hercules tres famelici, I, 558 A. Tres tristi, comœdia, *ibid.*

Hercules nunc populum capite præfert, nunc oleastrum, nunc aptum, II, 85 B. Hercules in Omphale femina, et Omphales in Hercule prostituebatur, I, 605 B; II, 1041 B, *sq.* Ad inferos descendisse fingebatur, I, 605 B. Ob amissum puerum deseruit Argonautarum militiam, *ibid.* Uxoris suæ lascivæ venenis circumventus, se vivum combussit, I, 605 C. Œteis ignibus crematur, I, 535 A. Vivus ardens in

Digitized by Google

scena repræsentatus, I, 876 A. A Diogene (*f.* Diagora) irrisus est, I, 535 A. Vid. Decima.
Herculea posteritas, II, 1033 B.
Hermas, cujus scriptura *Pastor* inscribitur, II, 1000 B, C, 1021 A. Apocryphus is liber, *ibid.*
Hermateles auctor, I, 640 A.
Hermias Aristoteli familiaris, I, 513 A, B. Loco suo ab illo expulsus, *ibid.*
Hermippus auctor, II, 729 A.
Hermippus Beritensis, II, 729 *sq.*
Hermogenis indoles et vita, II, 197, *sq.* Solitus erat plures ducere uxores, quam pingere, II, 951 B. Pervertit vias Domini, II, 45 B.
Hermogenes duos deos infert, II, 201 B. Mendacem facit Deum, II, 202 A, B. Negat Deum potuisse aliquid ex semetipso facere, II, 198 B, 205 A, B. Docet materiam fuisse Deo necessariam ad opera mundi, II, 216. Qui Deus ex ea præexistente mundum confecerit, II, 204 B. Materiam innatam introducit, Deo nato eam comparat, II, 46 B, 198, *sqq.* Malam esse materiam ait, II, 208 A, B. Corporalem et incorpoream illam facit, II, 229 C, *sq.* Per terræ nomen (*Gen.* I) materiam intelligit, I, 218. Ejus recta ratio comperit tertium aliquod inter corporale et incorporale, II, 230 A. Expugnat quorumdam argumentationes dicentium, mala fuisse necessaria ad illuminationem bonorum ex contrariis intelligendorum, II, 210 C. Præsumpsit animæ censum ex materiæ potius suggestu, quam ex Dei afflatu constitisse, II, 646 C, 664 B.
Hermoniæ in Macedonia oraculum, II, 750 A.
Hermotimo Clazomenii mortuo templum coatuluerunt, II, 649 B. Hermotimum se retro fuisse Pythagoras scripsit, II, 698 A. Hermotimi anima profecta de corpore, II, 649 B, 698 A, 702 A, 705 A.
Herodes rex fuit Assyriorum, II, 339 C. Cur Joannem occiderit, II, 443 B, C, *sq.*
Herodiani Christum fuisse Herodem aiebant, II, 61 A.
Herodotus historicus, II, 740 B. Posterior Charoni Lampsaceno, II, 727 A.
Herophilus, medicus aut lanius, sexcentos exsecuit, ut naturam scrutaretur, II, 682 A, 692 A. Circa cerebri fundamentum animæ sedem ponebat, II, 670 B, *sq.*
Hesiodi Pandora, II, 84 C, 562 B.
Hetruria a Lydis occupata, I, 636 A. Prima ritus superstitionum religionis nomina instituit, *ibid.*
Hetruscæ coronæ, II, 95 B.
Hicesius medicus, et naturæ et artis suæ prævaricator, II, 691 A. Pueris jam natis animam super ducebat ex aeris frigidi pulsu, II, 692 A.
Hiera insula pessum abiit, I, 480 A.
Hieremias propheta lapidatur, II, 157 B.
Hiericho licet sabbato expugnata, II, 509 B. Quomodo capta, II, 606 B.
Hieroglyphi. Vid. Obeliscus.
Hierophantes, I, 513 A; II, 260 C.
Hieromus. Vid. Iromus.
Hierusalem matrix religionum et fons salutis, II, 447 C.
Hilarianus præfectus, I, 704 A.
Himæræa mulier Dionysii Siculi tyrannidem somniavit, II, 728 A.
Hipparchus animam ex igne constare dixit, II, 663 A.
Hippias, dum civitati insidias parat, occiditur, I, 513 A.
Hippius Neptunus appellatus, I, 641 A.
Hippo, sive Hippona et Epona, ab ethnicis colebatur, I, 365 A, 577 D.
Hippocrates animam in cerebro cubare scripsit, II, 671 B.
Hippon animam ex aqua constare dixit, II, 655 A.
Hirci duo in veteri Lege quid significarent, II, 640 B, C. Hirci sacrificium, I, 418 A.
Hirundo, si excæcavit pullos suos, novit illos oculare rursus de sua caledonia, I, 1248 A.
Hispaniarum omnes termini in Christum jam credebant, II, 616 C.
Historiæ sacræ ab ipsius mundi natalibus patescunt, profanæ ab Assyriis, II, 1035 A.
Historiæ Romanæ quantæ, I, 571 B.
Historici primi Romanorum recentiores extremis prophetis, I, 587 A.
Histrio flagitiosus et ignominiosus repræsentat cujuslibet dei imaginem, I, 360 A, 576 B. Histrionum litteræ, I, 358 A. Deorum fœditatem designant, I, 359 A, 576 B. Phaetonem de cœlo detractum repræsentabant, *ibid.*
Homerus pavum se meminerat, Ennio testante, II, 707 A, 796 A. Duas portas somniis divisit, corneam veritatis, fallaciæ eburneam, II, 726 C. Quantum deos ludificaverit, I, 575 B. Divinam majestatem humana conditione tractavit, *ibid.* Homericæ pietatis industria, II, 745 B.
Homerocentonas vocare solent qui de carminibus Homeri propria opera more centonario, ex multis hinc inde compositis in unum sarciunt corpus, II, 53 A.
Homicidarum crudelis pœna, I, 653 B. Ethnici homicidæ aqua se tingebant in impunitatem sui sceleris, I, 1205 A.
Homicidii species omnis uno verbo prohibita: *Non occides*, I, 632 B. Omne homicidium extra sylvam latrocinium est, II, 986 C. Homicidii festinatio est prohibere nasci, I, 319 A. Homicidii vindicta quanta apud homines, II, 706 B.
Homo animal rationale, II, 160 B. Omnium gentium unus homo nomen est, I, 618 A. Factura est Creatoris, I, 514 C. Ex nihilo a Deo creatus, I, 524 A. Quomodo a Deo figuratus, II, 82 A, B. Homo figmentum primo, deinde totus, II, 802 A. Hominis figurandi opus sociantibus aquis absolutum est de terrena materia, I, 1202 B. Recogitet homo suam originem, I, 523 A. Ex duplici substantia est confectus, II, 452 B, 850 C. Tam corpus homo quam et anima, II, 841 A. Homo nihil aliud quam caro, II, 275 B. Proprie caro dicitur, II, 802 A. Vid. Anima, Caro, Corpus. Homo in hoc ab ipso Deo exstructus est, ut Dominus esse posset, dum fit a Domino, II, 801 C. Omnia famula sunt homini, I, 1256 B; II, 707 B. Hominis creationis pulchra descriptio, II, 802 B, C. Creatio hominis, secundum demiurgum, II, 578 A. Quodcumque limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus, *ibid.* Homo Deo mixtus Christus, II, 780 A. Homo ad imaginem Dei Filii creatus, qui homo futurus erat certior et verior, II, 168 A. Ad similitudinem Filii et Spiritus confectus, *ibid.* Ad imaginem Dei factus, id est Christi, II, 802 B, C. Non in lineis corporalibus, sed in arbitrii libertate et potestate, ad imaginem Dei factus homo, II, 290 B.
Homo non in mortem institutus a Deo, qui illum cupit in vitam restitutum, II, 294 A. Si non deliquisset homo, optimum solummodo Deum nosset. I, 812 B. Vid. Adam. Dignus erat ut Deum cognosceret, II. 291 A, B. Dignior est prædicator Christi quam Satan, II, 373 B. Cur terræ datus sit et ab oculis Dei ejectus, I, 1257 C. Non natura in bonum dispositus est, sed institutione, II, 291 C. Nihil homini magis necessarium quam cura in Deum verum, II, 283 A. Quod homini proficit, Deo servit, I, 1250 A. Omnis substantia ejus saluti destinata, II, 863 B.
Homo interior apud Paulum, quis, II, 661 A, 850 C. Homo interior et exterior, dupliciter unus, II, 661 A. Per hominis exterioris ministeria, interiori homini ministrantia, fructus munerum divinorum ad animam deducuntur a sensibus, II, 82 B. Hominem ipsum diversitas temperavit, tam in corpore quam in sensu, II, 264 C. Vid. Genus. Substantia angelica hominibus repromissa, I, 1307 A. Homo dominus omnium viventium et resurgentium, titulo Pythiæ, I, 525 A.
Homines rudes erant tempore Saturni, I, 331 A. Quinam hominis carne vescebantur, I, 313 A. Ejus substantiam quidam horrendo crimine deglutiebant, I, 523 A. Diis suis homines immolabant Afri, Galli et Romani, I, 314 B, 316, *sq.* Ubi et quamdiu, *ibid.*
Horæ tres, ut insigniores in rebus humanis, quæ diem distribuunt, quæ negotia distinguunt, quæ publice resonant, solemniores erant in divinis orationibus, I, 1192 A, B; II, 966 C, B. Horam nonam observavit Petrus, ex usu veteri, II, 966 C.
Horon, seon Valentinianorum, II, 565 A, 577 A.
Hortensius orator primus, pavum cibi gratia potuit occidere, II, 1018 B.
Hospitalitatis contesseratio apud Christianos, I, 1295 A; II, 32 B.
Hostanes, II, 747 B.
Hostia Dei cor contribulatum, II, 608 B. Hostias enectas, tabidosas, scabiosas immolabant ethnici, I, 349 A. Vid. Sacrificium.
Hostia dea Sutridorum, I, 421 A.
Hostii sacrilegæ venustates, I, 538 A, 576 B. Ejus comœdiæ, *ibid.*
Hostilius Pavorem deum invenit, II, 266 C.
Humanæ conditionis contemplatio, I, 626 C, *sq.* Vid. Homo.
Humilis nemo nisi patiens, I, 1267 A. Sicut parvulos esse debere docet Christus qui semper majores velint esse, II, 417 A.
Humilitatem profitentur Christiani, I, 1326 B. Humilitatem animæ suæ invictus castigatione quidam Deo immolant, I, 1327 A. Nihil est Deo charius humilitate, II, 911 A.
Hyænæ sexus annalis est, marem et fœminam alternat, II, 1037 A.
Hydra ab Hercule superata, II, 1042 A. Illius sanguinis usus, *ibid.*
Hydrophobi, qui, I, 1203 B.
Hyems quodammodo obdurat animas, II, 732 B.
Hypocrisin Deus omnem damnat, I, 655 B.
Hypocritarum amicitia cum diabolo est, I, 1258 A. Illorum pœnitentia numquam, *ibid.*
Hypsoma solis, et ejus domicilium, I, 701 B.

Digitized by Google

# I


Iao, vox Valentianis usitata, II, 565 A.

Ibis, dea Ægyptiorum, II, 302 A.

Ixoτς Christus, nos pisculi in aqua nati sumus, I, 1198 A.

Ideæ Platonis. Vid. Plato.

Idiotæ, major semper credentium pars, II, 157 C.

Idololatria, principale crimen generis humani, summus sæculi reatus, tota caussa judicii, I, 663 B. Soror mœchiæ, II, 129 A. Scripturæ sacræ stupri et fornicationis utuntur vocabulo in exprobratione idololatriæ, I, 663 C. Parentationis est species, I, 645 A. Caput injustitiæ, I, 664 A. Idololatriæ et hæresis affinitas, II, 55 B. Ex rebus Dei constat, I, 1313 A. Omnis idololatria, in homines est cultura, I, 683 A. Omnia colit humanus error, præter ipsum universorum Conditorem, I, 666 A. Solemnitas ejus nulla sine ambitione cultus et ornatus, I, 663 D. Apud ethnicos ars nulla, nulla professio aut negotiatio carere potest titulo idololatriæ, I, 677 B. Idololatriam nec impune faciet Christianus, et cur, I, 1313 A.

Idololatriæ crimini Judæi perpetuo fuerunt dediti, II, 598 B.

Idololatria secunda, magia, II, 748 A.

Idolum aliquamdiu retro non erat, I, 664 D. Idoli nomen unde, I, 663 A. Idolorum mortuorum nomina nihil sunt, sicut nec ipsa simulacra eorum, I, 643 B. Idolum tam fieri quam coli prohibet Deus, I, 665 B. Nihil eo immundius, II, 90 A. In idolis mortuorum dæmonia consistunt, I, 645 A. Totum sæculum idolis repleverant Satanas et angeli ejus, I, 640 B. Vid. Ludimagister, Simulacra.

Ignis anima mundi, juxta Varronem, I, 589 A. Ignis duplex, unus hominibus communis, alter de cœlo, I, 527 A. Ignis judicio Dei apparens, *ibid.* Ignes super mœnia Carthaginis pependerunt per noctem, I, 701 B. Ignium imbres in Sodomam, II, 1034 A. Ignis summa pœna, I, 625 A.

Ignis æterni testimonium, I, 528 A. Ex ipsa natura sua habet divinam subministrationem incorruptibilitatis, I, 527 A. Ignis illius erit similitudo cujus et veritas, II, 435 A. Confirmatur comparatione ignis quo Ætbna et Vesuvius semper ardent, I, 527 A. Igne æterno cruciabuntur improbi et impii homines, I, 520 A, 1284 A.

Ignorantia non semper excusat, sed magis onerat quandoque isto vitio laborantem, I, 261, *sq.* Ignorare melius est, ne quod non debeas noris, II, 27 B. Præstat per Deum nescire, quia non revelavit, quam per hominem scire, quia præsumperit, II, 648 B. Quidam malunt nescire, quia jam oderunt, I, 265 A. Ethnici, aliunde curiosissimi, solam Christi religionem ignorare affectabant, I, 261, *sqq.*

Imago quibus differat a veritate, II, 295 A. Imaginem in omnibus veritas antecedit, II, 41 B. Imago in effigie, similitudo in æternitate censetur, I, 1206 A. Etsi figmentum veritatis in imagine est, imago ipsa in veritate est sui, II, 837 C.

Imago Dei homo, id est spiritus, Deus enim spiritus, II, 295 A. Imago et similitudo Dei continetur arbitrii sui libertate et potestate, II, 290 B, *sq.* In homine censenda est imago Dei, quod eosdem motus et sensus habeat humanus animus quos et Deus, licet non tales quales Deus, II, 304 A. Imaginem suam a diabolo captam Deus æmula operatione recuperavit, II, 782 B.

Imaginum usus non condemnatus a Tertulliano, I, 667 B, C. Ænei serpentis et Cherubim aliasque imagines probavit, *ibid.* Boni pastoris imago in sacro calice depicta, II, 1000 A. Cur imagines olim Judæis prohibuerit Deus, II, 310 A, B. Imagines et simulacra deorum rejicienda, I, 450 A. Nullum animal in idololatren figuratum est : quod in arca non fuit, in Ecclesia non sit, I, 696 B.

Imaginibus donati viri fortes in tormentis, I, 524 A.

Imbres continui Carthagine omnia perdiderunt (circa annum 212), I, 701 A. Cœlestes imbres expiavit Achamoth, II, 568 A. Vid. Pluvia.

Immunditiæ mundi, libidines hominum, I, 622 A.

Immundum quid invenientes Christiani flatu expuebant, I, 1296 A.

Impatientia quantos casus incursare consueverit, I, 1263 B. Ejus incunabula, I, 1257 A. Ejus natales in ipso diabolo, I, 1256 B. Quæ sint impatientiæ caussæ, I, 1260, *sqq.* Ejus stimulus summus, ultionis libido, II, 722 B. Impatientiæ omne peccatum adscribendum, I, 1258 B. Impatientia et malitia inter se conspirant, I, 1257 A. Per impatientiam perierunt primi parentes, I, 1257 B. Ante Christum, impatientia occasionibus Legis fruebatur, I, 1260 A. Impatientiæ venena amputanda, I, 1267 B. Impatientiam adhibere est gentilium in omnibus detrimentis, I, 1261 C. Solius Dei impatientes vivunt gentiles, I, 1274 A.

Imperator, solo Deo minor, I, 448 A. A Deo secundus, I, 700 A. Grande hoc nomen, et cur, I, 449 A. Inde imperatoris potestas unde spiritus et vita, I, 441, *sq.* Nisi homo sit, non est imperator, I, 449 A. A Deo est constitutus, I, 448 B. Deum verum sibi propitium præ cæteris malunt imperatores, I, 441 A.

Imperatoribus nuntiabant provinciarum rectores quidquid novi apud ipsos contigerat, I, 290 B, 403 A. Quæ eis debita pietas, religio et fides, I, 460 A. Romana fides in imperatores, quæ, I, 583 B. Illos a Deo electos fuisse Christiani credebant, I, 448 B, 700 A. Debitam fidem quomodo eis præstabant, I, 460 A, B. Illos sincere honorabant, et quomodo, I, 448 B, 700 A. Pro illorum salute Deum deprecabantur, I, 433, 700 A, B. Sed numquam sacrificare voluerunt, I, 436 A. Illorum salus, augustior omnibus geniis, I, 447 B, a falsis diis nec petenda nec exspectanda, I, 440 A. Per eorum genium ethnici jurabant, I, 583 B. Sed constanter id Christiani recusabant, I, 447 B. Deos illos appellare nefas putabant, I, 441, *sqq.*, 583 C. Per salutem eorum jurabant, I, 447 B; etiam contra liberos et conjuges ethnici, I, 599 A.

Imperatoribus suis et mortuis et viventibus eumdem ac diis honorem detulerunt ethnici, I, 347 A. Illos deos vocabant, I, 583 B. Quanta impietate id contestarentur, I, 489 A. Malebant imperatores vivere quam dii fieri, I, 585 C. Ante apotheosin deos dicere maledictum erat, I, 451 B. Ethnici magis imperatores quam deos timebant, I, 457 A. Mortuorum et viventium tamquam deorum simulacra in templis posita et honorata, I, 347 A, 576, *sq.*, 665, *sqq.* Triumphantes monebantur suæ infirmitatis, I, 449 A. Erant deorum domini, I, 347 A.

Imperatorum solemnia, et vota, et gaudia celebrata, I, 452 B; initio mensis et anni, I, 1298 A. Quam nefario cultu ethnici ea celebrarent, I, 452 B; focos et toros in publicum educendo, victim epulando, *ibid.*; civitatem tabernæ habitu abolefaciendo, vinum lutum cogendo, *ibid.*; catervatim cursitando ad injurias et libidinis illecebras, *ibid.*; laureis postes obumbrando, I, 453 A; lucernis diem infringendo, *ibid.* Imperatores contumeliis et famosis libellis vexati, I, 583 B. In palatio suo occisi, *ibid.*

Imperium Romanorum tamdiu stabit, quamdiu sæculum stabit, I, 700 A. Vid. Romani.

Impudicitia non excusatur ob infirmitatem carnis, II, 951 A. Consistorium impudicitiæ theatrum, I, 649 A.

Inachus Mosi coævus, I, 386 A.

Incantationum vires provulgaverunt mali angeli, I, 1306 A.

Incommoda minora sunt præmiis suis, II, 852 A.

Incorporale nihil est, nisi quod non est, II, 774 B. Vid. Corpus.

Incredulitas miratur, non credit, I, 1201 B. Misera incredulitas quæ denegat Deo suas proprietates, *ibid.* A.

Indicum mare conchas profert, I, 1311 A.

Indorum gymnosophistæ, I, 260 C.

Indignatio rationalis est quæ ex affectu disciplinæ est, II, 673 C.

Inedia semper mœroris sequela, II, 962 C. Salutem reaccendit quam extinxerat sagina, II, 958 C.

Infantis nascentis impedimenta, II, 758 C. Cur lacrymantur in vitæ ingressu, II, 682 A. Infantis statim ab utero matris existentis animæ motus describuntur, *ibid.* An somnient infantes, II, 733 B. Infantes in utero trucidati, ut matris saluti consuleretur, II, 691 C, *sq.* Quomodo extraherentur, *ibid.*

Infantes recens nati a Psammetico tradebantur nutrici elinguatæ, I, 570 A, B. Cur, *ibid.* Athenis pueri quidam mense citius eloquuntur præcoci lingua, II, 685 A.

Infantia naturaliter animosa et affectiosa, II, 682 B. Infans homo est et qui futurus est, I, 320 A. Christus, ex ore lactantium et parvulorum experiendo laudem, nec pueritiam nec infantiam hebetes pronuntiavit, II, 682 A. Vid. Innocentes.

Infantes in utero debellati a matribus, II, 909 B. Frigori, fami et canibus exponebantur, I, 318 A, 325 A. Præcoctos eos ethnici vorabant, I, 580. Infanticidæ dicebantur Christiani, I, 306 A. Penes Africam Saturno immolati infantes usque ad proconsulatum Tiberii, I, 314 B. Parentes illis blandiebantur, ne lacrymantes trucidarentur, I, 316 A.

Inferorum locus in visceribus terræ, II, 742 B, *sq.* Sempiternus erit ejus ignis, I, 520 A, 1284 A. Vid. Ignis. Inferorum æneæ seræ, II, 837 B. De inferis sententia ab ethnicis non rejicienda, I, 527 A. Inferni pœnas qui luant, I, 535 B, *sq.* An omnes illuc animæ compellantur, II, 742. Aliud inferi, aliud Abrahæ sinus, II, 742.

Inferiorum dissuasio est prælatio superiorum, I, 1279 A.

Infirmitas a diabolo est, I, 1164 A.

Ingenium ex quo producatur, II, 683 A. Ingenia expeditiora apud orientales et meridionales populos, II, 692 B.

Ingenia diaboli, quæ, II, 102 B.

Inimici diligendi, et pro eis Deus orandus, I, 446 A. Inimicorum dilectio solorum est Christianorum, I, 698 D.


Digitized by Google

Iniquitas ita adhibetur, ut justitia probetur, confundens iniquitatem, II, 104 c.
Initiatio, I, 312 a. Quomodo fiebat, I, 313 a. Semper initiationes profanas arcent et ab arbitris cavent, I, 309 a.
Injuriæ patienter ferri debent, nec referri, I, 499 a. Injuriæ medela, patientia, I, 1266 a. Christus non modo vicem, sed etiam ultionem, etiam recordationem et recogitationem injuriæ prohibet, II, 395 b, c. Vid. Patientia.
Injustitiæ caput, idololatria, I, 664 c.
Innocentes infantes testimonium Christi sanguine litaverunt, II, 544 a.
Innocentes liberare divinæ competit benignitati, II, 815 a. Innocentia Christianorum, I, 496, *sqq.*
Ino, dea. Vid. Matuta.
Insanos alios in aliis videre, II, 675 c.
Insignia dignitatum et honestorum natalium apud Romanos, quæ, I, 300 a, d.
Institutio omnis rei non reprobanda, sed exorbitatio, II, 281 a.
Instrumentum, vid. Scriptura.
Insulæ fluctibus maris aut terræ motibus absorptæ, I, 480 a, 571 b; II, 1034 a.
Intelligere idem est ac sentire, II, 678 c.
Invidia iniquitatis, I, 260 a.
Invisibilia apud Deum habent et suum corpus et suam formam, per quæ soli Deo visibilia sunt, II, 162 c.
Iones, Nelei comites, Asiam novis urbibus instruunt, II, 1035 b.
Ira ex impatientia, I, 1238 a.
Irenæus omnium doctrinarum curiosissimus explorator, II, 548 a. Fatetur Tertullianus se ex Irenæo sumpsisse, *ibid.*
Iromus Phœnix, Tyri rex, I, 387 b.
Isaac monogamus, II, 936 d, 952 b. Isaac lignum bajulans, Christi exitum denotavit, II, 346 a, 626 a, b. Isaac cum ligno reservatus est, ariete oblato, II, 636 b.
Isis prima repertas spicas capite circumtulit, II, 86 a. Isidis linteata, I, 612 b. Isis ex curia deorum ejecta, et restituta, I, 305 a, 573 b.
Israel per impatientiam semper in Deum deliquit, I, 1259 a. Per jejunium statim delictum delevit, II, 962 a. Vid. Judæi.
Ister fallax, II, 247 b.
Isthmia, sacra Neptuni instituta, I, 644 a.
Italia, primum Œnotria ac deinde Saturnia appellata, I, 330 a, 602 c. A Phrygibus fuit occupata, II, 700 a.

## J

Jacob posterioris et prælatioris populi fuit figura, II, 336 c. Cur ei promittatur primo ros cœlestis, deinde terrena opimitas, II, 337 a. Scala ejus quid significaret, *ibid.* Dominum Christum vidit, *ibid.* b. Colluctatur cum angelo tota corporis mole, *ibid.* c. Manuum impositione transversim obliquata, in se Christum figuravit, I, 1208 a.
Jaldabaoth, æona summarium, II, 64.
Januaria festa, I, 681 c, *sq.*
Janus a janua, I, 683 c; II, 97 b. Janus bifrons, I, 436 a. Janus, vel Janes, ut Salii volunt, rex Italiæ, Saturnum recipit, I, 330 a.
Jejunium in Deum reverentiæ opus est, II, 963 a. Quale jejunium elegerit Dominus, II, 834 a. Christianorum jejunia, quæ, et quam dura fuerint, I, 487 a; II, 934 c, *sq.*, 971 b. Non jejunabant in dominico die, II, 79 b; neque a Pascha ad Pentecosten, II, 80 a. Quidam nec in sabbato jejunabant, II, 973 b. Jejunia interrupta necessitate gaudii et gratulatione salutis, I, 1227 a. Jejunia indicta ante Baptismum, I, 1222 b, et ante concilia, II, 972 c. Episcopi universæ plebi jejunia mandare assolent, II, 972. Jejunium seu statio, usque ad nonam, II, 966; et ad vesperam, II, 967 b.
Jejunia non modo naturæ mutationem, aut periculorum aversionem, aut delictorum obliterationem, verum etiam sacramentorum agnitionem Deo merentur, II, 963 a. Jejuniis siccitates depulsæ, I, 703 c. Israel statim jejunio delictum delevit, II, 962 a. Jejuniis preces alebant Christiani, I, 1244 a. Vires jejunantium Deo, quæ; cœlum pro ejusmodi militat, II, 962 b. Ut facilius homo ad jejunandum Deo formaretur, paucis et non gloriosis escis assuefactus est, et nihil de lautioribus esuriturus, II, 306 b.
Jejunium Montanistarum austerum, II, 97 b, 971.
Jericho. Vid. Hiericho.
Jeremias. Vid. Hieremias.
Jerusalem. Vid. Hierusalem.
Jesus cur vocari voluit Christus, II, 342 c. Proprium est homen Filii Dei, Christus autem accidens, II, 193 b. Qui vult Jesum videre, David filium credat per Virginis censum, II, 451 b. Vid. Christus, Filius.
Joannes Baptista, clausula Legis et Prophetarum, nec propheta, sed angelus vocatus, II, 137 b, 623 a. Tamen communis homo et quasi unus de turba, II, 402 b. Quomodo major inter natos mulierum, II, 405. Velut limes constitutus inter vetera et nova, ad quem desineret judaismus, et a quo inciperet christianismus, II, 441 a. Scandalizatur auditis virtutibus Christi, II, 402 a, b. Cur ab Herode trucidatus, II, 137 b, 443, *sqq.* Vid. Baptismus.
Joannes, Christi discipulus dilectissimus, spado, II, 952 b. Ejus laus, II, 496 b, *sq.* Nihil illum latuit, II, 34 b. Apocalypsis est auctor, II, 46 b, 958 c. Ecclesias Asiæ fundavit, II, 366 c. Cum Africanis ecclesiis contesseravit, II, 49 b. Romæ in igneum oleum demersus, sed nihil passus, in insulam relegatus est, II, 49 b. In spiritu ei revelata paradisi regio, II, 744 a. Joannes obiit, quem in adventum Domini remansurum frustra fuerat spes, II, 735 b.
Job patientia et laus, I, 1271 a. Nullam ei potuisset diabolus tentationem incutere, nisi a Deo accepisset potestatem, II, 105 a.
Jonas, devoratus a bellua maris, triduo post incolumis et incorruptus carne atque anima, de alvo piscis evolvitur, II, 840 a. Exemplum Dominicæ passionis, II, 999 c.
Jonathas, filius Saulis, resignati jejunii culpam deprecatione delevit, II, 378 a.
Jordanis amnis finium arbiter, II, 1034 a.
Josedech nulla omnino veste sordida, sed semper sacerdotali fuit exornatus, nec umquam sacerdotali munere privatus, II, 640 a.
Joseph Christum figuravit, quod persecutionem a fratribus passus est, et venumdatus in Ægyptum ob Dei gratiam, II, 346 a, 626 b. Unijugius fuit et patre melior, II, 937 a. In Pharaonis familia fuit venditus, a regina minus pudica desideratus et regis jussu conjectus in carcerem, I, 596 b. Expedimenta de carcere edocuit, et accepit in uxorem filiam regis Pharaonis, *ibid.*
Joseph deum habuerunt Ægyptii Serapidis nomine, I, 596 b, c.
Joseph Judæus, antiquitatum judaicarum vernaculus vindex, I, 388 a.
Josua, figura Christi, II, 343 a, b. Non fuit digamus, II, 937 a. Vid. Auses.
Juba rex, I, 387 b.
Judam proditorem quidam defendunt, admirabilem illum et magnum esse memorantes, propter utilitatem quam humano generi contulisse jactatur, II, 65 a. Illius sperant restitutionem, II, 353 b.
Judæa gens a primordio per tribus et familias et domos distributa fuit, II, 450 b.
Judæi sacras Scripturas palam legebant, I, 381 a. Per Moysen Deum colere didicerunt, I, 403 b. Fontem aquæ in deserto invenerunt, onagro demonstrante, I, 364 a. Regnum eorum floruit quamdiu divinis præceptis paruerunt, I, 393 a. Derelicto Deo, idolis servierunt, II, 598 b. Ob delicta ejecti, extra Deum esse cœperunt, II, 21 b, 393 *sq.* Terrena solummodo sperando, cœlestia amittunt, II, 835 a. Quotidie lavant, quia quotidie inquinantur, I, 1169 a, 1217 a. Judæorum salutatio, II, 480 b.
Judæi cur respuerint Christum, II, 329 a. Noverant Christum promissum fuisse, I, 399 b, *sqq.* Negant primum ejus adventum, et secundum exspectant, I, 400 a. In adventum Christi spem suam porrigunt, II, 610 a. Nullus ex Judæis derelictus in hodiernum diem ex Judæis, cujus ex stirpe possit nasci Christus, II, 634 a. Omnis vis intellectus Judæis adempta, II, 328. Illorum corda operta et velata, II, 499 a. Ipsi agunt ita scriptum mulctatos se sapientia et intelligentia, et oculorum et aurium fruge, I, 400 a. Meritum fuit delictum eorum, *ibid.* Christum innumera facientem miracula dixerunt esse magum, I, 400 a, b. Violentis suffragiis extorserunt illum cruci affligi, *ibid.* A Tiberio usque ad Vespasiani tempus locum pœnitentiæ habuerunt, II, 354 a. Nunc palabundi per orbem vagantur, I, 393 *sq.* Dispersionem passi sunt propter Christum, conspirante sensu Scripturarum cum exitu rerum et ordinis, II, 638 b. Patriam suam saltem vestigio salutare Judæis vetitum, et qua lege, I, 594 a.
Judæi Christianorum inimici ex æmulatione, I, 308 a. Crudelissime divexerunt Christi discipulos, I, 403 a. Judæus quidam perditissimus, solo detrimento cutis, circumtulit in ludis ridiculam imaginem Dei Christianorum, cum magis absurda inscriptione, Onochoetis, I, 372 a, 579 b. Per dies quadraginta, tempore Severi imperatoris, matutinis momentis in Judæa civitas de cœlo pependit, testibus etiam ethnicis, II, 356 a.
Judex omnis remunerator est caussæ, I, 1230 b. Potest et officio jurisdictionis suæ fungi, et humanitatis meminisse, vel quia et ipse sub gladio est, I, 702 b. Inauditos si dam-

Digitized by Google

nent judices, suspicionem merebuntur alicujus conscientiæ, nolentes audire quod auditum damnare non possent, I, 260 A.

Judicii prima origo unde delicti, I, 1257 B. Judicium de rebus ignotis ferri nefas, I, 261 A. Illius certa et æquissima regula est, ut nullus indefensus et inauditus condemnetur, I, 270, *sqq.* Eam ethnici adversus ethnicos, at numquam adversus Christianos sequebantur, I, 274 B, D. Iniquitas judiciorum gentilium erga Christianos, I, 270, *sqq.* In iis non scelus in caussa erat, sed nomen, I, 278 A.

Judicium soli Deo competit, II, 103 C. Dei judicium plenum et perfectum, et exinde perpetuum, II, 813 A. Æternum constituit judicium de gratis et ingratis, I, 699 A. Judicium ejus, non in compede aut pileo versatur, sed in æternitate aut pœnæ aut salutis, I, 1255 A.

Judicii extremi dies describitur, I, 660 B, C. Huic judicio omnes homines debent se sistere, I, 523 A. Examinabuntur quælibet omnium hominum merita, I, 527 A. Et id negari non potest ab ethnicis, I, 415 A, 519 B, *sq.* Judicii timor ad bonum, non ad malum confert, II, 299 C.

Juliæ leges de maritandis ordinibus, et unde sic dictæ, I, 280. Vid. Lex.

Julius. Vid. Augustus.

Jumenta ethnici adorabant, I, 365 A.

Juno Samo nata, educata et Jovi nupta, I, 427, *sq.* Fati non potuit Carthaginem, quam Samo prætulerat, a Romanis subverti, II, 427, 607 B. Ejus et Minervæ judicium, I, 369, *sq.* Per totam hebdomadem mensa illi proponitur, II, 718 A. In aeris substantiam figurabatur, II, 261 A.

Juno Curis, seu Curetis, cur nominata, I, 421 A.

Jupiter, Saturni filius, de crudelitate, I, 317 A. In Creta insula et Dictæo monte natus, I, 426, *sq.* Jovis tumulus ubi, I, 427 A. Ejus nutrix, I, 426 A. Frustra fingitur permisisse Cretam patriam suam Romanis fascibus concuti, *ibid.*

Jupiter christianus, quid, I, 317 A, D. Ejus nomine ethnici vero Deo imprudentes acclamabant, I, 703 C.

Jupiter squamatus, cornutus, deauratus, plumatus amator, I, 396 A. Conversus in taurum et in cygnum, II, 760 A. In substantiam fervidam eum figurant veteres, II, 261 A.

Jupiter humano sanguine in ludis publicis proluitur, I, 317 A; II, 136 C. Incestum docuit, I, 325 A. Nullum Romano imperio incrementum dare potuit, I, 427 *sq.* Non prætulit Capitolium Cretæ patriæ suæ et nutricis suæ jucundissimo odori, I, 426, *sq.* Tonitrua timuit, I, 334, A. Cur deus esse non possit, I, 353 A. Ejus scelera, assumptis variis figuris, I, 396 A, 575 C, *sq.* Sarpedonis casum deflet, I, 351 A. Fato stat, I, 428 A. Ab aliis diis lacessitus, luxurians, adulter, I, 575 C. Ejus perdita libido, et variæ idcirco conversiones, II, 760 A. Ejus ignominiæ in theatris decantatæ, I, 576 B. Ejus elogia ab histrionibus canebantur, I, 359 A. Testamentum ejus, comœdia, I, 358 A.

Jupiter Pluvius, I, 296 A.

Joves seu Jupiteres trecentos Varro introduxit, I, 355, *sq.*, 576 A.

Jurat Deus per semetipsum, ut vel juranti Deo credas alium deum omnino non esse, II, 315 C. O nos miserrimos, si nec juranti Domino credimus, I, 1234 B.

Jurare per Herculem, I, 692 A; per genios Cæsarum, I, 700 A. Jurabant ethnici per genios imperatorum, I, 583 B. Per genium Cæsaris jurare pejus erat quam per deos, I, 575 A. Jurabant pro salute principum, contra liberos et conjuges, I, 583 B, 599 A. Christiani jurabant per imperatoris salutem, non vero per ejus genium, I, 447 B.

Juridicina, quæ, II, 1047 A, B.

Juris humani et naturalis potestatis est unicuique, quod putaverit colere, I, 699 A.

Jus civile a Tertulliano citatum, II, 656 A.

Justinus philosophus et martyr, II, 548 A.

Justitia plenitudo est divinitatis, exhibens Deum perfectum, et patrem et dominum, II, 300 B, C. Justitiæ illum non pœnitet, II, 313 B. Judex Deus justitiæ sibi exigendæ tuendæque præsidet, I, 1230 B. In eam omnem summam disciplinæ suæ saucit, *ibid.*

Justitia violentiæ vindex, II, 747 A. Illius debitum severitas, II, 303 A. Omne caput justitiæ procuratio bonitatis est, II, 299 C. Justitiæ incrementa per diversa tempora, II, 890. Quando in iniquitate perficiatur, II, 104 C.

Justificandi jam ex fide sine Legis ordine, II, 447 C. Mulier justificata per pœnitentiam ex fide, II, 403 C.

Juventa dea, I, 600 D.

## L

Labeon dicta de sententia Pythagoræ, I, 521 A.

Labor necessarius, II, 487 B.

Lac quomodo in uberibus formetur, II, 787 A. Lactis et mellis societate suos infantat Deus, II, 262 A.

Lacedæmonii primi penulam ludis excogitarunt, I, 302 A. Lacedæmoniorum puerorum flagellatio, I, 626 A. Laconum flagella quid profuerint, I, 533 A.

Laconia Pasiphaæ habebat oraculum, II, 730 A.

Lacrymarum imbrem omnem exsiccat divina indulgentia, II, 880 A.

Lætitiæ publicæ omnis est luxuria captatrix, II, 96 A.

Laici sunt sacerdotes, II, 922 B. Non sibi assumant episcoporum officium, I, 1218 A. Apud hæreticos sacerdotalia munia obeant, II, 57 A. Ubi tres laici, ibi Ecclesia, II, 922 B.

Lais meretrix, I, 347 A.

Lamech primus duabus maritatus, tres in unam carnem effecit, II, 920 C. Per illum vim passa est institutio Dei, II, 934 C.

Lana dea, I, 606 A.

Lanas incoquere succis herbarum et concharum salivis ostendit Deus, I, 1327 B.

Lances Syllæ splendidissimæ, II, 706 A.

Languoribus et vitiis medendis operatus est Christus, II, 762 C.

Laodice mater Seleuco regnum Asiæ, nondum enixa, prævidit, II, 728 A.

Laodicenses (Ad) Pauli epistolam inscribunt hæretici quæ est ad Ephesios, II, 800 B, 812 B.

Laomedontis muros exstruxit Neptunus, I, 352 A.

Lapides in quibus erant descripti ritus sacri ethnicorum, I, 313 D.

Larentia, Laurentia, Lupercа, prostitutissima lupa, I, 423 A, 428 A, 599 *sq.* Dea facta, *ibid.*

Lares, dii privati domorum, I, 573 C, 637 B. Eos perstringit Tertullianus, I, 344 B.

Larissæus heros. Vid. Achilles.

Laterenses, qui, II, 466 A.

Latiares ludi, I, 638 A.

Latrones obstupefacit oratio, I, 1196 A.

Laurea Apollini et Libero sacrata est, II, 94 A. Laureis postes obumbrabant ethnici, I, 453 A, 683 B.

Lavacrum. Vid. Baptismus.

Lavantium prædo, I, 496 B.

Lavationibus Gentes deos suos efferunt, I, 1204 B.

Lazarus, præcipuum exemplum resurrectionis, II, 873 A. In Lazaro caro non erat animalis nec anima carnalis, II, 776 A, 873 A.

Læna, meretrix, noluit conjurationis conscios prodere, I, 626 A.

Lecti in medio foro strati, I, 452 B.

Lenocinium mutuum, I, 1511 A. Lenocinia gentilium inter aras et in ædituorum et sacerdotum tabernaculis, I, 363 A. Lenocinium divinitatis, II, 733 A.

Lentuli auguris consulta de mulierum habitu, II, 1044 A. Ejus sacrilegæ venustates, I, 576 B.

Lentulus mimographus, II, 1042 B.

Leo semel est pater, II, 727 B.

Leonis Ægyptii scripta, II, 86 A.

Lepidi violenta ludibria, II, 1031 A.

Levicoia, seu Levicola, I, 606 B.

Levitæ exstiterunt ante leviticæ legis sacerdotium, II, 600 B.

Lex nulla sibi debet conscientiam suæ justitiæ, sed eis a quibus captat obsequium, I, 289 A, 566 A. Legem sola æquitas commendat, I, 288 A. A pecude lex hominem discernit, II, 289 A. Lex non ponitur ei qui non habet obsequium debitum legi in sua potestate, II, 290 B, C. Suspecta est lex quæ probari se non vult, I, 566 B; improba autem, si non probata dominetur, I, 289 B. Lex injusta nullum exigit honorem vel obsequium, I, 286 *sqq.*, 566 B. Si lex errat, ab hominibus, non de cœlo venit, II, 883 A. Legis contemptus in arbitrii libertatem homini deputatus, II, 290 C. Legis obtrectator vel factor quis habendus, II, 429 D. Consensu publico leges mitigatæ, I, 287 A.

Legis divinæ quanta auctoritas, I, 499 *sq.* Humanis sanctitate et auctoritate longe præstantior, *ibid.* Divinæ leges numquam possunt impune infringi, I, 509 A. Lex Dei, ante Moysen, primum in paradiso data, II, 600 B. Cur Adamo data lex, II, 289 A, B. Lex primordialis est data Adæ et Evæ, quasi matrix omnium præceptorum Dei, II, 599 B. Ante legem Moysi, scriptam in tabulis lapideis, legem exstitit non scripta, quæ naturaliter intelligebatur, et a patribus custodiebatur, II, 600 A. Eamdem legem dedit Deus omnibus gentibus, ut congruit bonitati et æquitati ipsius, II, 599 A.

Lex, post quadringentos et triginta annos, Abrahæ data est, II, 600 B.

Lex Moysi est data eo tempore postquam ab Ægypto excesserunt Judæi, post intervallum multorum temporum

Digitized by Google

et spatia. II, 600 B. Non duritia Dei eam promulgavit, sed ratio summæ benignitatis, II, 306 C. Cur tantis esset onerata observationibus, II, 306 A. Arcanam habuit significationem, II, 306 C. Legis figuratæ vis ostenditur, II, 374 C. Legis significantiæ, scilicet et propheticæ et in omnibus fere argumentis figuratæ, II, 306 C. Legis criminationem abominatur Apostolus, II, 505 B; Lex non seduxit, sed peccatum per præcepti occasionem, *ibid.* Legem et Prophetas Cerdon repudiat, II, 78 B, et Apelles, II, 71 B. Legem Dei in libidinem defendit Hermogenes, atque contemnit, II, 198 A. Vid. MOYSES, TESTAMENTUM, THEOTIMUS.

Legis onera usque ad Joannem, non remedia, II, 989 C. Vid. CHRISTUS. Destrui habuit a Joannis prædicatione, II, 474 B. Radix est Evangeliorum, II, 125 B. Quantum distet ab Evangelio, II, 561, 600 B. Legem et Prophetas cum Evangelicis et Apostolicis litteris miscuerunt sancti homines, II, 49 B. Operum juga rejecta sunt, non disciplinarum, II, 989 C.

Leges christianorum, a Deo et a Christo latæ, cæteris omnibus præstantiores, I, 498, *sqq.* Iram et solitariam concupiscentiam prohibent, I, 499 A; maleloquium et injuriæ repetitionem, *ibid.*; sanguinem animalium, suffocatum et morticinium, I, 324 A.

Legum humanarum auctoritas, I, 499 B. Veterum optimæ leges ex sacris nostris legibus haustæ, I, 499 B. Leges hominum cum Deo devinciunt, II, 289 A. Quam sint imperfectæ, I, 289 A, 499 B. Impune possunt labefactari et violari, *ibid.* Sæpe sunt noxiæ vel inutiles, I, 285, *sqq.* Plerumque violantur ex voluntate vel necessitate delinquentis, I, 499 B. Leges emendatæ et antiquatæ, I, 566 B. Vid. CONSUETUDO. Ab ethnicis leges emendatæ, conculcatæ, abrogatæ, I, 286, *sq.* Pessumdantur, recogitata brevitate supplicii, I, 499 B. Nulla lex hominem nisi criminis convictum, aut illud confitentem, damnare debet, I, 702, *sq.* Malos erui jubent leges, non abscondi, I, 276 A. Leges in christianos a pessimis et iniquissimis imperatoribus latæ sunt, I, 292, *sqq.*

Leges Lycurgi a Lacedæmoniis emendatæ, I, 286 A.

Leges Romanorum in immensum auctæ, I, 286 A, 572 B. Utrum omnes observatæ, I, 298, *sq.*, Leges sumptuariæ, ambitionem et sumptum comprimentes, I, 298 A. Lex Æmiliæ sumptus cœnarum definivit, *ibid.*; necnon Antia lex, *ibid.* Papiæ et Juliæ leges de juniorum conjugio a Severo quomodo abrogatæ, I, 286 A. Leges erant de novis diis instituendis, I, 290 A.

LIBANUS mons thuris vocabulo est penes Græcos, II, 582 B.

LIBELLI festivi, mordaces et famosi, ubi appensi, I, 583 B.

LIBER sermoni posterior, I. 616 A.

LIBER pater, seu Bacchus, exsecto matris utero, vivus aerem hausit, II, 692 C. Deus factus ob vini inventionem, I, 334 A. Ex Indicis triumphavit, II, 86 A. Illius simulacro bestiæ applicatæ, I, 341 A. Laureacorona cinctus, II, 86 A. A senatu rejectus ex omni Italia, I, 304, *sq.*, 575 B. Liberi mysteriis in publico discumbebant ethnici, I, 492 A. Nolebant Christiani iis interesse, *ibid.*

LIBERALIA, ludi, I, 636 B, 643 A.

Liberalia officia, quæ, I, 492 A, 636 B.

LIBERTAS Deo competit, non necessitas, II, 212 A. Præstatur libertas ab eo apud quem fuit servitus Legis, II, 478 B. Pro libertate mori noverant Christiani, I, 565 A.

LIBERUM arbitrium. Vid. ARBITRIUM.

LIBERTINI flagra adhuc rumpentes, I, 301 A. Eorum luxus, I, 300 A, et ornamenta, II, 879 B, C.

LIBIDO ubique comes est, I, 326 A. Matrimonium fœdavit, II, 695 B. In omnem libidinem ebullire summus est fructus vitæ omnibus qui Deum non timent, II, 279 A. Nec apud Gentes matrimonio adscribitur libido, sed extraordinariis et non naturalibus et portentosis, II, 509 B. Nulla est libidinis infrænatio in castratione II, 282 A. Per curiositatem libidinis æmulationem convehunt mulieres, I, 1288 A. Libidinum monstra, quæ, II, 987 A. Quibus caussationibus coloretur insatiabilis carnis cupiditas, II, 927 A. Non excusatur ob infirmitatem carnis, II, 951 A. Libido et gula unita sunt vitia, II, 953 B. Libidinum publicarum novum consistorium, I, 1298 A.

LIBYCA gens, Atlantes, cæco somno mortem transigere dicuntur, II, 733 B.

LICENTIA plerumque tentatio est disciplinæ, et cur, II, 923 C. Nusquam et numquam licet, quod semper et ubique non licet, I, 653 A.

LIGNUM passionis Christi, II, 635 A, figuratum in ligno paradisi mortifero, *ibid.*; et in ligno quo Moyses aquam amaram indulcavit. *ibid.*; atque in ligno quod Elisæus misit in aquam, II, 636 A, B. Quod perierat in Adam per lignum, restituitur per lignum Christi, II, 636 B. Vid CRUX.

Lignum rude quidam gentiles coluerunt, I, 366 A.

LIMENTINUS deus, a limine, I, 685 C; II, 97 B.

LIMUS nihil aliud quam liquor opimus, II, 696 A. Inde genitale virus, *ibid.*

Limus imaginem induit Christi futuri in carne, II, 802 C. Oblitteratus est et devoratus in carnem cum factus est homo in animam vivam, II, 804 A.

LINGUA græca et latina propinquæ inter se habentur, I, 618 A. Omnium gentium varia vox, varius sonus, propria cuique loquela, sed loquelæ communis materia, *ibid.* Vid. LITTERA, LITTERATURA.

LIPPIENTIBUS singularis lucerna numerosa est, II, 249 A.

LIQUOR solus semper materia perfecta, læta, simplex, de suo pura, dignum Deo vectaculum Deo subjiciebat, I, 1202 A. Vid. AQUA.

LITTERAS Mercurius primus enarravit, II, 87 B. Prior anima quam littera, I, 616 B. Divinæ Scripturæ litteris sæcularibus multo tempore anteriores, I, 617 A. Litteris ipsis ordo unde, I, 616 C. Sunt necessariæ commerciis, rebus et nostris erga Deum studiis, II, 87 B. In litteris res tenentur, ut litteræ in rebus leguntur, II, 822 B. In litteris græcis totam veritatis plenitudinem dispositum esse contendebant quidam hæretici, II, 70 A. Apud Romanos elementa solent dici primæ litteræ, II, 476 C. Iis adolescentes informabantur ad prudentiam et ad liberalia officia, I, 330 B.

Litterarum christianarum nullum jus non capiunt Christiani, II, 51 A. Fideles magis discere quam docere litteras capit, I, 675 A.

Litteræ pacis, II, 155 B.

LITTERATURA instrumentum est ad omnem vitam, I, 675 A. Ejus necessitas, *ibid.* An ante litteraturam et promulgationem ejus multi vixerint homines, I, 616 B, C. Vid. LINGUA. Prima diabolo fides ab initiis eruditionis, I, 675 B.

Litteratura divina ad facultatem cujuscumque materiæ fœcundior, II, 55 A.

Litteratura sæculi, I, 683 C. Tota sæculi litteratura qui vocantur auctores, II, 729 A.

LOCUS omnis in Deo, non ipse in loco, II, 175 C. Per se loca nos non contaminant, sed quæ in locis fiunt, I, 640 B, 647.

AOFOΣ, quid, I, 398 A, 400 B; II, 160 A. Nec Zenoni, nec Cleanthi erat incognitus, I, 398, *sq.* Vid. CHRISTUS, FILIUS.

LOQUACITAS in ædificatione nulla turpis, si quando turpis, I, 1256 A.

LOTH, frater Abrahæ probatus, quod pro meritis justitiæ, sine Legis observatione, de Sodomorum incendio sit liberatus, II, 602 A.

LUCANIA olim Italiæ adjuncta, I, 481 A. Lucaniam Italiæ vis undarum abscissam in Siciliæ nomen relegavit, II, 1034 A.

LUCANUS, hæreticus, Marcionis sectator atque discipulus, II, 71 A. Ejus hæresis de anima et de resurrectione, II, 798 A.

LUCAS, Pauli sectator, II, 364 A. Non erat apostolus, sed apostolicus, non magister, sed discipulus, *ibid.*

Lucas et Marcus ex Apostolis Evangelii historiam scripserunt, II, 363 C. Lucæ Evangelii auctoritas defenditur, II, 365 B. Paulo adscribitur Lucæ digestum, II, 364 B, 367 A. Usque ad Marcionem textus Lucæ integer permansit, II, 367 C. Illum emendavit Marcion, II, 367. Solum hoc Evangelium, nec tamen totum, recipit Cerdon, II, 70 C.

LUCERNÆ in cœtibus sacris Christianorum, I, 313 A. Et in vestibulis, I, 683 A. Vid. LUMINA.

Lucernis diem infringebant ethnici, I, 455 A. Elatissimis et clarissimis lucernis vestibula enubilabant Romani, I, 459 A, 683 A.

LUCINA, dea quæ partum producit ad lucem, II, 713 A.

LUCIUS, sapiens vir, continuo ad christianismum venit, I, 280 A.

LUCRETIA, vim stupri passa, cultrum sibi adegit in conspectu propinquorum, ut gloriam castitati suæ pareret, I, 625 A. Sanguine suo maculatam carnem abluit, II, 929 A, 952 C.

LUCULLUS primus cerasa ex Ponto Italiæ promulgavit, I, 334 B.

LUDORUM origo et etymologia, I, 636 A, B, 638 B.

Ludi consnalia, I, 636, *sq.* Equisia, I, 636 C. Liberalia, *ibid.* B. Luperci, *ibid.* Apollinares, Latiares, Megalenses, etc., 638 A, C. Sacri et funebres, *ibid.*

LUDIMAGISTER non sine tabula septem idolorum, I, 674 A.

LUMINA in Christianorum synaxibus accensa, I, 307 A, 313 A. Luminibus extinctis, libidinibus sese volutare dicebantur Christiani, I, 307 A.

LUNA masculus deus, comœdia, I, 558 A.

LUPÆ, popularium libidinum nundinæ, II, 1044 B.

Digitized by Google

Lupæ fœminæ formam quotidie supparare solemne est, I, 547 A.
Lupanariorum januis solebant lauri et lucernæ appendi, I, 684 C, 1298 A. Lupanaria, domus Romanorum in solemnitatibus, I, 453 A.
Luperci ludi, cur sic appellati, I, 636 B.
Lupi rapaces, qui, II, 16 B.
Lurconiana condimenta, II, 706 A.
Luxuria, perditrix castitatis, II, 929 A. Vid. Continentia, Libido.
Luxus Romanorum, I, 298, *sqq.*; mulierum romanarum, I, 304 A. In luxum invehitur, I, 1314, 1325 *sq.*
Lycurgi leges a Lacedæmoniis emendatæ, I, 286 A. Ob id mortem sibi conscivit, I, 286 A, 312 A.
Lydi fœdus hausto sanguine inibant, I, 581 A. Ex Asia transvenæ in Etruria consederunt, duce Thyrreno, I, 636 A.
Lymphati, qui, I, 1205 B.
Lyncestarum vena vinosa ebrios facit, II, 734 B. Eorum defluxus ebrios item reddit, II, 568 A.

## M

Macedonia Hermoniæ habet oraculum, II, 730 A.
Macedones, tragœdiam OEdipi audientes, quomodo rei incestus, I, 325 A.
Machabæi legem paternam ad pristinum vitæ statum pugnando sabbatis revocarunt, II, 606 C.
Magia nihil est quam fallacia, II, 747 C. Magia secunda idololatria, multiformis lues mentis humanæ, totius erroris artifex; salutis animæque vastatrix, II, 748 A. Magia duplex, I, 612 A, B. Magiæ species est astrologia, I, 612 *sqq.* Vid. Astrologia. Ægyptiorum magia, adversus Moysen æmulata, patientiam Dei traxit usque ad Evangelium, I, 672 B. Vid. Mathesis.
Magi sciebant esse dæmones, I, 405 A. Pueros in eloquium oraculi elidunt, I, 411 A. Phantasmata edunt, I, 410 A. Somnia immittunt, I, 411 A. Infamant defunctorum animas, *ibid.* Quædam supra naturæ ordinem facere videntur, quæ dæmonum præstigiis faciunt, I, 407 *sq.*, 412 A. Eorum consultationes ab angelis desertoribus inventæ, I 439 A. De Cæsarum capite magi consulti, *ibid.* Vid. Mathematici.
Magi Persarum, II. 260 A. Magos reges fere habuit Oriens, II, 339 A, 619 B. Magi et astrologi primi Christum natum annuntiarunt et muneraverunt, I, 672 A.
Magistratum ambientes quibus incommodis et contumeliis se subdant, I, 1246 B, *sq.* Idque totum propter unius anni volaticum gaudium, I, 1247 A. Vid. Principatus.
Magnanimos oblectat oratio, I, 1196 A.
Magnes ferrum attrahit, II, 236 B.
Magnitudo in mediocritate probatur, II, 261 B.
Majorum institutis ethnici habitu, victu, instructu, censu, cultu, apparatu, sermone, nuntium remiserant, I, 305 A, 572 B. Eorum spretis institutis, nove de die vivebant, *ibid.* Vid. Antiquitas.
Maledictiones proferendo, dæmones frequentat vulgus indoctum, I, 403 A.
Maleficium nullum sine formidine est, quia nec sine conscientia sua, II, 401 A. In maleficio nulla ordinis ratio, I, 1264 B.
Malefici gestiunt latere, trepidant deprehensi, negant accusati, et scelus suum astris aut fato imputant, I, 267, *sq.*
Maleloquium prohibetur, I, 499 A.
Malitia a diabolo est, I, 1164 A. Semper Domino fuit odiosa, I, 1264 B. Ad malitiam proni sunt homines, ob vitium ingenii sui, I, 467 B.
Malitiæ apud Græcos interdum pro vexationibus et læsuris, non pro malignitatibus, ponuntur, II, 313 A.
Malum unde, II, 210 B. De natura mali constat apud omnes, ut vel ipsi quidem rei defendere malum pro bono audeant, I, 266 A, 559 D. Astris vel fato illud tribuebant ethnici, I, 268 A. Malum non est quod naturalia mali non habet, I, 269 A, 560 A. Illius indicia, *ibid.* Non ideo malum non est quia non obest, I, 1279 A. Non id damnatur in quo male fit, sed id quod fit, II, 497 A. Est mali dignitas quæ in summo aut in medio pessimorum collocatur, II, 988 A. Mala necessaria ad illuminationem bonorum, ex contrariis intelligendorum, II, 210 D. Nihil a Deo mali evenire potuisse persuadebit bonitas Dei a primordio rerum perspecta, II, 292 C. Quomodo mala condere dicatur, II, 301.
Mali operatio lata et diffusa, I, 1266 A. Malo ad miseriam pervenitur, I, 1245 C. Facilius falso malo quam vero bono creditur, I, 467 B. Malum omne aut timore, aut pudore natura perfundit, I, 266 A.
Mala dicuntur et delicta et supplicia, II, 301 A. Mala culpæ et mala pœnæ, *ibid.* Mala ultoria, non peccatoria, II, 313 A.
Mali timore et pudore perfusi, latebras quærunt, I, 267, *sq.* His infructuosos esse, magnus fructus est, I, 495 B. Nolunt suum esse quod malum agnoscunt, II, 268 A.
Mallum Amphilochi oraculum habebat, II, 730 A.
Mammon de nummo dictum, II, 439 C.
Mandana, filia Astyagis, II, 727 A.
Manethon Ægyptius, I, 387 A.
Manumissionis servorum insignia, II, 879 C.
Manibus ablutis orationem obibant Christiani, I, 1168 A. Manibus expansis orabant, Dominica passione modulantes, I, 1199, *sq.* Post cibum illas etiam lavabant, I, 447 A.
Manus baptizatis imponitur per benedictionem, advocans et invitans Spiritum sanctum, I, 1207 A. Manuum impositione caro adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur, II, 806 B.
Marcionis historia narratur, II, 42, 71 A. Marcion nauclerus, II, 266 C, 327 B. Bestiis Barbariæ importunior, etc., II, 247 B. Pharaone crudelior, quomodo, II, 282 B. Stoicorum sectator, II, 19 B. Discipulus Cerdonis, II, 71 A. Apellis institutor et præformator, II, 42 B; itemque *Lucani*, II, 71 A. Principalem suæ fidei terminum de Epicuri schola cognoscit, II, 521 A. Partem usurpat doctrinæ Sadducæorum, II, 46 A. In primo calore fidei catholicæ pecuniam Ecclesiæ contulit, II, 365 D. Seipsum non amavit, cum ab Ecclesia et fide Christi recessit, II, 739 A.
Marcionis epistola, II, 505, C, 755 B. Ejus Evangelium, II, 361 A, 368 A. Evangelio suo nullum adscribit auctorem, II, 363 B.
Marcion duos fingit deos, II, 248 B, 361 B; vel etiam tres, II, 264 A. Deus suus unde venerit, II, 19 A, B. Negat eum moveri, II, 438 B. Dispares deos constituit: unum judicem ferum, bellipotentem; alterum mitem, placidum, et tantummodo bonum atque optimum, II, 252 C, *sq.* Primus Marcion ausus est alium Deum solius bonitatis, præter Creatorem, inducere, II, 47 A. Alium deum Legis, alium Evangelii asseverat, II, 363 B. Deum quem invenerat, extincto lumine fidei, amisit, II, 247 B. Negat Deum in hominem vere conversum, II, 737 A, B. Carnem Christi negat, et ejus nativitatem, II, 46 C, 754 B. Duos Christos introducit, II, 264 A. Docet eum Christum venisse qui nunquam fuerat annuntiatus, II, 327 B.
Marcion interdictor nuptiarum, II, 46 A, 281, *sq.*, 486 C. Neminem tingit nisi cælibem aut spadonem, II, 280 B, 383 B. Morti aut repudio baptisma servat, *ibid.* In totum carnis resurrectionem non admisit, et *soli animæ repromisit* salutem, II, 491 B, 495 B.
Marcion Scripturas sacras rejicit et corripit, II, 758 A. Novum Testamentum a Vetere separavit, II, 43 B, 288 A. Evangelium corrosit, II, 247 B. Lucam elegit, quem cæderet, II, 364 A. Ejus Evangelium interpolando suum fecit, II, 361 A.
Marcionistæ notantur, II, 41 A, B. Creatorem repudiant, II, 262 B. Eorum deus novus, II, 235, *sqq.*, 267. Plurimum erant mathematici, II, 266 A. Idem Marcionistis licet quod Marcioni, nempe de arbitrio suo fidem innovare, II, 58 A.
Marcus Aurelius. Vid. Aurelius.
Marcus, Petri interpres, scripsit Evangelium, quod Petro affirmatur, II, 367 A. Vid. Lucas.
Marcus Magus, hæreticus, II, 546 B.
Marcus hæreticus novam ex Græcorum alphabeto hæresin composuit, II, 70 A. Carnis resurrectionem negavit, *ibid.* Ejus hæresis de corporis humani creatione, II, 801 A.
Maris fluctus mitigat oratio, I, 1196 A. Vid. Atlanticum, Britannicus, Corinthus, Indicus.
Margarita est conchæ dura et rotunda verruca, I, 1311 A.
Margaritæ sunt quotidianæ conversationis insignia, I, 1296 A.
Maria ex genere David orta, II, 624 A. Virgo fuit, licet Ebion resistat, II, 897, *sq.* Ejus virginitas propugnatur, I, 397 A. Pulchra Mariæ cum Eva comparatio ac diversitas, II, 782 B. Maria salutis nostræ secundum Christum mediatrix, II, 782 A. Cur a Tertulliano dicatur quod non nupserat, I, 397 A; II, 790 B.
Maria Dei genitrix, II, 190 C. Christus in utero ejus carne figuratus, illibata ejus virginitate, I, 399 B. Maria virgo quantum a viro, non quantum a partu, II, 790 A. Maria virgo in partu, II, 190 C, 760 A, 781 C, *sq.* Post partum semel nupsit, II, 939 B. An Christo adhæserit prædicanti, I, 762 C. In matre Christi est figura Synagogæ adjunctæ, et Judæorum in fratribus incredulis, II, 767 B, C.
Maritus omnis castitatis exactor est, I, 1330 B.
Mars trigonus, II, 266 A. Sub militis forma figuratus, I, 574 B. Mars vinctus et in vinculis pene consumptus, I, 558 A, 575 C.

Digitized by Google

Martyr, etsi denotatur, gloriatur; accusatus, non defendit; interrogatus, ultro confitetur; damnatus, gratias agit, I, 269 A. Martyrum cruciatus, I, 626 B. Incogniti, inauditi, indefensi, ac propter suum dumtaxat nomen ab ethnicis condemnati et trucidati, I, 260, *sqq.*, 559, *sqq.* In carcerem conjecti, I, 497 A. Vulgus in eos nullo legis præscripto, sed ingenito furore sæviebat, I, 456 A, 461 A. Eos lapidibus magis quam cæstibus exigebat, I, 521 A. Vid. Trajanus. Nullus eorum ob aliquod crimen in carcerem conjectus et damnatus, I, 497 A. Ethnici durissimis cruciatibus eos cogere conabantur ut, contra omnes leges, crimina sua et se Christianos esse negarent, I, 284, *sqq.*, 560 B, C. Solum Christiani nomen in eorum condemnationis tabella scriptum, I, 279 A. Sub discrimine capitis, I, 531 A, non propter sua documenta puniendi erant gladiis, fustibus, crucibus et bestiis, I, 529 A, B. Illis inter tentamenta botuli cruore distenti offerebantur, I, 324 A, 560 B. Ad omne supplicii genus parati erant, I, 445 A. Quot, quantis et quam horrendis suppliciis excarnificati et trucidati, I, 340 *sq.*, 445 A. In insulas relegati, I, 341 A. Ad metalla et bestias, et sæpius ad leonem damnati, I, 341 A, 445 A, 480 A, 658 A; II, 825 B, 927 C. Crucibus et stipibus impositi, I, 340 A. Capite damnati, I, 531 A. Quam frequenter *ad leonem* ethnici conclamabant, I, 445 A, 480 A, 658 A; II, 823 B. Fœmina ad leonem potius quam ad leonem damnata, I, 535 A. Alii ignibus combusti, I, 461 A, 531 A, 704 A. Eorum corpora, ex sepulchris effossa, dissecabantur, *ibid.* Martyres designati, I, 619 A.

Martyrum cædes magnum reipublicæ damnum afferebat, I, 496 A. Nulla civitas impune tulit sanguinis Christianorum effusionem, I, 701 A.

Martyrum constantia, quantum laudanda, I, 584 A. Immerito eam vituperabant ethnici, *ibid.* Martyres non minus laudandi ab illis, quam quos extollebant ob mortem constanter toleratam, I, 532 A, 584 A, B. Dum, ad stipitem alligati, vivi comburebantur, habitu victoriæ, veste et curru aurato triumphabant, I, 531 A. Statim post mortem æterna felicitate donantur, I, 1270 A; II, 745 A. Martyrii prærogativa insignitus statim paradiso, non inferis, divertit, II, 856 A. Quidam se tyrannis ultro obtulerunt, I, 704 B. Quomodo more militum inflicta sibi tormenta tolerarent, I, 550 B.

Martyribus in carcere inclusis et ad metalla damnatis, quanta charitate subveniebant Christiani, I, 470, *sq.*, 619, *sqq.* Annua die sanctorum martyrum natalitia recolebant, II, 79 A.

Martyrum sanguis semen Christianorum, I, 535 A. Ipsorum pœnis et cædibus populus Christianus magis augebatur, I, 704 C, *sq.* Sua morte plures effecerunt discipulos quam oratores eloquentissimi, I, 535, *sq.* Eorum sanguis eloquentior Cicerone, facundior Seneca, Diogene disertior, et Pyrrhone et Callinico, *ibid.* Invicta illorum in quibuslibet suppliciis constantia, vel, sicut aiebant ethnici, inflexibilis obstinatio, persuadebat veram esse ipsorum religionem, I, 535, *sq.* Ad martyres confugiebant peccatores, ut veniam impetrarent, II, 1027.

Martyrum animas quomodo conspexerit Joannes, II, 658 A.

Martyrium est prælium quo Christiani sub discrimine capitis ante gentilium tribunalia certant, et vincunt cum occiduntur, I, 531 A. Est victoria quæ habet gloriam placendi Deo, et prædam vivendi in æternum, *ibid.* Martyria desæviunt, sed in salutem, II, 132 A. Martyrii debitrix fides, II, 139 B. Martyrio peccata omnia dimittuntur, I, 556 A; tota Dei gratia redimitur, *ibid.* Martyriorum divina auctoritas, II, 125, *sqq.* Martyria fidei examinatoria, II, 136 A. Martyriorum prædicatio et remuneratio, II, 137 A. Martyrii instrumenta, I, 340, *sq.* Corporis contemptus ad martyrium præstantiam confert, II, 856 A. De martyrii jactatione inflatus erat Praxeas, II, 135 B.

Martyrium secundum, baptisma, I, 1270 A. Baptismus sanguinis, II, 135 B. Est martyrium sine passione perfectum, II, 138 A.

Massagetæ inhumani, II, 247 B. Parentum senio confectorum carnibus vescebantur, I, 321 B.

Mater Magna in terram figurata, II, 261 A.

Materia non nominatur in Scripturis, II, 219 A. Omnis materia sine testimonio originis suæ non est, etsi demutetur in novam proprietatem, II, 771 A. Quod materia caret, non admittit sapientiæ eventum, II, 329 A.

Materiam innatam volebant Pythagorici, Stoici et ipse Plato, II, 567 A. Parem Deo eam infert Zeno, II, 19 B, et Hermogenes, II, 198.

Materiarii hæretici, II, 218 C.

Mathesis usque ad Evangelium concessa, et cur, I, 672 A. Hodie de Christo est, *ibid.* Vid. Astrologia, Magia.

Mathematici magistros habuerunt pravos angelos, I, 671, *sq.* Ex urbe et Italia pulsi, II, 671 B. Mathematici plurimum Marcionitæ, II, 266 A. Vid. Magi.

Matrimonium est cum Deus jungit duos in unam carnem, aut junctos deprehendens, in eadem carne conjunctionem signavit, II, 941 B. Per matrimonii nexum duo in carne una efficiuntur, I, 1302 B; II, 896 B. Ejus numerus a maledicto viro cœpit, II, 920 C. Vid. Lamech. Matrimonii necessitas et causssæ, I, 1280 A. Sacramentum magnum est, II, 518 A. Defendendum est cum accusatur spurcitiæ nomine in destructionem Creatoris, qui proinde conjugium pro rei honestate benedixit, II, 281 A. Excessus, non status est impudicus, II, 695 B. Libido, non conditio, illud fœdavit, *ibid.* Matrimonium, contumelia communis, II, 903 B. Ejus modesta dissimulatio in occulto, II, 806 B. Matrimonii felicitas quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignatum Angeli renuntiant, Pater rato habet, I, 1302 A, B. Occultæ conjunctiones, id est non prius ad Ecclesiam professæ, malæ, II, 987 A. Filii sine consensu parentum nec recte nec jure nubunt, I, 1302 B. Matrimonium ex violentia contractum an validum, II, 443 A. Unius matrimonii esse debent qui allegantur in ordinem sacerdotalium, II, 922 A. Matrimonia gentilium subeuntes fideles stupri rei sunt, I, 1292 C. Vid. Nuptiæ, Monogamia.

Matrimonii felicitas, de moribus prosperata apud veteres Romanos, I, 303 A. Ad matrimonium compellebant Romanæ leges, II, 927 C. Servis prohibitum erat, I, 1300 B. Sponsæ apud ethnicos velatæ ducebantur ad virum, II, 903 B.

Matrimonium secundum non aliud dicendum erit quam species stupri, II, 924 A. In secundo matrimonio duæ uxores eumdem circumstant maritum, una spiritu, alia in carne, II, 926 B, C. Duplex rubor est, *ibid.*

Matrimonii separationem neque in Evangelio neque in ipsius Pauli epistolis ex præcepto Dei invenias permissam, II, 919 A. Repudiatæ connubium illicitum facit Christus, II, 441 C, *sq.* Disjunctum matrimonium sanat patientia, I, 1268 A. Primo manente matrimonio, nubere adulterium est, II, 442 B. Vid. Repudium.

Matrix generis fœminini Eva, II, 896 B.

Matrix religionis Hierosolymæ, II, 447 B

Matronarum indecens cultus, II, 1044 A. Earum ambitio in templis, I, 1301 A.

Matronalia festa, I, 682 B.

Matthæus, fidelissimus Evangelii commentator, ut comes Domini, II, 789 A.

Matuta mater, II, 933 A.

Mauritaniæ reguli, I, 419 A.

Mauri vani, II, 683 B. Gens ilia regionum suarum fines non excedit, II, 611 B. Christi jugo subdita, II, 610 C. Antea colebant Versutinam, I, 596 A.

Mavilus Adrumeticus, martyr, I, 702 B.

Maximilla Montano adhæsit, II, 954 B.

Medicina, soror philosophiæ, II, 650 B. Necessitatem habuit artificii ad extendendos de anima retractatus, II, 650 B. Est plane quasi sævitia medicinæ de scalpello, de cauterio, de sinapis incendio : sed horum operis fructus excusat, II, 431 C, *sq.* Vid. Æsculapius.

Medicinas sibi divinitus attributas agnoscunt in tempore irrationales animæ, cervus dictamnum, hirundo chelidoniam, I, 1248 A.

Medici ab Erasistrato nomen acceperunt, I, 282 A. Proprii sunt arbitri omnium lethalium rerum sive caussarum, et ipsarum corporalium conditionum, II, 739 C. Quid judicandum de medico qui nutriat morbum in mora præsidii, et periculum extendat dilatione remedii, quo pretiosius aut formosius curet, II, 272 A. Medicus mirandus quod ferme pares adhibet qualitates medelarum adversus qualitates querelarum, II, 132 A. Nam calores caloribus amplius onerando compescit, et ardores siti potius macerando restinguit, *ibid.* Fellis excessus amaris quibusque potiunculis colligit, et sanguinis fluxus defusa insuper venula revocat, II, 132 B. Medici omne contrarium vitali, salutari, auxiliari, extra naturæ cardines relegant, II, 723 A. Homo semper medico prior negotium facit, et sibimetipso periculum mortis attrahit, *ibid.*

Medorum regnum Romano antiquius, I, 432 A.

Megalenses ludi, I, 638 A.

Megarenses obsonant, quasi crastina die morituri, etc., I, 474 A.

Melampus in Græciam transtulit Bacchi orgia, I, 404 A.

Melampi initiationes Argis, I, 404 A.

Melchisedech incircumcisus et non sabbatizans, ad sacerdotium Dei allectus est, II, 602 A. Unde sacerdos Dei summi nuncupatus, si non ante leviticæ legis levitæ fuerint, qui sacrificia Dei offerebant, II, 600 B.

Melitus, Socratis accusator, I, 647 B.

Mellis et lactis societate suos infantat Deus, II, 263 A. Vid. Baptismus.

Memoria thesaurus omnium studiorum, ex Cicerone, II,

Digitized by Google

688 A. Sensuum et intellectuum est salus, *ibid.* Quod memoria suppetit, sanitas mentis est, II, 720 A. Tanta ejus gloria quanta injuria oblivionis, II, 688 A.

Memoriæ, seu monimenta, I, 586 A. 4

Menander Samaritanus, Simonis discipulus, II, 754 B, 756 A. Ejus doctrina de Baptismo, II, 61 B, C.

Menander Ephesinus, I, 387 B. Ejus delicata vestis, II, 1043 B. Balnearum ejus cornicum, II, 735 A. Error Menandri de corporum creatione, II, 801 A.

Mendacium non ædificatur sine demolitione veritatis, II, 281 C. Cupiditatis est minister, II, 676 A. Nemo ad suum dedecus mentitur, quin potius ad honorem, I, 413 B. Religionem suam mentiri summum nefas, I, 403 B. Magis fides prona est adversus semetipsos confitentes, quam pro semetipsis negantes, I, 455 B.

Mendesius Ptolomæus, I, 387 B.

Mendicabant Cybelis sacerdotes, I, 346 A.

Menedemus, philosophus, Providentiæ fuit vindex, I, 580 A. Probavit græcam Veteris Testamenti interpretationem, *ibid.* Septuaginta duos interpretes de sententiæ communione suspexit, *ibid.*

Menelaus insequitur Helenam amissam, II, 709 B.

Mensæ præstigiis dæmonum divinantes, I, 411 A.

Merces a Deo exactore et remuneratore, I, 460 A. Merces a libero arbitrio, II, 292 B. Pro mercedum differentia, operarum quoque credenda distantia est, II, 434 C. Merces et periculum de resurrectionis pendet eventu, II, 823 A. Vid. Inferi. Meritum.

Mercimoniorum quæstuosa pericula exercere, cum lucri cupiditatibus, I, 1262 A.

Mercurius primus litteras enarravit, II, 87 B. Inventor litterarum, I, 616 C. Primæ vestis auctor, II, 1038 A. In calvitio pennatulus, in caduceo ignitulus, I, 576 C. Ab histrionibus repræsentatus gladiatores mortuos cauterio examinans, I, 392 A. Oviculam digublavit, II, 1038 B.

Mercurius Trismegistus, magister omnium physicorum, II, 567 A.

Mercurii Ægyptii sententia de anima, II, 705 B. Illum Plato veneratus est, II, 649 A.

Mercurius Gallorum, II, 136 C. Grandiores personas immolabant ei, I, 316 A.

Meretrices non easdem vestes gerebant quas matronæ, I, 302 A. Vid. Attica.

Meritorium factus est mundus, II, 550 B.

Meritum a libero arbitrio, II, 292 B. Promereri nolle, delinquere est, II, 917 B. Par factum par meritum habet, I, 1264 C. Meritorum varietas adstruitur, II, 134 C. Meritorum nomine ordo resurgentium disponetur, II, 558 B.

Meropes, II, 1032 B.

Messenius Dissæarchus, II, 670 A.

Messiæ columnæ, II, 659 C.

Metallo damnati Christiani, I, 341 A, 480 A.

Metallorum opera nudaverunt dæmones, I, 1306 A.

Metellus deum Alburnum invenit, II, 266 C.

Metempsycosis, quid, II, 711 B. Solide refutatur, II, 697-711.

Metensomatosis, quid, II, 702, *sq.*, 708 B.

Metus in Deum ubi est, ibi gravitas honesta, et diligentia attonita, et cura sollicita, et adlectio explorata, et communicatio deliberata, etc., II, 58 B.

Midas ingentes aures suas Sileno tradidit, II, 649 A. Midæ rosetum, II, 98 B, 1036 A.

Migrationes solemnes populorum, II, 700 A.

Milesii oves, II, 1039 A.

Miles pulchrior est in prælio amissus, quam in fuga salvus, II, 112 B. Olea coronabantur milites, II, 94 A. Nemo miles ad bellum venit cum deliciis, nec de cubiculo ad aciem procedit, I, 624 A. Sic Christiani ad militiam Dei sunt vocati, *ibid.* Christi milites sunt Christiani, II, 927 A. Dominus in Petro exarmando militem omnem discinxit, I, 691 A. Militum exercitia in pace et in bello, I, 624 A, B. Eorum ornatus et arma, II, 76 B, 93. Apud Deum, tam miles est paganus fidelis, quam paganus est miles infidelis, II, 93 A.

Milites Mithræ quomodo initiati, II, 102.

Militia an in totum Christiano conveniat, I, 690 A, B; II, 91 B, *sq.* Licita est usque ad caussam coronæ, II, 94 A. Nec delictorum impunitatem, aut martyriorum immunitatem permittit, II, 93 A.

Militia regiarum familiarum, II, 93 A.

Milliariorum somnia, II, 555 C, *sq.*

Milliarium ævum Platonis, II, 700 C.

Miltiades, Ecclesiarum sophista, II, 548 A.

Mimus petulantior Herculem in scena repræsentat, I, 302 A; et mima impudens Minervam, I, 560 A. Spurcitiam mimus etiam per mulieres repræsentat, sexum pudoris exterminans, I, 649 B. Mimicæ ineptiæ, *ibid.*

Minerva, artium et armorum dea, II, 94 A. Prima navem molita est, II, 87 B. Illi tribuunt lanificii dispensationem structuramque telarum, II, 1039 A. Quam absurde ob oleæ inventionem ab ethnicis facta dea, I, 534 A. Ejus et Junonis judicium, I, 559, *sq.* Cum urbem Athenas moliretur, nihil aliud quam regionis naturam prospexit, ac optima ingenia pollicita est, II, 683 A, B. Urbem suam a Xerce non defendit, I, 607 B. Trulla Minervæ, I, 344 B.

Minervalia, I, 644 B.

Minois et Rhadamanti tribunal et judicium, a Platone et a poetis decantatum, I, 415 A.

Miraculis pluribus Christus se Λόγον Dei probavit, ac Deum se esse et hominem, I, 400 A, B. Vid. Natura.

Miracula, si qua apud ethnicos, in testimonium illis fiunt, II, 738 A. Malis dæmonum artibus facta sunt, I, 406 A. Castoris et Pollucis phantasmata induti, victoriam de Perseo rege annuntiarunt, I, 409 A. Barbam tactu inrufatam fecerunt, I, 410 A; navem cingulo permotam, *ibid.*; aquam cribro gestatam, I, 409 A.

Miscellanea Ptolemæi, II, 562 B.

Misericordiæ mater patientia, I, 1231 A. Misericordiarum pater idem qui misericors, miserator et misericordiæ plurimus dictus est, II, 498 A.

Mithræ initiationes, II, 54 A, 102 A. Ejus leones aridæ et ardentis naturæ sacramenta philosophantur, II, 261 A.

Mithridates, ex somnio, Ponti potitus, II, 728 A.

Modestiæ laus, II, 915 A. Pudori procurat, I, 1288 A. Nihil Deo acceptius modestia, II, 911 A. Modestia Christianorum quanti modestiæ ethnicorum præstat, I, 511 A. Tam sancti viri est sufferendi si virginem viderit, quam sanctæ virginis si a viro visa est, II, 891 B.

Monarchia Dei, quid, II, 158 A.

Monarchiani hæretici, II, 164 D.

Monogamia an onerosa, II, 932 A, B. Ejus disciplina neque nova est, neque extranea, immo et antiqua et propria Christianorum, II, 933 D. Apud ethnicos in summo est honore, II, 928 B. In ipsis animalibus recognoscitur, ne vel bestiæ de mœchia nascerentur, II, 933 A.

Monogamia Adæ et Evæ ad finem usque perseveravit, II, 934 B. Primus eam solvit Lamech, *ibid.*, C.

Monogenes, æon pater, II, 552 A.

Montes aruntur et durant, I, 528 A. Quomodo dulcorem distillarint, II, 326 C. Conchæ in montibus inventæ, II, 1033 B.

Mons Christus, sine manibus conoidentium præcisus, implens omnem terram, II, 604 A.

Montanus docet sæpius jejunare quam nubere, II, 954 C. Ejus jejunia, II, 970 B, *sq.* In Montano plura dixit Paracletus quam Christus in Evangelio protulit, II, 72 B. Nec tantum plura, sed etiam meliora atque majora quidam dixere, *ibid.*

Montanistarum jejunia, II, 954 C. An illorum errores probaverit Romanus Pontifex, II, 155 B.

Mopsi in Cilicia oraculum, II, 730 A.

Morbi somno contrarii, phreneticus et cardiacus, II, 725 A. Vid. Medicus, Medicina.

Mors est quæ carnem et sanguinem non modo corrumpit, verum etiam consumit, II, 869 B. Nulla mors non ruina membrorum est, II, 819 A. Ejus regnum nihil operatur quam carnis dissolutionem, II, 862 C. Non aliud determinatur quam disjunctio corporis et animæ, II, 695 A. Non ex natura hominem secuta est, sed ex culpa, ne ipsa quidem naturali, II, 738 B. Ex lege Dei, non ex hominis offensa, evenit, II, 942 A. Mori non solet, nisi quod nascitur, II, 764 A. Forma moriendi caussa nascendi est, *ibid.* Desinit vivere qui desinit fungi, II, 691 C. Etsi varii exitus morti, nullus ita lenis, ut non vi agatur, II, 739 A. Ipsa illa ratio operatrix mortis, vis est, *ibid.* Mortes immaturæ et atroces opera dæmoniorum fiunt, quos in cursibus deputant veteres, II, 748 A.

Mors, si non tota est, non est, II, 738 A. Quidam dicebant quod, extincto corpore, portio mortis cum animæ portione remaneat usque ad sepulturam, II, 737 B, C. Immatura morte præventos eo usque vagari istic, putabant ethnici, donec reliquatio compleatur ætatum, II, 746 A. Aliud mors, et aliud mortale, II, 875 B. Aliud mortale, et aliud mortalitas, II, 870 B. Mors non capit immortalitatem, mortale autem capit, II, 875 B. Portæ mortis adamantinæ, II, 857 B.

Mors ubique, et conscientia mortis et testimonium ubique, I, 618 B. Mortium frequentiæ pleraque vastant, I, 390 A. Cuncta moriuntur, ut reviviscant, I, 524, *sq.* Mortem ad nos pertinere negavit Epicurus, II, 721 A. Omnia finiri post mortem, etiam animam, existimabat Seneca, II, 721 A, 795 B. Post mortem nihil superesse vulgus existimat, II, 795 B. Mortem spiritaliter intelligendam quidam putant, II, 820 B.

Mortis imago, somnus, II, 724 B. Per hanc fide initiatis,

Digitized by Google

spem meditaris, discis mori et vivere, discis vigilare dum dormis, 724.

Mors Christiano utilis et suavis, Deo disponente, II, 133 A. Quam putas mortem, profectio est, I, 1264 A. An sit timenda, I, 614 *sqq.* Mortem timemus, quam evadere non possumus, I, 615 A. Metus mortis non tantus est quantus tormentorum, I, 625 A. Mortis contemptum docet philosophia, ut ait Zeno Eleates, I, 533 A. Mortis dolor vacare debet, cum constet de resurrectione mortuorum, I, 1263 B. Mors nostra dissolvi non poterat nisi per Christi mortem et resurrectionem, I, 1212 C. Mors Christi pondus et fructus Christiani nominis, I, 332 B. Pro alterutro mori parati erant Christiani, I, 471 A. Mortis fidelis et gentilis differentia, II, 745 A.

Mortem homicidiis consolabantur ethnici, I, 645 A. Apud Barbaros Ponti maledicta erat mors eorum qui ita discesserint, ut escatiles non fuerint, II, 247 A. In articulo mortis multi ex præsidibus gentilibus confessi sunt se in Christianos deliquisse, II, 702 A, B.

Mortui vocabulum corpori competit, II, 491 C, 819 B. Olim coronabantur mortui, II, 89 C. Quod et quale thus a Christianis adhibitum in mortuis sepeliendis, I, 493 A, 676 A. Patientia temperandum mortui desiderium, I, 1264 A. Impatientiæ non excusatur doloris affectio in amissione charorum, I, 1263 B. Mortuum suscitari nihil aliud est quam integrum fieri, II, 878 C. Pro defunctis orandum et refrigerium eis adpostulandum, II, 942 C. Oblationes publicæ pro defunctis, II, 737 C. Oblationes et orationes pro illis annua die faciebant Christiani, II, 79 B, 942 C. Animas defunctorum humano sanguine propitiari olim creditum est, I, 644 C. Vid. Defuncti.

Moschion putabat animam per totum corpus ventilari, II, 671 B.

Motus substantiva res non est, sed accidens, II, 250 B. Non ad substantiam pertinet, sed ad substantiæ habitum, II, 251 A. Omnia moventur aut a semetipsis aut ab aliis, II, 230 B. Motuum omnium primus auctor Deus, I, 590 C. Perpetuitas motus, divinitatis ratio, II, 725 B. Deus compositæ, materia incomposite movetur, II, 235 C. Motus Dei liber et æternus, *ibid.*

Moyses, primus prophetes, I, 382 A. Propheticus, non poeticus pastor, II, 83 A. Antiquior Saturno nongentis circiter annis, II, 697 A. Inacho coævus, I, 586 A. Danao quanto antiquior, *ibid.*; et clade Trojana et Homero, I, 387 A. Ante Lycurgos et Solonos erat, II, 305 A.

Moyses de proximo Dei arbiter, II, 937 A. An Deum viderit, II, 622 B. Moysi locutus est Filius Dei, *ibid.* Moysi causato linguæ tarditatem Dominus os repromisit, II, 456 B. Manus ejus emortua et restituta, signum resurrectionis, II, 855 A, 876 C. Ei donatus est populus ad præsens, II, 326 B. Judæos docuit Deum colere, I, 403 B. Nihil illi cum Moyse, qui Deum Moysi rejicit, II, 763 B. Orans in monte, Christum præfigurabat, II, 348 A. Cur filium suum circumciderit, II, 602 B.

Moyses per vaticinationem usque ad suam ætatem scripsit historiam, I, 382 A. Non videtur primus, in templo suarum litterarum, Deum mundi dedicasse, II, 257 B. Ejus libri cæteris omnibus antiquiores, I, 387 A. Ad legem Moysi non ita attendendum, quasi ad principalem legem, sed ad subsequentem, quam certo tempore Deus et gentibus exhibuit, et repromissum per Prophetas in melius reformavit, II, 600 C.

Mulæ matronarum, I, 1301 B.

Mulier non natura nomen est uxoris, sed uxor conditione nomen est mulieris, II, 896 B. Mulieris uno nomine Spiritus sanctus etiam virginem intelligi voluit, II, 894 A, B. Mulieris vocabulum ad sexum pertinet, non ad gradum sexus, II, 895 A. Mulier et fœmina an idem sensus, I, 1185, *sq.* Mulierem nominando, quidquid est mulieris nominas, II, 895 A.

Mulier est diaboli janua, legis prima desertrix, I, 1305 A. Difficile mulier fit, II, 909 B. Christianarum mulierum habitus, I, 1321 A, 1333, *sq.* Habitus fœminæ duplicem speciem circumfert, cultum et ornatum, I, 1309 A. Mulierum superbus ornatus describitur, I, 1306 A, 1310 B, 1325 A. Apud Judæos velatæ incedebant, II, 80 B. Muliebris mundus, quid, *ibid.* Muliebribus vestibus qui vestitur, damnatur in lege, I, 635 B. Vid. Oculus, Luxus. Nullum virile munus in Ecclesia mulieri permittitur, II, 902 A; nec docere, nec tingere, nec offerre, *ibid.* Mulieres hæreticæ quam procaces, II, 56 B. Audent docere, contendere et forsitan tinguere, *ibid.*

Mulieres Romanæ olim aurum nesciebant, I, 302 A. Vino abstinebant, *ibid.* Mulieres ebriosæ a viris suis interfectæ, I, 302, *sq.* Sed postea, quam fœdæ mores mutati, I, 304 A. Vid. Vinum. Mulieres desponsatæ exemplum habent Rebeccæ, II, 904 B. Græca quædam mulier quinionem enixa filiorum, II, 696 A. Mulieris enitentis pudor pro periculo honorandus, et pro natura religiosus, II, 758 C. Mulier quæ theatrum adiit, inde cum dæmonio redlit, I, 657 B. Alia, quæ tragœdum audierat, ultra quintum diem non vixit, *ibid.* Vid. Attica.

Mulieres Ponticæ malunt militare quam nubere, II, 247 A.

Munditenens vocatus diabolus, II, 576 A.

Mundus a Deo creatus est, instructus et ordinatus cum omni rationis gubernaculo, I, 334 A. Ex nihilo fecit illum verbo, quo jussit; ratione, qua disposuit; virtute, qua potuit, I, 375 A, B. Bonitas Dei operata est mundum, justitia modulata est, II, 299 A. Mundus animatus Spiritu omnium animarum animatore, I, 324 A. Grande opus et dignum Deo, II, 260 A. Ex omnibus bonis consistit, I, 288 B. Ex diversis substantiis officiisque constat, II, 1032 B. Omnis situs, habitus elementorum, effectus, motus, status, ortus, occasus singulorum, judicia sunt Creatoris, II, 299 B.

Mundus ornamenti et cultus nomine est penes Græcos, II, 233 C. Κόσμον nomen ei accommodarunt, quare, I, 375 A. Cultior est de die in diem, et instructior pristino, II, 700 A. Omnia jam pervia, omnia nota, omnia negotiosa, *ibid.* Ubique domus, ubique populus, II, 700 B. Meritorium factus est mundus, II, 550 B. Mundus rotundus, sine capite, juxta Platonem, I, 591 C.

Mundum increatum dixit Pythagoras, I, 333 A. Illum innatum et infectum alii philosophi defendunt, II, 609 A. Plato docuit illum a Deo factum esse, I, 333 A. Ab angelis institutus fuit, juxta Simonem magum, II, 62 B, 708 B. *sq.* Anima mundi ignis, juxta Varronem, I, 589 B. Refellitur, *ibid.* Hæretici mundum per Dominum mundi interpretantur, II, 481 B.

Mundi totius habitus præteribit, II, 801 B, 833 B. Cum Romano imperio destruendus est, I, 447 A. Pro ejus mora afferenda Christiani in synaxibus Deum precabantur, I, 447 A, 468 B.

Mundus æmulus Dei, II, 898 B. Satanas et angeli ejus totum mundum repleverunt, II, 640 B. Munditenens vocatus diabolus, II, 576 A. Mundus carcer, quomodo, I, 622 A. Ejus catenæ, immunditiæ et tenebræ, quales et quantæ, *ibid.* Mortuorum est habitaculum, id est ignorantium Deum, II, 821 A. Vitium mundi, acquirendi cupido, I, 1283 A. Nemo sine Dei voluntate de sæculo educitur, I, 1285 A. Christus nunc crucis virtute ventilat mundum per fidem, postea ventilaturus per judicium, II, 346 B.

Municipes memorati, I, 387 A.

Municipales solemnitates, II, 76 A.

Munus dictum est ab officio, quoniam officium etiam minoris nomen est, II, 644 B, *sq.* Munia quæ ad peccatum inducunt, omnino deserenda, licet victus inde solum proveniat, I, 667.

Munera, diligentes Christo non placent, II, 457 B; neque sectantes retributionem, *ibid.*

Murtia, dea amoris, II, 640 A.

Musæus Athenis veneratus, II, 649 B. Athenienses initiationibus obligavit, I, 404 A.

Musicam ignorantes deridebat Anacharsis, I, 865 A.

Musicalia festa, I, 644 B.

Mutius manum suam dextram in ara cremavit, I, 532 A, 625 B; cum gaudio, II, 731 A.

Mutinus, sive Mutunus, Tutinus (Priapus), deus turpissimus, I, 423 A, 601 A.

Mysteria sua celabant Christiani, I, 308 A.

## N

Nabuchodonosor, cum suis regulis, ab India usque ad Æthiopiam habuit regni sui terminos, II, 611 B. Divinitus somniat, II, 731 C. Ejus pœnitentia, I, 1269 B. Confessio illum in regnum suum restituit, I, 1248 A.

Narniensium oppidum, I, 420 A. Eorum deus Visidianus, *ibid.*

Nasammonum propria oracula apud parentum sepulchra, II, 749 B.

Natales martyrum annua die recolebant Christiani, II, 79 A.

Natale idoli omni diaboli pompa frequentabatur, I, 674 B.

Nativitas legitima ferme decimi mensis ingressus est, II, 714 A. Vid. Decimus. Etiam septimo mense plena est, facilius quam octavo, *ibid.*, *sq.* Horum mystica ratio, *ibid.* Nativitas nostra reformata regeneratione cœlesti, II, 739 B.

Nativitatis Christi Romana archiva testes sunt, II, 370 C. Nove nasci debuit nativitatis novæ dedicator, II, 781 C.

Natura prima omnium disciplina est, II, 82 A. Animæ magistra, I, 616 A; II, 811 A. Natura, si quid est, rationale aliquid Dei opus esse credimus, II, 722 B. Eadem est foris quæ et intus, II, 907 A. Aut defraudatione aut enormitate rescinditur, proprietate mensuræ conservatur, II, 725 A. Veneranda est, non erubescenda, II, 695 C. Reverenda

Digitized by Google

ejus opera Marcion reprehendit, II, 336 A. Non potest se nolle quæ ita se diligit, ut, si cessaverit, non sit, II, 271 B. Cui natura nulla est, naturalia instrumenta non suppetunt, II, 266 B. Natura quædam nota sunt, II, 798 B. Quæ sint, *ibid.*

Naturæ interpolator diabolus, I, 1312 B. Eam infecit, delicti semine illato, II, 514 C. Alia natura, alia naturæ corruptio, II, 720 A. Naturam consecrare, II, 907 B. Universa conditio recidiva est, quomodo, II, 810 B, C.

Naturæ ordo describitur, II, 810. Plus est naturam demutare, quam facere materiam, II, 765 B. Naturæ mutationem jejunia merentur a Deo, II, 963 A. Omne quod est contra naturam, monstri meretur notam penes omnes, penes nos vero etiam elogium sacrilegii in Deum, naturæ dominum et auctorem, II, 83 A.

Naturalia demutabilia credi debent, II, 684 B. Naturalium scientia ne in bestiis quidem deficit, II, 688 B.

Naufragio liberati plerique, exinde repudium et navi et mari dicunt, I, 1241 A.

Nautæ ad symbolam semper exsultant, II, 562 A. Lascivia gaudiorum nauticorum, *ibid.*

Navem prima molita est Minerva, II, 87 B. Navis cingulo tracta diaboli operatione, I, 410 A.

Nazaræus cur vocatus Christus, II, 372 B. Cur Nazarenos Judæi vocabant Christianos, *ibid.*

Necessitas sanctior, I, 345 A. Amplectenda est occasio quæ adimit quod necessitas imperabat, I, 1286 A.

Necrothytæ voluptates, I, 646 B.

Nectabis, II, 747 B.

Negatio omnis idololatria est, sicut idololatria negatio, I, 693 B. A confusione formatur, II, 141 A. Negationem negationi rependit Deus, II, 140 C. Martyrii recusatio est, II, 115 C. Christum negare an idem ac in Christo vel se Christianum negare, II, 140 B, C.

Negator, qui fidem suam deserit, II, 23 A.

Negotiatio orbem universum invasit, II, 700 A. Prohibita primis Christianis ob idololatriæ et perjurii periculum, I, 676. Si cupiditas abscedat, quæ est caussa acquirendi, non erit necessitas negotiandi, *ibid.* A.

Nemæa sacra Herculi, I, 644 A.

Neophytos collocant hæretici, II, 57 A.

Neoptolemus tragœdus, in somnis admonitus, a ruina liberatur, II, 729 A.

Neptunales ludi, I, 638 A.

Neptunus equestris est, quem Græci ἵππιον vocarunt, I, 641 A; Consum Romani, I, 636 C. Laomedontis muros instituit, I, 352 A. Delphinos ei vovebant, I, 639 C.

Nero primus Romæ fidem orientem cruentavit, I, 292 A. Primus ex Cæsaribus in Christianos destrinxit gladium, II, 151 B. Inde ipsis honor, I, 293 A. Negat Suetonius eum umquam somniasse, II, 725 A, 733 B. Annis duodecim, mensibus novem et diebus tredecim regnavit, II, 616 A.

Nersia, seu Neurtia, Nortia, Nursia, Volsiniorum dea, I, 421 A.

Nerva relegatos Christianos restituit, I, 294 A.

Nestoris Cocetus, II, 562 B. Ejus mella facundiæ, II, 702 B.

Nicander, II, 749 B. Scriptor et pictor, II, 121 A.

Nicolaus, unus ex septem primis diaconibus, hæreticus, II, 63 A.

Nicolaitæ in Apocalypsi damnati, II, 63 A. Assertores erant libidinis atque luxuriæ, II, 280 C. Eorum stupra, II, 46 B. Idolothyta edebant, *ibid.* Eorum fœdus et sacrilegus error, II, 63 A.

Nicolaitæ, alii hæretici, Caiani scilicet, II, 46 B.

Nigidius hæreticus prævertit vias Dei, II, 43 B.

Nigri et Nigriani, a Nigro dicti, et illorum factio, I, 457, *sq.* 699 B. Illius participes non fuerunt Christiani, *ibid.*

Nihilum Dei est, sicut et totum, I, 525 A.

Ninive, peccatrix, de exitio per pœnitentiam liberatur, II, 962 A. A Ninivitis Deus avertit destinatum exitium, II, 313 B.

Ninus, Beli progenies, rex Assyriorum, quo tempore regnaverit, II, 1035 A.

Noe, Enoch pronepos, I, 1307 B, *sq.* Ex naturali justitia justus inventus, II, 600 B. Incircumcisus, neque sabbatizans, de diluvio liberatur, II, 601 B. Ejus holocausta Deo grata, cur, II, 310 A. In delegatione prædicationis successit Enocho, I, 1307 B, *sq.*

Nomen ullum ex seipso nec bonum nec malum, I, 278, *sqq.* Nominum communio conditionibus præjudicat, II, 253 B. Habent fines suos inter dici et esse, I, 565 B. Fides nominum salus est proprietatum, II, 376 B.

Nomen simpliciter intelligitur professio Christianorum, I, 1163 A; II, 806 B, 851 B. Quomodo odium ejus esse possit, I, 278 *sq.* Vid. Christiani.

Nona dea, II, 713 A.

Nonacris Arcadiæ venenata Alexandrum occidit, II, 568 A, 734 B.

Noricorum peculiaris deus Belenus, I, 419 A, 596 A.

Nortia. Vid. Nersia.

Nosce teipsum, Pythiæ oraculum, I, 525 A.

Notarius cujusdam judicis ethnici, cum a dæmone præcipitatur, a Christiano liberatur, I, 705 A.

Notitia et fructus Dei optimum, II, 287 B.

Novum omne et incognitum subitum est, II, 420 A.

Nox somno legitime fruendo legem facit, auferens rerum etiam colorem, II, 722 B, C.

Noctem in orationibus ducebant Christiani, I, 477 A, 1296 A.

Nubes numerare dicebantur ab ethnicis Christiani orantes, I, 417.

Nudipedalia ethnicorum, I, 487 A; II, 976 C.

Nugas non facit sedulitas, I, 1288 A.

Numa Pompilius, introductor operosissimarum superstitionum, seu idololatriæ, I, 404 A, 429 A, 608 A.

Numentinus, deus Atheniensium, I, 596 A.

Numerus post unum incipit, II, 923 A. Vid. Decimus, Primum. Numeri Pythagoræ, II, 703 B. Numeri Valentinianorum, II, 553, *sqq.*

Numidæ Cæsariati, II, 1040 A.

Nummus a Saturno primus signatus, I, 330 A.

Nundinæ, popularium libidinum lupæ, II, 1044 B.

Nuptiæ si non erunt, sanctitas nulla est, II, 282 A. Constant ex eo quod est stuprum, II, 923 A. De aspectu et animo fiunt, sicut stuprum, II, 905 A. In nuptiis auspex aderat ex parte viri, II, 928 B. Non contrahendo a Christiano cum ethnicis, et cur, II, 696 A. Nubere in Domino Apostolus jubet, I, 1290 A. Nubi ibi ubi et mori, II, 455 C. Christianis sæculo digressis nulla repromittitur nuptiarum restitutio in diem resurrectionis, II, 1276 A. Nuptias Marcion abstulit, II, 247 B, ut malum et impudicitiæ negotium, II, 282 A. Non eas projiciebat Tertullianus, sed deponebat, nec præscribebat, sed persuadebat sanctitatem, II, 279 C. Non magis primas nuptias aufert, si secundas recusas, quam cibos reprobat, si sæpius jejunas, II, 950 C, D.

Nuptiæ secundæ non sunt ineundæ, II, 913 B. Nubendi modus ponitur apud Montanum, Paracleto auctore. II, 281 B. Nuptias secundas damnabat, II, 983 B. Vid. Matrimonium, Monogamia.

Nus, æon, II, 551 B.

Nymphodorus, scriptor, II, 749 B.

## O

Obœdientiæ præclarum exemplar in Abraham, *I, 1164* A. Deo non obedire, quam injustum et ingratum, I, 1255 A, B. Vid. Obsequium.

Obeliscus enormis Soli prostitutus, I, 640 A. Scriptura ejus de Ægypto superstitio est, *ibid.*

Oblationes Abel cur Domino acceptæ, II, 310 C. Oblationes pro natalitiis martyrum, pro defunctis, annua die faciebant Christiani, II, 79 B, 926 C.

Oblivionis an capax anima, II, 687 B. Oblivionis recordationem præcedentis vis unde, II, 689 A, B. An a tempore, *ibid.* Vid. Memoria.

Obodan, deus Arabum, I, 596 A.

Obsequium artificium promerendi est, I, 1253 A. Ad exhibitionem obsequii, prior est imperantis auctoritas quam utilitas servientis, I, 1234 A. Non quia bonum est, idcirco auscultare debemus, sed quia Deus præcepit, *ibid.* Domino Deo obsequii exhibitio a nobis debita, I, 1255. Obsequii ratio ex similitudine animorum constituta est, *ibid.* Nemo patitur malo obsequi, II, 376 B.

Observatio inveterata tenenda, etsi nulla scriptura eam determinavit, certe consuetudo corroboravit, si tradita prius est, II, 967 A. Observationis necessitas agnoscitur cum eluxit rationis auctoritas a primordio recensendæ, II, 937 B. Vid. Consuetudo, Traditio.

Observationum christianarum rationem natura defendit, quæ prima omnium disciplina est, II, 82 A.

Obstetricibus ægyptiacis cur Deus benefecerit, II, 417 B.

Occidere est carni animam eripere; vivificare, contrarium, II, 835 C.

Ochus, qui et Cyrus, II, 614 A.

Ocriculanorum dea Valentia, I, 421 A.

Octavæ festorum seu solemnitatum Christianorum, I, 682 C, *sq.* Festa gentilium eas non habebant, *ibid.*

Oculi mulierum in exordiis nigro pulvere ornati, I, 1306 A. Fuligine eos collinebant, I, 1321 A. In quo Deum offendebant, *ibid.* Oculos et suspiria adolescentium post se trahunt comptæ mulieres, I, 1320 A. Oculorum propria tormenta in barathro, quæ, II, 845 C.

Digitized by Google

Odii excitas, I, 280 A. Odii justitia non de eventu, sed de conscientia, probanda est, *ibid.* Odisse quem non noveris, summa perversitas est, I, 261 A. Odium tunc solummodo res meretur, cum cognoscitur an mereatur, *ibid.* Odium gentilium erga christianum nomen, I, 261, *sqq.* Vid. Christiani, Nomen.

OEdipus personatus a Macedonibus derisus, I, 325, 581. Scelus ejus repræsentatum laudabant ethnici, *ibid.*

OEnotria, postea Italia cognominata, I, 330 A, 602 C.

Offensa comes est frustratæ voluntatis, II, 277 C.

Officiales coronæ, II, 93 B.

Ogdoadæ Valentinianorum, II, 46 B.

Oleo ungebantur catechumeni in Baptismo, I, 1207 A; II, 262 A. Per oleum curantur infirmi, II, 705 B.

Ollæ undique ebullientis motus, II, 234 A.

Olympia, sacra Jovi instituta, I, 644 A.

Olympias, Alexandri mater, II, 727 B.

Omne totum est et integrum, et nulla sui parte defectum, II, 900 B.

Omphale, scortum Herculis, I, 605 B; II, 1041 B, *sq.*

Onager Judæis in deserto fontem aquæ indicavit, I, 364 A.

Onochoetis fictus a nebulone Judæo Christianorum Deus, I, 364 A, 579 B.

Operationis tempus in carne, II, 496 D. In omni operatione tria principalia, II, 215 B, C. Vid. Opus.

Ophitæ, hæretici serpentem colentes, II, 63 B, *sq.* Eorum æones, II, 64 A, B.

Opimitas sapientiam impedit, exilitas expedit, II, 683 B.

Opinio omnis a sensu, I, 675 A. Inter opinionem et veritatem multa distantia est, I. 563 B.

Opus inferius artifice sit necesse est, II, 295 C. Dei opera incolere nemo dignus, nisi ipsius imago et similitudo, II, 288 B. Si ex aliqua materia sint, hoc ipso tamen ex nihilo, dum non id fuerunt quod sunt, II, 290 A.

Operam Legis juga rejecta sunt, non disciplinarum, II, 989 C.

Opera vere bona et christiana, quæ, I, 1294, *sqq.* Opus certum nullum est mercedis incertæ, II, 823 A. Vid. Bonum, Meritum.

Oracula quomodo apud ethnicos fundebantur, I, 413 A. Fiebant dæmonum præstigiis, I, 408 A. Eorum ambiguitates, I, 408, *sq.*

Oratio ducit spiritum ad Deum, II, 926 A. Qui orat, prope est cœlo, *ibid.* Sola est oratio quæ Deum vicit, I, 1193 B. Diluit delicta, tentationes repellit, persecutiones extinguit, pusillanimes consolatur, magnanimos oblectat, peregrinantes deducit, fluctus mitigat, etc., etc., I, 1196 A. Orationis officia, I, 1164 A. Murus est fidei, arma et tela nostra adversus hominem qui nos undique observat, I, 1196 A. Oratio de conscientia procedit, II, 926 A. Si conscientia erubescit, erubescit oratio, II, 926 A. Omni omnino confusione animi libera debet esse orationis intentio, I, 1167 A. Orat omnis creatura, I, 1196 A, B. Quam temerarium sine oratione diem transigere, *ibid.* Omni momento hominibus necessaria est oratio, II, 926 A. Orandum ante cibum, I, 1193 B; ante lavacrum, *ibid.*; atque in ingressu lucis et noctis, *ibid.* Noctu ad orationem surgendum, I, 1294 B, 1296 A. Jejuniis preces alendæ, I, 1244 A. Quidam ante omnem orationem totum corpus abluebant, I, 1168 A. Post orationem sedendi mos, unde, I, 1171, *sq.*

Oratio legitima, quæ, I, 1165 A, 1195 A. Deus solus docere potuit ut se vellet orari, I, 1265 A. Orationis religio ab ipso Christo ordinata, *ibid.* Ex tribus constituta est Dominica oratio: ex sermone quo enuntiatur, ex spiritu quo tantum potest, ex ratione qua docetur, I, 1151 A. Propriis orationibus præmittitur Christi oratio, I, 1165 A.

Orabant Judæi ter per diem, I, 1193 A. Eorum littorales orationes, I, 579 B. In quæ verba Joannes docuerit orare, non exstat, I, 1152 A.

Orabant Christiani manibus expansis, I, 442 A, 1171 A; ad regionem Orientis conversi, I, 370, *sq.*, 579 A; sine monitore, de pectore intimo, I, 443 A; capite nudo. I, 442 A; de carne pudica, anima innocente et de Spiritu sancto, I, 444 A. Quantum eorum precum vis Deo grata, I, 468 A. In publicis synaxibus, nocte ad preces fundendas surgebant, I, 273 A, 381 A, 468 A, 477 A; II, 79 B. Deum orabant pro omnibus, I, 468 A; et pro mora finis mundi, *ibid.*, B. Precabantur ante et post cibum, I, 477 A.

Orabant ethnici deos suos, prævio monitore, I, 443 A. Precabantur expansis manibus, I, 442 A, ad Orientem conversi, et cur, I, 371 A, 579 A; sed idololatria et quolibet scelere polluti, I, 463 A.

Orbana dea, I, 606 A.

Ordinatio, I, 1256 A. Omnes hæreticorum ordinationes temerariæ, leves, inconstantes, II, 757 A.

Ordo a principalibus deducendus, II, 297 A. Inter ordinem et plebem differentiam constituit Ecclesiæ auctoritas, II, 922 B.

Orestes insanus matrem in sorore vidit, II, 675 C.

Orientis virtus, quid, II, 339 A.

Oropus Amphiarii habebat oraculum, II, 730 A.

Orpheus veneratus Pieriæ, I, 403 B; II, 649 B. Liberi sacra et festa introduxit, I, 403, *sq.*

Orpheus auctor, I, 649 B.

Os cur homini datum, II, 882 B. Oris spelunca, *ibid.*

Oscula libidinem inflammant, II, 909 C. Fœminis dabatur osculum a maritis et a propinquis, ut experirentur an vinum bibissent, I, 303 A. Postea fuit prohibitum ob earum intemperantiam, I, 304 A.

Osculo Christus tradi debuit, II, 463 A.

Osculum pacis est signaculum orationis, I, 1176, *sq.* In sacrificiis dandum, I, 1177, *sq.* Non dabatur diebus ante Pascha, I, 1178 A.

Osidius Geta Medeam tragœdiam ex Virgilio plenissime expressit, II, 53 A.

Osiris semper sepelitur, et in vivido quæritur, et cum gaudio invenitur, quid significet, II, 261 A.

Osiris idem qui et Liber, II, 85 B.

Ossa quingentorum fere annorum adhuc succida, et capilli olentes visi sunt Carthagine, II, 834 C.

Otho imperator regnavit mensibus tribus et diebus quinque, II, 616 A.

Ovis evangelica proprie est Christianus, II, 992 A. Oves Dei, Christiani, II, 105 C.

Ova honori Castorum adscribunt, cur, I, 639 C.

## P

Pacuviana testudo, II, 1037 A.

Pænulæ usus cur et a quibus excogitatus, I, 301 A; in theatrorum spectaculis, et cur, *ibid.*

Pagani. Vid. Ethnici.

Palæstrica diaboli negotium est, stadii spectaculum, I, 651 A.

Pallas Attica a crucis stipite non distinguitur, I, 366 A. Vid. Minerva.

Pallium, qualis habitus, II, 1031 A. Nihil eo expeditus, etiamsi duplex, II, 1046 B. Grande ejus beneficium, sub cujus recogitatu improbi mores vel erubescunt, II, 1030 A.

Palmæ septuaginta in deserto, septuaginta discipulos præfigurabant, II, 563 A.

Palmata vestis, quæ, I, 531 A.

Palos terminales figere Deo, II, 969 B.

Pancarpon, quid, II, 563 A.

Pandoræ caput primum coronatum est a Charitibus, cum ab omnibus muneraretur, II, 84 C. Hesiodi Pandora, II, 562 B.

Panis quotidianus, quid, I, 1160, *sq.*

Panem Christus corpus suum appellat, I, 1160 A; II, 461 A. Acceptum et distributum discipulis, corpus suum illum fecit, II, 460 C. Pane corpus suum repræsentat, II, 262 A. Panis et calicis sacramento, corporis et sanguinis dominici veritas comprobata, adversus phantasma Marcionis, II, 489 A. Vid. Eucharistia.

Pantomimus a pueritia patitur in corpore, ut artifex esse possit, I, 649 B. Pantomimi, sumpta deorum larva, super corpora occisorum aut morientium saltabant, I, 576 B.

Papiæ leges, I, 286 A. Cur vanissimæ vocentur, I, 287 A. Eas Severus imperator abrogavit, I, 286, *sq.*

Parabola de nullo non convenit, II, 838 A. Ejus interpretatio quomodo sit ineunda, II, 996 B. Cur in parabolis Judæis locutus sit Christus, II, 841 A, B.

Paracleti Montanici vis, II, 886 B, C. Multa docuit quæ in illum distulit Dominus, II, 930 B. Deductor est omnis veritatis, II, 103 A. Solus a Christo magister et dicendus et verendus, II, 890 B. Ejus administratio, quæ, *ibid.* A. Novam doctrinam Montanistis subministravit. II, 931 B. Monogamiæ potius est restitutor quam institutor, *ibid.*

Paradisus est locus divinæ amœnitatis, recipiendis sanctorum spiritibus destinatus, I, 520 A; II, 297 B. Ejus janitrix romphæa nullis cedit, nisi qui in Christo decesserunt. II, 747 A. Paradisi clavis tuus est sanguis, *ibid.* In paradisum revocabitur homo qualis inde pulsus est, II, 833 C. Vid. Cœlum, Inferi.

Paralysis mentem prodigit, II, 683 B.

Parasceve jejuniis dicatur, II, 973 A.

Parasiti affectant, ad gloriam famulandæ libertatis sub auctoramento ventris, inter contumelias saginandi, I, 475 A.

Paredri spiritus, II, 698 B.

Parietes Tyriis et hiacynthinis et regiis velis pro pictura abutuntur, I, 1312 A.

Digitized by Google

Paris de tribus deabus judicium tulit, I, 559, *sqq.* Ab histrionibus decantatum, *ibid.*
Parricidium multum differt ab homicidio, I, 316 A.
Parthenius audaciores Romani, I, 457 A.
Partiarii erroris Marcionis Judæi, II, 343 A.
Particula conjunctiva, II, 221 B.
Partula, dea quæ partum gubernat, II, 713 A.
Pascha figura Christi, II, 486 A. Pascha Domini, id est passio Christi (seu Parasceve), II, 630 B. Diem Paschæ ad patiendum Christus elegit, II, 460 A. Hac die, qua communis et quasi publica jejunii religio est merito, deposuimus osculum, I, 1178 A.
Pascha celebramus annuo circulo in mense primo, II, 973 A. Blastus, hæreticus judaizans, dicit non aliter Pascha custodiendum esse, nisi secundum legem Moysi, die quarta decima mensis, II, 72 B. Paschæ noctem Christiani pervigilabant, I, 1294 B. A Paschæ die in Pentecosten usque gaudebant, II, 80 A. Tempus illud in omni exsultatione decurrendum, II, 973 A. Vid. Genuflexiones, Jejunia.
Pasiphae in Laconia oraculum, II, 730 A.
Passibile an omne corpus, vel omne passibile corpus, II, 657 B.
Passionis suæ Christus omne scriptum implevit, II, 460 B.
Pastor bonus Christus, II, 992 A. In calice depictus, II, 1000 C.
Pastor, liber Hermæ, apocryphus, II, 1000 B, C, 1021 A.
Pater, nomen pietatis et potestatis, I, 1154 A.
Pater æternus ante mundum conditum erat solus et non solus, quomodo, II, 160 A. Invisibilis est, II, 171 A, 187 A; impassibilis et incompassibilis, II, 194 C. Pater habeat Filium necesse est, ut sit Pater, II, 165 A. Pater ante de Filio testatus, quam Filius de Patre, II, 323 A. Pater tota substantia est, Filius vero derivatio ipsius et portio, II, 164 B. Domini nomen Patri accedit, quod et Filius per Patrem capiat, II, 480 C. Patrem descendisse in Virginem, ipsum natum et passum dicunt Praxeani, II, 154 D. Vid. Filius.
Pater sacrorum, I, 313 A.
Patriæ vivendum est, II, 1047 B. Vid. Pupica.
Patriarchæ incircumcisi fuerunt, II, 602 A, B. Pluriformiam matrimoniis usi fas eis fuit, I, 1277 A. Quam licentiam nova Lex sustulit, *ibid.* Non modo pluribus uxoribus, verum etiam concubinis conjugia miscuerunt, II, 921 A. Quod Deus indulsit donec mundus reparetur, *ibid.*
Patriarchas et Prophetas Christus ex inferioribus terrarum liberavit, II, 742 C, *sq.*, 657 A.
Patiens homo, quis, I, 1272. Nemo humilis, nisi patiens, I, 1267 A. Pro Deo pati non possumus nisi Spiritus Dei sit in nobis, II, 195 A. Non tamen ipse patiens, sed pati posse præstans, *ibid.* Pati idipsum quod aliis feceris, res amarissima, II, 306 A. Pati de Deo, quis ab ethnicis dictus, I, 413 A.
Patientiæ laus, I, 1271 B, *sq.* Ejus utilitas et voluptas, I, 1263 A. Ubi Deus, ibi et patientia, ejus alumna, comes et ministra, I, 1272 B, *sq.* Fidem subsequitur et antecedit, I, 1239 B. Dilectionem, Deo magistro, patientiam comitatur, I, 1268 B. Amoris inimicorum præcepto universa patientiæ disciplina succincta est, I, 1260 B. Dilectio patientiæ disciplinis eruditur, I, 1268 B. Patientiæ ratio et disciplina, quæ, I, 1273 A. Illius proprium, non æmulari, I, 1268 B. In detrimentis exercitatio est largiendi et communicandi, I, 1261 A. Negotiatio patientiæ in corpore, quæ, I, 1269 B. Detrimentum patientiæ fastidium opulentiæ præministrat, I, 1260 B.
Patientiæ exemplum Deus, I, 1251 B, *sq.* Divinæ patientiæ species, I, 1252 A, B, 1254 B. Patientia Dei est natura, effectus et præstantia ingenitæ cujusdam proprietatis, I, 1251 B. Patientia Christi I, 1252 B, *sqq.* Dei aures aperit, I, 1269 A. Patientiæ voluptate Christus discessurus volebat saginari, I, 1254 A. Ante Christum patientia non erat in terris, quia nec fides, I, 1260 A. Novam patientiam docuit, etiam vicem et recordationem injuriæ cohibens, II, 395 B.
Patientiam omnes philosophi unanimiter laudant, I, 1251 A. Ethnicorum patientia falsa, probrosa, I, 1273 A. Patientiam singularem suos docet diabolus, *ibid.*
Patina Acci, II, 562 B.
Patricius quidam senatu submotus, quia deum pondo libras argenti facti habebat, I, 299 A.
Patroclus funus de Achille flagitabat, I, 748 B.
Paulus, apostolus Christi, doctor nationum in fide et veritate, vas electionis, ecclesiarum conditor, censor disciplinarum, I, 1221 A; II, 527 A, 1009 A. Pacificus apostolus, I, 1216 A. Columna immobilis disciplinarum, II, 1011 A. Ejus laus, II, 789 A. Paulus in Genesi repromissus, II, 148 A, B, 469 C. In Benjamin portenditur, II, 148 A; et in Saule, II, 470 A. De tribu Benjamin ortus, II, 469 C. An solus Baptismum Christi induerit, I, 1215 A. An eamdem doctrinam cum cæteris Apostolis prædicaverit, II, 35, *sq.* Apostolos reprehendit quod non recto pede incederent, II, 208 B, 364 C, 474, A, B. At de Lege tantum erat quæstio, II, 474 A. In Petro non ignorantiam aliquam reprehendit, sed conversationem, II, 35 Petrum invisit ex officio et jure fidei et prædicationis, II, 35 C. Calefecit tamquam nutrix parvulos fidei, quomodo, II, 949 C.
Paulus civitatis Romanæ consequitur nativitatem, cum illic martyrii renascitur generositate, II, 151 B. Apostolus factus de persecutore, primus Ecclesiæ sanguinem fudit, II, 148 A. Evangelium sanguine suo signatum reliquit, II, 366 C. Romæ, II, 49 B, distrahitur, II, 151 A. Joannis Baptistæ exitu Romæ coronatur, II, 49 B. Bene quod Petrus Paulo in martyrio adæquatur, II, 36 C, *sq.* Per Neronis sævitiam sanguinem christianum seminarunt, I, 403 A.
Paulus græco sermone scripsit epistolas, I, 1196 A. Illi perperam adscripta opera ab Asiæ presbytero, I, 1219 A. Cerdon apostoli epistolas neque omnes neque totas recipit, II, 70 C.
Pauperes Dominus semper justificat, et divites prædamnat, I, 1260 B. Oratio alit pauperes, I, 1196 A. Lucrum est pietatis nomine facere sumptum, si pauperes adjuventur, I, 474, *sq.* Quanta charitate pauperibus subvenerint Christiani, I, 470 A.
Pauper spiritu nullus nisi humilis, I, 1267 A.
Paventina, dea, I, 600 C.
Pavor, deus, I, 600 C., ab Hostilio inventus, II, 166 C.
Pavus pulcherrimus, et quo velit colore cultissimus, II. 1030 B: sed tacent pinnæ, et displicet vox, II, 707 A. Hortensius orator primus pavum cibi gratia potuit occidere, II, 1048 B. Pavum se meminit Homerus, Ennio commiante, II, 707 A, 708 B.
Pax piorum bellum est Satanæ, I, 621 A. Vid. Occulta. Jus pacis communicabatur per ecclesias, II, 891 A. Episcopus Romanus dat pacem et revocat, II, 155 B. Pax pœnitentibus concessa, I, 621 A; II, 42 B; a martyribus, I, 621 A. Hæretici pacem cum omnibus miscent, II, 36 B.
Peccator traditur diabolo quasi carnifici, in pœnam, II, 106 A. Ante veniam deflere se debet, quia tempus pœnitentiæ idem quod periculi et timoris, I, 1238 A. Peccatoris restituti exemplum et pericula, I, 1241 A, B.
Peccatum originale adstruitur, I, 815 A.
Peccatum nisi malum factum dici non meretur, I, 1230 B. Voluntas facti origo; non enim *nisi voluntate* deliquitur, I, 1232 B. Non facti tantum, sed et voluntatis delicta vitanda, et pœnitentia purganda, *ibid.*, A. Omne peccatum impatientiæ adscribendum, I, 1258 B. Sunt peccata carnalia et peccata spiritalia, I, 1252 A. Septem peccata capitalia, II, 575 A, B. Peccata media et modica, II, 985 B. Maxima aut summa, *ibid.* Sine dubio idololatriam admittit quicumque delinquit, I, 664 A. Munia quæ ad peccatum inducunt, omnino deserenda, I, 667. Non id damnatur in quo male fit, sed id quod fit, II, 497 A. Minis horrendis Creatoris vix a malo avellimur, II, 300 A. Solus Deus sine peccato, et solus homo sine peccato Christus, II, 720 B.
Peccatis omnibus, seu carne seu spiritu, seu facto seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem et veniam per pœnitentiam spopondit, I, 1253 A. Peccatorum obliterationem a Deo merentur jejunia, II, 963 A. An sint peccata remissibilia et irremissibilia, II, 985, *sqq.* Peccatorum venia, quam jucunda, II, 65 B. Oratio diluit delicta, lapsos erigit, cadentes suspendit, stantes continet, I, 1196 A. Vid. Delictum.
Pecunia propter animam, non anima propter pecuniam, I, 1262 A. Pecuniarum rem augentes, pecuniam animæ anteponunt, I, 1261 C. Pecuniæ ardor quomodo restinguatur, II, 506 A.
Pecudes usibus nostris a Domino provisæ et traditæ, I, 1255 A. Ab ethnicis adorabantur, I, 565 A. Orant pecudes et feræ, et genua declinant, et egredientes de stabulis ac speluncis, ad cœlum non otiosi ore suspiciunt, I, 1196 B.
Pelasgi memorati, II, 1031 B.
Peloponesum ab Amyclis occupatum, II, 700 A.
Penates unusquisque domi servatos colebat, I, 344 B.
Pentecoste, I, 682 C, *sq.* Ordinandis lavacris lætissimum spatium, I, 1222 A. Vid. Pascha.
Penula, quid, I, 501 A.
Peragenor deus, I, 600 C.
Peregrinantes deducit oratio, I, 1196 A.
Peregrinus se rogo immisit, I, 625 A.
Periculorum aversionem a Deo merentur jejunia, II 963 A. Periculi dubii nullus timor justus est, II, 985 C.
Peripatetici animam ex substantia quinta esse dicunt, II, 653 A.

Digitized by Google

Periphlegethon, seu Phlegethon, apud mortuos amnis, I, 520 A.
Perjuri aqua se tingebant in expiationem sceleris, I, 1203 A.
Permissio ex indulgentia est, II, 917 A. Quasi de invita venit voluntate, *ibid.* Non omne quod permittitur a Deo, ex mera et tota ejus voluntate procedit, *ibid.*
Perones effœminatissimi, II, 1046 B. In Peronibus uniones emergere de luto cupiunt, I, 1312 A.
Perpetua, martyr firmissima, I, 715 A. Ejus visio sub die passionis, *ibid.*
Persæ solem deum esse credebant et illum adorabant, I, 369 A. Eum in clypeis depictum habebant, I, 370 A. Persarum cum matribus incestus, I, 325 A.
Persecutionis status animadvertendus, utrum a Deo obveniat, an a diabolo, quo facilius de obitu ejus constare possit, I, 107 A. Persecutionis fontes, synagogæ Judæorum, II, 143 A. Persecutionis ardore uri, est probari de fidei tenore, II, 106 B. Oratio persecutiones extinguit, I, 1196 A. Quod agitur in persecutione, gloria Dei est probantis vel reprobantis, II, 104 A. Tempore persecutionis Deus magis creditur et timetur, *ibid.*; fides sollicitior est et disciplinatior, *ibid.*; soli timori et spei vacatur, *ibid.* Vid. Christiani, Ethnici.
Persæus ex Jove ortus, I, 606 A. Falsus deus, *ibid.* Inter sidera delineatus ab Arato, II, 142 A.
Personæ nomen a Tertulliano adhibitum, II, 167 C, D.
Persona Dei Christus est Dominus, II, 500 B. In persona una videmus duplicem statum, non confusum sed conjunctum, Deum et hominem Jesum, II, 191 C.
Persunda dea, I, 601 A.
Petroma, quid, I, 313 D.
Petitio omnis et decipere et decipi potest, I, 1221 B.
Petra Christus, multis modis et figuris prædicatus, II, 622 B.
Petrina acies, quæ, II, 622 B.
Petrus, Christo charissimus discipulorum, II, 387 C. Cur nomen ei mutatum, *ibid.* Petrus, ædificandæ Ecclesiæ petra, II, 34 B. In ipso exstructa est Ecclesia, II, 1025 A. Illi datæ sunt claves cœli, ac per eum Ecclesiæ, II, 142 C. An potestas solvendi et alligandi Petro sit emancipata ad delicta fidelium capitalia, II, 1026 A. Christum agnovit in Scripturis repromissum, II, 410 B. Non nisi in spiritu Moysen vidit et Eliam, II, 413 C.
Petrus primus baptizavit, II, 1026 B. In Tiberi baptizavit, I, 1203 B. Nihil illum latuit, II, 34 B. Reprehenditur ob inconstantiam, victus a Paulo, II, 35 *sq.*, 364 C, 474 A. Clementem ordinat Romanorum episcopum, II, 45 A. Petri ecclesia, II, 1025 A. Petrus cæditur, II, 151 A. Evangelium sanguine suo signatum reliquit, II, 566 C. Petrus Romæ passus, passioni Dominicæ adæquatur, II, 49 D, cum cruci adstringitur, II, 151 B. Vid. Paulus.
Phaeton, detrusus de cœlo ab histrionibus repræsentatus, I, 559 A.
Phanerosis puellæ Philumenes, II, 43 A, 71 C.
Pharao Deum negavit, II, 501 C. Cor ejus induratum, *ibid.*
Pharia, seu Faria, Farrea (Ceres), I, 566 A.
Pharisæi additamenta quædam Legi adstruendo, a Judæis sunt divisi, II, 61 A. Unde hoc illis nomen, *ibid.*
Pherecydes, Pythagoræ magister, II, 649 B, 698 B. Saturnum refert ante omnes coronatum, II, 85 A.
Phidiæ manus Jovem Olympium ex ebore molitæ, II, 803 A.
Philadelphus, Soteris successor, triginta annis regnavit, II, 614 B. Vid. Ptolemæus.
Philippus Macedo, nondum pater Olympiadis uxoris naturam obsignari videratanulo, II, 727 A.
Philochorus auctor, II, 729, *sq.*
Philomelæ medicamenta, I, 570 B.
Philopator septemdecim annis regnavit, II, 614 B.
Philosophia unde sic dicta, I, 384 A. Concussio est, exclusio et offanatio veritatis, II, 65 A, 652 A. Ejus veneficia, II, 630 A. Elinguis philosophia vita contenta est, ipse habitus sonat, II, 1049 A, B. Materia est sapientiæ sæcularis, temeraria interpres divinæ naturæ et dispositionis, II, 19 A. Habuit libertatem ingenii ad extendendos de anima retractatus, II, 650 B, C. Late quæruntur incerta, latius disputantur præsumpta, *ibid.* Hæreses a philosophia subornantur, II, 19 A. Ejus nomine ab Apostolo omnes hæreses damnantur, II, 321 A. Jejunantes a philosophia, nihilominus vivunt, II, 635 B. Vid. Dialectica.
Philosophus, animal gloriæ, II, 647 A. Verborum operator, rerum destructor, error amicus et interpolator, I, 314 A. Discipulus Græciæ et hominum, *ibid.* Philosophi corruptores, adulteri, I, 509, *sqq.* Homines gloriæ et eloquentiæ libidinosi, I, 516 A. Sapientiæ et facundiæ caupones, II, 651 B. Hæreticorum patriarchæ, I, 519 A; II, 19 A, 204 C. Illorum deus, quis, II, 317 B. Prior homo quam philosophus, I, 616 A.
Philosophorum quælibet secta apud ethnicos probata, I, 563 B. Ex iis soli condemnati qui illorum deos aspernabantur, *ibid.* Plures statuis et solariis remunerati, *ib.* Christianis plane dissimiles virtutibus, I, 502-514; ac scientia et disciplina, I, 507 A. Illorum improvidus animus, II, 636 A. Veritatem affectando corrumpebant, I, 504 A, 506 A. In principes suos latrabant, I, 502 A. Non poterant ejicere dæmones, I, 503 A; quos secundum deos esse putabant, *ibid.* Quos et quales deos finxerint, I, 347 A. Non magis quam alii deos venerabantur, I, 353, *sq.* Philosophus totum se ad famam comparandam dirigit, I, 507 *sqq.* Durus est cum veritatis fores pulsat, I, 609 B. Eorum enormis intentio solet plerumque nec prospicere pro pedibus, II, 636 A.
Philosophorum quorumdam opiniones absurdæ, I, 520 *sqq.* Refelluntur, *ibid.* Variis sectarum libidinibus inter se discordant, I, 1251 A. In solam patientiam concordant, *ibid.* Plus diversitatis invenitur inter philosophos quam societatis, cum et in ipsa societate diversitas eorum deprehendatur, II, 649 B. In incertum miscuerunt quod invenerant certum, I, 516 B. De veritate contra veritatem disputabant, I, 519 B. Prophetas legerant, II, 649 B. Plura ex Scripturis hausta corruperunt, I, 515, *sq.*, 520 A. Eorum ingenia Vetus Instrumentum interverterunt, I, 516 A, 519 A. Aliquando juxta nostra senserunt, II, 648 B.
Philosophi de Deo nihil certe proferre sunt ausi, I, 516, *sqq.* Mundum hunc innatum infectumque defendunt, II, 809 A. Ex contrariis universa constare condicunt, II, 657 C. Quidam ipsorum voluptatis nomen quieti et tranquillitati dederunt, II, 639 B.
Philumene, II, 18 B, 71 C, 763 A, 791 A.
Phœnix, seipsum funerans, renovat firmissimum resurrectionis documentum, II, 811 B. Vid. Iromus.
Phœnices in Africam eruetant, II, 700 A, 1035 B.
Phosphorus, frigidissimus rhetor latinus, II, 553 B.
Phrygæ hæretici, II, 72 A.
Phryges primi genus habuerunt, I, 570 B. Romanos pariunt, II, 1035 B. Phryges timidos comici illudunt, II, 685 B.
Phryne, meretrix Diogenis, I, 510 A.
Phthisis mentem servat, II, 683 B.
Phygellus frustratus circa veritatem, II, 828 B.
Physicorum magister Mercurius Trismegistus, II, 567 A. Physica superstitio pro deo habet elementa, II, 477 A. Cur tanta eorum dissensio de natura Dei, I, 587, *sq.*
Physcon, rex libidinosissimus, II, 1042 B.
Picturæ calicum, II, 991 C, 1000 C.
Pilatus, conscientia christianus, Tiberio Cæsari scripsit quæ a Christo acta erant, II, 403 A.
Pindarus et Callimachus Apollinem memorantur interfecto Delphine dracone, lauream induisse, II, 85 B.
Pisces maris, sanctior cibus, II, 262 B. In piscium cerebris lapidositas quædam invenitur, I, 1311 A.
Pisciculi Christiani, secundum ἰχθὺν nostrum Jesum Christum, in qua nascuntur, I, 1198 A. Nec aliter quam in aqua permanendo salvi sunt, *ibid.*, *sq.* Vid. Pyrrhus.
Pisistrati studium in instruendis bibliothecis, I, 379 A.
Piso et Gabinius consules, I, 305 A.
Placendi voluntas viris propter fœminas, et fœminis propter viros, vitio naturæ ingenita est, I, 1225 A. Nihil Deo perosius studio placendi, II, 911 A.
Plato, adolescentium corruptor, I, 510 A. Ejus superbia, I, 511 A, a Diogene calcata, *ibid.* Mella ejus facundiæ, II, 702 B. Ejus honor, II, 651 B, et christianismus, II, 20 B. Mercurio Ægyptio præcipue assuevit, II, 649 A. Ventris gratia Dionysio venditatur, I, 515 A. Per somnium moritur, II, 639 A.
Plato dixit Deum inventu difficilem, effatu impossibilem, I, 509 A. Divinam providentiam adseruit, I, 517 A. Angelorum existentiam non negavit, I, 405 A. Constituit Minois et Rhadamanti tribunal et mortuorum judicium, I, 415 A. Sidera deos habet, quod genus deorum ignemm appellat, II, 260 B. Ejus sententia de mundo, II, 1033 B; et de innata materia, II, 667 A; atque de immortalitate animæ, II, 795 C. Ejus sedem in capite ponit, II, 671 B. Hilariam eam partitur, per rationalem et irrationalem, II, 672 A, B. Quasdam vult esse substantias invisibiles, incorporales, supernundiales, divinæ et æternæ, quas appellat ideas, II, 678 A. Ejus error circa diluvium, I, 481 A. Plato, omnium hæreticorum condimentarium, II, 696 C. Quomodo, II, 687 A.
Platonici Deum incorporeum dixerunt, I, 517 A. Dei providentiam agnoverunt, *ibid.*
Plenitudo Creatoris in Christo, quæ, II, 530 A, B.
Pleroma et triginta æones introduxit Valentinianus, II, 68 A. In summis summitatibus præsidet tricenarius pleroma, Horo siguante lineam extremam, II, 577 A.
Plinius junior de Trajano quærit quid agendum sit de christianis, I, 272, *sq.* Vid. Trajanus.

Digitized by Google

Pluto mortuorum cadavera cum malleo deducere ferebatur, I, 362 A, 576 C.

Pluvia, Marco Aurelio imperante, divinitus impetrata, II, 293 A, 703 C. Vid. Imber.

Pluviarum pollicitatrix Virgo Cœlestis, I, 413 A.

Pœnitentia omnis confessio est delicti, II, 769 B. Ejus nomen in græco sono, non ex delicti confessione, sed ex animi demutatione compositum est, II, 314 A. Vid. Exomologesis. Pœnitentiæ caussæ, delicta, II, 985 A. Ejus stimulus ex fide, II, 403 B; instrumentum metus, I, 1240 A. Pœnitentia vita est, quum præponitur morti, I, 1233 B. Pœnitentia Deus mitigatur. I, 1243 A. Afflictatione carnis et spiritus de pristinis satisfacimus, I, 1223 A. Animæ et corpori communis est pœnitentiæ medela, I, 1232 A. In quantum non pepercris tibi, in tantum tibi Deus parcet, I, 1243 B. Tempus pœnitentiæ, tempus periculi et timoris, I, 1238 A. Pœnitentia non perit, quia patientiam invenit, I, 1268 B. Opera pœnitentiæ calamitatis publicæ tempore a Christianis acta, I, 486, *sq.*; et ab ethnicis, I, 487 A.

Pœnitentiæ fructus, venia, II, 1001 A. Omnibus delictis veniam per pœnitentiam spopondit Deus, I, 1233 A. Quoties delinquitur, toties ignoscitur, I, 1240 C. Frustra ageretur pœnitentia, si careret venia, II, 785 B. Pœnitentia in gratiam nos Domini revocat, I, 1231 B. Semel cognita atque suscepta, numquam posthac iteratione delicti resignari oportet, *ibid.* Ex pœnitentia maturescit emendationis fructus, II, 1001 A. Ubi emendatio nulla, pœnitentia necessario vana, I, 1228 A. Pigeat sane peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat, I, 1242 A. Redundantia clementis cœlestis, libidinem non faciat humanæ temeritatis, I, 1240 B.

Pœnitentia secunda est et una, I, 1243 B. Collocavit Deus in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat; sed jam semel, quia jam secundo, I, 1241 B. Debitor hujus, quis, I, 1242 A. Hujus pœnitentiæ operosior probatio, I, 1243 B.

Pœnitentia Dei, quæ, II, 311 C, 313 B, C. Pœnitentiam Deus in seipso consecravit initio mundi, I, 1229 A.

Pœnitentiæ confessio evenit etiam in bonis ad invidiam et exprobrationem ejus qui beneficii ingratus exstiterit, II, 312 A.

Pœnitentium ritus quanti et quales, I, 1243, *sq.* Voluntariorum pœnitentium disciplina eadem atque aliorum publicorum, I, 487 A.

Poetæ, quam vani, I, 609 B. Nihil aliud quam cantare amant. II, 707 A. Hæc nobis semper obmussant, quod neque audiamus certum, neque videamus, II, 677 B. Poetis nec vigilantibus credendum, II, 707 A. Eos civitate pellendos Plato censuit, et cur, I, 595 A. Prior homo quam poeta, I, 616 B. Poetæ sciebant esse dæmones, I, 405 A. Plura ex nostris Scripturis delibaverunt, vel etiam corruperunt, I, 515, *sqq.*, 520.

Pollio. Vid. Vedius.

Polycarpus ab Joanne ordinatus, II, 45 A. Smyrnæorum ecclesiam gubernavit, *ibid.*

Polycrate Samio nullus gentilium deus felicior, I, 337 A. Ejus filia crucem prospicit de solis unguine et lavacro Jovis, II, 728 B.

Poma Sodomorum contacta cinerescunt, I, 483 A.

Pompeiorum, seu Tarpeiorum, urbem Campaniæ, de monte suo perfudit ignis, I, 485 A, 571 B; II, 1034 B.

Pompeius Magnus solo theatro minor, I, 642 B. Theatro Veneris ædem superposuit, quare, *ibid.* Primus cerasa Romam attulit, I, 334 B, 606 B. Capta Hierosolyma, nullum in templo simulacrum invenit, I, 364, *sq.* Nullus Gentium deus eo sublimior, I, 337 A. Pompeii aræ trinæ, II, 1031 B.

Pontifex maximus Romanorum et Flaminica nubunt semel, I, 1287 A; II, 928 B, 933 A.

Ponti Euxini descriptio, II, 246, *sq.* Quam inhospitalis, II, 247 A. Gentes ferocissimæ inhabitant, si tamen habitatur in plaustro, II, 246 C. Malunt militare quam nubere, II, 247 A. Parentum cadavera convorant, *ibid.* Illarum libido promiscua et nuda, II, 246 C. Nihil tam triste et barbarum in Ponto, quam quod illic Marcion natus sit. II, 247 B.

Populi innumeri totam terram inhabitant, II, 700 A, B.

*PORTARE* Græci etiam pro eo solent ponere, quod est tollere. II, 373 A.

Portas duas Homerus divisit somniis, 726 C.

Potestates sæculi inimicæ Dei, quomodo, I, 690 A. Vid. Purpura.

Potina dea, I, 609 C.

Potus strictura xerophagiæ portio est, II, 963 B. Qualis esus, talis et potus, *ibid.*

Præcepta divina implere debemus, non quia bonum est, sed quia Deus præcepit, I, 1234 A. Audacia est de bono præcepti disputare, *ibid.* Præceptorum memoria viam orationibus sternet ad cœlum, I, 1166 A.

Prædicatores ex officio præfandi vocantur, I, 378 B. Non alii sunt recipiendi quam apostoli Christi, II, 33 A.

Prædicare prius est, posterius tingere, I, 1216 A.

Prælatio superiorum dissuasio est infirmorum, I, 1279

Præliorum negotia, asperitas, dolus et injustitia, 621 A.

Præscientia Dei propugnatur, H, 293 B, C. Tot hal testes quot prophetæ, II, 290 A. Deus universa dispone do præscivit, et præsciendo disposuit, *ibid.*

Præscriptionis in compendiis veritatem vincere dec II, 323 A. Vid. Quæstio.

Præsepia cruenta Diomedis, II, 1041 B.

Præsides cœtuum Christianorum episcopi, I, 469 A. N suis præsidibus hæretici reverentiam exhibent, II, 57 B

Præstitia dea, I, 600 C.

Præsumptio impedimentum est timoris, I, 1318 A. Inv recundiæ portio est, inflat petitorem, despicit datorem, 1240 A. Qui præsumit, superbit, *ibid.*; minus veretur, n nus præcavet, plus periclitatur, I, 1318 A.

Praxeas, hæreticus, II, 74 A. Pacem ecclesiarum As et Phrygiæ cum Ecclesia Romana sustulit, II, 155 B, Duo negotia diaboli Romæ procuravit: prophetiam exp lit, et hæresin intulit, II, 156 A. Docet Patrem ipsum es Christum Jesum, I, 154 D.

Prema, dea, I, 601 A.

Presbyter hodie qui eras laicus, apud hæreticos, II, 57

Primum quodammodo est quod fit ex primo, II, 987 B

Principatuum affectatores increpantur a Christo, II 429 A.

Principale est quod super omnia, quod ante *omnia*, a quo omnia, II, 201 B.

Principium sive initium inceptionis est verbum, non al cujus substantiæ nomen, II, 214 B, C.

Prisca, prophetis, II, 809 A.

Pristinus, qualis martyr, II, 970 B.

Probole, quid, II, 202 D.

Proclus, et qui κατὰ Proclum, II, 72 A.

Proculus, qui et Torparcion, Evodiæ procurator, I, 70 B, nostræ virginis senectæ et christianæ eloquentiæ digni tas, II, 549 A. Severum imperatorem per oleum mirabili ter curavit, I, 703 B.

Prodesse cum possis, nolle, nihil malignius, II, 272 A.

Promæ cellæ, II, 851 B.

Promereri nolle, delinquere est, II, 917 B. Promerend artificium obsequium est, I, 1235 A. Vid. Meritum.

Prometheus verus, quis, I, 378 A; II, 247 B.

Prophetæ ex officio præfandi vocantur, I, 378 B. Deus al initio mundi misit eos, et cur, *ibid.* A. Spiritu divino inundati erant, *ibid.* In Prophetis semper *locutus* est Christus, II, 328 B. Signaculum est omnium *Prophetarum*, *II*, 632 A. Futura interdum pro jam transactis enuntiant, *II*, 326 B. Multa figurate per allegorias, per ænigmata et parabolas scripserunt, II, 326 C. Aliter sunt intelligenda quam scripta sunt, *ibid.* An omnia per imagines concionati sint, II, 821 A. Non semper nec omnes habent allegoricam formam, II, 822 B. Propheticæ obscuritatis intellectum meretur fides, II, 422 A. Eorum eloquium manifeste annuntiat resurrectionem mortuorum, II, 822 A, B.

Prophetæ, viri justitia et innocentia digni, I, 378 A. Semper passi sunt in sæculo propter divinam religionem, II, 656 B. Extremi Prophetæ antiquiores primoribus legiferis et historicis Romanorum, I, 387 A. An migraverint in paradisum, II, 744 A. Quæ a Prophetis prædicta sunt, in thesauris litterarum manent, nec latent, I, 378 B, *sq.* Post Christum natum, jam non est visio neque propheta, *II*, 615 B, 632 B. Successimus in loco Prophetarum, II, 636 B.

Proprietatum salus, fides nominum, II, 776 B.

Prudentia sola potuit Deum concutere et prodere, II, 545 A.

Psalmi fere omnes Christi personam sustinent, *II*, 167 A. Filium ad Patrem verba facientem repræsentant, *ibid.* Psalmorum cantus, II, 660 A, alternis choris, I, 1194 A. Psalmi et hymni sonant inter duos conjuges, et mutuo provocant quis melius Deo suo canat, I, 1304 A.

Psalmi Valentini magna impudentia conscripti, II, 781 B, 786 A.

Psammeticus infantes recens natos nutrici elinguatæ tradidit, et cur, I, 370 A, B.

Pseudoapostoli adulteri evangelizatores sunt, II, 564, *sq.* Operarii dolosi, transfiguratores sui, per hypocrisin scilicet conversationis, non prædicationis adulteratæ re. II, 502 C. Virtutes maximas edunt, ad fallaciam maniesdam corruptæ prædicationis, II, 59 B.

Psychici non recipiunt Spiritum, nec eis placent quæ sunt Spiritus, II, 931 A.

Ptolemæus Philadelphus eruditissimus et omnis litteraturæ sagacissimus, I, 379 A. Ejus ditissima bibliotheca Alexandriæ in Serapæo, I, 378, *sq.* Ibi reposuit Veteris Testamenti libros hebraicos, quos a Judæis postulavit, et Græce sua cura redditos, I, 379 A.

Digitized by Google

Ptolemæus (alius) annis triginta octo regnavit, II, 614 B.
Ptolemæus hæreticus, cum Valentino per omnia sensit, II, 69 B, 548 B. Ejus Miscellanea, II, 562 B.
Pubertas a decimo quarto fere anno incipit, II, 716 A; et a duodecimo pro fœminis, *ibid.*, 905 A.
Publicanorum nomen cur tam exsecrabile, II, 997 B.
Pudens, præses, Christianum quemdam denuntiatum dimisit, I, 703 A.
Pudicitia dea, Fauni filia, I, 599 B.
Pudicitia, templi Dei æditua est et antistita, II. 1316 A. Nihil immundum nec profanum inferre sinit, *ibid.* Ubi Deus est, ibi pudicitia, ibi gravitas adjutrix ejus et socia, I, 1325 B. Sine gravitate non servabitur, *ibid.* Quomodo ostendatur pudicitiæ gravitas, *ibid.* Magnificatur Deus in corpore per pudicitiam et per habitum pudicitiæ competentem, I, 1330 A. An in sola carnis integritate et stupri aversione consistat pudicitia, I, 1316 B. An ei quicquam extrinsecus opus sit de cultus et ornatus dispositione, *ibid.* Pudicitia est flos morum, honor corporum, decor sexuum, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanctitatis, præjudicium omnis bonæ mentis, II, 980 A. Quamquam rara, nec facile perfecta, vixque perpetua, tamen aliquatenus haberi potest, si natura præstruxerit, si disciplina persuaserit, si censura compresserit, *ibid.* B.
Pudicitiæ christianæ satis non est esse, verum et videri, I, 1332 A. Pudicitia, principalis christiani nominis disciplina, II, 982 B. Ejus labem quantum Christiani detestarentur, I, 535 A. Pudicitiam vitæ anteponebant, II, 983 A. Illam eis eripere tormentis contendebant ethnici, II, 982 B, *sq.* Jam non ejuratio sed moderatio libidinum pudicitia censetur, II, 980 B. Sæculi pudicitia, quia vana, non prodest apud Deum, *ibid.* Pudicitia, si qua est in gentilibus, adeo imperfectam et inconditam esse constat, I, 1316 B. Pudicitiæ veræ conscientia a fœminis nationum abest, *ibid.* Vid. Continentia, Libido, Pulchritudo, et
Pudor prior est quam corporis plaga, II, 141 A. Ejus armatura, II, 911 B. Verba inimica pudoris per loquacitatem inrepunt, I, 1288 A. Pudorem resignare per osculum et dexteras, II, 903 B. Quidam sunt pudoris magis memores quam sanitatis, I, 1244 B.
Pueri sapiunt et intelligunt, II, 683 A, B. Puerilia dicibula, II, 575 A. Puerorum expositio, I, 325 A. Pueris expositis stuprum aliquando inferebant gentiles, *ibid.*, *sq.*; etiam parentes, I, 582 B. Vid. Infantes.
Pulchritudinis usus et fructus, luxuria, I, 1319 B. Ubi pudicitia, ibi vana pulchritudo, *ibid.* Vid. Decor.
Punica mulier se in ardentis patriæ ignes cum filiis injecit, I, 598 B, *sq.*
Purpura, regum vestis, I, 687 C. Purpura vel cætera insignia potestatum et dignitatum habent profanationis suæ maculam, I, 688 A.
Pusillanimes consolatur oratio, I, 1196 A.
Pyctes corona premit vulnera, I, 154 A.
Pyriphlegeton, cur fictus, I, 520 A.
Pyrrhonis doctrina, I, 535 A.
Pyrrhus fallendis piscibus egit, II, 698 A, 701 B. Ab Apolline ambiguum et datum oraculum, I, 409, *sq.*
Pythagoras tyrannidem affectavit apud Tyrios, I, 511 A. Vivum idcirco cremare voluerunt, *ibid.* B. Animalibus et piscibus abstinebat, II, 701 B. Quia imbellis et residis erat, prælia Græciæ vitans, Italiæ maluit quietem, geometriæ, astrologiæ et musicæ devotus, *ibid.* Non turpi modo, verum etiam temerario mendacio incubuit, II, 697 B. A Laberio irridetur, I, 521 A.
Pythagoras Deum ex numeris ortum finxit et compositum, I, 317 A. Pythagoræ et Empedoclis opinio de metempsycosi et metensomatosi, I, 521 A, 613 B; II, 702 A.
Pythagorici fabam respuebant, II, 732 C.
Pythius dæmon, I, 1175 A. Socratem sapientissimum ejus suffragium pronuntiavit, II, 648 A. Vid. *NOSCE.*
Pythonici spiritus, II, 698 B.
Pythonissa verene Samuelem exhibuerit Sauli, II, 749 A.

## Q

Quadrigam primus Erichthonius junxit, I, 641 A. Quadrigam primus Romæ Romulus ostendit, *ibid.* B.
Quadrigarius furor, II, 279 A, 993 B. Vid. Color.
Quærendi et pulsandi et petendi formæ, II, 21 *sqq.*
Quæstionis supplicium, I, 276 A. Ejus usus in criminibus detegendis, I, 274 A, B, 275 B. Veritatis extorquendæ caussa adhibebatur erga sontes, de solis Christianis mendacium audire laborabant judices, I, 275 A.
Quæstionis summam certis lineis determinare, II, 599 A. Justa et digna præscriptio est ad propositum interrogationis pertinere debere sensum responsionis, II, 433 B. Quæstiones infructuosæ unde, II, 20 A. Quæstiones infinitæ Christianis cavendæ, II, 631 A. Indeterminales quæstiones odit Apostolus, II, 20 A, 631 A. Quæstiones de vocabulorum occasionibus plurimum subornantur, sicut et de verborum communionibus, II, 875 A. De Scripturis solis quæstiones dissolvendæ, II, 799 B.
Quæstoris hasta et annotatio, I, 345 A.
Qualitates cum demutantur, accipiunt vocabulorum possessiones, II, 776 B.
Quies corporum solatium proprium est, II, 725 B.
Quintilla, monstrosissima hæretica, I, 1199 A. Aquam prohibebat dari in Baptismo, *ibid.*, *sq.*
Quirinus cognominatus Romulus, quare, I, 599 B.

## R

Radius astrologi abutitur cœlo, I, 673 B.
Raptus virginum, nunc quoque apud ipsos Romanos justus et licitus, I, 637 A.
Ratio, res Dei, I, 1227 A. Rationalis etiam Deus, et ratio in ipso prius, II, 160 A. Quæ ratio sensus ipsius est, *ibid.* Nihil non ratione tractari intelligique voluit, I, 1227 A. Ratio sine bonitate ratio non est, II, 291 A. Traditioni, consuetudini et fidei patrocinatur, II, 80 A. Christianorum nomen inimicum rationis, I, 278 A.
Reatus animæ præcedit corporis delicta, II, 275 A. Spiritus et caro reatum inter se communicant; spiritus ob imperium, caro ob ministerium, I, 1204 A. Vid. Reus.
Rebecca jam de disciplina Christi, propter castitatem, II, 904 C. Ex ejus utero duo populi et duæ gentes prodierunt. II, 598 A, B.
Rebellium in castris, quam facile proficitur, II, 57 A.
Regiones orientales et meridianæ populi frequentiores inhabitant, II, 692 B.
Regnum omne et imperium bello quæritur et victoriis propagatur, I, 431 A. Solus Deus regna dare et instituere potest, I, 431 *sq.*, 608 B. Regnum an nobis sit in terra repromissum, II, 35 B. Regnum nobis repromissum confitemur in terra, sed ante cœlum, sed alio statu, II, 355 A. Regnum Dei quorum est adire, oportet induere vim incorruptibilitatis et immortalitatis, II, 865 A.
Regularum facies habet colores ignorantiarum, II, 548 A. Adversus regulam nihil scire, omnia scire est, II, 27 B. Regula fidei, II, 26 B, 889 A.
Reguli fortis animus, I, 532 A, 625 C. Novitatem crucis numerosæ et abstrusæ toto corpore libenter dedicavit, I, 584 A, C.
Rejiciendum a nobis nihil omnino est, quod pertinet ad nos, I, 1308 A.
Religio sortita invidiam statim ut coli Deus cœpit, I, 137 A. Christi religio cum odio sui cœpit, I, 307 A. Religionem mentiri summum nefas, et cur, I, 403 B. Alterius religio nec alii obest, nec prodest, I, 699 A. Nec religionis est cogere religionem, quæ sponte suscipi debet, non vi, *ibid.*
Religio christiana in Judæicæ locum suffecta, I, 392 A. Ejus veritas ex simplici doctrinæ ejus expositione evidenter demonstratur, I, 468 *sqq.*, 501 *sqq.*; et sacris Prophetarum oraculis, quæ effectum sortita sunt, I, 377 B, *sq.*, 389 *sqq.*, 501 A; atque invicta martyrum patientia, I, 536 A, 705 *sq.*; ac maxima Christianorum in dæmones potestate, I, 413 A, 677 A, B; et publica dæmonum a Christianis adjuratorum confessione, *ibid.* Vid. Christiani, Ecclesia.
Religiones gentilium plane falsas esse ostenditur, I, 404 A, 411 *sqq.*
Renes conscii seminum, II, 582 B.
Reprobationem bonorum Deus ratam non habet, I, 1230 A.
Repudium discordia fit, aut discordiam facit, II, 942 A. Quam effrænis et intoleranda ejus licentia, I, 303 *sq.* Est quasi matrimonii fructus, I, 304 A. Habet Christum assertorem justitia divortii, II, 442 C; sic tamen ut illicitum facit repudiatæ connubium, II, 441 C. Conditionaliter fecit divortii prohibitionem, II, 442 B.
Repudium ab initio an fuerit, II, 442. Quis primus illud induxerit, I, 303 A. Romæ fuit incognitum per sexcentos annos ab urbe condita, *ibid.*
Resurrectio rei caducæ est, II, 820 A. Resurgere non est, nisi ejus quod cecidit, II, 491 C. Mortuum suscitari nihil est aliud quam integrum fieri, II, 878 C. Resurrectio, janua regni cœlestis et fiducia Christianorum, II, 795 B. Spes resurrectionis fastidium est mortis, I, 585 A. Ejus testatio est totus ordo revolubilis rerum, II, 810 C. Merces et periculum in resurrectionis pendet eventu, II, 823 A.
Resurrectio carnis durius creditur quam una Divinitas,



Digitized by Google

II, 797 c. Nulla philosophia de ea re consentit, II, 521 A. Illam sæculum, nec cum errat ignorat, II, 796 A. Ab ethnicis non est improbanda, et cur, II, 583, *sq.* Carnis resurrectio a Judæis simplici et nota jam fide recepta, sine ulla qualitatis quæstione, II, 849 c. Unum apud omnes edictum Dei pendet, resurrectio mortuorum, II, 819 A. Deo esse possibilem ostenditur, I, 522 *sqq.*; et id Deum velle, *ibid.*; atque esse necessariam, *ibid.*; II, 812 *sqq.* Nec curiosius inquirendum quomodo id fieri possit, II, 813 A. Utrum recte inferatur mortuum hominis corpus ad vitam excitandum, quia nihil anima sine illo pati potest, I, 523 A, 813 B; II, 750 B, c, 816 *sqq.* Soli animæ destinatam resurrectionem quidam dicunt, et cur, II, 848 B. Carnis resurrectionem asserebat Paulus post Moysen, II, 850 A. Resurrectionem apostolica instrumenta testantur et multa exempla, II, 849 A. Tam dictis quam factis prædicatur, II, 835 A. Quibus exemplis confirmetur, I, 521 *sq.*; II, 812 A, B: lucis et siderum orientium et occidentium, temporum et fructuum, *ibid.*; quia homo est dominus morientium et resurgentium, *ibid.*; ex Pythagoræ de transmigratione animarum opinione, I, 521 A; Platonis et Epicurei, *ibid.*; phœnicis, II, 811 B, et Mithræ, II, 55 A. Christi resurrectione infirmata, etiam nostra subversa est, II, 332 c. Quidam resurrectionem in imaginariam significationem distorquent, II, 820 B.

Resurrectio post antichristi eradicationem agitabitur, II, 835 A. Fiet ultimo tempore et primo æternitatis limine, I, 526 A. Quo ordine resurgent mortui, II, 864 c. Omnes ab initio defuncti suscitabuntur, et recensebuntur, et reformabuntur, pro singulorum meritis, I, 378 A. Quocumque modo solutum corpus resurgit, I, 525 *sqq.* Semel tantum resurgendum, quia Deus ita voluit, I, 525 *sqq.* Post resurrectionem liberabuntur membra ab officio; nec ideo non necessaria, II, 882 c. Tunc erimus iidem qui nunc, nec alii post, I, 527 A; Dei quidem cultores apud Deum semper, superinduti substantia propria æternitatis; profani vero et qui non integri ad Deum, in pœna æque jugis ignis, *ibid.* Reviviscimus quod nascimur, non quod lædimur, II, 878 B.

Retributio nulla non ex indicatione constitit, II, 419 B. Vid. Merces.

Reus nullus propter solum suum nomen damnandus, I, 278 *sqq.* Ejus crimina quomodo et quam diligenter inquirenda, I, 278 A. Sponte confesso magis credendum est quam per vim neganti, I, 274 *sqq.* Confessi rei damnabantur, ex Romanorum legibus, I, 276 A.

Revelationes probandæ, si ex Deo sint, II, 222 B.

Rex in suo solio usque ad Deum, tamen infra Deum, II, 251 A. Comparatus autem ad Deum, excidit jam de summo magno translato ad Deum, *ibid.* Regis insignia, vestis, diadema, sceptrum, I, 629 A. Vid. Unctio.

Rhadamantus, judex mortuorum, I, 415 A.

Rhodanus, Galliæ flumen, I, 583 B.

Rhodia lex et Pontica, II, 327 B.

Rhodos insula enata, I, 480 A.

Risus dignus licitus, II, 550 A. Veritati congruit ridere, quia lætans, *ibid.*

Robigo, dea, II, 637 B.

Ritus varii Ecclesiæ, I, 1294 A, B.

Ritus religionis apud Romanos, olim pauperes, I, 430 A, 608 A.

Roma urbs, memoria Trojani generis, I, 424 A. Urbs septem collium, I, 454 A. Prior est quibusdam diis suis sylvestris Roma, I, 432 A. Ibi dæmoniorum conventus consedit, I, 640 A, B. Urbs Roma in Babylone figurata, quia sanctorum Dei debellatrix, II, 339 c, 620 B.

Romani ex Ænea ducunt originem, I, 424 A. Phryges eos pariunt, II, 1035 A. Eorum imperium sceleribus inchoatum et auctum, I, 430 *sqq.* Illius eumdem ac totius mundi finem fore arbitrabantur, I, 431 A. Quod et Christiani existimabant, I, 700 A. Romanus status, quid, II, 829 A. Fastigium Romani nominis religiositatis meritis non deputanda, I, 439 A. Immo magnitudo eis de irreligiositate provenit, I, 450 A. Eorum regnum quousque dilatetur, II, 611 B. Orbem occuparunt, I, 439 A. Nec tamen trans Germanos, Britannos, Mauros et Getulos regnum porrexerunt, II, 610 c, *sq.* Legionum suarum præsidiis imperium suum munierunt, II, 611 c.

Romana religiositas diligentissima, I, 422 B. Tota illorum religio castrensis, I, 367 A. In ludis publicis humano sanguine proluebant Jovi Latiari, I, 317 A; II, 136 c. Illorum imperium fundatum anteaquam ullus deorum cultus Romæ institutus fuisset, I, 429 A. Et prius magni fuerunt quam religiosi, I, 450 A, 608 A. Tot eorum sacrilegia quot trophæa, I, 431 A. Tot de diis quot de gentibus triumphi, *ibid.*; tot manubiæ quot deorum simulacra, *ibid.* Læsæ divinæ majestatis rei erant, I, 431 A. Romana gravitas deridetur, I, 473 A. Vid. Dii, Ethnici.

Romanensis Ecclesia catholica, II, 42 A. Felix Ecclesia, cui totam doctrinam cum sanguine suo profuderunt Apostoli, II, 49 A, B. Petrus et Paulus Evangelium suo sanguine signatum Romanæ Ecclesiæ reliquerunt, II, 366 c. Ab illa Ecclesia nobis auctoritas præsto est, II, 49 A. Cum ea Africanæ ecclesiæ contesserarunt, II, 49 B.

Romani episcopi auctoritas, II, 155 B.

Romulus an idem qui et Quirinus, I, 641 B. Consum deum invenit, II, 236 c. Quadrigam primus Romæ ostendit, I, 641 B. Ascensus sui in cœlum Proculum habuit affirmatorem, II, 369 B. Cur deitatem non promeruerit, I, 599 B.

Rosæ ex horto Midæ lectæ, II, 98 B, 1036 A.

Rucina, dea, I, 600 c.

Rude illud est quod est imperfectum, II, 222 B.

Rufi convivia, II, 1049 A.

Rutilius sanctissimus martyr, II, 108 B, c Ejus historia, *ibid.*

## S

Sabbatum temporale fuit præceptum, II, 605 B, c, *sq.* In præteritum justi non sabbatisaverunt, II, 601 A, B. Machabæi sabbato pugnaverunt fortiter, II, 606 c. Ejus observatio an sit salutis medela, II, 601 A. Circa legem sabbati Pharisæi in totum erraverunt, non animadvertentes conditionaliter eam indicentem ferias operum sub certa specie eorum, II, 383 A. Sabbati lex humana opera, non divina, prohibebat, II, 309 B, *sq.* Sabbatisare nos omni opere servili semper debemus, et non tantum septimo quoque die, sed per omne tempus, II, 605 B. Sabbatum quod nos Deus vult custodire, *ibid.* Diem sabbati, benedictione Patris a primordio sanctum, Christus sua benedictione efficit sanctiorem, II, 386 A. Sabbati dominus dictus Christus, quia illud tuebatur ut rem suam, II, 383 c. Sabbatum Judæorum omnino rescindit, II, 384 *sqq.*

Sabbato numquam jejunabant Christiani, nisi in Paschæ parasceve, II, 973 B. Quidam nec genuflectebant, I, 1191 A.

Sabæum thus, cæteris charius, I, 493 A.

Sabinarum raptus, I, 637 A.

Sacerdotes denuo nubere prohibiti, I, 1286 B; II, 922. Sacerdoti digamo auferitur agere sacerdotem, II, 938 B, c.

Sacra Romanorum prima simplicia, I, 430 A.

Sacrorum pater, vid. Hierophantes.

Sacramenta Christianorum, I, 1286 A; II, 806 A, B. Materiam in sacramentis propriis parere facit Deus, I, 1203 A. In verba sacramenti respondere, I, 624 A.

Sacramenti ejusdem una traditio regit ecclesiarum jura, II, 32 B.

Sacramentum allegoriæ, II, 478 A. Figurarum sacramenta, quæ, II, 470 A. Sacramentum ligni, II, 655 A, B *sq.* Vid. Crux, Lignum.

Sacramentorum agnitionem a Deo merentur jejunia, II, 965 A. Divinorum sacramentorum res Satan in idolorum mysteriis æmulatur, II, 54 A.

Sacrificiorum rationalis institutio, II, 310 B. Sacrificium Deo acceptabile, II, 608 B. Sacrificium offerre, I, 1329 B. Quæ sint sacrificia Deo grata, II, 806 B. Sacrificiis spiritalibus Deo litandum, II, 310 B, c, 608 *sq.* Sacrificiorum onera et operationum et oblationum negotiosas scrupulositates cur instituerit Deus, II, 306 B, c. In uno tantum loco sacrificare debebant Judæi, II, 607 c. Sacrificia terrenarum oblationum et spiritalium sacrificiorum, II, 608. Sacrificiorum Cain et Abel differentia, II, 607 A, B. In his duplicia duorum populorum sacrificia præostensa, *ibid.* c.

Sacrificii spectatores, I, 686 A, et participatio, I, 1177 *sq.* Vid. Christiani, Ethnici, Defuncti, Synaxes, Visceratio.

Sacrilegi olim existimati Christiani, I, 699 B.

Sadducæi, ex Samaritani erroris radice surgentes, II, 61 A. Eorum propria opinio, II, 46 A. Ausi sunt carnis negare resurrectionem, II, 46 A, 61 A. Neque animæ, neque carnis admittunt salutem, II, 846 A. Eorum callida quæstio de nuptiarum frequentia, II, 937 c.

Sadducæorum partiarii, qui, II, 796 B. Eorum propinqui, II, 754 A.

Sæculum Dei est, sæcularia, diaboli, I, 648 A. In sæculo omnia imaginaria et nihil veri, II, 96 B. Vid. Mundus.

Sagitta quis primus corpora sauciavit, II, 1048 B.

Sale et melle medicabantur pueri, II, 412 A.

Salius cænaturis creditor necessarius, I, 474 A.

Salmacis fons, II, 568 A.

Salomon regnavit in finibus Judææ tantum, a Dan usque Bersabee, II, 611 B. In figuram Christi, de idololatria sibi sponsavit Ecclesiam, II, 382 B. Cum esset omni gratia et scientia donatus a Domino, ad idololatriam a mulieribus

Digitized by Google

inducitur, II, 14 B. Etiam quam habuit in Deo gloriam amisit, per mulieres in idololatriam pertractus, II, 494 B. Salomon rejicitur, sed jam a mulieribus alienis possessus, et idolis Moabitarum et Sodomorum mancipatus, II, 311 B. Ira Dei Salomoni accessit post luxuriam et idololatriam, II, 350 C.

Salutis cardo, caro, II, 806 A. Nihil tam dignum Deo quam salus hominis, II, 316 C. Sperando, timendo, cavendo, salvi erimus, I, 1318 A. Qui sollicitus est, is vere potest esse securus, I, 1318 A.

Salutis et incolumitatis opus non est hominis sed Dei proprium, II, 385 B.

Salutatio, seu benedictio mutua in occursu per viam, II, 419 B.

Salutificator unus, Christus, II, 778 A.

Samaria desciverat ab Israele, habens schisma illud ex novem tribubus ab Hieroboam apud Samariam collocatis, II, 339 B, 620 A. Samariæ spolia, quæ, II, 339 A, B, 619 C. Samariæ nomine idololatria notatur, *ibid.*

Samius sophista, quid senserit de animabus post mortem, II, 697 A, B.

Samos insula enatata, II, 1034 A.

Samia vasa, I, 430 A, 607 A.

Samothracia mysteria, I, 309 A. Illa declarare nefas, *ibid.*

Samuelis anima an a Pythonissa evocata, II, 740 A.

Sanctificationis species, quot, II, 915.

Sanctitati designati, ac per hoc saluti, filii fidelium, II, 718 B.

Sanctus Dei, Christus, II, 371 B.

Sanctus nemo ante Spiritum sanctum de cœlo repræsentatum, II, 1001 C.

Sanctus deus factus propter hospitalitatem, I, 599 C.

Sanguis nihil aliud quam rubeus humor, II, 771 A. Sanguinis fluxus, defusa insuper venula, revocare, II, 132 B. Argutæ indolis vel obtusæ caussam in sanguinis qualitate constituit Empedocles, II, 683 B. Sanguine hausto ictum olim fœdus, I, 321 A. Animas defunctorum humano sanguine propitiari olim creditum est, I, 644 C.

Sanguinis sui salutaris figuram implere Christus concupiscebat, II, 460 A.

Sanguis Christianorum semen, I, 583 A.

Sapiens nemo, nisi fidelis, II, 15 A.

Sapientes Græciæ, I, 387 A.

Sapientia de simplicitatis ordine manat, II, 544 B. Opimitas sapientiam impedit, exilitas expedit, II, 683 B. Vid. Sophia.

Sapientia humana affectatrix et interpolatrix veritatis, II, 20 B. Sapientia sæcularis, temeraria interpres divinæ naturæ et dispositionis, II, 19 A. Vid. Philosophia.

Sapientiæ liber Salomoni adscriptus, II, 544 B.

Sardanapalus, libidinibus insignis, II, 1042 B.

Sardiniæ heros quidam incubatores fani sui visionibus privabat, II, 733 B.

Sarmatæ, mente torpentes, II, 692 B. Christo jam subditi, II, 611 A

Sarmentici vocati Christiani, I, 531 A.

Sarpedonis in Troade oraculum, II, 730 A.

Satanas, dæmonum princeps, I, 405 A. Olim erat eminentissimus Angelorum, et omnium sapientissimus, II, 297 A. Decidit e sublimitate cœlesti, *ibid.* B. Malitiæ est angelus, totius erroris artifex, etc., I, 615 A. Sanctorum est delator et criminator, II, 710 C. Dei sacramenta affectat, II, 928 C. Cain docuit ab homicidio incipere, I, 1258 A. Cum in angelum lucis se transfigurat, an qualitatem suam amittat, II, 877 A. Nihil ei licebit in servos Dei vivi, nisi permiserit Dominus, II, 104 D. Quare hoc permittat Deus, *ibid.* Vid. Diabolus.

Satisfactio confessione disponitur, I, 1243 B. Satisfacimus de pristinis peccatis conflictatione carnis et spiritus, I, 1225 A.

Saturninus, Menandri Simoniani discipulus, II, 686 A.

Saturninus hæreticus Deum vocabat innascibilem virtutem, II, 61 A. In summis et illis infinitis partibus et in superioribus illum manere docebat, *ibid.* Angeli inferiores, juxta ipsum, mundum fecerunt, *ibid.* Vid. Sentius.

Saturnus, origo totius vel potioris vel notioris divinitatis apud ethnicos, I, 329 A, 601 B. Omnium deorum primus et parens, *ibid.* Cur Cœli et Terræ filius dicatur, I, 331 A, 601 *sqq.* Quam falso, *ibid.* Saturnus tempus, quomodo, I, 602 B. Saturnus quadratus, II, 266 A. Non deus, sed homo fuit, qui ab alio homine regnum et vitam accepit, I, 329 *sq.*, 602 C. Vitam egit mortalem, I, 330 A, 602, *sq.* Patrem exsecasse dicitur, I, 601 C. Neque hæc allegorice explicanda, I, 321 A, 602. A Jano excipitur, I, 330 A, 602, *sq.* Rudes erant homines illius ævi, I, 331 A. Saturnus tabulas primus confixit, I, 330 A, 602 *sq.* Docuit nummos signare, *ibid.* Ærario præsidet, cur, I, 350 A. Pallium commendat, II, 1045 A. Ante omnes fuit coronatus, II, 85 A.

Saturnum Afrorum hominum victima placari apud sæculum licuit, II, 136 C. Ei mactabantur infantes in Africa, et quamdiu, I, 595 B; usque ad proconsulatum Tiberii, et postea occulta, I, 314 *sq.* Ejus sacerdotes, qui homines ei immolabant, arboribus suffixi, *ibid.*

Saturnalia festa, I, 492 A, 681 C, *sq.* Dies Saturni otio et victui destinatus, I, 371 A.

Saul, bonus præ cæteris, postea livore evertitur, II, 14 B. Cum eligitur, nondum despector est prophetæ Samuelis, II, 311 B.

Scalæ quas somniabat Jacob, aliis ascensum in superiora, aliis descensum ad inferiora demonstrant, II, 103 C, 357 A.

Scandalum non bonæ rei sed malæ exemplum est, ædificans ad malum et ad delictum, II, 892 A.

Scapula judex, percussus a Deo post damnatum martyrem, I, 702 B.

Scauri impuritas, II, 1049 A.

Scena. Vid. Theatrum.

Schisma hæreticis unitas est, II, 57 C. Schismatum mater, æmulatio, I, 1218 A.

Scholæ feriis honorabantur, I, 674 B. Discipulus fidelis eas non adibit, ob earum inquinamenta, II, 675 B. Vid. Ludimagister.

Sciapodes, II, 512 B.

Scientia animam efficit ornatiorem, non opimiorem, II, 656 A. Scire nihil est omnia scire, II, 27 B. Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium, II, 20 B, *sq.* Infinitas quæstiones prohibet Apostolus, II, 651 A.

Scientia naturalium ne in bestiis quidem deficit, II, 688 B.

Scipio, exsecto matris utero, vivus aerem hausit, II, 692 C. Carthaginem excidit, II, 1031 A. Omni deo ethnicorum justior et militior, I, 337 A.

Scorpius nocet de cauda, II, 121, *sq.* Ejus remedia, II, 122 A. Scorpium magnum de modico malo terra suppurat, II, 121 A.

Scorpii et colubri portendunt spiritalia malitiæ, II, 421 B.

Scripturæ sacræ majestas et auctoritas, I, 386 *sq.*, 446 A, 468 *sq.*; II, 167 B. Ejus plenitudo adoranda, II, 218 A. Ejus antiquitas, I, 384 A, 586 A, 515 A. Cæteris commentationibus antiquior, I, 520 A. Scripturarum divinarum instrumentum, I, 377 A. Earum verecundiæ, II, 960 C. Dei est Scriptura, II, 510 C. De Veteris Testamenti auctoritate et integritate dubitari non potest, I, 384 A. Libri Veteris Testamenti a viris divino Spiritu inundatis editi, I, 378 A, B. Scriptura omnis divinitus inspirata, ædificationi habilis I, 1308 A. Eam qui non recipiunt, nec Spiritus sancti esse possunt, II, 34 C. Præcinerunt Scripturæ quæ post Christum futura sint, II, 319 B. Vetus Testamentum non minus ad Christianos quam ad Judæos pertinet, I, 386 A. Cur et quomodo, I, 394 A.

Scripturæ libri ex hebraico in græcum sermonem conversi, I, 378 *sqq.*; et repositi in bibliotheca Philadelphi apud Serapæum, I, 380 A, Vid. Esdras. Eas Judæi palam recitabant, vectigali libertate, I, 381 A. In synaxibus Christianorum legebantur, I, 477 A. Eas non occultabant, nec poterant, I, 446 A. Ex iisdem plura a philosophis et poetis hausta vel corrupta, I, 515 *sq.*, 520 A. Scripturæ in capitula divisæ, II, 127 B. Ad litteras nostras nemo venit, nisi jam Christianus, I, 610 A.

Scripturis sanctis qui studuerit, Deum intelligere cogetur et credere, I, 381 A. Scripturæ medullas nemo magis novit quam ipsa Christi schola, II, 146 B. Fidei fomenta de Scripturarum intellectione, I, 1299 A. Earum prædicatione Christiani spem fiduciamque suam recreabant, I, 489 B. Fides salvum facit, non exercitatio Scripturarum, II, 27 B. Christianorum institutio de porticu Salomonis est, II, 20 B. Scriptura legem condit, natura contestatur, disciplina exigit, II, 510 B. Ad omnes Apostolus scribit, dum ad quosdam, II, 512 B.

Scripturarum omnium consonantia, II, 632 B. Nulla vox divina ita dissoluta est et diffusa, ut verba tantum defendantur et ratio verborum non constituatur, II, 23 A. Scriptura sacra late semper dividitur, I, 634 B. Fœcundior divina litteratura ad facultatem cujusque materiæ, II, 55 A Scripturæ sensus certæ interpretationis expetit gubernaculum, II, 22 C. Communes sensus simplicitas ipsa commendat, et compassio sententiarum, et familiaritas opinionis, II, 799 B. Eoque fideliores existimantur, quia nuda et aperta et omnibus nota definiant, *ibid.* Negat Scriptura quod non notat, II, 954 C. Ubi non facit tentationis mentionem, non admittit tentationis interpretationem, II, 404 D. Figurata solet uti translatione hominum, ex comparatione criminum, II, 620 A. Scripturarum, et expositionum, et omnium traditionum christianarum veritas ubi sit, II, 31 B. Ex solis Scripturis quæstiones solvendæ, II, 799 B. Veritati tantum obstrepit adulter sensus, quantum et corrumpit

Digitized by Google

stylus, II, 30 A.
Scripturarum interpolatio, quantum nefas, II, 51 *sq.* Earum adulteratio semper comitatur doctrinæ variationem, II, 51 C. Illic deputanda est Scripturarum et expositionum adulteratio, ubi diversitas invenitur doctrinæ, II, 51 C, 146. Scripturas alius manu, alius sensu expositiones invertit, II, 52 A. Vid. MARCION.
Scripturæ sic sunt Dei voluntate dispositæ, ut hæreticis materias subministrarent, II, 53 A. Hæretici de Scripturis solis quæstiones suas sistunt, II, 512 B. Communium verborum simplicitatem torquent in quæstionem, II, 222 A. Scripturarum congressionibus nihil proficimus cum hæreticis, II, 30 *sq.*
SCRIPTURA sermoni posterior, I, 616 B. Auditur in cera manus omni sono clarior, littera omni ore vocalior, I, 694 A. Nihil potest manus scribere quod non anima dictaverit, aut a se conceptum, aut ab alio traditum, *ibid.*, A. Vid. TRADITIO.
SCYTHÆ fœdus hausto sanguine inibant, I, 321 A. Carnes hominum defunctorum comedebant, *ibid.* Christo subditi, II, 611 A.
Scythæ Parthicas terras occupant, II, 700 A. Exsuperant Persas, II, 1035 B. Vid. ANACHARSIS.
SECTÆ nullius nomen malum, nisi in ea aliquid mali sit, I, 282 *sq.* Nulla propter solum auctoris sui nomen odio habenda, *ibid.* Nec juste damnatur, *ibid.*
Sectam vocat Tertullianus christianam religionem, I, 259 A.
SECUNDUM nihil longinquat a primo, II, 987 B.
SECUNDUS hæreticus, cum Valentino consensit, II, 69 B, 548 B.
SEDULITAS nugas non facit, I, 1288 A.
SELGICÆ oves, II, 1039 A.
SEMAXII vocati Christiani, I, 531 A. Ad stipem dimidii axis revincti, sarmentorum ambitu exurebantur, *ibid.*
SEMEN animale, ex animæ distillatione, II, 696 A. Semen corporale, ex carnis defæcatione, *ibid.* Ex afflatu Dei animatur virus genitale, *ibid.* Fructus omnis jam in semine est, I, 320 A.
Semen sanguis Christianorum, I, 535 A.
SENECA sæpe noster, II, 682 C. Ejus Fortuitæ, I, 535 A. Amarissimis verbis deos gentilium insectatus est, I, 343 A. Ejus dictum de artibus et ætatibus omnium rerum, II, 682 B. Omnia post mortem finiri, etiam animam, docet, II, 721 A, 795 B.
SENONES Capitolium obsederunt, I, 485 A.
SENSUS ab anima oriuntur, II, 675 A. Omni sensuum instrumento fulta est anima, II, 805 B. Opinio omnis a sensibus, II, 675 A. Sentire et intelligere unum sunt, II, 678 C. Sentire pati est, et pati sentire, II, 667 A. Nihil animale sine sensu, nihil sensuale sine anima, II, 775 A. In homine sunt sensus corporales et sensus intellectuales, qui, II, 634 A. Incorporalia sensibus objiciuntur, *ibid.* C. Prior sensus quam stylus, I, 616 B. Sensus, hominis exterioris ministeria, II, 82 B. De sensibus quinque quæstio, II, 674 *sq.* An sint errori obnoxii, II, 674 B, C. Sensuum principalitatem philosophi, alii in cerebro, alii in medio superciliorum ponebant, II, 814 A. De communione favorabili sensuum mentes capiunt hæretici, II, 799 B. Sensum pati, non opinari, animam enim operari, dicunt Stoici, II, 675 A.
Sensibus Deus æstimari potest, I, 375 B. Fructus divinorum munerum ad animam deducuntur ab sensibus, II, 82 B.
SENSUALITATEM Plato in Timæo irrationalem pronuntiat, et opinioni implicitam, II, 674 *sq.*
SENTINUS, deus, I, 600 C.
SENTIUS SATURNINUS, scriptor de recensione Judæorum sub Augusto principe, II, 405 B, 1031 B.
SEPTIMONTIUM festa, I, 606 B, 674 B.
SEPTUAGINTA DUO interpretes Veteris Testamenti, I, 379 *sq.*
SEPULTURÆ requies, asylum mortis, I, 461 A. In sepeliendis Christianis thus adhibitum, I, 493 A; et orationes presbyterorum, II, 737 B, C. Sepulturarum arcas prohibebant præsides, I, 701 A. In cœmeterio, corpus alicujus defuncti corpori communicavit, II, 738 A. Insepulti quando ad inferos reducantur, juxta ethnicos, II, 745 B.
Sepultura Christi quomodo e medio ejus sublata, II, 629 C.
SERAPÆUM, seu Serapidis templum, quanta magnificentia Alexandriæ exstructum, I, 380 A. Illud ingredi, nisi soluto tributo, non licebat, I, 574 A. Ibi deposita versio græca Veteris Testamenti, I, 380 A.
SERAPIACÆ cœnæ, quæ, I, 474 A.
SERAPIS, deus, I, 305 *sq.* Ab ethnicis rejectus ex Capitolio, deorumque curia ejectus, et postea restitutus, *ibid.*
SERMO vox est et sonus oris, et aer offensus, intelligibilis auditu, II, 162 B. Cæterum, vacuum quid, et inane et incorporale, *ibid.* De organo carnis est, II, 805 B. Spiritu structus est, et sermonis corpus est spiritus, II, 163 B. Prior sermo quam scriptura, I, 616 B. An ab hominibus inventus, I, 616 B, C. Sermonis nativitas perfecta cum dixit Deus: *Fiat lux*, II, 161 B. Tunc speciem et ornatum suum sumpsit, sonum et vocem, *ibid.*
Sermo laciniosus onerosus et vanus est, II, 894 B.
SERMO Deus in effigie Dei constitutus, II, 802 C. Sermonem Deus protulit, sicut radix fruticem, et fons fluvium, et sol radium, II, 163 B, C. Sermonem apud Deum in primordio fuisse quidam per simplicitatem dicunt, cum magis rationem competat antiquiorem habere, II, 160. At Deus non sermonalis a principio, sed rationalis etiam ante principium, *ibid.* Sermo Deus, et sermo Domini manet in æternum, perseverando scilicet in sua forma, II, 191 A. Sermo quomodo caro factus sit, II, 190 D. In Evangelio amplius quam in Scripturis aliis, et ministrum et arbitrum rectoris invenio Sermonem, II, 218 A. Vid. CHRISTUS, FILIUS, AOROS, VERBUM.
SERMO, æon Valentinianorum, II, 553 *sqq.*
SERPENTES arida et inaquosa sectantur, I, 1198 A. Serpentis exuvium et senium, II, 1036 B.
Serpens a primordio divinæ imaginis præda, II, 544 B. Solitus est tentare, *ibid.*
Serpens æneus in ligno positus, et cur, II, 682 A. Simulacrum serpentis cur Moyses erexerit, I, 667 B; secundum Ophitas, II, 64 A. hæc effigies non ad idololatriæ titulum pertinet, sed ad remedium, I, 667 B, C, *sqq.* Crucis Christi erat figura, I, 667 C; II, 347 B.
SERVI flagris cædi solebant, I, 301 A. Illis matrimonium prohibitum, I, 1300 B. Eorum vincula ex auro, I, 1328 A. Servos, captivos vel malo genio mercatos in exsequiis immolabant, I, 645 A. Alii murænis in escam objecti, II, 1048 B. Vid. GALBA.
SESTERTIUS centum constabant cœnæ Romanorum, I, 500 A.
SETHOITÆ docebant duos homines ab Angelis constitutos, Cain et Abel, II, 65 B. Propter hos, magnas inter Angelos contentiones et discordias exstitisse, etc., *ibid.* Illorum opinio de semine Cham, II, 66 A, B.
SEVERITAS bona, si justa, si bonus judex, id est justus, II, 302 C, *sq.* Debitum est justitiæ, II, 204 A. Ejus debita quæ, II, 303 A.
SEVERUS imperator Christianorum fuit memor, I, 703 B. Initio imperii sui illis favit, *ibid.* A. Proculum christianum, qui oleo eum sanaverat, in palatio suo retinuit, *ibid.* Leges Pappias et Julias abrogavit, I, 286 *sq.* Christo templum ædificare intendebat, I, 290 C.
SEXUS nullus in cœlo, I, 1307 A. In sexuum solemni officio anima et caro simul funguntur, anima concupiscentia et instinctu, caro opera et actu, II, 695 B.
SIBYNÆ, genus venabulorum, II, 361 C.
SICCITATES depulsæ geniculationibus et jejunationibus Christianorum, I, 703 C, 1195 C. Vid. IMBER, PLUVIA.
SICILIÆ nomen, unde ortum, I, 481 A. Quomodo in insulam efformata, II, 1034 A.
Siciliæ tyrannus Dionysius, II, 728 A.
SIDERA deos habebat Plato, II, 260 B. Siderum distincta confusio, II, 1033 A.
SIGE mater, seu Silentium, II, 551 A, B, 666 A.
SIGNUM omne ejus est cujus est res, II, 438 C.
Signa militaria adorabant Romani, per ea jurabant et omnibus diis præponebant, I, 367 *sqq.*, 579 A.
SIGNARE lectulum et corpusculum, I, 1296 A. Crucis signaculo frontem terimus ad omnem progressum et motum, ad mensas, ad cubilia, quocumque nos conversatio exercet, II, 80 A.
Signatur caro, ut et anima muniatur, II, 806 B.
SILENTIUM, æon Valentinianorum, II, 68 A. Vid. SIGE.
SILENTII fidem omnibus mysteriis tribuebant veteres, I, 309 A, 367 C.
SILENUS, Phryx, asseruit de orbe alio, II, 220 B. Penes aures Midæ blattit, II, 1032 B; quas lucratur, II, 649 A.
SIMILITUDO habet cum veritate honoris consortium, II, 518 A.
Similitudine animæ parentibus de ingeniis respondemus, II, 695 B.
SIMON magus, redemptor Spiritus sancti, II, 708 B. Ab Apostolis maledictus, de fide ejectus est, I, 672 B, C, *sq.* Summam virtutem, id est summum Deum, se ausus est dicere, II, 62 B, 708 B, *sq.* Mundum ab Angelis institutum docebat, *ibid.* Statua illi erecta, ut deo, I, 346 *sq.* Vid. HELENA.
Simonis hæretici prophetarum animas se movere spondent, II, 749 A.
Simoniana magia est disciplina angelis serviens, II, 46 C. A Petro in Simone damnata, *ibid.*
SIMONIA quam severe condemnata, I, 469 *sq.*
SIMPLICITAS, sapientiæ conjuncta, II, 544 B. Sola Deum agnoscere poterit et ostendere, *ibid.*

Digitized by Google

Simplicitatem volunt esse hæretici prostrationem disciplinæ, cujus penes nos curam lenocinium vocant, II, 56 B. Communium verborum simplicitatem torquent in quæstiones, II, 222 A.

Simulacra a Tuscis inventa, I, 430 A. Fiebant ex terrena ac vili materia, et vasculis communi ac vilissimo usui destinatis, I, 399 *sq.* Metallis censentur, I, 341 A. Nulla deorum simulacra olim apud Romanos, I, 430 A, 608 A; sive ante Numam Pompilium, *ibid.* Antequam ad hominis efficta sint similitudinem, quam ridicula fuerint, I, 339 *sqq.*, 366 *sqq.*, 378 A, B. Esse deos ejusmodi putabant gentiles, I, 488 A, 379 A; ac deos fieri ridicula consecratione, I, 339 *sqq.* Eadem patiuntur simulacra deorum ac Christiani ab ethnicis damnati, *ibid.* Primum, sine capite sunt, *ibid.* Cruci ac stipiti superstruuntur, I, 340 *sqq.*, 379 A. Asciis dolantur, runcinis et scabinis perpoliuntur, *ibid.* Inquinata, violata, fracta, minuta, destructa, consumpta, I, 344 A. A milvis, muribus et araneis coinquinata, I, 343 A. Ea ut fierent, ex imperatoris pendebat arbitrio, I, 439 A. Eorum fatum mutabant artifices, I, 339 *sq.* Ea in aliam formam convertebant, pignorabant et vendebant, I, 344 B. Eo charioris vendita, quo sanctior deus, II, 346 A, 576 A. Illa quilibet eligere aut repudiare poterat, I, 344 *sq.* Vid. Idolum.

Sinus Abraham, quid, II, 444 B.

Sirenes monstrosæ, fabulosæque cantatrices, I, 308 A. Eorum ora cruenta, *ibid.*

Smaragdi latebant in circulis, vel cingulis fœminarum, I, 1312 A.

Sobolem vicariam et posthumam supparari, II, 938 A. Verisimilius est sobolem ab origine potius quam originem a sobole vocitari, II, 219 B.

Sobrietas ad somnia habenda conducit, II, 733 A. Vid. Abstinentia, Fœmina, Gula, Somnia.

Societatis repudium numquam delicti præjudicium est, II, 981 B.

Socrates, omnium hominum sapientissimus oraculo declaratur, I, 303 A. Sed falso, *ibid.* Omnis illa sapientia de industria venerat consuetæ æquanimitatis, non de fiducia compertæ veritatis, II, 647 B. Corruptor erat adolescentium, I, 309 A. Leno erat philosophus Socrates, I, 373 A. Cum amicis uxorem communicabat, I, 372 A. Dæmones agnovit, I, 405 A. Dæmonium Socrati a puerilia adhæsit, pessimus revera pædagogus, I, 405 A; II, 647 B, 718 A. Dicere solebat : *Si dæmonium permittat*, I, 303 A. Consolabatur uxorem muliebriter inclamantem, II, 647 A.

Socrates deos existere non putabat, I, 589 A. Illos destruebat, I, 354 A. Ejus dementia per canem et anserem jurantis, I, 353 *sq.* Moriturus quam impie jusserit gallum Æsculapio pro se sacrari, I, 503 A, 589 A. Ejus de anima disputatio, cicutis damnationis exhaustis, II, 647 A. Illius condemnatio, I, 583 A. Cur capitali affectus pœna, *ibid.*

Socrates Argivus, I, 605 C.

Sodoma et Gomorrha, civitates igne consumptæ, I, 382 A. Ignium imbres meruit earum impietas, II, 1033 A, *sq.* Olet adhuc incendio tellus, I, 483 A. Ibi vastitas ingens, orba regio, cinis omnia, II, 1034 A, B. Vid. Poma. Urbes illa evasissent, si jejunassent, II, 962 C.

Sodomorum et Gomorrhæ populus, II, 339 B, 620 A, 1034 A, B.

Sol corpus, siquidem ignis, II, 658 B. Solem dumtaxat pedalem esse somniavit Epicurus, I, 591 C. Unicus sol hunc mundum temperat, II, 285 B. Terra longe majorem esse Peripatetici dixerunt, I, 591 C. Quibus salubris non sit, II, 285 B. Solis ipsius radio scriptum : *Ita claret*; proverbium, II, 863 B. Solem noctuæ nesciunt oculi, aquilæ sustinent, II, 658 B. Ad solem ungebantur Barbaricæ gentis infantes, II, 338 A.

Solis insolita, Christo moriente, defectio, in arcanis descripta, I, 401 A. In conventu Uticensi sol, extincto pene lumine, adeo portentum fuit, ut non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati, I, 701 B.

Sol lugebat filium suum detractum de cœlo, I, 359 A. A Persis verus esse Deus credebatur, et adorabatur, I, 369 A. Cur, I, 370 A, 579 A. Ejus cultus cur objectus Christianis, I, 369 A. In linteo et in clypeis depingebatur, I, 370 A. Ejus effigies de fastigio ædis emicabat, I, 369 A. Circus Soli principaliter consecratur, *ibid.* B.

Solitudo, solemnis regio Creatoris, II, 373 D. Vid. Deus.

Sollicitudo propinquitatis aliter est curiosa ac sollicitudo servitutis, I, 459 B.

Somnia a Deo sunt, II, 731 B, C. Plurima incutiuntur a dæmonibus, II, 731 B, et a magis, I, 411 A. Nemo potest ex arbitrio somniare, II, 732 A. Somniorum eventus et effectus, II, 724 A. Somniorum fides de effectu, non de conspectu renuntiantur, II, 749 C. Vana in totum ea judicavit Epicurus, II, 726 B. Aliquane natura somniorum immunis, II, 734 A. Infantes an somnient, II, 733 B. Somniorum et ecstasis differentia, II, 325 *sq.* Revelantur et honores et ingenia per quietem, præstantur et medelæ, proferuntur et furta, conferuntur et thesauri, II, 728 B. Sobrietas ad somnia conducit, II, 733 A, B. Certiora et colatiora somniantur sub extimis noctibus, II, 732 B. Homerus duas portas divisit somniis, corneam veritatis, fallaciæ eburneam, II, 726 C. Vid. Cicero, Nero, Sophocles, Philippus, Trasymedes.

Somnus est recreator corporum, redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, medicus laborum, II, 722 B, C. Vid. Nox. Corpori provenit in quietem, non et animæ, II, 722 A, 725 A, C, 819 B. Somno magis reficitur homo quam fatigatur, II, 322 A. Finis est operis, II, 722 A. Non est extranaturale, ut quibusdam philosophis placet, II, 721 B, *sq.* De somno variæ philosophorum opiniones, *ibid.* Somni ratio naturalis et natura rationalis, II, 724 B. Illud præit ratio, II, 722 B. Non semper ex fatigatione concipitur, *ibid.* A. Ejus plurima præparatura est in esu et potu, II, 723 A. Tam utilis est, ut absque illo nulla anima sufficiat, II, 722 B. Vid. Soranus, Stoici, Strato.

Somnus, speculum mortis, II, 734 A, 750 B. Somnus tam salutaris, tam rationalis, etiam in publicæ et communis jam mortis effingitur exemplar, II, 723 B. Corpus, in somno immobile situ, ostenditur quale ante vitam jacuit, et quale post vitam jacebit, II, 723 C.

Somnus probat quod sine corpore etiam plurimum potest anima, II, 724 A. Bona facta gratuita sunt in somnis et delicta secura, II, 726 A.

Sophia Dei est Spiritus et Filius ejus, II, 212 *sq.*; et ejus Sermo, II, 213 A. Ab æterno est genita, II, 212 *sq.* Sine initio non fuit, II, 213 A. Vice intelligentiæ et scientiæ ipsa est, II, 212 C.

Sophia, æon Valentinianorum, II, 553 *sqq.* Sophiam cognominant Terram et Matrem, II, 575 A.

Sophocles tragicus, somniando redinvenit coronam auream, quam ex arce Athenæ perdidissent, II, 729 A.

Soranus medicus quatuor libros de anima scripsit, II, 633 A, B. Ejus de anima sententia, II, 638 A, 668 B; et de infanticidio, *ibid.*; atque de somno, II, 724 C.

Soter in Alexandria triginta quinque annis regnavit, II, 692 A.

Soter alius, triginta et octo regnavit annis, II, 692 A.

Spartheoli, qui, et unde sic dicti, I, 474 A, D.

Spectaculum omne sine concussione spiritus non est, I, 647 B. Spectaculorum origo de superstitione idololatriæ, I, 466 A. Universa eorum paratura ex idololatria constat, I, 635 B. Quantis criminibus sint contaminata, I, 466 A, 630 *sqq.* An liceat Christianis uti spectaculo, I, 493 A, 635 *sq.*; vel ejus voluptates videre, I, 647 A. Circa voluptates spectaculorum infamata est conditio eis qui natura quidem omnia sentiunt ex quibus spectacula instrumenta, scientia autem deficiunt, II, 84 A.

Speculum alterius nulla res est, id est non coæqualis, II, 233 B. Speculum omni occasione consulere, I, 1325 A. Speculum mortis, somnus, II, 743 A, 750 B.

Spes unica totius orbis, Christus, II, 760 C. Spes Christianorum in cœlis, I, 260 A. Spei est contemplatio in hoc spatio per fidem, non repræsentatio nec possessio, sed exspectatio, II, 826 B. Spei nostræ retinacula, quæ, I, 1332 B. Sperando, timebimus; timendo, cavebimus; cavendo, salvi erimus, I, 1318 A.

Spes, dea, I, 600 C.

Speusippus, Platonis nepos et successor, in adulterio periit, I, 510 A.

Spirare est flatum ex semetipso agere, II, 663 A.

Spiritus sanctus tertia est persona SS. Trinitatis, II, 163 C, D, *sq.* Tertium nomen Divinitatis, et tertius gradus majestatis, II, 196 A. Ejusdem est cum Patre et Filio naturæ, *ibid.* A Patre Filioque procedit, II, 139 B. Cur non dicatur Filius, II, 163 A. Ejus natura propria sanctitas est, II, 933 C. Declarata est per animal simplicitatis et innocentiæ, I, 1208 A. Vicarius est Domini, II, 809 B. Ejus vicariam vim misit Christus, qui credentes agat, II, 26 B. Spiritus sanctus doctor veritatis, II, 34 C, 196 A. Christianæ disciplinæ determinator, II, 1001 B. Ipsum habent fideles, II, 920 A. Ultro agnoscitur, nec exspectat sanctitatis admonitionem, II, 933 C. Nemini Spiritus sanctus accommodatus sine fidei sacramento, II, 647 B. Nulli Christus exploratus sine Spiritu sancto, *ibid.* Spiritus Dei in nobis est patientibus, non ipse tamen patiens, sed pati posse præstans, II, 195 A.

Spiritus qui ferebatur super aquas, quis, I, 1208 A; II 227 A. Spiritus Dei Saul vertit in alium virum, II, 663 A. Spiritus sancti portionem, quæ ex forma prophetici moduli in Joanne egerat præparaturam viarum Dominicarum, abscedere jam ab Joanne necesse erat, redactam scilicet in Dominum, ut in massalem suam summam, II, 402 B. Vid. Paracletus, Xystarches.

Digitized by Google

Spiritus idem qui et sermo Dei, II, 189 A, B.
Spiritus nequam omnibus hominibus adhæret ab ipsa etiam janua nativitatis, animas aucupabundus, II, 717 B. Spiritus immundus in exorcismo oneratus, quid responderit, I, 657 B. Spiritus adversarius ex diversitate prædicationis apparet primo regulam fidei adulterans, et ita ordinem adulterans disciplinæ, II, 931 C. Vid. Dæmon, Diabolus, Satan.
Spiritus corpus est sui generis in sua effigie, II, 162 C. Spiritus et anima an duo sint, II, 664 A, B. Spiritus animalis, auriga corporis, II, 740 B. Vid. Anima, Corpus.
Spirituales sunt quædam substantiæ, I, 404 B. Spiritualis et incorporeæ rei ideam explicare nequiverunt gentiles philosophi, I, 516 *sqq.*
Sponsa Christi pura, sancta, caret etiam aurium macula, II, 981 A. Vid. Ecclesia, et Matrimonium, Uxor.
Statilius Taurus mœnia imposuit, II, 1031 A.
Statina dea, II, 718 A.
Statio, quæ, I, 1181 *sqq.* Probatur ex Veteri Testamento, II, 967 *sqq.* Stationes militares, I, 1183 A; II, 92 A, 967 A. Ab iis stationibus jejuniorum nomen acceperant Christiani, I, 1183 A. Diebus stationum ad sacram synaxim accedendum, licet non suscipiatur Christi corpus, I, 1182 *sq.* Stationes ante concilia, II, 972 C. Statio in eam usque horam celebranda est, in qua a sexta contenebratus orbis, defuncto Domino, lugubre fecit officium, II, 967 A, B. Ad vesperam stationem producere, II, 967 B, *sq.* Stationes quartæ et sextæ feriæ, II, 956 A, 973 A. Stationum semijejunia, II, 961 B. Vid. Jejunium.
Statuæ viris fortibus in cruciatibus erectæ, I, 534 A. Statuis remunerabantur philosophi, I, 502 A. Statuæ monumenta resurrectionis, I, 634 A.
Status uniuscujusque certum quid est, et dat sensui legem, ita sentiendi statum, sicuti est, II, 107 B.
Stella a stella differt in gloria, non in substantia, II, 866 A. Vid. Sidus.
Stephanus angelicum fastigium induit, II, 877 A. Cum lapidaretur, vidit adhuc stantem Christum ad dexteram Dei, ut exinde sessurum, II, 195 C.
Sterculus, deus qui stercora per agros spargit, I, 423 A, 599 B. Quam præpostere deus, *Ibid.*
Sterilem parere contra naturam difficile Deo non fuit, sicut nec virginem, II, 165 C.
Stesichorus, auctor, I, 641 A. Excæcatus ob convicium carminis in Helenam Trajanam, dehinc reluminatus, II, 709 A.
Stigmata corporalia, quæ, II, 480 A.
Stipes unoquoque mense in arca communi offerebant Christiani, I, 470 C. Stipites templorum, I, 494 A.
Stipitem non elaboratam quidam gentiles coluerunt, I, 366 A.
Stoici, a loco conventiculorum suorum nuncupati, I, 282 A. Deum corporeum dixerunt, I, 517 *sq.*; et extra mundum positum, I, 518 A. Sic volunt per Deum materiam decucurisse, quomodo mel per favos, II, 256 B. Malunt Deum, providentissimum humanæ institutioni, somnia nobis indidisse, peculiare solatium naturalis oraculi, II, 731 A. Somnum resolutionem sensualis vigoris affirmant, *ibid.* B. Eorum opinio de anima, II, 633 A. Non omnem sensum, nec semper de mendacio onerant, II, 674 C.
Stoicus christi mismus, II, 20 B.
Stola, puellarum vestis, I, 688 B.
Strabo auctor, II, 728 A.
Strabo physicus cœlum et terram dixit Deum, II. 260 B, 729 A. Docebat animam esse in superciliorum meditullio, II, 671 B, vel in membranulis, *ibid.* Animæ tuetur unitatem, II, 670 B. Somnum dicit segregationem consati spiritus, II, 721 B.
Strenæ memoratæ, I, 672 B, 682 B.
Stygias paludes poeta tradidit mortem diluentes, II, 734 B.
Stylus sensui posterior, I, 616 B.
Subigus, Deus, I, 601 A.
Substantia aliud est, et aliud natura substantiæ, II, 704 C. Substantia una, quam Deus in Adam contulit, et matricem omnium fecit, II, 684 A. Nulla digna est substantia quam Deus induat, II, 335 A.
Substantia una in tribus cohærentibus, II, 168 C. Vid. Trinitas.
Sudor digestionis æstuantis est index, II, 622 A.
Suetonius auctor, II, 637 B. 725 A.
Suffectura quodammodo est spiritus anima, II, 280 B.
Summum magnum necesse est sit unicum, II, 250 *sqq.* Vid. Deus.
Sumptuariæ leges ambitionem et sumptum comprimunt, I, 302 *sqq.* Postea spretæ, *ibid.*
Superstitio vulgaris communis idololatriæ, cum in simulacris de nominibus et fabulis veterum mortuorum pudet, ad interpretationem naturalium refugit, et dedecus suum ingenio obumbrat, II, 260 C. Superstitiones paganorum turpes et otiosæ, I, 305 A. Frequentior est omni superstitione luxuria et ambitio, I, 671 A.
Supplicium aquæ, mortis genus cæteris crudelius, I, 308 A.
Supplicia æterna non solum frustrantur, sed expugnant pœnitentes temporali afflictione, I, 1244 A.
Supputaria digitorum gesticula, I, 387 A.
Susanna relevata est in judicio, II, 81 A.
Suspiciones impudicæ omni modo cavendæ, I, 1331 A.
Sustinere in finem, nihil aliud quam pati finem II, 131 B.
Sutri urbis dea Nortia, I, 421 A, 596 A.
Sutrinæ Venetæ, II, 1046 B.
Sybilla, veri vera vates, ante exstitit quam omnis litteratura, I, 385 A, 603 B. Ejus carmina de Saturno, *ibid.* Dæmonibus tribuebant ethnici ejus oracula, *ibid.* Taciti testimonium de Sybillis ethnicorum, I, 385 A.
Sylla nullus gentilium Deus felicior, I, 337 A. Ejus lances splendidissimæ, II, 706 A.
Syllogismi Apellis, II, 71 C.
Symbolum, Vid. Fides, Sacramentum. Mortis symbolum necessitate Deus indulget, I, 1238 B.
Synagogæ Judæorum, fontes persecutionum, II, 143 A.
Synaxes Christianorum, quam sanctæ, I, 468 *sqq.* Quo die agebantur, I, 371 A, 579 A; II, 79 B. Coibant in cœlum, ut, quasi manu facta, Deum precationibus ambirent, I, 468 *sqq.* In synaxibus orabant, legebant sacras Scripturas, *ibid.* Fiebant exhortationes, castigationes et censura divina, I, 469 A. Præsidebant probati seniores, *ibid.* Stipes in eis oblatæ et in arca servatæ, I, 470 A. Quibus egenis distributæ, *ibid.* In synaxibus cœna quam modesta et frugalis, I, 477 A. Aqua, manualis, lumina, hymni, oratio et colloquium, *ibid.* Quanta impudentia ethnici has synaxes infamare conarentur, I, 478.
Syracusas mœniunt Corinthii cum Archia, II, 1036 A.
Syrmium urbs, I, 425 A.
Syrorum dea, Atagartes, I, 418 A, 596 A.
Syzygiæ Valentinianorum, II, 68 A.

## T

T græcum, species crucis, II, 353 A.
Tabellæ naturalium, sponsalium et nuptiarum, II, 906 A.
Tabella condemnationis, I, 279 A.
Tabernæ, quam frequentes Romæ, I, 452 B.
Tabula ludere, II, 768 A.
Tabularii, I, 474 A.
Tacitus, mendaciorum loquacissimus, I, 364 A, B. Cur et quam falso dixerit imaginem asini a Judæis consecratam, I, 364 A.
Talio prohibetur, II, 395 *sq.*
Tallus. Vid. Thallus
Tarentium oppidum, II, 1029 A.
Tarpeios seu Pompeios civitatem de monte suo perfudit ignis, I, 485 A, 571 B. Tarpeii ludi, I, 637 B.
Tatianus hæreticus, Justini martyris discipulus, II, 72 A, 974 A. Totus secundum Valentinum sapit, 72 A.
Tatius Cloacinam invenit, II, 266 C.
Tauri figura de Christo, II, 626 B.
Taurinæ fabulæ, I, 317 A.
Telmessenses nulla somnia evacuant, imbecillitatem conjectationis incusant, II, 727 A.
Temeritatis modus testatio est timoris, I, 1241 A.
Templa deorum nulla olim apud Romanos, I, 430 B. Imperatoribus viventibus aut mortuis condita, I, 347 A. Custodita Cæsareorum militum excubiis, I, 438 *sq.*; II, 92 A. Eorum lacunaria colebant gentiles, I, 418 A. Eorum januis laurus et lucernæ appensæ, I, 458 *sq.*, 684 C. Arboribus obumbrabantur, I, 315 A. Templa sua ethnici ingredi non poterant, nisi data mercede pro solo templi, pro aditu sacri, et pro stipibus, I, 346 *sq.*, 493 *sq.*, 574 A. Eorum stipes imminui quinam conquesti sint, I, 494 A; ac vectigalia, ob Christianos ea non adeuntes, imminuta, I, 493 *sq.* Quantum desolata, I, 300 A, 494 *sq.* Lenociniis et adulteriis polluta, I, 373 A. Templa sua despoliabant ethnici et per ea jurabant, I, 699 B. Ea curare Christianis non licebat, I, 687 B. Nec interdiu ea noverant, I, 363 A. Illa sine periculo disciplinæ adire potest servus Dei, urgente simplici causa, II, 640 B.
Templum Dei catholicum Christus, in quo Deus colitur, II, 331 B.
Tempus, arbiter et motator initii et finis, II, 255 B. Tempora diebus, mensibus et annis compinguntur, II, 453 A. Temporum ratio unde nata, II, 287 B. Temporum vices

Digitized by Google

Deus ordinavit, I, 608 B. Omnia tempus revelat, I, 310 A. Omnia tempus exspectant, II, 890 A. Omnis res anterior posteriori normam præministravit, II, 256 B.

Tenebræ homini sunt visibiles, II, 222 B.

Tentationis materia in re aliqua debet subesse, II, 766 B. Tentationem præcedit quæstio orta ex dubitatione, *ibid.* c. Post Baptismum sequuntur tentationes, I, 1225 *sq.* Eis via non aperienda, I, 1318 *sq.* Conflictatione carnis et spiritus subsecuturis tentationibus munimenta præstruximus, I, 1223 A. Tentationes repellit oratio, I, 1196 A.

Terra virgo fuit, nondum opere compressa, ex qua hominem factum accipimus a Deo in animam vivam, II, 782 A. An terra esset quæ facta est, magna quæstio, II, 222 A, 1034 B. Carnis nostræ matrix est, II, 262 A, B. Sequestratorium est seminibus illic deponendis et inde repetendis, II, 872 c. Cur maledicta fuerit, II, 832 A. In forma mutavit orbis in diluvio, II, 1033 B. Vid. Diluvium. Sed et nunc localiter mutat habitus, cum situs læditur, II, 1033 B.

Terræ duæ in SS. Scripturis proponuntur, quæ, II, 219 B.

Terra repromissionis est possessio vitæ æternæ, II, 622 A.

Terra sancta caro Domini interpretanda, II, 833 A. Terra vere sancta, per incolatum Spiritus sancti, *ibid.*

Terrenæ originis signa, II, 771 A, B. Terrenorum amissio quomodo ferenda, I, 1260 B.

Tertullianus Carthagine in Africa natus, II, 1032 A. Falsas ethnicorum superstitiones cum lacte suxit, I, 378 B, 1227 B. Profanis spectaculis delectabatur, I, 652 A. In turpia carnis vitia prolapsus, II, 881 B. Se omnium notarum peccatorem dixit, I, 1224 B, 1233 B, 1248 B. Sumpto philosophorum pallio, sese ex nogotiorum tumultu subduxit, I, 1047 A. Græce etiam scripsit, I, 1216 B. Fatetur se ex Irenæo sumpsisse, II, 548 A. In persona Christi alloquitur hæreticos ironice, II, 60 A.

Testa ex argilla facta, non est amplius argilla, II, 776 c.

Testamentum vetus in Christo sepultum est, II, 973 A. Veteris decessio, et successio novi, II, 415 A. Testamentum novum oportebat in eo suggestu consiguari, in quo conscriptum vetus fuerat, II, 414 B. Vid. Lex, Scriptura.

Thales milesius, physicorum princeps, I, 383 A, 389 A. Cœlum rimando, incidit in puteum, II, 656 A. Ex aqua animam constare dixit, II, 633 A. Responsum ejus Cræso sciscitanti de diis, I, 592 A.

Thallus, I, 350 A, 385 A, 387 B, 402 B.

Thamar ornata se prostituit, II, 1330 B.

Theatrum proprie sacrarium Veneris, I, 642 A. Consistorium impudicitiæ, I, 649 B, c. Ars omnium turpitudinum, *ibid.* B. Theatra stuprandis moribus orientia, I, 299 A. Quam obscœna et nefanda, I, I, 301 A, 658 *sq* ; II, 993 B. C. Iis penulati aderant, I, 301 A. Videbantur nec sola nec nuda, *ibid.* Eorum interdictio ab impudicitiæ interdictione, I, 650 B. In theatro nihil probatur quam quod alibi non probatur, I, 649 B. Mulier quæ theatrum adierat, cum dæmone rediit, I, 657 B. Theatra olim nuda et sine tecto, I, 301 A, 302 B.

Thebis hebetes et brutos nasci relatum est, II, 683 A.

Theclæ exemplum perperam Paulo adscriptum, I, 1219 A.

Themistocles nullus gentilium deus militari gloria clarior, I, 336 B.

Theodotus, hæreticus Byzantinus, Christum, non Deum, sed hominem nudum dixit, II, 72 B.

Theodotus, hæreticus alter, etiam Christi negavit divinitatem, II, 72 c.

Theopompus, II, 220 B, 725 A. Vid. Thrasimedes.

Theotimus, hæreticus, multum circa imagines Legis operatus est, II, 546 B.

Thesauri divini conditorium, II, 857 A.

Thrasymedem numquam somniasse refert Theopompus, II, 725 A, 733 B.

Thurarius, christianus, domum suam dæmoni cellariam fecit, I, 677 A.

Thura cremabant Christiani, sed non quo modo ethnici, II, 90 B. Etiam in sepulturis thus adhibebant, I, 493 A. Vid. Sabæum.

Tiberii tempore nomen Christianum in sæculum intravit, I, 290 A. Tiberius Christum volebat in deos referre, I, 290 A. Comminatus est periculum accusatoribus Christianorum, I, 291 A. Prohibuit infantes Saturno immolari, I, 314 A. Regnavit viginti duobus annis, mensibus septem, diebus viginti, II, 615 B. A Tiberio ad Antonium sunt anni fere centum quindecim, et dimidium anni, cum dimidio mensis, II, 267 B.

Timæus scriptor, I, 656 A, B.

Timiditas omnia persuadet, II, 118. B.

Timor justus nullus est periculi dubii, II, 823 A. Timoris origo, notitia, I, 588 A. Ejus materia, via, sævitia, judicium, vindicta, damnatio, II, 373 c.

Timor salutis fundamentum est, I, 1318 A. Timor hominis, Dei honor est, I, 1241 A. Ad bonum, non ad malum, confert, II, 299 c. Timore quidam peccant, I, 1236 A. Præsumptio, impedimentum timoris, I, 1318 A. Nihil timorem subvertit sicut contumacia, I, 1233 A.

Toga pura, I, 685 A. Toga candida, I, 688 A. Apellatione virilis est, I, 685 B. Ejus descriptio, II, 1046 A. Qui ea uterentur, I, 685 A. A Pelasgis ad Lydos, a Lydis ad Romanos, a Romanis ad Carthaginenses transmeavit, II, 1031 B. Togæ plus læsere rempublicam quam loricæ, 1048 A.

Tonitrua signa sunt imminentis iræ Dei, I, 701 B.

Traditio in multis disciplinis prætenditur auctrix, consuetudo conformatrix et fides observatrix, II, 80 A. In multis Ecclesiæ disciplinis nulla scripturarum invenitur auctoritas, *ibid.* Traditio non scripta potest in observatione defendi, si consuetudine confirmetur, II, 81 B. Deficiente lege, traditio consuetudini dat morem, *ibid.* Ratio traditioni patrocinatur, II, 80 A. Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum, II, 40 B. Ubi fides vera, ibi veritas traditionum christianarum, II, 31 B. Nostra doctrina de Apostolorum traditione censetur, II, 33 B, *sq.* Id est ab Apostolis traditum quod apud ecclesias apostolorum fuerit sacrosanctum, II, 270 B. An omnia tradiderunt, II, 37 *sq.* Apostolica traditio nihil passa est in tempore suo circa Dei regulam, II, 270 B.

Traditioni debetur obsequium, II, 80 A; etiam non scriptæ, II, 81 B. Si christianus es, tene quod traditum est, II, 735 B. Christianus credit quod traditum est, II, 745 B. Vid. Observationes.

Tragœdiæ et comœdiæ sunt libidinum et scelerum auctrices, cruentæ et lascivæ, impiæ et prodigæ, I, 650 B. Vid. Theatrum.

Trajanus imperator Christianos damnat et absolvit, I, 373 A, B. Ejus sententia de Christianis confusione plena, *ibid.*

Transfiguratio interemptio est pristini, II, 197 A.

Transgressio, perditionis caussa, II, 842 B.

Transmigrationes solemnes populorum, II, 700 B.

Tribunal Dei salvum hominem exigit, I, 883 A. Vid. Judicium.

Trinitas personarum, Patris et Filii et Spiritus sancti acerrime propugnatur, II, 136, *sq.* Trinitatis distinctionem et demonstrationem Scripturæ omnes ostendunt, II, 166 A, B. Trinitas rationaliter expensa, veritatem constituit, II, 158 A. Trinitas, per consertos et connexos gradus a Patre decurrens, et monarchiæ nihil obstrepit, et œconomiæ statum protegit, II, 164 A. In Trinitate unitas disponitur, tres non statu, sed gradu; non substantia, sed forma; nec potestate, sed specie; unius autem substantiæ et unius potestatis, II, 157 B. Vid. Filius, Pater, Spiritus sanctus, Unitas.

Trinitas Valentiniana, II, 19 A, 684 A.

Triptolemus memoratus, II, 238 c.

Troades Sarpedonis oraculum, II, 730 A.

Trochillus Argivus, auctor currus, I, 641 B.

Trophonii in Bœotia oraculum, I, 404 A; II, 730 A.

Trulla Minervæ, I, 344 B.

Tunicæ Carthaginensium, II, 1031 B.

Tutelinæ columnæ, a tutelis fructuum, I, 639 c.

Tutunus, deus, I, 601 A.

Typhon, II, 747 B.

Tyri auro calceabantur, II, 1043 A.

Tyrrhenus, dux Lydiorum in Etruriam, I, 656 A.

## U

Uber a quomodo fluant, II, 787 A. Vid. Lac, Vulva.

Ultio solatium videtur doloris, I, 1264 B. Ultionis libido, summum impatientiæ stimulus, *ibid.* Negotium curat aut gloriæ aut malitiæ, *ibid.* Ultionis modum regere non possumus per impatientiam doloris, I, 1266 A. Ultio interdicta, II, 395. Penes Deum redarguitur malignitatis, I, 1264 B. Ultionis metu, omnis iniquitas refrænatur, II, 395 c.

Unctio benedicta, post Baptismum, de pristina disciplina, I, 1206 c. Ungitur caro, ut anima consecretur, II, 806 B. Unctio carnaliter currit in nobis, sed spiritaliter proficit, I, 1207 A.

Unctionem chrismatis regalis confici in captivitate non licere Lex jubet, II 634 A. Athletarum unctio ad solem, II, 618 A, B.

Unicum et singulare id cui nihil æquatur, II, 201 B.

Unitas, ex semetipsa derivans trinitatem, non destruitur ab illa, sed administratur, II, 138 A. Unitas Ecclesiæ adstruitur, II, 32. Unitas irrationabiliter collecta, hæresim facit, II, 158 A.

Unum est omne quod semel est, II, 982 A. Quod unum

Digitized by Google

non est, numerus est, *ibid.*
Urbes tantæ nunc quantæ olim casæ, II, 700 A. Vid. Civitas.
Ursæ stellæ in septentrione, II, 143 B.
Uscra fœnoris abundantia est, II, 398 C.
Uticæ, solis defectio, I. 701 B.
Uxores suas communicabant ethnici, I, 472 A. Quod Christianis est interdictum, *ibid.* Uxorum pluralitas Patriarchis quomodo permissa, I, 1277 A. Vid. Matrimonium, Nuptiæ.

## V

*Væ*, imprecationis et comminationis inclamatio, II, 462 A, B. *Væ* Christi in Evangelio, exponitur, II, 392 *sq.* *Væ* prægnantibus et nutricibus multo gravius et amarius in concussione totius mundi, quam in vastatione Judææ, II, 952 A.
Valentia, Ocriculanorum dea, I, 421 A.
Valentinus, ubi, quando et quomodo vixerit, II, 42. Episcopatum spreverat, qui et ingenio poterat et eloquio, II, 546 A. Platonicus fuit, II, 21 B, 42 A, 786 A. Condiscipulus Apellis, II, 754 C. Valentinus et Marcion comparantur, II, 52 B. Honestior fuit et liberalior Marcione, II, 251 C. Hæreticus ille multas introduxit fabulas, II, 67 B. Veritatis adulter est, II, 43 B. Ejus hæresis, II, 68, 779 B, C. Ejus monstrosa nomina, II, 141 A. Æones illius, II, 19, 46 B, 68, 251 C. 551 *sq.*, 686 C. Œonum genealogiæ, II, 551 A. Æones suos spargit, et unius æonis vitium in originem deducit Dei creatoris, II, 47 A, 379 A. Valentini examen semen Sophiæ infulsit animæ, II, 686 C. Negat resurrectionem, II, 46 A. Error ejus de Christo, II, 69 B. Materiam ad scripturam excogitavit, II, 52 B. Novum Testamentum aliter exponit et sine dubio emendat, II, 43 B.
Valentiniani notantur, II, 41 *sq.* Eorum origo, II, 546 A, B. Quando proserpant, II, 543 A. Eorum factionis prima quadriga defenditur, matrix et origo cunctarum, II, 552 A. Illorum semina hæretica, II, 678 A, et initiatio, II, 540 A. Ipsis licet quod Valentino, II, 58 A. Nihil magis curant quam occultare quod prædicant, II, 538 B. Artificium habent, quo prius persuadeant quam doceant, II, 543 B. Resurrectionem jam esse factam affirmant, II, 46 A.
Varronis quanta eruditio, I, 587 B. Deorum originem a Jove, Junone et Minerva repetit, I, 601 B. Triplex finxit deorum genus, physicum, mysticum et gentile, I, 387 B. Deos Romanorum in dubios, certos et electos divisit, I, 597 B. Somniavit eos esse animalia quæ a se ipsa moverentur, I, 590 A. Trecentos Joves introduxit, I, 335 *sq.*, 576 A. Ludos a lusu interpretatur, I, 658 B.
Varsutina, dea Maurorum, I, 396 A.
Vasa escaria et potatoria ex ære, II, 1310 A.
Vas capacitatis nomine dicta est caro, II, 716 A.
Vasculorum Judæorum omnifariam curam cur Deus distinxerit, II, 306 C.
Vatum impuratissimis linguis delectabantur dæmones, I, 415 B.
Vectigalia summa cum fide Christiani pendebant, et majori cura quam gentiles, I, 494 A. Quantis hi dolis et mendaciis illa fraudabant, *ibid. sq.*
Vedius Pollio servos murænis invadendos objectabat, II, 1048 B.
Velamen, virginis dicatus Deo habitus, II, 893 A. Omnis publicatio virginis bonæ, stupri passio est, II, 892 B. Debet adumbrari facies tam periculosa, II, 899 B. Virgo ad velamen capitis confugit, quasi ad galeam, quasi ad clypeum, II, 910 A. Velaminis mensura sorori cuidam Montanistæ fuit revelata, II, 912 B. Carthaginenses mulieres ita velabantur, ut neque nudæ, neque tectæ essent, II, 912 A. Arabicæ fœminæ ethnicæ faciem totam contegunt, uno tantum oculo liberato, *ibid.* Vid. Virgo.
Venetiæ sutrinæ, II, 1046 B.
Venia difficilium facilis, I, 1289 B.
Venillia dea, I, 600 C.
Ventri cur pudenda adhæreant, II, 953 B.
Venti et auræ differentia, II, 295 A.
Venus, sauciata, I, 331 A. A pastore judicata, I, 359 *sq.* Ei myrtus sacra, II, 94 A. Venus, mater Æneæ, *ibid.*
Verbum. Vid. Sermo.
Verbo Dei nihil proponendum, II, 403 C. Verbum Dei administratio in ecclesia, II, 329 B; apud hæreticos, II, 57 B.
Verbum humanum interius, I, 160 C.
Verba non solo sono sapiunt, sed et sensu, II, 136 B.
Veritas, æon Valentini, II, 552 *sqq.*
Veritas in omnibus antecedit imaginem, II, 41 B. Falsum præcedat necesse est, II, 368 A. Regula veritatis quæ, I, 519 B. Testimonium veritatis ubique occupantis principatum, II, 48 B. Ejus integritas, quæ, I, 653 A. Christianus veritatis integrator et custos, I, 514 A. Ubi Deus non est, nec veritas ulla est, II, 58 B. Nemini veritas comperta sine Deo, II, 647 B. Veritatem se Christus nominavit, non consuetudinem, II, 889 A. Nihil verum in his qui Deum nesciunt præsidem et magistrum veritatis, I, 1316 B. Apud ethnicos veritas omni retro tempore damnata, I, 563 C. Nullam habent veritatis plenitudinem, quia nec doctorem veritatis Deum, I, 653 A. Non desiderat vetustatem, II, 697 C.
Veritas ubi quærenda, II, 31 B, 48 B. Ejus revelatio quam jucunda, I, 659 C. Congruit veritati ridere, quia læta, de æmulis suis ludere, quia secura est, II, 550 A. Veritatis cuneo omnis extunditur hæresis, II, 270 C. Veritatis simplicitate, non curiositate hostes Domini vincendi, II, 310, A. Nihil erubescit, nisi solummodo abscondi, II, 545 A. Patet mendacio, II, 258 B. Cum paucis amatur, II, 982 A. Virtus expedita veritatis paucis amat, II, 319 A. Decet veritatem totis viribus uti suis, non ut laborantem, II, 322 D. Magna distantia inter opinionem et veritatem, I, 585 B. Veritas odio semper est, I, 334 A. Eam nescire malunt homines, quia jam oderunt, I, 261 A. Omnia adversus veritatem de ipsa veritate constructa sunt operantibus æmulationem istam spiritibus erroris, I, 519 B. Diabolus affectavit aliquando veritatem, II, 154 D.
Verius id quod prius, prius id quod ab initio, II, 248 A, 366 C. Verum quodcumque primum, adulterum quodcumque posterius, II, 157 B.
Verno tempore, anima magis est quieta, II, 732 B.
Verus imperator nullam adversus Christianos legem tulit, I, 297 A.
Vespasianus imperator, anno primo imperii sui, debellavit Judæos, II, 616 A. Nullam legem tulit in Christianos, I, 297 A. Imperavit annis undecim, II, 616 A.
Vespronius Candidus Christianum quasi civem suis satisfacere dimisit, I, 703 A.
Vestam interpretabantur ignem, II, 261 A.
Vestalium virginitas, II, 953 A. Ignem perpetuum nutriebant, I, 1284 A.
Vestibula Romanorum clarissimis et elatissimis lucernis illuminabantur, I, 459 A.
Vestificina, II, 1039 A.
Vestis propria uniuscujusque est tam ad usum quotidianum quam ad honorem et dignitatem, I, 687 B. Divitiarum vel natalium aut dignitatum ratio sinit pompaticas vestes, I, 1326 A. Vestes pupureæ et aerinæ Deo non placent, I, 1312 B. Nullus habitus est apud nos licitus illicito actui adscriptus, I, 691 A. Cum voce (lingua) vestis intrat, II, 1039 B. Necessitas et ambitio varias vestimentorum formas promulgavere, *ibid.* Habitum vertere naturæ totius solemne munus est, II, 1032 B.
Vestes prætextæ, palmatæ, trabeæ, laticlavi, fasces, I, 687 C, *sq.* His etiam idola induebantur, *ibid.* Vestimenta Carthaginensium, qualia olim fuerint, II, 1030 C, 1031 B. Mulierum vestimenta, olim qualia, II, 911. Vestes matronarum et meretricum diversæ erant, I, 301 A. Postea indistincta, *ibid.* Puellis stola, pueris prætexta vestis, I, 688 B. Vid. Pallium.
Vestimentorum in Scripturis allegoria, II, 834.
Vestiri Spiritu sancto, quid, II, 50 A.
Vesuvius mons semper ardens, imago inferni, I, 527 A.
Viam Domini præparare, quid, I, 1213 B.
Victimæ humanæ, II, 156 C. Vid. Ethnici, Mercurius, Saturnus.
Victoria, gentilium dea, et quæ ejus effigies, I, 366 *sq.*, 379 A.
Victorinus, hæreticus, II, 74 A.
Videre et videri, ejusdem est libidinis, II, 891 B.
Viduitas laudatur, I, 1286; II, 806 B, C, *sq.*, 928 *sq.*, 952 *sq.* Viduitati apud Deum subsignatæ nihil necessarium quam perseverare, *ibid.* Sacerdotium viduitatis, *ibid.* Virgo vidua, monstrum, II, 902 B. Vid. Virginitas.
Viduus, seu Vidius, deus qui animam corpore viduat, I, 606 A.
Vigellius Saturninus, qui primus in Christianos gladium egit, lumina amisit, I, 702 A.
Vindictæ exspectatrix patientia, quomodo, II, 395 B. Vid. Ultio.
Vini usus, cur olim mulieribus interdictus, I, 302 A. Propinqui osculum eis dabant, ut experirentur an vinum bibissent, I, 303 A. Per vinolentiam quidvis mali insinuant mulieres, I, 1288 A. Cellas vinarias cera ac sigillo munibant Romani, I, 303 A, B.
Viperæ morsum sprevit Apostolus, II, 122 B.
Virginitas, gratum Deo sacrificium, II, 806 B. Gratia constat, continentia vero virtute, I, 1287 B; II, 905 B, 915 A. Virginitas vera, et tota et pura, nihil magis timet quam semetipsam, II, 910 A. Etiam fœminarum oculos pati non vult, alios ipsa oculos habet, *ibid.* Virginitas coacta et invita admittit flagitia, II, 909 A. Virginitas ostentatitia, II,

892 B. Ejus pericula, II, 909 B, C. Virginitas et continentia cur nuptiis anteponenda, *ibid.* Plurimi Christiani olim virginitatem servavere, I, 527 A, B. Vid. CONTINENTIA.

VIRGO felicior haberi poterit, at vidua laboriosior, I, 1287 B. Virginum encomium, I, 1280 B. Virginem in muliere intelligi voluit Apostolus, II, 900 A. Virgines oportet velari, I, 1184 A; II, 888 *sqq.* Virginis bonæ publicatio, stupri passio est, II, 892 B. Virgines suas olim Corinthii velabant, II, 901 B. Vid. VELAMEN. Plures ecclesiæ per Græciam virgines suas recondunt, II, 890 B. Virgines hominum adversus virgines Dei ambiunt, II, 892 A. Virgo Christo tradita ab hæreticis stuprata, II, 59 A.

Virgines utriusque sexus apud ethnicos, II, 928 C, *sq.*, 953 A.

VIRTUS duritia exstruitur, mollitia destruitur, I, 624 B.

VISCERATIO, distributio carnis quæ fieri solebat vel in solemni sacrificio, vel in funere alicujus excellentis, II, 331 B, 640 C.

VISUS quomodo fallatur, II, 674 B. Vid. OCULUS, VIDERE.

VISIDIANUS, deus Narniensium, I, 420 A.

VITA, æon Valentiniani corporis, II, 553.

VITA, conjunctio corporis et animæ, II, 695 A. Exinde vita quo et anima, *ibid.* Vitam a conceptu agnoscimus, *ibid.*

Vita mundialis, quæ, II, 861 A.

Vitæ æternæ, non longæ, invitator Christus, II, 424 D.

VITALIA pro cujusque generis dispositione omnibus propria animalibus temperavit artifex Deus, II, 662 A.

VITELLIUS mensibus octo et diebus decem regnavit, II, 616 A. Ejus commentaria, II, 728 A.

VITIS, adhuc tenera et impubes, intelligens tamen jam opera sua, et volens alicui adhærere cui innisa et innixa proficiat, sine arundine, sine cervo, si quid attigerit, ultro ambibit, et quidem viriosius; properat esse secura, II, 681 B.

VITIORUM ordo pro dispositione membrorum, II, 953 B.

VITUMNUS, deus, I, 600 C.

VOLETA, dea, I, 600 C.

VOLUMNUS, deus, I, 600 C.

VOLUPIA, dea, I, 600 C.

VOLSINII, seu Vulsinii, Volsinienses, I, 487 A, 571 B. Eos de cœlo perfudit ignis, *ibid.* Illorum dea Nortia, I, 421 A.

VOLUNTAS libera et coacta, II, 917 A, B. Voluntas quæ sine concupiscentiæ stimulo, II, 276 C.

Voluntas Dei occulta et manifesta, II, 917 A. Quomodo de ea loquendum, II, 925 B. Alte et impresse recogitanda Dei voluntas, quid etiam in occulto velit, II, 916 C, *sq.* Non est bonæ et solidæ fidei sic omnia ad voluntatem Dei referre, ut non intelligamus esse aliquid in nobis ipsis, II, 915 B, *sqq.* Excusabitur omne delictum, si contenderimus nihil fieri in nobis sine Dei voluntate, II, 915 C. Quanta inde mala, *ibid.* Non omne quod permittit Deus, ex mera et tota voluntate ejus procedit, II, 917 A. Vid. PERMISSIO.

VOLUPTAS nulla major, quam fastidium ipsius voluptatis, I, 659 C. Fugienda Christianis voluptas, I, 659 A. Illorum voluptas, quæ, I, 659 *sqq.* Ubi voluptas, ibi et studium, per quod voluptas sapit, I, 647 B. Voluptatis nomen quieti et tranquillitati dederunt philosophi, I, 659 B.

VOTUM continentiæ, II, 905 A.

VULCANUS faber, I, 574 B.

VULCANII montes, ignis æterni figuræ, I, 1247 B.

VULTURES, fœminæ tantum, sine masculo matres, II, 557 A.

VULVA fontem suum transfundit in ubera, II, 787 A. Vulvæ adapertæ nuptialem passionem agnovit Apostolus in Maria Virgine, II, 790.

XENOCRATES, II, 632 C. Animam in vertice præsidere dixit, II, 671 B.

## X

XEROPHAGIA panis angelici, II, 960 B. In xerophagiis tam antiquissimæ quam efficacissimæ religionis operatio est, II, 964 B. Xerophagias observabant Montanistæ, II, 955 A.

XYSTARCHES noster Spiritus sanctus, I, 624 B.

## Z

ZACHÆUS, etsi allophylus, fortasse tamen aliquam notitiam Scripturarum ex commercio Judaico hauserat, II, 451 C.

ZACHARIAS inter altare et ædem trucidatur, perennes cruoris sui maculas silicibus adsignans, II, 137 B.

ZENO apud Prienenses tyrannidem affectat, I, 511 A. Ejus vigor, I, 651 B. Ejus in tormentis constantia, I, 533 A. A quo et cur occisus, *ibid.* Ejus animam Dionysii tormenta prætereunt, II, 751 A. Morte sua probavit contemptum mortis a philosophia doceri, I, 533 A.

Zeno aerem et ætherem Deum dixit, II, 260 B. Ejus disciplina est ubi materia Deo adæquatur, II, 19 B. Dei λογον agnovit, I, 395 A. Consitum spiritum animam definit, II, 653 A. In tres partes eam dividit, II, 668 B.

ZODIACUS taurum et leonem continet, II, 143 B.

ZONA ignea ad introitum paradisi, I, 520 A.

Zonarum vincula, II, 143 B.

# SYLLABUS RERUM

## QUÆ IN HOC VOLUMINE INCLUDUNTUR.

PRÆFATIO in duos sequentes tomos. I

ART. I. Syllabus auctorum. *Ib.*

ART. II. De auctoritate S. Cypriani. VI

ART. III. De usu S. Cypriani. XVII

ART. IV. Annales litterarii Minorum Patrum a Tertulliano ad Cyprianum. XLIV

ART. V. Annales litterarii Cyprianici. LVII

*Acta SS. Perpetuæ et Felicitatis*, col. 9

PROLEGOMENA *Ib.*

I. De horum Actorum editis et mss. *Ib.*

II. Perpetua et Felicitas an Tuburbitanæ. *Ib.*

III. Non Tuburbii, sed Carthagine martyrium passæ noscuntur. 11

IV. Tempus passionis inquiritur. *Ib.*

V. De horum Actorum auctore, seu potius collectore: an Tertullianus. *Ib.*

VI. Non fuit Montanista: contra Valesium. 12

VII. Exploditur iterum commentum de auctoris montanismo. *Ib.*

VIII. De harum Martyrum cultu et memoria. 13

PRÆFATIO AUCTORIS HORUM ACTUUM 14

Incipit Passio 16

CAPUT I. Apprehensis sanctis, S. Perpetua patrem vincit, cum aliis baptizatur, detruditur in tetrum carcerem; sollicita de infante, ex visione sibi facta, scalæ in cœlum erectæ, et ascensus S. Saturi et sui, et buccellæ oblatæ, intelligit martyrium propediem futurum. 16

CAP. II. Perpetua, a patre oppugnata, confortat eum; cum aliis ad tribunal ducta, confitetur se christianam, damnatur cum reliquis ad bestias; orat pro fratre Dinocrate mortuo, quem in visione intelligit a purgatorii pœnis affligi et liberari. 29

CAP. III. Perpetua a patre iterum tentatur; visio ejus tertia, in qua adducitur ad luctam contra Ægyptium, proposito præmio; pugnat, vincit et præmium accipit. 38

CAP. IV. S. Saturus, in visione sibi facta, et S. Perpetua ab Angelis in lucem magnam portati, vident martyres; ducti ad thronum Dei, osculo excipiuntur. Optatum episcopum et Aspasium presbyterum conciliant. 42

CAP. V. S. Secundulus in carcere moritur. S. Felicitas gravida, fusis precibus, octavo mense, parit sine dolore. Invictus animus S. Perpetuæ et S. Saturi. 45

CAP. VI. E carcere in amphitheatrum hilares educuntur, maxime Perpetua et Felicitas: omnes renuunt vestes profanas induere; flagellantur, anhelant ad bestias, objiciuntur; Saturus bis illæsus: dejiciuntur SS. Perpetua et Felicitas; revocantur in portam Sanevivariam. S. Saturus, a leopardo læsus, militem adhortatur; se invicem osculantur; gladio occiduntur. 49

DISSERTATIO APOLOGETICA CARDIN. JOSEPHI AUG. ORI

Digitized by Google

SI, PRO SS. MARTYRUM ORTHODOXIA. 61
CAPUT I. Externis argumentis ex Ecclesiæ et veterum Patrum auctoritate petitis, SS. Perpetuæ, Felicitatis et sociorum martyrum orthodoxia vindicatur. 62
I. Tertulliani coævi scriptoris pro Perpetua sociisque martyribus testimonium. *Ib.*
II. Pontius diaconus eorumdem martyrum acta non obscure laudavit. *Ib.*
III. Perpetuæ et Felicitatis antiquissimum fuisse in Ecclesia Romana cultum, ex Bucherii pervetusto calendario demonstratur. 64
IV. Sanctus Augustinus earumdem martyrum variis in locis cum laude meminit, ac tribus eas tractatibus celebravit; quorum priorem in editis levi admodum conjectura sancto Doctori Basnagius abjudicat et irrito conatu elevare et labefactare contendit. 66
V. Ecclesiarum Carthaginensium celeberrima et cæterarum matrix, Perpetuæ et Felicitatis reliquiis illustrata est, et ex earum hominibus nuncupata. 67
VI. In missæ canone quotidiano earumdem nomina inter celebriores martyres recensentur. 71
VII. Argumentum, quod ex his testimoniis conficitur frustra Basnagius. 72
CAP. II. Basnagii externis adversus sanctas Martyres argumentis occurritur. 74
I. Actorum Perpetuæ et Felicitatis compilatorem fuisse Montanistarum hæresi infectum. 75
II. Ruinartii pro Actorum compilatore rationes refelluntur, variisque argumentis ejus montanismus asseritur. 76
III. Dodwelli pro ejusdem scriptoris orthodoxia disputatio. 80
IV. Ejus disputationis primum dejicitur fundamentum 82
V. Alterum ejusdem disputationis fundamentum evertitur. 83
VI. A Montanistis Catholicos non fuisse pro hæreticis existimatos. 85
VII. Ab ecclesiarum catholicarum communione Montanistas non se omnino alienos existimasse. 88
VIII. Ad catholicorum quoque martyrum communionem adspirasse. 93
IX. Non Perpetuæ tantum, sed aliorum quoque catholicorum martyrum, Tertullianum cum laude meminisse. 94
X. Alii, præter Montanistas, hæretici catholicorum Acta martyrum luci dederunt. 95
XI. Ex ipsomet Actorum auctore Montanista, martyres nostros ab hac secta fuisse alienos ostenditur. 96
CAP. III. Internis Basnagii adversus nostros Martyres argumentis generale responsum adhibetur. 97
I. Interna Basnagii adversus sanctos Martyres argumenta. *Ib.*
II. Actorum potius compilatori fides deroganda esset, quam sanctorum Martyrum orthodoxia in dubium revocanda. 98
III. Rationes adducuntur, quibus Actorum γνησιότης in controversiam vocari posset. Prima ratio ex quibusdam verbis exoticis quæ in Perpetuam, a qua maxima eorum pars scripta perhibetur, minime quadrant. 99
IV. Secunda ratio ex styli similitudine, quæ unum et eumdem scriptorem refert, cum tamen a tribus diversis scripta fuisse dicantur. 101
V. Neque Tertulliani, neque synchroni scriptoris auctoritas impediret, quominus de Actorum fide dubitaremus, si aliquid reapse continerent quod catholicos martyres dedeceret. 102
CAP. IV. De visionum aliorumque cœlestium donorum per priora Ecclesiæ sæcula, copia et ubertate disseritur. Veteres Christianos, et omnium opinione, genuinos Christi martyres non minori, quam Perpetuam, fiducia divinis hisce Spiritus sancti charismatibus, usos fuisse demonstratur. 104
I. Nihil in nostrorum Martyrum Actis reapse occurrere quod Montani redoleat officinam. 105
II. Sanctus Justinus M. sui temporis prophetas cum veteribus comparat. Unde conficitur non minori quam illos fiducia propheticum spiritum usurpasse. 106
III. De Montanistarum initiis. Nullus vetustissimorum scriptorum Montanistas ideo pro falsis prophetis habuit, quod veluti ad arbitrium Spiritus sancti revelationibus uterentur. 108
IV. De charismatum per hæc tempora varietate et copia insigne sancti Irenæi testimonium. 109
V. Quam præsto fuerit veteribus Christianis, ad coercendos abigendosque dæmones, virtus Spiritus sancti. 111
VI. Potamianæ, non minus quam Perpetuæ, memorabile exemplum. 113
VII. Quantum Cypriani vita visionibus ac revelationibus abundaverit, ex ejus epistolis, et Pontio diacono ostenditur. 115
VIII. Aliorum martyrum Acta iisdem Spiritus sancti donis referta. 121
IX. Perpetuæ et sociorum martyrum ævo charismatum fontem, magis quam Cypriani temporibus exundasse. *Ib.*
CAP. V. Nihil in Perpetuæ revelationibus contineri, quod in catholicam martyrem non apprime conveniat. 122
I. Non dedecet Christum Dominum pastoris oves mulgentis figurari. 123
II. Qua ratione ex prima sua revelatione Perpetua mortem sibi imminere intellexerit. 125
III. Nihil absurdi in illa revelatione contineri qua sibi Perpetua visa est cum diabolo in masculum conversa luctari. 128
IV. Inepta Perpetuæ revelationum cum Montanistarum revelationibus comparatio. 131
V. Visio Perpetuæ de Dinocrate in pœnis constituto. 132
VI. Basnagii adversus prædictam visionem difficultates. *Ib.*
VII. Locum illum in quo Dinocratem Perpetua vidit, fuisse purgatorium. Basnagii cavillationes retunduntur. 133
VIII. Montanistarum de receptaculis animarum sententia non recte a Basnagio exposita. Non unam fuisse hac de re eorumdem hæreticorum opinionem. 135
CAP. VI. Martyrum nostrorum virtutes et visionum fructus ostendunt divino illos fuisse spiritu afflatos, et eorum revelationes Deo esse tribuendas. 137
I. In veris prophetis a falsis discernendis, eorum in primis morum habendam esse rationem. *Ib.*
II. Aliqua Actorum loca, in quibus martyrum nostrorum virtutes graphice describuntur. 138
III. Nihil esse in eorum moribus animadvertere, quod Montani redoleat institutionem. 141
IV. Perpetuam sociosque martyres naturæ leges minime violasse, Ignatii M. exemplo demonstratur. 142
V. Aliorum martyrum pro martyrii corona preces et vota. 143
VI. Alios, præter Perpetuam, martyres aut bestias in se ipsos concitasse, aut instrumenta crudelitatis ad accelerandum martyrium ultro adhibuisse. 145
VII. Veterum Christianorum exempla qui vel seipsos sponte obtulerunt, vel præsidum sævitiam in se ultro provocarunt, Perpetuæ factum excusant. 146
VIII. Sanctorum Andronici et Tarachi memorabile facinus. 148
IX. Perpetuæ et sociorum martyrum *spiritus quam fuerit* a Montanistarum spiritu longe diversus, ex diversis utriusque effectibus demonstratur. 149
X. Perpetuæ et Saturi revelationem honesti et optimi fructus. 151
CAP. VII. Perpetuam sociosque martyres prophetico fuisse spiritu afflatos, ex vaticiniorum eventis et miraculis demonstratur eorum doctrinam et conversationem fuisse a Montanistarum dogmatis et institutis perquam alienas. 152
I. Perpetuæ revelationibus eventus in omnibus et adamussim responderunt. *Ib.*
II. De miraculis quæ in nostrorum martyrum Actis referuntur. 154
III. Non modo martyrum, sed aliorum quoque fidelium animas Perpetuam et Saturum in Paradiso vidisse. 156
IV. Cum catholicis martyribus communicasse. 157
V. Dinocratis animam in æternam gloriam Perpetuæ precibus fuisse translatam. *Ib.*
VI. Optatum episcopum, in Actis memoratum, catholicis præfuisse. Nullum id temporis fuisse Carthagine Montanistarum episcopum. 159
VII. Nostrorum martyrum in carcere victus communis et usitatus et a Montanistarum de jejunio legibus maxime abhorrens. 161
VIII. De catholicæ Ecclesiæ in suis alendis fovendisque confessoribus sollicitudine. 163
IX. Catholicos martyres paratum sibi fidelium pietate cibum, immo et delicias, neutiquam respuisse. 165
X. Disputationis ἀναχεφαλαίωσις. 166
FRAGMENTUM DE CANONE SS. SCRIPTURARUM. 173
ANNOTATIONES PRÆVIÆ. 179
IN MINUTII FELICIS OCTAVIUM PROLEGOMENA D. LUMPER. 193
DISSERTATIO F. B. ALDUINI IN OCTAVIUM. 199
PRÆFATIO J. ERNESTI AD I. EDIT. LINDNERI. 219
ANALYSIS LOGICA OCTAVII. 225
MINUCII FELICIS OCTAVIUS. 231
PROOEMIUM. *Ib.*
CAPUT I. Ab ipso dialogi exordio, narrat Minucius quam jucunda eorum quæ sibi cum Octavio, dum apud se Romæ ageret, contigerant, ac potissimum hujusce disputationis

Digitized by Google

recordatione oblectaretur. 232

Cap. II. Octavii Romam adventus forensium feriarum tempore, pergratus Minucio, Utrique ad marina Ostiæ balnea, adscito Minucii comite Cæcilio, ire placuit. Dum simul ad mare perguut, Cæcilius, conspecto Serapidis simulacro, manum ori admovens, illud colit. 235

Cap. III. Superstitiosi hominis actum indigne ferens Octavius, Minucio acriter exprobrat, hujus impii facinoris infamiam non minorem in ipsum, utpote Cæcilii hospitem, quam in eumdem Cæcilium redundare. 237

Cap. IV. Subtristis Cæcilius de hujusmodi objurgatione, qua sui causa Octavius Minucium perstrinxit, petit ut sibi cum Octavio de suæ religionis veritate disputare liceat. Annuit cum socio suo Octavius; ac medius inter Cæcilium et Octavium sedet Minucius. 240

Cap. V. Disputationem suam aggreditur Cæcilius. Et primum quidem omnia in rebus humanis dubia et incerta esse asseverat: adeoque dolendum quod Christiani, rudes plerumque ac illitterati, de summa rerum ac divina majestate aliquid certi decernere audeant. Hinc nulla providentia mundum regi arguit, concluditque satius esse traditis antiquis religionibus adhærere. 242

Cap. VI. Quælibet natio, ac Romani postmodum numina sua ita coluere, ut eorum cultu supremum totius orbis terræ imperium fuerint assecuti. 250

Cap. VII. Auspicia et auguria Romana pœnitenter omissa, observata feliciter. 253

Cap. VIII. Minime ferenda Theodori, Diagoræ ac Protagoræ impia temeritas, qui deorum religionem vel penitus tollere, vel saltem infirmare voluere. At multo minus ferri debet latebrosa et lucifugax Christianorum natio, qui deos despuunt; et dum mori post mortem timent, interim mori non timent. 256

Cap. IX. Christianorum religio stulta: hominem siquidem crucifixum ipsumque hujus supplicii instrumentum venerantur. Asini caput colere, ipsamque parentis sui naturam adorare dicuntur. De cæde infantis et sanguine initiantur: ac per impudentes tenebras, incerta sorte omnes permiscentur. 260

Cap. X. Quidquid colunt, magnopere occultare nituntur: nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra. Deus illorum, sicuti et Judæorum, unicus esse fertur: quem quum nec videre nec ostendere queant, illum nihilominus molestum, inquietum et præpostere curiosum arbitrantur. 263

Cap. XI. Futurum quoque asserunt totius mundi incendium; ac post corporum nostrorum resurrectionem, justis beatissimæ vitæ, injustis maximarum pœnarum æternitatem repromittunt. 266

Cap. XII. Quid autem ipsismet Christianis post mortem eventurum sit, inde augurari possumus, quod nunc omni ope destituti, summis calamitatibus et miseriis premuntur. 271

Cap. XIII. Concludit tandem Cæcilius repudiandam religionem novam; nec de rebus dubiis temere pronuntiandum. 273

Cap. XIV. Non sine elati animi fastidio provocat Octavium Cæcilius, ut argumentis suis respondeat. Cui Minucius modeste respondet de sua haud mediocri eloquentia, deque concinna orationis varietate non esse ipsi exsultandum: sed singula ejus argumenta diligenter expendenda. 275

Cap. XV. Regerit Minucio Cæcilius non sine aliqua læsi animi significatione, ipsum religiosi judicis officio decedere, dum suæ disputationis vires infirmat. Integrum Octavio esse ea omnia quæ in medium protulerat, confutare. 278

Cap. XVI. Suam itaque orditur responsionem Octavius: seque veracium verborum flumine amarissimam conviciorum labem diluturum confidit. Dehinc ad infirmanda singula Cæcilii argumenta digreditur. Primum itaque statuit, nemini ægre ferendum quod Christiani, quamtumvis indocti, de cœlestibus rebus disputent, non enim disputantis auctoritas, sed disputationis ipsius veritas est spectanda. 279

Cap. XVII. Fatetur quidem hominem debere se ipsum nosse: sed plane negat hanc cognitionem ab eo possse comparari, quin antea rerum universitatem, et Deum ipsum agnoscat. Ex ipsius autem mundi constitutione atque ornatu, quisque ratione præditus compertum habet, eum a Deo conditum fuisse, atque ab eo regi et administrari. 284

Cap. XVIII. Non solum autem universo mundo, sed singulis ejus partibus Deus consulit. Unius autem Dei nutu omnia gubernari, terrenorum exemplo imperiorum probatur. Quamvis autem ille infinitus et immensus, sibique uni, quantus est, cognitus, a nobis nec videri nec nominari queat; ipsius tamen claritas, si nominum tollantur additamenta, perspicitur. 287

Cap. XIX. Præterea poetæ illum divum hominumque parentem, omnium rerum creatorem, mentem et spiritum appellarunt. Quin et ipsimet præstantiores philosophi eadem fere ac Christiani, de Deo uno sensere. 292

Cap. XX Quod si Providentia mundus regitur, et unius Dei nutu gubernatur, non nos debet antiquitas imperita rapere ad mutui consensus errorem; quæ nimirum fabellis suis delectata, ridiculas traditiones invexit. Nec minus evidenter ostenditur insulsum impiumque semper fuisse deorum cultum; dum mortalium antiquissimi suos reges, duces inclytos artiumque inventores, ob præclara illorum facinora, non secus ac deos venerati sunt. 297

Cap. XXI. Idque confirmat Octavius Euhemeri, Prodici, Persei et Alexandri Magni testimonio, a quibus deorum patria, dies natales, sepulchra recensentur. Exponit præterea deorum tristes exitus, fata et funera Ad hæc ineptias putidasque nugas ridet, quas de suorum deorum forma et figura ethnici venditant. 299

Cap. XXII. Has porro fabulas ab imperitis hominibus primum traditas, alii deinceps celebrarunt, ac poetæ potissimum, qui haud parum veritati sua auctoritate nocuere. Atque hujusmodi figmentis et mendaciis dulcioribus corrumpuntur ingenia puerorum, qui proinde in iis miseri consenescunt: cum alloquin sit veritas obvia, sed requirentibus. 306

Cap. XXIII. Quamvis ethnici reges suos mortales agnoscant, illos tamen deos fingunt, vel ipsis invitis; non ad fidem numinis, sed ad honorem emeritæ posteritatis. Atqui verus Deus neque ortum habet, neque occasum. Deorum deinde imagines et simulacra Octavius exagitat. 309

Cap. XXIV. Brevi insuper inductione demonstrat, quantum in celebrandis quorumdam deorum mysteriis ridiculi, obsceni crudelesque ritus observarentur. 312

Cap. XXV. Dehinc ostendit, a Cæcilio perperam jactitari Romanos, qui totius orbis imperio potiti fuerint, hujusmodi superstitionibus rite observatis. Atqui Romani in ortu suo et scelere collecti, et immanitatis terrore creverunt. Igitur Romani non ideo tanti, quod religiosi, sed quod impune sacrilegi. 315

Cap. XXVI. Ex avium porro auspiciis atque auguriis vibratum leviter a Cæcilio telum, contra ipsum Octavius Reguli, Mancini, Pauli atque Cæsaris exempla retorquet. Non magis item validam esse petitam ex oraculis argumentationem, aliis exemplis demonstrat. 320

Cap. XXVII. Quod ut solide præstet, rem altius et a prima sua origine repetit. Nimirum erroris fons iste: dæmones sub statuis et imaginibus delitescunt, commorantur in fanis, extorum fibras animant, avium volatus gubernant, fortes regunt, oracula fundunt, falsis involuta responsis. Verumtamen hæc non a deo, sed a se ipsis facta fuisse fateri coguntur, cum a Christianis per Deum verum adjurati, ab obsessis corporibus fugantur. Hinc vero Christianos de proximo fugitant; tantumque gentilium in eos excitant odium, ut illos ante incipiant odisse, quam nosse: ne cognitos aut imitari possint, aut damnare non possint. 323

Cap. XXVIII. Neque odium solum, sed nefanda etiam illis inferunt crimina, quæ a nemine probari hactenus potuerunt. Sic est negotium dæmonum. Ab ipsis enim rumor falsus et seritur, et fovetur. Invictissime autem demonstrat Octavius Christianos sacrilegii, incestus, stupri, parricidii tam falso insimulari, quam certum verumque erat eadem prorsus crimina, aut his omnino similia atque majora, ab ipsismet ethnicis reapse committi. 327

Cap. XXIX. Nec magis verum hominem cruci propter sua crimina affixum a Christianis coli. Nam eum non modo innocentem, sed Deum etiam esse merito credunt. Contra vero ethnici regum in deos a se adscriptorum invocant numina, ad imagines supplicant, eorumque genios implorant. 331

Cap. XXX. Impudentissimam quoque esse de potato a Christianis infantis a se occisi sanguine calumniam evincit Octavius. Ethnici vero, inquit, et pueros recens natos crudeliter exponunt, et priusquam nascantur, crudeli necant abortu. Christianis homicidium nec videre fas, nec audire. 333

Cap. XXXI. Ab omni etiam verisimilitudine tam alienum est quod Christianis objicitur pollutum incesto convivium, quam constat incesti reos revera esse gentiles. Christianorum convivia non tantum pudica, sed et sobria. Tantum denique abest incesti cupido, ut nonnullis rubori sit etiam pudica conjunctio. 335

Cap. XXXII. Neque dici potest Christianos occultare quod colunt, quoniam nulla delubra, nullasque aras habent. Persuasum siquidem ipsis est non posse Deum ullo templo circumscribi, aut ligni illius simulacrum. Ubique autem præsens omnia videt, etiam secretiores mentis nostræ cogitationes; ac prope cum illo, et in ejus vivimus sinu. 338

Digitized by Google

Cap. XXXIII. Quod si tamen Deus Judæis nihil profuisse dicatur, certe Judaicorum annalium scriptores testes locupletissimi sunt, illos prius Deum deseruisse, quam ab ipso fuisse desertos. 342

Cap. XXXIV. Nihil autem mirum si mundus hic igne tandem sit absumendus: omnia siquidem quæ initium, eadem et finem habent. Neque a sententia de mundi incendio abhorrent antiqui philosophi. Constat tamen Deum posse hominem quem ex nihilo finxit, ex morte excitare ad vitam. Resurrectionem autem futuram omnis natura meditatur. 344

Cap. XXXV. Ostendit deinde Octavius justos piosque homines sempiterna felicitate donandos: injustos vero pœnis afficiendos æternis. Tum luculenter demonstrat multo sanctiores esse Christianorum mores quam ethnicorum. 348

Cap. XXXVI. Nec minus perspicue docet fatum nihil aliud esse quam quod fatus est Deus. Mens libera est: et ideo actus hominis, non nativitas judicatur. Posthæc manifestissimum facit exprobratam Christianis pauperiem, non infamiam esse, sed gloriam: et quod corporis mala patiantur, non esse pœnam, sed militiam. 350

Cap. XXXVII. Digna Deo spectacula sunt, pro Christi confessione iniquissime inflicti cruciatus. Quod quidem Octavius luculenter ostendit, comparatione fortissimorum quorumdam ethnicorum cum sanctis martyribus instituta. Spectaculis porro et pompis Christianos ideo non interesse declarat, quia ea non minus impia quam crudelia esse certo certius noverant. 352

Cap. XXXVIII. Ab idolothytis quoque iidem abstinent, ne quis eos existimet aut cedere dæmoniis, aut suæ religionis pudere. Non omnem vero florum colorem odoremque adspernantur. Sparsis enim, solutis ac mollibus uti solent, ac sertis colla complecti: sed mortui caput coronare, superfluum et inutile censent. Eadem etiam tranquillitate qua vivunt, sepeliunt mortuos, coronam æternæ felicitatis certissima spe exspectantes. Vera igitur eorum religio, rejectis gentilium superstitionibus, ab omnibus est suscipienda. 355

Cap. XXXIX. Hæc porro cum perorasset Octavius, Minucius et Cæcilius aliquamdiu ad silentium stupefacti, intentos vultus tenebant. Et Minucius, quidem in Octavii admirationem raptus conticuit, apud se tacitus illa evolvens quæ audierat. 357

Cap. XL. Cæcilius vero exclamavit se ab Octavio victum, nunc erroris esse victorem, christianamque religionem jam tum profiteri: dilata interim in diem crastinum pleniore fidei mysteriorum institutione. 358

Cap. XLI. Postremo, læti omnes hilaresque discedunt: Cæcilius, quod crediderit, Octavius, quod vicerit; Minucius autem quod ille crediderit, et hic vicerit. 359

Index capitum Octavii. 359

Epistola L. Holstenii de verubus dianæ. 365

DISSERTATIO D. LE NOURRY IN OCTAVIUM. 371

Caput primum. Analysis libri. Quis illius auctor; ac qui fuerint Cæcilius et Octavius, qui in eo disputantes introducantur. *Ib.*

Art. I. Analysis hujus libri. *Ib.*

Art. II. Utrum Minucius Felix sit hujus libri auctor, et quis ille fuerit. 380

Art. III. Qui fuerint Cæcilius et Octavius qui in hoc libro disputantes introducuntur. 383

Cap. II. De hujus libri ætate, stylo, titulo, argumento, divisionibus, manuscriptis codicibus et editionibus; de variorum in eum observationibus; de corruptis locis; et quid Minucius ex aliis, et alii ex ipso delibaverint. 386

Art. I. Quo tempore hic liber editus fuerit. *Ib.*

Art. II. Cujus verbis, quove stylo hic liber compositus sit, quis ejus titulus, quis Minucii Felicis in eo scopus, et utrum ille Christianorum causam plene perfecteque peroraverit. 389

Art. III. De hujus libri manuscriptis codicibus variisque editionibus. 391

Art. IV. De variorum in hunc librum notis et animadversionibus. 392

Art. V. De corruptis aut corruptionis suspectis quibusdam hujus libri locis. 398

Art. VI. Quid Minucius ex aliis scriptoribus, Cicerone, Seneca, Tertulliano, ac vicissim ex hoc ejusdem Minucii libro Cyprianus aliique delibaverint. 402

Cap. III. Novæ in Minucii Felicis librum annotationes; ac primo expenduntur argumenta quibus Deum existere Cæcilius negat, et probat Octavius. 409

Art I. Quid et quomodo in his notis agetur, ac primo inquiritur utrum Christiani ab hac disputatione rejiciendi. *Ib.*

Art. II. Expenduntur argumenta quibus Cæcilius probare nititur fas Christianis et aliis non esse de Deo disputare. 414

Art. III. Exponuntur Octavii responsa quibus superiora Cæcilii argumenta diluit et evertit. 416

Art. IV. Examinantur argumenta quibus Deum existere negat Cæcilius, et Octavius demonstrat. 420

Art. V. Expenditur aliud Minucii argumentum, quo Deum intimo hominum sensu ac ipsa eorum conscientia cognitum, revera existere demonstrat.] 422

Cap. IV. De Deo uno. 423

Art. I. Examinatur argumentum quo Octavius ethnicorum poetarum Homeri et Virgilii, philosophorum Thaletis, Anaximenis, Diogenis Apolloniatis, Anaxagoræ, Pythagoræ et Xenophanis auctoritate unum dumtaxat Deum esse ostendit. *Ib.*

Art. II. De aliis gentilibus philosophis Antisthene, Speusippo, Democrito, Stratone, Epicuro, Aristotele, Heraclide Pontico, Theophrasto, Cleanthe, Zenone, Chrysippo, Diogene Babylonio, Xenophonte, Aristone et Platone. 430

Art. III. Expenditur aliud Octavii de Deo uno argumentum, ex terrenorum, regnorum et rerum naturalium exemplis desumptum. 437

Cap. V. De Dei nomine, natura et attributis. 440

Art. I. Quis et quid sit Deus, quodve ejus nomen, ac quomodo ab homine cognoscatur; tametsi corporeis oculis videri non possit. *Ib.*

Art. II. Quibus argumentis Minucius probaverit Deum esse infinitum, æternum, immensum, ac scire omnia. 444

Cap. VI. De Divina Providentia. 446

Art. I. Examinantur argumenta quibus Minucius ostendit mundum, et omnia, ac singula Dei Providentia gubernari; ubi de Britannia, Nilo, Euphrate et Indo. *Ib.*

Art. II. Excutiuntur Cæcilii ethnici contra divinam Providentiam argumenta, ex rebus prosperis malorum, et bonorum adversis ducta, ubi de Dionysio tyranno, Phalaride, Rutilio, Socrate, Camillo, et Judæorum Christianorumque miseria. 449

Art. III. Quomodo Octavius superiora Cæcilii argumenta infirmet et destruat. 453

Art. IV. Quomodo Octavius diluerit deductam a Cæcilio ex martyrum suppliciis et morte argumentationem, ubi proposita Scævolæ, Reguli et Aquilii exempla exponuntur: ac de magno martyrum numero, et divinæ ad subeundum martyrium gratiæ necessitate. 457

Art. V. Quomodo ultimum Cæcilii contra divinam Providentiam argumentum ex Christianorum de fato opinione petitum, ab Octavio solvatur. 460

Cap. XII. De aliis christianæ religionis *dogmatibus*. 462

Art. I. Excutiuntur argumenta quibus Cæcilius corporum nostrorum resurrectionem impugnat, et Octavius eam tuetur; ubi de metempsychosi atque hujus opinionis auctoribus et assertoribus Pythagora et Platone. *Ib.*

Art. II. Alia ad probandam corporum nostrorum resurrectionem Octavii, et contraria Cæcilii argumenta examinantur, 464

Art. III. Expenduntur argumenta quibus ostenditur improbos homines pœnis æternis atque igne sempiterno cruciandos, pios autem et justos perpetua felicitate donandos; ubi de montis Ætnæ et Vesuvi ignibus, Stygia palude et igneo inferni flumine. 468

Art. IV. Examinantur argumenta quibus Octavius contra Cæcilium probat mundum igne aliquando periturum; ac de Stoicorum, Epicureorum et Platonis ea de re opinionibus. 472

Cap. VIII. De tribus exsecrandis criminibus, infanticidio, comesis humanis carnibus et incestu, quorum Christiani a Cæcilio et aliis ethnicis accusabantur. 478

Art. I. Quæ qualisve fuerit ea accusatio quæ illius occasiones, et quamdiu duraverit. *Ib.*

Art. II. Expenduntur generales rationes quibus Octavius objecta Christianis a Cæcilio et gentilibus crimina diluit. 481

Cap. IX. Demonstratur quam falsa sint duo prima crimina Christianis objecta, infantem ab ipsis sacra inter mysteria occidi, ac postea devorari ejus carnes, atque ethnicos e contrario eorum revera esse reos. 484

Art. I. Excutiuntur argumenta quibus Minucius Christianos hoc utroque crimine prorsus liberat. *Ib.*

Art. II. Ostenditur quam certo Minucius ethnicos homicidi convincat, utpote qui filios recens natos exponerent, aut ab ortu necarent, atque etiam Carthaginenses Saturno filiorum suorum voratori, suos immolarent, tumque illorum gemitum blanditiis et osculis comprimere conarentur, ac quam ob causam. 488

Art. III. Quo adhuc modo Minucius ostendat a Tauris, Ponticis et Busiride Ægyptio sacrificatos hospites, a Gallis homines Mercurio; a Romanis Græcum et Græcam, Gallam et Gallam, aliosque Jovi Latiali. 495

Art. IV. De aliis sceleribus ex illo fero mactandorum

Digitized by Google

hominum more profectis, nimirum Catilinæ humano sanguine conjuratione, sacris Bellonæ hominum cruore imbutis, quæsita illius haustu morbo comitiali medicina, ac belluis eo saginatis ab hominibus in arena devoratis. 497

Cap. X. De tertio crimine, scilicet infami post epulas stupro, adulterio et incestu, cujus Christiani rei dicebantur. 499

Art. I. Quantum Christiani ab hoc scelere abhorrerent, quam castum fuerit eorum conjugium, quamque multi perpetua in virginitate perseverent. *Ib.*

Art. II. Quomodo Minucius Cæcilii argumentum contra ethnicos retorqueat, ac eos cum matribus et sororibus connubium inire, atque illorum deos stupro, adulterio et incestu coinquinatos ex ipsorum memoriis demonstret. 502

Cap. XI. De absurdo cultu quem asinino capiti et sacerdotis virilibus Christianos exhibuisse Cæcilius falsissime objicit. 505

Art. I. Quam falsa sit hæc accusatio, et utrum Judæi vel Gnostici occasionem illi dederint, ac primi omnium caput asini revera adoraverint. *Ib.*

Art. II. Quomodo Minucius probaverat ethnicos hujus similisque aut pejoris sceleris esse reos, qui asinos cum Epona et Iside, atque boum et vervecum capita impie colebant ac venerabantur. 508

Art. III. Quomodo Minucius adhuc probaverit ab gentilibus coli et adorari Deos capro et homine mixtos, vultusque leonum et canum præferentes, item Apim bovem, serpentes, crocodilos, atque alias aves et belluas, ac sæpe etiam et ventris crepitus. 511

Art. IV. Falsum esse a Christianis adorari sacerdotis virilia; ac ethnicos turpiorum flagitiorum convinci, et quæ fuerit turpissimæ illius venerationis Christianos accusandi occasio. 515

Cap. XII. Aliæ Cæcilii criminationes, et ad eas Octavii responsa examinantur. 517

Art. I. Quam immerito Cæcilius Christianorum synaxes, et jejunia condemnet, dicatque eos esse desperatæ factionis homines, lucifugam nationem, occultis signis se agnoscentes, atque antea se mutuo amantes, quam noverint. *Ib.*

Art. II. Quo jure Cæcilius dixerit templa tamquam busta a Christianis despici, nullaque ipsis esse templa, nullas aras, nulla nota simulacra, et ineptæ recentiorum iconoclastarum cavillationes refelluntur. 521

Art. III. Quomodo Octavius refellat Cæcilium objicientem a Christianis coli hominem cruci pro facinore affixum, ubi de suprema Christi divinitate: quam perspicue idem Octavius ostendat ab Ægyptiis scelestum hominem, et a Romanis reges et imperatores divino cultu honoratos, ac per illorum genios juratum; utrum vero Christianis per eorum salutem jurare fas fuerit. 527

Art. IV. Qua ratione Minucius dixerit cruces a Christianis nec coli, nec optari. 531

Art. V. Quomodo Minucius telum ethnicorum, Christianis cultum crucis objicientium, in illos retundat, cruces in deorum simulacris, cantabris, vexillis, trophæis honorabant ac quarum signum in tumentibus navium velis, in jugo et homine expansis brachiis orante repræsentatur. 533

Cap. XIII. Alia iniquissimarum Cæcilii accusationum capita expenduntur. 536

Art. I. Quanta injustitia Cæcilius vitio Christianis vertat, quod honestis voluptatibus, spectaculis, pompis, circensibus et gladiatoriis ludis, ac turpibus theatri scenis abstinerent. *Ib.*

Art. II. Quomodo Minucius respondeat aliis Cæcilii obtrectationibus, Christianos publicis conviviis, et sacris certaminibus non interesse, et abstinere ab idolothytis: ubi ostenditur quæ essent illa publica ethnicorum convivia, ac quantum a Christianis discreparent. 540

Art. III. Examinantur aliæ Cæcilii reprehensiones, quibus Christianos idcirco vituperat, quod floribus caput, odoribus corpus non honestarent, unguenta funeribus reservarent, coronas negarent mortuis, quorum corpore non cremabant, sed sepeliebant; ubi de more sepeliendi corpora ejusque antiquitate. 542

Art. IV. Tam sanctos Christianorum quam ethnicorum corruptos fuisse mores: cur illorum disciplina minor a Cæcilio dicatur: quantum iidem Christiani philosophis gentilibus pietate doctrina antecellerent: ethnicos tamen et Christianos fuisse amicos, ac fratrum nomine sese invicem compellavisse. 546

Cap. XIV. Excutiuntur Cæcilii argumenta quibus probare conatur deos suos revera existere, ac proinde veram esse gentilium religionem. 550

Art. I. Explicatur primum Cæcilii argumentum quo probare nititur veros esse deos suos ex majorum traditione et antiquissimo cultu deorum, nimirum Cereris Eleusiniæ, Phrygiæ matris seu Cybeles, Æsculapii Epidaurii, Beli Chaldaici, Astartis Syriæ, Tauricæ Dianæ et Mercurii Gallici. 550

Art. II. Quomodo Octavius Cæcilii argumentum refellat, ostendatque nec deorum cultum tantæ esse antiquitatis, nec sectandas majorum impias ac superstitiosas traditiones, quales erant de Scylla, Chimæra, Hydra et Centauris. 552

Cap. XV. Expenduntur argumenta quibus ostendit falsos esse gentilium deos. 555

Art. I. Qua insulsitate gentiles prædicabant homines ob merita virtutis, vel beneficia aliis hominibus collata factos fuisse deos. *Ib.*

Art. II. Examinatur Minucii argumentum quo falsos esse gentilium deos probat ex eorum ortu, patria, morte, sepulchris, ac præsertim Jovis Dictæi, Apollinis Delphici, Isidis Phariæ et Eleusiniæ Cereris. 558

Art. III. Examinatur Minucii argumentum, quo commentitios gentilium deos esse probat ex Alexandri Magni ad matrem epistola, qua proditum sibi de diis secretum testificabatur, ac Vulcanum fecit illorum principem; atque de Isidis ad hirundinem sistro, et vacuo Serapidis seu Osiridis sepulcro disputatur. 562

Cap. XVI. Quam valida sint alia argumenta quibus Octavius contra Cæcilium probat falsos nullosque esse gentilium deos. 566

Art. I. Quam luculenter Octavius ex prima deorum origine ostendat eos deos non fuisse, sed meros homines; ac primo quidem eorum principem Saturnum, Creta profugum, a Jano in Italia susceptum, ubi homines plura docuit, ac præsertim nummos signare, imprimere litteras, ac cujus nomine Saturnia nuncupata est. *Ib.*

Art. II. Quam præpostere ethnici dixerint Saturnum ex cœlo et terra ortum: unde nata hæc opinio; utrum illius ratio, a Minucio data, recte a Lactantio redarguatur, ac inde tamen conflci Saturnum non deum fuisse, sed merum hominem. 568

Art. III. Quibus rationum momentis Cæcilius demonstret falsam esse divinitatem Jovis et aliorum, qui ex hominibus geniti fuerant, vel aliorum libidine et arbitratu, ut Romulus et Juba dii renuntiati sunt. 570

Cap. XVII. Quanti ponderis sit aliud Minucii adversus gentilium deos argumentum petitum ex ridiculis eorum formis et figuris, atque indignis turpibusque illorum factis et flagitiis. 573

Art. I. Quam absurde ab ethnicis fingatur Vulcanus claudus, Apollo imberbis, Æsculapius barbatus, et aliquando imberbis; Neptunus glaucis oculis, cæsiis Minerva, Juno bubulis, pedibus alatis Mercurius, Pan ungulatus, compeditus Saturnus, Janus bifrons et quadriformis. *Ib.*

Art. II. Quanta dementia ab ethnicis decantata sit Diana alte succincta, venatrix, mammis multis Ephesia, ac Trivia trinis capitibus, multisque manibus: Jupiter modo barbatus, modo imberbis: Ammon cum cornibus, Capitolinus fulmina gerens, Latiaris cruore perfusus, Feretrius non auditus, cujus tot monstra, quot nomina. 577

Art. III. Exponitur aliud ejusdem momenti argumentum, quod deprompsit Minucius ex indignis et turpissimis deorum factis, quibus ferebatur Erigone laqueo suspensa, Castor et Pollux alternis ac morientes, Æsculapius fulmine percussus, Æteis ignibus crematus Hercules. 582

Art. IV. Cur ac quomodo Minucius ostendat falsos esse gentilium deos, lecitatis ab omnibus ad vitæ morumque institutionem libris Homeri, quibus decantantur Venus sauciata, Mars vinctus et vulneratus, Jupiter a Briareo liberatus, Sarpedonem deflens, illectusque Veneris loro, Hercules stercora egerens, Admeti pecus pascens Apollo, Neptunus muros reficiens Laomedontis, fulmen Jovis cum Æneæ armis fabricatum, Martis Venerisque adulterium, Ganymedes a Jove raptus, ac quam merito Homerus a Platone ex civitate sua ejectus sit. 585

Cap. XVIII. Examinatur Cæcilii argumentum, quo gentilium deos existere eo probatur quia Romani pro eorum cultu imperium totius mundi meruerint. 589

Art. I. Exponitur illud Cæcilii argumentum. *Ib.*

Art. II. Quomodo Minucius Cæcilii refellat argumentum, ac demonstret Romanorum imperium neutiquam illorum in deos religione, sed impietate et sceleribus esse fundatum, nullumque iisdem Romanis ad propagandos regni fines auxilium deos tulisse, nec primo quidem peregrinos et advenas, Martem Thracium, Jovem Creticum, Junonem Argivam, Samiam, et Pœnam, nec Dianum Tauricam, aut Idæam Matrem. 592

Art. III. Nulli a Romanis ad propagandos imperii fines auxilio fuisse vernaculos deos, Romulum, pejerante Proculo, diis adscriptum, Picum, Tiberinum, Pilumnum, Picumnum, Consum, Cloacinam, Pavorem, Pallorem, Febrem, Morbum, Accam Laurentium et Floram: ubi de sacris Larentialibus, et ludis Consualibus atque Floralibus. 595

Art. IV. Quam falsum sit ob concessos Vestalibus et

Digitized by Google

cerdotibus honores, dataque privilegia, amplificatos a diis Romani imperii fines: quanta fuerint utrorumque incontinentia ac flagitia, atque in ipsis templis adulteria et sacrilegia. 600

Art. V. Quomodo Minucius ostendat Romanorum imperium pietate in deos nec fundatum nec auctum, quia Assyrii, Medi, Persæ, Græci, Ægyptii regnaverunt ante illos, et ante eorum pontifices, Arvales, Salios, Vestales atque augures. 602

Cap. XIX. Expenduntur argumenta quibus Cæcilius ex miraculis, oraculis, auspiciis, auguriis, somniis, atque aliis prædictionibus deos exsistere probari posse arbitratus est. 604

Art. I, Utrum Cæcilius deos existere probaverit ex miraculis Claudiæ Quintiæ, quæ navim qua Idææ matris simulacrum vehebatur, solo suo cingulo traxisse ferebatur: Castoris et Pollucis, qui a Romanis reportatam de Perse rege victoriam annuntiarunt; Latinii somnio, quo ludi instaurati; Deciorum devotione, qua hostes fusi et victi; ac simili Curtii devotione, qua hiatus terræ mirabiliter completus narratur. *Ib.*

Art. II. Deorum præsentiam a Cæcilio non probari oraculis, vatumque responsis, quibus Minucius opponit Amphiarai, Tiresiæ, Apollinis Pythii exempla, atque oraculorum amphibologiam et defectum. 608

Art. III. Proponitur Cæcilii argumentum, quo probare nititur ob auspicia et auguria a Sulpitio, Claudio, Junio, Flaminio et Crasso contempta, Romanorum exercitus, diis vindicantibus, atque adeo existentibus, cæsos ac profligatos. 610

Art. IV. Quomodo Minucius superius Cæcilii argumentum aliis Reguli, Mancini, Pauli ac Julii Cæsaris exemplis, funditus evertat, ubi de solistimo, tripudio. 612

Cap. XX. Expenditur generalis Minucii responsio, qua miracula, oracula, auspicia, auguria, somnia et alia extraordinaria apud ethnicos facta, non ex deorum suorum potestate, sed dæmonum fraudibus ac præstigiis profecta esse demonstrat. 615

Art. I. Qualem Minucius putaverit esse dæmonum naturam, et quam recte dixit illos poetis, philosophis, ac in primis Platoni et Socrati, atque etiam magis ac præcipue Holstani fuisse cognitos. *Ib.*

Art. II. Exponuntur Minucii argumenta, quibus demonstrat cur et quomodo dæmonum artibus ac præstigiis ea omnia facta sint, quæ supra consuetas naturæ vires effecta videbantur; ubi plura de somniis, variis sortibus ac vatum furore. 618

Art. III. Quam evidenter Minucius demonstraverit dæmones a Christianis adjuratos, atque ab obsessis hominum corporibus ejectos, palam declaravisse extraordinariorum apud ethnicos effectuum se fuisse auctores; atque ii refelluntur qui hæc et vatum oracula solis sacerdotum ethnicorum artificiis et fraudibus edita fuisse garriunt. 622

Cap. XXI De deorum imaginibus et simulacris, sub quibus delitescentes dæmones credebantur mira quædam operari, ac quæ ab ethnicis impie colebantur. 625

Art. I. Quanta impietate ethnici simulacra deorum suorum, sub quibus dæmones habitabant, colerent et adorarent, atque ab eis, hominum manibus aliquando ex vase sordidissimo factis, divinam opem peterent, ac exspectarent. *Ib.*

Art. II. De effigiato, uncto et coronato Serapidis simulacro, quod Cæcilius adoravit, ubi de gentilium vario simulacra adorandi ritu, et utrum illud Serapidis simulacrum Terminale fuerit. 628

Cap. XXII. Expenditur Minucii argumentum, quo ex sacris ipsis quæ ethnici in deorum suorum honorem celebrabant, mysteriis atque festis, illos non existere arguit. 631

Art. I. De Isidis sacris et mysteriis, quibus illa filium aut maritum suum perditum cum Cynocephalo quærere, et eo invento, gaudere fingebatur: quam ridicula horum mysteriorum ab Ægyptiis ad Romanos transmissorum pompa, et quam validum contra gentilium deos argumentum inde deducatur. *Ib.*

Art. II. De Eleusinis mysteriis festoque die in Cereris filiam suam Proserpinam a Platone raptam inquirentis, memoriam celebratis; de Jovis sacris atque etiam Cybeles Dindimenæ seu Cereris, vel Rheæ, vel matris deum, et Atydis castrati, quæ a gallis seu exsectis hominibus peragebantur. 635

Art. III. De aliis superstitiosis et absurdis Gentilium ritibus, quibus plures sanguine suo libabant, ac vulneribus viriliumque excisione supplicabant, deosque ducebant vicatim mendicantes; de lupercis cruda hyeme nudis discurrentibus, obvios verberantibus ac pelles cædentibus; de Saliis pileatis, et scuta vetera circumferentibus. 638

Art. IV. De templis, quorum aditus vel semel tantum in anno vel nemini unquam, vel numquam viris patebat; de quibusdam sacris cæremoniis quæ aut feminis aut servis interdicebantur, atque de aliis sacris quæ vel univira vel multivira coronabat. 642

Cap. XXIII. De quodam libro quem Minucius se scripturum promisisse videtur, ac de quibusdam locis obscuris, nonnullisque scriptoribus et atheis ab illo memoratis. 645

Art. I. Utrum Minucius scripserit librum de Fato, aut eum se editurum promiserit: et obscura quædam explicantur Minucii loca, ubi de marinis ad Ostia Tiberina lavacris, de feriis forensibus et autumnitate; quid substrata navibus robora, quis puerilis testarum in mare jaculationibus ludus, sive epostracismus; quid soles alii atque alii, ac de nebulis, nubibus, fulgure, fulmine et lunæ laboribus. *Ib.*

Art. II. De citatis a Minucio quibusdam scriptoribus, Nepote, Cassio, Thallo, Diodoro, et atheis Theodoro, Diagora ac Protagora. 649

Prolegomena in seq. Chronicon. 651

I. Varia virorum eruditorum placita de hujus Chronici auctore. *Ib.*

II. Illud Hippolyto episcopo et martyri tribuendum nonnulli existimarunt. 653

III. Sed ejus auctor, vel Heron ex philosopho christianus et martyr, vel potius anonymus, qui sub Alexandro Severo vixerit, habendus videtur. *Ib.*

IV. Cangii sententia de Hyppolyto Chronici auctore proponitur. 654

V. At in computis ab Hippolyto dissentit Chronici scriptor. *Ib.*

VI. Quod quidem allatis in medium exemplis evincitur. 656

VII. Demonstrationis hujus Blanchinianæ conclusio. 657

VIII. Variæ Chronici memorati editiones. 658

CHRONICON ANONYMI. 657

Præfatio. 659

Sectio I—VI. Dinumeratio temporum et annorum. Generationes sæculi usque in hunc diem. Terræ divisio tribus filiis Noe. *Ib.*

Sect. VII, IX. Declaratio gentium, quæ, ex quibus factæ sunt, et quas singuli terras et civitates sortiti sunt: quantæ insulæ claræ: qui, ex quibus gentibus transmigraverunt: quot flumina nominata: quot montes nominati. 664

Sect. X. Quot judices: et quis quot annis populum judicavit. 666

Sect. XI, XII. Quot reges in tribu Juda: et quis quot annis regnavit. 667

Sect XIII. Reges Persarum ex tempore Cyri. 670

Sect. XIV. Nomina creaturæ. *Ib.*

Sect. XV. Prophetarum omina. 671

Sect. XVI. Nomina regum. *Ib.*

Sect. XVII. Nomina sacerdotum. 672

Sect. XVIII. Macedonum reges, juxta Alexandrinos. 673

Sect. XIX. Imperatores Romanorum. *Ib.*

Sect. XX. Reges Hebræorum. 674

Quædam epistolæ memoratæ. 675

S. CORNELIUS, papa et martyr. 675

Prolegomena. 677

Art. I. S Cornelii vitæ historia. *Ib.*

Art. II. Ejus scripta. 682

Notitia epistolarum non exstantium quæ ad Cornelium spectant. 689

EPISTOLÆ S. CORNELII, et quæ ad eum scriptæ sunt. 699

Epistola. I. *S. Cypriani Carthaginensis episcopi ad S. Cornelium papam.* — Legatorum Novatiani detegitur pravitas, et ideo a communione cohibentur. Petentibus publice audiri, hoc negatur. Quærentes undique schismatis atque hæresis socios sibi adscissere, reprimuntur. *Ib.*

Epist. II. *Ejusdem ad eumdem.* Quid ex divinæ traditionis et ecclesiasticæ institutionis usu fecerit Cyprianus, ubi de legitima Cornelii ordinatione certior factus est. Litteras Cornelii, non Novatiani, publice lectas esse. Cur præter Cornelii litteras, quibus ille se episcopum nuntiabat, eorum qui ipsius ordinationi interfuerant, testimonium desiderarit. Rogat Cornelium ut litteras de Felicissimi et presbyterorum et addictorum causa, quas ipsi mittit, legat. 705

Epist. III. *Ejusdem ad eumdem.* — De litteris quas ad confessores a Novotiano ac Novato seductos fecit. 709

Epist. IV. *Ejusdem ad eumdem.* — Deum certum expectabatur de Cornelii ordinatione testimonium, Adrumetinis clericis auctores fuerant Cyprianus et Liberalis, ut litteras suas presbyteris et diaconis Romanis, non Cornelio inscriberent. Qua de re cum expostulasset Cornelius, expostulationis illius nunc Cyprianus satisfacit; additque episcopatus ejus veritatem apertissima luce fundatam et collegarum rescriptis comprobatam agnosci. *Ib.*

Digitized by Google

Epist. V. *Ejusdem ad eumdem.* — Quales sint quos Novatianus Carthaginem legatos denuo misit. 712
Epist. VI. *S. Cornelii ad Cyprianum.*— Qui confessores Maximus presbyter, Urbanus et Sidonius ejurarint schisma, et in Ecclesia catholica susceptí sint.
Epist. VII. *S. Cypriani ad S. Cornelium.* — Diligentiam ejus laudat, qua de perniciosis Novatiani machinis, ac novorum illius legatorum moribus opportune ipsum admonuit. Novati scelera pluribus persequitur, ac suam operam in revocandis iis quos ille seduxerat, commendat. 725
Epist. VIII. *Ejusdem ad eumdem* — De confessorum ad Ecclesiam reditu gratulatur. Quantum is reditus Ecclesiæ catholicæ conferat. 731
Epist. IX. *Epistolæ S. Cornelii Papæ ad Fabium, Antiochum episcopum, fragmenta.*
I. Quomodo confessores a Novatiano decepti fraudes ejus detexerint, et palam Ecclesiæ notas fecerint. 733
II. Contra omnes leges, ordinatus episcopatum sibi arrogat. 737
III. Cleri Romani populique multitudine a schismate non deterretur. 742
IV. Urgente infirmitate, in lecto perfusus seu baptizatus, minime consignatus est. 746
V. Persecutionis tempore presbyterum se negare mavult, quam fratribus subvenire. 752
VI. Præter leges, clero ac plurimis de populo intercedentibus, per gratiam episcopi ad presbyterium provectus fuit.
VII. Qui corpus et sanguinem Christi porrigens, singulos sibi jurare cogat. 756
VIII. Eum ab omnibus deseri. 758
Epist. X, *Epistolæ S. Cypriani ad Antonianum pars prima, in qua Cyprianus de S. Cornelio disserit.*—Cyprianus Antoniano falsas opiniones Novatiani litteris ipsi injectas levat. Ipse a levitatis suspicione circa lapsorum causam se purgat. Quam canonice Cornelius in locum Petri sit promotus, et quam fortiter in eo se gesserit, enarrat. 761
Epist. XI. *Epistolæ S. Cypriani ad Antonianum pars altera.*— Lapsis in exitu subveniendum, nec tamen par omnium conditio; favorabilia in primis Libellaticorum causa; Novatianus Stoicorum placita Ecclesiæ invexit.—In re ancipiti lenior pars habeatur. — Nequaquam ob indulgentiam in lapsos Christiani a martyrio avertendi; qui pacem Lapsis denegant, SS. Scripturis repugnant.—De Novatiani, philosophi et Stoici charactere.— Ex admissis ad pœnitentiam mœchis sequitur et lapsos admittendos. Qui ablata spe veniæ, ad pœnitentiam suadet, irridet. 779
Epist. XII. *S. Cypriani ad S. Cornelium.* — De quinque presbyteris et Fortunato pseudoepiscopo. — De duplici Cornelii epistola, prima qua Felicissimum et eos qui cum ipso venerant repulsos nuntiavit; altera, qua se minis eorumdem motum litteras quas attulerant accepisse significabat. — Episcopum malorum metu ab ecclesiastica disciplina tuenda deterreri non debere. — Tum Cyprianus sese legitimum episcopum, Fortunatum vero a quinque episcopis, quorum tres damnati, quartus ab episcopo damnato, in hæresi ordinatus, postremus in persecutione lapsus fuerat, ac paucis sibi male conciis in episcopum cooptatum esse enarrat. — Hinc asseclarum Fortunati circa lapsos quæ doctrina sit quo pacto cum iis communicare non desinant, ac pœnitentiæ agendæ intercedant, graphice exponit. — Frustra eos Romam, ut pseudoepiscopi a se creati confirmationem petant, contendere. — Ibi causam audiendam esse decernunt Afri, ubi crimen admissum est. — Quanta facilitate ac benignitate suscipiat Cyprianus ad Ecclesiam redeuntes. 796
Epist. XIII. *Ejusdem ad eumdem.* — Cyprianus Cornelio gratulatus quod forti confessione populo suo ad confitendum sese ducem præbuerit, in Romanorum laudes excurrit. Tum adversam Novatiani sortem prestringit. Demum ad proximum agonem qui sese præparare mutuo debeant exponit. 830
APPENDIX PRIMA. Epistolæ Cornelio adscriptæ. 837
Epist. I. *S. Cornelii papæ ad Lupicinum, Viennensem archiepiscopum.* 839
Epist. II. *Ejusdem ad S. Cyprianum.* *Ib.*
APPENDIX II. Decretales Epistolæ S. Cornelio papæ adscriptæ. 841
Epist. I. *De translatione corporum apostolorum Petri et Pauli, et de Novato, aliisque hæreticis.* *Ib.*
Epist. II. *Ad Rufum coepiscopum orientalem*—Ne sacerdotes Domini sicut vulgus solet facere, præsumant jurare vel compellantur. 845
I. Si sacramentum ab episcopis fieri debeat. *Ib.*
II. De causis episcoporum, et ut quidquid adversus absentes agitur, vacuum habeatur. 847
Decretum ut a jejunis juramenta prestentur. 848
CONCILIA CARTHAGINENSIA, TEMPORE CORNELII PAPÆ, IN CAUSA LAPSORUM SUB S. CYPRIANO CELEBRATA. 849
Concilium Carthaginense, sub Cypriano secundum, in causa schismaticorum Felicissimi et Novatiani. *Ib.*
Epistola synodica *S. Cypriani, Carthaginensis episcopi, et collegarum, ad S. Cornelium papam de lapsis.* — Persecutionem imminentem crebris ostensionibus a Deo præmonstrari; ideoque se iis qui pœnitentiam agere non destiterunt, pacem non differendam censuisse Cornelio episcopi Afri exponunt. 851
NOVATIANUS, presbyter romanus. 861
Dissertatio proœmialis D. G. Lumper. *Ib.*
Caput primum. Novatiani vitæ historia. *Ib.*
Cap. II. Novatiani scripta et doctrina. 869
*Art.* I. De libro Novatiani de Trinitate. *Ib.*
*Art.* II. De Novatiani epistola de Cibis judaicis. 873
*Art.* III. De Novatiani epistola Cleri Romani nomine ipsi S. Cypriano inscripta. 875
*Art.* IV. De Novatiani operibus deperditis. 876
*Art.* V. Editiones operum Novatiani. 877
Cap. III. Doctrina Novatiani. 878
*Art.* I. Puncta dogmatica de Deo, divinisque ejus perfectionibus. *Ib.*
*Art.* II. Doctrina Novatiani de mysterio SS. Trinitatis. 881
NOVATIANI LIBER DE TRINITATE. 885
Caput primum. De Trinitate disputaturus Novatianus ex regula fidei proponit, ut primo credamus in Deum Patrem et Dominum omnipotentem rerum omnium perfectissimum conditorem. Creationis opera pulchre describuntur. Liberum hominis arbitrium asseritur. Misericordia Dei in pœna homini infligenda monstratur. Piorum impiorumque animarum post mortem locus statuitur. 886
Cap. II. Deus super omnia, ipse continens omnia, immensus, æternus, mente hominis major, sermone inexplicabilis, sublimitate omni sublimior. 889
Cap. III. Deum esse omnium conditorem, dominum et parentem, e sacris Scripturis probatur. 891
Cap. IV. Bonum quoque, semper sui similem, immutabilem, unum et solum, infinitum: cujus nec nomen proprium possit edici, et incorruptibilem, et immortalem. 892
Cap. V. Cujus si iracundias et indignationes quasdam, et odia descripta in sacris paginis teneamus; non tamen hæc intelligi ad humanorum exempla vitiorum. 894
Cap. VI. Et licet Scriptura faciem divinam sæpe ad humanam formam convertat, non tamen intra hæc nostri corporis lineamenta modum divinæ majestatis includi. 895
Cap. VII. Spiritus quoque cum Deus dicitur claritas et lux, non satis Deum illis appellationibus explicari. 897
Cap. VIII. Hunc ergo Deum novisse et venerari Ecclesiam; eique testimonium reddit tam invisibilium, quam etiam visibilium, et semper, et tota natura, quam ejus Providentia regit ac moderatur. 898
Cap. IX. Porro eumdem regulam veritatis docere nos, credere post Patrem etiam in filium Dei Jesum Christum Dominum Deum nostrum, eumdem in Veteri Testamento repromissum, et in Novo exhibitum. 900
Cap. X. Jesum Christum Dei Filium esse, et vere hominem contra hæreticos phantasiastas, qui veram carnem illum suscepisse negabant. 901
Cap. XI. Et vero, non hominem tantum Christum, sed et Deum; sicuti hominis filium, ita et Dei filium. 903
Cap. XII. Deum enim Veteris Testamenti Scripturarum auctoritate probari. 905
Cap. XIII. Eumdem veritatem evinci e sacris novi fœderis Litteris. 907
Cap. XIV. Idem argumentum persequitur auctor. 909
Cap. XV. Iterum ex Evangelio Christum Deum comprobat. 911
Cap. XVI. Rursum ex Evangelio Christum Deum comprobat. 914
Cap. XVII. Item ex Moyse in principio sacrarum Litterarum. 917
Cap. XVIII. Inde etiam, quod Abrahæ visus legatur Deus; quod de Patre nequeat intelligi, quem nemo vidit umquam, sed de Filio in Angeli imagine. 918
Cap. XIX. Quod etiam Jacob apparuerit Deus Angelus, nempe Dei Filius. 922
Cap. XX. Ex Scripturis probatur Christum fuisse Angelum appellatum. Attamen et Deum esse, ex aliis sacræ Scripturæ locis ostenditur. 925
Cap. XXI. Eumdem divinam majestatem in Christo aliis iterum Scripturis confirmari. 927
Cap. XXII. Eumdem divinam majestatem in Christo aliis iterum Scripturis confirmat. 929
Cap. XXIII. Quod adeo manifestum est, ut quidam hæretici eum Deum Patrem putarint, alii Deum tantum sine

Digitized by Google

carne fuisse. 931
Cap. XXIV. Illos autem propterea errasse, quod nihil arbitrarentur interesse inter Filium Dei et filium hominis, ob Scripturam male intellectam. 932
Cap. XXV. Neque inde sequi, quia Christus mortuus, etiam Deum mortuum accipi: non enim tantummodo Deum, sed et hominem Christum Scriptura proponit. 934
Cap. XXVI. Adversus autem Sabellianos, Scripturis probat alium esse Filium, alium Patrem. 936
Cap. XXVII. Pulchre respondet ad illud: *Ego et Pater unum sumus*, quod illi pro se intendebant. 938
Cap. XXVIII. Pro Sabellianis etiam nihil facere illud: *Qui videt me, videt et Patrem*, probat. 940
Cap. XXIX. Deinceps fidei auctoritatem admonere nos docet, post Patrem et Filium, credere etiam in Spiritum sanctum: cujus operationes ex Scripturis rencenset. 943
Cap. XXX. Denique, quantum dicti hæretici erroris sui originem inde rapuerint, quod animadverterent scriptum: *unus Deus:* et si Christum Deum et Patrem Deum dicamus, non magis tamen duos deos Scripturam proponere, quam duos dominos aut duos magistros. 946
Cap. XXXI. Sed Dei Filium Deum, ex Deo Patre ab æterno natum, qui semper in Patre fuerit, secundam personam esse a Patre, qui nihil agat sine Patris arbitrio; eumdem et Dominum, et Angelum magni Dei consilii; in quem Patris divinitas per substantiæ communionem sit tradita. 949
NOVATIANI DE CIBIS JUDAICIS EPISTOLA. 955
Caput. I. Novatianus, presbyter Romanus, in secessu suo, tempore persecutionis Decianæ, variis fratrum litteris provocatus, adversus Judæos post superiores duas Epistolas de Circumcisione et de Sabbato, etiam hanc de Cibis Judaicis edidit. *Ib.*
Cap. II. In primis Legem spiritalem esse tradit; et proinde, cum cibus primus hominibus solus arborum fructus fuerit, et usus carnis accesserit, Legem postmodum subsecutam, quæ cibos discerneus, quædam quasi munda concessit animalia, quædam interdixit quasi non munda, spiritaliter esse intelligendam; præsertim cum pronuntiata sint omnia *valde bona*, et etiam immunda animalia ad sobolem in arca Noe reservata sint; quæ alioqui possent auferri, si propter inquinamentum suum aboleri debuissent. 954
Cap. III. Non culpanda itaque immunda animalia, ne in Auctorem culpa revocetur; sed, quando irrationale animal ob aliquid rejicitur, magis illud ipsum in eo qui rationalis est homine damnari: in animalibus proinde mores humanos actus et voluntates depingi. 956
Cap. IV. His accessisse et aliam causam cur multa a Judæis ciborum genera tollerentur, ad coercendam nimirum intemperantiam populi uni Deo servituri. 959
Cap. V. Et vero fuerit tempus aliquod quo istæ umbræ vel figuræ exercendæ; postquam autem *finis Legis* Christus supervenit, omnia jam dici ab Apostolo munda mundis; et cibum verum et sanctum esse fidem rectam et immaculatam conscientiam. *Ib.*
Cap. VI. Sed non ex hoc quia libertas ciborum concessa, luxuriam permissam esse, aut continentiam sublatam et jejunia; hæc enim vel maxime decere fideles, oraturos scilicet Deum, et acturos gratias non diebus tantum sed et noctibus. 961
Novatiani ad S. Cyprianum epistola, cleri Romani nomine scripta. — Deo se primum commendat, deinde et fratribus. Romanorum fides ab Apostolo laudata. Libellaticorum scelus negantium sceleri suppar. Lenitate nimia lapsos excipere summa crudelitas. Confessorum litteræ ad disciplinam ecclesiasticam conservandam plurimum conducebant. Cypriani etiam litteræ confessoribus utiles. Exspectanda Ecclesiæ pax et constitutus Episcopus, antequam lapsis pax detur. Pulsent Ecclesiæ fores lapsi, sed non confringant. 963
S. LUCIUS I, PAPA ET MARTYR. 969
Notitia historica. *Ib.*
Epistola S. Cypriani ad S. Lucium. 971
APPENDIX. Epistolæ et decreta S. Lucio adscripta. 975
Epistola papæ I S. Lucii. *Ad Galliæ atque Hispaniæ episcopos.*—Ut duo presbyteri et tres diaconi in omni loco episcopo adhæreant propter testimonium ecclesiasticum: et de accusatione episcoporum; et de unanimitatis concordia inter metropolitanum cæterosque episcopos, et ut raptores atque ecclesiasticarum rerum ablatores, invasores, alienatores, ut fures et sacrilegi anathematizentur. 975
I. Ut episcopus semper testes secum presbyteros ac diconos habeat. 976
II. De criminationibus episcoporum, sive majorum natu, et ut audientia ad majores personas appellantibus non negetur. 977
III. Ut metropolitanus sine consilio episcoporum agat, nec ipsi sine illius, nisi quod ad proprias eccle pertinet.
IV. Ut metropolitanus sine episcopis causam eorum audiat.
V. Ne posteriores episcopi prioribus se præferant, nec inconsultis aliquid agant.
VI. De iis qui res Ecclesiæ vel oblationes fidelium a runt, et qui eis consentiunt.
Decreta Lucii papæ.
S. STEPHANUS I, PAPA ET MARTYR.
Procemium. *Ex libro Pontificali Damasi papæ.*
Notitia epistolarum non existantium quæ ad Stephanu attinent, auctore Coustantio. 9
Epistolæ quæ ad S. Stephanum I papam attinent. 9
Epistola S. Cypriani Carthaginensis episcopi ad Stepha num papam. — Ut litteris ad episcopos Galliarum missis cu ret ne Marcianus Arelatensis episcopus, Novatiano addic tus, necdum se abstentum esse amplius glorietur; simul que operam det, aliis litteris in Provinciam et ad plebem Arelatensem scriptis, alium episcopum ejus loco subrogari. *Ib.*
APPENDIX. Epistolæ decretales S. Stephano adscriptæ. 997
Epistola I Stephani papæ I ad Hilarium episcopum. *Ib.*
I. Qui sint infames, vel qui ad gradus ecclesiasticos, sive ad accusationem non sint admittendi. *Ib.*
II. De reverentia præpositis exhibenda. 999
III. De vestimentis ecclesiasticis. 1000
Epist. II. Stephani papæ I. — De expulsione episcoporum, et ut quidquid in sacratis Deo rebus et episcopis injuste agitur, pro sacrilegio reputabitur; et ut per scripta nullius accusatio suscipiatur, et de aliis pluribus atque utilibus causis. 1001
I. De accusationibus sacerdotum. 1002
II. De episcopis rebus suis expoliatis, aut a sede pulsis. 1003
III. Si quis episcopos vel actores sive defensores Ecclesiæ, antequam eos charitative conveniat, accusare præsumpserit, ut sit puniendus. *Ib.*
IV. Qui non debeant admitti ad accusationem. *Ib.*
V. Accusationem per scripta non suscipiendam, nec absentem posse accusari vel accusare, nec debere priusquam locum accipiat deferendi. 1004
VI. De primatibus et metropolitanis, et de negotiis episcoporum ad ipsos referendis. *Ib.*
VII. Ut episcopus accusatus, ab omnibus comprovincialibus episcopis audiatur. *Ib.*
VIII. Ut omnis accusatio intra provinciam terminetur, nisi ad Sedem apostolicam fuerit appellatum; et de accusationibus criminalibus implicatis, vel sponte confessis, aut olim inimicis. 1005
IX. Si clericus episcopum accusaverit, aut insidiatus fuerit. *Ib.*
X. Si laici res ecclesiasticas dispensare debeant. *Ib.*
XI. De personis accusatorum. *Ib.*
XII. De criminationibus doctorum, vel quod divinis vocibus damnati episcopos non possunt accusare vel in eos testificari. *Ib.*
ACTA ET MONUMENTA CELEBERRIMÆ DE HÆRETICORUM BAPTISMATE DISPUTATIONIS. 1009
Pars prima. — Præcipua veterum monumenta quæ supersunt de baptismate hæreticorum. *Ib.*
S. Stephani papæ et martyris decretoriæ sententiæ. *Ib.*
Concilium Romanum sub S. Stephano celebratum. 1011
CONCILIA CARTHAGINENSIA. Procemium. Carthaginense concilium sub Cypriano tertium. *Ib.*
De infantibus baptizandis. *Ib.*
Procemium. *Ib.*
Epist. S. Cypriani Fido, nomine concilii. — Patres Africani pacem a Therapio temere cencessam, ratam esse statuunt. — Infantium modo natorum Baptismus ab iisdem stabilitur. — Superstitiosus mos infantes ad osculum non admittere ante diem octavum notatur. — Nemo a Baptismo impediendus. 1013
Carthaginense concilium sub Cypriano quartum. De Basilide et Martiali, Hispaniæ episcopis libellaticis. 1019
Procemium. *Ib.*
Epistola synodica S. Cypriani ad clerum et plebem Hispaniarum, de Basilide et Martiali. 1021
Carthaginense concilium sub Cypriano quintum, de Baptismo primum. 1033
Procemium. *Ib.*
Epistola synodica S. Cypriani ad Januarium et alios. 1036
Carthaginense concilium sub Cypriano sextum, de Baptismo secundum. 1044

Digitized by Google

EPISTOLA SYNODICA S. CYPRIANI AD S. STEPHANUM PAPAM. Significat se in concilio decrevisse, ut qui apud hæreticos aut schismaticos tincti sunt, redeuntes ad Ecclesiam baptizarentur; et qui in Ecclesia presbyteri vel diaconi ordinati, in schisma delapsi sint; aut qui ab hæreticis promoti sint, revertentes ut laici communicarent, salvo tamen concordiæ vinculo, cum episcopis qui aliter sentirent. 1046
CARTHAGINENSE CONCILIUM SUB CYPRIANO SEPTIMUM, DE BAPTISMO TERTIUM. 1051
PROŒMIUM. Ib.
SENTENTIÆ EPISCOPORUM LXXXVII, DE HÆRETICIS BAPTIZANDIS. 1052
BOLLANDISTARUM ANIMADVERSIONES. 1077
Συνόδου πλειόνων ἁγίων Κυπριανοῦ ἀρχιεπίσκοπου καὶ μάρτυρος. 1079
JOANNIS ZONARÆ PRÆFATIO. Ib.
EPISTOLÆ DIONYSII ALEXANDRINI EPISCOPI, AD STEPHANUM PAPAM, FRAGMENTUM. Ib.
CARTHAGINENSE CONCILIUM VIII. 1101
EPISTOLÆ DIONYSII ALEXANDRINI EPISCOPI AD STEPHANUM PAPAM FRAGMENTUM. Ib.
EPIST. S. CYPRIANI AD QUINTUM, de hæreticis baptizandis. 1103

EPISTOLA S. CYPRIANI AD JUBAIANUM. — Anno Christi CCLVI, paulo post concilium Carthaginense VII, longam scripsit epistolam Cyprianus ad episcopum Jubaianum; is consuluerat Cyprianum de Baptismo, simulque miserat epistolam, non a se, sed ab alio scriptam, adversus sententiam Cypriani. Refellit hanc epistolam Cyprianus et summo studio colligit quidquid ad causæ suæ defensionem valere existimabat. Mittit etiam Jubaiano exemplum epistolæ ad Numidas et ad Quintum ac forte proximæ synodi decreta. 1109

EPIST. S. Cypriani ad Pompeium, contra epistolam Stephani. — Argumentum hujus Epistolæ istud est apud D. August., libr. V, contra Donatist., cap. 23.« Ad Pompeium, inquit, etiam scribit Cyprianus de hac eadem re; ubi aperte indicat Stephanum, quem Romanæ Ecclesiæ episcopum tunc fuisse didicimus, non solum sibi ad ista non consensisse, verum etiam contra scripsisse atque præcepisse. » De qua rursum cap. 25: « Jam illa quæ in Stephanum iratus effudit, retractare nolo, quia et opus non est. Eadem quippe ipsa dicuntur quæ jam satis discussa sunt; et ea præterire melius est, quæ periculum perniciosæ dissensionis habuerunt. Stephanus autem et abstinendos putaverat qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur. Iste autem quæstionis ipsius difficultate permotus, et sanctis charitatis visceribus largissime præditus, in unitate eis manendum qui diversa sentirent. Ita, quamvis commotius sed tamen fraterne indigneter, vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali discrepatione nullum inter eos malum schismatis oriretur. « Hactenus ille; quæ prolixius citavimus, eo quod antidoti sint loco, adversus eos qui hinc schisma suum a Romano Pontifice confirmare nituntur. 1127

EPISTOLA S. CYPRIANI AD MAGNUM. — Respondetur Magno inanienti an a Novatiano venientes denuo baptizandi. Et primo ex SS. Scripturarum testimonio unitas stabilitur. Legitima in cathedra Petri successio est certa unitatis nota. Unitatis sacramentum non tantum monitis et exemplis; sed et pœnis in delinquentes irrogatis sancitum. Schismatici, licet Symboli voces agnoscant, fidem ipsam denegant. Exemplis ostenditur quanto cum periculo Ecclesiæ pax, licet fides intacta maneat violetur. Digreditur Cyprianus ad hæreticorum Baptisma, quos Spiritum sanctum dare posse negat; tum respondet de clinicorum tinctione, de aspersione, ad immunditias tollendas, de gratia in Baptismo collata, vel minuenda actu nostro vel augenda. 1137

CONCILIUM ICONIENSE contra cataphrygas. 1152

EPISTOLA FIRMILIANI, EPISCOPI CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ, AD CYPRIANUM, CONTRA EPISTOLAM STEPHANI.—Argumenti prorsus ejusdem est cum præcedenti, sed paulo vehementius et acerbius quam episcopum deceat scripta, ea potissimum quantum suspicor, de causa, quod ad Firmilianum, Helenum et cæteros illarum partium episcopos Stephanus aliam quoque epistolam scripserat, se illis non communicaturum quamdiu in ea sententia de baptizandis hæreticis pertinaces rent. 1153

PROLEGOMENA IN SEQUENS OPUSCULUM. 1177
ART. I. Quis auctor operis, et quo sæculo floruerit. Ib.
ART. II. Analysis hujus opusculi. 1179
ART. III. Observationes quædam in hunc tractatum, atque ejusdem editiones. 1182

ANONYMI LIBER DE REBAPTISMATE. 1183
ARGUMENTUM. — Non debere denuo baptizari qui semel in nomine Domini Jesu Christi sint tincti. Ib.
PROLEGOMENA IN TRACTATUM SEQUENTEM. 1203

ANONYMI TRACTATUS AD NOVATIANUM HÆRETICUM. 1205
ARGUMENTUM. — Quod lapsis spes veniæ non est deneganda. Ib.
PARS ALTERA. — PRÆCIPUI RECENTIUM EXCURSUS.
IN EAMDEM DE HÆRETICORUM BAPTISMATE DISPUTATIONEM. 1217

L. THOMASSINI DISSERTATIO AD SYNODOS SUB STEPHANO PAPA IN CAUSA BAPTISMI HÆRETICORUM COLLECTAS CARTHAGINE, ROMÆ ET ALIBI, ANNIS CHRISTI 256, 257, etc. Ib.
Synopsis. Ib.
I. Stephani papæ et Cypriani concertatio. Novatorum calumnia in Stephanum. Duplex adversus eos controversia hic dirimenda. 1219
II. Non errasse Stephanum in omnium hæreticorum Baptismo recipiendo, probatur ex Firmiliano. Ib.
III. Et idem ex eodem. 1220
IV. Alia ex eodem argumenta. Ib.
V. Et rursus alia. 1221
VI. Idem revincitur ex Cypriano. Ib.
VII. Ex eodem. Ib.
VIII. Ex concilio Carthaginensi. 1222
IX. Ex Tertulliano. Ib.
X. Item ex concilio Arelatensi. 1223
XI. Ex Eusebio. Ib.
XII. Ex Stephani ipsius verbis. Ib.
XIII. Defenditur argumentum Stephani adversus Cyprianum. 1224
XIV. Item, ex Hieronymo ostenditur non errasse Stephanum. Ib.
XV. Rursus, ex eodem. 1225
XVI. Ex eodem iterum. 1226
XVII. Ex eodem. Ib.
XVIII. Idem efficitur ex Basilio. 1227
XIX. Ex Siricio, Innocentio, Leone Rom. Pontif. 1228
XX. Item, ex Augustino. Ib.
XXI. Quam dictu nefas totam aliquando errasse in hoc etiam negotio Ecclesiam. 1230
XXII. Item, ex Vincentio Lirinensi. Ib.
XXIII. Ex Hincmaro rhemensi et Augustino ruraus. 1231
XXIV. Altera attingitur controversia, an post decretum Stephani plenario adhuc esset opus concilio, ut immere videtur Augustinus. 1232
XXV. Contra ex eodem Augustino, etiam ante concilium et summa fuit Stephani potestas et Cypriani error expiandus, non excusandus. Ib.
XXVI. Ex eodem, Cyprianus Petro comparatur erranti, sed corripiente collegam audiendi. 1233
XXVII. Quam non possit excusari Cyprianus ex eodem, traditioni apostolicæ et ecclesiæ universali immoriger. Ib.
XXVIII. Eadem ex Hieronimo confirmantur, Vincentio Lir. et Facundo Herg. 1234
XXIX. Rursus ex Augustino. Ib.
XXX. Non ultra minas sæviit Stephanus, et tandem dispensationi acquievit, atque ita decreti sui executionem suspendit ipsemet. 1235
XXXI. Graviori auctoritati cedere debuisse Cyprianum, ex Augustino. 1236
XXXII. Et Cyprianus et alii ejus consentanei forsan resipuere. Ib.
XXXIII. Altera aperitur via solvendæ hujus controversiæ, ex discrimine quæstionum de fide et de consuetudinibus. 1237
XXXIV. Varia hujus discriminis documenta. 1238
XXXV. Quæstionem hanc civiliter tractatam esse, ut ad consuetudines spectantem, non ad fidem, probatur primum ex Firmiliano. Ib.
XXXVI. Item ex Cypriano. 1239
XXXVII. Item ex Stephano, ex Arelat. et Nicæna synodis, ex Optato. Ib.
XXXIII. Item ex Basilio. 1240
XXXIX. Ex Amphilochio. 1241
XL. Ex Athanasio. Ib.
XLI. Ex Epiphanio. 1242
XLII. Ex Cyrillo Hierosolymatano. Ib.
XLIII. Ex II Synodo œcumenica. 1243
XLIV. Ex synodo Trullana. Ib.
XLV. Ex consensu Græcorum, maxime Theodori Studitæ. Ib.
XLVI. Ex Gennadio. 1244
XLVII. Ex Augustino. 1245
XLVIII. Concilia plenaria frequenter Augustinus ad consuetudines ordinandas requirit. Ib.
XLIX. Nequaquam ad quæstiones fidei. 1247
L. Summa controversiæ hujus posterioris. 1248
DISSERTATIO, QUA VERA STEPHANI CIRCA RECEPTIONEM HÆ-

RETICORUM SENTENTIA EXPLICATUR. 1249
I. Sententiam Stephani ratione destitutam non fuisse. *Ib.*
II. An Stephanus Baptismum ab hæreticis sub qualibet forma collatum admiserit. 1251
III. An eos quos baptizatos in nomine Jesu, dixit Stephanus, intellexerit in nomine Trinitatis baptizatos. 1253
IV. An non Stephanus hæreticorum baptismo majorem, quam decet, virtutem atque efficaciam tribuat. 1255
V. An manum ab hæresi redeuntibus imponi voluerit Stephanus, ut confirmationis sacramentum eis conferretur. 1258
VI. Stephanus ab antiquis laudatur ut apostolicæ traditionis vindex, nec erroris ab ullo arguitur, nisi ab iis qui quorumvis hæreticorum baptisma respuebant. 1263
VII. An Stephanus excommunicatione percusserit rebaptizantes. An severius cum viris sanctis se gesserit. 1268

AUCTORITAS PONTIFICIA, NOTISSIMO CYPRIANI FACTO A QUIBUSDAM NEOTERICIS ACRITER IMPUGNATA, SED A SAPIENTISSIMIS GALLIÆ THEOLOGIS SOLIDE VINDICATA, DISSERTATIO HISTORICO-DOGMATICA. 1273
PRÆFATIO. *Ib.*
APPENDIX AD VITAM S. STEPHANI ROMANI PONTIFICIS ET MARTYRIS, in qua ipsius contra S. Cyprianum aliosque rebaptizantes agendi ratio veterum testimoniis a quorumdam neotericorum calumniis vindicatur. 1293
DISSERTATIONIS HISTORICO-DOGMATICA PARS PRIMA. 1313
Argumentum. Quod ex S. Cypriani facto, adversus supremam et irreformabilem in definiendis fidei controversiis Romani Pontificis auctoritatem extunditur et urgetur argumentum, vacuum a sapientissimis Galliæ theologis et inane conficitur, ac penitus evertitur. *Ib.*
CAPUT. I. Juxta universalem Galliæ theologorum ac scriptorum doctrinam S. Cyprianus agitatam ævo suo de rebaptizandis hæreticis quæstionem, non ad fidem, sed ad meram disciplinam pertinere judicabat. 1314
CAP. II. Juxta universalem Galliæ theologorum ac scriptorum doctrinam S. Cyprianus probe noverat quam S. Stephanus asserebat consuetudinem, non peculiarem Romano Pontifici, sed universalem fuisse tunc temporis Ecclesiæ consuetudinem, ac ab omnibus episcopis antiquitus servatam fuisse. 1320
DISSERTATIONIS PARS SECUNDA. 1323
Argumentum. — Solida et invicta sunt quæ ad profligandum ac evertendum ex S. Cypriano petitum adversus pontificiam inerrantiam Neotericorum argumentum, a sapientissimis Galliæ theologis adducuntur. *Ib.*
CAPUT. I. Exponuntur momenta quibus evincitur causam de baptismate hæreticorum Cypriano visam fuisse rem non fidei, sed meræ disciplinæ. 1325
Solvuntur objectiones. 1337
CAP. II. Afferuntur momenta quibus evincitur S. Cyprianum probe novisse quam S. Stephanus Rom. Pontifex vindicabat consuetudinem, universalem tunc temporis fuisse Ecclesiæ consuetudinem, ac ab omnibus episcopis antiquitus servatam fuisse. 1345
DISSERTATIONES FR. M. MOLKENBUHR DE FIRMILIANO, EPISC. CÆSARIENSI. 1357
PRÆFATIO. *Ib.*
CONSPECTUS UTRIUSQUE DISSERTATIONIS DE FIRMILIANO. 1361
DISSERTATIO I. — N. 1, 2, 3, Præmittuntur duæ regulæ critices, ex Dupinio. *Ib.*
*Propositio* I. — N. 4, 12. Epistola quæ sub Firmiliani nomine circumfertur ab homine Latino videtur conficta. *Ib.*
*Propositio* II. — N. 13, 17. Saltem S. Firmilianus eam non composuit. 1365
N. 18, 77. Ipsa epistola refertur quoad partes et critice examinatur; ubi n. 41. An S. Stephanus papa validum edixerit baptismum sub quacumque forma collatum. 1368
*Propositio* III. N. 78, 87. Verosimilius est, quod aliquis Donatista Africannus fatam Epistolam fabricatus fuerit post sæc. IV, vel alius hæreticus. 1401
*Propositio* IV. — N. 88, 91. S. Firmilianus nullos libros scripto publico vulgavit. 1408
DISSERTATIO II. — De S. Firmiliani anno emortuali, quo Paulus Samosatenus fuit condemnatus in celeberrima synodo Antiochena, in qua et vox *homousion* dicitur fuisse rejecta.
*Propositio*. N. 93, 100. Illa ante annum 272 non contigerunt. *Ib.*
ANNALES ECCLESIÆ AFRICANÆ TEMPORIBUS CYPRIANICIS. 1417
S. PONTIUS, DIACONUS CARTHAGINENSIS. 1477
PROLEGOMENA. *Ib.*
ART. I. Pontii vitæ historia. *Ib.*
ART. II. Ejus scripta. 1479
ART. III. De Actis Pontianæ historiæ subjectis, et quid curæ, in utrisque edendis adhibitum fuerit a viris doctis. 1480
DE VITA ET PASSIONE S. CYPRIANI, PER PONTIUM. 1481
CAPUT. I. Auctor rationes scribendi exponit. Acta Martyrum olim diligenter litteris fuisse consignata perhibet. *Ib.*
CAPUT. II. Quæ a Cypriano post baptismum facta sunt, enarrat. Continentia necessaria. Aliæ Cypriani virtutes. 1485
CAP. III. Ad sacros ordines cito promovetur. Sanctos sibi imitandos jungiter proponit. 1484
CAP. IV. Cyprianus a Cæcilio ad fidem adductus. 1485
CAP. V. Adhuc neophytus, episcopatum assumere compulsus. 1486
CAP. VI. Episcopalibus virtutibus emicat. 1487
CAP. VII. Proscriptus et ad leonem postulatus, prudenter secedit. *Ib.*
CAP. VIII. Idque accidit ex divinæ Providentiæ consilio. 1488
CAP. IX. Grassante dira peste, plebem suam ad succurrendum ea infectis, etiam ethnicis, efficaci oratione adducit. 1489
CAP. X. Pellitur in exilium Curubim. 1490
CAP. XI. A multis invisitur. Cœlesti visione recreatus, de martyrio subeundo ejusque *dilatione divinitus* admonetur. 1491
CAP. XIII. Quam visionem auctor interpretatur, et veridicam fuisse probat. 1493
CAP. XIV. Imminente persecutione recusat fugere Cyprianus, suosque ad martyrium hortatur. 1494
CAP. XV. Capitur. Plebs ante fores noctem excubat. *Ib.*
CAP. XVI. Postridie ad tribunal proconsulis ducitur. 1495
CAP. XVII. Lata sententia, capite plectitur. 1496
ACTA PROCONSULARIA SANCTI CYPRIANI. 1497
I. Prima S. Cypriani confessio coram Paterno proconsule. Presbyteros prodere renuit. *Ib.*
II. In exilium Curubim mittitur. Inde a Galerio revocatus comprehenditur. 1500
III. Coram proconsule sistitur. Ejus secunda confessio. 1502
IV. Sententia in eum lata, capite plecti jubetur. 1505
V. Coram magna populi turba decollatur. Ejus corpus, a fidelibus, noctu sublatum, sepelitur. 1504
APPENDIX. PASSIO S. CYPRIANI. 1505

FINIS TOMI TERTII.

Digitized by Google